N° 2 de 91.

Alava

1031

1.010

Dup.ª

EXVLTABO IN DEO IESV MEO

HS

DE INQVISITIONE PACIS,

SIVE

STVDIO ORATIONIS

Libri quinque;

Auctore

IACOBO ALVAREZ
DE PAZ, TOLETANO,
Societatis Iesv Theologo.

OPERVM TOMVS III.

ADIECTIS INDICIBVS LIBRO-rum, partium, & capitum; item Locorum Scripturæ, & Rerum, locupletißimis.

CVM PRIVILEGIO REGIS.

PALENCIA BIBLIOTECA PUBLICA

LVGDVNI
SUMPT. IACOBI CARDON ET PETRI CAVELLAT.
M. D. C. XXIII.

Petr. Faber. Sculpsit.

SANCTISSMO AC BEATISSMO
PATRI ET DOMINO N.

PAVLO QVINTO
PONT. MAX.

BIBLIOTECA PROVINCIAL DE LA PROVINCIA DE LA COMPAÑIA DE JESUS - VALENCIA

IACOBVS ALVAREZ DE PAZ
Presbyter è Societate Iesu, sempiternam felicitatem.

MVLTI, BEATISSIME PATER, multa quæ vel ad communem hominum vitam optimè gubernandam, vel specialem cuiusque fœliciter transigendam spectant, non minore legentium vtilitate, quàm scribentium laude scripta reliquerunt. Hinc tot iuris vtriusque prudentiæ, tot physicæ auscultationis, tot medicæ facultatis, tot Theologiæ scholasticæ volumina prodiere plena præceptis, & legibus, quæ vitam illam instituant, & moderentur; hanc conseruent, & tueantur. De vita tamen spirituali, quæ verè vita dicenda est, vtpote numquam peritura. Si nulla illi est cum carne & sanguine coniunctio, non sunt pauca conscripta, sed alia concisa nimis, & breuiter, alia non à suis petita principiis, alia non ad suos fines vt res postulat deducta. Ex his cùm discendi causa sæpius, docendi etiam aliquando plurima legissem, nec à re Christiana, nec à meo instituto alienum esse duxi, si quod mihi tempus à Theologiæ spinosis disputationibus, à gubernandi importunis oneribus, à Religionis quotidianis ministeriis supereſſet, quódque debilis & interrupta sæpe morbis valetudo permitteret vitæ spiritualis instituendæ præceptis concederem. Totum opus adhuc animo conceptum in tres partes seu tomos diuisi. Primo vitæ spiritualis & perfectæ naturam, partes, dignitatem, & laudes, necnon & ea quæ eius desiderium accenderent explicaui vt potui; eúmque de vita spirituali, eiúsque perfectione inscripsi. Secundo, quem de exterminatione mali, & promotione boni nuncupaui, remedia tum ad extirpanda vitia, tum ad comparandas virtutes, cùm fine vtroque

perfectio consistere non possit, prosecutus sum. Vtrumque Tuæ ipsi propè diuinæ Maiestati, primum ante sex annos, ante tres alterum, vt operis argumentum postulabat, vitæ meæ ratio exigebat, Tuæ Sanctitatis celsitudo, qua cœlum ipsum, syderáque contingis, deposcebat, consecraui. Tertium nunc offero, BEATISSIME PAVLE, méque fœliciſſimum iudico, non quòd tam vita mihi superstes fuerit ad opus perficiendum, quàm quòd tibi ille, cuius vices geris inter homines, vitam concesserit Reipublicæ Christianæ maximè necessariam (faxit ipse vt ad annos Petri quamproximè accedas) vt illum Tuæ Beatitudini consecrarem. Hic qui de inquisitione pacis, seu de studio orationis inscribitur, de orationis natura tum vocalis, tum mentalis; de eius materia, & affectibus, ac tandem de perfecta contemplatione agit; nihílque quod ad eius substantiam, gradus, & perfectionem spectat videor omisisse. Sacrilegij me reum existimarem, si tibi tertium, qui duos primos humanissimè suscepisti, non tam offerrem ego meum, quàm redderem tibi tuum, quémque tuo iure posses repetere. Eámque hausi spem qui putem, ac mihi persuasissimum habeam, quæ tua est humanitas, pari beneuolentia amoréque postremum hunc gremio complexurum, quo priores illos tutos incoluméque seruasti; cùm illum etsi non authoris exiguitas, operis tamen magnitudo multo sibi reddat digniorem. Filij quidem Iacob fratri ipsi incognito Ægyptiorum saluatori secundo post Pharaonem Principi modicum resinæ, & mellis, & aliorum quæ terra illa gignebat munera detulerunt. Regina Saba argentum, & aurum, aromata, & gemmas pretiosas Regi sapientissimo & potentissimo dono dedit. Simon Machabæi filius Senatui populóque Romano clypeum aureum magnum pondo mnarum mille, quod pignus esset initæ societatis per nuntios nobilissimos destinauit. Ast ego licèt professione pauper, quod gratius Sanctitati Tuæ & fuisse, & futurum esse non dubito, & obtuli quæ maximè potui, & offerre non desino quæcumque potuero. Obtuli, inquam, primò, communi Ecclesiæ Parenti, & maximo post Deum Principi sanctitatis mella, & aromata perfectionis, quorum ager noster, status nempe religiosus in omnibus religiosis Ordinibus feracissimus semper fuit. Obtuli deinde secundò, potentissimo Regum Regi, cuius potestas à mari vsque ad mare, & à flumine vsque ad terminos orbis terrarum extenditur, aurum, argentum, & gemmas perfectissimarum virtutum, pretiosos etiam sanctorum documentorum lapillos non minus ad extinguenda & extirpanda vitia efficaces, quàm vel adamantem ad timorem, vel ad tristitiam smaragdum, vel amethystum ad ebrietatem pellendam experimur. Eadem enim regio viuentium, id est, vitam spiritualem profitentium istiusmodi gazas maiori prouentui fert, quàm in no-

footer_navstro

ſtro hoc hemiſphærio aut Potoſus argentum, aut Carabaia aurum, aut Panama vniones,aut Muſus ſmaragdos.Nunc autem tertiò non Senatui populóque Romano, ſed Eccleſiæ Romanæ & catholicæ toto orbe diffuſæ ſummo vertici & Pontifici clypeũ aureum mitto, cui ſi illum à Machabæo miſſum compares, & viliorem & debiliorem noſtro iudicabis.Oratio namque clypeus eſt, de qua lego,quòd Aaron protulit ſeruitutis ſuæ ſcutum orationem,qua & irę Domini reſtitit, & calamitati finem impoſuit,& ſe ſummi Numinis fidelem ſeruum oſtendit.Clypeus,inquam,oratio eſt quouis humano clypeo potentior, qua non iam hominum telis,verùm & ipſis inuiſibilibus poteſtatibus, immo (quod caput eſt) diuinæ indignationi reſiſtimus.Nec ſolùm muneribus quæ offeruntur, PATER BEATISSIME, ſed & offerendi cauſa prædictos illos qui alia illa obtulerunt videor mihi longè ſuperare.Non enim pedibus ſanctiſſimis tuis prouoluor, vt frumenta, id eſt, bona temporalia conquiram, qui ab ipſa adoleſcentia vnius cellæ anguſtias auguſtiſſimas iudicaui; non vt ad audiendam dubitationum ſolutionem admittar,qui ſine prece & pretio vnus licèt minimus ex Eccleſiæ filiis cum omnibus fidelibus ad ſedem Petri,in qua vt ſupremus omnium magiſter præſides, erudiendus ingredior: non vt potentiſſimæ gentis amicitiam ambiam, qui maiorem quemque quo par eſt obſequio venerari,æqualem beneuolentia diligere, minorem benignitate complecti fuiſſem periucundiſſimum arbitratus. Sed hæc ingenij mei, quod ſentio quàm ſit exiguum, munuſcula tibi offero,tot ac tantis ſpatiis terræ marísque à tua ſancta Sede diſſitus, vt opere ipſo filiis inobedientibus,ac rebellibus,Hæreticis,inquam(qui cùm propiùs ſint,Tuæ Maieſtatis ſplendorem caligantibus oculis non intuentur)me hinc inde opponam, & cum nouis his populis nuper ad Chriſtum adductis te omnium Paſtorem eſſe profitear. Hoc enim,ſi deeſſet aliud, huius laboris cumulatiſſimum pręmium reputo,Tuam Beatitudinem ex his Regnis ante nõ multos annos cultui Idolorum deditis, caput Eccleſiæ, vicarium Chriſti,& vices eius gerentem in terris agnoſcere, & venerari. Capias igitur munuſculum hoc qualecumque ſit, immo quod reddo debitum ea pietate qua Deo vt es poteſtate ſimillimus, & maiore,vt ſpero,beneuolentia, quàm Ioſeph à fratribus,Salomon à Regina Saba, & Senatus populúſque Romanus à Numenio ſua munera ſuſceperunt.Quidquid mihi vitęſuperfuerit,vt ante plures annos voto ex inſtituto noſtræ Societatis tibi deuoui,ſic & libentiſſimo animo,& promtiſſima voluntate impendam.Sed quia iam diuturnum eſſe non poteſt cùm vltimum diem inſtare videam,vt fœlicem conſequar,tuæ non minus piæ,quàm potentis dexteræ benedictionem, largiſſimámque indulgentiam peto, & efflagito, ac tuis obuolutus, vt poſſum, pedibus ſuppliciter contendo. Vale BEATISSIME PATER.

PRÆFATIO
AD LECTOREM.

EN, optime Lector, tertius tomus huius operis in publicum prodit, de inquisitione pacis, siue de studio orationis inscriptus, vt vel titulus ipse aliquod legendi desiderium inuiciat. Spirituales enim viri, (quorum vnum, si te ad rerum spiritualium lectionem applices, te esse puto) nihil præstantius aut amabilius habent, quàm vt interna pace fruantur, & sanctæ orationis, & diuinæ communicationis opibus cumulentur. Pax Dei & Angelorum propria est, vt ait Gregorius Nazianzenus, quos ad veram sanctitatem tendentes imitari gestiunt: Oratio verò iter est ad pacem, qua Deo copulamur, atque immergimur; vt in illo tranquillitatis pelago absconditi nihil inquietudinis sentiamus. Vniuersa quæ hoc tertio volumine continentur disputationem de Oratione texunt, qua præcipuè itur ad pacem: vt pax ista, quæ in hac vita per omnimodam animæ subiectionem ad Deum acquiritur, ad eam perfectam cœlestis Ierosolymæ pacem nos ducat, omnẽ turbellam vel minimam ablegantem. Primò itaque laudes orationis edicimus, si non eius dignitati pares, at quas nostri ingenij tenuitas sanctorum Patrum dictis inhærens meditando concepit & parturiuit. Secundò orationem in eam quæ voce simul & mente, & eam quæ sola mente perficitur, distribuimus, & vtriusque naturam sigillatim vtilitatésque tractamus. Deinde quæ opus orationis præcedant, quæ comitentur, & quæ sequantur exprimimus. Ad hæc materiam aptam & copiosam ad mentaliter orandum seu meditandum incipientibus, proficientibus, & perfectis tradimus; & multiplices pro his tribus statibus affectus, qui in hoc negotio orationis præcipuum locum obtinent, excitamus. Tandem ad delicias contemplationis, in qua anima sponsum tenet, nec dimittit, & pacem, omnem sensum exuperantem reperit, peruenimus. Non est autem vna & eadem omnium horum tractationis ratio. Nam orationis naturam & exercitationem non solùm docere, verùm & persuadere conamur; contemplationem verò inexpertis prorsus absconditam eruere ac declarare nitimur: & ideo vt in aliis scriptis nostris, variis Scripturæ locis & sanctorum Patrum sententiis & similitudinibus ac rationum momentis vtimur. Materiam orationis pressiùs & breuiùs percurrimus, vt orationi deditus facilè se ad meditandum parare valeat, & in paucis lineis abundantiam sanctarum cogitationum insinuatam inueniat. Affectus verò qui (quod ego sciam) à nemine tam ex professo tractati sunt, simpliciùs scribimus, vt ipsa scribendi forma innotescat, quàm hæc orationis ars, non à doctrina, sed à gratia & à mentis feruore dependeat. Vnum denique prætereundum non est, nos in structura totius huius operis, quæ initio primi tomi præfixa est, pollicitos esse in quinto huius tomi, ac quintodecimo totius operis libro, rationem iuuandi proximos, quam ad lucrandas animas vocati seruare deberent, tractaturos. Id non præstitimus, quia tractationem orationis minus distinctam si promissioni staremus, & ad quatuor libros redigeretur, euasuram deprehendimus. Hoc ergo argumentum sanè dignissimum in aliud opus reseruamus, quod si per otium licuerit, & vita comes fuerit, aliquando elaborabimus. Sin minus, vel ex his quæ dicta sunt, satis poteris, ô Lector, addiscere, quomodo sine damno tuo, & aliorum emolumento in hoc opus curandarum animarum incumbes. Bene vale.

Nazianzenus orat. u. de pace.

Appro

Approbatio Theologorum.

IVssvs censoriam ferre sententiam,vidi de inquisitione pacis, siue de studio orationis quinque libros authore Iacobo Aluarez de Paz nostræ Societatis Iesu Theologo; & ad prælum probaui vehementer. Non solùm vt ab omni labe fidei morúmque mundissimos, verumetiam vt omnigena spirituali eruditione refertos, ac propositum scopum mentis pacem perfectissimè collimantes. Habeat igitur iam deinceps Ecclesia Dei tanti Patris beneficio, quo viros effingat spirituales,& meditatione,oratione, ac cótemplatione contra spiritualia nequitiæ armatos opponat,multo quàm antea instructissimum armamentarium. Limæ die 23.Decembris, anno Domini 1614.

PETRVS DE OÑATE.

QVinque hos libros de inquisitione pacis, siue studio orationis asceticis plenos legibus, plenos eruditione legi, quos Paulos, Antonios, & Arsenios, cæteróque contemplatricis vitæ principes totos spirare video; neque deesse illis, quæ solidæ Theologiæ alumnus desideret, nec quæ antiquitatis amans, Patrúmque diligens optet lector. Sunt in hoc opere & recta docendi methodus,quæ plurimùm ad facilè perdiscendas res conducit,& sacrarum Scripturarum tam aptè adducta testimonia,vt hìc nata,non aliunde petita videantur. Doctorum omnium, quos tum retroacta secula,tum præsentia religiosè venerantur, appositissimæ pro his, quæ dicuntur,confirmandis,sententiæ. Sunt denique non vulgares rationes sic lectoris mentem permouentes,vt quod in rhetoribus summum est,delectent,& persuadeant; quare censeo publicæ committendum esse opus luci,nociturum nemini, profuturum omnibus,vt orthodoxæ fidei, bonis moribus,& Ecclesiæ Doctoribus consonum. Limæ pridie Kalendas Aprilis anno 1615.

IOANNES PERLINVS PVBLICVS
Theologiæ Professor.

ACcuratè perlegi opus de inquisitione pacis,siue de studio orationis, quinque diuisum libris, auctore R. P. Iacobo Aluarez de Paz è nostra Societate, in hoc Limano Peruuij Collegio primùm Theologiæ Professore,deinde Rectore, hodie in veteri etiam orbe ex aliis eius spiritualibus libris in lucem editis satis iam noto. Sed illos libros vt quinque isti finiunt, & absoluunt; ita eisdem sunt, nostra quidem sententia,cum mira dispositionis methodo,dicendi perspicuitate,doctrinæ candore, ac pietate finitimi, & pares:tum pro merito nobilioris argumenti, varia rationum, ac sacræ Scripturæ allegoriarum copia, passímque intertextis,ceu gemmis,sanctorum Patrum sententiis, nécnon, vbi opus est, theologicis floribus ditiores,etiam, & pleniores, atque omnibus suis partibus expleti & absoluti.Quæ enim de oratione contemplationéque à variis rectè, sparsim tamen scripta sunt plurima,omnia sedulò legit auctor, eáque collecta, ad artem ordinémque clarissimum redegit hoc opere,addens illis non pauca noster Paz, suæ pacis inquisitione, & studio, longóque orationis vsu, ac experientia comperta. Quapropter opus censeo luce laudéque dignissimum. Limæ Nonis Aprilis anni 1615.

IOANNES MVGNOZ
Theologiæ Professor.

PRæclarè à Dionysio literis illinitum est, ἡ τῶν λόγων κρίσις ἐπ πείρας τελευταῖον, ἐπιγέννημα, indocilem nimirum disciplinæ vsum iudicio summopere necessarium,qui senectæ ætati consequens est. Propterea subit animum cogitatio, qui putarem satius esse,ne tantus author caussa caderet, Photij præiudicio, non meo, quod nosco quàm sit exiguum, iniuncto iudicis officio satisfacere, qui author in suis Eclogis Ioannem Cassianum his verbis summa ponit in laude,quibus ego,& quidem meritissimò Iacobi nostri scripta, *Dionys.*

Qualia vincunt
Pythagoran, Anytúque reum, doctumque Platona,

arbitror commendanda: *Vtilissima verò si quæ alia hæc iis sunt pronunciata, qui religiosam inire vitam cupiunt. Et verò tanta iis vis ineſt,& quasi diuinitas,vt & in hunc vsque diem si quis monachorum conuentus hac forma,& hisce præceptionibus gubernetur, reuera tantisper floreat,cæteríque prælucens virtutum esse officina cernatur,cùm qui hac repudiarit cœtus, paruis quibusdam virtutum reliquiis instructus veluti in fluctibus iactetur,vel etiam naufragium faciat.* Hæc ille. Quamobrem author sum iis, quibus certum est ad frugem animum applicare post καθάρσεις illas, siue purificationes, quas primo, alteróque tomo noster Iacobus exhibuit, ad diuina quæ hoc libro traduntur ἱποπτεία aspirare studio sibi maximo habeant. Vnde si cui *Photius codice cxcvij.*

Compositum ius fásque animi, sanctósque recessus
Mentis,& incoctum generoso pectus honesto

cordi est indipisci, in hæc se orationis adyta abdat, ad quæ (Philonis verba sunt) ὁ μὲν δὴ πρὸς τὸ μηδὲν ἐπεξεργάσασθαι κακὸν, καὶ τὰ παλαιὰ ἐκνίψασθαι δυσμώσας, γεγηθὼς πεφοίτω. ὁ δ' ἀνὰ τούτων διαγεγαρτῶν, ἀφιξάσθω. λήσεται γὰρ οὐδέποτε τὸν τὰ ἐν μυχοῖς τῆς διανοίας ὁρῶντα, καὶ τοῖς ἀδύτοις αὐτοῖς ἐμπεδοπατοῦντα. Quisquis nullius præteriti peccati sibi conscius, etiam vetera conatur eluere,accedat bono animo,sin minus absistat cùm impurus sit. Non poterit enim fallere perspicientem mentis sinus intimos,& inambulantem in eius penetralibus. Et cùm eos qui in asceticis processerint,minimè fugiat (Basilij sententia est) ἀγκιβύσσους τὰς κακίας εἶναι *Philo lib quòd Deus sit immutabilis.* *Basil.*

εἶναι ταῖς ἀρεταῖς, vitia virtutésque eidem commigrasse viciniæ, magni quidem facienda sunt Iacobi nostri scripta, quæ si apprimè percallueris, nocturna diurnáque manu versaueris, veri speciem nullo negotio dignosces,

Ne qua sub ærato mendosum æmniat auro.

Nam quotusquisque hæc per otium scripta versat, quin contrahi appetitus, turbidásque animi sui commotiones sedari, séque indies longiùs prouehi, maioráque ex iis emolumenta efflorescere per summam animi voluptatem non experiatur? Ideo (absit verbo inuidia) de iis aliísque authoris libris lubens vsurparim Lyrici verba:

Horat.

Feruet auaritia, miseráque cupidine pectus?
Sunt verba & voces quibus hunc lenire dolorem
Possis, & magnam morbi deponere partem.
Laudis amore tumes? Sunt certa piacula, quæ te
Ter purè lecto poterunt recreare libello.

Philo de somnis.

Verùm macti vos, quibus datum est bibere (Philonis verba subiungo) de amatorio sapientiæ poculo, fruíque contemplationum eius,& placitorum epulis. Has vobis dapsiles, apparatissimásque contemplationis cupedias, iusto hoc volumine Iacobus noster exhibebit:

Qui quid sit pulchrum, quid turpe, quid vtile, quid non,
Plenius ac meliùs Chrysippo, & Crantore dicit.

Hic μαζοὶ γλαγόντες παισὶν τερπνότεροι κήλυκος. Gemina, inquam, illa amoris philtra sponsi vbera omni flore liberi meraciora propinabit,à quibus purum putúmque sine dolo lac fidei,pietatis,contemplationis,prout lubido tulerit, fugere valeatis. Nam ea quibus vos enutriendi distenta vbera (Ægyptiarum matrum vestigiis insistens,quę lalantium labellis non priùs vbera admouebant,quàm Soli ea exposuissent) Deo Opt. Max. qui viros spirituales diuina sua luce conuestit, visenda priùs Iacobus exhibuit, vt dum nectar hoc diuino Numini refert acceptum,vos alere,& velut mater valeret educere. Quapropter

——— *Petite hinc iuuenésque senésque*
Finem animo certum.

Plato 7. de Republica.

Verùm dicet nonnemo vestrûm τὸν μελλὸν ἔτι ζῶντας ἐγκωμίοις τε, καὶ ὕμνοις τιμᾶν ὡς ἀσφαλὲς, periculosæ plenum aleæ opus esse viros, quibus vita superstes, tergeminis laudibus mactare, multáque satiùs annosa scriptorum volumina, quibus anni pretium arrogarunt, commendare, quàm maturos nouis scriptis, eorúmque authoribus honores elargiri. Ita planè mecum facit, & æquo Ioue iudicat; sed

Qui redit ad fastos, & virtutem æstimat annis,
Miratúrque nihil, nisi quod Libitina sacrauit.

Plin. lib. 1. epist. ad Septicii Clarum.

is vacuas det aures Plinio. Neque debet operibus eius obesse, quod viuit. An, si inter eos, quos numquam vidimus, floruisset, non solùm libros eius, verumetiam imagines conquireremus; eiusdem nunc honor præsentis,& gratia quasi satietate langueſcit? At hoc prauum malignúmque est,non admirari hominem admiratione dignissimum, quia videre, alloqui, audire, complecti, nec laudare tantùm, verumetiam amare contigit.

Multa fidem promissa leuant, vbi plenius æquo
Laudat, venalis qui vult extrudere merces.

Nullus inficior, sed

Res vrget me nulla: meo sum pauper in ære.

Vnde cùm iudicia sint libera, hanc animi mentem iam olim indui, qui putarem Iacobi nostri scripta χρησιμώτατα καὶ ἀκαῆς ἄξια, quæ excudantur, legantur, quæ posteritas alat,& ipsa æternitas intueatur.

CONSALVVS BARNOVVS.



FACVLTAS R. P. PRÆPOSITI Generalis Societatis Jesu.

CVM opus de inquisitione pacis, siue de studio orationis P. Iacobi Aluarez de Paz, nostræ Societatis, tres eiusdem Societatis Theologi, quibus id commissum fuit, recognouerint, & in lucem edi posse probauerint, facultatem concedimus, vt typis mandetur, si ita iis, ad quos pertinet, videbitur. In cuius rei fidem has litteras manu nostra subscriptas,& sigillo nostro munitas dedimus Romæ 20. Februarij 1616.

MVTIVS VITELLESCVS.

APPROBATIO.

IOANNES CLAVDIVS DEVILLE, in sacra Theologia Magister, & diuini verbi Prædicator, in sancti Pauli huiusce ciuitatis Canonicus, atque in hac Lugdunensi Diœcesi librorum Censor designatus: fidem facimus,nos librum qui inscribitur, *de inquisitione pacis, siue studio orationis libri quinque, Iacobo Aluarez de Paz, Societatis Iesu Theologo Auctore*, euoluisse, omniáque in illis iuxta orthodoxam Catholicæ Apostolicæ ac Romanæ Ecclesiæ,& sanctorum Patrum sanam doctrinam summa cum eruditione exponi. Luguduni apud sanctum Paulum 12. Octobris 1616.

IOANNES CLAVDIVS DEVILLE.

R. D. D. Thomæ de Meschatin la Faye, huius libri imprimendi facultas.

THOMAS DE MESCHATIN LA FAYE, Comes, Canonicus, & Camerarius, Ecclesiæ Lugdunensis, & Vicarius Generalis in Archiepiscopatu Lugdunensi: Opus quod inscribitur, *de inquisitione pacis, siue studio orationis libri quinque, Auctore Iacobo Aluarez de Paz, Societatis Iesu Theologo*, vt in lucem edatur, facultatem concedo. Lugduni 13. Octobris 1616.

MESCHATIN LA FAYE.

CONCESSIO.

PVS hoc quod inscribitur, *de inquisitione pacis, siue studio orationis libri quinque, Auctore Iacobo Aluarez de Paz, Societatis Iesu Theologo*, ego IACOBVS DAVEYNE Regis Procurator typis mandari, tum demum in lucem exponi consentio.

DAVEYNE.

LIBRVM hunc, inscriptum, *de inquisitione pacis, siue studio orationis libri quinque, Auctore Iacobo Aluarez de Paz, Societatis Iesu Theologo*, ab HORATIO CARDON Bibliopola Lugdunensi in lucem dari permittimus: simul, ne quis citra factam ei ab ipso potestatem, denuo excudat, interdicimus. Datum Lugduni die 15. Octobris 1616.

SEVE.

SVM

SVMMA PRIVILEGII
à Christianissimo Galliarum Rege concessi.

LVDOVICI XIII. Galliæ & Nauarræ Regis auctoritate sancitum est, atque patentibus literis cautum, ne quis in regno suo, aliísve locis ditioni suæ subiectis, intra proximos annos decem, à die impressionis primæ inchoandos, ac numerandos, excudat, vendat, excudendum vendendúmque quouis modo & ratione curet librum, qui inscribitur, *de inquisitione pacis, siue studio orationis libri quinque, Auctore Iacobo Aluarez de Paz Toletano, è Societate Iesu Theologo*, præter HORATIVM CARDON Bibliopolam Lugdunensem, aut illos, quibus ipsemet concesserit. Prohibitum insuper eadem auctoritate Regia omnibus suis subditis, eumdem librum extra regni sui limites imprimendum curare, vel quempiam, vbicumque fuerit, ad id agendum impellere, ac instigare, sine consensu dicti HORATII CARDON. Idque omne sub confiscatione librorum, aliísque pœnis originali Diplomate contra delinquentes expressis. Datum Turonibus die decimanona Aprilis, anno millesimo sexcentesimo decimosexto.

De mandato Regis,

Signatum

BERRVYER.

INDEX
LIBRORVM,
PARTIVM, ET
CAPITVM.

LIBER PRIMVS.

De oratione tum vocali, tum mentali.

Præmium. pag.1.

PARS I.

De necessitate orationis, & sublimitate.

Introductio. 9
*Cap.*1. Quid sancti Patres de oratione senserint. ibi.a
2. Orationis studium cœlitus fuisse hominibus demonstratum. 15.c
3. Orationis studium homines cœlestes facere; & ciuibus cœlestibus in cibum esse concessum. 21.b
4. In oratione præsidium fidelium esse constitutum. 27.a
5. Oratione morbos animæ sanari. 33.d
6. Per orationem iusti animam virtutibus nutriri & augeri. 40.c
7. Oratione iustum ad bonum promptum fieri & interna suauitate perfundi. 46.d
8. Orationis studio animam ad labores roborari. 52.c
9. Per studium orationis dæmones vinci. 58.b
10. Oratione cœlum expugnari. 64.b
11. Orationis studium esse proprium populi Dei. 69.c
12. Omnibus viris spiritualibus diligenter in studium orationis esse incumbendum. 76.c

PARS II.

De oratione vocali.

Introductio. 83
*Cap.*1. De duplici oratione vocali publica, & priuata. 85.a
2. Orationem publicam horis Canonicis, & aliis officiis ecclesiasticis contineri. 90.b
3. De rectitudine vitæ ministrorum nomine Ecclesiæ horas Canonicas recitantium. 97.c
4. De tempore apto ad horas Canonicas persoluendas. 101.d
5. De loco ad solutionem horarum Canonicarum. 107.a
6. De habitu corporis in horis Canonicis seruando. 111.a
7. De sono vocis horis canonicis adhibendo. 116.a
8. De præparatione ad horas canonicas. 120.a
9. De reuerentia in horis canonicis. 125.b
10. De attentione in horis canonicis. 128.c
11. De modis stabiliendæ mentis & adsequendæ attentionis. 134.c
12. De deuotione in horis canonicis, & de excitandis adfectibus. 138.d
13. De adfectibus orationis Dominicæ. 143.b
14. De adfectibus salutationis Angelicæ. 152.b
15. De adfectibus Psalmorum. 158.b
16. De supplendis diuini Officij defectibus. 164.c
17. De oratione vocali priuata. 166.b

PARS III.

De oratione mentali.

Introductio. 169
*Cap.*1. Oratio mentalis quid sit. 171.a
2. Mens qua luce ad orationem mentalem opus habeat. 179.c
3. Mens quo ardore ad mentalem orationem indigeat. 187.a
4. Quàm sit mentalis oratio viro spirituali necessaria. 192.a
5. De diuisione orationis mentalis secundùm Doctores. 198.c
6. De duplici specie orationis mentalis, intellectiua & adfectiua; ac nunc esse de intellectiua tractandum. 205.b
7. De triplici oratione intellectiua; scilicet cogitatione, meditatione, & contemplatione. 209.b
8. De cogitatione, quid sit. 213.a
9. De causis cogitationis. 217.c
10. De fructibus cogitationis. 220.e
11. De meditatione, quid sit. 225.d
12. Meditationem esse difficilem; ac quibus eius difficultas superetur. 233.d
13. De consideratione intellectus circa personas. 239.d
14. De consideratione intellectus circa verba. 243.c
15. De consideratione intellectus circa actiones. 246.c
16. De consideratione intellectus circa proprietates personarum euangelicarum. 250.c
17. De consideratione intellectus circa causas mysteriorum. 254.c
18. De consideratione intellectus erga diuino-

rum

rum mysteriorum effectus. 256.e
19.De consideratione intellectus circa modum agendi & patiendi. 258.e
20.De meditatione per similitudines. 261.d
21.De meditatione per dissimilitudines. 264.a
22.De meditatione per ponderationem. 265.e
23.De meditatione per superiora. 267.e
24.De meditatione per inferiora. 269.b
25.De meditatione per antecedentia,comitantia, & subsequentia. 271.b
26.De triplici modo meditandi. 272.c
27.Contemplatio finis est dictorum,& eius tractatus in alium locum reiicitur. 276.d

LIBER SECVNDVS.

De his,quæ præcedunt,comitantur & sequuntur orationem mentalem.

Proœmium. 281

PARS I.

De antecedentibus orationem mentalem.

Introductio. 285
*Cap.*1. Qua vitæ puritate debeat spiritualis vir ad orationem mentalem parari. ibid.a
2.Qua discretione debeat noxias,& superfluas occupationes abiicere. 293.b
3. Qua sollicitudine vir spiritualis debeat cogitationes,& desideria à fine suo aliena depellere. 300.e
4.Magister spiritualis ab amatore orationis quærendus, cui obediatur & interiora manifestentur. 308.b
5.Finis debitus orationi præfigatur. 315.d
6. Ante orationem ardens orationis desiderium excitetur. 322.c
7.Cor viuidum erectum ad orationem afferatur. 328.a
8.De lectione rei in oratione meditandæ,& quæ propria habeat. 334.a
9.De affectu,qui in oratione quæritur,præueniendo. 338.e
10.De diuinæ præsentiæ consideratione. 342.e
11.De diuinæ Maiestatis adoratione. 355.e
12. De nostrarum virium & actionum oblatione. 359.e
13.De gratiæ ad orandum postulatione. 364.c
14.Summa præludiorum orationis mentalis. 367.e

PARS II.

De comitibus orationis mentalis.

Introductio. 369
*Cap.*1.Primus comes orationis mentalis;Locus aptus. ibid.a
2. Secundus comes orationis mentalis: Tempus accommodum. 377.d
3.Tertius comes orationis habitudo corporis conueniens. 384.c
4.Quartus comes orationis:Diffidentia sui. 388.c
5.Quintus comes orationis:Reuerentia. 394.c
6.Sextus comes orationis:Attentio. 402.c
7.De euagationum caussis in oratione. 409.c
8.De harum euagationum remediis. 414.a
9.Septimus comes orationis : Sollicitudo discreta. 418.c
10.Octauus comes orationis: Ordo meditandorum. 422.e
11.Nonus comes orationis,meditandi modus & ratio. 430.b
12. Decimus comes orationis, affectuum excitatio. 437.d
13.Vndecimus comes orationis: Petitionum effusio. 445.d
14. Quid & quomodo in oratione mentali petendum. 452.a
15. De multiplici titulo ex parte Dei & hominis, quod petitioni adiungitur. 457.c
16.De caussa exauditionispostulationum nostrarum, scilicet de fiducia in petendo. 463.a
17.De aliis exauditionis caussis. 468.e
18.Quare aliquando non exaudiamur, ac de exauditionis indiciis. 476.e
19.Duodecimus comes orationis,lacrymæ. 481.c
20.Summa comitum orationis mentalis. 492.a

PARS III.

De sequentibus orationem mentalem.

Introductio. 493.a
*Cap.*1. De vera & solida deuotione ex studio orationis proueniente,seruanda. ibid.b
2.De suauitate spirituali magni æstimanda. 500.a
3.De consolatione sensibili non despicienda. 505.e
4.Quibus vera deuotio & spiritualis parabitur. 510.c
5.De prædio orationis & somno. 516.d
6.De ariditate animæ in oratione. 523.d
7.De desolatione animæ in oratione. 523.d
8.De longanimitate, quæ his imperfectionibus orationis medetur. 536.d
9. De instinctibus, qui in oratione sentiuntur, suscipiendis. 541.c
10. De obligationibus status cuiusque propter orationem non omittendis. 548.c
11.De illusionibus dæmonis in oratione vitandis. 553.b
12.De perseuerantia in studio orationis. 560.d
13.De discretione in orationis exercitiis. 566.d
14.Summa dictorum. 572.b

LIBER III.

De materia orationis mentalis.

Proœmium. 573

PARS I.

De materia orationis mentalis ad incipientes.

Introductio. 583
*Cap.*1.De vltimo fine hominis. ibid.c
*Medit.*I.Quid sit homo. 586.c
II. Quis non sit finis hominis. 587.d
III. Quis sit vltimus finis hominis. 589.b
IV. Quod sit officium hominis. 590.b
V. Quæ instrumenta ad suum munus accepit homo. 591.a
VI. Quàm stultum sit hæc media in propriam perditionem vertere. ibid.c
VII. Quomodo se habeat homo erga creata. 592.c
*Cap.*2.De enormitate peccati. 593.d
*Medit.*I.De grauitate peccati ex natura eius. 594.c
II. De grauitate peccati ex caussa eius, quæ est homo. 595.d
III. De grauitate peccati a persona, in quam peccatur,qui est Deus. 596.c
IV. De grauitate peccati ex pœnis, quibus Deus illud punit. 597.b

V. De grauitate peccati, à bonis, quibus peccatorem ſpoliat. 598.c
VI. De grauitate peccati ex multiplicibus malis, quæ infert. 599.a
VII. De grauitate peccati ab his, quæ illi inſunt. ibid.c
Cap. 5. De vanitate ſæculi. 600.c
Medit. I. De breuitate rerum ſæculi. 601.d
II. De exiguitate rerum ſæculi. 602.d
III. De fallacia rerum ſæculi 603.b
IV. De amaritudine rerum ſæculi. 604.a
V. De fragilitate rerum ſæculi. ibid.d
VI. De miſeriis rerum ſæculi. 605.b
VII. De periculis rerum ſæculi. 606.c
Cap. 4. De horrore mortis. 607.b
Medit. I. De mortis conditione. 608.b
II. De mortis certitudine. 609.a
III. De mortis incertitudine. ibid.d
IV. De mortis timore. 610.c
V. De mortis amaritudine. 612.a
VI. De mortis, quam affert, omnium nuditate. ibid.c
VII. De mortis iuſtorum & peccatorum diſcrimine. 614.a
Cap. 5 De terrore extrêmi iudicij. 615.b
Medit. I. De loco & tempore & perſonis interuenientibus in iudicio ſpeciali. 616.a
II. De forma iudicij ſpecialis. 617.b
III. De terribilitate vniuerſalis iudicij. 618.b
IV. De conflagratione mundi, & vocatione iudicandorum. 619.b
V. De aduentu iudicis, & ſegregatione bonorum à malis. 620.b
VI. De diſceſſione vitæ, tum bonorum, tum malorum. 621.a
VII. De ſententiæ prolatione ad bonos & malos. ibid.c
Cap. 6. De acerbitate pœnarum inferni. 622.c
Medit. I. De loco inferni, in quo puniuntur reprobi. 623.c
II. De miſerrima ſocietate damnatorum. 624.b
III. De pœna damni, qua puniuntur reprobi. 625.a
IV. De pœna ſenſus damnatorum. ibid.d
V. De pœna particularium vitiorum. 627.a
VI. De æternitate pœnarum. ibid.d
VII. De magnitudine pœnarum Purgatorij. 628.d
Cap. 7. De neceſſitate omnimodæ abnegationis. 629.c
Med. I. De neceſſitate mortificationis corporis. 630.c
II. De neceſſitate mortificationis ſenſuum exteriorum. 631.b
III. De neceſſitate mortificationis ſenſuum interiorum. 632.b
IV. De neceſſitate mortificationis affectuum. 633.a
V. De neceſſitate mortificationis memoriæ. ibid.c
VI. De neceſſitate mortificationis intellectus. 634.c
VII. De neceſſitate mortificationis voluntatis. 635.b
Cap. 8. De pulchritudine rectæ intentionis. ibid.c
Medit. I. De intentione præpoſtera fugienda. 636.c
II. De intentione ſeruorum. 637.b
III. De intentione mercenariorum. 638.a
IV. De intentione filiorum. ibid.c
V. De intentione recta. 639.c
VI. De intentione ſimplici. 640.c
VII. De intentione Deiformi. ibid.c

PARS II.

De materia Orationis mentalis ad proficientes.

Introductio. 641.

Cap. 1. De capite Eccleſiæ Ieſu ſaluatore, ac primò de eius infantia. 643.a
Medit. I. De diſpoſitione Dei in redemtione generis humani. 644.c
II. De legatione Dei miſſa per Angelum Gabrielem ad Virginem. 646.a
III. De incarnatione filij Dei. 648.c
IV. De profectione filij Dei ad ſanctificandum Ioannem. 649.c
V. De natiuitate filij Dei ſecundùm carnem. 651.a
VI. De circumciſione Chriſti Domini & impoſitione nominis Ieſu. 654.c
VII. De apparitione Chriſti Ieſu, & adoratione Magorum. 656.d
VIII. De præſentatione Chriſti in templo. 659.b
IX. De fuga Chriſti in Ægyptum, eiúſque reditu in Iudæam. 661.a
X. De remanſione Chriſti in templo & diſputatione cum Doctoribus. 663.a
XI. De abſconſione ſaluatoris vſque ad annos triginta. 664.d
Cap. 2. De vita Ieſu ſaluatoris vſque ad paſſionem eius. 665.c
Medit. I. De Baptiſmo Chriſti. 666.d
II. De ſeceſſione Chriſti in deſertum. 668.c
III. De reditu Chriſti ad homines, & qualitate vitæ eius. 670.c
IV. Vitam Chriſti fuiſſe humillimam. 672.b
V. Vitam Chriſti fuiſſe pauperrimam. 673.c
VI. Vitam Chriſti fuiſſe puriſſimam. 674.c
VII. Vitam Chriſti fuiſſe obedientiſſimam. 676.b
VIII. Vitam Chriſti fuiſſe religioſiſſimam. 677.d
IX. Vitam Chriſti fuiſſe pluſquam ecſtaticam. 678.d
X. Vitam Chriſti fuiſſe vtiliſſimam. 680.c
XI. Vitam Chriſti fuiſſe ſpiritualiſſimam. 681.c
XII. Vitam Chriſti fuiſſe clariſſimam. 693.a
XIII. Vitam Chriſti fuiſſe admirabiliſſimam. 684.d
Cap. 3. De paſſione Ieſu ſaluatoris. 685.d
Medit. I. De glorioſo Chriſti ingreſſu in Ieruſalem. 687.d
II. De cœna Chriſti in Bethania, & eius venditione. 689.d
III. De vltima cœna Chriſti legali. 692.a
IV. De lotione pedum diſcipulorum. 693.c
V. De inſtitutione Euchariſtiæ. 695.c
VI. De exitu Chriſti in hortum, & mœſtitia & oratione eius. 698.c
VII. De comprehenſione Chriſti. 702.a
VIII. De deductione Chriſti ad Annam. 705.b
IX. De profectione Chriſti ex Anna ad Caipham. 706.c
X. De trina negatione Petri. 709.a
XI. De miſſione Chriſti ad Pilatum. 710.b
XII. De tranſmiſſione Chriſti à Pilato ad Herodem. 713.a
XIII. De reditu Chriſti ad Pilatum, & prælatione Barabbæ. 714.b
XIV. De flagellatione Chriſti. 716.a
XV. De coronatione Chriſti. 718.a
XVI. De productione Chriſti ad populum, & damnatione eius. 720.a
XVII. De baiulatione crucis. 721.c
XVIII. De Chriſti crucifixione. 723.b
XIX. De ignominiis Chriſti in cruce. 725.a
XX. De verbis Chriſti in cruce. 727.c
XXI. De morte Chriſti, ac ſignis mortem eius ſequutis. 730.c
XXII. De apertione ſacri lateris. 731.b
XXIII. De depoſitione Chriſti de cruce. 732.b
XXIV. De ſepultura Chriſti Domini. 733.b

Cap. 4 De resurrectione & ascensione Iesu Saluatoris. ibid.e
Medit. I. De glorioso descensu Christi ad inferos. 735.b
II. De resurrectione Christi. 736.c
III. De apparitione Christi facta beatæ Virgini. 737.e
IV. De apparitione Angelorum facta mulieribus. 738.e
V. De secunda apparitione Christi facta Magdalenæ. 740.a
VI. De tertia apparitione facta mulieribus. 741.c
VII. De quarta apparitione facta Petro. 742.a
VIII. De quinta apparitione facta discipulis euntibus in Emauntem. 743.a
IX. De sexta apparitione facta discipulis in vnum congregatis. 744.d
X. De septima apparitione facta discipulis præsente Thoma. 746.a
XI. De octaua apparitione facta discipulis ad mare Tyberiadis. 747.a
XII. De noua apparitione facta omnibus discipulis in monte Galilææ. 748.e
XIII. De ascensione Domini. 750.a
XIV. De aduentu Spiritus sancti. 752.a
Cap. 5. De Regina Ecclesiæ Maria, & primò de eius ingressu in mundum. 753.c
Medit. I. De æterna electione Dei qua elegit Mariam virginem. 754.c
II. De temporali prædictione Mariæ virginis. 756.c
III. De conceptione Mariæ. 757.e
IV. De natiuitate Mariæ. 761.a
V. De præsentatione Mariæ. 763.a
VI. De corporali perfectione & pulchritudine Mariæ. 764.e
VII. De sanctitate animæ Mariæ. 766.b
VIII. De vita Mariæ in Templo. 768.d
Cap. 6. De progressu Mariæ virginis in mundo. 769.e
Medit. I. De desponsatione Virginis. 770.d
II. De annuntiatione Mariæ. 772.c
III. De visitatione Mariæ facta Elisabethæ. 774.c
IV. De suspicione Ioseph circa puritatem Mariæ. 776.c
V. De expectatione partus Mariæ. 777.e
VI. De sedulitate Mariæ erga Christum infantem. 778.e
VII. De subiectione Mariæ ad Christum prædicantem. 781.a
VIII. De compassione Mariæ cum Christo patiente. 782.c
IX. De exultatione Mariæ cum Christo resurgente & in cœlos ascendente. 784.c
Cap. 7. De egressu Mariæ virginis ex mundo. 785.c
Medit. I. De conuersatione Mariæ ab ascensione Domini vsque ad eius dormitionem. 786.b
II. De desiderio Mariæ quo cupiebat à carne dissolui. 788.b
III. De felicissima dormitione Mariæ. 789.d
IV. De gloriosa assumtione beatæ Mariæ. 691.a
V. De gloria Mariæ, quam habet in cœlo. 792.c
VI. De veneratione Mariæ quam habet in terra. 793.c
Cap. 8. De selectioribus Ecclesiæ membris, scilicet de Sanctis. 794.c
Medit. I. De sanctis Angelis. 795.b
II. De sanctis Patriarchis & Prophetis. 797.b
III. De sanctis Apostolis. 798.a
IV. De sanctis Martyribus. 799.a
V. De sanctis Pontificibus. 800.d
VI. De sanctis Doctoribus. 801.c
VII. De sanctis Confessoribus. 802.b
VIII. De sanctis Virginibus, & viduis, & coniugatis. 803.a
IX. De pulchritudine Ecclesiæ, quæ ex his omnibus constituitur. 804.a

PARS III.

De materia orationis mentalis ad perfectos.

Introductio. 805
Decas 1 De perfectionibus diuinis. 807.a
Contempl. I. De esse Dei. ibid.b
II. De spiritualitate Dei. 809.b
III. De simplicitate Dei. 810.c
IV. De immortalitate Dei. 811.c
V. De perfectione Dei. 812.b
VI. De infinitate Dei. 813.b
VII. De immensitate Dei. 814.a
VIII. De immutabilitate Dei. 816.a
IX. De æternitate Dei. 817.a
X. De vnitate Dei. 818.a
Decas 2. De perfectionibus diuinis. 819.b
XI. De inuisibilitate Dei. ibid.c
XII. De incomprehensibilitate Dei. 820.e
XIII. De ineffabilitate Dei. 821.e
XIV. De veritate Dei. 822.e
XV. De veracitate Dei. 823.e
XVI. De fidelitate Dei. 824.d
XVII. De bonitate Dei. 825.d
XVIII. De pulchritudine Dei. 827.d
XIX. De admirabilitate Dei. 829.a
XX. De vita Dei. 830.c
Decas 3. De perfectionibus diuinis. 831.c
XXI. De sapientia Dei. ibid.d
XXII. Quòd Deus est omnium artifex. 833.e
XXIII. Quòd est consiliarius. 834.e
XXIV. Quòd Deus est lux. 835.e
XXV. Quòd Deus est illuminator. 836.e
XXVI. Quòd Deus est reuelans profunda. 837.e
XXVII. De amore Dei. 838.e
XXVIII. De zelo Dei. 841.c
XXIX. De pace Dei. 842.c
XXX. Quòd Deus est author pacis. 843.d
Decas 4. De perfectionibus diuinis. 844.d
XXXI. De longanimitate Dei. 845.a
XXXII. De misericordia Dei. 846.b
XXXIII. Quòd Deus est consolator. 848.a
XXXIV. Quòd Deus est protector. 849.b
XXXV. De Iustitia Dei. 850.c
XXXVI. Quòd Deus est loquens iustitiam. 851.d
XXXVII. De rectitudine Dei. 852.c
XXXVIII. Quòd Deus est iudex. 853.c
XXXIX. Quòd Deus est vltor. 854.c
XL. Quòd Deus est terribilis. 855.d
Decas 5. De perfectionibus diuinis. 857.a
XLI. De pietate Dei. ibid.c
XLII. De beneficentia Dei. 858.b
XLIII. De affabilitate Dei. 859.a
XLIV. De liberalitate Dei. 860.b
XLV. De fortitudine Dei. 861.b
XLVI. De magnificentia Dei. 862.b
XLVII. De patientia Dei. 863.c
XLVIII. De benignitate Dei. 864.c
XLIX. De clementia Dei. 865.c
L. De mansuetudine Dei. 866.b
Decas 6. De perfectionibus diuinis. 867.b
LI. De suauitate Dei. ibid.c
LII. De dulcedine Dei. 868.c
LIII. De sanctitate Dei. 869.d.

LIV. De puritate Dei. 870.d
LV. Quòd Deus est creator. 171.c
LVI. Quòd Deus est conseruator. 873.a
LVII. De prouidentia Dei. 874.a
LVIII. Quòd Deus est gubernator. 875.d
LIX. Quòd Deus est custos. 877.a
LX. De dominio Dei. 878.d
Decas 7. De perfectionibus diuinis. 879.c
LXI. Quòd Deus est Dominus exercituum. ibid.e
LXII. Quòd Deus est possessor cœli. 881.c
LXIII. Quòd Deus est Rex. 882.b
LXIV. De magnitudine Dei. 883.b
LXV. De sublimitate Dei. 884.b
LXVI. De celsitudine Dei. 885.a
LXVII. De amabilitate Dei. ibid.e
LXVIII. Quòd Deus est desiderabilis. 886.e
LXIX. Quòd Deus est laudabilis. 887.d
LXX. Quòd Deus est incomparabilis. 888.d
Decas 8. De perfectionibus diuinis. 889.c
LXXI. Quòd Deus est diues. ibid.d
LXXII. Quòd Deus est legislator. 890.e
LXXIII. De omnipotentia Dei. 891.c
LXXIV. De beatitudine Dei. 892.e
LXXV. Quòd Deus est saluator. 893.e
LXXVI. Quòd Deus est merces. 894.e
LXXVII. Quòd Deus est glorificator. 895.e
LXXVIII. Quòd Deus est suscitator. 897.a
LXXIX. Quòd Deus est primus & nouissimus. 898.b
LXXX. Quòd Deus est vltimus finis. 899.a
Decas 9. De perfectionibus diuinis. ibid.e
LXXXI. Quòd Deus est Trinitas. 900.b
LXXXII. Quòd Deus est Pater. 901.d
LXXXIII. Quòd Deus est ingenitus. 903.a
LXXXIV. Quòd Deus est à quo omnis paternitas. ibid.d
LXXXV. Quòd Deus est filius. 904.d
LXXXVI. Quòd Deus est Verbum. 905.d
LXXXVII. Quòd Deus est imago. 906.e
LXXXVIII. Quòd Deus est Spiritus sanctus. 907.e
LXXXIX. Quòd Deus est amor. 908.d
XC. Quòd Deus est donum. 909.c
Decas 10. De beneficiis diuinis. 910.c
XCI. De beneficio prædestinationis. ibid.d
XCII. De beneficio creationis. 912.b
XCIII. De beneficio conseruationis. 913.a
XCIV. De beneficio redemtionis. 915.b
XCV. De beneficio vocationis ad fidem. 916.c
XCVI. De beneficio iustificationis. 917.c
XCVII. De beneficio status religiosi. 918.c
XCVIII. De beneficiis peculiaribus. 921.c
CXIX. De beneficio perseuerantiæ. 922.c
C. De benefico glorificationis. 923.d
Peroratio. 926.b

LIBER QVARTVS.

De affectibus orationis mentalis.

Proœmium. 933.a

PARS I.

De affectibus ad expulsionem mali pro incipientibus.

Introductio. 949.d
Exerc. 1. Vt appetas Deum vltimum finem. 951.a
2. Vt omnia tum spiritualia, tum temporalia propter Deum tuum finem requiras. 953.6
3. Vt peccata odio habeas. 955.d
4. Vt iterum de peccato doleas. 959.a
5. Vt maiorē dolorem de peccatis concipias. 961.b
6. Vt adhuc vehementiùs à peccatis abhoreas. 964.c
7. Vt confitearis coram Domino peccata tua. 967.e
8. Vt statuas non peccare, & ad satisfactionem te offeras. 971.d
9. Vt impugnes gulam. 974.e
10. Vt impugnes luxuriam. 977.a
11. Vt pugnes contra auaritiam. 978.e
12. Vt pugnes contra iram. 981.a
13. Vt dimices aduersùs inuidias. 983.b
14. Vt dimices aduersùs acediam. 985.c
15. Vt euertas inanem gloriam. 987.d
16. Vt euertas superbiam. 989.d
17. Vt quinque sensus mortifices. 992.a
18. Vt passiones cohibeas. 994.e
19. Vt mandata & legem obserues. 998.a
20. Vt puritatem diligas. 1000.d
21. Vt te in Dei timore contineas. 1002.e

PARS II.

De affectibus ad promotionem boni pro proficientibus.

Introductio. 1005.
Exerc. 1 Qualiter ad exemplum Iesu Christi Domini nostri tres vires animæ reformabis. ibid.a
2. Qualiter ad eiusdem similitudinem cordis affectus compones. 1009.a
3. Qualiter operationes ad Christi exemplum perficies. 1014.a
4. Qualiter te imperfectionibus exues. 1017.b
5. Quas Christi virtutes desiderabis & petes. 1020.a
6. Quas virtutes ab Angelis vt eas tibi impetrent, posces. 1028.e
7. Quas virtutes à Sanctis postulabis. 1031.e
8. Quas virtutes à beatissima Virgine omnium Angelorum & Sanctorum Regina petes. 1034.b
9. Quid boni ad tuam perfectionem concupisces. 1037.c
10. Qualiter affectum imitationis Christi virtutum sumes. 1041.d
11. De imitatione humilitatis Christi. 1044.e
12. De imitatione paupertatis Christi. 1047.c
13. De imitatione puritatis Christi. 1049.d
14. De imitatione obedientiæ Christi. 1052.b
15. De imitatione patientiæ Christi. 1054.d
16. Qualiter Christo patienti compatieris. 1057.c
17. Qualiter Christum patientē admiraberis. 1059.e
18. Qualiter de Christo patiente exultabis. 1062.a
19. Qualiter de Christo patiente liquesces. 1064.e
20. Qualiter Christo patienti vnieris. 1067.d
21. Qua ratione te Christo offeres. 1069.e
22. Qua ratione te Christo donabis. 1075.b
23. Qua ratione te Christo consecrabis. 1078.a
24. Qua ratione te Christo sacrificabis. 1080.a
25. Qua ratione te holocaustum efficies. 1082.b
26. Quomodo te Christo conformabis in omnibus. 1084.c
27. Qualiter te habebis erga Deum. 1086.d
28. Qualiter te habebis erga proximum. 1088.d
29. Qualiter te habebis erga teipsum. 1090.c
30. Quæ postulanda sunt ad obtinendam perfectionem. 1091.e

PARS III.

De affectibus ad vnionem Dei pro perfectis.

Introductio. 1093
Cap. 1. De qualitate affectiuæ orationis. ibid.a
2. Affectiuam orationem non semper à meditatione pendere. 1097.e
3. Affectiuam orationem meditatione vtiliorem & perfectiorem esse. 1102.e
4. Affectiuam orationem faciliorem ac suauiorem

esse meditatione. 1108.b
5. Oratio affectiua quos fructus pariat. 1112.6
6. Quæ sint huius orationis pericula. 1115.c
7. Quæ sit huius orationis affectiuæ summa perfectio. 1120.d
8. Quòd hæc oratio ad hanc perfectionem subleuata sine vsu intellectus ordinariè non fiat. 1123.e
9. Oratio affectiua quibus mediis iuuetur,& de vsu aspirationum. 1131.b
10. Qua ratione aspirationes sunt exercendæ. 1135.c
11. Quòd in hac ratione orandi per affectus nihil sit incommodi. 1140.c
12. De affectu amoris. 1146.b
Exerc. I. De vsu actuali fidei. 1149.c
II. De vsu actuali spei. 1150.b
III. De desideriis & postulationibus amoris Dei. 1151.a
IV. De actionibus amoris diuini. ibid.e
V. De obseruantia præcepti amoris diuini. 1152.d
VI. De tenendis proprietatibus amoris diuini. 1153.d
VII. De affectibus amoris diuini. 1154.c
VIII. De desiderio infimorum graduum amoris diuini. 1155.d
IX. De desiderio mediorum graduum amoris diuini. 1156.c
X. De desiderio supremorum graduum amoris diuini. 1157.a
XI. De gaudio de bonis Dei. 1157.e
XII. De quærenda pace cum Deo & tranquillitate cordis. 1158.e
XIII. De abstractione ab omnibus creaturis. 1159.c
XIV. De resignatione & perfecta oblatione in manibus Dei. 1160.c
XV. De postulatione conducibilium ad vnionem. 1161.c
XVI. De quærenda conformatione & similitudine ad Deum. 1162.b
XVII. De aspiratione ad diuinam vnionem. ibid.e
XVIII. De iugi permansione in Deo. 1163.d
XIX. De renouatione vnionis cum Deo. 1164.b
XX. De dilectione proximorum. 1165.b
Cap. 13. De affectu gratiarum actionis. ibid.e
Formula de affectu gratitudinis. 1170.c
Exerc. I. De beneficiis factis humanitati Christi. 1171.c
II. De beneficiis factis beatæ Virgini. 1172.a
III. De beneficiis quæ Deus largitus est Angelis. ibid.d
IV. De beneficiis, quæ Deus largitus est Sanctis. 1173.b
V. De beneficiis quæ Deus præstat iustis in hac vita degentibus. ibid.e
VI. De beneficiis quæ Deus largitur peccatoribus. 1174.c
VII. De beneficiis collatis in toram Ecclesiam. ibid.e
VIII. De beneficiis specialibus tam nobis, quàm aliis donatis. 1175.e
Cap. 14. De affectu laudis Dei. 1176.b
Formula faciendi laudes Deo. 1179.b
Exerc. I. De laude Dei ab eius potentia ostensa in creatione. 1180.c
II. De laude Dei ab eius prouidentia ostensa in gubernatione. ibid.e
III. De laude Dei ab eius misericordia ostensa in redemtione. 1181.b
IV. De laude Dei ab eius sustinentia in hominum iustificatione. ibid.d
V. De laude Dei ab eius iustitia in malorum punitione. 1182.a
VI. De laude Dei ab eius largitate in bonorum remuneratione. ibid.d
VII. De laude Dei à multiplici eius perfectione. 1193.a

APPENDIX AD LIBRVM QVARTVM.

De affectibus orationis mentalis.

PARS I.

De affectibus ad expulsionem mali: pro incipientibus.

Exerc. 1. Vt appetas Deum vltimum finem. 1185.a
2. Vt omnia tum spiritualia tum temporalia propter Deum tuum finem requiras. 1186.a
3. Vt peccata odio habeas. 1187.b
4. Vt iterum de peccato doleas. ibid.e.
5. Vt maiorem dolorem de peccato concipias. 1188.d
6. Vt adhuc vehementiùs à peccatis abhorreas. 1189.
7. Vt confitearis coram Domino peccata tua. 1190.a
8. Vt statuas non peccare,& ad satisfactionem te offeras. 1191.b
9. Vt impugnes gulam. ibid.e
10. Vt impugnes luxuriam. 1192.c
11. Vt pugnes contra auaritiam. ibid.e
12. Vt pugnes contra iram. 1193.c
13. Vt dimices aduersùs inuidiam. ibid.e
14. Vt dimices aduersùs acediam. 1194.
15. Vt euertas inanem gloriam. 1195.a
16. Vt euertas superbiam. ibid.c
17. Vt quinque sensus exteriores mortifices. 1196.a
18. Vt passiones cohibeas. ibid.e
19. Vt mandata & legem obserues. 1197.c
20. Vt cordis puritatem diligas. ibid.e
21. Vt te in timore Dei contineas. 1198.c

PARS II.

De affectibus ad promotionem boni: pro proficientibus.

Exerc. 1. Qualiter ad templum Iesu Christi Domini nostri tres vires animæ reformabis. 1199.a
2. Qualiter ad similitudinem Christi cordis affectus compones. ibid.e
3. Qualiter operationes ad exemplum Christi perficies. 1200.d
4. Qualiter te omni imperfectione exuas. 1201.d
5. Quas Christi veritates desiderabis & petes. 1202.a
6. Quas virtutes ab Angelis vt eas tibi impetrent posces. 1207.b
7. Quas virtutes à Sanctis postulabis. 1208.b
8. Quas virutes à beata Virgine omnium Angelorum & Sanctorum Regina petes. 1209.a
9. Quid boni ad tuam perfectionem cupies. 1210.a
10. Qualiter affectum imitationis Christi virtutum assumes. 1212.a
11. De imitatione humilitatis Christi. ibid.d
12. Qualiter Christo compatieris. 1213.c
13. Qualiter Christũ patientẽ admiraberis. ibid.e
14. Qualiter de patiente Christo exultabis. 1214.b
15. Qualiter in Christo patiẽte liquesces. 1215.a
16. Qualiter Christo patienti vnieris. ibid.c
17. Qua ratione te Christo offeres. ibid.e
18. Qua ratione te Christo donabis. ibid.
19. Qua ratione te Deo consecrabis. 1217.c

20. Qua ratione te Christo sacrificabis. ibid.e
21. Qua ratione te Christi holocaustum efficies. 1218.b
22. Quónam modo te Christo conformabis in omnibus. ibid.d
23. Qualiter te habebis erga Deum, proximum ac teipsum. 1219.b
24. Quæ petenda sunt ad obtinendam perfectionem. 1220.b

LIBER QVINTVS.

De perfecta contemplatione.

Procœmium. 1221.a

PARS I.

De triplici apparatu ad contemplationem.

Introductio. 1231.a

APPARATVS I.

Impedimentorum submotio.

Cap. 1. Amouenda esse contemplationis impedimenta. ibid.b
2. Naturam quietam & placidam ad contemplationem requiri. 1233.c
3. Amator contemplationis peccata etiam minima fugiat. 1235.b
4. Amator contemplationis vitia in se perimat. 1236.a
5. Amator contemplationis omnimodæ mortificationis suorum sensuum intendat. 1237.b
6. De omnium rerum abiectione. 1238.c
7. De occupationum moderatione. 1240.b
8. De omnium virtutum, sed præcipuè humilitatis studio. 1242.c
9. De vitæ puritate. 1243.c
10. De perseuerantia in exercitio orationis. 1244.c
11. De discreta cura corporalis salutis. 1247.a
12. Quòd his omnibus expletis adhuc gratia contemplationis est gratia Dei. 1248.a

APPARATVS II.

Præsentia diuina.

Cap. 1. Præsentiam diuinam, seu iugem Dei memoriam obnixè nobis in sacra Scriptura commendari. ibid.c
2. Multis nominibus nos ad diuinam præsentiam cogitandam teneri. 1254.a
3. Quòd diuina præsentia à malis eripimur. 1260.a
4. Quòd diuina præsentia in omni bono promouemur. 1265.c
5. Quòd diuina præsentia pacem contemplationis inquirimus. 1270.d
6. Quòd diuina præsentia ad perfectionem extollimur. 1273.a
7. De primo modo diuinæ præsentiæ habendæ per imaginem sensibilem. 1279.a
8. De secundo modo diuinæ præsentis habendæ absque imagine sensibili extra nos. 1283.b
9. De tertio modo diuinæ præsentiæ habendæ extra nos ipsos. 1287.a
10. De mediis, quibus cum auxilio gratiæ diuinam præsentiam assequemur. 1291.c

APPARATVS III.

Continua oratio.

Cap. 1. De sensu illorum verborum: Oportet semper orare & non deficere. 1295.d
2. De sublimiori sensu illorum verborum: Oportet semper orare. 1299.b
3. Statutis horis ei generi orationis vacandum, quoad contemplationem præparemur: ac de duplici cognitione Dei affirmatiua, & negatiua. 1304.a
4. De cognitione Dei per opera naturæ. 1306.a
5. De cognitione Dei per opera gratiæ & gloriæ. 1312.d
6. De cognitione Dei per sacram Scripturam. 1314.c
7. De cognitione Dei per negationem. 1318.c

PARS II.

De natura contemplationis.

Introductio. 1323
Cap. 1. Contemplatio propriè quid sit. ibid.a
2. Contemplationem præcipuè circa diuinitatem versari; aliæ autem in ordine ad Deum non excludere. 1329.b
3. Contemplationem secundùm naturam suam in intellectu perfectorum esse, & in voluntatem influere. 1336.a
4. Contemplationis caussam agentem esse donum sapientiæ, ipsúmque aliis donis Spiritus sancti iuuari. 1342.c
5. Contemplationis finem esse perfectum amorem Dei, ac mentis sanctitatem. 1349.a
6. Contemplatio quos effectus habeat. 1357.a
7. De proprietatibus contemplationis, ac primò de eleuatione Spiritus in Deum. 1362.c
8. De suspensione mentis in contemplatione. 364.e
9. De admiratione eorum quæ contemplatione inspiciuntur. 1367.b
10. De delectatione contemplationis. 1369.c
11. De diuturnitate contemplationis. 1372.d
12. Quid animæ agendum est quando contemplationis gratia subtrahitur. 1375.c
13. Neminem debere indiscretè ad perfectam contemplationem conari. 1381.a

PARS III.

De gradibus contemplationis, seu de sapientia cœlesti.

Introductio. 1285
Cap. 1. Primus gradus contemplationis, Intuitio veritatis. 1387.a
2. Secundus gradus contemplationis: Secessus virium animæ ad interiora. 1396.d
3. Tertius gradus contemplationis spirituale silentium. 1399.e
4. Quartus gradus contemplationis: Quies. 1403.c
5. Quintus gradus contemplationis: Vnio. 1407.c
6. Sextus gradus contemplationis: Auditio loquelæ Dei. 1412.c
7. Septimus gradus contemplationis, spiritualis somnus. 1419.d
8. Octauus gradus contemplationis: Ecstasis. 1423.d
9. Nonus gradus contemplationis: Raptus. 1427.c
10. Decimus gradus contemplationis: Apparitio Christi & Sanctorum corporea. 1433.a
11. Vndecimus gradus contemplationis: Apparitio Christi & Sanctorum imaginaria. 1440.a
12. Duodecimus gradus contemplationis, visio intellectualis. 1445.c
13. Tertiusdecimus gradus contemplationis, visio Dei in caligine. 1453
14. Quatuordecimus gradus contemplationis: Admiranda manifestatio Dei. 1458.c

15. Quindecimus gradus contemplationis : Visio clara & intuitiua Dei. 1463.a
16. De suauitate sensibili his gradibus contemplationis adiuncta. 1468.a

PARS IV.
De discretione spirituum.

Introductio. 1471
Cap. 1. De multiplici Spiritu ac de cuiusque natura. 1473.a
Induct. I. Quid significet nomen Spiritus, & quomodo hic accipiatur. ibid.c
II. Quid sit Spiritus provt hic accipitur. 1474.b
III. Quotuplex est Spiritus. ibid.c
IV. Discretionem horũ Spirituum aliquando quidem esse facilem, aliquando verò difficilẽ. 1475.d
V. Ad hanc rem præbitum esse Ecclesiæ donum discretionis Spirituum. 1476.d
VI. Hoc donum omnium non esse, aliámque viam discernendorum Spirituum quærendam esse. 1477.c
VII. Quis sit Spiritus diuinus, & per quos moueat. 1478.c
VIII. Quis sit spiritus diabolicus & per quos impellat. 1480.c
IX. Quis sit spiritus humanus & à quo procedat. 1483.a
X. Desiderandum ac postulandum instinctum diuinum. 1484.b
XI. Fugiendum ac respuendum instinctum diabolicum. 1487.b
XII. Cautè audiendum spiritum humanum. 1488.b
Cap. 2. De Spiritu diuino, & industrius ad illum cognoscendum. 1489.c
Induct. I. Spiritus Dei docet veritatem, allicit ad virtutem. ibid.c
II. Sp.ritus Dei interdum docet bonum, ad illud verò non allicit & econtra, & quæ huius causa. 1491.c
III. Spiritus Dei aliquando allicit ad bonum in generali, & tunc quid faciendum. 1493.c
IV. Spiritus Dei quæ à nobis specialiter petat. 1495.c
V. Spiritus Dei nunc impellit ad ordinaria, nunc ad extraordinaria. 1497.c
VI. Spiritus Dei inspirat bonum, nunc quidem vt in se vel in aliquo fiat, nunc verò solùm vt quis Deo suam voluntatem submittat. 1499.b
VII. Spiritus Dei in omnibus quæ inspirat rectissimum finem proponit. 1501.a
VIII. Spiritus Dei discretionis metas non excedit. ibid.d
IX. Spiritus Dei non est proteruus, sed docilis. 1502.d
X. Spiritus Dei infundit pacem, & inclinat ad cordis puritatem. 1503.b
XI. Spiritus Dei ex instinctu suo in animo consolationem relinquit. 1504.a
XII. Spiritus Dei variis modis animam alloquitur. 1505.a
Cap. 3. De spiritu diabolico & industriis ad eum pertinentibus. ibid.c
Induct. I. Spiritus diaboli duobus modis, scilicet apertè & occultè docet falsum, aut instigat ad malum. 1506.a
II. Spiritus diaboli ad quæ mala manifestè impellat. 1507.b
III. Spiritus diaboli quando nos occultèaggreditur, quibus technis se contegat. 1509.a
IV. De aliis astutiis spiritus diabolici vt nos suo instinctu decipiat. 1511.a
V. Adhuc de aliis astutiis diabolici spiritus. 1512.b
VI. Aliæ astutiæ tractantur maligni spiritus. 1513.c
VII. Initio suggestionis instinctus diaboli quomodo cognoscetur. 1515.b
VIII. In progressu suggestionis instinctus diaboli quomodo detegatur. 1516.b
IX. In fine impulsus qua ratione an sit à diabolo, deprehendatur. ibid.c
X. Quibus mediis aduersùs diaboli insidias pugnandum est. 1517.a
Cap. 4 De spiritu humano, & via eum cognoscendi. ibid.c
Induct. I. Spiritus humanus circa cognitionem quomodo se habeat. 1518.b
II. Spiritus humanus quomodo se gerat circa desiderium virtutis. ibid.d
III. Spiritus humanus quid dictet in studio mortificationis. 1519.b
IV. Spiritus humanus quid sentiat circa exercitia interiora. ibid.c
V. Spiritus humanus quid velit in exercitiis exterioribus. 1520.c
VI. Spiritus humanus quomodo in oratione se habeat. 1522.a
Cap. 5. De indicijs ad discernendas reuelationes veras à falsis. ibid.d
Induct. I. Quanti periculi sit apparitiones, seu reuelationes appetere. 1523.a
II. Reuelationes cautè esse recipiendas. ibid.d
III. Reuelationes non esse passim manifestandas. 1525.d
IV. Reuelationes non esse à magistro spiritus abscondendas. 1526.d
V. Magistro spiritus in his rebus perinde atque in aliis credendum esse & illi obedientiam esse præstandam. 1527.b
VI. Primum signum veræ reuelationis est veritas. ibid.c
VII. Secundum signum veræ reuelationis vtilitas. 1528.b
VIII. Tertium signum veræ reuelationis humilitas. ibid.c
IX. Quartum signum veræ reuelationis pax. 1529.b
X. Quintum signum, personæ cui reuelatio fit bonitas. ibid.c
Cap. 6. Tractationi huic de inquisitione Pacis, ac vniuerso operi postrema manus imponitur. 1530.b
Oratio & gratiarum actio pro consummatione operis. 1539

INDEX
LOCORVM SACRÆ
SCRIPTVRÆ, QVI HOC TERTIO VOLVMINE ALIQVO MODO EXPLICANTVR.

EX VETERI TESTAMENTO.

Ex libro Geneſis.

CAP. 1. TERRA autem erat inanis & vacua, & tenebræ erant ſuper faciem abyſſi. 1317.b

2. Et requieuit die ſeptimo ab vniuerſo opere quod patrarat.

Fons aſcendebat de terra irrigans vniuerſam ſuperficiem terræ. 54.d

Immiſit Dominus ſoporem in Adam, cúmque obdormiſſet, &c. 1420.a

Et ædificauit Dominus Deus coſtam quam tulerat de Adam, &c. 568.b

Hoc nunc os ex oſſibus meis, & caro de carne mea. 764.c

3. *Vocauítque Dominus Adam, & dixit eis: Vbi es.* 222.c

4. *Et peperit Cain, dicens: Poſſedi hominem per Deum.* 1166.c

Dixítque Dominus ad eum: Quare iratus es, &c. 1257.c

Cum operatus fueris eam, non dabit tibi fructus ſuos. 410.e

Quem vocauit Enos, iſte cœpit inuocare nomen Domini. 18.b

8. *Et ambulauit Henoch cum Deo, &c.* 1257.c

9. *Noë vir iuſtus atque perfectus fuit in generationibus ſuis.* ibid.e

14. *Leuo manum meam ad Dominum excelſum, &c.* 881.c

15. *Ego protector tuus, & merces tua magna nimis.* 894.e

17. *Ego Dominus omnipotens, ambula coram me, & eſto perfectus.* 1250.c

Ponámque fœdus meum inter me & te, & multiplicabo, &c. ibid.e

18. *Cúmque eleuaſſet oculos, apparuerunt ei tres viri ſtantes prope eum.* 349.b

21. *Omnia quæ dixerit tibi Sara, audi vocem eius.* 1489.a

25. *Et idcirco appellauit eum Iacob.* 2.d

27. *Ecce odor filij mei ſicut odor agri pleni, cui benedixit, &c.* 734.d

Iuſtè vocatum eſt nomen eius Iacob, ſupplantauit enim me en altera vice. 2.d

28. *Vidítque in ſomnis ſcalam ſtantem ſuper terram, &c.* 269.d

32. *Quoniam ſi contra Deum fortis fuiſti, quanto magis contra homines prævalebis.* 3.a

Et ecce vir luctabatur cum eo vſque manè. 539.b 1239.b

34. *Egreſſa eſt Dina filia Liæ vt videret mulieres regionis illius.* 1060.a

42. *Iuſſit miniſtris vt implerent eorum ſaccos tritico, &c.* 53.e

48. *Do tibi partem vnam extra fratres tuos, &c.* 320.a

49. *Filius accreſcens Ioſeph, filius accreſcens, & decorus aſpectu.* 1227.b

Vidit requiem quòd eſſet bona, & terram quòd optima, &c. 1246.d

Manè comedet prædam, & veſperè diuidet ſpolia. 378.e

Ex libro Exodi.

1. *Quando obſtetricabitis Hebræas, & partus tempus aduenerit, &c.* 305.d

3. *Ne appropies huc: ſolue calceamentum de pedibus, &c.* 37.e

5. *Dimitte populum meum vt ſacrificet mihi in deſerto.* 302.d

8. *Non poteſt ita fieri, abominationes enim Ægyptiorum immolabimus, &c.* 302.d

12. *Caput cum pedibus eius, & inteſtinis vorabitis.* 643.d

Sic autem comedetis illum: renes veſtros accingetis, &c. 398.a

Erit autem ſanguis vobis in ſignum in ædibus, &c. 631.d

13. *Dominus præcedebat eos ad oſtendendam viam per diem, &c.* 65.a *latiſſimè, &* 1358.d

14. *Iámque aduenerat vigilia matutina, & ecce reſpiciens Dominus, &c.* 318.d

16. *Veſpere ſcietis quòd Dominus eduxerit vos de terra Ægypti, &c.* ibid.e

Audiui murmurationes filiorum Iſrael, loquere ad eos, &c. 26.e

Manhu? quod ſignificat, &c. 9.b

Iſte eſt panis, quem dedit vobis Dominus ad veſcendum. 14.d

Colligat vnuſquiſque ex eo quantum ſufficit ad veſcendum; gomor per ſingula capita, &c. 34.d 75.d

Sed dimiserunt quidam ex eis vsque mane, & scatere cœpit vermibus, &c. 34.e
In die autem sexta collegerunt cibos duplices. 27.c
Maneat vnusquisque apud semetipsum, &c. 499.d
Gustus eius quasi similæ cum melle. 35.b 46.e
17. *Dixitque Moyses ad Iosue: Elige viros, &c.* 473.b
19. *Siue iumentum fuerit siue homo non viuet.* 1235.c
Totus autem mons Sinai fumabat, eo quòd descendisset, &c. 1238.c
23. *Ecce ego mittam Angelum meum, qui præcedat te, &c.* 1479.b
28. *Portabúque Aaron nomina filiorum Israel, &c.* 288.a
29. *Agnos anniculos duos per singulos dies iugiter, &c.* 342.c
30. *Sume tibi aromata, staclen, & onycha, galbanum boni odoris, &c.* 60.c
32. *Et reuersus est Moyses de monte portans duas tabulas, &c.* 68.b 1360.c
Dimitte me vt irascatur furor meus contra eos. 80.b
33. *Ingresso autem illo tabernaculum fœderis descendebat columna nubis, &c.* 538.b
34. *Dominus zelotes nomen eius, &c.* 841.c
Cúmque descenderet Moyses de monte Sinai, tenebat, &c. 22.a
35. *Egressáque omnis multitudo filiorum Israel de conspectu Moysis, &c.* 496.a
40. *Nubes Domini incubabat per diem tabernaculo, &c.* 65.d

Ex libro Leuitici.

19. *Agrum tuum non seres diuerso semine. Veste, quæ ex duobus texta est non indueris.* 634.a

Ex libro Numeri.

9. *Ad imperium Domini proficiscebantur, & ad imperium illius, &c.* 1358.e
11. *Erat autem Man quasi semen coriandri, coloris bdellij. Circuibátque populus, & colligens illud frangebat mola.* 34.b 35.a.46.e
13. *Mitte viros, qui considerent terram Chanaam, &c.* 335.e
Considerate terram qualis sit: & populum qui habitator est eius, &c. 66.b
21. *Anima nostra iam nauseat super cibo isto leuissimo.* 30.c

Ex libro Deuteronomij.

5. *Vocem eius audiuimus de medio ignis, & probauimus hodie, quòd loquente Deo cum homine vixerit homo.* 39.d
6. *Audi Israel: Dominus Deus noster, Dominus vnus est.* 818.a
8. *Afflixit te penuria, & dedit tibi cibum Manna, &c.* 15.a
Et cibauit te Manna in solitudine, quod nescierunt patres tui. 70.b
10. *Patribus tuis conglutinatus est Dominus, & amauit eos.* 885.e
11. *Omnis locus quem calcauerit pes vester, vester erit.* 1113.a
16. *Non apparebit ante Dominum vacuus.* 360.a
25. *Quem iustum esse perspexerint, illi iustitiæ palman dabunt.* 1222.c
29. *Adduxi vos quadraginta annis per desertum, non sunt attrita, &c.* 39.d
32. *Concrescat vt pluuia doctrina mea, &c.* 387.a
Interroga patrem tuum, & annunciabit tibi, maiores tuos, & dicent tibi. 5.e
Constituit eum super excelsam terram: vt comederet fructus agrorum, &c. 1424.d
Gens absque consilio est, & absque prudentia. 77.e
33. *Beniamin amantissimus Domini, habitabit confidenter in eo, &c.* 1405.b

Ex libro Iosue.

5. *Defecitque Manna postquam comederunt de frugibus terræ, &c.* 16.e
Iosue vidit virum stantem contra se, &c. & ait: Noster es, an aduersariorum? 1471.
9. *Susceperunt igitur de cibariis eorum, & os Domini non interrogauerunt.* 61.d
10. *Steterúntque sol, & luna donec vlcisceretur gens de inimicis suis.* 1375.a
15. *Terram austrialem, & arentem dedisti mihi, iunge & irriguam.* 490.b

Ex libro Iudicum.

5. *Noua bella elegit Dominus, & portas hostium, &c.* 800.b
7. *Vidi somnium, & videbatur mihi quasi subcinericius panis, &c.* 63.b
11. *Factus est ergo super Iephte spiritus Domini, &c. votum vouit Domino, dicens, &c.* 1495.b
14. *De comedenti exiuit cibus, & de forti egressa est dulcedo.* 869.c
16. *At illa dormire eum fecit super genua sua, & in sinu suo, &c.* 222.c
19. *Gusta prius pauxillum panis, & conforta stomachum, &c.* 48.a

Ex libro Ruth.

2. *Insuper protulit, & dedit ei de reliquiis cibi sui, &c.* 310.e

Ex lib. I. Regum.

1. *Vultúsque illius non sunt amplius in diuersa mutati.* 37.b 1038.a
2. *Porrò filij Heli, filij Belial nescientes Dominum, &c.* 165.a
Quicumque glorificauerit me, glorificabo eum. 895.e
9. *Dic puero vt antecedat nos, & transeat, &c.* 515.b
14. *Porrò Ionathas non audierat, cùm adiuraret pater eius populum, extenditque, &c.* 1096.d
23. *Si tradem me viri Ceilæ in manus Saul, &c.* 57.d

Ex lib. II. Regum.

7. *Dixit ad Nathan Prophetam: Vidésne quòd ego habitem in domo cedrina, &c.* 1499.e
Quia tu Domine exercituum Deus Israel, reuelasti aurem serui tui, &c. 1406.e
10. *Tulit itaque Hanon seruos Dauid, rasitque dimidiam partem barbæ eorum, &c.* 565.d
12. *Et si parua sunt ista, adiiciam tibi multo maiora.* 921.c
23. *Dixit Deus Israel mihi, loquutus est fortis Israel, Dominator hominum, &c.* 1416.e

Ex lib. III. Regum.

1. *Adhuc ibi te loquente cum rege, ego veniam post te, &c.* 90.d
3. *Dabis ergo Domine seruo tuo cor docile, vt populum*

tuum iudicare,&c. 25.*b*
8. *Dominus dixit vt habitaret in nebula.* 1453.*e*
Si egressus fuerit populus tuus ad bellum contra inimicos, &c. 373.*e*
18. *Illudebat illis Elias,dicens:Clamate voce maiore.*86.*b*
Cecidit autem ignis Domini,& vorauit holocaustum, & ligna,& lapides,&c. 1366.*c*
Elias autem ascendit in verticem Carmeli, & pronus in terram,&c. 375.*b*
19. *Et derelinquam mihi in Israël septem millia virorum, &c.* 1533.*d*

Ex lib. IV. Regum.

2. *Ecce currus igneus,& equi ignei,&c.* 17.*e.* & 190.*c* & 290.*d*
Et leuauit pallium quod ceciderat ei,&c. 320.*e*

Ex lib. II. Paralipomenon.

3. *Alæ vtriusque Cherubin expansæ erant,&c.* 245.
6. *Dominus pollicitus est vt habitaret in caligine.* 1453.*e*

Ex lib. I. Tobiæ.

2. *Cúmque occultasset corpus,manducauit panem cum luctu & tremore,&c.* 562.*b*
6. *Cordis eius particulam si super carbones ponas, fumus eius,&c.* 59.*b*
Et fel valet ad vngendos oculos,in quibus fuerit albugo,& sanabuntur. 61.*d*
Tibi debetur omnis substantia eius, & oportet eam te accipere coniugem. 451.*a*
8. *Filij quippe sanctorum sumus,& non possumus ita coniungi,&c.* 264.*c*
12. *Sed ego cibo inuisibili,& potu,qui ab hominibus,&c.* 24.*a*
13. *Non est alius Deus omnipotens præter eum.* 891.*e*

Ex libro Iudith.

7. *Reperit quod fons,qui influebat aquæ ductum illorum à parte australi,&c.* 58.*d*

Ex libro Esther.

18. *Domine, Domine Rex omnipotens, in ditione enim tua cuncta sunt posita.* 878.*d*

Ex libro Iob.

1. *Sed extende paululum manum tuam, & tange cuncta, &c.* 877.*c*
2. *Egressus igitur Satan à facie Domini percussit Iob vlcere pessimo à planta pedis,&c.* 1513.*d*
3. *Nunc enim dormiens silerem, & somno meo requiescerem,&c.* 1243.*e*
Qui expectant mortem,& non venit, quasi effodientes thesaurum. 1324.*a*
4. *Et cùm spiritus me præsente transiret, inhorruerunt pili carnis meæ.* 545.*c*
Stetit quidam cuius non agnoscebam vultum,imago coram oculis meis. 1319.*a*
Et vocem quasi auræ lenis audiui. 1417.*c*
5. *Homo nascitur ad laborem,& auis ad volatum.* 17.*c*
In sex tribulationibus liberabit te, & in septima non tanget te malum. 92.*b*
Visitans speciem tuam non peccabis. 585.*b*
Ingrederis in abundantia sepulcrum,&c. 550.*c*
6. *Numquid rugiet onager cùm habuerit herbam, &c.* 324.*c*
7. *Si dormiero dicam quando consurgam; & rursum expecto, &c.* 1329.*a*
Si dixero:Consolabitur me lectulus meus,& releuabor,&c. 539.*d*
Terrebis me per somnia, & per visiones horrore concuties. 1365.*d*
Quamobrem elegit suspendium anima mea,& mortem ossa mea. 539.*d*
8. *Interroga generationem pristinam,& diligenter,&c.* 5.*e*
9. *Deus cuius iræ nemo resistere potest,&c.* 126.*c*
Et cùm inuocantem exaudierit me,non credo,&c. 480.*b.* 481.*a*
Si fortitudo quæritur,robustissimus est. 861.*b*
Dies mei velociores fuerunt cursore,&c. 520.*b*
10. *Manus tuæ fecerunt me,& plasmauerunt me totum in circuitu.* 912.*b*
Vitam,& misericordiam tribuisti mihi,&c. 542.*d*
11. *Forsitan vestigia Dei comprehendes, & vsque ad perfectum Omnipotentem reperies.* 821.*a*
12. *Qui reuelat profunda de tenebris, & producit in lucem vmbram mortis.* 838.*a*
13. *Contra folium quod vento rapitur ostendis potentiam tuam,&c.* 233.*e*
Posuisti in neruo pedes meos, & obseruasti omnes semitas meas. 189.*a*
16. *Ecce enim in cœlo testis meus,& conscius meus in excelsis.* 318.*a*
17. *Pone me iuxta te, & cuiusuis manus pugnet contra me.* 1263.*b*
Et non inueniam in vobis vllum sapientem. 1242.*e*
18. *Attenuetur fame robur eius,& inedia inuadat costas illius.* 562.*d*
20. *Cùm enim dulce fuerit in ore eius malum, abscondet illud,&c.* 141.*c*
22. *Nubes latibulum eius,nec nostra considerat, & circa cardines cœli perambulat.* 71.*a*
23. *Ipse enim solus est, & nemo auertere potest cogitationem eius,&c.* 810.*a*
Ponam coram eo iudicium,& os meum,&c. 231.*c*
28. *Nescit homo pretium eius, nec inuenitur in terra,&c.* 1236.*c*
Ecce timor Domini ipsa est sapientia, & recedere à malo intelligentia. 1348.*a*
29. *Oculus fui cæco,& pes claudo,&c.* 551.*a*
Dicebámque in nidulo meo moriar, & sicut palma,&c. 55.*b*
Radix mea aperta est secus aquas, & ros morabitur in messione mea. ibid.*c*
Gloria mea semper innouabitur,&c. ibid.*d*
31. *Si comedi buccellam meam solus,& non comedit pupillus ex ea.* 737.*c.*505.*e*
33. *Semel loquitur Deus, & secundò idipsum non repetit.* 1413.*b.* 1490.*b*
34. *Si direxerit ad eum cor suum, & spiritum illius, & flatum,&c.* 1233.*b*
35. *Abominabilis ei fit in vita sua panis,&c.* 1111.*d*
Si fuerit pro eo Angelus loquens vnus de millibus, &c. 26.*c*
36. *Requies autem mensæ tuæ plena pinguedine.* 1405.*a*
Ecce Deus excelsus in fortitudine sua, & nullus ei similis, &c. 890.*e*
In manibus abscondit lucem,& præcipit ei vt rursus adueniat. 1375.*e*
38. *Numquid nosti ordinem cœli, & pones rationem eius in terra.* 423.*d*
Per quam viam spargitur lux,diuiditur æstus super terram. 1323.
39. *Quis dimisit onagrum liberum, & vincula eius quis soluit,&c.* 1403.*b*
Numquid per sapientiam tuam plumescit accipiter,&c. 189.*d.*235.*e*

Numquid ad præceptum tuum eleuabitur aquila,& in arduis,&c. 1363.a
40. *Accinge sicut vir lumbos tuos.* 1359.e
Cartilago illius quasi lamina ferrea. 1514.b
Sub vmbra dormit in secreto calami,&c. 440.e
42. *Auditu auris audiui te,nunc autem oculus meus videt te.* 1416.c

Ex libro Psalmorum.

Psal.1. Et erit tamquam lignum, quod plantatum est secus decursus aquarum,&c. 257.b
4. *Cùm inuocarem exaudiuit me Deus iustitiæ meæ, in tribulatione.* 1276.d
Sacrificate sacrificium iustitiæ, & sperate in Domino. 1080.b
In pace in idipsum dormiam & requiescam. 555.c.1361.c. 1421.b
5. *Intende voci orationis meæ Rex meus,&c.* 882.b
6. *Laboraui in gemitu meo,lauabo per singulas noctes,&c.* 215.d
7. *Ecce parturiit iniustitiam,concepit dolorem,&c.* 940.d. 1487.b
9. *Desiderium pauperum exaudiuit Dominus, præparationem cordis,&c.* 14.b.420.d.943.d.1297.b
10. *Dominus in templo sancto suo, Dominus in cœlo sedes eius.* 16.d
*Quoniam iustus Dominus,& iustitiam dilexit,&c.*850.d
11. *In circuitu impij ambulant.* 1357.e
15. *Prouidebam Dominum in conspectu meo semper, &c.* 1263.b
16. *Exaudi Domine iustitiam meam,intende deprecationem meam,&c.* 25.b
Perfice gressus meos in semitiis tuis,vt non moueantur vestigia mea. 64.d
17. *Quouiam tu illuminas lucernam meam Domine,&c.* 180.b. 1502.c
Qui perfecit pedes meos tamquam ceruorum,&c. 229.b
18. *Et meditatio cordis mei in conspectu tuo semper.* 230.e.344.d
19. *Memor fui omnis sacrificij tui,& holocaustum tuum pingue fiat.* 504.e
Hi in curribus & in equis : nos autem in nomine Domini Dei nostri,&c. 64.a.81.c
21. *Tu autem in sancto habitas laus Israël.* 1078.d
Ego autem sum vermis,& non homo. 1061.a
*Et anima mea illi viuet,& semen meum seruiet ipsi.*497.b
24. *Oculi mei semper ad Dominum,quoniam ipse euellet, &c.* 1256.e
26. *Vnam petij à Domino, hanc requiram, vt inhabitem, &c.* 303.e
Circuiui, & immolaui in tabernaculo eius hostiam vociferationis. 1358.b
Credo videre bona Domini in terra viuentium. 536.e
27. *Deus meus ne fileas à me, ne quando taceas à me, & assimilabor,&c.* 1412.e
30. *Quàm magna multitudo dulcedinis tuæ Domine,quã abscondisti timentibus te.* 539.a.1371.d
Abscondes eos in abscondito faciei tuæ à conturbatione, &c. 540.e. 849.e
31. *Pro hac orabit ad te omnis sanctus in tempore opportuno.* 28
32. *Congregans in vtre aquas maris, ponens in thesauris abyssos.* 766.e
Diuerte à malo, & fac bonum,inquire pacem,&c. 3.c
33. *Benedicam Domino omni tempore, semper laus eius in ore meo.* 562.c
Accedite ad eum, & illuminamini, & facies vestræ non confundentur. 78.b
Gustate,& videte quoniam suauis est Dominus. 1096.c
Inquire pacem & persequere eam. 1273.b
34. *Dic animæ meæ:Salus tua ego sum.* 1417.d
Homines, & iumenta saluabis Domine, quemadmodum, &c. 27.d
Inebriabuntur ab vbertate domus tuæ,& torrente voluptatis tuæ potabis eos. 1371.d1419.e
Pretende misericordiam tuam scientibus te,&c. 1148.d
36. *Non confundentur in tempore malo,& in diebus famis saturabuntur.* 324.b
37. *Putruerunt & corruptæ sunt cicatrices meæ à facie insipientiæ meæ.* 34
Afflictus sum,& humiliatus sum nimis. 1061.b
Quoniam iniquitatem meam annunciabo,&c. 438.a
38. *Concaluit cor meum intra me, & in meditatione, &c.* ibid. b
Exaudi orationem meam Domine,& deprecationẽ meam, &c. 42.c
39. *Sacrificium & oblationem noluisti, aures autem perfecisti mihi.* 496.d
Holocaustum & pro peccato non postulasti, tunc dixi:Ecce venio. 677.e
Ego autem mendicus sum, & pauper,Dominus solicitus est mei. 1075.d
41. *Propterea memor ero tui de terra Iordanis, & Hermoniim.* 1294.c
42. *Emitte lucem tuam,& veritatem tuam,&c.* 6.c
44. *Audi filia,& vide,& inclina aurem tuam,&c.*1406
Pro patribus tuis nati sunt tibi filij,&c. 800.d
45. *Magnus Dominus,& laudabilis nimis.* 8876
Vacate & videte, quoniam ego sum Deus. 806
48. *Cur timebo in die? iniquitas calcanei mei circumdabit me.* 1532.c
49. *Et annunciabunt cœli iustitiam eius, quoniam, &c.* 853.c
53. *Voluntariè sacrificabo tibi, & confitebor nomini tuo Domine.* 496.d
54. *Quis dabit mihi pennas sicut columbæ,& volabo,&c.* 175.c. 1244.c
Expectabam eum,qui saluum me fecit à pusillanimitate,&c. 297.b
Tu verò homo vnanimis, dux meus, & notus meus, &c. 507.a
Descendant in infernum viuentes. 177.c
Mollii sunt sermones eius super oleum,& ipsi sunt iacula. 1516.c
59. *Quis deducet me in ciuitatem munitam,&c.* 390.b
61. *Verumtamen vani filij hominum, mendaces filij hominum,&c.* 265.c
Semel loquutus est Deus,&c. 851.e
62. *Sitiuit in te anima mea, quàm multipliciter tibi caro mea.* 940.c
63. *Accedet homo ad cor altum, & exaltabitur Deus.* 1342.a
64 *Te decet hymnus Deus in Sion,& tibi reddetur votum in Hierusalem.* 1401.a
Visitasti terram, & inebriasti eam,&c. 483.b
Flumen Dei repletum est aquis,&c. 919.e
Benedices coronæ anni benignitatis tuæ,&c. 46.b
65. *Dicite Deo, quàm terribilia sunt opera tua Domine! In multitudine,&c.* 855.e
Benedictus Deus qui non amouit orationem meam, &c. 17.a
67. *Cantate Deo, Psalmum dicite nomini eius, iter facite ei,&c.* 1380.a
Pluuiam voluntariam segregabis Deus hæreditati tuæ,&c. 38.b. 70.c
Si dormiatis inter medios cleros, pennæ columbæ deargentatæ,& posteriora dorsi eius in pallore auri. 575.c
Manda Deus virtuti tuæ,confirma hoc Deus quod operatus es in nobis. 17.a

69. *Deus in adiutorium meum intende,&c.* 364.d
70. *Quoniam non cognoui litteraturã,&c.* 337.c.1365.a
71. *Coram illo procident Æthiopes, & inimici eius terram lingent.* 658.e
72. *Tenuisti manum dexteram meam, & in voluntate, &c.* 795.d
73. *Tuus est dies,& tua est nox,&c.* 102.d. 1389.a
Pauper & inops laudabunt nomen tuum. 1401.a
75. *Illuminans tu mirabiliter à montibus æternis, &c.* 837.d
Vouete & reddite Domino Deo vestro omnes qui in circuitu eius,&c. 855.d
76. *Renuit consolari anima mea,memor fui Dei,&c.* 49.c. 1124.b
Meditatus sum nocte in corde meo,& exercitabar, &c. 37.e. 281.d
77. *Et eduxit eos in nube diei,& tota nocte in illuminatione ignis.* 1424.a
Panem cœli dedit eis. 15.c
Panem Angelorum manducauit homo,cibaria misit eis in abundantia. 41.b
79. *Operuit montes vmbra eius, & arbusta eius Cedros Dei.* 804.d
83. *Cor meum, & caro mea exultauerunt in Deum viuum,&c.* 51.c.506.d.830.c.1468.c
Domine Deus virtutum exaudi orationem meam, auribus percipe Deus Iacob. 42.d
84. *Audiam quid loquatur in me Dominus Deus, quoniam loquetur pacem,&c.* 1400.d
85. *Deduc me Domine in via tua,& ingrediar in veritate tua, &c.* 513.b
86. *Fundamenta eius in montibus sanctis,&c.* 889.a
88. *Quoniam quis in nubibus æquabitur Domino, similis erit Deo,&c.* 888.d
89. *A sæculo,& vsque in sæculum tu es Deus.* 817.a
90. *Super aspidem,& basiliscum ambulabis,& conculcabis leonem & draconem.*
91. *Quia delectasti me Domine in factura tua,& in operibus manuum tuarum exultabo.* 51.b
Quoniam rectus Dominus Deus noster, & non est iniquitas in eo. 852.d
92. *Eleuauerunt flumina Domine, eleuauerunt flumina vocem suam.* 766.e
Mirabilis in altis Dominus. 829.a
93. *Beatus homo quem tu erudieris Domine, & de lege, &c.* 1104.c
94. *Quoniam Deus magnus Dominus,&c.* 883.b
97. *Cantate Domino canticum nouum,quia mirabilia fecit.* 1345.e
103. *Confessionem,& decorem induisti.* 827.d
Producens fœnum iumẽtis,& herbam seruituti hominum. 47.d
Montes excelsi ceruis, petra refugium herinaciis. 580.a. 685.e
Quàm magnificata sunt opera tua Domine. 423.b
Hoc mare magnum,& spatiosum manibus,&c. 606.e
104. *Eduxit eos cum argento & auro,& non erat in tribubus eorum infirmus.* 35.d
Expandit nubem in protectionem eorum. 65.c
108. *Induit maledictionem, sicut vestimentum, & intrauit sicut aqua, &c.* 915.e
109. *De torrente in via viuet,propterea exaltauit caput.* 498.e
110. *Memoriam fecit mirabilium suorum misericors,&c.* 27.b
Respexit in orationem humilium. 392.b
113. *In exitu Israël de Ægypto,domus Iacob de populo barbaro. Hic versus & totus Psalmus explicatur.* 1364.a
Cœlum cœli Domino,terrã autẽ dedit filiis hominũ. 1273.c
Non mortui laudabunt te Domine. 1176.e
Custodiens paruulos Dominus,humiliatus sum,&c. 877.a
Conuertere anima mea in requiem tuam,quia Dominus benefecit tibi. 1398.e
115. *Ego dixi in excessu meo:Omnis homo mendax.* 824.c
117. *Fortitudo mea, & laus mea Dominus, & factus est mihi in salutem.* 1346.c
118. *Beati qui scrutantur testimonia eius: in toto corde exquirunt eum.* 193.a
Iustificationes tuas custodiam,non me derelinquas vsquequaque. 530.d
Vias meas enunciaui, & exaudisti me,doce me iustificationes tuas. 1494.c
Dormitauit anima mea præ tædio, confirma me in verbis tuis. 1421.c
Viam mandatorum tuorum cucurri cum dilatasti cor meũ. 49.a
Deduc me in semitam mandatorum tuorum,&c. 64.c
Memor fui iudiciorum tuorum à sæculo,&c. 497.d
Reuela oculos meos,& considerabo,&c. 180.d
Memor fui nocte nominis tui Domine,&c. 497.c
Defecit in salutare tuum anima mea,&c. 325.c
Omnis consummationis vidi finem, latum mandatũ tuum nimis. 585.e
Ab omni via mala prohibui pedes meos,vt custodiã verba tua. 188.d
Os meum aperui,& attraxi spiritum,&c. 325.c
Exitus aquarum deduxerunt oculi mei, &c. 486.e
Clamaui in toto corde meo,exaudi me Domine,&c. 404.d. 470.b
Præuenerunt oculi mei ad te diluculo,vt meditarer eloquia tua. 379.a
132. *Sicut vnguentum in capite quod descendit in barbam, barbam Aaron.* 1343.c
137. *In conspectu Angelorũ psallã tibi,adorabo,&c.* 26.a
Quoniam excelsus Dominus & humilia respicit. 885.a
138. *Nimis confortatus est principatus eorum.* 1346.d
140. *Dirigatur oratio mea sicut incensum,&c.* 171.e
Eleuatio manuum mearum sacrificium vespertinum. 79.b
141. *Effundo in conspectu eius orationem meã,&c.* 344.c
143. *Benedictus Dominus Deus meus, qui docet manus meas ad prælium,& digitos meos ad bellum.* 1501.e
Beatum dixerunt populum cui hæc sunt:beatus populus cuius Dominus Deus eius. 1530.d
144. *Et magnitudinis eius non est finis,&c.* 813.b
Miserator & misericors Dominus, patiens,& multum misericors. 846.b
Fidelis Dominus in omnibus verbis suis. 824.d
Oculi omnium in te sperant Domine, & tu das illis escam, &c. 27.e
Prope est Dominus omnibus inuocantibus eum,&c. 470.b
146. *Ædificans Hierusalem Dominus, dispersiones Israëlis congregabit.* 416.a
Qui dat iumentis escam ipsorũ,& pullis coruorũ,&c. 324.d
147. *Qui posuit fines tuos pacem,& adipe frumenti satiat te.* 545.e
Non fecit taliter omni nationi, & iudicia sua non manifestauit eis. 70.a
148. *Laudate eum Sol & Luna, laudate eum stellæ, &c.* 1178.b
149. *Exultabunt sancti in gloria, lætabuntur in cubilibus suis.* 1420.b
Exaltationes Dei in gutture eorum,& gladij ancipites,&c. 1220.c
150. *Omnis spiritus laudet Dominum.* 92.d

Ex libro Prouerbiorum.

1. *Frustrà autem iacitur rete ante oculos pennatorũ.* 61.b

3. *Longitudo dierum in dextera eius, & in sinistra illius diuitiæ & gloria.* 1409.*b*
8. *Beatus homo qui audit me, & qui vigilat, &c.* 326.*b*
9. *Sapientia ædificauit sibi domum, excidit columnas septem, &c.* 1397.*c*
Immolauit victimas suas, miscuit vinum, &c. 947.*d*
12. *Qui autẽ cõsidit in cogitationibus suis impiè agit.* 393.*e*
13. *Legatus fidelis sanitas.* 98.*c*
14. *Putredo ossium inuidia.* 983.*d*
15. *In omni loco oculi Domini contemplantur bonos & malos.* 1300.*d*
16. *Vniuersa propter semetipsum operatus est Dominus.* 899.*a*
20. *Pondus & pondus, mensura & mensura, vtrumque est abominabile apud Deum.* 266.*a*
22. *Victoriam & honorẽ acquiret qui dat munera.* 361.*c*
23. *Cum obsecrationibus loquetur pauper, & diues effabitur rigidè.* 457.*d*
Sicut qui mel multum comedit, non est ei bonũ, &c. 398.*d*
27. *Meliora sunt vulnera diligentis, quàm fraudulenta oscula odientis.* 1354.*d*
Anima saturata calcabit fauum, &c. 1114.*d*
29. *Pauper & creditor obuiauerunt sibi, vtriusque illuminator est Deus.* 837.*c*
30. *Quod nomen eius, & quod nomẽ filij eius, si nosti.* 821.*e*

Ex libro Ecclesiastis.

1. *Oritur Sol & occidit, & ad locum suum reuertitur, &c.* 203.*e* 1358.*a*
4. *Custodi pedem tuũ ingrediens domũ Dei.* 334.*d*. 1502.*e*
Melior est finis orationis quàm principium. 438.*c*
10. *Si retusum fuerit ferrum, & hoc non vt prius, sed hebetatum fuerit, &c.* 563.*c*
11. *Si ceciderit lignum ad Austrum, aut ad Aquilonem, &c.* 609.*d*

Ex lib. Cantici Canticorum.

1. *Osculetur me osculo oris sui.* 207.*c*
Quia meliora sunt vbera tua vino, fragrantia vnguentis optimis. 51.*d*
Trahe me: post te curremus, &c. 374.*d*. 392.*e*
Nigra sum, sed formosa filiæ Hierusalem, &c. 531.*a* 1057.*d*
Indica mihi quẽ diligit anima mea, vbi pascas, &c. 1388.*a*
Equitatui meo in curribus Pharaonis assimilaui te. 785.*e*
Collum tuum sicut monilia. 1339.*d*
Murenulas aureas faciemus tibi vermiculatas argento. 1096.*c*. 1336.*e*. 1394.*b*
Ecce tu pulcher es dilecte mi, & decorus. 1042.*e*
Lectulus noster floridus. 288.*c*
2. *Sicut malus inter ligna siluarum, &c.* 1094.*a*
Sub vmbra illius quem desideraueram sedi, & fructus, &c. 50.*c*. 1403.*d*
Introduxit me in cellam vinariam. 427.*e*
Læua eius sub capite meo, & dextera illius, &c. 1408.*e* 1121.*e*
Adiuro vos filiæ Hierusalem per capreas cerúosque camporum, &c. 518.*c*. 1094.*a*
Ecce iste venit saliens in mõtibus, trãsiliens colles, &c. 218.*a*
En ipse stat post parietem nostrum respiciens per fenestras, &c. 1459.*c*
Surge propera amica mea, columba mea, &c. 533.*c*. 734.*a*. 790.*b*
Surge amica mea, speciosa mea. 217.*e*
Ostend mihi faciem tuam, &c. 101.*b*
Reuertere: similis esto, dilecte mi, capreæ, &c. 520.*c*
Dilectus meus mihi, & ego illi. 1366.*e*
3. *In lectulo meo per noctes quæsiui quem diligit anima mea, &c.* 381.*d*
Paululum cum pertransissem eos inueni quem diligit anima mea. 1319.*c*. 1354.*a*
Quæ est ista quæ ascendit per desertum, &c. 328.*d*
En lectulum Salomonis sexaginta fortes, &c. 420.*b*
Egredimini, & videte filiæ Sion regem, &c. 331.*c*
4. *Oculi tui columbarum.* 352.*d*
Capilli tui sicut greges. 767.*b*
Sicut vitta coccinea labia tua, & eloquiũ tuũ dulce. 1431.*e*
Sicut fragmen mali punici, ita genæ tuæ. 768.*c*
Vadam ad montem myrrhæ, & ad collem thuris. 1484.*d*
Veni de Libano sponsa mea, veni, &c. 790.*b*
Vulnerasti cor meum soror mea sponsa, &c. 772.*d*. 1037.*c* 1325.*e*
Hortus conclusus soror mea sponsa, hortus, &c. 1398.*b*
Surge Aquilo, & veni Auster, perfla hortum meũ. 1485.*d*
5. *Veni in hortum meũ soror mea sponsa.* 1398.*d*. 1485.*a*
Comedi fauum cum melle meo, bibi vinum meum cum lacte meo. 1370.*c*
Messui myrrham meam cum aromatibus meis. 947.*d*
Veniat dilectus meus in hortum suum. 484.*d*
Comedite amici, & inebriamini charissimi. 1326.*b*. 1370.*c*
Ego dormio, & cor meum vigilat. 405.*b*
Aperi mihi soror mea, amica mea. 298.*e*. 484.*d*
Expoliaui me tunica mea, quomodo induar illa. 554.*d*
Dilectus meus misit manũ suã per foramen. 549.*a*. 843.*b*
Anima mea liquefacta est, vt loquutus est. 1113.*d*. 1337.*e*
Inuenerunt me custodes, qui circumeunt ciuitatem. 1354.*d*
Adiuro vos filiæ Hierusalem, si inueneritis dilectũ meum, &c. 1354.*d*
Caput eius aurum optimum. 887.*a*
Comæ eius sicut elatæ palmarum, nigræ quasi cõruus. 817.*d*
Manus illius tornatiles aureæ, plenæ hyacinthis. 1360.*d*
Guttur illius suauissimum, & totus desiderabilis. 886.*e*
6. *Pulchra es amica mea, suauis, & decora sicut Hierusalem.* 767.*d*
Quæ est ista quæ progreditur quasi aurora, &c. 99.*a*. 438.*d*. 769.*e*. 1369.*a*
7. *Quàm pulchri sunt gressus tui in calceamẽtis filia principis.* 4.*b*
Oculi tui sicut piscinæ in Hesebon, &c. 767.*e* 491.*a*
Ascendam in palmam, & apprehendã fructus eius. 268.*b*
Et erunt vbera tua sicut botri vineæ. 1226.*e*
8. *Quis mihi det te fratrem meum, sugentem vbera, &c.* 773.*b*
Apprehendam te, & ducam in domum matris meæ. 542.*b*
Quæ est ista quæ ascendit de deserto deliciis affluens. 18.*a* 1424.*b*
Pone me vt signaculum super cor tuum, vt signaculum, &c. 1079.*e*
Lampades eius lãpades ignis atque flãmarum, &c. 1223.*a*
Soror nostra parua est, & vbera non habet. 644.*a*
Fuge dilecte mi, & assimilare capreæ, hinnulóque ceruorum. 1375.*d*

Ex libro Sapientiæ.

1. *Quoniam spiritus Domini replebit orbem terrarũ.* 214.*d*
5. *Iusti autem in perpetuum viuent, & apud Dominum, &c.* 1341.*d*
6. *Cogitare ergo de illa, sensus est consummatus, & qui vigilauerit, &c.* 76.*c*
7. *Propter hoc optaui, & datus est mihi sensus.* 1.*a*
Omnium enim artifex docuit me sapientia, &c. 833.*e*
Est enim in illa spiritus intelligentiæ sanctus, &c. 810.*c* 1505.*a*
Candor est enim lucis æternæ, speculum sine macula. 907.*b*
Et in se permanens omnia innouat, & per nationes in animas sanctas se transfert. 1389.*a*
8. *Habebo propter hanc claritatem ad turbas, &c.* 1104.*b*
Intrans in domum meam conquiescam cum illa. 1371.*c*
11. *Sed omnia in mensura, & numero, & pondere disposuisti.* 832.*b*
Diligis omnia quæ sunt, & nihil odisti eorum, &c. 838.*e*
Quomodo posset aliquid permanere, nisi tu voluisses, &c. 913.*a*

12. *Ideóque eos, qui exerrant, partibus corripis, &c.* 845.d
Tu autem Dominator virtutis cum trãquillitate, &c. 842.d
16. *Angelorum esca nutriuisti populum tuũ.* 15.e. & seqq.
Et paratum panem de cœlo præstitisti eis, sine labore. 34.c
Substantia tua dulcedinem tuam, quã in filios habes, ostendebat. 27.c
Nix autem & glacies sustinebant vim ignis, & non tabescebant, &c. 58.e
Propter hoc & tunc in omnia transfigurata omnium nutrici gratiæ tuæ, &c. 41.b
Quod enim ab igne non poterat exterminari, statim ab exiguo rad o solis calefactum tabescebat. 34.c.379.e
18. *Properans enim homo sine querela deprecari pro populis, &c.* 80.c
In veste enim podêris quam habebat totus erat orbis terrarum, &c. 97.e

Ex libro Ecclesiastici.

2. *Qui timetis Deum, diligite illum & illuminabuntur corda vestra.* 943.b. 1096.b
Protector est omnibus exquirentibus se in veritate. 849.c
Væ duplici corde, & labiis scelestis, & manibus malefacientibus, &c. 130.a
3. *In oratione dierum exaudietur.* 25.c. 465.c
4. *Qui audit illam iudicabit gentes, &c.* 546.c
5. *Ne temerè quid loquaris, neque cor tuum sit velox, &c.* 292.b
6. *Quasi lapidis virtus, probatio erit in illis.* 565.e
10. *Quid superbit terra, & cinis.* 595.d
14. *Beatus vir qui in sapientia morabitur, & qui in iustitia sua meditabitur, &c.* 306.c.1251.e
15. *Cibabit illum pane vitæ, & intellectus, & aqua sapientiæ, &c.* 1342.d
18. *Qui viuit in æternum creauit omnia simul.* 871.c
Propter hoc patiens est Deus in illis, & effundit super eos misericordiam, &c. 863.c
Non impediaris orare semper, & ne verearis, &c. 378.a
19. *Operarius ebriosus non locupletabitur.* 636.d
24. *Ex ore altissimi prodiui, primogenita ante omnẽ creaturam.* 906.b
Spiritus enim meus super mel dulcis, & hæreditas mea super mel & fauum. 2418.c
32. *Audi tacens & pro reuerentia accedet tibi bona gratia.* 397.a
Ante grandinem præibit coruscatio. ibid.
34. *Diuinatio erroris, & auguria mendacia, &c.* 302.a
35. *Qui adorat Deũ in oblectatione, suscipietur, &c.* 469.b
Oratio humiliantis se nubes penetrabit, &c. 60.b
Non obliuiscaris amici tui in animo tuo, &c. 1256.a
Fili in vita tua tenta animam tuam. 579.d
38. *Fili in tua firmitate ne despicias teipsum, sed ora Dominum, &c.* 29.a. 995.c
Sapientia scribæ in tempore vacuitatis, & qui minoratur actu, &c. 1242.b
39. *Cor suum tradet ad vigilandum diluculo, &c.* 329.b
41. *Væ vobis viri impij, qui dereliquistis legem Domini altissimi, & si nati fueritis, &c.* 1531.e
49. *Memoria Iosiæ in compositionem odoris facta opus pigmentarij.* 1282.e

Ex lib. Isaiæ Prophetæ.

1. *Nisi Dominus exercituum reliquisset nobis semen, &c.* 879.e
Argentum tuum versum est in scoriam, vinum tuum mistum est aqua. 1588.d
2. *Ingredere in petram, & abscondere in fossa humo à facie timoris Domini.* 581.c
4. *Et creauit Dominus super omnem locum montis Sion, & vbi vocatus est, &c.* 850.a
Super omnem enim gloriam protectio. 849.c
5. *Quid est quod debui vltra facere vineæ meæ, & non feci, &c.* 954.b
6. *Seraphin stabant super illud: sex alæ vni, & sex alæ alteri, &c.* 439.b
11. *Et replebit eum spiritus timoris Domini.* 398.b
15. *Quia aruit herba, defecit germen, viror omnis interiit.* 517.d
19. *Ecce Dominus ascendet super nubem leuem.* 661.c
21. *Venit mane, & nox: si quæritis, quærite, conuertimini, venite.* 1378.b
24. *Secretum meum mihi, secretum meum mihi.* 515.b
26. *Anima mea desiderauit te in nocte, &c.* 323.d.940.c
Viuent mortui tui, interfecti mei resurgent: expergiscimini ebrij, &c. 61.e
Vade populus meus, intra in cubicula tua, claude ostia, &c. 1290.a. 1397.e
28. *Manda remanda, expecta reexpecta, modicum ibi, modicum ibi.* 299.b
30. *Et erit transitus virgæ fundatus, quam requiescere faciet Dominus, &c.* 63.e
32. *Et erit opus iustitiæ pax, & cultus iustitiæ silentium.* 1400.b
33. *Concipietis ardorem, & parietis stipulam.* 421.e
35. *Lætabitur deserta, & inuia, & exultabit solitudo.* 44.a
38. *Obsecro, Domine, memento quæso, quomodo ambulauerim coram te, &c.* 1258.b
Audiui orationem tuam, & vidi lacrymas tuas, &c. 29.b
Præcisa est velut à texente vita mea, dum adhuc ordirer succidit me. 1376.b
Sicut pullus hirundinis sic clamabo, meditabor vt colũba. 236.e
40. *Omnis caro fœnum, & omnis gloria eius quasi flos agri.* 605.d
Qui autem sperant in Domino inuitabunt fortitudinem, &c. 189.c
41. *Ego Dominus, primus & nouissimus ego sum.* 898.b
43. *Ante me non est formatus Deus, & post me non erit.* 903.a
45. *Non dixi semini Iacob: Frustra quærite me.* 852.a
Ego Dominus loquens iustitiã, & annuncians recta. 851.d
46. *Redite præuaricatores ad cor, recordamini prioris sæculi.* 1508.a
48. *Ego Dominus Deus tuus docens te vtilia, gubernans te in via.* 543.b
49. *Ecce in manibus meis descripsi te; muri tui, &c.* 911.a
51. *Et ponet desertum eius quasi delicias, &c.* 844.d
55. *Et quomodo descendit imber & nix de cœlo, &c.* 441.d
56. *Adducam eos in montem sanctum meũ, lætificabo eos in domo orationis meæ.* 25.d
57. *Hæc dicit excelsus, & sublimis, habitãs æternitatẽ.* 884.d
63. *Et saluauit mihi brachium meum, & indignatio mea ipsa, &c.* 860.d
Tu enim pater noster, & Abraham nesciuit nos. 145.b
66. *Hæc dicit Dominus: Cœlum sedes mea, terra autem scabellum pedum meorum.* 484.c

Ex lib. Ieremiæ Prophetæ.

1. *Ecce dedi verba mea in ore tuo: ecce constitui te hodie super reges, &c.* 90.c
2. *Expandit rete pedibus meis, conuertit me retrorsum, &c.* 518.a
7. *Numquid me ad iracundiam prouocant, dicit Dominus, &c.* 843.a
10. *Dominus autem Deus verus est, ipse Deus viuens, & Rex sempiternus.* 822.e
23. *Numquid non cœlum & terram ego impleo, dicit Dominus.* 814.b
Quid paleis ad triticum, dicit Dominus? Numquid non verba mea sunt quasi ignis. 1490.c
24. *Et dixi: Ficus, ficus bonas, bonas valde; & malas, malas valde.* 617.d
30. *Quis enim iste est qui applicet cor suum, vt appropinquet mihi.* 1233.a

31. *In fletu venient,& in misericordiam reducã eos.*483.*e*
Sta ue tibi speculam, pone tibi amaritudines,dirige cor tuũ, &c. 1387.*c*
32. *Magnus es in consilio,& incomprehensibilis in cogitatu.* 820.*e*
48. *Maledictus qui facit opus Domini fraudulẽter.*566.*c*
51. *Quia fortis vltor Dominus reddens retribuet.* 854.*e*

Ex Threnis Ieremiæ.

1. *Idcirco ego plorans, & oculus meus deducens aquas, &c.* 848.*a*
2. *Cogitauit Dominus dissipare murũ filiæ Sion,&c.* 522.*c*
3. *Bonum est præstolari cum silentio salutare Dei.* 1400.*b*
Scrutemur vias nostras, & quæramus, & reuertamur ad Dominum,&c. 469.*b*
Opposuisti nubem tibi ne transeat oratio. 471.*a*

Ex libro Baruch.

4. *Exui me stola pacis, indui autem me sacco obsecrationis,&c.* 457.*e*

Ex libro Ezechielis.

1. *Vbi erat impetus spiritus illuc gradiebantur.* 1478.*e*
Et animalia ibant, & reuertebantur in similitudinem fulguris coruscantis. 1275.*c*
*Nam cum fieret vox super firmamentum quod erat super caput eorum, stabant,& submittebant alas suas.*1494.*e*
*Et vidi quasi speciem electri,velut aspectũ ignis,&c.*1122.*c*
3. *Spiritus quoq; leuauit me,& assumpsit me,&c.* 1429.*e*
4. *Ecce ego conterã baculum panis in Hierusalẽ,&c.*48.*c*
8. *Et emissa similitudo manus apprehendit me,&c.* 1362.*e.* 1528.*b*
16. *Et tulisti vasa decoris tui de auro meo atque argento meo.* 591.*e*

Ex libro Danielis.

2. *Ipse reuelat profunda & abscondita,&c.* 837.*e*
3. *Ne confundas nos, sed fac nobiscum secundùm mansuetudinem tuam.* 866.*b*
7. *Aspiciebam donec throni positi sunt, & antiquus dierum,&c.* 1095.*c*
Et capilli capitis eius quasi lana munda,&c. 817.*d.*873.*c*

Ex libro Oseæ.

2. *Ecce ego lactabo eam, & ducam eam in solitudinem.* 67.*d.*294.*c.*1397.*b*
*Et dabo ei vinitores ex eodẽ loco,& vallem Achor,&c.*68.*c*
Exaudiam dicit Dominus,exaudiam cœlos,&c. 7.*b*
3. *Non fornicaberis,& non eris viro:sed & ego expectabo te.* 845.*e*
6. *Misericordia vestra quasi nubes matutina,&c.* 563.*a*
8. *Et oblitus est Israël factoris sui, & ædificauit delubra, &c.* 1260.*c*
9. *Percussus est Ephrem,& radix eorum exsiccata est,&c.* 411.*a*
11. *In funiculis Adam traham eos,in vinculis charitatis.* 1355.*a*
12. *In fortitudine sua directus est cum Angelo,&c.* 68.*b*
13. *Deum absque me nescies, & Saluator non est præter me.* 893.*e*
14. *Tollite vobiscum verba, & cõuertimini ad Dominum, &c.* 88.*d*

Ex Ioële Propheta.

Ante faciem eius ignis vorans, & post eum exurens flamma,&c. 517.*e*

Ex libro Amos.

3. *Si erit malũ in ciuitate,quod Dominus nõ fecerit.*877.*b*
4. *Et plui super vnam ciuitatem, & super aliam ciuitatem non plui,&c.* 365.*a*
6. *Qui ædificat in cœlo ascensionem suam, & fasciculum suum super terram,&c.* 268.*a*
9. *Ecce dies veniunt, dicit Dominus, & comprehendet arator messorem,&c.* 539.*e*

Ex libro Ionæ.

2. *Clamaui de tribulatione mea ad Dominum,& exaudiuit me,&c.* 29.*e*
Cum angustiaretur in me anima mea, Domini recordatus sum,&c. 373.*c*
4. *Scio enim,quia tu Deus clemens,&c.* 865.*c*

Ex libro Michææ.

4. *Concident gladios suos in vomeres,& hastas suas in ligones,&c.* 941.*d*
Et tu turris gregis nebulosa filiæ Sion, vsque ad te veniet, &c. 554.*a*
5. *Et pascent terram Assur in gladio,& terram Nemrod, &c.* 941.*e*
6. *Indicabo tibi, ô homo quid sit bonum,& quid Dominus requirat à te,&c.* 1252.*e*
Tu seminabis & non metes:tu calcabis oliuam,&c. 529.*c*

Ex libro Nahum.

1. *Dominus in tempestate & turbine viæ eius,&c.* 220.*c*

Ex libro Habacuc.

2. *Super custodiam meam stabo, & figam gradum super munitionem,&c.* 436.*d.* 541.*d*

Ex libro Sophoniæ.

1. *Scrutabor Hierusalẽ in lucernis,& visitabo,&c.* 617.*c*

Ex lib. Zachariæ Prophetæ.

1. *Et dixit ad me Angelus,qui loquebatur in me.* 1416.*b*
3. *Et ostendit mihi Dominus Iesum sacerdotem magnum, stantem coram Angelo,&c.* 564.*b*
Super lapidem vnum septem oculi sunt. 1343.*b*
12. *Effundam super domum Dauid,& super habitatores Hierusalem,&c.* 16.*d*

Ex Malachia.

1. *In omni loco sacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda.* 360.*e*
2. *Labia sacerdotis custodient scientiam, & legem requirent ex ore eius.* 98.*a*
3. *Ego enim Dominus,& non mutor.* 816.*a*

Ex lib. II. Machabæorum.

1. *Det vobis cor omnibus,vt colatis eum.* 940.*d*
15. *Iudas verò,& qui cum eo erant inuocato Deo per orationes congressi sunt,&c.* 1276.*c*

EX NOVO TESTAMENTO.

Ex S. Matthæi Euangelio.

CAP. 1. NON *in solo pane viuit homo, sed in omni verbo quod procedit de ore Dei.* 15.*a*
Ambulans autem Iesus iuxta mare Galilea,vidit,&c. 242.*d*
5. *Beati pacifici,quoniam filij Dei vocabuntur.* 4.*c*
Gaudete & exultate,quoniam merces vestra,&c. 923.*d*
Vos estis lux mundi,&c. 836.*d*
Quòd si oculus tuus dexter scandalizat te,erue eum, &c. 1234.*a*
Estote ergo vos perfecti,sicut & pater vester,&c. 812.*b*
6. *Cùm oratis non eritis sicut hypocritæ,&c.* 20.*d*
Tu autem cùm oraueris intra in cubiculum tuum,&c.ibid.
Orantes nolite multum loqui,&c. 167.*c*
Vos autem sic orabitis: Pater noster, qui es in cœlis, &c. 20.*c.* 144.*d*
Sanctificetur nomen tuum,adueniat regnum tuum. 32.*a.b.* 147.*c*
Fiat voluntas tua sicut in cœlo & in terra. 148.*b*
*Panem nostrum supersubstantialem da nobis hodie.*149.*a*
Et dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus, &c. *ibid. c*
Et ne nos inducas in tentationem. 150.*c*

Lucerna corporis tui est oculus tuus,&c. 315.c
7. *Petite,& dabitur vobis, quærite,&c.* 32.e
Si ergo vos cum sitis mali nostis bona data dare filiis vestris,&c. 468.a
11. *Regnum cœlorum vim patitur,& violenti rapiunt illud.* 483.d
Bonus homo de bono thesauro profert bona,&c. 948.e
17. *Petrus dixit ad Iesum: Domine bonum est nos hîc esse.* 1225.c
18. *Amen dico vobis nisi conuersi fueritis, & efficiamini sicut paruuli,&c.* 483.d
Quia Angeli eorum in cœlis semper vident faciem Patris, &c. 24.b
Vbi enim sunt duo, vel tres congregati in nomine meo, &c. 100.e
Simile est regnum cœlorum homini regi, qui fecit nuptias, &c. 348.d
26. *Sedete hîc donec vadam illuc & orem.* 23.d
Pater mi si possibile est transeat à me calix iste,&c. 496.e
Surgite eamus,ecce appropinquauit qui me tradet. 57.c
28. *Euntes ergo docete omnes gẽtes,baptizãtes,&c.* 900.b

Ex S. Marci Euangelio.

1. *Et diluculo valde surgens, egressus abiit in desertum locum,&c.* 23.d
15. *Deus meus, Deus meus, vt quid dereliquisti me, &c.* 729.a

Ex S. Lucæ Euangelio.

1. *Aue Maria gratia plena,Dominus tecum,&c.* 152.c
Et benedictus fructus ventris tui. 156.b
3. *Et Iesu baptizato,& orante apertum est cœlum.* 667.e
6. *Exiit in montem orare, & erat pernoctans in oratione Dei.* 23.d
Date, & dabitur vobis, mensuram bonam & confertam, &c. 792.d
7. *Et ecce mulier quæ erat in ciuitate peccatrix, vt cognouit,&c.* 206.d
9. *Ascendit vt oraret,& facta est dum oraret species vultus eius altera,&c.* 22.c
10. *Et huic erat soror nomine Maria, quæ etiam sedens secus pedes,&c.* 1338.b
11. *Amice commoda mihi tres panes, quoniam amicus meus,&c.* 30.e
Petite & accipietis,&c. 20.d
Quis autem ex vobis patrem petit panem, numquid lapidem dabit illi,&c. 31.d
Beati qui audiunt verbum Dei,& custodiunt illud. 157.b
12. *Homo quis me constituit iudicem, aut diuisorem inter vos.* 682.c
Quærite primùm regnum Dei,& iustitiam eius,&c. 20.c
15. *Cum autem adhuc longè esset vidit illum pater ipsius, &c.* 864.e
18. *Dicebat autem & parabolam ad illos,quoniam oportet,&c.* 20.c. 562.c
Oportet semper orare,& numquam deficere. De hoc loco latissimè, 1296.a. 1300.a
22. *Desiderio desideraui hoc pascha manducare vobiscum antequam patiar.* 693.c
Orate ne intretis in tentationem. 20.d
23. *Filiæ Hierusalem nolite flere super me, sed super vos ipsas flete,&c.* 487.e
Iesus autem dicebat: Pater dimitte illis, non enim sciunt quid faciunt. 727.c
Amen dico tibi,hodie mecum eris in Paradiso. 728.a
Pater in manus tuas commendo spiritum meũ. 23.e. 730.a
24. *Nónne cor nostrum ardens erat in nobis,&c.* 436.b

Ex S. Ioannis Euangelio.

1. *In principio erat verbum,& verbum,&c.* 905.d
2. *Omnis homo primùm bonum vinum ponit,&c.* 16.c
3. *Sic Deus dilexit mundum,vt filium suum,&c.* 915.b
4. *Iesus autem fatigatus ex itinere sedebat sic,&c.* 260.d
Domine da mihi hanc aquam,&c. 446.b
Mulier crede mihi, quia venit hora, quando neque in monte hoc,&c. 370.b
Sed venit hora & nũc est,quãdo veri adoratores,&c. 358.b
Spiritus est Deus,& eos qui adorãt eũ,in spiritu,&c. 809.b
5. *Scrutamini scripturas, quia vos putatis in ipsis vitam æternam habere,&c.* 430.e
6. *Panem de cœlo dedit eis manducare.* 15.e
Non Moyses dedit vobis panem de cœlo,&c. ibid.
Qui mãducat meam carnẽ,& bibit meũ sanguinẽ,&c. 12.a
10. *Ego sũ ostiũ, per me si quis introierit saluabitur.* 432.a
11. *Pater gratias ago tibi,quoniam audisti me.* 480.a
16. *Modicum,& iam non videbitis me,& iterum modicum & videbitis me.* 510.d
19. *Cum vidisset ergo Iesus matrem, &c. dicit matri suæ: Mulier ecce filius tuus,&c.* 728.d
Cúmque accepisset Iesus acetum dixit: Consummatum est, &c. 729.e
20. *Dicit ei Iesus: Noli me tangere, nondum enim ascendi ad Patrem meum.* 1338.a
Sicut misit me Pater,& ego mitto vos. 7.b
Accipite Spiritũ sanct. quorũ remiseritis peccata,&c. 907.e

Ex Actis Apostolorum.

1. *Omnes erant vnanimiter perseuerãtes in oratione.* 18.c
2. *Alij autem irridentes dicebant: quia musto pleni sunt isti,&c.* 1114.e
6. *Nos verò orationi, & ministerio verbi instantes erimus.* 25.a
8. *Pecunia tua tecum sit in perditionem,&c.* 909.c
9. *Quære in domo Iudæ Saulum nomine Tharsensem, ecce enim orat.* 18.c
17. *Quærere Deum si fortè attrectent eum,aut inueniant, &c.* 1378.b
26. *Opto apud Deum,& in modico & in magno,non tantum te, sed etiam omnes,&c.* 1353.d

Ex Epistola D. Pauli ad Romanos.

1. *Quia eum cognouissent Deum non sicut Deum glorificauerunt, &c.* 74.a
2. *An diuitias bonitatis eius per patientiæ, & longanimitatis,&c.* 845.b
Ignoras quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit. 864.c
3. *Est autem Deus verax,omnis autẽ homo mendax.* 823.c
Iustificati per gratiam ipsius per redemtionem, quæ est in Christo Iesu. 917.c
7. *Non enim quod volo bonum hoc facio.* 1228.b
Inuenio igitur legem volenti mihi facere bonũ,&c. 1493.d
8. *Quicũque enim spiritu Dei agũtur,hi sunt filij Dei.* 183.a
Quis ergo nos separabit à charitate Christi, tribulatio, an angustia,&c. 1156.a. 1114.b
9. *Optabam enim ego ipse anathema esse,&c.* 1117.c
10. *Quomodo verò prædicabunt nisi mittantur.* 7.a
Nam idem Dominus omnium,diues in omnes qui inuocant illum. 889.d
12. *Nolite conformari huic sæculo, sed reformamini, &c.* 601.b
13. *Induimini Dominum Iesum Christum.* 1249.e
Et carnis curam ne feceritis in desideriis. 1247.a
15. *Vt honorificetis Deum & Patrem Domini nostri Iesu Christi.* 901.d

Ex Epist. 1. ad Corinthios.

2. *Spiritualis iudicat omnia, & ipse à nemine iudicatur.* 33.b
3. *Neque qui plantat est aliquid,neque qui rigat,&c.* 7.d
Nescitis quia templum Dei estis,& spiritus Dei,&c. 354.e
6. *Omnia mihi licent, sed ego sub nullius redigar potestate.* 1515.e
Qui autem adhæret Domino vnus spiritus est. 1354.b
An nescitis quoniam membra vestra templum sunt Spiritus sancti. 1288.b

7. *Volo enim omnes vos esse, sicut me ipsum.* 1353.c
Alligatus es vxori, noli quærere solutionem, &c. 293.c
9. *Quis p'lantat vineam, & de fructu eius non edit.* 912.e
14. *Etenim si incertam vocem det tuba, quis parabit se ad bellum.* 339.a
Non enim est dissensionis Deus, sed pacis. 843.d
Nouissimè autem omnium tamquam abortiuo visus est & mihi, &c. 1448.d

Ex Epist. 2. ad Corinthios.

1. *Vt non simus fidentes in nobis, sed in eo qui suscitat mortuos.* 897.a
3. *Nos verò omnes reuelata facie gloriam Domini speculantes, &c.* 21.d
5. *Ingemiscimus grauati, eo quod nolumus expoliari, sed superuestiri.* 1408.d
Siue mente excedimus Deo, siue sobrij sumus vobis, charitas Dei vrget nos, &c. 5.a
11. *Ipse enim Satanas transfigurat se in Angelum lucis.* 1506.e
12. *Si gloriari oportet non expedit quidem, veniam autem ad visiones, &c.* 1526.a
Scio hominem in Christo ante annos quatuordecim, siue in corpore, siue, &c. 185.c. 1428.c

Ex Epistola ad Galatas.

1. *Cum autem placuit ei qui me segregauit ex vtero matris meæ, &c.* 918.d
An quæro hominibus placere? Si hominibus placerem Christi seruus non essem. 636.b
4. *Misit Deus spiritum filij sui in corda vestra, &c.* 7.a. 308.b

Ex Epistola ad Ephesios.

1. *Elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, &c.* 910.d
Non cesso gratias agens pro vobis, memoriam vestri faciẽs in orationibus meis, &c. 36.c
2. *Deus qui dives est in misericordia, &c. conresuscitauit, & consedere fecit in cœlestibus, &c.* 1363.d
3. *Flecto genua mea ad Patrem Domini nostri Iesu Christi, &c.* 177.e. 903.d
4. *Obsecro itaque vos ego vinctus in Domino, vt dignè ambuletis, &c.* 916.d
5. *Surge qui dormis, & exurge à mortuis, & illuminabit te Christus.* 518.e
Vt exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam, &c. 98.e
6. *Et gladium spiritus, quod est verbum Dei.* 1301.b

Ad Philippenses.

3. *Qui terrena sapiunt: nostra autem conuersatio in cœlis est.* 17.c

Ex Epistola ad Colossenses.

1. *Qui est imago Dei inuisibilis, primogenitus, &c.* 906.e
3. *Mortificate membra vestra quæ sunt super terram, &c.* 52.e

Ex Epist. 1. ad Timotheum.

1. *Regi autem sæculorum immortali, inuisibili, soli Deo honor, & gloria.* 819.d
2. *Obsecro igitur primum omnium fieri obsecrationes, &c.* 199.d
Volo viros orare in omni loco leuantes puras manus, &c. 79.b
4. *Exerce autem teipsum ad pietatem. Nam corporalis exercitatio, &c.* 39.a. 1265.d
Qui solus habet immortalitatem, & lucem inhabitat inaccessibilem. 811.d. 1239.d

Ex Epist. 2. ad Timotheum.

3. *Vt perfectus sit homo Dei ad omne opus bonum instructus.* 3.b

Ex Epistola ad Hebræos.

1. *Portans omnia verbo virtutis suæ.* 873.a. 907.b
3. *Sed hortamini vosmetipsos per singulos dies, donec hodie, &c.* 1299.e
Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur à Deo tamquam Aaron. 7.b
In diebus carnis suæ preces supplicationésque, &c. 396.c
13. *Mementote præpositorum vestrorum, qui vobis loquuti sunt verbum Dei.* 794.d
Iesus Christus heri, & hodie, ipse & in sæcula, &c. ibid.

Ex Epistola D. Iacobi.

1. *Si quis autem vestrûm indiget sapientia, postulet à Deo, &c.* 25.c. 463.c. 860.b
Vnusquisque verò tentatur à concupiscentia sua abstractus, & illectus, &c. 1487.c
3. *Quæ autem desursum est sapientia, primum quidem pudica est bonis consentiens, &c.* 1519.a
4. *Petitis, & non accipitis eo quod malè petatis.* 40.b

Ex Epist. 1. Petri.

1. *In quem desiderant Angeli prospicere.* 24.c
2. *Christus passus est pro nobis vobis relinquens exemplum vt sequamini vestigia eius.* 1519.d
5. *Sobrij estote & vigilate, quia aduersarius vester diabolus tamquam leo rugiens, &c.* 1506.c

Ex Epist. 2. Petri.

3. *Domini nostri longanimitatem, salutem arbitremini.* 845.a

Ex Epistola Ioannis.

1. *Deus est lux, & tenebræ in eo non sunt vllæ.* 835.c
2. *Qui dicit se in ipso manere debet sicut ille, &c.* 1041.e
3. *Scimus quoniã cum apparuerit similes ei erimus.* 1463.c
Qui facit peccatum ex diabolo est, quoniam ab initio, &c. 1507.b
4. *Diligamus nos inuicem, quia charitas ex Deo est.* 908.d

Ex Apocalypsi eiusdem.

1. *Et de ore eius gladius vtraque parte acutus exibat.* 63.c. 671.c
2. *Hæc dicit filius Dei qui habet oculos, &c.* 904.d
4. *Ascende huc & ostendam tibi quæ oportet fieri, &c.* 1362.e
5. *Et in medio seniorum agnum stantem tamquam occisum, habentem cornua septem.* 1345.c
Dignus est agnus, qui occisus est accipere virtutẽ, &c. 92.d
6. *Et qui sedebat super illum habebat stateram in manu sua.* 1389.b
8. *Et cum aperuisset sigillum septimum, factum est silentium in cœlo, &c.* 446.e. 1402.c
12. *Datæ sunt mulieri alæ duæ aquilæ magnæ, &c.* 175.d
Mulier amicta sole & luna sub pedibus eius. 766.d
15. *Quis non timebit te Domine & magnificabit nomen tuum.* 857.c
20. *Et libri aperti sunt, & alius liber apertus est, qui est liber vitæ.* 621.a
21. *Et mensus est murum eius centum quadraginta quatuor cubitorum, &c.* 19.b
22. *In medio plateæ eius, & ex vtraque parte fluminis lignum vitæ afferens fructus duodecim.* 1357.c

DE ORATIONE, TVM VOCALI, TVM MENTALI.

LIBER PRIMVS.

PROOEMIVM.

Sapien. 7.7.

PTAVI, & datus est mihi sensus,& inuocaui,& venit in me spiritus sapientiæ. Et præposui illam regnis & sedibus,& diuitias nihil esse duxi in comparatione illius.] Hæc verba primùm cuiusdam sunt sapientis humanæ imbecillitatis consideratione impulsi vt sapientiam cuperet: deinde spiritualis cuiusque viri ipsa possessione moralium virtutum illecti, vt sanctæ orationis spiritum exoptaret. Sapiens sapientiam concupiuit, cùm initium aliquod sapientiæ sit, quod sapientem valeat constituere, sapientiam diligere,& concupiscere;& sicut eo sapientiæ gradu minùs perfecto, quem habebat, lætatus est: ita in eum perfectum, quem nondum habebat, conatus suorum desideriorum iniecit. Et similiter vir spiritualis spititum orationis optauit, non quidem in ea mediocritate, qua virtutibus affectionum moderatricibus affidet (hanc enim iam habet,& quod habetur non desideratur) sed in ea sublimitate, qua virtutum statum complet, & perficit. Cùm me,inquit, beneficio Dei à peccatis alienum (quantum hæc mortalitas fert) à vitiis mundum, ab affectionum immoderatione vacuum aspicerem, & virtutibus ornatum esse cognoscerem, necdum hoc proficientium statu contentus altiora optaui, & sublimiora concupiui. Optaui, quoniam initium bonorum, eorum est desiderium; & potiora bona ardentioribus sunt desideriis exoptanda, atque assiduis orationibus deposcenda. Optaui, vt desiderium mei cordis sinum expanderet, & mentis ianuam aperiret, in qua rerum desideratarum abundantiam exciperem. Optaui, vt vir desideriorum factus conforter,ac robustus efficiar, & Deum ad me loquentem audiam, eique viciſſim interna locutione respondeam. Datum est autem mihi, quod optauerам ab eo,qui desiderium egenorum exaudit. Dedit ille mihi sensum, & rerum tum humanarum, tum diuinarum cognitionem, vt illa respuerem, ista diligerem. Dedit & sapientiæ spiritum,quo & creata transcendere,& mente iungi Deo scirem,& in hoc inexpertam mundanis hominibus voluptatem reperirem.Hunc spiritum,quo humana transgrédior,cœlestia degusto, regnis & sedibus prætuli, & vniuersis opibus antepositi. Iam regnum expugnaui, quia meipsum regere,meisque affectibus per mortificationem imperare didici. Iam in throno solis regibus parato sedi, quia stabilitatem & perseuerantiam in sancta conuersatione quæsiui. Iam diuitias comparaui, quoniam virtutum moralium possessor sum factus, quas verissimas animæ diuitias agnoui. Sed his omnibus sapientiæ spiritus,& orationis donum maius est, ac propterea meritò ipsum regnis à me quæsitis, & sedibus, & opibus antepono.

Viui spiritalis ad orationem aspiratio vota.

Hæ sunt viri perfecti voces, quas cùm audirem, & instituti mei meminissem, quo virum spiritualem ad perfectionem vsque adipiscendam erudire constitui; non me putaui susceptо muneri satisfeciſſe, nisi illum doctrinâ orationis imbuerem, & ad hunc sapientiæ spiritum ab animabus sanctis præ omnibus donis dilectum, capessendum excitarem. Quamobrem natura & dignitate perfectionis primo volumine nostrarum lucubrationum exposita, & vitiorum fugiendorum, ac virtutum assequendarum doctrina secundo volumine declarata; debitum est, vt denuo laborare inchoemus, & rationem orandi, & contemplandi,& cum Deo colloquendi quinque aliorum librorum editione tradamus.Patriarcha enim ille sanctissimus Liæ & Racheli sororibus coniugio copulatus, & duodecim filiorum prole fœcundus, qui viri perfecti fuit typus, duo nomina sortitus est, nec vno solo omnem esset fœlicitatem consequutus. Vocatus est Iacob, quia nascens plantam tenuit fratris, quasi volens illius ex vtero egressum impedire; & quia illum iusto quodam dolo decepit, & ad se patris hæreditariam benedictionem transtulit. De prima illa nominis causſa dictum est in Genesi: Egrediens plantam fratris tenebat manu, & idcirco appellatus est Iacob.] De secunda verò dixit ipse Esau à iure hæreditatis excluſus: Iustè vocatum est nomen eius Iacob; supplantauit enim me en altera vice: primogenita mea antetulit, & nunc secun-

Mortificatione oratione excipere gemino Iacobi & Israëlis nomine declaratur.
Gen. 25. 25.
Gen. 27. 36.

dò ſurripuit benedictionem meam.] Vocatus eſt etiam Iſraël, cui dixit Angelus cum eo luctans: Nequaquam Iacob appellabitur nomen tuum, ſed Iſraël.] Cuius etiam nominis triplex eſt interpretatio. Nam dictus eſt Iſraël, ſi Philoni credimus, quaſi videns Deum. Item &, vt Hieronymus putat, vocatus eſt Iſraël, quaſi rectiſſimus Dei, vel prævalens contra Deum. Poſtremæque ſignificationis Angelus meminit, dicens: Quoniam ſi contra Deum fortis fuiſti, quanto magis contra homines prævalebis.] Hinc autem elucet, ſi iuſtus hic tantùm Iacob fuiſſet, & non Iſraël, quantum illi ad beatitudinem defuiſſet. Neque enim ſufficit carnem ſupplantare, & ab humanis affectibus quaſi honeſto dolo ius dominationis arripere, niſi etiam homo contemplatione Deum videat, & vitæ ſanctitate rectus fiat, & ſancta importunitate, & ardore precandi, à Deo quicquid petierit obtineat. Eadem eſt omnino ratio iſtius cæterorúmque iuſtorum, quibus non ſatis eſt quòd vitia exterminent, & virtutes addiſcant, niſi etiam Deum contemplentur, & ad diuinam familiaritatem aſſurgere connitantur. Ideo Paulus exigit à viro perfecto, vt ſit ad omne opus bonum inſtructus: ad opus ſcilicet externum, quod virtus multiplex à Deo infuſa, vel ab homine non ſine Dei gratia quæſita elicit: & ad opus internum, quod orationis ſpiritus in mente noſtra ſine ſtrepitu laboris corporei facit. Nec ſatis inſtructus erit, qui nouerit ſe in operibus exterioribus pietatis effundere, ſi ignorat interiùs per donum orationis operari.

Atque iſta eſt tertia pars illius verſiculi ſancti Dauidis, quem huius operis argumentum eſſe diximus: Inquire pacem, & perſequere eam.] Priùs dixerat: Declina à malo, & fac bonum, quia hæc neceſſaria ſunt, vt Chriſto paci noſtræ mente adhæreamus, & perfectiſſimam eius conuerſationem imitemur. Sicut enim, qui vult gemmam aliquam pretioſam quærere, ea deſerit, quæ poſſunt illi impedimento eſſe, & illa aſſumit, quæ poſſunt eſſe adiumento, vt gemmam inueniat: ita ſpiritualis vir cupiens ſpiritum orationis quærere, & per illum Chriſtum inuenire, & ad diuinam vnionem, atque ad perfectionem admitti, à malis declinat, quæ ſunt huius internæ occupationis impedimenta; & bona facit, quæ ſunt efficaciſſima eiuſdem laboris adiutoria. Quòd ſi ille auidus gemmarum inquiſitor minùs prudens eſſet, ſi poſt longum apparatum ad inquirendas gemmas factum, ab earum inquiſitione ceſſaret; iuſtiùs profectò vitæ ſpiritualis cultor imprudentiæ notabitur, ſi poſt bellum aduersùs vitia fœliciter geſtum, & poſt virtutes diligentiſſimè comparatas, non vltrà procederet, & ſine guſtu orationis contemplationíſque maneret. Milites in bellum proficiſcuntur, & præliis exercentur, non vt perpetuò inquietudinem ac pericula belli ſuſtineant, ſed vt aliquando tandem victoria potiti in pace quieſcant. Mercatores etiam, niſi planè ſint auaritiæ labe poſſeſſi, ſolicitè negotiantur, & opes congregant, vt poſtea vitam quietam, & bonis temporalibus refertam ducant. Et tam hi, quàm illi (neſcio an ambitione, an aliquo genere magnanimitatis ducti) poſt aliquantulam quietem ad dominationem aſpirant, & aliis prudentia ſua & opibus conquiſitis vtiles eſſe percupiunt. His viros ſpirituales ſimiles eſſe coniector. Cum vitiis pugnant, & virtutum diuitias comparare curant, non vt perpetuò vitam actuoſam & inquietam agant, ſed vt his ſe ad contemplationem præparent, & intellectu atque affectu vniti Domino conquieſcant. Qui & poſt quietem contemplationis expertam, & poſt delitias familiaritatis Domini præguſtatas, amore & zelo diuini honoris æſtuant, & ad profectum aliorum anhelant. Mala peccatorum & vitiorum fugiunt, & bona vniuerſarum virtutum faciunt, vt pacem contemplationis quærant, & inueniant. Pacem inueniunt, vt pacem perſequantur, id eſt, eam à cordibus mundanorum fugientem inſectentur, vt illam ſcilicet per bonam vitam, quam mundanos docent, ſicut in ſeipſis, ita & in illis teneant, ſuáque doctrina faciant, ne diſcedat.

Ecce greſſus animæ ſanctæ, de quorum pulchritudine in Canticis ab ſponſo laudatur. Quàm pulchri, ait, ſunt greſſus tui in calceamentis, filia principis.] Appoſitè ſatis vocatur filia principis, quæ pompis diaboli renuntiauit, & à Deo in filiam eſt adoptata, & Chriſti naturalis filij ſoror per gratiam effecta. Huius primus greſſus eſt declinare à malo. Pulcher greſſus, quo omnis fœditas peccati nigredóque depellitur. Secundus greſſus eſt exercere bonum. Et hic etiam greſſus eſt pulcher, quo omnis ſplendor & decor animæ, nempe virtus acquiritur. Tertius greſſus eſt inquirere pacem. Atque hic quoque eſt plenus gratiæ, & decoris, quia pacatus animus, & in Dei contemplatione quietus ſingulis diebus, immo & ſingulis horis pulchritudinem auget, dum ſe auctori totius pulchritudinis iungit. Poſtremus greſſus eſt ſequela pacis, aut Chriſti noſtræ pacis imitatio. Et hic eſt omnium formoſiſſimus, cùm nihil perfectius reperiatur, quàm Chriſti charitatem erga æternum Patrem, & ex eo zelum animarum procedentem imitari. Propter hunc greſſum ſpecialiùs anima hæc filia principis eſt vocata; nam ſcriptum eſt: Beati pacifici, quoniam filij Dei vocabuntur.] Qui autem ſunt pacifici, niſi, qui inquirunt pacem, & ſequuntur eam? Qui nimirum pacem, quam cum Deo habent, in proximos deriuant, & ſe ſalutis eorum curam habere demonſtrant. Hi non tantùm ſunt, verùm & vocantur filij Dei, quoniam & ipſi mundani homines, quos in ſe tam beneficos, & ſuarum animarum adiutores aſpiciunt Dei, filios & imitatores agnoſcunt. Eorum greſſus in calceamentis pulchri ſunt, quoniam carne perdomita pro calceamento vtuntur, dum eam aſſidua mortificatione calcant, & per ſui ſubmiſſionem vſque ad terram humiliant, eámque bene domitam non iam impedimentum virtutis ſentiunt, ſed adiutorium ad ambulandum per viam virtutis faciunt. Id planè pulchrum eſt, carne, qua imperfecti feriuntur, in inceſſu protegi, & dum per illam & in illa morigera effecta actiones virtutis fiunt, quaſi ab affectuum læſione defendi.

His quatuor greſſibus filia principis, id eſt, anima ad vitæ Chriſti imitationem vocata perfectionem charitatis, quam in primo noſtrorum laborum opere deſcripſimus, quærit, & inuenit. Eorum autem duos primos, quibus à malo diſceditur, & ad bonum acceditur, in ſecundo opere patefecimus; reliquum eſt, vt duos, qui ſuperſunt, in his, quæ poſtmodum à nobis ſcribenda ſunt, declaremus. Diſcat in eis vir ſpiritualis orare, & contemplari, & cum Deo familiariter agere: diſcat & pro aliis laborare, & fratrum animabus prodeſſe. Diſcat pacem & tranquillitatem ſuæ mentis ad Deum aſpirando quærere: diſcat & pacem pro bono proximorum perſequi, eóſque ad veram pa-

cem

Geneſ. 32. 28. Philo lib. 1. de temulentia. Hieron. in tradit. Heb. ſup. hunc locum. Geneſ. eod.

2. Timoth 3. 17.

Pſal. 33. 15.

Amanda pacata orationis quies poſt aſſidua cum peccatis bella pugnata.

Cantic. 7. 1.

In ſpirituali inceſſu orationis greſſus maximè ſponſo iucundus.

Matth. 5. 9.

cem traducere. Discat ex charitate seipsum transcendere, & ex eadem infra seipsum ad pusillos & lactentes se demittere, vt dicat cum Paulo: Siue mente excedimus Deo, siue sobrij sumus vobis, charitas Dei vrget nos.] Hęc nos regit, & possidet, hæc nos constringit, & stimulat, vt iam mente excedamus nos ipsos, immo & homines vniuersos, dum contemplamur cœlestia, & rapimur ad diuina: & iam temperemus nos, & pro vtilitate vestra ad curam rerum huius mundi nos demittamus. Discat tandem Angelorum more ascendere, & descendere, & tam in ascensu, quàm in descensu Deo placere. Nec disciplina ista aut paruipendenda est, aut quasi facilis modico conatu arripienda, cùm hæc sit occupatio cœlestium spirituum, quos magnum & honore præcipuum est sequi, & non admodum facile hominem carne circumdatum æmulari. Bernardus certè opus Angelicum autumat hæc duo studia coniungere. Nam quodam loco ait: Quæ sunt sanctorum Angelorum viæ? Profectò illæ, quas vnigenitus enarrauit, dicens: Videbitis Angelos ascendentes, & descendentes super filium hominis. Ascensio igitur, & descensio, viæ illorum. Ascensio propter se: descensio, vel potiùs condescensio propter nos. Sic beati illi spiritus ascendunt per contemplationem Dei; descendunt per compassionem tui, vt custodiant te in omnibus viis tuis. Ascendunt ad vultum eius, descendunt ad nutum eius: Quoniam Angelis suis mandauit de te. Nec tamen vel descendendo visione gloriæ fraudantur, quia semper vident faciem Patris. Et alio loco Angelorum esse ait ad homines ministeriis descendere, & nequaquam à Dei consideratione separari. Neque enim talis aliqua vicissitudo in eorum ascensionibus & descensionibus est: simul & mittuntur in ministerium propter eos, qui hæreditatem capiunt salutis, & assistunt vultui maiestatis, Deo misericorditer prouidente, vt & nobis sit consolatio, & eis tribulatio nulla. Alioquin quando æquanimiter paterentur ab illo vultu gloriæ, in quem semper prospicere desiderant, propter nos vel ad modicum separari? Denique ipsam audi in Euangelio veritatem. Angeli eorum, ait (haud dubium quin paruulorum) in cœlis semper vident faciem Patris: sic videlicet paruulorum custodiæ deputati, vt non priuati vllo modo beatitudine sua.] Sic ille. Hanc itaque Angelorum vitam vtrumque opus contemplationis, & animarum curationis vir spiritualis ex nostris libris addiscat; eámque non tam arida quadā notione scire, quàm opere exercere contendat. In his enim rebus nihil, aut parum interest scire, nisi scientiam tamquam præeuntem, & viam ostendentem operatio sequatur. Quin & talis cognitio sola non semel culpæ tribuetur ei, cui lux cognitionis data est, non vt sciat, sed vt secundùm datam sibi scientiam vitam suam moresque componat.

Nos verò nunc hanc scientiam spiritus sublimissimam docere tentamus, non ex nobis, sed ex Patribus, & ex aliis viris orationi & ministeriis animarum deditis, inter quos per Dei miserationem viuimus, qui eam à Deo didicerunt, & assiduo experimento gustarunt. Illúdque Moysis documentum in hoc opere mordicus obseruabimus: Interroga patrem tuum, & annunciabit tibi maiores tuos, & dicent tibi.] Atque illud Iob: Interroga generationem pristinam, & diligenter inuestiga patrum memoriā.] Cùm enim vitiorum naturam exponebamus, satis in corde & manibus nostris sordium reperiebamus, vnde eam disceremus. Et cùm virtutum moralium actus, & modum eas quærendi tractabamus, fortè ex nonnullo conatu contra vitia pugnandi, & ex aliquo virtutum desiderio nonnihil lucis emergebat, ex quo aliquid in medium proferendum eliceremus. At in negotio orationis maximè illius sublimioris, qua animæ puræ non tam agunt, quàm aguntur, & ad diuina raptantur; velut omnino rudes ad sanctorum Patrum dicta debemus recurrere, & ad expertorum auctoritatem festinare. Interrogabo itaque Patrem meum IGNATIVM beatissimum, à quo sum spiritu genitus, vt me in aureo libello suo de studio orationis edito verborum quidem ieiuno, sed arcanorum referto, hanc abditam & reconditam scientiam edoceat. Interrogabo maiores meos, patres meos, & imitatores veros illius, dono perfectæ orationis, & fructuosæ actionis officio conspicuos, vt me instruant, & perfectæ vitæ orationem actionémque complectentis venam aperiant. Interrogabo generationem pristinam, aurea scilicet illa, & fœlicia sæcula, in quibus sapientissimi, pariter & sanctissimi floruerunt, & inuestigabo illorum relicta monumenta, in his euoluendis assiduus ero, & ex iis, quæ illi scripserunt, orationis, & sanctorum ministeriorum, quibus animæ iuuantur, vias aperire tentabo.

Vtrumque opus tam orandi, quàm animas lucrandi opus Dei est, & functio gratiæ ipsius. Ipse enim gratia sua, & abscondito consilio suo quosdam homines sibi charissimos ad studium orationis, & profectum contemplationis vocat. Ipse quoque miseratione sua aliquos istorum inter charissimos chariores sine vllo detrimento contemplationis ad ministeria animarum inuitat. De studio orationis illud Dauidis intelligi potest: Emitte lucem tuam, & veritatem tuam: ipsa me deduxerunt, & adduxerunt in montem sanctum tuum, & in tabernacula tua.] Quid Dei gratia splendidius? Quid eius magisterio verius? Nisi ergo ille hanc suam lucem ad nos mittat, & hoc magisterio nos erudiat, frustrà ad montem orationis ire conamur, qui est mons sanctus Dei; & in tabernaculum contemplationis penetrare contendimus. Vel si lux, & veritas, vt Augustinus putat, est vnus Christus, ipse est huius viæ dux, & ascensionis magister, quem si non audimus docentem, viámque monstrantem, numquam in montem hunc ascendemus, nec oratores, vt oportet, aut contemplatores erimus. Quare vnus eximius contemplator, Richardus nimirum de S. Victore, optimè ait: Non nisi veritas in hunc montem deducit, & adducit. Ipsa ducit, ipsa est, quæ perducit. Libenter sequor veritatem, non habeo suspectum talem ducem. Nouit veritas ducere, nescit veritas seducere. Sed quid est veritas? Quid tu dicis, Doctor bone, Doctor Christe, quid est veritas? Ego sum, inquit, via, veritas, & vita.] Sequatur ergo veritatem, qui vult ascendere in montem. Sequere Christum quicumque cupis ascendere in montem istum. Docente Euangelista didicimus. Quia assumsit Iesus discipulos suos, Petrum videlicet, Iacobum, & Ioannem, & duxit eos in montem excelsum seorsum. Ducuntur ergo discipuli Iesu sursum & seorsum, vt possint apprehendere montem istum excelsum. Via ardua, via secreta, & multis incognita, quæ ducit ad montis huius fastigia. Illi soli (vt arbitror) sine errore currunt; illi soli sine impedimento perueniunt, qui Christum sequuntur, qui à veritate ducuntur. Quisquis ad alta

2. Cor. 5. 13. 14.

Contemplatiua actiuæ iũgēda Angelorum exemplo.

Bernard. Psal. Qui habitat. serm. 11. Ioann. 1. 51.

Matth. 4. 6.

Deuter. 32. 7. Iob 3. 3.

Matth. 18. 10.

Ignatij parētis in oratione tradenda vestigiis insistendum.

Psal. 42. 3.

Orationis nobis Christus Dux, & magister.

Augustin. ibid.

Richard. Beniam. min. c. 77.

Ioan. 14. 6.

Matth. 17. 1.

properas, ſecurus eas, ſi te præcedit veritas, nam ſine ipſa ſtruſtrà laboras. Tam non vult fallere, quàm non valet veritas falli. Chriſtum ergo ſequere, ſi non vis errare.] Idem ſignificant illa verba Apoſtoli : Sed ipſe Spiritus poſtulat pro nobis, id eſt, interpellare nos facit, gemitibus inenarrabilibus.] Et illa : Miſit Deus Spiritum filij ſui in corda noſtra, clamantem, id eſt, clamare facientem, Abba Pater.] Vbi intelligimus, inquit Auguſtinus, & hoc ipſum eſſe donum Dei, vt veraci corde, & ſpiritaliter clamemus ad Deum.] Et Ambroſius, quem ipſe citat : Orare Deum gratiæ ſpiritalis eſt, ſicut ſcriptum eſt : Nemo dicit Dominus Ieſus, niſi in Spiritu ſancto.]

Rom. 8. 26.
Galat. 4. 6.
Aug. lib. de dono perſeuer. c. 23. t. 7.
Ambroſ. 1. Cor. 12. 3.

De miniſterio animarum illud inuenimus ſcriptum : Nec quiſquam ſumit ſibi honorem, ſacerdotij ſcilicet, & prædicationis, ſed qui vocatur à Deo, tamquam Aaron.] vt quemadmodum huic per virgam reuirentem & reflorentem Dei voluntas innotuit : ita & illi, qui animarum curam ſuſcipit, ſua vocatio per imperium prælati, aut ſuaſionem eius, qui conſilium dare poſſit, ac Domini voluntas innoteſcat. Et rurſus : Quomodo prædicabunt, niſi mittantur ?] Subintelligendúmque eſt : Minimè poterit aliquis rectè Euangelium annunciare, niſi miſſio Dei præcedat, qua illum ad prædicandum elegerit. Et verbum eſt Domini : Sicut miſit me Pater, & ego mitto vos.] vt ſicut ipſe miſſus à Patre ad pauperes erudiendos acceſſit : ita & ſacerdotes non niſi miſſi, & vocati à Chriſto ad Euangelium prædicandum accedant. Atque in hoc ſenſu, & quidem veriſſimè intelligit Rupertus Abbas illud Oſeæ : Exaudiam, dicit Dominus, exaudiam cœlos, & illi exaudient terram.] Cuius verba ſunt : Cùm dicit hîc Dominus : Exaudiam cœlos, ſic intelligendum eſt : Spiritu ſancto implebo Apoſtolos, vt videlicet auctoritatem habeant prædicandi tamquam à Deo miſſi. Et illi exaudient terram, quia illis prædicantibus audient inhabitantes terram.]

Animarum miniſterium nobis à Deo dandum.
Rom. 10. 15.
Ioan. 20. 21.
Oſeæ 2. 21.
Ruper. in Oſe. lib. 1. ad finem.

Hæc vera ſunt. Tamen ita Deus eſt magiſter orationis, & prœceptor annunciationis Euangelij, vt hominis erudientis cooperationem non reiiciat. Immo ipſe per hominem orare, & animas lucrari docet, vt in eo, qui ad has præſtantiſſimas functiones vocatus eſt, humilitatem cuſtodiat, & ſe ordinis & ſubiectionis amatorem oſtendat. Deus nobis affatim alimenta ſuppeditat. Nam neque qui plantat eſt aliquid, neque qui rigat, ſed qui incrementum dat Deus.] At omnino neceſſarius eſt homo, qui ſpinas euellat, & ſemina iaciat, & aquam infundat, vt nobis à Deo ſeges deſiderata proueniat. Sic profectò nec qui

1. Cor. 3. 7.

A documenta orationis ſcribit eſt aliquid, nec qui animarum curandarum rationem exponit, ſed qui per illos viam orandi, & animas lucrandi docet, qui tamen licèt totum ſit, quia illos ad erudiendum mouet, & niſi ipſe eos inſtrueret, nihil proficuum docerent, at eorum verba, & pios conatus in hoc magiſterio non excludit. Non ergo eſt labor noſter inanis, ſi orare, & animas iuuare doceamus, & (quando Deus ita voluit) eius miniſtri & cooperatores eſſe tentemus. Illi vniuerſam hanc doctrinam ſubmittimus, non ſolùm quia nihil veritati, & orthodoxorum Patrum aſſertionibus contrarium affirmare volumus; verumetiam, quia hæc, quæ dixerimus, regulam, qua omnes metiri debeant, nequaquam eſſe contendimus. Deus vniuerſorum Dominus eſt, quod bonum eſt in oculis ſuis facit. Si aliquem alia via ad faſtigium contemplationis effert ; ſi aliis regulis in animarum curatione gubernat, qui ſumus nos, vt contradicamus ei ? Sed tamen ea tradimus, quæ generaliter eueniunt, & quibus ſolet Deus animas ad ſuam familiaritatem admittere, & proximis vtiles facere. Quæ ideo reuerenter ſuſcipienda ſunt, quia à ſanctis Patribus, vel à viris ſpiritualibus tradita, & ab ipſo Deo, qui vtroſque docuit, inſpirata. Et licèt hac ætate multa ſint de materia orationis, tùm à noſtræ Societatis viris, tum ab aliis ſapientibus euulgata; non eſt putandum nos actum agere, aut oleum & operam perdere, ſi in eamdem tractationem diſponendam & explicandam incumbamus. Eſt enim certiſſimè ſecundùm voluntatem ſummi Dei, vt in decurſu ſæculorum eadem, quæ ad fidei veritatem & morum rectitudinem pertinent, à multis ſcribantur, vt quaſi veritati & ſanctitati ſubſcribant, & doctrinam ſanctæ Eccleſiæ ſemper vnam, nulli falſitati obnoxiam, ſed veriſſimam eſſe teſtentur. Quid quòd homines pro varia corporis conſtitutione idem cibus, ſed diuerſimodè apparatus conditúſque delectat, & quorumdam appetentia carnes elixas, aliorum aſſas, aliorum condimento aliquo paratas admittit. Ita eadem doctrina Spiritus variis modis tradenda eſt ; iam ſimpliciùs, iam acutiùs : nunc ſtrictiùs, nunc vberiùs : modò ſola dicentis auctoritate propoſita, poſtea verò Patrum dictis & rationibus confirmata, vt ſinguli iuxta capacitatem ſuam, aut qualitatem ingenij ſui aptum cibum ſpiritualem, quo reficiantur, inueniant. Confido autem in Domino, quòd aliqui ſaltem rudiores, & in via ſpiritus minùs exercitati, hoc noſtro labore proficient, aliquámque percipient vtilitatem : in quo nihil aliud quærimus, niſi vt pro gloria Domini talento nobis dato negotiemur, & aliquem in proximis fructum habeamus. Sed iam ad rem.

B

C

D

PARS PRIMA

De neceſſitate Orationis, & ſublimitate.

INTRODVCTIO.

ORATIO igitur tum vocalis, tum mentalis eſt huius operis, quod tertio loco euulgare contendimus, argumentum. Illud autem non ab alio, quàm ab oratione inchoandum eſt. Si enim oratio negotium præceſſerit, vt inquit Gregorius Nyſſenus, peccatum aduersùs animam aditum non inueniet. Ea itaque ſui ipſius diſputationem præcedat, ne aut minùs vera dicendo, aut ſine ordine procedendo, aut frigidè & abſque ſpiritu loquendo, aut non rectam intentionem habendo in aliquo delinquamus. Nam quis poterit ſine diuino præſidio in hos ſcopulos non impingere, & ab omni delicto, quòd longo præſertim ſermoni ſe immiſcet, ſe immunem ſeruare? Tu, Domine, qui iuſtos tuos ſtilla aliqua ſanctæ orationis recreas, & viros perfectos mero dulciſſimæ contemplationis inebrias: quique non tantùm per viros expertos, ſed interdum per homunculos rudes & imperitos loqueris, vt tu ſolus verus ac ſummus Magiſter huius ſcientiæ cœleſtis habearis. Ecce ego: ad loquendum & ſcribendum de hoc præſtantiſſimo ſanctitatis inſtrumento, obſecro, mitte me, certiſſimè ſcientem, quia ſi tu miſeris, nec imperitia mea tuæ voluntati reſiſtet, nec experientiæ defectus quod per os meũ fuerit à te dictum ac declaratum, obſcurabit.

Nyſſ. lib. de oratione poſt princip.

Quid ſancti Patres de Oratione ſenſerint.

CAPVT PRIMVM.

POPVLVS ille Domini, qui in multis Chriſtianam gentem figurauit, & in egreſſu ex Ægypto virorum ſpiritualium ſæculum relinquentium typus fuit, cùm per deſertum in terram ſibi promiſſam tranſiret, & illi panis & reliqua cibaria Ægypti deeſſent, pane è cœlo demiſſo quadraginta annis paſtus eſt, quo & Domini ſe ducentis amabilem prouidentiam agnoſceret, & quaſi in extremis poſitus non periret. Cùm ergo primo mane ſtupendi miraculi eſcam ſibi datam terræ ſuperficiem operientem vidiſſet, ciúſque naturam, aut vſum velut numquam viſæ penitus ignoraſſet, dixit admirans, & quid illud eſſet ſcire cupiens: Man hu? quod ſignificat: Quid eſt hoc? Iſti autem interrogationi in tam copioſa multitudine nemo reſpondere potuit, niſi ſolus Moyſes, qui doctus à Domino reſpondit: Iſte eſt panis, quem Dominus dedit vobis ad veſcendum. Eadem nunc multi admiratione tanguntur, cùm aliquod ex deſertis Eccleſiæ conſiderant (aliquam ſcilicet congregationem ſpiritualium virorum) & quid in eo fiat attenta mente retractant. Vident enim quaſi eſcam quamdam ſuauiſſimam ſuper terræ faciem expanſam, & in refectionem tam in illo deſerto commorantium, quàm vel curſim per illud tranſeuntium appoſitam. Vident, inquam, in congregatione illa plurimos viros ſenſus ſuos ac adfectus cohibentes, Dei & proximi charitate feruentes, ſæculum veriſſimè deſpicientes, in virtutum omnium exercitationem incumbentes, & cum magno ſuæ perfectionis profectu, & aliorum aſpicientium exemplo ad ſedes cœleſtes euolantes. Quis non videat, & ingenuè fateatur hæc omnia eſſe quaſi eſcam è cœlo demiſſam, qua & illi viri perfecti, & quicumque eorum conuerſationem intuentur, ſe iucundè abundéque reficiunt? Cùm ergo aliquis mores iſtorum contemplatur puritate candidos, meritis ſalutares, virtute conſpicuos, præ admiratione ipſa & ſtupore cogitur dicere: Man hu? Quid eſt hoc? Quid eſt, quod iſtos ita auget, & perficit? Quid eſt, quod eos ita moderatur, & regit? Quid eſt, quod illos ſic à reliquis hominibus diſſimiles facit, & ipſorum vitam ab hominum non ſpiritualium vita ſecernit? Nec inueniet inter multos, qui huic interrogationi reſpondeat, niſi Deus aliquem Moyſem ſuſcitet; aliquem, inquam, à ſe doctum, & doctrina Eccleſiæ illuminatum, qui intrepida voce pronunciet;

A

B

Exod. 16. 15.

Orationis ſpiritus eſt manna diuinum.

Hic eſt ſpiritus orationis, quem dedit vobis & cunctis Dominus, non iam ad corporaliter veſcendum, ſed ad ſtudioſè ſanctéque viuendum. Ex hoc enim ſpiritu, velut ex fonte, ſolet morum noſtrorum emendatio exoriri, & ſanctitas ac mentis puritas emanare.

Huius eſcæ ſuauiſſimæ, pariter & ſaluberrimæ (quæ præcipuum argumentum eſt huius operis) volumus primo loco naturam ac dignitatem exponere, vt ex hoc gradu conſideratio noſtra ad alios ſuperiores procedat, quibus praxim cõdiendæ eſcæ, id eſt, modum vtiliter orandi, meditandi, & contemplandi declarabimus. Orationis verò naturam illi edicant, & explicent, qui eam in deſerto guſtarunt, & in vitæ ſpiritualis ſolitudine ad vitam & robur animarum ſuarum illa ſe refecerunt. Hi autem ſunt ſancti Patres, & Doctores Eccleſiæ, quorum diſtincta quidem ſunt verba, vnus tamen ſenſus, eadémque ſententia, qua conſtanter affirmant, orationem cibum eſſe cœleſtem, quo in deſerto ſpiritualis vitæ reficimur. Cibus corporis vitam hanc naturalem ſuſtentat, corpus auget, vires ſubminiſtrat, ſi præ labore deficiant, lapſas reſtaurat, ſumentem oblectat, & ad ſuas qualitates corpus eius trahit. Vniuerſa hæc oratio animæ præſtat, vt eam animæ alimentum ac cibum eſſe ſciamus; & eadem in verbis Sanctorum, quibus orationem definiunt, contemplemur. Oratio cibus eſt animæ, quem non os corporis conterit, ſed os animæ, ſcilicet facultas intelligendi, & amandi, & Deum laudandi non ſine magna ſuauitate comminuit. Ideo Laurentius Iuſtinianus eam tamquam rem ad animam pertinentem in hunc modum pulchrè deſcribit: Oratio eſt beatiſſima virtutum nutrix, vitiorum interemptrix, culpæ venia, peccatorum abolitio, interuentrix mundi, ſalus hominum, charitatis mater, caſtitatis robur, iuſtitiæ regula, prudentiæ ſpeculum, ſanctitatis decus, ſcientiæ lumen, ſapientiæ cellarium, domeſtica Dei, fiducia animæ, medicamentum puſillanimitatis, gaudium cordis, fida huius peregrinationis comes, mœſtorum conſolatio, impugnatorum impenetrabile ſcutum, ſecretorum Dei cognitrix, humilitatis norma, fidei clauis, honeſtatis præuia, obedientiæ plenitudo, ſecuritatis fons, Angelorum imitatrix, iuſtorum exultatio, temperantiæ magiſtra, pacis pelagus, dæmonum fugatrix, quieſcentium refugium, conſcientiæ ornamentum, additamentum gratiæ, amoris incentiuum, porta cœli, petitionum nuncia, auxiliatrix ſtrenua, mediatrix præcipua, & cœleſtium ſacramentorum reſeratrix optima. In ea nil ſordidum, nil curuum, nil reperitur coinquinatum; & cùm tota ſit pulchra, & omnium donorum fœcunda, ſemper hilarem, ſemper iucundum ſui exhibet dilectorem.] Sic ille. O cibum pretioſum, ô alimentum ſalutare, ô manna mirabile, quod ita valet animam ſaginare, & cœleſtibus donis implere!

Non multum diſtant ab his, quæ Ioannes Climacus de oratione ſcripſit. Oratio, ait, in qualitate quidem ſua coniunctio atque vnitio eſt, hominis videlicet, & Dei: ſecundùm verò actionem conſtantia mundi, ornatus collectio, recõciliatio Dei, lachrymarum mater, carúmque item filia, peccatorum propitiatio, tentationum pons, tribulationum interpoſitus paries, bellorum confractio, Angelorum opus, incorporearum omnium virtutum cibus, futura lætitia, infinita operatio, virtutum fons, gratiarum miniſtra, profectus inuiſibilis, nutrimentum animæ, mentis illuminatio, deſperationis amputatio, ſpei & fidei demonſtratio, triſtitiæ ſolutio, monachorum diuitiæ, ſolitariorum theſaurus, iræ minutio, ſpeculum profectus, menſurarum indicium, ſtatus inſinuatio, futurorum reuelatio, clementię ſignificatio.] His verbis beatus hic Pater non ſolùm orationem expreſsè vocat alimentum animæ, cibúmque incorporearum virtutum; verùm & ei qualitatem præſtantiſſimam cibi ſuperſubſtantialis attribuit. De illo namque dictum eſt: Qui manducat meam carnem, & bibit meũ ſanguinem, in me manet, & ego in illo.] Quia videlicet corpus Chriſti & ſanguinem ſumens in illo manet, cùm eius virtutem puritatémque participet: & Chriſtus in ipſo, cùm ad hominem deſcendat, in eóque realiter commoretur, vt illum ad ſe efferat, & quodammodo in ſe conuertat. De hoc autem orationis cibo dicit, eſt coniunctio hominis, & Dei, vt ſcilicet Deus per ſtudium orationis vnitus homini, & manens in homine, eum ad ſuam imitationem trahat, & homo vnitus Deo, & manens in Deo, ad eius ſimilitudinem ſanctus & purus fiat.

Simon de Caſſia alia huius cibi animæ, nempę orationis, tradit elogia. Sic enim ſcribit: Oratio eſt in corpore incorporea operatio, aſpectus immotus animæ in fide aſpiciens eum, qui omnia eſt: irreuerberatus animæ oculus pro tempore ſuæ durationis. Ordo rationalis creaturæ, cùm ſe ſtudio ad ſuperiorem ſubordinat. Conſiſtentia rationalis animæ ante Deum, allocutio inaudita perſtrepens aures Dei. Suauis clamor in ſenſu cordis, negatio dum agitur omnium corporalium motionum, reſtrictio ſenſuum, obliuio ſui, atque omnis viſibilis creaturæ præter Deum. Portus peruagantis ſpiritus, collectio ad ſeipſum. Repræſentatio inexceptuata in conſpectu æterni iudicis, diiudicatio ſui ipſius ad æternam mortem, priuatio & inconfidentia omnis propriæ actionis etiam altè pollentis, in dictis mentalibus in ſe, in Deo, cui aſſiſtitur, ſucceſſiua & orbiculata intentio. Præuentio diuini aduentus, iudicium ante iudicium, verum animæ ſpeculum, & luminare ſplendidiſſimum, lux inuiſibilis ad inuiſibilem actionem, vmbra refrigerans malis ardoribus æſtuatum, iactatio ſui ipſius in Deum nil auerti quærens, niſi quod ei diſplicet, & facit petenti iacturam: aut conferri, niſi diuinæ voluntati gratum, & poſtulanti ad vtile cedat.] Horum verborum ambitu orationis non ſolùm ſubſtantia, ſed & multiplex fructus expoſitus eſt. Subſtantia quidem in eo, quòd oculus, & lux, & aſpectus, & iactatio in Deum dicitur, quæ pertinent ad functiones intellectus, & voluntatis. Fructus verò multiplex, in eo quòd ipſi ſenſuum compreſſio, ſui accuſatio, affectuum moderatio, mentis quies, & alia multa tribuuntur, de quibus poſtea ſumus dicturi. In his autem manifeſtè animæ cibus agnoſcitur, quæ non ſicut corpus pane & viſibilibus alimentis reficitur, ſed ſanctis conſiderationibus & piis affectibus ſuſtentatur.

Non aliter de oratione ſenſit Ephrem Syrus, qui inter alia ſic ait: Oratio temperantiæ eſt cuſtodia, iracundiæ frænum, animi elati repreſſio, & ad modeſtiam reuocatio, odij ob acceptas iniurias medicina, inuidiæ deſtructio, impietatis correctio. Oratio corporum robur, rei familiaris adminiſtratio, recta iuris legúmque conſtitutio, regni potentia, trophæum atque vexillum belli, tutela pacis. Oratio virginitatis ſigillum eſt, fides nuptiarum, viatorum præſidium, dormientium cuſtos, euigilantium confidentia, agricolarum fertilitas, nauigantium

Hoc in deuota ſolitudine guſtarũt Sancti.

Iuſtin. de diſciplin. monaſt. c. 18. in fin.

Eius dulcedinem explicat Iuſtinianus.

Climac. grad. 28. Commendat Climacus.

Ioã. 6. 57.

Caſſian. lib. 10. c. 26. Simon de Caſſia col laudat.

Ephrem de orando Deum. tom. 1. Extollit Ephrem.

tium ſalus. Oratio reorum patrona,vinctorum relaxatio,mœrentium conſolatio, lætantium iucunditas,lugentium ſolamen,celebritas feſti natalitij, coniugum corona, morientium ſepultura. Oratio cum Deo eſt colloquium,par cum Angelis honor, proborum promotio,ab improbis auerſio,& peccantium emendatio.] Et hæc etiam effectus orationis aperiunt. Quæ vt inimica vitiorum ea deſtruit;vt virtutum mater,eas per propoſitum concipit, per affectum parit,per actionem ad debitum augmentum perducit:& vt ſtatuum hominis moderatrix,eos omnes regit,& vt ſine offenſione currant, in proprium cuiuſque finem dirigit.

Gregor. Nyſſ. lib. de orat. Nyſſenus commendat.

At Gregorius Nyſſenus his orationis laudibus finem imponat. Oratio, inquit, pudicitiæ præſidium atque tutamen eſt: iræ moderatio, ſuperbiæ ſedatio atque repreſſio,iniuriarum tenacis memoriæ expurgatio:inuidiæ profligatio, iniuſtitiæ ſublatio, impietatis correctio. Oratio corporum robur eſt,abundantia domus, recta iuris ac legum in ciuitate conſtitutio, regni vires, belli trophæum, pacis ſecuritas, diſſidentium conciliatio, coniunctorum conſeruatio. Oratio virginitatis ſigillum eſt, matrimonij fides,viatoribus ſcutum,dormientium cuſtos,vigilantium fiducia, agricolarum fertilitas, nauigantium ſalus. Oratio reorum & cauſam dicentium patrona, nexorum ac vinctorum relaxatio,atque ſolutio, fatigatorum requies,mœrentium conſolatio, gaudẽtium animi delectatio, lugentium ſolatium, nuptias contrahentium corona, natalitij feſti celebratio, morientium funus. Oratio conuerſatio ſermocinatióque cum Deo eſt,viſum effugientium contemplatio;eorum,quæ concupiſcuntur, certa fides, eiuſdem cum Angelis honoris conditio, bonorum progreſſus,& incrementum: malorum ſubuerſio, peccatorum emendatio, præſentium fructus,futurorum repræſentatio.] Sic ille. Hæc vniuerſa,quæ à Patribus dicuntur,& multa alia, quæ conſultò prætermittimus, ſatis indicant orationis tum præſtantiam,tum vtilitates multiplices,& quid de ea ſentire debeamus.

Sed adhuc dicet aliquis: Man hu? Laudes orationis audiui; fructus breuiter perſtrictos legi, naturam verò eius non intellexi. Quid eſt hoc, de quo tanta & tam ſublimia dicuntur? Non eſt facile breui & dilucida definitione orationis generaliter ſumtæ naturã explicare; propterea quòd ex communi vſu loquendi ſpiritualium virorum non tantùm orationem ſola mẽte fuſam,& ore prolatam, verùm & omnem mentis exercitationem erga Deum continet, quatenus illius opera viſibilia cogitamus,& inuiſibilia meditamur,& ipſius perfectiones contemplamur,vel quoquomodo ad illum deſiderandum,timendum, aut amore,& alio ſimili affectu tenendum aſſurgimus. Si autem liceret nobis orationis in hac communiſſima ſignificatione ſumtæ definitionem inuenire,ſic forſitan eam exponeremus. Oratio eſt cultus ſiue interior, ſiue etiam exterior Deo exhibitus,quo ſiue apertè,ſiue opertè ab eo aliquid poſtulamus, vel ipſi mentis actibus adhæremus. Ipſa eſt cultus Dei, quoniam eſt opus religionis virtutum omnium moralium præſtantiſſimæ, & ad virtutes theologicas proximè accedentis, cuius eſt variis modis ſuperbeatiſſimo Deo cultum exhibere;& vnus eorum eſt,quo ipſum vt vniuerſorum prouiſorem interpellat, & ad illum vt ad finem noſtrum, quem honore afficit, aliquo motu mentis aſſurgit. Eſt cultus interiùs tantùm,vel etiam exteriùs exhibitus;quia aliquando homo ſola mente,ac ſine ſtrepitu vocum

Orationis definitio.

A Deum rogat,aut de eo aliquid cogitat: aliquando verò mentis cogitationi & deſiderio vocem externam adiungit. Nam ſi orationis vox ſine aliquo mentis motu actuali,aut ſaltem virtuali fundatur, vt in eo, qui à conſilio diſtractus aliquid à Deo peteret,nomen orationis non meretur. Hoc cultu interdum aliquid expreſsè poſtulamus,& cùm dicimus: Panem noſtrum quottidianũ da nobis hodie. Et ne nos inducas in tentationem. Libera nos à malo:& alia ſimilia. Interdum verò ſolùm opertè,& quaſi abſconditè aliquid poſcimus,cùm videlicet deſiderium noſtrum Deo, cui noſtræ cordi ſunt,fiducialiter aperimus. Vt cùm ſorores Lazari ſcripſerunt ad Dominum: Ecce quem amas infirmatur. Si enim omnia iuxta noſtram paruitatem B exponenda ſunt,cui ſola vox,aut ſonus eſt auditu perceptibilis,certè deſiderium vox eſt,& vox valida aurem Dei pulſans, & multo melius quàm vox corporis diuinam miſerationem interpellans. Denique deſiderium pauperum exaudit Dominus: præparationem cordis eorum audiuit auris tua.] Deſiderium illud exaudit, quo pauperes ſpiritu cupiunt à malis eripi,& bonis impleri; & præparationem cordis eorũ,id eſt,firmum propoſitum, quo decreuerunt bonum perſequi, aut motum illum cordis,quo à Deo ad deſiderandum præparantur, vult ipſe Dominus tamquam clamorem vocis ante elicitum deſiderium audire. Hoc etiam cultu,ſine petitione aliqua Deo noſtro mẽtis actibus adhæremus,hoc autem fit cùm de Deo,aut de C operibus eius,aut de operibus noſtris etiam malis in ordine ad cognoſcendum & diligendum Deum aliquid cogitamus,aut aliquo pio voluntatis adfectu,vel deſiderio mouemur. His enim internis motibus mens noſtra ſupra ſeipſam ad Deum aſcendit, & ei tamquam primæ veritati, aut tamquam ſummæ bonitati ſeipſam iungit.

Pſal. 9. 17.

Hæc omnia in his tractatibus nomine orationis intelligimus, cuius ſublimitatem ac vtilitatem maximam poſtquam expoſuerimus, ad partes ſupradictas orationis tractandas, & quomodo ſingulæ in opus producendæ ſunt,ſigillatim deſcendemus. Verè autem de hac oratione in hac generalitate ſumta dici poteſt, quod Moſes de Manna ad populum Iſraëliticum interrogantem effatus D eſt: Hic eſt panis,quem dedit vobis Dominus ad veſcendum.] Nam abſque vlla ambiguitate meditatio, & contemplatio, & poſtulatio, & quicquid orationis nomine intelligitur,eſt panis, quo ſpiritualis quiſque vir,immo quo totus populus Chriſtianus in hac mortalitate reficitur. Omnis reſpublica, omníſque congregatio ſubſiſtit cultu Dei, quem ſi auferas omnis ordo,& ſplendor, & vita communitatis aufertur. Ille ergo cultus vniuerſorum præcipuus,quo Dei prouidentiam fatemur, bonitatem agnoſcimus, & ad nos bonitatem accerſimus, erit noſtrarum mentium ſalutaris refectio. Pauperum cibus eſt quicquid oſtiatim emendicant, & à diuitibus eleemoſynarum petitione E corradunt: quanto magis erit cibus animæ, quod à Deo ſolo diuite, & omnium bonorum fonte abundantia deſideriorum accipimus,& importunis gemitibus obtinemus. Sed in hoc diſcrimen eſt, quòd petitio eleemoſynæ nullo modo pauperes reficit,licèt panis,aut cibus alius petitione cõquiſitus ſuſtentet. At ipſa petitio, qua à Deo aliquid efflagitamus,& ipſa meditatio,qua de eo aliquid cogitamus, & ipſe adfectus, quo malum coram ipſo deteſtamur, aut bonum concupiſcimus, aut igne dilectionis ſuccendimur;nos cibat,& ro-

Oratio eſt panis, quem dedit Dominus.

Exod. 16. 15.

Illo iuſti quomodo reficiantur.

borat, antequam res petita, aut deſiderata nobis obtingat. Hic eſt cibus ille, cui non inſulsè cóngruit quod à Domino dictum eſt:Non in ſolo pane viuit homo, ſed in omni verbo, quod procedit de ore Dei.] Panis namque, & quicquid ad eſcam corporalem pertinet, corpus reficit, & vitam eius cuſtodit:at verbum Dei,quod Deus ſcilicet docuit (vt eſt Pſalmus) à nobis prolatum,vel à nobis meditatione comminutum, & quaſi in ſtomachum mentis traiectum animam cibat,& ſpiritalem eius vitam ſeruat. Populo Iſraëlitico dictum eſt: Afflixit te Dominus penuria,& dedit tibi cibum Manna,quod ignorabas tu,& patres tui, vt oſtenderet tibi quòd non in ſolo pane viuit homo, ſed in omni verbo, quod egreditur de ore Dei.] Idem omnino iuſtis Ægyptum vitæ profanæ deſerentibus, & in terram promiſſam, aut in perfectionem properantibus dictum intelligatur. Nam affliguntur penuria, quando ſui abnegatione premuntur, & in eis veteris Adæ deſideria deficiunt. Cibo verò Manna reficiuntur, quando bene diſpoſiti,& à ſæculi concupiſcentiis alieni orationis & contemplationis delitiis ſatiantur. Hunc cibum ignorabant ipſi,& patres eorum, quoniam viſibilibus aſſueti inuiſibilem cibum,quo Angeli vtuntur,numquam ſibi poſſibilem cogitauerant.At miſeratione Domini iam guſtant cibum Angelorum, quia Domini faciem (prout in hac vita fieri poteſt) contemplantur, & meritò, cùm Angelorum vitam æmulentur. Et experimento diſcunt ſe non ſolo pane corporeo viuere, ſed verbo etiam Domini meditato vitam habere:quia ſi corpus viſibili pane reficitur, anima inuiſibili pane, id eſt, oratione & meditatione ſuſtinetur. Eſt itaque oratio cibus animæ, quem Dominus dedit iuſtis, & viris ſpiritualibus ad veſcendum. Eſt alimentum mentis, quod animabus laſſis conceditur,vt ad itinera virtutis ſufficiant. Eſt eſca intellectus,cuius refectio ſancta cogitatio eſt. Eſt panis voluntatis,cuius robur amor erga Deum & omnis pius adfectus eſt. Eſt nutrimentum præcipuum ipſius corporis, cuius ſuauitas eſt leuare ad Deum puras manus, & os aperire, vt ad modum auiculæ roris cœleſtis particeps efficiatur.Eſt demum cœleſte Manna illo veteris legis multo ſuauius atque pretioſius, quod benignus Dominus ſuæ Eccleſiæ in perpetuum reſeruauit. Eius ergo magnalia in hac prima tractatione ſcribemus, vt bene adfecti, & diſpoſiti, & deſiderio orationis ſuccenſi ad praxim orationis reliquis tractatibus exponendam accedamus.

Matth.4. 4.

Deuter. 8. 3.

Orationis ſtudium cœlitus fuiſſe hominibus demonſtratum.

CAPVT II.

PANI huic Eccleſiæ ſuauiſſimo congruit optimè quod de Manna ſcriptum eſt, vt panis cœleſtis, aut de cœlo demiſſus eſſe dicatur. De iſto ſic legimus:Panem cœli dedit eis. Panem Angelorum manducauit homo.] Et rurſus:Angelorum eſca nutriuiſti populum tuũ, & paratum panem de cœlo præſtitiſti illis ſine labore.]Et iterum:Panem de cœlo dedit eis manducare.] Huiuſmodi nomina multo præſtantiùs orationi competunt: adeò vt ei applicare poſſimus quod Dominus ad Iudæos de immaculato corpore ſuo locutus eſt:Non Moyſes dedit vobis panem de cœlo, ſed Pater meus dat vobis panem de cœlo verum.] Manna enim nõ de cœlo,ſed ex media regione aëris dilapſum eſt, dicitúrque panis cœli, ſicut aues cœli,eo quòd ex ſupero loco deſcẽderit. Panis autem Angelorum vocatus eſt, nõ quia Angeli eo veſcerentur,cùm ſint incorporei, qui cibo materiali non indigent, ſed quia illum Iſraëlitis adminiſtrarunt. Nec erat panis verus, non ſolùm quia erat ros in aëre genitus (vt poſtea dicemus) verùm & ex eo quòd ad tempus tantùm potuit corpus reficere, non tamen in perpetuum (quod panis verus, id eſt,corpus Chriſti habet) à morte ſeruare.At oratio verè eſt panis de cœlo,quoniam è cœlo incipit, in cœlum tendit, magiſter cœleſtis eam docet, & homines cœleſtes & diuinos facit. Verè eſt panis Angelorũ; quia Angeli cœleſtes, & animæ beatę,& Angeli terreſtres,nempe iuſti,oratione & contemplatione paſcuntur. Eſt tandem panis verus,id eſt,ſimilis ei, qui panis verus dictus eſt, nempe Chriſto; nec enim vt panis hic noſter imperfectus in ventrem vadit,& in ſeceſſum emittitur:ſed eius meritum in perpetuum durat, & vitam perpetuam impetrat, & amatores ſuos vitæ æternæ mercede coronat. Singula exponẽda ſunt, vt notum ſit omnibus orationem eſſe Manna ſaluberrimum, quod Dominus in cibum Eccleſiæ peregrinantis cuſtodiuit,vt eam reficeret, perficeret, & recrearet. Admirantéſque dicere valemus ad Dominum, ſi hanc virtutem præſtantiſſimam non ſolùm cibum, ſed & potum eſſe ſciamus: Omnis homo primùm bonum vinum ponit, & cùm inebriati fuerint,tunc id,quod deterius eſt: tu autem ſeruaſti bonum vinum vſque adhuc.]Nam Iſraëlitis, ô Domine,legis ſcriptæ præceptis oneratis vinum deterius,nempe cæremonias & ſacrificia animalium dediſti, nobis autem ſacrificium immaculatum corporis Filij tui,& gratiæ abundantiam, & ſpiritum orationis gratiam obtinentis ſeruaſti; vt ſicut filij magis dilecti meliorem hæreditatis portionem acciperemus, ſicut ad maiorem dignitatem vocamur.

An dubitare poteſt aliquis orationem panem eſſe de cœlo, è ſuperíſque deſcendere, de qua ait Dominus per Zachariam:Effundam ſuper domum Dauid, & ſuper omnes habitantes Ieruſalem ſpiritum gratiæ,& precum.] Dominus quidem in templo ſancto ſuo,ait Dauid, Dominus in cœlo ſedes eius.] Vt quiſque cœlum auguſtiſſimum Dei templum,ampliſſimámque eius regiam intelligat. Ibi ſedem poſuit, vt nobis tamquam dilectis filiis benignè prouideat. Inde igitur effundit ſuper domũ Chriſti ſpiritualis Dauid, & ſuper omnes habitantes Eccleſiam myſticam Hieroſolymam hunc duplicem panem ſpiritum gratiæ, & ſpiritũ precum, vel hunc vnicum panem,hoc vnum Manna, ſpiritum gratiæ, & precum. Nam verè ſpiritus gratiæ ab ſpiritu orationis nequaquam ſecernitur, quia illa orationis ſpiritu ab hominibus impetratur. Vnde Septuaginta habent:Spiritum gratiæ,& miſerationis;quoniam idem videtur eſſe à Deo ſpiritum precum, ſiue orationis effundi, & miſerationem prærogari. Ille Manna viam deſerti cõficientibus dedit,& à deſertum deſerentibus, & à communes epulas iterum comedentibus abſtulit. Comederunt filij Iſraël, ait Ioſue, azymos panes, & polentam eiuſdem anni. Defecítque Manna poſtquam comederunt de frugibus terræ. Ita ſpiritum orationis & contemplationis in deſerto manentibus tribuit,carnis nimirum voluptates, & ſæculi ambitionem relinquentibus: & ab illis, qui corde

Panis eſt Angelorum. Panis eſt cœli.

Ioan. 2. 10.

Zachar. 12. 10. Pſal. 10. 5.

Panis orationis quid in nobis præſtet. Ioſue 5. 12.

Pſal. 77. 24. Sapient. 16.20.

Ioan. 6. 31.

Ioan. 6. 32.

in ſæculum redeunt,abſcondit.Hi paulatim ex ſpiritualibus carnales fiunt, & huius Manna ſuauitatem guſtare deſinunt;illi verò quottidie magis puri & ſpirituales euadunt.Edunt ſemper ex hoc pane cœli,& quia numquam vitæ à rebus mundanis alienæ deſertum deſerunt,neque illis refectio huius panis ſubtrahitur; canúntque cum Dauide: *Pſal. 65. 20.* Benedictus Deus,qui non amouit orationem meã, & miſericordiam ſuam à me.] Et certum eſt,quòd ſi panis iſte pluere è cœlo non ceſſet,quòd nec Domini miſerationes auferentur, quas panis iſte ſecum inuoluit. Optiméque & breuiter dixit *Auguſt. ibid.* Auguſtinus:Cùm videris non amotam à te deprecationem tuam, ſecurus eſto, quia non eſt à te amota miſericordia eius.] Oratio ergo eſt panis de cœlo deſcendens,non ex humore terræ naſcens,quia ex dono gratiæ illum habemus. Idque ſonant illa verba Chryſoſtomi: Verumtamen illud auſculta: *Chryſoſt. de precatio.lib.2.* ſupra vires hominis eſt ſerere cum Deo colloquium, niſi adſit vis & actus ſancti Spiritus: ſed oportet illo præſente, ſanctiſque conatibus auxiliante,ita demum ingredi,ac flectere genua,poſtremò orare, ac deprecari. Poſtquam enim maius eſt hominis viribus ſermonẽ miſcere cum Deo, opus eſt vt gratia Spiritus veniens in nos confirmer,addátque fiduciam,ac doceat nos honoris magnitudinem.] Profectò qui hæc attentè perſpexerit,orationem quaſi panem eſſe, qui de cœlo deſcendat, negare non poterit.

Eſt quoque oratio panis cœleſtis,cùm in cœlum tendat,& ei incumbentes ad alta & excelſa ſuſtollat. Hinc videmus homines orationi deditos terrena deſpicere, ſeipſos & vniuerſa viſibilia relinquere, & in quadam mirabili altitudine vitæ conſtitui,quia videlicet orationis Spiritus è cœlo deſcendens ſuam originem petit, & ad locum, vnde venerat,redit. De viris carnalibus cor ſuum in varia diſtrahentibus ait Paulus:Qui terrena ſapiunt. *Philip. 3. 20.* de ſpiritualibus verò ad interiora ſe colligentibus:Noſtra autẽ conuerſatio in cœlis eſt.] In cœlum enim ipſi intellectu & adfectu conſcendunt, & ad imitationem cœleſtium conuerſatione rapiuntur. Sunt illi corpore homines, ſpiritu verò *Iob 5. 7.* aues,quibus optimè congruit illud Iob:Homo naſcitur ad laborem,& auis ad volatum.]Si eos exteriùs aſpicias, non ſegnitie ſordeſcere, ſed ſanctis ac piis actionibus laborare videbis: ſi verò eorum interiora conſideres, in cœlum per virtutem orationis aſcendere, & pennis amoris ad Deum volare cognoſces. Sunt ipſi ſoles quidam,aut imagines Solis iuſtitiæ, qui ita in hoc mundo lucent, vt tamen mente & deſiderio non in mundo,ſed in cœlo conſiſtant. An non ſol radiis terram tangit, at ſubſtantia ſua in cœlo reſidet? Ita prorſus iuſti orationi dediti corpore in terris habitant,at mente domicilium habent in cœlis. Sunt denique pretioſæ margaritæ, quæ licèt in mari lateant, at colore & figura cœli ſimilitudinem habent:ſic prorſus ſpirituales viri in carne ambulantes, & in hoc pelago miſeriarum viuentes, non ſecundùm carnem ambulant, ſed actibus & adfectibus ſe ciues eſſe cœleſtes demonſtrant. Vt naues in hoc mari nauigant, quia miſeriis huius vitæ perinde atque alij homines agitãtur,ſed via eorum, iuxta dictum *Prouerb. 30. 19.* Salomonis, hominibus aliis eſt difficilis cognitu, *4. Reg. 2. 11.* quoniam merces cœleſtes in cœlum vehunt. Elias quidem curru igneo eſt à diſcipulo ſeiunctus, & raptus in cœlum. Et quis currus igneus, niſi orationis ſpiritus, quo homo Dei amore flammeſcit? Hoc ſpiritu à viſibilibus ſeparatur, & mira ſuauitate in cœlum ſubuehitur. Inde autem ſuauitas prouenit,quòd ſpiritualis anima non ſuis,ſed alienis viribus in cœlum aſcendit. Cuius aſcenſum ipſæ quoque Angelicæ virtutes admirantur, & dicunt: Quæ eſt iſta,quæ aſcendit delitiis affluens, *Cant.8.5.* innixa ſuper dilectum ſuum?] Sancta anima,inquit *Gregor. ibid.* Gregorius, de deſerto aſcẽdit, quia in exilio huius peregrinationis poſita ad cœleſtia gaudia mente & cogitationibus tendit. Delitiis affluit,quia ſanctæ Scripturę meditationibus intendens cœleſti pabulo aſſiduè mentem paſcit. Super dilectum innititur,quia in ſolius Chriſti auxilio confidens,eo largiente,ab exilio ad patriam transfertur.] Hinc ergo liquet panem orationis panem cœleſtem eſſe, qui non ſolùm è cœlo venit,ſed & eos, quos paſcit, rebus cœleſtibus infert.

Panem autem è cœlo demiſſum quis potuit dare,niſi ille, qui Dominus & poſſeſſor eſt cœli? Ille *Homo cœleſtis cœleſti hoc pane nos cibauit.* ergo homo,qui ſimul eſt Deus, Chriſtus Ieſus, ſecundus homo de cœlo cœleſtis,qui de cœlo venit, & ſuper omnes eſt,ipſe hunc panem ſitientibus iuſtitiam obtulit,& nos orare,& eum Deo Patre ſuo conuerſari docuit. Tu forſitan dices orationis magiſtrum,ac velut primum inuentorem fuiſſe Enos, propterea quòd de eo in Geneſi ſcriptum eſt: Iſte *Geneſ. 4. 26.* cœpit inuocare nomen Domini.] Et quidem ſi in hoc tibi aſſentiremur, iam inueniſſemus magiſtrũ orationis cœleſtem: eum nimirum hominem, qui iuſtus fuit,qui ex Seth typo prædeſtinatorum progenitus; qui ad cœlum poſſidendum procreatus. Itaque ſicut Abraham vocatus eſt pater credentium:ita Enos vocari poteſt pater orantium. Alias artes ad vitam hanc mortalem pertinentes inueniant filij Cain,quorum eſt ciuitatem diaboli, ſiue Babylonem habitare.At artem,ſeu rationem orandi inueniat Enos filius Seth,cuius progenies habuit ciuitatem Dei, ſiue Ieroſolymam cœleſtem implere. Id autem meritò, quoniam orationis donum eſt quoddã diuinæ prædeſtinationis inſigne. Quare iuſſus Ananias vt quæreret Paulum iam ad *Act.9.11.* fidem conuerſum,audiuit à Domino:Quære Saulum nomine Tarſenſem:ecce enim orat.] Ac ſi diceret:Ne putes eum eſſe lupũ rapacem,aut hœdum ad ſiniſtram ponendum. Eſt enim ouis, eſt vna ex præcipuis ouibus meis, quæ vocem meæ inſpirationis excepit,& mandato meo celeriter obediuit. Hoc autem accipe ſignum conuerſionis eius, & indicium electionis eius. Ecce enim orat: & me, quem antea perſequebatur,tribus diebus ac tribus noctibus deprecari non ceſſat. Pone metum, linque moras, & vade ad illum conſolandum,& inſtruendum; quia vas electionis eſt mihi iſte, vt portet nomen meum coram gentibus, & regibus, & filiis Iſraël. In aſſiduitate orandi electionis eius coniecturam agnoſce. Orat (vt Chryſoſtomi verbis vtamur) igitur ne time. Nam qui ita intentè *Chryſoſt. homil.20. in Acta.* orat,indicium habet,quòd noſter eſt,non aduerſariorum. Si ergo intenta & perſeuerans oratio eſt diuinæ electionis indicium:ſi iuſtus & ad gloriam electus cœpit nomẽ Domini inuocare,& ſtudium orationis docere; meritò orandi magiſtrum, aut huius panis adminiſtratorem cœlitem dicimus, & ad cœlicolarum numerum ſpectare putamus. At magnam iniuriam orationis ſtudio irrogaremus, ſi illud ab homine inuentum diceremus. Nec ſacram Scripturam habemus noſtræ aſſertioni contrariam. Cùm enim ait Enos cœpiſſe inuocare nomen Domini, non eum orationis primum magiſtrum facit, ſed ſpecialium rituum & cæremoniarum,quibus Deus colendus eſſet,& quas filiis ſuis

Hoc pane è terra ſubleuamur in cœlum.

tradidit

Rupert. lib.4. in Gen.c.11.

tradidit inuentorem agnoscit. Aut si alium huius loci sensum exoptas, audi Rupertum dicentem: Enos secundùm nomen suum, quod interpretatur vir, perfectè Deum coluit, vel creatorem Deum cum hoc ipso nomine, quod est Dominus, primus inuocauit.]

Angeli & homines hoc pane aluntur.

Panis ergo sanctæ orationis administrator Deus ipse est, qui in prima rerum creatione Angelos & homines orationis capaces oratione pauit,& diuinæ contemplationis suauitate refecit. De Angelis id certum est, qui in gratia creati statim motu fidei,spei, & charitatis in Deum conuersi sunt, & propriis meritis gloriam adepti.Nam & in Apocalypsi inuenimus scriptum Angelum mensum fuisse murum ciuitatis mensura hominis,quæ est Angeli, vt sicut homines meritis ex gratia factis ad beatitudinem veniunt; ita & Angeli (quemadmodum Thomas Aquinas interpretatur) meritis ad gloriam accesserint. Hi autem interni motus ad orationem pertinent secundùm eam latitudinem acceptam,qua omnem motum mentis,quo Deo iungimur,& in Deum tendimus,orationem nuncupauimus. Quin & oratio presse sumta in illo momento viæ ipsorum Angelis infuit. Nam manifestum videtur eos in via sua non solùm virtutum motibus in Deum iuisse,non solùm pro gratia eos gratificante, & pro aliis donis immensas gratias egisse,verùm & beatitudinem, quam nondum habebant,& ad quam conditi fuerant, desideriis intentissimis postulasse. Contemplor illos tunc sic orantes: Manda Deus virtuti tuæ; confirma hoc Deus,quod operatus es in nobis.A templo tuo in Ierusalem,tibi offerēt reges munera.]Iam,inquam, ô Domine,cœpisti donis cumulare nos,& ad fœlicitatem meritis præparare. Manda igitur virtuti ac potentiæ tuæ, vt quasi bonus nuncius ad nos veniat,&,quod iam in nobis operari cœpisti, perficiat. Id facias, obsecramus, à templo tuo, id est, propter templum tuum, quod in hac cœlesti Ierosolyma,in hac visione pacis ædificas,cuius sedes nobis ad fœlicitatem admissis implēdæ sunt. Tunc nos reges effecti in tanti beneficij gratiarū actionem offeremus tibi laudationum munera. Ecce quomodo Deus Angelos in prima eorum creatione orationis pane refecit. Et bene refecit, quos à fame æternæ damnationis, quam Apostatæ Angeli incurrerunt,eripuit, & ad pugnandum contra eos potentissimè roborauit.

Apocal. 21. 17.

D.Thom. 1.p. q.62. art.4.

Psal. 67. 29.

Adamus hoc pane pastus. Genes. 2. 21.

Primum etiam hominem, cùm primùm conditus est,eodem orationis pane enutriuit.Quod perspicuè in libro creationis legimus.Immisit, inquit, Dominus soporē in Adam, cúmque obdormisset, tulit vnam de costis eius, & repleuit carnem pro ea.] Non dubiū est Deum fuisse huius soporis, seu obdormitionis auctorem. At qualis fuerit hic sopor audiamus. Certè non fuit naturalis somnus, quem vapores cerebrum occupantes efficiunt, sed à Deo ob magni mysterijcaussas immissus.Nec fuit merus sopor, sed extasi mentis adiunctus, vt hæc videlicet à sensuū functionibus expedita liberiùs posset cœlestia contemplari, & arcanorum sibi patefactorum maiestatem intueri. Hæc profectò est Augustini sententia in hunc modum scribentis:Illa extasis,quam Deus immisit in Adam,vt soporatus obdormiret,rectè intelligitur ad hoc immissa, vt & ipsius mens per extasim particeps fieret tamquam angelicæ curiæ, & intrans in sanctuarium Dei intelligeret nouissima.] Et Rupertus, vt reliquos prætereamus: Sopor vtique,quem Dominus Deus immisit, non vigilias rationis claudere debuit,sed obturatis quinque sensibus corporis, sensum mentis liberum reliquit, vt scire posset quid erga se ageret omnium artifex sapientia Dei.Vnde & postmodum muliere sibi adducta dicere potuit: Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea.] Hæc autem sublimis cōtemplatio Adæ non fuit ieiuna quædam mysteriorum visio,sed affectibus amoris, & gratiarum actionis, & laudis plena cognitio. Quare & partibus orationis annumeranda est, & syncerè fatendum Adamum in prima sui conditione à Deo orandi artem accepisse, primúmque opus eius non aliud nisi orationem, seu contemplationem extitisse. Nec mysterio vacat, quòd Deus protoparenti primùm non comedendi de ligno scientiæ boni & mali mandatum imposuit; deinde soporem,seu spiritum contemplationis immisit:postmodum Euam coniugem e latere eduxit. Quo datur intelligi hominē custodia præceptorum ad orationem parari, oratione verò ad generandos spirituales filios,aut ad animarum lucra disponi. Item res tam difficiles, quales sunt sibi ac proximis vacare, & nec ob aliorum profectum sui obliuisci,nec ob propriæ perfectionis studium à cura proximorum resilire, non alio quàm oratione coniungi.

Aug. lib. 9. de Gene.ad lit. cap.19.

Rupert. lib.2. in Genes. c. 34.

Orationis formam Christus edocuit.

Satis in his Deus se magistrum orationis exhibuit, sed minimè hac inuisibili præceptione contentus, ipse sermo Dei carne tectus, & visibilis factus visibiliter hominibus formam ac modū orationis edocuit. Ipse quidem fuit virtutum vniuersarum magister, sed orationem specialiùs & accuratiùs edocuit,& nihil ad substantiam eius,aut rationem orandi inexplicatum reliquit. Sciebat ille quàm difficile sit homini abiecto conuictum sui similium deserere,&spirituum cœlestium,ac ipsius Dei conuersationem, & intimam familiaritatem exquirere,& ob id hanc scientiam explicatiùs declarauit. Docuit nos quid esset oratione postulandum. Vos autem sic orabitis: Pater noster, qui es in cœlis,&c.] Et alio loco:Primùm quærite regnū Dei, & iustitiam eius, & hæc omnia adiicientur vobis.] Docuit quando esset orandum. Dicebat autem & parabolam ad illos, quoniam oportet semper orare, & non deficere.] Docuit vbi esset orandum.Tu autem cùm oraueris intra in cubiculum tuum,& clauso ostio, ora Patrem tuum.] Docuit quis esset finis in oratione tenendus. Cùm oratis, non eritis sicut hypocritæ tristes.] Docuit qua necessitate esset orandum. Vigilate, & orate, ne intretis in tentationem. Nec tantùm omnia pertinentia ad orationem docuit,sed magna cura nos ad orandum allexit. Nam sicut præceptor,qui animaduertit discipulos negligentiores factos, solet ad discendum hortari:ita hic magister cœlestis voluit nos instanter huius operis admonere.Vnde inquit:Petite, & accipietis: quærite,& inuenietis: pulsate, & aperietur vobis.] His omnibus modis summum momentum orationis ingerens, & ad studium orationis impellens. Et sanè nihil efficaciùs potest nos ad orationem incitare,quàm videre Christum orantem. Orat misericordia, inquit Augustinus, & non orat miseria; orat charitas, & non humiliatur iniquitas:prostratus in terra orat medicus, & non humiliatur ægrotus? Orat innocentia, & non orat nequitia: orat qui peccatum non fecit,nec inuentus est dolus in ore eius,& nō se prosternit multis obnoxius? Orat iudex, & desiderat parcere, & non orat reus,vt indulgentiam mereatur accipere:orat iudicaturus, & orare dissimulat iudicandus?] Non ergo dubium admini-

Matth.6. 9. Luca 12. 31. Luca 18. 1. Matth.6. 6. Matth.6. 5. Luca 22. 40. Luca 11. 9. Aug. lib. de orat. Domin.

strato

ſtratorem huius panis eſſe cœleſtem, ſiquidem & æternus Pater illum nobis appoſuit, & Filius eius Ieſus Chriſtus prærogauit. Ac proinde non incongruè orationi Mannæ appellationem adſcribimus, qua panis quidam è cœlo cadens, & à Deo ſuis adminiſtratus intelligitur. Ille panis, quem populus in deſerto manducauit, ad vitam hanc corporalem & perituram conſeruandam profecit: hic verò ad vitam ſpiritualem animæ impetrandam, & cuſtodiendam, & augendam datus eſt. Vocetur igitur panis cœleſtis, & Deo eius adminiſtratio tribuatur. Quia non potuit alius niſi Deus vitam animæ, ſcilicet gratiam, & amicitiam ſui ipſius noſtris mentibus dare, & eam ſemel infuſam conuenientibus incrementis augere.

Orationis ſtudium homines cœleſtes faceres & ciuibus cœleſtibus in cibum eſſe conceſſum.

CAPVT III.

NVNC cauſas explicare pergamus, quare oratio cibus cœleſtis appelletur. Huc vſque enim tres tantùm expreſſimus, quia nimirum oratio cœleſti adiutorio perficitur, in cœlum nos ducit, & à poſſeſſore cœli adminiſtratur. Iam quartam cauſſam aſſignemus: ea autem eſt, quia oratio ſui participes quaſi è terra extrahat, & cœlis adſcribat. Et quidem non erit mirum ſi panis hic de cœlo deſcendens, & in cœlum aſcendens, & à Patre cœleſti datus homines cœleſtes & diuinos faciat. Cibus enim qualitates ſuas communicat corporibus à ſe refectis, quídni idem faciat cibus iſte cœleſtis, vt qualitates cœleſtes animabus impertiat? Profectò homines orationi & contemplationi dediti cœleſtes fiunt. Nam quemadmodum ſi adoleſcens ex vili & abiecta ſtirpe progenitus cum filia potentiſſimi regis ex conſenſu patris nuptias contrahat, eo ipſo à vilitate plebis extrahitur, & illuſtris ac princeps efficitur: ita dum homo de ſe vilis & ad abiecta propenſus orationi tamquam filiæ regis, aut potiùs Dei iungitur, ad dignitatem ſpirituum cœleſtium euehitur. Inde eſt quòd homines orationi addicti terrena contemnunt, viſibilia relinquunt, & cœleſtia ac diuina more nobilium cupiunt; quia videlicet per orationis connubium ad ſtatum & adfectus cœleſtium ſubleuantur. Paulúſque id docere non deſtitit. Nos omnes, inquit, reuelata facie gloriam Domini ſpeculãtes in eamdem imaginem transformamur à claritate in claritatem, tamquam à Domini Spiritu.] Quínam ſumus nos omnes, niſi, qui in Chriſto credimus, & eius Euangelium ſuſcepimus, & in lege gratiæ viuimus? Nos, inquam, cùm reuelata facie mentis noſtræ, illuminatáque per fidem, & ſapientiæ donum Chriſtum Patris gloriam contemplamur, tunc quaſi eſſe terrenum amittimus, & in eamdem imaginem Patris, ſcilicet in Chriſtum, transformamur, vt non iam nos, ſed ipſe viuat in nobis. Hæc autem transformatio noſtra, qua ex terrenis in cœleſtes commutamur, quamdiu viuimus perficitur, & augetur in nobis. Nam quo magis contemplamur Deum, & ad ipſum ſtudio orationis accedimus, eo magis progredimur à claritate in claritatem, à virtute in virtutem, à dono in donum, quouſque perfectiſſimam ſanctitatem conſequamur. Iſtáque mutatio talis eſt, vt facilè appareat, eam non ab humano ſpiritu fieri, qui inclinatur ad ima, ſed ab ſpiritu Domini, qui attollit ad ſumma, donari.

Hic panis nos aſtris inſerit.

2. Cor. 3. 18.

In Dei transformat imaginem.

Hanc hominum mutationem, qua diuinæ familiaritatis beneficio in cœleſtes tranſmutantur, in Moſe ſcimus fuiſſe depictam. Cúmque deſcenderet Moyſes, ait Scriptura, de monte Sinai, tenebat duas tabulas teſtimonij, & ignorabat quòd cornuta eſſet facies ſua ex conſortio ſermonis Domini.] Tria de magno iſto homine dicuntur. Primò, quòd legem Domini geſtaret in manibus. Secũdò, quòd quaſi cornua in facie præferret. Tertiò, quòd faciei ſuæ immutationem ignoraret. Cornua autem illa faciei Moyſis ſic explicat Paulus: Miniſtratio mortis, id eſt, lex Moſaica peccatum oſtendens, & gratiam ad vitandum illud non tribuens, & tranſgreſſoribus æternam mortem intentans, litteris deformata, hoc eſt, inſculpta in lapidibus, fuit data in gloria, & oſtenſione claritatis; ita vt non poſſent intendere filij Iſraël in faciem Moyſis propter gloriam, id eſt, claritatem vultus eius.] Hæc itaque ex conſortio Domini acquiſiuit, cornua, id eſt, radios lucis in facie, legem tabulis deſcriptã in manibus, & ſuæ dignitatis & claritatis ignorationem in mente. Hæc eadem homines orationis & diuinæ familiaritatis beneficio ſuſcipiunt, vt nimirum ſapientia fulgeant, vt legis cuſtodia mundentur, vt ſæpe ad augmentum humilitatis dona ſibi data minimè aduertant. Et cùm in opinione aliorum ſint magni, in ſua tantùm ſint æſtimatione puſilli. Hi ſanè oratione cœleſtes effecti ſunt. Hoc eſt enim elogium virorum cœleſtium, vt vitæ puritate, & donorum diuinorum multitudine abundent, & nequaquam de obtenta puritate ſuperbiant.

Hæc mutatio in Moſe oſtenſa. Exod. 34. 29.

2. Cor. 3. 7.

Sed hoc idem in Chriſto Saluatore etiam videmus impletum, vt quod deprehenderimus in capite, ſciamus & in corpore eius & in membris conſummari. Aſcendit, inquit Lucas, in montem vt oraret. Et facta eſt dum oraret ſpecies vultus eius altera, & veſtitus eius albus, & refulgens.] Quare, rogo, qui antea videbatur homo terreſtris, in oratione homo cœleſtis apparuit? Quare orans ſe lumine & decore veſtiuit? Quare operi orationis intentus communem illam cum cæteris corporis formam tanto ſplẽdore clarificat, vt & facies eius Solis fulgori ſimilis, & veſtitus candori niuium eſſet æqualis? Ob id certè vt intelligamus membra Chriſti viua, ſcilicet iuſtos, in homines cœleſtes oratione mutari. In ea fit eorum facies altera, & qui priùs hominis veteris ſimilitudinem præferebant, iam noui hominis Chriſti imaginem induunt. In ea veſtitus eorum, nempe caro, caſtitatis puritate & candore veſtitur. In ea exterior conuerſatio boni exempli fulgore, vt alios ad virtutem trahat, mirabiliter decoratur. Et quemadmodum qui chirothecas geſtat odoribus ſuauiſſimis delibutas, aut ſpecies aromaticas tractat, optimè olet, nec ea, quæ ſecum habet, poteſt abſcondere: ſic, qui Chriſtum meditatur, cuius odor ſuper omnia aromata, qui in oratione ad eum actibus amoris adficitur, nequit, licèt velit, & diſſimulet, ſuam puritatem occultare. Eam præfert ſerenitatem in vultu, eam lætitiam in corde, eam tranquillitatem in animo, eum modũ in inceſſu, eam cautionem in loquela, eam perfectionem in opere, vt vel ipſi cæci videant eum virum eſſe ſpiritualem, & imperfecti iudicent hominem eſſe cœleſtem, qui communicatione diuinorum conditiones cœleſtium acquiſiuit. Ac tãdem ſicut in ſtagno aquæ,

Sed multo melius in Chriſto. Luc. 9. 28.

quod

quod nulla motione turbatur, facies ſeipſum conſiderantis aſpicitur; ſic in animo oratione ac diuina familiaritate tranquillo, cœleſtis quædam imago & Dei ipſius ſimilitudo refertur. Eſt ergo panis iſte cœleſtis, ſiquidem ſe comedentes ad ſpirituum cœleſtium conditionem euexit.

Chriſtus orationis pane veſcebatur continuò.

Hoc ſuauiſſimo pane omnes ciues cœleſtes ſine vlla dubitatione paſcuntur. Nam ſi à capite & principe illius ſanctæ ciuitatis numerare inchoemus, qui eſt Chriſtus Filius Dei, tota eius vita, quam inter nos in remedium mundi tranſegit, non fuit aliud, quàm perpetua quædam oratio. Alias virtutes, aliáque pietatis opera ad tempus aſſumſit, & ad tempus intermiſit, orationem verò numquam nec ad momentum deſeruit. Non ſemper docebat, non ſemper ægros curabat, non ſemper iniurias ſuſtinebat, aut alia ſimilia operabatur; at ſemper de Deo cogitabat, ac ſemper orabat. In ipſo momento conceptionis ſuæ Patrem ſe in aſſumta humanitate donis implentem agnouit, & ardentiſſimo amore dilexit, & pro humano genere ſe holocauſtum obtulit, & pro beneficiis ſibi & hominibus exhibitis & exhibendis gratias egit, & mille aliis ſanctis adfectibus exultauit, & (vt vno verbo dicam) vſque ad ſatietatem ſe hoc pane refecit. Spatio nouem menſium, quibus in vtero puriſſimæ matris delituit, quid fecit? Orabat. Nec enim vt alij infantes, qui vt beſtiolæ quædam in vteris ſuarum genitricum manent, vſu rationis priuatus erat, ſed perfectiſſimo intellectu, & expeditiſſima voluntate pollens, Deo cognitione & amoris adfectibus adhærebat. Triginta autem annis abſconditæ vitæ ſuæ, quibus apud ſe manſit, & à publicis miniſteriis animarum abſtinuit, quid fecit? Orabat. Eius namque vita tunc non fuit otioſa, aut inutilis, ſed ſublimiſſimis contemplationis actibus occupata, & diuinis rebus intenta. Et tempore prædicationis ſuæ, quid fecit? Orabat. Illa quippe mens eius non ſolùm ſanctiſſima, ſed & capaciſſima variis miniſteriis & operibus occupata, ita bono animarum incubuit, vt numquam ſuæ Deitatis contemplationem & colloquia ad Patrem omitteret. Immo & præter hanc indiruptam contemplationem certis temporibus noſtræ eruditionis cauſſa ad orandum ſeceſſit. Iam, dimiſſa turba, aſcendit in montem orare ſolus. Iam dicit diſcipulis: Sedete hîc, donec vadam illuc, & orem.] Iam verus iuſtitiæ ſol viſibilem ſolem orandi gratia præuenit; & diluculo valde ſurgens egreſſus abiit in deſertum locum, ibique orabat. Iam montium cacumina ad orandum expetiuit: & exiit in montem orare, & erat pernoctans in oratione Dei. In ſpatio paſſionis ſuæ numero horarum non admodum longo, ſed dolorum & laborum acerbitate longiſſimo, quid præſtitit? Orauit. Labores ſuos ab oratione feruentiſſima inchoauit: ab vno iudice in alium vadens orationem protelauit: ligatus in domo Caiphæ, & ad columnam in domo Pilati orationem non deſeruit; immo flagella, & irriſiones illas, quæ nobis Patris amorem conciliarent, illi obtulit. Quid tandem dicam? Orans fuit in vtero matris conceptus, orans in hanc lucem editus, orans vixit, & orans eſt mortuus, ac poſtremum verbum, quod protulit, perfectiſſima oratio extitit. Dixit namque: Pater in manus tuas commendo ſpiritum meum: & hæc dicens expirauit.] O Pater futuri ſæculi, ô Princeps pacis, ô Rex cœleſtis; ad quid tam inſtanter orationi incubuiſti? Ad quid tu, quem omnes, tum cœleſtes, tum terreſtres orare debent, tam inceſſanter oraſti, niſi vt oſtenderes orationem panem eſſe cœleſtem, quem vniuerſi, qui in cœlum contendunt, vt vires ad illud violenter diripiendum acquirant, debent iugiter manducare.

Matth. 26.26.

Marci 1. 35.

Lucæ 6. 12.

Luc. 23. 46.

Huius Regis amici familiariſſimi, ſeruíque fideliſſimi ſunt Angeli, quos certum eſt orationis pane vti. Dicat nunc vnus eorum ex ſeptem Principibus primis, qui aſtant ante Dominum, quo ipſe pane veſcatur. Ego, inquit, cibo inuiſibili, & potu, qui ab hominibus videri non poteſt, vtor.] Quiſnam eſt cibus iſte inuiſibilis, & hic potus, qui oculos hominum fugit, niſi perſpicua contemplatio Dei? Hæc eſt Angelorum cibus, quoniam contemplatione & viſione Dei beatè viuunt. Hæc eſt ipſorum potus, quia Dei viſione recreantur, & ea omnis ſitis, omnéque deſiderium eorum, quæ ſunt extra Deum, penitus extinguitur. Contemplatio igitur, quæ vna eſt orationis pars, tàmquam cibus cœleſtis cœleſtes ciues cibat, & recreat. Cuius & Dominus ipſe Angelorum, qui nouit optimè quo pane ſuos commenſales paſcat, euidenter mentionem fecit, ac expoſuit. Ait enim: Quia Angeli eorum, id eſt, puſillorum, in cœlis ſemper vident faciem Patris mei, qui in cœlis eſt.] Quæ eſt facies Dei? Nónne ſuæ Deitatis ſplendor, & ſuæ eſſentiæ beata ſerenitas? Hanc ſemper Angeli in cœlis vident, videndo diligunt, diligendo fruuntur, fruendo viſione illa quaſi cibi ſumtione lætantur. Hic contemplationis cibus tàm eſt illis ſuauis, vt licèt illum ſemper in cœlis comedant, ſemper etiam illum tamquam nouum & vix vmquam guſtatum deſiderent, & eſuriant. Nam id ſignificant verba Petri Apoſtoli: In quem, ſcilicet Spiritum ſanctũ, deſiderant Angeli proſpicere.] Aſpiciunt illi Spiritum ſanctũ, quia abſque vlla intermiſſione Deitatem intuentur. Sed eum, quem aſpiciunt, deſiderant proſpicere, id eſt, attentiùs & penitiùs intueri, tantum abeſt vt vmquam eius intuitione ſatientur. Deſiderant, ſed ſine anxietate, vt deſiderium videndi non poſſeſſionem abeſſe denotet, ſed ſatietatem, & nauſeam tam perſeuerantis cibi depellat. Ne enim ſit in deſiderio anxietas, inquit Gregorius, deſiderantes ſatiantur: ne autem ſit in ſatietate faſtidium, ſatiati deſiderant.] Nec quoniam audis Angelos in cœlis contemplatione paſci, exiſtimes eos, cùm illinc ad nos deſcendunt, à contemplatione ceſſare. Immo ſicut qui deſertum eſt tranſiturus ſecum defert cibum neceſſarium, ne pereat: ita & illi cùm in hanc eremum veniunt, ſecum Dei contemplationem & viſionem aduehunt, ne vel ad momentum fœlicitate priuentur. Sic cuſtodiæ paruulorum deputati, inquit Bernardus, vt non priuati vllo modo beatitudine ſua.] Et Gregorius: Neque ſic Angeli à diuina viſione foras exeunt, vt internæ contemplationis gaudiis priuentur; quia ſi conditoris aſpectum exeuntes amitterent, nec iacentes erigere, nec ignorantibus vera nunciare poſſent, fontémque lucis, quem ipſi perderent, cæcis nullatenus propinarent.] Angeli ergo licèt cœleſtes ſint, cibo egent, ſed cibo cœleſti, quo viuant, & ad nos purgandos, illuminandos, & perficiendos robur accipiant. Hic verò cibus non eſt alius quàm clara Dei contemplatio, quæ illos ſicut & omnes animas beatas replet, & recreat.

Eodem vtuntur Angeli.

Tob. 12. 19.

Matth. 18.10.

1. Pet. 1. 12.

Greg. 18. mor. cap. 28.

Bernard. ſerm. 5. in dedicatione Eccleſiæ.

Gregor. 2. mor. c. 2.

Ciuibus cœleſtibus iuſti annumerantur, qui licèt quaſi pro negotiis in hoc exilio peregrinentur; tamen patriam habent, & ciuitatem non manu factam, ſed æternam in cœlis. Hos Deus oratione paſcit, ne deficiant in via. Nam panis ille de cœlo deſcendens, & dans vitam mundo, nempe corpus

Eodem ſaturantur & iuſti. Actor. 1. 14.

Christi Saluatoris, non omni tempore, neque omni hora sumi potest, sed ad reuerentiam eius pertinebat, vt certis quibusdam temporibus, & cum magna præparatione sumeretur. Ne tamen quo tempore vsus tanti sacramenti interdicitur nobis, famem sentiremus, benignus Dominus alium panem cœlestem, scilicet orationem illius loco substituit, quæ & nos ad illum suscipiendum paret, & quod ille panis facit quamdiu illum non sumimus, pro suo modo mentibus præstet. Hunc panem comedebant Apostoli, de quibus scriptum
Act.1.14. est:Erant omnes vnanimiter perseuerantes in oratione.] Et nos orationi & ministerio verbi instantes erimus.] Hoc ad passiones sustinendas roborabantur Martyres, qui in mediis tormentis constituti clamabant:Exaudi,Domine, iustitiam meam, intende deprecationem meam.Auribus percipe orationem meam,non in labiis dolosis.]Et verè non solùm voce, sed iustitia orabant, qui pro iustitia patiebantur:& non in labiis dolosis petebant, qui, ne à labiis eorum verbum confessionis excideret, tormenta acerbissima tolerabant. Hoc pane sancti Pontifices, & Prælati ad sustinendas Ecclesiarum curas iuuabantur. Quos Salomon imitatores habuit, dum assiduè ad Dominum dicerent: Dabis ergo, Domine, seruis tuis cor docile, vt populum tuum iudicare possint, & discernere inter bonum, & malum.] Hoc illuminabantur Doctores; scientes enim scriptum esse: Si quis vestrùm indiget sapientia,postulet à Deo,qui dat omnibus affluenter, & non improperat;] sapientiam, qua alios docerent, importunis à Deo precibus postularunt. Hoc vitam ab omni labe alienam seruarunt confessores, qui iuxta dictum Ecclesiastici: In oratione dierum exaudientur:] nam cùm quottidie pro mentis puritate orent, quottidie etiam obtinent in omni virtute prouehi, & ab omni labe mundari. Tandem hoc pane mundantur virgines: ros enim ille cœlestis sanctæ orationis concupiscentiam refrigerat, & conceptam animo puritatem in carnem quoque ad malum procliuem deriuat. Oratio ergo omnium est iustorum refectio, & eorum, qui ad cœlum pertinent, suauissimum alimentum. De quibus dixit Dominus per Isaiam: Adducam eos in montem sanctum meum, & lætificabo eos in domo orationis meæ.] Adducuntur enim iusti ad Christum montem sanctum Dei, montem coagulatum,& pinguem,& omnis gratiæ ac sanctitatis plenum.Et lætificantur in domo orationis,in intimo scilicet mētis, cui conuenit quòd sit domus panis, domus in qua panis iste cœlestis conficitur,& absconditur. Hic panis eos sua mirabili suauitate lætificat, & vires subministrat, vt ad montem Christum per imitationem ascendant, & in eo per mutuam charitatem commaneant.

3.Reg.3. 9. *Iacobi 1. 5.* *Eccli.3. 4.* *Isai.56. 7.*

Inde autem constat orationem cibum esse iustorum, quòd Angelis associantur, & ab Angelis adiuuantur, cùm volunt Dominum aut voce, aut sola mente deprecari. Nam & in republica optimè constituta artifices eiusdem artis in vnum vicum confluunt, ibique habitationem figunt, non solùm vt ab ementibus inueniantur, sed & vt possint rudiores à peritioribns instrui, & ad laborem pro communi vtilitate animari. Conuescentes etiam in eadem mensa,& ab eodem Rege inuitati solent eisdem cibis refici, & à consimilis vini potu non excludi. Sic & in domo Dei Angeli,& iusti orationi dediti quasi eadem arte præditi simul habitant, & quasi conuiuæ eiusdem Regis ad cibum orationis sumendum, & vinum cœlestium consolationum bibendum accumbunt. In conspectu Angelorum psallam tibi,inquit sanctus Dauid,adorabo ad templum sanctum tuum, & confitebor nomini tuo.] Quidnam est,in conspectu Angelorum psallere, nisi ipsis testibus ac comitibus orare? Quos enim orans quasi vicinos domus suæ habet, non potest in opere orationis effugere. Vel certè in conspectu Angelorum psallit, qui quasi artifex eiusdem operis cum illis in orationis feruore eis se æquare, vel ipsos superare contendit. Sic profectò locum hunc intellexit Basilius. Cum ipsis, inquit, cœlestibus virtutibus cantaturum me tibi, cúmque illis etiam certaturum, ac vnà tripudiaturum affirmo.]Nec non & Chrysostomus.Conabor, ait, canere cum Angelis, & cum eis contendere,& choreas ducere cum supernis potestatibus. Etsi enim natura differam, animi verò promtitudine, vt cum eis stare possim, decertabo.] Ipsi itaque Angeli quasi eiusdem cibi cœlestis participes, quando oramus se nobis adiungunt.Id quippe est, quod Bernardus ait: Credimus Angelos sanctos astare orantibus, offerre Deo preces, & vota hominum, vbi tamen sine ira & disceptatione leuari puras manus perspexerint.Probat hoc Angelus ita loquens ad Tobiam: Quando orabas cum lacrymis, & sepeliebas mortuos,& derelinquebas prandium, & mortuos abscondebas, per diem in domo tua, & nocte sepeliebas, ego obtuli orationem tuam Domino.] Puto id vobis satis,& aliis Scripturæ testimoniis persuasum.Nam quod psallentibus quoque dignanter admisceri sancti Angeli soleant, quid eo manifestius, quàm quod Psalmista ait: Præuenerunt Principes coniuncti psallentibus in medio iuuencularum tympanistriarum.] Quare Angeli nobis orantibus adstant, nisi quia nos eiusdem operis sanctæ orationis opifices, & eiusdem panis cœlestis participes esse considerant? Tantíque valoris ipsum nostrum comedere spiritualiter, aut ipsum orare ducunt, vt illud summo Deo tamquam sacrificium acceptissimum offerre non metuant.Id fecit Angelus Tobiæ,vt iam vidimus. Idem similiter testatur Iob,dicens:Si fuerit pro eo Angelus loquens, vnus de millibus, vt annunciet hominis æquitatem,miserebitur eius.] Si inquam, vnus aliquis de innumerabili Angelorum multitudine in custodiam ægroti hominis deputatus pro eo ad Dominum loquatur, eiúsque sanctam conuersationem,eiúsque vota &preces annunciet, & quasi in sacrificium offerat, Dominus ipse illius ægroti miserebitur, & ab eo malo, quod timebat corruptionis, eripiet.

Psal.137. 2. *Basil. ibid.* *Chrysost. ad Psal. 187.10.1.* *Bernard. serm.7.in Cant.* *Tob.12.* *Psal.67.* *Iob 33. 23.*

De fructu tandem huius panis cœlestis postea dicemus, quæ scilicet mala à nobis arceat, quæ bona nobis inferat, ad quam celsitudinem perfectionis nos adducat. Sed ex his omnibus constat nomina Mannæ attributa optimè in orationem quadrare: immo & multo melius quàm illi cibo è regione aëris cadenti congruere. Nos autem ad panem hunc vehementer adficiamur, & vt eum accipiamus, occasionem, qua Manna illi populo datum est,solerter inuestigemus. Murmur Israëlitici populi mittendi Manna è cœlo occasio fuit. Vnde legimus in Exodo: Audiui murmurationes filiorum Israël, loquere ad eos:Vesperè comedetis carnes, & manè saturabimini panibus: scietísque quòd ego sum Dominus Deus vester.] Tolle à murmure,quod vetitum est,& in eo vehemens alicuius rei desiderium,& anxiam pro illa obtinenda querimoniam inuenies. Desidera igitur ardenter panem hunc,pete illum instanter,tuam apud beni-

Exodi 16. 12.

gnum datorem eius neceſſitatem expone, humiles ac pias querimonias funde, & quod cupis conſequéris. Neque enim ille deſideria orationis immittit, vt deſideriis cruciet, ſed vt per deſideria ad panem hunc comedendum paret. Nam poſt famem cibus dulciùs ſapit, & auidiſſimè acceptus aptiùs & citiùs accipientem nutrit.

In oratione præſidiũ fidelium eſſe conſtitutum.

CAPVT IV.

ALIA fuerunt illius antiquæ Mannæ nomina, quæ optimè orationi conueniunt, & perſpicuè eius neceſſitatem exponunt. Sanctus Dauid id quod dicebatur Man hu, vel quid eſt hoc, abſolutè eſcam vocat. Sic enim ait: Memoriam fecit mirabilium ſuorum miſericors & miſerator Dominus: eſcam dedit timentibus ſe.] Voluit, inquam, Dominus verè miſericors vt tanti beneficij ſtatis temporibus commemoratio fieret, quo populo illi ſuo mirabilem illam eſcam in deſerto è cœlo demiſit, ne in extrema neceſſitate poſitus præ fame deficeret. In hoc verò ideo ſe miſericordem oſtendit, quia huius tanti beneficij à populo iugem memoriam, & gratiarum actionem exegit, vt poſtmodum maiorum donorum particeps fieret. Deinde illa eſca è ſuperis cadens vocata eſt abſolutè cibus. In die ſexta, ait ſacer textus, collegerunt cibos duplices.] Et rurſus: Donec venirent in terram habitabilem, hoc cibo aliti ſunt.] Tandem nominatur ſubſtantia; cùm in libro Sapientiæ legamus: Subſtantia tua dulcedinem tuam, quam in filios habes, oſtendebat.] Quare autem vocabatur eſca? Quia eſca alimentum hominum, pariter & iumentorum ſignificat: & Manna hominibus, & iumentis, id eſt, bonis, & malis; iuſtis, & iniquis ad manducandum datum eſt. Quare cibus? Quia cibus de omni alimento dicitur; Manna verò erat quaſi omne illius multitudinis alimentum; non ſolùm quia omnis ſaporis & omnium ciborum vicem ſuppleba t, ſed ex eo quòd licèt in deſerto illo interdum alia alimenta occaſio ſuppeteret, vt Abulenſis ait, at ſine Manna non poſſet diu tanta multitudo à morte ſeruari. Et quare ſubſtantia? Quia ſicut ſubſtantia baſis erat & fundamentum vitæ, & ſe in ſubſtantiam comedentium tranſmutabat.

Hæc ad ſpiritum orationis transferamus, & ei nomina iſta Mannæ congruere, ipſiúſque illis neceſſitatem exponi non obſcurè videbimus. Oratio an non eſt eſca, quæ data eſt iumentis, vt viuant, & hominibus, vt vitam cuſtodiant? Nónne iumenta peccatores? Nónne homines iuſti? Certè ita, ſecundùm illud, quod canit Dauid: Homines & iumenta ſaluabis, Domine, quemadmodum multiplicaſti miſericordiam tuam Deus.] Nam & Auguſtinus, & Ambroſius, & Hieronymus, hominum nomine iuſtos, & nomine iumentorum peccatores intelligunt. Illos & iſtos Dominus ſaluat, vt miſericordiam ſuam à bonis ad malos, à iuſtis ad iniuſtos extendat, & non eam in ſolis nubibus, aut in ſolis cœlis contineat. Quomodo autem ſaluat, niſi inſtrumentorum à ſe ordinatorum, & præcipuè orationis miniſterio? Iumenta orare debẽt, vt veniam, & vitam, & miſericordiam impetrent: & homines orare habent, vt vitæ & miſerationis acceptæ augmentum obtineãt. Oculi omnium tam hominum, quàm iumẽtorum, in te ſperant Domine, & tu das illis eſcam in tẽpore opportuno. Aperis tu manum tuam: & imples omne animal benedictione.] Das illis eſcam orationis, vt comedant; & aperis manum largitatis tuæ, vt bonam voluntatẽ (hoc enim ſonat vox Græca, pro qua noſter interpres vertit benedictionem) ſiue vt dona ab ipſis deſiderata percipiant. Vis videre iumenta vitiis ac peccatis ſordentia, quomodo hac eſca orationis paſcantur? Audi igitur eumdem Pſalmiſtam canentẽ: Qui dat iumentis eſcam ipſorum, & pullis coruorum inuocantibus eum.] Quid peccatoribus ſtolidius? Quid iniquius, nigrius, & tetrius? Sed hi Deum inuocare debent, & diuinam benignitatẽ implorare, vt eſcã iuſtificationis poſſint accipere. Sicut enim ægroti quadam eſca ad aliam parantur, qua peſſimus humor expellitur; ita mali eſca orationis diſponuntur ad eſcam iuſtitiæ, qua ab humore peccati liberentur. Vis etiam ſcire quomodo homines, id eſt, iuſti & pij eadem eſca reficiantur? Audi aliud carmen eiuſdem Regis, dicentis: Pro hac orabit ad te omnis ſanctus in tempore opportuno. Verumtamen in diluuio aquarum multarum ad eum non approximabunt.] Pro hac, ſcilicet remiſſione peccatorum, de qua antea præmiſerat: Et tu remiſiſti impietatẽ peccati mei;] orat omnis ſanctus, vt nimirum ea perſeueret, & peccatorum iteratione non euaneſcat. Vel pro hoc, quod ſequitur, orat, ne aquæ inundantes tentationum eum mergant, & à concepta ſanctitate deiiciant. Oratio ergo congruenter vocatur eſca, quia omnibus tum bonis, tum malis eſt neceſſaria: his, vt boni fiant; & illis, vt in bono perſiſtant. Quòd ſi aliam eſcæ ſignificationem expendamus, qua id intelligimus, quod auibus & piſcibus datur, vt hamo capiantur; quis non videat hac etiam ratione nomen eſcæ optimè orationi conuenire? O bone Deus, quantam hominum multitudinẽ Dominus piſcator ſapiens eſca orationis cepit, & à profundo maris extraxit! Offert ſæpe ille peccatoribus pium aliquẽ libellum res ſpiritales tractantem, eo ad nonnullum guſtum orationis excitat, & oratione, quaſi eſca à ſæculi procella extractos in ſuorũ congregationẽ aſciſcit.

Eſt quoque oratio cibus, quoniã actio eius animæ dentibus, ſcilicet viribus cogitationis & intelligentiæ teritur, & in ventrem adfectus traiicitur, & ea virtus hominis roboratur. Vnde Auguſtinus: Sicut ex carnalibus eſcis alitur caro; ita ex diuinis eloquiis & orationibus interior homo nutritur, & paſcitur.] Eſt cibus non hic, aut ille, ſed cibus abſolutè, quoniam ſicut nemo in hac mortalitate ſine cibo viuit: ita orationis ad bene ſanctéque viuendum eſt ſumma neceſſitas. Hanc neceſſitatem intelligemus, ſi noſtrum ſtatum inſpiciamus. Si enim homo paralyſi diſſolutus, & in profundiſſima valle poſitus cuperet ad ciuitatem in altiſſimo monte collocatam aſcẽdere, tria illi manifeſtè impedimento ſunt, ne ſuum finem conſequatur. Alterum loci, in quo degit, humilitas: alterum ciuitatis, ad quam tendit, ſublimitas: tertium acerba, quam patitur, & exitialis infirmitas. Si autem eſſet aliquis cibus ita ſalutaris, vt guſtatus ſalutem adferret: ita mirabilis, vt comeſtus ex humilioribus locis educeret; ita robuſtus, vt frequenter manducatus ad ſublimia comedentes attolleret, quis non videat eum cibum maximè neceſſarium eſſe illi ægroto, qui aſcenſum illum ſibi vt finem ſuorum deſideriorũ propoſuit? Sed nos ſumus in hoc ægroto deſineati; qui & infirmi ſumus mente, & in valle aut multorum peccatorum, aut innumerabilium imperfectionum iacemus, & ad montem perfectionis aſcendere, & ciuitatem illam primitiuorum cœleſtem Ieroſolymam ædificatam in cœlis ingre-

Pſal. 110. 4.
Exodi 16. 22.
Num. 35.
Sapiẽ. 16. 21.
Abulenſ. in Exod. c. 16. q. 12.
Oratio eſca bonis, maluſque neceſſaria.
Pſal. 35. 7.
Auguſt. ibid.
Ambroſ. ibid.
Hieron. in Ioel. c. 1.
Pſ. 144. 15.
Pſal. 146. 9.
Pſal. 31. 6.
Verſ. 5.
Aug. lib. de ſalutar. documẽ. c. 28. tom. 4.
Eſt cibus omnes infirmitates ſanans.

di peroptamus. Oratio autem est admirandus cibus nobis datus, vt sanemur; vt à vilitate vitæ tepidioris exeamus; vtque exultantes in templum perfectionis, ac in cœlestem ciuitatem intremus. Oratio profectò nos à peccatorum infirmitatibus sanat. Fili, ait Ecclesiasticus, in tua infirmitate ne despicias teipsum; sed ora Deum, & ipse curabit te.] *Eccli. 38. 9.* Est ac si diceret, ne te incuratum, & in modum eorum, qui seipsos interimunt, sine conuenienti remedio relinquas. Congruum autem non solùm corporalis, sed & spiritalis infirmitatis medicamen oratio est, quæ Dei misericordiam ad te curandum, tibíque opitulandum inclinat. Christus saluator noster multos eorum, quos à morbis corporeis eripuit, præuia ipsorum oratione curauit, vt orationem nostrarum ægrotationum medelam ostenderet. Cùm ægrotaret Ezechias vsque ad mortem, & ex ore Isaiæ nuntium mortis instantis audiuisset, conuersus ad parietem, vt versùs templum se collocaret, & amplius se colligeret, orauit ad Dominum. Sed effectum huius medicaminis ab eodem Propheta statim audiuit. Hæc dicit Dominus Deus Dauid patris tui: Audiui orationē tuam, & vidi lacrymas tuas: ecce ego adiiciam super dies tuos quindecim annos.] *Isaiæ 38. 5.* Sic Dominus audit deprecationem orantium, & miseretur lacrymarum ipsorum; nam videt eas, vt misereatur; addítque diebus eorum quindecim annos: illud scilicet tempus, quod ad quindecim vitæ spiritalis gradus (de quibus alibi loquuti sumus) ascendendos sufficiat. Oratio itaque cibus est sanans. Ideóque Laurentius Iustinianus optimè ait: Omnes medici pecuniis: Deus autem noster pura oratione ad conferendam sanitatem placatur. Hæc spiritales sanat morbos. Nam hæc est potissimum remedium eius, qui vitiorum tentamentis æstuat, vt quotiescumque quolibet tangitur vitio, toties se ad orationem vertat, quia frequens oratio vitiorum expugnationem extinguit. Et sicut aqua ignis extinguitur: ita concupiscentiarum vitiosarum impetus oratione superatur.] *Lib. 2. de Perfectione c. 9. 10. & 11. Iustinia. in ligno vitæ. tract. de orat. c. 2.*

Habes in oratione, ô homo, cibum ad sanandum; habes etiam & ad egrediendum è cœno vilitatum tuarum: quoniam mentem ipsa ex terrenis concupiscentiis extrahit, & ex amore visibilium educit. Mirum est quàm ex corde homines verè spirituales, & studio orationis addicti temporalia contemnant, quàm longè sint ab earum rerum amore, quas mundani concupiscunt. Hoc non est aliud, nisi quòd assiduitas orationis illos à vilitate concupiscentiarum eduxit, & ad diligenda cœlestia præparauit. Quis Danielem è lacu leonum extraxit, & ab ore & vnguibus eorum eripuit? *Daniel. 14. 40.* Nónne oratio? Nam si in domo sua & in prosperitate magna apertis fenestris orauit, quomodo in tanta tribulatione opus orationis omitteret? Quis Ionam de profundo maris, ac de ventre ceti ascendere fecit, & in arida collocauit? *Ionæ 3. 2.* An non oratio? Clamaui, ait, de tribulatione mea ad Dominum, & exaudiuit me: de ventre inferi clamaui, & exaudisti vocem meam.] *Hieron. ibid.* Ventrem inferi, inquit Hieronymus, aluum ceti intelligamus, quæ tantæ fuit magnitudinis, vt instar obtineret inferni. Ibi clamauit non sensibili verbo, sed toto cordis adfectu, & exauditus est, ac reditum ad hanc lucem consequutus. Quis Petrum è carcere liberauit? *Actor. 12. 5.* Certè oratio. Nam cùm ipse seruaretur in carcere, oratio fiebat sine intermissione ab Ecclesia ad Deum pro eo. Hæc autem, quæ Angelorum est amica, & cœlestium spirituum conciliatrix, Angelum euocauit, qui Petrum dormientem excitaret, qui & catenas ac compedes submoueret, & è carcere educeret. His omnibus nobis ostenditur orationem ad exeundum è cœno peccatorum, & è luto concupiscentiarum præsentissimum esse remedium, nec quemquam posse ab impuritate veteris vitæ discedere, qui spiritum orationis nō amicum habuerit. Certè ad detestandam profanam vitam, & ad exeundum è peccatorum luto auxilium Domini necessarium est. Istud autē sine oratione quis vmquam est assequutus? Dicente Augustino: Nullum credimus ad salutem, nisi Deo inuitante, venire: nullum inuitatum salutem suam, nisi Deo auxiliante, operari; nullum, nisi orantem auxilium promereri.] *Præsentissimum remediū extergendo peccatorū luto.* *Aug. de eccles. dogmat. c. 56.* At Augustinus, inquis, de salute æternæ vitæ, non de salute primæ gratiæ, qua peccatum relinquimus, & ad Deum conuertimur, loquutus est? Fateor: sed hanc primam gratiam homo non quidem dormiens, sed aliquid agens, ad Deum scilicet se motu displicentiæ & charitatis conuertens adquirit. Hic autem motus quoddam genus orationis est; quia orationem toto hoc opere, non presse pro petitione, sed latè pro quacumque mentis eleuatione in Deum vsurpamus. Neque ineptè cum Israëliticis hominibus, licèt in alio sensu, orationem cibum leuissimum nominabimus, cùm nos leues & expeditos faciat, vt locum infimum conuersationis mundanæ relinquamus, & in cœlestia properemus. Dicebant illi: Anima nostra iam nauseat super cibo isto leuissimo; quia cibus ille regius non satisfaciebat carnali eorum cupiditati. At nos, qui alium sensum illius verbi tenemus, aliter gratias agentes dicamus: Anima nostra delectatur super cibo isto leuissimo, & delicatissimo: quoniam cibi adfectionum visibilium nos onerant, cibus autē orationis ad abiectam vitam deserēdam alleuat. Quædam erant in agone contendentibus alimenta destinata, quibus expediti ad cursum & pugnam redderentur, quæ Coliphia dicebantur, neque ipsis (vt etiam Cassianus annotauit) alios cibos manducare licebat. Sic & in agone spirituali pugnantibus cibus orationis destinatus est, quem qui frequenter edunt, ad ima deserenda, & cœlestia conscendenda mirabiliter expediuntur; qui verò non comedunt, concupiscentiis trahentibus, quottidie ad decliuiora raptantur. *Num. 21. 5.* *Vide Budæum ad Pandect. in annotat. ad l. si hominem. §. quoties. ff. depositi. Cass. lib. 4. de spir. fornicat. c. 7.*

Si autem infimum locum relinquere, ascendere est, manifestum efficitur orationem talem esse cibum, qui nos ad superiora & cœlestia sustollat. Oratio animam ad fastigium perfectionis attollit. Ipsa enim (vt postea dicemus) peccata fugat, vitia eliminat, dæmones superat, virtutes inserit, dona supernaturalia ipsa priùs oratione obtenta custodit; charitatem promouet, & mentis puritatem immittit. Ille, qui amicum excepit, & panem, quo illum reficeret, non habuit, oratione ab alio amico diuite panem obtinuit. Amice, dixit illi, commoda mihi tres panes, quoniam amicus meus venit dę via ad me, & non habeo quod ponam ante illum.] *Lucæ 11. 5.* Petiuit, impetrauit, amicum refecit. Quis est iste amicus veniens lassus de via, & qui sunt isti tres panes, & inde orationis proprium esse perfectionem inferre, patescet. Amicus ego ipse sum mihi, si Bernardi expositionem sequamur, quando ad cor redeo, & ab iniquitate discedo. Ego, inquit, amicum venientem ad me non alium intelligo, quàm me ipsum. Nemo quippe charior mihi, nemo germanior est. Ad me ergo de via venit amicus, cùm transitoria deserens ad cor redeo, sicut scriptum *Oratione virtutes impetrari mensiratur.* *Bern. ser. de tribus panibus.*

Isaiæ 46. 8.

est: Redite præuaricatores ad cor. Deinde tunc verè sibi quisque amicus est, cùm de via redit, quoniam qui diligit iniquitatem odit animam suam. A die itaque conuersionis meæ, de via ad me venit amicus. Venit de regione longinqua, vbi pascere porcos,& ipsorum siliquas insatiabiliter esurire solebat. Venit fame laborans, confectus inedia, attenuatus ieiunio. Venit necesse habens inuenire amicum; sed heu me pauperem elegit hospitem, & vacuum ingreditur habitaculum. Quid faciam huic amico misero,& miserabili? Omnino enim non habeo,quod ponam ante illum. Fateor, amicus est,sed ego mendicus. Quid venisti ad me, amice, in necessitate tanta? Non sum medicus, & non est in domo mea panis.] Tres panes sunt ea, quæ nos tum mente, tum carne perficiunt. Vnde subdit:Qui sunt isti panes,fratres? Vtinam mereamur accipere eos.Fortè enim & eos nemo scit,nisi qui accipit. Credo tamen petendos nobis esse tres panes,veritatis,charitatis, fortitudinis. His tribus egere me fateor, veniente ad me amico de via, veniente autem (vt dixi) cum vxore, & mancipio. Deficit quippe ratio mea (ipsa est enim vir) præ ignorantia veritatis: languet & voluntas præ media adfectionis: infirmatur caro præ inopia fortitudinis.Nam & ratio minus intelligit quæ agenda sunt; & voluntas minus diligit intellecta; & ad hæc etiam corpus, quod corrumpitur, aggrauat animam, vt non quæcumque volumus, illa faciamus.Aruit cor meum,etiam & corpus meum,quia oblitus sum comedere panem meum. Neque enim paterer hunc defectum, si iugiter exercitata esset ratio in inquisitione veritatis; voluntas in desiderio charitatis;caro in operatione virtutis.Commoda ergo mihi, amice, tres panes, vt intelligam, & diligam, vt faciam voluntatem tuam. Sic enim viuitur,& in talibus vita spiritus mei,dicente Scriptura:Quoniam vita in voluntate eius.] Hæc ille. At si oratio intellectui cognitionem veritatis, & voluntati adfectum charitatis,& toti homini opus virtutis impetrat, omnem proculdubio perfectionem importat.

Psal. 29. 6.

Quam etiam Dominus apud eumdem Lucam subiuncta similitudine,oratione obtineri euidenter expressit. Quis ex vobis, inquit, patrem petit panem, numquid lapidem dabit illi? Aut piscem, numquid pro pisce serpentem dabit illi? Aut si petierit ouum,numquid porriget illi scorpionē?] Ille enim perfectus censeri debet,qui est fide firmus, spe stabilis, & charitate Deo, ac omnimoda mandatorum obseruatione coniunctus.Hæc autem tria ex mente Augustini isto mystico ternario signantur. Nam piscis fidem significat, quæ viuit inter tentationum fluctus, nec frangitur, nec soluitur fluctibus.Cui opponitur serpens,nempe diabolus, cui curæ est fideles aut à fide auertere, aut sepositа consideratione rerum fidei,visibilium amore decipere. Ouum typus est spei. Quia sicut ouum aliquid quidem est, nondum tamen est pullus (vnde quadrupedes pariunt filios, aues verò spem filiorum;) ita spes aliquid est, sed nondum est ipsa res, quæ nos, cùm eam possidebimus, satiabit. Huic contrarius est scorpius, scilicet mundus iste malignus, qui amore præsentium minuit expectationem futurorum, & dum in sua fallacia bona respicimus, bona vera & cœlestia præterimus.Panis figura est charitatis.Nam sicut panis ouo & pisci anteponitur:ita charitas spei & fidei præfertur.Dilectio nos reficit, & sui suauitate à desiderio rerum terrenarum abducit.Huic oppositus est lapis: quia

Luc. 11. 11. Fides, spes, charitas consequuntur.

Aug. ser. 29. de verbis Domini.

A omnis duritia opposita est charitati, cuius est animam emollire,& ad obedientiam in omnibus,quæ Deus inspirauerit, inclinare. Si ergo oratione fidem,& spem,& charitatem impetramus, profectò per eam ad perfectionem ascendimus.

Perfectio oratione obtinetur. Matth. 6. 9.

Sed adhuc apertiùs Dominus perfectionem oratione obtineri nos docuit, cùm petitionem eius in oratione Dominica primo loco constituit. Sanctificetur,inquit,nomen tuum.] Neque enim sanctificari nomen Dei tantùm est eius existimationem celebrari, aut Dei perfectionem apud omnes sanctam & honore dignam haberi, sed ad nos quoque eius sanctitatem deriuari. Idque sonant verba Cypriani: Id petimus,& rogamus,vt qui in

Cyprian. de orat. Dominica.

B Baptismo sanctificati sumus,in eo,quod esse cœpimus, perseueremus,& hoc quottidie deprecamur. Opus est enim nobis quottidiana sanctificatione, vt qui quottidie deliquimus,delicta nostra sanctificatione assidua repurgemus.] Quin & in eodem sensu accipit Ambrosius illud,quod sequitur: Adueniat regnum tuum.] Si Deus, ait, in nobis regnat,locum habere aduersarius non potest. Culpa non regnat, peccatum non regnat, sed regnat virtus,regnat pudicitia,regnat deuotio.]At si regnum Dei (vt hæc petitio à præcedenti distinguatur)gloriam,quam speramus,significat,eámque post mentis sanctitatem postulamus,quis non animaduertat oratione nos ad vtrumque Dei regnum peruenire;

Matth. 6. 9. Ambros. lib. 5. de sacramē. c. 4.

C ad illud scilicet, quo per veram virtutem ipse regnat in nobis, & ad illud, quo præmium virtutis accipientes nos regnamus cum illo?Conuenit igitur orationi optimè nomen cibi,& non huius, vel illius,sed omnis cibi,& alimenti,quoniam sine illa nec possumus sanctè viuere,neque ab infima valle nostrarum miseriarum emergere, neque ad ciuitatem munitam perfectionis, neque ad arcem æternitatis in monte collocatam festinare. Neque immeritò asseruit Chrysostomus, quòd sicut corpus,si non adsit anima,mortuum est, ac fœtidum: sic anima nisi seipsam incitet ad orandum, mortua est, & misera, ac grauiter olens.] Hoc non ideo, quia oratio sit propriè vita animæ (hæc quippe est gratia, & charitas) sed quia est cibus animæ, sine quo illam vitam diu seruare non poterit.Inter tot enim laqueos, inter tot tentationes, & occasiones peccandi constituti,quomodo perseuerabimus,nisi subinde gratiam ad perseuerandum poscamus?

Chrysost. lib. de orando Deum.

D

Qui oratio substantia vocetur.

Non minus propriè tertium nomen Manna in orationem quadrat, vt scilicet vocetur substantia. Est namque ipsa velut basis & fundamentum omnium, quæ spiritu possidemus. Intendamus oculos in peccatorem aliquem,& quo pacto ad Deum redeat, seriò cogitemus. Ego sanè de isto sic cogito, nequaquam ad Deum sine præuia oratione conuerti. Nam si ipse tam sui oblitus sit, vt pro seipso non oret; at orant amici: & si eos non habeat, orant iusti, & orat mater Ecclesia, & orauit Christus, & nunc munus Aduocati apud Patrem agens pro illo misericorditer interpellat,vt

E ad bonam frugem conuertatur, & ideo iure optimo initium conuersionis eius orationi tribuitur. Sed postquam peccator ad Deum ceu filius prodigus ad patrem reuersus est, quomodo perseuerabit, nisi oret? Quomodo iustitiam augebit, nisi oret?Quomodo sanctitatem,quam desiderat,obtinebit,nisi oret?Nónne verba sunt Domini: Petite, & accipietis,quærite, & inuenietis:pulsate,& aperietur vobis?] Ergo qui neque petit,neque quærit, nec pulsat;nec accipiet,nec inueniet,nec aperietur ei. Petat perseueranter perseuerantiam,& accipiet

Matth. 7. 7.

eam

eam: quærat instanter iustitiam, & inueniet illam: pulset sine vlla intermissione diuinæ misericordiæ ianuam, vt sibi sanctitas detur, & omne impedimentum eius assequendæ submouebitur. Vel tria hæc ad vnumquodque istorum applicandum est. Ita, inquam, petat oratione, vt actione quærat: ita quærat actione, vt gemitibus & desideriis ianuam pulset, & non fraudabitur voto suo. Si ergo ad hoc vt detur nobis spiritus Dei bonus orandum est, certè oratio quasi vitæ spiritalis substantia est, sine qua homo necdum omnino Angelorum conuersationem æmulatur, licèt gratia & virtutibus decoretur. Homo enim virtutibus moralibus solùm præditus, studiosus dici potest, & rationalis vocari, quoniam ductu rectæ rationis ducitur: at donis orationis & contemplationis ornatus non solùm rationalis, sed spiritualis, & quasi Angelus dicitur, quoniam spiritualia cogitat, & legibus spiritus gubernatur. Spiritualis, inquit Paulus, iudicat omnia, & ipse à nemine iudicatur.] Quomodo posset omnia iudicare, id est, qualia sint æstimare, & à bonis mala, à maioribus bonis meliora discernere, nisi sciret seipsum & reliqua considerare, & pro auxilio ad non errandum ad Deum oratione concurrere? Spiritualis homo, inquit Bernardus, ille, qui omnia diiudicat, vt ipse à nemine diiudicetur, omne opus suum trina quadam consideratione præueniet. Primum quidem, an liceat; deinde, an deceat; postremò, an expediat. Nam etsi constet in Christiana vtique Philosophia non decere, nisi quod licet, non expedire, nisi quod decet, & licet; non continuò tamen omne, quod licet, decere, aut expedire consequens erit.] Hinc liquet hominem sine oratione & consideratione spiritualem non esse, ac ideo orationem in sua latitudine sumtam quodammodo vitæ spiritalis esse substantiam. Dicamus ergo de viro spiritali, qui sanè virtutum ac donorum spiritualium est diues: Substantia diuitis, vrbs fortitudinis eius.] Oratio enim eius est instar vrbis fortissimæ, in qua optimè se defendit, & munit. Hæc est eius esca, qua libenter vescitur, & qua non solùm eius mens, verùm & eius caro iumentis adsimilis auxiliis cœlestibus roboratur. Hæc est eius cibus, quia sicut animalia fœno & herba pascuntur; ita vt vir iustus oratione pasceretur, Dominus ipse disposuit. Hæc est ipsius substantia, quia sine oratione & consideratione facilè labitur, & à viri spiritualis qualitatibus separatur.

1. Cor. 2. 15.

Bern. 3. de consider. c. 4.

Prouerb. 10. 15.

A

B

C

D

E

gotiorum sæcularium elongata requirit. Manna erat quid minutum, & externa specie satis exiguum, sed virtute ac operatione magnificum. Similiter oratio aut exteriùs fusa, aut interiùs assumta, quid paruum apparet, sed virtute magna est, & mirabiles in mentibus iustorum mutationes facit. Manna præferebat similitudinem coriandri, quod & medicinale est, & subrotundum; cuius minutissima quæque pars, vt Philo ait, non minus germinat, quàm totum. Oratio quæ mala non sanat? Cuius erit figuræ (si aliqua ei aptari potest) nisi rotundæ, quæ à Deo auxiliante egreditur, & in ipsum tamquam in finem consummatur? Et modica eius pars, quando tempus, aut incommoditas ei vacare non sinit, si voluntas efficax in ea perseuerandi non desinit, non minus solet proficere, quàm si tota funderetur. Manna erat alimentum colore quasi triticum pilo tusum, vel (quod idem est) in similitudinem coloris bdelij: nam triticum tusum pilo, & bdelium aliquantulum albicant, & aliquantulum in citrinum, seu in aureum colorem vergunt. Sic & oratio, quia animabus puritatis & dilectionis bona adfert, quasi colorem candidum & aureum prætendit. Manna descendebat noctu, manè verò colligebatur. Et spiritus orationis in nocte huius mortalitatis è cœlis ad nos venit, sed in manè æternæ vitæ, quæ nescit occasum, orationis fructus ab orantibus collectus omnibus apparebit. Antequam caderet Manna pruina operiebat faciem terræ, quæ escam cœlestem exciperet; & post Mannæ descensum cadebat ros, quasi tegumentum, quod illud operiret. Sic & orationi candor bonæ vitæ supponitur, & rore cœlestis gratiæ eius in nobis fructus custoditur. Manna sine consueto labore, qui in serendis & recondendis frumentis intercedere solet, colligebatur. Itidem & orationis suauitas, si bene dispositi simus, quasi pluuia in animam descendens, sine labore colligitur: Israëlitæ namque in colligenda sua esca aliquid laborabant: sed nulla habebatur illius exigui laboris ratio, si cum tam mirabili cibo conferretur. Sic prorsus anima orans, & diuina considerans, aliquid laborat. At tantillus labor nullius est momenti, si fructus & suauitas ex oratione proueniens pensetur.

Súntne alia, in quibus Manna & oratio conueniant? Sunt omnino. Nam ex illa esca colligebatur ad mensuram Gomor per singula capita; ita vt nec qui plus collegisset haberet amplius, nec qui minus reperiret minus. Sic qui plus temporis orationi impendit, quàm eius vocatio exigat, & Dei voluntas ab illo requirat, non maiorem fructum colliget: & qui minus temporis orationi concedat ab obedientia, aut charitate impeditus, modò voluntatem integrè orandi non deponat, nequaquam minorem fructum percipiet. Manna si ante Solis ortum non colligebatur, aut saltem antequam incaluisset sol, tabescebat, & euanescebat, cùm tamen ab igne non posset exterminari. Ita & orationis donum igne charitatis quasi obduratur, & stabile efficitur; radiis verò Solis expositum, id est, ex vanitate detectum, dissipatur, atque dissoluitur. Illa esca si relinqueretur in sequens mane computrescebat, & scatebat vermibus: & concepta in oratione desideria, si præ negligentia & socordia differantur, solent voluntatis mutatione putrescere. Manna die sexto plus duplo collectum, & in diem Sabbati reseruatum non tabescebat, sed incorruptum permanebat. Et orationis proposita

Philo lib. 2. Allegor.

Num. 11. 7.

Abulen. in c. 16. Exod. q. 6.

Sapiē. 16. 20.

Exodi 16. 16. 17. & 18.

Quid sit ad mensurā Gomor colligere.

Sapiē. 16. 27.

Exodi 16. 20.

Quid die sexto plus colligi, & in Sabbatiū seruari.

Oratione morbos animæ sanari.

CAPVT V.

Manna cum oratione cōparatur.

VIDIMVS quánam ratione nomina imposita illi cibo cœlesti, qui à vulgo vocatus est Manna, orationi conueniant: nunc ad rem ipsam propiùs accedamus; & an illi perfectiones illius escæ accomodari possint singulatim inuestigemus. Nec enim existimamus hæc nomina ab orationis spiritu inaniter vsurpari; immo secundùm nomen eius ita & laus eius in omnes fines terræ. Plurima de Manna dicuntur, & ex sacris Scripturis colliguntur, quæ facillimum erit considerāti ad orationem referre. Illa esca apparebat in solitudine, nec cadebat intra castra, sed extra illa. Sic oratio corda solitaria, id est, à curis multitudinis, & à solicitudinibus ne-

ex voluntate Domini in opportunum tempus dilata, nequaquam dilatione putreſcunt. Manna die ſeptimo, quieti ſcilicet deſtinato, penitus non inueniebatur: ad hunc modum quo tempore ſpirituales viri non ad requiem, ſed ad laborem & ad lucra animarum mittuntur, ne ab opere præpediantur, ſuauitatem contemplationis non reperiunt. Manna frangebatur mola, ſiue terebatur in mortario, & coquebatur in olla, & fiebant ex eo tortulæ: & diuina myſteria, quæ materia ſunt orationis, cogitatione franguntur, meditatione teruntur, contemplationis amore coquuntur, & pane ex illis confecto mens reficitur, & impinguatur. Guſtus Mannæ erat quaſi ſimilæ cum melle, paníſque oleati: immo omne delectamentum in ſe habebat, omníſque ſaporis ſuauitatem. Similiter oratio guſtata quaſi panis egregij ſaporem refert, quia reficit; & mellis, quia recreat; & olei, quia impinguat; & omnium ſaporum habet ſuauitatem, quia ex vniuerſarum virtutum exercitatione coaleſcit. Manna primùm die Dominico cecidit, cultui Domini ſpecialiter conſecrato: ſimiliter ſtillicidia orationis ſtillant ſuper nos horis atque temporibus cultui Domini deſtinatis. Ac tandem beneficium Mannæ perdurauit annis quadraginta, donec filij Iſraël ad terram ſibi promiſſam peruenerunt. Et oratio ſine intermiſſione durare debet, donec terram illam viuentium intremus, & ad patriam cœleſtem peruenimus. Hæc breuiter delibata ſunt, de ſimilitudine multiplici orationis, & Mannæ; ex quibus intelligitur orationem noſtrum panem eſſe cœleſtem. Sed ex his aliqua, quæ primam hanc tractationem compleant, latiùs tractanda ſunt, vt orationis tum neceſſitatem, tum vtilitatem exquiſitiùs agnoſcamus.

Num. 11. 8. Quid mola frangi.

Exod. 16. 31. Sapiē. 16. 20.

Ambroſ. ad c. 10. 1. ad Cor. Quid primùm Dominico die cecidiſſe.

Illud autem primò conſiderandum ſe offert, quod Abulenſis annotauit, Manna cibum fuiſſe ſalutarem, qui ægrotis congrueret, & eorum morbos, ſi quos contraherent, ad modum optimi medicamenti depelleret. Pertinuit enim ad prouidentiam Dei, vt quo tempore filij Iſraël egrederentur de Ægypto nullus eorum ægrotaret, ne eum ab itinere infirmitas, aut imbecillitas impediret. Quare in Pſalmo ſcriptum eſt: Eduxit eos cum argento, & auro: & non erat in tribubus eorum infirmus:] vt & auri, & argenti, & aliorum bonorum copia, quam in mercedem laborum ſuorum abſtulerant, eos ditaret, & incolumitas corporis alacres & expeditos ad iter faciendum efficeret. Ergo etiam fuit eiuſdem prouidentiæ opus eos toto viæ tempore à morbis liberare, aut conueniens remedium (& non appareret aliud niſi Manna) ad celerem ſalutem recuperandam offerre. In hoc autem ſtudium orationis Mannæ ſimile inuenitur, quod ægrotationes animæ ſanat, & quicquid vitioſum eſt ab orantium cordibus fugat. Ægrotationes animæ ſunt peccata tum grauia, tum leuia: item & vitia, à quibus actiones improbæ originem ducunt. Imperfectionibus ſcatere ſolent ſenſus noſtri tum interni, tum externi, & adfectus cordis, quibus immoderatè rebus viſibilibus adhæremus, vel ab iis, quæ amplecti oportebat, auertimur. Quin & vires ipſas ſuperiores memoriæ, intelligentiæ, & voluntatis turba multa culparum & imperfectionum inuadit. His omnibus multis modis obſiſtit oratio. Primò, veniam petendo, & miſericordiam ſuppliciter poſtulando. Sic Magdalena prouoluta pedibus Domini, gemitus emittens, & lacrymas fundens: ſic Publicanus in angulo rempli conſiſtens, oculos ad cœlum leuare non audens, & pectus ictibus tundens: ſic latro è cruce pendens, & Chriſtum Dei filium agnoſcens multorum peccatorum veniam impetrarunt. Sic Dauid ſenſibus & adfectibus ſuis frænum mortificationis iniecit. Sciens namque orationem huiuſmodi malorum præſentiſſimum eſſe remedium, ſic clamabat ad Dominum: Putruerunt & corruptæ ſunt cicatrices meæ: à facie inſipientiæ meæ. Miſer factus ſum, & curuatus ſum vſque in finem: tota die contriſtatus ingrediebar. Quoniam lumbi mei impleti ſunt illuſionibus, & non eſt ſanitas in carne mea. Afflictus ſum, & humiliatus ſum nimis: rugiebam à gemitu cordis mei. Domine, ante te omne deſiderium meum: & gemitus meus à te non eſt abſconditus.] Quænam erant cicatrices Dauidis. Nónne putrida & corrupta vitia ex peccatis admiſſis relicta? Quæ illuſiones lumborum, quæ illum miſerum & ad terram pronum triſtémque reddebant? Nónne adfectus immoderati, quibus ad mala deſideria raptabatur? Sed quæ medicamina his malis adhibenda iudicauit? Afflictionem ſpiritus, humiliationem animæ; dolores & gemitus cordis. Hæc illi, qui omnia nouit, per deſiderium & orationem patefecit, vt concupitæ ſalutis capax fieret. Sic & Paulus intellectiuæ parti lucem & rectitudinem comparauit. Nam & ad Epheſios ſic ſcribit: Non ceſſo gratias agens pro vobis, memoriam veſtri faciens in orationibus meis: vt Deus, Domini noſtri Ieſu Chriſti Pater gloriæ, det vobis ſpiritum ſapientiæ & reuelationis, in agnitione eius, illuminatos oculos cordis veſtri.] Spes enim, qua cœleſtem beatitudinem, ad quam vocati ſumus, ſperamus, non niſi ſpiritu fidei & ſapientiæ nobis à Deo infuſo cognoſcitur. Et magnitudo diuitiarum, quæ Sãctis paratæ ſunt, non niſi ex Dei reuelatione intelligitur. Et magnitudo virtutis, ſeu potentiæ Dei, qua nos è tenebris ad ſe vocauit, non niſi oculis à Deo illuminatis aſpicitur. Et hi oculi, hæc reuelatio, & hæc ſapientia non niſi oratione propria, aut aliena, iuſtorum ſcilicet, & Eccleſiæ pro cæcis orantis, ab his, qui ea indigent, comparantur.

Pſal. 37. 6.

Epheſ. 1. 16.

Abulenſ. in Exod. ad c. 16. Manna ſanabat infirmos, ſanat & oratio. Pſal. 104. 37.

Si cupis ergo, ô homo, tua peccata ſiue multa, ſiue pauca; ſiue grauia, ſiue leuia deleri, inſtanter ora, & deprecare Dominum, vt remittat nequitiam cordis tui. Oratio namque ipſa clamat, & dicit quia ipſa impetrat remiſſionem peccatorum. Vnde Ioannes Climacus ſic eam loquentem inducit: Exurgentes audiamus hanc virtutum reginam, excelſa ad nos voce clamantem, ac dicentem: Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati eſtis, & ego vos reficiam. Tollite iugum meum ſuper vos, & inuenietis requiem animabus veſtris, plagíſque veſtris medicinam. Iugum enim meum ſuaue eſt, & peccata ſanat maxima. Si optas vitia tui cordis extingui, orationi te trade. Oratione & lacrymis Petrus puſillanimitatem vicit; oratione Paulus infidelitatem deiecit: oratione Apoſtolorum Thomas duritiem cordis & incredulitatem fugauit.] De eáque Ambroſius ait: Vbi adeſt oratio, adeſt verbum: fugatur cupiditas, libido diſcedit. Certè Moſes, vt dicitur in libro Iudith, Amalech confidentem in virtute ſua, non pugnando, ſed precibus ſanctis orando, deiecit. Sic & nos orando, ac Deum ſuppliciter exorando vitia proſternemus, & ea à nobis potenter fugabimus. Si deſideras ſenſus cohibere, gladium orationis arripe, quo ab eis ſuper-

Remiſſionem peccatorum impetrat oratio. Climac. gradu 18.

Ambroſ. lib. de viduis.

Iudith 4. 13.

fluas

fluas functiones abscindas. Tu ipse sis testis, quia viri spirituales hoc ipsum oratione fecerunt. Dum enim assuescunt pro hac victoria Dominum deprecari,& cœlestia mentis oculis aspicere, auribus audire,& cogitatione voluere:nolunt iam ad terrena sensus corporis aperire. Quòd si necesse sit hæc visibilia aliquo sensu tractare, dicunt, vt B. Pater IGNATIVS ab oratione veniens aliquando dicebat: Heu quàm sordet terra,cùm cœlum aspicio. Nec volunt ea, quæ vilescunt & tabescunt,aspicere,sed quę sunt incorruptibilia contemplari. Si vis passiones cohibere, noli ab oratione cessare. *1.Reg.1. 18.* Anna Samuelis mater ita cor suum oratione moderata est, vt vultus illius non essent amplius in diuersa mutati.Adfectus enim eius,nomine vultuum designati,oratio cohibuit,& intenta deprecatio repressit,ne iterum cor ipsius immoderata afflictione turbarent. *Daniel. 3. 50.* Et tres pueri in fornace Babylonica oratione ab igne efficaciam vrendi abstulerunt: fecitque Dominus ad deprecationem illorum medium fornacis quasi ventum roris flantem. Sic & tu poteris oratione adfectus tuos ad moderantiam adducere, & nocendi efficacitatem auferre. Tandem si cordi tibi sit intellectum à tenebris,& voluntatem à prauitate liberare,orationem frequenta.Etenim quemadmodum sol,inquit Chrysostomus,lucem præbet corpori,sic animæ lumen est precatio. *Chrysost. 1.de orãdo Deũ.* Proinde si cæco damnosum est nõ intueri solem;quanto grauius damnum est homini Christiano, si non assiduè Deum precetur, neque Christi lucem orando in animum suum inducat.] Oratio ergo impetrando & postulando sanat quicquid in mentibus nostris vitiosum est.

Quomodo peccatis oratio faciat medicinam. Deinde hanc salutem adfert, & animæ morbos depellit, quatenus eorum nequitiam fœditatémque deprehendit. Illud enim est ægritudinum corporis animæque discrimen, quòd illæ, nolentibus nobis,adueniunt,& durant: istæ verò sine voluntate nostra nec accidunt, nec perseuerant. Nam quis nescit solum hominem volentem peccato fœdari,& postquam infectus peccato est, sola voluntate sua in peccato perseuerare? Si autem voluerit, gratia Dei, quæ bonam voluntatem præcedit,& comitatur,atque subsequitur, posse eum nequitiam deserere,& ad bonam vitam redire. Modus autem voluntatis is est, vt cognita bona diligat, & cognita mala respuat. *Peccatis medetur dũ agnoscit.* Oratio igitur quadam parte sui,nimirum consideratione,ac meditatione immensam peccati malitiam agnoscit, vitiorum fœditatem intelligit, animæ passionibus immoderatis subiectæ vilitatem comprehendit. Hinc verò odium magnum peccati exoritur, & vitiorum,atque immortificationis, & nimij amoris terrenorum detestatio suscitatur. O quoties homo in oratione positus,& ad Deum adfectibus sanctis appropinquare gestiens, eum sibi loquentem audit: *Exodi 3. 5.* Ne appropies huc: solue calceamentum de pedibus tuis:locus enim, in quo stas, terra sancta est] Abiice, inquam, solicitudines sæculares, vt Theodoretus interpretatur, & adfectibus tuis modum impone,vt mihi possis mente adhærere. *Theodor. q. 7. in Exod. Psal. 76. 7.* O quoties experitur illud sancti Dauidis:Meditatus sum nocte cum corde meo, & exercitabar, & scopebam spiritum meum.] Totis noctibus, inquit, ad cogitandum & meditandum me tradidi: multis ac variis adfectibus cor meum exercui, & illis quasi scopis quibusdam mea interiora mundaui, vel tamquam sarculo superflua noxiáque præcidi. *Greg. 4. mor.c.30.* Mens, ait Gregorius, dum occultæ locutionis aspiratione tangitur, à statu suæ fortitudinis infirmata, ipso, quo absorbetur, desiderio liquatur; inde se apud semetipsam fessam inuenit, vnde vltra se esse conspicit fortitudinem, quam conscendit. Hinc Propheta cùm visionem Dei se conspexisse diceret,adiungit:Elangui, & ægrotaui per dies plurimos; quia cùm ad virtutem Dei mens adstringitur, à fortitudine propria caro lassatur. *Daniel. 8. 17.* Hinc Iacob, qui Angelum tenuit, vno mox pede claudicauit; quia, qui vero amore sublimia respicit, iam in hoc mundo duplicibus incedere desideriis nescit. *Gen. 32. 31.* Vno enim pede innititur,qui solo Dei amore roboratur: & necesse est vt alius marcescat, quia mentis virtute crescente, oportet proculdubio, vt carnis fortitudo torpescat.] Itaque sicut terra excipiens imbrem mollis efficitur, vt ab ea sentes & spinas euellat agricola, & postquam eam mundauerit,bona semina iaciat;ita anima pias meditationes & sanctos adfectus suscipiens,blanda & tenera efficitur,vt peccata & vitia extirpentur, & noxij adfectus præscindantur, bonúmque semen virtutis in eam Christus iniiciat. Nec immeritò orationem pluuiæ comparabimus, de qua dici potest illud Dauidis:Pluuiam voluntariam segregabis, Deus, hæreditati tuæ: & infirmata est;tu verò perfecisti eam.] *Psal. 67. 10.* Certè oratio pluuia est voluntaria, id est,opportuna, quæ commodis temporibus in animam ex auxilio cœlesti descendit, vt tamquam hæreditas Domini fructibus perfectionis abundet. Hæc hæreditas sterilis erat, quando ei hæc salutaris pluuia deficiebat. Dominus verò misertus eius donum orationis sicut pluuiam temporaneam & serotinam super eam misit, & beneficio talis pluuiæ eam stabiliuit, atque perfecit.

Cõtraria cõtrariis qui curet oratio. Alio denique modo oratio ægritudinibus animæ medetur,quia scilicet ea mens seipsam erigit, & aduersùm ægritudinem contrariis actibus conualescit. Corporis inualetudines ita medicamentis curantur, vt ipsam naturam iuuent, & roborent, vt possit noxiam qualitatem arcere,& se ad pristinam salutem reuocare. Quòd si natura ipsa aduersùs infirmitatem non conetur, & illi non resistat, eámque non vincat, nullo modo ad fugiendam mortem extrinsecus ascita medicamẽta sufficient. Sic prorsus præcipua instrumenta adsequendæ interioris sanitatis sunt actus illi interni ex gratia nos iuuante procedentes,quibus vitiis peccatísque resistimus,& contra iniquitatem pugnamus,& virtutem oppositam exercemus. Hoc autem mirificè præstat oratio, in qua non solùm mens præterita peccata deflet,nõ solùm veniam postulat, sed constantissima proposita de cætero fugiendi talia peccata elicit,sed ea detestatur,& abominatur, sed semetipsam reprehendit, sed pro actibus superbiæ actus humilitatis; pro actibus iracundiæ, aut reliquorum vitiorum, actus mansuetudinis, & aliarum virtutum amplectitur.Nónne vidisti,ô homo, aliquos ieuniis cõfectos, saccis & ciliciis hispidos, flagris liuidos, superbia tumentes, iracundia turgentes,& aliis similibus vitiis infectos? Ita sanè. Vnde hoc? Inde profectò, quòd medicamina acquirendæ salutis sumserunt, ipsam autem mentem virtutum actibus propriis superbiæ,& iracundiæ, & aliis vitiis resistentem,& seipsam aduersùs ægritudinem erigentem habere non curarunt. Si autem afflictioni corporis internam exercitationem adiecissent (quæ mirificè oratione & meditatione perficitur) immo & ei primas partes tribuissent, vitiorum expertes, & solidarum virtutum facti

fuiſſent participes.Doctrina hæc videtur eſſe Pauli:Exerce, inquit, teipſum ad pietatem. Nam corporalis exercitatio ad modicum vtilis eſt. Pietas autem ad omnia vtilis eſt.] Pietas,vt ait Auguſtinus, Dei cultum ſignificat. Hunc autem Deo oratione tribuimus. Exercitatio (vt exponit Anſelmus) eſt in ieiuniis,& vigiliis, & labore manuum, atque multimoda corporis afflictione. Iſta vtilis eſt,quia corpus macerat,& à prauis motibus liberat,& ad dona magna ſuſcipienda parat. At parum vtilitatis habet reſpectu magnæ vtilitatis religioſę mentis. Hæc quippe per pietatem,per cultum Dei, quo ipſum adorat,& laudat, quo peccata odio habet,& deflet,quo à vitiis & immortificatione abſtinere conſtituit, quo actiones interiores virtutis exercet,ſalutem concupitam acquirit. Bene itaque Richardus Victorinus cuidam contemplationis generi, quo inuiſibilia percipiuntur (nam hîc de oratione agimus vt contemplationem quoque comprehendit) animæ libertatem adſcribit.Hanc, inquit, ſpiritualis ſcientiæ coronam accipit, quiſquis ab huius exilij ærumnis inuiſibilium gaudiorum libertatem mentis contemplatione tranſire potuit, vbi tandem ſpiritus ille rationalis, qui diu ſederat in tenebris & vmbra mortis, vinctus in mendicitate, & ferro, diſcuſſis tandem tenebris ignorantiæ, diruptis catenis concupiſcentiæ, in eius ſanè virtute, qui educit vinctos in fortitudine,conterens portas æreas, & vectes ferreos confringens inueteratæ conſuetudinis & obdurationis anguſtias ſuperans per mediam infinitæ multitudinis aciem infimorum deſideriorum, & carnalium cogitationum vndique occurſantium, & vſquequaque obſiſtentium,violenter erumpit,& vix tandem ſe in ſui iuris palatium recipit, dum ſe in cœleſtis habitaculi ſolium totum colligit, vt de cætero cum ſuis commilitonibus, ſimilibúſque triumphatoribus fiducialiter pſallere poſſit: noſtra cõuerſatio in cœlis eſt.] Sic ille.Et certè mens quantumuis inuiſibilia oculis contemplationis aſpiceret,veraciter iſtud non caneret,niſi vitiis & peccatis obſtitiſſet.

Conſtat igitur ex his magnam eſſe huius duplicis cibi, nempe Mannæ, & orationis, cognationẽ. Siquidem vterque à morbis ſanat, niſi quòd ille corporales ægritudines tollebat,hic verò ſpiritualibus morbis omni ægritudine corporali longè maioribus remedium adfert. Dominúſque dum viris ſpiritualibus hunc orationis panem ſubminiſtrat,ſe Dominum omnipotẽtem eſſe demonſtrat. Dicítque ſæpe illis intus in cordibus eorum, non exprobrando ſicut filiis Iſraël, ſed ad laudem & gratiarum actionem inducendo,quod in Deuteronomio ſcriptum eſt: Adduxi vos quadraginta annis per deſertum: non ſunt attrita veſtimenta veſtra,nec calceamenta pedum veſtrorum vetuſtate conſumta ſunt. Panem non comediſtis, vinum & ſiceram non bibiſtis, vt ſcitetis quia ego ſum Dominus Deus veſter.] Toto ſcilicet vitæ ſpiritualis tempore quadraginta annis deſignato, vos in deſerto huius mortalis vitæ protexi.Nec indumenta veſtra, id eſt, virtutum ſplendida tegumenta per ſocordiam attrita ſunt;nec calceamenta illa,nimirum adiumenta, quibus protegebamini, feruoris vetuſtate conſumta. Panem rerum temporalium adfectus adhæſione non comediſtis: vinum conſolationum huius ſæculi non bibiſtis. At Angelorum cibo,& orationis alimento paſti eſtis, quo panis, & vini, & omnium rerum terrenarum vicem ſupplente, compertum fuit vobis me eſſe Dominum Deum veſtrum, qui poſſum tam pretioſum cibum miniſtrare. Hic orationis cibus eſt medicamentum vitæ, quoniam peccato mortuis vitam impetrat,& gratia viuentibus vitæ huius durationem & augmentum obtinet. Puella Archiſynagogi filia, & adoleſcentulus pignus dulciſſimum viduæ Naim,& Lazarus quatriduanus,illa patris, ille matris, iſte ſororum oratione ſuſcitantur, quia Dominus ad preces eorum mortuos ad vitam reuocauit. Sic graui peccato mortuos, & iniquitate fœtentes Eccleſię & bonorum orationibus à morte liberat,& gratiæ vitam impertit. Qui infirmus erat accedens ad Dominum ſalutem poſtulabat,& ſanabatur. Sic modò aliqua mentis infirmitate detenti,& iracundia,aut ambitione,aut ſuperbia infecti, fuſa ad Deum intenta precatione ſanantur. Nec te moueat quòd multi orant, & ſanitatem non obtinent. Huius enim medicaminis minor efficacitas (quod ſemel ſit dictum) non orationis infirmitas,ſed ipſorum orantium ſocordia, & malitia cauſſa eſt. Medicamenta corporalia, etiam efficaciſſima minùs bene applicata non ſanant; & oratio tepidè fuſa, & meditatio diſtracta morbos animæ non depellunt. Petitis, inquit Iacobus, & non accipitis,eo quòd malè petatis.] Malè quidem petit non ſolus,qui mala petit,ſed & qui bona frigidè,oſcitanter,irreuerenter,& inconſtanter petit: & ideo quod petit non accipit. Tu, ô vir Dei, ardenter & perſeueranter pete, intentè & diligenter diuina meditare, & videbis auxilium Domini ſuper te,vt mutationem magnam à Deo factam tuæ conuerſationis experiaris,& à prauis conſuetudinibus ac peccatis ſaneris.

1. Tim. 4. 8.

Auguſt.

Anſelm. ibid.

Richard. 2.de contempl. c. 13.

Quenam ex oratione premanet vtilitas.

Deuter. 29. 5.

Iacobi 4. 3.

Per orationem iuſti animam virtutibus nutriri & augeri.

CAPVT VI.

DICTVM eſt Manna vicem habuiſſe medicaminis, aut certè alimenti medicinalis, quod morbos ſanaret:nunc ſciamus & fuiſſe cibum,qui omnium ciborum defectum ſuppleret,& ac ſi eſſet omnis cibus comedentes ſe tum bonos, tum malos, omni ſuauitate reficeret. Indicant id illa verba Sapientiæ: Angelorum eſca nutriuiſti populum tuum, & paratum panem de cœlo præſtitiſti illis, omne delectamentum in ſe habentem,& omnis ſaporis ſuauitatem. Subſtantia enim tua dulcedinem tuam, quam in filios habes, oſtendebat: & deſeruiens vniuſcuiuſque voluntati, ad quod quiſque volebat, conuertebatur.] Huius communis ſuauitatis veroſimilius credimus omnes Iſraëlitas fuiſſe participes,vt hoc beneficium, ſicut & reliqua in deſerto facta omnibus eſſet commune, & vt panis è cœlo miniſtratus improbos à concupiſcentia earum,quas in Ægypto reliquerant, eſcarum auerteret, & iuſtos ad amorem & gratiarum actionem alliceret. Sed quo pacto hic cibus vnus exiſtens omnium ciborum habebat ſuauitatem? An ex eo tantùm quòd Deus iuxta voluntatem comedentis Mannæ ſaporem mutaret (vt Cæſarius Arelatenſis intelligit) & in ore ſumentium quaſi nouo ſapore condiret? Hic ſanctus Doctor ſic ait: Quòd ſi illud legis Manna,de quo legitur: Pluit illis Manna, vt ederent; hoc vnicuique ſapiebit,quod deſiderium concupiſceret: aliud erat,quod ſumebat,

Sapient. 16. 20. & 21.

Manna ſapores omnes cõtinebat.

Cæſarius homil. 1. de Paſch.

bat, & quod videbatur, inuiſibiliter ſapor ille in ſingulorum ſenſibus formabatur. At verò illud legis Manna cœlitus illapſum per multimodas ſuauitates, naturæ meritum, & generis ſui excedebat intuitum. Et cùm creaturam ſuam diſpenſatio largitoris multiplici diuerſitate condiret, præbebat guſtus, quod ignorabat aſpectus. Iuxta percipientis deſiderium eſcæ illius nouitas & dignitas naſcebatur. Vnumquemque variis & alienis ſaporibus reficiebat, mellifluum pluuiæ illius donum, & multiplex ſicci imbris obſequium.] An ex eo Manna omnium ſaporum ſuauitatem habebat, quia à Deo pro voluntate ſumentium in varias ſubſtantias conſeruatis eiſdem accidentibus vertebatur? Certè id Auguſtinus ſenſiſſe videtur, aſſerés quòd Deus creaturam illam viſibilem in id, quod opus erat, pro tempore conuertebat. Et Chryſoſtomus, dum dixit nouum quottidie cibum Iſraëlitis fuiſſe miniſtratum. Nouum quidem non externa ſpecie, ſed virtute, & reficiendi poteſtate. Et fauet Scriptura, dum ait: Propter hoc, & tũc in omnia tranſfigurata omnium nutrici gratiæ tuæ, id eſt, beneficio tuo, deſeruiebat ad voluntatem eorum, qui à te deſiderabant.] Et in Pſalmo: Panem Angelorum manducauit homo: cibaria miſit eis in abundantia.] Manna enim non cibarium, ſed cibaria vocatum eſt, quòd in ſe omnium ciborum quaſi naturam contineret. Ego quidem hanc quæſtionem non definio; ſed iis, qui has res ex profeſſo tractant, decidendam relinquo. Illud autem proferre audeo, orationis cibum vtroque modo omnium virtutum ſuauitatem habere, & in ipſarum ſaporem ac ſubſtantiam commutari.

Aug. 3. de Trin. c. 1. Chryſoſt. quòd nemo læditur niſi à ſeipſo. Sapient. 16. 25.

Pſal. 77. 25.

Omnium virtutũ ſapores quomodo contineat oratio.

Oratio vniuerſarum virtutum ſaporem habet, quia pro orantis volũtate, non tantùm ad guſtum, ſed & ad ſubſtantiam cuiuſque virtutis ſe conuertit. Guſtum virtutis alicuius, exempli gratia humilitatis, aut charitatis, continet meditando, & poſtulando. Nam cùm quis Chriſti humilitatem, qua ſe vſque ad mortem deiecit: aut charitatem, qua pro nobis animam poſuit, meditatur; guſtatus eius internus harum virtutum ſuauitate perfunditur. Cùm quis ſuam vilitatem conſiderat, vt ſe humiliet, & Dei bonitatem, vt eum diligat, quid niſi humilitatem & charitatem guſtat? Et ſicut filius, qui in domo patris cibum aliquem ſuauiſſimum guſtauit, illum enixè à patre, vel matre, vel ancillis petit: ita & nos quia meditatione virtutem, quam volumus, guſtauimus, ideo eam à Chriſto tamquam auctore, vel à Deipara Virgine, vel à Sanctis tamquam ab interuentoribus poſtulamus. Ipſa quoque poſtulatio, ſeu petitio, aut guſtatio virtutis, aut recordatio eſt illius ſuauitatis. Nam quis vmquam cibum poſtulat, niſi aut vt eum guſtet, aut illius dulcedinis recordetur, aut illum ſibi ſuauem ac ſalutarem eſſe cognoſcat? Auguſtinus ſanè omnium virtutum ſuauitatem orationi ineſſe concedit, dum ita ſcribit: Quid eſt oratione præclarius? Quid vitæ noſtræ vtilius? Quid animo dulcius? Quid in tota noſtra religione ſublimius? Oratio eſt, quæ ad bonum nos Chriſtianos prouocat. Oratio eſt, qua cum Deo loquimur, qua Patrem eum dicimus, qua vniuerſa deſideria noſtra in conſpectu maieſtatis eius effundimus. Oratio eſt, quæ cœlos penetrat, nubes tranſit, Dei aures attingit. Hæc in Eccleſiæ gradibus vniuerſis neceſſaria eſt. Hæc catechumenis ſpiritum, fidelibus præſidium, pœnitentibus ſolatium præſtat. Hæc iuſtos cõtinet, ſubleuat peccatores. Per hanc etiam qui ſtant non cadunt, & qui eliſi ſunt, eriguntur.

Auguſt.

A Hac vtitur ætas omnis, & ſexus, hac conditio omnis & dignitas. Hæc magna ſeruat, hæc tutatur & minima. Per hanc diuites tuti ſunt, per hanc pauperes non deficiunt. Hæc pro illorum abundantia excubat; hæc vt ab iſtis penuria expellatur, exorat. In hac gubernamur in proſperis, per hanc fiduciam gerimus in aduerſis. Hæc nobis in gaudiis iucunda eſt, hæc in luctibus ſuauis. Per hanc lætitiam percipimus, per hanc triſtitiam declinamus. Huic animi noſtri pondus, & tædium, nociuáque omnia commẽdamus. Hanc quaſi idoneam quamdam & tutiſſimam nauim vniuerſorum noſtrorum deſideriorum mercibus oneramus, quæ ad omnipotentem Deum precamur expanſis manibus, fuſíſque precibus, proſpero fœlicíque curſu B perueniat. Per hanc omnia timoris Domini ornamenta percipimus. Per hanc quicquid fides inchoat, ſpes cumulat, charitas decorat, aſſidua deprecatione ſeruamus. Per hanc caſtitate tuemur, continentia virtutéque omni gubernamur. Per hanc in confeſſione perſiſtimus, in tentatione duramus. Per hanc pro Chriſto corporis vincula ſuſtinemus. Per hanc poſtremò beata martyria conſummamus.] Sic ille. Quis autem hæc audiat, & orationi omnium virtutum ſaporem ineſſe non aduertat? Quomodo enim ipſa virtutum functiones præſtaret, & quaſi munera obiret, ſi guſtum ſaltem virtutum non haberet?

In ea incipientes compunctionem & peccatorum ſuorum deteſtationem guſtant, cuius rei indices & quaſi teſtes ſunt lacrymæ, quæ ipſorum genas corporis ad animæ munditiem, & pulchritudinem fœdant. Exaudi orationem meam, Domine, ait Dauid, & deprecationem meam: auribus percipe lacrymas meas.] Orationi lacrymas iungit, quia in ea compunctionis ac lacrymarum guſtum percepit. Et lacrymæ non tam oculis, quàm auribus perceptæ, quid niſi clamorem orationis refertum compunctione deſignant? In ea proficientes virtutum ſapore lactantur: nam ſi eorum vitam inſpiciamus, qui diligenter orationi incumbunt, ſatis ſe in ea morales virtutes guſtaſſe prætendunt. In mediis eligendis dexteritas; in proximis nec opere nec verbo lædendis cura; in periculis pro amore Dei ſuſtinendis firmitas: in rebus temporalibus admittendis parcitas, ſatis eos prudentiam, iuſtitiam, fortitudinem, ac temperantiam guſtaſſe declarant. Hoc in illis eiuſdem vatis verbis intelligo: Domine Deus virtutum exaudi orationem meã: auribus percipe Deus Iacob.] In Domino immenſam abundantiam virtutum olfecit, & iccirco virtutes oratione popoſcit. Et quia hæ per exemplar omnium virtutum, nempe per Chriſtum dantur, propterea addit: Protector noſter aſpice Deus; & reſpice in faciem Chriſti tui.] In oratione tandem perfecti fidei, ſpei, & charitatis ſuauitatem capiunt, & virtutes iſtas præcipuas, dum Deum contemplantur, & cum eo colloquia miſcent, dulcedinis plenas experiuntur. Optimè ergo dixit Chryſoſtomus orationi virtutum adeptionem attribuens: Porrò vitam piam, ac Dei cultu dignam miris modis oratio conciliat, conciliatam auget, ac ceu theſaurum recondit animis noſtris. Etenim ſiue quis virginitatis amore tenetur; ſiue quis ſtudet amplecti honorabilem coniugij caſtimoniam; ſiue quis meditatur iniicere frænum iracundiæ, & cum manſuetudine familiaritatem habere; ſiue quis cupit ab inuidiæ lue purus eſſe: denique ſi quis aliud quippiam facere ſtudet, quod ad rectè viuendum pertinet, duce preca-

C

D

E

Pſal. 38 13. Quẽ guſtum exhibeat pœnitentibus.

Pſal. 83. 9.

Ibid. ver. 10.

Chryſoſt. lib. de orã do Deum.

tione,

tione,ac huius vitæ viam præparante,commodum ſimul & facilem habiturus eſt pietatis curſum. Neque enim fieri poteſt,non poteſt, inquam, fieri, vt qui poſtulant à Deo pudicitiam,iuſtitiam, manſuetudinem, ac benignitatem, non aſſequantur id, quod petunt.] Ac poſt multa iterum ait:Arbitror itaque cunctis eſſe manifeſtum, quòd ſimpliciter impoſſibile ſit abſque precationis præſidio cum virtute degere, cúmque hac huius vitæ curſum peragere. Etenim quî fiat,vt quis virtutem exerceat,niſi continenter adeat, & ſupplex ad genua accedat eius, qui virtutem omnem ſuppeditat, ac largitur hominibus? Rurſum quî fiat, vt aliquis concupiſcat eſſe temperatus,ac iuſtus, niſi lubens cum eo conſuetudinem & colloquium habeat,qui cùm hæc,tum etiam plura exigit à nobis? Si adeptio virtutum ab oratione prouenit, non multum ei profectò tribuimus cùm multiplicem virtutum ſaporem ei tamquam Manna viris ſpiritualibus reſeruato ineſſe putamus.

In oratione virtutũ omniũ ſubſtãtia reperitur.

At parum eſt hoc.Sciendum eſt enim in oratione nõ tantùm vniuerſarum virtutum ſuauitatem, ſed & ſubſtantiam inueniri. Nam ipſa virtutes nũc vnam,nunc alteram; nunc has,nunc illas; nunc quaſi momẽto temporis ſine vlla exceptione vniuerſas exercet. In oratione poſitus iuſtus nunc ex ſuæ vilitatis conſideratione per humilitatem deiicitur: deinde ex notitia diuinæ miſerationis per ſpem in certiſſimam futuræ retributionis expectationem erigitur. Poſtea ex contemplatione illius infinitæ bonitatis, ardentiſſimo amore flammatur. Iam ex notione voluntatis iuſtiſſimæ illius ſui conditoris,quem amat, eam implere conſtituit, & per iuſtitiam maioribus, æqualibus, & minoribus debita,per fortitudinem,ſuſtinentiam in periculis, & per temperantiam ſibiipſi moderata & neceſſaria tantùm dare conſtituit. Iam à Domino actus tanta breui tempore iuſtus agit,quanta nec multis horis antea cogitare valeret. Quod Caſſianus poſt declaratam communem orationem, ad ſublimiſſimam ſermone tranſiens ſic explicat: Hæc igitur oratio licet omnem videatur perfectionis plenitudinem continere, vtpotè quæ ipſius Domini auctoritate vel initiata ſit, vel ſtatuta; prouehit tamen domeſticos ſuos ad illum præcelſiorem,quem ſuperiùs commemorauimus,ſtatum, eóſque ad illam igneam,ac perpaucis cognitam, vel expertam, immo (vt propriùs dixerim) ineffabilem orationem, gradu eminentiore perducit, quæ omnem tranſcendens humanum ſenſum, nullo non dicam ſono vocis, nec linguæ motu, nec vlla verborum pronunciatione diſtinguitur, ſed quam mens infuſione cœleſtis illius luminis illuſtrata, non humanis atque anguſtis deſignat eloquiis, ſed conglobatis ſenſibus,velut de fonte quodam copioſiſſimo effundit vbertim, atque ineffabiliter eructat ad Dominum, tanta promens in illo breuiſſimo temporis puncto, quanta nec eloqui facilè, nec mẽs percurrere in ſemetipſam reuerſa præualeat.] Sic ille. Duplices ſunt virtutum actus,alij externi, alij interni. Illi ad vitam actricem, quam exteriùs boni ſectantur; hi ad conſiderationem & orationem pertinent. Ergo oratio in ea latitudine ſumta,qua omnia illa interiora comprehendit, quæ in Dei cultum exercentur, ſubſtantiam vniuerſarum virtutum habet, ſiquidem earum actiones interiores elicit. In oratione anima pulchritudinem & decorem acquirit, qui non in alio, quàm in gratiæ & virtutum adeptione conſiſtit. Cui bene aptatur tamquàm filiæ, quod de Eccleſia matre dictum eſt per Iſaiam: Lætabitur deſerta, & inuia, & exultabit ſolitudo, & florebit quaſi lilium.] Quæ deſerta? Nónne anima à Dei gratia derelicta? Quæ inuia? Nónne anima, in qua peccatum ingrediendi locum reperit, & Chriſtus manſionem non inuenit? Quæ ſolitudo? An non anima virtutum donorúmque pauper, & indiga? Hæc floret quaſi lilium, quod florum omnium eſt pulcherrimũ, cùm Dei gratia veſtitur. Hæc germinans germinabit, id eſt, abundantiſſimè germinabit,cùm opera bona proferet, & exultabit lætabunda, & laudans, cùm bonæ in ſe conſcientiæ teſtimonium ſentiet. Gloria Libani data eſt ei,decor Carmeli,& Saron,cùm vniuerſarum virtutum ſplendorem accipiet. Sed vnde animæ tanta gloria? Vnde tanta pulchritudo virtutum? Certè ex eo, quod ſequitur: Ipſi videbunt gloriam Domini, & decorem Dei noſtri.] Qui enim orationi dediti gloriam Chriſti ſpeculantur,& magnalia eius contemplantur, hi prædictam virtutum pulchritudinem conſequentur.

Iſaiæ 35. 1.

Ibid.ver. 2.

Lib.3. de exterminatione mali, & promotione boni, per totũ.

Virtutũ inſtrumenta mouet.

Vnde amplius colligemus in oratione virtutum vniuerſarum eſſe ſubſtãtiam? Ex eo quidem, quod duodecim inſtrumenta alibi expoſita, quibus virtutes acquiruntur, ipſa tractat, & mouet. Inſtrumentum adſequendæ virtutis eſt cognitio ipſius? Sed oratio ex ea parte, qua conſideratio,ſeu meditatio eſt,virtutes agnoſcit,& earum naturam,cauſſas,actiones, & effectus, non tantùm vt ſciat, ſed etiam vt operetur, inquirit. Quapropter orationis effectus ſapientia & ſcientia dicitur, quoniam ex ea tum cœleſtium tum terreſtrium notitia generatur. Ideóque Auguſtinus,aut quiſquis eſt auctor libri de ſpiritu & anima, vocat eam occultæ veritatis ſtudioſam inueſtigationem.Et Iſidorus:Quæ neſcimus, ait, lectione diſcimus: quæ autem didicimus meditationibus conſeruamus.] Ac tandem Chryſoſtomus: Qui cum ſapientibus viris colloqui ſolent, propter aſſiduam conſuetudinem breui ſic tranſmutantur, vt illorum prudentiam referant; quid dicere conuenit de his, qui cum Deo colloquia miſcent, ei ſua vota deferentes? Quanta ſapientia,quanta virtute,quanta prudentia, quanta bonitate,quanta ſobrietate, quanta morum æquitate replet illos precatio, & obſecratio?] Profectò certum eſt (vt ad noſtrum propoſitum redeamus) viros orationi & contemplationi inſtantes virtutum cognitione repleri, & ex hac cognitione ad virtutum actiones incitari,immo & virtutum magiſtros fieri:vt quemadmodum excellentes mali in cathedra peſtilentiæ ſedent,vt iniquitatẽ doceant: ita ſpirituales viri ſuggeſtum ſalutis aſcendunt, vt ad virtutem & omnem probitatem erudiant.

Cap.32.

Iſidor.3. ſent.c. 8.

Chryſoſt. 2.de orando Deũ.

Caſſian. col. 9. c. 24.

Virtutũ æſtimatio oratione acquiritur.

Inſtrumentum ad quærendam virtutem eſt æſtimatio virtutis? Sed in oratione eam magni reputamus, vbi ipſius neceſſitatem, & præſtantiam, & meritum agnoſcimus. Eſt poſtulatio? Sed oratio vna ſui parte virtutum eſt, & omnium cœleſtium donorum petitio. Quare Auguſtinus monet vt virtutes oratione petamus. Eius verba ſunt: Quapropter chariſſime in Chriſto frater, deprecanda eſt nobis diuina clementia, vt deſideria carnalia delectatio ſpiritualis minuat, & pietas in nobis crudelitatis iram reſtringat, & malignitatem patientia coërceat, & libidinem prudentia vincat, animoſitatem tranquillitas toleret, ſcurrilitatem & verboſitatem taciturnitas moderata compeſcat, curioſitatem ſtudium ſpirituale in vigiliis, & orationibus, & eleemoſynis ſuccidat. Ebrietatem ſobrietas domet, iræ & furori manſuetudo dominetur, leuitatem maturitas regat,luxuriam vera caſtitas

Aug. lib. de ſalutaribus documẽ. cap.18.

ſtitas excludat,mundi cupiditatem Dei & proximi charitas refrænet,iactantiam & ſuperbiam conculcet profunda humilitas; quia humilitas homines ſanctos Angelos facit, & ſuperbia dæmones ex Angelis fecit.]

Sui diffidentia oratione comparatur.

Inſtrumentum eſt diffidentia ſui ipſius? Sed oratio quid aliud eſt,quàm quædam diffidentia ſui, & ſpes certiſſima in Deo collocata? Ideo enim ad Deum aſſidua oratione recurrimus, quia ab eo accipere bona ſperamus, & in noſtris viribus, aut induſtria ſperare non nouimus. Ac propterea oratio eſt inſeparabilis comes gratiæ Dei, quia id ſemper poſtulat, quod ſcit non à poteſtate hominis,ſed à diuina bonitate procedere.Inſtrumentum eſt virtutis deſiderium? Sed ſi oratio virtutum nobilitatem agnoſcit, & ipſarum abſentiam à noſtris mentibus aſpicit,& eas per gratiam Dei nobis poſſibiles videt; non multum ſi eas ardenter deſideret. Inſtrumentum eſt intentio operandi ex fine virtutis? Hanc autem intentionem meditatio concipit; oratio, ſiue poſtulatio parturit, & voluntas diuino fulta auxilio ad ſuam perfectionem perducit. Vnde de conſideratione inquit Bernardus, quòd fontem ſuum, id eſt,mentem, de qua oritur, purificat:deinde regit adfectus,dirigit actus, corrigit exceſſus, componit mores, vitam honeſtat, & ordinat.]

Bern. 1. de conſideratione.

Quærendis virtutibus vires ſufficit.

Alia inſtrumenta breuiter percurramus. Oratio robur mentis ad quærendas virtutes ſubminiſtrat, non tantùm quia illud impetrat, verùm & quia media virtutis cognitione ac deſiderio mentem ad virtutem quærendam, quam præſtantiſſimam & amabiliſſimam eſſe intelligit, efficaciſſimè roborat.Oratio ſpecialem curam acquirendi vnam virtutem poſt aliam ingerit; quia vires hominis limitatas videns omnibus virtutibus ſimul ex profeſſo acquirendis vacare non audet.Oratio (vt iam diximus) actus internos virtutum exercet:ad nullam occaſionem proficiendi poſthabendam impellit: viam regiam, qua alij profecerunt, & inſtituti cuiuſque cuſtodiam tenere ſuadet.Ac proinde iure optimo Ioannes Caſſianus orationem ac virtutes ita concatenatas eſſe cenſet, vt neque illius perfectionem ſine iſtis, neque iſtas ſine illa valeant inueniri. Sicut ad orationis perfectionem, inquit, omnium tendit ſtructura virtutum; ita niſi huius culmine hæc omnia fuerint colligata, atque compacta, nullo modo firma poterunt,vel ſtabilia perdurare. Quemadmodum enim ſine illis acquiri, vel conſummari non poteſt hæc, de qua loquimur, perpetua orationis iugíſque tranquillitas: ita ne illæ quidem virtutes,quæ hanc præſtruunt,abſque huius poſſunt aſſiduitate compleri.]

Caſſian. col.9.c.1.

Eſt ergo oratio Manna ſpirituale,ſiue cibus ille, qui omnium in ſe habet virtutũ ſuauitatem. Quo cibo Deus iuſtos ſuos multiplici virtute cumulat, & ſpiritualium chariſmatum abundantia multiplicat. Quamobrem regius Vates ab oratione ſpiritualium donorum abundantiam prouenire non dubitat. Sic ille ad Dominum loquitur: Benedices coronæ anni benignitatis tuæ, & campi tui replebuntur vbertate.] Annus benignitatis Dei, tempus gratiæ eſt, in quo apparuit benignitas & humanitas Saluatoris noſtri Dei: in quo Dominus dedit benignitatem, & terra immaculata vteri virginei protulit fructum ſuum. Corona huius anni viri ſunt ſpirituales, atque perfecti,quos Paulus nominauit: Gaudium meum,& corona mea;] qui alios inſtar coronæ cingunt,& ſuis meritis protegunt; qui Eccleſiam ſponſam, ſiue annum benignitatis exornant. Hanc coronam Dominus ſua benedictione ditat,cum ſanctis deſideriis replet.Campos, & ſunt ipſa corona,vel ipſi ſpirituales viri,vbertate donat, cùm virtutes illis deſideratas confert. Pinguescent ſpecioſa deſerti, & exultatione colles accingentur. Ipſi ſunt ſpecioſiora loca Eccleſiæ, ex gentium ſolitudine congregatæ, & colles humilitate conſpicui, qui interna deuotione pinguescũt, & lætitia ſpirituali perfuſi ſæculi huius voluptates contemnunt. Induti ſunt arietes ouium,& valles abundabunt frumento. Ipſi etiam arietibus & vallibus deſignantur, quia ſi maiores ſunt, ac Prælati, fortitudine ad alios regendos induuntur; ſi verò minores ſunt, & ſubiecti, frumento bonorum operum cumulantur. At quænam eſt tantæ benignitatis acceptæ, tantæ abundantiæ & exultationis origo? Exiſtimo quia illud, quod ſequitur: Clamabunt, etenim hymnum dicent.] Quia, inquam, orant, & clamant, vt theſauros virtutum accipiant; quia pro iam acceptis gratias agunt, & Deum laudant, ideo ad tantum profectum prouehuntur. Inde abundabunt frumento, ait Auguſtinus, quia clamabunt. Quid clamabunt? Etenim hymnum dicent.] Clamabunt laudes Dei, & ideo frumento ſpirituali abundabunt. Si nos volumus virtutibus abundare, clamemus. Si volumus virtutibus ornari, & donorum ſpiritualium diuites eſſe, Manna cœleſti ſanctæ orationis paſcamur, & cum eo, id, quod cupimus, quod deſideramus abundanter conquiremus. Nec dicamus: Non poſſumus cum Deo loqui,quoniam peccatores ſumus. Nam ſicut Manna illo tam iuſti, quàm peccatores paſcebantur,& multiplex eius ſuauitas ab vtriſque ſentiebatur; ſic & cibo iſto in Eccleſia tam iuſti, quàm peccatores paſcuntur: iſti, vt viuant, & veniam peccatorum conſequantur;illi, vt vitam gratiæ ſeruent,& à peccatis liberentur. Peccatores interdum multiplicem orationis ſuauitatem percipiunt, & ex accepta conſolatione in lacrymas reſoluuntur, vt ſciãt delitias huius mũdi contemnere,quibus probant delitias ſpiritus tantis gradibus anteferri. Iuſti verò frequentiùs hac ſuauitate fruuntur, vt qui propter Dominum voluptatem ſpreuerunt, in hac etiam vita aliquo præmio non careant. Quiſquis ergo ſis, ſiue peccator, ſiue iuſtus, hoc cibo reficiaris oportet. Omnibus enim, qui piè viuere volunt, & dona cœleſtia conſequi, inſtat neceſſitas deprecandi, vt ab auctore donorum virtutem deſideratam percipiat.

Iuſti corona legis gratia.

Ad Phil. 4. 1.

Pſal. 64. 12.

Pſal. 64. 14.

Auguſt. ibid.

Exod.16. 31. Num.11. 7.

Oratione iuſtum ad bonum promtum fieri, & interna ſuauitate perfundi.

CAPVT VII.

MVLTIPLICES illi ſapores Mannæ quaſi alieni,& aliunde adſciti videntur, quoniam non ab eius natura manabant, quæ vna erat, ſed ex voluntate ſumentis, & ex operatione Domini, aut naturam illius cibi tranſmutantis, aut ſuauitatem illam immittentis omnino pendebat. At propriùs ſapor Mannæ erat quaſi ſapor panis liti oleo & melle. In Exodo namque ſcribitur de eo: Guſtus eius quaſi ſimilæ cum melle.] Et in Numeris:Colligebat populus faciens ex eo tortulas ſaporis quaſi panis oleati.] Ecce tria habemus quaſi propria Mannæ; panis, oleum, mel. Panis reficit, & ad labores ho-

minem

Oratio panis est, mel, & oleum.

minem robustum & agilem facit; oleum emollit, & impinguat: mel gustatui dulcedinem præbet. Tria hæc propria etiam sunt cibi spiritualis nostri scilicet sanctæ orationis. Nam aliarum virtutum suauitas adscititia potest in oratione vocari, ex eo quòd pro voluntate nostra ad aliquam virtutem, vt ad humilitatem impetrandam, vel exercendam applicatur: at hic triplex sapor cuicumque orationi ac meditationi legitimè habitæ conuenire cognoscitur. Quælibet enim oratio est quasi panis, quia tribuit oranti robur & promtitudinem deuotionis: est quasi oleum, quia confert lenitatem suauitatis: est quasi mel, quia præbet abundantiam diuinæ consolationis.

D. Th. 2. 2. q. 82. art. 3.

Deuotio (cuius tractationem infrà instituemus latiùs) est promtitudo voluntatis, ac facilitas, & agilitas quædam ad ea, quæ sunt obsequij Dei. Comparatione autem ad illam oratio est quasi panis, & habet velut gustum similæ delicatissimæ, quia animum orantis promtum ac facilem ad obsequia diuina facit, & pium hunc ac salutarem affectum deuotionis progignit. Thomas Aquinas ingenuè fatetur deuotionem oratione ac meditatione generari. Nam homo propriam imbecillitatem considerans præsumtionem deiicit, & totum se Deo ad eius obsequium subiicit. Diuinam verò bonitatem atque beneficia eius expendens amorem Dei concipit, ex quo hæc ad Dei obsequia promtitudo procedit. Accepit autem hoc Thomas

Aug. lib. meditat. cap. 8. Richard. lib. 1. de erudit. homin. c. 7.

ex Augustino asserente: Meditatio parit scientiam, scientia compunctionem, compunctio deuotionem, deuotio commendat orationem.] Richardus Victorinus etiam ait: Scimus quia intimè & deuotè numquam mens orat, quæ se ad deuotionem studiosis præmeditationibus priùs non excitat. Hi sunt enim veræ deuotionis socij inseparabiles, circumspectæ, discretæ, & prouidæ cogitationes.] Quòd si oratio pressiùs non iam pro meditatione, sed pro decentium à Deo petitione sumatur; non dubium quin oratio deuotionem obtineat, cùm à

Ambros. in Lucã ad c. 9.

Deo, à quo postulamus, ipsa proueniat. Vnde Ambrosius ait: Deus, quos dignatur, vocat, & quem vult religiosum facit: & si voluisset, Samaritanos ex indeuotis deuotos fecisset. Oratio ergo ad modum panis cor nostrum vera deuotione roborat, ne in operibus bonis aliquando langueſcat. Meritóque studium orationis pani & vino comparatur, quòd menti lætitiam & robur adferat. Cui aptare possumus illud Dauidis: Producens fœnum iumentis, & herbam seruituti hominum: vt educas

Psal. 103. 14. 15.

panem de terra, & vinum lætificet cor hominis.] Nam iumenta, id est, illi, qui ob vitam iniquam iumentis assimilantur, fœno, hoc est, rerum visibilium amore pascuntur. In vsum verò hominum producitur herba, non quæuis, sed illa, quæ transit in panem, quæ spicas & grana tritici candida profert: oratio nimirum, quæ in modum herbæ ex mente iusti sursum germinat, & speciosa grana sanctorum adfectuum, & operum virtutis emittit.

Psal. 103. 15.

Hæc non aliter quàm panis reficit, & non aliter quàm vinum lætitia perfundit. Vt exhilaret, inquit, faciem in oleo, & panis cor hominis confirmet. Hoc, inquam, vinum, quod ore mentis attenta consideratione & postulatione potamus, faciem nostram interiorem, immo & aliquando exteriorem sicut oleum, aut plus quàm oleum (vt in Hebræo habetur) exhilarat. Et hic panis cor hominis ad labores pro Domino suscipiendos confirmat.

Est itaque sapor orationis sapor panis: quia gustata mentem robustam, & promtam, siue deuotam efficit, vt laboret. Audióque intus spiritum (vt credo) bonum loquentem, ac dicentem mihi, quod socer Leuitæ dixit in libro Iudicum ad eumdem generum suum: Gusta priùs pauxillum panis, & conforta stomachum, & sic proficisceris.] Priùs scilicet ex hoc pane cœlesti vel tantillum cape, vt bonis operibus in destinatum perfectionis & cœlestis patriæ finem proficiscaris. Leuita ille soceri precibus acquieuit, & panem appositum manducauit: at infœliciter illi successit, non quidem quia pane refectus iter ingressus est, sed quia Iebus pertransita, & quasi contemta in Gabaa manere voluit. Et multi viri spirituales, & orationi vacantes tandem miserabiliter cadunt, non quia sanctę orationi incubuerunt, sed quia commodiori habitatione contemta, in eam, quæ sibi non expediebat, properarunt. Iebus interpretatur conculcata: Rama, quæ erat iuxta Gabaa, excelsa dicitur. Quia igitur in vitæ simplicitate & humilitate manere nolunt, sed ad dignitates & honores transire, ideo à diabolo & eius militibus seducuntur. Non fuit illis comestus orationis panis caussa cadendi, sed quòd aduersùs id, quod Deus oratione dictabat, amplexati sunt loca sublimia, in quibus est facillimum labi. Duas ergo inuenimus in viris spiritualibus perditionis caussas: alteram, quòd post gustatum orationis panem, humilitatẽ non amant: alteram, quòd (permittente Deo) hunc panem antea sibi familiarem gustare detrectant. Impletúrque illud dictum Domini per Ezechielem: Ecce ego conteram baculum panis in Ierusalem, id est, spiritum orationis sustentantis Ecclesiam. Et comedent panem in pondere, & sollicitudine, & aquam in mensura, & in angustia bibent.] Panis autem hic parcissimè acceptus, & sollicitudinibus ac distractionibus admistus parum proficit; & aqua gratiæ, qua in oratione recreamur, vix linguam attingens, & angustiam concupiscentiatum nostrarum minimè extinguens parum ad profectum mentis conducit. Hinc autem fiet, vt deficientibus pane & aqua, corruat vnusquisque ad fratrem suum, quasi in homine, & non in Deo spem suam collocans, & contabescat in iniquitatibus suis.

Quomodo oratio animam reficiat.

Iudic. 19. 5.

Cadunt spirituales, quia isto pane non reficiuntur.

Ezech. 4. 16.

Suauitas mentis, quæ deuotio sensibilis vocari consueuit, & quia à vera deuotione, quam promtitudinem in diuinis obsequiis esse definiuimus, habet initium, deuotio communiter nuncupatur, etiam ab orationis pane sumit exordium. Respectu cuius sapor orationis est quasi olei; quia animam orationi & diuinis obsequiis deditam recreat, & impinguat. Sicut enim oleum suaue est ad sumendum, & corporis membra mollificat: ita oratio instar olei, non sine suauitate accipitur, cuius virtute mens orantis mira serenitate reficitur, & suauitate dilatatur. Hanc suauitatem orationis esse effectum, & quasi saporem, Bernardus censet, cuius hæc est memoranda sententia: Iam verò cùm in his diu fueris exercitatus, roga dari tibi deuotionis lumen diem sereniſſimam, & sabbatum mentis, in quo tamquam emeritus miles in laboribus vniuersis viuas absque labore, dilatato nimirum corde currens viam mandatorum Dei, vt quod priùs cum amaritudine, & coactione tui spiritus faciebas, de cætero iam cum summa dulcedine peragas, & delectatione. Hanc, ni fallor, gratiam petebat, qui ait: Remitte mihi, vt refrigerer. Ac si dicat: Quousque in labore & dolore isto crucior, & morte adficior tota die.] Hoc itaque animæ refrigerium

Ab oratione deuotio exordium sumit.

Bernard. serm. 3. de circumcis.

Psal. 38.

oratione postulandum est, quia ab ea prouenire dignoscitur. Postulandum, inquam, non propter seipsum, nec vt suauitatem corde percipiamus, sed vt medium ad laborandum, & vt suauitate fortes ad contemnendas huius sæculi suauitates, & ad Christi imitationem perferendam, reddamur. Huius enim suauitatis præsidio Dauid se agilem ad diuinam legem complendam sensit. *Psal.118. 32.* Viam, inquit, mandatorum tuorum cucurri, cùm dilatasti cor meum.] Cordis dilatatio, inquit Augustinus, iustitiæ est delectatio. Hoc *Augusti. ibid.* munus est Dei, vt in præceptis eius non timore pœnæ angustemur, sed dilectione dilatemur, & delectatione iustitiæ delectemur. Hanc enim no- *2. Cor. 6.* bis promittit latitudinem, dicens: Habitabo in eis, & deambulabo. Quàm enim latum est vbi deambulat Deus.] Itaque suauitas ista, quæ cor Dauidis dilatabat, & non iam ad ambulandum tantùm, sed & ad currendum, & ad conficiendas mandatorum vias expeditum faciebat, eumdem effectum habet in nobis. Propterea petenda est, vt amor noster non mercenarius sit, & minus purus, & in ipsa suauitate homo non seipsum quærat, sed, se contemto, Deum ipsum, & eius obsequium & gloriam inquirat.

Et non solùm petitione ipsa, quæ presså oratio dicitur, ista suauitas generatur, sed & meditatione, & contemplatione, & quacumque alia exercitatione, quæ ad orationem pertineat, efficitur. *Psal. 76. 4.* Idque sonant illa verba Psalmographi: Renuit consolari anima mea: memor fui Dei, & delectatus sum.] Omnes, inquam, consolationes à rebus visibilibus exorientes abieci: vnámque tantùm, scilicet consolationem mentis, eiúsque delectationem sanctam, incoinquinatam, & à rebus cœlestibus profectam adamaui. Hanc plenam atque perfectam non nisi ex præsentia Dei habere possum: interim tamen dum ex statu mortalitatis absconditur, eius vtcumque memoria delector. Quæ delectatio licèt exigua sit, si cum ea in cœlis habenda conferatur, tamen per se magna est, & omnibus corporis voluptatibus iure præfertur. Bonauentura quidem hanc inter- D nam suauitatem sanctum in se compunctionis spiritum continentem ex illis piis adfectibus existimat nasci, quos oratione comprehendi infrà dicemus. *Bonau.7. processu religio. c.16.* Nascitur, inquit, primò, ex timore supplicij, vel separationis à Deo ex anteacta mala vita promeritæ; vt cùm dicit anima: Ne proiicias me à facie tua: vel, Ne derelinquas me, Deus meus. Secundò ex dolore peccati commissi, gratiæ amissæ, & temporis sine profectu consumti: quo compellitur dicere: Auerte faciem tuam à peccatis meis. Tertiò, ex desiderio amplioris gratiæ, diuinæ familiaritatis, aut facialis præsentiæ ipsius Dei, qua cogitur exclamare: Domine ante te omne desiderium meum; & gemitus meus à te non est absconditus. Quartò, ex compassione E passionum Christi, miseriarum proximi, aut *Iob 30.* adflictionum Ecclesiæ; dicítque cum Iob: Flebam super eo, qui adflictus erat; & compatiebatur anima mea pauperi. Quintò, ex amore Dei, quem beneficia eius considerata excitant; vel immensitas perfectionum eius immittit; qui & semper ad maiorem amorem anhelat, ac propterea dicit: Diligam te, Domine, virtus mea, & fortitudo mea. Sextò, ex gaudio de spe æternæ salutis, de profectu fratrum, aut de gloria beatorum, & anima exultans ipsam æternam

A patriam quasi ad lætitiam inuitat, canens: Exulta, & lauda habitatio Sion, quia magnus in medio tui sanctus Israël. Septimò, ex admiratione multiplicis perfectionis Dei, vel operum, vel *Iob 37.* iudiciorum eius; exclamátque cum Iob: Magnus est fortitudine, & iudicio, & iustitia Deus, & enarrari non potest. Octauò tandem, ex commistione horum adfectuum, vt cùm gaudium admirationi adiungitur, vel dolor timori, aut desiderio, aut alij adfectui copulatur. Suauitas ergo secundus sapor est istius spiritualis & cœlestis Mannæ, scilicet orationis, quem nobis in adiumentum sanctæ vitæ ipso orationis vsu paramus. Vnde Bernardus: Quærat deuotionis a- *Bern. ser. 1. de Natali Domini.* B quas quisquis seminauerit bonorum operum semina, vt irrigatus fonte gratiæ bonæ conuersationis hortus non arescat, sed in perpetua viriditate proficiat. Orat enim pro huiusmodi Propheta: Et holocaustum tuum, inquiens, pingue *Psal. 19.* fiat. Sic & in laudibus Aaron legis: Quoniam *Eccli. 42.* sacrificium eius quottidianus ignis absumsit. In quibus omnibus nihil aliud intelligendum videtur, nisi vt bona opera feruore deuotionis, & dulcedine spiritualis gratiæ condiantur.] Ratione autem huius oratio est quasi panis oleatus, cùm non solùm pinguedinem internæ serenitatis adferat, sed etiam ad sanctè viuendum reficiat.

C Consolatio spiritualis ab oratione quoque dimanat, & comparatione ad eam gustus orationis est quasi gustus dulcissimi mellis. Experti autem sciunt internæ suauitatis, & internæ consolationis magnum esse discrimen. Vtraque delectabilis est, vtraque amabilis; sed non vno eodémque modo mentem adficiunt. Sicut enim inter cibos corporis non tantùm mel & saccarum sunt dulcia, sed alij quoque, quorum tamen distinctus sapor à sapore mellis manifestè sentitur: ita in cibis animæ delectabilibus quidam suauitatem, quidam verò consolationem ingerunt. Suauitas est serenitas quædam mentis in his quibus intendit, quietem & tranquillitatem inueniens. D Consolatio verò est quasi spiritualis dulcedo palatum mentis adficiens, & vires omnes ad se potenter trahens. Suauitas difficultatem ac repugnantiam in bonis operibus repertam amouet; consolatio delectationem ac voluptatem ingerit. Illa sicut oleum animam emollit, & à Deo tractabilem reddit; hæc sicut mel ad se allicit, & adfectum dulcedinis sensu perfundit: illa diuturnior est, quam viri spirituales extra orationem sentiunt, & ea omnibus se adfabiles offerunt; hæc breuior, sed efficacior, quam in oratione & contemplatione percipiunt. Hæc ergo melliflua consolatio non bene explicata, sed ab expertis satis bene percepta, quasi sapor est orationis, quo illi lactantur, qui mundanas consolationes fortiter abiecerunt. Sicut enim filij Israël non acceperunt Manna donec Ægypti farina defecit: ita nec iusti frequenter orationis consolationibus reficiuntur, quousque mundi rebus nuncium remittant. At huius sæculi fucata delectatione contemta, statim gustu internæ lætitiæ & consolationis implentur. Si anima Christi Saluatoris vitam, gesta, mortémque consideret, ineffabili consolatione non tam allicitur, quàm obruitur. Dicítque cum sponsa: Sub vmbra illius, *Cãt. 2. 3.* quem desideraueram, sedi, & fructus eius dulcis gutturi meo.] Quia est iste à te desideratus, ô

Isaiæ 12.

Ab oratione spiritalis cõsolatio dimanat.

Aggæi 2. 8.

anima, niſi ille, de quo ſcriptum eſt: Et veniet deſideratus cunctis gentibus?] Et quæ vmbra eius? Nónne humanitas eius, qua & ſuam deitatem operuit, & humanum genus à paternæ indignationis ardore protexit? Quæ autem ſeſſio tua ſub vmbra, niſi intenta & tranquilla meditatio, qua illius geſta reuoluis, & te in illo, quaſi in arce tutiſſima ab huius mundi miſeriis abſcondis? Ac demum, quis fructus eius, niſi multiplex opus & meritum eius, quo nobis & ſalutem adtulit, & vitam beatam promeruit? Hic fructus dulcis eſt gutturi tuo, quia dum ad illum attendis mirum in modum conſolaris, & dulcedine ſpiritualis lætitiæ perfunderis.

Si autem, ô anima, Dei opera mediteris, dic tu an guſtu mellis & ſuauiſſima conſolatione capiaris. Hauddubie dicis: Quia delectaſti me, Domine, in factura tua; & in operibus manuum tuarum exultabo.] Opera Dei ſi ad moderatum vſum accipias, tibi ſeruient; ſi ad nimium amorem quæras, te turbabunt, & contriſtabunt: at ſi ad ſedulam meditationem adhibeas, non aliter quàm lyra dulciſona, aut conuiuium lautiſſimum & exquiſitè apparatum delectabunt. Meditationi itaque operum Dei guſtus mellis non deficit, ſiquidem internam conſolationem immittit. Si verò ex meditatione ad Deum exorandum, ſiue ad laudes eius concinendas tranſeas, exiſtimo quia non carebis delectatione maxima, quæ ad ipſum corpus deſcendat, & in receſſibus mentis ſe continere non poſſit. Mentior, ſi aliquando non fatearis cum Dauide: Cor meum, & caro mea, exultauerunt in Deum viuum.] Deum, inquam, in tabernaculo Domini ipſum exoro, cùm in atrio domus eius, nempe in vita ſpirituali, quæ introitus eſt ad conclaue cœleſte, eum laudibus celebro, non ſolùm ſpiritus meus gaudet, ſed & caro ipſa vehementer exultat. Accipit iam tamquam catellus hominis ad menſam opiparam inuitati quaſi paruulas micas, quæ ex menſa cadunt, quas omnibus ſæculi delitiis iure præponit. Et non ſolùm mens, verumetiam caro mortalis dicit ad Dominum: Quia meliora ſunt vbera tua vino, fragrantia vnguentis optimis.] Nam ſi vbera Chriſti eius myſteria ſunt, odores ſuauiſſimos omnium virtutum ſpirantia, profectò tanto verius vinum terrenarum delitiarum ſuperant, quanto ea, quæ vera ſunt, ficta, aut ſimulata præcedunt. Denique meliores ſenſus, meliora ſacramenta tua, inquit Ambroſius, ſuper vinum. Super illud vinum, quod etſi ſuauitatem habet, lætitiam habet, gratiam habet, tamen in illo lætitia ſæcularis, in te autem iucunditas ſpiritualis eſt. Iam tunc Salomon inducebat nuptias vel Chriſti, & Eccleſiæ, vel carnis, & animæ. Et tamquam deſpiciens omnes iucunditates, & delectationes ſuas, cœleſtibus cupiens inhærere mandatis, ait, quoniam optima præcepta teſtamentorum tuorum ſuper omnem appetentiam carnis, & ſæculi voluptatem.] Vinum certè terrenarum conſolationum numquam nos ſatiat, at vbera ſponſi, quæ in oratione ſugimus, vſque ad expletionem noſtrorum deſideriorum delectant. Præ illius vini guſtu numquam mortem contemnimus, immo magis ac magis timemus, & ne voluptate priuemur, ac ſi non eſſet alia vita, ſemper in miſeria viuere concupiſcimus. Sed vberum ſponſi, ad quæ in contemplatione portamur, tum dulcia ſunt, vt timorem mortis excutiant. Et hoc denotant verba Auguſtini, dicentis: Tanta in contemplanda veritate voluptas eſt, quantacumque ex parte eam quiſquam contemplari poteſt, tanta puritas, tanta ſynceritas, tam indubitanda rerum fides, vt neque quicquam præter eam ſciſſe ſe aliquando aliquis putet, cùm ſibi ſcire videbatur, & quo minus impediatur anima toti tota inhærere veritati mors, quæ antè metuebatur, id eſt, ab hoc corpore omnimoda fuga & elapſio pro ſummo munere deſideretur.] Sic ille. Iam igitur vides quàm bene Manna corporale ſpiritualéque conueniant. Nam ſi illud erat quaſi panis oleo & melle litus; iſtud, quod orationem contemplationémque præfert, ab eadem, immo & meliori dulcedine non eſt alienum. Melius, inquam, quàm panis corpus, oratio animam deuotione roborat: abundantius, quàm oleum carnem, oratio mentem ſuauitate impinguat: & dulcius, quàm palatum mel, oratio ſpiritum conſolatione delectat.

Aug. lib. de quantitate animæ. c. 33.

Pſal. 91. 5.

Meditatio guſtũ mellis habet.

Pſal. 83. 3.

Cantic. 1.2.

Ambroſ. ibid.

Orationis ſtudio animam ad labores roborari.

CAPVT VIII.

AD alium effectum Mannæ iam tranſeamus, qui aliam ſanctæ orationis nobis excellentiam exponat. Ille autem ſit, quòd facillimæ erat concoctionis; ita vt nec ſtomachum oneraret, nec fumis caput læderet, nec ferè in excrementa & fæces abiret: immo in ſubſtantiam comedentium cibus ille conuerſus efficaciſſimè membra foueret, & corpus ad iter agendum, & ad exantlandos labores roboraret. Ac propterea vocatum eſt panis Auirim, id eſt, panis robuſtorum, aut cibus fortium, eo quòd Iſraëlitas non molles & delicatos, ſed fortes & duros lacertos habentes redderet: vel per tranſpoſitionem quam Cabbalici inuenerunt, vocabatur panis Ebarim, id eſt, panis membrorum; quia admiranda ſua virtute membra ad omne opus expediret. O oratio ſancta, ô rerum cœleſtium contemplatio pretioſa, tu es panis fortium, tu es panis membrorum. Panis quidem membrorum, quoniam ſucco tuo, & pinguedine tua viri ſpiritualis membra foues, atque confortas. Quænam ſunt viri ſpiritualis membra? Eorum notionem à contrariis hominum iniquorum membris eliciamus. Ad hos Paulus ait: Mortificate membra veſtra, quæ ſunt ſuper terram, fornicationem, immunditiam, libidinem, & cætera, quæ enumerat. Meritò autem putamus hæc dicta eſſe ad peccatores, licèt proximè Apoſtolus viros iuſtos, & eos, qui vitam in Chriſto habebant abſconditam, ſit adloquutus, quoniam ab iſtis ad illos ſermonem tranſtulit, vt eos ad bonorum imitationem prouocaret. Et hunc ſenſum admittit Anſelmus, in eum locum ſic ſcribens: Propter vnitatem corporis, quia & maiores & minores fideles membra ſunt Eccleſiæ, cùm ſermo Apoſtoli dirigeretur, laten-

Vide Genebrard. Pſal. 77. v. 30.

Coloſſ. 3. 5.

Anſelm. ibid.

ter,

ter, quasi non essent alij, sed iidem ipsi, cœpit minores adloqni. Quia, inquit, ea, quæ sursum sunt sapere debetis, non quæ super terram, quoniam in maioribus Ecclesiæ membris mortui iam estis huic mundo & vitiis; ergo quod in illis factum est, in vobis facite.] Membra itaque peccatoris, aut peccati, sunt vitia, ex quibus tota iniquitas componitur. Ergo membra iusti, aut iustitiæ, sunt virtutes, ex quibus totalis iustitia coagmentatur. Quod & vetustus Origenes testatus est, qui cùm ex Scripturis animæ oculos, & manus, & pedes, & alia membra numerasset, ita concludit: Ex quibus euidenter ostenditur membrorum hæc nomina nequaquam corpori visibili adaptari posse, sed ad inuisibilis animæ partem virtutésque debere reuocari, quoniam & vocabula quidem habent similia, apertè autem, & sine vlla ambiguitate non exterioris, sed interioris hominis significantias gerunt.] Oratio igitur est horum membrorum panis, quia (vti iam diximus) mirificè virtutes nutrit, & auget, & ad debitum perfectionis statum perducit. Neminémque videas, vt par est, orationi & meditationi rerum cœlestium addictum, in quo non plusquam mediocriter virtutes succreuerint. Si oratio langueat, virtutes languent: si oratio ferueat, virtutes feruent: atque adeò euidenter apparet, non minus eas ab oratione, quàm corpus à cibo pendere. Sed & hoc aliàs; nunc ad aliud, quod proposuimus, conuertamus sermonem.

Origen. prolog. super Cant.

Oratio virtutes nutrit.

Est oratio panis fortium, seu robustorum, non solùm quia fortes reficit, sed etiam, quia ex infirmis & imbecillibus fortes ad laborandum facit. Laboribus externis etiam piis, & saluandarum animarum gratia susceptis, certum est animam distrahi, & curarum multiplicitate turbari. O quoties summo mane orationi & meditationi insistentes, nos ipsos composuimus, & ardenti puritatis & tranquillitatis desiderio perfecimus; ad vesperam verò cùm tamen nihil mali gesserimus, inuenimus nos omni ex parte distractos, atque turbatos! Quia videlicet prædicationis cura, & excepta confessio vnius, & negotium alterius, & conuersatio ineuitabilis hominum sæcularium mentem à sua arce deiecit: & tenebras oculis nostris offudit. O quoties diuinæ inspirationis & cœlestis consolationis rore susceptо non aliter quàm Gedeonis vellus in corde maduimus, adeò vt iam velut terra fertilis, quam pluuia abundanter infudit, cœperimus herbam sancti desiderij proferre, & fructus Deo gratissimos germinare: post paululum verò videmus, & lugemus corda nostra occupationum molle ad magnam inopiam & ariditatem fuisse redacta. Paulo antea tamquam salutari cibo refecti onus portare valuimus, & post non multas horas, quasi fame confecti, idem onus cum impatientia & molestia stustinemus. Nullum est autem huius mutabilitatis & infirmitatis nostræ remedium, nisi iterum ad mensam accumbere, & cibum orationis animam roborantem manducare. Oratio est esca, quæ vires restaurat; est aqua, quæ sitim extinguit, est somnus, qui membra lassa & fatigata ad primam firmitatem robúrque gratiæ obtinendum disponit.

Est panis fortium.

Gen. 42. 25. Est sanè cibus ille, quem fratribus recedentibus ex Ægypto verus Ioseph Christus gratis dedit, vt ex eo, & in via, & in terra sua ad satietatem se reficerent. Iussit, inquit Scriptura, ministris, vt implerent eorum saccos tritico, & reponerent pecunias singulorum in sacculis suis, datis suprà cibariis in viam.] Cibaria in viam est multiplex orationis spiritus, cuius est hominem illuminare, & accendere, & ad perfectionem dirigere, & tandem in cœlum efferre. Triticum deportandum in patriam, est eiusdem orationis fructus, & finis. Nam hoc fructu in mansione cœlesti abundè satiabimur. Dicat Bonauentura quis sit orationis finis, vt id, quod diximus, verum esse sciamus. Omnis, inquit, orationis fructus, & finis, est Deo adhærere, & vnus cum eo spiritus fieri per liquefactionem purissimi amoris, & speculationem sereniss imæ cognitionis, & absconsionem in Dei vultu ab omni mundanorum strepitu per excessum quietissimæ fruitionis, vbi omnes vires animæ & potentiæ à suis dispersionibus simul collectæ, & in vnum verum & simplicissimum & summum bonum fixæ, in quamdam diuinæ confortationis & æternæ stabilitatis similitudinem transformantur.] Quis non videat hunc fructum, siue istud triticum, in hac via quasi humeris deportari, quia non sine magno labore ad aliquam participationem eius ascendimus, at in patria perfectissimè & iucundissimè possideri. Pecuniæ autem restituuntur nobis, quia donum orationis in via, & fructum eius in patria gratis accipimus; & ex diligentia nostra, quam ceu pecuniam in studium orationis contulimus, vltra ipsam orationem non exiguum meritum reportamus. Oratio ergo est cibus, qui nos ad viam vitæ conficiendam roborat, sine qua negotiis & occupationibus fatigati, & arefacti, vix possemus ad aliquem profectum venire.

Hoc panes Christus sustentat, alitque.

Bonau. 7. processu Religio. c. 14.

Est oratio aqua, qua mens nostra irrigatur, & fœcunda ad fructum virtutum proferendum efficitur. In paradiso terrestri Deus fontem eduxit, qui non solùm locum illum delitiarum, sed totam terram irrigaret. Fons, inquit Scriptura, ascendebat de terra, irrigans vniuersam superficiem terræ.] Sic in paradiso spiritualis vitæ fontem meliorem orationis scaturire fecit, quæ animas sanctas ad miram fœcunditatem adduceret. Profectò illum aquæ fontem in paradiso scaturisse Albinus censet; & si fons fuit verus (vt Augustinus, & alij antiquiores adfirmant, & non vapor, vt nunc multi putant) in fluuium magnum desinebat, qui in quattuor fluenta diuisus vniuersam terram rigabat. Sic & oratio in vita spirituali tamquam in quodam loco delitiarum nascitur, nec quisquam potest in orationem incumbere, qui ea ratione, qua preces fundit, aut diuina considerat, non vitæ spiritualis opus perficiat. Hæc de terra ascendit, quia ex corde hominis, qui puluis est, in cœlum adsurgit, & quasi ex paruo crescit, & per nostram exiguitatem latè se diffundit. In fluuium desinit; quoniam vtilitas eius non in aliquo se continet, sed instar magni fluminis per nostram vitam decurrit. Et in quattuor capita diuiditur: quia exercitatione orationis, anima, & corpus, irascibilis & concupiscibilis irrigatur. Irrigat oratio animam, quia illius splendor intellectum illuminat, & ardor voluntatem inflammat. Sine qua nec sufficientes sumus ad contuenda diuina, nec ad

Oratio paradisi scaturiēs fons. Gen. 2. 6.

Albinus. August. 5. de Gen. ad. c. 9.

cœleſtia diligenda. Irrigat corpus: nam & illud caſtificat, ſenſus cohibet, & membra modeſtiæ cura componit. Qui verò à diuina præſentia, & à collectione virium ſuarum per abſentiam orationis elongatur, ſtatim corpus minus compoſitum, minúſque purum experitur. Irrigat concupiſcibilem, & iraſcibilem: hanc, ne igne indignationis ardeat; illam, ne in noxia & ſuperuacanea diffluat. Si autem hæc orationis irrigatio deſit, ſtatim homo robur ad fructum ferendum in ſe, & ad alios feruore verbi emolliendos amittit.

Hoc irrigeris, ſi ſpiritalē amas viriditatē.

Iſta aqua orationis, ô vir Dei, teipſum frequenter irrigat, ſine qua profectò nec poteris diu in viriditate ſpiritalis vitæ manere, nec in ſanctis laboribus cum fructu perdurare. O quàm pulchrè oſtendit id ſanctus Spiritus, beatum Iob ad loquendum erudiens. Dicebam, inquit: In nidulo meo moriar: & ſicut palma multiplicabo dies.] Nidulus meus, ſtatus feruoris eſt, in quo fœliciſſimè, & (quod ad merita augenda adtinet) vtiliſſimè conquieſco. In hoc nidulo, in hoc feruore moriar, numquam ad tepidam vitam & ignauam deflectar, ſed ſicut palma multis annis ſemper virens, & victor & ſemper fructificans viuam. Sed vnde, ô innocentiæ & patientiæ magiſter hanc tibi fœlicitatem polliceris? Inde ſanè. Quòd radix mea aperta eſt ſecus aquas, & ros morabitur in meſſione mea.] Nam ſi radix mea, intentio mea, & meſſis mea cura eſt laborandi, & bene operandi, quia vtramque aquis orationis irrigo, ideo nec vetuſtatem, aut infirmitatem feruoris mei, nec vacuitatem meritorum pertimeſco. Aqua vetuſtate, vt ait Gregorius, quottidie, ſi ſtudio circumſpectionis inuigilamus, orando, legendo, bene viuendo, renouamur. Quia dum vita noſtra lacrymis lauatur, bonis operibus exercetur, ſanctis meditationibus tenditur, ad nouitatem ſuam ſine ceſſatione reparatur. Nec ſolùm virtute huius aquæ in meipſo proficiam, ſed alios quoque verbô, & exemplo, & precibus meis ad ſanctam conuerſationem conuertam. Gloriáque mea ſemper innouabitur, & arcus meus in manu mea inſtaurabitur. Ex illis orationis aquis habebit bonum exemplum vitæ meæ, vt ſemper innouetur, & alios quottidie potentiùs ad ſui imitationem trahat. Ex eiſdem accipiet etiam arcus doctrinæ meæ, vt quaſi ad feriendum inſtauratus, audientes caſto Dei timore, & ſancto amore percutiat. At ſi aquarum nomine Spiritus ſancti gratiam velis intelligere; certè apertio radicis ſecus aquas, erit ipſa oratio; qua & ſibi homo, & aliis, gratiam & diuinam miſerationem impetrat. Quare Richardus Victorinus de his aquis, & de viris iuſtis, ſic ſcribit: Ad quas aquas anhelant corda bonorum, quia (ſicut in Iob legitur) radix eorum aperta eſt ſecus aquas, id eſt, occulta cogitatio, & mentis intenſio expanſa eſt ad percipienda fluenta gratiæ, & dona ſpiritus. Has aquas ſitiunt, & vt has percipere digni fiant, à carnalis delectationis aqua areſcunt, & vacui ſunt. Pro quibus impetrandis etiam ad aquas, quæ ſuper cœlos ſunt, oratione & contemplatione conſcendunt, ad omnes ſpiritus cœleſtes videlicet, qui laudant Deum, & torrente voluptatis eius inebriantur. Quomodo verò non hunc fontem hauriat, & aquas gratiæ anima percipiat, quæ ad omnes cœleſtes ſpiritus aperta eſt, & ſe expandit deſiderio, & precibus omnes pulſat? Quæ ſi ſe denique ſic dilatet, & expandat, vt ſicut ſibi ab omnibus gratiam poſtulat; ita quoque omni homini hanc deſideret, & poſcat. Nónne tanto largiùs hac infundi merebitur, quanto ampliori charitate & ad multos dilatatur? Item cùm ad omnes illos ſpiritus extenditur, nónne ſingulos, quibus cuſtodia humana delegata eſt, complectitur? Cùm itaque omnibus ſpiritibus ſinum cordis expandit, vt ſpiritualia dona capiat, & gratiam adtrahat, & ad ſingulos verſa vice deſiderio extenditur, & quicquid obtinere potuerit, vel deſiderare, hoc eiſdem concedatur, & refundatur in ſalutem ſibi commiſſorum: meritò exauditur, qui interceſſores ſuos & aduocatos ſic iuuat, ſicut eorum adiutorium & patrocinium flagitat. Optant enim ipſi ſibi commiſſis miſericordiam, & gratulantur collaborantibus ſibi circa eorum ſalutem. Meritò talis anima aduocatos ſuos propitios in prece habet, quæ tam præſtare cupit, quàm accipere. Meritò beata eſt anima, & Deo grata, quæ ita ſeminat ſuper omnes aquas, & ſemen orationis iacit, vt nec terræ inimicorum hoc ſemen trahat, ſed pro eis quoque ex charitate intercedat. Multum aperitur radix eius, quæ ad hos omnes ſpiritus expanditur, & ad omnes homines pariter dilatatur, quæ ad aquas ſuperiores ſpirituum aſcendit, & omnium hominum neceſſitates inferiùs comprehendit. Multum aperitur, cùm æqualis ad omnes ſpiritus intentio pro omnibus hominibus dirigitur, & æqualiter omnibus hominibus, ſicut ſibi, gratiam obtinere, conatur.] Hactenus ille. Oratione igitur aut rigamur, aut ad aquas, quibus rigamur, aperimur. Quare ſine ea non valebimus, neque in nobis, neque in alijs, fructum abundantem generare.

Eſt tandem oratio quies animæ, quæ turbationem relegat, & cor poſitum etiam in magna occupatione tranquillat. Ad victoriam in prælio de hoſtibus obtinendam neceſſaria ſunt arma, quibus miles ſeipſum tueatur, & alios ſibi obſiſtentes offendat: at multo magis neceſſaria eſt mentis fortitudo, & animoſa quædam fiducia, qua homo ſui compos effectus ſciat opportuno tempore ſeipſum ab ictu aduerſarij protegere, & oblata occaſione illum fortiter vulnerare. Eccleſiaſtica miniſteria proximos iuuantia prælium eſſe cogita, in quo facile eſt ab hoſte feriri. Si confeſſionem peccatorum alterius excipias, nonnumquam ad inanem gloriam, & tui æſtimationem moueris, quòd talia non feceris: vel certè ſi minus es in virtute prouectus, ad turpitudinem prouocaris. Si concionem habeas ad populum, & res tibi minus bene ſucceſſerit, ad triſtitiam, & puſillanimitatem: ſi verò res fœlicem habeat euentum, ad ſuperbiam impelleris. In aduerſis ad impatientiam, in proſperis ad falſam ſecuritatem te incitatum ſentis. Neceſſaria ergo ſunt arma virtutum, quæ te protegant: ſed opus eſt præcipuè quiete animæ, qua ad teipſum reuocatus, atque receptus, ſcias ſcutum veritatis vulneri opponere, ne percutiaris, & gladio virtutis oppoſitæ, ne vincaris, aduerſarium ferire. Hanc autem quietem tribuit oratio, & conſideratio, dum cognitionem rerum humanarum impetrat, & ab errore liberat, qui his rebus ineſſe ſolet. Difficile eſt tempore brumæ, & cùm manus obrigent hoſtem furore arden-

Iob 29. 18.

Iob 29. 19.

Greg. 19. mor. c. 16.

Iob 29. 20.

Richar. in Cant. c. 24.

Oratio ſcutum, quo protegaris.

tem

tem prosternere ; quamobrem magno facinori datum est Banaiæ filio Ioiadæ vni ex fortibus Dauid, quòd descendit, & percussit leonem in media cisterna in diebus niuis. Nos verò cùm animas saluare intendimus, leonem, id est, diabolum, in cisterna, siue in lacu huius mundi manentem necamus : non autem vno tantùm, sed duplici frigore à pugna impedimur. Ipsum sæculum, in quo sumus, frigidum est, & corda sæcularium frigida : & quoniam abundauit iniquitas, refrigescet charitas multorum. Ipsa deinde ministeria quodammodo frigida sunt, quatenus per ea in varia distrahimur, & à therma cordis egredimur. Ille profectò strenuissimus dux ideo tempore niuis leonem interfecit ; quia ipse frigidus non erat ; sed ardore & firmitate membrorum, ac indignatione cordis omne frigus, & torporem à frigore procedentem à se depulerat. Sic & nos frigus iniquitatis alienæ, & tepiditatis propriæ orationis calore vincemus,& propellemus,vt leonem interimamus.

2.Reg.23. 20.

Vires oratio præbet ad labores tolerandos.

Oratio denique est robur mentis, vt difficultates non iam ex sæculi iniquitate, aut ex propria infirmitate, sed ex ipsarum difficultate, quas tractamus, emergentes superare possimus. Cuius rei Christus in semetipso quasi quamdam figuram exhibuit. Tempore namque passionis suæ ante orationem cœpit contristari, & mœstus esse : post orationem verò, quasi vino illo iucundus & alacer factus, ad mortem properat, & discipulos suos præ tristitia dormiturientes ad occurrendum satellitibus inuitare non desinit. Surgite, inquit, eamus : ecce appropinquauit, qui me tradet.] Quod ipse voluntariè susceptt, vt scilicet iturus ad passionem trepidaret ; nos sæpe ex necessitate patimur, vt ante labores ministeriorum, ob difficultates & pericula timeamus. Sed in eo, quod sequitur, non sumus ei dissimiles; nam si ad orationem feruidam accurramus, ex infirmis fortes, ex tristibus alacres, & ex tepidis ad laborandum feruentes reddimur. Quid quòd oratio ipsa ministeria examinat, dirigit, ponderat, vt sciat quantum valeant, & pericula in ipsis latentia reuelat. Dauid cum suis in Ceilam se recepit, in qua videbatur ab insidiis Saulis esse securus. At vir prudentissimus non prudentiæ humanæ rationibus nixus ad Dominum oratione recurrit, & periculum sibi imminens agnouit. Dixit : Domine Deus Israël, si tradent me viri Ceilæ in manus Saul ? Et audiuit Dominum dicentem : Tradent.] Ante orationem, captionis &, mortis periculum nec agnouit, nec timuit ; oratione verò periculum agnouit, & euasit. Surrexit namque cum sexcentis viris, & fugit inde, sícque hostem insequentem elusit. Ita prorsus accidit nobis, quia in nimia familiaritate cum aliquo, vel in alia re simili, nullum periculum esse putamus ; nam bona intentione proficiendi illi ad amicitiam permouemur. At recurrentes ad orationem, Dominus docet anguem in herba latere, & facillimum esse ex bona illa specie exteriùs oblata ad malitiam transire. Est igitur oratio Manna; est cibus fortium, qui homines reddit fortes ad virtutis opera peragenda, quibus ipsi crescant, & ad salutem aliorum curandam, vt sine suo periculo aliis proficiant. Hoc pane vescamur, & saginemur, vt in via Domini ambulare, & pro eius gloria laborare possimus. Certum est enim, ac ipso experimento compertum, mentem aridam, ac orationis & considerationis præsidio destitutam, & sibiipsi parum prodesse, & in aliis non multum fructum adtulisse. Quia virtutis & alienæ salutis fructus, non tam ab industria nostra prouenit, quàm à Deo incrementa donante procedit, qui vult assidua oratione & gemitibus exorari.

Matth. 26.37.

Matth. 26.46.

1.Reg.23. 11.

Per studium Orationis dæmones vinci.

CAPVT IX.

FIlii Israël pane illo cœlesti tot annis refecti, ita à Domino cibo illo roborati sunt, vt potuerint hostes suos ingressum in terram promissam impedientes vincere, & profligatis hostibus eam pacificè possidere. In hoc autem est illius Mannæ, siue cœlestis panis & orationis similitudo non parua. Nam virtute ex oratione accepta dæmones ac tentationes vincimus, & ciuitatem illam cœlestem, terrámque viuentium expugnamus, vt in ea perpetuò lætemur. Propterea quòd dæmones oratione proterimus, conantur illi validissimè quantum possunt, homines ab studio orationis abducere. Adeò, vt Nilus monachus ausus sit scribere mirabilem, & primo aspectu inauditam sententiam, quòd scilicet aduersarij generis humani solùm impediendæ orationis gratia aduersùm nos pugnant. Vniuersum, inquit, bellum, quod inter nos & dæmones conflatur, non est de alia re, quàm de oratione: est enim illis oratio valde aduersa, & odiosa, nobis verò salutaris, & valde benigna.] Nónne diabolus nititur castitatem, & humilitatem, & alias virtutes à iustis eripere ? Vtique. At vniuersum eius bellum de oratione dicitur, vel quoniam bellum ad tollendam à nobis orationem acrius esse videtur : vel quia vno studio orationis sublato ab spiritualibus viris, quicquid in eis roboris & virtutis ad pugnandum est, sine vmbra difficultatis aufertur. Hoc ex quadam historia libri Iudith non obscurè percipies. Cùm enim Holofernes Bethuliam obsedisset, eámque munitissimam esse, ac in montibus sitam, esset meditatus, non tam vi & impetu militum, quàm arte illam expugnare dispoluit. Ergo aquæductum, quo ex fonte obsessi aquam habebant, incidit, & fontes paruulos iuxta muros diffluentes à militibus custodiri præcepit : & sublata aqua sine qua viuere homo non potest, sibi victoriam, vrbísque expugnationem promisit. Sic & diabolus, cùm animam suis satellitibus ad pugnam aggreditur, aquæductum orationis, quo ex fonte diuinæ pietatis, & ex Sanctorum intercessione auxilium haurit, auferre molitur ; quod si faciat, statim sibi victoriam pollicetur. Et ideo si virum spiritualem & perfectum impugnet, quasi totum bellum de aqua orationis est ; quæ benigna & salutaris existens, ita nos refrigerat, vt aduersarium suo feruore comburat. Fitque admirandum illud, quod in Sapientia legimus : Nix & glacies sustinebant vim ignis, & non tabescebant : vt scirent quoniam fructus inimicorum exterminabat ignis ardens in grandine, & pluuia coruscans.] Nix & glacies primò Manna, & secundò in illo orationem significant, quæ instar aquæ vim habet refrigerandi,atque mundandi.Hæc in se ignem

Hostes vincit,& sanctam expugnat ciuitatẽ.

Nilus de oratione, c.47.

Iudith 7. 6.10.

Sapiẽ.16. 22.

ſuſtinet, quia ſancta deſideria ſecum, & feruorem diuini amoris inuoluit. At hic ignis ardens in grandine, & coruſcans in pluuia, nempe in orationis ſpiritu, artes inimicorum diſpulit, & technas illorum ſubuertit.

Per impetrationem gratia expellit tentationes.

Tres autem cauſſas meditati ſumus, ob quas oratio dæmones vincat. Prima eſt, quia oratio in quantum eſt deprecatio, ſiue petitio, gratiam diuinam impetrat, quæ à nobis diaboli tentationes expellat. Audi nunc conſilium Angeli Raphaëlis, quo Tobiam aduersùs diabolum erudiuit. Cùm enim præcepiſſet vt piſcem exenteraret, & cor, & fel, & iecur eius cuſtoditet, cordis vſum ſic adoleſcens, Angelo docente, percepit: Cordis eius particulam ſi ſuper carbones ponas, fumus eius extricat omne genus dæmoniorum.] Piſcis iſte magnus, cuius carnes aſſæ ſuffecerunt Tobiæ ad cibum viæ, Chriſtum Saluatorem ſignificat allegoricè, ſi Auguſtino & Proſpero Regienſi credamus. Quorum (vt hunc prætermittam) ille ſic ait: Eſt Chriſtus piſcis ille, qui ad Tobiam aſcendit de flumine viuus, cuius iecore per paſſionem aſſato, fugatus eſt diabolus.] Cor huius ſacratiſſimi piſcis charitas eius eſt tot operibus in noſtrum bonum factis teſtata, tot paſſionibus & doloribus oſtenſa. Fumus autem cordis eius eſt oratio noſtra meritorum eius valori ſubnixa. Ideo enim hæc aliquid poteſt apud Patrem, non quia noſtra tantùm eſt, ſed quia à membro Chriſti filij naturalis fuſa, & in ipſius meritis & charitate fundata. Hæc extricat omne genus dæmoniorum, quia diabolum vincit, & illius tentationes & dolos irridet. Ac proinde Chryſoſtomus ſapienter caſum noſtrum abſentiæ orationis, & victoriam ipſius præſentiæ tribuit. Quemadmodum, inquit, ciuitas, quæ muris cincta non eſt, facilè venit in poteſtatem hoſtium, propterea quòd abſit id, quo fuerat hoſtium incurſus arcendus: ſic & animam non munitam precibus diabolus facilè in ſuam redigit ditionem, nec multo negotio omni genere ſcelerum implet. Nam primùm quidem ad animam precibus communitam non audet propiùs accedere, metuens robur, ac fortitudinem, quam illi deprecatio ſubminiſtrauit, magis vegetans animum, quàm cibus vegetat corpora. Ad hæc, qui precantur ſeriò non ſuſtinent quicquam admittere indignum precatione; ſed reuerentes Deum, qui cùm modò collocuti fuerant, citò repellunt omnem mali ſpiritus mollitionem, apud ſe reputantes quantum ſcelus ſit, eum, qui paulo antè ſermonem cum Deo miſcuerit, quique ab eo pudicitiam & ſanctimoniam petierit, exemplo ad diabolum deficere, fœdáſque voluptates in animum admittere, & diabolo præbere aditum in illud pectus, quod paulo antè Deus inuiſerit, ac dæmoniis concedere irruptionem in animas, in quas Spiritus ſancti gratia plurimam exercuit benignitatem, ac ſollicitudinem.] Hæc ille.

Tobiæ 6. 8.

Auguſt. ſer. 4. D. Petri & Pauli. Proſper lib. 2. prædictionũ. c. 39.

Chryſoſt. 2. de orãdo Deum.

Vinces ſi adſit, ſi abſit vinceris.

Nec mirum eſt, quòd vna oratio omne genus dæmoniorum deiiciat, quorum eſt tanta naturæ vitiorúmque diuerſitas, cùm vnus ad ſuperbiam, alius ad iram, alius ad impudicitiam, & alij ad alia vitia prouocare non deſinant. Id, inquam, mirum non eſt, quoniam fumus cordis piſcis, nempe oratio, non vnius tantùm boni odoris eſt; ſed tot habet odores, quot ſunt virtutes, quas poſtulat. Vnde non deeſt illi vis ad pellendos dæmones vniuerſos, licèt eorum quilibet ad capiendam fugam proprium odorem ſibi infeſtum requirat. Ioannes quidem in Apocalypſi manifeſtè huic veritati adſtipulatur. Nam de vigintiquattuor ſenioribus ſedentibus iuxta thronum Dei, ait: Quia habebant ſinguli citharas, & phialas aureas plenas odoramentorum, quæ ſunt orationes Sanctorum.] Seniores iſti non ſunt alij quàm iuſti vera ſapientia ac maturitate pleniſſimi. Phialæ ſunt corda ipſorum, figura ipſa ſuperiùs lata, inferiùs anguſta, quæ ſancta conuerſatione versùs cœlum ad capienda dona diuina latiùs ſe expandunt, & versùs terram vix admittentia neceſſaria, ſe prudenter adſtringunt. Odoramenta verò, vt ipſe Ioannes ait, ſunt orationes eorum. Bene odoramenta, quia ſurſum aſcendunt. Nam, vt Eccleſiaſticus ait: Oratio humiliantis ſe nubes penetrabit, & donec propinquet, non conſolabitur, & non diſcedet, donec Altiſſimus aſpiciat.] Bene odoramenta; quia graueolentiam peccatorum noſtrorum expellunt, & Dei miſericordiam nobis conciliant. Quare petebat Dauid: Dirigatur oratio mea ſicut incenſum in conſpectu tuo;] cuius ſcilicet boni odor te ad benignitatem inflectat. Bene odoramenta; quoniam ad modum aromatum, quo magis tribulationis aut amoris igne abſumuntur, eo ſuauiorem odorem ſpargunt. Vnde quando Tobias orabat cum lacrymis, Angelus obtulit orationem eius Domino, id eſt, orationem cordis tribulati, adeò dignam duxit, vt poſſet Domino præſentari. Bene tandem odoramenta, quoniam oratio non vnam tantùm virtutem olet, ſed omnes illas, pro quibus vir iuſtus orat, & gemit.

Eccli. 35. 21.

Pſal. 140. 2.

Tobiæ 12. 11.

Vt autem ſpiritus Dei altiùs mentibus noſtris hanc veritatem infigeret, orationem thymiamate ex multis odoribus compoſito figurauit. Sume tibi, ait, aromata, ſtacten, & onycha, galbanum boni odoris, & thus lucidiſſimum, æqualis ponderis erunt omnia, faciéſque thymiama compoſitum opere vnguentarij, mixtum diligenter, & purum, & ſanctificatione digniſſimum.] Hoc certè thymiama, Hilario teſte, orationis fuit typus, quod ex quattuor aromatibus, id eſt, ex quattuor illis partibus deprecationis componitur, quas Apoſtolus numerauit. Obſecro primùm fieri obſecrationes, orationes, poſtulationes, gratiarum actiones,] de quibus poſtea (Deo donante) dicemus. Vel certè hæc quattuor aromata, vt ipſe B. Pater ait, quattuor elementa ſignificant; ſtacte aquam, onycha terram, galbanus ignem, & thus aërem, vt per hæc omnium, quæ in cœlo, & infra cœlum, & in terra, & in aquis ſint placita Deo incenſi modo offeratur laudis oratio. Aut ſi mauis, huiuſmodi aromata virtutes deſignant, quas in ipſa oratione exercemus, & ardentiſſimis deſideriis expoſcimus. A quo ſenſu Gregorius non diſſidet, qui explicans illud Canticorum: Quæ eſt iſta, quæ aſcendit ſicut virgula fumi; varia aromata, varias eſſe virtutes exponit. Hæc autem æqualis ponderis debere eſſe Scriptura propoſuit, vel quia oratio ad adſequendas virtutes omnes æqualiter valet; vel quia in meditatione & contemplatione anima conſtituta æqualiter, ſi vult, vniuerſas exercet. Eſt quoque thymiama opere vnguentarij compoſitum, quia in oratione fundenda viri iuſti deſudat induſtria. Eſt miſtum diligenter; quoniam ad plenam orationem componendam varij adfectus ac deſideria ſancta concurrunt. Eſt purum: quia orantes, vt decet, omnia aliena & impura ab oratione, aut à corde ſuo, in quo oratio reſidet, conſtãter abiiciunt. Eſt tandem

Exodi 30. 34.

Hilarius in Pſal. 140.

1. Ad Timoth. 2. 1. Thymiama orationis typus.

Gregor. hom. 22. in Ezech. ad finem.

Dæmones ſuperat.

ſanctifi

ſanctificatione digniſſimum; quia tale vnguentum, tam prætioſum, ac purum, non debet alteri quàm ipſi Deo ſummo dicari. Si ergo oratio cunctas virtutes, ac vniuerſa auxilia impetrat; non mirum eſt quòd omne genus dæmoniorum expellat. Hebræi quidem ab Ægyptiis captiui detenti orauerunt Dominum, vt eos à dura ſeruitute luti & lateris liberaret. Moſes verò ſic audit loquentem Dominum: Vidi adflictionem populi mei in Ægypto, & clamorem eius audiui, & ſciens dolorem eius deſcendi, vt liberem eos de manibus Ægyptiorum.] O ſanctæ orationis eximia virtus, quæ Deum ipſum condeſcendere facit, vt nos ab inimicis eripiat! Verè panis eſt fortium, cùm nos faciat aduerſarios ſalutis fœliciſſimo euentu calcare.

Exod. 3. 7.

Secunda huius victoriæ cauſſa eſt ab oratione in quantum eſt meditatio ſeu conſideratio earum rerum, quibus à malis auertimur, & bona ſectamur. Sic enim ipſa dolos & fraudes aduerſariorum detegit, illiſque detectis opem è cœlis aduersùs tentationes imploramus, & congrua media ad vincendum inquirimus. Fruſtrà iacitur rete, inquit Salomon, ante oculos pennatorum.] Spirituales autem viri ſunt myſticæ quædam aues oculos conſiderationis habentes, quibus retia dæmonum videant, & pennas auxiliorum cœleſtium, & cooperationis propriæ, quibus longiùs aufugiant. Quare fruſtrà dæmon ante illos laqueos obtendit, quos reſiſtentes ſuæ nequitiæ non poteſt ad ſe pertrahere. Bellum illius aduersùs homines non vi, ſed dolo perficitur. Facile verò eſt pugnam in dolo ſolùm poſitam euincere eis, qui per meditationem & diuinam illuſtrationem fraudes agnoſcunt, & eis cognitis, ſe capi non ſinunt. Quanti autem ſit detrimenti non conſiderare, & ad Dominum non oratione recurrere, libri Ioſue manifeſtat hiſtoria. Fecerunt enim filij Iſrael cum Gabaonitis pacem, putantes eos in terra longinqua habitare, & incolas terræ ſibi promiſſæ non eſſe: quod ſi cognouiſſent, eos vtique interemiſſent, & numquam ſecum habitare permiſiſſent. Cauſſa autem erroris fuit, vt Scriptura ait: Quia os Domini non interrogauerunt.] Sic ſæpe, quia os Domini non interrogamus, id eſt, quia ad eum precibus & ſanctis meditationibus non recurrimus, ideo ab aduerſariis decipimur. Ideo Gabaonitæ, id eſt, vitia nobiſcum habitant, aut nos ſibi parcere faciunt, quia non curamus ad lucem orationis inſpicere, an inimici ſint nobis, & an ſub ſpecie recti nos fallere intendant. De felle illius piſcis ſacri, quem ſuprà retulimus, dixit Angelus ad Tobiam: Fel valet ad vngendos oculos, in quibus fuerit albugo, & ſanabuntur.] Quia videlicet paſſio Domini conſiderata oculos proprij amoris albugine plenos ad fraudes dæmonis aperiendas illuminat. Ipſe namque eſt, vt inquit Proſper, piſcis in ſua paſſione decoctus, cuius ex interioribus remediis quottidie illuminamur, & paſcimur.] Paſcimur quidē Manna conſiderationis, quæ non immeritò rori comparatur, quòd in nos de cœlo deſcendat. Hoc autem rore non ſolùm reficimur, ſed & illuminamur. Quod enim Iſaias ad litteram de Sanctorum reſurrectione ſcripſit, ad animarum liberationem valet applicari. Viuent mortui tui, interfecti mei reſurgent: expergiſcimini, & laudate, qui habitatis in puluere, quia ros lucis ros tuus, & terram gigantum detrahes in ruinam.] Viuent, inquam, ô Eccleſia, iuſti tui, nec diabolus multiplici aſtutia ſua poterit ab eis vitam eripere. An non id credis?

Ioſue 9. 14.

In oratione Dominus cō ſulēdus.

Tobiæ 6. 9.

Proſp. 2. de prædict. c. 39.

Iſai. 26. 19.

Eſt ros cœli, quo irriguti creſcimus.

A Credo, inquit Eccleſia: & interfecti mei, quos aliquando peccato ſordentes & mortuos luxi, ſcio quia ad gratiam & ſanctitatem ſuſcitabuntur. Sed quo pacto eos, Domine, ſuſcitabis? Vnde ipſorum viuificationem incipies? Certè à rore tuo, à cognitione propriæ miſeriæ, & diuinæ miſerationis tuę, quam illis in meditatione tribues. Ros enim lucis eſt iſte ros tuus. Nam quemadmodum herbæ languentes rore vireſcunt, & pullulant: ita & animæ rore lucis, aut meditationis illuminatæ, nouam vitam, aut ſi iam viuunt, nouum feruorem concipiunt. Hoc etiam rore lucis, & orationis, quo animas rigas terram gigantum, id eſt, infernum habitationem dæmonum ſuperborum detrahes in ruinam. Quia cùm illi à fraudibus inchoent, facile B eſt, detecta per rorem lucis fraude, eorum impetus tua gratia ſuperare.

Poſtrema victoriæ dæmonum cauſſa eſt ab oratione, quatenus eſt interna quædam omnium virtutum exercitatio. Iam enim diximus, & infrà vberiùs exponemus, oratione perfecta omnem virtutem exerceri. In ea credimus, in ea ſperamus, in ea diligimus Deum, in ea proximos amore complectimur, nos ipſos deiicimus, & ſublimia virtutum opera meditatione concepta, quorum multa ſunt nobis actione impoſſibilia, corde ei, qui cordium eſt inſpector, offerimus, & ſaltem voluntate factitamus. Atque in hoc ſenſu Caſſianus orationem vitæ ſpiritualis finem nuncupauit. Omnis, ait, monachi finis, cordiſque perfectio, ad iugem atque C indiruptam orationis perſeuerantiam tendit, & quantum humanæ fragilitati conceditur, ad immobilem tranquillitatem mentis ac perpetuam nititur puritatem.] Certum eſt autem, perſeuerante oratione, animam ad perfectionem extolli, non ſolùm in quantum petitio eſt, ſed quatenus diuina contemplatur, virtutum interna exercitatione cumulatur, & ardentiſſimo Dei amore ſuccenditur. Nihil verò ita dæmones ac tentationes eorum arcet à nobis, ac ſolers omnium virtutum exercitatio, & diuini amoris operatio continua. Ergo oratio diabolum vincit, & omnia genera armorum habet, quibus eius tentationes inanes fiunt. Vnde Cyprianus: Incumbamus gemitibus aſſiduis, & D precationibus crebris. Hæc ſunt enim nobis arma cœleſtia, quæ ſtare & perſeuerare fortiter faciunt; hæc ſunt munimenta ſpiritualia, & tela diuina, quæ protegunt.] Eſt ipſa quaſi armamentarium Eccleſiæ, ad quam accurrunt celeriter iuſti, cùm volunt aduersùs vitia & peccata pugnare. Immo eſt velut generalis quædam officina, in qua vita ſpiritualis inuenit quicquid ad ſe conſeruandam, & augendam, & tuendam opus habet. Ezechias rex diues & inclytus valde prædicatur, quòd theſauros ſibi plurimos congregaſſet auri, & argenti, & lapidis pretioſi, aromatum, & armorum vniuerſi generis, & vaſorum magni pretij; quíque apothecas frumenti, vini, & olei, & præſepia omnium iumentorum, cauláſque pecudum, & greges ouium E & armentorum innumerabiles poſſediſſet. At ſpiritualis vir, & dono orationis ornatus longè eſt ditior, atque potentior; qui in vno orationis & contemplationis ſtudio longè maiora & pretioſiora conquiſiuit. In hoc ſtudio habet aurum ſapientiæ, argentum eloquij, lapides pretioſos auxiliorum cœleſtium, aromata ſanctorum deſideriorum, & arma virtutum. In ea habet panem verbi Dei, quo reficiatur; vinum amoris, quo inebrietur; oleum ſuauitatis, quo vngatur. Per eam vires corporis & animæ fiunt vaſa ſanctarum cogitationum, & ad-

Oratio omnium virtutū exercitatio.

Caſſian. col. 9. c. 1.

Cyprian. epiſt. 57.

Eſt armamentarium.

2. Paral. 32. 27.

Eſt panis, quo reficimur vinúmq; quo inebriamur.

fectionum : per eam paſſiones moderamur,laboribus ſanctis diteſcimus , & ab omni morbo ſpirituali ſanamur. Et , vt Laurentius Iuſtinianus inquit : Quamuis ieiunium morbos auferat vitiorum , carnis amputet paſſiones , criminum cauſſas propellat:tamen ſine deuotionis augmento,abſque orationis exercitatione ſanitatem mentibus non reponit , nec à terrenis animum quieſcere ſinit.] Moſes oratione Amalecitas vicit : Iudith oratione Holofernem occidit : Eſther oratione Aman deiecit , & populum liberauit. Hæc omnia imagines ſunt victoriarum noſtrarum : nam oratione diabolum vincimus, & eius tentamenta irrita reddimus.

Iuſtinia. ligno vitæ,tract. de orat. cap.5.

Eſt Gedeonis panis.

Ecce igitur, ô homo, panem Gedeonis,qui tibi quidem erit panis , quo ſuſtenteris ; hoſtibus verò tuis erit gladius , quo pereant. Narrabat alienigena ſomnium (quia profanis hominibus quicquid de ſpiritualibus diſputamus , ſomnia videntur) atque dicebat : Vidi ſomnium , & videbatur mihi quaſi ſubcinericius panis ex hordeo volui , & in caſtra Madian deſcendere : cúmque peruenisſet ad tabernaculum , percuſſit illud , atque ſubuertit, & terræ funditus coæquauit.] Sed audi interpretationem ſomnij : Non eſt hoc aliud , niſi gladius Gedeonis filij Ioas viri Iſraëlitæ:tradidit enim Dominus in manus eius Madian.] Oratio eſt panis, qui nos vtique cibat , & reficit. Eſt panis hordeaceus , quia noſtra contemplatio quantumuis pura ſit , numquam in hac vita ad ſimilæ puritatem , id eſt,ad vitæ beatæ perfectionem accedit. Eſt panis ſubcinericius ; quia ferè ſemper phantaſmatum & cogitationum cinere tegitur.Sed hic panis Gedeonem , id eſt, virum ſpiritualem reficiens (qui bene Gedeone ſignatur , quod nomen ſignificat idem, quod conterens,cùm vitia conterat, atque ſubuertat)eſt gladius eius,qui vndique ſe voluens dæmones vincit , & aëreas poteſtates proſternit. Atque de iſto gladio poteſt pars illius viſionis Apocalypſeos intelligi,qua Chriſtus apparuit Ioanni veſtitus podere , de cuius ore gladius vtraque parte acutus exibat. Veſtis enim illa , quæ ſacerdotum erat, indicat nobis quid gladius ſignificet. An non ſacerdotes oratione pugnant ? An non verbo Dei primùm contemplato, & deinde prædicato,decertant ? Chriſtus ergo orationis gladium in ore geſtat,vt nos oratione pugnaturos , & victoriam de hoſtibus reportaturos oſtendat. Certè in cœna illa vltima pleniſſima myſteriorum , diſcipulos his verbis admonuit:Qui non habet, vendat tunicam ſuam,& emat gladium.] Cùm autem poſtea eos ad orationem hortatus ſit, dicens : Vigilate, & orate, ne intretis in tentationem.] Occaſionem præbuit interpretandi , vt per gladium orationem ipſam intelligamus,quæ tunicæ etiam venditione emenda eſt,id eſt,curarum terrenarum,quę nos vndique cingunt , abiectione , comparanda. Quid amplius dicam ? In Iſaia ita legimus : Erit tranſitus virgæ fundatus, quam requieſcere faciet Dominus ſuper eum (id eſt, Sennacheribum) in tympanis & citharis:& in bellis præcipuis expugnabit eos.] Percuſſio iſta impij regis , non curſim facta , ſed bene fundata, & ad multum temporis duratura in tympanis,& citharis,& bellis efficitur, id eſt, oratione ſancti regis Ezechiæ , quæ inſtar ſoni tympani & citharæ ſuauiter reſonabat,& ſuorum militum pugna conſummatur. Eccleſia comparatur choris caſtrorum ; choris quidem pæana canentium,quia Deum oratione magnificat ; & choris & caſtris confectis,quia ipſa oratione tamquam gladio hoſtes expugnat. Et arma militiæ noſtræ,inquit Paulus , non ſunt carnalia, ſed potentia Deo.] Vnum autem genus armorum potens ſecundùm Deum, oratio eſt , quo ipſum Deum adiutorem accerſimus,vt noſtros aduerſarios vincere poſſimus.Iuxta illud, quod in Pſalmo ſcriptum eſt:Hi in curribus, & hi in equis ; nos autem in nomine Domini Dei noſtri inuocabimus,] id eſt, inuocationes Domini, ac preces non aliter quàm tela in hoſtes intorquebimus. Iſta igitur arma orationis ſumamus ; & ne à cœpta ſimilitudine ſeparemur , iſtum panem ſuauiſſimum manducemus ; quia manducare pugnare eſt:& qui in gladio iſto pugnat, & pane iſto decertat,ita ad bellum roborabitur, vt aduerſarios ſuos vincat, & ob inſignem victoriam de eis comparatam, pretioſam coronam in cœlis accipiat.

Apocal. 1. 13.

Eſt gladius, quo defendimur.

Luc. 22. 36.

Ibid. ver. 40.

Iſaiæ 30. 32.

Orationis citharа in bello vincimus.

Iſaiæ 37. 15.

Cantic. 7. 1.

2. Cor. 10. 4.

Iudic. 7. 13.

Ibid. ver. 14.

Pſal. 19. 8.

Oratione cœlum expugnari.

CAPVT X.

ALTERVM, quod propoſuimus, videamus : nimirum quomodo panis orationis nos roboret, vt terram viuentium nobis , ſi legem ſeruauerimus, promiſſam,ac vrbem cœleſtem expugnemus. Tria ſunt ad iter in cœlum agendum neceſſaria , dux viæ ſemitas iuſtitiæ nobis oſtendens ; vis ac potentia ad ambulandum iter carpens ; & ornatus cœleſti patria dignus, animam ipſam amiciens. Abſque duce viam , quam non nouimus , ſine errore ambulare non poſſumus. Vnde Dauid obſecrabat : Deduc me in ſemitam mandatorum tuorum , quia ipſam volui.] Non ſatis eſt,ait , vt des mihi intellectum, quo ſcrutari poſſim legem tuam , niſi etiam dux mihi ſis huius ſemitæ mandatorum tuorum,quam toto amore dilexi. Parum eſt mihi voluntas mea, inquit Auguſtinus , niſi in eo,quod volui , me ipſe deducas.] Abſque fortitudine ad ambulandũ viam conficere haudquaquam valemus. Quare & ipſe Dauid,qui in tantum ſuam iuſtitiam innocentiamque laudauerat , vt non ſolùm peccatum operis à manibus ſuis, verùm à lingua peccatum ſermonis excluſerit , poſt hanc egregiam laudationem ſubdit : Perfice greſſus meos in ſemitis tuis , vt non moueantur veſtigia mea.] Ac ſi diceret : Scio,Domine , hanc meam iuſtitiam à tuo auxilio ac gratia manaſſe ; ac propterea nunc peto , vt firmes ac ſtabilias adfectus ac vires animæ meæ in ſemitis legis tuæ,vt pedes mei viam rectam non deſerant, & ad obliquam & complanatam lapidibus peccatorum non deflectant. Sine ſplendido ornatu non datur alicui aut regiam ſummi regis intrare , aut ad menſam eius accumbere. Certè Ioſeph Patriarcham caſtiſſimum ſerui Pharaonis eductum de carcere totonderunt , & veſte mutata obtulerunt ei : quanto magis,qui coram rege cœleſti eſt appariturus , ad menſámque eius accubiturus , oportet vt ſeipſum à ſuperfluis deſideriis tondeat , & indumentis ſplendidiſſimis vitæ perfectioris amiciat. Hæc igitur tria oratione conſequimur, atque adeò ipſa eſt efficaciſſimum præſidium ad intrandum in regnum cœlorum.

Pſal. 118. 35.

Auguſt. ibid. concio. 11.

Pſal. 16. 5.

Gen. 41. 14.

Oratio igitur , & contemplatio diuinorum ducatum nobis præſtat in itinere regni cœleſtis. Nam dum oramus, & conſideramus cœleſtia,quæ nos impediant , atque retardent, quæ item impellant in bonam vitam , & in cœlum attollant , non obſcurè videmus. Quónam pacto Deus Iſraëlitis

Oratio eſt dux cœleſtis itineris.

in

in terram ſibi promiſſam pergentibus ducatum præſtabat? Dominus,inquit Scriptura,præcedebat eos ad oſtendendam viam per diem in columna nubis,& per noctem in columna ignis;vt dux eſſet itineris vtroque tempore.] Similiter & fideles ſuos Deus in cœlum columna orationis ducit;& quando ambulandum eſt,quandóque quieſcendum patenter oſtendit. Columna illa Iſraëlitarum ductrix, & quaſi magiſtra, ſi Rupertum conſulamus, Chriſti figura fuit. Nobis aut ſit orationis,aut conſiderationis imago, qua Chriſtum meditamur, aut alias veritates ſalutis noſtræ ſcrutando cognoſcimus. Sunt enim multa,in quibus inter columnam ad terram promiſſam ducentem,& orationem, datur conuenientia. Oratio eſt columna rectiſſima, cùm in Deum cœli auctorem & habitatorem tendat: ſtabiliſſima, cùm animæ ſtabilitatem & conſtantiam in bono tribuat:firmiſſima, cùm imbecillitates noſtras ſuſtentet,& fulciat.

Exod. 13. 21.

Eſt columna ignis in cœlum præluces. Ruper. 2. in Exod. cap. 28.

Iſraëlitica columna cum oratione contentio.

Sed videamus inquiramúſque quid Scriptura de illa columna dixerit;& ea omnia in oratione reperiemus.Illa vna columna erat ſimul nubis,& ignis; die erat inſtar nubis, quia populum protegebat: nocte inſtar ignis, quia cum illuminabat. Sic & oratio tempore proſperitatis ab æſtu ſuperbiæ nos protegit,& tempore aduerſitatis à puſillanimitatis obſcuritate defendit.Implétque Dominus in iuſtis ſuis beneficio orationis quod Iſraëlitis columnæ beneficio præſtitit,de quo Dauid:Expandit nubem in protectionem eorum; & ignem, vt luceret eis per noctem.] Nam oratio rerum terrenarum vilitatem oſtendens quaſi ſuper capita iuſtorum proſperitate fruentium expanditur,ne elationis ſpiritu terreantur. Et rectitudinem diuinæ voluntatis eiſdem aduerſitate preſſis oſtendens eos illuminat,ne in tenebris adflictionum in ſcopulos deſperationis impingant. Columna illa Hebræorum erat ingentis altitudinis, & ita in cœlum porrecta, vt ab omnibus etiam longè diſſitis poſſet videri. Similiter& oratio perfectorum ita eſt excelſa,atque ſublimis,vt profani homines, & omnino à guſtu perfectionis alieni eam poſſint coniectari. Neſciunt quid videant in illis,quod aſpicientes compungat, & ſine ſtrepitu verborum peccata damnet, & virtutis tranquillitatem demonſtret. Illa columna nunc præcedebat caſtra; nunc, vt hoſtibus Hebræos inſequentibus obſiſteret, ſequebatur caſtra, & illis pro muro erat; nunc,cùm ſcilicet Iſraëlitæ quieſcerent, tabernaculo Domini, quod erat in medio caſtrorum, incubabat. Nam ſcriptum eſt in Exodo:Nubes Domini incubabat per diem tabernaculo,& ignis in nocte,videntibus cunctis populis Iſraël per cunctas manſiones ſuas.] Ita & oratio iam incubat tabernaculo Eccleſię,qui eſt Chriſtus Ieſus, cùm eius geſta & labores cogitat: iam præcedit, cùm dies antiquos, & annos æternos in mente habet:iam ſequitur, cùm nouiſſima, ſeu futura conſiderat. Reſpexit Dominus ſuper caſtra Ægyptiorum per columnam nubis, & ignis,interfecitque exercitũ eorum.] Sic quaſi per columnam orationis reſpicit, cùm orantibus & contemplantibus nobis in corde noſtro aduerſarios perfectionis diſpergit. Numquam columna illa per quadraginta annos defuit Hebræorum populo; in qua Dominus Moſi apparebat,oracula edebat,reſponſa reddebat,& ſuam gloriã manifeſtabat. Numquam etiam orationis donum Eccleſiæ deerit, in quo, & per quod Deus ſuam voluntatem pandat, & ſuam gloriam ac maieſtatem aperiat. Ac tandem columna illa Iſraëliticum populum per deſertum in terram promiſſionis duxit.Et propterea in Pſalmo ſcriptum eſt:Eduxit eos in nube diei,& tota nocte in illuminatione ignis.] Et in libro Eſdræ:Tu,Domine,in columna nubis ductor eorum fuiſti per diem, & columnis ignis per noctem, vt appareret eis via,per quam ingrederentur.] Itidem & oratio iuſtos in cœlum ducit, & non ſolùm amabiliſſimam comitem,ſed & itineris magiſtram ſe præbet.

Pſal. 77. 14.

2. Eſdræ 9. 12.

Exodi 40. 36.

Exodi 14. 24.

Quomodo oratio ducis officio fungatur.

At quæris quónam pacto oratio ſit iuſtorum ductrix, quæ eis itinera perfectionis, & viam patriæ cœleſtis oſtendat? Ita ſanè vt ipſa greſſus voluntatis noſtræ ſua perſpicacia antecedat,& an per inuium ambulemus; an verò viam rectam & ſecuram teneamus, edicat. Deinde, quia vt fidelis nuncius præit nos,& feſtinat ad Dominum,vt gratiam ſupernæ illuſtrationis obtineat. Tandem, quia per hanc gratiam defectus & obliquitates noſtras ad emendationem perſpicuè claréque patefacit.Habet illa oculos pluſquam lynceos, vt pericula viæ, per quam ingredi debeamus, inſpiciat. Et ſicut Moſes exploratores miſit,qui terram promiſſam agnoſcerent, & habitatorum mores, & impedimenta ingreſſus intelligerent,dixítque eis:Conſiderate terram, qualis ſit,& populum qui habitator eſt eius, vtrùm fortis ſit an infirmus; ſi pauci numero an plures;ipſa terra bona an mala;vrbes quales,muratæ an abſque muris: humus pinguis an ſterilis,nemoroſa an abſque arboribus:] ſic & vir iuſtus vnã exploratricem orationem mittit, quæ & qualitates patriæ cœleſtis,in quam proficiſcitur,& fortitudinem hoſtium aut apertè irruentium, aut è latere inſidiantium, & pericula animaduertat. Adſumit etiam oratio miniſterium nuncij percurrentis, & deſideria noſtra Deo manifeſtantis. Atque,vt Bernardus ait, eſt nuncius fideliſſimus notus regi, & toti curiæ, qui in ſecreto noctis ſilentio per occultas ſemitas arcana cœli penetrare, & miſerabili ſupplicatione miſerationem regis omnium flectere,& laborantibus opem ferre ſolitus eſt.] Non illa, oratio ſcilicet, luget pro poſſeſſione argenti & auri, aut cuiuſuis rei perituræ; ſed pro obtentu gratiæ,& pro ornatu ſanctitatis. Quid autem obtenta illuminationis gratia faciat, & quomodo animæ impediméta progrediendi detegat, pulchrè ſatis Richardus Victorinus expoſuit, ſic ſcribens: Hac gratia illuſtrata anima incipit tenebras cordis ſui videre,ſeipſam cognoſcere, diſcernere qualiter ſe vitia ſub ſpecie virtutum occultent, vel ſe illis occultè ſocient. Oritur enim in mente noua dies poſt noctem ignorantiæ,& fit diluculum, quo ſurgit ad offerendum holocauſtum contritionis pro ſingulis virtutibus,ne fortaſſis fuerint imperfectæ, vel minus puræ,& ad concremandum quicquid in illis admixtum fuerit carnale. Hominis enim ſpiritus interdum fertur ad aliud bonum, cui annexum eſt aliquid carnale, quod humanitatem delectat,& trahit occultè, ſed hoc ignorat. Item quàm ſæpe credit aliquis à ſpiritu moueri ad aliquid faciendum,cùm moueatur à carnalitate, vel naturalibus, vel leuitate,vel cauſſa aliqua,vel occaſione. Denique interdum facit homo aliquid ante tempus,vel tardè,vel indiſcretè. Has tenebras,& occulta mala deprehendit, & diiudicat, & diluculum compunctionis homini demonſtrat,quòd ſcilicet minor ſit in bono, quàm credebat:quòd initium gratiæ tantùm acceperit; quòd in nocte iacuerit; quòd ad diluculum, & non ad plenam diem venerit. Sicut ergo per acceptam gratiam illuſtratus ſeipſum

Num. 13. 19.

Bernard.

Richard. cap. 5. Cantic.

agnoſcit;

agnoſcit; ita per eamdē intelligit exiguū eſſe,quod
3.Reg.19. inuenit. Elias poſt auditum ſibilum auræ leuis, in qua Dominum eſſe didicit, pallio vultum operuit, & in oſtio ſpeluncæ ſterit:ſic homo percepta gratia,& per hanc cognita imperfectione ſua,vultum pallio operit, quia quanta ignorātia tegatur agnoſcit, & in oſtio ſpeluncæ ſtat,quia per noctem cognitæ cæcitatis de corruptionis vitio exire ad illuceſcentem ſibi diem gratiæ venire deſiderat.] Habet ergo oratio primum,quod diximus neceſſarium ad iter cœli ſine offenſione carpendum, quia ſcilicet ductrix eſt in perfectionem vitæ, per quam ad patriam cœleſtem tendimus:dux,inquam,conſideratione viæ pericula detegens, poſtulatione & deſiderio nobis præcurrens, & obtenta gratia vniuerſa impedimenta propellens.

Ab oratione nobis robur ad ambulandū. Non deeſt orationi ſecundum, quod propoſuimus: quia ab ea robur ad ambulandum itérque agendum prouenit. Angelo deſcendente in piſcinam, aquámque mouente, virtutem tribuebat illi, vt ægrotos ſanaret, & paralyſi reſolutis vim ad ſe mouendum reſtitueret. Sic cùm inſpiratio ſancta, oratione concepta, cor hominis omni aqua mobilius tangit, ô quàm efficaciter ægrotationes & imbecillitates noſtras expellit! Aptè ergo Chryſoſtomus orationem neruis corporis ſimilem eſſe cenſuit,à quibus omnis motus ſtructuræ humanæ dependet.Iam verò,inquit,ſi quis dicat animæ neruos eſſe deprecationem, mea quidem ſententia videbitur verum dicere: nimirum quemadmodum corpus neruis cohæret,currit,ſtat,viuit,& compactum eſt, adeò vt ſi neruos incideris vniuerſam corporis harmoniam diſſolueris; itidem animæ per ſanctas preces ſibi conſtant, & compinguntur, ac pietatis curſum facile peragunt.] Immo verò & alia ratione vires nobis oratio miniſtrat. Nam ſicut animalia in propriis locis viuunt,& ſuas actiones exercent, extra illa verò à vita & propriis functionibus excidunt; ita & homo oratione occupatus,aut ſecundùm præſcriptum orationis ſe gerens tamquam in proprio loco viuit, & ſe ad meritum occupat: at alio modo ſe habens,quàm lux diuina in oratione immiſſa præſcribit, ſtatim ſe periculo caſus & perditionis exponit. Ac proinde ipſe ſanctus Doctor ſubiūgit: Quòd ſi teipſum deſtitueris precatione, perinde feceris ac ſi piſcem ex aquis extraxeris. Vt enim piſcis vita eſt aqua, ita tibi deprecatio. Per hanc datur velut ex aquis ſubuolare, cœlúmque tranſcendere, ac proximum fieri.] Nec ſolùm ad ambulandum,aut currendum in via Dei, ſed ad pugnandum quoque vires miniſtrat oratio: ſi qui inſurrexerint, qui iter noſtrum impedire, aut retardare voluerint. Iacob precibus & lacrymis virtutem ad reſiſtendum Eſau fratri ſuo, ad eúmque placandum obtinuit. In fortitudine enim ſua,vt ait Oſeas, directus eſt cum Angelo. Et
Oſea 12. 3. inualuit ad Angelum, & confortatus eſt: fleuit, & rogauit eum.] Luctatus eſt ille cū Angelo,vt ab eo benedictionem impetraret. Inualuit aduersùs eum, quia benedictionem eius obtinuit, qua fuit mirificè roboratus. At quomodo inualuit?Fleuit,inquit, & rogauit eum: lacrymis & precibus inualuit, hæ illum fortem fecerunt aduersùs fratrem ſuum. Sic & oratio nos fortes faciet,vt obſiſtentes conatibus noſtris, quibus in Deum tendimus,arceamus, vel certè eos placabimus, nec reſiſtentes,ſed magis iuuantes ſentiemus. Ex hac lucta cum Angelo, vel cum Angelorum Domino,quam non ictus gladiorum,ſed gemitus & preces efficiunt,exibimus claudi & infirmi ad appetenda terrena, fortes verò, & expediti ad cœleſtia procuranda. Illa autem imbecillitas pars eſt obtentæ fortitudinis, quia hoſtem infeſtiſſimum, corpus ſcilicet ſpiritui repugnans, infirmum reddimus,vt expeditiùs ad vitam cœleſtem properemus.

Anima Dei mēſas aditura oratione ornatur. Actor.2. 4. At poſtremum expectamus, vt ſcilicet oratio animam ornet, vt poſſit in domum Dei, ac in conuiuium eius regiū admitti. Sed hoc nullo negotio conficimus, cùm multa in ſacra Scriptura dicatur, quæ hunc ornatū animæ ab oratione venire confirment. An Apoſtoli non erant vnanimiter perſeuerantes in oratione,cum repleti ſunt Spiritu ſancto, & cœperunt loqui variis linguis, prout Spiritus ſanctus dabat eloqui illis? Orationi ergo vacantes Spiritus ſanctus replet, vt & ipſi in ſe Deo
Exod.32. 15. ſint grati, & aliis acceptis donis inueniantur proficui. An non Moyſes orans in monte accepit tabulas legis ſcriptas ex vtraque parte,& factas opere Dei. Sic & in oratione intelligentiam legis, & diuinæ voluntatis recipimus, vt eam opere compleamus. Vel potiùs efficimur tabulæ legis; quia in ipſa conuerſatione noſtra lex apparet, non atramento,ſed Dei digito,& Spiritu ſancto conſcripta. An non ducit Dominus animam in contemplationis quietem, vt eam de rebus agendis, & de cœleſtibus myſteriis erudiat? Ita quidem. Nam per
Oſea 2. 14. Oſeam ait: Ecce ego lactabo eam, & ducam eam in ſolitudinem,& loquar ad cor eius.] Blandietur animæ Dominus, id enim, auctore Hieronymo,ſignificat: Lactabo eam, & ſuauiſſimis verbis ad ſuum colloquium & familiaritatem trahet. Ducet eam,id eſt,more ductoris paulatim ad donum orationis,& contemplationis (quæ ſolitudo eſt terrenarum occupationum & cogitationum) aſcendere faciet. Ibi non tantùm vocem animæ ſibi loquentis audiet; verùm & ipſe loquetur ad cor eius ea verba, quæ eam doceant, & mirificè conſolentur. Dabo ei, inquit, vinitores eius ex eodem lo-
Verſ.15. co,& vallem Achor ad aperiendam ſpem.] Ex eadem ſcilicet ſolitudine contemplationis, ait Dominus,dabo animæ iuſtæ, quæ vinea mea eſt,vinitores efficacium inſtinctuum, vt eam ampliùs purgent,& vel minima etiam ſuperflua reſecent.Dabo & vallem Achor, vallem in quo Acham ad pœnitentiam prouocatus eſt, vallem turbationis & luctus, vt ad maiorem ſecuritatem inter innumera dona mea ſe ſancto timore & humilitate conturbet. Hæc autē pia humiliſque turbatio ſpei oſtium aperiet; quia quo quis ſe magis humiliat, eo maiorem debet ſpem de diuina miſeratione concipere. Proſequitur autem Deus: Et canet ibi iuxta *Ibid.* dies iuuentutis ſuæ, & iuxta dies aſcenſionis ſuæ de terra Ægypti.] Sicut enim tunc cecinit anima, quia à ſæculo,& curis eius fuit liberata: ita & accepto dono contemplationis canet,quia à mendicitate & penuria donorum eripitur, & perfectione virtutum ornatur.

Si itaque Deus in oratione animam in ſpiritus ſui domicilium eligit,& legis ſuæ cuſtodia, & donorum ac virtutum muneribus auget; verum eſt quia oratione ad cœleſtes nuptias ornatur. Quòd ſi tota cura noſtra ſit oportet in cœlum tendere, cùm oratione ad cœlum paremur, & quodam violentiæ genere ipſum expugnemus; etiam cura noſtra eſſe debet numquam ab oratione ceſſare. Ac proinde ſapienter Chryſoſtomus ponderat optimum fuiſſe Danielis conſilium nolentis nec per triduum orationis ſtudium omittere; quia videlicet non eſt aliud hoc, quàm ſanctitati & omnibus donis aditum præcludere. Verba ſancti Doctoris

Chryſoſt. lib. 2. de precat. *Chryſoſt. lib. 1. de orando.*

sunt: Quin insuper quòd oporteat quauis morte tristius existimare, si quis deprecatione priuetur, pulchrè nos docet Daniel ille Propheta magnus, qui maluerit emori, quàm triduo dumtaxat arceri ab orando. Nec enim hoc ab eo exigebat rex Persarum, vt impietatem admitteret: tantùm illud obseruabat, si quis intra triduum quicquam petere deprehenderetur ab vllo deorum, aut hominum præterquam ab ipso: sed Propheta ne tantulum quidem temporis sustinuit ab orando cessare, propterea quòd nisi Deus propensus sit in nos, nihil omnino bonorum in animas nostras venire possit: Dei verò propensio simul adiuuat labores nostros, hósque pulchrè subleuat, si conspexerit nos amare precandi studium, si continenter orare Deum, si viderit expectantes, omnia bona nobis illinc defluxura. Itaque cùm videro quempiam non amantem orandi studium, nec huius rei feruida vehementique cura teneri: continuò mihi palàm est eum nihil egregiæ dotis in animo possidere. Rursus vbi quem conspexero insatiabiliter adhærentem cultui diuino, idque in summis damnis numerantem, si non continenter orauerit; coniecto talem omnis virtutis firmum esse meditatorem, ac Dei templum. Etenim si vestitus hominis, si pedum incessus, si risus dentium declarat qualis sit, quemadmodum *Eccli. 19.* sapiens dixit Salomon; multo magis deprecatio, cultúsque Dei, signum est totius iustitiæ, cùm sit ornatus spiritualis, ac diuinus multam pulchritudinem ac decorem conciliãs mentibus nostris, dum vniuscuiusque vitam componit, nec sinit quicquam sordidum, aut absurdum dominari nostro animo, dum persuadet reuereri Deum, & honorem, quem illi debemus, præstare, dum docet vniuersam mali spiritus imposturam reiicere, turpes & absurdas cogitationes profligans. Denique dum cuiusque mentem constabilit in contemtu voluptatum: nam hæc superbia sola decet eos, qui Christum venerantur, videlicet nulli seruire turpitudini, sed mentem seruare in libertate, morúmque puritate.] Hactenus Chrysostomus. In cuius verbis præter ea, quæ diximus, id aduertendum est, eum orationis studium iustitiæ ac sanctitatis feciſſe signum. Et verè ita est; non solùm quia oratio (vt dictum est) omnium est bonorum spiritalium origo, & facile est ex fonte naturam aquæ decurrentis agnoscere: verumetiam quia vnusquisque similem sibi quærit, quo cum agat, & frequenter conuersetur. Qui autem cum auctore totius puritatis & iustitiæ conuersari appetit, indicium magnum præbet, quòd amator & cultor iustitiæ sit. Iustitiæ verò, & puritati vitæ patet regnum cœlorum: ergo orationis continuus amor, qui videtur secum iustitiæ amorem inuoluere, Dei in nos beneuolentiam conciliat, & cœlestem patriam expugnat.

Orationis studium esse proprium populi Dei.

CAPVT XI.

Manna cibus nulli cognitus nationi.

INTER alia magnalia, quæ de Manna illo, aut cibo cœlesti dicuntur, postremum à nobis adtingendũ illud sit, quòd cibus ille solùm in beneficium populi Dei fuit è cœlo demissus, & nulli alteri genti, aut nationi prærogatus. Alias nationes iter agentes, & ex vna in aliam prouinciam transmigrantes terra suis frugibus pauit: populum verò Dei non terra, sed cœlum cibo illinc descendente refecit. Adeò vt de cibo isto pronunciare valeamus, quod de lege scripta regius Vates scriptum reliquit: Non fecit taliter omni nationi; & iudicia sua non manifestauit eis.] Aliarum enim gentium cordibus legem naturalem insculpsit, sed legem scriptam digito Dei in tabulis exaratam soli populo Israëlitarum concessit. Sic alias nationes communibus cibis è terra, aut mari nascentibus pauit & pascit, solam Israëliticam gentem ex Ægypto in terram illis promissam per desertum transeuntem pane insueto, & è regione aëris descendente ministerio Angelorum enutriuit. Fuisse autem illum panem peculiarem, & omnino apud gentes incognitum, ex admiratione & stupore eorum, quibus datus est, manifestè perspicitur, interrogantium: Quid est hoc? Nec fuit in tanta multitudine, qui panem, seu cibum esse cognosceret, præter vnum Mosem, qui non ex scientia sua (licet esset Ægyptiorum sapientia satis eruditus) sed ex diuina reuelatione administrati cibi notionem accepit. Liquet id etiam ex eo, quod in Deuteronomio Moses dixit populo: Et cibauit te Manna in solitudine, quod nescierunt patres tui.] Quamuis, ô populo, ait, fueris à viris sapientissimis, & à Deo ipso doctis progenitus, numquam tamen in mentem eorum venit cibus ille cœlestis, quem tibi Deus per quadraginta annos administrauit. Haberent tamen aliquam notitiam eius, si in alias gentes superioribus temporibus descendisset. Háncque ob caussam Manna in Psalmo vocatur pluuia volũtaria segregata hæreditati Dei; quoniam sicut res, quæ in vsum alicuius tantùm segregata, seu reseruata dicitur, minimè aliis conceditur: ita & panis hic ita fuit populo Israëlitico concessus, vt vsus eius cum tantis miraculis adiunctis aliis fuerit populis denegatus.

Psalm. 147. 20.

Deuter. 8. 16.

Psal. 67. 10.

In hoc etiam orationis cibus est Mannæ illi admodum similis, quòd datus est soli populo Dei; illi scilicet populo ab exordio mundi ad finem vsque eius per totum orbem dispersо, qui verum Deum agnoscit, & colit. Aliæ verò nationes aut nullam notitiam, aut aliquam tantùm orationis vmbram habuerunt, verum autem Manna, id est, veram orationem nec deguſtarũt quidem. Hoc verò (vt nunc generaliter de omnibus gentibus loquamur) facili negotio conuincitur. Nam oratio vera cultus est Dei veri; qui igitur verum Deum minimè colunt, sed lapides, & ligna, & ab illis aliquid petunt; qui oculos habent, & non vident, & aures, & non audiunt, verum Dei cultum, & ex consequenti veram orationem non habent. Sed specialiùs considerabimus gentes expertes cultus veri Dei, & videbimus quàm alienæ ab spiritu orationis extiterint. Earum quædam Deum aliquem, ac primam rerum caussam esse negarunt, quia in disciplinam illius stulti se dederunt, de quo ait Dauid: Dixit insipiens in corde suo: Non est Deus.] Et licèt insipiens non in tam stultam audaciam progressus est, vt tam insigne mendacium proferre verbis auderet, aduersùs quod pæne infinita turba omnium creaturarum inclamet, dicentium: Quoniam ipse fecit nos, & non ipsæ nos;] sed corde id cogitauit, & contra clamorem propriæ naturæ suæ in anguſtia positæ ad aliquod numen sine vlla deliberatione confugientis, id sibi persuadere voluit, quod euidenter falsum est, vt liberiùs delinqueret. Gentes talem magistrum sequentes orationis vsum non habuerunt, quia Deum, ad quem tendit oratio, in rerum natura minimè esse putarunt. Aliæ Deum quidem

Oratio Dei populo concessa, non aliis.

Psal. 13. 1.

Psal. 99. 3. Multæ gentes nullam orationẽ habuerunt.

esse

eſſe confeſſæ ſunt,ſed talem, vt prouidentiam non haberet,nec noſtra curaret. Quarum ſenſus à quodam amico ſancti Iob ita deſcribitur : Nubes latibulum eius,nec noſtra conſiderat, & circa cardines cœli perambulat.] Inter nos,& illum, aiunt, chaos magnum nubium firmatum eſt ; ſicut ipſe nos latet : ita & nos latemus eum. Ad ſummum cœleſtia nouit,cœleſtibus prouidet,nos verò non agnoſcit, aut ſi fortè agnoſcit, omnino contemnit. O ſtultam,ac erroris plenam hominum fanaticorum exiſtimationem,& baculo arundineo ſubnixam! Nam ſi vos aliquando videtis eum , qui non videt vos, cur Deus vos & veſtra ſpectare non poterit,licèt à vobis minimè videatur ? Et licèt nubes latibulum eius, quia poſuit nubem latibulum ſuum , tamen non nubibus continetur,ſed ipſe cœlum & terram implet,& in intimis quoque noſtris reſidet:inuiſibiliſque exiſtens cuncta videt,& veſtras cogitationes nouit, & rerum etiam minimarum prouidentiam habet. Qui itaque à Deo prouidentiam abſtulerunt,non erat cur orarent, nec orationis peſſulo illius ianuam ferirent , qui eos non audiebat, nec eorum proſpera, nec aduerſa curabat. Si verò aliquid difficile ab eis interrogemus , dicent cum ſapientibus Babylonis:Non eſt,qui hoc indicet,exceptis diis , quorum non eſt cum hominibus conuerſatio.] Licèt enim noſtra nouerint, nos autem alloqui, aut nobis reſpondere nolunt ; quia noſtra vt vilia,& ſua maieſtate indigna deſpiciunt.

Iob 22. 14.

Pſal.17. 12.

Daniel. 2. 11.

Alij ex mortalibus Dei quidem prouidentiam agnouerunt ; & his ſimulatæ cuiuſdam orationis forma neganda non eſt:at talis erat , vt homines ſapientes ad riſum prouocaret. Illi namque hominis ſummam miſeriam ex originali peccato manantem, & gratiæ ſubſtantiam ac neceſſitatem , & finem ſupernaturalem, ad quem conditi ſumus, ignorantes, nihil à Deo petebãt, quod virtuti adipiſcendæ,aut augendæ,aut beatitudini conſequendæ ſeruiret , ſed tantùm temporalia poſtulabant. Putabant ſe propriis viribus ſtudioſos eſſe poſſe, & (ſi immortalitatem animorum odorabantur) campos Elyſios,& vitam fœlicem quaſi iure hæreditario in præmium virtutis debitam eſſe:ſciebant etiam abundantiam frugum , & rerum temporalium copiam ſæpe in ſua poteſtate non eſſe ; quare illis poſthabitis bonis , pro his tantùm rebus mediis,& quæ in vtramque partem verti poſſunt,orationem fundebant. Illorum autem oratio certis temporibus , aut diei horis fundebatur , ne deos ſuos à conuenienti ſomno excitarent , aut certè importuni ac oneroſi illis exiſterent. Iſtos lepidè irridet Arnobius,qui & catechumenus ſeptem libris aduersùs gentes fœliciter dimicauit,cuius aliqua verba non grauabor exſcribere. Quid, inquit, ſibi volunt excitationes illæ, quas canitis matutini,collatis ad tibiam vocibus?Obdormiſcunt enim ſuperi remeare vt ad vigilias debeant. Quid dormitiones illæ , quibus bene vt valeant, auſpicabili ſalutatione mandatis ? Somni enim quiete ſoluuntur , occupariſque vt hoc poſſint,lenes audiendæ ſunt næniæ ? Lauatio (inquit) deûm matris eſt hodie. Sordeſcunt enim diui,& ad ſordes eluendas lauantibus aquis opus , atque adiuncta antiqua cineris frictione ? Iouis epulum cras eſt. Iuppiter enim cœnat , magniſque implendus eſt dapibus, iamdudum inedia geſtiens,& anniuerſaria interiectione ieiunus ? Æſculapij geritur celebratúrque vindemia. Colunt enim dij vineas,& ab ſuaſionibus contracti exprimunt vindemiatoribus vinum? Lectiſternium Cereris erit Idibus proximis. Habent enim dij lectos, atque vt ſtratis poſſint molliboribus incubare , puluinorum tollitur atque excitatur impreſſio ? Telluris natalis eſt . Dij enim ex vteris prodeunt , & habent dies lætos , quibus eis adſcriptum eſt auram vſurpare vitalem?] Hæc ille. Orabant igitur gentes aliquando pro temporalibus bonis (quod & occidentales iſti , inter quos viuimus,in ſua gentilitate faciebant:) at de veris bonis virtutum poſtulandis , & de æternis donis oratione adipiſcendis nullam prorſus rationem habebant. Quòd ſi temporalia ſuppeterent , tunc ponebatur oratio,& locus dabatur obliuioni Dei, niſi fortè timor amittendi præſentia, aut non accipiendi aliquid in futurum aliquam ab eis precationem extorqueret.

Quæ fuerit gentium ad idola oratio.

Arnob. lib. 7. aduersùs Gentes, ad medium.

Vt autem hoc euidentiùs intelligas,audi Horatium,quid à ſuo Ioue poſtulandum cenſeat. Eius hæc ſunt verba:

Hor. lib. 1.epiſt.2. ad Lollium.

Sed ſatis eſt orare Iouem,qui donat,& auſert,
Det vitam,det opes:æquum mi animum ipſe parabo.

Audi & Tullium : Atque hoc quidem omnes mortales ſic habent , externas commoditates , vineta, ſegetes , oliueta, vbertatem frugum & fructuum, omnem denique commoditatem proſperitatémque vitæ à diis ſe habere ; virtutem autem nemo vmquam acceptam Deo retulit. Nimirum rectè: propter virtutem enim iure laudamur, & in virtute rectè gloriamur,quod non contingeret ſi id donum à Deo,non à nobis haberemus. At verò aut honoribus aucti,aut re familiari,aut ſi aliud quippiam nacti ſumus fortuiti boni , aut depulimus mali , cùm diis gratias agimus , tum nihil noſtræ laudi aſſumtum arbitramur. Num quis quòd bonus vir eſſet gratias diis egit vmquam ? at quòd diues,quòd honoratus , quòd incolumis. Iouémque optimum maximum ob eas res appellant , non quòd nos iuſtos, temperatos, ſapientes efficiat,ſed quòd ſaluos , incolumes , opulentos, copioſos. O igitur egregium orationis donum, quo iſti à Deo minora bona , non tamen maiora putant eſſe poſtulanda. Et ſuperbia turgidi , veram virtutem ſibi arrogant , & à Deo accepiſſe negant. Nec ratio allata à Tullio ad ſuam adſertionem confirmandam vllius momenti eſt. Ita enim Deus virtutum eſt auctor , vt eas non in noſtras animas atque in lapides inuehat, ſed nos conſentientes cooperantéſque reperiat. Ex eo autem quòd liberè conſentimus , & gratiæ cooperamus , meritiſſimè digni laudatione cenſemur. Iure ergo illum tamquam virtutum auctorem pro virtute rogamus:iure cùm eam adipiſcimur ei tamquã potiori virtutis cauſſæ pro dono accepto gratias agimus : & iure etiam nos tamquam cooperatores & liberi ſuſceptores ad accipiendam laudem idonei ſumus.

Cicero 3. de natura Deorum.

At de quibuſdam Philoſophis legimus eos perſeueranter precationibus inſtitiſſe, & vera bona à diis poſtulaſſe. Vnde Maximus Tyrius Platonicus, cùm multis probaſſet, licèt inſulsè , & præter veritatem , temporalia à Deo non eſſe poſcenda , hæc in fine cuiuſdam diſſertationis ſubdit : Atqui dices in Piræum ibat Socrates,vt preces funderet, alióſque idem vt facerent , monuit ; nec aliud eſt Socratis vita,quàm preces perpetuæ. Etiam Pythagoras precatus eſt , ac Plato , & quiſquis alius lubenter deos ſalutaret. At tu enimuero Philoſophi preces votum eorum, quæ non habet,eſſe exiſtimas : ego nihil aliud, quàm orationem eſſe puto, quàm colloquium cum diis de bonis præſentibus , teſtimoniúmque virtutis. Niſi fortè diuitias , aut Athenienſium magiſtratũ , petiiſſe exiſtimas Socratem.

Max. Tyrius diſſert.30.

Iambl.in vita Pythagoræ. Qualis Philoſophorum oratio.

Ne di ſirint (id eſt,ne dij ſiuerint,ſiue permiſerint) Ille virtutem animi, tranquillitatem vitæ, mores inculpatos, plenam fiducia mortem, bona præclara, & quæ libenter donare dij ſolent, ab illis petebat:à ſemet,ſed concedentibus illis,ſumebat ipſe.] Sic ille. Ego verò in hac precatione Socratis, & aliorum Philoſophorum multa inuenio, propter quæ iure optimo illam contemnam.Illud namque orationis genus pauciſſimorum erat: quamobrem & ipſe Maximus de Philoſophia, cui hanc orationem adiungit,hæc ſubdit:At rariſſima eſt hæc agriculturæ ratio: vix vnquam, nec niſi ſerò fructus eius proueniunt, nec in eodem modo.] Item ſi Philoſophia & oratio huiuſmodi ab illis pauciſſimis coleretur, ſufficiens toti mundo putabatur; quod illa oſtendunt verba, quæ ſequuntur. Rarò tamen hoc, & exiguo in humana vita opus eſt fomite,ſicut in multa nocte tenui luce. Exiguum eſt enim in natura humana, quod pulchrum eſt:& tamen ab exiguo hoc conſeruantur omnia. Deinde, quia oratio illa erat colloquium cum diis de bonis præſentibus,quo ſcilicet Socrates virtutes ſuas, & bona animæ ſuæ propriis viribus adepta iactabat. Fortéque dicebat ſicut ille cæcus, & ſuperbus *Luc. 18. 11.* Phariſæus: Gratias vobis ago, ô dij, quia non ſum ſicut cæteri hominum.] Denique, quia cùm petebat mores inculpatos, bona præclara, & alia ſimilia, à ſemet, ſed concedentibus diis, ſumebat ipſe. Id eſt, ea bona propria vi, ſine auxilio aliorum præſtabat: ſed ſicut nos dicimus amico:Cum bona venia tua faciam hoc,vel illud;ita iſte Philoſophus cum bona venia deorum virtutes & bona præclara ſibi aſſumebat. Hæc autem verâ ſubſtantiam orationis euertunt,quia id petimus,quod ſolis noſtris viribus habere non poſſumus; qua non inaniter de bonis præſentibus gloriamur, ſed pro eis humiliter gratias agimus, & futura poſcimus, & concupiſcimus:qua non pauculos Philoſophos, qui hæc exigua ſua à libris ſacris ſumſerunt, ſed omnes magnos & paruos erudimus: qua tandem non conſultum mundo fore putamus, ſi rariſſimi orent,ſed maius eius bonum in hoc,quod vniuerſi orent(ſi id fieret)conſtituimus. Ergo nec iſti pauci vim orationis cognouerunt, quæ petitio eſt, cùm quid, & quomodo, & qua de cauſſa à Deo poſtulandum eſſet, mentes eorum effugerit. Sed adhuc de Pythagora legimus, quem ipſe Maximus Tyrius in exemplum adducit, & de omnibus eius diſcipulis, nihil niſi precibus præmiſſis ſuſcipiendum exiſtimaſſe. De hoc Philoſopho multa narrantur, inter quæ & illud, vt refert Cicero, quòd cùm in Geometria quiddam noui inueniſſet, Muſis bouem immolaſſe.Hunc autem ſequens,& verbis eius vtens,dicendum mihi videtur. Sed id quidem non credo, quoniam ille ne Apollini quidem Delio hoſtiam immolare voluit, ne aram ſanguine aſpergeret. Non inquam credo Pythagoram cum ſuis talem conſuetudinem habuiſſe. Vt quid enim, expers cognitionis gratiæ ſuos deos, pro his faciendis, quæ propriis viribus fieri putabat, oraret, niſi vt ipſos irrideret.

Iambl. in eius vita. *Vbi ſuprà.*

Si autem orationem pro rerum cœleſtium conſideratione ſumamus, certum videtur Philoſophos verè contemplationis fuiſſe ieiunos. Nam illorum conſideratio nec à vero Dei amore incipiebat, neque in Dei amorem deſinebat, nec vitæ & morum mutationem, ac virtutum adeptionem curabat. Quare ipſorum contemplatio quædam erat diuinarum rerum curioſa inueſtigatio, non vtilis vitæ humanæ emendandæ, & charitati acquirendæ proficua cognitio. Vide quid de his Philoſophis dicat Paulus. Cùm cognouiſſent Deum, non ſicut Deum glorificauerunt, aut gratias egerunt, ſed euanuerunt in cogitationibus ſuis.] Deum quidem nouerunt aliqui eorum, adeò vt idola, & deorum multitudinem irriderent, & in cognitione Dei, ac rerum cœleſtium, tempus & operam collocarunt. At gloria non adfecerunt Deum; quia multa falſa Deo tribuentes, & vero admiſcentes, de ipſo non præclarè ſenſerunt, nec vita & imitatione ſe illi ſimiles facere conati ſunt, nec pro acceptis beneficiis gratias ei retribuere curarunt. Quòd ſi hi, qui in virtutis & ſapientiæ genere aliquid eſſe videbantur, tam longè ab ſcopo orationis aberrarunt; quid ſentiemus de promiſcua Ethnicorum multitudine? Quid de Mauris, & aliarum falſarum ſectarum hominibus, qui ſolùm terrena ſapiunt, qui in hoc nati videntur, vt genio & ventri ſeruiant, & aliam vitam aut ſpernunt, aut penitus ignorant? *Rom. 1. 21.*

De Hæreticis non eſt cur loquamur, quorum cùm proprium ſit veram & illibatam fidem peſſumdare, etiam eſt veram orationem (de qua loquimur) fidei ſubnixam, & à capite Chriſto, cui ceu membra vnimur, ignorare. Nonnulli quidem illorum orationem tamquam rem inutilem penitus ſuſtulerunt, omnia aut ex neceſſitate euenire putantes, vt Vviclephiſtæ, Huſſitæ, Lutherani; aut (quemadmodum ſenſit Pelagius) virtutem non gratiæ Dei, ſed propriis viribus tribuentes. Alij numquam, nec ad momentum ab oratione ceſſandum eſſe, vt Meſſaliani, aut eam ſolam ſine aliis bonis operibus ad virtutem ſatis eſſe putarunt. Eóque ipſo apertè cognoſcitur eos fuiſſe orationis vacuos, & illuſionis diaboli plenos, nec eos ſemper oraſſe, ſed ſemper deliraſſe, quia fictiones capitum ſuorum virtutis omnis aduerſariæ orationem virtutum matrem eſſe exiſtimabant. Sed iam hanc fæcem hominum impuriſſimorum & ignorantiſſimorum relinquamus.

Oratio populo Dei conceſſa.

Hinc colligamus licet, quod eſt huius diſputationis argumentum: orationem videlicet eſſe cibum reſeruatum populo Dei, & Eccleſiæ, quæ ab initio mundi vſque ad finem in terris militat, vt poſt hanc vitam in cœlis ex Dei contemplatione triumphet.Huius Eccleſię cauſſa per totum orbem diffuſæ dicit Abacuc de Domino Sabaoth: Quoniam laudis eius plena eſt terra.] Hanc inuitat Dauid ad laudes Deo canendas, cùm ait: Laudate Dominum omnes gentes, & collaudate eum omnes populi.] Illius tempora ita ſunt ex Dei ordinatione diſpoſita, vt dies diei eructet orationis verbum, & nox nocti indicet contemplationis ſcientiam. Atque eius filij ſingulis momentis clamant: Gloria Patri, & Filio, & Spiritui ſancto. &: Sanctus, Sanctus, Sanctus,Dominus Deus Sabaoth, quoniam cùm in diuerſis partibus orbis ſol diuerſis horis illuceſcat, & quæ hîc eſt hora prima, alibi ſit tertia: & quæ in eo loco eſt tertia, alibi ſit ſexta, & ſic deinceps: ſit Eccleſiam toto diei & noctis tempore puriſſimas preces, & caſtiſſimas laudes ſine vlla ceſſatione in cultum Domini reſonare. Hoc ſtudium orationis non ſapientes tantùm,ſed idiotæ, & pueri,& puellæ frequentant, & vel ipſi puſiones ab vberibus matris pendentes, ore necdum ad loquendum ſoluto orationis verba pronunciant. Atque hoc precandi genere non de bonis præſentibus, quaſi de opibus propria induſtria quæſitis vanè ſe iactant, ſed ea Dei eſſe beneficia cognoſcunt; & alia nondum habita *Habac. 3. 3.* *Pſ. 116. 1.* *Oratione fideles omnia petunt à Deo.*

habita petunt, & cupiunt. Non putant ſe ea bona poſſe conquirere cum bona venia falſorum numinum, ſed ea à Deo vero cœli, & terræ, & omnium rerum auctore prouenire fatentur. Ab eo temporalia, ſi ipſius Dei obſequio ſunt profutura, petunt; ab eo bona illa præclara, quæ ad virtutem & ſanctitatem pertinent, tamquam ab eius gratia habenda depoſcunt. Ab eo etiam minima quæque menti, aut carni vtilia, non aliter quàm à patre amantiſſimo exquirunt. Sciunt namque eius perfectiſſimam prouidentiam ad omnia, minima quoque, ſe extendere: & quia dum minimis prouidet à cura maiorum non auertitur, credunt maieſtatem eius minorum reſpectu illuſtriorem apparere, & nullo pacto aliqua imperfectione fœdari. Illius opera meditantur, & immenſam pulchritudinem & perfectionem contemplantur, non pauci Philoſophi, aut ſapientes tantùm, ſed turba etiam maxima adoleſcentium & virginum mundiſſima, quæ in cœnobiis degit, & innumera alia hominum ſæcularium vtriuſque generis multitudo, quæ in ſtatu ſæculari manens, & ſibimet vacans, pompis diaboli renunciauit, & ſe diuino obſequio, & ſtudio orationis addixit. In hac autem numeroſa multitudine, quam non Athenæ docuerunt, ſed Spiritus ſanctus erudiuit, quàm ſublimis ſit Dei notitia, quàm excelſa rerum cœleſtium ſcientia, quàm admiranda virtutum cognitio, quiſnam valeat explicare? Profectò ſi aniculam ſanctæ Eccleſiæ rerum diuinarum contemplationi addictam, aut virgunculam, aut adoleſcentulum aliquem eidem ſtudio vacantem audieris, eos in notione diuinorum, & veræ virtutis ante Ariſtoteles, & Platones, & Socrates ſtare cognoſces. Nam Deus impleuit verbum ſuum, quo pollicitus eſt Eccleſiæ per Iſaiam: Ponam vniuerſos filios tuos doctos à Domino.] Et rurſus: Erunt omnes docibiles Dei.

Iſaiæ 54. 3. Ioan. 6. 45.

Sed licèt orationis cibus, atque hoc Manna cœleſte proprium ſit Eccleſiæ catholicæ; in hoc tamen ab illo Iſraëlitarum pane ſecernitur, quòd iſtum in æquali menſura omnes capiebant, vetitúmque erat duplices menſuras, aut maiorem eius portionem accipere. Colligat vnuſquiſque (dictum eſt illis) ex eo, quantum ſufficit ad veſcendum: gomor per ſingula capita, iuxta numerum animarum veſtrarum, quæ habitant in tabernaculo, ſic tolletis.] At orationis cibum non omnes filij Eccleſiæ in æquali menſura tollunt: ſed hi minorem, hi maiorem huius ſacri cibi menſuram accipiunt. Quidam enim eorum nonnullis precibus vocalibus contenti ſunt; & ab hoc modo orandi (vt credo) in ſancta Eccleſia nullus eximitur. Nam quis, rogo, licèt multis iniquitatibus pollutus, inuenietur, qui ſurgens è lecto non ſe cruce ſignet; qui non Dominicam orationem, & ſalutationem Angelicam recitet; qui non ad aliquem Sanctorum pro auxilio recurrat? Alij Pſalmodiæ, & publicis precibus Eccleſiæ vacant: alij orationi mentali ſe tradunt, & ſecundùm menſuram gratiæ ſibi datæ, & cooperationis adiunctæ, magis aut minus proficiunt. Alij denique perfecta contemplatione fruuntur, & vita illorum eſt perpetua quædam oratio, & non tam in terris habitare, quàm viuere videntur in cœlis. Diuitias agricolæ, ait Climacus, ex area & torculari cógregant: monachi verò ſuas opes & ſcientiam veſpertinis maximè nocturníſque orationibus, & animi exercitationibus congregant.] Liceat nunc mihi ex hac ſententia aptam ſimilitudinem ad hoc explicandum aſſumere. Sicut enim in terrena republica non eſt omnibus eadem bonorum temporalium opúmve poſſeſſio; ſed quidam vix panem habent, & illum eleemoſynis corraſum, quo ſuſtententur: alij, licèt anguſtè, ſibi & familiæ cibos parant: alij ſatis abundanter ſe ſuóſque reficiunt: alij demum ingentes diuitias poſſident, & in his non opum æqualitas, ſed magnus eſt in diuitiis habendis vnius ad alium exceſſus: ſic prorſus in pane orationis habendo contingit. Nam plurimi fideles vix aliquid orationis, aut precationis ſciunt: alij quamuis arctè, magis tamen, quàm homines communes ſuæ ſalutis obliti de hoc pane ſibi prouident: alij in orandi arte non modicos progreſſus faciunt; ſed alij tam immenſas orationis & contemplationis diuitias coaceruant, vt pane (ſi ita dici poſſit) cœleſtibus ſpiritibus coæquentur. Hoc tam magno orationis dono magnum ſanè indicium præbent, quòd ſunt amatores Dei. Nam, vt idem Climacus etiam ait: Probat quidem aurum fornax, ſed ſtudium & charitatem in Deum monachorum probat orationis intentiſſimæ qualitas.] Immo & pro qualitate puriſſimæ orationis profectum amoris poſſumus coniectari. Si enim aliquem amicum non multum amas; nec multo tempore cum eo conuerſaris. At ſi tibi ſit dilectiſſimus, & inſtar animæ tuæ, tunc libentiſſimè diebus & noctibus eius conuictum & colloquium admittis. Ita, ô iuſte, ſi tepidus es ad orationem; ſi ad vigilias negligens; ſi ad diuinorum contemplationem horarum auarus, cùm tamen poſſis ſecundùm ſtatum, & occupationes tuas illi vacare, parum Deum amare videris. At ſi cor tuum deſiderio orationis, & diuini alloquij ſollicitetur; ſi in ea libens & quietus maneas, velut qui degis cum tibi amiciſſimo, ſi in ea ſentias te ad cœleſtia adfici, & à terrenis fortiter elongari: inde te in amore Dei profeciſſe coniicies. Sapiens de ſapientia ait: Cogitare de illa, ſenſus eſt conſummatus; & qui vigilauerit propter illam, citò erit ſecurus.] Hæc igitur eſt perfectio ſapientiæ, hæc ſecuritas mentis, res diuinas diligenter cogitare, & ad illas animum adficere. Hanc autem ſapientiam veram ab Spiritu ſancto progenitam; hanc ſecuritatem à bona conſcientia prouenientem, nemo habet, qui erga Deum & proximum charitatis ſit expers. Pro illius ergo mundiſſimæ contemplationis profectu videtur anima in Dei amore prouehi, nec in eo, qui in virtutum exercitatione fuerit negligens, poterit diu veræ contemplationis gratia perdurare. Itaque orationis donum non ſolùm ad populum Dei pertinet, ſed ordinariè loquendo profectum animæ indicat, & oſtendit.

Climac. grad. 15.

Sap. 6. 16.

Exodi 16. Mannæ menſura æquali, oratio diſpari condonatur.

Climac. grad. 19.

Omnibus viris ſpiritualibus diligenter in ſtudium orationis eſſe incumbendum.

CAPVT XII.

MVCVSQVE orationem Mannæ ſimilem eſſe definiuimus; nunc ad finem huius primæ tractationis properantes eam cum manibus tum corporis, tum animæ conferamus. Corporis manus omnes nouimus; animæ manus nos rationem nominamus, quia non aliter quàm manibus res corporeas, ratione res incorporeas & inuiſibiles apprehendimus. Quid autem de his duplicibus manibus Galenus ſcri-

pſerit, excipiendum eſt, vt in quo loco habenda ſit oratio viris ſpiritualibus patefiat. Ille ſic ſcribit: Homo ſicuti corpus armis nudum, ita & animam artibus deſtitutam habet. Proinde pro corporis nuditate, manus: pro animæ imperitia, rationem accepit: quibus fretus corpus quidem armat; animam autem omnibus ornat artibus. Sicut enim ſi innata ſibi aliqua haberet arma, illa ei ſola ſemper adeſſent: ita etſi artem aliquam natura ſortitus eſſet, reliquas ſanè non haberet. Quia verò melius ei erat omnibus armis, omnibúſque artibus vti; neutrum eorum à natura ipſi propterea datum eſt. Pulchrè igitur Ariſtoteles manum velut organum quoddam ante organa eſſe dixit. Pulchrè autem & aliquis noſtrum Ariſtotelem imitatus, rationem velut artem quamdam ante artes eſſe dixerit. Sicut enim manus, quamquam nullum ſit eorum, quæ particularia ſunt organa, quia tamen omnia rectè poteſt recipere, organum eſt ante omnia organa: ita & ratio nulla quidem ex artibus eſt particularibus, omnes autem in ſeipſam recipere nata eſt, ob id ars ante artes fuerit. Homo igitur animalium omnium ſolus, cùm artem ante artes in anima habeat, rationem; optimo iure organum ante organa in corpore, manum poſſedit.] Sic ille. At nos, quæ Galenus de homine ſecundùm naturam dixit, ad eumdem hominem ſecundùm mores transferamus, & orationem quaſi manus & rationem eſſe non valebimus diffiteri. Homo enim poſt Adæ peccatum quodammodo ſine ratione, & ſine manibus manſit: non quia rationem perdiderit, ſed quia eam ignorantiæ tenebris obſcurauit: non quia manus amiſerit, ſed quoniam infirmitatem ad laborandum, & ſanctè viuendum acquiſiuit. Oratio ergo illi pro ratione data eſt, quia quod ratione peccato obſcurata non aſſequitur, oratione ad Deum fuſa non ſemel adipiſcitur. Orationem vna tantùm littera à ratione ſecernit; quin & illa apud Grammaticos (quod etiam Hieronymus animaduertit) nihil aliud eſt, quàm oris ratio. Immo & apud ſpirituales viros, in bono ſenſu oris ratio dici poteſt, quia omnibus oris noſtri rationibus & locutionibus præſtat: & tunc os noſtrum ſiue interius, ſiue exterius fœliciùs loquitur, cùm ſuum Deum ac Dominum deprecatur. Vnde ſicut per antonomaſiam nomine Apoſtoli Paulum intelligimus, & nomine Virginis Deiparam agnoſcimus: ita & orationis nomine eam rationem poſſumus intelligere, qua non cum hominibus de rebus huius ſæculi, ſed cum Deo & cœlitibus de rebus diuinis verba miſcemus.

Galen. 1. de vſu partium. c. 4.

Oratio oris eſt ratio.

Hieron. epiſtola 139. ad Cyprian.

Oratione omnibus artibus ad vitam ſpiritualem pertinentibus mentem ornamus; quia ea, cùm ſuam perfectionem habet, dona Spiritus ſancti mentem ornantia, ſcilicet ſapientiam, intellectum, conſilium & ſcientiam exercemus, & ipſorum augmentum impetramus, & ex illa quid nobis facto opus ſit ad Deo placendum intelligimus. Nam, qui ea, quæ agenda ſunt, conſideratione non præuenit, & pro auxilio ad cognoſcendam & exequendam voluntatem Dei ad ipſum oratione non recurrit, ſæpiſſime errat; & rationibus tantùm humanis eruditus, ab eo, quod bonum & rectum eſt, deuiat. Erítque vnus illius gentis, de qua Moſes cecinit: Gens abſque conſilio eſt, & ſine prudentia. Vtinam ſaperent, & intelligerent, ac nouiſſima prouiderent.] Ille quippe ſine conſilio eſt, qui illum, cuius eſt nomen conſiliarius, per eleuationem mentis ad eum non audit. Ille ſine prudentia, qui eius verba non excipit, de quo ſcriptum eſt: Dominus ſapientia fundauit terram; ſtabiliuit cœlos prudentia.] Illi tandem deſideratur, vt ſapiat à Deo oratione pendere, vel vt conſideratione præterita ſciat, præſentia intelligat, & futura prouideat. Oratio eſt quaſi ars ante artes; quia ſicut ratione nobis à natura indita cunctas artes addiſcimus: ita oratione à Deo tradita omnium veritatum, quæ nobis ſunt opus ad bene viuendum, notionem comparamus. Vno ſapientiæ nomine omne illud intelligitur, quod intellectum humanum perficit ad rectam notitiam diuinorum; & eorum, quibus ſanctam, & ſecundùm ſcita Dei noſtri vitam inſtituimus. De ſapientia autem ſic ſcriptum eſt: Si quis veſtrûm indiget ſapientia, poſtulet à Deo, qui dat omnibus affluenter, & non improperat, & dabitur ei.] Si cui, inquit, deeſt ſapientia ad cognoſcendas tentationum vtilitates (& idem eſt de notitia aliarum rerum, quæ ad bonam vitam ſunt neceſſariæ) is non tam euoluendis aliorum voluminibus, quàm orationi operam ſuam nauare contendat. Cùm enim Deus copiosè & liberaliter tribuat, non eſt ab alio, quàm ab eo donum ſapientiæ munificentiſſimum ſperandum. De eadémque ſapientia, quæ lumen quoddam eſt, inquit Dauid: Accedite ad eum, & illuminamini, & facies veſtræ non confundentur.] Ad illum autem oratione, & cœleſtium contemplatione accedimus, quod alij clariùs explicarunt, transferentes ex Hebræo: Reſpicite ad eum, & confluite. Reſpicite meditatione, & diuinæ maieſtatis contemplatione: confluite adfectibus ſanctis in eum, & ſapientiæ lumen recipietis. Abſcondit Moyſes faciem ſuam, non enim audebat aſpicere contra Deum, & tunc non illuminatus eſt: at poſtquam vidit Dominum, tunc eſt illuminatus, & gloria, id eſt, claritate diuinæ cuiuſdam lucis oppletus. Intendite ergo oculos mentis in Deum, vt illuminemini; ſat enim ſcio quòd ſi ita feceritis non confundemini, id eſt, deſiderio veſtro non fruſtrabimini. Si ergo omnis cognitio ad bene ſanctéque viuendum lux eſt, & pars quædam ſapientiæ eſt, & eam oratio obtinet; meritò ars ante omnes artes, ſeu cognitio ante omnes notiones appellatur.

Deut. 32. 28.

Iſaiæ 9. 6.

Prouer. 3. 19.

Cur oratio dicatur ars ante omnes artes.

Iacobi 1. 5.

Pſal. 33. 6.

Exodi 3. 6.

Exodi 34. 29.

Oratio etiam homini pro manibus data eſt, & ſi res æqua lance libremus, eſt ipſa manus quædam corporis manibus multo perfectior. Has enim poteſt inimicus ligare, poteſt hoſtis abſcindere, poteſt morbus arefacere, aut ab opere impedire: at orationem iuſti quis ligabit, quis abſcindet, quis impediet? Paulus vinctus erat; & tamen ait: Verbum Dei non eſt alligatum.] Quòd ſi verbum Dei non erat alligatum, vt Apoſtolus illud gentibus proponeret; exiſtimas tu quia erat alligatum, vt pro fructu eius orationem effunderet? Poterant igitur manus Pauli ab aduerſariis ligari, ſed prædicationis & orationis manus non poterat catena vinciri. Eſt oratio organum ante organa, quia omnium organorum formas recipit, & organa ad operandum ipſa facit. Quæ ſunt organa, quibus ſalutem noſtram operamur? Nónne virtutes? Ita ſanè. Nam pœnitentia mundamur; humilitate ab hydropiſi ſuperbiæ ſanamur; fide illuminamur; ſpe erigimur; charitate incaleſcimus, & reliquis virtutibus velut inſtrumentis quibuſdam alia opera ad ſalutẽ neceſſaria præſtamus. Sed has actiones meditatio conſiderat, oratio poſtulat, & cor cum Deo loquens miris modis exercet. Quia tamen virtutes his actibus obtinentur, & creſcunt; hinc fit, vt orationis manus nõ ſolùm actus virtutũ capiat,

Eſt homini pro manibus.

2. Tim. 2. 9.

Eſt organum ante organa.

capiat, verùm & ipsos habitus ac instrumenta perficiat. Vnde est organum ante organa, siue instrumentum ante instrumenta, quia si oratio adsit, virtutum organa diligenter operantur: si autem oratio desit, ipsa langueſcunt. Scriptura quidem sacra orationem manuum eleuatione signauit, quasi digito ostendens ipsam esse animæ manum, qua manus functiones præstare non desinit. Illa eleuatio manuum Moysis, qua perseuerante vincebat Israël, & qua flaccescente vincebatur, huius fortissimi ducis orationem significauit, vt Tertullianus affirmat. Et Dauid ait: Eleuatio manuum mearum sacrificium vespertinum.] Manifestum est autem eleuationem manuum ideo esse acceptabilem, quia orationi se comitem præbet, & est orationis insigne. Quare idem est ac si sanctus Propheta diceret (Hilario interpretante) ita pura & recta ascendat ad te, Domine, oratio mea, vt non minus tibi placeat, quàm illud sacrificium vespertinum agni immaculati, quod in singulos dies post omnes sacrificationes oblatum ratione rei significatæ tibi semper erat acceptum. Et Paulus exhortans viros ad orationem in omni loco fundendam, subdit: Leuantes puras manus sine ira, & disceptatione.] Ille autem puras manus leuat, qui orationes offert absque inquinamento peccati. Ille effert manus sine ira, & disceptatione, qui preces offert absque iniuriarum memoria, & appetitu vindictæ, secundùm illud Saluatoris dictum: Cùm stabitis ad orandum, dimittite si quid habetis aduersùs aliquem.] Nam oratio peccatis contaminata, aut vindictæ appetitione polluta, non placet oculis diuinæ maiestatis, dicentis: Cùm multiplicaueritis orationem non exaudiam; manus enim vestræ sanguine plenæ sunt.] Est itaque oratio manus animæ, qua seipsam armat, & ornat, qua vtiliter laborat, & quicquid sibi necessarium est optimè comprehendit.

Hinc, ô vir Dei, quanta tibi futura sit cura orationis intelliges. Si enim ita diligis manus corporis, vt pro illis à læsione seruandis omnia bona temporalia posthabere non dubites; quàm impensiùs diligenda est oratio manus animæ, quæ bonis animæ conquirendis perfectiùs seruit, & ipsas etiam manus corporis (vt de Ioanne Damasceno narratur, cuius manus à tyranno abscissa est) aliquando restituit. Hortus, cui manus olitoris illum excolentis & rigantis deficit, statim aret; & vita spiritualis, si ei manus orationis desit, statim arescet. Ad quod non parum faciunt illa verba Bonauenturæ: Scire debent quòd omnis religio arida & imperfecta est, & ad ruinam promtior, quæ spiritum diuinæ sanitatis non quærit, quæ præcipuum conamen ad cordis studium, & internæ puritatis non impendit; in qua expressissimè Spiritus sanctus testimonium reddit spiritui nostro, quòd sumus filij Dei. Austeram vitam corporalis exercitationis quasi ad modicum vtilem despicimus; & ardua pietatis opera actualiter non habemus, sicut olim Sancti, qui pro fratribus animas posuerunt, & similia magna gesserunt. Item sublimia virtutum exercitia pauca videmus, vt sunt, sanctæ obedientiæ, perfectæ patientiæ, humilitatis præcipuæ, & paupertatis extremæ. Si ergo istis caremus, & adhuc orationis studium postponimus, in quo gloriari de nostra religione poterimus? Fortè de solo nomine, & exteriori habitu, & verbis Scripturæ, quam in foliis, & in ore magis quàm in adfectu, & in opere gestamus? Sed nisi abundauerit iustitia vestra (ait Deus) plusquam Scribarum, & Pharisæorum, non intrabitis in regnum cœlorum.] Sic ille. Non ergo externæ ostentationi virtutum fidendum est; sed nucleus veræ & internæ deuotionis quærendus. Quem manus orationis inuenit, & quasi testam eorum, quæ consideramus, frangens, ad gustum & vtilitatem educit. Nec putes te sine hac manu internam dulcedinem posse ori mentis admouere, aut rerum cœlestium suauitatem gustare.

Hanc manum orationis habes, ô homo, non tantùm vt tentationibus aduersariorum resistas (quod iam diximus) verùm & vt eam instar scuti indignationi Domini te, aut alios ob peccata ferire volentis opponas. Hac manu Moses Dominum tenuit (ô mira orationis potestas) ne in rebellem illum populum desæuiret. Dimitte me, dixit Dominus illi, vt irascatur furor meus contra eos, & deleam eos, faciámque te in gentem magnam.] Certè non manibus corporis ille Dominus tenebatur, qui teneri, aut tangi non potest, sed manu orationis ab vltione auocabatur, qui ad misericordiam deflecti potest. Vnde subditur: Moyses autem orabat Dominum Deum suum.] Et post feruidam orationem eius placatus est Dominus, ne faceret malum, quod locutus fuerat ad populum suum. Eámque orationem fuisse manum validam, quæ vltionem auertit, Dauid protestatus est, canens: Et dixit vt disperderet eos, si non Moyses electus eius stetisset in confractione in conspectu eius, vt auerteret iram eius, ne disperderet eos.] Quin & Aaron orationem in scutum oppositum iræ Dei, vt ab ea suam gentem eriperet. De quo legimus in libro Sapientiæ: Properans homo sine querela (qui scilicet irreprehensibiliter vitam agebat, aut sine macula Pontificis munere fungebatur) deprecari pro populis; vel, vt est in Græco, pugnare pro populis.] Et quibus ille armis ausus est pugnare cum Domino? Illis profectò, quæ sequuntur: Proferens seruitutis suæ scutum orationem, & per incensum deprecationem allegans, restitit iræ, & finem imposuit necessitati,] id est, calamitati, quæ propterea necessitas dicitur, quia à populo vitari non poterat. Si nos aliquando caput, aut faciem manu protegimus, & quasi scutum ictui opponimus; Aaron similiter orationis manum quasi scutum fecit, quoniam obiiciens illam indignationi Dei populum à clade liberauit. Habet autem orationis manus in hoc negotio resistendi Deo quid pretiosum, & omni acceptione dignum, quòd scilicet ita Deum placat, vt à nobis simul causſam meritæ vltionis peccatũ amoueat. Quod Chrysostomus non solùm docet, sed & duobus exemplis Niniuitarum, & mulieris peccatricis ostendit: libétque eius verba in medium adferre. Quid, inquit, maius, aut diuinius obtingere possit, quàm deprecatio, cùm hanc animis ægrotantibus pharmacum quoddam esse liqueat? Itaque primi occurrunt Niniuitæ, quos clarum est deprecationis præsidio plurimorum scelerum, quibus diuinam iram in se prouocarant, remissionem accepisse. Simul enim atque illos cepit deprecandi studium, illico iustos reddidit; ac ciuitatem, quæ iam adsueuerat lasciuiæ, malitiæ, breuiter vitam exlegem & impiam viuere, statim correxit: nimirum potentior diutina peccãdi consuetudine, cùm ciuitatem illorum cœlestibus legibus implesset; pariter secum trahebat temperantiam, humanitatem, mansuetudinem, curámque paupertum. Neque enim sustinet deprecatio absque his virtuti-

Exodi 17. 11.

Tertull. 3. contra Iudæos.

Psſ. 140. 2.

1. Tim. 2. 8.

Marci 11. 25.

Isaiæ 1. 15.

Oratio manibus corporis longè vtilior.

Bonau. 7. proceſſu religio. c. 11.

Matth. 5. 11.

Oratio ſcutum indignationis Domini ſagittis depellendis. Exodi 32. 10.

Verſ. 11.

Pſ. 105. 23.

Sapiẽ. 18. 21.

Ibid.

Chryſoſt. lib. 1. de orando Deum.

bus

bus verſari inter pauperes; ſed in quorumcumque peccatore ſibi domicilium delegerit, eos reddit plenos omni iuſtitia, erudiens & exercens ad virtutem, ac malitiam omnem propellens: & ſanè ſi quis tunc ingreſſus fuiſſet ciuitatem Niniuitarum, qui priùs eamdem probè nouiſſet, nequaquam agnouiſſet eam; adeò repentè à turpiſſima vita ad pietatem reſilierat. Quemadmodum enim ſi quis mulierem mendicam, ſordidis pannis veſtiri ſolitam, pòſt aureis veſtibus ornatam videret, nequaquam agniturus ſit mulierculam; ita ſi quis eam ciuitatem priùs nouiſſet mendicam, hoc eſt, vacuam omnibus theſauris ſpiritualibus, nimirum ignoraſſet quænam eſſet illa ciuitas, in qua tranſmutanda tantum valuiſſet deprecatio, vt & mores & vitam ad virtutem reduceret. Iam verò & mulier quædam, quæ totum vitæ tempus in laſciuia & impudicitia peregerat, ſimul atque ſe proiecit ad pedes Chriſti, ſalutem adſequuta eſt.] Hactenus ille. Igitur manu orationis à peccatis mundamur, quatenus gratiam ad deteſtationem eorum, & veniam obtinemus, vt iræ & vltioni Domini reſiſtere eadem manu poſſimus. Si autem manus hæc, & ſcutum hoc validum orationis deſit, non mirum ſi à Domino calamitatibus feriamur, acceptíſque ſuæ vltionis vulneribus dicemus cum Iſaia: Non eſt qui inuocet nomen tuum, qui conſurgat, & teneat te. Et ob id abſcondiſti faciem tuam à nobis, & alliſiſti nos in manu iniquitatis noſtræ.] Si autem fuiſſet, qui tuam miſericordiam imploraſſet, & te orationis manu tenuiſſet, propter iniquitates noſtras non eſſemus alliſi.

Iſaiæ 64. 7.

Hac etiam orationis manu poteris, ô homo, pugnare, ſalutíſque inimicos euincere. Hi in curribus, & hi in equis, inquit ſanctus Dauid, nos autem in nomine Dei noſtri inuocabimus.] Illi, inquam, in curribus, & equis, & militibus, & omni armorum genere ſpem ſuam collocant: nos verò non in ope humana, ſed in auxilio diuino, & in oratione confidimus. Qui autem ſapientiùs & fœliciùs ſe geſſerint, effectus demonſtrauit. Nam illi obligati ſunt, & proſtrati, ac viribus deſtituti ceciderunt; nos autem ſurreximus, & erecti ſumus. Oratio ergo te eriget, oratio te hoſtibus ſuperiorem faciet, oratio de illis victoriam reportabit. Moſes, vt eſt in libro Iudith, hoſtes ſuos non ferro pugnando, ſed precibus ſanctis orando deiecit: ſic & tu valida orationis manu poteris virtutis hoſtes, peccata, & vitia, & dæmones profligare. Vtrumque enim habet hæc manus, vt poſſit hoſtium impulſui reſiſtere, & illos vulnerare, atque deiicere.

Pſal. 19. 8. Orationis manu inimicos ſuperamus.

Iudith 4. 13.

Iam ſi manibus diuitiæ quæruntur, iuxta illud Salomonis; Manus fortium diuitias parat.] quas diuitias veras, & ſolidas manus orationis acquirat, breuiter colligamus. Oratio quæcumque deſiderata breuiter impetrat. Verbum enim eſt Domini: Omnia quæcumque petieritis in oratione credentes, accipietis.] Et Bonauentura ait: Citius oratione aliquis obtinet, quod diutius ieiuniis, & aliis laboribus, & piis operibus vix obtineret: licèt alia bona ad hoc aliquatenus ſuffragentur. Vnde in omni caſu, in omni periculo, in omni deſiderato ſemper inuenimus Sanctos principaliter ad ſtudium orationis refugiſſe, quaſi inde promtiùs, quodperebant, conſecuturi.] Oratio iram Dei placat; ob orationémque Moyſis Dominus ad indignationem prouocatus iniquitatibus populi, placatus eſt. Veniam peccatorum impetrat; & vox eſt

Prou. 10. 4. Oratione diuitiæ omnes cõparantur. Matth. 21. 23. Bonau. 7. proceſſu relig. c. 9.

Exodi 32. 14.

A

Domini: Omne debitum dimiſi tibi, quoniam rogaſti me.] Vitia expellit, de quibus Dauid: Diſperge illos in virtute tua; & depone eos, protector meus Domine.] A periculis liberat. Inuoca enim me, in die tribulationis eruam te, & honorificabis me.] De hoſtibus victoriam reportat; vt Ezechias, qui oratione Senacheribum proſtrauit. Difficultates planat: nam populo vociferante, ad Dominúmque clamante muri Iericho obtriti ſunt. Dei familiaritatem confert. Clamabis enim, ait Dominus, & dicam: Ecce adſum.] Præſentiam Angelorum donat, quia præuenerunt principes coniuncti pſallentibus. Sanctum Spiritum, & eius dona tribuit. Pater quippe dabit ſpiritum bonum petentibus ſe. Quid non oratio conſequitur? Profectò ipſa eſt magiſtra ſapientiæ. Si quis namque indiget ſapientia, poſtulet à Deo, & dabitur ei. Origo prædicationis. Quare Paulus ait: Orate pro me, vt detur mihi ſermo in apertione oris mei.] Locus reuelationum. Ideo dictum eſt Ieremiæ: Clama ad me, & exaudiam te, & annunciabo tibi grandia, & firma, quæ neſcis.] Inſtrumentum miraculorum. Vnde Elias orando pluuiam repreſſit, & puerum ſuſcitauit. Ad omnia temporalia ſubſidium. Nam oculi omnium in te ſperant, Domine; & tu das illis eſcam in tempore opportuno. Et tandem ad æternam vitam adſequendam validiſſimum inſtrumentum. Quicumque enim inuocauerit nomen Domini, ſaluus erit. Si hæc ita ſunt, æquum eſt vt diligenter orationi & conſiderationi vacemus (nam ex conſideratione feruens oratio emergit) & vt id propter quod vitam ſpiritualem arripuimus, facere ſtudeamus. Id autem non eſt aliud, quàm oratio, & contemplatio, qua nos Deúmque cognoſcimus, & vitam ad virtutis normam inſtituimus. Verba ergo melliflui Bernardi nos moueant. Obſecro vos, fratres (inquit) per miſericordiam, pro qua tam miſerabiles vos facere ſtuduiſtis, facite, ad quod veniſtis, ad quod aſcendiſtis de fluminibus Babylonis. Super flumina Babylonis (ait Propheta) illic ſedimus, & fleuimus, dum recordaremur tui Sion. Nulla vobis hîc nutriendorum liberorum cura; nulla ſollicitudo quomodo placeatis vxoribus: non de nundinis, non de negotiis ſæcularibus, non de ipſo victu & veſtitu neceſſe eſt cogitare. Procul à vobis magna quidem ex parte diei malitia, & ſollicitudo vitæ. Sic abſcondit vos Deus in abſcondito tabernaculi ſui. Vacate itaque dilectiſſimi, & videte quoniam ipſe eſt Deus. Verùm vt hoc quandoque poſſitis, curandum eſt vobis priùs, vt videatis quid eſtis vos, & iuxta eiuſdem Prophetæ vocem, ſciant gentes quoniam homines ſunt. Huic duplici conſiderationi tota hæc veſtra vocatio tribuatur, ſicut ſanctus orabat: Deus, nouerim me, nouerim te.] Sic ille. Sanè qui huic rei, ſcilicet orationi & conſiderationi non intendit, fruſtrà magna ex parte religioſum habitum geſtat, & ſpiritualis vitæ ſe profeſſorem demonſtrat. Eſt enim, vt verbis Bonauenturæ vtar, ſicut fauus ſine melle, & ſicut murus abſque temperamento, & ſicut cibus abſque condimento.

Matth. 18. 32. Pſal. 18. 12. Pſal. 49. 15. Iſaiæ 37. 21. Ioſue 6. 12. Pſal. 58. 9. Pſal. 67. 26. Lucæ 11. 13. Iacobi 1. 5. Epheſ. 6. 19. Iere. 33. 3. 3. Reg. 17. 7. Pſ. 144. 15. Bern. ſer. 2. de diuerſis. Pſal. 136. Pſal. 9.

Hæc, & multa alia, quæ conſultò præterimus, ſunt orationis elogia, quæ orationi mentali, & ſuo modo vocali conueniunt. Hæc enim fundi poteſt tanta reuerentia, & deuotione, & tanto mentis adfectu, vt non minus quàm mentalis oratio cor emolliat, & ad diuina capienda ſuſtollat. Quod certè in illis antiquis Patribus eremi cultoribus perſpicuum erat, cùm inter pſallendum ad diuina

raperentur, & cœleſtes conſolationes percipe-
rent. Et de B. Patre noſtro IGNATIO memoria
proditum eſt, eum in ſacrificio Miſſæ tam mira
deuotione & exultatione perfundi, & in recitan-
dis Pſalmis tanta dulcedine adfici, & vi lactyma-
rum emolliri, vt & aciem oculorum perderet, &
corpuſculum ad tantam ſuauitatem pæne defice-
ret. Vocalis autem oratio his indiciis profundiſſi-
mæ orationis mentalis ornata abſque dubio non
eſſet virtutum, & donorum prædictorum vacua.
Idque libenter hoc loco dicimus, vt viam ad ſe-
quentem tractationem de oratione vocali præ-
ſtruamus. Eſt itaque oratio vitæ ſpiritualis gem-
A ma præcipua; quæ licèt in aliquibus tepidè & ir-
reuerenter ea vtentibus minus pulchritudinis, &
decoris habeat; tamen ipſa per ſe pulcherrima
eſt, vtilitatiſque pleniſſima; immo & ad vitam
ſpiritualem penitus neceſſaria, taliſque vt in ani-
mabus feruidis, & ei diligenter, totóque conatu
vacantibus fructus omnes prædictos cumulatiſſi-
mè poſſideat. Iam ergo ab innumeris orationis
elogiis ſuperſedendum eſt; & ex laudatoribus in-
ſtructores facti ad praxim procedendum, & quo-
modo aut voce, aut mente orare debeamus,
quomodo etiam cum fructu meditabimur, & con-
templabimur, in ſequentibus explicandum.

ORATIO.

DOmine Deus meus, gratiæ largitor, & bonorum deſideriorum ſeminator, qui animas noſtras ad capienda dona tua deſideriorum immiſſione dilatas: aufer à nobis amorem ſæculi; vehemens verò deſiderium tui, ac famem & ſitim orationis, intimæque tuæ familiaritatis exſuſcita; vt vanis cogitationibus ac deſideriis excluſis, & ſuperuacuis occupationibus ablegatis, mentes noſtræ huic deſiderio orationis & contemplationis inhærentes, nihil aliud cupiant, aut ſitiant, quàm tibi iugiter (qui noſtra es beatitudo) pura cognitione, & ardentiſſimo amore copulari. Amen.

PARS SECVNDA

De Oratione vocali.

INTRODVCTIO.

NOTA eſt apud omnes ſolemnis ac prima Orationis diſtributio, qua diuiditur in Vocalem, atque Mentalem: quarum illa notior eſt, iſta ſecretior: illa facilior, hæc laborioſior: illa communior, hæc ſpecialior, quia nemo eſt in Eccleſia, cùm ad vſum rationis perueniret, qui non voce oret; multi verò ſunt, qui orationem ſolius mentis prorſus ignorent. Ab oratione ergo vocali nobis inchoandum eſt, vt tractatio noſtra à facilioribus & notioribus, ad difficiliora & minùs nota prouehatur. Libenter autem legitimum vocaliter orandi modum ſcribimus; quia orationem vocalem ſi non negligi, at negligenter fundi à pleriſque videmus. Horum nonnulli oſcitanter preces fundunt, quoniam omnia, quæ ad ſalutem animæ pertinent, pro rerum temporalium amore contemnunt. Alij verò (quod mirum eſt) ſuauitate orationis mentalis illecti, vocalem orationem tamquam minùs vtilem curſim & feſtinanter proferunt, vt plus temporis conſiderationi rerum cœleſtium impendant. Qui profectò minùs rectè conſiderant cùm conſideratione ſua, oratione vocali irreuerenter & oſcitanter fuſa, ſe Deo diſplicere, & ad orationem mentalem ineptos fieri minimè animaduertant. A meditatione enim mens noſtra oratione, & laudatione Dei ore prolata non impeditur, immo ad eam mirum in modum præparatur. Illos primos ad primum tractatum de laude orationis mittimus, ex quo vel ad temporalia, quibus inhiant, conſequenda orationis ſaltem vocalis, quam ſolùm nouerunt, neceſſitatem intelligent. Pro iſtis verò hunc tractatulum elaboramus, ex quo quánam ratione vocales orationes fundere debeant, & ſe illarum præſidio ad orationem mentalem parare, cognoſcent. Et licèt oratio donum Dei ſit, & non tam ab arte, aut doctrina, quàm ab eius auctore quærenda: tamen, vt doctè

Guilielmus Parisiensis adnotauit, doctrina rectè orandi necessaria est, quia Deus orationis, & omnium donorum largus infusor, vult homines non per seipsum, sed per magistros Ecclesiæ docere, in quibus, & per quos ipse loquitur, & iam disciplina orationis imbutos gratia sua aptos ad orandum efficere. Nec doctrina hæc ab ipso auxilio gratiæ secernitur, cùm ad gratiam Dei hominibus datam pertineat, quicquid vel intellectum instruens, vel voluntatem inflammans ad bene operandum ordinatur. Et quidem ex plurimis, quæ de oratione vocali dici poterant, ea tantùm dicemus, quæ ad asceticam doctrinam spectant, cuius nos tractatores sumus; reliqua verò Theologis scholasticis tractanda relinquamus. Parisien. Rhetor. diui. c. 1.

De duplici oratione vocali, publica, & priuata.

CAPVT I.

RATIO vocalis est colloquium cum Deo verbis expressum, laudibus eius, vel necessitatibus nostris, vel variis animæ adfectibus postulationibúsque refertum. Est quidem colloquiũ cum Deo: quoniam cùm oratio quæuis religionis actio, & cultus Dei sit, ad Deum tendat necesse est. Et cùm homines laudamus, aut eis nostras necessitates aperimus, vel ab ipsis aliud postulamus, non orare, sed laudare, & interdum adulari, aut desideria nostra manifestare, aut petere aliquid dicimur. Quòd si sanctos Angelos, & homines beatos oramus, illud est vt ipsi Deo nostras preces offerant, & apud eum pro nobis intercedant, & ideo vltimatè soli Deo oratio porrigitur. Ipse enim solus orandus est, vt Thomas Aquinas docet, tamquam primum principium gratiæ, & gloriæ, aut cuiuscumque boni naturalis, aut supernaturalis in gratiam & gloriam aliquomodo ordinati, & tamquam ille, qui in donando à nullo dependet, & à nullo impeditur, & vt bona consequamur, omnia aptè conuenientérque disponit. Est etiam colloquium cum Deo, quia licèt aliquando in precibus & canticis ecclesiasticis homines alios, vel nos ipsos, vel etiam dæmones adloqui videamur, vt: Noli æmulari in malignantibus: Quare tristis es anima mea: Quid gloriaris in malitia, qui potens es in iniquitate; tamen in his & similibus eatenus Deum adloquimur, quatenus ea ad Dei cultum proferimus, & ad aliquid à Deo consequendum dirigimus. Hoc autem colloquium vt oratio vocalis sit, debet esse ore prolatum, vt teneamus orationis vocalis mentalísque discrimen. Nam hæc sine vllo strepitu verborum funditur, & sola memoriæ, intellectus, & voluntatis functione comprehenditur: illa verò verbis sensibilibus, & corporis voce profertur. Ac tandem colloquium istud, quod ad orationem vocalem pertinet, non solam petitionem decentium à Deo, sed pias Dei laudes, animæ querimonias, quibus de seipsa ac de dolis aduersarij tristatur, miseriarum & adflictionum manifestationes, donorum cœlestium petitiones ardentes, & multiplices alios adfectus amplectitur. Hinc verò intelligitur orationem, quam hoc loco explicamus, latius patere, quàm communis vulgi existimatio sentit; quia non se ad petitionem quorumcunque bonorum angustat, sed ad omne id, quod sanctè cogitare, & piè desiderare, & decenter cum Deo loqui possumus, se sine vlla hæsitatione dilatat. Et in hac latissima significatione hymnos, Psalmos, & quasuis alias preces ore fusas comprehendit.

Oratio est colloquium cũ Deo.

D. Th. 2.2.q.82. art.4.

Quàm latè pateat vocalis oratio.

Sed si Deus nostras cogitationes inspicit, desideria cognoscit, & cunctas hominum necessitates optimè comprehendit; quid necesse est ore laudare illum, aut vocibus deprecari, quas natura ad sensa nostra explicanda iis, qui ea interiùs in corde videre non valebant, instituit? An est Deus noster sicut Baal, cuius Prophetas sanctus Elias irridens ad illum ore & clamoribus inuocandum impulit, dicens: Clamate voce maiore; Deus enim est, & forsitan loquitur, aut in diuersorio est: aut in itinere, aut certè dormit, vt excitetur.] Id est: Esto, quòd alicubi degat, cùm fictus deus sit, more hominum gubernabit: & aut aliis intentus, aut longè positus, aut certè à labore quiescens indiget magnis clamoribus excitari. Non ita est Dominus Deus noster, qui spiritus est, nec somno opprimitur, dicente Propheta: Non dormitabit, neque dormiet, qui custodit Israël:] qui sapientissimus est, & omnia nuda & aperta sunt oculis eius: qui capacissimus est, & ita maioribus intendit, vt minimis etiam quibuscumque rebus prouidentissimè intendere possit. Ad quid ergo voce interpellabimus eum, à cuius oculis adfectus & vota nostra nouimus non abscondi?

3. Reg. 18. 27.

Psal. 120. 4.

Multis de caussis vocibus oramus.

Certè multis de caussis vocibus oportet orare, non ex parte Dei, qui omnia etiam nostra intima nouit, sed ex parte nostra, quoniam decet nos ad recipienda eius dona parari. Oramus vocibus, quia ipse Dominus, cuius voluntas omni errore libera est, vult à nobis ore laudari, & orari. Dauid enim ait: Laudate Dominum, quoniam bonus est Psalmus: Deo nostro sit iucunda decoráque laudatio.] Et ipse Dominus: Vos autem sic orabitis: Pater noster, qui es in cœlis.] Oramus vocibus; quia Christus præceptor noster, & Sancti ad imitandum nobis propositi scimus quòd verbis orauerint. Ille post cœnam hymnum dixit, & Patris laudationem cantauit: & orationem illam longissimam, & mysteriorum plenissimam apud Ioannem vocibus protulit, quæ incipit: Pater, venit hora, clarifica Filium tuum.] Dauid verò in persona Sanctorum ait: Voce mea ad Dominum clamaui: voce mea ad Dominum deprecatus sum.] Et alio loco: Voce mea ad Dominum, & intendit mihi.] Et rursus: Domine labia mea aperies; & os meum annunciabit laudem tuam.] Oramus vocibus; quia Scriptura sacra Spiritu diuino tradita ad orationem vocalem inuitat. Nam in Ecclesiastico legimus: Date nomini eius magnificentiam, & confitemini illi in voce labiorum vestrorum, & in canticis labiorum, & citharis.] Et in Paulo: Per ipsum offeramus hostiam laudis semper Deo, id est, fructum labiorum confitentium nomini eius.] Oramus vocibus, vt pigri-

Psal. 146. 1.

Matth. 6. 9.

Ioan. 17. 1.

Psal. 141 1.

Psal. 76. 1.

Psal. 50. 17.

Eccli. 39. 20.

Hebr. 13. 15.

tiam noſtram excutiamus, & nos ad deuotionem ac feruorem excitemus. Vnde Auguſtinus ait: In ipſa ergo fide, & ſpe, & charitate continuato deſiderio ſemper eramus. Sed ideo per certa interualla horarum & temporum etiam verbis rogamus Deum, vt illis rerum ſignis nos ipſos admoneamus, quantúmque in hoc deſiderio profecerimus nobis ipſis innoteſcamus, & ad hoc augendum nos ipſos acriùs excitemus. Dignior enim ſequetur effectus, quem feruentior præcedit adfectus.] Et Bonaventura ad idem inquit: Sed verba ideo adponimus, vt cùm mens pigra eſt ad ſe eleuandum in Deum, per verba orationis ſuſtentata eleuetur, vt memoria Deo inhæreat, intellectus ſenſum adtendat, adfectus per deuotionem inflammatus, guſtet quàm ſuauis eſt Dominus ex intentione ſacræ Orationis adflatus.] Et Hugo Victorinus: Sola ergo cordis deuotio quantum ad Deum ſufficere poterat, niſi ad hoc etiam in voce formaretur oratio, vt mentem orantis ad maiorem deuotionem accendat.]

Auguſt. epiſt. 121. cap. 9.

Bonau. de proceſ. relig. cap. 8.

Victor. lib. de modo orandi, cap. 4.

Oramus vocibus, vt nos ipſos ad deſiderium bonorum moueamus, & per orationem ad bona deſiderata capienda paremur. Et hoc ſignificant illa verba Gulielmi Pariſienſis. Differt autem iſta oratio ſpiritualis ab illa (ſcilicet ab oratione rhetorica) intentione. Orator enim ſæcularis intendit ſua oratione mouere iudicem, & inclinare in partem ſuam, videlicet vt pro parte ſua iudicet, aut ſententiet. Orator verò ſpiritualis oratione, quam coram Deo altiſſimo fundit, non intendit ipſum mouere, quem ſcit indubitanter in vltimitate ſtabilitatis immobiliſſimum; ſed potiùs ſeipſum à malo, in quo eſt, in bonum, vel à bono in melius; quod eſt dicere, quia intendit ſemetipſum facere idoneum per orationem, vt ei concedatur, quod impetrare intendit. Quia ſi oratio eius eſt pro remediis à malis, tunc intentio eius neceſſe habet ſe facere, vel exhibere adeò miſerabilem, vt pater miſericordiarum miſericordiam, quam petit, ei vel non velit, vel non valeat denegare. Et intelligo hoc ſi pro ſeipſo oret. Si autem pro aliis, auferre debet inprimis à ſemetipſo, quæ iram Dei iuſtiſſimam prouocant, nedum inimicus Dei exiſtit, & placare ſibiipſi illum negligit, aut contemnit, magis eum ad iram prouocet, quàm leniat, iuxta ſignificationem B. Gregorij, dicentis: Si is, qui diſplicet, ad interpellandum mittitur, irati iudicis animus ad deteriora prouocatur.] Oramus vocibus, ne deſiderium boni ſemel excitatum rerum terrenarum occupatione langueſcat. Quare Auguſtinus loco ſuprà citato inquit: Sed ideo ab aliis curis, atque negotiis, quibus ipſum deſiderium quodammodo tepeſcit, certis horis ad negotium orandi mentem reuocamus, verbis orationis noſipſos admonentes in id, quod deſideramus intendere, ne quod tepeſcere cœperat, omnino frigeſcat, & penitus extinguatur, niſi crebriùs inflammetur. Vnde & illud, quod idem Apoſtolus ait: Poſtulationes veſtræ innoteſcant apud Deum; non ſic accipiendum eſt, tamquam Deo innoteſcant, qui eas & antequam eſſent vtique nouerat; ſed nobis innoteſcant apud Deum per tolerantiam, non apud homines per iactantiam. Aut fortè etiam innoteſcant Angelis, qui ſunt apud Deum, vt quodammodo eas offerant Deo, & de his conſulant, & quod, eo iubente, implendum eſſe cognouerint, ſicut oportere ibi cognouerint, hoc nobis vel euidenter, vel latenter adportent.]

Primò vt ad bona deſideria nos moueamus. Pariſien. de rheto. diuin. c. 2.

Secundò ne bonũ deſideriũ langueſcat. Auguſt. epiſt. 121. cap. 9.

Oramus vocibus, vt memoriam in bono ſtabiliamus, & eorum, quæ indigemus, ex quo adfectus & deſiderium pendet, recordemur. Hanc cauſſam tangit Auguſtinus, & Bonauentura. Ille propoſita quæſtione, cur verbis orandum ſit, ita ſcribit: Hîc reſpondetur non verbis nos agere debere apud Deum, vt impetremus, quod volumus, ſed rebus, quas animo gerimus, & intentione cogitationis cum dilectione pura, & ſimplici adfectu: ſed res ipſas verbis nos docuiſſe Dominum noſtrum, quibus memoriæ mandatis, eas ad tempus orandi recordaremur.] Hic verò expreſſiùs ſic ait: Primò aſſueſcit diſperſiones memoriæ, quibus per diuerſa mundi oblectamenta & multiplicamenta diſtracta vagabatur, per vſum orandi colligere, & in vnum bonum defigere, quod eſt finis omnium deſideratorum, & delectabilium: ſed quia adhuc memoria lubrica & inſtabilis eſt, eo quòd multis & multiformibus diu adhæſit, quærens in quibus delectaretur, vel curiosè occuparetur: nec videtur ſtabiliter inhærere diuinis, vel propter euagandi conſuetudinem, vel propter tenuem ſpiritualium notitiam: ideo vtitur ſuſtentaculo verborum in oratione, quæ Spiritus ſanctus ad hoc inſpirando hominibus miniſtrauit, vt per ea more paruulorum quaſi baculis ſuſtentati, aſſueſcant aſſurgere, & erigere ſe ad Deum. Et hoc fit cùm homo conatur verbis Orationum & Pſalmorum intendere, & intellectum ex eis ſpiritualem elicere, & deuotionis adfectum exprimere; ſicut qui ex duro ſilice, ferro ignem excutit, qui illuminat, & accendit, ſed per aſſiduum vſum orandi cum adiutorio gratiæ Dei, qui ſtudioſis proficiendi ſemper ſubuenire paratus eſt, memoria aliquando ſtabilitur, ita quod iam ſine graui difficultate valet orationi intendere, & euagationes mentis facilè cohibere.]

Tertiò vt in bono memoria ſtabiliatur. Auguſt. lib. 2. de ſer. Domini in monte, cap. 8.

Bonau. proceſſ. relig. c. 14.

Oramus tandem voce, vt qui ex ſpiritu corporéque coaleſcimus, ſpiritu & corpore à Deo nos pendere fateamur. Quam cauſſam Damaſcenus adſignat, dicens: Quia ex viſibili ſimul, & inuiſibili, hoc eſt, ex ea natura, quæ intelligentia percipitur, & ex ea, quæ in ſenſum cadit, conſtamus, duplici quoque proinde adorationis genere illum rerum omnium parentem & architectum adficimus: quemadmodum videlicet & mente, & corporis labiis pſallimus, & aqua ſimul ac ſpiritu baptizamur, & duplici modo Domino copulamur, nempe dum ſacramenta & ſpiritus gratiam percipimus.] Ad id etiam adduci poſſunt verba Oſeæ: Omnem aufer iniquitatem, accipe bonum, & reddemus vitulos labiorum noſtrorum.] Cùm, inquam, abſtuleris iniquitatem à nobis, in gratiarum actionem accipies bonum, id eſt, animum noſtrum tibi conſecratum, & gratia tua bonum adfectum: accipies & preces, ac laudes, & orationes voce fuſas, quæ ſunt fructus labiorum noſtrorum. Et hoc eſt quod antea dixerat: Tollite vobiſcum verba, & conuertimini ad Dominum,] verba ſcilicet orationis, & laudis, quibus Deus ſolet placari. Vnde Rupertus: Quare verba, & non potiùs munera? Videlicet vt ſciatis, quia non eſt difficultas apud Deum, non exigit à vobis illa, quæ fortè non poſſetis conſequi pro redemtione animarum veſtrarum. Non ergo dico: Tollite aurum, tollite vobiſcum argentum, ſeu multitudinem hircorum, & vitulorum, aut cætera talia, quæ non omnibus præſtò ſunt; ſed verba, quæ conſequi poteſtis abſque diſpendio rerum; verba confeſſionis & precum tollite vobiſcũ, & hæc vobis in promtu adeſſe poſſunt, Deo autem pro ſalute veſtra ſufficiunt, & pro iniquitatibus veſtris ſatisfaciunt.

Quartò vt ſpiritu, & corpore à Deo pendeamus. Damaſc. lib. 4. c. 13.

Oſeæ 14. 4.

Oſeæ 14. 3.

Rupert. lib. 6. in Oſeam.

Oratio priuata, & publica. D. Th. 22.q.83. art.2. Bonau. 7.proceſſu relig. cap.3.

Hæ igitur ſunt cauſſæ quare vocibus deprecamur, & orationem vocalem amplectimur. Hanc autem in publicam atque priuatam ſcimus à Thoma Aquinate & Bonauentura fuiſſe diuiſam. Publica eſt, quam Eccleſia per miniſtros ſuos, vel quam miniſtri nomine Eccleſiæ fundunt, licèt non publicè, ſed domi, aut in conclaui fiat. Priuata eſt, quam quælibet perſona priuata nomine ſuo pro ſe, aut pro aliis profert; licèt in publico, & apud multos eam proferat. Et meritò hæc diuiſio ſoli vocali orationi accommodatur: tum, quia oratio mentalis ex ſua natura occulta eſt, & in ſecreto cordis facta: tum etiam, quia Eccleſia nomine ſuo orationes vocales fieri iuſſit, & intus in ſolo corde orare nomine publico nondum præcepit. De oratione

Hebr.5. 1.

publica intelligendum eſt illud Pauli: Omnis Pontifex ex hominibus adſumtus pro hominibus conſtituitur in his, quæ ſunt ad Deum.] Id eſt, in his, quæ Deo pro hominum peccatis delendis offeruntur, ſiue illa ſint preces, & orationes, ſiue dona, ſacrificia, & holocauſta. De oratione verò priuata

1.Tim.2. 8. Priuata, & publicæ orationis exemplu. Actor. 10. 9.

illud eiuſdem Apoſtoli: Volo viros orare in omni loco. Similiter & mulieres in habitu ornato.] Cùm enim de omnibus viris & fœminis id dicat, & non tantùm de miniſtris Eccleſiæ, apertè orationem priuatam monet. Orationem publicam quaſi priuatim, & apud ſemetipſum fudit Petrus, cùm aſcẽdit in ſuperiora, vt oraret circa horã ſextam. Credimus enim illum aſcendiſſe, vt quietiùs horæ ſextæ penſum impleret. Orationem verò priuatam

Daniel. 6. 11.

publicè & apud omnes fudit Daniel, cùm aduerſarij illius curioſiùs inquirentes inuenerunt illum orantem, & obſecrantem Deum ſuum. Ideo namque inuenerunt illum, quia in cœnaculo ſuo, & apertis feneſtris, & fortè elata voce orabat, ita vt videri & audiri poſſet. Vtramque ſimul, priuatam & publicam, obtulit Zacharias cùm apparuit illi Angelus Domini, qui Baptiſtæ ortum enunciauit. Nam quòd licuerit orationem priuatam publicæ adiungere, conſtat ex illo Leuitici: Nullus ho-

Luca 1. 68.

Leuit.16. 17.

minum ſit in tabernaculo, quando Pontifex Sanctuarium ingreditur, vt roget pro ſe, & pro domo ſua, & pro vniuerſo cœtu Iſraël.] Conſtat & ex vſu Eccleſiæ, quæ ſacerdoti in ſacrificio Miſſæ ſecretò pro ſuis orare concedit. Quòd verò id Zacharias actu præſtiterit, non eſt minùs manifeſtum. Neque enim credendum eſt ſacerdotem ſanctum in templo ſacra facientem orationem publicam, ad quam tenebatur, omiſiſſe, & ſuæ tantùm vtilitati vacaſſe. Simul etiam priuatam orationem fudiſſe

Luca 1. 13.

pro ſe, docet Angelus ſic loquens: Ne timeas, Zacharia, quia exaudita eſt oratio tua,] id eſt, quam pro depellenda vxoris ſterilitate fudiſti. Docet &

Ambroſ. ibid.

Ambroſius: Non, inquit, mediocre munus eſt Dei, dare liberos propagatores generis, ſucceſſionis hæredes. Lege Iacob duodecim filiorum generatione gaudere. Abrahę filius datur, Zacharias exauditur. Quemadmodum ergo legatus alicuius ciuitatis ad curiam regis directus primò quidem pro negotiis ſuorum, à quibus miſſus eſt, deprecatur, poſtea verò ſua apud regem & proceres agit negotia, nec propriæ vtilitatis obliuiſcitur: ita Eccleſiæ miniſtris, qui legati ſunt omnium fidelium apud Deum, licitum eſt primò cõmunes ac publicas orationes pro vniuerſis offerre; poſtmodum verò pro ſeipſis priuatis orationibus deprecari.

Quàm ſit vtilis.

Duplex hæc oratio tum publica, tum priuata vtiliſſima eſt, ac inter alias plurimas vtilitates hunc fructum habet, quòd mirificè ad mentalem orationem aditum parat. Volatilia enim, vt ait Eccleſia-

Eccli.27. 10.

A ſticus, ad ſibi ſimilia conueniunt.] Oratio autem mentis non tantùm ſimilis eſt orationi vocis, verùm & eſt forma eius. Quid ergo mirum ſi vocis orationem ſequatur? Os meum aperui, inquit ſanctus Dauid, & attraxi ſpiritum:] quia nimirum oris apertio ad orandum eſt ſpiritus meditationis ac contemplationis attractio. At vt fructuosè fundatur, & orationis mentalis ſit adiumentum, modum requirit. Si enim aliæ artes etiam ad vſum huius vitæ mortalis inuentæ à quibuſdam pendent, ſine quorum præſidio inutiliter exercentur; cur ars ſpiritualis orandi ad vitam immortalem & fœlicem obtinendam nobis data ſuum proprium modum, & ſuas circumſtantias non habebit? Eſt ipſa virtutis actio: vnde, ſicut reliquæ virtutum actio-

Pſal.118. 131.

B nes, ſubſtantiam & modum habet, ſine quo fructuosè non funditur, & eius pulchritudo noſtra oſcitantia fœdatur. Hunc ergo modum vocaliter orandi tractare volumus, ſi priùs quid nomine orationis publicæ contineatur, breuiter exponamus.

Orationem publicam horis Canonicis, & aliis officiis eccleſiaſticis contineri.

CAPVT II.

C RATIO publica, quæ nomine Eccleſiæ funditur, ab ipſa ſancta matre noſtra præſcripta eſt. Noluit enim ipſa preces ſuas miniſtrorum iudicio relinquere, qui errare poterant; ſed per Spiritum ſanctum edocta voluit quid à Deo petendum eſſet, & quomodo eſſet laudandus ordinare. Et quemadmodum regina nuncium ad regem mittens ſenſus, ac deſideria ſua, immo & ſeriem verborum, quantum valet, in ore illius ponit, vt nihil aliud nunciet, niſi quod ipſa præſens loqueretur: ita Eccleſia ſponſa chariſſima Dei nihil aliud vult à ſuis legatis, nimirum à viris eccleſiaſticis dici, niſi quòd ipſa dictauerit. Sed & in publicis precibus Eccleſia non tam per miniſtros ad Deum loquitur, quàm ipſa loquitur, quia miniſtri Eccleſiæ ipſam orantem, precéſque fundentem repræſentant: decuit ergo, vt regina, quæ

Eccleſia docet qui Deus ſit alloquendus.

D loquitur, voces ipſas, quibus ſua ſenſa exprimit, dirigeret, & non alicui quantumuis ſancto, aut litterato ea ad ſuum libitum exprimenda mandaret. Bethſabee à Nathan Propheta conſilium accepit, vt ingrederetur ad regem Dauidem, & de ſtando promiſſis admoneret, regnúmque filio Salomoni poſtularet. Vtque eam animoſiorem redderet, dixit Propheta: Adhuc te loquente cum rege, ego veniam poſt te, & complebo ſermones tuos.] Illa fortè ſufficiens non erat, nec tanta prudentia pollens, vt negotium tanti momenti, ac eſt de ſucceſſione regni, ſola tractaret, & ideo debuit Prophetæ ſermone iuuari. At mater Eccleſia ita ſapiens eſt, vt filiorum adiutorio ad regnum ipſis poſtulandum non egeat, ſed illi è contra indigeant eius ſer-

3. Reg.1. 14.

E monibus edoceri. Hæc itaque dicit Eccleſia cuique filio ſuo ad publicas orationes fundendas electo (ſunt autem verba Domini ad Ieremiam in alio ſenſu prolata:) Ecce dedi verba mea in ore tuo: ecce conſtitui te ſuper reges, & ſuper regna.] Non ſolùm, inquam, te regibus regníſque præfeci, vt eis meam legem explices, & ſacramenta miniſtres; ſed & dedi verba mea à me diſpoſita, à ſacris pagi-

Ieremiæ 1. 10.

nis, & Doctoribus ſacris adſumta in ore tuo, quibus ſolis Dominum meo nomine depreceris. Legatus

namque

namque in negotiis,ad quæ tractanda deſtinatur, non coniectura vtitur,ſed clarè ac perſpicuè ab eo, à quo mittitur, edocetur. Si ergo te ad Deum legatum deſtino,quæ tibi mando tantùm meo nomine dices (quæ Dominus meus abſque dubio gratè ſuſcipiet) & vltrà nihil omnino proferes.

Verba autem Eccleſiæ ad orationem publicam pertinentia Miſſę ſacrificio,horis canonicis,& aliis precibus, quas in Miſſali & Breuiario legimus, & in aliis libris ad Pontifices, & ad eccleſiaſticas cæremonias pertinentibus continentur. De ſacrificio *Lib. 3, p. 5. ſect. 1. cap...* Miſſæ,qua tale eſt, in iis libris,quos de exterminatione mali,& promotione boni conſcripſimus,iam aliqua diximus; ſi non quæ materiæ dignitas exigebat,at quæ exiguitas noſtra opportuna ad vſum incipientium reputabat. Modus autem recitandi orationes, quæ ſacrificio adhibentur, & horas canonicas,& alias quaſcumque publicas preces,idem omnino eſt,niſi quòd quædam vt ſacratiores,& ſacramentis ac collationi gratiæ propinquiores,maiorem attentionem,& reuerentiam,& deuotionem requirent. Quamobrem ſolùm de modo fundendi horas canonicas latè dicemus (nam in illis libris pro neceſſitate materiæ pauca ſcripſimus, cùm virum ſpiritualem de quottidiano virtutis exercitio erudiremus) & quod de illis dictum fuerit ad alias publicas preces lector accommodabit. Meritò autem hæc iſto loco tractamus, in quo de oratione vocali agimus,quia iſta ad vocalem orationẽ pertinent. Vnde inquit Gulielmus Pariſienſis:Omnis *Gulielm. Rhetor. diuin. c. 1.* ſacrificatio, omnis benedictio, & omne ſacramentum, & omnino quicquid in cultu diuino honorificè agitur,aut oratio eſt,aut oratione peragitur,ſiue perficitur.]

Orationes hæ publicæ, de quibus ſermo inſtituitur, duo nomina ſortitæ ſunt. Vocantur enim officium diuinũ,& horæ canonicæ. Officium quidem diuinum, vt Eccleſiaſtici, & religioſi tum ſui muneris, tum ſedulitatis debitæ moneantur. Eorum enim officium eſt laudare Deum pro beneficiis acceptis,& orare pro recipiendis. Quod ſi prudentis eſt in proprium officium,alienis prætermiſſis,incumbere, videant hi,quibus lex orandi indicta eſt,quanta debeant ſedulitate & diligentia precari. Eſt autem officium hoc non humanum, ſed diuinum,quoniam in Dei honorem inſtitutum eſt, quoniam in Deum nos effert,ipſique iungit; quoniam ſanctè piéque orantes cœleſtes & diuinos facit. Atque etiam eſt officium diuinum, quoniam ſicut Deus Rex noſter æternus eſt; ita & obſequiũ laudandi Deum, & adhærẽdi ei in perpetuum perdurabit; ſecundùm illud Pſalmiſtæ:Beati qui habitant in domo tua, Domine; in ſæcula ſæculorum laudabunt te.] Hîc ergo hoc officium diſcere inchoamus, ſed in cœleſti patria peritiores facti ſine vlla ceſſatione exercebimus. Vocantur etiam hæ preces horæ canonicæ; quoniam ſecundùm Eccleſiæ & Patrum inſtituta certis ac ſignatis diei & noctis horis recitandæ ſunt. Nam quia neceſſitatibus corporis huius,& occupationibus terrenis frigeſcimus,& diſtrahimur,neceſſe fuit vt ſubinde ad ignem recurreremus,& ad orationes rediremus,ex quibus facile eſt ad priſtinum remeare feruorem. Quòd ſi non tantùm nomina, ſed & ſubſtantiam huius orationis ſcire quis aueat; illa nihil aliud eſt, quàm certa ratio publicè laudandi & orandi Deum, nóſque ipſos inſtruendi Eccleſiæ auctoritate ſtatuta. Hæc enim oratio Deum laudat, dum eius perfectiones, opera, & beneficia prædicat: ipſum orat, dum ab eo omnibus fidelibus tum ſpiritualia, tum temporalia poſtulat: & nos inſtruit, dum variis locis, præſertim lectionum, quid à nobis agendum ſit, quídve fugiendum,manifeſtat.

Septenarium eſſe numerum horarum canonicarum nullus ignorat; qui & à ſacra Scriptura, & à Patribus auctoritatem accepit. Nam Dauid ait: Septies in die laudem dixi tibi propter iudicia iuſtitiæ tuæ.] Iudicia quippe iuſtitiæ Dei,ſiue iudicia iuſta Dei, quibus à nobis voluit ſeruiri, ad ſeptem capita reuocantur, quæ actionibus fidei, ſpei, charitatis, prudentiæ, iuſtitiæ, fortitudinis, & temperantiæ cõtinentur. Ac propterea ſeptem ſint quottidie laudationes Dei, & orationes ad Deum, vt cuique virtuti hactenus acceptæ certa laudatio, & eidem in futurum cuſtodiendæ & prouehendæ propria oratio reſpondeat. Septies etiam in die iuſti cadunt, iuxta dictum Sapientis: Septies cadet iuſtus,& reſurget.] Cadunt, inquam,leuiter,& vel in minuta peccata labuntur: meritò igitur ſepties pro ſe, & pro aliis diuinam miſericordiam deprecantur. A ſeptem etiam tribulationibus iugiter liberamur, ſecundùm illud, quod ait Iob: In ſex tribulationibus liberabit te, & in ſeptima non tanget te malum.] De quibus Bernardus ait: Sex tibi tribulationes ſunt contra deſideria cordis, & quinque pertitam ſenſualitatis corporeæ voluptatem. Sed in his ſex liberaberis à ſeptima, non quidem ne veniat,ſed ne lædat,ne noceat, ne tangat te malum. Veniet quidem mors; ipſa enim eſt ſeptima tribulatio; ſed ſomnus erit dilectis Domini. Æquũ eſt igitur, vt ſepties in die laudes noſtro liberatori canamus. Septem diebus perfectus eſt mundus, nam ſex diebus creatus, diſtinctus quaſi in varias claſſes, & ornatus eſt; die verò ſeptimo requieuit Dominus ab vniuerſo opere,quod patrarat. Quid verò iuſtius, quàm vt ſepties laudes perſoluamus ei,qui ad hoc ſex diebus operatus eſt,vt nos & noſtra conderet,& ad hoc ſeptimo die quieuit,vt nos ad æternam quietem & perfectionem adduceret? Septem horis redemtus eſt mundus, & myſteria paſſionis Chriſti celebrata ſunt, quas poſtea ſigillatim referemus. Ergo eiſdem horis laudet Deum, & gratias agat Eccleſia, quia fuit à dæmone liberata,& in gratię nitorem reſtituta. Ac tandem ſepties viri Deo conſecrati laudes Deo canunt, vt ad perfectionem incitentur. Debitum quidem erat ne vmquam à Dei laudibus ceſſaremus. Vtque impleremus illud,quo ſuas regius Vates laudationes cõcluſit:Omnis ſpiritus laudet Dominum,] quo mihi non tantùm omnia, quæ ſpirant, & viuunt, ſed omnes hominis inſpirationes, ſeu anhelitus ad Deum ſine vlla interruptione laudandum inuitata ſunt. Nos ſumus Angeli militantis Eccleſiæ,atque æmulatores illorum ſpirituum in cœlis triumphantium,numquámque à laudibus diuinis ceſſantium, dicentiúmque: Dignus eſt Agnus, qui occiſus eſt, accipere virtutem,& diuinitatem, & ſapientiam,& fortitudinem, & honorem, & gloriam, & benedictionem.] Sumúſque cuſtodes Eccleſiæ; de quibus Iſaias ait:Super muros tuos Ieruſalem conſtitui cuſtodes,tota die,& tota nocte in perpetuum non tacebunt;] quid ergo magnum ſi abſque vlla Dominum intermiſſione laudemus? At quia id fieri non poteſt, infirmitate humana ſæpius nos ad alia vocante, ſtatuit Dominus vt eius laus ſepties à nobis funderetur, & in ipſo ſeptenario numero, qui perfectionis eſſe dicitur, & omnem noſtram vitam hebdomadarum repetitione metitur, ad perfectionem virtutum quærendam mitteremur.

Septenario numero continẽtur, & quare. Pſal.118. 164.

Prouerb. 24.16.

Iob 5.19.

Bernard. ſerm. de eodem.

Gen.2.2.

Iſaiæ 62. 6.

Pſal.150. 6.

Habent autem iſtarum horarum ſingulæ non

Diuinũ officium cur ita dictum. Pſal. 83. 5.

Cur canonicæ horæ vocentur.

leue

leue funamentum in ſacris Scripturis. De matutinis namque intelligendum eſt illud Dauidis:Media nocte ſurgebam ad confitendum tibi ſuper iudicia iuſtificationis tuæ.] Ac de laudibus, quæ matutinis annumerantur,illud: Manè aſtabo tibi,& videbo, quoniam non Deus volens iniquitatem tu es.] De prima hora illud intelligi poteſt: Præuenerunt oculi mei ad te diluculo,vt meditarer eloquia tua.] Hora verò tertia Apoſtoli accipiunt Spiritum ſanctum. Hora ſexta aſcendit Petrus in ſuperiora, vt oraret. Hora nona idem cum Ioanne aſcenderunt in templo,vt ſtatas preces ſoluerent. De Veſperis, quibus Completorium adiungitur,eſt illud:Veſpere,& manè,& meridie narrabo, & annunciabo, & exaudiet vocem meam.]Et illud:Eleuatio manuum mearum ſacrificium veſpertinum.] Sanctos Patres de his horis loquentes prolixum eſſet recenſere; ſolùm audiamus Baſilium horarum numerum, & ſimul rationem earum pulcherrimè declarantem. Ita ergo ait: Siquidem ea re à nobis neceſſariò huiuſmodi tempora delecta ſunt, quòd in eorum ſingulis peculiaris quædam Dei in nos beneficiorum eſt commemoratio. Ac matutinum quidem vt primi animi, ac mentis noſtræ motus conſecrentur Deo, neque vllius rei curæ antè aditum ad nos demus,quàm nos in cogitatione de Deo oblectauerimus; ſicut ſcriptum eſt:Memor fui Dei, & delectatus ſum. Nequa corpus prius ad functionem muneris alicuius moueamus, quàm illud fecerimus,quod dictum eſt:Orabo ad te Domine; manè exaudies vocem meam. Manè aſtabo tibi. Tertia verò hora, vt in ea ad orationem ſurgatur, fratréſque omnes in vnum congregentur, licèt diuerſis in locis; alij in aliis operibus ſint occupati: ídque ea re,vt admoniti doni ſpiritus, quod circiter hanc horam ipſam Apoſtolis datum fuit,vno eodémque animo cuncti illum venerentur, ab eóque petant, vt & ipſi digni ſint, qui ſanctificationem ſuſcipiant: ſimúlque vt ſalutaris ſibi doctrinæ, & recti itineris dux eſſe & auctor velit,illum imitantes,qui dixit: Cor mundum crea in me Deus, & ſpiritum rectum innoua in viſceribus meis. Ne proiicias me à facie tua, & Spiritum ſanctum tuum ne auferas à me. Redde mihi lætitiam ſalutaris tui,& ſpiritu principali confirma me. Et alio in loco: Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam, atque ita denuo ad intermiſſa opera redeatur. Quòd ſi fors aliquos vel propter operum, vel propter locorum naturam eo tempore abeſſe longius contigerit, quàm vt vnà cum reliquis præſtò eſſe poſſint; ij vbicumque fuerint, ea neceſſariò ibi exequi debent, quæ communiter ſtatuta ſunt, nihíl hæſitantes omnino.Quia vbi ſunt duo,vel tres congregati in nomine meo, inquit Dominus,ibi in medio eorum ſum.Porrò ſexta hora, ſanctorum exemplo, neceſſariam eſſe orationem iudicauimus, apud quos eſt: Veſpere, & mane, & meridie narrabo,& annunciabo,& exaudiet vocem meam. In qua quidem, vt liberemur ab incurſu, & dæmonio meridiano, nonageſimus etiam Pſalmus recitetur. De nona verò, quòd ea ad orationem nobis neceſſaria ſit, id Apoſtoli ipſi declarauerunt in Actis, in quibus eſt,quòd Petrus & Ioannes aſcendebant in templum ad horam orationis nonam. Completo verò iam die pro iis omnibus, quæ in eo data nobis fuerint, fœlicitérve nobis euenerint,gratiarum actio ſuccedat: eorúmque, quæ vel per conſenſum,aut ſecus contra animi ſententiam prætermiſſa ſint, confeſſio:ac ſicubi latens delictum aliquod admiſſum fuerit verbis,operibúſve, aut etiam cor-

In Scripturis ſignificacantur. Pſal.118. 62. Pſal.5.5. Pſal.118. 148.

Actor.2. 3. Actor. 10.9. Actor.3. 1. Pſal.54. 18. Pſal.141. 2.

Baſil. reg.37. fuſ. diſput.

de;pro his omnibus oratione adhibita veniam nobis à Deo comprecabimur. Siquidem ad ſimilia peccata iterum euitanda valde vtilis eſt præteritorum conſideratio.Iccirco Dauid dicit: Quæ dicitis in cordibus veſtris,in cubilibus veſtris compungimini. Tum autem primis ſe iam noctis intendentibus tenebris, ſequitur petitio, vt quies, quam ſumus capturi,inoffenſa,& ab omni perturbatione ac vitio libera ſit.

Partes, ex quibus horæ canonicæ componuntur, præſtantiſſimæ ſunt, & omni honore digniſſimæ,quas hìc breuiter referemus,vt ad id, quod intendimus, ſcilicet ad reuerentiam & deuotionem in recitando moueamur. Hæ igitur ſunt Pſalmi, hymni, Cantica, lectiones,tum longiores,quæ nomen lectionum retinent; tum breuiores,quæ capitula nominantur;Reſponſoria,Antiphonæ,& Orationes. Aliáque præterea præcedunt horas,vt oratio Dominica, Salutatio angelica, & Symbolum Apoſtolorum,& Confeſſio generalis peccatorum; alia verò ſequuntur, vt variæ pro diuerſitate temporum Virginis laudes cum orationibus, quibus eius patrocinium imploramus:& de eorum aliquibus infrà ad explicandos animi adfectus, dicemus. Hæc autem ideò ſeorſum à partibus horarum numerantur, non quòd partes officij diuini non ſint, ſed quia videntur ad præcipuas partes diſponere, aut totum officium aptè concludere.

Pſalmi, Spiritu ſancto dictante, à Dauide fuerunt, & aliis nouem ſcriptoribus ſacris in vſum Eccleſiæ conſcripti: in quibus nullum eſt myſterium,quod non lateat; nulla virtus, quæ non doceatur:nullus ſanctus ac pius adfectus, qui non excitetur. In ſcribendis Pſalmorum laudibus ſancti Patres Ambroſius, Auguſtinus, Chryſoſtomus, Ephrem Syrus,& alij ſunt aſſidui.Nos Radulphi Decani Tungrenſis ſententiam exſcribemus,quòd aliorum dicta cõtinere videatur.Sic ergo inquit:Sicut olim Manna habuit omne delectamentum, & omnem ſaporem ſuauitatis: ita nunc Pſalmi habent effectum omnium orationum, & ſenſum cuiuſlibet intentionis. In choro canentium ſunt verba Deum laudantium: in ore iuſti, verba gratias agentis:in ore peccatoris,verba veniam deprecantis. Pro defunctis, verba animæ de ſupplicio ad Deum clamantis,& quocumque ſe intentio canentis conuerterit, illuc ſe ſenſus Pſalmorum adfectui canentis conformabit. Cum maledicente maledicit membra diaboli,vt ibi:Maledicti qui declinant à mandatis tuis.Cum benedicente benedicit membra Chriſti;vt ibi:Benedicti vos à Domino, qui fecit cœlum,& terram. Dum cogitas Pſalmos,Chriſtus in mente tua eſt: dum ore Pſalmos decantas, Chriſtus in ore tuo eſt: dum meditaris Pſalmos, hunc ex meditatione fructum capies, vt in ipſis vtrumque tibi occurrat teſtamentum. Pſalmorum deuotio præſentiam Chriſti conciliat: Angelorum congratulationem generat,ignitos mentis adfectus ſuſcitat, mala purgat,dæmones fugat gladio ſpiritus, quod eſt verbum Dei, quia deuotionem pſallentium ſuſtinere non poſſunt. Pſalmorum radices non in terra, ſed in cœlo fixæ ſunt; quia ibi eſt Chriſtus, qui omnium Pſalmorum materia eſt, & intentio.Ibi eſt conuerſatio Eccleſiæ, quæ eſt corpus Chriſti, quæ etiam permaximè Pſalmorum partem continet.] Et multis prætermiſſis: Nullus itaque mortalium poteſt mente,aut verbis virtutes Pſalmorum explicare. Si intentè conſideres, in Pſalmis inuenies Dominici Verbi incarnationem, Paſſionem,Reſurrectionem, Aſcenſionẽ,integram

Ambroſ Auguſt. Prolog. Pſalm. Chryſoſt. homil. 6. de Pœn. tom.5. *Ephr.encomio in Pſal.* & *quòd rebus ludicris abſtinẽdum eſt Chriſtianis. Radulphus de can. obſeruantia, c.9.*

confeſ

confessionem peccatorum, integram deprecationem misericordiæ diuinæ,omniumque rerum,quæ tibi accidunt,dignam gratiarum actionem. Inprimis confiteris miseriam atque infirmitatem tuam, & per idipsum inuitas Dei misericordiã. Si à Deo merueris vt tibi reuelet secreta Psalmorum,omnes in eis inuenies virtutes.] Hæc, & multa alia ibi. Quanta ergo reuerentia,& compunctione, quantáque mentis alacritate Psalmi sunt ore promendi, quos ipse Deus ad sui laudationem dictauit, & tot mysteriorum ac vtilitatum copia repleuit.

Cantica ex ipsa quoque sacra Scriptura desumta sunt, præter vnum, Te Deum laudamus, quod Ambrosius baptizans,& Augustinus Baptismi gratiam suscipiens, teste Dacio Episcopo Mediolanensi, ex tempore, cunctis, qui aderant, obstupescentibus, cecinerunt, & ex eis paulatim Ecclesiæ omnes vsu probarunt. Differunt autem Cantica à Psalmis,quòd illa sola voce canimus:Psalmos verò adiunctis musicis instrumentis modulamur. Ex ipsísque nominibus discrimen innotuit:nam canticum à verbo cantare processit, quod significat vocibus intonare. Psalmus verò à psallo emanauit, cuius significatio est instrumento,& non voce tantùm melodiam edere. Sed iam vsus obtinet,vt tam Psalmi,quàm Cantica,exceptis diebus solemnioribus,etiam in choro sola voce dicantur.

Dacius in Chron. cap.10.

Cantica quo differant à Psalmis.

Hymni sunt cantica spiritualia à viris sanctis, aut non contemnendæ virtutis composita, & ad excitandam populi deuotionem ab Ecclesia in officium diuinum admissa. Horum trium meminit Paulus ad Colossenses sic scribens: Verbum Christi habitet in vobis abundanter, in omni sapientia docentes, & commonentes vosmetipsos, Psalmis, Hymnis,& Canticis spiritualibus.] Hymnos enim ab ipso initio nascentis Ecclesiæ cani solitos docet Dionysius Areopagita,dum in libro de diuinis nominibus diuini Hierothæi nónulla carmina refert.

Colossi.3. 16.

Dionys. cap.4.de diui. nomin.

Lectiones ex sacra Scriptura,& ex sanctis Patribus desumuntur, in quibus Deum nos edocentem, suámque voluntatem manifestantem audimus. Ante eas præcedit benedictio, quam lector ad ostensionem humilitatis,vt Petrus Damiani ait, nõ tam à sacerdote petit,quàm postulat ab alio ipsius iussu benedici. Sacerdos verò vt vicem humilitati rependat,nec benedicit, nec iubet vt lectorem alius benedicat,sed ab ipso Deo illi benedictionem precatur.Quomodo autem lectiones sint proferendæ, docet Rabbanus his verbis,ex quibus rationem legendi reliquas partes officij diuini licet colligere. Porrò, inquit, vox lectoris simplex esse debet, & clara, & ad omne pronunciationis genus accommodata, plena succo virili, agrestem, & subrusticum effugiens sonum:non humilis, nec adeò sublimis: non fracta, non tenera, nihílque fœmineum sonans; non habens inflata, vel anhelantia verba, non in faucibus frendentia, nec oris inanitate resonantia: nec aspera frendentibus dentibus, non hiantibus labris prolata, sed pressim, & æqualiter, & leniter, & clarè pronunciata:vt suis quæque litteræ sonis enuncientur, & vnumquodque verbum legitimo accentu decoretur,nec ostentationis caussa frangatur oratio. Corporis quoque motum impudentem habere nõ debet,sed grauitatis speciem: auribus enim,& cordi consulere debet lector, non oculis; ne potius ex seipso expectatores magis, quàm auditores faciat. Vetus opinio est lectores pronunciandi caussa præcipuã curã vocis habuisse, vt exaudiri in tumultu possint; vnde & dudum lectores præcones,vel proclamatores vocabantur.

Cur lectiones benedictio præcedat.

Rabban. lib. 2. de inst.cler. c.52. Quomodo lectiones proferendæ.

Responsoria lectiones sequũtur,quæ, vt Amalarius ait, altiori voce dicuntur, vt per altitudinem vocis, mentis celsitudinem demonstremus erigentis se in gaudium supernæ ciuitatis. Rationem autem nominis refert inter alios Isidorus his verbis: Responsoria ab Italis longo antè tempore sunt reperta, & vocata hoc nomine, quòd vno canente, chorus consonando respondeat. Antea autem id solus quisque agebat: nunc interdum vnus, interdum duo, vel tres communiter canunt, choro in plurimis respondente.

Amalar. 4.de offic. eccl.c.3.

Isidor. de eccl.offic. cap.9.

Antiphonæ sunt sententiæ illæ, quæ concinendis Psalmis præmittuntur. Idem est autem Antiphona,vt Isidorus ait, quod vox reciproca duobus, scilicet choris,alternatim psallẽtibus, ordine commutato.Vnde in historia Tripartita legitur B.Ignatium vidisse Angelos in cœlo antiphonatim canentes,id est, Psalmos alternatim decantantes. At hoc tẽpore non alternatim dicuntur, sed ab omnibus,qui choro assistunt,solent cani,aut recitari.

Lib.10. cap.9.

Tandem quælibet hora vna oratione, vel pluribus pro temporum varietate concluditur, in qua paucis verbis concludimus quicquid à Domino postulamus. In ea nonnumquam Sanctorum, aut Deiparæ memoriam facimus,vt tamquam aulici,& amici regis familiarissimi apud eum pro nobis interuentores existant. Communiter autem oratio ad Patrem dirigitur; non quia alias duas Personas diuinas excludamus, quæ eiusdem sunt cum Patre essentiæ,& naturæ,& à quibus absque dubio omne bonum speramus, & poscimus; sed vt formam orandi à Christo Domino datam seruemus. Ipse enim ita nos orare docuit, dicens: Vos autem sic orabitis: Pater noster, qui es in cœlis.] Et: Quicquid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.] Insuper vt orationem aptè sic concludamus: Per Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum. Quæ verba ad Patrem diriguntur; & quia per Christi merita,& ob amorem, quo à Patre diligitur,omnia bona tamquam membra eius recipimus,æquum est vt numquam omittantur. Aliquæ tamen orationes diriguntur ad Filium; & sic concludũtur:Qui viuis,& regnas, &c. vt sciamus eum sicut & Spiritum sanctũ vt vnum ac verum Deum cum Patre posse à nobis inuocari.

Matth. 6.9. Ioan.16. 23.

De his pæne innumera scripta sunt apud antiquos & nouos scriptores, ex quibus hæc pauca decerpsimus,vt pulchritudinem orationis publicæ ab Ecclesia fusæ adumbraremus. Hæc enim ex istis partibus sic aptè ac decenter cõposita est, vt quasi vnum opiparum & lautum mentis conuiuium efficiat. In conuiuio certè corporum ad indulgendum carni, & ad vitandum fastidium magna esse solet ciborum potuúmque varietas; sic in hac oratione multiplex est adfectus, multiplex eruditio,vt mens nostra salubriùs suauiúsque pascatur.Iam laudamus Deum, iam ipsum ex beneficiorum acceptorum commemoratione diligimus:iam cõtra aduersarios salutis nostræ in conspectu nostri adiutoris insurgimus: iam diuinum auxilium ad vincendum postulamus.Nunc hanc virtutem,nunc illam, nunc omnes petimus; nunc ascensiones in corde disponimus, nunc desiderio æternæ patriæ succendimur; & dum nos, aut alios alloquimur, quia in conspectu Domini, & ei intendentes id facimus, durantibus canonicis horis, ab eius laude numquam cessamus. Psalmodiæ interponitur lectio, vt mens quid oratura & desideratura sit discat, & vt amoris ardor non intepescat.Sicut enim in oratione mentali consideratio adfectibus, & postulatio-

Publica oratio est conuiuiũ lautissimum.

nibus

nibus admiſcetur, vt hac varietate illa ſit viuacior, atque fœcundior, & hæc deuotionis atque feruoris ſuauitate maiori repleantur, quia ſolet in multis adfectus & petitio languere, niſi meditationis flatibus excitetur: ita in oratione vocali oportuit lectionem vice meditationis Pſalmodiæ miſceri, vt hæc feruentior & purior ab ore cordéque procedat. Quemadmodum etiam viatores nunc iter agunt, nunc quieſcunt, vt poſt aliquantulam pauſationem alacriùs ac diligentiùs poſſint ambulare, & quod reſtat viæ longioris conficere: ſic docuit nos ſancta mater Eccleſia in longioribus horis poſt aliquot Pſalmos, qui (vt poſtea dicemus) ſunt ex magno cordis adfectu promendi, aliquantulum in lectione pauſare, vt valeamus ſtatim adfectuum greſſibus vltrà procedere. Hæc ergo oratio, ac laudatio publica Deo gratiſſima eſt, quatenus ab Eccleſia chariſſima Dei ſponſa progreditur, licèt à me, & à te, ô lector, & ab aliis tepidis indiligenti & diſtracto corde fundatur. Reſpicit enim Dominus humillimam reuerentiam, ardentiſſimum amorem, & tenerrimam deuotionem ſponſæ, ſerui autem pigri, & infirmi miſeriæ parcit, nullo modo propter eum ſponſæ anhelantis petitionem contemnit. Aſt nos id quærimus vt in hac oratione publica non ſolùm intentione & ſenſu Eccleſiæ matris noſtræ, ſed etiam adfectu & deuotione formemur, ad quod aſſequendum documenta in ſequentibus capitibus ſcribenda præſtamus.

De rectitudine vitæ miniſtrorum nomine Eccleſiæ horas canonicas recitantium.

CAPVT III.

PRIMA orationis publicæ lex ſit, vt ex corde puro & recto procedat, cui ceu ſolido fundamento nitantur reliqua, quibus æquum eſt noſtras preces decorari. Et licèt ad vitæ ſanctitatem tum Eccleſiaſtici, tum religioſi omnes multis nominibus teneantur: hoc loco nos illud ſolum attingemus, quod ex munere fundendi publicas orationes emanat. Qui hoc munere funguntur legati ſunt Eccleſiæ ad Deum pro magnis negotiis deſtinati, vt ſcilicet ab eo bona corporalia & ſpiritualia poſtulent, & ingreſſum in illam cœleſtem Ieroſolymam impetrent. Ad quod ſignificandum ſacerdos legis veteris, qui noſtrorum ſacerdotum typus erat, cùm ad orandum, & offerendum incenſum ingrediebatur, mundum vniuerſum depictum in veſte ſacerdotali portabat. In veſte enim poderis, quam habebat, inquit liber Sapientiæ, totus erat orbis terrarum.] Veſtis enim illa talaris, & aliæ ſacerdotales, quæ eâ ſignatæ putantur, byſſo terram; hyacintho aërem, & cœlum; purpura mare, & colore puniceo ignem ſignificabant, ex quibus reliqua mundi viſibilis conſtant. Hoc ideo vt ſacerdos intelligeret ſe totius mundi eſſe legatum, qui mandata ad Dominum perferat. Paulus quoque ait: Pro Chriſto legatione fungimur, quaſi Deo exhortante per nos.] Vt videlicet ſicut Chriſtus fuit quaſi legatus Patris ad homines: ita & nos à Chriſto ad eoſdem vt legati mittamur, qui eos ad iuſtitiam exhortemur. Nec obſtat quòd hîc non legati hominum ad Deum, ſed Dei ad homines Eccleſiæ miniſtri dicantur: in illo enim hoc contineri videtur. Sunt enim legati Dei ad Eccleſiam, ac mundum vniuerſum, quatenus doctrina & prædicatione Dei voluntatem manifeſtant. Sunt etiam legati hominum ad Deum, quatenus illi preces & ſacrificia offerunt. Ac propterea apud Malachiam Angelorum nomen accipiunt. Labia, inquit, ſacerdotis cuſtodient ſcientiam, & legem requirent ex ore eius; quia Angelus Domini exercituum eſt;] id eſt, nuncius. Et, vt Hieronymus ait, ſequeſter inter Deum, & homines, qui ſcilicet à Deo ad homines mandatorum oſtenſionem adferat, & ab hominibus ad Deum preces deferat.

Ex his multiplex ratio vitæ ſanctioris in nobis enaſcitur. Legatus enim oportet ſit nobilis, & ex primoribus reipublicæ, aut ciuitatis, ne à familiaribus regis contemnatur, & ne ei tamquam vili & abiecto in aulam regiam negetur ingreſſus. Quam autem ſpiritualem nobilitatem habebit ille, qui ſeruus eſt peccati, qui mancipium eſt diaboli, qui appetitibus cordis ſui non erubeſcit eſſe ſubiectus? Hic profectò indignus eſt, cui tantum munus committatur, & ſi poſt illud acceptum iniquitatis iugum non excutiat, propter ſeipſum non audientiam regis benignam, ſed repulſam indignabundam, vt homo vilis ac flocci pendendus meretur. Ideo Eccleſia de vita eorum, qui aſciſcendi ſunt ad huiuſmodi miniſterium, inquirit, quia videlicet non vult homunciones peccati ignobilitate ſordidos ad tam ſublime miniſterium efferre; ſed ſolos viros probitate conſpicuos ad Dominũ ſuo nomine deſtinare. Scit namque ſcriptum eſſe: Legatus fidelis ſanitas;] quia nimirum ſalutaris eſt ei, à quo mittitur, cuius partes fideliter agit, & ſibimetipſi vtilis, quoniam ab eo, à quo miſſus eſt, & ad quem deſtinatur, præmium fideliſſimæ legationis recipit. Propterea vult probos miniſtros eligere, qui bene (vt decet) ſuam legationem exequantur, ne illis quod Salomon antea præmiſerat: Nuncius impius (ſic enim Hebræa legunt) cadet in malum;] ne illis, inquam, ob ſuam impietatem eueniat. Quis enim non videat eos in malum caſuros, qui cùm iniqui ſint, ſuperbia & auaritia turgidi munus Sanctorum vſurpant. Meminerint itaque alterius dicti eiuſdem Sapientis: Sicut frigus niuis in die meſſis, ita legatus fidelis ei, qui miſit eum, animam illius requieſcere facit.] Sciant Eccleſiam mittentem illos deſiderio ſpiritualium bonorum, quæ petit, accendi; ſintque ei velut aqua frigida illius ſitim refrigerans. Quod abſque dubio conſequentur, ſi honeſtatis, & omnis probitatis amatores exiſtant, & legationem ſuam, quæ precibus conſuetis continetur, fideliter peragant.

Munus ergo legati, quod obimus, nos ad vitæ ſanctitatem prouocat, ſed multo magis nobilitas, & ſplendor eius, à quo in legatos & nuncios èligimur. Quæ nos mittit, & quaſi pro ſe ſubſtituit, eſt Eccleſia, cuius pulchritudinem, & ſanctitatem, quæ lingua hominum valeat exponere? De ea inquit Paulus, quòd Chriſtus tradidit ſemetipſum pro ea, vt exhiberet ipſe ſibi glorioſam Eccleſiam, non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid huiuſmodi, ſed vt ſit ſancta, & immaculata. Quàm pulchra, quam

Sacerdos quanta debeat puritate nitere.

Sapien. 18.24.

2. Cor. 5. 20.

Malach. 2.7.

Legati munus ſacerdotis commendat ſanctitatem.

Prou. 13. 17.

Ibid.

Prouer. 25.13.

Si Eccleſia delegans pura, puri legati exiſtimus. Epheſ. 5. 26.

Christus suo sanguine & passione mundauit? Quàm glorioſa, & splendida, quam ipſe suo decore, & multiplici virtutum indumento veſtiuit? Quàm immaculata, quæ in electis non habet maculam criminis? Quàm ſine ruga, quæ caret næuo doloſitatis? Quam ſine aliquo huiuſmodi, quæ licèt in iuſtis in peccata leuia cadat, tamen ab eis ſe aſſidua compunctione purificat. Quàm ſancta, quæ bonis operibus ſemper inhæret? Quàm immaculata, quæ ſe à maculis peccatorum auertit? De hac regina clariſſima dicitur in Canticis: Quæ eſt iſta, quæ progreditur quaſi aurora conſurgens, pulchra vt luna, electa vt ſol, terribilis vt caſtrorum acies ordinata?] Surgit vt aurora, cùm depulſis tenebrarum operibus, caſtè & pudicè viuit in coniugatis. Procedit vt luna, cùm in continentibus candidiſſimo nitore reſplendet. Erigitur vt ſol, cùm in virginibus mirabili puritatis decore refulget. Eſt vt caſtrorum acies ordinata, cùm in viris perfectis diabolum vincit, & eorum virtute ac doctrina animas diaboli faucibus eripit. Legati ergo reginæ potentiſſimæ atque puriſſimæ quanta debent puritate & vitæ ſanctitate pollere. Ipſa corde ipſorum cœleſtia deſiderat, & ore æternas ſedes efflagitat. Quomodo autem cor terrenis inhærens, & flagitiis obrutum cœleſtia concupiſcet? Quomodo os mendaciis, & detractionibus, & aliis verborum peccatis pollutum audebit beatitudinem poſtulare? Ipſa eos mittit, non ſolùm vt pro omnibus deprecentur, verùm vt in illis ſuam ſanctitatem, & ſuas diuitias ſpirituales oſtentet, & ideo quos meliores & ſanctiores putat ex filiis ſuis, ad functiones eccleſiaſticas eligit. Non poterunt autem Eccleſiæ miniſtri huic muneri ſatisfacere, nec eius opes ſpiritales oſtentare, ſi virtutis veræ ſint vacui, & egeſtate, qualis eſt in iniquis hominibus, preſſi.

Cantic. 6.9.

Si ad Deum delegamur, puri coram illo ſimus.

Sed ad quem hi deſtinantur? Nónne ad Deum? Quem ſunt alloquuturi, & ad miſerationem inflexuri? An non illum ſupremum Dominum, qui eſt ipſa puritas, & ſanctitudo? Sint igitur tam ſancti, & iuſti, vt coram Domino vtcumque ſine rubore ſtare poſſint. Sancti eſtote, ait ipſe, quoniam ego ſanctus ſum: nec decet vt miniſtri regis ſanctiſſimi ſint vitæ improbitate, & vitiorum colluuione deformes. Hac ratione Laurentius Iuſtinianus Eccleſiaſticos publicæ orationi vacantes ad vitæ puritatem hortatur. Mortalium régum miniſtri, inquit, & terrenis imperatoribus famulantes, quotieſcumque ſuorum ſe præbent aſpectibus dominorum, cunctas, quas vel in veſtibus, vel in facie gerunt ſordes, diluere ſtudioſè conantur, ne quid in ipſis incompoſitum, aut indecorum appareat, quod oculis principis deſpicabile videatur. Dignum quippe eſt, vt quicquid ſordeſcit, quicquid deforme eſt amoueant à ſe, quatenus aſpectus illorum alliciant, quibus placere concupiſcunt. Capitur etenim animus plerumque ex ornatu & ſpecioſitate creaturarum. Hanc regulam, hunc quoque morem ſolerter cuſtodire debent omnes æterno Regi militantes. Illis namque congruit ita exteriorem habitum, corporis greſſus, morum actus, animæ cogitatus, animorúmque adfectus componere, vt nil in eis reprehenſibile cognoſcatur, pro quo rationabiliter repellantur à præſentia redemtoris. Delectatur prorſus Dominus Ieſus in grauitate vitæ, in cordium puritate, & in perfectione virtutum ſeruorum ſuorum.

Iuſtiniã. de diſciplin. monaſt. c. 12.

A Si enim cum tanto ſtudio, & tanta ſedulitate temporales homines miniſtros cupiunt habere formoſos, morigeratos, prudentes, & nobiles: quanto magis ſæculorum Regi immortali, & inuiſibili, cui ſoli honor, & gloria exhibenda eſt, conuenit ſibi aſtantes habere ornatos virtutibus, & omnium morum elegantia? Propterea angelicam conuerſationem tenere conentur quotquot cœleſti Domino gratiſſimum deſiderant exhibere famulatum. Magni nempe periculi res eſt ſordeſcentes, impudicos, criminoſóſque audere diuinis aſtare aſpectibus, & ſpirituales Deo promere iubilationes. Non enim ſpecioſa laus eſt in ore peccatoris. Sanctos rectóſque decet collaB datio. Proinde Chriſti ſerui, qui die noctúque in Eccleſia Dei excubias celebrant, qui ſepties in die laudes proferunt creatori, ſtudeant labia habere impolluta, corpora caſta, & immaculata corda, vt iucunda, grata, decoráque ſit ipſorum laudatio.] Hactenus ille. Et certè ſi contraria ſe mutuò fugiunt, &, ipſa natura ducente, mutuam præſentiam exhorrent: neſcio quomodo iniqui miniſtri coram Deo totius æquitatis fonte ſtare non metuunt? Quæ participatio, inquit Paulus, *2.Cor.6. 14.* iuſtitiæ cum iniquitate? Aut quæ ſocietas luci ad tenebras? Quæ autem conuentio Chriſti ad Belial.] Si Deus iuſtitia & claritas eſt, quomodo ad illum iniquitatis & tenebrarum amatores non C verebuntur accedere? Et ſi Chriſtus ſui ſimiles habet, qui ipſum quærant, & ianuæ ſuæ benignitatis appropient, quánam ratione ſerui Belial ſine emendationis propoſito, aut iuſtitiæ deſiderio Chriſtum audeant deprecari? Itaque hoc ipſum, quod eſt Deo aſtare, & à fonte ſanctitatis aliquid poſcere miniſtros Eccleſiæ compellit, vt virtutem diligant, & ab omni ſe improbitate diſiungant.

Præcipuum verò munus legati eſt, vt ſic fœliciter negotia, pro quibus mittitur, agat, vt omne, quod cupit, & petit, obtineat. Id autem in malum miniſtrum quadrare non poſſe manifeſtum eſt. Licèt enim Eccleſia, quæ ſancta eſt, & pulchra, ac Deo acceptiſſima, non priuetur voto ſuo, etſi abſque culpa ſua per hominem iniquum preces fundat: at ipſe miniſter malus exaudiri non meretur, & ſibiipſi non tam dona, quàm Domini, cui diſplicet, & cui iniurioſus eſt, indignationem mercabitur. Omnipotens enim Deus, vt inquit Gregorius, ſæpe eius precem in perturbatione deſerit, qui præcepta illius in tranquillitate contemnit.] Impius Aman indignationem Aſſueri perſentiens ad reginam Eſther pro anima ſua oraturus acceſſerat. Audit autem à rege: Etiam reginam vult opprimere, me præſente.] Huius oratio dicitur oppreſſio; quoniam oratio peccatorum in ſuis criminibus perſiſtentium, irritatio eſt, qua Dominus non tam ad miſerationem, quàm ad iram prouocatur. Quare Dauid ait: Oratio eius, ſcilicet viri impij, fiat in peccatum.] E Non iam Deum ad miſericordiam moueat, ſed ad vindictam de procaciſſimo peccatore ſumendam inflectat. Si ergo dona nobis, & aliis, precibus noſtris aſſequi cupimus, vitæ probitatem, & morum honeſtatem diligamus. Vbi ſunt duo, vel tres, ait Dominus, congregati in nomine meo, ibi ſum in medio eorum.] Qui ſunt hi duo, vel tres, ſi myſticam Ambroſij expoſitionem ſequamur, niſi anima, & corpus, quæ ſi inuicem, & cum toto homine in virtute conſentiant, Deum ſibi præſentem habebunt, pe-

Legatus improbus non meretur exaudiri.

Greg. s. moral. c. 30.

Eſther 7. 7.

Pſal. 108. 7.

Matth. 18.20.

titionum

titionum auditorem, cœleſtiúmque donorum affluentiſſimum datorem. Ac proinde meritò Auguſtinus inquit: Ille ad Deum meritò extollit manus, ille preces bonæ conſcientiæ fundit, qui poteſt dicere: Tu noſti, Domine, quàm ſanctæ, quàm innocentes, quàm puræ ſint ab omni fraude, & iniuria, & rapina, quas ad te expando, manus: quàm iuſta, quàm immaculata labia, & omni mendacio libera, quibus tibi, vt mihi miſerearis, preces fundo.] Huius preces non tantùm à Domino libenter exaudiuntur, verùm & auidè deſiderantur. Quamobrem in Canticis ad animam ait: Oſtende mihi faciem tuam; ſonet vox tua in auribus meis: vox enim tua dulcis, & facies tua decora.] Facies vitæ puritatem, & vox orationis verba præfert. Quia ergo, ô anima, facies vitæ tuæ perplacet mihi, cupio vt ſonet vox orationis tuæ in auribus meis. Ideo vox tua, & oratio tua mihi dulcis & acceptabilis eſt, quia facies vitæ pulchritudine virtutum decora eſt. Et ſi vita ſancta non eſſet, nec vox orationis vtique placuiſſet. Certè qui munus orandi pro nobis, & aliis, Deo donante, ſuſcepimus, illud decenter, vt debitum eſt, & ſanctè præſtare cupiemus. Iſtud autem multa ad vitæ ſanctitatem pertinentia requirit. Nempe, vt non ſolùm à criminibus, verùm & ab aliis peccatis, quantum hæc vita tulerit, abſtineamus; alioqui repulſam in noſtris orationibus ſuſtinebimus. Vt adfectus, & paſſiones, & ſæculi cupiditates cohibeamus, ne inter orandum rerum viſibilium memoria fœdemur. Vt virtutes omnes quæramus, quibus ornati conſpectui Domini præſentemur. Denique quo vita noſtra fuerit ſanctior, & immaculatior, eo digniùs poterimus pro Eccleſia ſancta ſponſa Dei coram ſummo Rege vniuerſorum aſtare, & ei ſanctas preces offerre. Atque adeò hæc ſit prima miniſtrorum Eccleſiæ cura, & velut baſis ac fundamentum aliorum, bona vita, qua ſuppoſita, non erit difficile cum gratia Dei, quæ omnibus eam volentibus præſtò adeſt, reliqua ad bene orandum neceſſaria cuſtodire.

Aug. lib. de vita Chriſtia. c.11.tom. 9.

Quis à Domino exaudiantur. Cant. 2. 14.

De tempore apto ad horas canonicas perſoluendas.

CAPVT IV.

Eccl. 3. 1.

Olympio. ibid.

MNIA tempus habent,]& opera noſtra laudabilia quidem ſunt, ſi fiant opportuno tempore, inquit Olympiodorus, ſi verò ante tempus, aut præter tempus, iure damnantur.] Hoc adeò verum eſt, vt ex opportuno, aut importuno tempore fœlices, aut infœlices euentus ſæpe dependeant. Hoc tempore medicina ad ſalutem adſequendam plurimum valet; alio verò tempore mirum in modum nocet. Cibo & potui ſumendo, & aliis rebus ſimilibus aſſignata ſunt tempora, in quibus corporis incolumitati proſunt, & extra illa cruditates, humores noxios, & morbos inducunt. Sermo opportunè prolatus erudit audientem; ſi verò occaſio loquendi elabi ſinatur, aut non expectetur, nullam, aut paruam vtilitatem habet. Et, vt ait Salomon: Mala aurea in lectis argenteis, qui loquitur verbum; vel (vt ſonant Hebræa) verbum loquutum in tempore ſuo.] Quòd ſi aliæ res non multi momenti apta tempora quærunt, vt bene ſecundùm rationem & vtiliter fiant; quid de ſacris precibus ſentiendum erit, in quibus tantum momenti & vtilitatis ineſt? Climacus profectò ſuum ipſas aptum tempus habituras manifeſtè proclamat. Tempus, inquit, eſt infatigabilis orationis, tempúſque integerrimi, & indiſſimulati miniſterij. Non ergo ante tempus, quæ ſunt tempori propria, quæramus, mentis ſuperbia decepti.] Sic etiam intellexit Auguſtinus illud Apoſtoli: Sine intermiſſione orate;] vt abſque vlla interruptione ſtatis temporibus fundatur oratio. Eius verba ſunt: Quod ait Apoſtolus: Sine intermiſſione orate, ſaniſſimè ſic accipitur, vt nullatenus intermittantur certa tempora orandi.] Et alio loco non de eodem homine, ſed de diuerſis intelligit, quorum quilibet cùm habeat certa tempora orandi, omnes ſimul totum tempus in oratione occupant, & in illis Eccleſia nulla hora ab oratione ceſſat. Sic ait: Nullus dies, nulla hora, nullum momentum temporis inuenitur, quo non à Sanctis orationes Deo vbique fundantur: ab aliis hîc, ab aliis alibi; cùm tamen ab orationibus nullum ſit tempus immune, quandoquidem diebus, & noctibus, cùm alij cibo accepto reficiuntur, alij quodlibet aliud agunt, alij dormiunt, non vtique deſunt, quos deſiderium ſanctum orare compellat.] Oratio quidem publica, ſi qua alia, obſequium eſt ſummi Regis, eſt igitur in opportunitate fundenda. Nam ſi eſſet ridiculum, atque præpoſterum ſummo mane regi non veſtem à famulo, ſed cibum offerri; & ad meridiem eidem regi iam induto & ornato non cibum, ſed aliam veſtem miniſtrari: ita inordinatum eſt, aut preces peruertere, aut horam debitam præterire.

Climac. grad. 31.

1. Theſſ. 5.17. Auguſt. epiſt.109.

Quid ſit orare ſine intermiſſione.

2. contra Maxi. c. 9.

Laudabilia opera noſtra ſi tẽpore ſuo fiant.

Prouerb. 25.11.

Dicamus ergo nunc quomodo ſint tempora ab Eccleſia horis canonicis deſtinata, vt qua ratione ſit opportunitas precandi ſeruanda diſcamus. Diuinum officium in nocturnum, & diurnum diuiditur. Æquum eſt enim vt diebus, pariter ac noctibus ei dicamus laudes, & preces offeramus, à cuius tribus digitis ſapientiæ, bonitatis, & potentiæ ſine vlla ceſſatione pendemus. Tuus eſt dies, & tua eſt nox, ait ſanctus Dauid ad Dominum loquens, tu fabricatus es auroram, & ſolem.] Vel, vt alia editio habet: Tu firma ac ſtabilia feciſti lunam, & ſolem. Laudemus igitur te diebus pro ſole iſto viſibili, & pro innumerabilibus beneficiis, quæ accipimus in die: & laudemus te noctibus pro luna iſta pulcherrima, & pro donis nullo numero comprehenſis, quæ accipimus nocte. Omni tempore, nocte videlicet, & die periculis cingimur, & tentationibus aduerſariorum impetimur; nocte igitur, & die auxilium ad euadendum petamus. Diebus impiorum rixæ, & inuidiæ, & proximorum iniuriæ, & alia ſimilia peccata pro vltione clamantia in cœlum aſcendunt: & noctibus fœtores impudicitiæ, & laſciuiæ Dei indignationem prouocare non deſinunt. Fundat ergo mater Eccleſia preces diebus, ac noctibus, vt flagellum iræ Domini extentum teneat, & peccantibus ſpiritum compunctionis, & veniam obtineat. His, aliiſque rationibus inducta mater Eccleſia, & à Spiritu ſancto docta perpetuò ſeruauit, vt diebus & noctibus ab aliquibus, qui ſe diuino cultui conſecrarent, preces funderentur, & ille, qui non dormitat, neque dormit, ſemper eius nomine interpellaretur. De quo multa ſunt antiquorum Patrum teſtimonia, à no-

Pſal. 73. 16.

Cur die noctéque oret Eccleſia.

bis, ne longiores ſimus, omittenda. Vnum ſolum Ioannem Caſſianum referemus, cuius ſententia non modicam eruditionem habet. Poſtquam enim nocturnarum vigiliarum meminit, ait monachos illos antiquos nequaquam ad ſomnum redire ſolitos, ſed potiùs, quæ antea inſimul recitauerant, ſeorſum in cellulis iteraſſe. Ideóque, ait, cùm fuerint orationum canonicarum functiones ex more finitæ, vnuſquiſque ad ſuam recurrens cellulam, quam aut ſolus, aut cum alio tantùm habitare permittitur, quem ſcilicet ſocietas operationis, vel diſcipulatus, & diſciplinæ imbutio copulauit, vel certè quem ſimilitudo virtutum comparem fecit, idem rurſus orationum officium, velut peculiare ſacrificium ſtudioſiùs celebrant, nec vlterius quiſquam eorum in requiem ſomni reſoluitur, donec ſuperueniente diei ſplendore, nocturno operi, ac meditationi operatio diurna ſuccedat.] Huius autem duas adſignat præcipuas cauſſas: alteram, ne poſt munditiem nocturnis orationibus acquiſitam ad ſomnum redeuntes aliqua dæmonis illuſio contaminet. Alteram, ne ſegnities aliqua ex ſopore prouenies conceptum oratione mentis vigorem obtundat. Et beatum ego illum iudicarem, qui ex more ſuæ religionis ad nocturnas preces ſurgens, peruigil poſſet in orationibus, & contemplatione Dei vſque ad diluculum permanere.

Caſſian. lib. 2. de inſtit. c. 14.

Antiqua recitandi horas cõſuetudo.

Tempus ergo cuiuſque horæ canonicæ tam nocturnæ, quam diurnæ intelligemus, ſi inprimis ſciamus noctem & diem apud veteres ita fuiſſe diſtributas, vt nox duodecim horas, & dies totidem haberet: ita vt prima earum in initio noctis, vel diei numeraretur; & poſtrema in fine noctis, vel diei ſuum ſpatium ſumeret. Ex quo neceſſariò ſequebatur has horas pro temporum varietate eſſe inæquales, & nunc maiores, nunc minores. Nam cùm in hyeme nox ſit longior die, fit eius horas duodecim eſſe longiores, quàm horas diei: & cùm æſtate dies ſit longior nocte; infertur eius horas eſſe maiores quàm horas noctis. Iam iſtam diei noctiſque diſtributionem ex ſacris Scripturis habemus. De die namque dixit Dominus: Nónne duodecim ſunt horæ diei?] Quarum prima cùm ipſo Solis exortu ponenda ſit: & poſtrema, ſeu duodecima in Solis occaſu; liquet non ſolùm horam ſextam eſſe in meridie, ſed quo ſpatio temporis reliquæ ſint collocandæ. De nocte verò ſcimus in quattuor vigilias fuiſſe diſtinctam, quarum cuilibet ternæ horæ ſignabantur. De quibus dictum eſt: Vigilate ergo; neſcitis enim quando Dominus venit; ſerò, an media nocte: an galli cantu, an manè.] Serò, aut finis diei, initiúmque noctis per tres primas horas eſt prima vigilia: ſecunda verò, & tertia à quarta hora vſque ad mediam noctem; & à media nocte per tres horas ſequentes, quæ hîc dicitur galli cantus. Quod patet ex eo, quod habemus in Luca: Si venerit in ſecunda vigilia, & ſi in tertia vigilia venerit.] Quartam verò vigiliam, quæ in tribus horis ſequentibus vſque ad initium auroræ ponimus, manè appellauit, quòd vſque ad diei initium protendatur. De qua alibi ipſe Marcus dixit: Circa quartam vigiliam noctis venit ad eos, ambulans ſupra mare.]

Ioan. 11. 9.

Marc. 13. 33.

Luc. 12. 38.

Marc. 6. 48.

Nunc ad diuinum officium nocturnum, pariter & diurnum reuertamur. Et quidem illud in quattuor partes diuiſum eſt; nempe in tres nocturnos, qui Matutinum, aut hora matutina dicuntur: & laudes, quæ in feruore naſcentis Eccleſiæ, ſolemnioribus præcipuè diebus, in quattuor vigiliis noctis dicebantur. Quod apertè inter alios teſtantur duo Doctores Thomæ, alter Aquinas; qui ſic ait: Antiquitus dicebantur nocturna diuiſim, ſecundùm tres vigilias noctis; nunc autem dicuntur ſimul.] Alter VValdenſis, nam ita ſcribit: Hi quidem nocturni propter ſolemnes vigilias & Dominicas habebantur, ſecundùm quattuor vigilias noctis quattuor horis ſeparatim apud antiquam Eccleſiam celebratæ; quia & omnis populus tunc totam noctem vigilando tranſegit. Quia tamen, hoc ardore fidei tepeſcente, viſum eſt intolerabile, omnino ſublatum eſt ab Eccleſia, & matutinales horæ ſimul poſt mediam noctem recitantur: ita vt ad illam vſque horam conueniens aliquod tempus pro ſomno captando remaneat, in quo poſſint Eccleſiæ miniſtri (nam populus niſi in aliquo ſolemniſſimo die ad horas matutinas non ſurgit) ſua corpuſcula recreare. Immo neque iſta hora mediæ noctis apud omnes Eccleſias cathedrales, neque apud omnes familias religioſas chorum ſequentes expectatur; quia multi in prima vigilia noctis conſueuerunt has nocturnas preces fundere.

D. Th. in 1. ad Corinth. lect. 6. VValdẽſ. de ſacr. c. 24.

Tempus officij diurni, quod in ſex horas canonicas diuiſum eſt, ita ſignatur, vt Prima recitanda ſit prima hora diei, à qua ipſa pars officij nomen accepit. Quod patet ex hymno, quem in ea canimus: Iam lucis orto ſydere. & ex verbis illis collectæ: Domine Deus omnipotens, qui ad principium huius diei nos peruenire feciſti. Tertia dicenda eſt tertia hora poſt ortum Solis, quæ in horologiis noſtris Hiſpanicis eſt ferè nona hora diei. Sexta in ſexta hora diei, quæ eſt duodecima hora noſtra, & ſemper incidit in meridiem. Nona dicitur ſimiliter hora nona, quæ eſt tertia poſt meridiem. Veſperæ recitandæ ſunt hora poſtrema diei iamiam inſtante, vt laudibus, quæ celebrantur ante ortum Solis, hæc hora ante Solis occaſum celebranda reſpondeat. Completorium denique circa initium noctis ante finem crepuſculi veſpertini eſſet dicendum. Idque ſignificant illa verba hymni: Te lucis ante terminum. Nam terminus lucis diei non eſt occaſus Solis (vt conſtat) ſed finis crepuſculi. Licèt autem hæ ſint rigoroſæ horæ officij diurni; tamen vſus etiam obtinuit in Eccleſiis cathedralibus, & in omnibus religionibus chorum ſequentibus, vt partes huius officij præſertim ab hora ſexta per aliquod ſpatium temporis præponantur. Quod prudenter ſatis eſt inſtitutum pro his Eccleſiaſticis, & religioſis, qui ſaluti animarum vacant, vt commodum tempus ad hæc præſtantiſſima miniſteria habeant. Non enim eſſet poſſibile cum tam exacta frequentatione chori ſolidos fructus in litteris facere, aut aliquid magnum pro ſalute animarum moliri. Vnde aut omnes hi eſſent penitus choro eximendi, quod, præter noſtram Societatem, reliquæ familiæ religioſæ ſibi vtile non putarunt: aut illa primæua horarum canonicarum inſtitutio quoad tempus fuit nonnihil temperanda.

Quo tẽpore recitanda.

Nunc prætermiſſis iis, qui in choro recitare tenentur, quos ipſa eccleſiaſtica & religioſa cenſura ſatis monet; eos, qui apud ſemetipos horas recitant, de congruo tempore moncamus. Illi ergo, ſi multa leuia peccata vitare cupiunt (quæ certiſſimum eſt in præpoſtera, & extra tempus horarum recitatione, ſine legitima cauſſa committi) & ſi perfectionis amore flammeſcunt, tempori recitandi ab Eccleſia ſtatuto, quantum fieri

Matutina horæ olim quatuor horis diſtinctis dictæ.

poſſit,

possit, se accommodent; aut saltem temporibus illis, quæ à viris spiritualibus, perfectionis amatoribus obseruari viderint, Horas recitent. Hi (vt ego quidem aspexi) Primam summo mane, aut solam, aut post laudes, quas à matutinis secernunt: Tertiam, & sextam, ingresso iam die ante prandium: Nonam post prandium: Vesperas, & completorium, aut simul, aut seorsum longè post meridiem; & matutinas ad initium noctis persoluunt. Hos saltem omnes Ecclesiastici & religiosi constanter imitentur, si occupationum causa ad spiritum Ecclesiæ in choro canentis se magis accommodare non possint. Nec se ministeriorum & negotiorum sibi iiunctorum prætextu tueantur; quia manifestum est (ordinariè loquendo) nullum esse ministerium tam occupatum, quod prædictis temporibus aliquid horæ labentis vacuum ad orationem non relinquat, si quis velit se & sua discretè disponere. Et nos vidimus non semel, sed millies, viros occupatissimos, Prælatos scilicet, Theologiæ lectores, concionatores, & alios similes, non tantùm prædictas horas obseruasse in horis recitandis, sed amplius etiam ad morem Ecclesiæ in commune canentis accessisse. At si tu, qui sæculum reliquisti, & diuino obsequio te addixisti, vis sæculariter viuere, & nogotiis ac colloquiis inutilibus inhærere, & diuinum officium tamquam rem onerosam, & parui momenti, tuis vanis distentionibus conculcandum exponere, non mirum si toto die horam ad precandum non inuenias. Certè Dominus summo mane, & hora tertia, sexta, & nona, & vndecima ad vocandum operarios exiuit, & stantes in foro otiosos reprehendit. Vide ne te, quem semper his horis non suo cultui deditum, sed aut dormientem, aut vanis colloquiis occupatum inuenit, acri increpatione percutiat. Magni momenti est ad id, quod quis cupit, obtinendum, si in occasione commoda, & quo tempore rex benignè pauperes excipit, ad postulandum accedat. Dominus in horis ab Ecclesia statutis, & ab ipso inspiratis, vel certè non longè extra illas, ministros Ecclesiæ benignè excipit, eorum preces gratas habet, petita (si expediat) affluenter concedit: at temporibus incommodis, quæ non necessitas, sed negligentia, & indeuotio precantis inuexit, eius orationem importunam habet, quis nisi insanus audeat in hæc tempora suas preces reiicere? Rogo igitur te, ô lector, si ad recitandum in choro non teneris, vt dum priuatim recitas, quantum fieri possit, horis chori te accommodes. Crede mihi experto, nulla est occupatio, licèt magna, quæ commodum tempus orandi præripiat, si res, quibus intendendum est, mediocris quædam prudentia disponat. Quòd si nec propter occupationes pias & vtiles non est officium protelandum, qua fronte quis audet propter vanitates suas illud à propriis horis extrahere? Sanè, qui id fecerit, nihil in huius orationis negotio proficiet.

Viri spiritales quando recitent.

Matth. 20.1.

Meritò igitur monet Petrus Damiani, vt statis temporibus horas persoluamus, etiamsi priuatim dicantur; & quid sentiendum sit de recitatione præposterè facta sic scribit: Distinguenda sunt ergo per momenta temporum ecclesiasticæ institutionis officia, & sub magna diuini timoris ac reuerentiæ dicenda sunt disciplina: ne dum psallimus fructum spiritus cùm carnis desidia misceamus. Quid enim prodest hostiam Deo laudis offerre, & per torporem negligentiæ fœdis eam cogitationibus inquinare? Hanc porrò boni mali-

Petrus Damianus lib. de miraculis.

A que mixturam locus ille significat euangelicus, vbi dicitur. Quia docente Domino aderant quidam ipso in tempore nunciantes illi de Galilæis, quorum sanguinem Pilatus miscuit cum sacrificiis eorum. Nam quia Pilatus os malleatoris interpretatur, quid per hunc nisi diabolum debemus intelligere, qui paratus est semper homines offensionum ictibus verberare? Vnde & virgam super humeros hominum tenere dicitur per Prophetam: Virgam, inquit, humeri eius superasti, sicut in die Madian. Quid verò sanguis, nisi peccata? Quid sacrificia, nisi rectas & acceptabiles Deo significant actiones? Pilatus ergo Galilæorum sanguinem cum sacrificiis miscuit; quia malignus spiritus vel orationes nostras prauis cogitationibus polluit, vel opera B bona peccati cuiuslibet attaminatione corrumpit, vt sanguis sacrificium polluat, dum reatus offensio oblatam Deo recti operis victimam fœdat.] Sic ille.

Luc. 13.

Isaiæ 9.

Nec solùm tempora commoda ad officium canonicum persoluendum quærenda sunt, verùm & spatium temporis cuique horæ canonicæ concedendum; ita vt quietè, & pro dignitate possit recitari. Si enim tempus angustius sit, & breuius, necesse erit, vt recitans minus attendat, minus deuotè se gerat, & in verborum prolatione festinet. Officij diuini exolutio vocatur à B. Benedicto opus Dei; quia ad cultum & venerationem eius institutum est, & ab ipso Deo per Ecclesiam tamquam præcipuum opus sancitum, & iussum. Si ergo C opera hominum, & nullius momenti comparatione huius, temporis angustiis non premimus; quare opus Dei, quo eum colimus, & spiritualia ac temporalia petimus, limitibus angustissimis coarctamus? Cibo, & potui, & somno, & curis huius sæculi sufficiens satis tempus concedimus, ita vt possint sine vlla festinantia fieri, & operis Dei tempus, ita vt commodè fieri nequeat, vltra modum præcidimus? Bene per improperium quadrat in nos illud Domini: Quia filij huius sæculi prudentiores filiis lucis in generatione sua sunt.] Illi enim totum vitæ tempus in bonis temporalibus quærendis, & functionibus huius vitæ sedulò præstandis insumunt: hi verò vix exiguum tempus in sanctis precibus collocant, vt bona cœlestia mercentur. Fili, conserua tempus, inquit Ecclesiasticus, & deuita à malo.] Illud autem ita seruabis, si in opus Dei, ac in animæ salutem impenderis. Nam quod temporis ab hac salute quærenda subtrahitur, non conseruatur, sed perditur. Ac proinde si tu ex tempore, quod ad precationem quietè fundendam est necessarium, aliquid adimas, illud absque dubio inutiliter perdis, duplici de causa: altera, quia in re inutili imprudenter insumsisti: altera, quia ab opere vtilissimo & debito subtraxisti. Orare, & precari Deum an non diteſcere est? Sed audi Salomonem, dicentem: Substantia festinata minuetur, quæ autem paulatim colligitur manu, multiplicabitur.] Si in precatione plus nimio festinaueris, si debitum illi tempus ademeris, non dubium quin deuotionis & meriti fructus minuetur. At si animo tranquillo, & pacato, & graui prolatione, sicut decet eum, qui cum Deo loquitur, preces fuderis, meritum, & deuotio (vt experieris) augebitur. Detur itaque sufficiens tempus precationi, & nec propter meditationem, nec propter litterarum studium, nec propter aliquod ministerium decurtetur: quia potens est Dominus in breuiori morula, quæ ad mentaliter orandum supereſt,

Diuinũ officium est opus Dei. Reg. c. 43.

Luc. 16. 8.

D

Eccli. 4. 23.

Prouerb. 14. 11.

E

magis quàm in multis horis nos illuminare, & accendere, & in minori tempore nos multa docere, & laboribus noſtris ac miniſteriis abundantiorem fructum præſtare.

De loco ad ſolutionem horarum canonicarum.

CAPVT V.

SIcvt tempus aptum ad recitandas horas canonicas quærendum eſt; ita & locus eligendus, qui reuerentiam, attentionem & deuotionem promoueat, aut ſaltem illas non impediat. Præcipuus autem locus ad hoc deputatus eſt templum, de quo dictum eſt à Domino: Domus mea, domus orationis vocabitur:] quia videlicet non ad inania colloquia, non ad ludos, non ad negocia ſæcularia, ſed ad Dei cultum, & ad orationem conſecratur. In templo Deus ſecundùm benignitatem ſuam præſentior adeſt: ex eóque Paulus probat Deum in nobis eſſe, quia ſumus templa Dei: Neſcitis quia eſtis templum Dei, & ſpiritus Dei habitat in vobis.] Et: Vos eſtis templum Dei viui, ſicut dicit Dominus: Quoniam inhabitabo in illis.] Et: Membra veſtra templum ſunt Spiritus ſancti, quem habetis in vobis.] Et Dauid orabat in templo, vt ait Auguſtinus, quia ibi ſacratior & commendatior præſentia Domini erat. Æquum eſt verò ibi præcipuè regem exorare, vbi benigniùs & affabiliùs ſuam præſentiam oſtendit. In templo etiam Deus citiùs exaudit, & noſtras preces propitius ſuſcipit. Ad hoc enim factum eſt, dixit Salomon, vt reſpicias, Domine, orationem ſerui tui, & obſecrationem eius, & audias preces, quas fundit famulus tuus coram te.] Atque ipſe Dominus promiſit Salomoni: Quia erunt oculi mei, & cor meum ibi cunctis diebus.] Oratio quoque functio eſt nobiliſſima, ac proinde locus ei nobiliſſimus deputatur, quale eſt templũ Dei. Vt quemadmodum artifices in republica proprias officinas habent, in quibus ſuas artes exercent: ita ſit officina miniſtri Dei, in qua commodiùs & quietiùs arti orationis intendant. Ac tãdem ſi cætera paria ſunt, melius eſt ibi orare, vbi multa ſunt, quæ ad reuerentiam & deuotionem nos moueant. Templa autem eſſe huiuſmodi nemo poteſt ambigere, ſi conſiderauerit in templis Chriſtum mediatorem noſtrum ſecundùm præſentiam realem, quam in Euchariſtia habet, aſſiſtere: Angelorum frequentiam Dominum ſuum comitantem adeſſe, vt Chryſoſtomus adnotauit: altaria, imagines, cruces, Sanctorum reliquias, & ipſos parietes Deo dicatos ſanctum quemdam timorem incutere. Ideo conſuetum eſt apud omnes, qui rectè ſentiunt, in templum ad orandum accurrere. Dauid perrexit ad tabernaculum, vt oraret Dominum. Anna filia Phanuelis non diſcedebat de templo ieiuniis & orationibus ſemper intenta. Publicanus aſcendit in templum, vt oraret, ibique remiſſionem peccatorum, quam poſtulabat, accepit. Petrus & Ioannes ad orandum aſcendunt in templum. Et Eunuchus ille reginæ Æthiopiæ venit adorare in Ieruſalem. Hoc ergo à ſacra Scriptura probatum, & ab initio naſcentis Eccleſiæ ſuſceptum, ipſa hodie retinet, vt miniſtri eius non ſeparatim, ſed ſimul preces nomine totius congregationis fidelium fundant, & ad hoc in templa conueniant. Quaſi vna voce orant, vt ſimul non ſolùm charitate, ſed loco iuncti, gratiores fiant, & meliùs ac velociùs quod petunt obtineant. Multi enim minimi, inquit Ambroſius, dum congregantur vnanimes fiunt magni, & multorum preces impoſſibile eſt vt non impetrent.] Vis igitur impetrandi ex loco ſacratiori, & ex charitate mutua orantium, orationibus noſtris accreſcit.

Ex his verò liquet, eos, qui priuatim officium diuinum recitant, optimè facere, ſi dum commodè poſſunt, templum, aut oratorium ad hoc genus orationis eligunt. Et ego apud memetipſum ſacerdotes vehementer laudaui, qui nonnullis impedimentis peruictis maluerunt has publicas preces in templo, quàm in cella, aut in alio loco conueniente perſoluere. Locus enim ille ſacratior, & ab inquietudinibus remotior, & ob maieſtatem Domini ibi latentis gratior, & ob Sanctorum imagines & reliquias acceptior, & ob hæc omnia diuinis miſerationibus plenior, ad puriores & feruentiores orationes promendas exſuſcitat. Et certum eſt diabolum in templis præſentia Saluatoris & Angelorum oppreſſum minus poſſe ad nos accedere, & mentem diuinis intentam malis, aut vanis cogitationibus perturbare.

At qui commodè non poſſunt in templo, aut oratorio diuinum officium exoluere, licitè in quouis alio loco poterunt huic etiam generi publicæ orationis inſiſtere, dummodo duo, quæ ſtatim dicemus, obſeruent. Neque enim eſt aliquod Eccleſiæ præceptum, quod ad dicendas horas in templo nos adigat. Et Dauid ait: In omni loco dominationis eius benedic anima mea Dominum.] Sic Auguſtinus verba coniunxit. Ne forte, inquit, aliquis dicat: Non poſſum benedicere Dominũ in oriente, quia ad occidentem profectus eſt: aut non poſſum in occidente, quia in oriente eſt. Non ab oriente, & ab occidente, non à deſertis montibus, quoniam Deus iudex eſt. Sic vbique eſt, vt vbique benedicatur: ſic vndique eſt, vt illi vndique iubiletur; ſic vndique benedicitur, vt vndique bene viuatur.] Paulus quoque ſcripſit: Volo viros orare in omni loco.] Cùm enim ſpiritus ſit Deus, & vbique præſens adſit, vbique poteſt à nobis orari. Iam non Ieroſolymis tantùm adorabimus Patrem, ſed in omni loco poſſumus adorare, & deprecari illum, qui illos diligit, quorum eſt adorare, & orare in ſpiritu, & veritate. Et cùm eos carpit, qui amant in Synagogis, & in angulis platearum orare; non locum taxat, quaſi in foro, & in alio quocumque loco orare non liceat, ſed ſtudium placendi hominibus vetat, quemadmodum ex ſubiectis verbis elucet. Amant in plateis orare, vt videantur ab hominibus. Licet ergo in quocumque loco preces canonicas fundere, & multo magis, quàm preces priuatas; quia cùm ad eas teneamur, non ſunt ita inanis gloriæ ventis expoſitæ. De hac re multa ſunt apud Patres. Vnum tamen Chryſoſtomum in medium adducamus, ſic ſcribentem: Ne nos excuſemus, dicentes, quòd non eſſet facile quempiam orare ſæcularibus negotiis implicitum prope ſe domum non inuenientem oratoriam. Nam vbicumque ſis potes altare tuum conſtituere. Nihil enim locus prohibet, nec impedit tempus. Veràm licèt genua non flectas, neque percutias pectus, nec in cœlum manus extendas, ſi mentem tantùm feruentem exhibeas, orationis perfectionem conſummaueris. Licet enim & forum petentem, & ambulantem per ſe prolixas facere orationes. Licet & in

Templum præcipuus locus recitandis horis. Matth. 15.13.

1. Cor. 3. 16. 2. Cor. 6. 16. 1. Cor. 6. 19.

Auguſt. 2. ad Simplician. q. 4.

2. Paralip. 6. 19.

3. Reg. 9. 3.

Chryſoſt. hom. 36. in 1. ad Corinth.

2. Reg. 7. 18.

Luc. 18. 13.

Actor. 3. 1.

Act. 8. 17

Ambr. ad Roman. 15.

Pſ. 102. 22. Auguſt. ibid.

Licet in quocumque loco horas canonicas recitare. 1. Tim. 2. 8.

Matth. 4.

Chryſoſt. hom. 77. ad popul.

officina

officina ſedentem, & ſuentem pelles animam Domino dedicare. Licet ſeruo, & ementi, & aſcendenti, & deſcendenti, & adſtanti coquo, cùm ad Eccleſiam ire non poterit orationem facere prolixam, & ſolertem. Non enim locum Deus veretur, ſed vnum exquirit, feruidam mentem, & continentem animam. Nam & Paulus non in oratorio, ſed in carcere iacens ſupinus, neque ſtans erectus, neque flectens genua: non enim ſinebat lignum, quo pedibus vinctis tenebatur; quoniam cum ſtudio iacens orauit, carcerem concuſſit, & labefactauit fundamenta, carceríſque cuſtodem ligauit,& poſt hæc ad ſacram initiationem deduxit. Et Ezechias ſtans haud rectus, neque genua flectens, ſed ſupinus propter ægritudinem lectulo recubans, cùm ad parietem ſeipſum conuertiſſet, quoniam Deum feruenter inuocauit, & anima continente, & prolatam reuocauit ſententiam, & multam adeptus eſt beneuolentiam, & ad priſtinam rediit valetudinem. Et latro in cruce diſtentus paucis verbis cœleſte regnum aſſecutus eſt. Et Ieremias in cœno,& lacu;& in lacu ferísque Daniel;& Ionas in ipſo ceti ventre Deum deprecati, circumſtantia quæque mala diſſoluerunt, & gratiam inuenere diuinam.] Hactenus ille. Et quamuis videatur de precibus particularibus loqui, tamen de publicis eadem eſt ratio, cùm & Dominum eumdem alloquamur, & eadem poſtulemus, & eiſdem interdum verbis vtamur: illis nimirum, quæ Pſalmis,& aljis orationibus publicis continentur. Licet igitur in quocumque loco orare;& ſicut(dicente Paulo)ſanctificatur vir infidelis per mulierem fidelem:ita quilibet locus,in quo oramus, quaſi precibus noſtris ſanctificatur, ab eóque omnis indecentia à vilitate eius profecta depellitur.

Baſil.lib. de Bapt. q.8.

At quamuis hæc ita ſint, non debemus (dum commodè poſſumus) preces noſtras fundere in loco minus honeſto, aut ſordido, & immundo. Quemadmodum enim (vt nunc Baſilij ſimilitudine vtamur) bonum eſt ad vitam mortalem ſeruandã cibo,& potu,& ſomno vti, at nemo ſapientum in foro edere, aut bibere, aut dormire ſuſtineat: ita bonum eſt, & neceſſarium ad ſpiritualem vitam Dominum deprecari; nullus tamen ſine iuſta cauſſa immundum locum orationis gratia adire præſumat. Incruentum Miſſæ ſacrificium locum mundum,huícque præſtantiſſimo muneri dicatum requirit. Ergo & publica oratio,quæ ſuam habet,& non minimam ſanctitatem, loci ſaltem munditiam & honeſtatem exiget. Vnde & illa Pauli ſententiâ: Volo viros orare in omni loco,] putat Baſilius locum minus decentem eſſe excluſum. Dicendum eſt,ait,quòd illud,in omni loco, non comprehendit eos locos, qui humanis vſibus, rebúſque immundis & profanis deputati ſunt; ſed dilatat,ac diducit ad orationem Dei ab arcto Ieroſolymæ ambitu in omnem totius orbis locum.] Et ad idem Ambroſius ſic in omni loco orandum præcipit, vt competens locus intelligatur, non vtique importuno ac ſordido loco; quippe cùm prohibeat Dominus vulgo orare, ſed hoc monet, ne in ſola Eccleſia putarent orandum. Auguſtinus etiam inquit: Volo vos,id eſt,omnes homines, orare in omni loco;in agris,in ſyluis,in domibus, in itinere: tamen non præcipit orare in turpibus locis, in foro videlicet,aut in plateis, niſi cauſſa itineris,&c. His itaque illi reprehenduntur, qui horas canonicas in quocumque loco ſine cauſſa recitandas putant; in quo ſanè non parum decipiuntur. Nam voces illæ externæ,& ſenſibiles,quibus Deum laudamus,

Horæ canonicæ loci amant ſanctitatem.

1. Tim. 2. 8.

Baſi. ſup.

Ambroſ. ad 1. Timoth. c. 2.

Auguſt.

non debent paſſim in locis turpibus,aut indecentibus reſonare. Dicant horas, ſi non in Eccleſia, ſi non in oratorio; at in cella ſua, in ea parte ipſius, quam orationi,& ſacræ lectioni dicauerint: dicant in horto (id enim etiam concedimus) aut in ea parte domus, quam operis ibi facti decentia commendet,vbi nihil ad diſtractionem prouocet,& ſic non ſolùm præcepto Eccleſiæ, ſed & perfectionis deſiderio ſatisfactum erit.

Eligẽdus locus omni carens diſtractionis impedimento.

Illud etiam circa locum orandi obſeruandum eſt,vt nihil in eo ſit, quod noſtram attentionem & reuerentiam impediat. Cùm enim attentio adeò neceſſaria ad orationem ſit (vt poſtea dicemus) vt ſine illa ſaltem virtute habita oratio nequaquã honeſtè fundatur; ſequitur eum locum ad preces eligendum eſſe, qui ratione eorum, qui in eo verſantur,aut quæ in eo fiunt, nec impuras cogitationes excitet, nec ad aliena inſpicienda, aut deſideranda nos mittat. Et hanc ob cauſſam ad orationem etiam publicam, quam priuatim quis fundit, interdum locus non ſacer loco ſacro præferendus eſt,ſi in illo maior ſit attendendi, & quietè ac deuotè ſe habendi commoditas. Vnde Iſidorus ait: Oratio priuatis locis opportunius funditur,maiúſque obtentum impetrat,dum Deo tantùm teſte depromitur. In hac etiam recitatione priuata ſæpe quis ſapienter locum occultum petit, vt ibi nonnullis ſignis exterioribus,vt genuflexionibus, proſtrationibus, & aliis ſimilibus ad deuotè orandum ſe adiuuet, quæ in loco publico ad vitandum inanis iactantiæ motum non decent. Vt enim Thomas Aquinas inquit: Signa orationis exteriùs non debent fieri in omni loco;quia homo non debet ſingularis apparere in exterioribus.] Ac tandem vox Domini eſt: Tu autem cùm oraueris intra in cubiculum tuum, & clauſo oſtio ora patrem tuum.] Quæ verba licèt ſecundùm altiorem intellectum ad aliud inferiùs exponendum referantur; tamen ſimpliciter de externo loco intelliguntur. Monemúrque illum locum ad orandum eligere, in quo nec aliquo impedimento turbemur,nec ad inanem gloriam moueamur. Vnde Bernardus poſtquam mentis ſolitudinem commendauit,ait:Quamquam & corpore interdum non otioſè te ſeparas, cùm opportunè potes, præſertim in tempore orationis. Tenes etiam in hoc & mandatum ſponſi, & formam. Tu, inquit, cùm oraueris intra in cubiculum tuum,& clauſo oſtio ora. Et quod dixit fecit. Solus in oratione pernoctabat, non modò ſe abſcondens à turbis,ſed nec vllum quidem diſcipulorum, nec vllum domeſtieorum admittens. Denique tres ſecum intimos ſibi adduxerat, cùm vltro properaret ad mortem:auulſus eſt & ab ipſis orare volens. Ergo & tu fac ſimiliter, quando orare volueris.] Id ergo à perfectionis amatore ſeruetur, qui non in choro cum aliis, ſed apud ſe horas canonicas recitat, vt aptum ad orandum locum quærat, in quo nihil ſit (quantũ fieri poſſit) quod eius attentionem & deuotionem auferat, & aliqua ſint potiùs,quæ feruorem & reuerentiam iuuent. Qui autem locum quietum & mundum non habet, & in ſordido, aut turbato vocibus manere cogitur,manifeſtum eſt in eo orationes,quę ſunt in pręcepto, debere proferre. Pręceptum namque eo modo,quo poſſumus, implendum eſt, & Deus voluntatem quietè & reuerenter orandi gratam habet, defectibus verò ineuitabilibus clementer indulget.

Iſidor. 3. de ſummo bon. cap. 7.

D. Th. ad Tim. 2. lect. 2.

Matth. 6. 6.

Bernard. ſerm. 4. in Cant.

Matth. 6. 6.

De habitu corporis in horis canonicis seruando.

CAPVT VI.

NON parum refert ad deuotam orationem fundendam habitus, aut situs corporis, ex quo animus mirum in modum solet ad reuerẽtiam ac deuotionem prouocari. Ita enim spiritus noster caróque conueniunt,vt ex altero ad alterum propria adfectio dimanet. Corpus dolore adfectum animam tristitia adficit:anima lætitia ac feruore donata corpus roborat, atque confirmat. Et quemadmodum mens intellectu & adfectu Deo iuncta corpori modestiam præbet : ita corpus modestè & reuerenter se gerens reuerentiam menti ingerit,ac feruorem deuotionis accendit. Quare Augustinus meritò ait: Orantes de membris sui corporis faciunt, quod supplicantibus congruit, cùm genua figunt, cùm extendunt manus,vel etiam prosternuntur solo, & si quid aliud visibiliter faciunt,quamuis eorum inuisibilis voluntas,& cordis intentio Deo nota sit; nec ille indigeat his indiciis, vt humanus ei pandatur animus:sed his magis seipsum excitat homo ad orandum gemendúmque humiliùs atque feruentiùs.Et nescio quomodo cùm hi motus corporis fieri, nisi motu animi præcedente, non possint, eisdem rursus exteriùs visibiliter factis, ille interior inuisibilis,qui eos fecit, augetur: ac per hoc cordis adfectus, qui vt fierent ista præcessit, quia facta sunt,crescit.] De illis ergo, qui in choro canonicas horas dicunt, nihil monendum occurrit, nisi quòd in sedendo,in stando,in genuflectendo, & in aliis similibus ea modestè ac grauiter seruẽt, quæ mos Ecclesiæ præscribit. Ea namque ita sapienter instituta sunt, vt maximopere deuotioni seruiant, & cum moderamine corporis mentem quoque sensúsque componant. Is autem est sanctarum cæremoniarum Ecclesiæ finis, mentes nostras ad Dei memoriam, dilectionem, ac reuerentiam excitare. Nam cùm graui corporis mole grauemur ad dormiturientis animi excitationem his sensibilibus signis egemus, quæ valde vtilia sunt,si ea vt instrumenta ad iustitiam, non vt ipsam iustitiam accipiamus.

Augustin. lib.de cura pro mortuis, cap.5.

In habitu corporis seruãda Ecclesiæ cæremonia.

Grauiter ista Ecclesiæ cæremoniæ præstanda.

Consultò autem dicimus hæc modestè ac grauiter esse præstanda ; quoniam vidimus, non sine rubore, aliquos cantantes in choro immodestè sedentes, pueriliter se inclinantes,& alia huiusmodi tam leuiter exequentes, vt non tam Deum orare, quàm sacras preces subsannare videãtur. Hos Prælati corrigant,& ipsi se corrigant, si fortè aliquod habent desiderium proficiendi. Considerent se in conspectu summi Regis astare, & pro salute vniuersorum deprecari, & omnes defectus in choro ab imperfectis & tepidis fieri solitos, quos Humbertus breuiter perstrinxit, vitare curent. Ad dissolutionem in choro,inquit, hæc pertinent:oculorum euagatio, risus ex defectu fratris prouocatus, incitatio aliorum ad risum per aspectum, vel aliter ; facta locutio inordinata, præsumtio cantandi aliud, quàm scriptum sit, vel aliter quàm cæteri cantant, nimia vocis exaltatio, modulatio vocis studiosa, & curiosa.] Ne obsecro immodestia sua Deum offendant, fratres scandalizent, & Angelos cantantibus adiunctos ad indignationem prouocent. Hi enim nobis orantibus & psallentibus astant, & si videant nos minùs circumspectè procedere,meritò à nostro consortio se elongant. Vnde Bernardus ait:Vereor ne vestram desidiã quandoque abominantes, cum indignatione recedant ; & incipiat vnusquisque vestrûm serò cum gemitu dicere Deo:Longè fecisti notos meos à me:posuerunt me abominationem sibi. Et illud:Elongasti à me amicum, & proximum, & notos meos à miseria. Item : Qui iuxta me erant, de longè steterunt, & vim faciebant, qui quærebant animam meam. Pro certo enim si se à nobis boni spiritus elongauerint,impetus malignorum quis sustinebit ? Dico ergo his,qui eiusmodi sunt : Maledictus, qui opus Dei facit negligenter. Dicit quoque non ego,sed Dominus : Vtinam te calidum, aut frigidum inuenissem:sed quia te tepidum inueni, incipiã te euomere ex ore meo. Eapropter attendite principes vestros,cùm statis ad orandum, vel psallendum, & state cum reuerentia, & disciplina, & gloriamini, quia Angeli vestri quottidie vident faciem Patris. Nimirum missi in ministerium propter nos, qui hæreditatem capimus salutis:deuotionem nostram in superna ferunt, referunt gratiam. Vsurpemus officium, quorum sortimur consortium : vt in ore infantium & lactentium perficiatur laus. Dicamus eis : Psallite Deo nostro, psallite. Atque audiamus eos vicissim respondentes : Psallite Regi nostro, psallite. Laudem ergo cum cœli cãtoribus in commune dicentes,vtpote cives Sanctorum, & domestici Dei,psallite sapienter.] Hæc Bernardus ; cuius verba si horas canentes meditati fuerint, satis (vt opinor) ad externam modestiam, & compositum corporis habitum se obligatos sentient.

Bernard. serm. 7. in Cant.

At nunc eos,qui priuatim recitant(quorum gratia hæc inprimis scribimus) adloquamur. Hi sanè prudenter se gerent, si consuetudini chori seipsos accommodent. Si,inquam, ac si essent in choro congruis diuini officij partibus, aut stent, aut sedeant, aut genuflectant. Sic Bonauentura monet esse faciendum. Si quando extra chorum, inquit, officium dixerint,diligentiam nihilominus, & honestatem prædictam debent, in quibus poterunt, studiosè seruare, vt dimissis omnibus quæcumque in manibus fuerint, stantes cum reuerentia iuxta traditionem ecclesiasticæ disciplinæ præterquam ad lectiones in matutinis,vel quando alias creatori suo debitas cum deuotione laudes exoluent, flectentes genua, vel inclinantes pro tempore Dei.] Ad hoc custodiendum illud incitare nos posset, quòd dum priuatim recitamus,non minus quàm in choro, Deum ipsum oramus, & nomine Ecclesiæ loquimur, & eadem omnino bona nobis & aliis obtinere contendimus : ac proinde æquum est, vt eumdem modum (quantum fieri possit) orandi, & nos habendi teneamus. Iacob vestibus Esau valde bonis se induit,vt à patre suo,quam soli Esau dare decreuerat,benedictionem acciperet. Ita qui cupit bona Ecclesiæ promissa, nimirum bona cœlestia, aut ad ea consequenda à Patre misericordiarum accipere,vestibus Ecclesiæ se induat, eiúsque sacras cæremonias pro sua possibilitate custodiat. Ea sanè,quæ in choro reuerentiam & deuotionem excitant, apta sunt extra illum ad similes adfectus prouocare:quare non sunt ab illis, qui apud se recitant horas, ex toto prætermittenda, si in nonnullis seruari ac retineri queant. Hoc autem facto non solùm deuotioni consulimus, sed & Ecclesiæ instituta nobis cordi esse monstramus,quæ vel in occulto nõ prætermittimus,Idque Deo esse pergratum nemo non videbit,qui à Domino Ecclesiam diligi,ac eius scita cognoscit.

Extra chorum orantes quomodo se gerãt.

Bonau. in Specul. p.2. c.10.

Gen.27. 6.

Humber. de erud. relig.lib. 4. p. 3. c. 2.

Genibus flexis recitare quàm optimũ.

Oportet tamen ad particularia descendere, & multiplicem habitum corporis, quem in priuatim orantibus vidimus, ac quid de vnoquoque eorum sentiamus, aperire. Quidam genibus flexis horarum canonicarum pensum exoluunt. Tum, vt mancipiorum more coram vniuersorum Domino reuerentiùs assistant: tum, vt simul, & eodem tempore voce orent, ac carnem dominent: tum, vt illa externa humilitate corporis faciliùs attendant, ac deuotionem conseruent. Horum sanctum feruorem, ac pium desiderium vehementer laudamus. Est enim genuflexio, vt Amalarius ait, humilitatis; vel, vt Rabanus, pœnitentiæ & luctûs indicium; & ad eam, vt Hieronymus censet, animi proficere desiderantis anxia cura feruórque sollicitat. Daniel certè solitus erat sic orare. Nam ingressus domum suam, & fenestris apertis in cœnaculo suo contra Ierusalem tribus temporibus in die flectebat genua sua, & adorabat, confitebatúrque coram Deo suo. Et Stephanus positis genibus clamauit voce magna, dicens: Domine, ne statuas illis hoc peccatum.] Et de Bartholomæo Apostolo memoriæ proditum est, quòd centies in die, & centies in nocte ad orandum flexerit genua. Et hic modus orandi legi gratiæ maximè congruit: nam serui stant, cùm regem expectant; at cùm adest, & iuxta illos transit, genu flectunt. Nos autem iam Christum Regem non expectamus venturum ad redimendum humanum genus, sed cum iam venisse confitemur, & præsentem habemus. Cuius vox est per Isaiam: In memetipso iuraui, egredietur de ore meo iustitiæ verbum (quod est lex euangelica) & non reuertetur: quia mihi curuabitur omne genu.] Et Paulus: Vt in nomine Iesu omne genu flectatur, cœlestium, id est, Angelorum: terrestrium, id est, hominum: & infernorum, id est, dæmonum. Nam quia genuflexio signum est subiectionis, sicut homines genua Christo flectentes se Christi seruos esse fatentur: ita Angeli, & dæmones non genuflexione, quæ sine corpore haberi non potest, sed cognitione, & adfectu licèt dissimili eamdem Christo subiectionem se habere profitentur. Hæc profectò ita sunt: sed non est hic modus recitandi horas canonicas omni ex parte spiritui Ecclesiæ conformis, quæ non nisi in quibusdam partibus officij diuini præscribit genua flectenda, & tempore Paschali, ac Dominicis diebus, vt Rabanus adnotauit, & vsu receptum est, genuflexionem prohibet. Qui ergo flexis genibus horas canonicas dicunt, bene faciunt; sed cæteris paribus (mea sententia) meliùs facerent, si alium corporis habitum Ecclesiæ congruentiorem seruarent, & orationi mentali, aut aliis precationibus hunc modum orandi relinquerent.

Amalar. lib. 2. de offic. c. 3. Raban. lib. 2. de instit. cleric. c. 41. Hier. lib. de vita Paula. Daniel. 6. 10. Actor. 7. 50.

Isaia 45. 23.

Philip. 2. 10.

Stantes recitare Laudabile, & Ecclesiæ cõsonum. Regul. c. 9. Cassian. lib. 2. de instit. c. 5.

Alij stantes canonicas horas dicunt: & hi certè, si stationi suæ reuerentiam adiungant, multo magis ad Ecclesiæ spiritum accedunt. Cuius fuit vetus consuetudo (vt ex regula Benedicti colligitur, tempore lectionum cessionem monachis indicentis) Psalmos ab stantibus, & non à sedentibus recitari. Quin & Cassianus ait, cùm de Psalmorum dicendorum numero pia esset apud antiquos illos exorta contentio, Angelum in specie hominis surrexisse, & duodecim Psalmos suaui modulatione cantasse, & statim ab omnium oculis repentè subtractum, finem exortæ de Psalmorum dicendorum numero imposuisse quæstioni. Ac alio loco monachorum suæ regionis consuetudinem reprehendens, statim post dictum Psalmum genua flectentium, & eorumdem Ægyptiorum vsum laudans, hæc ait: Apud illos verò non ita est, sed antequam

Sup. c. 7.

A flectant genua paulisper orant, & stantes, in supplicatione maiorem temporis partem expendunt. Itaque post hæc puncto breuissimo procidentes humi, velut adorantes tantùm diuinam clementiam summa velocitate consurgunt, ac rursus erecti, expansis manibus eodem modo, quo priùs stantes orauerant, suis precibus intentiùs immorantur. Humi namque diutius procumbentes, non solùm cogitationibus aiunt, verumetiam somno grauiùs impugnari. Amalarius etiam Treuerensis Episcopus manifestè docet Psalmos ab stantibus debere cantari. Quapropter, inquit, quando cantamus Psalmos, solemus stare, vt ex statu corporis demonstremus effectum nostræ mentis, hoc est, paratos nos esse siue ad domandam carnem nostram,
B seu ad exercitium operis in caussa nostra, & fratrum.] Ac tandem à Seraphico Patre Francisco hic mos tam inuiolabiliter seruabatur, vt (auctore Bonauentura) nec ægritudine pressus, nec in itinere constitutus voluerit ab illo deuiare. Solitus erat vir sanctus, inquit, horas canonicas non minus timoratè Deo persoluere, quàm deuotè. Nam licèt oculorum, stomachi, splenis, & hepatis ægritudine laboraret, nolebat tamen muro, vel parieti inhærere, dum psalleret, sed horas semper erectus, & sine caputio, non gyro vagis oculis, nec cum aliqua syncopa persoluebat. Si quando esset in itinere constitutus, figebat tunc temporis gressum, huiusmodi consuetudinem reuerentem, & sacram propter pluuiarum inundantiam non amittens. Dice-
C bat enim si quietè comedit corpus cibum suum, futurum cum ipso vermium escam, cum quanta pace & tranquillitate accipere debet anima cibum vitæ?] Hunc ergo habitum corporis ad dicendas horas iudicamus aptissimum. Sic enim nos exhibemus sollicitos famulos expectantes Dominum nostrum, quando reuertatur à nuptiis, vt cùm venerit, & pulsauerit, confestim aperiamus ei. Ipse quoque status corporis rectus segnitiem pellit, mentis reuerentiam præfert, & cor sursum in cœlestia dirigit.

Amalar. lib. 4. de offic. c. 3.

Bonau. in vita, cap. 10.

Alij non iam genu flectunt, nec stant ad horas canonicas, sed sedent. Et hic modus se habendi taxandus non est, præsertim si ita orantes modestè & humiliter sedeant: & dignus est laude, si aliqua ratio iusta sedendi, vt lassitudo corporis, aut imbecillitas, aut pia alteri, cum quo recitãt, se conformandi volũtas intercedat. Nam & in hoc tempore, in quo vel spiritus feruor intepuit, vel corporum humanorum vigor aliqua ex parte defecit, in choris Ecclesiasticorum, & religiosorum psallentes sedent. Quod cùm Ecclesia vsu probauerit, non potest non etiam extra chorum laudari. Certè Dauid aliquando hunc orandi modum admisit, de quo legimus: Cúmque venisset Rex Dauid, & sedisset coram Domino, dixit: Quis ego sum, Domine, & quæ domus mea, vt præstares mihi talia? &c.] Cassianus de monachis Ægyptiis loquens hunc morem eos ex parte recepisse sic scribit: Hunc sanè canonicum, quem prædiximus, duodenarium Psalmorum numerum, tali corporis quiete releuant, vt has easdem congregationum solemnitates ex more celebrantes, absque eo, qui dicturus in medium Psalmos surrexerit, cuncti sedilibus humilibus insidentes, ab ore psallentis omni cordis intentione dependeant. Ita namque ieiuniis & operatione totius diei noctísque lassescunt, vt nisi huiuscemodi refectione adiuuentur, ne hunc quidem numerum stantes implere valeant.] Qui tamen sic sedens diuinum officium exoluit, debet

Qui sedẽtes recitant nõ taxandi.

1. Paral. 17. 16.

Cassian. 2. de instit. c. 2.

sanè

sanè (si commodè potest) secundùm consilium Bonauenturæ ad aliquas saltem partes horarum assurgere, quas ille signat, ita scribens: Si quando eos ad sedendum debilitas euidens, vel nimia lassitudo compellat; saltem ad inceptionem officij, ad inuitatorium, hymnos, & orationem Dominicam,& à capitulo in ante surgere non omittant. Si etiam in lecto ægritudinis decumbant, reuerētiam nihilominus aliquam faciant, prout possunt.] Hoc melius & perfectius esset; qui tamen humiliter sedens totum officium diceret,nihil perfectioni contrarium admitteret; ex quo nullum est Ecclesiæ mandatum,quod in his partibus officij, aut genu flectere, aut stare præcipiat.

Bonau. in specul. p. 2. c. 19.

A quibusdam tamen in dubium vocatum est, an deceat deambulando canonicarum horarum pensum exoluere? Hoc enim perfectioni aduersum non esse tum ex eo colligi potest, quòd Ecclesia sæpe procedendo aliquas preces fundit. Hánc-que processionum faciendarum consuetudinem antiquissimam esse ex Tertulliano, Hieronymo, Basilio, & aliis manifestè cognoscitur. Tum etiam ex eo, quòd B. Catherinæ Senensi Christus apparens cum ea in cella ambulans Psalmos aliquando recitauit.Quod si reprehensioni pateret,numquam Dominus tali reuelatione probasset. Sed nobis visum est horas canonicas non esse deambulando promendas, nisi ad id vrgens aliqua necessitas cogat. Huiusmodi autem esset necessitas itineris,in quo,ne à comitibus discedamus,& vt ad locum,in quem pergimus, accedamus, nos sistere ad orandum non possumus.Necessitas etiam corporalis salutis ad quam seruandam remedium est aliquantulum ambulare,& alia commoditas, nisi cùm precaturi sumus,deambulandi non adest. Ac tandem necessitas temporis;nam nisi ambulando horas dicamus, tempus postmodum ad precandum deerit. In his & aliis euentibus similibus non esset indecens horas deambulando persoluere. Extra illos verò non est laudabile deambulando precari: quia (vt experientia demonstrat) ipsa motio corporis, licèt moderata sit, nonnihil cordis attentionem impedit, & nō multam reuerentiam secum adfert. Nec ex vsu procedendi ab Ecclesia retento potest exemplum trahi; quoniam Ecclesia numquam procedendo horas canonicas recitat; iustis verò aliis de caussis deambulando in processionibus diuinam Maiestatem exorat. Nempe vt vicos & plateas vrbis sacris vocibus expiet,in quibus pro verbis profanis & obscœnis amouendis, æquum est vt sanctæ voces insonent. Vt in solemni illa profectione ad Ecclesiam, reditum nostrum ad patriam cœlestem per Christum, cuius vexillum crucis sequimur, orans & gaudens aliquo modo signet. Vt cum omnibus filiis suis adultis, & paruulis in domum Domini orando accurrens magnum desiderium eius,quod postulat, pandat, & citiùs ac velociùs diuinam misericordiam inflectat. Vt pro itineribus opprobriorum plenis, quæ Saluator noster in passione sustinuit, cùm scilicet ab horto in domum Annæ,& Caiphæ,& Pilati, & in Caluariæ locum ductus est, illum cum maximo honore per vicos & plateas ciuitatis,vt ea sanctificet, reuerenter deferat. At ipsa preces canonicas quiescens, stando, aut sedendo dicit,& nos, qui filij Ecclesiæ sumus, & nomine eius horas dicimus, debemus habitū corporis, nisi necessitas aliud exigat, quem nos docet, æmulari. Ac illud in vniuersum dicendum est, vt siquidem horas recitantes cum Deo loquimur, & pro matre Ecclesia loquimur, & de rebus ad salutem animæ pertinentibus loquimur; ita nos exteriùs comparemus,vt magnam reuerentiam orando præferamus.

Deceat ne deambulando horas recitare.

Tertull. ad vxor. lib. 2. c. 4. Hieron. epist. 22. Basil. ep. 63.

De sono vocis horis canonicis adhibendo.

CAPVT VII.

ECCLESIA Catholica cùm in choro, ac in templis sacras has preces fundit, consueuit eas non simpliciter legendo proferre, sed dulci modulatione cantare. Qui vsus sicut vtilissimus, ita & vetustissimus est,& ab illo antiquo Dei populo sumsit exordiū. Victis enim Ægyptiis,& mari rubro submersis,cecinit Moyses,& filij Israël carmen Domino. Et iterum ante mortem suam idem Moses locutus est, audiente vniuerso cœtu Israël, verba carminis huius,& ad finem vsque compleuit.Et in libro Paralipomenon de quibusdam dicitur: Isti sunt, quos constituit Dauid super cantores domus Domini, ex quo collocata est arca, & ministrabant coram tabernaculo testimonij, canentes donec ædificaret Salomon domum Domini.] In lege autem noua Christus ipse canēdi morem primus inuexit. Nam hymno dicto,ab ipso nempe Domino,& à discipulis,exierunt in montem Oliueti. Est autem hymnus, vt etiam Augustinus notauit, laus Dei cum cantico. Vnde verosimilius est Saluatorem nostrū verba aliqua post cœnam in gratiarum actionem cantasse. Quod & manifestè sentit Chrysostomus, dicens:Hymnum cecinit, vt & nos similiter faciamus.] Paulus quoque vt nos canticis exerceamus monet:Implemini Spiritu sancto, loquentes vobismetipsis,in Psalmis,& hymnis,& canticis spiritualibus, cantantes & psallentes in cordibus vestris Domino.] Et rursus: Commonentes vosmetipsos Psalmis,& hymnis,& canticis spiritualibus,in gratia cātantes in cordibus vestris Deo.] Canit autem Ecclesia Psalmos,& hymnos,vt ab obscœnis voluptatibus animos fidelium auertat,vt suaui modulatione vocum oblectet; vt ad deuotionem, & sanctos adfectus, quos infrà referemus, fortiùs exsuscitet;vt patriæ cœlestis desideria succendat;vt erga Christum summum Regem more reipublicæ fidelis se gerat,quæ solet ad oblectationem suorum regum festa cum canticis, & instrumentorum harmonia celebrare.Nec voto frustratur suo;quoniam gaudium Domini est, si nos his in honorem eius assumtis,ad compunctionem excitemur,& meritorum accessione crescamus. Meritò ergo sanctus Ephrem Syrus de Psalmis in laudem Domini decantatis, hæc ait: Psalmus enim dæmonas propellit;Psalmus telum in timoribus nocturnis;Psalmus diurnorum requies laborum; Psalmus infantibus tutela; Psalmus senibus consolatio,mulieribus ornamentum decentissimum. Hic festa collustrat:hic eum, qui secundùm Deum est, dolorem procreat. Psalmus siquidem,ex lapideo licèt corde, lacrymas excitat.Psalmus Angelorum opus;cœlestis vitæ ratio,& institutum,spiritalisque quidam suffitus.Hic mentem illuminat,hic in cœlum reducit,hic homines Deo familiares colloquio reddit;animam lætificat,otiosas collocutiones remouet, risumque exterminat, de iudicio nos admonet, dissidentes reconciliat. Vbi Psalmus cum compunctione, ibi & cum Angelis suis Deus adest.Vbi autem aduersarij cantica,ibi ira Dei,& væ,remuneratio risus. Vbi li-

Quàm sit antiquus canendi vsus.

Exodi 15. 1.

Deuter. 31. 30. 1. Paral. 6. 31.

Matth. 26. 30. Augustin. ad Psal. 70. Chrysost. homil. 83. in Matt.

Ephes. 5. 19.

Coloss. 3. 16.

Ephrem quòd ludicris rebus abstinendū.

bri ſacri, & lectiones, ibi lætitia iuſtorum, & auſcultantium ſalus, ac diaboli confuſio. Vbi autem citharæ,ac chori, & plauſus manuum; ibi virorum tenebræ, & mulierum perditio, Angelorum triſtitia,& diaboli feſtum.] Hactenus ille.

Quid in cãtu vitandum.

Cantus igitur vtilis eſt in Eccleſia; ſed enitendum eſt, ne id, quod per ſe vtile eſt filiis Eccleſiæ, aut inutile, aut etiam noxium ex ipſorum cantantium culpa reddatur. Ac proinde fugienda eſt in cantu omnis leuitas, omnis diſſolutio, & ea, quæ ſæpe ex ſuauitate vocis,aut ex peritia muſicæ ſubrepere ſolet, inanis gloria vitanda. Nam quales ſint,qui in his delinquunt,quàm nimirum diſtracti, & ab ſpiritu virtutis alieni, Hugo Victorinus ſic pulchrè deſcribit: Sunt etiam alij voce diſſoluti, qui vocis ſuæ modulatione gloriantur:nec tantùm gaudent de dono gratiæ, ſed etiam alios ſpernunt tumentes elatione, aliud cantant, quàm libri habeant, & aliud forſitan iterum dicturi, ſi ſint illud idem iterum cantaturi. Tanta eſt leuitas vocis,forſitan & mentis. Cantant forſitan vt placeant populo magis, quàm Deo. Qui ſic cantant, non cantant cum Maria ſorore Moyſi; ſed in palatio cum Herodiade,vt placeant diſcumbentibus, vel Herodi. Timeo autem ne ſicut delectantur altitudine vocis,delectentur etiam elatione mentis.Nemo tamen altiùs cantat eo, quem Dominus exaudire conſueuit de monte ſancto ſuo: nemo dulcius, quàm cui Dominus inclinat aurem ſuam. Voce mea(inquit Dauid)ad Dominum clamaui;& exaudiuit me de monte ſancto ſuo. Eſto igitur in valle humilitatis; vt in monte ſancto exaudiri merearis Si ſic cantas,vt ab aliis laudem quæras, vocẽ tuam vendis, & facis eam non tuam, ſed ementi ſuam. Caue ne monaſterium vertas in theatrum. Habes in poteſtate tua vocem tuam; habeto & animum: frangis vocem,frange & voluntatem: ſeruas conſonantiam vocum,ſerua & concordiam morum;vt per exemplum concordes proximo, & per voluntatem Deo,per obedientiam magiſtro.Hæc eſt concordia morum.] Sic ille.Et profectò miſerũ eſt inſtrumenta cõpunctionis in diſtractionẽ vertere,& ex his,quæ nos amore Dei flammare debuerãt,non amorem,ſed culpam, & offenſam amoris cõparare.

Hug.lib. 2.de clauſtro animæ,c.22.

Cantus quos debeat habere comites. Turrecr. ad c. 18. reg.trãc. 78.

Habeat ideo cantus ſpiritualium virorum illos comites, quos Cardinalis Turrecremata regulam ſancti Benedicti exponens, in vnum collegit. Pſallant illi hilariter, vt ex corde ſuo omnem noxiam triſtitiam feruoris inimicam expellant, iuxta illud ſacri Vatis:Præoccupemus faciem eius in confeſſione; & in Pſalmis iubilemus ei.] Iubilare enim eſt interiorem lætitiam externis ſignis oſtendere. Pſallant diligenter,vt in Dei opere,quod tanti momenti eſt, omnem culpabilem negligentiam abiiciant. Nam conſilium eſt Eccleſiaſtici:In omnibus operibus tuis eſto velox.] Si verò operibus noſtris adhibenda eſt diſcreta celeritas; quanto magis in eo opere, quo & nobis meritum conquirimus, & Deo cultum exhibemus? Pſallant vigilanter, ne ſomno vincantur, & preces ſuas puerili hac imbecillitate commaculent. Bene pſallite ei in vociferatione, ait ſanctus Dauid:ille autem in vociferatione pſallit, qui vigilans, & ſomnum excutiens precibus ſacris intendit. Pſallant plenè, & vocis exilitatem fugiant, vt ſe in obſequio Dei viros oſtendant. Dauid quippe ludebat coram Domino omni virtute in canticis,& citharis: nos autem eidem Domino canimus, à quo neutiquam minora recepimus. Pſallant altè, vt aliorum vocibus conſonent; & ſe libenter cantare demonſtrent. Pſallant integrè, vt ſuum debitum iuſtè reddant, & ex hoſtia à ſe oblata nihil abſcindant. Sic Pſalmos dicant,vt reddant vota ſua de die in diem,id eſt, vt quod recitare debent, ſine vlla imminutione perſoluant. Pſallant tandem viriliter: ita ſcilicet, vt conatum ſuum in precibus ponant,& in omni virtute ſua debitum obſequium impendant. Hæc omnia breuiter Bernardus in hunc modum edocuit. Vnde vos moneo, dilectiſſimi, purè ſemper, ac ſtrenuè diuinis intereſſe laudibus. Strenuè quidem, vt ſicut reuerenter, ita & alacriter Domino aſſiſtatis; non pigri, non ſomnolenti, non oſcitantes, non parcentes vocibus, non præcidentes verba dimidia; non integra tranſilientes, non fractis & remiſſis vocibus muliebre quiddam balba de nare ſonantes; ſed virili (vt dignum eſt) & ſonitu,& adfectu voces ſancti Spiritus depromentes. Purè verò vt nil aliud, dum pſallitis, quàm quod pſallitis,cogitetis.] His videtur cantãtibus in choro ſatis eſſe conſultum.

Bernard. ſerm.47. in Cant.

Eccli.31. 27.

1

2.Reg.6. 21.

Qui verò non cantando, ſed legendo canonicas preces fundunt, habent etiam,quod in prolatione eorum, quæ dicunt, obſeruent. Nec adeò ſubmiſſa voce horas dicant,vt à ſeipſis,& à propè ſtantibus audiri non poſſint. Sed talem in voce moderationem obſeruent, vt ſeipſos audiant, & ab iis, qui propiùs accedunt, audiri valeant. Diſtinctè omnia verba proferant,nec ſyllabas aliquas,vel voces deglutiendo dicenda confundant.Difficultatem verò in hac re ab incuria, & inconſideratione præterita exortam conatus in contrarium vincit, & diſtinctam ac claram prolationem inducit. Grauiter, & aliquantulum cunctanter precationes efferant, & omnem feſtinationem in legendo, aut loquendo ſuſpectam habeant. Seipſos cum hominem magnæ auctoritatis, & de re maximi momenti adloquuntur, animaduertant. Et ſi tunc ſenſus ſuos cum quadam grauitate, & verborum cunctatione aperiunt:cur Deum de animæ ſalute adloquentes properè,& feſtinanter, & vt homines inſani verba depromunt? Audiant hi Cyprianum modum orandi grauiter declarantem. Sit, inquit, orantibus ſermo,& precatio cum diſciplina quietem continens, & pudorem. Cogitemus nos ſub conſpectu Dei ſtare: placendum eſt diuinis oculis;& habitu corporis,& modo vocis. Nam vt impudentis eſt clamoribus ſtrepere: ita contrà congruit verecundo modeſtis precibus orare. Denique magiſterio ſuo Dominus ſecretò nos orare præcepit,in abditis, & ſemotis locis, in cubiculis ipſis, quod magis conuenit fidei; vt ſciamus Deum vbique eſſe præſentem,audire omnes, & videre,& maieſtatis ſuæ plenitudine in abdita quoque, & occulta penetrare; ſicut ſcriptum eſt: Ego Deus approximans,& non Deus de longinquo.Si abſconditus fuerit homo in abſconditis, ego ergo non videbo eum? Nónne cœlum & terram ego impleo? Et iterum: In omni loco oculi Dei ſpeculantur bonos & malos. Et quando in vnum cum fratribus conuenimus,& ſacrificia diuina cum Dei ſacerdote celebramus, verecundiæ & diſciplinæ memores eſſe debemus. Non paſſim ventilare preces noſtras inconditis vocibus, nec petitionem commendandam modeſtè Deo, tumultuoſa loquacitate iactare. Quia Deus non vocis,ſed cordis auditor eſt.Nec admonendus eſt clamoribus, qui cogitationes hominum videt, probante Domino, & dicente: Quid cogitatis nequam in cordibus veſtris? Et alio loco: Et ſcient omnes Eccleſiæ, quia ego ſum ſcrutator renis, & cordis.] Hactenus ille.

Quid ſeruandum horas recitantibus non verò canentibus.

Cyprian.

Horæ nõ interpellandæ. Id exemplis firmatur.

Sine vrgente neceſſitate interruptiones non faciant,ſed ſingulas horas continuè,& quaſi vno ſpiritu dicant.Signum eſt irreuerentis animi orationẽ huius vitæ negotiis abrumpere, & propter homines à diuino colloquio ceſſare.Placétque mihi maximè factum cuiuſdam Theologi, cuius Bonauentura meminit; qui cùm cœpta hora canonica Epiſcopum Pariſienſem in ſuam domum ingredientem vidiſſet, inclinato ad eum capite in ſignum reuerentiæ,horam, eo expectante, finiuit. Oratione verò completa ad pedes Epiſcopi accurrit,& lepida ac optima ſe excuſatione protexit, quare ſtatim non accurrerit; quia nimirum cum meliori & maiori Domino loquebatur. Idem de ſancto Ludgero Epiſcopo Monaſterienſi eius narrat hiſtoria. Nam vocatus tertiò nomine Caroli Magni Imperatoris, cùm ad finem vſque officij diuini ire diſtuliſſet, & non ſine ſupercilio de cauſſa moræ eſſet interrogatus,libera fronte reſpondit: Ego,Imperator,tuum mandatum ita in omnibus exequendum putaui, vt Deum tibi vbique præferendum non dubitarem. Epiſcopo ſanè digna reſponſio; quæ tãtum abfuit, vt principem Chriſtianiſſimum offenderit, quòd potiùs ſacerdotem tam fideliter diuinis additum deinceps in maiori pretio haberet. Ad hanc etiam rem facit, quod narrat Theodoretus de Iacobo eremita ſanctiſſimo, qui interrogatus,quare nonnumquam eis,à quibus ædificationis gratia quærebatur, non reſponderet, hæc verba, vt cauſſam aperiret,ſubiecit:Quomodo non fuerit valde reprehendendum,& valde ſtultum interrumpere quidem ſeriem orationis, interim autem loqui cum hominibus? Si enim hominis, qui eſt eiuſdem, cuius ego, naturæ, eſſem famulus, eo autem tempore,quo eſt miniſtrandum Domino dimittens in tempore adferre cibum, vel potum, confabularer cum aliquo ex conſeruis,quot plagas iure acciperem? Si autem cùm etiam acceſſiſſem ad præſidem, & qua ab aliquo adficior, narrans iniuriam, ſermonem quidem in medio interrumperem; apud aliquem autem ex præſentibus aliqua alia verba facerem; non tibi videtur iudex id ægrè eſſe laturus,& auxilium quidem eſſe denegaturus, flagris autem præterea eſſe cæſurus, & à tribunali eiecturus? Quomodo ergo eſt honeſtum, vt ſeruus quidem in dominum, qui autem ſupplicat in iudicem ita vt oportet ſe gerat:ego autem ad Deum,& æternum Dominum, & iudicem iuſtiſſimum, & omnium Regem accedens,ne ſimiliter quidem, atque ij,accedam;ſed inter orandum, me conuertam ad conſeruos, & prolixo cum eis vtar ſermone?] Hæc ille.

Surius in vita.

Theodor. in ſacra hiſtor.21.

Iſaiæ 61. 18.

Integrè recitent; ita ſcilicet,vt nihil à ſe dicendum omittant. Eſt enim Dominus, vt eſt in Iſaia, diligens iudicium, & odio habens rapinam in holocauſto. Quòd ſi diuinum officium quaſi holocauſtum eſt,quicquid (debitum cùm ſit) non profertur,quaſi ex holocauſto ſurripitur. Ac tandem preces horariæ ſuo ordine proferantur: ita nimirum,vt quæ præcedere debet, præcedat; quæ ſubſequi, ſubſequatur: immo & in quacumque hora nulla ordinis admittatur inuerſio; ſed ſecundùm quod ab Eccleſia inſtitutum eſt, ſingulæ partes cuiuſque horæ dici debent. His, quæ diximus, cuſtoditis,omnia complebimus, quæ ad diſciplinam exteriorem orandi vocaliter pertinere videntur; nunc interiora, & magis neceſſaria in ſequentibus proſequamur.

De præparatione ad horas canonicas.

CAPVT VIII.

1.Cor.15 45. Ante canonicas horas orãtis mẽs paranda.

NON priùs, quod ſpirituale eſt, inquit Paulus, ſed quod animale, deinde quod ſpiritale.] Quo verbo docet ſummum creatorem Deum in primo parẽte prius ſaltem natura (vt aiunt) ſubſtantiam hominis, quàm gratiam condidiſſe. Nos verò ad hoc adducimus, vt lectorem ordinis admoneremus, & vt poſtquam primũ,ſcilicet animale,ac corpus ipſum in modo orandi compoſuimus; iam ſecundo loco ſpiritale,mentem videlicet, erudiamus.Mens ergo vt reuerenter, attentè ac deuotè ſuas preces fundat,ad orandum ſe præparet neceſſe eſt.Nam & in Eccleſiaſtico legimus: Ante orationem præpara animam tuam; & noli eſſe quaſi homo,qui tentat Deum.] Quemadmodum enim,qui Deum tentat, atque eius ſapientiam,aut potentiam irreuerenter explorat, ipſum irritat:ita imparatus ad orationem accedens eius etiã indignationem prouocat. Tentat Deum, qui abſque conuenientibus mediis finem curat adipiſci;vt ſi vellet abſque ſumtione cibi vitam ſeruare.Similiter tentat Deum,qui abſque præparatione aliqua vult attentè atque deuotè orare, & donum aliquod obtinere. Et quidem locum hunc Bonauentura de oratione vocali intellexit; ait enim: Tunc orator dicitur tentare Deum, quando abſque cordis præparatione currit ad vocalem orationem, & petit ibi diuinam ſpeculationem.Sic vix,aut numquam poterit impetrare, quia talis dicitur non deuotus orator, ſed potiùs verborum latrator.] Ante canonicas ergo preces orantis mens paranda eſt,& ab omni euagatione colligenda,vt poſſit attentè ac deuotè precari.Abraham filium Domino immolaturus, antequam in montem aſcenderet,iumentum & pueros ad montis radicem dimiſit. Expectate,dixit,hîc cum aſino,ego, & puer illuc properantes, poſtquam adorauerimus reuertemur ad vos.] Et nos cùm publicas preces fundimus, ad immolandum aſcendimus;curas igitur corporis,& negotiorum memoriam ante acceſſum ad locum orationis dimittamus. Sic Bernardus docet eſſe faciendum. Veniens, inquit,ad Eccleſiam pone manum tuam ſuper os tuum, & dic: Expectate hîc cogitationes meæ, intentiones & adfectus cordis, & appetitus carnis:tu autem, anima mea, intra in gaudium Domini Dei tui, vt videas voluntatem Domini,& viſites templum eius.] Qui regem de re aliqua magni momenti eſt adloquuturus,omnibus aliis negotiis pro tunc abiectis, totus attentus,& meditabundus accedit.Horas autem canonicas prolaturus ad Deum vadit,vt illum pro ſalute animæ ſuæ,& aliorum exoret.Quàm paratus vadat neceſſe eſt, vt iuxta votum ſibi poſtulatio ſuccedat. Sed,heu, ipſe vſus precandi nos inſenſibiles fecit; & quia quottidie ſæpius precamur, & tantum donum ſubinde recipimus, donorum larga donatione obdureſcimus. Cùm tamen è contrario ipſe vſus deberet nos in ſingulos dies ad accuratiorem apparatum, & maiorem feruorem mouere.

Eccli.18. 23.

Bonau. reg. nouit.c.2.

Gen. 22. 5.

Bernard.

Qualis futurus præparationis modus.

Iam interrogas qualis ſit oporteat iſta præparatio?Multi orationem aliquam vocalem prẽparationem eſſe cenſent;qua nos deſiderium bene precandi, & gratiam Domini ad id neceſſariam fateamur. Vnde Bloſius vir ſanè piiſſimus,cùm reuelationem B. Mechtildi factam retuliſſet, qua dictum eſt illi gratiſſimum eſſe Deo,vt canonicum officium exo-

luturus,

Bloſius in moni-li.c.3. Primus modus.

luturus, illud vniat orationibus Domini noſtri Ieſu Chriſti, hæc ſubiicit: Itaque quilibet inchoaturus horas, quas legere obligatur, poteſt corde, vel etiam ore, hoc, aut ſimili modo orare: Domine Ieſu, ego humiliter pro tui honore obedire, & tibi fideliter ſeruire, teque purè laudare deſidero, in vnione illius perfectiſſimæ attentionis, qua tu Patrem oraſti, & laudaſti in terris: adiuua me gratia, quia ſine te nihil poſſum.] Et ſtatim addit: Hac ratione exercitium eius mirè nobilitabitur, Deóque Patri plurimum placebit: nam reputabitur quaſi vnum exercitium cum Chriſti exercitio, ſicut modica aqua miſſa in vinum, & vino vnita iam vinum reputatur.]

Secundus modus.

Alij ſic orant: Aperi, Domine, os meum ad benedicendum nomen ſanctum tuum; munda quoque cor meum ab omnibus vanis, peruerſis, & alienis cogitationibus: intellectum illumina: affectum inflamma, vt dignè, attentè, ac deuotè hoc officium recitare valeam, & exaudiri merear ante conſpectum diuinæ maieſtatis tuæ. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Amen. Domine, in vnione illius diuinæ attentionis, qua ipſe in terris laudes Deo perſoluiſti, has tibi horas perſoluo.

Tertius modus.

Alij ſic: Ad laudem & gloriam omnipotentis Dei & Domini noſtri Ieſu Chriſti, ac beatiſſimæ virginis Mariæ, & omnium Sanctorum, & ſanctarum. Veni ſancte Spiritus, reple tuorum corda fidelium; & tui amoris in eis ignem accende. Et tu, clementiſſime Pater, corda noſtra poſſide, vt debitas tibi laudes decantare poſſimus. Qui viuis, & regnas Deus in ſæcula ſæculorum. Amen.

Hæc, & alia ſimilia bona ſunt, ſed non videntur ex toto efficacia, vt poſſint mentem ad orandum colligere. Cùm enim vocalibus orationibus annumerentur, niſi intentiſſimè fiant, opus eſt ad ea deuotè fundenda animum alia interiori præparatione parari. Optima ergo ad horas præparatio eſt conſideratio aliqua mentem colligens, & ad deuotionem accendens. Hæc autem erit, ſi quis maieſtatem Dei, ad quem oraturus accedit, & ſuam vilitatem, & momentum eius, quod eſt poſtulaturus, conſideret. Dionyſius Richelius hanc præparationem illo verbo putat eſſe mandatam, quo dicitur: Ante orationem præpara animam tuam. Sic ille ait: Porrò ante orationem præparare animam ad orandum, eſt cum debita reuerentia ad orandum accedere; vt ſcilicet antequam coram Deo cor ſuum homo effundat, precéſque offerat, diligenter attendat propriam indigentiam, atque miſeriam; propriam defectuoſitatem, vitioſitatem, & ad omnia vitia pronitatem, pericula quoque, quibus expoſitus eſt: deinde Dei maieſtatem immenſam, dignitatem, ſanctitatémque infinitam, pietatem, omnipotentiam, liberalitatem, & opulentiam interminatam, omnem etiam charitatem, & gratiam Dei circa genus humanum: ſícque ex conſideratione propriæ vilitatis, & indigentiæ, atque ex conſideratione maieſtatis, ac pietatis diuinæ, accedat ad orationem, & oret cum humilitate profunda, cum ingenti cordis cuſtodia, & cum ardenti adfectu, & filiali timore: item cum magna fiducia, cum inceſſanti inſtantia, & ſtabili mente.] Hugo Victorinus ad eamdem præparationem hortatur, ſic ſcribens: Sic ergo orationi ſancta meditatio neceſſaria eſt, vt omnino perfecta eſſe oratio nequeat, ſi eam meditatio non comitetur, aut præcedat. Nam & ij, qui mala ſua conſiderare negligunt, aut nihil petendo, aut aliud, quàm oportet, petendo, facile per ignorantiam falluntur; aut certè minus quàm oportet dignè petendo, per deſidiam tepeſcunt. Primùm igitur neceſſe eſt, vt ſi prudenter & vtiliter Dominum orare volumus, iugi meditatione animum noſtrum exerceamus, & in conſideratione miſeriæ noſtræ diſcamus, quid nobis neceſſe eſt petere: in conſideratione autem miſericordiæ Dei noſtri, quo deſiderio debeamus poſtulare.] Et poſt multa concludit: Quiſquis huiuſmodi meditationibus ante orationis tempus animum ſuum exercuit, nec improuidus fortaſſis, nec tepidus ad orationem venit. Meditatio namque aſſidua ſcientiam parit: ſcientia verò parta ignorantiam pellit, & compunctionem parit: compunctio autem parta deſidiam fugat, & deuotionem parit, deuotio verò orationem perficit.]

Iuſtinian. de diſcipl. monaſt. c.17.

Laurentius Iuſtinianus optimum genus præparationis exiſtimat, ſi vir ſpiritualis conetur omnes diſperſiones ſui cordis abigere, & in meditatione diuinæ præſentiæ ſuam mentem ſtabilire, & quid ſit acturus ſeriò curet expendere. Priuſquam, inquit, in templum Domini intrent, antequam Domino aſſiſtant, & diuinas erumpant in laudes, toto conamine, & quadam animi virtute de ſuis cordibus, atque de memoriæ domicilio abiiciant omnem terrenam occupationem, & labẽtium adfectionem; ita vt (ſi dicere fas eſt, & poſſibile agere) ſolo ſpiritu ingrediantur. Reuocare quippe non negligant cunctam animi ſui intentionem, & cordis ſui diſperſionem in vnum, vt ſibiipſis dicant: Venite, exultemus Domino, iubilemus Deo ſalutari noſtro, præoccupemus faciem eius in confeſſione, & in Pſalmis iubilemus ei. Magnum namq; adiutorium, & efficax incitamentum ad purè diuinam laudem promendam eſt, cùm cor redit ad ſe, & diligenter intelligit quid acturum ſit. Nam quicumque abſque præmeditata intentione cantica profert cœleſtia, facilè vagatur mente, & elongatur à ſe, atque admittit immunda phantaſmata. Itaque qui cupiunt ſtrenuè ſpirituales perſoluere laudes, & pſalmodiæ ſacrificium Deo purè offerre, ſe repræſentent coram Dei tribunali, & ipſum in ſpiritu præſentem habeant, vti eſt; nihilque inter ſe & eum habere velint, ſed tamquam amicus cum amico colloquantur Domino.] Hæc omnia conſultò ex tribus ſpiritualis vitæ magiſtris retulimus, vt quanta ſit huius præparationis excellentia cernamus.

Omnia, quæ præparationi iſti deſeruiunt.

Sic igitur, vir Dei, ex dictis ſummam colligens, te ad officium diuinum offerendum parabis. Ante matutinas horas (vt vna fiat pro toto diuino officio longiuſcula præparatio) per aliquam morulam, primò teipſum colliges, curas & cogitationes omnes rerum quoque vtiliũ abiicies, & quàm magna attentione potueris, te Domino maieſtatis præſentem facies. Secundò cogitabis quanta ſit magnitudo eius, quàm multiplex perfectio eius, quámque mirabilis puritas eius, ad quem es verba facturus, & pro te, & pro aliis oraturus. Tertiò tuam vilitatem, & nihileitatem, & multitudinem peccatorum aſpicies; & ne ex tanta miſeria & abiectione puſillo animo fias, te Eccleſiæ membrum, Chriſti Saluatoris partem, & reginæ ſanctiſſimæ legatum ad recordationem adduces. Quartò ex his intra teipſum breue, ſed humile & ardens colloquium faciens, veniam ad preces fundendas petes, & eas pro illis neceſſitatibus, aut perſonis, pro quibus orare intendis, in vnione omnium meritorum Domini noſtri Ieſu Chriſti humiliter offeres. Sic profectò, aut alio modo, pro vt placuerit, non ore, ſed corde intentiſſimo,

Optima præparatio.

Dionyſ. lib. de vita incluſarum. art. 9. Dei maieſtas, propriáque miſeria conſideranda.

Victori. lib. de modo orandi. c. 1.

& adfectu ardentiſſimo dices : Domine Deus meus : ecce me, & omnia terrena nunc cogitatione defero, vt te ſolum vnicum bonum meum cogitem, adloquar, & concupiſcam. Verè tu es magnus, tu es Sanctus ſanctorum, Rex regum, Dominus dominantium, & perfectionis tuæ non eſt finis. Ego autem ſum miſerrimus peccator, & omnium fœditatum pleniſſimus: indignus planè, qui coram tam immenſa Maieſtate appaream, & os meum ad aliquid poſtulandum aperiam. Sed reſpice, Domine, in faciem Chriſti tui, cuius ſum membrum : reſpice in faciem ſponſæ tuæ Eccleſiæ catholicæ, cuius ſum filius, cuius etiam ſum legatus ad te deſtinatus ; & ob amorem, ac merita tam venerandi capitis, & tam ſanctæ matris gratiam ad reuerenter, attentè, ac deuotè orandum pro his, & his neceſſitatibus, aut perſonis, & pro mea exiguitate, & adimpletione huius mei deſiderij concede.

Qua ſit intentio in horis canonicis perſoluẽdis.

Circa intentionem autem, pro qua offerendum ſit officium diuinum, ſciendum eſt, illud, ſiquidem nomine Eccleſię dicitur pro intentione ipſius matris Eccleſiæ in vnione meritorum Chriſti eſſe offerendum. Ipſa verò intẽdit Deum miris laudibus extollere, & pro omnibus tum viuis, tum defunctis in purgatorio exiſtentibus deprecari. At miniſter Eccleſiæ poteſt huic generali intentioni ſanctæ matris noſtræ ſuam particularem intentionem adiicere. In hac verò intentione debet non tantùm pro ſe, ſed & pro aliis orare, ſuámque charitatem ad vniuerſos extendere. Vt enim inquit Ambroſius : Orandum præcipuè & pro populo doceris, hoc eſt, pro toto corpore, pro membris omnibus matris tuæ, in quo mutuæ charitatis eſt inſigne. *Ambr. 1. de Cain. c. 9.* Si enim pro te roges, tantummodo pro te rogabis. Et ſi pro ſe tantùm ſinguli orent, minor peccatoris, quàm intercedentis eſt gratia. Nunc autem quia ſinguli orant pro omnibus, etiam omnes orant pro ſingulis. Ergo vt concludamus, ſi pro te roges, tantùm vt diximus, pro te rogabis. Si autem pro omnibus roges, omnes pro te rogabunt. Siquidem & tu in omnibus es. Ita magna remuneratio eſt vt orationibus ſingulorum acquirantur ſingulis totius plebis ſuffragia.] Sed quia oratio ex omni parte communior ex noſtra culpa ſolet eſſe tepidior, quia minimè poſtulamus ardenter, dum ad neceſſitates noſtras, aut alienas non deſcendimus ; ideo bonum conſilium eſt in hac intentione ſpeciali per dies hebdomadæ omnia, quæ nobis, & aliis petenda ſunt, conuenienti quadam diſtributione partiri. Poteris ergo ſtatus totius orbis ſuffragiis indigẽtes in ſeptem partes diſtribuere, & tuas neceſſitates numero etiam ſeptenario cõcludere, & ſic canonicas horas ſpeciali tua intẽtione ad res in hac tabella expreſſas applicare.

Intentio multiplex pro diebus ſingulis.

Horas ergo Canonicas perſolues.

Die Dominica.
1. Pro Eccleſia Dei, ſtatu eccleſiaſtico, & ſæculari, & pro familia religioſa, aut congregatione, cuius es membrum.
2. Pro sãcta morte tua, & beatitudinis adeptione.

Feria ſecunda.
1. Pro conuerſione omnium infidelium, eorum præſertim, quibus fidei notitia numquam affulſit.
2. Pro remiſſione omnium tuorum peccatorum.

Feria tertia.
1. Pro illuminatione cunctorum hæreticorum & ſchiſmaticorum.
2. Pro adſequenda vera mortificatione tuarum paſſionum, & ſenſuum.

Feria quarta.
1. Pro iuſtificatione omnium peccatorum fidelium, qui nimirum ſunt in peccato mortali.
2. Pro adipiſcendo neglectu rerum terrenarum, & victoria tentationum.

Feria quinta.
1. Pro perſeuerantia iuſtorum, & maiori profectu perfectorum.
2. Pro gratia ad adſequendas vniuerſas virtutes.

Feria ſexta.
1. Pro parentibus, cognatis, benefactoribus, amicis, & inimicis.
2. Pro impetrando dono orationis, & intimæ familiaritatis cum Deo.

Sabbato.
1. Pro animabus pœnas purgatorias ſuſtinentibus.
2. Pro obtinenda perfectione charitatis.

Oratio horis canonicis offerẽdis.

Pro his itaque poteris cuiuſque diei horas offerre, ſícque corde proſequens ſupradictam præparationem finire. Offero, inquam, tibi, Domine totum officium huius Dominicæ diei pro intentione ſanctæ matris Eccleſiæ in vnione meritorum & orationum puriſſimarum Ieſu Chriſti Domini mei, vt ſcilicet eam exaudias pro omnibus deprecantem, & in laudem & honorem nominis tui ſacrificium iſtud mearum precationum accipias. Inſuper & offero tibi ſpeciali intentione mea pro eadem Eccleſia tua, vt eam toto orbe diffuſam cuſtodias ; pro ſtatu eccleſiaſtico, vt omnes ſpecialiter tibi dicatos puritate veſtias ; pro ſtatu ſæculari, vt reges, & nobiles, & gubernatores, & populos in ſanctæ legis tuæ obſeruatione promoueas. Ac tandem offero pro meipſo, vt poſt bonam & ſpiritualem vitam, quietam ex hac mortalitate deceſſionem, & iuſtorum mortem, ac vnam ex cœleſtibus manſionibus prædeſtinatis paratam, mihi licèt indigno largiri digneris. Amen. Similiter poteris pro aliis diebus hebdomadæ iuxta tabellam ſuprà poſitam tuam præparationem formare. Neque enim omnia dicenda ſunt, præſertim cùm non ad verba proferenda, ſed ad orandum ex ardenti adfectu incitare velimus. Hac autem præparatione ad matutinas facta, poterunt occupati in aliis horis ad eam ſe remittere, & oratione aliqua ex ſuprà poſitis, ſe vtcumque præparare.

Hac igitur ratione ſatis vtiliter, vt credo, te ad penſum ſacrarum horarum perſoluendum diſpones, & ſic pro omnibus, & pro te deprecans implebis illud Eccleſiaſtæ non in ſenſu ab ipſa littera abhorrente : Da partem ſeptem, nec non & octo: quia ignoras quid futurum ſit mali ſuper terrã.] Ita enim tuas precationes per dies hebdomadæ aptè *Eccl. 11. 2.*

distribuis, vt septem statibus suffragio indigentibus vtiles facias, & te, qui octauus es, merito & impetratione vacuum non relinquas. Et quia ignoras, quæ mala te, aut alios maneant, meritò, vt ea manu orationis amoueas, tum pro omnibus, tum pro te oras. Siue autem hoc modo, siue alio ad orandum te præpares; illud tamen numquam tibi omittendum est, vt te Deo præsentem facias, eiúsque oculos super te positos esse, & tuum interiùs & exteriùs considerare animaduertas. Is enim, qui dum orat, inquit Climacus, Deo se assistere intimo cordis adfectu existimat, vt columna perstabit immobilis, & à nullo hostium suorum irridebitur.] Non, inquam, eum irridebunt dæmones, quem cernunt Deum reuerenter & feruidè deprecari; nec ipse huc illuc corde vagabitur; quia per diuinam præsentiam in sancto timore radicatus, discet in eo, quod agit, fixus & immobilis permanere.

Climac. grad. 18.

De reuerentia in horis canonicis.

CAPVT IX.

Reuerentia in horis ex præparatione nascitur.

POST præparationem tres adhibendi sunt comites officio diuino: Reuerentia, Attentio, & Deuotio, de quibus nunc agendum est. Reuerentia ex præparatione antedicta, attentio ex reuerentia, & deuotio ex attentione progignitur. Reuerentia, inquam, ex ipsa solet præparatione nasci, atque succrescere. Nam reuerentia est adfectus animi ex consideratione magnitudinis, & excellentiæ personæ alicuius excitatus; quo interiùs, & cùm oportet exteriùs signis subiectionis ei nos submittimus, atque adeò ipsum veneramur, & colimus. Cùm autem in præparatione Dei maiestatem, & infinitam perfectionem fuerimus meditati; quid mirum si ex ipsa tamquam ex fonte adfectus magnæ cuiusdam reuerentiæ & venerationis emergat? Ibi sanè Deus vincens scientiam nostram, & in immensum superans omnem creatam perfectionem apparuit. Ibi exiguitas nostra, seu potiùs incomparabilis vilitas & nihileitas nobis innotuit. Ex his igitur consequens est, vt adfectus reuerentiæ proueniat, quo mens humana de sua paruitate erubescit, & coram tanta magnitudine cõprimitur, atque contrahitur.

Quanta olim fuerit à Patribus exhibita.

In officiis ergo diuinis, in Psalmis, & hymnis, & aliis spiritualibus canticis summo Deo nostro reuerenter assistamus, & antiquos Patres imitemur, quorum tanta erat in canonicis horis Dei veneratio, tantus in conspectu eius tremor, vt nec se vel tantillum mouere, nec, cùm claudebatur oratio, auderent expuere. De quo ad cõfusionem nostram visum est Ioannis Cassiani verba subiicere. Cùm igitur, inquit, prædictas solemnitates, quas illi synaxes vocant, celebraturi conueniunt, tantum à cunctis silentium præbetur, vt cùm in vnum tam numerosa fratrum multitudo conueniat, præter illum, qui consurgens Psalmum decantat in medio, nullus hominum penitus adesse credatur, ac præcipuè cùm consummatur oratio, in qua non sputum emittitur, non excreatio obstrepit, non tussis intersonat, non oscitatio somnolenta dissutis malis, & hiantibus trahitur; nulli gemitus, nulla suspiria etiam adstantes impeditura promuntur: nulla vox absque sacerdotis precem concludentis auditur, nisi fortè hæc, quæ per excessum mentis claustra oris effugerit; quæque insensibiliter cordi subrepserit, immoderato scilicet, atque intolerabili

Cassian. 2. de instit. c. 10.

A spiritus feruore succensa: dum ea, quæ ignita mens in semetipsa non prævalet contineri, per ineffabilem quemdam gemitum ex intimis pectoris sui conclauibus euaporare conatur. Illum verò, qui constitutus in tepore mentis cum clamore supplicat, aut aliquid horum, quæ prædiximus, à faucibus suis emittit, ac præcipuè oscitationibus præuenitur, dupliciter peccare pronuntiant. Primò, quòd orationis suæ reus sit, quòd eam videlicet negligenter offerat Deo. Secundò, quòd indisciplinato strepitu, alterius quoque, qui forsitan ardentiùs orare potuit, intercipit sensum.] Sic ille. Et quidem illud profundum silentium, illa quies, illa mentis sublimitas, corporísque serenitas, ex intima

B reuerentia proueniebant. Hæc enim externa subiectionis indicia ita se habent, vt non solùm animi reuerentiam augeant, verùm & communiter, vt suaues fructus ab illa procedant. Vnde Augustinus ait: Nescio quomodo cùm hi motus corporis fieri, nisi motu animi præcedente, non possint, eisdem exteriùs rursus visibiliter factis, ille interior inuisibilis, qui eos fecit, augetur, ac per hoc cordis adfectus, qui vt fierent ista præcessit, quia facta sunt crescit.] Non dubium ergo quin ille corporis habitus index erat animi reuerentis, & diuinam maiestatem non sine ingenti humilitate adorantis.

Aug. lib. de cura pro mortuis. c. 5. tom. 4.

Nec solùm viros sanctos habemus huius adfectus reuerentiæ magistros, sed & ipsos Angelos comites, quos sequamur. Illi, namque Deo reuerentissimè assistunt, ipsi humillimè preces offerunt,

C & non sine motu profundissimæ adorationis exorant. De quibus canit Ecclesia: Quia Deum laudant Angeli, adorant dominationes, tremunt potestates. Tremor iste nõ formidinis est, sed reuerentiæ; non enim ab illo malum aliquod timẽt, quem vnicè diligunt, sed ex magna reuerentia se coram illo prosternunt. Quare Iob ait: Deus, cuius iræ nemo resistere potest, & sub quo curuantur, qui portant orbem.] Nam angelicæ virtutes, inquit Gregorius, orbem portant, qui regendi mundi curas administrant. Paulo attestante, qui ait: Nónne omnes sunt administratorij spiritus, propter eos, qui hæreditatem capiunt salutis? Et hæ virtutes curuantur sub Domino, quia eius se fortitudini inclinant.] Si igi-

Mira Angelorũ in Dei laudibus reuerentia.

Iob 9. 13.

Greg. 9. mor. c. 10.

D tur in conspectu Angelorum psallimus, & horas sacras proferimus, secundũ illud Dauidis: In conspectu Angelorum psallam tibi,] æquum est vt eos reuerentia sequamur. Secus autem se habentes Bernardus increpat, dicens: Doleo aliquos vestrûm graui in sacris vigiliis deprimi somno, nec cœli ciues reuereri, sed in præsentia principum tamquam mortuos apparere, cùm vestra ipsi alacritate permoti vestris interesse solemniis delectantur.] Certè Deus respicit terram, vt canit Dauid, & facit eam tremere: qui tangit montes, & fumigant.] At dum oramus ipse nos aspicit, dum precamur, sua inspiratione nos tangit. Quare quasi stupentes

Psal. 103. 32.

Bern. ser. 7. in Cãt.

Psal. 137. 1.

E præ reuerentia non tremimus? Quare frigidi sumus, & amoris adfectibus minimè ardemus? Si cum hominibus potentibus, inquit Benedictus in regula, volumus aliqua suggerere, non præsumimus, nisi cum humilitate, & reuerentia; quanto magis Domino vniuersorum cum omni humilitate, & puritatis deuotione supplicandum est.] Ne habeamus aciem oculorum corporis perspicacem, & oculorum cordis obtusam. Sed si illâ videmus hominum nobilium dignitatem, vt eos reuereamur; hac consideremus Domini præsentis maiestatem, vt in conspectu eius contremiscamus. Duo Tobiæ, pater & filius au-

Benedict. in regul. c. 20.

Dei præsentia summam ingerit reuerentiam.

Iob 9. 13.

Tobiæ 12. 15.

dientes Angelum dicentem: Ego ſum Raphaël Angelus vnus ex ſeptem, qui aſtamus ante Dominum; turbati ſunt, & trementes ceciderunt ſuper terram in faciem ſuam. Quoties fide audimus Dominum dicentem nobis, quia ipſe eſt Dominus noſter, & Angelorum: quæ igitur dementia eſt in conſpectu eius non tremere, & coram tanta maieſtate non humiles, non modeſtos, non reuerentes aſſiſtere? Quæ cæcitas eſt aliena ab oratione animo voluere, toto corpore immodeſtè ſe gerere, & oculis huc illúcque vagari? Haudquaquam prę-teribo quod de Iudæis ſacra facientibus Ioſephus narrat, quo tempore à Romanis ſancta ciuitas capiebatur. Menſe igitur obſidionis tertio (inquit) vix vna turre deiecta, in fanum irruptum eſt. Primus autem murum tranſcendere auſus eſt Syllæ filius Fauſtus Cornelius, & poſt eum centuriones duo, Furius & Fabius, cum ſuis cohortibus; & circumſepto vndique fano, alios aliò confugientes, vel etiam pauliſper repugnantes interficiunt. Vbi plurimi ſacerdotum, quamquam hoſtes ſtrictis gladiis irruentes videbant, intrepidi tamen in peragendis rebus diuinis perſeuerabant: & in ipſo libandi, templúmque adolendi miniſterio mactabantur, ſaluti quoque præferentes religionis obſequium.] Hæc ille. Quis non erubeſcat ſacerdotes illos non admodum religioſos, & in tali periculo conſtitutos immotos ad ſacrificia peragenda conſtitiſſe; ſi ſeipſum in ſacris precibus & oblationibus aſpiciat ex quauis occaſione, licèt modica, vndique ſe mouentem, & non ſolùm, quæ antè ſunt; ſed & ſæpe retro poſita vniuerſa luſtrantem? Hic certè neſcit Dominum reuereri, in cuius aſpectu ea cogitare & circumluſtrare audet, quæ in conſpectu regis terreni (ſi cogitationum eſſet cognitor) nec cogitatione volueret, nec oculis ſpectaret.

Ioſephus lib. 1. de bello Iudaico. c. 5. Iudæorũ in rebus diuinis mira cõſtantia.

Quanta noſtra debeat eſſe reuerentia.

Reus quidem alicuius criminis, propter quod ſuſpendio ſit dignus, ſi aliquam ſpem veniam impetrandi concipiat, mirum eſt quàm ſe reuerenter coram iudice humiliet, atque proſternat: quàm lugubri voce, quantis lacrymis veniam deprecetur; quàm pleno corde ſatisfactionem ſpondeat, & emendam. Nos autem rei non vnius criminis, ſed innumerabilium peccatorum, cùm ſacras preces dicimus, coram Deo noſtro iudice aſſiſtimus; vt ab eo remiſſionem delictorum impetremus, & inſuper gratiam, & miſericordiam, & virtutes, & Spiritus ſancti dona accipiamus. Quomodo igitur non reuerenter aſſiſtimus, non humillimè deprecamur, non lacrymabili compunctione perfundimur? Sanè grauiſſima reprehenſione, & acerbiſſima pœna dignum eſt, coram tam digniſſimo & altiſſimo Domino irreuerenter ſe habere, ac non ſolùm incomparabilis Dei, ſed & omnium Sanctorum, ac ſpirituum cœleſtium contriſtare præſentiam. Populus quidem Hebræorum non cum Domino locuturus, ſed non longè à monte, in quo Deus cum Moyſe loquebatur, ſpectaturus, ad magna reuerentiæ ſigna exhibenda compellitur. Vade ad populum (vox eſt Domini ad Moſem) & ſanctifica illos hodie, & cras, lauéntque veſtimenta ſua. Et ſint parati in diem tertium: in die enim tertia deſcendet Dominus coram omni plebe ſuper mõtem Sinai.] Et iterum idem populus, vt Iordanem ſicco veſtigio trãſiret, audit à Ioſue: Sanctificamini, cras enim faciet Dominus inter vos mirabilia.] At nos ipſi ſumus Dominum adloquuturi, & non Iordanem retro abeuntem, ſed dona Domini ad nos deſcendentia viſuri. Quanta igitur ſanctitate, quàm magna mentis corporiſque munditia, quàm intima

Exodi 19. 11.

Ioſue 3. 5.

A

reuerentia opus eſt deprecemur, & Dominum nos audientem adloquamur? Meritò ergo Ephrem Syrus nos ad reuerẽtiam in oratione habendam hortatur his verbis: Eſto autem totus orationis tempore velut cœleſtis Angelus: ſícque contende vt oratio tua ſit ſancta, ac pura, immaculata, & irreprehenſibilis: vt cùm illam ſurſum aſcendere viderint portæ cœleſtes gaudentes vltro ei aperiantur: vt ipſam cernẽtes Angeli, & Archangeli, cuncti lætantes illi occurrant, & coram ſancto atque excelſo throno immaculati Dei ipſam offerant. Sic ergo ſemper orationis hora eſto Deo coniunctus, vt Cherubim, & Seraphim.] Hęc ille. Sic cupiebat profectò ſanctus Hermenoldus Abbas diuina officia à ſuis monachis peragi. Cùm enim prædixiſſet ſe in

B

die Epiphaniæ tempore Miſſæ, cùm gloria in excelſis caneretur, è viuis diſceſſurum, ſubintulit: Videte autem, cùm ſigna obitus mei dabuntur, ne quis ea cauſſa error, aut negligentia admittatur in officio diuino: ſed paucis egredientibus, cæteri cum omni deuotione ſacra Miſſarum ſolemnia peragant.] Internam itaque reuerentiam in ſacris horis habere geſtiamus, & eam ſignis externis, & honeſto habitu corporis, dimiſſis oculis, apertione capitis, & obſeruatione aliarũ cæremoniarum oſtendamus, vt quod iuſtum & debitũ eſt facientes, eos, qui adſtãt, ad compunctionem, ac Dei laudem incitemus.

Ephrem de virginitate. tom. 1.

Reuerentia hæc exemplo monſtratur.

Surius.

De attentione in horis canonicis.

C

CAPVT X.

SECVNDVS orationis comes eſt attentio; vt ſcilicet orans attendat ad verba, quæ dicit, vel ad ſenſum, quem verbis exprimit, vel ad ipſum Dominum, cum quo colloquia miſcet. Hæc attentio (vt iam cœpimus dicere) ex ipſa reuerentia procedit. Nam qui coram Domino reuerenter, & cum timore, & tremore ſe habet; non poteſt non mentis euagationẽ vt quamdam mentis inſaniam deteſtari. Magni momenti eſt, ſi corpus in oratione decenter ſe habeat, ſed ſine vlla comparatione magis neceſſarium eſt, vt mẽs reuerenter & attentè ſe gerat. Nec enim (verba ſunt Chryſoſtomi) tam voce opus eſt, quàm cogitatione: neque manuum extenſione, quàm animi intentione; neque figura, ſed intellectu. Quoniam Samuelis mater Anna non quia claram & magnam edidit vocem, propter hoc audita fuit; ſed quoniam intus in corde multũ clamabat. Ait ènim; vox eius non audiebatur, & exaudiuit eam Deus.] Maximè, inquam, neceſſaria eſt ad vocalẽ orationem aliqua attentio: quoniam ſicut abſcedente animo à corpore homo non manet; ita prorſus abſcedente à verbis orationis attentione aliqua, oratio eſſe deſinit. An non oratio cultus Dei eſt? Sed quis cultus manet, vbi attentio in verba influẽs, & ea ad Deum dirigens prorſus deficit? An non oratio hæc vocalis eſt in Deum mentis aſcenſio? Sed quónam modo mens in Deum aſcendit, ſi nihil prorſus attendit? Qui dormiens genua flecteret, abſque dubio non adoraret; quia omnino abeſt interior cultus, qui in Deum actionẽ illam adorationis externam dirigeret. Qui ergo voluntariè omnino diſtractus verba Pſalmorum proferret, nõ oraret, quia defuit omnis attentio, quæ verba illa ad Deum diceret. Ac proinde meritò Eccleſia eum, qui ſpõte, dum orat, per aliena, & extranea mente vagatur, præceptum recitandi horas canonicas impleſſe nõ cenſet. Quia videlicet hoc præceptum non alterius operis, quàm

Maximè neceſſaria canonicis horis attentio.

Chryſoſt. hom. 79. ad Populum.

Si abſit attentio non adimpletur præceptũ.

orationis

orationis est. Et verè oratio non est, vbi quis ore verba psalmodię protulit, corde verò ad ea, quæ dicit, nec actu, nec virtute prorsus attendit. Hinc autem liquet quàm sollicita cura sit attentio in oratione vocali sectanda; quia sine illa incassum ore clamamus, & in diuinam indignationem, quæ nostram inuerecundiam irridet, incurrimus.

1. Cor. 14. 14. *Auctoritate firmatur.*

Ideo Paulus quasi naturam orationis vocalis exprimens, ait: Si orem lingua, spiritus meus orat, mens autem mea sine fructu est.] Id est, si orem voce tantùm, sine attentione cordis: spiritus, id est, flatus oris mei deprecatur; mens autem mea sine fructu orationis manet: quoniam orationis anima, id est, attentio, non habetur. Quid est ergo, supple mihi faciendum, vt fructu orationis non caream? Orabo spiritu, orabo & mente: psallam spiritu, psallam & mente. Et si voci externæ attentionem adiunxero, fructus ac substantiæ orationis particeps ero. Iam tunc orationem fundo, quam grato corde Deus exaudiat: nam si tantùm sono vocis sine vlla attentione orem, verba orationis meæ tamquam arida & sterilia ipse repellet. Quare bene Ambrosius monet:

Amb. 6. de sacr. c. 8. t. 4. Non de labiis tantummodo tua procedat oratio, animo totus intende: intra in receſſum pectoris tui, totus ingredere. Non te perfunctorium videat ille, cui placere desideras. Videat quia ex corde oras, vt te ex corde orantem dignetur audire.]

Cyprian. lib. de orat. Dominica. Cyprianus verò non solùm monet, sed & negligentiam distractè orantium irridet, & quo pacto bonum exauditionis amittant ostendit. Quando autem stamus ad orationē, fratres dilectissimi, inquit, vigilare, & incumbere ad preces toto corde debemus. Cogitatio omnis carnalis, & sæcularis abscedat, nec quicquā tunc animus, quàm id solum cogitet, quod precatur. Ideo sacerdos ante orationem præfatione præmissa parat fratrum mentes, dicendo: Sursum corda; vt dum respondet plebs: Habemus ad Dominum, admoneatur nihil aliud se, quàm Dominum cogitare debere. Claudatur contra aduersarium pectus, & soli Deo pateat, nec ad se hostem Dei tempore orationis adire patiatur: obrepit enim frequenter, & penetrat, & subtiliter fallens preces nostras à Deo auocat, vt aliud habeamus in corde, aliud in voce, quando intentione syncera Dominum debeat non vocis sonus, sed animus & sensus orare. Quæ autem segnitia est alienari, & rapi ineptis cogitationibus, & profanis, cùm Dominum deprecaris; quasi sit aliud, quod magis debeas cogitare, quàm quod cum Deo loqueris? Quomodo te à Deo audiri postulas, cùm te ipse non audias? Vis esse Deum memorem tui cùm rogas, quando tu ipse memor tui non sis? Hoc est ab hoste in totum non cauere; hoc est quando oras Deum, maiestatem Dei negligentia orationis offendere: hoc est vigilare oculis, & corde dormire; cùm debeat Christianus, & cùm dormit oculis corde vigilare: sicut scriptum est ex persona Ecclesiæ loquentis in Cantico Canticorum: Ego dormio, & cor meum vigilat.] Sic ille. Hinc autem manifestum fit, eos, qui voluntariè non attendunt, cùm Deum ipsum offendant, nihil ab ipso eorum, quæ petunt, obtinere. Ipse enim peccata, & irreuerentias præmio non adficit, sed, cùm iustus sit, acriter punit.

Nemo tam excors, qui sponte distrahatur. Nemo quidem (vt ego existimo) est tam excors, & tam inuerecundus, vt sponte horas recitans aut canens distrahatur. Quis enim hoc de homine non dico spirituali, ac Deo consecrato credat, sed nec de homine Christiano, licèt nequissimo, in animum inducat? Nam iste probè nouit Deum esse cordis scrutatorem, & cogitationum inspectorem. Qua itaque ratione audebit ipsum Dominum ore deprecari, & voluntate sua cogitationem & mentem aliò diuertere? At si aliquis tam iniquus est, se à diabolo irrideri sciat, suásque orationes non Deo gratas, sed inuisas agnoscat. Is vnus est ex illis, de quibus Ecclesiasticus ait: Væ duplici corde, & labiis scelestis, & manibus malè facientibus, & peccatori terram ingredienti duabus viis.] Duplex cor habet, quia vnum cogitat, & aliud deberet cogitare. Labiis scelestis vtitur, quia labiis corporis vnum loquitur, & labiis mentis aliud effatur. Manus malè facientes possidet; quia internis manibus intellectus & voluntatis malum apprehendit. Duabus viis terram ingreditur; quoniam, vt ait Gregorius, Dei est, quod opere exhibet, & mundi, quod per cogitationem quærit. Is etiam audiat quid Laurentius Iustinianus scribat de iis, qui non omnino voluntariè, sed tamen culpabiliter distrahuntur, vt se licèt non omnino (quia grauior eius culpa est) at vtcumque delineatum videat, & de tanta sua miseria erubescat. O quot (inquit) nostris laudum sacrificiis intersunt rapaces volucres aëris huius caliginosi, vt ea fœdent illusionibus plurimis! Ipsas autem nequaquam abigimus, sed tamquam & insensati, & sine corde cunctis earum suggestionibus aurem præbemus. Multimodè namque maligni spiritus obseruant vt rapiant psallentium corda ab intentione diuinæ laudis. Nunc enim obscœnorum, voluptuosorúmque phantasmatum fœtorem immittunt, vt psalmodiæ suaue polluant sacrificium. Nunc verba diripiunt, & intercidunt carmina, cùm oscitare importunè, aut insensibiliter dormitare faciunt. Nunc omnium membrorum ingerunt lassitudinem; ita vt nulla corporis pars illæsa esse videatur. Omnis quippe mora tunc intolerabilis sentitur, hoc totum spiritu acediæ operante in homine negligente. Nunc mentes psallentium terrena negotia, & sæcularia gesta ingerendo distrahunt, atque per abrupta & deuia noxiarum & inutilium cogitationum impellentes animum, totam dissipant laudis oblationem. Et (proh dolor!) cùm ita callidè seducant, vix reperitur, qui hoc intelligat, & vincat. O quàm sæpe, qui diuinis occupantur in laudibus solo assistunt corpore, & tamquam garrulæ aues sine interiori sensu emittunt verba. De talibus per Prophetam Dominus dicit: Populus hic labiis me honorat: cor autem eorum longè est à me. O quoties tædio prægrauata mens ab omni gustu cœlestium cantionum ieiuna pertransit. Loquitur, & ignorat cui: clamat voce, nec seipsam intelligit, nec perspicit quid dicat. Nam totaliter extra se euecta, atque velut amens effecta aduersùm se Deum prouocat vehementer. Numquid huiuscemodi sacrificio honorificatur Deus? Numquid polluta laude effertur diuina maiestas. Corda quippe, non corpora: gustum mentis, non sonum vocis: adfectum animi, non linguæ motum requirit omnipotens.] Hactenus ille. Ex illis autem, quos sanctus hic Pater tam seuerè reprehendit, erat ille religiosus, de quo rem stupendam narrat Cæsarius monachus Cistercienſis in hunc modum: Vix sunt duo menses elapsi, quòd Dominus Abbas Campensis retulit nobis de monacho quodam, qui semper in choro solebat dormire, rem terribilem valde. Nocte quadam cùm ex more dormiret, aliis psallentibus, crucifixus

Eccli. 2. 14.

Greg. 1. mor. c. 11.

Iustinianus de discipli. monast. c. 17.

Quantopere curet damō orationes interpellare.

Cæsar. lib. 4. c. 38. Formidādum dormientis in horis supplicium.

de altari venit, dormitantem excitauit,& cum tanto nisu maxillam eius percussit, vt infra tertium diem moreretur.] Enimuero (vt mihi videtur) tolerabilius peccat, qui in horis dormit,quàm qui voluntariè distrahitur:nam illius peccatum ex imbecillitate, istius verò ex malitia, & procacitate maxima prouenire videtur. Si ergo dormiens ita punitur; sacras preces spontanea distractione irridens, quam vltionem expectat?

Sed his omissis, ad eos redeamus, qui inuoluntariè, sed tamen culpabiliter, & ex negligentia horis canonicis non attendunt, & eos ad debitam attentionem incitemus. Nec est in his verbis aliqua repugnantia, ex eo, quòd culpa semper est voluntaria, & si inuoluntaria est, culpa non est. Nam hîc (vt ad captum omnium nos explicemus) distractionem inuoluntariam vocamus, quam orans non ex professo, sciens scilicet, & volens suscipit; at suam cogitationem, aut suos sensus non cohibens negligenter admittit. Ille, inquam, hanc distractionem habet, qui in initio orationis voluit semper attendere, & hanc voluntatem opposita voluntate non repulit, sed per negligentiam, & socordiam suam aliis ab oratione alienis cogitandis intendit. Hic ergo quanta bona per suam negligentiam perdat, nunc audiat. Esto enim quòd ille impleat orandi præceptum, quia voluntatem illam primam attendendi non reiecit, & ea vtcumque durante, præceptum suauissimè positum impleri censetur: at certè cùm hæc oratio ex prædicta negligenti distractione culpa venialis fiat; nec meritum, nec satisfactionem, nec impetrationem habet.Vnde sic orans præter vitationem peccati, quod ex fractione præcepti orandi emergere potuit, reliqua bona orationis amittit. Immo si quis sola attentione ad prolationem verborum contentus, ad sensum eorum nolit attendere (quod ex caussa sine peccato vllo fieri posset) refectionem mentis, & internam consolationem non suscipiet. Quæ cùm illustratione intellectus, aut adfectu voluntatis contineatur; non potest sine attentione ad sensum verborum,vel ad Deum ipsum, haberi. Ad quod Basilius optimè ait: In tempore psalmodiæ sapienter psalle, fili, & spirituales cantus vigilanter cane coram Domino, vt virtutem Psalmorum faciliùs possis acquirere. Omnis namque duritia cordis cùm eorum dulcedine molliatur, tunc dulces habens fauces, gaudénsque cantabis: quàm dulcia faucibus meis eloquia tua, Domine; super mel, & fauum ori meo. Sed non poteris sentire hanc dulcedinem,nisi cum summa vigilantia, ac sapientia cantaueris. Fauces enim (inquit) escam gustabunt, sensus autem verba discernit. Sicut enim ex carnalibus escis alitur caro: ita ex diuinis eloquiis interior homo pascitur, ac nutritur.] Hæc ille. Sed è contrario, qui attentè orant, & psallunt, hac interna consolatione fruuntur. Et Gerson putat eos hac ratione aptos fieri, vt in ipsa psalmodia ad contemplationem, & supermentales excessus trahantur. Sic enim ipse quærit, ac sibi respondet. Quæret aliquis de occupatione religiosorum multorum in psalmodiis, & canticis altisonis multiplicatis super numerum. Obstántne contemplationi vel acquirendæ, vel exercendæ? Vellem responderent ipsi quid sentiunt. Et quidem B. Augustinus flebat vberrimè in canticis suauè sonantibus Ecclesiæ,vocibus eius alacriter commotus, & eliquebatur veritas in cor eius. Sed an fuerit vnus ex cantantibus,expressum non inuenio. Quia verò ad comparandam contemplationis quietem plus gratia prouehit, quàm industria; quia rursus interpolatio fit in cantibus, non est incredibile quosdam ex sic occupatis mentibus, tamen ad hoc ipsum sentire supermentales excessus; præsertim vbi quis satagit ex animali fieri rationalis,& tandem spiritualis.post vtrumque.] Hic quidem Doctor non putat incredibile, quòd quis in oratione vocali ad contemplationem euehatur, sed nos satis credibile putamus; quia non paucos sic efferri solitos legimus in sanctorum Patrum historiis,& nunc aliquos in ipsa officij recitatione mira suauitate perfundi cognouimus.Ad quod non parum facit visio Hermanni viri Deo deditissimi, qui nocte quadam vidit in choro Angelos religiosis ore & corde psallentibus incensum ministrare,& coram illis se inclinare:eos verò, qui distractè psallebant, negligenter præterire;à nonnullis autem,quorum vita improba erat, non sine ostensione horroris auerti.Vnde qui intentè orant hæc omnia bona consequuntur,meritorũ augmentum;pœnarum pro peccatis debitarum satisfactionem;eorum,quæ petunt impetrationẽ; spiritualem dulcedinem; & magnam ad orationem mentalem, & ad contemplanda diuina dispositionem.

Vt verò à conscientiis seruorum Dei omnis scrupulus eximatur, triplicem attentionem à Doctoribus adnotatam, quæ orationi vocali adhiberi potest,breuiter explicemus. Prima à Bonauentura nomina inueniente,& imponente,vocatur superficialis; qua orans ad sola verba attendit,vt bene, & sine errore ea proferat, & de sensu verborum, aut de excitando aliquo pio adfectu, aut de habendo Deo in memoria,nihil curat. Secunda vocatur litteralis; qua preces fundens ad sensum litteralem Psalmorum,aut lectionum, aut cæterorum mente se conuertit. Tertia demum spiritualis,qua orator vel sensum spiritualem verborum actu intelligit, vel ex eo,aut litterali sensu ad aliquem pium adfectum, vt amoris Dei, vel desiderij cœlestium se mouet (quod ad deuotionem pertinere inferiùs dicemus) vel ipsum Deum, quem adloquitur, cogitat, vel suam indigentiam, cui à Domino subueniri vult, attentè considerat. Illa prima attentio omnium infima, qua tantùm quis attendit ne verbis erret, & vt omnia integrè dicat; ad hoc valet, vt orans præceptum dicendi horas canonicas impleat, vt pro suo labore aliquam licèt exiguam mercedem expectet: vt leue etiam peccatum vitet. Vitabit, inquam, omne peccatum, si ex iusta caussa hac puerili attentione contentus sit. Erit autem iusta caussa, si orans ex altiori attentione capitis dolorem sentiat: si ob negotia, aut occupationes, quibus antea institit, ad aliam attentionem minus aptus exístat: si post longam meditationem rerum diuinarum, aut post studium prolixum scientiæ, vt Theologiæ, aut Philosophiæ, ad horas dicendas veniens ex maiori attentione detrimentum salutis metuat. Nam si aliquis consultò vellet attendendo ad prolationem verborum inania, aut minùs honesta cogitare; quomodo in dubium verti potest ab ipso non solùm in inepta cogitatione, quam versat, sed etiam in ipsa oratione peccatum admitti? Est namque irreuerentia damnabilis cum Deo voce,& cum diabolo, aut mundo, aut vanitate mente loqui. Qui sic irreuerenter orat,erit moribus vnus ex illo populo, cui dixit Dominus: Eo quòd appropinquat populus iste ore suo, & labiis suis glorificat me: cor autem eius longè est à me.] Et ex illis, de quibus Dauid: Ore suo benedicebant;

Ex vocali oratione multi ad contẽplationẽ rapiuntur.

Surius in vita tom. 7. in Aprili.

Attentio triplex.

Bonau. 7. proceſſu religio. c. 8. Superficialis. Litteralis. Spiritualis.

Quomodo prima ſufficiat attentio.

Quid per diſtractionẽ amittamus.

Baſil. admonit. ad filiũ ſpirituale.

Gerſon in Theolog. myſtica. pract. cõſid. 5.

Iſaiæ 29. 13.

Pſal. 61. 5.

&

& corde ſuo maledicebant.] Nam os verba ſancta profert; & cor vana, aut etiam iniqua cogitatione voluit. Profectò valde indecens eſt, vt Bonauentura ait, vt quis cum Deo loquatur ore, & aliud meditetur corde, & dimidium cor dirigat in cœlum, & dimidium maneat in terra. Talis oratio numquam exauditur à Deo.] Hæc igitur affectata diſtractio orationem inficit; cùm quis verò ob cauſſam licitam ſoli prolationi verborum attendit, hac minima attentione mundam orationem, & aliquantulum proficuam fundit.

Bonau. de perfect. vitæ cap. 5.

Litteralis attentio magni facienda.

Secunda attentio, aut media, qua ad ſenſum litteralem attendimus, vtilior eſt, & perfectior. Sæpiſſime enim in ſacris horis verba dicimus ſecundùm ſenſum litteralem plena compunctionis, & amoris, & aliorum adfectuum, quibus facile erit corda noſtra ſuccendi. Et ſi aliqua ſint verba, quæ iuxta litteram minus pinguia, & ſuccum deuotionis habentia videantur; at certum eſt, eo ipſo, quòd ſunt verba Domini, aliqua ratione ad deuotionis adfectum excitare. Qui etiam ſic attendit, ipſo non cogitante, nec curante, ab Spiritu ſancto non ſemel ad tertiam, & ſupremam attentionem trahitur, & ſpiritualibus ſenſibus ſaginatur. Quare hoc attentionis genus non paruipendendum eſt, immo in multis omnino ſuſcipiendum; in his ſcilicet, quæ in ſenſu litterali ardentiſſimam orationem, & adfectus mirabiles ſonant, de quibus infrà dicemus; quia à tertio genere attendendi non differt. In aliis verò, quæ nudam hiſtoriam continent, pro aliquo tempore exercendus, vt ex eo tamquam ex medio gradu ſcalæ ad ſupremum tranſeamus.

Spiritualis attentio perfectiſſima.

Tertia attentio ſpiritualis omnium eſt perfectiſſima, ad quam cupimus lectores hortari. Hæc enim, vt inquit Bonauentura, erudit animam per ſpiritualem intelligentiam, & adficit eam per deuotionis adfectum; & iſte eſt præcipuus orationis fructus. Habet autem, vt ex dictis perſpici poteſt, quattuor gradus. Primus eſt, cùm quis ad propriam indigentiam attendit, quam deſiderat oratione propelli. Vt ſi attendens quantum ſufficiat ad prolationem verborum, cogitet de humilitate, aut de victoria alicuius tentationis, aut de aliis ſimilibus, quæ verbo nullo modo ſignificat, & ipſe vult oratione impetrare. Licere enim, ac bonum eſſe hæc animo voluere in ipſa pſalmodia, Thomas Aquinas palàm docet; & Bernardus quibuſdam verbis prima fronte oppoſitum adſerentibus, nequaquam diffitetur. Eius verba ſunt: Nihil aliud, dum pſallitis, præter id, quod pſallitis, cogitetis. Nec ſolas dico vitandas eſſe cogitationes vanas, & otioſas; vitandæ ſunt & illæ (illa dumtaxat hora, & loco) quas officiales fratres pro communi neceſſitate, quaſi neceſſariò frequenter admittere compelluntur. Sed ne illa quidem profectò recipere ſemper conſuluerim, quæ fortè paulo antea in codicibus legeratis, qualia nunc, me viua voce diſſerente ex hoc auditorio Spiritus ſancti recentia reportatis. Salubria ſunt, ſed minimè illa ſalubriter inter pſallendum reuoluitis. Spiritus enim ſanctus illa hora gratum non recipit quicquid aliud, quàm debes, neglecto eo, quod debes, obtuleris.] Hæc, inquam, verba non obſtant: quoniam ipſe ſolùm ait aliena ab oratione non eſſe in oratione cogitanda; qualia ſunt ea, quæ paulo antea legimus, aut quæ fecimus in miniſteriis noſtris, aut poſtmodum facienda ſunt nobis. At indigentia, cui per orationem volumus remedium adferre, non eſt ab ſtudio orationis aliena: quare omnino licet de ea inter orandum, aut pſallendum cogitare. Secundus gradus eſt cùm orator ſenſum ſpiritualem & intelligentiam ad ſuum profectum ſpectantem ſine timore alicuius omiſſionis in integritate, aut bona prolatione orationis à ſe fuſæ conſiderat. Hoc verò facillimum eſt: immo per hanc attentionem, & per ſenſum ſpiritalem ex ipſis verbis elicitum non parum orans ad omnia dicenda, & ad bene proferendum iuuatur. Tertius gradus eſt, quando qui orat non ſolùm conſiderat, quæ dicit, ſed miris adfectibus laudis diuinæ, & amoris, & cœleſtium deſideriorum accenditur. Hic verò eſt aliis multo perfectior; quia melius & ſtudioſius eſt adfici ad bonum, quàm ſolùm intellectu meditari. Quartus, & omnium ſummus eſt, & tertio ſolet miſceri frequenter, cùm orans Deum ipſum, quem alloquitur, non ſine metu magnæ reuerentiæ & humilitatis intuetur. Iſte enim reſpectus Dei ſanctorum adfectuum plenus, ſufficientem attentionem ad verba, vt bene proferantur, non tollit; & ſpiritum noſtrum eſcis delicatioribus paſcit. Quòd ſi aliquis actus à Deo ita in contemplatione Dei ſuſpendatur, vt nihil prorſus attendat ad verba, modò ſciat ſe ea protuliſſe, quod non difficulter cognoſcitur; certum eſt ipſum non ſolùm orandi vocaliter præceptum impleſſe, verùm & perfectiſſimè, & cum magno profectu ſuo muneri ſatisfeciſſe. Nunc autem quánam ratione hanc attentionem habebimus, ſub initium alterius capitis inquiramus.

Spiritualis attentionis gradus primus.

Bernard. ſerm. 47. in Cant.

Gradus ſecũdus.

Gradus tertius.

Gradus quartus.

De modis ſtabiliendæ mentis, & adſequendæ attentionis.

CAPVT XI.

Difficilior in horis attentio.

VAM difficile ſit mentem in horis canonicis ſtabilire, & per inania & inutilia non diuagari, non ſolùm imperfecti in nobis ipſis quottidiano experimento cernimus; ſed & de viris perfectis hanc euagationem interdum patientibus non ſemel audiuimus. Et licèt hic hoſtis cuicumque generi orationis inſidietur; tamen importuniùs canonicas horas impugnat, quia eorum verborum tam frequens iteratio, quaſi aditum ad diſtractionem parat. Adeò vt non ſine gemitu dicere cum Dauide cogamur: Cor meum dereliquit me.] Hoc enim non aliter quàm mancipium fugax à nobis recedit, & per varia ac multa loca diſcurrit. Ioannes Caſſianus apud Serenum Abbatem grauiter de hac mentis inſtabilitate conqueritur. Nam cùm directionem cordis, inquit, ad deſtinatum pertendere ſenſerimus, inſenſibiliter mens inde reuoluta ad priores euagationes impetu vehementiori prolabitur; & ita quottidianis diſtentionibus occupata, innumeris captiuitatibus inceſſanter abducitur, vt propemodum iam deſperetur à nobis deſiderata correctio, & ſuperflua hæc obſeruantia videatur. Siquidem per momenta ſingula lubricis diſcurſibus animus euagatus, cùm ad timorem Dei, vel contemplationem reducitur ſpiritalem, priuſquam firmetur in ea, rurſus fugaciùs euaneſcit. Cúmque eum velut expergefacti deprehenderimus ab intentione propoſita deuiaſſe, atque ad illam theoriam, vnde diſceſſerat, reducentes, voluerimus eum tenaciſſima cordis intentione, velut quibuſdam vinculis obligare; in ipſo conatu noſtro ocyus quàm anguilla de receſſibus mentis elabitur.] Cùm igitur hæc ſit inſtabilitas noſtræ naturæ, id ad conſolationem

Pſal. 39. 13.

Caſſian. col. 7. c. 7.

noſtram ſtatuatur,vt quotieſcumque cogitatio noſtra nolentibus nobis à ſenſu orationis, vel à pia meditatione diſcedit, inanibúſque ſe miſcet ; id ad peccatum non imputetur. Cùm enim peccatum,vt peccatum ſit,debeat à voluntate proficiſci , ſi voluntas deſit non poteſt eſſe peccatum:vnde diſtractio mentis ex mentis infirmitate,non ex voluntate proueniens , haudquaquam poteſt ad peccatum imputari. Et hoc ſignificant verba Baſilij , quem Thomas Aquinas ad hoc confirmandum adducit. *D.Th.2. 2. q.83. artic.13. ad 3.* Si debilitatus à peccato fixè nequis orare , quantumcumque potes , teipſum cohibeas , & Deus ignoſcit : eo quòd non ex negligentia , ſed ex fragilitate non potes,vt oportet,aſſiſtere coram Deo.] Hinc autem liquet euagationem , quam non volumus, cuíque conſtanter repugnamus , pœnam eſſe, non culpam ex naturæ per peccatum infirmæ debilitate natam,non ex voluntate progenitam.

Remedia euagationi vitandæ. Sed vt euagatio mentis in oratione ex voluntate non accidat ; neceſſe eſt ſollicitè media aliqua adhibere, quibus ineptas , aut alienas cogitationes repellamus. Hæc autem omnia in hoc poſita ſunt, vt aliquid orationi cognatum noſtra paret induſtria , in quo cogitatio vtiliter immoretur , & in bono ſtabilitatem acquirat. Vnde Caſſianus ait: *Caſſian. col. 7. c. 4.* Mens pro conditione naturæ numquam poteſt otioſa conſiſtere; ſed neceſſe eſt eam , niſi prouiſum habuerit vbi ſuos exerceat motus , & in quibus iugiter occupetur , propria mobilitate diſcurrere,& per omnia volitare , donec longo exercitio vſúque aſſuefacta diuturno,quod vos in caſſum dicitis laborare (loquitur enim Serenus Abbas cum Caſſiano , & Germano) experiatur , & diſcat quas memoriæ ſuæ materias debeat præparare,erga quas circumagat indefeſſos volatus , & immorandi robur acquirat;& ita præualeat aduerſas inimici ſuggeſtiones,quibus diſtrahebatur,extrudere,atque in illo,quem deſiderat,ſtatu,& qualitate durare.] Dicamus ergo nunc quibus rationibus ſpirituales viri mentem ſuam in oratione vocali ſtabiliant, & colligant; vt lector , quam maluerit , & ſibi vtiliorem cenſuerit , eligat , & ſic optatam attentionem acquirat.

Quidam in horis patiëtem Chriſtũ diuerſimodè repræſentant. Quidam ergo ſeptem horas canonicas ad myſteria paſſionis Chriſti Saluatoris noſtri applicant, vt in vnaquaque hora , dum Pſalmos canunt, vel recitant, myſterium correſpondens meditentur, & in eo cogitationem occupent. In matutinis conſiderant quomodo redemtor noſter fuit ab impiis ſatellitibus vinctus , & ligatus , atque in domum Annæ ductus. In prima, quomodo fuit flagellatus, ſpinis coronatus,ſputis illitus , & ineffabilibus iniuriis & contumeliis oppletus. In tertia, quomodo fuit morti adiudicatus. In ſexta, quòd fuit cruci adfixus. In nona, quòd latus eius fuit vulnere lanceæ confoſſum. In veſperis, quòd fuit ex cruce depoſitus. In completorio, quòd corpus eius inanime fuit in ſepulchro collocatum. Alij aliis modis myſteria paſſionis per horas diſtribuunt. Et quidem hæc horarum ad myſteria paſſionis applicatio eſt ſatis antiqua.Nam in conſtitutionibus Apoſtolicis ita legimus:Preces autem peragite manè,& hora tertia, & ſexta, & nona, & veſpere,& in galli cantu.Manè quidem agentes gratias,quòd nos Dominus illuminauit abducta nocte, & adducto die. *Lib.8.cõſtit. Apoſtol.c.34.* Tertia autem, quoniam in ea Pilati ſententiam accepit Dominus. Sexta autem , quoniam in ea fuit crucifixus. Nona autem, quoniã omnia mota ſunt, Domino crucifixo , horrentia audaciam impiorum Iudæorum , non ferentia Domini contumeliam.

A Veſpere autem, quoniam diurnorum laborum requiem dedit nobis noctem. In gallorum autem cantu , propterea quòd ea hora annuncietur diei aduentus ad operandum opera lucis.] Qui igitur hanc rationem mentis ſtabiliendæ ſequuntur , ita ſe gerunt vt Chriſtum Saluatorem noſtrum in initio cuiuſque horæ ante oculos mentis conſtituãt, aut vinctum, aut ad columnam ligatum, aut morti adiudicatum,aut in cruce ſuffixum,aut lancea confoſſum, aut ex cruce in gremio matris depoſitum, aut in tumulo collocatum. Deinde gratias illi referunt ob illam ignominiam,& dolorem,quam pro nobis redimendis ſuſtinuit. Poſtea aliquid meditationi conueniens petunt ; vt quòd nos è vinculis peccatorum ſoluat,ad veram nuditatem, & mundi B contemtum adiuuet ; ab æterna damnatione liberet ; ad crucis mortificationem roboret ; cor igne charitatis emolliat,donum perſeuerantiæ præbeat, & in cœleſti patria domicilium concedat. Hæc, inquam,vel alia ſimilia pro cuiuſque deuotione poſtulant.Tandem cùm Pſalmos recitant aliqua puncta horum myſteriorum meditantur , & ſic cor in oratione ſtabiliunt.

Alij Chriſti paſſiones per Pſalmos ſingulos diſtribuunt. Alij vt efficaciùs cogitationem ſuam ad bonum alligent, magis minutim vitæ Chriſti myſteria diſtribuunt,& cuique Pſalmo vnum eorũ aſſignant. Vt exempli gratia , dicto inuitatorio in matutinis horis , in quo cogitant à ſe ad laudandum Dominum tum Angelos,tum creaturas cæteras inuitari: C Dicto etiam hymno, quo intendunt Deo ſibi intimè præſenti congratulari , à Pſalmis hoc genus partitionis myſteriorum incipiunt. In primo Pſalmo meditãtur diuini Verbi in vtero virginali conceptionem:in ſecundo , Chriſti Domini noſtri natiuitatem : in tertio , circumciſionem, ac nominis Ieſu impoſitionem. Auditis autem attentè lectionibus, vt ex eis aliquid morale decerpant:in quarto Pſalmo conſiderãt Chriſti adorationem factam à Magis:in quinto,eius in templo præſentationem: in ſexto , fugam in Ægyptum. Lectis deinde aliis tribus lectionibus:in ſeptimo Pſalmo cogitant reditum ex Ægypto : in octauo, diſputationem cum Doctoribus in templo : in nono, vitam Saluatoris humillimam, & vſque ad trigeſimum annum abſconditam. Et ne in re facillima & omnibus peruia D amplius immorer ; ſic poterit quiſque cætera myſteria vitæ & paſſionis Domini , vel ſolius paſſionis,in tot partes diſtribuere , vt omnibus Pſalmis ſufficiant, tam officij nocturni,quàm diurni.

Alij Deitatem ipſam contemplantur. Alij non iam in Chriſtum hominem , ſed in ipſam deitatem oculos mentis intendũt,idque qua ratione faciant non erit iniucundum audire. Illi quidem die Dominico coram beatiſſima Trinitate ſe aſtare cogitant , ſicut reuera aſtant : ferias verò hebdomadæ diuinis Perſonis aſſignant. Ita videlicet vt feria ſecunda & quinta conſiderent præſentem æternum Patrem : feria tertia & ſexta meditentur præſentem Filium : feria quarta & Sabbato cogitent præſentem Spiritum ſanctum. Hac conſideratione præiacta quemlibet Pſalmum in laudem E alicuius perfectionis diuinæ decantant , aut recitant, vel certè aliquid de pulchritudine & amabilitate illius perfectionis cogitant. Subiiciamus exempla tria,vel quattuor. In primo Pſalmo horæ matutinæ contemplantur Deum vt ipſum eſſe , illúmque decantant in laudem eſſe Dei. In ſecundo contemplantur Deum vt Spiritum , in tertio , vt ſimpliciſſimum ens : in quarto,vt immortalem : in quinto, vt perfectum:in ſexto,vt infinitum : in ſeptimo,vt immenſum : in octauo, vt immutabilem:

in nono,vt æternum. Sic deinceps in aliis Psalmis aliarum perfectionum diuinarum recordantur (quas,ô lector,si alibi non legisti ex libro tertio huius eiusdem operis vsque ad centum colliges) & aliquid de illis cogitant,vel in laudem summi Dei, & perfectionis illius; & ac si Deum vt inuisibilem corporeis oculis,aut incomprehensibilem, aut ineffabilem aspicerent,quanta possunt deuotione recitant,vel decantant. Hæc ita præstare curant, nec sine fructu. Nam ille,de quo ait Ieremias,quòd est magnus consilio, & incomprehensibilis cogitatu; cuius oculi aperti sunt super omnes vias filiorum Adam, vt reddat vnicuique secundùm vias eius, & secundùm fructum adinuentionum eius; hanc adinuentionem illis cum non exigua suauitate, & mentis tranquillitate repensat.

Ierem. 22.19.

Alij demum intentissima consideratione diuinæ præsentiæ retenta, ad sensum Psalmorum, & aliarum precationum attendunt; & illis verbis ac si non essent aliunde accepta, sed ex proprio corde depromta Deum adloquuntur. Hunc attendendi modum Bernardus edocuit his verbis: Cibus in ore, Psalmus in corde sapit. Tantùm illum terere non negligat fidelis & prudens anima quibusdam dentibus intelligentiæ suæ, ne si fortè integrum glutiat,& non mansum, frustretur palatum sapore desiderabili,& dulciori super mel,& fauum.] Cassianus verò quanta sit huius attentionis perfectio, & quomodo Psalmi sint non tam ex codice, aut ex memoria promendi, pulcherrimè in hunc modum exponit: Quisquis, ait,ex hoc proficiens statu non solùm innocentię simplicitatem possidet,sed etiam discretionis virtute munitus,virulentorum serpentium exterminator effectus est, habens contritum Satanam sub pedibus suis,& ad figuram rationabilis cerui mentis alacritate peruenit, pascetur in Propheticis atque Apostolicis montibus, id est, excelsissimis eorum, ac subtilissimis sacramentis, quorum iugi pascuo vegetatus, omnes quoque Psalmorum adfectus in se recipiens,ita incipiet decantare,vt eos non tamquam à Propheta compositos,sed velut à se editos quasi orationem propriam profunda cordis compunctione depromat;vel certè ad suam personam æstimet eos fuisse directos, eorúmque sententias non tunc tantummodo per Prophetam, aut in Propheta fuisse completas, sed in se quottidie geri complerique cognoscat. Tunc enim Scripturæ diuinæ nobis perpatescunt clariùs, & quodammodo earum venæ medullæque panduntur,quando experientia nostra earum non tantùm percipit,sed etiam præuenit notionem,sensúsque verborum non per expositionem nobis, sed per documenta referantur. Eumdem namque recipientes cordis adfectum, quo quisque decantatus, vel conscriptus est Psalmus,velut auctores eius facti,præcedemus magis intellectum ipsius,quàm sequemur:id est, priùs dictorũ virtutem, quàm notitiam colligentes,quid in nobis gestũ sit, vel quottidianis geratur incursibus, superueniente eorum meditatione,quodammodo recordemur,& quid in nobis vel negligentia nostra pepererit,vel diligentia conquisierit, vel prouidentia diuina contulerit, vel instigatio fraudauerit inimici, vel subtraxerit lubrica, ac subtilis obliuio, vel intulerit humana fragilitas, seu improuida fefellerit ignoratio, decantantes reminiscamur. Omnes namque hos adfectus in Psalmis inuenimus expressos, vt ea, quæ incurrerint,velut in speculo purissimo peruidentes efficaciùs agnoscamus; & ita magistris adfectibus eruditi,non vt audita, sed tamquam perspecta palpemus; nec tamquam memoriæ commendata, sed velut ipsi rerum naturæ insita, de interno cordis parturiamus adfectu, vt eorum sensus non textu lectionis,sed experientia præcedente penetremus.] Hæc ille. Ad hanc attentionem habendam necesse est Psalmos Dauidicos intelligere; quod certè Ecclesiasticis & religiosis viris,licèt parum in studio Scripturæ exercitatis, non erit admodum difficile, si,quæ ad deuotionem faciunt quærant; & quæ ad subtilitatem & eruditionem prosunt,omittant. Legant igitur, qui parum, aut nihil in sacris litteris profecerunt Paraphrases in Psalmos Francisci Titelmani Hasselensis, vel Cornelij Ianseníj, relictis annotationibus, & quod satis est ad intelligentiam Psalmorum addiscent. Et quidem in hoc genere exponendi Psalmos paraphrasticos non solùm duo prædicti auctores nobiles, sed alij quoque vtiliter desudarunt. In quibus est Raynerius Snoygoudanus ex nobilissimo & doctissimo medico factus sacræ litteraturæ discipulus;qui breuissima ac dilucidissima paraphrasi librum Psalmorum exposuit. Eruditiores autem non vnum aut alterum,sed plures habent Psalmorum enarratores, quos legant, Ex quorum numero Robertum Bellarminum Cardinalem nostrum, ad nos nuper venientem vidimus,& legimus: & eum, qui sensum litteræ cum spiritu deuotionis optimè iungit (quod non omnes expositores huius temporis faciunt) valde probauimus. Aliquem igitur istorum,vel alium similem studiosus attentè orandi perlegat, & quæ legerit intelligat,& ea,quæ dicit, ac si propria essent verba ore,& multo magis corde depromat. Hoc attentionis genus (vt ingenuè fatear) omnium præstantissimum existimo. Quod quia ad deuotionem est vtilissimum, ideo in tertia proprietate bonæ orationis libet fusiùs explicare.

Alij in Dei præsentia Psalmis vt propriis vocibus vtuntur.

Bernard. serm. 7. in Cant.

Cassian. col.10.c. 10.

De deuotione in horis canonicis; & de excitandis adfectibus.

CAPVT XII.

Deuotio vltimus in horis soluendis comes.

ROSTREMVS tandem orationis comes est deuotio: nam & Ecclesia iubet, vt officium diuinum recitemus studiosè pariter & deuotè. Hánque orationem deuotam Christus ab Ecclesia sponsa sua in Cantico Canticorum exquirit, cùm ait: Quæ habitas in hortis,amici auscultant te;fac me audire vocem tuam.] Ecclesia enim,& quælibet sancta anima, in hortis habitat; quia, vt Gregorius meditatur, in fructificatione virtutum mentem versat. Huius vocem Christus optat audire, quoniam deuotionis modulatione depromta suauiùs illi sonat. Amicorum autem auscultantium, id est, Angelorum, vt exposuit Ambrosius, nostris precibus intendẽtium memoriam ingerit, vt tantorum principum præsentia ad deuotiùs & feruentiùs orandum prouocet. At deuotio, teste Augustino, est pius & humilis in Deum adfectus: seu est mentis conuersio in Deum pio & humili adfectu: humili quantum ad considerationem propriæ infirmitatis: pio quantum ad dulcedinem diuinæ clementiæ. Ex hoc verò constat, quòd ille deuotè orat, qui pios in oratione & humiles adfectus eructat. Ita ergo, ô serue Dei, attentionem deuotam, & deuotionem attentam in oratione habebis,si pios & sanctos orationis adfectus corde sequutus fueris. Cogita cùm

Cantic. 8. 13.

Gregor. ibid.

Ambros. ibid.

Augusti.

Deuotè orabis si pios adfectus emiseris.

sacras

sacras preces fundis, te coram Christo Saluatore nostro, vel coram beatissima Trinitate, vel coram vna ex tribus diuinis Personis præsentem astare (vti iam diximus) & verba Psalmorum ex corde deprome, & quod Psalmus sonat, interiùs voluntate perfice. Si Psalmus contineat verba timoris, time: si verba amoris, ama: si spei, spera: si laudis, lauda: si petitionis, ardentissimè postula; & sic alios pios adfectus, quos statim referemus, exerce. Hæc est oratio deuota, hæc precatio pinguis, hæc veluti pluuia cœlestis animam rigat, & ad ferendos virtutum fructus mirum in modum iuuat. Hunc orandi modum vtilissimum ex Augustino didicimus. In regula enim dicit: Psalmis, & hymnis cùm oratis Deum, hoc versetur in corde, quod profertur in voce.] Et alio loco: Clamor ad Deum non vocis est, sed lacrymarum.] Et rursus alio: Cùm quis orat, sanctum in se Spiritum aduocat. Ideo oratio magis est agenda corde, quàm voce. Melius est enim orare corde sine sono vocis, quàm solis verbis sine intuitu mentis.] Gerson etiam ad adfectus excitandos hortatur, dicens: Prodest & conari tradere illa, quæ dicuntur, non tam ad cognitionem subtilem ac multiplicem, quàm ad saporem, & exultationem. Sæpe enim vbi minus cognitionum, ibi plus adfectuum. Intrat quoque dilectio, vbi cognitio foris stat. Imitemur gaudentes ad sonitum tympani, vel citharæ, qui carminis harmoniam non magnopere diiudicant: satis habentes iucũdos exultantis tripudij numeros exercere, quos prouocat ipsa modulatio. Tu similiter id, quod legis, audis, vides, loqueris, aut cogitas, trahe confestim in adfectum velut aspirans ex intimis olfaciens, aut gustans: vt si audieris Pater noster, assurgat protinus animus ad reuerentiam simul, & dilectionem, ad postulationem fidelem pro necessitatibus tuis, fratrúmque tuorum, quorum Pater communis est. Arripe generosum nobilémque cõtemtum omnis fœdæ rusticitatis: tu, qui tam regio Patre gloriaris, displiceat tibi, atque gemas exiliũ, cui cœlestis hæreditas filiationis titulo, cuius Pater in cœlis est, reseruatur. Tales quoque adfectus inuenire est sine numero, vel termino de die in diem, suaues, & nouos, velut in fauo, vel in Manna, vel in nucleo reconditos, qui vbertim fluent, si contemplationis dente compresseris.] Sic ille.

Augustin. in regul. lib. 6. contrà Donatistas. Ser... de oratione.

Theolog. mysti. practic. considerat. 5.

Hunc precandi modum adhuc clariùs necesse est exponere, ne res tam vtilis obscuritate inuoluatur. Qui ergo vult ex adfectu horas canonicas fundere, suas miserias cognitas, & diuinam clementiam, ac misericordiam perspectam habeat, vt his mentem ad feruidè deprecandum accendat. Orationem namque his duobus comitibus mirum in modum ad deuotionem efferri Hugo Victorinus docet, his verbis: Quo studio, & quo adfectu à nobis orandus sit Deus, ex nostra miseria simul, & ex eius misericordia cõsiderare possumus. Quid enim efficacius hominem ad orandi studium excitaret, quàm miseria & calamitas tantorum malorũ, quibus addictus premitur? Et quid iucundius ad effectum orandi traheret, quàm misericordia conditoris sui, quam inter mala sua toties experitur? Ne ergo mens humana ad orandum pigra sit, hinc sua necessitate compellitur: ne autem trepida & diffidens oret, illinc pietate Dei prouocatur. Istis duabus alis, miseria scilicet hominis, & misericordia redemtoris, oratio subleuatur; quia dum mens altera horum consideratione se ad deuotionem incessanter excitat, quodam spiritualis desiderij impetu sursum leuata volat.] Humilitas itaque & propriæ miseriæ cognitio hominem ad deuotionis adfectus excitat. Vnde Dauid ait: Ne auertatur humilis factus confusus: pauper & inops laudabunt nomen tuum.] Pauper, inquam, & inops laudat, quia per Dei laudem eripi à suis miseriis exoptat: qui autem se nec pauperem, nec miserum putat, laudes, quibus à miseria eripi posset, aut liberationem impetrare, arido corde pronunciat. Consideratio etiam diuinæ clementiæ efficacissimè ad adfectus deuotionis inuitat. Ad quod in eodem Psalmographo legimus: Miserere mei Deus, quoniam ad te clamaui tota die. Lætifica animam serui tui; quoniam ad te, Domine, animam meam leuaui.] Hoc vnum peto, ô Domine, vt miserearis mei; vt multiplices miserias meas tua miseratione depellas. Hoc autem facies, quia assiduè, & singulis diebus ad te clamaui; ac pro obtinendis miserationibus tuis nihil aliud à nobis nisi desideria, & postulationes, & clamores exquiris. Animam igitur meam angoribus & tristitiis adfectam exultatione perfunde: eam enim ad te per orationes precésque leuaui, & velut munus gratissimum sustuli, ac per firmam spem in tuam benignitatem erexi. Quid est igitur, ô Dauid, quod te ad me tam fiducialiter interpellandum accendit? Certè, quoniam tu, Domine, suauis ac mitis, & multæ misericordiæ omnibus inuocantibus te.] Hæc suauitas ac benignitas tua, quia nihil merentes amplecteris: hæc mititas ac clementia tua, qua malè merentibus peccata condonas: hæc misericordia tua, qua in miseria constitutos ab omni malo liberas, meum adfectum erigit, & ad te deuotissimè inuocandum impellit. Qui itaque vult ex adfectu Psalmos depromere, se miserrimum, & Dominum misericordissimum esse actuali consideratione cognoscat.

Psal. 73. 21.

Psal. 85. 3.

Psal. 85. 4.

Ex miseria propria, & misericordia oriũtur adfectus.

Victorin. de modo orandi, cap. 1.

Ita quidem proferendi sunt Psalmi, vt in quolibet versu, immo (si fieri posset) in quolibet verbo mens gustum spiritualem percipiat. Nam orare est animã suo proprio & salutari cibo reficere. Quemadmodum ergo qui manducat vnamquamque buccellam cibi singulatim accipit, eam masticat, & ex ea saporem percipit: sic orans debet quodlibet sacræ orationis verbum singulari attentione proferre, & meditatione conterere, & cordis adfectu gustare. Vox Domini, ait regius Vates, præparantis ceruos, & reuelabit condensa: & in templo eius omnes dicent gloriam.] An non Psalmus vox Domini est? Vtique; quia ipse per Prophetam suum cœlestia mysteria loquutus est. Vnde & ipse Dauid inquit: Spiritus Domini locutus est per me; & sermo eius per linguam meam.] Hac voce non tantùm ore prolata, sed corde meditata, & gustata, præparat Deus ceruas (sic enim legunt Hebræa) quæ difficiles partus habent: id est, animas, vt sancta & spiritualia opera pariant: & ceruos, qui certis temporibus cornua, quę sibi sunt oneri, abiiciunt: id est, iustos, vt veteris hominis onera ponant. Hac eadem voce reuelat condensa, ac obscuritatem vitiorum, & adfectuum immoderantiam vanis prætextibus obuelatam detegit, vt veræ libertatis amatores seipsos per Dei gratiam à misera hac captiuitate liberent. Quando autem Dominus voce sua hæc mirabilia præstabit, nisi quando omnes (qui scilicet ad bonam vitam per hoc orationis genus iuuari volunt) in templo eius, atque in Ecclesia sancta dicent gloriam? Qui autem sunt, qui in templo Domini gloriam dicunt, nisi qui voce, & mente, & adfectu Psalmos canunt? Quem sensum certè ex Basilio desumsimus. Nam hæc eadem verba declarans, sic scribit: Tu autem non solùm non dicis, sed

Expendẽda singula Psalmorum verba.

Psal. 28. 8. Psalmus vox est Domini præparãtis ceruos. 2. Reg. 23. 2.

Basil. homil. in Psal. 28.

alteri

alteri cuipiam impedimento es: eúmque tibi vni reddis attentum, dum obſtrepero tuo clamore obtundis, & exuperas perſonantem Spiritus ſancti doctrinam. Vide ne cùm hinc emigraris, loco mercedis recipiendæ pro diuinis laudibus; vnà cum iis, qui nomen Dei execrantur, & blaſphemis vocibus inceſſunt, condemneris. Pſalmum habes, Prophetas, euangelica præcepta, Apoſtolorum prædicationes. Lingua pſallat, mens ſenſum eorum, quæ dicta ſunt, ſcrutetur: vt pſallas ſpiritu, pſallas item & mente. Non enim gloria Deus indiget, ſed vult te dignum reddi, qui olim laudem & gloriam promerearis. Quod enim ſeminat homo, hoc & metet. Seminat diuinæ laudis & gloriæ ſementem, vt coronas, honores, laudéſque in regno cœlorum metat. Hæc itaque per digreſſionem à nobis, non quidem ab re, neque inutiliter ſint dicta, de eo, quod hîc dictũ eſt: in templo eius quiſque dicat gloriam ob hoc, quòd quidam in templo Dei, nullo vmquam fine, ſe totos effundunt in futiles & aniles nugas; ac proindè nullo ſuo fructu illud ingrediuntur; atque adeò vtinam fruſtrà tantùm ſubirent templum, non etiam magno ſuo incommodo.] Iſta igitur eſt vera ac perfecta glorificatio Dei, ſi quis ore gloriam eius prædicet, & ab eo, quod ore prædicat, corde non diſtet. Si vox & mens in laudatione conſentiat, & quicquid vox ſonat mentem adficiat.

A peccatoribus in attentione vinci pudeat ſit. Iob 20. 12.

Pudeat nos in hac re à peccatoribus vinci, qui profectò mala, quæ ore proferunt, corde & cogitatione complectuntur. Ita verba, exempli gratia, impudicitiæ effundunt, vt fallacem ac turpem voluptatem, quam verbum indicat, fœdus animus eorum præguſtare non deſinat. Pulchrè admodum B. Iob hanc impiorũ qualitatem expreſſit. Cùm dulce, inquit, fuerit in ore eius malum, abſcondet illud ſub lingua ſua. Parcet illi, & non derelinquet illud, & celabit in gutture ſuo.] Malum in ore impij dulce eſt, dum illud profert; dum, vt alios ad ſuam voluntatem trahat, vel vt quid ſibi iucundũ ſit oſtendat, verbis exprimit. Hoc autem malum ore verſat, & ſub lingua habet, & non per obliuionem, aut inconſiderantiam glutit, vt in eo diutius ſe delectet. Parcit, inquam, illi malo, quod diligit, ſicut puer parcit, quantum poteſt, dulci cibo, quem comedit, & ex ore in ſtomachum tranſire non ſinit. Sic peccator non permittit malum, de quo loquitur, inguſtatum elabi, neque derelinquit illud, donec ex eo ſuauitatem accipiat. Guſtatum autem iam malum celat in gutture; quia poſt finitam loquelam, qua peruerſus animus oſtendebatur, occultum tenet in praua cogitatione. Si hæc faciunt impij in ſuam damnationem; quid æquum eſt viros ſpirituales agere in propriam ſalutem? Cùm dulcia experti fuerint in ore ſuo verba Pſalmorum, aut alterius ſanctæ precationis, abſcondant illa ſub lingua, dum intenta meditatione conſiderãt. Parcant illis ad tempus, & non ſinant elabi, donec ex eis adfectuum ſuauitatem percipiant. Immo finitis Pſalmis celent in gutture, quod legerũt; quod præſtabunt, ſi id poſtmodum quietiùs meditentur. Sic offerent Domino cum Apoſtolis fauum mellis, qui ex cera & dulcedine coagmentatur, quémque ille guſtare non dedignabitur. Vnde Bernardus ait: Offeramus cum Apoſtolis in cœleſti conuiuio, & in Dominica menſa fauum mellis. Mel in cera, deuotio in littera eſt.] Quin & illud obſeruent, vt ſi inter pſallendum, aut orandum à Domino viſitentur, dummodo tempus & commoditas ferat, à vocali oratione ceſſent, donec luce illa, ac conſolatione tranſacta horam cœptam perficiant. Quod Bonauentura monet his verbis: Hîc tamen attende, vt in oratione, quam facis, magis ſtudeas ad deuotionem, quàm ad conſummationem. Vt ſtatim cùm inueneris Chriſtum, orationem vlterius non protendas, ſed eo fruere, quem quærebas, dicens cum ſponſa: Inueni, quem diligit anima mea: tenui eum, nec dimittã. Et ſubtrahente ſe Ieſu, orationem perficias, quam incepiſti. Et conſulo tibi, vt numquã prædicta dimittas; non enim, qui incipit emẽdatur, ſed qui finaliter perſeuerat.]

Bonau. in reg. nouit. c. 2.

Cant. 3. 1.

Illud autem ad hunc modum orandi viam parat, ſi conſideremus nos eo modo debere apud Dominum preces effundere, quem homines ſæculi apud reges & iudices ſuos conſueuerunt magna contentione ſeruare. Hi namque verbis, quæ proferunt, non ſemper aliquid poſtulant, ſed nunc ſuas miſerias & calamitates exaggerant, nunc hoſtes ſuos crudelitatis damnant, ac de illis conquerũtur: nunc ipſum regem, quem adloquuntur, laudant: nunc pro acceptis beneficiis gratias agunt: nunc obſequia à ſe antea regi exhibita, & labores pro regno exantlatos replicant: nunc pro eo, quod denuo ſunt poſtulaturi, ſe gratos futuros promittunt: nunc poſtulant quod intendunt: nunc de promiſſione regia ſibi facta lætantur: nunc aſtantes interpellatores adhibent: nunc, vt pro benigna reſponſione principis gratias agant, humiliter deprecantur: ſícque ex multiplicibus & variis adfectibus ſuum ſermonem conficiunt. Ad hunc ergo modum facti ſunt Pſalmi, & compoſitæ ſunt aliæ orationes Eccleſiæ, vt poſtea apertiùs explicabimus. Qui ergo vult vtiliter orare pro exigentia verborum diuerſos adfectus induat, & illis intentè factis, ſuam intus mentem exerceat. Audi quomodo hoc doceat Bonauentura: Et ſicut orantes ſolent coram principibus (vt petitio eorum ſit efficacior) modò commendare ipſorum clementiam, quos rogant; modò proprias aggrauare miſerias, vt ad miſericordiam citiùs flectantur; modò aduerſarij accuſare fraudes, & malitias, vt ſibi ſit in auxilio, hoſti verò in odio: ſic & nos in oratione facere debemus coram Domino, ſicut Scriptura docemur.]

Imitandi nobis in oratione homines, qui iudicem deprecãtur.

Bonau. de progreſſ. relig. c. 4.

Et vberiùs Hugo Victorinus: Beatificemus (inquit) amicos Domini noſtri; indignemur inimicis eius, laudemus in eo potentiam, magnificemus pietatem, admiremur ſapientiam, extollamus generoſitatem, approbemus æquitatem. Item narremus ei miſeriam noſtram, indicemus ei neceſſitatem noſtram. Indicemus & reuelemus ei infirmitatem noſtram, confiteamur ei culpam noſtram, dicamus, & credamus alium non eſſe, per quem poſſimus eripi, per quem ſperemus liberari. Item oſtendamus ei aduerſariorum noſtrorum dæmonum, & peruerſorum hominum malitiam, crudelitatem, iniquitatem, tyrannidem: quòd ei aduerſantur, qui nos perſequuntur; quòd nobis hoſtes ſunt, qui ei contradicunt, quòd odimus, quæ odit; quòd diligimus, quæ diligit. Malle nos propter eum odia inimicorum eius perpeti, quàm contra eum habere pacem eorum.] Et paulo antè dixerat: Vnuſquiſque ergo cùm in oratione vel Pſalmos, vel alias quaſcumque ſcripturas decantat; diligenter conſideret cui adfectui ſeruiãt, & ad illum adfectum toto niſu cor ſuum excitet, ad quem id, quod loquitur, magis pertinere videt: quia ſi verborum, quæ loquitur, adfectum habuerit, per adfectum ipſum meliùs verborum virtutem cognoſcet, & intelligentiam capiet; & per verborum intelligentiam in maiorem deuotionem adfectum accendet.] Sic illi. Hac

Hugo lib. de modo orandi, c. 6.

Eodem lib. c. 5.

Bernard ſerm. 7. in Cant.

ergo ratione promendi sunt Psalmi,vt cum ingenti suauitate & fructu horas canonicas proferamus. Nec existimandum est hoc ad eos tantùm dici,qui paulatim horas in choro decãtant.Nam eos etiam adloquimur, qui priuatim legendo diuinum officium recitant: à quibus manifestum est, & experientia compertum, hoc optimè posse seruari. Sed nunc aliquos orationis vocalis ab Ecclesia admissæ,& à Deo traditæ adfectus explicemus, vt studiosus orator ex his paucis, quæ subiiciemus, à Spiritu sancto doctus alios innumeros intelligat, & eliciat.

De adfectibus orationis Dominicæ.

CAPVT XIII.

OFFICIVM diuinum ab oratione Dominica semper initium sumit, etiam in Completorio: in quo præmissa lectione breuissima,qua sub exordium noctis ad vigilandum contra diaboli insidias monemur,hanc Domini orationẽ dicimus. Meritò autem Patrem nostrum adloquuturi,qui nos licèt immeritos propter infinitam bonitatem suam adoptauit in filios;naturalis Filij,in quo sibi summè complacuit, sermonem in initio orandi vsurpamus,vt quod cupimus faciliùs impetremus. Id quoque institutum est, vt quasi breui compendio quid tota die postulaturi sumus, prima nostra verba perstringant, quod totum oratione Dominica continetur. Nihil enim licitè postulamus, quod non orationis Dominicæ verba comprehendant, & ad eam quoquomodo pertineat. Quare Augustinus egregiè ait: Nam quamlibet alia verba dicamus, quæ adfectus orantis,vel præcedendo format,vt clareat;vel consequendo attendit, vt crescat, nihil aliud dicimus, quàm quod in ista Dominica oratione positum est, si rectè & congruenter oramus. Quisquis autem id dicit, quod ad istam euangelicam precem pertinere non possit,etiamsi non illicitè orat,carnaliter orat; quod nescio quemadmodum non dicatur illicitè, quandoquidem spiritu renatos nõ nisi spiritaliter decet orare. Qui enim dicit, verbi gratia: Clarificare in omnibus gentibus,sicut clarificatus es in nobis.Et: Prophetæ tui fideles inueniantur; quid aliud dicit, quàm, Sanctificetur nomen tuum? Qui dicit: Deus virtutum conuerte nos, & ostende faciem tuam, & salui erimus; quid aliud dicit,quàm, Veniat regnum tuum? Qui dicit: Itinera mea dirige secundùm verbum tuum,& ne dominetur mei omnis iniquitas; quid aliud dicit, quàm, Fiat voluntas tua sicut in cœlo, & in terra? Qui dicit: Paupertatem & diuitias ne dederis mihi; quid aliud dicit, quàm, Panem nostrum quotidianum da nobis hodie?Qui dicit:Memento Domine Dauid,& omnis mansuetudinis eius:aut,Domine si feci istud, si est iniquitas in manibus meis; si reddidi retribuentibus mihi mala:quid aliud dicit,quàm, Dimitte nobis debita nostra,sicut & nos dimittimus debitoribus nostris? Qui dicit: Aufer à me concupiscentias ventris, & desiderium concubitus ne apprehendat; quid aliud dicit, quàm, Ne nos inferas in tentationem? Qui dicit: Erue me de inimicis meis,Deus;& ab insurgentibus super me,libera me: quid aliud dicit, quàm, Libera nos à malo? Et si per omnia precationum sanctarum verba discurras, quantum existimo, nihil inuenies,quod non ista Dominica contineat, & concludat oratio.] Hactenus ille.

Nihil licitè postulamus, quod oratione Dominica non continetur. Augustin. epist.121. ad Prob. c.12.

Est igitur hæc oratio omnium orationum dignissima,quia ab ipso Christo Saluatore nobis tradita; quia in vsum totius Ecclesiæ vsque ad finem mundi composita: quia ad omnem humanam necessitatem explicandam instituta: quia breuissimis verbis multa complectitur; & quia mirabili,& planè diuino ordine quicquid spiritale ac temporale est,& quicquid ad hanc vitam, & futuram conducibile, ipsa à Domino postulatur. Quæ igitur potest esse magis spiritualis oratio, inquit Cyprianus,quàm quæ verè à Christo nobis data est,à quo nobis & Spiritus sanctus missus est? Quæ vera magis apud Patrem precatio, quàm quæ à Filio,qui est veritas, de eius ore prolata est? Vt aliter orare, quàm docuit, non ignorantia sola sit, sed & culpa; quando ipse posuerit, & dixerit: Reiicitis mandatum Dei,vt traditionem vestram statuatis.Oremus itaque, fratres dilectissimi,sicut magister Deus docuit. Amica, & familiaris oratio est Deum de suo rogare,ad aures eius ascendere Christi orationem. Agnoscat Pater Filij sui verba, cùm precem facimus; qui habitat intus in pectore, ipse sit & in voce. Et cùm ipsum habeamus apud Patrem Aduocatum pro peccatis nostris,quando peccatores pro delictis nostris petimus, Aduocati nostri verba promamus.Nam cùm dicat,quia quodcumque petierimus à Patre in nomine eius,dabit nobis:quanto efficaciùs impetramus, quod petimus in Christi nomine,si petamus ipsius oratione?] Sic ille. Hæc præstantissima oratio multorum, ac vtilissimorum adfectuum plena, ita promenda est, vt verbis oris animæ motus respondeant, & variis se virtutibus in cordibus suis orantes exerceant. Quod quo pacto faciendum sit ipsa orationis interpretatione explicabitur.

Cur hæc oratio omnium sit dignissima.

Cyprian. de orat. Domin.

Habet hæc diuina oratio præambulum suum, quo nõ tam Dei beneuolentiã captamus, cùm ipse semper paratus sit ad se recurrentes audire; quàm nos ipsos ad orandum,& loquendum cum Deo per eleuationem ad cœlestia aptos, & rebus terrenis exoneratos reddimus.Præambulum est:

Pater noster, qui es in cœlis.]

Matth. 6.9.

Homo Deum vocat Patrem;quia verè Pater est, à quo esse illi simile accepit; à quo per gratiam adoptatur in Filium; à quo in cœlesti patria hæreditatem nulli corruptioni obnoxiam accipiet. Vocat Patrem, vt sciat se ex statu seruorum in filiorum dignitatem ipsius Domini beneficio transisse, deberéque mentem filio Dei dignam, ac planè sanctam, & sæculi contemtricem comparasse. Vocat Patrem,vt magna & sublimia fiducialiter postulet; quandoquidem antequam os ad postulandum aperiat tam eximium donum, vt filius Dei esset, accepit.Magnum est enim,inquit Leo Papa,huius muneris sacramentum, & omnia dona excedit hoc donum, vt Deus hominem vocet filium, & homo Deum nominet Patrem.] Vocat Patrem, vt abrogata lege timoris,se in amoris legem venire testetur; in qua pro nostro modulo vicem Deo rependamus, vt sicut ipse nobis ex amore benefacit, ita & nos illi non ex timore, sed ex amore seruiamus, & ex oratione ad perfectionem aspiremus. Est namque perfecti hominis opus, vt Clemens Alexandrinus scripsit,non à malis abstinere;ea enim est basis maximi profectus;sed nec aliquid boni facere vel propter metum,nec propter spem promissi honoris.

Pater cur initio nominatur.

Leo ser. 6.de Natiuit.

Clem. Alex.1. strom.

noris. Sed qui perfectus est, opus bonum eo solo expetit, quoniam honestum est, & quia Deum amat: ea operum ipsius caussa longè grauissima est; ausim enim dicere, non eo operatur, quod saluus esse velit. Tandem vocat Patrem; vt vel sola prima orationis voce cuncta necessaria postulet. Nam Patris est filiis ignoscere, Patris necessaria ministrare, Patris filiis suis in futurum de omnibus prouidere.

Cur Pater noster, non verò Pater mi dicatur.

Docetur autem homo dicere: Pater noster; & non: Pater mi. Hic enim posterior dicendi modus Christi proprius est; qui vnigenitus Filius cùm sit, & Patris Filius naturalis, potest eum Patrem singulariter nuncupare. Hánc que appellationem sibi assumsit in ianua passionis constitutus, orauítque dicens: Pater mi, si possibile est, transeat à me calix iste.] At quilibet alius homo dicat: Pater noster, quia adoptione filius est, & multos habet fratres, quibus in eadem dignitate conueniat. Dicat, Pater noster; quia ille summus Dominus habet erga nos viscera Patris, & super omnes patres & matres nostri misereatur, nobis indulget, nostri curam habet, & omnia Patris munia exactissimè gerit. Verè, ô Deus meus, tu Pater noster, & Abraham nesciuit nos, & Israël ignorauit nos: tu Domine, Pater noster, redemtor noster, à sæculo nomen tuum.] Dicat & quisque, Pater noster; vt oratio ex communi charitate fundatur, & sic acceptior sit; vt pro omnibus offeratur, & sic vtilior existat: & vt ore cuiusque Deus non Pater excelsus tantùm, aut Pater multarum gentium, vt olim Abraham, sed Pater omnium hominum & Angelorum nuncupetur. Huius enim pronominis significatio, non ad fideles solummodo restringenda est; sed ad omnes in vniuersum homines tum fideles, tum infideles: tum iustos, tum peccatores dilatanda, licèt diuerso modo: nam infideles sunt filij per creationem, & conseruationem: fideles peccatores per fidem, & veram agnitionem: iusti verò per charitatem, & gratiam. Infideles sunt tamquam filij spurij nati ex ancilla, scilicet ex natura: fideles verò sunt filij, licèt non naturales, vt Christus, tamen adoptatione filij, & legitimi, nati ex sponsa, nempe ex iustificatione, & gratia. Magnum tamen est inter fideles peccatores, iustósque discrimen: quoniam illi matrem gratiam quæ in Baptismate illos excepit, peremerunt, per crimen in semetipsis, & ideo Deo sunt inuisi, & secundùm præsentem statum gehennæ carceribus mancipati: hi verò sunt filij dilecti, & in ius æternæ hæreditatis admissi. Quamuis autem tanta sit infidelium, & peccatorum, iustorúmque distantia; sed Deus (quod ad se attinet) erga omnes est Pater. Vnus enim Deus, & Pater omnium, qui est super omnes, & per omnia, & in omnibus nobis.] Est, inquam, super omnes, quos creauit per naturæ excellentiam: est per omnes, quorum gesta comprehendit per ineffabilem sapientiam: est in omnibus iustis per communicatam illis gratiam. Neque ista prima orationis vox absque adfectu proferenda est: immo cum magna spiritus alacritate pronuncianda. Adfectus autem eius est adfectus gratitudinis, & imitationis; vt cùm dicimus, Pater noster; gratias agamus ei, qui in filios nos elegit, & ei similes nos esse per omnia statuamus. Id sanè non ego de meo capite finxi, sed à Cypriano scriptum accepi. Qui credidit, inquit, in nomine eius: & factus est Dei filius: hinc debet incipere, vt & gratias agat, & profiteatur se Dei filium, dum nominat Patrem sibi esse in cœlis Deum: conteſtetur quoque inter prima statim natiuitatis suæ verba, renunciasse se terreno & carnali patri, & patrem solum nosse se, & habere cœpisse, qui sit in cœlis.] Sic ille.

Matth. 26.39.

Isaiæ 63. 16.

Ephes. 4. 6.

Cyprian. de orat. Dominica.

Patrem hunc nostrum in cœlo regnantem adloquimur; ideóque addimus: Qui es in cœlis. Non quia ipse non regnet in terris; non quia omnia tum superna, tum inferna sua maiestate non impleat: sed quia ibi præcipuè suam pulchritudinem, bonitatem, & largitatem manifestat. Cogitamus illum in cœlis, vt nos, qui talem habemus Patrem, sciamus conuersatione debere esse cœlestes; vt discamus cœlestia & æterna petere; aut certè terrena non propter se, sed propter cœlestia postulare. Aspicimus oculo fidei illum in cœlis, vt recordatio eius nos in cœlum trahat, & mens nostra, secundùm quod natura orationis exigit, in cœlum ascendat. Sic, inquam, oramus, inquit Cassianus, vt commorationem vitæ præsentis, qua in hac degimus terra velut peregrinam, atque à nostro Patre nos longissimè separantem, toto horrore vitantes; ad illam potiùs regionem, in qua Patrem nostrum coinmorari fatemur, summo desiderio properemus, nihílque admittamus eiusmodi, quod indignos nos hac nostra professione, ac nobilitate tantæ adoptionis efficiens, & hæreditate paterna velut degeneres priuet, & iram nos faciat iustitiæ eius ac seueritatis incurrere.] At si cœlorum nomine cum Augustino, Ambrosio, Cyrillo, & aliis, iustos allegoricè intelligamus, ideo in cœlis esse dicitur, vt sanctos viros suspiciamus, & similes esse illis optemus. Quid enim potest desiderabilius excogitari, quàm Deum habere nostri cordis habitatorem, cuius tanti hospitis iugi in nobis mansione non tantùm bona creata recipimus, sed ipso summo bono increato ditamur? O quàm fœliciter nos impendimus, cùm ei, ad quem diligendum & possidendum creati sumus, nos in habitaculum tradere constituimus. In cœlis etiam, id est, in sanctis, habitare Deus dicitur, vt qui (eo donante) aliquam acceptæ iustificationis coniecturam habent, non illum extrà quærant, sed intra semetipsos ad illum interpellandum accedant. Humillimus quidem Franciscus cœlorum nomine Sanctos intelligebat; nam ita Dominum exorabat: Pater noster, qui es in cœlis, in Angelis, in Sanctis, illuminans eos ad tui cognitionem, quia tu es, Domine, lux: inflammans eos ad amorem tuum diuinum, quia tu, Domine, amor es: inhabitans & implens eos ad beatitudinem, quia tu, Domine, summum bonum es, & æternum bonum, à quo omnia bona, & sine quo nullum bonum.] Hæc ille. Post hoc præludium sequitur ipsa oratio septem petitiones comprehendens, in quarum qualibet duos adfectus attingemus, quibus orator poterit externam vocem informare.

Cur illũ in cœlis dicamus esse, & qui hi cœli.

Cassian. col. 9. c. 17.

Aug. lib. 2. de ser. Domini in mõte. c. 9. Ambros. 5. de sacra. c. 4. Cyrill. Hieros. catech. 5.

In orat. eius habetur t. 5. Biblioth.

Sanctificetur nomen tuum.]

Hic homo ebrietatem quamdam spiritualem incurrat, qua immemor sui, memor Dei, ipsi totus deditus, & ei soli per amorem perfectum inhærens eius gloriam solùm promouere & augere desideret: dicátque ita: Ego, ô Pater, mei ipsius nullam curam habeo, mei penitus

Dum sãctificatur Deus, sui humilitatem, & Dei gloriam desiderat homo.

nitus obliuiſcor, me reſpuo, negligo, atque contemno. Id ſolum cupio, & poſtulo, vt nomen tuum per ſe ſanctum, ab omnibus ſanctum cognoſcatur, colatur, & honoretur. Id peto, vt tua augeatur gloria, vt ab omnibus diligaris, vt vniuerſæ creaturæ, aliis curis ſepoſitis, in tuam gloriam prædicandam & celebrandam intendant. Id ſummis votis concupiſco; vt nomen tuum, Deus, quo te homunculi nominamus, ab omnibus cum ſumma reuerentia & veneratione tractetur. Quia verè, vt ſeruus tuus Thomas Aquinas ſcripſit, nomen tuum magnum eſt ad timendum, ſanctum ad venerandum, dulce ad meditandum, copioſum ad miſerendum, efficax ad impetrandum, virtuoſum ad ſaluandum, & occultum ad ſciendum.] Id demum toto conatu mei cordis exopto; vt infideles ad tui notionem voces per fidem, peccatores ad te trahas per iuſtificationis gratiam; iuſtos prouehas per virtutum augmentum, & perfectos efferas ad deſtinatam illis perfectionis menſuram. Sic enim ſanctum erit nomen tuum; quia in omnibus illud, quod in ſe ſanctum eſt, ſanctum apparebit, & ſanctitatem ſuam humanis mentibus inſtillabit. Hic etiam adfectus eſt humilitatis. Sanctificetur nomen tuum in me, & cor meum, quod ad tui cognitionem illuminaſti, ad tuam venerationem & reuerentiam inclina. Fac vt humilies ſub potenti manu tua, vt te verear magnum, ac diligam bonum. Poſtquam autem in me fuerit ſanctificatum nomen tuum, ſanctificetur per me, vt & doctrina mea, aut verbum meum tuæ ſanctificationi ſeruiat, & conuerſatio mea ad tuam gloriam dilatandam proficiat.

D. Th. ad Iſaiæ c...

Adueniat regnum tuum.]

Dei fieri regnum animæ exopiat.

Adfectu ſponſæ proferendum eſt, ſponſi præſentiam ſibi cupientis, & amorem erga illum omnibus deſiderantis. Iam, ô Pater amantiſſime, & ſponſe dulciſſime, omnia mihi viluerunt: iam ſitim meam aliter temperare non valeo, niſi totus illuc tranſeam, vbi te facie ad faciem videam. Iam cupio diſſolui, & tecum eſſe; quia hoc mihi multo melius eſt, vbi nec tibi diſplicere, nec amore intepeſcere, nec oculis potero caligare, ſed te ſine vlla mutabilitate poſſidere. Iam deſidero eſſe, vbi memoria mea in nullo præter te occupetur: vbi intellectus meus nihil niſi tuam pulchritudinem contempletur: vbi voluntas mea te ſolum omne bonum complectatur. Adueniat igitur regnum tuum. Adduc ad me ſtatum illum gloriæ tuæ, in quo omnis à me, vel leuis culpa abeat, omnis mentis caligo fugiat, omnis ceſſatio à tuo amore diſcedat. Vbi te facie ad faciem videam, & corruptibile hoc induat incorruptionem; & mortale hoc induatur immortalitate. Non igitur peto, vt tu, Domine, rebus omnibus imperes: nam & ab initio creaturæ vſque nunc, & ab hoc momento vſque in æternum omnia, quæ feciſti, tibi ſubiecta ſunt, & ea pro tuo arbitrio gubernas, & regnum tuum regnum omnium ſæculorum; ac dominatio tua in omni generatione, & generatione. Sed id poſtulo, vt regnum illud, quo regnas in Angelis, & in Sanctis, qui hinc emigrarunt, me ſuſcipiat, & ad te videndum, & te fruendum aſſumat. Interim tamen, dum hanc fœlicitatem expecto, adueniat ad me regnum illud tuum, de quo dixit Apoſtolus tuus: Quia regnum Dei eſt iuſtitia, & pax, & gaudium in Spiritu ſancto.] Illud, inquam, regnum, quo in animabus perfectis regnas; vt diaboli imperio de corde meo per extinctionem vitiorum expulſo, tu per bonam virtutum fragrantiam in me incipias dominari; & me ad charitatem robuſtam prouehens mentem meam tuum regnum efficias. Inſuper & oro, vt adueniat ad omnes regnum tuum; vt ſis, Deus, omnia in omnibus. Hic enim adfectus charitatis fraternæ omnem inuidiam calcans tibi placet, vt quod mihi cupio, omnibus cupiam; & ſicut mihi hîc ſanctitatem, & in futuro gloriam: ita eadem proximis meis tota mentis deuotione deſiderem.

Pſ. 144. 13.

Rom. 14. 17.

1. Cor. 15. 28.

Fiat voluntas tua ſicut in cœlo, & in terra.]

Dei ſe voluntati homo in omnibus ſubdit.

Adfectus eſt filij ad voluntatem Patris ſe per omnia conformantis. Item, ô Pater, ad regnum tuum, ſiue ad illud, quo in beatis regnas, ſiue ad illud, quo viris perfectis dominaris, executio tuæ voluntatis eſt. Fiat, ſuppliciter exoro, in me voluntas tua, & in nullo à tua voluntate me diſcrepare patiaris. Nihil ſit in cogitationibus meis, nihil in deſideriis meis, nihil in verbis, aut operibus meis, quod tuis oculis inuiſum appareat. Non ego, quæ mea ſunt, quæram, non commoda, non honores, non conſolationes; ſed in proſperis, & in aduerſis; in vita, & in morte, ſiue deprimar, ſiue extollar, tuæ ſemper voluntati ſubiiciar. Credo enim te, Domine, vt tuus ſeruus Ioannes Caſſianus ait, omnia, quę videntur vel aduerſa, vel proſpera pro noſtris vtilitatibus diſpenſare: magiſque te pro tuorum ſalute & commodis prouidum, atque ſollicitum, quàm nos ipſos eſſe pro nobis. Quin & per adfectum manſuetudinis oro, vt ſicut in cœlo, deuicto diabolo, pacem feciſti: ita & in terra nos ad concordiam trahas, pacémque conuertas; vt ſcilicet idem ſecundùm Apoſtolum tuum, ſentiamus, idem dicamus omnes, & non ſint in nobis ſchiſmata, ſed in ſenſu à te inſpirato conſentiamus, & in eo, quod à nobis fieri vis, vna voluntate concordemus. Sicut ergo, quod tibi placitum eſt in cœlo ab Angelis fit, ita etiam fiat à nobis in terra. Et ſicut illi, qui cœli ſunt, aut cœleſtes tibi in omnibus obſequuntur; ita & nos, qui terra, aut terreni ſumus, tibi in omnibus obſequamur. Vel, quia quod in me quaſi vim obtinet cœli, ſcilicet ſpiritus promtus eſt, & tuæ voluntati ſubiectus: quod verò ſe habet vt terra, caro videlicet, infirma eſt, & ſpiritui reluctatur: fac, ô Pater, vt ſicut ſpiritus tibi per conformitatem ad beneplacitum ſubiicitur, ita & caro tuæ legi ſubiiciatur, & per obedientiam ad mentem, tuam in omnibus voluntatem exquirat. Nam cùm corpus è terra (inquit Cyprianus) & ſpiritum poſſideamus è cœlo, ipſi terra, & cœlum ſumus, & in vtroque, id eſt, in corpore, & ſpiritu, vt tua, ô Domine, voluntas fiat, oramus. Eſt enim inter carnem & ſpiritum colluctatio, & diſcordantibus aduersùs ſe inuicem quottidiana congreſſio, vt non, quæ volumus, ipſa faciamus: dum ſpiritus cœleſtia & diuina quærit; caro terrena & ſæcularia concupiſcit: & ideo petimus impensè ope & auxilio tuo concordiam fieri, vt dum & in ſpiritu, & in carne voluntas tua geritur, quæ per eum renata eſt, anima ſeruetur.]

Caſſian. col. 9. c. 19.

Cyprian. lib. de oratione Dominica.

Panem nostrum quottidianũ da nobis hodie.]

Hic est adfectus mendici & pauperis ad ea, quæ præmiserat, auxilium deposcentis. Scio, ô Pater, & ingenuè fateor, quia nec te in me sanctum ostendere, nec ad tuum regnum peruenire, nec tuam voluntatem exequi, nisi te donante, & meam imbecillitatem iuuante præualeo. Da nobis proinde auxilium, quo ad bonum roboremur, & cibum, quo pascamur, & panem nostrum quottidianum da nobis hodie. O verè Pater, & verè amice, accommoda mihi tres panes, quia lassus de via venio ad te, nec habeo quod manducem. Da mihi panem cœlestem corpus vnigeniti Filij tui: panem illum supersubstantialem, qui super omnes substantias est, & vniuersas superat creaturas: panem illum quottidianum, quem licèt aliquando non quottidie sacramentaliter sumamus; at quottidie virtute ab illo communicata indigemus: panem illum verè nostrum, quia non omnium est, sed noster est; quia in vsum tantùm fidelium datus, ab ipsísque vtiliter tantùm acceptus. Panem hunc da nobis, vt eo viuamus; quia qui manducat hunc panem, viuet in æternum: vtque eo in te maneamus, non enim possumus à te diuelli, si gratiam acceptam custodiamus, qui Christum tuum Filium accepimus. Da etiam nobis panem spiritualem gratiæ tuæ, & auxiliorum tuorum: qui & supersubstantialis est; quoniam cùm sit supernaturalis, supra nostram substantiam est: & etiam quottidianus, quoniam non solùm quottidie, verùm & singulis momentis eo opus habemus. Hunc ergo panem impertire nobis, qui nos præcedat, comitetur, & sequatur; qui intellectum nostrum illuminet, voluntatem excitet, & ad omne opus bonum vires administret. Tu dixisti, Domine: Venite, comedite panem meum, & bibite vinum quod miscui vobis.] En venimus, vt comedamus hunc panem tuum, qui tuus est, quia à te datur: & noster, quia à nobis accipitur. Da nobis illum hodie, atque in tempore huius vitæ mortalis, vt illo pasti sanctam vitam incipere, & in ea progredi, & perseuerare possimus. Quid & tertium panem adiice, ô Pater, panem supersubstantialem, qui ad substantiam naturæ huius seruandam pertinet: panem quottidianum, quo singulis diebus infirmitas nostra subsistit. Da, inquam, corpori nostro escam, & quicquid ad vitam hanc transigendam est necessarium, vt à tuo obsequio minimè distrahatur, & ad tempus à te præstitutum secundùm dispositionem voluntatis tuæ à temporali morte seruetur. Hunc panem nostrum, id est, nobis necessarium omnes tum pauperes, tum diuites petimus. Pauperes, vt habeamus, diuites ne amittamus: & pauperes, & diuites, vt hoc subsidio temporali ad tibi seruiendum iuuemur. Hunc triplicem panem à te petimus, quia illorum quilibet, vt Rupertus seruus tuus ait, donum tuum est. Nam panem materialem quis, nisi tu, facit vt terra producat? Et panem spiritualem, quis, nisi tu, facit vt cœlitus ad nos veniat? Et panem cœlestem: quis nisi tu, nobis pauperculis administrat? Hunc panem ergo à te poscimus; quia à te solo posse dari cognoscimus.

Multiplici pane à Deo homo cibari desiderat.

Prou. 9.

Ruper. lib. 5. in Matth. ad c. 6.

Et dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.]

Adfectus est serui peccata plangentis, & ob ea, quæ commisit, quæ petiuit esse sibi neganda, formidantis. Multa, & magna, & pretiosa postulaui, ô Pater, cùm tamen ob patrata delicta, vel minimo dono sim prorsus indignus. At tu, qui benignus es, qui miserationum auctor, qui viscera Patris habes, hoc impedimentum accipiendi dona tua funditus tolles. Dimitte ergo debita nostra quibus obstricti tenemur: aufer ac dele peccata nostra, tum magna, tum parua, quorum fœditate apud te inuisi reddimur, & non ad dona, sed ad vltionem, & ad pœnas præparamur. Absterge ac emunge maculas nostras, quibus inquinati petere fiducialiter non audemus. Qua filij tui sumus, ô Domine, non peccamus; quoniam omnis, qui in te manet, non peccat: & omnis, qui natus est ex te, peccatum non facit. At quatenus ex protoplasto procedimus, peccatores sumus, & in multis offendimus omnes. Sed propter nomen tuum propitiaberis peccatis nostris, & secundùm multitudinem miserationum tuarum destrues in nobis peccata nostra. Dimitte, inquam, nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris: modò hæc verba non mensuram dimittendi sonent (nam multo copiosiorem indulgentiam à te speramus, quàm nos inimicis concedimus) sed legem, aut dimittendi conditionem adiiciant. Iam enim desiderium indulgendi concepimus, & quia illud (te donante) implere statuimus, vt hac lege nobis parcas, postulamus. Et quidem tua gratia largiente, Domine, vt Hugo ait, quod nostrum est offerimus; tu quod tuum est adiunge. Scimus enim quòd nullum bonum sine tua cooperatione perficitur. Ideo, quod iam accepimus, libenter offerimus desideriũ; vt tu, quem nondum accepimus, sed desideramus, & desiderando oramus, virtutis præstes adfectum. Iccireo, cùm dicimus tibi: nos dimittimus; non iactamus virtutis plenitudinem, sed gratulamur propter desiderij boni inchoationem. Propterea ecce dimittimus, parati sumus dimittere, parati sumus indulgere. Dimittimus vt non repetamus, dimittimus vt non succenseamus. Tibi enim, Domine, cor loquitur, tibi animus confitetur. Ideo ex corde dimittimus, quia tu gratum non haberes, quicquid extrinsecus fieret, si quod lingua dicit, id etiam conscientia non approbaret. Ideo dimittimus debitoribus nostris; dimittimus, vt non requiramus ad vindictam: dimittimus, vt non retineamus ad malitiam. Propterea tu dimitte, sicut dimittimus nos: dimitte, vt non retineas ad odium: dimitte, vt non exigas ad tormentum. Parum est enim nobis non puniri, nisi mereamur & diligi.] Dimitte igitur peccata nostra, quæ nunc nos detestamur, in quæ motu indignationis insurgimus; quibus excidium, vt nobis vitam impetremus, optamus, ac pro quorum remissione vnigeniti Filij tui merita infiniti valoris offerimus.

Ob patrata delicta donis se putat indignũ.

1. Ioan. 3. 6. 9.

Hugo 2. Allegor. in Matth. c. 12.

Et ne nos inducas in tentationem.]

Adfectus est humilitatis, & cognitionis propriæ infirmitatis. Quia non sufficit, ô Pater sancte, peccatorum veniam impetrasse, nisi deinceps peccata vitemus, ob id ad ea in posterum vitanda auxilium deposcimus. Fragiles sumus, ô Domine, & quibus nulla subest resistendi facultas. Habemus autem hostes fortissimos, quos, nisi tu suppetias feras, superare non possumus. Caligine obuoluti sumus, eósque, à quibus

Propriã imbecillitatem agnoscit homo.

vulneramur, aſpicere non valemus. Ac propter antiqua noſtra peccata digni ſumus, qui in manu hoſtium relinquamur. Sed tu, ô Pater, ô verè Dux noſter, cuius eſt nos ex Ægypto peccati per deſertum huius vitæ ad terram viuentium perducere, ne retrahas manus tuas ab auxilio ſeruorum tuorum; aſcende citò, libera nos, férque præſidium. Ne proiicias nos à facie tua, cuius ſplendoribus illuminemur. Ne memineris iniquitatum noſtrarum antiquarum, propter quas tuam iram commeruimus; nec nos in tentationem induces; id eſt, ne nos tentari vſque ad caſum, aut in peccatum labi permittas. Non petimus, Domine, ne tentemur: ſcimus enim quia ſæpe eſt nobis vtile tentatione pulſari, vt humiliemur, vt probemur, vt purgemur, vt apud te merita augeamus, & vt fideles inueniamur. Sed ne in tentationem, qua ad peccatum impellimur, vmquam cadamus. Tentatus eſt Abraham, tentatus eſt & Ioſeph, inquit Caſſianus, ſed neuter illorum eſt in tentationem inductus, quia nullus eorum conſenſum præbuit tentatori.] Ita ſi oportet nos aliquando tentari, at tu potentia tua, caſum à nobis & peccatum auertes. Immo & etiam petimus imbecillitatis noſtræ memores, vt vitam quietam agamus, & ne iugiter tentationibus moleſtemur. Tu enim dixiſti, Domine: Vigilate, & orate, ne intretis in tentationem.] Petimus ergo ad omne tempus, ne in tentationem incidamus; & ad multum tempus ne tentationibus vrgeamur, ſed in tranquillitate mentis tuis obſequiis mancipemur.

Ioſue 10. 6.

Pſal. 50. 13.

Caſſian. col. 9. c. 22.

Marc. 14. 38.

Sed libera nos à malo.]

Poſtremus adfectus eſt delinquentis coram iudice aſtantis; vel hominis miſeri calamitates, quibus circumdatur, deplorantis. Quia verò, ô Pater, non tantùm impulſibus ad peccatum trahentibus quatimur, ſed multis nunc periculis cingimur, & æternum malum, quod noſtra peccata meruerunt, formidamus; & diabolum caput malorum nobis inſidiantem pertimeſcimus: ideo à te ſupplices petimus, vt ab his omnibus liberemur. Patris eſt tueri filios, à malis eripere, à ſummis calamitatibus eximere, à ſuis hoſtibus vindicare. Et tu, ô Domine, qui à nobis Pater vocari iubes, Pater es, & nos filij, licèt duri, & rebelles; fac nobiſcum non ſecundùm nequitiam noſtram, ſed ſecundùm multitudinem miſerationum tuarũ, & ſecundùm magnitudinem benignitatis tuæ. Libera nos ab imminentibus malis tum corporis, tum animæ, quibus circumdamur, quia non habemus refugium aliud præter te, & omnem ſpem noſtram collocauimus in te. Et tu dixiſti: Quoniam in me ſperauit, liberabo eum: protegam eum, quoniam cognouit nomen meum.] Libera nos ab illo malo omnium malorum peſſimo damnationis æternę. Noli nos condemnare, noli nos à te reiicere. Ne intres in iudicium cum ſeruis tuis; quia non iuſtificabitur in conſpectu tuo omnis viuens. Ne in furore tuo arguas nos, neque in ira tua corripias nos. Nam ſi hoc iuſtitia exigit, ſed ſalutem noſtram, & remiſſionem huius vltionis ſuperexaltans iudicium miſericordia requirit. Libera tandem nos à malo malorum capite, ab aduerſario noſtro diabolo, nec permittas nos tentari ab eo ſupra id, quod poſſumus, ſed fac cum tentatione prouentum, vt ſuſtinere valeamus. Ecce patefecimus, ô lector, licèt rudi Minerua, adfectus orationis Dominicæ, in quibus homo humiliter exaltatur, & ſublimiter deprimitur. Ita exaltatur filius, vt ſe ſeruum etiam eſſe, & ſeruum malum, & pigrum peccatis fœtidum, & pœnis peccatorum obnoxium non obliuiſcatur. Ita deprimitur ſeruus, vt ad concipiendam ſpem, & augendum amorem ſe filium eſſe, & hæredem regni recordetur. Sic ergo voce hanc orationem depromes, vt corde eius miram ſuauitatem deguſtare non deſinas.

A quibus ſe malis liberari deſideret.

Pſal. 90. 14.

De adfectibus ſalutationis Angelicæ.

CAPVT XIV.

POST Orationem Dominicam in officio diuino Salutationem Angelicam recitamus, qua ſcilicet Angelus Gabriel B. Virginem ſalutauit, cùm ei diuini Verbi conceptionem edixit. Meritò autem poſt Dominicam orationem profertur; vt Deiparam poſt Deum ac Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, primum locum obtinere profiteamur: vt ab ea adiutorium ad reuerenter & deuotè orandum obtineamus: & vt tamquam ſerui Virginis ſacræ, quo libentiùs exaudiamur, ad conſpectum noſtri creatoris intremus. Hæc præſtantiſſima & planè cœleſtis oratio in tres partes diſtributa eſt: in Salutationem Mariæ; in laudationem eius, ac Filij ſui; & in breuiſſimam ac ſapientiſſimam petitionem. Illa priora verba: Aue Maria, gratia plena; Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus; ex ore Angeli ſalutantis, & bonum nuncium deferentis ſumta ſunt. Sequentia: Et benedictus fructus ventris tui; ex ore Elizabethæ. Virgini ſibi ſalutanti reſpondentis excepta. Niſi quòd duo nomina, matris, & filij, adiecta ſunt, vt videlicet illud nos orantes ad reuerentiam incitaret; & iſtud tamquam filij dilectiſſimi nomen, Virginem ſalutatam ad beneuolentiam alliceret. Poſtrema verba ſunt ab Eccleſia per Spiritus diuini inſpirationem adiecta, vt eis nos eiuſdem Eccleſiæ filij neceſſaria poſtulemus. Debet autem tam ſuauis ac dulcis oratio ſuis propriis adfectibus recitari, quos nunc breuiter exponemus.

Luc. 1. 28.

Luc. 1. 43

Aue Maria.]

In Aue congratulationis, & in Maria reuerentiæ adfectum cognoſcimus. Aue, ô Virgo beatiſſima, congratulor tibi, quòd ſalua ſis, & quòd in perpetuum ſupra omnes Angelos & Sanctos ſalutem habeas. Complaceo tibi, quòd fons fueris ſalutis; quia ex te ſalus totius mundi prodiit, & Saluator ille, cuius ſanguine mundaremur, erupit. Gaude, ô Virgo ſanctiſſima, & exultet ſpiritus tuus in Deo ſalutari tuo; quia fecit in te magna, qui potens eſt. Gaude, quia omnibus Sanctis prælata; quia ſuper cunctos Angelos exaltata; quia Domina, & Regina, & Imperatrix vniuerſarum creaturarum effecta. Gaude, quia filia Patris, Mater Filij, ſponſa Spiritus ſancti. Gaude, quia illum concepiſti, illum peperiſti, illius perpetuo obſequio te conſecraſti, cui placere ſapere eſt, cui ſeruire regnare eſt. Primæ mulieri dicatur, Væ: quia in mundum triſtitiam, miſeriam & calamitatem intulit: tibi verò dicatur, Aue; quia te Dominus ab omni miſeria & infœlicitate immunem

Cùm Aue dicimus Virgini multa gratulamur.

fecit.

fecit. Tu libera à culpa operis;quia numquam malum aut grande, aut leue feciſti : tu libera à culpa oris ; cùm nullum verbum inordinatum loquuta fueris : tu libera à culpa cordis , cùm nihil minus ſanctũ cogitaueris.A te abfuit miſeria naſcentium, quia ex vtero matris non ad malum propenſa, ſed ad bonum inclinata prodiiſti. Abfuit miſeria parientium ; quia abſque amiſſione integritatis Verbum hominem factum concepiſti, & peperiſti , ac ſine dolore fudiſti. Abfuit miſeria morientium; quia nec dolorem , aut horrorem in morte , nec corruptionem poſt mortem habuiſti. Tu tandem exemta ab omni malorum & peccatorum pœna; cuius beatitudo ſupra omnem mortalium cogitationem magna eſt:cuius priuilegiorum multitudo innumerabilis eſt : cuius ſplendor & honor æternus eſt. Aue igitur , & gaude , ac lætare de his omnibus, ô Virgo beata , de quibus & tibi gratulamur , & pro quibus nobis ineffabilia gaudia promittimus.

Aue Maria.]

Cũ Mariã, Dominam, illuminatricem, ad ſtellã maris nominamus.

Nomen hoc tuum dulciſſimum ſuper mel , & fauum , ingentem mihi tuæ dignitatis & magnitudinis venerationem ingerit. Nam Mariæ nomen Dominam ſonat. Sed quis Angelorum & hominum Dominam , & totius orbis reginam potentiſſimam non veneretur? Cuius imperium cœlicolæ ſuſpiciunt ; cuius iuſſioni terram inhabitantes obediunt , ad cuius vocem dæmones contremiſcunt. Mariæ nomen illuminatricem ſignificat. Et quis illuminatricé omnium ſpirituum tum cœleſtium,tum terreſtrium non honoret? Tu ſpiritus cœleſtes claritate tui ſplendoris illuminas ; & terreſtres exemplis tuis ac beneficiis illuſtras. Et, vt Bernardus tuus ait : Præſentia tua totus illuſtratur orbis;& ipſa iam cœleſtis patria clariùs rutilat tuæ virgineæ lampadis irradiata fulgore.] Nomen tuum etiam ſtellæ maris ſignificationem habet. Et quis non te ſtellam noſtram fulgentiſſimam reuerentia proſequatur,quę inſtar ſtellæ,abſque vlla nebula peccati vixiſti , radium Verbi nos illuminantem peperiſti , & mortales per mare huius ſæculi procelloſi ſemper ad portum ſalutis direxiſti. Si inſurgant venti tentationum (vt paululum verba tui Bernardi immutem) ſi incurro in ſcopulos tribulationum , reſpicio te ſtellam , voco te Mariam. Te ſequens non deuio , te rogans non deſpero , te cogitans non erro , te me tenente non corruo : ſi tu me protegas non metuo : ſi tu me ducas non fatigor ; ſi mihi ſis propitia , peruenio; & ſic in memetipſo experior,quàm meritò voceris Maria.] Ac tandem ſi nomen hoc tuum maris eſt nomen; quis non te reuereatur, ô mare gratiarum, ô pelagus vaſtiſſimum çhariſmatum , atque donorum ? Omnia flumina intrant in mare , & omnes gratiæ intrarunt & conſederunt in anima tua. In te omnis gratia viæ, & veritatis : in te omnis ſpes vitæ, & virtutis. Tu mare dulcedinis iis , qui diligunt te : tu pelagus refugij iis, qui inuocant te : tu Oceanus ſanctitatis iis , qui conſiderant & contemplantur te. Tibi tua, quæ poſſides, bona volumus , & tuam dignitatem poſt Deum maximam humillimè reueremur.

Bernard.

Bernard.

Eccl.1.7.

Eccli.24. 25.

Gratia plena.]

Cũ, Plenam gratia, quã-

Adfectum habet exultationis. Gaude , ô Maria; exulta, & lauda, ô Deipara : ideo autem gaudere debes , quia gratia plena. Non dico tibi vt gaudeas de generis nobilitate , non de corporis pulchritudine , ſed de gratiæ plenitudine. Gaude , & tibi adgaudeo , quia gratia plena es. Nam & omnes gratias accepiſti. Huic detur ſermo ſapientiæ , & alteri ſermo ſcientiæ , & alij gratia ſanitatum : tibi verò omnis gratia ſeipſum infudit. Tu gratia plena; quia in mente , & in carne ; in viribus internis , ac in ſenſibus externis , toto vitæ tempore gratiam habuiſti ; adeò vt extincto fomite nullum ſis aduersùs rationem & virtutem motum experta. Tu gratia plena , quia nulli vmquam peccato aditum aperuiſti. A te enim tamquam ab habitaculo gratia occupato , & repleto, peccatum lethale fugit, veniale declinauit , originale diſceſſit. Tu gratia plena , quia omnia opera ex gratia feciſti ; nullúmque in te fuit opus , non ſolùm,quod peccatum inquinaret,ſed etiam, quod ſola natura gratia nuda produceret. Alij quantumuis ſancti aliquando ſaltem leuiter demeruerunt ; aliquando non meruerunt. Tu verò nec demerito fœdata es , nec ad momentum merito deſtituta. Tu gratia plena, quoniam in cunctis virtutibus eminuiſti.Nam alij in vna aliqua virtute præcelluerunt : hic in humilitate , ille in euangelica paupertate: at tu,ô Domina,omnium virtutum ſupremum gradum adepta es. Tu gratia plena ; quia eam gratiæ celſitudinem & dignitatem accepiſti, vt ſuper omnes homines &Angelos ſis Deo grata, & ad Matris Dei dignitatem electa. Aliquis forſan in Scriptura plenus gratia dicitur , vt Stephanus; ſed ille vt ſeruus,tu vt Regina. Certum eſt autem, quia diuitiæ,quæ cubiculum ancillæ replerent,domum reginæ ſatis vacuam relinquerent.Ille plenus vt riuulus ; tu,ô Virgo beata, vt flumen magnum, quod proximè ex fonte Chriſti ſcaturiens pleniſſimo alueo decurris.

tam poſſumus plenitudinẽ condenamus.

Act.6.8.

Dominus tecum.]

Adfectus eſt maximæ admirationis.Gaude,Maria,non tantùm quia tu gratia plena es ; ſed etiam, quia Dominus ipſe tecum eſt. Aliis in Scriptura ſancta hoc idem verbum dictum eſt.Nam Gedeon audiuit ab Angelo:Dominus tecum virorum fortiſſime.] At illis imprecamur , quod ipſis conducibile eſt : tibi autem cum ingenti admiratione annunciamus , quod in te geſtum eſt. Et quidem Dominus, ô Virgo, nobiſcum eſt:quomodo enim ſine eo ſubſiſteremus ? At non pariter atque in te. Dominus enim tecum,ait tuus ſeruus Auguſtinus, ſed plus quàm mecum. In me enim licèt ſit Dominus , memetipſum creauit Dominus , per te autem genitus eſt Dominus. Ita eſt Dominus tecum, vt ſit in corde tuo , ſit in vtero tuo , adimpleat mentem tuam , adimpleat carnem tuam.] Dominus quidem mecum per protectionem ſuam. Nam & omnibus congruit , quod Iſaiæ , ac Ieremiæ dictum eſt : Ne timeas , quia ego tecum ſum.] Et: Ne timeas à facie eorum , quia ego tecum ſum, vt eruam te.] At tecum per amplius protectionis donum ; quia ab omni , vel minima imperfectione, & ab omni næuo protecta es. Dominus etiam mecum per gratiam, ſi ita fœliciter mecum actum ſit , vt iuſtus ſim. Ad iuſtum namque veniemus, ait Dominus , & manſionem apud eum faciemus.] Et quidam orat : Mitte ſapientiam de cœlis ſanctis tuis , vt mecum ſit , & mecum laboret.] At tecum per maiorem & excellentiorem gratiam,quia gratia nobis collata tamquam ſeruorum eſt : tua verò tamquam Dominæ, tamquam Matris datoris gratiæ,

Iudic.6. 13.

Aug.ſer. 18.de tẽpore.

Iſaiæ 41. 10. Ierem. 1. 8.

Ioan. 14. 23.

Sap.9.10.

Pluribus in illa modis,quàm in alia puracrea

tura Dominum extitiſſe gloriamur.

tiæ, & tamquam Reginæ. Sed Dominus non mecum, neque cum aliquo Angelorum, aut hominum, præter te, per aſſumtionem humanæ naturę: ſic autem (ô res miranda!) eſt tecum, quia ex te humanam naturam aſſumſit. Dominus Pater tecum, ô Virgo beatiſſima; quia virtus Altiſſimi obumbrauit tibi. Dominus Spiritus ſanctus tecum, ô Virgo puriſſima; quia Spiritus ſanctus ſuperuenit in te. Dominus Filius tecum, ô Virgo ſapientiſſima; quia concepiſti, & peperiſti Filium Dei. Tu profectò mulier amicta iuſtitiæ ſole. Quàm familiaris ei facta es, Domina, quàm proxima, immo quàm intima fieri meruiſti, inquit Bernardus tuus, quantam inueniſti gratiam apud Deum? In te manet, & tu in eo; & veſtis eum, & veſtiris ab eo. Veſtis eum ſubſtantia carnis, & veſtit ille te gloria ſuæ maieſtatis. Veſtis ſolem nube, & ſole ipſa veſtiris.] Dominus, ô Virgo, potentiſſimus tecum, ex quo habes vt ſis potentiſſima, & in Ieruſalem in Eccleſia tam militante, quàm triumphante poteſtas tua Dominus ſapientiſſimus tecum, & tu ex illo ſapientiſſima; in quo (vt Anſelmus inquit) reconditi ſunt theſauri ſapientiæ, & ſcientiæ Dei. Dominus tecum opulentiſſimus; tu autem facta ab illo opulentiſſima; quia licèt omnes filiæ, atque vniuerſæ animæ ſanctæ congregauerint diuitias; tu ſupergreſſa es vniuerſas. Dominus æternus tecum: & tu ex dono eius numquam à tua celſitudine excides, numquam deficies. Es namque thronus eius. Cuius thronus, ait Deus, ſicut ſol in conſpectu meo, & ſicut luna perfecta in æternum.] Tu ergo, ô pia peccatorum mater, quæ tecum Dominum habes, vt mecum ſis humiliter poſtulo. Eſto mecam cognitione, vt tuam muram dignitatem agnoſcam. Eſto mecum dilectione, vt te ardentiſſimo amore complectar. Eſto mecum imitatione, vt te ſancta conuerſatione conſecter. Et eſto mihi protectione, vt ab hoſtibus meis tua poteſtate defendar.

Apoc. 12. 1.

Prou. 31. 29.

Pſal. 88. 37.

Benedicta tu in mulieribus.]

Illuſtres omnes fœminas Maria ſuperauit.

Hic adfectus eſt laudationis. Gaude etiã, ô Deipara, quia benedicta in mulieribus, quia ſupra omnes mulieres benedicta es. Quædam illarum acceperunt benedictionem virginitatis, ſed ſteriles permanſerunt. Tu non amiſſa virginitate, accepiſti fœcunditatem; & te ita virginem appellamus, vt matrem prædicemus; ita matrem prædicamus, vt ante partum, & in partu, & poſt partum virginem integerrimam non negemus. Benedicta tu in mulieribus, ſcribit Bernardus tuus, quæ illam generalem maledictionem euaſiſti, qua dictum eſt: In triſtitia paries filios; & nihilominus illam, qua ſecutum eſt: Maledicta ſterilis in Iſraël; ac ſingularem conſecuta es benedictionem, vt nec ſterilis maneas, nec cum dolore parturias.] Aliquæ mulieres fortè benedictæ, quia homines mundo vtiles pepererunt: tu ſuper omnes benedicta, quia Deum & hominem genuiſti, & Saluatorem totius orbis, capútque Angelorum, & hominum enixa es. Benedicta inter mulieres Iahel, quia aquam hoſti petenti lac dedit, & in phiala principum obtulit butyrum. Siniſtram manum miſit ad clauum, & dexteram ad fabrorum malleos, percuſsítque Siſaram, quærens in capite vulneri locum, & tempus validè perforans. Sed tu præ illa benedicta, quia caput ſerpentis contriuiſti, & per Filium tuum benedictum humanum genus à dura ſeruitute liberaſti. Iudith etiam benedicta filia dicitur à Domino Deo excelſo, præ omnibus mulieribus ſuper terram. At tu, ô Virgo, millies quàm illa benedicta; quia non Holofernem, ſicut illa, ſed diabolum proſtrauiſti; in quam multo melius, quàm in Iudith, quadrant verba totius Eccleſiæ, dicentis: Tu gloria Ieruſalem, tu lætitia Iſraël, tu honorificentia populi noſtri; quia feciſti viriliter, & confortatum eſt cor tuum.] Aliæ tandem mulieres propter aliquam virtutem, aut gratiam benedictæ: tu plus quàm illæ benedicta; quia non vna virtute, aut vna gratia, ſed vniuerſis virtutibus & gratiis ſuper omnes cumulata es. In te enim eſt plenitudo gratiæ, multitudo miſericordiæ, & immenſa gloriæ magnitudo. Aliæ mulieres ancillæ; tu Domina: aliæ filiæ; tu Mater: aliæ pediſequæ, tu Regina, quæ à dextris Filij aſſiſtis in veſtitu deaurato circumdata varietate virtutum, vt in ipſo amictu omnium mulierum fœliciſſima cognoſcaris.

Bern. hõ. 3. in Miſſus eſt.

Iudic. 5. 24.

Iudith 13. 23.

Iudith 15. 10.

Et benedictus fructus ventris tui Ieſus.]

Luc. 1. 42.

Virginei vteri fructus multipliciter dicitur benedictus.

Hoc verbum cum adfectu amoris Chriſti proferendum eſt. Gaude tandem, ô Maria, quia fructus ventris tui benedictus eſt. Fructus ventris aliarum mulierum maledictus; quoniam omnes cum pruritu carnis, & ſui corruptione concipiunt, cum dolore pariunt, & filios originali peccato ſordentes effundunt. Quòd ſi tu, ô Virgo, ſine peccato originis concepta ac nata es, id ex priuilegio tibi conceſſum eſt. At fructus ſancti ventris tui benedictus, quia ſine corruptione conceptus, ſine dolore natus; & non tantùm ſine peccato, ſed etiam vt peccati deſtructor in lucem editus. Planè fructus ventris tui Ieſus, quod nomen ſalutem ſonat, quoniam ſalus totius mundi, ex vtero tuo egreſſa eſt. Planè fructus ventris tui benedictus in ſe: nam & homo ille filius tuus Deus eſt, quoniam Verbo in vnitate perſonæ vnitus eſt: quem Pater caput Angelorum & hominum conſtituit; & ſine menſura omni gratia, & omni benedictione repleuit. Planè fructus ventris tui benedictus nobis; quia eius cauſſa nos ex peccato maledicti, à peccato mundamur, & gratię, ac glorię, omniúmque donorum benedictionem accipimus. Benedixit enim nos Pater in omni benedictione ſpirituali in Chriſto. Et ipſe Filius tuus factus eſt nobis à Deo ſapiẽtia, iuſtitia, ſanctificatio, & redemtio. Et, vt tuus Bernardus ait: Verè benedictus fructus ventris tui, cùm ſit ſuper omnia benedictus Deus in ſæcula. Benedictus ergo fructus ventris tui. Benedictus in odore; benedictus in ſapore: benedictus in ſpecie. Huius odoriferi fructus fragrantiam ſentiebat, qui dicebat: Ecce odor filij mei, ſicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus. An non verè benedictus, cui benedixit Dominus? De ſapore huius fructus quidam, quod guſtauerat, taliter eructabat, dicens: Guſtate, & videte, quoniã ſuauis eſt Dominus. Et alibi: Quàm magna multitudo dulcedinis tuæ, Domine, quam abſcondiſti timentibus te! Et alius quidam: Si tamen, inquit, guſtatis quoniam dulcis eſt Dominus. Et ipſe fructus de ſe, inuitans nos ad ſe. Qui edit me, ait, adhuc eſuriet; & qui bibit me, adhuc ſitiet. Vtique propter ſaporis dulcedinem hoc dicebat, qui ſemel guſtatus magis excitat appetitum. Bonus fructus, qui animarum eſurientium & ſitientium iuſtitiam, & eſca & potus eſt. Audiſti de odore, audiſti de ſapore, audi, & de ſpecie. Si enim fructus ille mortis non ſolùm ſuauis fuit ad veſcendum, ſed etiam, teſte Scriptura, delectabilis adſpectu; quanto magis huius vitalis fructus viuificum decorem debemus

Ephes. 1. 3. 1. Cor. 1. 30. Bern. hõ. 3. ſuper Miſſus eſt.

inquirere,in quem, teſte alia Scriptura, deſiderant etiam Angeli proſpicere?Cuius pulchritudinem in ſpiritu videbat, & in corpore videre cupiebat, qui dicebat:Ex Sion ſpecies decoris eius.Et ne mediocrem tibi videatur commendaſſe decorem , recole,quod in alio Pſalmo legis : Specioſus forma præ filiis hominum:diffuſa eſt gratia in labiis tuis,propterea benedixit te Deus in æternum. Benedictus ergo fructus ventris tui , cui benedixit Deus in æternum.Ex cuius benedictione benedicta etiam tu in mulieribus:quia non poteſt mala arbor fructum facere bonum.] Meritò ergo benedictus fructus ventris tui,qui & te benedictam fecit,& nos à maledictione eripuit , & cœleſtibus benedictionibus cumulauit.

Sancta Maria mater Dei.]

Nihil in Maria ſanctitate præclarius. Luc. 11. 28. Aug. tr. 10. in Ioã.

Hæc inuocatio eſt B. Virginis,qua ad petitionẽ paramur. Meritò autem vocatur ſancta ; quoniam pretioſius eius , & amabilius , non eſt aliud quàm ſanctitas.Hęc beatam illam fecit,dicente Domino: Beati,qui audiunt verbũ Dei,& cuſtodiunt illud.] Et mater mea,inquit (vt interpretatur Auguſtinus) quam appellatis fœlicem,inde fœlix, quia verbum Dei cuſtodit : non quia in illa Verbum caro factum eſt,ſed quia cuſtodit ipſum Verbum Dei, per quod facta eſt , & quod in illa caro factum eſt.] Repetitur nomen Mariæ , vt reuerentiæ & deuotionis excitetur adfectus. Nam quis non reuerenter ac deuotè alloquatur Mariam , de qua in præcedentibus verbis tanta & tam eximia cogitauit, & in ſubſequentibus propter Dei maternitatem extollit ? Ac tandem dicitur Mater Dei , vt fiducia impetrationis augeatur. Quid enim tam dilecta & honorabilis mater ab omnipotente Filio,& ad noſtram ſalutem proſpenſo obtinere non poterit ?

Ora pro nobis peccatoribus.]

Petitio eſt, qua Virginem oramus, vt pro nobis oret ; certi & fidentes quòd ſi ipſa pro nobis orat, quod è re nobis fuerit conſequemur. O igitur ſancta,ac ſanctitatis prodigium! ô Maria, donorum ac gratiarum pelagus inexhauſtum!ô vera mater Dei, quæ Filium Dei tua carne circumdediſti, & nobis hominem factum effudiſti!ô pia mater noſtra, quæ erga nos adfectum habes matris,& te matrem peccatorum vocari non erubeſcis,ora pro nobis. Non dicimus quid ores , ſed tantùm rogamus , vt ores. Nouit enim Eccleſia , cuius ſunt verba iſta , quia non indiges edoceri à nobis ; ſed tu ſcis quid ores, & quid expediat nobis. Tu ſancta , quid nobis niſi ſanctitatem poſtulabis ? Tu Maria, quid niſi abundantiam gratiarum nobis petes?Tu mater Dei,quid niſi vt filij Dei , ac filij tui nominemur , & ſimus, tua nobis precatione donabis?

Ora pro nobis nunc,& in hora mortis noſtræ.]

Duplex auxilium nobis neceſſarium eſt.Alterum vt ſanctè viuamus ; alterum vt ſanctè moriamur,& poſt mortem Dei aſpectu lætemur. Ora ergo pro nobis nunc , vt in præſenti tempore ab omnibus malis tum animæ, tum corporis liberemur;& vt in ſanctitate vitæ incipiamus,progrediamur,& perſeueremus. Ora & in hora mortis , vt ſanctè hinc decedamus , & ab omnibus diaboli inſidiis eruamur. Amen.

Hi ſunt adfectus Salutationis angelicæ , quos nos exiles ex ſanctis Patribus,& aliis Scripturæ interpretibus potuimus elicere. Quibus ſi orator, dum hanc orationem dicit,attendat, magnam in ſe deuotionem excitabit. Poſt ſalutationem angelicam in Matutinis, & Prima Symbolum Apoſtolorum recitamus , quod non eſt propriè oratio , ſed fidei profeſſio, nec eſt ad rem noſtram illud exponere. Solum id aduertendum eſt , vt ſimul voce & corde dicatur;id eſt,vt ſecundùm illud Pauli:Corde creditur ad iuſtitiam , ore autem confeſſio fit ad ſalutem : ita os corporis Symbolum proferat , vt mens actu, quod os dicit, credat , & articulis fidei aſſentiat.Noui ego quemdam ſeruum Dei,qui cùm in ſacrificio Miſſæ Symbolum attentè dicebat , & actus fidei interiùs ſubinde faciebat , mira quadam ſuauitate , mentiſque ſerenitate replebatur : quam etiam experietur,& in rebus fidei amplius roborabitur,qui illud cum hac attentione protulerit.

De adfectibus Pſalmorum.

CAPVT XV.

DICTVM eſt ſuperiùs ad deuotionem excitandam Pſalmos ita debere recitari,quaſi ex proprio ſenſu dicantur, & ad noſtras neceſſitates tantùm patefaciendas in conſpectu Domini pertinerent.Ita etiam vt quiſque, ſi Pſalmus Deum laudat , corde eum laudet; ſi petit, petat : ſi denique aliquem alium adfectum exprimat, eumdem etiam interiùs voluntate perficiat.Oportet ergo vt hoc loco varios Pſalmorum adfectus aperiamus , quos orator animaduertens poſſit, dum Pſalmos recitat ore , mente intus exercere. Et licèt negotium hoc ex fuſa Pſalmorum expoſitione pendere videatur;tamen quia huiuſmodi expoſitio non eſt noſtri propoſiti, ſed eorum,qui ex profeſſo ſacram Scripturam exponunt; illud tantùm præſtabimus , vt breuiſſimè aliquos huius ſacræ orationis adfectus attingamus. Hugo Victorinus tractans quare in oratione noſtra aliqua dicamus,quæ propriè ad orationem non pertinent,omnes Pſalmos ſic ſcribens tribus adfectibus comprehendit.Dicamus igitur omnes illas ſcripturas , quas quorumdam opinio ad orationis vſum non eſſe aſſumendas exiſtimat, iccirco vtiliter debere,& conuenienter poſſe inter vota precum noſtrarum ab orantibus recitari ; quia in nobis adfectum piæ deuotionis excitant : & cor noſtrum vel narrando laudem Dei ad eius amorem prouocant, vel noſtram miſeriam commemorando ante conſpectum eius nos humiliant ; vel malitiam aduerſariorum noſtrorum exaggerando, & vtilem nobis ſollicitudinem,& fiduciam coram ipſo ampliorem præſtant. Laudem Dei in potentia & bonitate eius cognoſcimus. Miſeriam noſtram in hoc, quòd fragiles & peccatores ſumus.Malitiam aduerſariorum noſtrorum, quia & ad diripiendum ſunt aſtuti , & ad opprimendum impij. Siue igitur laudem Dei in bonitate eius , & potentia ; ſiue miſeriam noſtram in infirmitate,& culpa noſtra:ſiue malitiam aduerſariorum noſtrorum in tyrannide eorum,& aſtutia ad exercitationem mentis , & augmentum bonæ deuotionis orantes commemoremus ; nihil ineptum facimus,& per pium adfectum, quem ipſa in nobis verba excitant, vbique orantes ſumus.]

Hugo de modo orandi , cap. 5.

Poſtea verò nouem adfectus Pſalmorum explicat in hunc modũ. Quia igitur in adfectibus pie-

Cap. 7. Nouem circa

Pſalmos adfectus iuxta Hugonē.

tatis eſt omnis virtus orandi, enumeremus aliquot ex ipſis,& exemplis demonſtremus:vt quia omnes enumerare non poſſumus (infiniti enim ſunt adfectus) quid tamen in omnibus laudabile ſit,& Deo acceptum,ex quibuſdam coniiciamus. Eſt adfectus dilectionis,cùm fortè mens vel videns, vel reminiſcens id, quod amat,ſubito amoris igne corripitur. Eſt adfectus admirationis, cùm aliquid nouum & admirabile contemplans in ſtuporem excitatur. Eſt adfectus congratulationis,cùm acceptabile aliquid, & beneplacitum videns, quadam hilaritate perfunditur. Eſt adfectus humilitatis, quando ex conſideratione infirmitatis ſuæ ab elatione ſua ſponte comprimitur. Eſt adfectus mœroris, quando ex conſideratione malorum ſuorum quodammodo contabeſcens infirmatur. Eſt adfectus timoris,quando ex conſideratione imminentium pœnarum cõcutitur.Eſt adfectus indignationis,quando in odium aduerſariorum ex ipſa iniquitatis eorum magnitudine inflammatur. Eſt adfectus zeli, quando ex amore iuſtitiæ ad deſiderium vltionis accenditur. Eſt adfectus bonæ præſumtionis, quando ex noua aliqua,& ſingulari fiducia ad vendicandum plus ſolito quiſpiam animatur. De iſtis adfectibus primi tres ad iſtud præcipuè genus Scripturarum pertinent,in quo fit laudatio.Quia ſcilicet ex commemoratione bonitatis ſurgit adfectus dilectionis. Ex commemoratione potentiæ,& fortitudinis,ſurgit adfectus admirationis.Ex commemoratione autem alicuius proſperi euentus, & facti fœlicis, ſurgit adfectus congratulationis. Tres ſequentes ad illud genus pertinent,in quo fit commemoratio infœlicitatis,& miſeriæ.Quia videlicet adfectus humilitatis ſurgit ex commemoratione propriæ infirmitatis. Adfectus doloris ſurgit ex commemoratione malorum præſentium, vel recordatione præteritorum. Adfectus timoris ex præuiſione futurorum. Tres vltimi adfectus illi magis Scripturarum generi congruunt, in quo fit inuectio,& accuſatio in aduerſarios,videlicet contra nequitiam illorum:indignatio contra iniuriam: zelus propter malitiam:maior de Dei miſericordia præſumtio.] Hactenus ille.

Hæc fortaſſis alicui ſufficerent, vt ex illis alios per ſe Pſalmorum adfectus deprehenderet. Volo tamen ad minus eruditorum adiumentum plurium adfectuum ſyluam ex Pſalmis decerptam velut quattuor decadibus aggregare. Non quòd putem me omnes Pſalmorum adfectus comprehendere (ſunt enim innumerabiles,quos pia anima attentè ac deuotè horas recitans ſolet inuenire,quibúſque quaſi ſuauiſſimis cibis impinguatur, & paſcitur) ſed vt hi pauci non quidem explicati, ſed breuiter numerati,& duobus,aut tribus adiunctis exemplis expoſiti, ingreſſum ad alios aperiant,quos Spiritus ſanctus ſanctas animas edocebit.Nec immeritò dixi hos Pſalmorum adfectus nequaquam poſſe breui numero comprehendi: tum, quia (vt idem *Cap. 8.* Hugo ait) vnus Pſalmus non vnum ſemper continentem adfectum habet, ſed interdum per ſingulos verſus variat adfectus:tum etiam, quia pro varietate ſtatus, ac qualitatis, ſpiritualis profectus,in quo vnuſquiſque inuenitur, dum Pſalmos recitat, diuerſo quoque adfectu formatur. Cùm verò ſtatus profectus in viris ſpiritualibus inuẽti ſint adeò multi,vt à nemine cognoſci poſſint; fit,vt nec ipſi adfectus valeant certo numero comprehendi; vnde qui nunc adducuntur quaſi in exemplum poſiti à legentibus accipiantur.

Alij circa Pſalmos adſignantur adfectus.

I. Eſt in Pſalmis adfectus timoris; & verba, quæ cum continent, cum timore ac tremore proferenda ſunt. Iuſtitia tua ſicut montes Dei: iudicia tua abyſſus multa.] Increpaſti gentes,& periit impius: nomen eorum deleſti in æternum, & in ſæculum ſæculi.] Tu terribilis es; & quis reſiſtet tibi? Ex tunc ira tua.] Eſt deteſtatio ac odium peccatorum, & verba, quæ illud ſonant, ſunt non ſine contritione cordis enuncianda. Quoniam iniquitatem meam ego cognoſco: & peccatum meum contra me eſt ſemper. Tibi ſoli peccaui, & malum coram te feci.] Delictum meum cognitum tibi feci,& iniuſtitiam meam non abſcondi.] Putruerunt,& corruptæ ſunt cicatrices meę à facie inſipientiæ meæ. Miſer factus ſum,& curuatus ſum vſque in finem.] Eſt dolor & triſtitia ex peccatorum odio procedens. Laboraui in gemitu meo:lauabo per ſingulas noctes lectũ meum; lacrymis meis ſtratum meum rigabo.] Afflictus ſum, & humiliatus ſum nimis: rugiebam à gemitu cordis mei.] Exitus aquarum deduxerunt oculi mei, quia non cuſtodierunt legem tuam.] Eſt petitio, ac poſtulatio veniæ. Domine ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me.] Ne auertas faciem tuam à me, & ne declines in ira à ſeruo tuo.] Ne perdas cum impiis Deus animam meam; & cum viris ſanguinum vitam meam.] Eſt adfectus humiliationis,& deiectionis ſui. Tota die verecundia mea contra me eſt; & confuſio faciei meæ cooperuit me.] Et ego ad nihilum redactus ſum;& neſciui:vt iumentum factus ſum apud te.] Factus ſum tamquam vas perditum,quoniam audiui vituperationem multorum commorantium in circuitu.] Eſt reprehenſio ac increpatio malorum. Corrupti ſunt, & abominabiles facti ſunt in ſtudiis ſuis: non eſt qui faciat bonum; non eſt vſque ad vnum.] Etenim in corde iniquitates operamini; in terra iniuſtitias manus veſtræ concinnant.] Acuerunt linguas ſuas ſicut ſerpentis:venenum aſpidũ ſub labiis eorum.] Eſt comminatio vindictæ,qua iuſtus peccatoribus minas intentat. Propterea Deus deſtruet te in finem:euellet te,& emigrabit te de tabernaculo tuo, & radicem tuam de terra viuentium.] Conuertetur dolor eius in caput eius; & in verticem ipſius iniquitas eius deſcendet.] Deus conteret dentes eorum in ore ipſorum: molas leonum confringet Dominus. Eſt deploratio humanæ miſeriæ. Homo vanitati ſimilis factus eſt: dies eius ſicut vmbra prætereunt.] Verumtamen vniuerſa vanitas omnis homo viuens. Verumtamen in imagine pertranſit homo: ſed & fruſtrà conturbatur.] Verumtamen vani filij hominum, mendaces filij hominum in ſtateris,vt decipiant ipſi de vanitate in idipſum.] Eſt propoſitum ſeruãdi legem. Paratum cor meum Deus, paratum cor meum: cantabo, & pſallam in gloria mea.] In corde meo abſcondi eloquia tua, vt non peccem tibi.] In capite libri ſcriptum eſt de me, vt facerem voluntatem tuam: Deus meus volui, & legem tuam in medio cordis mei.] Eſt prędicatio,atque encomium eorum,qui Dei legem cuſtodiunt. Quis eſt homo qui timet Dominum, legem ſtatuit ei, in via,quam elegit. Anima eius in bonis demorabitur; & ſemen eius hæreditabit terram.] Beatus vir,qui timet Dominum,in mandatis eius volet nimis.] Miſericordia Domini ab æterno,& vſque in æternum ſuper timentes eum.

Hi omnes adfectus ad incipientes pertinere videntur. Sed audi nunc alios, qui ſunt proficientium proprij. Elucet in Pſalmis encomium legis Dei.Eloquia Domini,eloquia caſta,argentum igne examinatum, probatum terræ, purgatum ſeptu-

Pſal. 35. 7. *Pſal. 9. 6.* *Pſ. 75. 8.*

II.

Pſal. 50. 5.

Pſal. 31. 5. *Pſal. 37. 6.*

III.

Pſal. 6. 7. *Pſal. 37. 9.* *Pſal. 118. 136.*

IV.

Pſal. 37. 2. *Pſal. 26. 9.* *Pſ. 25. 9.*

V.

Pſal. 43. 18. *Pſal. 72. 21.* *Pſal. 30. 13.*

VI.

Pſal. 13. 1. *Pſal. 57. 3.* *Pſal. 139. 4.*

VII.

Pſal. 51. 7. *Pſal. 7. 17.*

Pſal. 57. 7.

VIII.

Pſ. 143. 4 *Pſal. 38. 6.* *Pſal. 61. 10.*

IX.

Pſal. 107 2. *Pſal. 118. 11.* *Pſal. 89. 9.*

X.

Pſal. 24. 12.

Pſal. 111. 1. *Pſal. 102. 17.*

XI.

Pſal. 11. 7.

Pſal.17. 3. *Pſal.18. 8.*

plum.] Deus meus,impolluta via eius;eloquia Domini igne examinata.] Lex Domini immaculata conuertens animas,teſtimonium Domini fidele,ſapientiam præſtans paruulis.]

XII.

Pſal.1.1. *Pſal.23. 3.*

Elucet magnificatio, & laudatio virtutis. Beatus vir, qui non abiit in conſilio impiorum ; & in via peccatorum non ſtetit,& in cathedra peſtilentiæ non ſedit.] Quis aſcendet in montem Domini, aut quis ſtabit in loco ſancto eius ? Innocens manibus, & mundo corde, qui non accepit in vano animam ſuam, nec iurauit in dolo proximo ſuo.]

Pſal. 93. 12.

XIII.

Pſal.28. 2.

Beatus homo,quem tu erudieris,Domine,& de lege tua docueris eum.] Elucet excitatio ad cultum Dei. Adferte Domino gloriam,& honorem:adferte Domino gloriam nomini eius. Adorate Dominum in atrio ſancto eius.]

Pſal.75. 12. *Pſal. 2. 11.*

Vouete,& reddite Domino Deo veſtro,omnes,qui in circuitu eius adfertis munera.] Seruite Domino in timore, & exultate ei cum tremore. Apprehendite diſciplinam, ne quando iraſcatur Dominus,& pereatis de via iuſta.]

XIV.

Pſal.2.4. *Pſal. 7. 10.*

Elucet irriſio eorum, qui legem non cuſtodiunt. Qui habitat in cœlis irridebit eos;& Dominus ſubſannabit eos.] Conſumetur nequitia peccatorum,& diriges iuſtum,ſcrutans corda , & renes Deus.]

Pſal. 54. 16.

Veniat mors ſuper illos,& deſcendant in infernum viuentes ; quoniam nequitia in habitaculis eorum , in medio eorum.]

XV.

Pſal.3.2.

Elucet querimonia aduersùs impios , & iniquos. Domine, quid multiplicati ſunt, qui tribulant me: multi inſurgunt aduersùm me : multi dicunt animæ meæ:Non eſt ſalus ipſi in Deo eius.]

Pſal.73. 3. *Pſal.118. 53.*

Leua manus tuas in ſuperbias eorum in finem : quanta malignatus eſt inimicus in ſancto.] Defectio tenuit me pro peccatoribus derelinquentibus legem tuam.]

XVI.

Pſal.7.3.

Elucet declinatio ab impiis , & à moribus eorum. Domine Deus meus ſi feci iſtud ; ſi eſt iniquitas in manibus meis. Si reddidi retribuentibus mihi mala , decidam meritò ab inimicis meis inanis.]

Pſal.130. 1. *Pſal.100. 8.*

Domine non eſt exaltatum cor meum, neque elati ſunt oculi mei;neque ambulaui in magnis,neque in mirabilibus ſuper me.] In matutino interficiebam omnes peccatores terræ;vt diſperderem de ciuitate Domini omnes operantes iniquitatem.]

XVII.

Pſal. 26. 14. *Pſal.36. 3.* *Pſal.54. 23.*

Elucet confortatio ſui ad quærendam virtutem. Expecta Dominum,viriliter age,& confortetur cor tuum;& ſuſtine Dominum.] Spera in Domino, & fac bonitatem , & inhabita terram , & paſcéris in diuitiis eius.] Iacta ſuper Dominum curam tuam, & ipſe te enutriet , & non dabit in æternum fluctuationem iuſto.]

XVIII.

Pſal.41. 12. *Pſal.36. 4.* *Pſal.120. 5.*

Elucet conſolatio ſui in Domino,Spera in Deo,quoniam adhuc confitebor illi,ſalutare vultus mei,& Deus meus.] Delectare in Domino,& dabit tibi petitiones cordis tui : reuela Domino viam tuam, & ſpera in eo, & ipſe faciet.] Dominus cuſtodit te , Dominus protectio tua ſuper manum dexteram tuam.]

XIX.

Pſal.49. 15. *Pſal.90. 15.*

Elucet inuocatio auxilij diuini,& ad eam inuitatio. Inuoca me in die tribulationis,eruam te,& honorificabis me.] Clamabit ad me,& ego exaudiam eum ; cum ipſo ſum in tribulatione ; eripiam eum, & glorificabo eum.]

Pſal.102. 3.

Miſerator , & miſericors Dominus, longanimis, & multum miſericors ; non in perpetuum iraſcetur, neque in æternum comminabitur.]

XX.

Pſal.7.2. *Pſal.24. 20.* *Pſal.16. 1.*

Elucet poſtulatio protectionis diuinæ. Domine Deus meus,in te ſperaui:ſaluum me fac ex omnibus perſequentibus me,& libera me.] Cuſtodi animam meam, & erue me : non erubeſcam quoniam ſperaui in te.] Ego clamaui quoniam exaudiſti me , Deus : inclina autem tuam mihi,& exaudi verba mea.

XXI.

Pro perfectis autem mirabiles ſunt in Pſalmis adfectus. Eſt inprimis excitatio ad memoriam Dei.

A Renuit conſolari anima mea:memor fui Dei,& delectatus ſum, & exercitatus ſum, & defecit ſpiritus meus.] Memor fui nocte nominis tui,& cuſtodiui legem tuam. Quoniam non cognoui litteraturam introibo in potentias Domini.] Domine memorabor iuſtitiæ tuæ ſolius.] Eſt congratulatio pro exauditione Dei.In tribulatione mea inuocaui Dominum,& ad Deum meum clamaui , & exaudiuit de templo ſancto ſuo vocem meam.] A finibus terræ ad te clamaui, dum anxiaretur cor meum:in petra exaltauit me.] Exaltabo te , Domine , quoniam ſuſcepiſti me , nec delectaſti inimicos meos ſuper me.] Eſt laus Dei. Magnus Dominus noſter, & magna virtus eius, & ſapientiæ eius non eſt numerus.] Domine Deus virtutum,quis ſimilis tibi.]

B Potens es Domine, & veritas tua in circuitu tuo.] Suauis Dominus vniuerſis; & miſerationes eius ſuper omnia opera eius.] Eſt laus prouidentiæ Dei, & omnium ſuarum perfectionum. Ecce Domine, tu cognouiſti omnia noviſſima, & antiqua:tu formaſti me , & poſuiſti ſuper me manum tuam.] De cœlo reſpexit Dominus, vidit omnes filios hominum : de præparato habitaculo ſuo reſpexit ſuper omnes,qui habitant terram.] Qui numerat multitudinem ſtellarum;& omnibus eis nomina vocat.] Eſt inuitatio,ſeu adhortatio omnium creaturarum ad laudem Dei.Benedicite Domino omnes Angeli eius : benedicite Domino omnes virtutes eius. Benedicite Domino omnia opera eius ; in omni loco dominationis eius , benedic anima mea Domino.]

C Ecce nunc benedicite Dominum,omnes ſerui Domini.] Cãtate Domino,& benedicite nomini eius; annuuciate de die in diem ſalutare eius.] Eſt adfectus admirationis de diuina amplitudine ac maieſtate. Domine Dominus noſter , quàm admirabile eſt nomen tuum in vniuerſa terra.] Deus in ſancto via tua; quis Deus magnus ſicut Deus noſter ? Tu es Deus,qui facis mirabilia.] Quis ſicut Dominus Deus noſter,qui in altis habitat,& humilia reſpicit in cœlo , & in terra ?] Eſt adfectus fiduciæ. Non timebo millia populi circumdantis me:exurge Domine, ſaluum me fac Deus meus.] Dominus protector vitæ meæ, à quo trepidabo,dum appropriãt ſuper me nocentes,vt edãt carnes meas.] Nam etſi ambulauero in medio vmbræ mortis non timebo mala;quoniam tu mecum es.]

D Eſt adfectus exultationis,& gaudij. Exultauit cor meum in ſalutari tuo : cantabo Domino , qui bona tribuit mihi , & pſallam nomini Domini altiſſimi.] Delectaſti me, Domine , in factura tua : & in operibus manuum tuarum exultabo.] Cor meum,& caro mea exultauerunt in Deum viuum.] Eſt ad exhortationem,& gaudium,aliorum adhortatio. Lætamini in Domino,& exultate,iuſti;& gloriamini omnes recti corde.] Confitemini Domino in cithara : in pſalterio decem chordarum pſallite illi.] Laudate nomen eius , quoniam ſuauis eſt Dominus : in æternum miſericordia eius, & vſque in generationem & generationem veritas eius.]

E Eſt pro beneficiis gratiarum actio.Benedic anima mea Domino;& omnia, quæ intra me ſunt,nomini ſancto eius.] Miſericordias Domini in æternum cantabo , in generatione & generationem annunicabo veritatem tuam in ore meo.Laudationem Domini loquetur os meum; & benedicat omnis caro nomini ſancto eius in ſæculum,& in ſæculum ſæculi.]

Poſtrema tandem adfectuum decas magna ex parte ad viros perfectos ſpectat.Nam in Pſalmis eſt confirmatio fidei,& omnium myſteriorum eius reuelatio. De hoc ſunt innumera exempla : ſed bre-

Pſal.76. 4. *Pſal.118. 55.* *Pſal. 70. 16.*

XXII.

Pſal.17. 7. *Pſal.60. 3.* *Pſal. 29. 2.*

XXIII.

Pſal.146 5. *Pſal.88. 9.* *Pſal.104.*

XXIV.

Pſal.138. 5. *Pſal.32. 13.* *Pſal.146 4.*

XXV.

Pſal.102. 21. *Pſal.133. 1.* *Pſal.95. 3.*

XXVI.

Pſal.8.2. *Pſal.76. 14.* *Pſal.115. 5.*

XXVII.

Pſal.3.7. *Pſal.26. 1.* *Pſal. 22. 4.*

XXVIII.

Pſal.12. 6. *Pſal.91. 5.* *Pſal.83. 3.*

XXIX.

Pſal.31. 11. *Pſal.32. 2.* *Pſal.99. 5.*

XXX.

Pſal.102. 1. *Pſal.144 21.*

XXXI.

uitatis gratia conſuetum numerum non excedemus. Deſcendet ſicut pluuia in vellus; & ſicut ſtillicidia ſtillantia ſuper terram. Orietur in diebus eius iuſtitia,& abundantia pacis.] Ecce Chriſti Incarnationē. Sicut aqua effuſus ſum; & diſperſa ſunt omnia oſſa mea. Factum eſt cor meum tamquam cera liqueſcens in medio ventris mei.] Ecce Paſſionem. Ego dormiui,& ſoporatus ſum,& exurrexi,quia Dominus ſuſcepit me.] Ecce Reſurrectionem. Eſt roboratio ſpei. Dominus adiutor meus, & protector meus,& in ipſo ſperauit cor meum,& adiutus ſum. Et refloruit caro mea,& ex voluntate mea confitebor ei.] In Deo ſalutare meum,& gloria mea, Deus auxilij mei, & ſpes mea in Deo eſt.] Nam etſi ambulauero in medio vmbrę mortis,non timebo mala; quoniam tu mecum es.] Eſt incenſio charitatis Dei. Diligam te, Domine, fortitudo mea; Dominus firmamentum meum,& refugium meum, & liberator meus.] Mihi autem adhærere Deo bonum eſt; ponere in Domino Deo ſpem meam.] Quid mihi eſt in cœlo? Et à te quid volui ſuper terram? Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum.] Eſt dilectio proximi. Quàm bonum, & quàm iucundum habitare fratres in vnum.] Propter fratres meos, & proximos meos loquebar pacem de te.] Narrabo nomen tuum fratribus meis; in medio Eccleſiæ laudabo te.] Eſt oblatio,qua quis ſe offert Deo. Verumtamen ſubiecta Deo eſto anima mea; quoniam ab ipſo patientia mea.] In capite libri ſcriptum eſt de me, vt facerem voluntatem tuam:Deus meus volui,& legem tuam in medio cordis mei.] Proba me Deus, & tenta me: vre renes meos, & cor meum: quoniam miſericordia tua ante oculos meos eſt, & complacui in veritate tua.] Eſt zelus honoris Dei aduersùs peccatores. Inueniatur manus tua omnibus inimicis tuis:dextera tua inueniat omnes, qui te oderunt.] Exurgat Deus, & diſſipentur omnes inimici eius; & fugiant, qui oderunt eum, à facie eius.] Exurge, Deus, iudica cauſſam tuam, memor eſto improperiorum tuorum, eorum, quæ ab inſipiente ſunt tota die.] Eſt zelus pro Eccleſia, ac ſalute animarum. Zelus domus tuæ comedit me:& opprobria exprobrantium tibi ceciderunt ſuper me.] Leua manus tuas in ſuperbias eorum in finem, quanta malignatus eſt inimicus in ſancto.] Super populum tuum malignaueruntconſilium, cogitauerunt aduersùs ſanctos tuos. Deus meus pone illos vt rotam; & ſicut ſtipulam ante faciem venti.] Eſt reſignatio, qua anima diuinis iudiciis acquieſcit. Ecce menſurabiles poſuiſti dies meos; & ſubſtantia mea tamquam nihilum ante te.] Iuſtus es Domine,& rectum iudicium tuum:fac cum ſeruo tuo ſecundùm miſericordiam tuam.] Virga tua, & baculus tuus ipſa me conſolata ſunt.] Eſt deſiderium animæ diuinam præſentiam ſuſpirantis. Quemadmodum deſiderat ceruus ad fontes aquarum; ita deſiderat anima mea ad te Deus.] Tibi dixit cor meum: Exquiſiuit te facies mea, faciem tuam Domine requiram.] Deus, Deus meus ad te de luce vigilo. Sitiuit in te anima mea, quàm multipliciter tibi caro mea.] Clamaui ad te, dixi: Tu es ſpes mea, portio mea in terra viuentium.] Eſt deſiderium patriæ cœleſtis. Educ de cuſtodia, Deus, animam meam; me expectant iuſti donec retribuas mihi.] Vnam petij à Domino, hanc requiram; vt inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ.] Quàm dilecta tabernacula tua, Domine virtutum; concupiſcit, & deficit anima mea in atria Domini.

Pſal.71. 6.
Pſal.21. 15.
Pſal.3.6.
XXXII. *Pſal.27. 7.*
Pſal.61. 8!
Pſal.22. 4.
XXXIII.
Pſ.17.2.
Pſal.72. 28.
Pſal.72. 25.
XXXIV. *Pſ.132.1.* *Pſ.121.8.* *Pſ.121.23.*
XXXV. *Pſal.61. 6.*
Pſal.39. 9.
Pſal.25. 2.
XXXVI. *Pſal.20. 9.*
Pſal.67. 2.
Pſal.73. 22.
XXXVII *Pſal.68. 10.*
Pſal.73. 3.
Pſal.82. 4.
XXXVIII. *Pſal.38. 6.*
Pſal.118. 37.
Pſal.22. 4.
XXXIX.
Pſal.41. 2.
Pſal.26. 8.
Pſ.62.2. *Pſal.141. 6.*
XL.
Pſal.141. 8.
Pſal.16. 4.
Pſal.83. 2.

A Hæc ad exempla adfectuum,qui in Pſalmis continentur, ſufficiant. Pſalmi ergo tunc deuotè proferuntur, quando mens per intellectum oculis fidei Deum præſentem aſpicit; & per voluntatem iuxta verſum,quem os dicit,aliquem prædictorum adfectuum, vel ſimilem alium exercet. Qui adfectus tametſi citò tranſeant, non tamen exiguum fructum, nec modicam conſolationem important. Sicut enim, qui fluuium ad corpus lauandum ingreditur,mundus exit,& bene lotus,licèt aquarum vndæ vna poſt aliam decurrant:ita in quauis hora canonica quaſi in quodam ſanctorum adfectuum flumine mens ingreſſa, illorum ſucceſſione non minima ſuauitate perfunditur, aut negligenda compunctione mundatur. Ecce ergo, ô vir Dei, B quomodo diuinum officium reuerenter, attentè,& deuotè recitabis;& ſat ſcio quòd ſi teipſum coëgeris, & excitandis adfectibus aſſueueris;& magnum fructum percipies, & ad mentalem orationem ianuam apertam inuenies, quæ hoc orationis genere non impeditur,ſed plus quàm dici poteſt in mentibus virtute diſpoſitis promouetur.

De ſupplendis diuini Officij defectibus.

CAPVT XVI.

C AMATORES iuſtitiæ, qui Regi ſe aliquid debuiſſe cognoſcunt, quod tamen integrè perſoluere nequiuerunt, poſtea ex amore iuſtitiæ, data opportunitate, perſoluunt,aut certè debiti condonationem petũt. Sic ſeruus ille,decem millium talentorum debitor, non habens vnde regi ſatisfaceret, procidit ad pedes eius,dicens: Patientiam habe in me, & omnia reddam tibi.] Sic & Rachel, quæ patri reuerentiæ ſigna debebat, non potens abſque idolorum, quæ abſconderat, detectione, honorem patri deferre,ſe excuſauit,dicēs:Ne iraſcatur dominus meus, quòd coram te aſſurgere nequeo;quia iuxta conſuetudinem fœminarum nunc accidit mihi.] Ita & viri ſpirituales, qui ex ordine, aut ſtatu diuini officij ſunt debitores,poſtquam aliquam eius horam perſoluerunt,ſolent quod ex infirmitate, aut nonnulla negligentia minus rectè perſolutum eſt, aliqua ratione ſupplere,& emendare,vt ſe rectos,& æquitatis amatores exhibeant. Id autem quomodo fieri poſſit breuiter exponemus.

Matth. 19.26.

Gen.31. 35.

Ad ſupplendos itaque officij diuini defectus nõ oportet diuinum officium repetere,ſi voce ac ſine voluntaria diſtractione ſit recitatum; quoniam id interdum eſſet in infinitum procedere:nec Eccleſia voluit nos tam arctè conſtringere, & cum iactura aliarum occupationum vtilium ad moleſtam repetitionem obligare. Vnde imprudenter & ſcrupulosè procedunt, qui aliquid officij eo prætextu repetunt, quod non fuerit rectè, aut cum debita attentione prolatum.Sed quonam pacto defectus emendabimus?

Qua ratione minues rectè officium perſolutum poſſit ſupplerí.

Primò. Statim poſt completum officium inſpiciendũ eſt in quo ſit nobis in eius recitatione peccatum. An illud feſtinanter dixerimus? An verba ex negligentia præciderimus,an minus reuerenter, minus attentè,minus deuotè nos habuerimus? An in aliquo alio non cuſtodierimus ſtatutam precandi diſciplinam? Cognitis defectibus nos ad pœnitudinem ac dolorem excitabimus,& humiliter,adhibita breui conſideratione ad compunctionem

mouente,veniam erratorum petemus.Ne ſi duri,& proterui nullam irreuerentiæ noſtræ rationem habuerimus,dicatur de nobis,quod de filiis Heli:Porrò filij Heli,filij Belial,neſcientes Dominum,neque officium ſacerdotum.] Dominum namque videtur neſcire, ac ſacerdotum officium ignorare,qui poſt ſuam irreuerentiam cognitam, quam habuit in conſpectu Domini ,nec compunctione tangitur, nec ad emendationis deſiderium excitatur. Dolor igitur talium defectuum cõcipiendus eſt,& emendationis propoſitum ſollicitè procurandum ; vt paulatim ſaltem hoc opus præſtantiſſimum ad deſideratam perfectionem prouehatur.

1.Reg.2. 12.

Secundò. Poſt negligentiam noſtram deprehenſam enitendum eſt magnum deſiderium excitare attentè & reuerenter orandi. Hoc enim deſiderium tam ardens & efficax eſſe poteſt, vt pro facto reputetur, & præteritam negligentiam ab humana infirmitate profectã omnino reſarciat.Quod ſi tam ardenter deſiderare non valeamus , ſaltem huiuſmodi deſiderium habere peroptemus. Nam & de virgine Gertrude refert Bloſius , quòd cùm aliquando conquereretur ſe deſiderium ardentiſſimum placendi Deo habere non poſſe , diuinitus edocta eſt,optimè Deo ſufficere , ſi homo velit, & optet habere magnum deſiderium, quando modicum,vel nullum deſiderium in ſe ſentit,quia quàm magnum vellet habere , tam magnum habet coram Deo. Quod de vera & abſoluta voluntate eſt intelligendum.

Bloſius in monil. cap.2.

Tertiò. Admodum proderit Patri æterno orationes noſtras qualeſcumque in vnione orationum ſanctiſſimarum Chriſti Saluatoris offerre. Illud enim exiguum & vile donum orationum tepidarum noſtrarum,in dono infiniti valoris orationum Chriſti abſconditum ſine dubio non refutabitur. Húncque modum ſupplendi defectus noſtros ſiue in oratione,ſiue in aliis bonis operibus à Domino fuiſſe reuelatum Bloſius narrat.Certè filij Iacob,vt fratrem Ioſeph illis adhuc (vt putabant) iratum placarent, ſuæ precationi patris ſermonem iniuriæ obliuionem depoſcentem adiunxerunt: Pater, inquiunt , tuus , præcepit nobis antequam moreretur,vt hæc tibi verbis illius diceremus:Obſecro vt obliuiſcaris ſcelerum fratrum tuorum.] Sic & nos verba orationis noſtrę verbis Chriſti Patris noſtri, ac fratris maioris adiungamus ; & non ſolùm non contemnentur , ſed etiam , quod volumus obtinebunt.

Orationes noſtræ in vnione orationũ Chriſti offerẽda.

Bloſius in inſtit. ſpirit. c. 9.

Gen. 50. 16.

Hæc omnia ad formulam orationis redacta ſunt à viris piis,vt poſt officium diuinum dicantur. Et quidem tres ſunt precationes,quæ tribus ſuprà allatis reſpondent, quibus ad diuinum officium parabamur. Prima primæ orationi,aut præparationi reſpondens , quam adfert Bloſius, ſic habet : Bone Ieſu, propitius eſto mihi peccatori. Ego tepidum & diſtractum ſeruitium meum commendo mellifluo cordi tuo emendandum ac perficiendum ; tibíque ipſum offero ad ſalutem omnium in vnione illius perfectiſſimæ attentionis,qua tu Patrem oraſti,& laudaſti in terris. Reſponde, quæſo, ſatisfac, & ſupple pro me pleniſſimè. Amen.] Secunda, ſic. Sacroſanctæ ac indiuiduæ Trinitati , crucifixi Domini noſtri Ieſu Chriſti humanitati , & beatiſſimæ & glorioſiſſimæ Virginis Mariæ fœcunditati , & integritati, ac omnium Sanctorum Sanctarúmque vniuerſitati ſit ſempiterna laus , honor , virtus, & gloria ab omni creatura,nobíſque remiſſio omniũ peccatorum,nunc & ſemper, & per infinita ſæcula ſæculorum. Amen. Beata viſcera Mariæ Virginis,

Trẽs precationes aſſignantur recitãdæ poſt horas perſolutas. Bloſius in monil. cap.3.

A quæ portauerunt æterni Patris Filium : & beata vbera,quæ lactauerunt Chriſtum Dominum.Diuinum auxilium maneat ſemper nobiſcum. Amen. Tertia,ſic.Suſcipe,clementiſſime Deus,precibus & meritis beatæ Mariæ ſemper Virginis , & omnium Angelorum,& Sanctorum, ac Sanctarum officium hoc ſeruitutis, laudis, & obedientiæ noſtræ : & ſiquid dignum laude egimus propitius reſpice , & quod negligenter actum eſt clementer ignoſce, qui in Trinitate perfecta viuis, & regnas Deus, per omnia ſæcula ſæculorum. Amen. Vnâ ergo iſtarum precationum vti poteris poſt officium diuinum, vel certè omnibus in diuerſis horis : ita ſcilicet vt primam dicas poſt matutinas,& laudes : ſecundam poſt quattuor horas minores : tertiam poſt Veſperas,& Completorium.Et ſic vtcumque defectus in diuino officio admiſſos ſupplebis.

B

De oratione vocali priuata.

CAPVT XVII.

C

AC TENVS de oratione vocali publica dictum eſt : nunc de oratione vocali priuata pauca dicenda.Hæc autem eſt illa,vt iam monuimus, quam quis non Eccleſiæ nomine,nec vt perſona publica,ſed ſuo nomine, ac vt perſona particularis voce fundit.Eam Bonauentura in duo membra diſtribuit. Altera enim eſt per verba ab alio compoſita,& in vſum orantis aſſumta. Vt cùm aliquis recitat orationem à quopiam ſanctorum , vel piorum virorum factam , vt ſuum adfectum magis ac magis accendat. Altera eſt per verba ex proprio arbitrio formata, quæ accenſum iam adfectum declarant. Vt ſi aliquis coram Deo verbis ex tempore dictis , quæ propria neceſſitas ſubminiſtrat,cor ſuum effundat in conſpectu Domini,& remiſſionem peccatorum, aut donum virtutum , aut ſubſidium in aliqua neceſſitate impetrare contendat. Huius duplicis orationis meminit Auguſtinus in epiſtola ad Probam , dicens nos orare per verba, quæ adfectus orantis , vel præcedendo format,vt clareat ; vel conſequendo attendit,vt creſcat. Quãdo enim adfectus ſequitur verba, eſt oratio ab alio,vel ab ipſo quidem orante ad adfectum excitandum compoſita. Quando verò adfectus præcedit, eſt oratio per verba,quæ neceſſitas ipſa inuenit,& extorſit, ad ſe explicandam effecta. Immo & ex ipſa Scriptura hæc duplex oratio colligitur. De illa prima legimus : Circuiui, & immolaui in tabernaculo eius hoſtiam vociferationis:cantabo,& Pſalmum dicam Domino.] Nam orationes, quæ cùm immolarentur hoſtiæ , in circuitu altaris fundebantur, credendum eſt ad hunc finem fuiſſe compoſitas , & non in arbitrium immolantium relictas. De ſecũda verò eſt illud apud eumdem Pſalmographum: Propter hoc lætatum eſt cor meum ; & exultauit lingua mea.] Nam & lætitia cordis præceſſit , & ex illa tamquam indicium vox orationis exultãtis erupit. Orationes ab alio compoſitas fundebant cantores in templo Salomonis conſtituti , vt Pſalmos Dauidicos canerent,& Dominum non quaſi ex proprio marte,ſed aliorum ſermone laudarent. Orationem verò ex intimo adfectu fuſam fecit Anna mater Samuelis; quæ cùm eſſet amaro animo orauit ad Dominum, flens largiter,& votum vouit,dicẽs:Domine exercituum , ſi reſpiciens videris afflictionem famulæ tuæ : & ea, quæ ſequuntur.

D

E

Bonau. 7.proceſſu relig. cap.3. Oratio vocalis priuata, alia verbis alienis , alia propriis.

Auguſt. epiſt.121. c.12.

Pſal.26. 8.

Pſal.15. 9.

1. Paral. 5.

1.Reg.1. 11.

Propriis verbis perfectior, & quare.

Harum duarum orationum hæc secunda videtur esse perfectior; non quia ornatior, sed quia humilior, atque feruentior. Non quidem est ornatior. Nam manifestum est orationes ab Augustino, & Anselmo, & Bonauētura, & aliis Sanctis compositas, esse ornatissimas, & eloquentiæ plenissimas, quas nemo quantumuis sapiens ex tempore cum Deo loquens poterit superare. Sed hic ornatus, & hæc eloquentia non est ad perfectionem orationis necessaria. Vnde Climacus ait: Noli verbis excultioribus in oratione tua vti. Sæpe enim infantium simplicia, & pura, & balbutientia verba Patrem suum, qui in cœlis est, placauerunt.] At ex eo oratio humilior & feruentior inuenitur, quia non ad adfectum mouendum est facta; sed à vehementi compunctione cordis, & ex abundantia feruoris & humilitatis solet esse profecta. Hac ergo ratione Bonauentura vocat eam efficaciorem. Et Trithemius Abbas manifestè illam priori prætulit, dicēs: Orationes conscriptas in chartis, mentibus infirmis vtile est, vt legant: fortioribus autem, & perfectioribus non conuenit, nisi interdum pro ariditate cordis irriganda; quia illa oratio maximè efficaciam habet, non quā calamus sculpsit, sed quam mens ipsa formauit.]

Climac. gradu 21.

Bonau. sup.

Trithem. ad regul. c. 4. instruct. 57.

Quamdiu hæc protelanda.

Hæc igitur oratio, quam non aliquis in vsum sui, vel aliorum ex industria componit, sed ex mentis ardore profundit, tamdiu protelanda est, quamdiu conceptus feruor exegerit, & eius præsidio se magis ac magis accenderit. Communiter tamen, vt Bonauentura ait, non potest esse prolixior; quia imbecillitas corporis, ac infirmitas capitis, quod dum sic orat plus nimio fatigatur, eius prolixitati euidenter obsistit. Si tamen aliquis, Deo sic disponente, & mentis feruore faciente, ad multam horam posset hoc genere orationis vti, non est cur illam abrumpat. Nec timeat se transgredi illam Saluatoris sententiam, qua dixit: Orantes nolite multum loqui, sicut Ethnici putauerunt; quod in multiloquio suo exaudiantur.] Non enim Dominus longam orationem prohibet, qui semper orare monet, sed inanes verborum in oratione circuitus, & superuacuas repetitiones, & adfectatū sermonem, vt hominibus bene orare videamur, vetare contendit. Quare pulchrè Augustinus ait: Neque enim, vt nonnulli putant, hoc est orare in multiloquio, si diutius oretur. Aliud est sermo multus, aliud est diuturnus adfectus. Nam & de ipso Domino scriptum est, quòd pernoctauerit in orando, & quòd prolixiùs oranerit: vbi quid aliud, quàm nobis præbebat exemplum, in tempore precator opportunus, cum Patre exauditor æternus? Absit enim ab oratione multa locutio, sed non desit multa precatio, si feruens perseuerat intentio. Nam multum loqui est in orando rem necessariam superfluis agere verbis. Multum autem precari, est ad eum, quem precamur, diuturna & pia cordis excitatione pulsare. Nam plerumque hoc negotium plus gemitibus, quàm sermonibus agitur; plus fletu, quàm affatu. Ponit autem lacrymas nostras in conspectu suo, & gemitus noster non est absconditus ab eo, qui omnia per Verbum condidit, & humana verba non quærit.] Sic ille. Licet itaque siue orationem compositam, siue ex tempore fusam proferamus, prolixiùs orare, dummodo non intendamus in orando eloquentiores videri; sed aut adfectum excitatum verbis proferre, vel nondum accensum excitare. Est etiam huius orationis proprium, quam adfectus emittit, vt locum quietiorem ac remotiorem inquirat, ne aliquo in extemporanea locutione

Matth. 6. 7.

August. epist. 121. c. 10.

A turbemur, & minus attendentes, minus etiam digna Deo loquamur.

Quid seruandum in oratione ab alio composita.

Oratio ab alio composita, quòd ad se attinet, ornatior & subtilior esse consuecuit, tamquam à viris sanctis, & spiritualibus edita. Quæ si pari adfectu fundatur, ac illa, quam homo ex deuotionis feruore enunciat, erit æquè perfecta. Si minus adfectus, & deuotionis habeat, imperfectior. Si verò maiori deuotione proferatur, perfectior inuenietur. Nam orationis vocalis sublimitas ex parte orantis, non ex sublimitate, aut apta compositione verborum, vel subtilitate; sed ex humilitate, & deuotionis adfectu eius, qui orat, pensanda est. Duo autem in hac oratione seruanda sunt: alterum, vt licèt debita non sit, sed voluntariè assumta, attentè, reuerenter ac deuotè, non minus, quàm oratio præcepta proferatur. Horum enim in oratione necessitas, non tam ex eo, quòd ad eam præcepto obligemur, quàm ex ipsa orationis natura procedit; quæ cùm sit confabulatio cum Deo summo vniuersorum creatore, magnam ex se reuerentiam & attentionem poscit. Quemadmodum enim qui regem alloquitur, siue ex præcepto regis, siue ex libera voluntate subiecti cum eo loquatur, debet reuerenter loqui: ita qui Deum orat, reuerentiam & attentionem quærat necesse est, siue præcepto adstrictus, siue propria voluntate motus ad orationem accedat. Alterum est, vt hæ vocales orationes non sint admodum multæ, si ex præcepto, aut voto ad eas non teneamur; sed in eo numero, vt spiritum non obruant, & modum orandi vtiliorem non impediant. Et cùm finis earum sit non solùm impetrare, quod petimus, sed etiam spiritum deuotionis accendere: haudquaquam æqualiter cunctis conueniunt. Quod Bonauentura aliam quæstionem mouens optimè explicuit in hunc modum scribens: De specialibus autem orationibus, quas solent habere quidam, vtrùm expediat eas dici certis horis, vel diebus: nota quòd quibusdam expedit magis, quibusdam minus. Insipientibus enim, & adfectu deuotionis nondum imbutis magis expediunt, vt saltem consuetudo moueat ad orationis studium: ne semper vagi circa exteriora, à Deo fiant alieni, & frigidi torpeant, & numquam aliquo deuotionis igne calescant. Deuotionis autem adfectu imbuti, & amplioris cum Deo familiaritatis gratia subleuati, si nimis Psalmorum, & similium orationum multiplicationi intendunt, spiritum obruunt, deuotionem impediunt, cordis libertatem quasi quodam pondere prægrauant, & melioribus ablatis, minùs pro illo tempore vtilibus occupantur, scrupulosis inhærent. Vtuntur tamen & ipsi plerumque huiusmodi orationis subleuamento, quasi quodam afflatu, donec flamma deuotionis accensa verborum foliis non indigeat, puriùs se flagrans, & tranquilliùs in sublime attollens. Et iste modus videtur expeditior, vt speciales orationes tunc ex bona consuetudine ruminentur, quando maior non habetur deuotio. Quando verò superuenit melior deuotionis infusio, vel vtilior, vel plus vrgens occupatio, consuetæ intermittantur orationes, ad quas quis non tenetur, donec tempus redeat opportunum.] Hactenus ille. Ac totius huius tractationis summa hæc sit, vt orationem vocalem quamcumque congruis temporibus, & locis, & modesta corporis dispositione fundamus, & reuerenter, attentè, ac deuotè eam proferamus, vt rectè vocaliter orando ad sublimius orationis genus, de quo nunc sumus acturi, mentem nostram præparemus.

Bonau. 7. proces. relig. c. 14.

ORATIO.

DOmine Deus noſter, animarum creator, & corporum fabricator, qui voluiſti nos tibi non ſolùm mente, ſed carne ſeruire, & non tantùm intelligentia, verùm & lingua laudare: mentem noſtram tua gratia purifica, & linguam noſtram à verbis profanis & ſuperfluis emunda; vt illa te ſyncerè cogitet, & hæc, vt decet, orationis verba pronunciet. Sit, ô Domine, lingua hominis inſtrumentum laudis tuæ, & ſignum humilitatis noſtræ, vt dum ad te non ſine magna reuerentia, mentis attentione, & cordis deuotione recurrimus, tuam Maieſtatem ritè laudemus, ac nos à te in omnibus pendere profiteamur, & quod nobis fuerit vtile è tuæ largitatis manibus impetremus. Amen.

PARS TERTIA

De Oratione mentali.

INTRODVCTIO.

ORATIO mentalis, quam non ſine timore ac veneratione tractandam aggredimur, reliquas ſibi huius tractationis partes vendicabit. Qua non iam vt homines virtutis cupidi cum Deo verba humana, id eſt, lingua carnis prolata miſcemus, ſed Angelis ſimiles efficimur, & interdum indicibili ſuauitate donati arrham quamdam æternæ beatitudinis poſſidemus. Hæc oratio eſt potentiſſima iniquitatum populatrix, adfectuum humanorum moderatrix, imperfectionum expultrix. Hæc virtutes procreat; ſanctam, ac ſecundùm ſpiritum conuerſationem generat; & Dei, ac animæ ſanctæ familiaritatem conciliat. Hæc tandem, cùm fuerit (vt ſæpe accidit perfectis viris) in iugem, ac quaſi indiruptam occupationem conuerſa, illud ſummum ac beatum aſſequimur, vt Deo in hac vita quaſi perpetuo amore iungamur. Tunc enim (quemadmodum Ioannes Caſſianus ait) ſcilicet cùm fuerit hæc oratio ad ſuam ſublimitatem promota, perfectè conſummabitur in nobis illa noſtri Saluatoris oratio, qua pro ſuis diſcipulis orauit ad Patrem, dicens: Vt dilectio, qua dilexiſti me, in eis ſit, & ipſi in nobis. Et iterum, vt omnes idem ſint, ſicut tu, Pater, in me, & ego in te; vt & ipſi in nobis vnum ſint; quando illa Dei perfecta dilectio, qua prior nos ille dilexit, in noſtri quoque tranſierit cordis adfectum, hac Dominica oratione completa, quam credimus nullo modo poſſe caſſari. Quod ita fiet cùm omnis amor, omne deſiderium, omne ſtudium, omnis conatus, omnis cogitatio noſtra, omne, quod videmus, quod loquimur, quod ſperamus, Deus erit: illáque vnitas, quæ nunc eſt Patris cum Filio, & Filij cum Patre, in noſtrum fuerit ſenſum mentémque transfuſa; id eſt, vt quemadmodum nos ille ſyncera, & pura, atque indiſſolubili diligit charitate; nos quoque ei perpetua & inſeparabili dilectione iungamur: ita eidem ſcilicet copulati, vt quicquid ſperamus, quicquid intelligimus, quicquid loquimur, Deus ſit; in illum, inquam, peruenientes, quem prædiximus, finem, quem idem Dominus orans in nobis optat impleri: vt omnes ſint vnum, ſicut nos vnum ſumus, ego in eis, & tu in me; vt ſint & ipſi conſummati in vnum. Et iterum: Pater, quos dediſti mihi, volo vt vbi ego ſum, & ipſi ſint mecum.] Quis ergo hoc magnificum mentalis orationis ſtudium verbis tractare non metuat, cuius hactenus ferè nihil hauſit, & exiguum ſatis per experientiam (quod hanc ad rem pro dignitate tractandam neceſſarium erat) accepit. At experimenti defectum aſſidua ſanctorum Patrum lectio ſupplebit, & aliis proficiendi deſiderium explebit. Et tu, Domine, paruulorum adiutor, qui infirma mundi ad tua opera eligis, ita perficies, vt conceptum ſermonem dignè proferam, & in hoc ſcribendi genere proximis vtilis exiſtam.

Orationis mentalis excellentia commendatur.

Caſſian. col. 10. c. 6.

Oratio mentalis quid sit.

CAPVT I.

TRactatio hæc ab inquisitione naturæ ac substantiæ orationis huius incipiat, vt dilucidè, perspicuéque procedat. Et quidem Patres, ac Doctores Ecclesiæ variis modis mentalis orationis naturam explicarunt. Horum autem commodissimus visus est, & cæteros comprehendens, quem Ioannes Damascenus attulit, si illi vnam, aut alteram vocem addamus. Ille sic ait: Oratio est mentis ad Deum ascensus: aut eorum à Deo postulatio, quæ postulare conuenit. Addendum est: Sine verborum strepitu; & orationem mentalem à vocali discreuimus, ac totam eius naturam aptè descripsimus. Est igitur oratio ascensus, quoniam omnis motus inferiorum ad superiora vocatur ascensio. Vnde Iacob iter faciens in Ægyptum, quæ comparatione Palæstinæ terra inferior erat, audit à Domino: Ego sum fortissimus Deus Patris tui; noli timere, descende in Ægyptum, quia in gentem magnam faciam te ibi.] Et de Ioseph occurrente, vt exciperet Patrem postea dicitur, quòd ascendit obuiam patri suo. Spiritus autem humanus, & angelicus inferiores sunt, si cum Dei maiestate ac sublimitate conferantur. Bene ergo motus ille, quo in Deum tendunt, & ad eius vnionem aspirant, ascensionis nomen sortitur. Certè cùm res in suo proprio loco collocantur, dicuntur leuari: cùm verò à suo loco remouentur, dicuntur deiici. Vt vas aureum in abacum leuatur, & ab eo in solum deiicitur. Mens verò per orationem in Deo constituitur, qui est centrum, & locus eius, in quo quiescit: per desideria verò inutilia, & cogitationes superuacuas à suo loco deturbatur. Iure ergo optimo inepta cogitatio mentis vocatur deiectio, oratio verò mentis ascensio. Quin & alia ratione oratio est, & vocatur ascensus: quoniam ea mens non solùm ad Deum cognoscendum & amandum effertur, verùm & ad participationem diuinæ sanctitatis, & ad Dei imitationem eleuatur. Dum enim Deum cogitare, & ad eum adfici assuescimus: si in hac arte diligentes & strenui simus, Dei virtutibus paulatim imbuimur, & ad maiorem animæ puritatem, & vniuersarum virtutum augmentum promouemur. Quare oratio non tantùm est ascensus mentis, sed ascensus quoque conuersationis in Deum. Illum primum ascensum, vt sui substantiam habet, hunc secundum vt effectum respicit. Nam qui non incuriosè, sed sollicitè, sed gnauiter orationi intendit; non potest ab amore terrenorum non elongari, & in vitæ spiritualis sublimitate constitui.

Satis ex his intelligitur orationem hanc esse quemdam mentis ascensum. Sed habemus firmiorem Dauidicum sermonem, qui efficaciùs hanc naturam orationis aperiat. Dirigatur, ait, oratio mea sicut incensum in conspectu tuo: eleuatio manuum mearum sacrificium vespertinum.] Hilarius legit: Recta & pura ascendat oratio mea.] Hieronymus: Recta ad te ascendat, & perueniat oratio mea.] Incensum illud sacrum igni superpositum in cœlum rectum ascendebat, & non in altari æneo, quod erat in atrio; sed in altari aureo, quod erat in ipso templo ante Sanctum Sanctorum cremabatur. Ita & hæc oratio non per corpus, quod est instar altaris ænei, sed per mentem solam altare aureum effertur, & sursum in Deum proficiscitur. Immo & ipsa manuum eleuatio, quæ orationi solet adiungi, ascensionis ipsius orationis est index. Qua precamur, vt quemadmodum sacrificium agni, quod ad vesperum quotidie offerebatur; vel sicut sacrificium Christi in cruce oblatum (quod asserente Augustino, vespertinum vocatum est, quoniam Dominus declinante iam die animam deposuit) ita placeat, & grata ad Domini conspectum ascendat. Ait itaque sacer Vates: Sit, Domine, mea oratio, oratio vera, sit recta, sit pura, sit nullis externis cogitationibus deprauata. Id autem habebit si naturam suam non deserens perinde atque incensum, ad te in cœlum ascenderit. Incensum ascendit non sine gratissima fragrantia, & odoris suauitate: talis sit oratio mea, vt cum suauissimo odore sanctorum adfectuum ascendat. Nec solùm sanctus Dauid, verùm & Dionysius Areopagita aptis similitudinibus orationem esse ascensum exposuit. Nos, inquit, precibus primùm ad eam (scilicet sanctam Trinitatem) vt boni principium deduci debemus, túmque vbi propius ad eam accesserimus, hoc ipso optima munera, quæ penès eam sunt, discere. Etenim ipsa quidem omnibus præsens est, non tamen ei præsentia sunt omnia, sed cùm eam, & sanctis precibus, & tranquilla mente, & apto ad diuinam coniunctionem animo appellamus: tum denique nos etiam ei præsentes sumus. Nos igitur ipsos precibus ad altiorem diuinorum benigniorúmque radiorum conspectum contendamus. Vt si funis magna lucę nitens è summo cœlo penderet, & huc vsque demissum semper ante nos manibus vicissim succedentibus arriperemus, eum quidem trahere videremur; re autem vera eum, qui & suprà, & infrà præstò esset, non deduceremus, sed nos ipsi ad sublimiores magno lumine fulgentium radiorum splendores eueheremur: aut quemadmodum si conscensa naui, funes ex saxo aliquo ad nos vsque porrectos auxilij causa teneremus, non ad nos saxum, sed nos ipsos re vera, & nauim ad saxum traduceremus.] Hæc ille, quibusdam omissis. Mens itaque ministerio orationis effert se in Deum. Et quilibet alius eius ascensus periculosus est. Nam si te, ô anima, super alios efferas, & proximis te præponas, superbia est. Si ad dignitates, ad honores non debitos ascendere cupias, ambitio est. Si ad ea cognoscenda, ad quæ non vocaris, eleuari aueas, temeritas est. At si ad Deum oratione scandere satagas, hoc securitas, hoc tranquillitas est, & pax. Ibi enim experiuntur iusti, quod de illis cecinit Dauid: Abscondes eos in abscondito faciei tuæ à conturbatione hominum: proteges eos in tabernaculo tuo à contradictione linguarũ. Abscondit eos Dominus in abscondito orationis, in quo fidei oculis, & sapientię lumine videtur facies eius. Protegit eos in domo sua, quæ domus orationis vocatur. In eo opere aliorum hominum perturbationes nõ sentiunt, nec maledicorum detractiones curant, quia in speculam diuinæ contemplationis elati, iam Deum, cuius faciem exquirunt, quodammodo possident, & ab eo fœliciſſimè possidentur.

Habemus iam orationem mentalem esse ascensum. Est autem ascensus non corporis, quia eo immoto manente, immo & se deprimente, & humiliante, solemus orare. Non animæ, quæ meliorem nostri portionem sonat; sed ea ratione, qua corpus informat, & carnem vegetat, & rebus terrenis disponendis intendit. Est igitur ascensus mentis, siue spiritus, qui ab anima non substantia, sed officio secernitur; est enim eadem

Damasc. lib. 3. fidei. c. 4.

Orationis mentalis definitio.

Gen. 49. 3.

Vers. 29.

Cur dicatur ascensus.

Oratio ex aureo mentis altari ad Deũ, vt incensum ascendit. Ps. 141. 2. Hilar. Hieron.

Augusti. ibid.

Dionys. c. 3. de diuin. nom.

Orationẽ esse ascẽsum similitudinibus probatur.

Ps. 30. 21.

Quibus instrumẽtis mens ascendat ad Deũ.

anima, vt cœlestia sapit, vt spiritualia bona, vel illorum causlà, aliqua alia cognoscit, & concupiscit. Sed quibus instrumentis mens in Deum ascendit, seu hanc, quæ oratio est, ascensionem facit? Adolescens Ionathas, vt stationem Philistinorum obtineret, & Deum victoria de illis parta magnificaret, ascendit manibus, & pedibus reptans. Ita & mens manibus & pedibus in Deum ascendit, vt in eo se protegat, vt bona eius quærat, & suos hostes expugnet. Ascendit ad Deum memoria; quia ad hoc orationis genus debet sui Dei recordari. Ascendit intellectu: nam & debet ipsum actu cognoscere, siue eius mysteria inuestigare. Ascendit voluntate, quoniam debet iniquitatem odio habere, ipsum Deum diligere, & omne bonum multis adfectibus, ac variis amplecti. Hæ sunt manus mentis. Nec mirum quòd tres manus habeat, cùm copori duæ tantùm datæ sint. Nam corpus solum præsentia & propinqua apprehendit; mens verò etiam præterita, & absentia, & abscondita debuit intelligere. Vnde præter intellectum & voluntatem eguit memoriæ instrumento, & recordationis manu, vt posset ad præterita & absentia venire. Sic mens Deo similis inuenitur, qui (vt est in Isaia) appendit tribus digitis molem terræ: & ipsa quasi tribus his manibus terram, quam tenebat, deserit, & cœlum, ac ipsum Deum apprehendit. Ascendit insuper mens ad Deum sensu interno, seu cogitatione, quatenus eius similitudinibus vtitur ad cognoscenda diuina. Ascendit appetitu sensibili, quatenus adfectus cordis in cœlestia eleuat, & Deum amore non tantùm rationali, aut intellectuali, sed etiam sensibili, qui adfectiuus amor dicitur, amat. Hi autem sunt pedes mentis; quia inferiorem hanc portionem quasi sub se habet. Quando ergo mens in Deum suis tribus viribus venire, & vires etiam sensibiles ad illum (prout fieri potest) leuare festinat; tunc in oratione quasi manibus, & pedibus reptat. At hæ vires mentis non eadem ratione in oratione se habent; quod oportet explicare. Memoriæ est rei meditandæ, aut contemplandæ recordari; & eam quasi ad officinam orationis adducere. Cogitationis est circa rem considerandam negotiari: vt si consideraturus sis aliquod vitæ Christi mysterium, ipsa imaginatur eum vel vt infantem tenerrimum, vel vt iuuenem pulcherrimum concionantem, aut ad columnam alligatum, aut cruci suffixum. Intellectus est circa materiam considerandam discurrere, & causlas eius, & effectus inquirere, & cum Deo colloquia miscere, & petitiones ac colloquia formare. Voluntatis est adfici, & iuxta id, quod intellectus considerat, vel peccata detestari, vel Deum diligere, vel pro acceptis beneficiis gratias agere, vel dona non habita desiderare, vel aliis similibus adfectibus permoueri. Appetitus sensibilis est emolliri, in lacrymas resolui; compunctionis, timoris adfectibus tangi: gemitus, & singultus ex imo pectore fundere.

1. Reg. 14.13.

Isaiæ 40. 12.

Horum instrumentorũ ordo.

Horum quinque instrumentorum, quibus mens ascendit in Deum; memoria vt viam ostendens semper præcedit. Cogitatio ex naturæ nostræ conditione intellectus actionem comitatur. Tritúmque est Philosophi dictum: Oportet intelligentem phantasmata speculari, id est, aliquid cognatum ei, quod intelligit, imaginatione cogitare. Intellectus cogitatione adiutus per varia discurrit, aut etiam in simplici inspectione veritatis aliquando quiescit. Voluntas rem ab intellectu proA positam interdum diligit, aut alio ex suis motibus tangit: & hoc remissiùs, aut feruentiùs, interdum parum, aut nihil adficitur. Vnde est illud Augustini: Præuolat intellectus, & tardè sequitur, & aliquando non sequitur humanus, atque infirmus adfectus. Appetitus sensibilis nonnumquam adfectus suos sentit; nonnumquam durus & ferreus manet; neque est in nostra potestate illum ad compunctionem, aut aliquem similem motum excitare. Nihil ergo est, quod de memoria dicamus, nisi quòd considerationem præeat. Nec de cogitatione, quæ etiam, non aduertentibus nobis, actibus se intellectus immiscet: nec de appetitu, qui nobis volentibus & curantibus, sæpe non mouetur. Quamobrem ad præcipua instrumenta mentis ad orandum, siue ascendendum in Deum, nempe ad intellectum & voluntatem redeamus. De quibus Richardus Victorinus hæc ait: Omni spiritui rationali gemina quædam vis data est ab illo patre luminum à quo est omne datum optimum, & omne donum perfectum. Vna est ratio, altera est adfectio: ratio, qua discernamus; adfectio, qua diligamus. Ratio ad veritatem; adfectio ad virtutem. Hæ sunt sorores illæ duæ à Domino desponsatæ Oolla, & Ooliba, Ierusalem, & Samaria. Hæ sunt spiritus rationalis geminæ vxores, ex quibus orietur generosa proles, & regni cœlestis hæredes. Ex ratione oriuntur consilia recta: ex adfectione desideria sancta. Ex illa spirituales sensus, ex ista ordinati adfectus. Ex ista denique omnis virtus; ex illa verò veritas omnis.]

B

C

Aug. in Psal. 118. ser. 9.

Richar. Beniamin minor. c. 3.

Est igitur oratio ascensus mentis in Deum per intellectum, & voluntatem; ita scilicet vt intellectus Deum, aut diuina ad modum postea explicandum, intelligat, & voluntas se ad illum dilectione, vel aliquo motu ex postea dicendis afficiat. Vnde Hugo ait: Hoc est ad Deum tendere, & ad ipsum pertingere, semper eum per desiderium quærere, per cogitationem inuenire, & per gustum tangere.] Istorum duorum cognitio est prior, adfectio posterior: illa bona, hæc melior: illa medium, hæc finis. Ad hoc enim Deum intelligimus, vt illum diligamus, & variis adfectibus in illum, atque in diuina properare certemus. Si quis in oratione positus Deum, aut eius mysteria cognoscat, & voluntatem ad adfectum excitare non curet; non orat, sed studet, aut sciẽtiam acquirit. Etenim ita se habet, sicut cùm Mathematicus figuras, & numeros; aut naturalis Philosophus rerum naturalium sensibiliúmque naturas inuestigat. Hæc consideratio scientes facit, non oratores: litteratos, non viros spirituales: intellectum erudit, sed voluntatem non mutat, nec vitam emendat, nec sanctitatem communicat. Sed cùm homo Deum & cœlestia considerat, vt se ad amorem Dei, ad desideria virtutis, & ad sanctè viuendum excitet, tunc verè mentaliter orat; quia intellectu & voluntate in Deum ascendit. Certum quidem est in hac ascensione Deum ad animam ascendentem, & orãtem venire. Quomodo enim illa ascenderet, nisi Deus illi occurreret, & ad eam iuuandam & euehendam se demitteret? Sed audi ex Bernardo quid Deus ad animam veniens faciat, & inde quę ascensio mentis sit oratio, non obscurè perspicies. Si ergo, inquit, Dominus Iesus dignetur venire ad me, vel potiùs in me non in zelo furoris, & ne in ira quidem, sed in charitate, & in spiritu mansuetudinis æmulans me Dei æmulatione (quid enim ira Dei vt charitas? nempe & Deus est.) Si, inquã, in ista venerit, in hoc cognoscã

D

E

Intellectu, & voluntate ad Deum in orat. ascẽdimus. Hugo 1. de Arca Noe. c. ...

Bern. ser. 69. in Cant.

quòd non sit solus, sed venerit etiam Pater suus cum eo. Nam quid æquè paternum? Propter hoc nempe non Pater Verbi tantùm, sed & Pater misericordiarum est appellatus, quòd innatum habeat misereri semper, & parcere. Si sensero aperiri mihi sensum, vt intelligam Scripturas, aut sermonem sapientiæ quasi ebullire ex intimis, aut infuso lumine desuper reuelari mysteria; aut certè expandi mihi quasi quoddam largissimum cœli gremium, & vberiores desursum influere animo meditationum imbres, non ambigo sponsum adesse. Verbi siquidem hæ copiæ sunt, & de plenitudine eius ista accipimus. Quòd si se pariter infuderit humilis quædam, sed pinguis intimæ aspersionis deuotio, vt amor agnitæ veritatis necessarium quoddam odium vanitatis in me generet, & contemtum, ne fortè aut scientia inflet, aut frequentia visitationum extollat me: tunc prorsus paternè sentio agi mecum, & Patrem adesse non dubito. Si autem perseuerauero huic dignationi dignis semper (quod in me est) adfectibus & actibus respondere, & gratia Dei apud me vacua non fuerit, etiam mansionem apud me faciet tam Pater enutriens, quàm Verbum erudiens.] Hæc ille. Cùm igitur Deus ad nos veniat, vt lucem ac deuotionem ingerat, oportet quòd nos ascendamus ad eum intelligentia, & voluntate: intelligentia, quæ lucem capiat; & voluntete, quæ denotionis suscipiat adfectum.

Gemina sunt alæ, quibus cœlum petimus.

Sunt ergo duæ istæ vires in oratione sicut duo boues trahentes iugum, vt terram nostri cordis proscindant ad accipienda virtutum semina, & fructus suauissimos proferendos. Sunt vt duo equi rhedam mentis in cœlum vehentes, vt apud Dominum commoretur. Sunt vt duo amici indissolubili nexu coniuncti, qui nobis, quod bonum & æquum est, persuadent. Sunt denique vt duæ alæ, quibus anima volat ad Deum. Has petebat Dauid, quando dicebat: Quis dabit mihi pennas sicut columbæ, & volabo, & requiescam? Columba auis mundissima, auis timidissima, auis velocissima animam iusti designat, ab immunditia iniquitatis alienam, sibiipsi vel in minimis cauentem, & ad Dominum velocissimè ire desiderantem. Huius pennæ sunt intellectus, & voluntas, quibus infima deserit, sublimia petit, & in Deum se sustollit. Has pennas cupiebat Dauid vt in suo loco, nimirum in Domino requiesceret; vt elongaret fugiens, & maneret in ea cordis solitudine, in qua nec vanæ cogitationes perstrepunt, nec rerum terrenarum desideria perturbãt. In has etiam pennas quadrat illud Apocalypseos: Datæ sunt mulieri alæ duæ aquilæ magnæ, vt volaret in desertum in locum suum: vbi alitur per tempus, & tempora, & dimidium temporis à facie serpentis.] Nam mulier hæc, quæ ad litteram signat Ecclesiam, mysticè quamlibet animam iustam Ecclesiæ filiam significat. Huic dantur duæ alæ, quæ (vt Ioachim Abbas interpretatur) sunt sapientia, & charitas: aut sunt domicilia horum duorum donorum, intellectus, ac voluntas. Sunt autem alæ magnæ aquilæ, cuius hæc propria numerantur; quòd filios ad lucem Solis examinat: quòd in nido Ætitem lapidem collocat, vt filios à serpentibus tueatur: quòd statis temporibus vetustatem deponit, & iterum iuuenescit. Quia nimirum his alis anima ad hoc in Deum ascendit, vt filios suos, nempe cogitationes & desideria discutiat; vt Christum petram vitiorum ac peccatorum fugatricem in corde ponat, vt teporis senectutem abiiciat, & Adæ vetustatem excutiat. His alis volat anima in desertum, in locum suum, in locum quietis, & pacis, vbi clamores huius mundi non perstrepunt. Ibi alitur cognitione & amore Dei, quæ intelligentia ac voluntate apprehendit. Alitur autem per tria tempora (hoc enim significant tempus, & tempora) per tempus, quo est incipiens, & rudimenta vitæ spiritualis addiscit: per tempus, quo est proficiens, & virtutum incrementa recipit: & per tempus, quo est perfecta, ac eam perfectus Dei amor accendit. Alitur etiam per dimidium temporis: quia omnis eius perfectio dimidiata est, quamdiu hæc vita mortalis durat, & donec vita æternitatis accedat. Istæ tandem sunt duæ illæ pennæ, aut alæ, quibus Seraphim stantes iuxta Dominum volabant apud Isaiam; de quibus Bernardus ait: Ego tamen opinor non incongruè pennas istas agnitionem & deuotionem intelligi posse, quibus in eum, qui supra ipsos est, Seraphim rapiuntur. Leuat quippe cognitionis ala, sed sola non sufficit. Ruit citius, qui vna tantùm ala volare contendit, & quo magis attollitur, peius colliditur. Experti sunt hoc Philosophi gentium; qui cùm cognouissent Deum, non sicut Deum glorificauerunt, sed euanuerunt in cogitationibus suis, & obscuratum est insipiens cor eorum. Denique traditi in reprobum sensum vsque in ipsas etiam passiones ignominiæ corruerunt. Adeò vera probatur illa sententia: Scienti bonum, & non facienti, peccatum est illi. Sic & zelus absque scientia, quo vehementiùs irruit, eo grauiùs corruit, impingens nimirum, atque resiliens. Vbi verò intelligentiam charitas, agnitionem deuotio comitatur; volet securè quisquis eiusmodi est: volet sine fine, quia volat in æternitatem.] Ecce duo præcipua instrumenta orationis ac ascensionis huius. In ea enim, ô anima, cognoscis vt ames: amas vt sanctè viuas, & Deo per dilectionem & imitationem inhæreas.

Psal. 54. 7.

Apocal. 12.14. Alæ istæ sunt magnæ illius aquilæ.

Ioachim. ibid.

Vide Ambros. 5. exame. c.18. Hieron. in Isaiã c.66. Plinium lib.10.c. 13.

Isaiæ 6.1. Bern. ser. 4. de verbis Isaiæ: Vidi Dominum.

Ascensus itaque orationis, quo mens à terrenis elongatur, & in res supernas attollitur, est per intellectus cognitionem, & voluntatis adfectum. Quorum cognitio (vt iam diximus, & infrà latiùs explicabimus) debet esse moderatior, adfectus verò debet esse productior, & pro nostro posse feruentior. Ac propterea alij Patres orationem definientes, aut per functiones intellectus & voluntatis eam explicarunt; aut solius adfectus tamquam perfectioris & magis necessarij rationem habuerunt. Augustinus ait: Quid autem est oratio, nisi ascensio animæ de terrestribus ad cœlestia: inquisitio supernorum, inuisibilium desiderium.] Et alio loco: Oratio est conuersio mentis in Deum per pium & humilem adfectum.] Bernardus sic definit: Oratio est deuota cordis intentio in Deum pro malis amouendis, & bonis adipiscendis.] Et iterum: Est mentis deuotio, id est, conuersio in Deum per pium & humilem adfectũ. Humilem ex conscientia infirmitatis propriæ; pium ex consideratione diuinæ clementiæ.] Et rursus: Est hominis Deo adhærentis adfectio, & familiaris quædam, & pia allocutio, & statio illuminatæ mentis ad fruendum, quamdiu licet.] Et Bonauentura: Oratio est, cùm tacito ore mens sola sua desideria Deo pandit, & adfectum cordis Deo effundit, vt cùm intus eum per amorem amplectitur, vel cum reuerentia adorat, & veneratur: tanto latiùs se in Deum diffundens, quanto plura valet adfectus comprehẽdere, quàm lingua exprimere.]

August. ser. 230. de temp.

Aug. lib. de spiritu, & anim. c.50. Bern. de scala claust. c.1 De interiori domo. c.48. Epistola ad Fratr. Bonau. 7. proces. relig. c.8. Oratio est mutua intellectus, & voluntatis iũctio.

His omnibus,conuerſione mentis, intentione, deuotione,pio & humili adfectu,& aliis ſimilibus ad voluntatem pertinétibus ſignificatur,aſcenſionem orationis,quæ fit per amorem, & alios adfectus ſimiles eſſe potionem,ad illámque intellectus conſiderationem ordinari. Intellectus (relicta nunc illa prima cognitione, cùm ad vſum rationis venimus, & illis primis rerum aliquarum repræſentationibus , cùm à ſomno excitamur) nihil ſine præuia voluntate intelligit. Voluntas cùm in ſe oculos non habeat,& non videns appelletur , cui intellectus pro oculis datus eſt,nihil niſi priùs ab intellectu cognitum diligit.Ipſa ergo mouet intellectum, vt cœleſtia & ſpiritualia conſideret.Intellectus autem iſta conſiderans, & cum Deo , & cum Angelis, & Sanctis loquens, ipſam voluntatem ad adfectus amoris,& deſiderij,& cæterorum mouet.Hæc verò duplex functio ſic intexta intellectus & voluntatis,qua mens ad ſuperiora leuatur,eſt mentalis oratio.

Ex his iam duo liquent ; orationem ſcilicet eſſe aſcenſionem; & eſſe aſcenſionem mentis,ſeu ſpiritus ſe ſupra terrena ſubleuantis.Hinc autem ſequitur tertium; eſſe nimirum aſcenſionem in Deum: quoniam omni hac oratione nihil aliud intendimus , quàm Deo inhærere ,& noſtro fini appropinquare. At forſitan hoc in dubium vocabis: quoniam aliquando in oratione peccatorum noſtrorum fœditatem, ac vitiorum vilitatem cogitamus : hoc verò non videtur eſſe in Deum aſcendere,ſed in peccata & vitia deſcendere; ſecundùm illud Dauidicum : Deſcendant in infernum viuentes.] Viuentes enim, id eſt, iuſti , in infernum deſcendunt, cùm illum meditantur, & peccata ac vitia,quæ ad illum trahunt,recogitant. Similiter aliquando virtutes,quibus egemus, & res creatas cõſideramus:hoc autem videtur eſſe vndiquaque vagari. Ac tandem interdum Angelos, & Sanctos, & gloriam cœleſtem intuemur,& ad illam adficimur. Hoc verò eſt in creaturas nobis ſuperiores aſcendere. Ergo oratione non ſemper aſcendimus in Deum.Hæ omnes cogitationes, & adfectus, qui in oratione habentur,aſcenſiones in Deum ſunt;quoniam illis omnibus nihil aliud quærimus,niſi vt in Deum aſcendamus, & illi iungamur. Cùm ſtercus vitiorum & peccatorum proteris , & ſuper cumulum harum vilitatum te collocas,iam propinquior Deo factus es ; ergo ad illum aliquantulum aſcendiſti. Cùm creaturas cogitas , vt illas deſpicias , & pro illis Deo gratias agas ; ſuper illas te conſtituis. Ergo aſcendis. Cùm virtutes meditaris, & eas appetis,& ad Sanctos & gloriam adficeris, melior & ſanctior factus es. Ergo Deo ſimilior. Ergo ad illum propiùs acceſſiſti. Maneat igitur omnem ſanctam cogitationem , & omne pium ac ſtudioſum adfectum eſſe aſcenſum mentis in Deum. Samuel miſſus ad vngendum Dauidem in regem,& interrogatus à ſenioribus ciuitatis an pacificus eſſet ingreſſus eius? Reſpondit ex imperio Domini : Pacificus:ad immolandum Domino veni.] Sic & anima,cùm in Bethleem aſcendit in domum panis, in cor Chriſti Ieſu , ad immolandum Domino venit. Siue peccata lugeat, ſiue ſe ad extinctionem vitiorum , & mortificationem paſſionum accendat , ſiue virtutes appetat, ſiue Sanctorum , aut Angelorum imitationem concupiſcat ; ſiue æternam fœlicitatem conſequi geſtiat ; ad immolandum Domino venit. In his omnibus Deum quærit , ei appropinquare & inhærere cupit , atque adeò in illum aſcendit. Paulus certè Epheſios , & cunctos iuſtos adloquens, ſic ait : Flecto genua mea ad Patrem Domini noſtri Ieſu Chriſti, &c. vt poſſitis comprehendere cum omnibus Sanctis, quæ ſit latitudo,& longitudo, & ſublimitas,& profundum; ſcire etiam ſupereminentem ſcientiæ charitatem Chriſti , vt impleamini in omnem plenitudinem Dei.] Opto, inquam (& Hieronymi expoſitionem ſequimur)vt contemplatione veſtra poſſitis apprehendere altitudinem , id eſt , ſpirituum beatorum naturam , & patriæ cœleſtis immenſitatem : profundum,hoc eſt,damnatorum miſeriam,& inferorum calamitatem : longitudinem, id eſt,bonorum hîc ad virtutes venire cupientium profectum : & latitudinem , nempe malorum latam & ſpatioſam viam ſectantium defectum. Opto etiam vt cognoſcatis ſupereminentem charitatem Chriſti, quam habet præcipuè in eos , qui illum ſcire & imitari appetunt. Hoc autem cupio vobis , vt impleamini in omnem plenitudinem Dei : vt nimirum in vniuerſis virtutibus abundetis , vtque Dei puritate veſtiamini. Omnis ergo noſtra conſideratio cuiuſcumque rei ſit (ſi nomen orationis mereatur) ad hoc tendit , vt Deo magis ac magis appropinquemus ; atque adeò ſemper eſt aſcenſus in Deum.

Eſt tandem oratio eorum à Deo poſtulatio,quæ poſtulare conuenit. Non ſolùm quia ex conſideratione miſeriæ noſtræ , & miſericordiæ diuinæ , & ex adfectibus ex conſideratione excitatis ad poſtulationem mouemur ; verumetiam quia ipſa conſideratio , & ipſum deſiderium valida quædam eſt poſtulatio in conſpectu Dei. Inprimis enim certum eſt , ad petitionem non eſſe ſemper neceſſarium verba petitionis ſiue intus , ſiue foris formare. Immo aliquando eo ardentiùs petimus, quo nihil expreſsè poſtulamus. Docet hoc pulchrè Hugo Victorinus ſic ſcribens : Sciendum eſt quòd ſupplicatio aliquando fit per ſola nomina, ſicut eſt illud : Miſericordia mea , refugium meum , ſuſceptor meus , liberator meus , Deus meus , adiutor meus. Aliquando per ſola verba,ſicut eſt:Reſpice, miſerere, placare,attende,& fac. Aliquando ſimul per nomina , & verba , ſicut eſt illud : Verba mea auribus percipe,Domine;intellige clamorem meũ. Intende voci orationis meæ , rex meus, & Deus meus. Sed illud genus ſupplicationis , quod per ſola nomina fit , quo magis eſt foris ſignificatione imperfectum ; tanto magis eſt intus abundantia dilectionis plenum. Adfectus enim hoc proprium habet , quòd quanto maior & feruentior intus eſt , tanto minus foris per vocem explicari poteſt. Illud verò genus ſupplicationis , quod per ſola verba exprimitur , minorem quidem iſto deuotionem indicat ; maiorem autem illo, quod nominibus ſimul, & verbis, plena videlicet ſignificatione pronunciatur.] Sic ille. Quia ergo in oratione mentali in conſpectu Domini apparemus nudi,& miſeri, & multis neceſſitatibus pleni ; hoc ipſum ſic apparere orare , & poſtulare eſt. Ita profectò exiſtimabat Dauid , quando dicebat: Ecce ſicut oculi ſeruorum in manibus dominorum ſuorum. Sicut oculi ancillæ in manibus dominæ ſuæ: ita oculi noſtri ad Dominum Deum noſtrum donec miſereatur noſtri.] Quemadmodum ſerui , & ancillæ ſiue cùm victu & veſtitu egent ; ſiue cùm ab heris vapulant , ſiue cùm ab aliis violantur , in conſpectu dominorum apparẽt, cóſque reſpiciunt; is autem reſpectus efficax eſt cibi , ac veſtimenti, ſeu indulgentiæ pro erratis , aut propulſationis iniuriæ poſtulatio : ita cùm anima in conſpe-

Etiam cùm peccata conſideramus , ad Deum aſcendimus. Pſal.54. 16.

1.Reg.16. 5.

Epheſ. 3. 18.

Hieron. ibid.

Aliquãdo ardentiùs petimus,cùm expreſsè nihil poſtulamus.

Hugo lib. de modo orandi. c.2.

Pſ.122. 2.

ctu Domini se constituit, & suam miseriam, ac eius misericordiam intuetur, sine alia petitionis forma validè & efficaciter pro suorum malorum remedio deprecatur. Ostendit puerulus patri ac matri calceos diruptos, digitulósque pedum per foramina calceorum apparentes: hæc autem ostensio petitio est efficacior remedij, multo magis, quàm si diceret: Pater, aut mater, emito mihi calceos. Ita prorsus dum anima ad Deum ingreditur, & sua peccata, & imperfectiones, suámque virtutum nuditatem considerat, & Domini benignitatem meditatur, & ad dolorem, seu desiderium, seu amorem se impellit, nihil postulando postulat, & nullum petitionis verbum concipiendo, non minus quàm si expressè postularet, Deum ad largiendum prouocat. Erit, antequam clament, ait Dominus per Isaiam, ego exaudiam.] Et Dauid: Delictum meum cognitum tibi feci; & iniustitiam meam non abscondi. Dixi: Confitebor aduersùm me iniustitiam meam Domino (ac in me, non in alium culpam coniiciam) & tu remisisti impietatem peccati mei.] Solùm de peccato dolui: solùm dixi: Peccaui Domino: nihil adhuc postulaueram; tu autem, ô misericors Pater, ac si veniam petiissem, remisisti. Quare? nisi quia apud te meditatio nostra, & affectus noster vim petitionis habet, & quod optamus obtinet. Quotiescumque ergo de Deo, aut in ordine ad illum bonum aliquod cogitamus; quotiescumque ad illum adficimur, & sine voce externa nos illi manifestamus, & desideria pandimus, & cultum illi exhibemus, tunc mentaliter oramus: tunc mens nostra ima deserit, & in Deum intellectu ac voluntate conscendit.

Isaiæ 61. 24. *Psal.31. 5.*

Mens qua luce ad orationem mentalem opus habeat.

CAPVT II.

SCIMVS iam orationem esse ascensum mentis in Deum; húncque ascensum fieri per intellectum cognoscentem, & voluntatem aliquo adfectu in Deum venire conantem. Nunc autem sciendum est, mentem (eo ipso, quòd iste ascensus non est illi naturalis, sed à Domino gratis concessus) duplici fulcimento indigere: altero ex parte intellectus; altero ex parte voluntatis, vt in Deum ascendat, & se, ac omnia terrena derelinquat. Intellectus ad cognoscendum eget luce; voluntas verò eget ardore. Intellectus est oculus mentis: vnde sicut oculus corporis non potest videre sine luce corporali; ita & intellectus non potest cognoscere, si illi aliqua spiritualis lux desit. Quare Bernardus ait: Equidem animæ nostræ oculus intelligentia est. Sicut enim oculo corporis lux corporea, & cætera quæque corporalia videntur: ita Deus, qui est lumen incircumscriptum, & eius inuisibilia vtcumque intellectu conspiciuntur. Differunt autem in hoc exterior & interior oculus, quòd exteriori quidem corporeâ lux extrinsecus, vt videat, admouetur; interiori verò creatoris lumen intrinsecus, vt discernat, infunditur.] Lux autem intellectus duplex est: altera naturalis, quæ vel ab ipso non secernitur, vel saltem naturaliter habetur: altera supernaturalis, quæ diuinitus infunditur, & non propriis

Naturalis lux menti illustrandæ non sufficit.

Bern. ser. 3. de Assumt.

A

B

C

D

E

vitibus, sicut naturalis scientia, sed Dei gratia comparatur. Illa prima, & naturalis lux, si sola sit, & ab hac secunda destituta, ad mentalem orationem non sufficit. Nam oratione hac mysteria supernaturalia cogitamus, vt mysteria redemtionis nostræ per Christum facta; pœnas, & præmia æterna malis, & bonis præparata, & arcana vnius trini Dei, quæ naturalis ratio non adsequitur. Si verò aliquando naturalia euoluimus, vt peccata & vitia nostra, animorum immortalitatem, & attributa Dei ratione naturali cognita, vt prouidentiam, sapientiam, bonitatem, & alia huius generis; id facimus, vt ad detestationem peccatorum, & Dei charitatem, & alios adfectus supernaturales incitemur, ad quos eliciendos ratio naturalis non sufficit. Quamobrem videns Dauid huius naturalis luminis insufficientiam ad diuina contemplanda, à Deo postulat vt eam alia luce sublimiori perficiat. Quoniam tu illuminas, ait, lucernam meam, Domine: Deus meus illumina tenebras meas.] Lux naturalis lucerna & tenebræ vocata est. Lucerna quidem, quia comparata ad supernaturalia sine mutuato supernaturali splendore non lucet, neque ea probè cognoscit. Tenebræ verò, quoniam sicut in tenebris ambulantes ad lapidem, vel rem quampiam occurrentem offendunt: ita luce naturali supernaturalia metientes in deliria & errores impingunt. Vnde Paulus inquit: Nónne stultam fecit Deus sapiẽtiam huius mundi?] Verè illam stultam fecit; quia illam cæcam & ignorantem ad cognoscenda mysteria nostræ redemtionis ostendit, & non per sapientiam mundi, id est, per rationes naturales, sed per stultitiam prædicationis, id est, per eam lucem, quam mundus stultus stultè stultam existimabat, ea nobis manifestauit.

Psal.17. 29.

1.Cor.1. 20.

Est itaque necessaria intellectui ad hoc genus mentalis orationis supernaturalis lux diuinitus nobis immissa, qua ad res cœlestes, & captum nostrum superantes efferamur. Hanc sæpissime postulabat sanctus Dauid, vt qui sciret eam summi momenti esse ad diuina contemplanda. Idque sonant illa verba: Reuela oculos meos, & considerabo mirabilia de lege tua.] Da mihi intellectum, vt discam mandata tua. Declaratio sermonum tuorum illuminat, & intellectum dat paruulis. Hæc enim interiorum oculorum reuelatio, hæc declaratio sermonum Dei, hic intellectus, quem posuit, neque est intellectus, quem ex natura habet, nec lux, quam ratio naturalis infert, sed quam supernaturaliter Spiritus sanctus infundit. Egregiè namque Cassianus scripsit secundum horum locorum tractans: Vtique & intellectum semel sibi per naturam præstitum possidebat, notitiam quoque mandatorum Dei, quæ descripta tenebantur in lege, vtique habebat in promtu; & tamen vt hanc plenius apprehendat, Dominum deprecatur, sciens nequaquam sibimet sufficere posse id, quod per naturam conditionis insertum est, nisi quottidiana Domini illuminatione ad intelligendam spiritualiter legem, ac mandata eius apertius agnoscenda, sensus ipsius ab eodem fuerit illustratus. Vocat autem (si non erat) notitiam mandatorum per naturam insertam; non quia sine gratia Dei ab hominibus habeatur: sed quia homini inter fideles nato, & educato, qui parentum mores sequitur, quasi naturaliter, aut connaturali modo, notio hæc mandatorum infertur.] Vt filij Israël terram pro-

Lux diuinitus immissa requiritur.

Psal.118. 18.

Cassian. col.3.c. 15.

missam

missam ingrederentur, columna nubis & ignis protegens & illuminans in locum destinatum duxit. Vt Magi Christum inuenirent, stella præcessit. Vt Apostoli in montem vbi Christus transfiguratus videndus erat, ascenderent, ipse, qui est lux vera, viam ascendendi monstrauit. Ita vt mens nostra in montem orationis ascendat, & ibi quiescat, & suum factorem inueniat, eiúsque humanitatem ac diuinitatem agnoscat, luce superiori opus habet. Vanum est vobis, ó homines, ante lucem surgere: surgite postquam sederitis, qui manducatis panem doloris. Si ad Dominum ascendere oratione cupitis, primò de luce congrua habenda cogitate. Quoniam sine luce haudquaquam valebitis res cœlestes intueri. Sedete igitur priùs, id est, humiliamini, & Deo vos non aliter, quàm rudis discipulus magistro subiicite. Panem doloris comedite, ac sancta compunctione reficite. Per hanc autem humilitatem, ac compunctionem, luce obtenta, vtile vobis erit, vt ad orandum & contemplandum surgatis. Spiridion Episcopus (narrante Ruffino) simplicibus verbis disertissimum Philosophum, quem alij sapientiores Episcopi conuincere argumentis non poterant, ad cognitionem veritatis traxit. Quare? Quia intellectui tumentis hominis lux naturale lumen excedens diuinæ claritatis infulsit. Et Alexander item Episcopus apud Nizephorum alium Philosophiæ præstantissimum sectatorem elinguem effecit, & sic fidei nostræ mysteriis imbuit. Quare? Quia lux diuina veritati repugnantem sibi subiecit. Ergo lux supernaturalis necessaria est, non tantùm vt veritatibus Christianæ religionis assentiamur; verùm etiam vt postquam assensum præbuerimus, ita ea recogitemus, quòd voluntatem nostram ad bonum moueant, & Deo nobis imperanti subiiciant.

Exod. 13. 21. Matth. 2. 9. Ioan. 1.

Psal. 126. 3.

Ruffin. 1. hist. c. 3.

Nizeph. lib. 8. c. 15.

Lux fidei orationi necessaria.

Hæc autem lux, qua Deus solet intellectum ad mentaliter orandum erudire, trifariam diuiditur. Altera namque est lux fidei, altera lux sapientiæ, & donorum Spiritus sancti intellectũ perficientium: tertia est lux huic proximæ similis, quæ tamen à donis non oritur, sed inter gratias gratis datas numeratur. De singulis his luminibus pauca dicenda sunt. Lux fidei quoad habitum, seu vim credendi cunctis fidelibus data est. Qui & possunt, quotiescumque voluerint, non sine gratia, quæ illis omnibus præstò est, eam vim in actum extendere, & mysteria fidei credendo recogitare. Audi vim huius lucis in Actibus Apostolorum expressam. Concionatus est aliquando Paulus coram Athenienſibus vnius Dei veritatem, ac Christi Filij eius resurrectionem illis patefecit. Enarrata autem concione eloquentissima, Lucas hæc subdit: Cùm audissent autem resurrectionem mortuorum, quidam quidem irridebant, quidam verò dixerunt: Audiemus te de hoc iterum. Quidam verò viri adhærentes ei crediderunt.] Cuncti eumdem Apostolum eodem tempore concionantem audiuere: cuncti eadem verba spiritu Dei prolata excepere. Quare ergo tam dissimilis fuit fructus in cordibus eorũ? Quia nimirum non eadem, sed dispari luce, quæ dicebantur, cogitarunt. Quidam sola naturali luce ducti quasi deliria sibi proponerentur, irriserunt. Alij maiori prudentia, sed tamen naturali coacti, in re proposita aliquantulum institérunt. Alij demum à Deo fidei luce donati (in quibus fuit Dionysius Areopagita, & Damaris secundùm aliquos eius vxor) toto corde veritatem sunt amplexi. Sic prorsus quando per fidem nouissima nostra, mysteria redemtionis humanæ, & Dei magnalia recogitamus, mirum est quantum nos moueant, & quomodo à malo retrahant, & ad bonum adficiant. Iterum idem Paulus Philippis quasdam mulieres alloquẽs de regno Dei, credidit vna Lydia purpuraria, cuius cor Dominus aperuit intendere his, quæ dicebantur à Paulo. Ita prorsus cùm Deus cor nostrum actibus fidei tangit, & ad efficaciter intelligenda, quæ cogitamus, aditum pandit; non solùm credimus, verùm & ad salutem contremiscimus, & vitam nostram emendare curamus. Primò sex illorum dierum, quibus orbis est conditus, lux à Domino creata est tamquam primum instrumentum, quo vniuersa corporalia erant fouenda & ornanda. Ita & in orationis opere lux adhibenda priùs est, non quælibet, sed lux supernaturalis, lux fidei, qua Deus nobis nos & sua detegit, & beneficio eius dona, quibus efficimur spirituales, immittit. Vt enim Bernardus ait: Primum opus fidei per dilectionem operantis cordis compunctio est, in qua sine dubio eiiciuntur dæmonia, cùm eradicantur è corde peccata. Exinde sequitur, vt fide vtens linguis loquatur nouis, & recedant vetera de ore eius: vt venenatas serpentium, id est, dæmonum suggestiones extinguat, vtque carnis motibus non consentiat. Hæc omnia, quæ fructus sunt meditationis, siue orationis, à luce fidei initium sumserunt, qua æterna recogitamus. Hac itaque luce fidei in oratione positi diuina mysteria respicimus sine discursibus, sine argumentis, sine disputationibus. Respicimus, inquam, magna quadam simplicitate, mentísque serenitate, vt ouiculæ gregis Christi, vt columbæ spiritales. Nam & de oculis animæ iustæ dictum est: Oculi tui columbarum.] Et si à nobis cogitantibus interrogaretur, quare illa credimus? Non aliud respónderemus, quàm nos credere, quia Deus dixit, & mater Ecclesia ea tamquam à Deo dicta proponit. His autem ita cognitis, & perpensis ad omne malum vitandum, & bonum aggrediendum incitamur.

Act. 16. 14.

Bernard. serm. 1. de Ascens.

Cant. 1. 15.

Lux à donis Spiritus sancti in oratione reperitur.

Altera lux, qua intellectus in oratione iuuatur, à quattuor donis Spiritus sancti, nempe à dono sapientię, intellectus, consilij, & scientiæ profecta est. Lux ista fidei cognitionem ac sinceritatem non tollit, sed eam perficit, & mirum in modum notitiam eorum, quę cogitamus, & ponderationem auget. Aliquãdo enim res diuinas viri spirituales tam perspicuè intelligunt, ac si ipsas clarè intuerentur (cùm tamen certum sit eos fidei obscuritatem non amittere) & tam sapida notitia percipiunt, ac si mel palato gustarent; & hoc facit donum sapientiæ. Aliquando hebetudo mentis omni ex parte obtunditur, ac mysterium cognitum subtilissimè, & quasi vsque ad intima penetratur; & hoc præstat donum intellectus. Aliquando quid in vnaquaque re agendum, quid omittendum sit; quanta puritate viuendum, quàm ex corde omnia terrena despicienda, ingente quadam satisfactione cognoscunt; & hoc pertinet ad donum scientiæ. Aliquando tandem non iam in generali, sed in euentibus particularibus quomodo procedendum sit, intelligitur, & mens vi quadam diuina ad operandum impellitur; & hoc ad consilij donum spectat. Sunt enim dona, vt Thomas optimè docet, habitus quidam iustorum mentibus inditi, à virtutibus quidem natura distincti, charitati verò connexi, quibus ad opera quædã heroica perficiuntur; non quatenus ipsæ mentes hæc opera eliciunt, sed quatenus ab Spiritu sancto ad eadem permouentur. Solet ergo spiritus hic veritatis mediis his donis iustos in oratione positos de mysteriis fidei perfe-

D. Th. 1. 2. q. 68. art. 1.

ctiſſima cognitione docere,& ad altiſſimam quamdam ſapientiam ſublimare. Quæ eos ita incitat,ita impellit, vt quaſi vehementiſſimo impetu in omnem virtutem tendant,& rebus humanis ſe propripiant. De his ait Paulus: Quicumque enim ſpiritu Dei aguntur, hi ſunt filij Dei. Ita aguntur, vt efficaciſſimè ad notionem & opus adiuuentur:non vt ipſi nihil agant, ſed vt tanta luce perfuſi, tanta virtute roborati in agendo & intelligendo nihil laborent.Vnde Anſelmus egregiè: Aguntur autem Spiritu Dei, vt & ipſi,quod agendum eſt,agant; & cùm egerint, illi,à quo aguntur, gratias agant.Spiritus enim Dei, qui eos agit,agentibus eſt adiutor, & ductor. Aguntur ergo vt agant, & ad hoc eis oſtenditur quid agere debeant, vt hoc ſicut agendum eſt agant,id eſt,cum dilectione, & delectatione iuſtitiæ; quia qui ſpiritu Dei aguntur,charitate aguntur,& excitantur.Non ergo littera,ſed ſpiritu; non lege præcipiente, minante, promittente, ſed ſpiritu exhortante,illuminante,adiuuante aguntur. Non quia ipſi nihil agant,ſed ne nihil agant boni, à bono aguntur,vt agant. Nam tanto magis efficitur quiſque filius bonus, quanto largiùs ei datur à Patre ſpiritus bonus.] Hactenus ille.

Rom. 8. 14.

Anſelm. ibid.

Volo rem hanc recenti exemplo patefacere, vt quanta ſit huius lucis efficacitas ad vitam emendandam, & totum hominem immutandum appareat.Franciſcus Borgia primùm clariſſimus Gandiæ Dux, poſtmodum humillimus noſtræ Societatis alumnus, & eiuſdem tertius Generalis Præpoſitus, ita à ſæculi vanitate ad vitam perfectam conuerſus eſt. Acceperat ille in mandatis à Carolo Quinto Cæſare Auguſto, ac Hiſpaniæ noſtræ Rege inuictiſſimo, vt cadauer Iſabellæ coniugis tunc Toleti vita functæ, Illiberim ad Regum ſepulchra deduceret.Paruit ille; & cùm ad finem itineris ventum eſſet,& feretrum apertum, vt corpus Iſabellæ Imperatricis ibi humatum eſſe tabellio in publica acta referret,ita fœtidum,tetrum ac deforme oculis ſpectantium ſe dedit, vt omnibus præſentibus magnum horrorem incuteret. Adfuit huic ſpectaculo Epiſcopus quidam in hoc funere Ducis Borgiæ comes:adfuerunt multi nobiles, & illuſtres viri;adfuerunt plurimi infimæ plebis, & omnibus ad ſua remeantibus,ſolus Franciſcus vinculis Domini captus eſt; ſolus ille rerum humanarum deſpicientia perculſus vitam mutauit, & ex illuſtriſſimo & ditiſſimo principe,vt non apud homines, ſed apud Deum clarus & nobilis eſſet, in humillimum ac pauperrimum religioſum ſe conuertit. Dicebat ille intra ſe, cadauer tantæ Imperatricis aſpiciens, vt Andreas Scottus noſter frater pulcherrimè ſcribit: Hæccine illa ſunt lumina, quæ omnium in ſe oculos conuerterant? Hæc venuſtas illa, quæ aliarum formas extingueret?Túne Iſabella? Túne Auguſta? Fallunt oculi?Aberrat mens?Sed non fallunt:nimirum humanarum hęc rerum viciſſitudo eſt. I,nunc fragile illud formæ bonum admirare? Et poſtea ad ſe receptus, & in ſuum cubiculum ingreſſus:O miſeram,dicebat,vitæ rationem!O fallaces hominum ſpes,& inanes noſtras cogitationes!Quouſque tandem diligimus vanitatem, & quærimus mendacium?Quouſque veris neglectis, vmbras conſectamur? Regna,imperia,nobilitas,honores morte ſoluuntur;formæ dignitas morbo & morte amittitur. Omnia denique citò ex lætitia, & voluptate ad luctum & lacrymas recidunt. En illa Auguſtarum pulcherrima,vt in funere deformata iacet.Expergiſcere igitur, anima mea, expergiſcere tamquam è veterno,ſat principi mortali datum. Te, te ſequar,

Scottus lib.1. vitæ,cap.7.

A immortalis. Illumina, Deus,oculos meos,viámque commonſtra; vt quod reliquum eſt vitæ ſpatium, perbreue illud quidem,at quantum,id eſt,rectè piéque tranſigatur.] Vnde igitur tam mirabilis vitæ mutatio initium ſumſit? Quare ſolus hic vir ad vitam perfectam conuerſus eſt, alij verò eadem aſpicientes,nequaquam ſunt ad meliora mutati? Quia hic ſolus tunc temporis eam lucem cœlitus datam accepit,quæ mundi huius vanitatem perſpicuè manifeſtaret,& illud auxilium,quo poſt lucem ducentem & vocantem curreret. Sic profectò ſolent duo eiuſdem aliquando virtutis idem myſterium animo voluere,eadem in illo meditari, parem diligentiam ac attentionem apponere; & tamen alter fructum ordinarium & communem capit: alter verò B fructum eximium, & mirabilem in vita ſua mutationem decerpit.Quia videlicet ille luce communi fidei res vidit: hic autem ſapientiæ & donorum aliorum ſplendore illuminatus eaſdem clariùs & efficaciùs aſpexit. Hæc lux eſt magnæ perfectionis initium, cui Deus Sanctorum architectator alia auxilia gratiæ præcedentia & ſequentia connectit.

Quando Deus his donis intellectum ad orandum adficit, elicitur oratio pinguior,efficacior,atque perfectior. Id autem prouenit multis ex cauſſis. Prima: quia notitia Dei,aut rerum, quas cogitamus, à nobiliori initio procedit, nempe à fide non ſola, ſed donis adiuta, & cœleſtibus his luminibus aucta. Secunda: quia hæc eadem notitia eſt C penetrabilior, atque profundior, & quaſi ad intima myſteriorum pertingit. Tertia: quia videtur anima ea, quæ conſiderat velut manibus tangere, & ſenſu experimentali guſtare. Quarta: quia potentiùs adfectus volũtatis mouet, & ad opera perfectionis impellit. Quinta: quia nihil, aut parum habet diſcurſus, & ad ſimilitudinem cognitionis angelicæ anima totum, quod contemplatur,aut in ſeipſo,aut in ratione, qua cognoſcitur, & non per partes intelligit. Sexta: quia orationem iſtam admiratio ſuſpendit, ſapor quidam pluſquam melleus adficit,& ſuauitas ac trãquillitas mentis numquam deſtituit. Hac luce donatus, dum ipſa durat, mirum eſt nõ ſolùm quàm perfectè oret,ſed etiam quàm perfectè viuat, & quantum roboris ad ſuperandas difficultates in ſe animaducrtat. Pane communi,quem manducamus, ad diem quidem reficimur; ſed die ſequenti pane iterum indigemus. At D panis ille Eliæ ab Angelo miniſtratus ita illum refecit,vt ambularet in fortitudine cibi illius quadraginta diebus, & quadraginta noctibus vſque ad montem Dei Horeb. Prius ille comederat, & dormierat; poſtea comedit & ambulauit, & ad verticem montis vſque peruenit; quia videlicet in myſterio efficaciorem panem ſecundò comedit. Ita quidem & nos cùm communi luce illuminamur, nonnihil roboris accipimus, ſed poſt paululum intepeſcimus; ita vt opus ſit iterum ad menſam orationis accumbere. At ſi aliquando lux iſta ſecunda nobis illuxerit, ita mentem inſtruit,& roborat, vt in virtute eius multis poſſit diebus ad montem E perfectionis properare. De qua intelligi poteſt illud Dauidis: Intellectus bonus omnibus facientibus eum: laudatio eius manet in ſæculum ſæculi.] Nam,qui timorem Dei faciunt (de quo antea præmiſerat: Initium ſapientiæ timor Domini:) id eſt, iuxta præſcriptum eius viuunt, hoc intellectu bono,hac luce intelligentiæ optima,vtili,ac magnifica interdum illuminantur, vt poſſint ad perfectionem aſcendere, & veram perpetuámque laudem apud Deum & homines comparare.Illuc verò tan-

Quãtam nobis ingerat vim hæc diuina lux.

3. Reg. 19. 8.

Pſal.110. 10.

dem

dem de hac luce dicamus, quòd non est in potestate orantium, etiam iustorum, eam ad vsum orationis accersere. Licèt enim omnes iusti simul cum gratia & charitate donorum Spiritus sancti habitus habeant, qui secundùm Dei ordinationem nequeunt à gratia separari: quamuis etiam vsus eorum ipsis non denegetur in his, quæ necessaria sunt ad salutem, & gratiæ conseruationem; tamen vsus hic extraordinarius, quo mens ad contemplandum effertur, illis solis rariùs, aut frequentiùs datur, quos Deus ad perfectam orationem elegerit, & sollicita quadam mortificatione, & omnium virtutum assidua exercitatione, & magna vitæ puritate, & sancto conuersationis feruore parauerit. Neque in his lux ista, quantumuis eximia sit, signum est euidēs gratiæ eos gratos facientis, & amicos Dei, quoniam incertum est omnibus an hæ illustrationes à donis proueniant, aut ab aliis auxiliis Dei, quæ sunt tertiæ lucis, de qua nunc dissereremus, initia; quæ auxilia potest Deus, qui omnium est Dominus, etiam improbis, immo & reprobis dare.

Tertia lux gratia gratis data.

Tertia lux, qua intellectus in oratione iuuatur, non est iam lux Fidei, nec lux donorum, sed gratia gratis data, quæ ad similitudinem fulguris coruscantis hominem à sensibus abstrahit, & ad cœlestia per extasim rapit. Et sanè licèt hæc posset ad gratiam sapientiæ, aut scientiæ referri; tamen Doctor Angelicus ad gratiam prophetiæ reuocauit, qua homo à Deo actus abscondita, & quæ naturaliter cognoscere non poterat, mirabili quadam ratione cognoscit. Ad hanc lucem pertinet illud, quod inquit Paulus: Scio hominem in Christo ante annos quattuordecim (siue in corpore, nescio; siue extra corpus, nescio; Deus scit:) raptum huiusmodi vsque ad tertiū cœlum.] Et quoniam raptus est in Paradisum, & audiuit arcana verba, quæ non licet homini loqui. Rapta fuit mens Pauli, & ab omni vsu sensuum abstracta, primùm quidem in tertium cœlum, hoc est, in cœlū Empyreum. Nam primum cœlum est aëreum, aëre enim quoque tegimur; ex quo dicuntur aues cœli; quia per aëra discurrunt, & ad eum se sustollunt. Secundum verò cœlum est æthereum orbes omnes cœlestes in perpetuo motu durantes continens. Tertium verò est cœlum Empyreum, sedes Dei, ac domicilium Beatorum, in quo semper sunt cum Deo regnaturi. Vel per tres cœlos tres Angelorum Hierarchiæ intelligūtur, quarum quælibet in tres spirituum sanctorum est ordines distributa; vt scilicet Paulus supremis spiritibus interfuerit. Deindè raptus est iterum in Paradisum, id est, in illum delitiarum locum, quem Dominus pro hominis innocentis habitatione perfecit. Vel certè in idem tertiū cœlum, quod ideo Paradisus vocatum est, vt horum duorum raptuum discrimen innueret. Quorum primus ortus est ex abundantia luminis; secundus verò ex immensa dulcedine deuotionis. Ibi Paulus ea vidit & audiuit, mentis oculis & auribus, quæ hominibus propalare non conuenit. Sed quánam luce vidit? Equidem existimo quoniam hac tertia luce, qua etiam Ioannes in suis reuelationibus est edoctus, quáque Prophetæ fuerunt illuminati, vt futura prænoscerent.

2. Cor. 12. 2.

Quæ lux seriò postulanda, quæ non.

Horum trium luminum istud postremum nec optandum est, nec petendum: immo, si aliquando ingereretur, humiliter declinandum, ne fortè decipiamur ab angelo Satanæ transfigurante se in Angelum lucis. Vel certè solerter examinandum est, quod homini accidit, & ad Prælatorum sensum, & Ecclesiæ regulas perpendendum. De quo infrà suo loco multa, Deo dante, dicemus. Duo verò alia lumina desiderari possunt, & peti. Primum quidem fidei, vt scilicet Deus illud augeat, & bonum ac efficacem vsum eius nobis concedat, quo in oratione positi diuina mysteria aptè voluamus, & ita nobis proponamus, vt nos ad contemtum sæculi, & vitæ emendationem accendant. Secundum verò sapientiæ, vt nimirum eo fides iuuetur, & veritates fidei intimè penetrentur, ita vt perfectum orationis donum (si nobis expedit) capiamus, & magnā vitæ puritatem eius præsidio sectemur. Dicamus itaque cum Dauide: Illustra faciem tuam super seruum tuum: saluum me fac in misericordia tua.] Facies tua, ô Domine Deus meus, semper lucida, semper pulchra est. Sed tunc eam super nos illustras, quando mentes nostras sapientiæ fulgore ad te contemplandum illuminas. Illumina igitur nos, & à mentis hebetudine, & cordis cæcitate nos libera; non confundamur accurrentes ad te, siquidem cum magna fiducia inuocamus te. Hanc lucem promittit Sapiens timenti Deum, & facienti bona. Cibabit illum, inquit, panè vitæ, & intellectus; & aqua sapientiæ salutaris potabit illum.] Panis enim & vinum mentis est ista sapientiæ lux, qua (vt statim dicitur) firmitatem & stabilitatem iustus accipit, & in bono se continet, & confusionem ex peccatis & imperfectionibus manantem fugit. Istam salutarem sapientiam, seu sapientiæ lucem Bonauentura aquam æstiualem vocat, vt eam opponat aquæ hyemali, de qua dicitur in Canticis: Imber abiit & recessit;] & eius effectus mirabiles sic exponit: Hæc aqua æstiualis, ô anima, spiritum tuum in meditationibns ad veniendum ad meam æternitatem sursum erigit, ad meam æternitatem salire facit, ad meam æternitatem introducit. Vnde dicit Iesus sol æstiuus: Aqua, quam ego do, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam. In his verbis veritas innuit, quòd aqua æstiualis à fonte vitæ oritur, quia apud Deum est fons vitæ, vt ait Psalmista, & ideo meditationem nostram sursum trahit per desiderium æternorum, quare Psalmus dicit: Sitiuit anima mea ad Deum fontem viuum. Secundò innuit quòd aqua æstiualis spiritui nostro ad velociter veniendum per meditationem multipliciter cooperatur; tum, quia sitim spiritus itinerantis ad æterna, quoad temporalia extinguit: quia aqua illa fiet in eo fons aquæ fluentis per omnes valles animæ; qui autem habet intra se fontem, sitire non potest. Item spiritui itineranti ad æterna vigorem tribuit, quia est aqua viua viuificans omnes potentias animæ. Item spiritum itinerantem ad æterna non ire, sed salire facit, quia est aqua saltare faciens. Tertiò, aqua hæc æstiualis spiritum itinerantem reformat, & perficit, quia ad vitam æternam introducit: quia non saltat ad temporalia, sed salit in vitam æternam.] Sic ille. Cùm ergo hæc lux tam efficax sit ad proficiendum in studio orationis, & tam validè vitam nostram emendet, & sursum ad perfectionem ferat; ardentibus desideriis & precationibus petenda est, vt aliquándo tandem illa ditati, non iam cogitando humi repamus, sed volando sanctorum adfectuum alis ad optatam mentis puritatem properemus.

Psal. 30. 17.

Eccli. 15. 3.

Cant. 2. Bonau. de 7. itineribus, itiner. 2. dict. 7. Ioan. 4.

Psal. 41.

*

Mens quo ardore ad mentalem orationem indigeat.

CAPVT III.

LITERA vis mentis,qua orationi mentali intendimus, eſt voluntas proculdubio ſupernaturali auxilio indigens,vt ad ſanctos adfectus , & cogitationibus intellectus conuenientes efferatur. Neque enim ipſa nuda,& hoc auxilio deſtituta poteſt actiones virtutum elicere,ad quas ſancti adfectus pertinent,neque aliquod gratiæ augmentum , aut gloriæ præmium promereri. Non quòd ſufficientes ſimus,ait Paulus,cogitare aliquid à nobis, quaſi ex nobis;ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt.] Si non poſſumus ſine Dei auxilio aliquid boni cogitare, quod eſt facillimum;multo minus poterimus meditari,& cum labore & conatu veritatem inueſtigare.Ergo multo minus valebimus ſanctis adfectibus permoueri, in quibus longè maior eſt difficultas , quàm in cogitatione inſtabili, aut in meditatione intellectus peruigili. Voluntas noſtra per peccatum adeò infirma permanſit, vt ad modum ægroti hominis poſſit cadere , non tamen ſine auxilio alterius ſe poſſit erigere. Adfectiones autem virtutum , quas in oratione habemus, ſurſum actiones ſunt,quibus in Deum tendimus,& ei quaſi noſtro fini coniungimur. Quare certum eſt eas non ab infirmitate noſtra , ſed ab eius dignatione , qua nos adiuuat, prouenire. Ille dixit:Sine me nihil poteſtis facere.] Id eſt,ſine auxilio gratiæ meæ nihil præſtare valetis,quod ſit pium,quod ſit ſanctum,quod ſit cœleſti mercede dignum. Hi autem voluntatis adfectus pij ſunt, in Deum tendentes , & quottidie nos ſtudioſiores facientes.Non igitur poſſunt ſine diuinis auxiliis haberi. Et licèt ab ipſa natura velle habeamus, tamen velle humilitatem , deſiderare caſtitatem , cupere deſpicientiam ſæculi, & interiùs alias virtutes exercere,non niſi à gratia poſſidemus.Sed in his non oportet immorari ; & ſolum Bernardum audiamus, & eius ſententia rem hanc pro minus eruditis exponat, & apta interpretatione concludat. Velle,inquit,ineſt nobis ex libero arbitrio, non etiam poſſe , quod volumus. Non dico velle bonum, aut velle malum , ſed tantùm velle. Velle enim bonum profectus eſt ; velle malum defectus; velle verò ſimpliciter ipſum eſt , quod vel proficit, vel deficit. Porrò ipſum, vt eſſet, creans gratia facit. Vt proficiat , ſaluans gratia facit : vt deficiat, ipſum ſe deiicit. Itaque liberum arbitrium nos facit volentes , gratia beneuolos. Ex ipſo nobis eſt velle, ex ipſa bonum velle. Quemadmodum namque aliud eſt timere ſimpliciter , aliud eſt timere Deum ; & aliud eſt amare ſimpliciter , aliud eſt amare Deum , quippe timere, & amare ſimpliciter quidem prolata , adfectiones ; cum additamento autem virtutes ſignificant:ita quoque aliud eſt velle,aliud velle bonum. Simplices nempe adfectiones inſunt naturaliter nobis , tamquam ex nobis, additamenta ex gratia. Nec aliud profectò eſt, niſi quod gratia ordinat , quas donauit creatio , vt nil aliud ſint virtutes, niſi ordinatæ adfectiones. Scriptum eſt de quibuſdam, quòd illic trepidaſſent timore , vbi non erat timor. Timor fuit, ſed inordinatus. Ordinare illum volebat Dominus in diſcipulis,cùm diceret : Oſtendam vobis, quem timere debeatis. Et Dauid : Venite, ait, filij,audite me, timorem Domini docebo vos. Item de amore inordinato arguebat homines, qui dicebat:Ego lux veni in hunc mundum, & dilexerunt homines magis tenebras , quàm lucem. Idcirco poſtulat ſponſa in Canticis,dicens:Ordinate in me charitatem. Similiter quoque de inordinata voluntate arguebantur, quibus dicebatur : Neſcitis quid petatis. Sed ad lineam rectitudinis edocti ſunt diſtortam reducere voluntatem, cùm audierunt : Poteſtis bibere calicem , quem ego bibiturus ſum? Et tunc quidem verbo,ſed poſtmodum etiam exemplo,voluntatem ordinare docebat, cùm orans inſtante paſſione, vt transferretur ab eo calix,ſubiiceret : Verumtamen non quod ego volo,ſed quod tu vis. A Deo igitur velle,quomodo,& timere ; quomodo & amare,accepimus in conditione naturæ , vt eſſemus aliqua creatura.Velle autem bonum, quomodo & timere Deum ; quomodo & amare Deum , accepimus in viſitatione gratiæ, vt ſimus Dei creatura.] Hactenus Bernardus.

Hæc breuiter dicta ſunt,nõ vt rem notiſſimam, & apud omnes Catholicos receptiſſimam , & à Theologis auctoritatum & rationum multitudine confirmatam doceamus , ſed vt diuerſitatem horum auxiliorum explicemus. Secundùm ergo tria luminum genera , quibus intellectus ad conſiderationem myſteriorum fidei illuminatur , tria etiam ſunt auxiliorum genera,quibus voluntas in oratione ad bonum adiicitur,vel à malis remouetur. Primum auxilium ſimile eſt potentiæ motrici corporis,qua huc illúcque diſcurrimus.Sicut enim intellectus noſter apprehendit bonum eſſe proficiſci in vrbem , & acceptante voluntate , ſtatim potentia motrix corpus mouet , & pedibus paulatim in vrbem progreditur , & ſi aſcenſus ſit difficilis , & via longa,non parum ipſo itinere fatigatur:ita cognoſcente ac ponderante intellectu noſtro Chriſti humilitatem,aut Dei erga nos charitatem,aut aliquid ſimile, voluntas accipit à Deo impulſum quemdam gratiæ ſuæ , quo illam humilitatem imitari ſtatuit, aut charitatem ſequi proponit. Et quia humilitas, & charitas , & virtutes reliquæ ſupra naturam humanam ſunt ; ideo homo quaſi moderato auxilio incedens , his adfectibus velut quibuſdam animi greſſibus ſolet poſt aliquantam exercitationem fatigari. Adfectus ergo noſtri ab hoc ordinario auxilio procedentes,& hanc ordinariam lucem ſequentes, meritò in ſancta Scriptura pedum nomine ſignati ſunt , quoniam illis paulatim gradimur , & poſt confectum aliquantulum viæ non modicum fatigamur. Ab omni via mala prohibui pedes meos,ait Dauid ; vt cuſtodiam verba tua.] Pedum nomine actus ſuæ voluntatis , & adfectus ſui cordis intelligit. Quo loco Ambroſius : Reuoca ab iſtius mundi lubrico pedes animi tui, & mentis inceſſum.Prohibe,inquam,reſiſte cupiditatibus,obſiſte motibus,qui videntur irruere ſicut beſtiæ,atque iumenta,vt teneros fructus,& noua ruris huius noſtri culta depaſcant. Prohibui, inquit , pedes meos; non vtique corporis pedes prohibuit , qui mentis piæ plerumque obſequuntur arbitrio. Neque enim prohibendi ſunt , cùm prodeunt ad Dei templum, viduæ opem ferre feſtinant , impium præuenire, ſupplantare aliquem fraudulentum. Alius igitur pes eſt,qui iure prohibetur.] Adfectus ergo noſtri, quibus communiter bonum amplectimur,& à malo retrahimur, ab auxilio gratiæ prouenientes ſunt pedes animæ ; de quibus ſponſa ait : Laui pedes meos,ab omni ſcilicet humano deſiderio, quomodo inquinabo illos?]Et Dauid:Stantes erant pedes noſtri in atriis tuis Ieruſalem.] Neque enim terre-

2. Cor.3. 5.

Ioan.15. 5. Nil prouoportet, ſine auxilio Dei præſtare valemus.

Bernard. libro de grat. & lib.arb.

Auxilia tria, quæ Deus in oratione præſtat. Primum potentiæ motrici ſimile.

Pſal.118. 161.

Ambroſ. ibid. ſer. 13.v.15.

Cant.5. 3.

Pſal.121. 2.

nus

nus & mortalis homo in patria illa cœlesti habebat sui corporis pedes, cùm adhuc moraretur in terra. Sed ibi collocauerat animi pedes, quia ibi fixerat sua desideria. Et Iob: Posuisti in neruo pedes meos; alligasti scilicet legis tuæ vinculis adfectus meos, ne in vetita diffluerent; & obseruasti omnes semitas meas; actiones nempe, & opera mea; ac vestigia pedum meorum, fructus, seu effectus adfectuum, & operum meorum considerasti. Prorsus hi adfectus ordinarij sunt pedes; non solùm quia illis in Deum imus; verumetiam quia non volando, sed paulatim ambulando, & proficiendo, & interdum currendo progredimur.

Iob 13. 27.

Secũdum pennis auium confertur.

Secundum auxilium simile est agilitati auium, quam habent in pennis ad volandum. Hæ namque velocius, quàm animalia terrestria se mouent, & alarum volatu ad alta & sublimia se sustollunt. Sic quando Deus splendore sapientiæ, & aliorum donorum, quæ diximus, fidem auget, & animam erudit, solet abundantiore auxilio gratiæ suæ tales adfectus excitare, tam ardentes, tam veloces, vt anima non iam quasi pedibus ambulando, sed quasi pennis volando in omnem virtutem, ac sanctitatem feratur. His alis cum exiguo labore, immo cum magna suauitate terrena deserit, alta petit, & à miluis, nimirum à tentationibus dæmonum irruentium, se anima spiritualis auis abscondit. Huiusmodi alæ proficientibus sunt promissæ per os Isaiæ, dicentis: Qui autem sperant in Domino mutabunt fortitudinem, assument pennas sicut aquilæ: current, & non laborabunt: ambulabunt, & non deficient.] Quinam ostendunt se sperare in Domino? Nonne illi, qui propter spem bonorum cœlestium futurorum terrena despiciunt? Hi mutant fortitudinem, id est, nouas vires colligunt, nouum robur antiquo superaddunt, dum vltra fidem actus doni sapientiæ, & vltra adfectus communes, qui sunt instar pedum, adfectus extraordinarios, & vehementiores, qui sunt instar alarum, accipiunt. Quibus absque labore se in Deum efferunt, & sine defectu semper ad maiora virtutis augmenta prouehuntur. Nec absonum est de his alis intelligere, quod ait Iob: Numquid per sapientiam tuam plumescit accipiter, expandens alas suas ad Austrum?] Accipiter enim Soli à deluſa antiquitate consecratus, vt Ælianus scripsit, optimè proficientium ac perfectorum est typus, quòd omnem vitam suam soli iustitiæ consecrãt, & fulgori ac calori diuini amoris se dicant. Hi namque more accipitrum alas vehementiorum adfectuum ad Austrum ventum calidum, nempe ad Spiritum sanctum, expandunt; de quo sponsa: Veni Auster, & perfla hortum meum,] non tam vt veteres pennas, & pristina vitia, quæ iam abiecerunt, deponant; quàm vt ad modum vulturum (qui vento calido fœcundantur) ex diuino illo Spiritu noua perfectionis desideria concipiant. Certè animalia illa Ezechielis facies & pennas per quattuor partes habebant; immo & manus hominis sub pennis eorum; quia nimirum iusti orationis dono sublimati, dum oculis sapientiæ donantur, vehementissimis adfectibus, qui pennis signari possunt, in diuina feruntur. Quia & habẽt manus sub pennis, quia huiusmodi adfectus non in solo desiderio se continent, sed ad præstantissima virtutum opera efficaciter mouent. Ac tandem Cherubim illa mysteriorum plena iuxta testamenti arcam stantia, alas habebant extensas, & oraculum operientes: nam adfectus in exercitio contemplationis acceptos in Christum verum propitiatorium referunt, & illi adhærere, ipsúmque imitari contendunt. Hæc ergo potiora auxilia, quæ pennis comparantur, aut adfectus nostros pennas faciunt, tria alia dona Spiritus sancti ad opus in oratione excitare videntur. Nam si nos, peruictis difficultatibus, ad perfectum bonum inclinent, cooperantur dono fortitudinis. Si vel à minimis imperfectionibus abstrahant, adiuuant donum timoris. Si ad hoc, quòd simus perfecta Dei holocausta, inducant, & vt conemur in nobis, & in aliis Dei laudem & honorem semper prouehere, donum permouent pietatis.

Isaiæ 40. 31.

Iob 39. 26.

Ælian. lib. 14. c. 12.

Cant. 4. 16.

Ezech. 1. 8.

Exod. 25. 20.

Tertium auxiliũ est impetus, quo anima in Deum tendit.

Tertium auxilium est quasi impetus quidam voluntati viri spiritualis impressus, quo nõ tam agit, quàm agitur, & in Deum thesaurum omnium bonorum impellitur. Quemadmodum enim si nauis vehementissimis ventorum flatibus concitetur, vel sagitta valida militis manu ad signũ iaciatur, quàm celerrimè ad portum, vel ad signum perueniunt; & si essent liberi arbitrij capaces, quamuis vellent, & optarent, cursum retardare non possent, aut in aliquo spatij loco quiescere: ita anima hoc vehementissimo auxilio correpta citissimè ab omni malo retrahitur, & in Deum suum finem impellitur, ita vt non videatur pro illa breui mora ab illo ardentissimo adfectu posse cessare. Dixi autem, vt videatur non posse; quia infrà, si Deus dederit, exponam qua tunc anima libertate fungatur. Hæc autem auxilia communiter illi tertiæ luci respondent, qua anima solet à sensibus abstrahi, & in extasim rapi. Videntúrque in illo Eliæ raptu signata. Cúmque pergerent, inquit Scriptura, scilicet Elias, & Eliseus, & incedentes sermocinarentur; ecce currus igneus, & equi ignei diuiserunt vtrumque, & ascendit Elias per turbinem in cœlum.] Currus igneus est feruentissima contemplatio, qua animo diuina mysteria voluuntur. Huic verò currui adiunguntur equi ignei, nempe ardentissima desideria, quibus mens ad Deum trahitur. Vel certè, vt Gregorius autumat, currus cum equis hæc sancta & feruentia desideria significat. Prælatorum, inquit, sanctæ Ecclesiæ curras eorum deuota sunt desideria. Nam dum superna gaudia feruenter appetunt, velut in curribus per alta feruntur. Hinc est quòd Elias in curru igneo in cœlum subleuatus asseritur; quia profectò ad superna gaudia sustolli non poterit, qui ea per alta, & feruentia desideria non inquirit.] Turbo autem est auxilium hoc validissimum, quod currum igneum, & equos igneos, & Eliam in curru sedentem rapuit, & per aëra deportauit. Hoc enim auxilium ita desideria animæ orantis impellit, vt quasi magno impetu cœlestibus inferat, & ab omni terrena concupiscentia diuellat. Hic est fluminis impetus, qui nonnumquam lætificat ciuitatem Dei, animam sanctam. Et meritò additur: Sanctificauit tabernaculum suum Altissimus;] quoniam hæc valida auxilia breui tempore mentem sanctificant. Fit anima ipsorum aduentu fons hortorum, puteus aquarum viuentium; quæ fluunt impetu de Libano. Efficitur fons aliis, quos exemplo ac doctrina erudit: & puteus sibi, quia, quantum potest, suum sibi secretum abscondit. Habet aquas impetu fluentes de Libano, nempe de Christo Ecclesię capite, aquas nimirum diuinarum illustrationum, quæ non solùm illam mundant, sed & secum inuoluunt, & in cœlum salire faciunt.

4. Reg. 2. 11.

Greg. lib. 4. ad 1. Reg. c. 4.

Psal. 45. 5.

Cant. 4. 15.

His ergo tribus auxiliis voluntati præbitis videntur vniuersa auxilia comprehendi, quibus in oratione flammatur. Quæ non ideo tribus luminibus adiungũtur, quia putemus semper ab illis procedere. Potest enim Deus cognitione fidei adfectus

feruentiſſimos excitare, atque illi auxilia pennis comparata coniungere. Poteſt & à luce ſapientiæ, immo & ab ſplendore reuelationum adfectum illum vehementem ſubtrahere, quando ſolùm intendit veritatem aliquam edocere. At communiter, quando ſola luce fidei mentaliter oramus, adfectus ordinarios, & inſtar pedum, quibus paulatim aſcendimus, experimur. Quando verò ſapientia, aut vehementiori aliqua luce illuminamur, adfectus extraordinarios & feruentiores ſentimus. Ad illud primum orãdi genus, quo fide ducti mens noſtra ad ſanctos adfectus conatur aſſurgere, neceſſaria ſunt ea, quæ quattuor primis huius operis libris dicemus. Debet enim anima materiam aliquam, circa quam negotietur, præuenire, & adfectus, quos excitet, noſſe: & nonnullas regulas obſeruare, tum in initio, tum in medio, tum in fine orationis. At cùm Deus duo alia genera orandi communicat, de quibus (aſpirante eodem Domino) in quinto libro ſumus acturi, pauca ſatis documenta ſunt neceſſaria, præter illa, quæ animam in contemtu ſæculi, & ſtudio virtutum, & puritate vitæ contineant. Quia tamen, etſi non liceat reuelationes, & res extraordinarias in oratione deſiderare; licet omnino viuam fidem, & ſapientiæ illuſtrationem, & feruentiſſimos amoris, & aliarum virtutum adfectus concupiſcere, ideo ſaluberrimum eſt valida hæc auxilia, quibus ex corde ſæculum deſpiciamus, & amore flammemur, poſtulare. Hæc namque illis Deus impertiri conſueuit, qui per vitæ munditiem, & ſuam omnimodam abnegationem ſe præparant, & intellectum ad ſpiritalia cogitanda eleuant. Vnde Richardus de eo, qui ſanctè viuens ſe, quantum poteſt, ſenſibilibus imaginibus eximit, & ad ſpiritalia cogitanda contendit, hæc ait: Hîc primò illa, quæ docet hominem ſcientiam Dei, ſapientia: lux illa, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, incipit ſe ingerere, & lucis ſuæ radios nunc mentis oculis infundere, nunc ſubtrahendo iterũ abſcondere. Crebrò itaque animum viſitat, & nunc ad alta eleuat, & iterum ad ima deprimit, & ſibi relinquit. Sed iterum inopinatè redit, & vbi non ſperabatur occurrit, & ſe hilarem oſtendit. Incipit hîc demum quoddam miræ viſionis præludium ante intuentis aſpectum formare, & ſicut aquila prouocans ad volandum pullos ſuos, aſſiduo reuelationum ſuarum euolatu & reuolatu ſeipſam in diuerſa rapere, & contemplantis animum ad volandi deſiderium primò inflammare, & quandoque ad plenum volatum perfectè informare.] Sic ille. Abſcondit ſe iſta lux interdum, & ceſſat flamma interiora depaſcens, adhuc in his, qui perfectam orationem habent, vt hæc eſſe Dei dona cognoſcant, & humiliter poſtulare non omittant. Et iterum redit, vt ſe exauditos eſſe ſciant, & per hunc diuini afflatus aduentũ magis magíſque proficiant. Quòd ſi hi non ſine poſtulationibus, & gemitibus, & obſequiis huius lucis, & huius adfectus obtinendi gratia factis hæc dona habent; quanto magis, qui humi repimus, & numquam ſumus ad conuiuium admiſſi, neque ad epulas inuitati, debemus, vt admittamur, humiliter pulſare, & vitæ ſanctitate nos diſponere. Maneat itaque quòd omnis hæc oratio (immo & quæcumque oratio) ab auxilio diuino dependet; quamobrem neceſſe eſt ad diuinæ miſerationis ianuam accurrere, & lucem intellectus, ac ardorem voluntatis ad orandum poſtulare.

Richard. 2. de contempl. c. 13.

Quàm ſit mentalis oratio viro ſpirituali neceſſaria.

CAPVT IV.

MAGENVS Orationis mentalis naturam ac ſubſtantiam expoſuimus; diximúſque eam eſſe aſcenſum mentis in Deum per intellectum luce ſupernaturali illuminatum, & per voluntatem diuino auxilio ſuffultam. Nunc priuſquam vltrà progrediamur, enitendum eſt demonſtrare quàm ſit hæc oratio viris ſpiritualibus neceſſaria, vt ex hoc tamquam ex primo gradu ſermo noſter ad orationis ſpecies, ſiue modos enodandos accedat. Ac multi ex ſanctis Patribus cenſent hoc orationis genus, quod mente perficitur, illis Domini verbis fuiſſe commendatum, quibus dixit: Tu autem cùm oraueris intra in cubiculum tuum, & clauſo oſtio ora Patrem tuum in abſcondito; & Pater tuus, qui videt in abſcondito, reddet tibi.] Nam & cubiculum noſtrum mens noſtra eſt; in qua ſi Deum quæramus, illum præſentiſſimum ac noſtris intentum deſideriis inueniemus. Oſtium verò cubiculi os noſtrum eſt, per quod, quæ ſunt in mente verbis inuoluta in publicum proferimus, ac manifeſtamus. Intra cubiculum ergo, & clauſo oſtio orare, nihil aliud erit, quàm ſine verbis, & apertione oris intus in mente Deum deprecari, & diuinis intendere. Hunc ſenſum inter alios admiſit Ambroſius. Chriſtus, inquit, medicus eſt radicatus, & fixus in cordibus noſtris. Et ideo ſicut ipſe præcepit: Cùm oras intra in cubiculum tuum, & effunde ſuper te animam tuam. Cubiculum tuum interiorum ſecretum eſt: cubiculum tuum conſcientia tua eſt. Denique Eccleſiaſtes tibi dicit: Et quidẽ in conſcientia tua regi ne maledixeris, & in penetralibus cubiculorum ne maledicto deuoueris diuitem. Ibi ergo ora, & ora in occulto; vt audiat te, qui in occulto audit.] Et Caſſianus eumdem locum tractans, ſic ſcribit: Intra noſtrum cubiculum ſupplicamus, cùm ab omnium cogitationum, ſeu ſollicitudinum ſtrepitu cor noſtrum penitus amouentes, ſecreto quodam modo, ac familiariter preces noſtras Domino reſeramus. Clauſo oramus oſtio, cùm ſtrictis labiis, omníque ſilentio ſupplicamus nõ voçum, ſed cordium ſcrutatori. In abſcondito oramus, quando corde tantùm, & intenta mente petitiones noſtras ſoli pandimus Deo; ita vt ne ipſæ quidem aduerſæ valeant poteſtates genus noſtræ petitionis agnoſcere.] Sic illi. Illud autem, quod Saluator noſter hominibus commendauit, & tanta verborum ſerie faciendum eſſe docuit, inutile, aut parui momenti eſſe non poteſt. Ergo ex hoc tantùm (ſi nihil aliud eſſet) ſatis elucet mentalem orationem eſſe nobis neceſſariam, vt videlicet Domini mandatum impleamus, & illud implentes, ad dona, quæ optamus, recipienda paremur.

Matth. 6. 6. Oſtia cubili claudere de oratione intelligendum.

Ambroſ. lib. de inſtit. virg. cap. 1. Idem ait 6. de ſacram. c. 3.

In aliis autem ſanctæ Scripturæ locis ſatis etiam mentalis orationis momentum oſtenditur. Nam Dauid ait: Beati qui ſcrutantur teſtimonia eius (ſcilicet Domini) in toto corde exquirunt eum.] Quid eſt teſtimonia Domini meditari, vt ipſe quæratur, niſi mentaliter orare? Huiuſmodi autem ſcrutatorem non ſapientem, non potentem, non bonum, ſed beatum nominat; quoniam beatitudo eſt cumulus omnis boni: & qui donum huius orationis habet, initium, & quaſi fontem habet omnium bonorum. Vnde Auguſtinus ait quòd intellectus co-

Caſſian. col. 9. c. 34.

Pſal. 118. 2. Teſtimonia Dei ſcrutari orare eſt.

Auguſt.

gitabundus est principium omnis boni. Hac oratione vtcumque cognoscimus quàm bonus & pulcher sit Deus, & ipsum diligimus; quàm tepidi, & mali, & ingrati sumus nos, ac nos ipsos detestamur: quàm vilis & despicabilis mundus; & ipsum despicimus: quàm honestæ & proficuæ virtutes, & illas exquirimus: quàm amabilis sanctitas, & vitæ perfectio, & illius desiderio succendimur. Qui autem hæc assequitur, beatus est, quoniam his donis ius ad illam fœlicitatem, quam speramus, acquiritur. His discit ambulare in lege Domini: Et beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini.] Non beati in patria, quia nondum ad illam peruenerunt: sed planè beati in via; quoniam ius ad regnum acquisierunt. Hæc oratio, seu recogitatio mysteriorum Dei hominem beatum facit, eius verò absentia, & Dei obliuio infœlicem reddit. Quare Ieremias inquit: Desolatione desolata est omnis terra; quia nullus est, qui recogitet corde.] Vel vt alij legunt; quia nullus est, qui imponat Deum super cor. Huiusmodi profectò Dei obliuio, & sanctæ recogitationis absentia terram dissipat: nam homines terrenos, & more pecudum ad terram pronos ad magnas iniquitates adigit. Qui si malitiam peccati recogitarent, numquam illud velut aquam sine timore biberent. Et si Dei maiestatem, ac virtutum pulchritudinem animo voluerent, in ipsum tota mentis intentione contenderent. Meritóque dixit Salomon quasi ad hoc genus orationis respiciens: Oculi tui recta videant, & palpebræ tuæ præcedant gressus tuos. Dirige semitas pedibus tuis, & omnes viæ tuæ stabilientur.] Sicut enim, qui nescit quò vadat, à fine itineris longè discedit; & si non animaduertat vbi pedem figit, sæpe impingit, & cadit: ita, ô homo, nisi finem, ad quem opera tua debeas dirigere, oratione præueneris; pro quiete fortè præcipitium tenebis; & si actiones tuas non recogitaueris, in multis offendes. Consideratio igitur vias tuas dirigat, actionésque discutiat, vt stabilis in virtute persistas.

Est hæc oratio instrumentum aptissimum, vt in omni virtute & sanctitate crescamus. Ita enim natura comparatum est, vt homo cùm sit animal rationis particeps, ratione & ostensione boni ad virtutem moueatur. Id autem facit mentalis oratio: nam intellectus bonum considerat, & voluntati diligendum & amplectendum offert: malum item recogitat, & ab eo fugiendum esse suadet. Nemo vmquam rem prorsus incognitam aut dilexit, aut odio habuit. Oportet ergo res primùm euoluere, & earum naturam & qualitates contemplari, vt in eas odio, aut amore feramur. Aqua iuxta ignem posita calet, & feruet, & ab igne seiuncta ad primum frigus redit. Consideratio voluntati est pro igne: nam si sanctæ meditationes velut ligna accensa absint, sancti in illa adfectus non feruent. Animæ quies in hac mentali oratione inuenitur; vnde meritò ab Hugone Victorino spirituali claustro comparatur. Animæ claustrum, inquit, contemplatio dicitur (quo nomine apertè omnia mentalia exercitia intelligit) in cuius sinu dum se recipit animus, sola cœlestia meditatur, separatur à terrenis, à turba cogitationum carnalium longè ponitur, dulces carnis refugit adfectus, vagos sensuum motus restringit, in Domino delectatur, angelica fruitur dulcedine, legit in libro vitæ, pro silentio pacem tenet, in choro virtutum seruat concordiam morum; summi Patris bonitatem, angelicæ creaturæ beatitudinem contemplatur, attendit bonitatem, cui nihil deest, beatitudinem, quæ nullo indiget; Patris potentiam, Filij sapientiam, Spiritus sancti benignitatem considerat.] Sic ille. In hoc claustro, in hoc conclaui Dei illuminaris, ô homo, ad eruditionem. Ibi discis quid diligẽdum sit, quid odio habendum; quid ęstimandum, quid despiciendum, quid vnaquæque res substantiæ habeat, quid apparentiæ, in quo tota vis sapientiæ consistit. Oratio hæc, siue rerum diuinarum recogitatio, est mater sapientiæ. Quare Magnus Antonius apud Athanasium quosdam Philosophos ipsum irridentes quòd litteras ignoraret, tali ratiocinatione conuicit. Respondete mihi quid prius, sensus, an litteræ? (per sensum autem rerum considerationem intellexit) & quid cuius exordium, sensus ex litteris, an litteræ oriuntur ex sensu? Illis asserentibus quòd sensus esset auctor & inuentor litterarum, ait: Igitur cui sensus incolumis est, hic litteras non requirit. Iterum dixit vniuersum orbem sibi vice librorum, aut bibliothecæ seruire; quia videlicet consideratio operum Dei illi pro voluminibus erat ad sapientiam comparandam. Nec solùm oratio mater est, verumetiam finis sapientiæ. Nam ad hoc discimus, & legimus, vt lecta animo consideremus, & ex illis fructum consequamur. Ideóque Antisthenes Philosophus, referente Laërtio, dixit: Ex Philosophia hoc sum assequutus, vt mecum loqui & viuere possim. Animus enim, qui ex scientia hoc discit, vt sciat apud se manere, secum visa, audita, & lecta recogitare, digna amore complecti, & vilia respuere: is certè non in vacuum laborauit, nec tempus inutiliter addiscendo consumsit.

Qui autem res æternas, & temporales trutina considerationis non ponderat, velut sapientia vacui illas, quæ toto nisu appetendæ essent, negligunt, & ad istas, quæ contemnendæ essent, inhiant. Quod certè in hominibus, qui rebus diuinis contemplandis non vacant, millies non sine dolore conspicimus. Hi terreni sunt, & animo quasi terra cooperti, & ante mortem non iam corpore, quod fortè esset tolerabile, sed mente in terra sepulti. Habitant enim illi terram, de qua per mysterium dictum est, quia deuorat habitatores suos; nempe sæculum istud nequam: à quo dum non curant corde diffugere, necesse est illos ab ipso deuorari. Extendisti manum tuam, ait Moses ad Dominum, & deuorauit eos terra.] Nam permittente Domino, ita curis terrenis obruuntur, vt nihil ex eis superfit, quod in res cœlestes efferatur. Impios quidem, inquit Origenes, & hodie deuorat terra. An non tibi videtur terra deuorare illum, qui semper de terra cogitat, qui semper terrenos habet actus, qui de terra loquitur, de terra litigat, terram desiderat, & omnem spem suam ponit in terra: qui ad cœlum non respicit, qui futura non cogitat, qui iudicium Dei non metuit, nec beata eius promissa desiderat; sed semper de præsentibus cogitat, & terrena suspirat? Talem cùm videris, dicito quia deuorauit eum terra.] Sic ille. Ne itaque terrenus sis, ô homo, sed spiritalis, & secundùm virtutem viuens; fac, quod dixit Angelus Esdræ: Vade, pondera mihi ignis pondus, aut mensura mihi statum venti, aut reuoca mihi diem, quæ præteriit.] Pondera, inquam, ignis pondus, an scilicet ignis vortices poteris sustinere, qui sunt legis transgressoribus præparati; & peccata timebis. Mensura statum venti, & rerum labentium inanitatem considera,

Quadam beatitudo in via oratione consequitur.

Psal. 118. 1.

Ierem. 12. 11.

Prouer. 4. 25.

Est instrumentum vt in perfect. crescamus.

Hugo lib. 3. de claustro animæ. c. 1. Est animæ claustrum.

Oratione eruditur.

Athanas. in vita.

Laërt. lib. 6. c. 7.

Quæ nos considerare doceat oratio.

Numer. 13. 33.

Exodi 15. 12.

Origen. hom. 6. in Exod.

4. Esdræ 4. 5.

sidera, quibus numquam absque dubio satiaberis, eásque verè despicies. Reuoca diem præteritum,& beneficia, quæ recepisti, ac mala, quæ gessisti, vt beneficiis respondere, expende: & sat scio quòd te deiicies. Ab his incipito, vt ad maiora contemplanda postmodum admittaris. Nam si quæ tua sunt tecum coadolescentia, non potes cognoscere; quomodo poterit vas tuum capere Altissimi viam. *4. Esdræ 4.12.*

Cùm ergo hæc oratio sit mater veræ sapientiæ, viri profectò spirituales, qui sunt sapientiæ amatores, eidem deberent toto conatu mentis intendere,vt seipsos hoc perfectissimo instrumento,quo vtitur gratia Dei, in omni virtute & puritate perficerent. Quod si non faciant, statu quidem spirituales erunt, sed conuersatione sua hominibus mundana quærentibus annumerabuntur. Illis ad exteriora conuersis sanctus Bonauentura de mystica Theologia loquens, quæ præcipua pars est, aut apex huius orationis, ex corde compatitur. Sed quod multo magis est dolendum, inquit, & cordis lacrymis incessabiliter lamentandum, quòd multi religiosi, multi etiam viri famosi reputati (veluti quondam populus Israëliticus) relicto cultu creatoris sui, manufactis idolis seruierunt, sic relicta vera sapientia,qua Deus solus perfectè interiùs colitur, & solis mentibus adoratur, diuersis scientiis & fabricationibus multiplicium argumentorum inuestitiis, quasi quibusdam idolis miserabiliter mentem impleuerunt. In quibus sic absorbentur diabolo instigante, & sic mens ipsorum in istis totaliter possidetur, vt vera sapientia locum in eis nõ inueniat. Nam hac pessima occupatione(quam Deus dedit filiis hominum) infœliciter captiuantur, ita vt non sit spiraculum,quo suum creatorem anima per flammigeras amoris adfectiones contingat. Non enim ad hoc animam creauerat, vt contra suam generositatẽ multitudine quaternorum ouinarum pellium repleretur: sed ad hoc vt esset sedes sapientiæ, & in ipsa rex pacificus ciuitatis supernæ, scilicet Deus Altissimus, resideret. Sapientia enim hæc quantum distat ortus ab occidente, omnium creaturarum scientiam incomparabiliter præexcellit. Nam alias scientias mundi Doctores edocent; sed de hac à solo Deo immediatè, non è mortali homine spiritus edocetur. Ista diuinis illuminationibus, & distillationibus cœlestibus scribitur in corde. Illa verò penna anseris, & atramento scribitur in pelle. Ista verò dicit, sufficit: nam per istam animus caussam inuenit, scilicet Deum creatorem suum, & in ipso, qui est fons bonitatis totius, & beatitudinis immediatissimæ conquiescit. Alia verò numquam dicit, sufficit. Nam iustum iudicium est, vt qui non curando de summa sapientia, à summa veritate deuiat, veluti totus in tenebris inuoluatur, & sic per vana & deuia anima infatuata humanis inuentionibus insensata discurrat. Item ista adfectum inflammat, intellectum illuminat; alia verò quàm pluries inueniens veram sapientia cor euacuatum inflat; quampluries variis opinionibus, & diuersis erroribus intellectum obtenebrat.] Hactenus ille. Et quidem studium scientiæ relinquendum non est, quia scientia ad rectè viuendum, & ad proximos iuuandos necessaria est. At præcedat eam studium huius sapientiæ, & amor orationis, quæ nos sapientiores facit, quæ non tantùm cognoscentes, sed bonos efficit, quæ scientiam illam priorem dirigit, & perficit, & eius vsum, abiecta inani ostentatione, in bonum, & nobis ac aliis vtilem vsum conuertit. *Bonau. in prolo. mystica Theolo. Quàm sit quarẽda orationis sapiẽtia.*

Nec solùm mentalis oratio est genitrix sapientiæ, verùm & est origo omnis boni; quoniam in ea discimus ab omni malo discedere, & omne bonum consectari. Inde est, quòd interrogati de mediis ad detestanda peccata præterita, & cauenda futura: ad adfectus moderandos, & tentationes vincendas; ad virtutes assequendas, & promerenda dona, responsionem à medio considerationis inchoamus, dicentes: Bonum medium erit cogitare malitiam peccati, nobilitatem virtutis, & alia similia. Quo sanè profitemur hoc orationis genere nos ad omne malum fugiendum, & omne bonum acquirendum impelli. Et meritò: nam cùm rationis capaces simus (vt iam dictum est) multum ad detestationem mali, & amorem boni iuuamur, cùm rationi pias cogitationes ad id, quod cupimus, persuadendum, offerimus. Orationi vniuersæ virtutes ita iunguntur, vt quædam illam comitentur, quædam sequantur, aliæ verò præcedant. Quare Chrysostomus scitè dixit: Quemadmodum vbi regina quæpiam ingreditur ciuitatem, necesse est omnis opulentia pariter consequatur; sic videlicet posteaquam deprecatio venit in animam, omnes virtutes simul ingrediuntur.] Hanc arca illa mystica veteris Testamenti signauit; de qua non incongruè intelligi potest illud Dauidis: Surge, Domine, in requiem tuam: tu, & arca sanctificationis tuæ.] Nam Dominus quasi in requiem suam venit in animam orantem, in eáque quiescit: & oratio in requiem suam tendit, quia in ipso Deo suam requiem inuenit. Est, inquam, arca sanctificationis, quoniam omnem sanctitatem secum adfert; &, vt scripsit Richardus: Nihil sic cor ab omni mundano amore emundat; nihil sic animum ad cœlestium amorem inflammat. Ipsa vtique est, quæ emundat, ipsa,quæ sanctificat, vt per assiduam veritatis contemplationem fiat mundus per contemtum mundi,& sanctus per dilectionem Dei.] Aliis virtutibus à rebus creatis separamur; oratione verò mentali intellectu & adfectu Deo vnimur; ita vt anima dicat illud Canticorum: Tenui eum, nec dimittam.] Fides, spes, & charitas nos Deo iungunt; sed harum virtutum actiones in consideratione exercemus. Ac proinde hæc, quatenus istas virtutes exercet, aptissimum est assequendæ perfectionis instrumentum; quia ea ad finem suum mens nostra, nimirum ad Deum, ascendit. Et quidem anima est instar arboris, quæ non deorsum in terram, sed sursum in cœlum radices agit. Aqua verò radices irrigans est assidua rerum diuinarum consideratio, qua hæc arbor nutritur, virescit, & crescit. Omne bonum arboris ex irrigatione pendet; & plerumque omne bonum animæ ex oratione, siue consideratione procedit. *Instrumẽtum est virtutibus assequendis. Chrysost. 2.de orãdo. Psal.131. 8. Est mystica testamenti arca. Richar. lib. 1. de contemt. c.1. Cantic. 3.4.*

Est autem fructus huius orationis permanens: nam ex eo, quod orationis tempore apud nos cogitauimus, & statuimus, solemus elapso tempore orationis operari. Vnde interrogatus Gerson quid esset vtilius viro religioso in cella sua commoranti,an vocaliter orare,an legere,an meditari? sua responsione hoc postremum duobus aliis prætulit. Quia nimirum vocalis precatio, aut lectio interdum (vt tempore ariditatis) maiorem suauitatem adferunt, oratio verò mentalis præstantiorem & solidiorem fructum relinquit. Filij enim considerationis,nempe sancta dictamina, & virtutis proposita in nobis manentia nos ad sanctam & *Orationis fructus permanens. Gerson.*

puram

puram vitam inſtigant. Hoc certè diſcrimen inter adfectus carnis, & adfectus ſpiritus omnes aduertimus, quòd illi ſunt vehementes, iſti remiſſi: illi tenaciùs hærent, hi facillimè euaneſcunt. Sit ergo viri ſpiritualis cura præcipua adfectus carnis ipſum carnalem facientes exuere; & adfectus ſpiritus ſpiritalem conſtituentes promouere, vtrumque autem præſtat mentalis oratio. Eſt ipſa velut forceps adfectus ſæculi apprehendens, & vi quadam ſalutari ex corde reuellens. Eſt veluti malleus adfectus cœleſtes, ac deſideria virtutis altiùs infigens. Dum enim vilitatem peccati, & terrenarum cupiditatum inquietudinem recogitamus, adfectus noſtros ab illis auertimus: & dum pulchritudinem & honeſtatem virtutum inſpicimus, amorem earum, ac deſiderium accendimus. Præceptum erat, vt in altari Domini ignis ſemper arderet. Et quod remedium, vt tempus omnia conſumens illum numquam extinguat? Quem nutriet ſacerdos, inquit, ſubiiciens ligna manè per ſingulos dies. O iuſte vir, ſi huic cupis præcepto ſatisfacere; ſi vis vt in altari cordis tui ignis iugiter ardeat, ſubiice ſanctarum conſiderationum ligna, quæ ignem enutriant. Et, vt ait Macharius Abbas: Quemadmodum igni circa vas æneum exteriùs appoſito, ſi ſubieceris ligna accenditur, & quod intra vas eſt coquitur, feruet, igne extrinſecus accenſo; ſin minus ligna ſubmittas, incipit ignis tepeſcere, & propemodum extingui: ad hunc modum gratia, quæ eſt ignis cœleſtis, intra te eſt; poſtmodum, ſi precatus fueris, & contuleris cogitationes tuas ad diligendum Chriſtum, quodammodo ligna ſubieciſti, & cogitationes tuæ conuertuntur in ignem, & deſiderio Dei tinguntur. At verò ſi quis ignauia laborans paulatim rebus ſæcularibus, & occupationibus ſeipſum tradat, denuo vitium accedit, & complectitur animam, totúmque hominem incipit affligere.] Ignis iſte diuini amoris omnes tui cordis ſordes exuret; intellectum illuminabit, voluntatem inflammabit, adfectus purificabit, ſenſus componet, aduerſarios terrebit, & teipſum vt gratiſſimum holocauſtum in Dei honorem adolebit.

Eſt malleus deſideria virtutis altius infigens.

Leuit. 6. 12.

Macharius homil. 40.

Dat etiam oratio robur, vt fructum ex ipſa prouenientem tentationis tempore cuſtodiamus. Videbíſque homines huic orationi deditos in afflictionibus alacres, in perſecutionibus erectos, in tentationibus fortes, qui aduerſario illicita ſuggerenti non cedunt, ſed illum à ſe cum indignatione reiiciunt. Niſi quòd lex tua meditatio mea eſt, inquit Dauid, tunc fortè periiſſem in humilitate mea.] Afflictione, inquam, impulſus non ſubſiſterem, niſi legem tuam, & rationes, quæ me ad eam ſeruandam aſtringunt, in oratione poſitus meditarer. Ergo (& verba ſunt Ambroſij) quando in afflictionis tempore ſumus, & quatimur aduerſis, meditatio nobis in lege ſit, ne imparatos procella tentationis affligat. Athleta niſi exercitio palæſtræ fuerit priùs aſſuefactus, non audet ſubire certamen. Vngamus igitur oleo lectionis noſtræ mentis lacertos. Sit nobis tota die ac nocte exercitij vſus in quadam cœleſtium Scripturarum palæſtra, artúſque animorum noſtrorum ſalubris ſpiritualium ferculorum eſca confirmet, vt cùm aduerſarius aſſiſtere cœperit, & puluere nos ſuæ tentationis aſperſerit, ſtemus intrepidi; nitamur non vt in incertum, nec vt aëra cadentes.] Sic ille. Quòd ſi hac oratione maiora bella vincuntur, quid mirum ſi minora ſuperentur? Profectò mentalis oratio vitam religioſam multis difficultatibus adfectam, multis corporis & carnis afflictionibus cinctam, non ſolùm tolerabilem, verùm & cum diuina gratia ſuauem efficit. Quare Bernardus ad Robertum Nepotem ſcribens, vigilias, & ieiunia, & corporis aſperitates, conſiderationis condimento non inſuauia futura eſſe ſuadet. Vigilias, inquit, times, & ieiunia, manuúmque laborem: ſed hæc leuia ſunt meditanti flammas perpetuas. Recordatio deinde tenebrarum exteriorum facit non horrere ſolitudinem. Si futuram cogitas de verbis otioſis diſcuſſionem, non valde diſplicebit ſilentium. Fletus æternus, & ſtridor ille dentium ante cordis oculos reductus pares tibi reddet mattam, & culcitram.] Cùm ergo hæc omnia bona mentali oratione obtineamus, meritò eam ad ſpiritualem vitam neceſſariam dicimus. Sine illa namque ordinariè loquendo, & vt in plurimum, nec ſenſus vincimus, nec adfectus inordinatos cohibemus, nec ad virtutum perfectionem deuenimus. Ac proinde non exceſſit Cardinalis Caietanus inter Doctores ſcholaſticos nobilis auctor, dicens: Nec religioſi, aut religioſæ, ſeu ſpiritualis etiam nomine vocari poteſt, qui ſaltem ſemel in die ad huiuſmodi (ſcilicet ſpiritualia cogitanda) ſe non transfert. Quomodo namque effectus abſque cauſſa, finis abſque medio, inſularis portus abſque nauigatione haberi nequit: ſic nec religio in actu abſque frequentatis actibus ſuarum cauſſarum, mediorum, ac vehiculorum.] Hæc ille. Et, vt dixi, non exceſſit; quia licèt oratio mentalis à vocali ſeparata, non Dei, aut Eccleſiæ iuſſu præcepta; tamen eius naturæ eſt, vt ſi quis velit vitam perfectam, & rebus diuinis addictam profiteri, vix poſſit ſine oratione mentali ad optatum eius finem peruenire.

Bern. epiſtola 1.

Caiet. 2.2.q.82. art.2.

Dat robur vt fructum perceptũ in tentatione ſeruemus.

Pſal. 118. 92.

Ambr. ſer. 12. verſ. 4.

De diuiſione Orationis mentalis ſecundùm Doctores.

CAPVT V.

EXPOSITA natura & neceſſitate mentalis orationis, nunc ad eius ſpecies inueſtigandas deſcendendum eſt, ne putemus hominem vna tantùm orationis ratione ditari. Oratio enim, vt iam explicuimus, cibus eſt animæ. Non tamen credendum eſt tot cibos à Domino corpori appoſitos fuiſſe, & vnum tantùm pro animæ refectione creaſſe. Immo ſicut pro diuerſo corporum ſtatu diuerſa ſunt alimenta homini deſtinata, & infantibus lac, & pueris eſca ſolidior, & viris cibus adhuc grauior & durabilior apponitur; quare Paulus ad quoſdam ſcribit: Lac vobis potum dedi, non eſcam; nondum enim poteratis.] Ita & ſpiritibus noſtris non idem cibus orationis præparatur, ſed ſecundùm maiorem, aut minorem profectum communiter diuerſa ratio cum Deo agendi conceditur. Nam, vt ait idem Paulus: Omnis, qui lactis eſt particeps, expers eſt ſermonis iuſtitiæ;] illius nempe perfectæ iuſtitiæ, ad quam perfecti contemplandam, & opere complendam aſcendunt. Perfectorum autem eſt ſolidus cibus eorum, qui pro conſuetudine exercitatos habent ſenſus. Caſſianus certè his verbis iſtud docet. Secundùm menſuram namque puritatis, in qua mens vnaquæque profecit, & qualitatem ſtatus, in quo vel ex accidentibus inclinatur, vel per ſuam renouatur induſtriam, ipſæ

1. Cor. 3. 2.

Hebr. 5. 13.

Caſſian. col. 9. c. 7.

quoque orationes momentis ſingulis reformantur. Et idcirco vniformes orationes emitti ſemper à nemine poſſe certiſſimum eſt. Aliter enim ſupplicat quiſque cùm alacer eſt ; aliter cùm triſtitiæ, ſeu deſperationis pondere prægrauatur ; aliter cùm ſpiritalibus ſucceſſibus viget ; aliter cùm impugnationum mole deprimitur ; aliter cùm veniam peccatorum ; aliter cùm acquiſitionem gratiæ , ſeu cuiuſlibet virtutis expoſcit : vel certe extinctionem cuiuſlibet vitij deprecatur ; aliter cùm conſideratione gehennæ , ac futuri iudicij timore compungitur;aliter cùm ſpe futurorum bonorum, deſiderioque flammatur ; aliter cùm in neceſſitatibus , ac periculis ; aliter cùm in ſecuritate ac tranquillitate verſatur ; aliter cùm ſacramentorum cœleſtium reuelationibus illuſtratur ; aliter cùm ſterilitate virtutum , ac ſenſuum ariditate conſtringitur.] Sic ille. Et licèt hæc diſtinctionem orationum ſecundùm accidens , qualis eſt inter puerum , & virum , non ſecundùm ſubſtantiam, & naturam , inducant ; non obſtat : quia nos non more ſcholarum ſolam rerum naturam quærimus, ſed iuxta conſuetudinem eorum , qui animas erudiunt , orationum moralem diuerſitatem venamur. Secundùm quam ipſe Caſſianus verbis proximè antecedentibus orationum modos innumerabiles eſſe cenſuit. Vnde ſic ſcripſit: Vniuerſas orationum ſpecies abſque ingenti cordis atque animi puritate , & illuminatione ſancti Spiritus arbitror comprehendi non poſſe. Tot enim ſunt, quot in anima vna , immo in cunctis animalibus ſtatus queunt qualitatéſque generari.] Omnium autem animalium meminit , vel eorum nomine homines vniuerſos intelligens,vel certè ad animalium rationis expertium adfectus paſſionéſve reſpiciens. Nam cùm homo animal quoddam ſit, licèt rationis capax , & cum cæteris animantibus naturâ conſentiat ; iiſdem paſſionibus ſubiacet, quæ in reliquis animalibus ſuſcitantur , ſecundùm quas ipſe , qui Deum cognoſcit , variis ac diuerſis modis ad eum pro eorum , quæ patitur , medicamento in oratione recurrit.

Quattuor ſunt orationis ſpecies. 1. Tim. 2. 1.

Philipp. 4. 6.

Hanc quidem Ioannis Caſſiani ſententiam in hunc modum poſſumus exponere , atque tueri. Verùm nonnulli ex Paulo quattuor volunt ſpecies mentalis orationis elicere. Ille ſic ait: Obſecro igitur primùm omnium fieri obſecrationes, orationes , poſtulationes , gratiarum actiones pro omnibus hominibus.] Et alio loco : Nihil ſolliciti ſitis , ſed in omni oratione , & obſecratione, cum gratiarum actione petitiones veſtræ innoteſcant apud Deum.] Licèt enim hæc ad litteram de oratione vocali ſcripta ſint ; non tamen incongruè ad mentalem applicantur ; non ſolùm quia hæc eſt orationis vocalis forma; verumetiam quia quæcumque poſſumus voce proferre , poſſumus ſine ſono vocis pura mente cogitare. Sed difficile admodum eſt explicare quid Apoſtolus per iſtas quattuor voces intelligat. Nam ad credendum eas aliquid diuerſum ſonare , tum maieſtas diuini eloquij compellit ; tum id Auguſtini auctoritas perſuadet , dicentis : Aliqua ſingulorum iſtorum proprietas inquirenda eſt, ſed ad eam liquidò peruenire difficile eſt.] Patres quidem non parum diſſentiunt in harum vocum interpretatione. Aliter enim Hilarius , aliter Ambroſius, aliter Auguſtinus,aliter Thomas Aquinas, & alij diuerſis modis interpretantur. Sed ad propoſitum orationis mentalis commodiſſima nobis viſa eſt expoſitio Caſſiani , in qua pulchrè cuncta exercitia mentalia animaduertimus comprehendi. Nam omnia, quæ interius in oratione agimus , ad quattuor capita facillimè reuocantur. Quia aut volumus à malo diſcedere ; vt cùm precamur : Amplius laua me ab iniquitate mea , & à peccato meo munda me.] Aut cupimus in bonum ire ; vt : Inclina cor meum,Deus,in teſtimonia tua ; & non in auaritiam.] Aut optamus proximos , ſicut & nos ipſos à malo retrahere , & ad bonum adducere; vt : Libera , Deus , Iſraël ex omnibus tribulationibus ſuis.] Aut tandem intendimus Deum laudare , ei gratias agere , & per amorem vniri; vt : Te decet hymnus Deus in Sion : & tibi reddetur votum in Ieruſalem.] Diligam te , Domine, fortitudo mea :] & alia ſimilia. Hæc igitur omnia ex mente Caſſiani quattuor his orationum generibus explicantur.

D. Th. 2. 2. q. 83. art. 17.

Pſal. 50. 4.

Pſal. 118. 36.

Pſal. 24. 22.

Pſal. 64. 2.

Obſecratio eſt imploratio , ſeu petitio pro peccatis. Quare ad obſecrationem pertinet omnis conſcientiæ diſcuſſio, omnis malitiæ peccatorum, & nequitiæ vitiorum cogitatio , omnis immoderantiæ paſſionum , & adfectuum noſtrorum meditatio , omnis mortis , iudicij , & pœnarum infernalium inſpectio ; & breuiter omnia illa , quibus ad deteſtandum peccatum , & vitam emendandam iuuamur. Oratio (cuius loco in Græco ponitur vox ſignificans votum) eſt qua aliquid offerimus, vel agere proponimus , vel vouemus Deo. Hac comprehenduntur omnes cogitationes , ſeu meditationes myſteriorum Dei , & omnia ex illis emergentia deſideria , omnia propoſita exercendæ cuiuſcumque virtutis. Atque adeò oramus , inquit Caſſianus , cùm renunciantes huic mundo , ſpondemus nos mortificatos cunctis actibus , & conuerſationi mundanæ , tota cordis intentione Domino ſeruituros. Oramus , cùm pollicemur ſæculari honore contemto , ac terrenis opibus ſpretis in omni contritione cordis , ac paupertate ſpiritus nos Domino cohæſuros. Oramus , cùm promittimus nos puriſſimam corporis caſtitatem, ſeu immobilem patientiam exhibituros eſſe perpetuò ; vel cùm de corde noſtro radices iræ , ſiue triſtitiæ mortem operantis vouemus funditus eruendas.] Poſtulatio eſt , quam pro fratribus & amicis noſtris , ac pro cunctis proximis ſolemus emittere. Hac verò continentur omnia illa cogitata , quæ nos ad diligendas & quærendas animas excitant : item omnia deſideria, & petitiones,quibus illis peccatorum veniam,& virtutum augmenta,& bona temporalia,& æterna poſtulamus. Gratiarum actio eſt , quando beneficia præterita , dona præſentia , & bona futura conſpicimus , & pro illis adfectus gratitudinis , & laudis, & amoris diuini , & alios ſimiles in cordibus noſtris accendimus. Huius quadruplicis orationis Chriſtus Saluator noſter initium quoddam nobis propoſuit, & in ſeipſo formam orandi ſuis membris , quorum eſt caput , commonſtauit. Obſecratio eius fuit,quando è cruce pendens Pſalmum vigeſimum primum non in perſona ſua (qui omnis fuit expers peccati) ſed nomine ſuorum membrorum aſſumſit. Dixítque : Deus , Deus reſpice in me : quare me dereliquiſti ? longè à ſalute mea verba delictorum meorum : & reliqua , quæ (ſecundùm aliquos) ſecretò protulit, vſque ad illud,quando clara voce clamauit : In manus tuas commendo ſpiritum meum. Oratio fuit illa , quam paulo ante paſſionem effudit : Pater , ego te clarificaui ſuper terram, opus conſummaui , quod dediſti mihi , vt faciam.] Poſtulatio fuit. Pater, quos dediſti mihi, volo,

Quid obſecratio, oratio , poſtulatio , gratiarum actio.

Caſſian.

Obſecrationis, & aliarum à Chriſto exẽplum.

Auguſt. epiſtola 59. ad Paul. in q. 5.

Hilar. ad Pſal. 140. Ambr. 5. de ſacra. c. 5. Aug. ſup.

Pſal. 21. 1.

Ioan. 17. 4.

Ibid.

volo, vt vbi ego ſum, & ipſi ſint mecum; vt & ipſi videant gloriam meam, quam dediſti mihi.] Gratiarum actio fuit. Pater, gratias ago tibi, quoniam audiſti me: ego autem ſciebam, quòd ſemper me audis.] Siue autem hoc, ſiue alio modo quattuor iſti modi orationis explicentur, certum eſt poſſe à quopiam ſiue in eadem ſerie orationis aſſumi, ſiue ſeorſum vſurpari. Verùm hac expoſitione retenta, obſecratio eſt incipientium, qui pro peccatis ſuis doloris ſpina punguntur. Oratio eſt proficiẽtium, qui omnium virtutum actione occupantur. Poſtulatio feruidorum; quia ex feruore ſpiritus ſanctam audaciam concipientes, non tantùm pro ſeipſis, ſed & pro aliis audent deprecari. Gratiarum actio eſt perfectorum, quorum eſt laudis & amoris adfectibus promoueri. Et quidem illud poſtremum de hac quadripartita oratione dicendum eſt, vt quiſque chariſmatum meliorum æmulator effectus conetur ita viuere, vt poſſit poſtremo orationis genere tamquam delicatiori cibo nutriri. Quod aſſequetur ſi ad magnam curet peruenire animæ puritatem.

Ioan.11. 41.

Nouem orationis ſpecies iuxta choros Angelorum.

Bonau.3. itinere 8. ter.diſt. 4.art.1.

Alij orationis ſpecies, ſiue modos ad maiorem numerum protrahunt, de ea ſub nomine contemplationis loquentes. Nam eos de contemplatione latiùs agere, prout comprehendit omnia exercitia mentalia, per quæ ad contemplandum aſcendimus, legentibus eorum opera manifeſtum erit. Abbas igitur Vercellenſis, quem à ſancto Bonauentura citatum legi, nouem ponit orationis modos ſecundùm nouem Angelorum ordines. Nam piè ſatis exiſtimauit, quod verum eſt, iuſtam animam orationi incumbentem omnes cœleſtium ſpirituum ordines imitari. In oratione poſita æmulatur Seraphinorum amorem, Cherubinorum ſcientiam, Thronorum ſtabilitatem. Ibi ex Dominationibus corpori & propriis adfectibus dominatur: ex Poteſtatibus, dæmoni, & eius aſſeclis terribilis redditur: ex Virtutibus ad magna virtutum opera roboratur. In ea tandem à Principatibus accipit, vt rectè omnia diſponat: ab Archangelis, vt ſibi iuſſa maiora faciat: ab Angelis, vt in minoribus etiam obediat, & nihil ad perfectionem pertinens prærermittat. Tres itaque ſunt cœleſtium ſpirituum Hierarchiæ, & earum quælibet tribus ordinibus aptè diſtinguitur, & omnis conſideratio noſtra in tribus, nempe in natura, in induſtria, & in gratia verſatur. Ex natura tria in vſum orationis adducuntur: ſubſtantia rerum naturalium, & multiplex earum perfectio, per quam Deum auctorem agnoſcimus: commoditas, vel incommoditas earum, ex quibus in gratiarum actione exercemur: applicatio ipſarum ad noſmetipſos, cùm bona, & Deo placita amplecti, & mala, ac Deo minùs grata refutare conſtituimus. Ex induſtria, ſeu voluntate noſtra tria ſimiliter ſolent in vſum conſiderationis adduci. Nam vel à motibus voluntatis, & ab adfectibus noſtris cum adiutorio gratiæ Dei quicquid eſt inordinatum repellimus, vel per virtutum actiones ordinamus, vel motus interiores noſtros iam emundatos, & ordinatos ad auctorem noſtrum cognoſcendum & diligendum extendimus. Ex gratia demum alia tria in oratione recipimus; non quia aliorum conſideratio & exercitatio non ſit ex gratia; ſed quia in his, quæ ſequuntur maximè ſupernaturalibus, vigor gratiæ multo magis elucet. Nam omnis mentis noſtræ capacitas Deo per veram reſignationem aperitur: & omnis intellectualis vis ad ſolum Deum vnum, & trinum contemplandum dirigitur; & omnis voluntatis adfectus ad Deum diligendum, & pro eo ſuſpirandum reuocatur. Hæc dicit iſte auctor quantum ego potui intelligere.

A

Auctor libri de ſpiritu, & anima, qui Auguſtino tribuitur, ad ſex gradus, ſeu ſpecies omnem orationem refert; qui ſic debet exponi. In primo gradu conſideramus res ad ſenſus externos pertinentes, quatenus ſcilicet nos ad Deum ducunt. In ſecundo conſideramus ea, quæ imaginatione percipimus. In tertio, quæ ratione inueſtigamus. In quarto ſpiritus creatos, quos intellectu cognoſcimus. In quinto ſpiritum increatum, nempe Deum, quem intelligentia conſpicimus. In ſexto adfectum perficimus, & rerum cœleſtium guſtum experimur. Rurſus alio loco ait tres eſſe aſcenſus animæ ad Deum. Primò aſcendimus à creaturis ſenſibilibus ad nos, dum earum exilitatem meditamur, & illas contemnimus. Secundò aſcendimus ſupra nos, cùm cognoſcimus quàm proni ſumus ad malum, & quàm inualidi ad bonum, & ob id nos ipſos deſpicimus. Tertiò aſcendimus ad Deum, cùm illum contemplamur, atque diligimus. Iſte autem aſcenſus fit mentis dilatatione, cùm ſimul multa Dei magnalia conſpicimus: mentis ſubleuatione, cùm ex viſibilibus ad inuiſibilia manu ducimur: mentis alienatione, quando mens exceſſu, aut diuina reuelatione perficitur. Sic iſte auctor gradus, ſeu modos exercitationis internæ diſtinxit.

B

Tomo 3. Aug. eo lib.c.10.

c.52.

Solemnior tamen eſt, & Theologorum approbatione receptior Richardi Victorini diſtinctio, qui libris de contemplatione ſex gradus vberrimè mentalis orationis expoſuit. Primus gradus ſecundùm illum eſt in imaginatione, & ſecundùm imaginationem. Eſt quidem in imaginatione; quoniam in eo formæ & imagines rerum viſibilium, quæ nos in Deum ferant, & imaginatione ſunt cognita, in conſiderationem adducuntur. Cùm ſcilicet cogitamus corporalia iſta, quæ ſenſu haurimus, quàm ſint multa, quàm magna, quàm diuerſa, quàm pulchra, quàm iucunda, quàm bene diſpoſita; & in his creatricis illius ſubſtantiæ ſapientiam, bonitatem, ac potentiam admirando veneramur, & venerando miramur. Eſt autem ſecundùm imaginationem, quia nullam eorum, quæ facta ſunt, rationem in hoc gradu quærimus, ſed mente huc illúcque diſcurrimus. At in hoc primo conſiderationis genere illud ſolum notatu dignum cenſemus, vt quiſque videat quid ex viſibilibus ad conſiderandum eligat, ne aliquid, quo mentẽ ſuam polluat, in cogitationem adducat. Imitetur regem illum, qui ex rerum viſibilium reſpectu in mundi contemtum aſcendit. Ex ſuáque labentium rerum contemplatione hunc fructum decerpſit: Vanitas vanitatum, dixit Eccleſiaſtes, vanitas vanitatum, & omnia vanitas.] Amoueat igitur à mentis oculis quicquid auaritiam ſtimulat, aut gulam irritat, aut luxuriam inflammat, aut ad aliud vitium aduocat; & illa intueatur, quibus mens in admirationem, & laudem, & amorem creatoris aſſurgat. Domine Dominus noſter, dicebat Dauid, quàm admirabile eſt nomen tuum in vniuerſa terra!] Ecce ex terra mirabilem. A Solis ortu vſque ad occaſum laudabile nomen Domini.] Ecce ex cunctis laudabilem. Iuſtus Dominus in omnibus viis ſuis: & ſanctus in omnibus operibus ſuis.] Ecce ex vniuerſis à ſe factis amabilem. Secundus gradus eſt in imaginatione, ſed ſecundùm rationem. Eſt ſicut & primus in imaginatione; quia eo eadem viſibilia rimamur, præſtantiam

C

D

E

Sex recepti orationis gradus. Primus gradus. Vide lib. 1. de contẽpl.c.6.

Eccl.1.1.

Pſal.82.

Pſ.112.3.

Pſ.144. 17.

Secundus gradus.

cœlorum, molem elementorum, multitudinem mixtorum, pulchritudinem animalium, & virtutes, ac proprietates omnium mundo visibili contentorum. Est autem secundùm rationem; quia vniuscuiusque rei causam, modum, & vtilitatem, & reliqua huiusmodi inuestigamus. Ad hunc gradum peruenerat ille, qui dicebat: Mihi autem dedit Deus dicere ex sententia, & præsumere, id est, digna cogitare eorum, quæ mihi dantur; quoniam ipse sapientiæ dux est, & sapientium emendator.] Et rursus: Ipse enim dedit mihi eorum, quæ sunt, scientiam veram, vt sciam dispositionem orbis terrarum, & virtutes elementorum, initium, & consummationem, & medietatem temporum; anni cursus, & stellarum dispositiones, naturas animalium, & iras bestiarum, vim ventorum, & cogitationes hominum, differentias virgultorum, & virtutes radicum, quæcumque sunt absconsa, & improuisa didici.] Vide quanta hic in rebus visibilibus inuestigauerat, vt eis creatoris multiplicem perfectionem agnosceret, & in eius amorem proficeret.

Sapien.7. 15.

Sapien.7. 17.

Tertius gradus.

Tertius gradus est in ratione secundùm imaginationem. Quare in ratione? Quia spiritualia, & inuisibilia inuestigat, vt animæ nostræ substantiam, actus, & officia, virtutes, & vitia; ad quem potest reuocari, cùm humanitatis Christi acta recogitamus, & mysteria non sine admiratione disquirimus. Et quare secundùm imaginationem? Quia videlicet hæc omnia per similitudinem ad visibilia indagamus, & per ea, quæ sensus nouit, aliquem insensibilium gustum percipimus. De hoc modo cognoscendi spiritualia per corporalia innumera sunt in Scriptura. Vt illud: Dilectus meus candidus, & rubicundus.] Et: Vocem, quam audiui sicut citharœdorum citharizantium in citharis suis.] Sicut cinnamomum & balsamum aromatizans odorem dedi.] Spiritus meus super mel dulcis. Sicut vnguentum in capite, quod descendit in barbam, barbam Aaron.] Ex sensibilibus namque, quæ tactus contrectauit, quæ gustus gustauit, quæ odoratus olfecit, quæ auditus audiuit, & visus aspexit, venimus in notionem eorum, quæ nullus sensus percepit, sed sola ratio per discursum cognouit.

Cantic. 5.10. Apoc.14. 2. Eccli.24. 20. Psal.132. 2.

Quartus gradus.

Quartus gradus est in ratione secundùm rationem. Quare in ratione? Quia ea ad considerationem adfert, quæ sola ratio, & non sensus potest inuestigare. Vt cùm recogitamus animas nostras, & Sanctorum, virtutes eorum, & substantias angelicas ab omni concretione materiæ penitus alienas. Quare secundùm rationem? Quia hæc non per similitudinem ad sensibilia, sed per intelligibilia, vt per animas nostras, & actus eius, quæ per experientiam nouimus, ad alia superiora & occultiora inuestiganda procedimus. Hoc considerationis genus Salomon pulchrè depinxit. Oritur, inquit, sol, & occidit, & ad locum suum reuertitur; ibique renascens girat per Meridiem, & flectitur ad Aquilonem: lustrans vniuersa in circuitu pergit spiritus, & in circulos suos reuertitur.] Locus Solis sit animus, sol verò sit intelligentia spiritalis. Hæc oritur quando à Deo cordi inspiratur: & occidit, quando radius lucis in pœnam imperfectionum nostrarum, vel ex Dei dispositione subtrahitur. Ad locum suum reuertitur, cùm ad propriæ infirmitatis considerationem animus redit; postmodum verò renascitur, cùm iterum ex seipso ad cognoscenda superiora conscendit. Girat per Meridiem, cùm beatitudinem cœlestium spirituum recogitat. Flectitur ad Aquilonem, cùm damnatorum dolores considerat. Hoc multiplici circuitu spiritus noster omnia spiritalia creata meditatur, & sine vlla admixtione sensibilium solùm per rationem intuetur.

Ecclesi.1.5.

Quintus gradus.

Quintus gradus est supra rationem, sed non præter rationem. In quo quidem gradu Deum vt vnum contemplamur, & omnia mysteria supernaturalia inuestigamus, quæ vires nostræ rationis excedunt, & ea ex Dei reuelatione percipimus. Licèt autem gradus horum contemplatorum sit supra rationem, non tamen præter illam; quia quæcumque de Dei perfectione, & bonitate, ac cæteris adtributis consideramus, talia sunt, vt ratio in eis nihil dissonum, nihil contrarium suis principiis inueniat: immo multa argumenta sibi offeruntur, quibus inducatur, vt facile ex reuelatione propositis acquiescat. Hoc considerationis gradu Ieremias pascebatur, quando dicebat: Fortissime, magne, & potens, Dominus exercituum nomen tibi. Magnus consilio, & incomprehensibilis cogitatu, cuius oculi aperti sunt super omnes vias filiorum Adam, vt reddas vnicuique secundùm vias suas. Quæ enim humana ratio hæc omnia facilè de Deo non credat? Et quæ non multas persuasiones ad id probandum non inueniat? Sextus gradus est supra rationem, ac præter omnem rationem. In illoque consideramus mysteria Trinitatis, & modum Incarnationis Filij Dei. Hæc enim sunt supra rationem; quia hæc tamquam supra omnem naturam, non humana inuestigatione, sed diuina reuelatione cognoscimus. Sunt etiam præter rationem, intellige naturalem: nam si hæc mysteria ratione naturali metimur, eisdem magna turba difficultatum, quas natura non sustinet, reclamamus. Quantas difficultates in his mysteriis naturalis ratio sustineat, Richardus sapienter pulchréq; declarat. At testimonia tua, Domine, credibilia facta sunt nimis. Et si vultum ad nosmetipsos conuertimus, multa reperiemus, quibus ad tuæ substantiæ vnitatem, & Personarum Trinitatem contemplandam, & Verbi tui œconomiam credendam manu ducamur. Hi ergo sunt gradus orationis Richardi, ex quo eos Laurentius Iustinianus desumsit; in cuius, & aliorum, quos retulimus, sententiis, multa se offerebant notatu digniſſima, de quibus infrà toto hoc opere disseremus. Illud solum dicendum est, Doctores istos orationem ex parte contemplatorum, seu eorum, quæ contemplantur, & considerantur diuisisse; cùm tamen certum sit eam in quantum est oratio, seu cultus Dei, ex hac parte substantia non diuidi, nec præstantiorem, aut nobiliorem posse appellari. Contingit enim vt quis mysteria altissima Trinitatis humillima quadam cogitatione, & infima oratione consideret: & alius è contra fœditatem suorum peccatorum altissima oratione intueatur, & excellentissimè contempletur. Et si materia in orationem adducta eam in hoc orationis genere sublimaret, facillimum esset cuique hanc materiam assumendo, quam omnes altissimam iudicamus, perfectissimam orationem habere. Id autem non ita esse notum est omnibus. Ideo ergo ex parte materiæ contemplatæ modos contemplationum, seu orationum diuidunt, quia in orante apparatus debitos, & certum profectus & virtutis statum materiæ congruentem esse supponunt. Qui enim bene dispositus, & à Deo vocatus visibilia reliquerit, & ad inuisibilia Dei consideranda accesserit, ab ipso Domino ex mera gratia sua, cùm oportuerit, modum altiorem orandi suscipiet.

Sextus gradus.

Lib.4.c. 18.

Iustin. in ligno vitæ. c.vlt. de orat.

His igitur dictis ad Patrum ſententiam explicandam, nos aliam viam ab eorum quidem ſenſu non diſſonam, & legentibus fortè magis peruiam, antequam orationem mentalem tractemus, ingrediamur.

De duplici ſpecie Orationis mentalis, intellectiua, & adfectiua: ac nunc eſſe de intellectiua tractandum.

CAPVT VI.

Oratio affectiua, & intellectiua quid.

CVm Oratio mentalis fiat aſcenſione intellectus, & voluntatis in Deum; hinc oritur, vt duplex à viris ſpiritualibus eſſe dicatur; altera intellectiua ex intellectu nomen accipiens; altera adfectiua, ex adfectu voluntatis appellationem aſſumens. Oratio intellectiua non conſiſtit in hoc tantùm, vt diuina inueſtigemus,& conſideremus:hoc enim(vti iam cœpimus dicere)non eſt orare,ſed diſcere, aut ſcientiam comparare. Eſt igitur diuina ſimplici corde cogitare, vt mediis cogitationibus intellectus ad diuina colloquia aſſurgamus, & ſanctis adfectibus malum omne refutantibus, & bonum amplectentibus inflammemur. Aſcendis ſcalam, ô homo, cùm nonnulla fatigatione,& labore,non quidem vt teipſum fatiges,& moueas, ſed vt ad locum ſuperiorem accedas,& gemmam eo loco tibi paratam apprehendas,atque poſſideas.Ita prorſus aſcendit intellectus tuus per varias conſiderationes,quaſi per quoſdam gradus: & nunc, verbi gratia, malitiam peccati, nunc eius fœditatem,nunc pœnas æternas illi præparatas recogitas, non quidem vt hæc ſcias, vel vt ratio his ſe occupationibus occupet; ſed vt odium magnum peccati, vt dolorem intimum de patrato peccato, & propoſitum firmum ac ſtabile numquam peccandi concipias. Scito,& vide,ait Dominus per os Ieremiæ, quia malum,& amarum eſt reliquiſſe te Dominum Deum tuum, & non eſſe timorem mei apud te.] Sed numquid ſcies, vt ſcias? Videbis tantùm,vt videas? Nequaquam:hoc namque & iniqui ſolent videre,& negligere; dæmones quoque vident ſe reliquiſſe Dominum; & tamen nulla eſt illis cura vt oratione iungantur Domino. Scies ergo, & videbis, vt arguat te malitia tua, vt auerſio tua increpet te.Scies & recogitabis, vt peccata defleas, vt malitiam deteſteris, vt de cætero numquam peccare conſtituas, vt pedibus Domini prouolutus vim ei precibus & gemitibus facias, ac veniam & miſericordiam depoſcas.Hoc erit orare, mediis conſiderationibus intellectus ſanctum voluntatis adfectum comprehendere.

Ieremi. 2. 19.

Ab intellectiua ad affectiuam progrediendum.

Res hæc apprimè neceſſaria eſt, non graueris, ſi variis eam ſimilitudinibus & exemplis declaro. Ingrederis mare in nauibus,ô iuſte vir, non tantùm vt nauiges, ſed vt nauigatione portum deſideratum teneas,ibíque quieſcas. Sic intellectus diſcurrit,& nauigat per varias conſiderationes veluti per aquas maris, nunc quidem vento ſecundo afflatus, & Spiritus ſancti inſtinctibus impulſus; nunc verò tempeſtate diſtractionum agitatus,non ſanè vt huc illúcque diſcurrat, ſed vt ad portum adfectus perueniat, & voluntas in deſiderio virtutis, & in Dei amore quieſcat. Chriſti, exempli gratia, Natiuitatem conſideras, & in ea Patris æterni Filium ſuum dantis charitatem; Filij ad nos ſponte venientis benignitatem,nuditatem,vagitus, & incommoda: Spiritus ſancti hoc opus peragentis miſerationem, Matris Virginis deuotionem,& ſedulitatem; Ioſephi reuerentiam,tremorem,& admirationem recogitas. Quorſum hæc? An ſolùm vt animo voluas, mentéque perluſtres?Non ſanè,ſed vt gratias agas, vt amore liquefias,vt deſiderio humilitatis & paupertatis flammeris; vt Matrem adorãtem,& ſponſum obſequentem imiteris, & aliis ſimilibus adficiaris. Virgo profectò præſens erat hiſce myſteriis, & tacita ſecum ea meditabatur. Sed quid de ea dicit Lucas? Maria autem conſeruabat omnia verba hæc,cõferens in corde ſuo.] Conſeruabat, ne obliuione diffluerent; conferebat autem, quæ tunc cernebat oculis,& auribus audiebat, cum iis, quæ antea,Angelo reuelante,didicerat. Hac verò collatione quis cogitet quos in corde ſuo adfectus amoris, & laudis, & gratitudinis excitabat? Sic & tu cõſeruabis myſteria Domini in repoſitorio memoriæ, conferes hæc cum aliis virtute intellectus; ſed nequaquam ibi ſiſtes, immo vltrà procedes, vt excites,& adficias voluntatem. Intellectus quærat, & inueniat veritatem,ſed voluntas eam diligat, atque poſſideat.

Luc. 2. 19.

In oratione intellectiua non ſiſtẽdum.

Suſtine quæſo, ô benigne lector, moroſitatem meam, ſi alia ſimilitudine rem iſtam explicauero. Traditur virgini gemma pretioſiſſima, atque pulcherrima, ſed in capſella incluſa, goſſipio inuoluta,& ſerico,aut panno cooperta. Illa videndi auida aperit capſulam, tollit inuolucra, proiicit integumenta,donec ipſam gemmam manibus apprehendat,& oculis circumſpiciat. Tunc miratur pulchritudinem,laudat pretioſitatem,eam ſibi dari deſiderat,& ex deſiderio enixè poſtulat, & facta ſibi copia eius,ſplendido monili collum ſuum, aut pectus exornat. Nunc intellige. Gemma eſt humilitas, eſt paupertas ſpiritus, eſt contemtus ſæculi, eſt amor proximi, eſt dilectio Dei. Traditur nobis in aliquo myſterio quaſi in capſella cuſtodita, & variis circumſtantiis eius quaſi inuolucris cooperta. Hæc tu, cùm intellectu diſcurris, quaſi manu tuæ mentis tollis,vt Chriſti virtutem,aut Dei perfectionem nudam & perſpicuam inuenias. Ea autem inuenta, eam admiraberis, eam deſiderabis, eam ſuſpiriis & gemitibus poſtulabis, pro ea laborare conſtitues, & eam tandem adfectibus exercens quaſi collo tuo,vt orneris, appendes. Vide hoc duobus Scripturæ exemplis expreſſum. Ecce, inquit, mulier in ciuitate peccatrix, vt cognouit quòd Ieſus accubuiſſet in domo Phariſæi, attulit alabaſtrum vnguenti,& ſtans retro ſecus pedes eius,lacrymis cœpit rigare pedes eius, & capillis ſuis tergebat,& oſculabatur pedes eius, & vnguento vngebat,] Cognouit; at non in cognitione ſtetit, non domi ſe continuit,ſed è domo egreſſa Chriſtum quæſiuit, & ad omnia illa facienda properauit. Similiter tu in oratione facies. Ibi intellectu Chriſtum agnoſces, ibi eius ſanctitatem & miſericordiam cogitabis. Cogitabis, inquam,non vt cogites,quaſi iſte eſſet finis, ſed vt à commoratione veteris hominis exeas; vt iniquitates, quibus tantam maieſtatem offendiſti,defleas; vt deſideriis pedes eius,miſericordiam,& iudicium mulceas,amore oſculeris, & deuotione perungas. Magi illi,aut Reges, quos Dominus ex gentilitate ad ſui manifeſtationem euocauit, quid aiunt? Vidimus ſtellam eius in Oriente, & venimus adorare eum.] Vidimus, & non ſtetimus,non in palatio manſimus,ſed ſtatim, relicto patrio ſolo, profecti ſumus, vt ei aurum, thus, & myrrham offeramus, & ipſum adoremus.

Luc. 7. 37.

Matth. 2. 2.

Hæc eſt huius orationis mentalis forma, videre, & venire : videre ſigna creatoris, & quærere creatorem. Videbis,ô iuſte,intellectu;venies adfectu. Videbis vt venias, vt teipſum deſeras, vt inter obſtacula etiam,atque impedimenta Chriſtum inquiras; vt coram illo reuerenter procumbas ; vt myrrham ſanctæ compunctionis, & thus deuotionis, & aurum amoris illi offeras. Eſt igitur breuiter oratio intellectiua, quando intellectu multa retractamus, vt pios in voluntate adfectus excitemus.

Affectiua quomodo intellectiua vtatur.

Oratio adfectiua non excludit omnino intellectus cognitionem, quia non poſſumus incognita diligere, vel odiſſe ; ſed reiicit longas ratiocinationes,atque diſcurſus,licèt ad excitandum adfectum ordinatos.Eſt igitur hæc oratio, ſuppoſita ſimplici quadam apprehenſione Dei,aut Chriſti Saluatoris, qua eum nobis præſentem exhibemus, vela adfectuum extendere, & Domino amoribus, ſuſpiriis, & ardentiſſimis deſideriis inhærere. Auarus magnam auri glebam aſpiciens non multas rationes inueſtigat, quibus ſibi appetitum auri perſuadeat, ſed ſtatim viſum aurum appetit, & mille technas ad illud poſſidendum prætendit. Iuuenis etiam rerum mundanarum cupidus, ſi aliquid pulchrum oculis videat, rationibus ad illud amandum & concupiſcendum non indiget, ſed aſpectus ipſe illi pro ratione eſt,& pluſquam mille rationes valet, vt in pulchritudinem deſiderio feratur:ita vir perfectus,qui Dei bonitatem immenſam,& pulchritudinem ineffabilem iam antea multis conſiderationibus perſpectam habet,cùm ad hoc genus orationis vocatur,non ſunt illi opus conſiderationes, ſed ſimplex ſponſi contuitus, vt eum diligat, vt ei adhærere cupiat, vt ſuauiſſimis colloquiis cum Deo habitis, & ardentiſſimis deſideriis ſeipſum accendat. Hanc orationem adfectuum Spiritus ſanctus in libro Canticorum ſatis euidenter expreſſit. Quid enim aliud ſignificat ille primus ſponſæ loquentis, & repentinus ingreſſus ? Oſculetur me oſculo oris ſui.] Nihil de ſponſi maieſtate, nihil de ſuauitate, nihil de pulchritudine eius dictum fuerat;ſed ſtatim anima in adfectum prodit,& ſine denunciato ſponſi nomine,ſine cognomine,ſine dato indicio, quo à ſe deſideratus cognoſcatur, verba deſiderij & amoris effundit. Quando necdum erat ſponſa, necdum erat amore perfecta ſecum Chriſti magnalia retractauerat, & myſteria ac virtutes exquiſierat.At poſtquam iam conſiderauit, & amore profecit, & quaſi ad dignitatem ſponſæ eſt ipſa prouecta, cogitationes deponit, conſiderationes reiicit, laborem intellectus relinquit,& ſolis amoris vacat adfectibus, dicens : Oſculetur me oſculo oris ſui.] Bernardus quidem hunc locum tractans, ſic ait : Vide quale præripiat ſermonis exordium. Magnum quid à magno petitura, nullo tamen, vt aſſolet,vtitur blanditiarum fuco, nullis circumuolutionibus ad id,quod deſiderat, ambit. Non facit proœmium,nõ captat beneuolentiam,ſed ex abundantia cordis repentè prorumpens, nudè frontoſéque ſatis,oſculetur me,ait,oſculo oris ſui. An non tibi quaſi dicere manifeſtè videtur : Quid mihi eſt in cœlo;& à te quid volui ſuper terram?Amat profectò caſtè,quæ ipſum,quod amat,quærit,non aliud quicquam ipſius. Amat ſanctè;quia non in concupiſcentia carnis, ſed in puritate ſpiritus. Amat ardenter, quæ ita proprio ebriatur amore, vt maieſtatem non cogitet. Quid enim ? Reſpicit terram, & facit eam tremere ; & iſta ſe ab eo poſtulat oſculari ? Ebria ne eſt ? Ebria prorſus. Et fortè tunc, cùm ad iſta prorupit, exierat de cella vinaria, quo ſe nimirum introductam poſtmodum gloriatur. Nam & Dauid de quibuſdam dicebat Deo : Inebriabuntur ab vbertate domus tuæ;& torrente voluptatis tuæ potabis eos. O quanta amoris vis! Quanta in ſpiritu libertatis fiducia! Quid manifeſtius,quàm quòd perfecta charitas foras mittit timorem ?] Sic ille. Hæc igitur oratio vacua cogitationum, plena adfectuum, in qua intellectui ſilentium indicitur, & voluntati pleniſſima facultas diligendi conceditur, oratio adfectiua vocata eſt, quoniam ex intellectu ſolum intuitum amati accipit,& omnes vires voluntatis præmiſſa illa ſimplici cognitione, ad amandum intendit.

Vtra perfectior.

Huius duplicis orationis prima dicitur eſſe litteratorum, ſecunda ſimplicium, qui (ſi ita eſſet) meliorem profectò huius ſacri exercitij portionem obtinerent. Sed re vera prima eſt difficilior,ſecunda ſuauior:illa bona,ſed iſta perfectior.Sicut enim in oratione intellectiua illa cenſetur eſſe præſtantior,quæ minus habet intellectus, aut diſcurſus, & plus adfectus:ita perfectior erit,quæ tota tranſierit in amoris adfectum. Quod manifeſtè docet Bonauentura ſic ſcribens:Secundùm hæc duo eſt duplex via excellentiæ; vna, quæ dicitur contemplatio, & hæc figuratur per Rachelem, quæ dicitur venuſta aſpectu ; quando mens ſcilicet lumine deſuper infuſo diuinitus,habet meditando,vel cogitando ſolùm cœleſtia contemplari. Alia eſt in adfectu, & hæc dicitur ardor amoris; quando ſcilicet igne Spiritus ſancti deſuper miſſo anima flammigeris adfectibus ad ſolum Deum aſpirans, ipſum ſolum deſiderat,vt ſibi per ſtrictiorem amorem intimiùs vniatur ; & hæc dicitur optima portio Mariæ, quæ ardebat deſiderio,vt dicitur in Ioanne. Vnde ſicut nouum Teſtamentum præſtantius eſt veteri ; ſic via amoris, ſiue perfectionis, quæ eſt in ardore amoris, quæ eſt deſignata per Mariam, eſt nobilior omni meditatione, vel contentione intellectuali, quæ deſignatur per Rachelem.] Quin & Auguſtinus ad idem ſic ait : Quæ potui, & ſicut potui de tantis tantillus tecum contuli. Sermonem autem hunc noſtrum mandatum litteris, ſi qui legunt, ſciant multo infirmioribus hæc eſſe ſcripta, quàm ſunt illi,qui vnius ſummi Dei conſubſtantialem & incommutabilem Trinitatem, ex quo omnia, per quem omnia, in quo omnia duorum teſtamentorum auctoritatem ſecuti venerantur, & colunt, ea credendo, ſperando, & diligendo. Hi enim non ſcintillantibus humanis ratiocinationibus, ſed validiſſimo & flagrantiſſimo charitatis igne purgantur. Nos autem tardiùs incedimus conſideratione ipſarum viarum,quàm ſancti viri,qui eam volando non dignantur attendere.] Sic illi.Eſt igitur oratio adfectiua perfectior,iuxta illud Pauli : Æmulamini chariſmata meliora,& adhuc excellentiorem viam, nempe viam charitatis, vobis demonſtro.] Et ſic ſapientia guſtans potior eſt, quàm intellectus cognoſcens : & Seraphim ex ardore charitatis, perfectior Cherubim,qui habet plenitudinem ſcientiæ, & magis meritorium eſt Deum diligere, quàm multis diſcurſibus eius opera, aut perfectiones inueſtigare. Sed de hoc aliàs. Illud nunc addamus oportet,orationem adfectiuam ordinariè loquendo minus eſſe ſecuram, niſi eam per multum tempus oratio intellectiua præceſſerit, quæ ignorantiam erroréſque depellit. Orationem intellectiuam debemus humiliter quærere, & poſtulare, & media à ſanctis Patribus, & viris ſpiritualibus tradita ad eam obtinendam adhibere.Adfectiuam verò debemus humiliter expectare, & per vitæ puritatem, &

Bonau. in myſtica Theol. ad finem, q. vnica.

Aug.lib. 6. muſic. c. vlt.

Cant. 1. 1.

Bernard. ſerm. 7. in Cant.

1.Cor.12. 31.

magnam

magnam mortificationem nos ad illam disponere, si fortè Dominus aliquando misertus nostri, dicat: Amice,ascende superiùs,vt tunc laus vera sit nobis coram simul discumbentibus.De hac igitur oratione adfectiua infrà suo loco, Deo dante, tractabimus; nunc de oratione intellectiua, per quam ad magnam perfectionem ascendere possumus, & multi Sancti absque dubio ascenderunt; quod in Patribus legimus,didicimúsque,dicamus.

De triplici Oratione intellectiua; scilicet cogitatione, meditatione, & contemplatione.

CAPVT VII.

NAT A Deus mundi huius artifex res omnes naturales constituit, vt media aliquid extremorum participarent, & ea in seipsis quasi in quodam vinculo interiacente coniungerent. Elementa sic condita sunt, vt terra & aër summè contraria (nam hic est humidus, & calidus, illa verò frigida,& sicca) aquam in medio habeant cum aëre humidam, & cum terra frigidam,quæ illa dissidentia componat. Similiter ignis & aqua maxime opposita(est quippe ille calidus,& siccus,hæc frigida, & humida)ita sunt ordinata,vt aërem in medio contineant, calidum quidem cum igne, & humidum cum aqua, qui ea ad nonnullam pacem & concordiam adducat. Colores extremi, Philosophis asserentibus, & nobis etiam videntibus, sunt album,& nigrum:reliqui colores sunt medij, qui nonnihil extremorum habere videntur,& vel in album vergunt,vel ab illo discedentes nigro se magis adiungunt. Longum esset id in lapidibus,in metallis, in viuentibus, immo & in Angelis ipsis ostendere;in quibus tam mirabilis est dispositio, vt ex vno extremo ad aliud per media interiacentia pateat accessus,& sine mediis non liceat ad extrema transire. An non id in diebus & noctibus, quæ paulatim ex tantillo lucis & tenebrarum ad summam lucem caliginémque perueniunt? An non in quattuor temporibus anni, quæ caloris & frigoris non subita, sed lenta quadam mutatione fœderantur? An non in hominum ætatibus ab infantia per pueritiam, & adolescentiam, & iuuentutem,& senectam vsque ad decrepitos & doloris annos procedentibus id quottidie perspicimus? Certè & reipublicæ munera, & Ecclesiæ ministeria, & cuiusque congregationis rectè ordinatæ officia ita sunt dispositа, vt ex minimis ad maiora, & ex imis ad summa quisque consurgat. Immo & tres status filiorum Adam ita sunt constituti, vt inter Beatos, atque damnatos viatores intercedant:& cùm illi primi summa gloria lætentur,& illi postremi summa miseria torqueantur; hi medij quasi gloriæ & pœnæ, lætitiæ ac mœroris sint ipsi participes. Ac proinde meritò Lactantius quosdam Philosophos ac Poëtas laudat, qui discordi concordia mundũ constare dixerunt.Omnis enim extremorum discordia,mediorum(quæ velut sequestres sunt inter extrema) interpositione ad nonnullam concordiam adducitur. Ac tandem,vt aliquid ex sacris Scripturis adducamus, sine quarum interpositione scripta viris spiritualibus sordere nouimus; vnus mediator Dei & hominum homo Christus Iesus ita est ad officium mediatoris aptatus, vt non solùm Deus cum Deo, nec solùm homo cum hominibus sit, sed verus Deus, & simul verus homo existat. Vt in seipso duo hæc extrema naturam diuinam & humanam conciliãs, & in vnam eamdémque personam copulans huic adstipularetur veritati, quòd media ex extremis coalescere debeant,vt sic paci rectè componendæ proficiant.

Homo medium occupat locum.

Homo igitur, qui medius est inter Angelos, & animalia rationis expertia: nam cum illis intellectu,& libero arbitrio, cum istis verò sensibus constat,cum vtrisque conueniat necesse est. Eiúsque ratio ita est ab vniuersorum auctore condita, vt aliquid suum & proprium habeat, & aliquid quasi ab extremis mutuatum; per quod vel ad Angelos sese efferat,vel ad animalia bruta se demittat. Hæc non tantùm sensus externos habent, visum, auditum,olfactum, gustum, & tactum; verùm & sensus internos (quos ab vno eorum imaginationem nominamus) quibúsque sensibilia externa discernunt,& in absentia eorum ipsa percipiunt. Homo eosdem sensus habet, licèt ex coniunctione ad rationem multo magis perfectos, quorum modum cognoscendi ipsa ratio frequenter assumit. Nam sicut imaginatio sine vllo ordine ac stablitate huc illúcque discurrit, & in momento temporis per multa & diuersa vagatur: ita ratio nostra quasi ex conuictu ancillæ vilem eius conditionem induens multa & varia nunc mala, nunc bona: nunc vtilia, nunc inutilia sine ordine & stabilitate cognoscit. Insuper & ratio ex superiori parte, qua Angelos attingit, & nomen intelligentiæ sortita est, habet ad modum Angelorum nudam veritatem simplici aspectu intueri, & in ea iam per discursum inuenta seipsam quasi lucidissimum oculum figere. Ac tandem ex se tamquam proprium habet, non iam per varia inordinatè discurrere, aut simplici actu inuentam veritatem intueri; sed discursu & ratiocinatione vnum ex alio colligere, & sensim ex vno in aliud procedens occultam veritatem indagare. Sunt itaque tres actus intellectus nostri:vnus proprius; nempe discurrere & ratiocinari:alter quasi ex imaginatione mutuatus; scilicet multa sine ordine & stabilitate cogitare: tertius ab Angelis acceptus; veritatem nimirum ratiocinatione inuentam simpliciter & delectabiliter intueri.

Cogitatio,meditatio, & contemplatio ex materia non discernuntur.

Ex his iam tres species intellectiuæ orationis emergunt; cogitatio, meditatio, & contemplatio. Quæ profectò ex parte materiæ cognitæ discernendæ non sunt, quasi cogitatio circa peccatorum fœditatem,ac nouissima nostra versetur:meditatio mysteriis vitæ, & passionis Christi Saluatoris intendat: contemplatio verò veritates ad Diuinitatem, & Trinitatem personarum spectantes inspiciat. Immo potest quis altissima Trinitatis mysteria satis exiliter & imperfectè cogitare, creaturam autem aliquam vilissimam,vt opus Dei est,vel etiã peccatorum nequitiam sublimiter, & comitante ardentissimo amore Dei, admodum perfectè contemplari. Non, inquam, ex parte materiæ, sed ex seipsis, & ex propriis naturis differunt, licèt interdum circa eamdem materiam negotientur. Nam si intellectus circa Christum crucifixum, sine ordine & morosa cogitatione per multa & varia, quæ in illa suffixione contigerunt,discurrat; tunc cogitat. Si attentè & profundè causas & fructus illius tam diræ necis inquirat; tunc meditatur. Si cognita per discursum illum vna veritate, vt Dei erga nos charitate in cruce ostensa, illam sine discursu incipiat inspicere,& nouerit intueri;tunc contẽplatur.

Lactant. 2. Instit. c.10.

1.Tim.2. 5.

Richar. 1. de contemplat. c. 3.

Audi nunc Richardum Victorinum ista expresè docentem. Sciendum, inquit, quòd vnam eamdémque materiam aliter per cogitationem intuemur, aliter per meditationem rimamur, atque aliter per contemplationem miramur. Multum à se inuicem hæc tria in modo differunt, quamuis quãdoque in materia conueniant. De vna siquidem eadémque materia aliter cogitatio, aliter meditatio, longè aliter agit contemplatio. Cogitatio per deuia quæque lento pede, sine respectu peruentionis passim huc illúcque vagatur. Meditatio per ardua sæpe & aspera ad directionis finẽ cum magna animi industria nititur. Contemplatio libero volatu quocumque eam fert impetus mira agilitate circumfertur. Cogitatio serpit; meditatio incedit, & vt multum currit. Contemplatio autem omnia circumuolat, & cùm voluerit se in summis librat. Cogitatio est sine labore, & fructu. In meditatione est labor cum fructu. Contemplatio permanet sine labore cum fructu. In cogitatione euagatio; in meditatione inuestigatio; in contemplatione admiratio. Ex imaginatione cogitatio; ex ratione meditatio; ex intelligentia contemplatio. Ecce tria ista imaginatio, ratio, intelligentia. Intelligentia obtinet supremum locum: imaginatio infimum, ratio medium.] Sic ille. Qui cùm ait: Ex imaginatione cogitatio; ita intelligendus est, non quidem vt cogitatio, quæ species orationis ponitur, à sola imaginatione procedat: sed quòd in ea maximè opus imaginationis vigeat, & quòd intellectus in ea dum multa minus ordinatè perlustrat, quasi ad statum imaginationis cadat. Quando etiam cogitationem esse sine fructu; non omnem ab ea fructum tollit, nam & fructum aliquem habet (vt postea dicemus) sed eius fructum ad emolumentum meditationis & contemplationis comparatum esse satis exiguum ostendit.

Quomodo distinguantur.

Hæc itaque tria non ex materia, sed ex ipsa natura sua distinguenda sunt. Vt quemadmodum ad vnum eumdémque locum diuersis motibus peruenimus, vt ad mediam regionem aëris, nunc quidem è terra ascendendo sursum, nunc verò è cœlo descendendo deorsum: nũc tandem à dextris, vel à sinistris ad ipsum medium veniendo: ita in eamdem rem vel cogitantes, quasi humi rependo; vel meditantes, quasi more hominum ambulando: vel contemplantes, quasi ad similitudinem auium sursum euolando oculos mentis intendimus. Inde autem horum trium discrimen ex parte materiæ consideratæ desumtum emanauit, quòd incipientes, vt minus spirituales, & habentes mentem minus stabilem, sunt ad cogitationem proni: proficientes vt magis à distractionibus terrenis elongati, sunt in meditatione faciles: perfecti verò, vt Dei amore possessi, solent, eleuante eos Domino, ad contemplationem admitti. Quia verò his assignatæ sunt (vt postea videbimus) ad mentaliter orandum materiæ distinctæ; hinc ortum habuit, vt alia dicantur materia cogitationis, alia meditationis, alia contemplationis. Cùm tamen certum sit, aut diuersos homines, aut vnũ eumdémque hominem circa eamdem materiam, vt circa fœditatem peccati, nunc quidem cogitare, nunc verò meditari, & postea demum contemplari. Orare sanè nihil aliud est, quàm ad Christum venire. Quidam autem ad illum ambulando veniunt, alij currendo, alij volando. Centurio ambulando accessit ad eum, vt serui sanitatem posceret. Zachæus cucurrit, vt ipsum videret. Et ipse est sicut aquila prouocans ad volandum pullos suos; eos nempe, quos dignatur vt filios, & super eos volitans, vt in intuitu veritatis ab omni errore defendat. Ambulant cogitantes, & nonnullam assequuntur suorum malorum sanitatem. Currunt meditantes; & ita ascendunt, vt Christum aspiciant, & in domo cordis hospitem non molestum excipiant. Volant contemplantes, & ita inferiora deserunt, vt in calore Solis, & ardore amoris veteris Adæ pennas absumant. At omnes hi siue ambulando, siue currendo, siue volando Christum quærunt; & siue eadem, siue diuersa cognoscant, ab eo tamen, & eius imitatione tamquam à fine non discedunt.

Matth. 8. 5. Luca 19. 4. Deuter. 32. 11.

Quibus rebus in scriptura figurata. Exodi 3. 18.

Ad has tres orationis mentalis species facile est multa sacræ Scripturæ ternaria per sensum mysticum applicare. Hæ sunt illæ tres dies, de quibus Moses ad Pharaonem: Dominus Deus Hebræorum vocauit nos, ibimus viam trium dierum in solitudinem, vt immolemus Domino Deo nostro.] Vtique ad conficiendum hoc iter non vocamur persuasione humana, sed potestate diuina. Et via hæc trium dierum est: nam dies est cogitatio, licèt aliquantulum nubila, qua aliquid de diuinis quasi à longè coniectamur. Dies est meditatio, & dies clarior, in qua cœlestia splendidiùs aspicimus. Et dies est cõtemplatio, dies profectò clarissima, & serenissima, in qua inuisibilia perspicaciùs intuemur. Per hanc triplicem viam tendimus in solitudinem, in cor quietum, ab omni strepitu & perturbatione remotum, vt Domino Deo nostro non pecudes, & animalia bruta, sed nos ipsos immolemus. Sunt tres dies, ac tres noctes, quibus mysticus Ionas erat in ventre ceti, vt Dominum exoraret, & se ad illum toto corde conuerteret. Tres, inquam, sunt dies cogitatio, meditatio, & oratio: quoniam nobis lucem veritatis detegunt; & sunt tres noctes; quoniam omnem veritatem non per speciem, sed per obscuram fidem ostendunt. Ionas autem, qui interpretatur columba, quem melius figuret, quàm iustum ab omni duplicitate alienum, mentísque puritate syncerũ? Is intra semetipsum inclusus in spiritalibus his diebus orat, & cantat, & robur ad exeundum, & prædicandum, & ad lucrandas animas impetrat. Hæc sunt tria sata similæ ad conficiendos subcinericios panes sanctorum adfectuum, actionúmque virtutis, quibus Deum ad nos diuertentem pascamus. Hi sunt tres putei, quos mysticus Abraham in terra peregrinus effodit, vt ex illis aquam compunctionis hauriret. Primum appellauit calumniam; quia cogitatione dolos peccati detexit. Secundum inimicitias; quia ex meditatione sibi hostes, nempe vitia, parare insidias animaduertit. Tertium latitudinem; quia contemplatio animam mirificè dilatauit. Ex his autem puteis facilè est ad quartum peruenire, quem appellauit abundantiam, seu satietatem; quoniam, qui in hac vita res æternas considerauerit, & appetierit, in futura earum gustum obtinebit. Hi sunt tres dies, in quibus Dominus templum suum excitat; quia multos per cogitationem, meditationem, & contemplationem à morte peccati extrahit, & ad perfectam vitam resuscitat. Longum esset, & extra rem alios ternarios sanctæ Scripturæ persequi, & ad hanc triplicem orationis speciem adaptare.

Ionæ 2. 1.

Gen. 18. 6.

Gen. 26. 21. 22. 23.

Vers. 33.

Ioan. 2. 21.

Illud solum sciamus, has tres orationes instrumenta esse perfectionis assequendæ præcipua, quas in sequentibus ex professo volumus explicare.

*

De cogitatione, quid ſit.

CAPVT VIII.

Cogitationis præſtantia.

EXIMIVM quoddam beneficium homini prærogatum eſt cogitandi facultas, qua veluti quibuſdam pennis, citius, quàm dici queat, in locis diſtantiſſimis ſe conſtituit. Pennæ quidem aquilæ agiles ſunt; at in conficiendo motu non modicum tempus inſumunt, & ex vno extremo ad alterum non niſi per media loca perueniunt. Sed cogitatio eſt longè agilior, atque velocior, qua in momento loca diſtantiſſima petimus, & ſine vllo tranſitu medio ex vno extremo ad aliud tranſimus. Nunc ſanè in terra poſiti cogitatione ſubitò in cœlum aſcendimus, & momento ad abyſſum deſcendimus, & nulla interiecta mora in quæque à nobis, & à duobus his extremis diſſita facillimè penetramus; nunc ad cor, & ad intima nos recipimus, & è veſtigio ad res externas luſtrandas egredimur. Breuiter, nihil eſt tam remotum, tam obſcurum, tam abſcõditum, quod cogitatio non tangat, non deregat, atque peruadat. Chryſoſtomus certè eam alas animæ, ſicut & nos fecimus, & oculos corporis luminibus perſpicaciores meritò nominauit. Nam corpus, inquit, quoniam terreſtre eſt ac graue, natura manet in terris. Anima verò ab hac neceſſitate libera eſt, facilliméque ad altiſſima, longiſſiméque ſemota loca aduolat, etiamſi velit ad extremos orbis terminos peruenire, aut in cœlum aſcendere, nihil eſt, quod vetet: adeò ipſi leues cogitationũ alas dedit Deus. Nec tantùm alas leues dedit, verùm & oculos largitus eſt multo quàm corporis perſpicaciores. Nam corporis aſpectus, ſiquidem per vacuum aërem appareat aliquid, ad longum interuallum progreditur: quòd ſi in exiguum corpus impegerit, non aliter, quàm fluxus, qui ferebatur, obſtaculo repulſus, denuo retrorſum auertitur: verùm animi oculi etiamſi parietes, etiamſi mœnia, etiamſi montium moles, etiamſi cœlorum corpora compererint obſtantia, omnia facilè prætercurrunt.] Sic ille. Cogitatio demum eſt magnum quoddam animi immortalis indicium. Cùm enim tam facilè, & tam frequenter poſſit à corpore cogitatione fugere; cur non poſſit etiam ab illo ſubſtantia ſeparari? Corpus pedes ſuos, aut alas (ſi alatum ſit) ſequitur; & vbi pedes ſunt, aut alæ, niſi diſciſſum ſit, ipſum inuenimus. Quid mirum ſi abeuntibus à corpore cogitationibus, quæ alæ ſunt animi, ipſe animus abeat, & corpus deſerens ſuum eſſe non deſerat?

Chryſoſt. homil. 2. in cap. 6. Iſaiæ.

Huic magno Domini beneficio, quo cogitare nouimus, & indicium noſtræ immortalitatis habemus, tunc nos gratos exhibebimus, ſi cogitationes noſtras ad Deum ipſum, & ad æterna cõuertamus. Faciebat id ſanctus Dauid, cuius vox eſt: Quoniam cogitatio hominis confitebitur tibi; & reliquiæ cogitationis diem feſtum agent tibi.] Bonæ namque cogitationes confitentur Domino, quoniam opera eius bona valde, & ipſum laudabilem eſſe cognoſcunt. Reliquiæ autem huiuſmodi cogitationum, id eſt, boni adfectus ex cogitationibus ſuſcitatis, & bona opera illi feſtum agunt; quoniam quicquid ſunt in eius obſequium, & noſtrum profectum impendunt. Cogitatio itaque in Deum directa, ad ſpiritaliáque conuerſa, prima ſpecies eſt orationis mentalis, quam vt exponamus, neceſſarium eſt priùs cogitationum varietatem explicare.

Pſal. 75. 11.

Cogitatio triplex.

Triplex eſt humana cogitatio: altera à Deo; altera à diabolo; altera à corde noſtro, vel à natura profecta. Huiuſque triplicis cogitationis diſcrimen Ioannes Caſſianus vberrime patefecit, in hunc modum ſcribens: Illud ſanè præ omnibus noſſe debemus, tria cogitationum noſtrarum eſſe principia; id eſt, ex Deo, ex diabolo, & ex nobis. Ex Deo quidem ſunt, cùm Spiritus ſancti illuſtratione nos viſitare dignatur, erigens nos ad ſublimiorem profectum, & in quibus, vel minus acquiſiuimus, vel deſidioſè agentes ſuperati ſumus, ſaluberrima compunctione caſtigat: vel cùm reſerat nobis cœleſtia ſacramenta, & propoſitum noſtrum ad meliores actus voluntatémque conuertit; vt ibi cùm rex Aſſuerus caſtigatus à Domino libros annales inſtigatur inquirere, quibus Mardochæi beneficia recordatus, ſummi eum gradu honoris exaltat, ac protinus crudeliſſimam ſuper nece Iudææ gentis ſententiam reuocat. Vel cùm Propheta commemorat: Audiam quid loquatur in me Dominus Deus. Alius quoque: Et dixit, inquit, Angelus, qui loquebatur in me. Vel cùm Filius Dei venturum ſe vnà cum Patre, & manſionem apud nos facturum eſſe promittit. Et: Non eſtis vos, inquit, qui loquimini, ſed Spiritus Patris veſtri, qui loquitur in vobis. Et vas electionis: An experimentum, inquit, eius quæritis, qui in me loquitur Chriſtus? Ex diabolo verò cogitationum naſcitur ſeries, cùm ſubuertere nos tam vitiorum oblectatione, quàm etiam occultis conatur inſidiis, ſubtiliſſima calliditate mala pro bonis fraudulenter oſtentans, & transfigurans ſe nobis in Angelum lucis. Vel cùm Euangeliſta refert: Et cœna facta, cùm diabolus iam miſiſſet in cor Iudæ Simonis Iſcariotis, vt traderet Dominum. Et iterum: Poſt buccellam, inquit, introiuit in illum Satanas. Petrus quoque ad Ananiam: Quare, ait, tentauit Satanas cor tuum mentiri te Spiritui ſancto? Et illud, quod multo antè per Eccleſiaſten prædictum legimus: Si Spiritus poteſtatem habentis aſcenderit ſuper te, locum tuum ne dimittas. Illud quoque quod dicitur ad Deum contra Achab in tertio Regnorum libro ex perſona ſpiritus immundi: Egrediar, & ero ſpiritus mendax in ore omnium Prophetarum eius. Ex nobis autem oriuntur, cùm eorum, quæ geſſimus, vel audiuimus, naturaliter recordamur. De quibus B. Dauid: Cogitaui, inquit, dies antiquos; & annos æternos in mente habui; & meditatus ſum nocte cum corde meo, & exercitabar, & ſcopebam ſpiritum meum. Et iterum: Dominus ſcit cogitationes hominum, quoniam vanæ ſunt. Et: Cogitationes iuſtorum iudicia.] In Euangelio quoque Dominus ad Phariſæos: Quid cogitatis mala in cordibus veſtris?] Hactenus ille. In cuius verbis illud ſolum notandum eſt; cogitationem illam Dauidis, qua conſiderauit dies antiquos; & annos æternos in mente habuit, illámque iuſti iudicij nomine ore Salomonis inſignitam, non à natura, ſed à Deo fuiſſe profectam, eo ipſo, quòd boni erat, & ad bonum, ſcilicet ad mundandum ſpiritum roborabat.

Caſſian. col. 1. c. 19.

Eſth. 6.

Pſal. 84.

Zach. 1. Ioan. 14.

Matth. 10.

2. Cor. 13.

2. Cor. 11. Ioan. 3.

Act. 5.

Eccl. 10.

3. Reg. 22.

Pſal. 76.

Pſal. 93.

Prou. 12. Matth. 9.

Quando autem occultum eſt, à quonam cogitationes oriantur, quia videlicet non facilè perſpicitur an nos ad bonum, vel ad malum inclinent; ex fine, ſecundùm Hugonem, dignoſcuntur. Exitus enim manifeſtat, vt ille ait, quod à principio celabatur. Et propterea qui motus ſuos à principio iudicare non poteſt, finem inueſtiget, & conſummationem.] Si finis cogitationis malus eſt; quia nimirum cogitatio nos ad malum inuitat; non dubium, quin ab aduerſario proueniat. Si finis indifferens eſt, & nihil meriti habẽs, ab ipſa natura poteſt

Hug. lib. de medit.

proce

Cogitationes ex fine noscenda.

procedere. Si verò bonus est, & alicuius meriti; non potest nisi à Deo, & ab eius auxilio promanare. Diabolus ad malum semper impellit: nam si aliquando bonum suadeat, non est, nisi vt malum eliciat. Cor nostrum interdum ad malum; interdum ad medium, siue indifferens, vel certè ad aliquod morale bonum, & satis exiguum vocat. Deus verò semper ad bonum, & ad id quo mereamur, & meliores efficiamur, instigat. Bonarum autem cogitationum Deum auctorem habentium, quædam sunt immissæ; aliæ verò non sine Dei gratia per nostram industriam excitatæ. Immissæ sunt, quæ, nobis nihil curantibus, immo aliquando repugnantibus, & contradicentibus, sese ingerunt. Vt si de morte, aut tremendo iudicio aliquid coram nobis dicatur, ad mortis, vel iudicij cogitationem impellimur, & contremiscimus: si eximia alicuius viri perfecti virtus prædicetur, ad virtutis pulchritudinem, & honorem cogitandum permouemur, & eius concupiscentia flammamur: si cœlestis beatitudinis magnitudo & splendor exponatur, ipsa statim ante mentis oculos obuersatur, & amore ipsius exardescimus. Et tamen non constitueramus aliquid de morte, aut de virtute, aut beatitudine cogitare, sed tempus in aliqua humana cogitatione consumere.

Eccli. 1. 7.

De his cogitationibus scriptum videtur illud Ecclesiastici: Disciplina sapientiæ, cui reuelata est, & manifestata? Et multiplicationem ingressus illius quis intellexit?] Multis namque modis diuina sapientia hominum mentes ingreditur, vt eas doceat, vt cogitationibus sanctis erudiat: hos autem modos, ac rationes, quibus nos edocet, & qualitates earum, nemo potest ad plenum inuestigare. Cogitationes has à Deo immissas, instinctus, aut inspirationes vocamus, quarum alibi mẽtionem fecimus.

Lib. 5. de perfect. par. 3. c. 1.

Excitatæ cogitationes sunt, quas ex professo accersimus, vt nos ad bonum adfectum excitemus. Vt cùm, sepositis curis, mentem ad interiora colligimus, & de morte, aut de diuinis iudiciis aliquid consideramus; & sic contemtum sæculi, vel emendationis vitæ desiderium concipimus. Harum cogitationum meminit Dauid, dicens: Manè astabo tibi, & videbo: quoniam non Deus volens iniquitatem tu es.] Coram te, inquam, apparebo, vt videam, vt cogitem, vt considerem sanctitatem tuam; quoniam osor iniquitatis es. Neque habitabit iuxta te malignus; neque permanebunt iniusti ante oculos tuos. Et alio loco: Laboraui in gemitu meo.] Me scilicet interiùs exercui, & sanctis cogitationibus ad gemitus pro admissis peccatis edendos compuli. Nec frustratus sum voto meo. Nam lauaui per singulas noctes lectum meum; & lacrymis meis stratũ meum rigaui. Sub his cogitationibus excitatis, omnis oratio mentalis, saltem cõmunis, comprehenditur (vt nunc orationem extraordinariam, in qua quis non tam agit, quàm agitur, relinquamus) qua animus ad diuina consideranda reuocatur. Huius autem orationis prima species nomen commune retinuit, & cogitatio appellata est, cuius nunc naturam volumus indagare.

Psal. 5. 5.

Psal. 6. 7.

Cogitatio quid.

Cogitatio ergo prima species orationis, est improuisa, ac momentanea Dei, aut rerum ad Deum pertinentium, consideratio ad bonum adfectum excitandum ordinata. Dicitur improuisa, quoniam aut id, quod considerandum est, non præuidetur, aut si præuideatur tam in speciem solùm cognoscitur, ac si omnino non præuideretur. Dicitur momentanea, quia parum durat, & mens ex vno cogitato in aliud transit, ex eo, quòd nihil profundè cognoscit. Dicitur tandem ad bonum adfectum excitandum ordinata; quia omnis cõsideratio, quæ pars est orationis mentalis ad colloquia cum Deo, & ad adfectus ordinatur: quòd si hoc non habeat, orationis nomen non meretur. Hinc facilè intelliguntur definitiones Richardi, & Hugonis, quas de cogitatione tradiderunt. Ille sic ait: Cogitatio est improuidus animi respectus ad euagationem pronus.] Hic verò sic: Cogitatio est, cùm mens notione rerum transitoriè tangitur: cùm res ipsa sua imagine animo subitò præsentatur, vel per sensum ingrediens, vel à memoria exurgens.] Est, inquam, cogitatio animi respectus ad euagationem pronus; quoniam cùm nihil profundè consideretur, nec duratio in cognitione curetur, necesse est mentem per multa & varia, licèt bona, vagari. Est etiam transitoria & breuis consideratio, quam vel memoria peperit, vel sensus adduxit: quia animus incipiens, & ad se colligendum minimè assuetus; quàm facilè bonum apprehendit, tam facilè ab eius aspectu recedit. Adfert autem rationem Gerson, quare cogitatio facilis esse dicatur. Cogitatio, inquit, facilis est, quia formatur immediatè, vel ex sensationibus actualibus, vel ex phantasmatibus passim occurrentibus, & vltrà non nititur. Quemadmodum namque sensus nostros cum omni facilitate circũducimus modò huc, modò illuc obiectis sufficienter præsentatis. Et similiter nulla est difficultas in occursu phantasmatum qualiumcumque: nam euagantur, præsentantúrque nobis etiam inuitis. Confestim apparet, cur cogitatio, quæ secundùm talia formatur, & hæc insequitur, nullam patitur difficultatem. Videmus hoc in pueris; videmus in hominibus otiosis, qui in talibus quærunt oblectationem, quia nullum adferunt in considerando laborem. Sed de his verè enunciauit sermo Propheticus: Nouit Dominus cogitationes hominum, quoniam vanæ sunt. Vanæ sunt itaque, quia sunt fine carentes, somnióque similes: non enim ad aliquem finem vtilem ordinantur; immo frequenter cùm homo in talibus se oblectauerit, tristis manet.] Sic ille. Quod autem habent cogitationes generaliter acceptæ, habet etiam suo modo hæc oratio, quam cogitationem vocamus. Sequitur enim illa bona, & circa ea negotiatur, quæ à similitudinibus rerum in memoria, seu alio sensu interno custoditis, intellectui præsentantur, quorum vtilitatem non nititur profundiùs inuestigare.

Richard. 1. de contemp. c. 4. Hugo serm. 72. Definitio cogitationis explicatur.

Gerson Theologia mystic. specul. consider. 22.

Ab hac oratione, quam vocauimus cogitationem, omnes viri spirituales, qui studio orationis se tradunt, ordinariè, licèt non aduertentes, incipiunt. Cùm enim sint sensuum distractionibus assueti, & omnis exercitij interioris ignari; vix sciunt in aliqua veritate consideranda per aliquod tempus hærere; & à propria instabilitate coguntur intra tamen sphæram vtilium, & bonorum, ab hac in illam, & ab illa in aliam veritatem saltare. Si exempli gratia peccati malitiam considerare intendant; breuissimo tempore per multa, quæ fortè in vita sæculari commiserunt, peccata discurrunt, & cum multis rebus ea conferunt, quibus fœditas & iniquitas eorum ostenditur; multáque euoluunt, atque reuoluunt, & in nullo per breuem saltem moram intellectum stabiliunt. Et quemadmodum papilio accensam lucernam circumiens nusquam sistit, sed sine vllo ordine nunc hac, nunc illac pergit; & nunc quasi ebrius ad circulos redit: ita mens incipientiũ per multa variáque vagatur, & in nullo stabilitur. Hi profectò non contemplantur, nec meditantur, sed piè cogitant, & infimo orationis genere ad maiora se præparant. Debent igitur hi paulatim, &

ſuàuiter ſe ad pauciora colligere, & ordinem in conſideratione tenere, & diuina myſteria quietiùs & profundiùs inueſtigare, vt cogitatio in meditationem tranſeat,& mens ex infimo gradu orationis in medium, & perfectiorem aſcendat. Vnde Richardus: Fit tamen ſæpe vt in cogitationum noſtrarum euagatione tale aliquid animus incurrat, quod ſcire vehementer ambiat,fortitérque inſiſtat. Sed dum mens deſiderio ſuo ſatisfaciens eiuſmodi inquiſitioni ſtudium impendit, iam cogitationis modum cogitando excedit,& cogitatio in meditationem tranſit.] Interim tamen,dum aliud non datur,ſanctis cogitationibus inſiſtendũ eſt, licèt abſque vlla mora prætereant, & aliquis ex illis in voluntate adfectus colligendus.Dominúſque humiliter exorandus, vt mobilitati cordis noſtri modum imponat,& illud ad nonnullam ſtabilitatem adducat.Eſt enim tanta res mentalis oratio,vt etiam infimus gradus eius functiones externas,licèt pias,& bonas excedat.Et ſicut modicum auri,ſpectata eius natura, maioris valoris eſt, quàm duplum argenti: ita parum orationis & conuerſationis interioris cum Deo plus prodeſt, quàm multæ exteriores actiones. Nam hæ, licèt bonæ, animum in varia diſtrahunt; oratio verò, licèt infima, mentem colligit, & robur ad laborandum impertit.

Richard. ſup.

De cauſſis Cogitationis.

CAPVT IX.

EX hoc cogitationem bonam,primam ſcilicet ſpeciem mentalis orationis,vtiliſſimam eſſe perſpicimus, quòd miſericors Deus homines mille modis ad eam frequentandam mouere nõ definit.Et nullus eſt mortalium tã profanus, tã vitiis & flagitiis implicitus, quem neſcientem Dominus ad bene cogitandum ſæpe non adigat,& oratorem (quod ipſe minus putat) ac rerum alterius vitæ conſideratorem conſtituat. Ego Dominus Deus tuus,ait per Iſaiam, docens te vtilia,gubernans te in via, qua ambulabas.] Quémque vtilia per immiſſam cogitationem docet, & in vita mortali,quæ via eſt ad immortalem vitam, quemlibet regit,dum ad rectè cogitandum, ac de rebus bene ſentiendum inducit. O quoties, Deus meus peccatores in mediis quoque flagitiis conſtitutos vocas, & nunc terroribus percutis, nunc promiſſis allicis,vt iniquitatem deſerant, & ad gregem iuſtorum, vnde diſceſſerant, reuertantur! Tu autem,inquis ad peccatricem animam,fornicata es cum amatoribus multis; tamen reuertere ad me,& ſuſcipiam te.]O quoties iuſtos tui oblitos ad ſalutarem tui, & rerum cœleſtium memoriam reuocas! intonáſque in cordibus vniuſcuiuſque eorum:Poſſide ſapientiam, poſſide prudentiam:ne obliuiſcaris,neque declines à verbis oris mei.]Quibus verbis vis vt intelligant veram ſapientiam verámque prudentiam eſſe tui,tuorúmque mandatorum memoriam. Nam tui recordatio iugis eos à malo retrahit,& mandatorum cogitatio curam obſeruationis eorum imponit.O quoties ſponſam timiditate vinctam,& puſillanimitate concluſam ad laborandum & egrediendum inuitas! Aíſque illi: Surge amica mea,ſpecioſa mea, & veni: ſonet vox tua in auribus meis.] Vox enim ſponſæ,vt Gregorius ſentit, eſt prædicationis vox, dulcis profectò, quæ dulcedinem euangelicæ doctrinæ reſonat, & amaritudinem peccatorum diſſipat.Hæ voces Domini,quibus nos paſſim vocat,noſtræ cogitationes ſunt; & loqui eius eſt noſtrum cogitare; quoniam hæc bona ac ſalutaria non à nobis cogitamus, ſed ab ipſo donante, & inſpirante mente reuoluimus. Quare Bernardus ait: Sunt enim quædam verba Verbi ſponſi ad nos noſtræ meditationes de ipſo, & eius gloria,elegantia, potentia, maieſtate. Non ſolùm autem,ſed & cùm auida mente verſamus teſtimonia eius,& iudicia oris eius, & in lege meditamur die,ac nocte,ſciamus pro certo adeſſe ſponſum,atque alloqui nos,vt non fatigemur,ſermonibus delectati. Tu ergo cùm tibi aliqua talia volui animo ſentis,non tuam putes cogitationem,ſed illum agnoſce loquentẽ, qui apud Prophetam dicit: Ego,qui loquor iuſtitiam.Simillima enim ſunt noſtræ cogitata mentis ſermonibus veritatis in nobis loquẽtis:nec facilè quis diſcernit,quid intus pariat cor ſuum,quídve audiat,niſi,qui prudenter aduertit Dominum in Euangelio loquentẽ, quia de corde exeunt cogitationes malæ. Et illud: Quid cogitatis mala in cordibus veſtris? Et: Qui loquuntur mendacium, de ſuo loquuntur. Apoſtolus autem: Non quòd ſufficientes, inquit, ſimus cogitare aliquid à nobis,tamquam ex nobis (ſubaudi bonum) ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt. Cùm ergo mala in corde verſamus,noſtra cogitatio eſt:ſi bona,Dei ſermo eſt. Illa cor noſtrũ dicit,hæc audit. Audiam, ait,quid loquatur in me Dominus Deus; quoniam loquetur pacem in plebẽ ſuam. Itaque pacem, pietatem,iuſtitiã Deus in nobis loquitur:nec talia nos cogitamus ex nobis, ſed in nobis audimus. Cæterùm homicidia, adulteria, furta,blaſphemiæ,& his ſimilia de corde exeunt, nec audimus ea, ſed dicimus.Denique dixit inſipiens in corde ſuo: Non eſt Deus.Et propter hoc irritauit impius Deũ,quia dixit in corde ſuo,nõ requiret.]Hactenus Bernardus.

Ber. ſer. 32.in Cãtic.

Multis autem modis Deus nobis bonam cogitationem immittit;nũc per ſe,nunc verò per alios. Per ſe quidem; quia impulſu quodam abditiſſimo ad nos venit, & ſubtiliſſimè intellectum & adfectum tãgit,& mira celeritate diſcedit. Et ſicut fulgur ſubitò noctem caliginoſam illuminat, & nec-dum apparuit,quãdo diſceſſit,ac eam in ſua obſcuritate reliquit: ita impulſus Dei cor diſtractum, tenebríſque inanium cogitationum & adfectionum obuolutum luce perfundit,& ad ſe colligit; ſtatim verò diſparet, & ad priſtinas cogitationes elabi ſinit. Id autẽ fit duobus modis. Primus,cùm palàm, & ſine ambagibus peccati fœditatem, aut negligentiam,& immortificationem noſtram mentis oculis obiicit, & de vitæ tepiditate nos arguit: aut cum propoſita ſubitò virtutis pulchritudine nos eius amore ſuccendit. Secundus, cùm ex vno ad aliud tranſit, & quaſi abſconditè ad oppoſitũ mouet. Vt cùm ſuam bonitatem,vel ſua beneficia nobis exhibita in memoriam reuocat, & ex his non ad gaudium,non ad gratitudinem, ſed ad dolorem noſtræ nequitiæ,& ingratitudinis excitat. Hæc omnia pro natura cogitationis ſubitò adueniunt, & citiſſimè abeunt; quia mens non curat in his hærere, nec ſe ad profundè conſiderandum applicare. Euenítque,quod eſt in Canticis:Ecce iſte venit ſaliens in montibus, tranſiliens colles.] Salit enim, & tranſit etiam montes,& colles,id eſt,in altitudine vitæ conſtitutos,quando illum non detinẽt,nec cum diſcipulis Emauntem petentibus, vt ſecum maneat deprecantur. Similis eſt dilectus meus capreæ,hinnulóque ceruorum:quæ ſcilicet huc illúcque diſcurrunt,& ſtabilitatem neſciunt:en ipſe ſtat poſt parietem noſtrum, reſpiciens per feneſtras, proſpiciens per cancellos.] Paries diſtractionum

Per ſe nos Deus ad bonas excitat cogitationes.

Cant.2. 8.

Ibid.

Iſaiæ 48. 17.

Ierem. 3. 1.

Prouerb. 4.5.

Cantic. 2.14.

interiacet,qui eum ad nos accedere non permittit. At per rimulas prospicit,dum quamlibet vel minimam occasionem captat, qua ad nos suscitandos introeat. O anima, tene eum, nec dimittas, donec benedixerit tibi. Quia si illum teneres, & eius visitatione fruereris, non capream, non hinnulum subsilientem, sed sponsum eum te amplexantem, tecúmque commorantem sentires.

Per alia nos multipliciter excitat.

Per alia autem Deus nos ad bene cogitandum prouocat;per ea scilicet,quibus nostram infirmitatem adiuuat, aut etiam per illa mala, & aduersa, à quibus nos liberat. Rosam pulchram, vel florem suaueolentem aspicimus, & ex ea ad cogitationem diuinæ suauitatis & pulchritudinis excitamur.Calamitatem, vel subitam alicuius mortem audimus, & ad timorem & venerationem diuinorum iudiciorum permouemur. Præposteram vitam,prauósque mores alicuius sacerdotis,vel religiosi comperimus, & compassione eius,ac nouo desiderio feruoris,& supplendi pro eo,quod deest,diuino obsequio succēdimur. Interdum quasi nulla cogitatione præuenti ad arcē mentis colligimur,& quadam mira suauitate mollimur, & gratiarum actione, & diuina laude replemur. Ac breuiter innumerabilibus modis curat nos Deus ad pias cogitationes, & salutarem cōpunctionem excitare. De quo hæc legimus apud Ioannem Cassianum: Quis verò possit diuersitates,& causas ipsas,atque origines cōpunctionū quantalibet experientia præditus,sufficienter exponere, quibus mens inflammata, atque succensa ad orationes puras ac feruentissimas incitatur? Quarum pauca quantum potuerimus ad præsens per illuminationē Dei reminiscí, exempli gratia, proponemus. Nonnūquam etenim Psalmi cuiuscumque versiculus occasionem orationis ignitæ nobis decātantibus præbuit; interdum canora fraternæ vocis modulatio ad intentā supplicationem stupētium animos excitauit. Nouimus quoque distinctionem grauitatémque psallentis, etiā adstantibus plurimum contulisse feruoris:necnon exhortatio viri perfecti, & collatio spiritalis frequenter ad vberrimas preces iacentium erexit adfectū. Scimus etiam fratris, seu chari cuiusquam interitu nō minùs nos ad plenam cōpunctionem fuisse raptatos. Recordatio quoque teporis, ac negligentiæ nostræ nonnumquam nobis salutarem spiritus inuexit ardorem.Atque in hunc modū nulli dubium est occasiones innumeras non deesse, quibus per Dei gratiam torpor ac somnolentia nostrarū mentiū valeat excitari.] Sic ille.Multifariā igitur,multísque modis loquitur ad nos Deus,& cordi nostro pias cogitationes ingerit,quibus intendit illud vel à malo abducere,vel ab otio & torpore liberare.Est enim cor humanum quasi mola Dei, qua vult non lolium rerū impurarum teri, sed triticū sanctarum cogitationum cōminui, quòd in adfectū transeat, & nos boni operis nutrimento reficiat.Nam & secundùm qualitates ciborum solent humores corporis generari,& secundùm diuersitates cogitationum solet mens nostra aut morbum contrahere, aut sanitatem habere. Et cogitationes malæ non nisi pessimarum actionum sunt semina; bonæ verò sunt sanctæ conuersationis initia.

Cassian. col.9.c. 25.

Hæc omnia quasi extrinsecus adueniunt:at sæpe non tam eorum, quæ cogitemus,implemur, quàm ad quærendas per nostram industriam gratia adiutā pias cogitationes vocamur.Huic rei omnia,quæ nobis accidūt,siue prospera, siue aduersa manifestè subseruiunt;& nihil est tam abiectū in nobis,quod interdum non aliquam bonam cogitationem adferat, non aliquem sublimem adfectū adducat. Prospera ad cogitandum de gratiis agendis monent;vt dicamus videlicet cum Dauide:Quis ego sum,Domine Deus, & quæ domus mea,vt præstares mihi talia.] Aduersa ad cogitationes patientiæ & æquanimitatis hortantur. Nam & Iob vlcere pessimo cōfectus ait: Si bona suscepimus de manu Dei,mala quare non suscipiamus?]Ægritudines,& dolores mortis celeriter aduolantis recordationem ingerunt. Senectus, & anni multi oscitanter exacti ex imperfectionibus ruborem iniiciunt. Insperatus euentus,quo paterna erga nos Dei prouidentia detegitur,adfectū gratitudinis & fiduciæ prouocauit. Bene proinde Clemens Alexandrinus inquit:Multiplices habet seruator voces,& modos ad salutem hominū, minans admonet, maledicens conuertit.] Vox eius est cibus, & potus,vox est vestis, & domus, quibus ad cogitandum de ipsius benignitate compelleris:vox est amicus,vt de adiutorio tibi dato cogites;& vox inimicus,vt de tuis defectibus,ac vitiis monearis.Vox sunt diuitiæ,vt saltem pro stipēdio tibi dato Deo fideliter obsequaris: vox paupertas, & indigentia rerum, vt non præmium corruptibile in hac vita,sed in futura incorruptibilem mercedem expectes. A planta pedis vsque ad verticem nihil reperies, quod interdum bonarum cogitationum semen non sit. Aliquando (verba sunt Gregorij) Deus nos amore,aliquando terrore compungit:aliquando præsentia quàm nulla sint, ostēdit; & ad æterna diligenda desiderium erigit: aliquando priùs æterna indicat,vt pòst temporalia vilescant. Aliquando nostra nobis mala aperit, & ad hoc nos vsque,vt alienis etiam malis cōdoleamus, extendit. Aliquando mala aliena nostris obtutibus obiicit, & compunctos mirabiliter à nostra prauitate nos corrigit.] Sic ille. Dominus ergo, vt est apud Nahum, interdum in tempestate & turbine viæ eius:& nebulę puluis pedum eius.]Quia nimirum increpans venit,& timore hominum mentes à se considerationē tactas exterret. Interdum verò blandus apparet;&, vt est apud Zachariā:Lauda,& lætare filia Sion,quia ecce ego venio, & habitabo in medio tui.Qui ad gaudium & laudem vocat,vtique non seuerum exactorem sed misericordē condonatorē seipsum ostentat. Deus itaque auctor est bonæ cogitationis, & aut proximè per seipsum, aut per Angelos;per scripturas,per concionatorum voces; per prospera, & aduersa;per vniuersas creaturas,ac per nos ipsos nos ad bonam cogitationem inuitat. Ex quo apparet neminem esse in Ecclesia orationis mentalis prorsus expertem. Quia saltem aliquando bona cogitatione,& pio aliquo adfectu tangitur,& subitò nō aduertens mens cuiusque ad superna inspicienda leuatur.Hoc autem genus orationis licèt fructus magnos habeat nunc enumerandos si adhibita industria, & aspirante gratia perficiatur,tamen exigui momenti est,si in esse cogitationis maneat:& meditationi comparetur.

Diuersimodè à Deo vocamur.

1.Paral. 7.16.

Iob 2.10.

Clemens orat. adhortator. ad Græcos.

Greg.5. mor.c.20.

Nāhum 1.3.

Zachar. 2.10.

De fructibus Cogitationis.

CAPVT X.

HÆc cogitatio, seu prima orationis species, non caret fructu suo; immo ceu arbor bona bonos fructus facit, & suauissimis pomis, quibus mens reficiatur, abundat;& ea cólligere,& ad maturitatem adducere positum est in nostra potestate. Primò ergo fructus huiusmodi delibemus; deinde inquirendum est quonam pacto illos in vsum colligemus: po-

stremò

Bona cogitatione malis aditus præcluditur.

Eccli.6. 37.

ſtremò quomodo illos maturabimus. Fructus cogitationis eſt,malis & impuris cogitationibus aditum præcludere. Non enim aliter quàm ſol tenebras depellit, bonæ cogitationis ſplendor malarum, aut ineptarum cogitationum obſcuritatem abiicit. Quare ſcriptum eſt in Eccleſiaſtico : Cogitatum tuum habe in præceptis Dei; & in mandatis illius(ſcilicet conſiderandis) maximè aſſiduus eſto: & ipſe dabit tibi cor; & concupiſcentia ſapientiæ dabitur tibi.] Perdideras cor,dũ illud impuris tradideras cogitationibus, quæ ipſum vinctum captiuúmque tenebãt. At illud inuenis,& ad te reuocas, cùm bonis cogitationibus occupare contendis. Sapientiã concupiſcis,ſed bona cogitatióne ſapientiã concupitam acquires. Nam illa à cogitatione bonorum incipit;& ex illa ad profundã conſiderationem procedit, & in actione bona finem habet.

Peccata vitãtur.

Fructus deinde huius cogitationis eſt plurima peccata vitare. Nam quare, rogo, ſæpe obſcœna & impura, aut certè inania & ſuperflua cogitamus; niſi quia bonis cogitationibus mentem ſaginare negligimus? Et cùm initium alicuius peccati ſit prima eius conceptio, & cogitatio; quis dubitet eum, qui per bonas cogitationes malis obſiſtit, à peccatis, quæ niſi cogitarentur, non perpetrarentur,efficaciter abſtinere. Auferte malum cogitationum veſtrarũ ab oculis meis,inquit Iſaias,quieſcite agere peruersè.] Quia videlicet, qui bonis cogitationibus malas aufert, facilè à peccato quieſcit. E contra verò,qui attonitis oculis cogitat praua,vt inquit Salomon, mordens labia ſua perficit malum.] Hæc namque ſigna externa, oculorum occluſio, aut quaſi ſuſpenſio, & labiorum morſus attentam indicant cogitationem,quam,qui circa iniqua conceperit, non niſi iniquæ actionis prolem parturiet.Eſto autem,quòd cogitatio mala ad opus non prodeat,ſed in corde ſe cõtineat,ipſa profectò peccatum eſt. Vnde bonis cogitationibus inhæreat oportet, qui voluerit peccata vitare. Ideóque viri perfecti,vt ſcripſit Richardus,vanas & inutiles cogitationes non leuiter abominantur,propter illud, quod ſcriptũ inuenitur:Vę,qui cogitatis inutile.Et illud: Spiritus ſanctus diſciplinæ effugiet fictũ, & auferet ſe à cogitationibus,quæ sũt ſine intellectu.

Isaiæ 1. 16.

Prou. 16. 30.

Richard. Beniamin minor c.20.

Ea Chriſto ſubiicimur. Pſal.71. 8.

Fructus etiam cogitationis eſt, Chriſto Domino mentem ſubiicere, & eam ipſius regnum exhibere. Regnat ille, vt eſt in Pſalmo,à mari vſque ad mare; & à flumine vſque ad terminos orbis terrarũ.] Qui eiiciens à regno ſuo mare orientale,pellit cogitationes apertæ malitiæ. Et excludens mare occidentale deſerit cogitationes obſcuræ ignorantiæ. Fluuium item extrà relinquens reiicit cogitationes fluxæ voluptatis.Et pertingẽs vſque ad terminos orbis terrarum, & illos refutans, deteſtatur cogitationes vanitatis. Intra hos terminos regnat ipſe Dominus in cogitationibus ſanctis: nam Dominus virtutem populo ſuo dabit:Dominus benedicet populo ſuo in pace.] Regnat in cogitationibus eruditis.Nam ego ſapientia habito in conſilio,& eruditis interſum cogitationibus.]Regnat in cogitationibus pudicis,& caſtis. Nam quæcumque pudica, quæcumque iuſta, quæcumque ſancta hæc cogitate, & Deus pacis erit vobiſcum.] Regnat tandem in cogitationibus vtilibus, cùm auferat ſe à cogitationibus,quæ ſunt ſine intellectu.] Et quidem certum eſt aut diabolum,aut Chriſtum in hominis corde regnare. Quia fortis armatus cuſtodit atrium ſuum,donec fortior illo ſuperueniat, & ſuperans eum illius ſpolia diripiat. Quomodo autem,diabolus regnabit in illo, in cuius corde primum veſtigium ſui regni,id eſt, prauam cogitationem non inuenit? Conſequens ergo eſt,vt qui bona cogitat, ſaltem ad regnum Chriſti ſe paret.

Pſal.28. 10. Dominus regnat in cogitationibus eruditis, & caſtis. Prouer.8. 12. Philipp. 4.8. Sapien.1. 5.

Bona cogitatio animum ad bonũ roborat.

Iudicum 16.19.

Greg.2. mor.c.27

Cant.4.

Fructus inſuper bonæ cogitationis eſt animum ad bonum roborare. Bona namque cogitatio deſiderium boni generat; deſiderium boni orationem feruidam ipſum bonum poſtulantem fundit:oratio autem vires & robur ad bene agẽdum impetrat. In huius ſignum dum Samſon capillos ex meretriculę blanditiis perdidit, ſtatim vires ad Philiſthæos debellandos amiſit.Nam quid moraliter per capillos, inquit Gregorius,niſi defluẽtes animi cogitationes accipimus?Vnde & aliàs Eccleſię dicitur:Sicut vitta coccinea labia tua,ſponſa;& eloquium tuũ dulce.Vitta quippe crines capitis aſtringit.Labia ergo ſponſæ ſicut vitta ſunt: quia exhortatione ſanctæ Eccleſiæ cunctæ in auditorum mẽtibus diffuſæ cogitationes ligantur,ne remiſſæ defluant;ne ſeſe per illicita ſpargãt;ne ſparſæ cordis oculos deprimant, ſed quaſi ad vnam ſe intentionem colligant, dum vitta eas ſanctæ prædicationis ligat.] Capilli itaq; huius fortiſſimi ducis ſanctas iuſti cogitationes ſignificant,quas ſi negligẽtia, aut diſtractio ad vana diffluens tamquam meretrix impura tõdeat, ſtatim inuicti animi robur enetuat. Hos capillos Dominus numeratos habet. Sed & capilli, inquit,capitis veſtri omnes numerati ſunt.]Meritóque numerantur,quoniam à capite noſtro,nempe à Chriſto progrediuntur:ſine cuius virtute non ſolùm nõ poſſumus bonũ facere, ſed neque boni aliquid cogitare. Meritò ſeptem eſſe dicuntur.Raſit,ait Scriptura de Dalila,ſeptem crines eius,& cœpit abigere eum,& à ſe repellere.] Omnis enim virtus, tũ theologica, tum moralis ſeptenario numero comprehenſa, ex ſuo crine,ex ſua ſcilicet propria cogitatione depẽdet;quam ſi abſtulerit,nullo modo virtutis vigor& actio poterit perdurare.Quomodo enim ſine cogitatione rerum fidei prouehetur fides?Aut ſine conſideratione agendorum augebitur prudentia? Et ſic ſi per ſingulas virtutes diſcurras,videbis nullam earum quoad actionem ſuam ſine propria cogitatione perſtare. Non ergo incongruè dicimus bonam cogitationem eſſe robur mentis, quia vniuerſæ virtutum actiones abſunt, ſi illæ deficiant.

Samſonis capilli sãctas cogitationes ſignant.

Luc.12. 7.

Iudic.16. 19.

Omnis virtus theologica, ſiue moralis ex ſua propria cogitatione dependet.

Cogitationis bonæ fructus vltimus eſt, ad meditationem præparare. Exemplo declaratur.

Fructus denique bonæ cogitationis eſt meditationi & cõſiderationi profundæ ac quietæ aditum aperire.Quod ſimilitudine apta cognoſces.Si enim quis in communi ſermone breues ſententias concinnè & ornatè proferre aſſueſcat,facilè poſtea lõgam concionem habet ad populum,quam concinnitas,& ornatus,& eloquentia non deſerat.Si verò breuem periodum appoſitè proferre neſciat, quomodo prolixam orationem verbis ac ſententiis ornatam edicet? Ita prorſus dum ad bonas cogitationes licèt breues, & quaſi extemporaneas aſſueſcimus, mirum in modum ad lõgas & quietas meditationes paramur. Quo pacto verò ad vnam, vel plures horas mentem in profunda rerum diuinarum conſideratione ſtabilies,ſi ad momentum aliquid boni cogitare neſcis?Dic tu mihi,ô iuſte,quid interdiu cogites; & ego dicam tibi quid poſitus in oratione conſideres. Nam ſi cor abſque vlla circumſpectione ad vana diffluit, & per ſæcularia & profana diſcurrit, mirabile erit non eiſdem diſtractionibus in meditatione pulſari. Dominus primum hominem poſt tranſgreſſionem alloquens, dixit illi: Adam vbi es?] Vt ſcilicet inſpiceret quò eum peccata traxerant,& à peccato per deteſtationem abſcederet,ad gratiámque inquirendam adfectuũ pedes reuocaret. Sic & ego te interrogo, cùm

Genes.3. 10.

ad Dominum deprecandum, & ad res diuinas meditandas abscõderis: O homo vbi es: O homo vbi es? Vt nimirum animaduertas quò te impulerint præteritæ cogitationes tuæ. Nam si illæ aut noxiæ, aut impuræ, aut inanes fuerunt: absque dubio te in oratione positum in multiplici impuritate, aut vanitate constituent. Si cupis ergo in atriis Domini commorari, id est, in sanctarum rerum meditatione, & pura adfectione quiescere, præsens cura non euagandi, & præterita sollicitudo rectè cogitandi concordent. Tunc verè dices: Lætatus sum in his, quæ dicta sunt mihi: In domum Domini ibimus.] Non ibo, sed ibimus, Ibit & desiderium, ibit & opus. Ibit & desiderium: quia cùm te ad orationem recipis, Deo adhærere, & ad eius domum mente ascendere cupis. Ibit autem & opus; quia bona cogitatio interdiu habita non te inuitum ad terram trahet; sed vt dux fidelis, aut magis vt famula præcedens te in cœlum adducet. Hunc ergo fructum sancta cogitatio profert, vt ad attentam ac feruentem meditationem animum paret. A quo argumento nunc supersedeamus, quia illud inferiùs ad aliud propositum vberiùs tractabimus.

Psal.121. 1.

Qui ad Dei domũ tam opere, quàm desiderio eamus.

Infrà lib. 2. part. 1. c... Ad fructus bonæ cogitationis recipiendos iuuabit, vt Deo attenti simus.

Sed quid nobis faciendum est, vt hos fructus cogitationis suauissimos colligamus? Duo ad nos pertinent. Alterum est, vt compressis sensibus externis, quantum hæc mortalitas patietur, & inanibus phantasiis ablegatis, attenti simus Deo, vt cogitationes ab eo immissas sciamus accipere. Ne sis, ô homo, velut alter Cain vagus, & profugus super terram. Ne velut alter Satan, cùm de loco vnde venis interrogaris, talis sis, vt dicas: Circuiui terram, & perambulaui eam: sed id vnum cura, vt Deo attendas, vt eius aduentum, & illustrationem, & consolationem haurias. Ioseph cùm exiret de terra Ægypti, linguam, quam non nouerat, audiuit. Sic cùm sæculum & sæcularia cogitatione relinquimus, & Deo attendimus, eius voce & consolatione dignamur. Gratum profectò erit hunc mysticum intellectum ex ore Richardi magni contemplatoris audire. Si Ægyptus, inquit, tenebræ interpretatur, quid aliud est Ægyptum deserere, quàm discussis ignorantiæ tenebris in lumine veritatis oculos intelligentiæ figere? Toties Ægyptum deserimus, quoties rerum temporalium obliti contemplationis radios in æternitate figimus. Sed qui Ægyptum deserit citiùs linguam, quam non nouerat, audiuit. Quia cùm diuinæ contemplationi, spretis exterioribus omnibus, vacamus, nunc ex angelica reuelatione, nunc ex diuina inspiratione cœlestis sapientiæ secreta percipimus. Lingua ignota, reuelatio est angelica. Lingua incognita, aspiratio diuina. Si linguis hominum (inquit Apostolus) loquar, & Angelorum. Quemadmodum igitur lingua hominum, ita & lingua Angelorum. Hanc vtique linguam audire non possunt, qui curis sæcularibus pressi, nil nisi tenebras aspiciunt. Mundi ergo tenebras deserat, qui cœlestis sapientiæ notitiam desiderat. Nam si ab exterioribus operibus per amorem & cogitationem recedimus, internæ aspirationis vocem citius audimus.] Sic ille. Hinc in hoc studio orationis inchoandum est, vt eius culmen capiamus. Nam ędificans Ierusalem Dominus dispersiones Israĕlis congregabit.] Priùs distentiones cordis expellit, & nos in vnam cogitationem, & in vnum desiderium cœlestium rerum cõgregat, & postea ciuitatem, quam ipse inhabitet, in nobis ædificat. Ipse est, qui sanat contritos corde, & alligat contritiones eorum.] An non cõtritio cordis cogitatio inanis, & leuis? An nõ cõtritus cor. de vanis cogitationibus assuetus? Sanet Dominus cõtritiones istas, nos sibi attẽtos, & corde subiectos faciat, vt mẽs nostra illustrationis ipsius capax fiat.

Psal.80. 6.

Richar. ad Psal. 80.

Psal.146. 2.

Psal.146. 3.

Alterum nobis faciendum est, vt cùm non visitamur à Domino speciali aliqua gratia, cogitationes pias, quibus occupemur, nobis sollicite comparemus. Has mysteria fidei offerunt; quæ videmus, quæ aliis sensibus haurimus, & quæ legimus subministrant. Sicut enim carnales homines omnia hæc in carnem, & animæ detrimentum, & in propriam damnationem conuertunt: ita spirituales viri, ac diuinæ familiaritatis auidi eadem nituntur ad spiritum, & ad salutem animæ, & ad meritum applicare. Quod Salomon docere non omisit: Cor sapiens quæret doctrinam; & os stultorum pascetur imperitia.] Illud in omnibus, quæ accidunt, quæque sibi obiiciuntur, aliquid boni cogitat, ex quo eruditionem capiat, ex quo proficiat. Istud ex eisdem imperitiam & damnum lucratur, dum in intimis eius multiplex mala cogitatio congeritur. Vtroque autem nomine cordis & oris mens signata est. Sed illa in sapiente est cor; quoniam interior est, & bonis cogitationibus, & desideriis cætera membra spiritualia calefacit ad habendam vitam. In stulto autem, & impuro homine est os; quoniam ad exteriora pron. est, & iniqua cogitatione, quasi gladio vocis, seipsam perimit, dum ei prauum consensum præbet. Compara itaque tibi, ô vir Dei, cogitationes istas, vt veræ sapiẽtię locuples fias. Nam & idem Salomon ait: Cor prudentis, illius scilicet, qui omnia in emolumentum spirituale conuertit, possidebit scientiam.] Et quomodo possidebit? Si faciat, quod sequitur: Et auris sapientium quærit doctrinam.] Audiat interiùs, quæ omnia tum prospera, tum aduersa docent, & nitatur ex omnibus proficere, sícque scientiam comparabit. Imitetur ipsum sapientem, de quo scriptum est: Quia quæsiuit verba vtilia;] seu (vt alia translatio habet) verba voluntatis; id est, cogitationes sanctas, quas subministrat virtutis adfectus: & sic cõscripsit sermones rectissimos, ac veritate plenos. Nam qui priùs bonas cogitationes nõ habet, nescíet proculdubio sermones rectos aut vóce, aut scripto proferre.

Sollicita item cura in huiusmodi cogitationibus cõparandis, est adhibenda.

Prou. 15. 14.

Mẽs quæ re in sapiẽte cor, in stulto verò os dicatur.

Prou. 18. 15.

Sapiens ex prosperis, & aduersis fructum capiat. Eccl. 12. 10.

Duo alia nos facere oportet, vt cogitationis bonæ fructus ad maturitatem & perfectionem adducamus. Horum primum sit, vt cogitationem bonam neque etiam pro alia bona statim abiiciamus; sed eam discretè protelare, & ad meditationem reuocare conemur. Quod, quia ad modum meditandi pertinet, postea explicabitur.

Bona cogitatio nõ statim abiicienda, sed ad meditationẽ reuocanda.

Secundum verò est, vt sanctis cogitationibus respondeamus, ita vt eas aliquis sequatur adfectus. Omnis enim bona cogitatio aliquem adfectum sibi respondentem requirit. Cogitatio mortis dolos huius fallacis vitæ detegat: cogitatio nostræ immortificationis humilitatem, ac nostri contemtum: cogitatio alicuius virtutis, eius desiderium: cogitatio diuinæ pulchritudinis, illius amorem infundat. Diximus bonas cogitationes verba esse Dei. Sed audi quid de huiusmodi verbis dicat Bernardus. Tu si vocem eius audis, non iam nescias vnde veniat, aut quò vadat: sciens quia à Deo exit, & ad cor vadit. Vide autem quomodo verbum, quod egreditur de ore Dei, non reuertatur ad eum vacuum, sed prosperetur, & faciat omnia, ad quæ misit illud; vt dicere possis & tu: Quia gratia Dei in me vacua non fuit.] Hi boni adfectus sanctis cogitationibus respondentes sunt reliquiæ cogitationum, quarum suprà meminimus, quæque Domino festum cantitare noscuntur. Augustinus cer-

Cogitationẽ bonam aliquis sequatur adfectus.

Bernard. ser. 32. in Cant.

Adfectus sãti reliquiæ sũt bonarum cogitationum.

Auguſt. ad Pſal. 75.

tè id palàm docet, ſic ſcribens:Ecce prima cogitatio confitens Sauli Apoſtoli, iam Pauli, qui primò Saulus fuit, quando audiuit vocem de cœlo, cùm perſequeretur Chriſtum,& fureret in Chriſtianos, & vellet vt vbicumque inuentos adduceret necandos; audiuit vocem de cœlo:Saule, Saule,quid me perſequeris?Et circumfulſus lumine, facta ſibi cœcitate in oculis,vt intus videret,emiſit primam cogitationem obedientiæ, cùm audiret : Ego ſum Ieſus Nazarenus,quem tu perſequeris:Domine ait, quid me iubes facere?Et hæc cogitatio confitentis, iam Dominum appellat, quem perſequebatur. Quomodo reliquiæ cogitationis ſolemnia celebrabant, in Paulo audiſtis, cùm ipſe Apoſtolus legeretur : Memor eſto Chriſtum Ieſum reſurrexiſſe à mortuis ex ſemine Dauid ſecundùm Euangelium meum.Quid eſt, memor eſto?Non deleatur de memoria tua cogitatio, qua primò confeſſus es : ſint reliquiæ cogitationis in memoria.] Et infrà : Peccauit Dauid ſanctus grauiter; miſſus eſt Nathan Propheta ad illum,& corripuit illum, & confeſſus eſt,& dixit:Peccaui.Hæc fuit prima cogitatio confitentis. Cogitatio hominis confitebitur tibi. Quæ erant reliquiæ cogitationis? Quando ait : Et peccatum meum ante me eſt ſemper. Quæ fuit ergo prima cogitatio? Vt recederet à peccato.Et ſi iam receſſit à peccato, quomodo peccatum illius ante illum eſt ſemper? Siquidem illa cogitatio tranſiit, ſed reliquiæ cogitationis ſolemnia celebrant.] Sic ille. Reliquiæ itaque prioris cogitationis eſt recordatio prioris peccati dimiſſi, cum gratitudine; & memoria delicti, cum humilitate. Hæ recordationes gratæ, & humiles, quæ adfectus continent, Deo acceptiſſima feſta concelebrant. Cùm ergo pias ac ſanctas cogitationes habemus momentaneas,& non præuentas,tunc primo genere mentalis orationis occupamur,& iam viri ſpirituales fieri incipimus,& ad Dei familiaritatem diſponimur: ſi tamen ex hoc exiguo initio ad maioris orationis perfectionem, quæ in meditatione & contemplatione reperitur,venire curemus.

Cogitationes ſãcta momentaneæ, primum eſt genus orationis mẽtalis.

De Meditatione quid ſit.

CAPVT XI.

Meditationis dignitas.

MEDITATIONIS tractatio longior & ſublimior eſt, immo & omnibus viris ſpiritualibus penitus neceſſaria, ſine cuius ſtudio nomine ſunt virorum ſpiritualium indigni. Cogitatio quaſi initium eſt orationis mentalis; meditatio ſubſtantia, contemplatio perfectio. Illa prima cunctis etiam hominibus profanis datur,qui aliquando bene cogitare nouerunt: hæc poſtrema ordinariè viris perfectis ſeruatur: illa tamen media mentibus ſpiritualibus ad virtutum profectum feſtinantibus abundè conceditur. Nemo eſt,qui non ſtudio meditationis indigeat. Incipiens meditari debet, vt proficiat: proficiens,vt perfectus fiat: perfectus,ne ab adepta puritate excidat. Quin & plurimi ex his,quos homines ſpirituales vocamus,numquam hunc medium orationis mentalis gradum excedunt,& à contemplationis gratia multis ex cauſſis, quas infrà attingemus,arcentur. Immo & illi, quos Deus ad contemplationis ſublimitatem admittit,ſæpe ſubtracta contemplandi gratia debent ad ſtudium meditandi redire,& in eo, vt iterum ad contemplationem efferuntur, vel vt ſine profectu non maneant, diligenter inſudare. Cùm itaque meditatio ſit velut panis quottidianus,quo tum magni,tum puſilli indigemus, æquum profectò eſt, vt illũ abundantiùs miniſtremus,& inuentu facilem redire nitamur.

Omnes meditationis ſtudio indigent.

Eſt velut quottidianus panis.

Variè definitur.

Meditationis naturam eodem modo licèt diuerſis verbis,expoſuerunt quotquot de ea ex profeſſo tractarunt.Bernardus ſic illam definiuit:Meditatio eſt ſtudioſa mẽtis actio occultæ veritatis notitiam ductu propriæ rationis inueſtigans.] Richardus Victorinus ſic : Meditatio eſt prouidus animæ obtutus in veritatis inquiſitione vehementer occupatus.] Et rurſus ſic: Meditatio eſt ſtudioſa mentis intentio circa aliquid inueſtigandum vehementer inſiſtens.] Hugo de ſancto Victore,ſic : Meditatio eſt frequens cogitatio modum,& cauſſam,& rationem vniuſcuiuſque rei inueſtigans. Modum, quid ſit: cauſſam,quare ſit : rationem,quomodo ſit.] Et iterum alio loco:Meditatio eſt aſſidua ac ſagax retractatio cogitationis, aliquid vel inuolutum explicare nitens, vel ſcrutans penetrare occultum. Laurentius Iuſtinianus eam vberiùs ab effectu deſcribit.Meditatio,inquit, ab exterioribus cor amouet,& ad ſe redire cõpellit.Hæc eſt diſciplina mentis,ſpiritualis pædagogus, orationis funiculus, incipientium eruditio, & intentionis mentis prouida gubernatrix. Præcurrit orationẽ ſpiritus,diſponit ad contemplationem, animæ munditiam operatur, miniſtrat deuotionem, in corde ſpiritualem lætitiam ebullire facit, atque ſapientiæ parat domicilium. Ex ipſius aſſiduitate ſtabilitur mens,cogitationes purgantur,ſolitudo ſapit,delectat Deus, ingenium acuitur, caſtificantur ſenſus, illuſtratur ratio,loquela reſtringitur, & animus ad alta ſuſpẽditur. Ipſa eſt ſpiritualis ianua orationis,per quam Verbum ab ingredientibus agnoſcitur, & puris muneribus honoratur.] Humbertus, vt ad definitiones redeamus,ſic eam definit: Eſt intenta ad inueſtigandum cogitatio;vel intentio animi inueſtigantis verum.] Gerſon verò in hunc modum:Meditatio eſt vehemens, & ſalubris animi applicatio ad aliquid inueſtigandum, vel experimentaliter cognoſcendum.] Cùm autem ab his Doctoribus, vel ab aliquibus eorum meditatio per cogitationem definitur, hoc nomen non pro altera ſpecie orationis,quam ſuprà definiuimus; ſed pro conſideratione generaliter accipitur. Vel certè,vt dicũt huius mundi ſapientes, quemadmodum ex motu lineæ extremitas reſultat : ita ex continuatione cogitationis meditatio conſurgit.Has verò doctorum definitiones attulimus, vt ex illis vnam fortaſſis notiorem, & omnium captui accommodatiorem efficiamus. Aliquid enim ex tot verbis detrahendum, aliquid etiam adiiciendum eſt,vt meditationis, quæ ſpecies orationis mentalis ſit, apta definitio conſurgat.

Bernar. in ſcala clauſ. à principio. Richar. 1. de contẽp. c. 4.

Hugo lib. de meditando. à principio.

Serm. 72.

Iuſtinia. lib. de caſto cõnubio. c. 22.

Humb. lib. 6. de eruditione relig. p. 4. c. 24. Gerſon. lib. de meditatione cordis. c. 4.

Meditationis definitio traditur, & explicatur.

Eſt igitur meditatio attenta ac ſolicita mentis conſideratio,ſeu ſpeculatio,cunctanter procedens, & rei cuiuſque naturam, proprietates, & actiones vtiliter inquirens:vt ſcilicet Deo cultum exhibeat, adfectus moueat,orationes puras feruentéſque depromat,& vitæ noſtrę emendationem,ac ſalubrem mutationem adferat. Hæc omnia exponenda ſunt, vt meditationis tum natura, tum dignitas manifeſtiùs appareat. Dicitur inprimis opus mentis:mens autẽ hoc loco ſumitur pro intellectu:nam meditatio ſecundùm ſubſtantiã ſuam opus eſt intellectus. Non quidẽ illius quatenus rerum tantùm naturas ſpeculatur, vt ſciat, qua ratione ſpeculatiuus dicitur; ſed illius,quatenus aliquid ſcrutatur, vt faciat, & de rebus agẽdis deliberat; ſícque practicus nuncupatur

Cur mẽtis opus dicatur.

Illius præcipuus ſcopus vitæ emẽdatio.

cupatur. Non conſideramus malitiam peccati, vt eam ſciamus; ſed vt illam deteſtemur: non vitam, & paſſionem Chriſti Saluatoris, vt eam cognoſcamus; ſed vt imitemur: non Dei bonitatem, vt eam perſcrutemur; ſed vt eam diligamus. Oportet enim vt inſonet in cordibus noſtris, quando ad meditandum abſcondimur, vox illa Domini ad Moyſem: Inſpice, & fac ſecundùm exemplar, quod tibi in monte monſtratum eſt.] Nam ad hoc inſpicimus, ad hoc conſideramus, vt vitam & mores emendemus. Et quemadmodùm artifex contemplatur domum, & eius partes attentè conſiderat, vt aliam ſimilem extruat: ita & nos bonum meditamur, vt ſimile aliquid operemur. Ille etiam, qui eſt carceri mancipatus, ſollicitè inſpicit valuas, & ſeras, & repagula carceris; non vt ea cognoſcat, ſed vt illa, oblata occaſione, confringat, & liber exeat: ſic & nos mala animæ noſtræ inſpicimus, vt ab illis odio, & oppoſitis actibus liberemur.

Exodi 25.40.

Meditatio ad diſcurſũ pertinet.

Non eſt autem meditatio quodcumque opus intellectus, ſed illud, quod ſit conſideratio, ſeu ſpeculatio. Eſt namque ſecundùm Dialecticos triplex operatio intellectus. Prima vocatur ſimplex apprehenſio, qua nimirum aliquid ſimplex, aut ac ſi eſſet ſimplex, cognoſcimus, vt cùm hominem, aut Angelum ea ſimplicitate cogitamus, ac ſi eum corporeis oculis cerneremus. Secunda vocatur compoſitio, qua vnum alteri adiungimus, & de eo affirmamus, vel negamus. Vt ſi quis intellectu cogitet, & iudicet (nam & hæc operatio etiam vocatur iudicium) virtus eſt amabilis: peccatum eſt odibile; Deus eſt ſummè bonus. Ecce adiungitur amabilitas virtuti, odium peccato, ſumma bonitas Deo. Tertia appellatur ratiocinatio, ſeu diſcurſus, qui ex pluribus compoſitionibus coaleſcit, & ex vna, vel ex duabus alia procedit. Vt ſi apud te in corde dicas: Deus bonus eſt; ſed bonum à me eſt amandum; ergo Deus eſt à me diligendus. Peccatum eſt odibile: debeo igitur illud deteſtari, & à receſſibus mei cordis excutere. Virtus eſt amabilis; quare ergo humilitatem, aut obedientiam, quæ virtutes ſunt, non amabo? Quare illas poſſidere in animum non inducam? Meditatio igitur ad hoc tertium opus pertinet. Eſt enim diſquiſitio quædam, qua ex vno nobis peruio, aut magis noto in cognitionem ad praxim ordinatam alterius abſconditi, aut minus noti deuenimus. Vt dum quis recogitat apud ſemetipſum: Chriſtus Filius Dei, ac Deus meus pro me crucis tormenta ſuſtinuit. Ecce magis notum, quod fide accepimus, & millies audiuimus. Ego igitur homuncio viliſſimus debeo pro illo patienter hanc moleſtiam, vel infamiam ſuſtinere. Ecce minus notum, quod ex illo primo concluſum eſt. Vocauimus autem eam conſiderationem, ſeu ſpeculationem, vt duo genera meditandi complecteremur. Aliquando enim rem meditamur per aliquid, quod ei ineſt, aut eam præcedit, aut ſequitur; & tunc conſideratio eſt. Vt, mundus eſt fallax, ſtultitia ergo eſt, ſi credamus ei. Omnia eius ſunt interitui obnoxia, & moleſtiis plena. Ergo contemnenda. Moleſtia, & interitus, & mille fraudes inſunt rebus mundi, & inde iudicamus eſſe deſpiciendas, ac pro nihilo reputandas. Aliquando verò rei momentum meditamur per aliquid, quod habeat ſimilitudinem, aut proportionem ad rem; & tunc ſpeculatio eſt. Vt peccatum eſt ſicut mors: nam quod mors in corpore, idem peccatum in anima operatur. Sed ad nomen mortis paueo, quare igitur ad memoriam peccati non contremiſco? Mortificatio eſt ſicut potio, quæ ſanitatem adfert, dum peſſimos humores euacuat. Et ob ſalutem corporis potionem etiam amariſſimam bibo: quare ob ſalutem animæ mei abnegationem non aſſumo. Mors, & potio amara ſimilitudines ſunt, ex quibus peccati malitiam, & abnegationis vtilitatem ſpeculamur, vt hanc amplectamur, illud verò deteſtemur. Multa verò ſunt in Scriptura, quæ recogitata hos duos meditandi modos efficiunt. Vnum tantùm, aut alterum exemplum adhibeo. Paulus ait: Sicut per vnum hominem peccatum in hunc mundum intrauit, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertranſiit, in quo omnes peccauerunt.] Si tu recogites primi hominis ingratitudinem, qua poſt tot beneficia nuper accepta legem tranſgreſſus eſt: ſi peccati eius damna mortem inferentis, & non ſolùm in illum, qui actu deliquit; ſed & in nos, qui in illo peccauimus, crudeliter graſſantis: & ex hac recogitatione ad dolorem præteritorum peccatorum, & ad timorem eorum, quæ in futurum admittere poteris, te moueas; & gratiam non peccandi enixè depoſcas, hæc conſideratio eſt. Ait ſponſus: Sicut lilium inter ſpinas, ſic amica mea inter filias.] Et ſponſa: Sicut malus inter ligna ſyluarum, ſic dilectus meus inter filios.] Si tu conſideres animam iuſtam eſſe inſtar lilij candidiſſimi, & odoratiſſimi; quod inter ſpinas, id eſt, inter peccatores vitam agit, & ab illis non laceratur, non pungitur, ſed magis ipſos ornat, tuetur, atque conuertit; taliſque eſſe cupias, & petas à Domino, vt ſcilicet perfectus factus inter malos ſecurè viuere poſſis, ſine tuo damno, & cum illorum emolumento. Si tu deinde recogites Chriſtum inſtar ligni pomiferi, quod vndique ligna ſterilia, id eſt, homines de ſe ſteriles bonorum operum, & infœcundi circumdant. Eſt ipſe lignum pomiferum, non hoc, aut illud tantùm, ſed omnia poma ferens, & omnem virtutem habens; quod & oculis gratiam tribuit, quia lux eſt, & odoratui ſuauitatem impertit, quia vnguentum eſt: & palato dulcedinem adfert, quia cibus eſt. Et ſi ex hac recogitatione amore flammeris, & amorem ſitias, & amorem petas, & amori te accommodare ſtatuas; iam hæc ſpeculatio eſt. Quia videlicet Chriſtum, & animam non in ſeipſis, ſed in malo, & lilio quaſi in quibuſdam ſpeculis conſideraſti.

Rom. 5. 12.

Cantic. 1. Ibid. v. 3.

Apprimè declaratur.

Eſt diſquiſitio, qua ex vno peruio ad cognitionẽ alterius minus noti peruenimus. Exemplo oſtenditur.

Meditatio per ſimilitudinem, eſt ſpeculatio. Exemplis declaratur.

Hæc autem conſideratio, vt meditationis naturam habeat, eſſe debet attenta, ſollicita, & cunctabunda. Attenta, vt ab his, quæ vtilitatis animæ gratia inquirimus, voluntariè ne diſtrahamur. Sollicita, vt diligenter, & ſtrenuè, quæ ad ea pertinent, inueſtigemus. Cunctabunda, vt non, ſicut in cogitatione, breuiter ex vno in aliud tranſeamus; ſed in myſterio, aut opere Dei, quod meditandum ſuſcipimus, quouſque nobis aliquantulum pateat, & adfectum accendat, immoremur. Meditatio eſt conſideratio attenta; quoniam ex cogitationibus noſtris, ſeu actionibus intellectus bene ordinatis componitur, quę nec debent partes vanitatis effici, nec profanarum admiſtione turbari. Vnde optimè ſanctus Ephrem ait: Quando coram Deo in oratione perſiſtis, caue ne pulchra tua vaſa, in quibus Deo miniſtras, hoc eſt, cogitationes tuæ, ab hoſtibus tuis rapiantur. Et quo pacto precor, vel in quo miniſtrabis Deo vniuerſorum, captis, id eſt, abreptis, & quaſi in captiuitatem abductis cogitationibus? Non enim indiget Deus, vt os, vel lingua oret. Cultus autem Deo placens hic eſt: vt cogitationes, & tota fortitudo, & vis animæ cum mente tota in Deũ abſque vlla diſtractione ferantur. Caue aurum

Quas cõditiones debet habere vera meditatio. Sit attenta. Sit ſollicita.

Ephrem, de vera renunciatione.

tuum

tuum ære vel plumbo miſceas;hoc eſt,animã tuam improbis atque immundis cogitationibus contamines.Quemadmodum enim virgo viro deſponſata ſi corrũpatur ab aliis execrabilis efficitur meritò:ita & anima ſordidis cogitationibus diſtracta,& pactis atque conditionibus obligata,abominabilis redditur cœleſti ſponſo ſuo Chriſto.] Sic ille. Meditatio eſt conſideratio ſollicita. Quia conatur veritatem abſconditam eruere, quod abſque ſollicitudine in inquirendo, & in inueſtigando ac perſcrutando non fit. Ideo Seraphim illa, quæ Deum circumſiſtebant, alata fuiſſe perhibentur. Sex alæ vni,ait,& ſex alæ alteri;] nam oportet meditantem non ſegniter ſe gerere, ſed velociter ac diligenter vniuerſa luſtrare. Diximus pedes mentis, quibus animus meditatione diſcurrit, eſſe intellectum, & voluntatem. Sed audi quid de his pedibus regius Propheta canat. Qui perfecit pedes meos quaſi ceruorum: & ſuper excelſa ſtatuens me.] Pedes meos veloces reddidit, agilitate donauit,vt in cœleſtia intellectu & adfectu vadam, & omnia abiecta tranſcendam. Ceruus, inquit Gregorius, cùm montium iuga conſcendit, quæque aſpicit, aſpera, quæque ſe obiiciunt ſentibus illigata dato ſaltu tranſgreditur, & abſque vllo curſus ſui obſtaculo in ſuperioribus eleuatur.Ita etiam electorum mentes, quæque ſibi in hoc mundo obſiſtere atque obuiare conſpiciunt,contemplationis ſaltu tranſcendunt,& more ceruorum,deſpectis terrenorum ſentibus, in ſuperna ſe euehunt.] Meditatio etiam eſt conſideratio cunctabunda. Hoc enim ſignificat ipſum verbũ,meditari, quod eſt cum vehementi & diuturna cura aliquid perſcrutari. Quod indicans Dauid ait: Et in lege eius meditabitur die, ac nocte.] Actio namque, quæ die ac nocte durat, non in tranſitu efficitur, ſed mens in ea per aliquod tempus immoratur. Et quanto magis in aliqua re perſcrutanda detinemur, tanto perfectiùs meditationi,ac vtiliùs inſiſtimus.

Iſaiæ 6. 2.

Pſal. 17. 34.

Greg.26. mor.c.10.

Sit meditatio cunctabũda.

Pſal.1.3.

Meditatio naturam, & proprietates rei,vt fructum capiat, indagat. 1.Cor.2. 10.

Meditatio tandem tum naturam,tum proprietates,tum actiones, ac quæque alia ad rem pertinentia diligenter inquirit, vt eam ſcilicet probè cognoſcat, & fructum ſtatim exponendum eliciat. Spiritus,vt inquit Paulus, omnia ſcrutatur, etiam profunda Dei.] An Spiritus ſanctus aliquid ignorat,vt illud debeat ſcrutari? Nullo modo.Sed ſicut orare dicitur,quia orare nos facit: ita ſcrutari dicitur quæque occulta, & abſcondita myſteriorum Dei,quia ea ſcrutari nos facit, vt eum laudibus extollamus. Nec timori ſit nobis, quod ſcriptum eſt: Qui ſcrutator eſt maieſtatis opprimetur à gloria.] Illi enim grauitate ac pondere rerum diuinarum oppreſſi ſunt, qui eas à ſua ſuperbia incitati vſque ad temeritatem inquirunt; non verò illi, qui ab ſpiritu Dei ducti humiliter inueſtigant. Immo hi alio loco pronunciantur beati, dicente Dauide: Beati qui ſcrutantur teſtimonia eius: in toto corde exquirunt eum.] Scrutantur illa, non vt de ſcientia ſibi data ſuperbiant; ſed vt ſcientiâ ad quærendum & diligendum Dominum gradum efficiant.Sed accipe exemplum ex Bernardo,quomodo omnia ad rem pertinentia in meditatione ſcrutanda ſunt. Ille ex his verbis:Beati mundo corde,quoniam ipſi Deum videbunt; ſic meditationem formar. Accendens ergo ſedula meditatio non remanet extrà, non hæret in ſuperficie, vlterius pedem figit. Interiora penetrat, ſingula rimatur, attentè conſiderat, quòd non dixit:Beati mundo corpore, ſed corde:quia non ſufficit manus habere innoxias à malo opere, niſi à prauis cogitationibus mundemur in mente, quod auctoritate Prophetæ confirmatur,dicentis: Quis aſcendet in montem Domini, aut quis ſtabit in loco ſancto eius? Innocens manibus, & mundo corde. Item conſiderat quantum hanc cordis munditiam optabat idem Propheta, qui orans dicebat: Cor mundum crea in me Deus. Item: ſi aſpexi iniquitatem in corde meo, non exaudiet Dominus. Cogitat quàm ſollicitus erat in hac cuſtodia beatus Iob, qui dicebat: Pepigi fœdus cum oculis meis,ne cogitarem quidem de virgine. Ecce quantum arctabat ſe vir ſanctus,qui claudebat oculos ſuos, ne videret vanitatem,ne fortè incautus reſpiceret,quod poſtea inuitus deſideraret. Poſtquam hæc, & huiuſmodi de cordis munditia pertractauit, incipit cogitare de eius præmio,quàm glorioſum & delectabile eſt videre faciem deſideratam Domini ſpecioſi forma præ filiis hominum, non eſſe iam abiectum, & vilem,non habentem ſpeciem, qua veſtiuit eum mater ſua Synagoga. Sed ſtola immortalitatis indutum,& coronatum diademate,quo coronauit eum Pater ſuus in die reſurrectionis, & gloriæ; die, quam fecit Dominus. Cogitat,quòd in illa viſione erit ſatietas illa, de qua dicit Propheta: Satiabor cùm apparuerit gloria tua. Videſne quantum liquoris emanauit ex minima vua? Quantus ignis ex hac ſcintilla ortus eſt? Quantum hæc modica maſſa:Beati mundo corde,quoniam ipſi Deum videbunt, in incude meditationis extenſa eſt?] Hactenus ille. Qui & alio loco meditationem comparat ſtellioni, de quo in Prouerbiis ait Salomon: Stellio manibus nititur, & moratur in ædibus regis.] Sicut enim ſtellio (quodcumque ſit animal, ſiue lacerta,ſiue aranea,ſiue ſimia,quod ad ſenſum non multum attinet) manibus nitendo,& totis viribus rependo,& ſummo conatu contendendo,tandem domum regis aſcendit,& in ea(ad quam etiam magnis hominibus non ſemper patet acceſſus) ſuam habitationem figit: ſic ſpiritus meditabundus cœleſtia inquirere & ſcrutari contendens,tandem veritatis notitiam aſſequitur, & in ſanctis adfectibus commoratur.

Prouerb. 25. 27.

Res diuinæ humiliter perſcrutandæ. Pſal.118. 2.

Bernard. in ſcala clauſtr.

Bernard. homil. in feria 2. Paſch. Prouerb. 30.28. Rependo, ſtellionis exemplo, cœleſtia meditemur.

Mox explicatio meditationis quattuor eius fines aſſignat.Sunt autem cultum Deo dare:pios adfectus excitare:orationes, ſeu poſtulationes depromere; & vitam noſtram perficere. Qui ita ſunt fines, vt non extrà maneant, ſed ſubſtantiam ipſam meditationis ingrediantur.Sicut enim anima eſt finis corporis,nam corpus eſt propter animam,& vt illi per modum apti inſtrumenti deſeruiat; tamen ex corpore & anima hominis ſubſtantia componitur:ita & conſideratio intellectus eſt propter adfectum,ac munditiam voluntatis. Vtraque autem ad ſubſtantiam Chriſtanæ meditationis ſpectat;cuius eſt non quidem veritatem nudè inquirere,ſed eam ad mundandum & perficiendum animum inueſtigare.Conſideratio ergo intellectus in meditatione aſſumitur vt quidam cultus Dei, vel vt ei cultum exhibeamus.Nam meditatio Chriſtiana eſt virtutis religionis actio, & orationis mentalis pars. Neutrum verò iſtorum haberet, niſi exhibere Deo cultum intenderet:cùm religio,& omnis eius actio ad cultum Deo exhibendum referatur.Dupliciter autem meditatio dat cultum Deo. Vel quia ipſa actibus fidei, quos exercet, & cognitionibus, quibus ſublimiter de Deo ſentit, eſt cultus & veneratio Dei. Vel quia omnis inquiſitio veritatis ad hoc dirigitur,vt Deum honoremus,ei obſequamur,& ardentiſſimo amore ei adhæreamus. Vnde Dauid ait: Meditatio cordis mei in conſpectu tuo ſemper.]

Meditationis fines quattuor. Primus eſt, Deo cultum tribuere.

Chriſtiana meditatio eſt virtutis religionis actio. Quikuſnam modis meditatio cultum Deo tribuat.

Pſal.18. 15.

Consideratio, inquam, intellectus mei, placita erit tibi. Quare verò grata erit apud Dominum, nisi quia illum sublimibus sensibus de ipso Deo, ac de diuinis rebus conceptis reueretur, & voluntatem ac vires omnes, ad timendum & honorandum Dominum exhortatur.

Secundus adfectus sanctos excitare.

Accipitur secundò meditatio, seu consideratio, vt sanctos adfectus excitemus. Voluntas quippe in rem aliquam non fertur, nisi priùs intelligatur. Consideramus igitur mala, vt peccata, & vilia, vt ea, quæ mundus diligit, non ob aliud, nisi vt ea detestemur, & despiciamus. Consideramus bona, vt virtutes Christi, beatæ Virginis, & Sanctorum, & perfectiones Dei, vt ad illas nos adfectu & opere conformare curemus. Magdalena Angelos vidit, in illis tamen non stetit, sed ad Christum quærendum, & pedes eius deosculandos transiuit. Sic pia meditatio veritatem aspicit, non vt in aspectu sistat, sed vt ad osculum & adfectum, scilicet voluntatis, pertranseat. Húncque esse meditationis fructum, & finem, sapiens Idiota hisce verbis edocuit: Si consideremus quanta sit illius patriæ fœlicitas, quantáque huius mundi miseria, quanta ciuium illorum bonitas & claritas; desiderabimus semper hinc discedere, vt illic habitemus. Hæc autem, & similia cùm meditamur, illud semper curare debemus, ne infructuosæ sint meditationes nostræ. Sed ex qualibet meditatione aliquam semper acquirere virtutem debemus, vt ex hoc videlicet de bonitate illius patriæ superioris debemus acquirere virtutem hanc, vt mortem non solùm fortiter feramus, & patienter, cùm venerit hora nostra, aut si pro fide Christi nobis obeunda sit.] Quin & Iob ad idem manifestè nos vocat, dicens: Ponam coram eo iudicium, & os meum replebo increpationibus. Disponam, inquit, & dirigam cogitationes meas eo ordine, quo solent acies ad pugnam præparari, vt meas culpas, & errata cognoscam. Hoc opus est intellectus. Ecquis scopus huius laboris? Os quidem increpationibus replere, id est, voluntatem ad odium delictorum inflammare. Coram Deo iudicium ponere, inquit Gregorius, est intra secretum mentis per fidei contemplationem ad tremendum examen maiestatis illius oculos nostræ considerationis aperire, quid peccator homo mereatur attendere, & occultus nunc, & tacitus iudex, quàm terribilis pòst appareat, considerare. Ex qua re agitur, vt ad cognitionem sui anima subtiliùs reuocetur, & quo occultum iudicem suum magis terribilem videt, eo de suis actibus formidolosiùs angustetur. Anxiè trepidat, culpas suas lamentis insequitur, pœnitendo increpat, qualem fuisse se meminit. Vnde nunc quoque postquam dictum est: Ponam coram eo iudicium; rectè subiungitur: Os meum replebo increpationibus. Qui enim sibi in conspectu Dei iudicium ponit, os suum increpationibus replet: quia dum subtile examen tremendi contra se iudicis contemplatur, amaræ se pœnitentiæ inuectione persequitur.] Hæc ille. Et verò cùm meditatio nostra non sit instituta vt scientes, sed vt boni efficiamur; & cùm bonitas, & vitæ puritas non in intellectu, sed in voluntate resideat; manifestum est meditationem non propter se assumi, sed ad adfectum ordinari.

Idiota ad Psal. 15. habetur 5. to. Bib.

Iob 23. 4.

Greg. 16. mor. c. 23. Coram Deo iudicium ponere, quid.

Tertius finis est, purissimas orationes fundere. Gen. 3. 6.

Assumitur tertiò meditatio, vt purissimas orationes, siue postulationes fundamus. Nam meditatione bona, ac mala cognouimus, & in quodam sensu vero, quem dolosus serpens non attigit, ea efficimur sicut dij scientes bonum & malum. Scimus etiam quia propriæ vires nostræ sufficientes non sunt, vt bonum, quod adfectu concupiuimus, assequamur; aut malum, quod detestati sumus, vitemus. Hinc prouenit vt postulatione oremus Dominum ad bonum prouehi, & à malo liberari. Bernardus certè ita censet meditationem ac postulationem esse connexas, vt asserat orationem sine meditatione esse tepidam, & meditationem sine oratione infructuosam. Illa sine meditatione est tepida; quia dum homo rei, quam petit, necessitatem ac vtilitatem ignorat, cùm eam ardenter non cupiat, non potest feruidè postulare. Hæc sine oratione est infructuosa, quia per se bonum assequi non valet, nec illum interpellat, à quo solo illud poterit obtinere. Docet autem ipse sanctus Pater circa prædictum verbum, quomodo oratio, seu postulatio ex meditatione nascatur. Videns, inquit, anima quòd ad desideratam cognitionis & experientiæ dulcedinem per se non possit attingere, & quanto magis ad cor altum accedit, tanto magis exaltatur Deus, humiliat se, & confugit ad orationem, dicens: Domine, qui non videris, nisi à mundis cordibus, inuestigaui legendo, meditando quæsiui quomodo haberi possit vera cordis munditia, vt ea mediante, vel ex modica parte possem te cognoscere. Quærebam vultum tuum, Domine, vultum tuum requirebam. Diu meditatus sum in corde meo; & in meditatione mea exarsit ignis, ac desiderium amplius cognoscendi te. Dum panem sacræ Scripturæ mihi frangis, in fractione panis magna cognitio est: & quanto plus te cognosco, plus te cognoscere desidero, non iam in cortice litteræ, sed in sensu experientiæ. Nec hoc peto, Domine, propter merita mea, sed pro tua misericordia. Fateor enim quia indigna & peccatrix sum; sed & catelli edunt de micis, quæ cadunt de mensa dominorum suorum. Da mihi, Domine, arrham hæreditatis futuræ, saltem guttam cœlestis pluuiæ, qua refrigerem sitim meam, quia amore ardeo.] Sic ille. In hunc ergo modum ex aliis meditationibus sunt colloquia petitionésque formandæ, vt nihil intellectus inueniat, quo per colloquium & petitionem congruam statim ad Deum non recurrat. Et sicut infantulus quodcumque sibi datur, vt pomum, aut gemma, statim ad matrem, vel nutricem adfert, & illi amicabiliter ostendit: ita spiritualis anima omnia, quæ per meditationem inuenit, Deo præsentat, & ex eo occasionem captat cum Deo interiùs colloquendi, & aliquid ab eo postulandi.

Bern. in scala, lógè post med.

Quare oratio sine meditatione tepida, & meditatio sine oratione infructuosa dicatur. Bernard. ibid.

In meditatione colloquia formanda.

Tandem quartò meditatione vtimur propter opus, quod extra ipsam meditationem exercendum est; nimirum propter vitæ emendationem. Æquum namque est, vt secundùm id, quod in meditatione intelleximus, & concupiuimus, & postulauimus, ita extra meditationem viuamus. Desiderauimus & petiuimus humilitatem; simus humiles. Petiuimus contemtum sæculi; simus sæculi contemtores: & sic in omnibus aliis secundùm dictamina, & propositа, & orationes in meditatione habita, nos geramus. Hunc esse præcipuum meditationis finem sanctus Pater noster IGNATIVS initio suorum exercitiorum spiritualium tradidit, quibus titulum istum adfixit: Exercitia spiritualia, per quæ homo dirigatur, vt vincere seipsum possit, & vitæ suæ rationem determinatione à noxiis adfectibus libera instituere. Idem docuit Olympiodorus ad finem suæ eruditæ commentationis in Ecclesiastem properans, cuius hæc sunt verba: Meditatio verò, quam intendimus circa diuinos libros, in qua nos versari die noctúque sanctus Dauid hortatur, cùm dicit: Et in lege eius meditabitur die ac nocte, non labor est

Quartus finis, vt vita emendetur.

Ignat. initio exercitior.

Olymp. Eccl. 13. ad finem.

carnis,

carnis,ſed exultatio ſpiritus. Quamuis enim in ſudore & lacrymis ſeminemus laborantes circa honeſtum; in exultatione tamen metemus inclytum virtutis fructum:bonorum ſiquidem laborum glorioſus eſt fructus. Ac tandem Bonauentura hunc eſſe finem orationis affirmat, Deo vniri, ac ad omnem perfectionẽ ſanctitatémque peruenire. Hæc eſt, inquit, hominis in hac vita ſublimior perfectio,ita vniri Deo,vt tota anima cum omnibus potentiis ſuis,& viribus in Deum collecta,vnus ſpiritus fiat cum eo, vt nil meminerit niſi Deum; nil ſentiat,vel intelligat niſi Deum, & omnes adfectus in amoris gaudio vniti in ſola conditoris fruitione ſuauiter quieſcant. Imago enim Dei in anima in his tribus potentiis expreſſa conſiſtit: videlicet in ratione, memoria, & voluntate. Et quamdiu iſtæ non ſunt ex toto Deo impreſſæ, non eſt anima Deiformis.Forma enim animæ Deus eſt; cui debet imprimi, ſicut ſigillo ſignatum. Hæc numquam plena eſt,niſi cùm ratio perfectè iuxta capacitatem ſuam illuminatur ad cognitionem Dei, qui eſt ſumma veritas; & voluntas perfectè adficitur ad amandum ſummam bonitatem: & memoria plenè abſorbetur ad intuendam,& fouendam,& tenendam ſummam fœlicitatem. Et quia in horum conſummata adeptione conſtat gloria beatitudinis, quæ perficietur in patria;liquet, quòd iſtorum perfecta inchoatio eſt perfectio viæ in hac vita. Quamuis autem omnes virtutum conatus ad hanc perfectionem tendere videantur;tamen ſpecialiter orationis ſtudium ad hoc nititur, vt anima toto adfectu,& intellectu,& memoria in Deum feratur; quia aliis poſtpoſitis, anima ſoli Deo inhærere deſiderat,cùm orat. Vnde orationis perfectio eſt,cùm anima illud obtinet,ad quod orando tendit,vt tota ab infimis abſtracta,ſolis iungatur,diuinis, nec volens, nec valens aliud ſentire, niſi Deum, vbi verè quieſcit anima, ibi delectatur in ſplendore lucis,& amœnitate diuinæ dulcedinis, & in ſecuritate pacis.] Hactenus ille. Iam liquet ex dictis quid ſit Chriſtiana meditatio, cui omnes viri ſpirituales tamquam præſtantiſſimo perfectionis inſtrumento vehementer incumbunt. In his verò,quæ ad exponendam eam, ſcripſimus, multa ſunt, quæ vberiorem declarationem deſiderant: atque adeò,Domino noſtris votis fauente, infrà ſic tractabimus, vt omnis, etiam à rudibus hominibus, ſcrupulus eximatur.

Bonau. 7.proceſſ. religi. c. 15.

Quando anima Deiformis dicatur.

Præcipua orationis cura, qua.

Meditationem eſſe difficilem, ac quibus eius difficultas ſuperetur.

CAPVT XII.

Difficultas in meditatione vnde oriatur. Iob 13. 25.

MEDITATIONI aliquam difficultatem ineſſe nullus eorum diffitebitur, qui ei aliquando ſtuduerint. Adeóque experimentum quottidianum hanc veritatem patefacit, vt non oporteat eam multis confirmare rationibus, ſed rationes & cauſſas huius difficultatis oſtendere, & viam ei occurrendi legentibus aperire. Difficultas hæc oritur ex inſtabilitate humani cordis, ſcientis ſe in modum rotæ ad omnem partem voluere, & vix potentis ad vnum aliquid ſaltem per breue tempus conſiderationem figere, & naturalem euagationem cohibere. Contra folium, quod vento rapitur, inquit Iob, ad Dominum loquens, oſtendis potentiam tuam; & ſtipulam ſiccam perſequeris.] Folij, & ſtipulæ nominibus hominem inſigniuit, vt incredibilem eius inſtabilitatem demonſtraret. Nam ſi folium modicus ventus rapit, & vilem ſtipulam vilior adhuc aura diſpergit:non eſt vel leuiſſimus paſſionis, aut adfectionis flatus, qui non cor humanum in multas ac varias cogitationes adducat. A qua infirmitate nec viri perfecti penitus eximuntur. Vt enim Caſſianus ait: Quis tantum ſpiritus vmquam potuit retinere feruorem, vt non interdum lubricis cogitationibus ab ipſa quoque orationis intentione tranſlatus repentè de cœleſtibus ad terrena corruerit? Quis noſtrûm, vt cætera peruagationum tempora prætermittam, non illo etiam momento, quo Deo ſupplicans ad ſublimia erigit mentem, quodam ſtupore collapſus etiam per id vel inuitus offendat, per quod ſperabat veniam delictorum? Quis, inquam, tam expergitus ac vigilans eſt, vt dum Pſalmum Deo canit, numquam à Scripturæ ſenſu eius animus abducatur? Quis tam familiaris Deo, támque coniunctus, qui Apoſtolicum illud imperium, quo ſine intermiſſione orare nos præcipit,vel vno die ſe gaudeat executum? Quæ licèt omnia nonnullis, qui ſunt craſſioribus vitiis inuoluti, leuia, atque à peccato pæne aliena videantur, ſcientibus tamen perfectionis bonum, etiam minimarum rerum multitudo grauiſſima eſt.] Si autem perfecti interdum hanc patiuntur cordis inſtabilitatem;quid nos imperfecti, & parum Deo coniuncti per amorem patiemur, qua non mentis euagatione lacerabimur? Habemus motus ſenſuum vehementiſſimos, nunc iſtos, nunc illos: habemus cogitationes rerum innumeras,& maximè fluidas; & inde operoſum admodum eſt intellectum in vno figere,& à vanis & ſuperfluis auellere.

Cassian. col. 23. c.7. Quanta ſit cordis noſtri inſtabilitas monſtratur.

Difficultas hæc prouenit etiam ex variis circumſtantiis, quibus impeditur bona cogitatio. Aug. lib. de vera religione, cap. 35. tom.1.

Oritur etiam hæc difficultas ex ipſo communi modo bene cogitandi. Quia aſſueti ſumus cogitare res cum tempore,& loco; cum his, vel illis circumſtantiis, & accidentibus. Sæpe autem neceſſarium eſt ad inquirendam meditatione veritatem, hæc omnia ſupergredi, & derelinquere, ac nudam rei naturam ab his omnibus intueri. Quare Auguſtinus de ſua quodam loco cogitatione veri cognitionem impediente conqueritur. Agite otium, inquit,& agnoſcetis quia ego ſum Dominus; non otium deſidiæ, ſed otium cogitationis, vt à locis, & temporibus vacetis. Hæc enim phantaſmata tumoris & volubilitatis,conſtantem veritatem videre non ſinunt.Loca offerunt quòd amémus,tempora ſurripiunt,quòd amamus, & relinquunt in anima turbas phantaſmatum, quibus in aliud & aliud cupiditas incitetur. Ita fit inquietus & ærumnoſus animus, fruſtrà tenere,à quibus tenetur, exoptans. Declarat hoc Gerſon fabulâ Orphei, per quem intelligit ſpiritualem virum, & Euridicis ſponſæ quam dicit eſſe intellectualem vim datam ad cognoſcenda ſuperna ex morſu ſerpentis ad corporalia & ſenſibilia cogitanda conuerſam. Hanc vir ſapiens vt ab infimis liberet per citharæ modulos, id eſt, per ſanctæ vitæ conuerſationem flumina inanium deſideriorum ſiſtit, & adfectus beſtiales manſuefacit, & ſyluas prauarum inclinationum, ſiue innatarum,ſiue acquiſitarum ad ſe trahit. Denique dulcedine citharæ ſuæ, & ſuauitate vocis ſuæ Furias,& Cerberum,& inferna dementat, vt poſſit vim intellectualem ab infimis abſtrahere, & ad ſuam requiem,ſcilicet ad ſpiritualia & diuina conuertere. Sed omittamus iſta inania, quo tempore vehementer cupimus malum fabularum,& nœnias Poëtarum è manibus religioſorum eripere, & à

Gerſon Theolog. myſt. ſpecul. conſider.23. Spiritalis vir cur Orpheus,intellectualis autẽ Vir, cur Euridice.

ſacris.

Vt veritas agnoscatur, sæpe sensibilium phantasmata relinquenda.

sacris concionibus eliminare. Id pro certo habeamus sæpe ad perfectam meditationem oportere rerum sensibilium phantasmata derelinquere, vt ad nudam veritatem agnoscendam assurgamus.

Damones maximè curant meditationem impedire.

Greg. 16. mor. c. 8.

Oritur tandem hæc difficultas ex impugnatione dæmonum; qui cùm bene nouerint meditationis necessitatem ad vitam emendandam,& ad omnem virtutem assequendam, & ad contemplationis ascensum,eam tum superfluis occupationibus, tum distractionibus, & euagatione animi; tum multimodis tentationibus impedire conantur. Copiosè Gregorius, vt assolet, hoc impedimentum tractat, ait enim sic: Quos magis alios hostes patimur, quàm malignos spiritus?Qui in nostris nos cogitationibus obsident, vt ciuitatem valeant nostræ mentis irrumpere, eámque sub sui iugo dominij captam tenere. Argenti autem nomine, sacra eloquia designari testatur Psalmista, qui ait: Eloquia Domini eloquia casta,argentum igne examinatum.

Psal.11.

Et sæpe cùm eloquiis sacris intendimus, malignorum spirituum insidias grauiùs toleramus; quia menti nostræ terrenarum cogitationum puluerem aspergunt,vt intentionis nostræ oculos à luce intimæ visionis obscurent. Quod nimirum Psalmista pertulerat,cùm dicebat:Declinate à me maligni, &

Psal.118.

scrutabor mandata Dei mei. Videlicet patenter insinuans, quia mandata Dei perscrutari non poterat, cùm malignorum spirituum insidias in mente

Gen.26.

tolerabat. Quod etiam in Isaac opere sub Allophylorum prauitate cognoscimus designari, qui puteos,quos Isaac foderat, terræ congerie replebant. Hos enim nos nimirum puteos fodimus, cùm in Scripturæ sacræ abditis sensibus alta penetramus. Quos tamen occultè replent Allophyli, quando nobis ad alta tendentibus, immundi spiritus terrenas cogitationes ingerunt,& quasi inuentam diuinæ scientiæ aquam tollunt.] Sic ille.Sed tu,ô vir Dei, pugna, & vinces:resiste, & inimicos tibi insidiantes prosternes; experierisque illud Iob: Erítque omnipotens contra hostes tuos, & argentum coaceruabitur tibi.] Nam Dominus pro te pugnabit,& turbam istam inanium cogitationum fugabit,& non solùm pacem restituet, sed & ex conflictu meritorum opes augebit.

Iob 22. 25.

Domino auxiliante debemus cooperari.

Vt autem hoc Domini auxilium accipiamus, oportet vt & nos illi cooperemur: cooperabimur autem, si hæc, quæ nunc subiiciemus, diligenter facimus. Necessitas inprimis meditationis attentè nobis consideranda est, vt ea penitius inspecta, ad sustinendum laborem aliquem,& difficultatem superandam alliciat. Meditatio nos quodammodo beatos facit; quia cùm in illa Deum ac diuina meditemur; intellectum adfectúmque nostrum illi coniungit. In hoc verò vtraque Philosophia Christiana & sæcularis fœlicitatem posuerunt; vt scilicet Deum cognoscamus, & cognitione possideamus:itémque,vt ei,quem cognouimus, castissimo amore copulemur. Meditatio efficacissimum est obtinendæ sanctitatis instrumentum; quoniam tota in hoc tendit,vt veterem hominem exuamus,& nouo, qui secundum Deum est creatus, ornemur. Id si diligenter & perseueranter exerceatur assequitur, vt peccata deponamus; vt sensus & adfectus moderemur, vt omnes virtutes acquiramus, & diabolo terrori simus. Numquid per sapientiam tuam plumescit accipiter, inquit Iob, expandens alas suas ad austrum?] Huius innouationis mysterium Gregorius edicat. Numquid, ait Dominus cuilibet electo,tu intelligentiam contulisti,vt flante sancto Spiritu cogitationum alas expandat,qua-

Meditatione quodammodo beamur.

Est efficacissimũ adipiscẽdæ sanctitatis instrumentum.

Iob 39. 26.

Greg. 31. mor. cap. 18.

tenus pondera vetustæ conuersationis abiiciat, & virtutum plumas in vsum noui volatus sumat?] Et paulo superiùs: Quid est accipitrem in austro plumescere, nisi quòd vnusquisque Sanctorum tactus flatu sancti Spiritus concalescit, & vsum vetustæ conuersationis abiiciens noui hominis formam sumit?] In meditatione ergo spirituales quidam accipitres reddimur, vt quicquid Deo displicet abiiciamus, & virtutum gloria tanquam recentium plumarum vestitu circumdemur. Meditatio denique robur attribuit,vt proximis adiumento simus.Ipsa enim dat voci ac prædicationi nostræ vocem virtutis,vt animas Deo subiiciat, & viam virtutis persuadeat. Nec sine aliquo mysterio Dominus postquam ter orauit,hostes suos, dicens: Ego sum; vna nimirum sola voce deiecit, & tactu manus auriculam Pontificis seruo restituit; vt videlicet vim orationis ac meditationis intelligeremus, cuius est peccatores non ad duritiam, sed ad conuersionem prosternere, & aures eorũ ad excipiendum Euangelium aperire. Bernardus sanè officium pastoris describens,ipsúmque in doctrina,& exemplo,& oratione constituens; huic tertio veluti efficacitatem aliis impertiens primas tribuit. Tu tamen si sapis, ait, iunges & tertium,studium videlicet orationis, ac complementum vtique trinæ illius repetitionis in Euãgelio de pascendis ouibus. In hoc noueris illius Trinitatis sacramentum in nullo frustratum à te,si pascas verbo, pascas exemplo,pascas & sanctarum fructu orationum.Manent itaque tria hæc,verbum,exemplum, oratio: maior autem his est oratio.Nam etsi vocis virtus sit opus, & operi tamen,& voci gratiam efficaciámque promeretur oratio.] Si ergo meditatio tanti momenti est,vt nos malis spoliet,bonis circumdet, ad fœlicitatis participationem prouehat, & proximis vtiles faciat; ita illi incumbendũ nobis est,vt quamcumque difficultatem illius superare nitamur.

Quid sit accipitrẽ plumescere.

Meditatio dat vires, vt proximos iuuemus.

Ioã.18.8. Oratio peccatores ad cõuersionẽ prosternit.

Bernard. epist.201. ad Bald.

Oratio maior quàm doctrina, & exemplum.

Deinde illud meditationis difficultatem lenit, si intelligamus perfectionem eius non in multitudine bonarum cogitationum, quæ meditanti occurrant; neque in subtilitate conceptuum; sed in sinceritate considerationis, & in excitatione adfectus esse constitutam.Itaque si ego in passione Domini, aut in perfectionibus Dei; aut in qualibet alia re, mira ac subtilia considerem, frigidus tamen,& indeuotus maneam, tu verò rem aliquam facillimã, omnibúsque peruiam mediteris,& ex ea ad deuotionem & amorem accendaris; in meditando me superasti, & sine vlla comparatione meliorem ac perfectiorem meditationem habuisti.Nam hæc res non ex subtilitate intelligendi pensanda est,sed ex synceritate cogitationis, quæ adfectum moueat, æstimanda. Hinc autem prouenit, quod non semel, sed plus quàm millies experti sumus, vt nos litterati,& subtilitatibus pleni,ab idiotis & illitteratis in dono meditandi vincamur. Quia nimirum licèt meditatio nostra subtilitate cogitationum emineat; tamen illorum consideratio synceritate, & humilitate, & sanctis adfectibus nostræ subtili inquisitioni (quæ si adfectum non moueat nihil prodest) & curiosis cogitationibus præstat. Vísne ante oculos tibi ponam formam meditationis perfectam? Audi igitur illam Ezechiæ verbis expressam. Sicut pullus, inquit, hirundinis, sic clamabo: meditabor vt columba.] Hirundo iam garrit, iam gemit,dum tempus veris expectat.Columba auicula munda, & simplex, & Spiritus sancti annunciatrix, dum intra pectus vocem edit, etiam temperiem annuntiat. Sic & ego in meditatione me ha-

In quo meditationis perfectio cõsistat.

Sæpe litterati ab illitteratis in meditatione vincuntur.

Isaiæ 38. 14.

beam.

Müditia, & simplicitate Spiritus sanctus vocandus.

beam.Mundus munda cogitabo, simplex simplicia & clara meditabor, vt spiritum Domini ad me vocem, & eius calore tepefactus ipsius laudes annunciem.Sic & tu simplicia,& tuo captui accommodata meditaberis,iisque adfectus sanctos excitabis,& ad perfectionem meditationis ascendes. Fatetur hoc Laurentius Iustinianus in hunc modum ad simplicem meditationem, & curiositatis vacuam adhortans: In ipsa autem oratione, qui profectum illius concupiscit, obtinere mentis curiositatem deuitet, quæ incerta & occulta diuinæ sapientiæ penetrare consueuit; meminerítque scriptum:Altiora te ne quæsieris,& sublimiora te ne scrutatus fueris; quoniam scrutator maiestatis opprimetur à gloria. Religet etiam altitudinem intellectus sub humilitatis iugo,& sola,quæ sibi cogitanda proposuit, gustare studeat. Non enim, quæ eleuent; sed quæ pascant,& accendant in oratione perquirenda sunt.] Sic ille. Diuersis hominibus varia quoque alimenta conueniunt; & est,qui lacte opus habeat, & qui solidioribus cibis indigeat. Et non minus sanitatis, aut virium habet rudis agricola panibus cibariis,& carnibus bouinis,quàm vir nobilis similâ,& altilibus,& delicatissimis alimentis corpus reficiens. Ita prorsus,qui communia,& simplicia meditatur,nó minus,immo sæpe magis proficit,quàm qui altiora considerat,si illa attentiùs,& humiliùs, & reuerentiùs recogitet, & sanctis adfectibus voluntatem vehementiùs inflammet. Ex quo elicitur meditationem omnium esse, non doctiorum tantùm,sed & ineruditorum,ac eorum,qui numquam litteras didicerũt; quia possunt captui suo accommodata meditari,& ex his vitæ emendationem, & pios voluntatis adfectus haurire.

Iustin. de discip. monast. c. 18.

Multoties, qui simplicia meditatur magis,quàm qui altiora cõsiderat, proficit. Omnibus meditatio cõuenit.

Præterea facilem reddit meditationem ipse vsus, ac consuetudo meditandi. Nam sicut scribæ, pictores,& citharistæ,& quamlibet aliã artem exercentes, cùm primùm se ad has artes applicuerunt, magnam difficultatem sentiebant, postmodum verò tantam facilitatem experiuntur, vt in vsu suæ artis non minimè delectentur:&,vt Bernardus ait: Subitò procedenti de vmbra ad solem,de otio ad laborem, graue cernitur omne, quod incipit: sed postquam ab his dissuescere,& ad illa paulisper assuescere cœperit,vsus tollit difficultatem, inuenítque facile esse,quod impossibile antè putauit.] Ita studium meditandi in initio sua difficultate non caret: at post nonnullum vsum, adiuuante industriam nostram gratia Dei, facillimum inuenitur. Quod, ô vir Dei, experimento comperies, si duo breuissima documenta in meditatione custodire nitaris, quæ Gerson rerum spiritualium peritissimus latè prosequitur. Alterum est; quòd meditatio non est opus imaginationis, sed intellectus:vnde non oportet in fingendis, aut cogitandis accidentibus particularibus multum laborare,& caput frangere, sed simplici corde veritatem apprehendere. Vt si puero in his vltimis regionibus habitanti,& patrem,quem numquam vidit,in Hispania habenti,dicatur:Tu patrem habes optimum & nobilissimum Toleti, à quo tibi hæ vestes, hi calcei, istæ gemmæ,& isti lapides pretiosi mittuntur: ille puer non multum cogitat qualis sit ille suus pater; an albus,an niger; an magnus,an pusillus:sed apprehenso patre,lætatur se talem patrem habere, & illum diligit, illíque benedicit.] Ita & tu (dum aliud tibi non datur) si Christi,verbi gratia, Natiuitatem mediteris,non multum in particularibus hæreas, sed hoc solum mente volue: Christus est Filius Dei, pro me infantulus factus est,ex quadam

Bernard. epist. 1.

Gers. de simplic. cordis à notula 11. vsque ad 17. Meditatio opus intellectus, non imaginationis.

A Virguncula in vili stabulo natus est, pannis pauperrimis obuolutus est. Hæc autem considerans Dominum tuum pro hoc beneficio lauda, illi gratias age, veniam tuorum peccatorum ab hoc infantulo Deo tuo postula; illum in humilitate ac rerum despicientia imitari desidera,& te sic facturum statue. Hæc si præstiteris, optimè te in meditatione gessisti,& nihil,quod alicuius momenti sit, à magnis meditatoribus omisisti.

Mens arida in meditatione.qui so geret. Bernard.

At interrogas; si anima tua meditatione ad adfectus & desideria se moueri non sentiat, quid faciet? Respondio Bernardi est, vt quanto potuerit conatu adfectus ac desideria petat: nam his petitionibus inflammabitur. Sic ille scribit:His,& huiusmodi ignitis eloquiis suum inflammat desiderium,sic ostendit suum adfectum. His incantationibus aduocat sponsum: Dominus autem, cuius oculi super iustos,& aures eius non solùm ad preces, sed ipsas preces eorum non expectat, donec sermonem finierint:sed medium orationis cursum interrumpens,festinus ingerit se,& animæ desideranti festinus occurrit,cœlestis rore dulcedinis circumfusus,vnguentis optimis delibutus animam fatigatam recreat, esurientem reficit, aridam impinguat,& facit eam terrenorum obliuisci, memoriâ sui eam mirabiliter fortificando,viuificando,& inebriando, ac sobriam reddendo.] Sic ille.

Philosophica meditatio in quo à Christiana differat.

Alterum documentum est,quod iam tetigimus; meditationem philosophicam in hoc à meditatione Christiana distingui; quòd illius finis est scire; istius verò vitam emendare. Ideo illa eo perfectior est,quo occultiora & subtiliora quærit,& inuenit,& magis intellectum scientiâ replet:hæc verò eo est sublimior,quo vehementiùs adfectum ad vitandum malum, & consectandum bonum mouet,quóque vitam nostram solidis ac veris virtutibus perficit. Hæc non tam est intellectus, quàm voluntatis; non tam inquisitionis, quàm adfectionis; non tam subtilitatis, quàm simplicitatis. In qua illud sapientiæ complemus:Sentite de Domino in bonitate; & in simplicitate cordis quærite illum.] Nam cùm sic piè & verè diuina meditamur, bene de Deo sentimus; & cùm adfectus nostros in illum dirigimus, in simplicitate eum quærimus. Cùm ergo hæc sint propria Christianæ meditationis,quæ orationis ponitur pars, non mirum si ab ea difficultatem tollamus, & rudium etiam hominum esse putemus.

Sap. 1. 1.

Facilis meditatio fiet, si illius materia præparetur.

Id demum ad expediendam meditationem, & submouendam eius difficultatem facit; si sciamus quid in vnoquoque mysterio fidei, aut in quaque re sit nobis meditandum, vt possimus sine impedimento ingredi, & egredi,& pascua tum considerationum, cùm adfectuum inuenire. Multi namque non iam ex defectu materiæ; quia de ea plurimi sunt libri conscripti, sed ex ignorantia materiam extendendi, solent ab studio meditandi retrahi ac retardari.Cui obstaculo vt viri spirituales obuiam irent,rationem inuenerunt,qua materiam quamlibet dilatarent. Congruítque illis dictum Ecclesiastici:In peritia sua inuenientes modos musicos, & narrantes carmina scripturarũ.] Nam circa quamque materiam,quam intellectus recogitandam suscipiat, viam ei aperuerunt, qua possit facilè coram Domino multa cœlestia considerationum carmina modulari. Et vnus sic, alius verò sic consueuit se ad deuotionem & virtutum profectum excitare. Congruítque hoc loco, quod Gregorius Nazianzenus scitè dixit:Vt in rebus humanis multa & diuersa sunt vitarum genera,& instituta; alia maiora,

Eccli. 44. 5.

Nazian. oratione de Gorgonia.

alia

alia minora, alia illuſtriora, alia obſcuriora: ſic in diuinis quoque non vna eſt ſalutis ratio, nec vna virtutis via, ſed plures, atque huius quoque peruulgati dicti, atque omnium dictis celebrati, nimirum multas apud Deũ manſiones eſſe, nulla alia cauſſa adferri poteſt, quàm quòd multæ ſint viæ eò ferentes: aliæ periculoſæ & inſignes: aliæ abiectæ & tutæ. An quemadmodum non idem cibus omnibus congruet, ſed alius alij?]

In re quauis quænam debeãt meditari.

Hoc autem documentum duo videtur poſtulare; alterum quid ſit in quaque materia meditandum; alterum quis modus ex parte intellectus noſtri ſit in meditatione tenendus. Et quidem circa rem, ad duo genera poſſunt reuocari omnia à nobis meditanda. Primum continet ea, quæ aliquomodo rei inſunt, aut illi cognata putantur. Secundum ea, quæ aliena ſunt, & quaſi aliunde petita; conferunt tamen, vt meliùs res intelligatur. In primo genere ſeptem inuenio. Primum, perſonas, quæ in aliquo myſterio, aut Dei opere interueniunt. Secundum, verba, quæ proferunt, aut ſermones, quos confabulando miſcent. Tertium, actiones, quas agunt; aut paſſiones, & mala, quæ tolerant. Quartum, proprietates, quas habent; & ornamenta virtutum, quibus fulgent. Quintum, cauſſas, à quibus myſteria, vel opera proficiſcuntur. Sextum, effectus, ſeu fructus, quos pariunt. Septimum, modum agendi, aut patiendi, aut loquendi, aut fructum faciendi, quem perſonæ cuſtodiunt. In ſecundo genere ſex ſunt. Primum, ſimilia, quæ cum re, quam meditamur, aliquam proportionem habent. Secundum, diſſimilia, quæ improportionem, aut oppoſitionem, aut repugnantiam continent. Tertium, ponderabilia, ex quibus quaſi in altera lance poſitis inueſtigamus an valeant hoc, quod mente voluimus, pondere ſuperare. Quartum, ſuperiora, quæ rei conſideratæ præſtant. Quintum, inferiora, quæ quaſi deorſum ſtant. Sextum, antecedentia, comitantia, & ſubſequentia, quæ vndique meditata circumeunt. Hæc omnia in rebus ipſis meditari poſſunt. Modus autem ex parte intellectus eſt triplex. Nam meditamur nobiſcum ratiocinando, & recogitando, aut cum Deo, & Sanctis loquendo, aut Deum & cœlites auſcultando. De his ergo omnibus nunc breuiſſimè, ſed dilucidè, ſubiunctis nonnullis exemplis agendum eſt, vt incipientibus viam ſpiritus, copioſam materiam meditandi in quocumque Dei opere miniſtremus, & viam conſiderationi facillimam, & multiplicem orantibus aperiamus.

Quis modus ex parte intellectus tenẽdus.

De conſideratione intellectus circa perſonas.

CAPVT XIII.

Quænam perſona in meditatione occurrere ſoleant.

IN quolibet myſterio fidei, aut in quouis alio opere, quod ad meditationem vocatur, primo loco perſonæ interuenientes meditandæ occurrunt. Hæ autem communiter ſunt Deus, ac Dominus noſter, Chriſtus Filius eius Saluator mundi, Virgo Deipara, Angeli, Apoſtoli, & alij Sancti: inſuper aliquando & dæmones, & nos ipſi. Omnes autem huiuſmodi perſonas, nunc has, nunc illas, debemus quantum capacitas noſtra tulerit, inſpicere, vt ſunt, & de illis rectè ſentire, vt ſanctos adfectus, & ſolidos virtutum fructus ex earum aſpectu & conſiderat ione capiamus.

A

Si occurrat conſiderandus Deus, concipiatur vt Trinitas, Pater, Filius, & Spiritus ſanctus. Vt Pater miſericordiarum, & Deus totius conſolationis, ex quo omnis paternitas in cœlis, & in terra nominatur. Vt ſummè Sapiens; cuius oculis omnia etiam intima cordis ſunt nuda, & aperta. Vt ſummè bonus; cuius eſt miſereri ſemper, & parcere, & bona ſua affluenter elargiri. Vt ſummè Potens; qui tribus digitis omnia ſuſtinet, & vniuerſa creata palmo includit. Vt ſingulorum prouidentiam habẽs, & mei ac omnium, quæ ad me attinent, ſpecialem prouidentiam gerens. Concipiatur tandem, vt vbique præſens, de quo quidam pulchrè dixit: Intra cuncta, extra cuncta, ſubter cuncta, ſuper cuncta. Super cuncta, neque elatus; ſubter cuncta, nec ſubſtractus: extra cuncta, neque excluſus: intra cuncta, nec incluſus. Super, totus præſidendo: ſubter, totus ſuſtinendo: extrà, totus complectendo: intrà, totus in complendo: extrà, nullo dilatatur: intrà, nullo coarctatur: ſubter, nullo fatigatur: ſuper, nullo ſuſtentatur.

Deus quo modo conſiderandus.

B

Si ſe offerat in meditatione Chriſtus, non concipiatur vt communis homo, &, vt inquit Leo Papa: Non illa tantùm ſpecies aſpectui mentis occurrat, quæ fuit in oculis impiorum; quibus per Moſem dictum eſt: Et erit pendens vita tua ante oculos tuos, & timebis die, ac nocte, & non credes vitæ tuæ. Iſti enim nihil, crucifixo Domino, præter facinus ſuum cogitare potuerunt, habentes timorem, non quo fides vera iuſtificatur, ſed quo conſcientia iniqua torquetur.] Sed concipiatur Deus verus, & homo Ieſus, vera ſcilicet ſalus, ac mundi Saluator. Inſpiciatur Chriſtus, ſacerdos nimirum, & Rex vniuerſorum Angelorum, & hominum. Recogitetur fons ſanctitatis, plenitudo poteſtatis, exemplar ac forma virtutis. Et, vt ait Bernardus: Siquidem cùm nomino Ieſum, hominem mihi propono mitem, & humilem corde, benignum, ſobriũ, caſtum, miſericordem, & omni denique honeſtate ac ſanctitate conſpicuũ, eumdémque ipſum Deum omnipotentem, qui ſuo me & exemplo ſanet, & roboret adiutorio. Hæc omnia ſimul mihi ſonant, cùm inſonuerit Ieſus. Sumo itaque mihi exempla de homine, & auxilium à potente; illa tamquam pigmentarias ſpecies, hoc tamquam vnde acuam eas, & facio confectionem, cui ſimilem medicorum nemo facere poſſit.] Talem decet cogitare Chriſtum Dominum, vt eius conſideratio nos moueat, & ad attentè conſiderandos eius ſermones, & imitandas actiones afficiat.

Leo ſer. 8. de Paſſione. Chriſtus Dominus quo pacto conſiderandus.

Bernard. ſerm. 15. in Cant.

C

D

Si in meditatione aliquid ſit de beata Virgine cogitandum, concipiatur illa quemadmodum verè eſt, vt totius orbis Domina, vt cœli Imperatrix, vt Regina Angelorum, & hominum. Concipiatur vt fœmina prudentiſſima atque ſanctiſſima, omnibus ornata virtutibus; omnibus donis & chariſmatibus decorata; in qua nec minimum eſt næuum imperfectionis inuenire. Concipiatur demum vt Virgo cunctarum virginum magiſtra, & anteſignana; & vt mater non alicuius principis terreni, non imperatoris, ſed ipſius ſummi Dei. Etátque ei proprium priuilegium, inquit Cyprianus, quod nulla mulierum nec antè, nec deinceps meruit obtinere; quòd erat ſimul mater, & Virgo ſingulis titulis inſignita. Vnde & matri plenitudo gratiæ debebatur, & Virgini abundantiór gloria, quæ carnis & mentis integritate inſignis, ſpirituali, & corporali, intus & extrà Chriſti præſentia fruebatur.] Sic concepta, ac cogitata Virgo nos ad reuerentiam & amorem alliciet.

Beata Virgo qui cogitanda.

Cyprian. de natiu. Chriſti.

E

Quónam modo Angeli.

Angeli inſpiciendi ſunt, vt ſpiritus puriſſimi, natura nobiliſſimi, gratia pulcherrimi, magnates curiæ cœleſtis, & familiares Dei. Vt illi, qui ſemper vident faciem Patris, qui in ſuperna patria triumphant; qui pro ſua benignitate, & eximia charitate noſtra curant. His nos Dominus protegit, horum fortiſſimorum principum auxilio nos malis eripit. Nam: Immittet Angelus Domini in circuitu timentium eum, & eripiet eos.] Ipſi enim immittunt ſe in circuitu noſtro, vt nos tueantur, vt pro nobis deprecentur; vt nos ad ſanctitatem exſuſcitent. De quibus hæc inter multa alia egregia ſcribit Richardus Victorinus: Quomodo putamus ſalutem noſtram diligant, & quantùm nos conſortes ſecum habere cupiant? Quis æſtimet quanta charitate & cura circa commiſſos ſibi vigilent? Quomodo torpentes excitent, & ſollicitos atque feruentes magis accendant? Quomodo hinc mala excuſent, inde bona Dominico conſpectui repræſentent; quomodo defendant, aut his gratiam obtineant? Cúmque animam magno deſiderio feruentem perſpexerint, & ad Deum pura intentione ſuſpirantem; quomodo putamus hanc diligant, eíque congaudeant, & ad illam diuertant? Quomodo inter illam & Deum diſcurrent? Siquidem amici ſponſi ſunt, auſcultant vocem eius, quam faciunt ſponſum audire.] Hæc, & ſimilia de Angelis cogitanda ſunt, vt paulatim cum illis familiaritatem ineamus, & ſocios illorum nos eſſe lætemur.

Pſal. 33. 8.

Richar. in Cant. c. 4.

Apoſtoli, reliquiq; Sancti quónam pacto cogitandi.

Apoſtoli cogitentur vt ſelecti, & extracti de mundo, vt Saluatori adhærerent, ipsúmque è vicino ſequerentur. Vt columnæ Eccleſiæ, & patres fidelium, ac exemplaria euangelicæ perfectionis. Vt ſal terræ, lux mundi; ciuitates ſupra montem poſitæ, vt ab omnibus videantur, & ſub illorum protectione quieſcant. Sancti alij concipiendi vt amici ſponſi; vt illi, quos Deus in hac vita ad ſanctitatem extulit, in futura in incogitabilis gloriæ poſſeſſione conſtituit. Vt illi, quos habemus patronos fideliſſimos, magiſtros viuendi ſapientiſſimos, protectores fortiſſimos. Vt illi, qui licèt abſentes ſint, tamen noſtras preces audiunt, nobis ex corde compatiuntur, & in quacumque neceſſitate ſubueniunt.

Dæmones, quomodo. Auguſt. 8. de Ciuit. c. 22.

Dæmones cogitandi ſunt, vt hoſtes infeſtiſſimi, quos audire inſania eſt, quibus obſecundare miſeria eſt. Sciendúmque eſt eos eſſe, vt ait Auguſtinus, ſpiritus nocendi cupidiſſimos, à iuſtitia penitus alienos, ſuperbia tumidos, inuidentia liuidos, fallacia callidos, qui in hoc quidem aëre habitant, quia de cœli ſuperioris ſublimitate deiecti, meritò irregreſſibilis tranſgreſſionis, in hoc ſibi congruo velut carcere prædamnati ſunt. Nec tamen quia ſupra terras & aquas aëreus locus eſt, ideo & ipſi ſunt meritis ſuperiores hominibus, qui eos non terreno corpore, ſed electo in auxilium vero Deo, pia mente facillimè ſuperant.]

Nos ipſos qui meditari debeamus. Ambroſ. 5. in Lucã ad c..

Nos ipſos cogitare debemus, ſi naturam quidem ſpectes, vt homines. Qui autem dicit hominem, dicit puteum calamitatum, abyſſum miſeriarum, theatrum ægritudinum, & dolorum. Arundines ſumus, inquit Ambroſius, nulla validioris naturæ radice fundati. Si leuis aſpirauerit proſperioris auræ ſucceſſus, vago motu proximos verberamus, inopes ad ſuffragandum, faciles ad nocendum. Arundines fluuios amant, & nos labentia mundi caduca delectant.] Si verò lapſum intuearis: quales ſumus, ô bone Deus? Peccatores, legis Dei tranſgreſſores, in ſceleſtiſſima flagitia procliues. Qui lucis huius vſura ſumus indigni, digniſſimi autem, qui æternis ignibus deputemur, & in gehennam detrudamur. Vt enim ait Petrus Chryſologus: Infructuoſa arbor intricat ceſpitem, necat ſpatia, exhaurit terræ vires, cultorem conficit damno, adficit tædio poſſidentem, ac ſi excidere iſtam lucrum eſt, eſt iſtam commodum non habere: ſic homo vtique, qui naturæ donum, munus animæ, rationis beneficium, excellentiam ſenſus, iudicium mentis, artis induſtriam, culturæ bonum per ſteriles atque inopes actus euertit, occupat, mergit; auctori fructum, cultori gratiam negat; ſicut arbor è terra, ſic iſte è vita meretur excídi.]

Chryſol. ſer. 106.

Hoc meditandi genus exemplis declaratur. Lucæ 1. 26.

Ex his poteris, ô homo, nullo negotio meditationem formare, & ex verbo breuiſſimo, quaſi ex puſillo ſemine ſegetem non paruam demetere. Subiiciamus exemplum. Intendis animo meditari illa verba: Miſſus eſt Angelus Gabriel à Deo in ciuitatem Galilææ ad Virginem deſponſatam viro, &c.] Cogita quanta ſit Dei maieſtas, quanta magnitudo, & fœlicitas. Mirare quòd ille tantus Deus dignatus ſit hominum perduellionum recordari, nullo lucro ſuo, nulla indigentia ſua; ſed vt eos à ſe alienatos ad priſtinam gratiam reuocaret, ad vitam traheret, ad ſalutem adduceret. Conſidera deinde quanta ſit nuncij nobilitas, qui meruit Gabriel appellari, id eſt, Fortitudo Dei, & ipſo nomine operis, ad quod nunciandum veniebat, quod ſummæ potentiæ fuit, qualitatem oſtendere. Et expende, quòd tales Deus nuncios eligit, ſanctos, fideles, ſtrenuos, qualis erat hic Angelus, quibus poſſit magna confidere; & tu talem eſſe concupiſce. Iterum verte oculos ad Virginem: vide qualem Deus in ſponſam, ac Filij vnigeniti Matrem aſſumſerit, Virginem ſcilicet ſanctam, immaculatam, verecundam, ſecreti amatricem, orationis cultricem, ac omnium virtutum ſectatricem. Cur ergo eam non imitabor, inquies? Cur illius veſtigiis non inhærebo? Cur ſilentium & orationem non amabo? Cur virtutibus, præſertim humilitati, ſtudere non curabo? Si Dei habitaculum electum (in quo ipſe quottidie, aut certè ſæpe ſpeciebus ſacramentalibus obuelatus commoratur) eſſe geſtio.

Accipe aliud exemplum. Vis meditari illa verba Matthæi: Ambulans Ieſus iuxta mare Galilææ, vidit duos fratres, & quæ ſequuntur. Sic ex perſonis, aut rebus (quæ ad perſonas referuntur) meditationem formabis. Cogita quiſnam eſt ille, qui ambulat; vbi ambulat; quos quærit, dum ambulat. Qui ambulat eſt Ieſus Chriſtus verus Dei Filius, homo pro me factus, qui venit in hunc mundum non ditari, ille, qui ſummè diues eſt: non honorari, ille, qui in ſinu Patris æternos honores habet: non delitiari, ille, qui Angelorum & hominum delectatio eſt. Ille ambulat, & non militibus conſtipatus, ſed ſolus ambulat, & homines quærens ambulat. Accedam ergo ad illum, genua flecto coram illo, & toto corpore & corde proſtratus adoro illum, figo oſcula ſanctis pedibus eius, lacrymis rigo. Poſtulo humillimè ab illo, vt me ouem perditam quærat, vt me in ſuam tutelam ſuſcipiat, vt in numerum ſuorum eligat, vt talem faciat, quòd merear eſſe ſuus. Cogito deinde, quòd iuxta mare ambulat. Quid mare? Nónne locus inquietudinis, domicilium tempeſtatum, habitaculum periculorum. Ibi reptilia, quorum non eſt numerus, animalia puſilla cum magnis.] Quid verò mihi mare ſignificat? An ſtatum tentationis,

Matth. 4. 18.

Pſal. 103. 25.

tationis, afflictionis, & sterilitatis? Sed iuxta hoc
Ps.144. 18. mare ambulat Dominus. Prope est enim omnibus
Ps.90.15. inuocantibus eum.] Et: Cum ipso sum in tribulatione.] Igitur non despero; licèt tentatum me videam, non diffido, sed ad ipsum accurro, & aquis pæne summersus ipsum inuoco, ad illum clamo, & voce ac gemitu cordis clamo cum illis, qui tempestate iactabantur: Domine, salua nos, perimus. Recogito demum, quos quærit, dum ambulat. Petrum, & Andræam homunciones, rudes, abiectos, piscatores, rebus terrenis adhærentes, nihil minus quàm Christi sequelam cogitantes. Hoc quærit, dum ambulat? Vt istos inueniat ille tantus ambulat? Et non ob aliquod suum lucrum, sed ob bonum illorum ambulat? O summam bonitatem! O ineffabilem dignationem! Licèt igitur, ô bone Iesu, ego vilissimus sim, & miserrimus, non tamen me despicis, sed me quæris, me in caulas gregis tui, & in numerum electorum tuorum adducere concupiscis. En ego etiam quæro te, Domine, en ad te venio, suscipe me, &c. Sic ex personis, quæ in mysterio occurrunt, est formanda meditatio, & fructus ex earum aspectu decerpendus.

De consideratione intellectus circa verba.

CAPVT XIV.

Quædam verba à nobis excogitantur, quædam verò non.

INTERDVM in meditatione arcanorum fidei verba occurrunt Dei, vel Christi Iesu, vel Deiparæ Virginis, vel Angelorum, Sanctorúmque, vel dæmonum, aut impiorum hominum, vel tandem nostra hinc inde prolata. Horum verborum quædam sunt à nobis meditantibus piè excogitata; quædam verè aliquando à dictis personis, vel aliqua earum dicta, & in sacris Scripturis contenta. Primi generis sunt, vt si tu mediteris, quid æternus Pater dixit Angelo Gabrieli, cùm eum ad beatam Virginem misit; quod non habemus expressum in sacris litteris. Secundi generis sunt, vt si consideres verba
Luca 1. 34. ipsius Virginis ad Angelum respondentis: Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?] Quæ verba in Scriptura habentur expressa.

Verba à nobis excogitata, qualia esse debèt. Illa priora ita meditanda sunt, vt deceant personam, quam loquentem meditamur. Si Deum loquentem consideres, verba plena suauitatis excogita. Nam de illis dixit Propheta: Quàm dulcia
Psal.118. 10.3. faucibus meis eloquia tua, super mel ori meo.]
Psal.11. 7. Verba sanctitate referta: Eloquia enim Domini, eloquia casta.] Verba efficacia, & quicquid significant efficientia: Numquid non verba mea sunt
Ierem. 23.29. quasi ignis, & quasi malleus conterens petram?] Si Christum Dominum loquentem mediteris; recogitabis verba modestissima, ad omnem virtutem excitantia; vitam & benedictionem afferentia.
Isaiæ 42. 2. Nam de illo scripsit Isaias: Iudicium gentibus proferet. Non clamabit, neque accipiet personam, nec audietur vox eius foris.] Et Petrus dixit ad
Ioan. 6. 69. eum: Domine, ad quem ibimus; verba vitæ æternæ habes.] Si beatam Virginem verba facientem cogites, sint similia illis paucissimis, quæ sacra Scriptura de illa narrat. Verba humilitatis, circumspectionis, charitatis, laudis diuinæ, quæ creaturam omnium sanctissimam, & planè Dei
Ambros. 2. de virginibus. genitricem redoleant. De qua Ambrosius: Corde erat humilis, verbis grauis, animo prudens, lo-

A quendi parcior, legendi studiosior. Nihil toruum in oculis, nihil in verbis procax, nihil in actu inuerecundum.] Idem in verbis Sanctorum, & Angelorum, & piorum hominum recogitabis, quòd scilicet verba illis attributa, minimè eorum dignitatem & puritatem dedeceant; & sint similia iis sermonibus, quos nouisti eos aliquando fuisse locutos. Verba dæmonum & impiorum cogitare debes, vt re vera sunt, superbiæ, & nequitiæ, & fraudis plena. Dicit Satan: In cœlum ascendam, *Isai.14. 13.* super astra Dei ex superbia exaltabo solium meum.] Et: Circuiui terram, vt quærerem animas, quas deuorarem, & perambulaui eam.] Et: *Iob 1. & 2.* Dixit insipiens in corde suo: Non est Deus.] Et: *Psal.13. 1.*
B Dixit iterum in corde suo: Non requiret.] Verba autem tua considerabis, quæ dixisti, aut quæ dicere potuisti, aut quæ æquum est vt in posterum proferas; & quomodo in loquendo te geras. *Psal. 9. 13.*

Verba in scriptura expressa quomodo meditanda. Verba verò posteriora, id est, in sacra Scriptura contenta, ita meditentur, vt dicta sunt, & in eo sensu historico, aut litterali, quo sunt à loquentibus prolata: inde verò ad sensum mysticum, præsertim tropologicum, & moralem trahantur, ex quo possimus animi eruditionem & adfectus decerpere, & vitæ emendationem capere. In his verò id necessariò repetendum est, vt meminerimus aliud esse Scripturam discere, & aliud Scripturam meditari. Qui enim discunt, possunt quidem, & debent multiplicitatem sensuum inuestigare, subtilitates exquirere, arcana linguæ sanC ctæ detegere, & regulis sanctorum Patrum eruendis insistere. At qui meditantur simplici quodam Scripturæ sensu debent esse contenti, quo adfectum excitent, & cognita Dei voluntate, se ad eius regulam normámque conforment. Et ideo simplices à meditatione verborum sacræ Scripturæ minimè sunt excluſi, qui in illis pastum suæ capacitati congruentem inuenient. Est enim liber *Apocal. 5.1.* scriptus intus, & foris: intus, pro litteratis, & doctis: foris, pro illitteratis, atque simplicibus. Est fluuius habens aquam vsque ad talos, quam *Ezech. 47.5.* pueri non exhorrescunt; & aquam ita profundam pro sapientibus, vt non possit transuadari. Habet denique lac pro infantibus, & solidum cibum pro
D perfectis. Vnde Augustinus: Modus dicendi, quo *August. epist.3. ad Volusia.* sancta Scriptura contexitur, quàm omnibus accessibilis, quamuis paucissimis penetrabilis, ea, quæ aperta continet, quasi amicus familiaris sine fuco ad cor loquitur indoctorum, atque doctorum. Ea verò, quæ in mysteriis occultat, nec ipsa eloquio superbo erigit, quo non audeat accedere mens tardiuscula, & inerudita quasi pauper ad diuitem, sed inuitat omnes humili sermone, &c.] Ita ergo Scripturæ verba meditanda sunt, vt à Deo ad nos dicta, qui vtique sciet vno eodémque verbo, & me idiotam docere, & te litteratum magis magísque erudire, & ad rerum altissimarum cognitionem promouere.

Ostenditur exemplo. E Iam aliquo exemplo dicta pandamus in illo eodem mysterio Incarnationis Dominicæ. Postquam enim, ô vir Dei, circa personas intellectus tuus negotiatus est, quia & Dei mittentis, & Gabrielis missi, & Virginis, ad quam est missus, qualitates consideraſti; nunc circa verba discurre. Expendéque seriò, quid homines tunc temporis in mundo viuentes, quid Deus, quid Angelus, quídque beata Virgo loquantur. Homines carnales, cæci, idolis seruientes, alienati à vita Dei; quid nisi terrena, impura, & flagitiosa loquerentur? Vt sicut in foro, ad quod magna plebeiorum multitudo

confluit,

confluit, quidam hic iurant, alij illic peierant, illi mentiuntur; alij contendunt, ac se conuitiis afficiunt, alij de proximis detrahunt, & famam ac bonum nomen eripiunt: ita & in toto mundo erant verba hominum iniquitatum plena, quæ possent Dominum ad magnam indignationem prouocare, & à quærendo remedio hominum ingratissimorum auertere. Istáque considerans quídni erubescas, cùm te similibus linguæ peccatis, quæ aliquando admisisti, inquinatum aspicias? Quídni verearis, ne cum impiis & flagitiosis deputeris? Quídni veniam & misericordiam postules, vt in numerum eorum, quibus proficuus fuit Christi aduentus, admittaris? Deinde meditare, quid diuinæ personæ sermocinentur, quomodo flagitiosorum hominum misericordia tanguntur; quomodo de remedio humani generis, eiúsque redemtione verba faciunt, & præstantissimum spirituum cœlestium in legatum eligunt; quomodo eum de tractandis negotiis cum Virgine erudiunt. Hìc autem mirum erit, si non Dei amore inflammeris, si non ad gratiarum actionem accendaris; si non desiderio seruiendi tali Domino tam benigno, & peccatorum condonatori mouearis. Postea meditare verba Angeli ad Virginem ingressi, dicentísque: Aue gratia plena, &c. & responsionem Virginis: Quomodo fiet istud; ac reliqua, quæ in illo cœlesti colloquio continentur, & ex illis animæ tuæ aliquem fructum decerpe. Audi nunc quo pacto Bernardus hoc mysterium meditabatur, & qua ratione misericordiam, & veritatem, & pacem, ac Filium Dei loquentem inducit. Eget, inquit, miseratione creatura rationalis, ait misericordia, quoniam misera facta est, & miserabilis valde. Venit tempus miserendi eius, quia iam præteriit tempus. E contra veritas: Oportet, inquit, impleri sermonem, quem loquutus es, Domine. Totus moriatur Adam necesse est, cum omnibus, qui in eo erant, qua die vetitum pomum in præuaricatione gustauit. Vt quid ergo, ait misericordia, vt quid me genuisti, Pater, citiùs perituram? Scit enim veritas ipsa, quoniam misericordia tua periit, & nulla est, si non aliquando miserearis. Similiter autem è contrario illa loquebatur: Quis enim nesciat, quòd si prædictam sibi præuaricator sententiam mortis euaserit, periit, nec permanebit iam in æternum veritas tua, Domine? Ecce verò vnus de Cherubim, id est, magni consilij Angelus ad regem Salomonem suggerit esse mittendas. Quoniam filio, inquit, datum est omne iudicium. Et in eius ergo conceptu misericordia & veritas obuiauerunt sibi, eadem, quæ suprà meminimus, verba querimoniæ repetentes. Fateor, ait veritas, zelum bonum misericordia habet, sed vtinam secundùm scientiam. Nunc autem quid præuaricatori potius, quàm sorori iudicat esse parcendum? At tu, inquit misericordia, neutri parcis; sed tanta indignatione sæuis in præuaricatorem, vt inuoluas pariter & sororem. Quid mali merui? Si quid habes aduersùm me dicito mihi. Sin autem, quid me persequeris?] Post multa verò, in quibus dixerat misericordiam & veritatem cœlum ac terram peragrasse, vt aliquem inuenirent, qui pro homine moreretur, subdit: Tunc verò seorsum pax consolans eas; Vos, inquit, nescitis quicquam, nec cogitatis. Non est, qui faciat bonum hoc, non est vsque ad vnum. Qui consilium dedit, ferat auxilium. Intellexit Rex quid loqueretur, & ait: Pœnitet me fecisse hominem. Pœna, inquit, me tenet, mihi incumbit sustinere pœnam,

Bern. ser. 1. de Annuncia.

A

B

C

D

E

pœnitentiam agere pro homine, quem creaui. Tunc ergo dixit: Ecce venio. Non enim potest hic calix transire, nisi bibam illum. Et accersito Gabriele; Vade, inquit, dic filiæ Sion: Ecce Rex tuus venit. Festinauit ille, & ait: Adorna thalamum tuum, Sion, & suscipe Regem.] Ecce formam meditationis, in qua verba considerantur, & magnus ex eis ad profectum animæ fructus colligitur.

Exẽplũ aliud ex Apost. lorum vocatione. Matth. 4.19. Christus ad quid nos vocet.

Aliud exemplum desumatur ex illo mysterio vocationis Apostolorum. Recogitasti namque iam personas Christi, & Apostolorum. Cogita nunc quid illis Saluator dixerit: Venite post me, faciam vos fieri piscatores hominum.] Quid est: Venite post me? Sequimini me, vt in meam scholam ac discipulatum asciscamini. Ad hoc igitur Christus me vocat, vt ipsum sequar, vt eius discipulus fiam; vt post ipsum vadam, nõ corporis gressu, sed mẽtis adfectu, sed operis exercitio, sed vitæ & conuersationis famulatu. Sed quomodo ipsum sequar, cuius gressus aquilis velociores, & hinnulí cursu agiliores super montem Bethel? Ipse mihi dabit virtutem, & fortitudinem, vt ipsum, vel à longè, sequar. Nam & de tempore eius scriptum est: Quia tunc saliet sicut cervus, claudus, & aperta erit lingua mutorum. Aperiam igitur os meum, & postulabo ab eo (siquidem ipse mihi linguam dissoluet) vt mihi auxilium concedat, quo illum cum Apostolis sequi valeam. Ipsi autem Apostoli quid dixerunt? Nihil ab eis dictum memoratur: sed opus eorum, quo statim secuti sunt Dominum, responsio fuit. Vt videlicet discamus vocationi Domini non tam verbis, quàm opere esse respondendum: & optimam responsionem esse obedientiam, qua id perficimus, ad quod vocamur. Si verò aliqua Apostolorum verba sunt consideranda, illa profectò sunt, quibus se ad omnia relinquenda, & Christum sequendum inuitarent. Insuper quòd conuersi ad Dominum dicerent: Ex iis, ô Domine, quæ de te audiuimus, & ex iis, quæ vidimus oculis nostris, adducimur ad credendum, quia tu es Messias, quem expectamus, & Saluator Israël, quem suspiramus. Et quandoquidem dignatus es nos ad te vocare, en te iam sequimur, tuíque discipuli, à quo viam salutis discamus, libenter efficimur. Ne verò aliquid nobis obsistat, patrem, cognatos, amicos, cymbam, retia, occupationes terrenas, & desideria habendi relinquimus, & tibi ex nunc in perpetuum adhæremus. Ex his autem quid ego addiscam nisi talia verba proferre, quæ alios ad Christum sequendum inuitent? Quid nisi similes sermones fundere, & meipsum ad Christum imitandum offerre? Ad hunc modum, vel alium similem, alia verba meditaberis, & ex illis fructum aliquem adfectus, & sancti propositi colligere curabis.

Domino nos vocanti opere magis quàm verbis respondẽdum.

De consideratione intellectus circa actiones.

CAPVT XV.

PERSONIS suprà dictis, quæ inter meditandum occurrunt, actiones, sicut & verba, respondent; ex quarum recogitatione maximus fructus ab orante suscipitur. Dei, ac Domini nostri actiones, aut operationes duplices sunt; quædam internæ, quædam verò externæ. Illæ priores (quibus vix nomen actionis competit) vel ad aliquam diuinam Personam pertinent, vt generatio Filij, quæ est

Quænam Dei actiones. Alia interna.

propria Patris; & ſpiratio Spiritus ſancti, quæ eſt propria Patris, & Filij, vt vnus ſunt ſpirator. Et hæ à Theologis proceſſiones, aut productiones vocantur, quibus vna Perſona ab alia procedit, & ſine vlla imperfectione, aut mutatione producitur. Vel ſunt communes omnium Perſonarum: vt cognitio, qua Deus omnia nouit; & amor, quo ſuam facturam diligit, & aliæ ſimiles. Hæ poſteriores, quæ toti etiam Trinitati conueniunt, & effectum habent externum, in creaturis ſunt; vt creatio, qua omnia ex nihilo fecit; gubernatio, qua rectè cuncta diſponit; productio gratiæ, & aliæ ſimiles, à quarum conſideratione hîc ſuperſedendum eſt; quoniam de illis infrà materiam aſſignantes meditationi, ſumus acturi.

Alia externa.

Lib. 3. part. 3.

In actionibus Chriſti Saluatoris noſtri præcipuè verſari debet noſtra meditatio, quoniam illæ omnes in hunc finem ab eo editæ ſunt, vt ex illis ſumamus vniuerſarum virtutum ac ſanctitatis exempla. Vnde Baſilius ait: Omnis actio, chariſſime, omnis item ſermo Saluatoris noſtri Ieſu Chriſti, excolendæ pietatis, virtutiſque obeundæ regula eſt. Propter hoc enim etiam humanam naturam ſuſcepit, vt in ſe velut in tabula quadam veram nobis pietatem ac virtutem depingeret, eámque omnibus nobis, maribus ſimul, ac fœminis ante oculos ſtatutam, vnicuique pro viribus imitandam, ceu archetypon proponeret. Neque enim alia de cauſſa ille corpus noſtrum gerit, niſi vt, quoad fieri poſſit, ad imitanda vitæ ipſius ſtudia nos conformemus. Quapropter tu quandocumque, vel factum ipſius audieris memorari, vel dictum; ea nolito negligenter, & tamquam aliud agens, audire: quin ſtudo potiùs vt mente tecum ipſe cogitando, rimandóque ad eorum profundum peruenias, eorúmque, quæ ibi opertè traduntur, particeps fieri contende.] Sic ille.

Actiones Chriſti præcipuè meditandæ, & quare. Baſilius Conſt. monaſt. c. 2.

Chriſti Domini actiones ſigillatim explicare non eſt noſtri inſtituti, cùm id non tam ad tradendam formam meditandi (quod nunc facimus) quàm ad materiam meditationis offerendam ſpectet. Contenti igitur erimus, ſi vniuerſas actiones Chriſti, cum Bonauentura, ad ſex genera reducamus. Illius verba ſunt: Refulgent autem à Chriſto tamquam à totius noſtræ ſalutis exemplari, & originali principio, actus multiformes. Nam quidam actus in ipſo reſpiciunt ſublimitatem potentiæ; vt ſuper aquas ſiccis pedibus ambulare, elementa conuertere, panes multiplicare, ſeipſum transfigurare, & cætera miracula facere. Quidam ſapientiæ lucem; vt arcana cœleſtia referre, ſecreta cordium ſcrutari, & futura prædicere. Quidam ſeueritatem iudicij; ſicut vendentes eiicere de templo, cathedras vendentium columbas euertere, & dura increpatione ferire Pontifices. Quidam officij dignitatem, vt ſacramentum conficere ſacratiſſimi corporis ſui, manus imponere, & relaxare peccata. Quidam condeſcenſionem miſeriæ; vt latere in perſecutione, trepidare, & contriſtari in morte, & pro amotione calicis Patrem rogare. Quidam informationem vitæ perfectæ; vt paupertatem ſeruare, virginitatem cuſtodire, Deo & hominibus ſeipſum ſubiicere, noctes in oratione peruigiles ducere, pro crucifixoribus exorare, & morti ſe ſumma charitate, etiam pro inimicis, offerre. Cùm igitur ſex ſint huiuſmodi actuum varietates; in his vltimis dumtaxat ipſum imitari eſt perfectum. Nam in his, quæ ſunt excellentiæ ſingularis, eſt impium, & luciferianum, niſi fuerit alicui priuilegij ſingularis dono conceſſum. In his autem, quæ ſunt ſeueritatis, & diuinitatis, eſt præſidentium, & prælatorum. In his, quæ condeſcenſionis, eſt infirmorum, in quantum loquimur ad actum extrinſecum.] Hactenus ille. Et licèt rigorosè loquendo hæc ita ſint; tamen in ordine ad meditationem pro his omnibus debemus illum diligere, & gratias agere, & multa illarum actionum poſſumus, quicumque ſimus, ſiue prælati, ſiue ſubiecti, myſticè imitari. Nam ſuper aquas ambulabimus, ſi tribulationes per patientiam proteramus: & nos transfigurabimus, ſi vitam veterem deponentes, ipſum Chriſtum induamus: & vendentes ac ementes eiiciemus, ſi inanes cogitationes, & vana deſideria nos diſtrahentia calcauerimus. Et ſic de aliis.

Chriſti actiones ad ſex genera reducũtur. Bonau. Apolog. paup. p. 2. art. 2.

Chriſti actiones quomodo imitãda.

Chriſti Domini actiones aliæ ſtudioſæ, aliæ laborioſæ.

Sed ad noſtrum propoſitum faciliùs cum Baſilio actiones Chriſti Domini noſtri diſtribuemus in ſtudioſas, & laborioſas. Studioſæ ſunt, quibus dedit documenta virtutum: vt humilitatis, cùm pedes diſcipulorum lauit: beneficentiæ, cùm eſurientes pauit: miſericordiæ, cùm peccata remiſit. Laborioſæ ſunt, quibus præbuit exempla tolerantiæ: vt cùm alapas, flagella, & crucem ſuſtinuit. In his omnibus multa conſideranda ſunt. Nimirum finis operis, qui fuit gloria Patris, & vtilitas noſtra. Subſtantia operis: nam erat opus inſignis humilitatis, perfectiſſimæ charitatis, ſummæ miſericordiæ. Modus operis; qua ſcilicet ratione omnes debitas circumſtantias tenuit, & nihil in feruore, in modeſtia, in loco, & tempore eligendo, & in perſeuerantia prætermiſit. Ac tandem quid intus agebat, cùm exteriùs aliquid actitabat. Quanta nempe charitate, quanta miſericordia, quanta lætitia pro nobis laborabat, & aduerſa tolerabat. Hæc omnia in qualibet actione meditanda ſunt, & ad imitationem & profectum noſtrum applicanda.

Quid in his actionibus meditandũ.

Eadem, proportione quadam, in actionibus beatæ Virginis, & Angelorum, & Sanctorum cogitanda ſunt. Cùm enim Chriſti Saluatoris noſtri ſolertiſſimi imitatores extiterint; par eſt, ea, quæ in Chriſti operibus elucent, in eorum actionibus meditari. At in actionibus dæmonum oppoſita omnino conſideranda ſunt. In illis namque eſt præpoſtera intentio, peruerſa voluntas, iniquus modus agendi, & in eo ſolo perſeuerant, vt faciant malum, vt nobis laqueos obtendant, & ſecum in barathrum damnationis præcipitent. Quin & in actionibus noſtris ſimilia recogitare par eſt. Nam in bonis, Chriſtum & Sanctos imitari geſtimus, cáſque inſpicere debemus quaſi nobis commodatas, &, vt verè ſunt, ex diuinæ gratiæ auxiliis elicitas, quod nos non ad ſuperbiam, ſed ad humilitatem ac gratiarum actionem incitabit. In malis verò dæmones ſequimur, vel certè eius nos deſiderio accommodamus, quod ad contemtum noſtri, & ad luctum impellet.

Idem in actionibus Sanctorũ cogitandũ.

Quid in dæmonũ actionibus.

Quid in noſtris.

Ponamus iam exemplum in propoſito myſterio Incarnationis. Poſtquam enim recogitaſti perſonas, quæ ad illud concurrunt, & verba, quæ loquuntur, conſidera quid faciant. Tota beata Trinitas hoc ſacrum arcanum eſt operata, & Chriſti corpus animámque produxit: ſed ad maiorem deuotionis excitationem tu ita munera ad Perſonas applica: Pater æternus, accepto conſenſu Virginis, breuiſſimo tempore, & citius, quàm in ictu oculi, ex puriſſimo Virginis ſanguine, ſeu ex materia apta corpuſculum humanum perfectiſſimum fecit, & omnibus membris neceſſariis partibúſque diſtinxit. Item in momento temporis animam ra-

Quomodo in Incarnationis myſterio actiones meditandæ.

tionalem creauit,& corpori vniuit,& hanc humanitatem non in subsistentia propria, sed in Persona Verbi diuini, ac Filij sui subsistere fecit, & infinita gratia,& aliis donis, quæ alibi referemus, dotauit. Inspice Patrem quanta celeritate & facilitate opus suum omnium præstantissimum atque pulcherrimum faciat; quanta charitate vestimentum humanitatis mundissimum,perfectissimum,ac omnis sanctitatis plenissimum Filio suo præparet: quanta misericordia, & benignitate, qui antea dedit omnia sua, nunc hominibus ingratissimis ac sceleſtissimis Filium suum in fratrem, & præceptorem, & pretium redemtionis donet. Verbum diuinum corpus illud; & animam vt pulchrum vestimentum sibi applicuit, vel potiùs illa in vnitate Personæ sibi assumsit, & se verum hominem fecit. Recogita quanta lætitia, quàm immenso amore hominum, vili hoc tentorio, & creato se subdidit; quanto feruore anima eius pro tantis ac talibus beneficiis gratias egit: quo dilectionis pondere cœpit amare miseros homines, in quorum gratiam ad tantam est dignitatem ac maiestatem euecta: qua voluntate se ad mortem obeundam, & tormenta sustinenda pro nobis obtulit, ac mandatum Patris de multiplici passione perferenda suscepit. Qua synceritate,& pleno corde dixit: Deus meus volui; & legem tuam in medio cordis mei.] Spiritus sanctus in Virginem venit,vt eam ad tanta mysteria sustinenda protegeret, foueret, & adiuuaret. Hoc enim significant illa verba: Spiritus sanctus superueniet in te,& virtus Altissimi (idem nimirum Spiritus diuinus, qui virtus Dei appellatur) obumbrabit tibi.] Considerabísque illum superuenientem in Virginem, vt eam, quæ gratia plena erat, superimpleat, vt Dei mater fiat, & obumbrantem & fouentem sanguinem eius, vt fœcunda facta Verbum diuinum concipiat. Deinde meditaberis,quid tunc fecerit Virgo beata; quales fuerint illustrationes intellectus eius, quæ fortè ad breue tempus diuinam essentiam clarè vidit: quales adfectus voluntatis eius, quæ Deum non iam vt famula, sed vt genitrix adamauit: qualis dulcedo lacrymarum oculorum eius, quæ ad tactum sponsi, & ad eloquium ipsius liquefacta corde est, & præ nouitate contremuit. Recogitabis etiam,quid Angeli fecerint: Discessit, inquit, Angelus ab ea, non solùm vt more fidelis legati ad eum, qui illum misit, responsa referret; sed vt Angelos alios ad celebrandas Verbi & humanitatis nuptias aduocaret. Illi certè in conclaui Virginis epithalamia cecinerunt, choreas duxerunt, & festa talibus nuptiis digna celebrarunt. Demum vertes oculos ad homines, & videbis quid faciant; quia nimirum horum mysteriorum sui causſa factorum ignari, in eadem nequitia & ingratitudine perseuerant. Hæc omnia ad hoc referenda sunt, vt ex silice cordis tui scintillas ardentissimorum adfectuum extrahas,& purissimas ac feruentissimas orationes fundas.De quo nihil modò dicendum, quia intellectum solùm ad discurrendum in meditatione erudimus, suo verò loco voluntatem ad formandos adfectus edocebimus.

Aliud exemplum sit in vocatione Apostolorum. Meditatus es personas interuenientes in hoc mysterio, Christum, & Apostolos. Meditatus es verba eorum; nunc considera ipsorum actiones. Quid Christus egit?Ille ipse, qui Apostolos exteriùs verbis vocauit, interiùs eos mouit, & ad obediendum adiuuit.Illuminauit intellectum illorum, vt vocantem agnoscerent; vt ipsum sequi honestum,ac sibi conueniens reputarent. Emolliuit voluntates eorũ, vt inspirationi & vocationi se subderent. Roborauit corda eorum, vt vniuersa contemnerent, ac sæculo nuncium remitterent. Quia numquam illi post Christum abiissent, nisi ipse Dominus opus hoc magnum auxiliis suæ gratiæ cœpisset.At Apostoli quid egerunt? At illi,inquit, continuò relictis retibus,& patre,sequuti sunt Dominum.] Reliquerunt habita, & omnium possibilium desideria. Abierunt non post concupiscentias suas, non post hoc sæculum, & promissiones eius, sed abierunt post Dominum. Non moras nectunt, non oculis videre volunt suæ profectionis stipendia.Sed statim, nullo spectato præmio, Christum sequuntur, tunc mortalem, tunc formam pauperis habentem. Quid igitur ego faciam? An repugnabo vocationi Domini me vocantis, quem certissimè credo verum Deum esse, quem immortalem & diuitem misericordiæ cognosco: qui palàm & perspicuis verbis mihi præmia æterna promisit, & verissimorum ostensione miraculorum, se vera polliceri nobis ostendit? Sic formanda est meditatio circa actiones, & fructus ex illa colligendus.

Matth. 4.20.

Psal.39. 9.

Luc. 1. 35.

Luc. 1. 38.

Infrà lib.4.

Quo pacto in Apostolorum vocatione.

De consideratione intellectus circa proprietates Personarum euangelicarum.

CAPVT XVI.

GENVS hoc meditandi per considerationem Personarum, & verborum, & actionem, quæ in diuinis mysteriis reperiuntur, B. IGNATIVS in libro illo pulcherrimo exercitiorum nobis tradidit; illúdque ad omnem historiam euangelicam applicari voluit. Quare in fine illius libelli omnem vitam,& passionem, & resurrectionem Domini Saluatoris per breuissima puncta distinxit, quorum quodlibet per has tres considerationes Personarum, verborum, & operum ita crescit, & extenditur; vt facillimè, & cum ingenti fructu ad multum temporis eius recogitatio protrahatur. Nunc aliud genus meditandi exponamus à nostro etiam Patre insigni profectò magistro spiritus traditum, quod circa proprietates Personarum euangelicarum versatur,& ad quasque res, corporeas præsertim, quæ ad meditationem adducuntur, facilè extenditur. Nunc proprietates Personarum vocamus, quas in personis sanctis, si eas præsentes haberemus, vel sensu externo aliquo, vel certè alio interno simili perciperemus. Huiusmodi sunt egregia forma Christi Iesu, & pulchritudo Virginis sanctissimæ; & grauis ac veneranda species Apostolorum,quæ ad visum pertinent. Dulcis,ac plena decoris,ac grauitatis vox Domini,& aliorum,quæ pertinent ad auditum. Suauitas, & optimus odor virtutum, quem percipit aliquis odoratus. Dulcedo & sapor inexplicabilis bonorum operum, & fructuum Christi ligni vitæ, quem sentit gustus. Vestimentorum Domini,& crucis, & locorum, in quibus mysteria operatus est,qualitates,quas attrectat tactus. Hoc ergo genus meditandi in consideratione,vel potiùs in quadam perceptione per sensus internos animæ harum proprietatum consistit, quod,quomodo fiat,exponendum est.

B. Ignat. Hebdoma.2.medit.2.

B. Ignat. insignis spiritus magister. Ibid. medit.5.

Proprietates personarum, quæ.

Sciamus ergo inprimis res etiam spirituales

Res spirituales pro-

prietates corporeis similes habent.

proprietates habere quodammodo similes corporalibus, vt pulchritudinem, harmoniam, suauitatem, dulcedinem, & amplexum purissimum, quibus possimus sine vlla distractione, aut fœditate delectari. Quod ex ipsis sanctis Scripturis nullo labore colligimus. Erat lux vera illuminans omnem hominem venientem in hunc mundum.] Specie tua, & pulchritudine tua intende, prosperè procede, & regna.] Pulchritudo agri mecum est.] Ecce aliquid pertinens ad spiritalem visum. Qui habet aures audiendi audiat, quid spiritus dicat Ecclesiis.] Vox Domini super aquas, Deus maiestatis intonuit.] Vox tua dulcis, & facies tua decora.] Ecce aliquid pertinens ad spiritalem auditum. In odorem vnguentorum tuorum curremus.] Christi bonus odor sumus, in omni loco, habentes phialas aureas plenas odoramentorum. Ecce aliquid pertinens ad spiritalem odoratum. Gustate, & videte, quoniam suauis est Dominus.] Et faciet Dominus in monte hoc conuiuium pinguium, conuiuium vindemiæ. Caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus.] Ecce aliquid pertinens ad spiritalem gustum. Ignis eorum non extinguetur.] Dextera illius amplexabitur me.] His omnibus velut ornamento vestieris.] Ecce aliquid pertinens ad spiritalem tactum.

Ioan.1.9.
Ps.44.4.
Ps.49.11.
Apoc. 2. 29.
Psal.28. 3.
Cant.2. 14.
Cant.1. 3.
Psal.33. 9.
Ioan. 6. 55.
Isai.66. 24.
Cant.2. 6.
Isaiæ 49. 18.

Proprietates hæ quonam sẽsu percipiãtur.

Has proprietates spirituales, & rerum spiritualium, vel absentium, nõ possumus nisi sensibus spiritualibus percipere, & sunt corporalibus similes, quos esse in anima & experientia virorum perfectorum compertum est, & Sancti docent. Augustinus sic ait: Quid autem amo, cùm te amo? Non speciem corporis, nec decus temporis, nec candorem lucis, ecce istis amicum oculis, non dulces melodias suauium cantilenarum omnimodarum; non florum, & vnguentorum, & aromatum suaueolentiam: non manna, & mella: non membra acceptabilia carnis amplexibus. Non hæc amo, cùm amo Deum meum; & tamen amo quamdam lucem, & quamdam vocem, & quemdam odorem, & quemdam cibum, & quemdam amplexum, cùm amo Deum meum, lucem, vocem, odorem, cibum, amplexum interioris hominis mei, vbi fulget animæ meæ, quod non capit locus; & vbi sonat, quod non rapit tempus: & vbi olet, quod non spargit flatus: & vbi sapit, quod non minuit edacitas: & vbi hæret, quod non diuellit satietas. Hoc est, quod amo, cùm Deum meum amo.] Bernardus verò sic: Sicut enim corpus habet suos quinque sensus, quibus animæ coniungitur, vita mediante: sic & anima suos quinque sensus habet, quibus Deo coniungitur, mediante charitate. Vnde dicit Apostolus: Nolite conformari huic sæculo, sed renouamini nouitate sensus vestri, vt probetis, quæ sit voluntas Dei bona, & beneplacens, & perfecta: hîc ostenditur quia per sensus corporis veteramur, & huic sæculo conformamur. Per sensum verò mentis renouamur in agnitionem Dei, in nouitatem vitæ, secundùm voluntatem, & beneplacitum Dei. Quinque enim sunt corporis sensus animales, vel corporales, quibus anima corpus suum sensificat, vt ab inferiori incipiam, tactus, gustus, odoratus, auditus, visus. Similiter quinque sunt sensus spirituales, quibus charitas viuificat animam: id est, amor carnalis parentum, amor socialis, amor naturalis, amor spiritualis, amor Dei. Per quinque sensus corporis, mediante vita, corpus animæ coniungitur. Per quinque sensus spirituales, mediante charitate, anima Deo consociatur.] Hæc illi. Vsus horum sensuum spiritualium magnam vim habet in oratione mentali, éstque efficacissimus ad deuotionem excitandam. Sunt tamen in nobis admodum impediti ex infectione primi peccati. Ex eo namque, vt ait Bonauentura, visus interior spiritualis tenebrescit, auditus surdescit, olfactus tabescit, gustus amarescit, & tactus crassescit. Ex duabus ergo caussis oritur ista sensuum interiorum obtusio. Altera est peccatum primi hominis, quod nos filios eius, ac vires nostras mille ægritudinibus impediuit. Vnde Bernardus: Saporem interiorem perdidimus ab ipso pæne exordio generis nostri. Vnde ex quo cordis palatum, sensu carnis prænalente, infecit virus serpentis antiqui, cœpit non sapere bonum, ac sapor noxius subintrat, & insipientia mulieris, id est, sensualitatis, saporem boni excludit.] Altera est negligentia nostra; quia non nitimur dispersiones cordis colligere, & nos ad interiora conuertere. Nam & in libro de spiritu & anima dicitur: Perdito bono, quod intus erat, egressa est anima ad bona aliena, quæ foris erant, & pactum fecit cum delectationibus sæculi requiescens in illis, non attendens homo boni sui interiùs absentiam, eo quòd consolationes suas cerneret in bonis alienis. Nam cùm exterior sensus carnis bono suo foris vtitur; interior sensus quasi obdormit.] Ista ibi. Vt ergo sensuum operatio interiorum acuatur, necesse est (vt postea dicemus) nos à peccato purgari, & sensuum interiorum dispersiones cohibere, quibus interior sensus ad diuina capienda mirabiliter aperitur.

Sẽsus interni in nobis hebetati, & quibus de caussis.
Bonau.6. itiner. æternit. dist.3.
Bern.ser. 85. in Cant.
Lib. de spiritu, & anima. c.3. tom. August.

Hoc itaque genus orationis in hoc positum est, vt post diuturnam considerationem personarum, verborum, & actionum in diuinis mysteriis occurrentium, sensus interiores in his tribus percipiendis exerceamus, & aliquem fructum sanctorum adfectuum reportemus. Consultò dixi, post diuturnam considerationem; quoniam hæc sensuum applicatio ad diuina, aut contemplatio propria est, aut saltem prope ad contemplationem accedit; quare præuiam meditationem requirit. Et non valebimus vtiliter videre, aut audire, nisi priùs seriò cogitemus quid, quámque magnum sit illud, quod sensu interno percipimus. Duplex est autem interiorum sensuum operatio circa diuina. Vna à Deo immissa, de qua postea agentes de contemplatione dicemus: altera per nostram industriam non sine diuina gratia quæsita; cùm scilicet quasi attendimus interiori sensu, & videre, aut audire conamur: & est hæc, quam nunc in opere de meditatione tractamus. Quæ quia ad illam priorem non assurgit, adhuc statum meditationis habet. Hanc igitur commodissimè intelligemus, si quid nobis in humanis & temporalibus inspiciendis eueniat, aduertamus. Quis enim non expertus est se aliquando amicum absentem sine discursibus, & cogitationum multiplicitate, ita intus videre, & audire, ac si præsens esset; & ab eius latere nõ discessisset? Idipsum in rebus diuinis cogitandis nobis post diuturnam considerationem enitendum est, vt quasi sepositio discursu, non tam ratiocinari circa diuina, quàm ea videre, & verba, quæ dicuntur, audire; & aliquid sublime, ac puritatem ingerens, & odorari, & gustare, & contrectare curemus. Istum cognoscendi, seu meditandi modum Bernardus ad perfectos viros spectare existimat. Quicquid, inquit, de tuis oculis scimus, ó Domine Iesu, aut Scriptura docente, aut

Sensuum functio præuiam exigit cogitationem.
Duplex interiorũ sensuum operatio.
In sẽsuũ operatione circa diuina, ratiocinatio seponi debet.
Bern.ser. in Cant.

Bern. de natura & dignit. diuini amoris. c.6

te reuelante,aut certè,quod perfectiſſimorum eſt, guſtando didicimus.] Et verè ita eſt. Tamen etiam minùs perfectis conceditur ad perfectiora conari, vt ſeipſos magis magíſque perficiant.

Exemplis patefit.

Hoc duobus exemplis, altero rerum corporearum,altero rerum ſpiritalium,apertius fiet.Primum igitur ſit in myſterio Natiuitatis Domini.Conſideraſti,verbi gratia,perſonas,verba,& opera,aut cauſſas, & effectus (de quibus poſtea) aut alia ſimilia, quæ in hoc opere interceſſerunt. Nunc ſepoſitis conſiderationibus his,ſimpliciori modo myſterium recogita. Primò oculis internis aſpice Verbum abbreuiatum,& ex hoc aſpectu fructum recollige. Et hæc,quæ ſubiicimus,voluentur in corde tuo.Video Deum meum factum infantulum:quare,niſi vt ego infans efficiar,non ætate,ſed ſynceritate?Cur malitiam,& temeraria iudicia non depono?Cur infantium puritatem habere non geſtio? Video pauperem,& nudum: & ego duplices veſtes, & ſuperflua poſſidebo? Video humilem;& ſuperbiam ac arrogantiam amabo? An non ſtabulum iſtud eſt,in quo ipſum manere;& præſepe iſtud,in quo illum iacere conſpicio? Quid erunt apud illum iſtæ cogitationes meæ, & quàm toruis oculis aſpiciet deſideria mea, ſi fortè ad primas ſedes aſpiro? Video Virginem genuflexam, inclinatam ad puerum diligentem & laudantem eum, & puriſſimis ac ſuauiſſimis lacrymis rigantem amabile os eius.Mancipium eius ſum;heram imitabor,& hunc puerum, ac Dominum meum amare,laudare, & adorare contendam.Et iſti qui ſunt?An non Angeli, qui in corporibus aſſumtis Deum comitantur, & mortales ad pacem inuitant? Non ergo decet ab hoc ſtabulo diſcedere,ſed cogitatione,& deſideriis, & vita tam ſancto loco digna illi iugiter adhærere. Et hi, nónne paſtores feſta celebrantes, & præ iubilo & exultatione choreas ducentes?Mirum quidem erit ſi in tanta lætitia ego corde non ſubſilio, & ex totis meis præcordiis ex tanto bono meo non exulto.

Secundò circa auditum. Aure interiori audiam gemitus infantis, quos non tam frigoris aſperitas tenerrimam carnem quatiens, quàm fœditas meorum peccatorum extorquet.Cur non plorabo peccata propria cum eo, qui ex charitate nimia deplorat aliena?Audio laudes ex ore Virginis,& nutritij, & Angelorum paſtorúmque depromtas. Et quid niſi humilitatem Domini,& miſerationes laudant? Si humilis ac miſericors in alios fuero, aliquid habebo, propter quod merear ab Angelis Sanctíſque laudari. Tertiò circa odoratum. Olfactu interiori ſentire, aut percipere ſuauitatem obedientiæ, & aliarum virtutum Chriſti Domini. Cui multo melius,quàm Iacob,competit: Ecce odor filij mei,ſicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus.] Et poſt hunc odorem currere, & illa, quæ mihi ſuauiter olent,imitari curabo.Quartò circa guſtum. Guſtate, & videte, ait Dauid, quàm ſuauis eſt Dominus.] Enitar guſtare quàm dulcis eſt puer Ieſus. Quàm dulcis eſt Patri, qui ex eius ſanctitate tantam voluptatẽ percipit. Quàm dulcis matri, quam in illo humili loco torrente voluptatis potauit. Quàm dulcis iuſtis, quos ad palmam vocat. Quàm dulcis peccatoribus,quos ad præmium inuitat. Verè ſtillant montes dulcedinem, & colles fluunt lac, & mel.Et ego ſi amaritudinem meorum vitiorum deſeram, etiam ex nato infante voluptatem percipiam. Quintò circa tactum. Oſculaberis terram illam,& paleas, & ſtramenta præſepij; deinde petita humiliter accedendi facultate, ad infantem recens natum accedes,& pedibus eius oſcula figes,vt peccatorum veniam conſequaris. Poſtea manus Regis benigniſſimi oſculaberis, & pro acceptis beneficiis gratias ages. Tandem forſitan audebis Dominum tuum puerum factum amplexari, & oſculum oris ex ardentiſſimo,quo æſtuas,amore,depoſcere.

Aliud exemplum accipe.Aliquam perfectionem diuinam,vt immenſam Dei bonitatem,ad meditationem adduxiſti, multáque de illa conſideraſti. Poſtea depoſita cogitationum turba ad Dominum ſimplici quodam aſpectu,& adfectibus amoris accurre. Aſpice illum intellectualibus oculis intra teipſum,vt bonũ, vel vt ipſam bonitatem ac fontem bonitatis. Imitaréque Moſem, de quo ſcribit Paulus; quia inuiſibilem [Deum] tamquam videns ſuſtinuit.] Attentus eſto,vt audias eum de ſua bonitate aliquid tibi loquentem,& quo modo ad eam te conformes inſpirantem. Quòd ſi nihil audias,tu loquere, & humillimè cum Samuele dicente:Loquere,Domine,quia audit ſeruus tuus,] affatum eius expoſce. Odoratum interiorem applica, vt ſuauitatem illius bonitatis percipias, quæ cœlum & terram replet, & fragrantia ſua Angelos & homines ad ſe trahit. Guſtum mentis exacue, vt dulcedine operum huius bonitatis delecteris; quia verè fructus eius dulcis gutturi tuo.Et demum amplexibus cordis,& brachiis amoris hũc Dominum tuum bonum & ſanctum adſtringe. Hæc eſt forma meditationis huius, quæ aliquando aſſumenda eſt, & ad eam interdum redeundum, & in repetitione perſeuerandum, donec Domino noſtris votis annuente,mens fructum optatum percipiat.

Hebr.11. 27.

1.Reg.3. 9.

De conſideratione intellectus circa cauſſas myſteriorum.

CAPVT XVII.

MEDITATIO cauſſarum,ex quibus diuina myſteria procedunt, non minimam confert ſpiritualibus mentibus vtilitatem.Immo tunc mens admiratione ſuſpenditur, & amore vritur, cùm Dei operum cauſſas & rationes ſcrutatur. Monet ad hoc Petrus Apoſtolus, dicens: Parati ſemper ad ſatisfactionem omni poſcenti vos rationem de ea,quæ in nobis eſt, ſpe.] Nec poterimus res fidei tutari, nec de rebus, quas ſperamus in futuro ſæculo, rationem reddere,niſi eas aliquando perſcrutemur. Hoc autem nõ ſolùm eſt eorum,qui aliis præſunt, ſed etiam quorumcumque fidelium, qui pro modulo ſuo debent ad hoc conari,vt res fidei probè intelligant, & aliquam de illis reddere rationem queant. Etenim abſurdum eſt, inquit Chryſoſtomus, quòd medicus,coriarius, textor, & omnes generatim opifices quiſque pro artis ſuæ profeſſione pugnet:Chriſtianus autem non poſſit vllam religionis ſuæ adferre rationem. Atqui illæ artes neglectæ ad pecuniam damnum referunt; huius autem contemtus animæ detrimentum adfert:& tamen tanta miſeria, tanta inſania laboramus, vt in illas omnem curam cogitationémque adhibeamus, neceſſaria autem, & ſalutis noſtræ munimenta firmiſſima, pro nihilo ducimus.] Sed licèt ex hac parte vtilitas inquirendi rationes diuinorum myſteriorum non nobis conueniret; illa tamen nos cogit, quòd his rationibus meditatis, in fide ſolidamur, & ad Dei laudes, & gratiarum actiones, & amoris adfectus permouemur. Nec exprobrabitur nobis,ſicut ſerpenti, qui

1.Pet.3. 15.

Chryſoſt. hom.17. in Ioan.

Gen.27. 27.

Pſal.33. 9.

Gen.3.1. ab Eua diuini præcepti rationem inquisiuit,dicēs: Cur præcepit vobis Deus,ne comederetis?] Quia aliud est ad decipiendum rationem quærere, aliud verò ex desiderio obedientiæ promtioris,& diuinæ laudis,rationes eorum,quæ credimus,inuestigare.

Meditatio igitur non solùm personas, verba, actiones, & proprietates; verùm & diuinorū operum causas humiliter inuestigat. Non tamen eodem modo in omnibus. Quidam enim exquisitè causas perscrutantur, vt alios doceant; alij vt semetipsos accendant. De illis inquit Richardus Victorinus; postquam res omnes, & earum causas, quæ in meditationem cadunt, mari comparauit: Rich. 2. de contemp.c.8. Multi sunt siquidem, qui conueniunt ad hoc mare magnum & spatiosum:sed alij ad transfretandum; alij ad piscandum. Ad transfretandum quidem illi, qui cupiunt transire de gente in gentem, & de regno ad populum alterum. Sed qui inter eos sunt piscatores hominum, veniunt sanè ad piscandum, laxantes retia sua in capturā; mittentes ergo nunc ad sinistram,nunc in dexteram nauigij rete ad Domini præceptum, includunt sæpe copiosam multitudinem piscium: vagos scilicet hominum sensus, adfectúsque lubricos concludentes, & extrahentes in siccum.Sed nec eadem semper retia, sicut nec in eamdem semper capturam mittunt. Nunc ergo argumentationum, nunc exhortationum retia laxant;aliquando ad probandum aliquid verum; aliquando ad improbandum falsum;aliquando ad eliciendum aliquid occultum; aliquando ad persuadendum iustum; aliquando ad dissuadendum aliquid iniustum.Isti sanè,qui nouerunt facere huiusmodi operationem in aquis multis; isti (inquam) sunt, qui vident mirabilia in profundo.Ab istis etenim trahitur sapientia de occulto. Audi quid dicat magnus ille contemplator sapientiæ.Quàm magnificata sunt opera tua, Domine: omnia in sapientia fecisti. Omnia (inquit) in sapientia fecisti. Absque dubio miranda erant,quæ viderat,qui sic exclamabat.Viderat sanè mirabilia in profundo, & sapientiam trahebat de occulto, qui omnia in sapientia facta deprehendit, & indubitanter agnouit, quòd sapientia attingeret à fine vsque ad finem fortiter, & disponeret omnia suauiter.] Sic ille. Hos nunc non erudimus;ipsi namque poterunt nos edocere: nec causas rerum inquirendas esse astruimus, vt scientiam comparemus, sed vt deuotionem & virtutis profectum acquiramus.

Qui verò causas meditantur, aut mysteriorum, aut operum diuinorum, vt eas ad excitandum deuotionis adfectum referant;debent spiritualium librorum lectione iuuari,in quibus inuenient, quod per seipsos scrutari non valent. Insuper conferet causam ipsam non solam inspicere, sed effectui annectere,& vt operantem, seu influentem in effectum meditari. Tandem non vnam solùm operis rationem, sed multas euoluere; quoniam ex multarum consideratione causarum, aut multi sancti adfectus emergunt,aut vnus & idem vehementior assurgit. Ita vt in hanc rem quadrare putemus illud Poëtæ:

Fœlix, qui potuit rerum cognoscere causas.

Nam si cognitio causarum rerum naturalium, & abditarum nonnullam fœlicitatem adfert, cùm tamen nos virtute vacuos, & sæpe superbia inflatos relinquat; quanto fœlicius erit, eas causas, Deo reuelante, eius mysteriorum agnoscere, ex quarum notione non superbiam, sed animum modestum & gratum induimus:non vacui, sed pleni igne sanctorum adfectuum,quibus perficiamur, manemus.

Iam videndum est quomodo meditatio ex causis formanda sit. Meditaris Christum Saluatorem pro te patientem,vel sic in generali, vel in speciali aliquod genus passionis,vt flagella,alapas, aut crucem sustentantem. Duo genera causarum poteris inuestigare. Alterum, cur patitur:alterum, cur hoc speciale tormentum patitur; & ex vtroque animæ fructum,& cordis adfectum elicies. Ille tātus Dominus passionibus se subiecit, vt charitas æterni Patris erga homines,ipsis hominibus innotesceret. O quanta charitas Filium vnigenitum, sanctissimum,dilectissimū pro seruis vilissimis & iniquissimis à Patre in passionem ac mortem tradi! Verè Rom.5.8. commendat charitatem suam Deus in nobis; quoniam cùm inimici essemus, secundùm tēpus Christus pro nobis mortuus est. Passionem sustinuit,vt nobis vniuersarum virtutum, præsertim humilitatis,& obedientiæ, & patientiæ, exempla præberet. Passus namque est pro nobis, inquit Petrus, vobis 1.Pet.2. 21. relinquens exemplum, vt sequamini vestigia eius.] Passionem pertulit, vt homini maior necessitas vitandi peccatum incumberet, quod videt non minus, quàm Christi Filij Dei sanguine potuisse deleri. Emti, inquit, estis pretio magno: glorificate, & 1.Cor.6. portate Deum in corpore vestro.] Tandem passioni & morti Saluator se subdidit, vt hominem ad eximiam quamdam dignitatem eueheret:quia si à diabolo est victus, iam in Christo diabolum vicit: & si mortem meruit,morte ipsam mortem superauit. Gratia enim Deo, qui dedit nobis victoriam 1.Cor.15 57. per Dominum nostrum Iesum Christum.] Ex prima ratione emerget adfectus dilectionis erga Dominum: ex secunda imitationis: ex tertia timoris peccati:ex quarta desiderij perfectionis.Nam tanta hominis dignitas non debet desideria in rebus vilibus constituere, sed in re summa, nempe in vera sanctitate,collocare.Similiter in quolibet mysterio inquirendæ sunt rationes. Vt quare fuit Dominus in prætorio nudatus?Vt nos vetustate primi hominis exueret. Quare ad columnam ligatus? Vt nos à vinculis terrenorum adfectuum exolueret,& funiculis charitatis astringeret.Quare flagellatus? Vt hac vili pœna mancipiorum, pro seruis perditis satisfaceret,& à dura dæmonis seruitute liberaret, & ad domandum corpus induceret. Ad hoc meditationis genus multum valet,quod Thomas Aquinas de vita, & passione, & resurrectione, & ascensione Domini theologicè scripsit, & tribus ac triginta quæstionibus mirè digessit. Quas Theologi deberent in vsum deuotissimæ meditationis assumere: tum, vt mentem tam sancta ac deuotionis plena doctrina pascerent:tum,vt ad meditādas res theologicas,& ex earum consideratione ad fructū colligendum assuescerent. Qui verò tanta doctrina non pollent, vt per se sanctum doctorem intelligant;ex aliis spiritualibus libellis, qui etiam rationes diuinorum mysteriorum attingunt,poterunt se vtcumque iuuare.

Ex causfis qui meditatio formanda.

D.Th.3. par. à q. 27.vsque ad 59.

De consideratione intellectus erga diuinorum mysteriorum effectus.

CAPVT XVIII.

MEDITATIO effectuum,siue fructuum, qui ex Dei operibus ac mysteriis oriuntur, facilior, & vtilior est. Facilior quidem; quoniam effectus sunt apertiores quàm causæ,& sæpe fructum alicuius diuini operis

manibus

manibus terimus, & tamen cauſſam penitus ignoramus. Vtilior verò; quia in cauſſis neceſſe eſt, ad colligendum per meditationem fructum, eas nobis accommodare, & quaſi limitibus circumſcribere, vt in forma præteritæ meditationis patet. At in effectis, ſeu fructibus contrà euenit, quòd ipſa fructus meditatio, quaſi ad nos applicatio eſt, & alicuius emolumenti collectio. Eſt autem duplex fructus à nobis meditandus. Alter operum & myſteriorum Dei; alter operum noſtrorum. Fructus myſteriorum Dei eſt omne illud boni, & vtilis, quod ex Chriſto, & per Chriſtum nobis accedit. De ipſo namque dictum legimus: Et erit tamquam lignum, quod plantatum eſt ſecus decurſus aquarum, quod fructum ſuum dabit in tempore ſuo.] Aquila legit: Quod tranſplantatum eſt. Eo quòd, vt ſcribit Ambroſius, primò ſit plantatus in Virgine, & poſtea tranſplantatus in paradiſum; ſicut dixit ad latronem: Amen, amen dico tibi, hodie mecum eris in paradiſo. Hoc lignum fructum non tulit, ſicut reliquæ arbores, ſed dedit; quia illum voluntariè largitur, & donat. Et dedit in tempore; quia profectò lignum ſapientiæ eſt, & ideo debet fructum ſapienter dare, & erogare prudenter. Nunc quidem in certis & ſtatutis temporibus fructus gratiæ donat, quoniam corruptibiles ſumus, & abſque vlla interruptione vacare exercitationibus ſpiritualibus non valemus. In futura autem vita fructum gloriæ ſemper dabit, quando nos immortales facti eam ſemper mereamur, & poſſimus accipere. Fructus operum noſtrorum non vnus eſt, ſicut nec opera noſtra vnius generis ſunt: nam quædam ſunt bona, quædam verò mala. Fructus operum malorum eſt mors, & pœna, & calamitas. Fructus operum bonorum ex Chriſti gratia factorum, eſt vita gratiæ, & tranquillitas mentis, & multiplex donum Dei in hac vita, & immenſum gloriæ pondus in vita futura. Vnde Paulus ait: Quem fructum habuiſtis tunc in illis, in quibus nunc erubeſcitis? Nam finis illorum mors eſt. Nunc verò liberati à peccato, ſerui autem facti Deo, habetis fructum in ſanctificationem, finem verò vitam æternam.] Hi ergo fructus, ſiue effectus ſunt nobis in Dei, ac in noſtris operibus meditandi. Id pro more exemplis aperiamus.

Pſal. 1. 3.

Ambroſ. ibid.

Rom. 6. 21.

In eo te occupas vt Chriſtum Dominum è cruce pendentem mediteris. Iam digniſſimam ac diuinam eius perſonam conſideraſti: iam verba ipſius, & actionem illam admirandam ac laborioſam ſuſpenſionis ipſius expendiſti; iam tanti tormenti cauſſam es meditatus. Nunc conuerte oculos ad fructum, & diſquire, quare Dominus tanta & talia patiatur. In cruce pendet, vt me à peccatis liberet, tum pœnas à me debitas pro me ſoluendo; tum, quatenus eſt inſtrumentum diuinitatis, humanitas illa remiſſionem efficiendo: tum me ad charitatem & contritionem prouocando. In cruce pendet, vt me à poteſtate diaboli, cui per peccatum venundatus eram, eriperet: quia enim diabolus non ſibi ſubiectum, nempe Saluatorem, inuaſit, meruit homine ſubiecto priuari. In cruce pendet, vt non ſolùm culpam deleret, ſed vt pœnam à me debitam exolueret, & meas paſſiones fructuoſas efficeret, per quas voluit ſuæ crucis merita mihi applicari. In cruce pendet, vt tamquam ſacrificium & holocauſtum acceptiſſimum Patri me reconciliet. In cruce pendet, vt ianuam cœli peccatoribus clauſam mihi aperiat. Ac tandem crucem pertulit, vt primùm in ſeipſo tamquam in capite, & poſtea in memetipſo me ad gloriæ dignitatem exaltaret. Hos fructus colligo, cùm pro illis gratias ago, & me ad excutiendum onus peccati, & ad portandum iugum crucis accommodo.

A

Iterum meditatione tua vis te ad peccati deteſtationem incitare. Conſidera igitur amariſſimos fructus eius, vt præteritorum peccatorum dolorem, & aliorum perpetrandorum timorem concipias. Hos autem fructus Laurentij Iuſtiniani verba deſcribant. Per peccatum, inquit, homo fit alienus à Deo, interemtor ſui, gehennæ filius, confuſionis domus, diaboli ſeruus, diſſipator naturæ, gratiæ illuſor, gloriæque contemtor. Nam & peccatum dona naturalia vulnerat, ſpoliat gratuitis, animã maculat, amaricat conſcientiam, cor indurat, inſenſibilem hominem reddit, ad alia peccata trahit; bona, quæ fiunt, infructuoſa facit eſſe; ſtultum hominem eſſe oſtendit: & ipſam animam poſſidendo interimit. Nemo prorſus referare valet, quàm pernicioſum ſit peccatum, & quanta homini per idem inflicta ſint mala. Vnde, quæſo, peſtilentiæ, fames, bella, deprædationes, furta, rapinæ, rixæ, æmulationes, contentiones, flagitia peſſima, horrenda crimina, ſtupra, inceſtus, adulteria, homicidia, veneficia, proditiones, blaſphemiæ, ſacrilegia, & idololatriæ proueniunt, niſi ex fomite & radice peccati? Vnde, inquam, aëris intemperies, inundationes aquarum, grandines, tempeſtates, fragores æquoris, euerſiones vrbium, prouinciarum incommoda, ſtrages hominum tam crebrò emergunt, niſi occaſione peccati? Nam ex ipſius pœna in humanis corporibus vigent febres, dolores capitis, obturationes aurium, oculorum & luminis amiſſio, fœtor anhelitus, cruciatus ventris, ſtomachi repletio, humorum ebullitio, libidinis ardor, lepra, ſcabies, podagræ; iliorum, cordis, pulmonis, & iecoris paſſiones, & pæne innumerabilia morborum horum ſimilium genera, quæ profectò vniuerſa minimè acciditſſent, ſi peccatum eſſe deſiiſſet. Poſtremò corporis reſolutio dira, gehennale incendium, dentium ſtridor, inconſolabilis fletus, palpabiles tenebræ, dæmonum horridus aſpectus, deſperatio veniæ, cruciatus perpetuus, vniuerſale iudicium, extremáque animaduerſio iudicis, nequaquam eſſent facienda, ſi præcepti tranſgreſſio defuiſſet. Pro eodem denique deordinatum eſt cœlum, ceciderunt Angeli; de paradiſi amœnitate expulſi fuere primi parentes; inundauerunt diluuij aquæ; in fauillam redactæ ſunt Sodoma, & finitimæ ciuitates: ſubmerſus eſt in mari rubro Pharao; in ſeruitutem ſæpe traditi ſunt filij Iſraël, crucifixus eſt Dominus, atque in diuerſis temporibus iudicia facta ſunt maxima.] Hæc omnia ille. Sic colligendi ſunt effectus aliquorum peccatorum in particulari, & effectus vitiorum, vt ea deteſtemur. Sic fructus virtutum, vt ad earum adeptionem, atque ad ſuſtinendum laborem exercitationis ipſarum incitemur. Sic fructus myſteriorum vitæ, & paſſionis Domini, & fructus beneficiorum Dei, vt eorum meditatione ad amorem, & gratiarum actionem, ac deſiderium poſſidendi huiuſmodi fructus moueamur. Eſtque hæc pars meditationis vtiliſſima, quoniam in ea proprium lucrum, atque emolumentum ad virtutem impellit, dum fructus conſideramus, qui ex ea nobis proueniunt.

B

C

D

E

Iuſtin. de perfect. gradib. cap. 1.

De conſideratione intellectus circa modum agendi & patiendi.

CAPVT XIX.

IN primo genere eorum, quæ nobis insunt, postremum, quod diximus meditandum, est modus agendi. Quem scilicet modus Deus noster in suis operibus tenuerit. Quam agendi, aut patiendi rationem Christus Dominus custodierit; quonam pacto beata Virgo, & Angeli, & Sancti in suis actionibus se gesserint: & tandem, quem modum bene agendi, aut peccandi homines in vita seruauerint. Hoc meditationis genus vtilissimum est, solétque mirabiles adfectus excitare. Si quis enim meditetur, verbi gratia, mundi creationem, & expendat modum creandi, quanta scilicet facilitate & breuitate Deus cuncta creauerit, quàm sine instrumentis, & artificiis, & præiacẽte materia fabrefecerit, nónne ad tantæ potentiæ ostensionem obstupescet? Si mediteris Christi miracula, & in illis modum consideres; quàm modestè, & sine arrogantia illa patrauerit, quanta beneuolentia vitam, & multiplicem sanitatem communicauerit; quàm benignè ac sine fastidio nostris necessitatibus condescenderit; mirum erit, si non præ gratitudine & amore liquescas. E contra verò, si seriò recogites quanta libertate & procacitate peccaueris, quàm leuiter impulsus, & à tentatore inuitatus, sæpe deliqueris, quàm temerariè te in occasiones conieceris; absque dubio præ confusione & pudore tabesces. Et sic in aliis quibuscumque rebus modus se habendi recogitandus est, & ad aliquem adfectum boni, vel odium mali animus ex tali meditatione prouocandus.

Circa considerationem modi hæc inspicienda sunt. Primò, quòd modum dicimus certam rationem ac determinatam se habendi vel operandi. Vnde potest diuidi, si non nimis subtiliter loquamur, in bonum, & malum. Dixi autem, si non nimis subtiliter loquendum sit; quoniam malè se gerere, aut operari, non tam modus est (quem Bernardus virtutem appellat. Medium, inquit, est sedes modi, & modus virtus) quàm destructio modi, & virtutis. Sed nunc sic dicamus: Bonus modus est, legem ordinis in actione, aut loquela, aut in aliis seruare. Malus modus est, in eisdem legem ordinis præterire. Sacra Scriptura ad vtrumque modum considerandum hortatur. Cùm enim dicit; Sic Deus dilexit mundum, vt Filium suum vnigenitum daret.] Et: Iesus fatigatus ex itinere sedebat sic supra fontem;] ad considerandum optimum modum diligendi Dei, & sedendi Christi Saluatoris nos mittit. Cùm verò ait: Concepit dolorem, & peperit iniquitatem.] &: Peccatum suum quasi Sodoma prædicauerunt, nec absconderunt;] ad recogitandum malum modum delinquendi, & errandi nos instigat.

Secundò, vterque modus diuiditur in interiorem, & exteriorem. Interior est certa ratio se habendi vel agendi, vt cogitandi vel amandi interiùs habita. Exterior est ratio in moribus, vel operibus exterioribus custodita. Secundò, bonus Christi Saluatoris modus, tam interior, quàm exterior in omni meditatione de eius conuersatione sanctissima meditandus est; quomodo scilicet se habebat interiùs & exteriùs in qualibet actione, vel passione sua, & inde exempla rectè ac sanctè viuendi mutuanda. Qui enim in animo & corpore rationem agendi Saluatoris nostri, & Sanctorum imitatus fuerit, omnium virtutum perfectionem acquiret. Quare Bernardus non minus verè, quàm sapienter nullam virtutem sine modo esse putat, & omnes in eius custodia & possessione constituit. Et ideo

Bernard. 3. de consider. c. 10.

Ioan. 3. 16.

Ioan. 4. 6.

Iob 15. 35.

Isai. 3. 9.

A de modo loquens, sic ait: Dicito mihi, quæso, si potes, cuinam potissimum trium harum virtutum meditullium hoc dandum censeas, quod ita cunctis conterminum est, vt videatur esse proprium singularum? An ipsum virtus est, & nihil aliud? Sed sic virtus non esset multiplex, sed essent omnes vna. An potiùs, quia sine eo virtus non est, omniũ quodammodo intima vis vna est, & medulla virtutum, in qua sic vniuntur, vt proinde vna videantur omnes: præsertim quòd non illud participando communicant; sed totum à singulis, atque integrum possidetur? Verbi caussa. Quid tam iustitiæ, quàm modus? Alioquin si quid extra modum relinquit, non planè cuique tribuit, quod suum est, quod tamen suum ipsius est facere. Quid tam rursum temperantiæ, quæ non aliunde profectò temperantia est, nisi quòd nil immoderatum admittit? Sed puto fatebere etiam non minus esse fortitudinis, cùm vel maximè ipsa sit, quæ ab irruentibus vitiis, & quasi hincinde suffocare conantibus, purum illud potenter eruit, & vindicat in quoddam stabile fundamentum boni, sedémque virtutis. Ergo modum tenere iustitia est, temperantia est, fortitudo est. Sed vide ne in hoc differant; vt iustitiæ quidem in adfectu res sit, à fortitudine autem efficacia eius: porrò possessio eius, atque vsus apud temperantiam. Restat iam vt doceamus ab hac communione prudentiam non excludi. Nónne ipsa est, quæ modum diu animi neglectu posthabitum, & vitiorum inuidia quasi in abditis reclusum, & coopertũ quadam vetustatis caligine prior reperit, & aduertit? Propterea dico tibi à paucis aduertitur, quia paucorum prudentia est. Itaque iustitia quærit, prudentia inuenit, vindicat fortitudo, temperantia possidet.] Hæc ille. Secundùm ergo exigentiam materiæ, quam considerabimus, modum agendi, aut se habendi personarum occurrentium recogitemus. Modum quidem agẽdi Dei, vt ipsum admiremur, laudemus, & veneremur. Modum agendi, & patiendi Christi, & Sanctorum: quàm scilicet modestè, quàm tranquillè, quàm recta intentione operabantur; & quàm æquanimiter & hilariter patiebantur; vt eos imitemur. Modum agendi iniquorum, & dæmonum; vt ab eo nos subtrahamus. Modum agendi nostrum, si malus fuit, vt de eo doleamus: si bonus, vt illum expoliamus, aut certè vt in eo perseueremus.

Bernard. 1. de consider. c. 8.

Hoc meditandi genus sequitur Bonauentura in meditationibus de vita Christi, in quibus ita simpliciter, & plano ac suaui stylo omnia mysteria tractat; vt tamen mirabiliter modum se habendi Christi, & Virginis beatæ delineet. Nos ad sanctum Doctorem lectorem remittimus: duo tamen exempla suprà tacta ad hanc meditationem intelligendam proponimus. Primum. Iesus autem fatigatus ex itinere sedebat sic supra fontem.] Quomodo sedebas, ô Domine Iesu, quomodo sedebas? Sedebas vtique vt homo ex itinere fatigatus, & de via lassus, sudore madidus, & ab æstu meridiei rubore perfusus. At sedebas vt homo perfectus, & sanctus longa ambulatione fatigatus, qui ita lassitudini corpusculi consulebas, vt tamen modestissimum modum sedendi non perderes, nec grauitatem Deo ac redemtore vniuersorum dignam amitteres. Sedebas non in throno, non in sella, sed in terra ipsa, vt homo pauperculus, cui nulla commoditas suppetebat, nisi quam locus ipse solitarius omnibus viatoribus contulisset. Sedebas, vt corpus quiesceret, non vt animus otiaretur; sed ibi animam perditam quærebas, eámque in loco ad illam conuerten-

Ioan. 4. 6.

dam aptiſſimo,& ab impura vita retrahendam, expectabas. Eras ibi quaſi amator ſanctus,reſpiciens per feneſtras,proſpiciens per cancellos; cibi & potus, quos neceſſitas exigebat,oblitus; vt cibum illum animæ ſalutarem manducares,animam ſcilicet à peccatis auerſam,quam ad gratiæ gremium adduceres.Sedebas denique,& vt fatigatus, & laſſus,qui libenter, & ad multum tempus ſedet, donec vires reſumat.Quia videlicet ſalutem noſtram non quaſi in tranſitu & feſtinanter perfeciſti, ſed ex profeſſo, & quaſi nihil aliud agendum eſſet, ita curaſti. O quanta hîc habeo virtutum documenta, Domine Ieſu. In ſeſſione diſcretionem; in modo ſeſſionis modeſtiam doces:in loco ad humilitatem, & contemnendas primas ſedes: in deſiderio animæ tuæ ad otioſitatis fugam: in occupatione ad ſalutem animarum aut verbo, aut exemplo ſtrenuè curandam impellis.

Iſai.3.9. Et peccatum ſuum quaſi Sodoma prædicauerunt,nec abſconderunt. Quomodo peccaui?An ex ignorantia tantùm? Sed mihi lux diuinorum præceptorum affulſit. An ex paſſione & imbecillitate tantùm?Sed vires diuinitus datas ad vincendas paſſiones,& adfectus non admodum vehementes,habui?Peccaui aliquando ex malitia non tam ex deſiderio voluptatis, quàm ex amore iniquitatis. Peccaui ſine timore, peccaui procaciter, & quaſi aquam,nequitiam bibi.De peccato quaſi de egregio facinore gloriatus ſum, & alios mea inuerecundia ad peccatum prouocaui, & ſi non voce, at opere peccatum non eſſe timendum, ſed magis amplectendum docui.Hoc meditandi genus,quod in modi recogitatione conſiſtit, B. IGNATIVS Pater noſter tradidit; immo præludium aliarum meditationum eſſe voluit.Et optimè. Nam poſtquam modum agendi,aut patiendi recogitauimus; efficaciùs meditatio perſonarum,& cauſſarum, & effectuum, & proprietatum adficit, & ad maiorem deuotionem mouet. Fitque vt modus bene agendi magis hæreat; & modus malè operandi magis abſcedat, dum illum videmus à digniori perſona aſſumtum, & iſtum ab iniquiori vſurpatum.

Ignat. hebd.2. contemp. 2.prælud. 1. & 2. & in aliis.

A B C

poſſumus meditationem noſtram à ſimilitudine ſeparare.Huiuſmodi ſunt verba illa Sapientiæ,ſuperbiæ,& diuitiarum vanitatem explicantia. Tranſierunt omnia illa tamquam vmbra,& tamquam nuncius præcurrens, & tamquam nauis,quæ pertranſit fluctuantem aquam;cuius, cùm præterierit,non eſt veſtigium inuenire, neque ſemitam carinæ illius in fluctibus:aut tamquam auis, quæ tranſuolat in aëre, cuius nullum inuenitur argumentum itineris, ſed tantùm ſonitus alarum verberans leuem ventum:aut tamquam ſagitta emiſſa in locum deſtinatum;diuiſus aër continuo in ſe recluſus eſt,vt ignoretur tranſitus illius. Conſidera tu vmbræ vanitatem,quæ nihil eſt, niſi lucis priuatio: nauis ventis impulſæ inſtabilitatem: auis per aëra volantis agilitatem:ſagittæ ex arcu emiſſæ celeritatem, & poſt horum tranſitum nullum ipſorum veſtigium relictum; & inde diuitiarum, & totius gloriæ mundi inanitatem inuenies,& illam deſpicies. *Sap.5.10.*

Triplex autem eſt vſus ſimilitudinis in meditatione. Nam vel per ſimilitudinem viſibilem inueſtigamus aliquid viſibile;& ad hoc pertinent parabolæ,quæ habentur in Euangelio,& exempla aliorum,quibus ad virtutem excitamur;& apologi,ſiue fictiones, ac ſi eſſent res geſtæ,quibus etiam ad bonam frugem mouemur. Parabola eſt, vt ſimile eſt regnum cœlorum fermento, quod acceptum mulier abſcondit in farinæ ſatis tribus, donec fermentatum eſt totum.] Nam ſicut parum fermenti totam maſſam breui fermentat: ita Apoſtoli breuiſſimo tempore vniuerſum orbem ad fidem reuocarunt. Exemplum. Multum valet deprecatio iuſti aſſidua.] Elias homo erat ſimilis nobis paſſibilis, & oratione orauit, vt non plueret ſuper terram, & non pluit annos tres,& menſes ſex. Eſt ac ſi diceret:Orate,nam ſicut Elias, quod volebat, oratione impetrabat; ita & vos oratione, quicquid petieritis,impetrabitis. Apologus. Homo quidam habuit duos filios,& dixit adoleſcentior ex illis patri: Pater,da mihi portionem ſubſtantiæ,quæ me contingit. Fictio enim eſt duorum filiorum, quibus diuerſæ occupationes iuſtorũ, ac peccatorum ſignificantur. Aliquando per ſimilitudinem viſibilem inquirimus aliquid inuiſibile. Vt: Vidi ciuitatem ſanctam Ieruſalem nouam deſcendentem de cœlo à Deo. Per ſimilitudinem etenim pulcherrimæ ciuitatis ad gloriæ cognitionem aſſurgimus, & eam contemplando ſuſpiramus. Tandem per vnum inuiſibile in notitiam alterius inuiſibilis deuenimus. Vt cùm per humanam animam tamquam per imaginem Dei, ad ipſius Dei contemplationem aſſurgimus. Iam hoc genus meditandi exemplis eſt illuſtrandum. *Matth. 13. 33.* *Iacobi 5. 16.* *Luc. 15. 11.* *Apocal. 21.2.*

De Deo ſcribitur: Quoniam Deus noſter ignis conſumens eſt. Noſce ergo Deum per ſimilitudinem ignis, & ad meditationem formandam recogitabis ignis proprietates,quas ſic Dionyſius Areopagita deſcribit. Ignis enim, qui ſenſu percipitur, in omnibus, & per omnia ſine admixtione funditur,ſecernitúrque à rebus omnibus,lucétque totus ſimul, & abſtruſus eſt, incognitúſque manet ipſe per ſe, niſi adhibeatur materia, in qua vim actionémque ſuam declaret:cohiberi vincíque non poteſt, nec videri: omnia ipſe per ſe obtinet; ea, in quibus fuerit, ad vim ſuam actionémque commutat: ſuiipſius particeps facit quicquid ipſi propius quoquomodo adhibeatur:renouat omnia vitali calore,illuſtrat aperto lumine,teneri non poteſt, nec miſceri: diſſipandi vim habet,commutari non poteſt, ſurſum fertur, celeritate magna eſt præditus, *Dionyſ. de cœleſti hierarch. c. 15.*

D E

De meditatione per ſimilitudines.

CAPVT XX.

EXPOSVIMVS ſeptem,quæ rebus ipſis inſunt, ex quibus meditatio formanda & tendenda eſt:nunc ſex, quæ extra rem ſunt, non minùs tamen meditationi deſeruiunt, eadem breuitate proponamus. Ac primo loco in hoc genere ſe offert meditatio per ſimilitudines,quæ vberrima eſt,& latiſſimum aperit nobis campum ad meditandum. Similia dicuntur, quæ in aliquo conueniunt, vel certè aliquam proportionem habent. Quare ſimilitudo nunc dicitur conuenientia in aliquo,vel proportio duorum,pluriúmve. Eſt igitur hæc meditatio cùm vnũ aliquid inuenimus, ex quo aliud, vel conuenientiam, vel proportionem cum eo habens, cognoſcamus. Quem modum meditandi commendat Gerſon, & tradit B. Pater N. IGNATIVS, dum ex ſimilitudine regis terreni, regnum Chriſti æternum, & quomodo eum ſequi debeamus, perſcrutatur. Ad eúmque ſæpiſſime ſacræ Scripturæ nos vocant, dum multas ac varias ſimilitudines ad res explicandas adducunt, quarum verba ſi meditemur, non

Gerſ. lib. de medit. conſider. 16. Ignat. hebd.2. contemp. 1.

sublimis est, nec humilitatem vllam ferre potest; immobilis est; per se mouetur,aliis motum adfert; comprehendendi vim habet, ipse cõprehendi non potest: non eget altero,clam se amplificat, in materiis,quæ ipsius capaces sunt, magnitudinem suam declarat:vim efficiendi habet, potens est; omnibus præstò est,nec videtur: si negligitur,non esse videtur;attritu autem quasi irritatione quadam,naturaliter, ac propriè repentè existit, rursúsque sensum fugiens euolat; in omnibus sui communionibus minui non potest.Multas etiam alias ignis proprietates inuenire possumus, quæ propriæ sint, vt in imaginibus sensum mouentibus, diuinæ actionis. Hæc dicta sunt à Dionysio ad declaranda attributa Dei, & proprietates Angelorum. Considera ergo Deum per similitudinem materialis ignis.Ignis est maximè sensibilis;& Deum sentiunt vniuersa,adeò vt in conspectu eius commoueantur,& in passione Domini sol & luna obscurentur;& si dixerit:Tace; venti & mare obediant ei. Ignis in omnibus,& per omnia sine admistione funditur; & Deus omnia permeat;cunctis rebus & locis adest,& eius omnia plena sunt; eiúsque vox est, qui vtique mentiri non potest: Cœlum,& terram ego impleo. Ignis secernitur à rebus omnibus; & Deus sua puritate & excellentia separatur ab vniuersis; ita vt non minus,immo multo magis,quàm cœlum à terra,exaltentur viæ eius à viis nostris,& cogitationes eius à cogitationibus nostris. Ignis lucet totus simul;& Deus est lux increata,& impartibilis,cuius comparatione ipse sol est atra caligo. Ignis abstrusus est, incognitúsque manet in semetipso: & Deus est prorsus incõprehensibilis, à neminéque cognoscitur, nisi ab illo,cui ipse se voluerit reuelare. Ignis, si adhibeatur materia, vim suam actionémque declarat: & Deus mentem ad se accedentem efficaciter illustrat,& perficit.Vnde dicit Propheta: Accedite ad eum,& illuminamini. Ignis cohiberi vincíque non potest, nec videri: & Deus est insuperabilis,nec est qui resistat ei.Ignis omnia per se obtinet: & Deus cuncta penetrat,& cõprehendit. Ignis ea, in quibus fuerit,ad vim suam actionémq; commutat:& Deus omnia ad aliquam sui participationem format. Et similiter omnia alia propria ignis possũt facilè ad Deũ applicari.Ex quibus omnibus magna in Deum reuerentia,& ardens charitas excitabitur.

Accipe aliud exemplum.Scriptum est hominem fuisse conditum ad imaginem & similitudinem Dei. Per hanc ergo imaginem poteris iuuari ad cognoscendum Deum. Anima enim hominis spiritualis est, ab omníque materiæ concretione aliena. Deus itidem spiritus est,& omni corpore ac materia exemtus. Animus totus est in toto corpore, & totus in qualibet parte:& Deus in toto mundo est, & in qualibet parte & loco totus est. Animus est immortalis:& Deus ab omni morte & mutabilitate alieniſſimus. Habet animus tres vires, memoriam, intelligentiam, & voluntatem, & vnus est:in Deo etiam sunt tres Personæ, Pater, & Filius, & Spiritus sanctus, & vnus Deus est. Tandem, vt ait Hugo: Apparet imago Dei in intelligentia rationali, in mente spirituali, in honore liberi arbitrij. Appareat similitudo Dei in moribus pro natura; in operibus pro iustitia; in virtutibus pro gratia: vt moribus natura perornetur; vt iustitia operibus comprobetur; vt gratia virtutibus compleatur, & sic semper Domino præsentetur.] Sic poteris ex aliis proprietatibus hominis ad Dei cognitionem venire; & scis quomodo debeas per similitudines ad meditationem iuuari.

Eccli.16. 19. Matth. 27. 45. Marc. 4. 39.

Ierem. 23. 24.

Psal. 33. 6.

Hugo 2. de anim. c.15.

De meditatione per dissimilitudines.

CAPVT XXI.

DISSIMILIA plurimùm ad meditationem valent.Quo nomine ea intelligimus, quæ quatenus talia, aut nullam conuenientiam habent, aut etiam oppositionem,& repugnantiam.Talia sunt vita spiritualis,& profana:peccatum,& gratia: virtus, & vitium:feruor,& tepiditas spiritus, & alia huius generis.Ex his sic formatur meditatio,vt visis & consideratis incommodis, quæ in peccato, aut in vita profana reperiuntur, ex illis commoda gratiæ,aut vitæ spiritualis colligamus, & ad odium illorum, amorémque istorum nos excitare curemus. Sic nimirum sibi inuicem collata contraria, inquit Bernardus, suæ quidem vtrumque videtur suscepisse augmentum aliquod qualitatis: vt album nigro si conferas; & hoc candidius,& illud tetrius apparebit. Sed audi certius super hoc testimonium, propheticum sermonem:Lætabitur, ait,iustus,cùm viderit vindictam. Vt quid ita?Manus suas lauabit in sanguine peccatoris. Planè non inquinabit in sanguine,sed lauabit:vt vnde ille cruentus magis, inde ille nitidior videatur:vnde ille plus sordet,inde iste pulchrius eluceſcat.] Si sponsa Tobiæ iunioris verba sponsi meditaretur, sicut credendum est eam ipsa fuisse meditatam,recogitationẽ ex dissimilibus efformaret. Filij Sanctorum sumus, & non possumus ita coniungi, sicut gentes, quæ ignorant Deum. Dissimilitudo est inter impios ignorantes Deum, & iustos Dei cognitionem habentes. Si illi turpis voluptatis gratia, & absque timore Dei, quem non norunt,coniugio vacant;par est nos,qui Deum nouimus,& reueremur, cum timore eius,& ob honestum finem procreationis filiorum, coniugio vacare. Eadem meditatio consurgit, si verba Christi considéremus. Si diligitis eos, qui vos diligunt, quam mercedem habebitis? Nónne & publicani hoc faciunt? Et si salutaueritis fratres vestros tantùm,quid amplius facitis? Nónne & Ethnici hoc faciunt?] Dissimilitudo & repugnantia est inter publicanos & infideles ex vna parte, & Christi discipulos ex alia. Si illi tantùm naturam sequuntur, & amicos tantùm diligunt, & salutatione dignantur; nos Christi discipuli gratiam sequamur, & inimicos quoque diligamus, & salutemus.Huius meditationis formam habes in B.Patre nostro IGNATIO. Nam & ipse introducit Christum Imperatorem optimum;& ex opposito Luciferum pessimum ducem ad sui sequelam genus humanum inuitantes,vt ex tam dissimilibus ducibus, & opposita vocatione, & disparibus præmiis quisque animaduertat, quàm gloriosum est Christum sequi, & eius vestigiis inhærere. Habes etiam in Bonauentura mittente animam,vt cõsideret,quàm generosè à Deo facta sit per naturam; quàm vitiosè à sua voluntate deformata sit per culpam; quàm gratiosè à diuina voluntate reformata sit per gratiam. Ex his namque dissimilibus statibus intelliget quàm bonum est illi à peccato resilire, & ad Dei amicitiam reuocari.

Tu verò ad exemplum huius generis meditationis considera gloriam iustis, & pœnam impiis decernendam, & ex hac dissimilitudine vehementiùs ad sanctæ conuersationis desiderium adficieris. Illam dissimilitudinem Bernardus sic describit:In illa tanta separatione quemadmodum hædis, agno-

Bernard. serm.8.in Psalm. Beat.qui habitat.

Tobiæ 8. 5.

Matth. 5.46.

Ignat. hebd.2. medit.4.

Bonau. in soliloq.c.1.

Bernard. vbi sup.

rum

rum diuiſio grauiſſimi luoris occaſio fiet; ſic electis è regione conſideratio reproborum, immenſa quædam materia gratiarum actionis, & laudis. Vnde enim iuſti tam magnificè gratias agerent, niſi cum illa inexcogitabili fœlicitate, qua perfruuntur, ipſam quoque retributionem cernerent iniuſtorum, à quibus equidem ſola miſericordia redemtoris ſegregatos ſeſe eſſe fideliſſimè & deuotiſſimè recordantur? Vnde verò impij tanto animi furore tabeſcerent; niſi in regnum ſummæ beatitudinis coram ſeſe vidiſſent alios introduci, & tunc demum in illos ſeſe fœtores, in illos horrores, in illos æterni incendij cruciatus, in illas denique immortalis mortis miſerias gemerent eſſe damnatos? Ibi enim, inquit, erit fletus, & ſtridor dentium. Fletus quidem ob ignem, qui non extinguitur: ſtridor verò ob vermem, qui non moritur. Planè fletus ex dolore, ſtridor dentium ex furore. Fletum nempe tormentorum immanitas, ſtridorem dentium vehementia ipſa tabeſcentis inuidiæ, & obſtinata malignitas extorquebit. Ita ergo retributionem peccatorum videbis, ne videlicet ignarus tanti periculi, ingratus aliquando liberatori poſſe fieri videaris. Non ſolùm autem, ſed & ſecuritas perfecta iuſtorum, erit viſa retributio peccatorum: quò videlicet nec humanam aliquando, nec diabolicam vltrà vereri malitiam poſſint, qui nimirum cadentibus à latere ſuo mille, & decem millibus à dextris ſuis, non modò eos cadere viderint, ſed & cadere in gehennam. Putas enim timere adhuc non poterant, & callidiorem cunctis animantibus ſerpentem habere ſuſpectum, præſertim ſeductæ quondam in Paradiſo non immemores mulieris, niſi cum toto iam corpore ſuo vltricibus traditum flammis, & inter ſe, & eum magnum planè iam chaos firmatum eſſe conſpicerent?] Hactenus Bernardus. Eodem igitur modo poteris & tu meditationem ex diſſimilibus & repugnantibus efformare, & voluntatem ad amorem æternorum accendere.

De meditatione per ponderationem.

CAPVT XXII.

ALIVD genus meditandi, & quidem frequens, & admodum vtile eſt per ponderationem; quando ſcilicet rem, quam ad meditationem adducimus, ponderamus, & trutina conſiderationis expendimus. Hoc autem ita fit, vt ſicut qui vult pondus alicuius mercis deprehendere, eam in vna lance trutinæ ponit, & in alia libram, aut ſemilibram, aut vnciam collocat, donec iuſtum pondus eliciat: ita cœleſtium rerum commentator, ſeu meditator duabus conſiderationibus, quaſi duabus lancibus, duas res accipit, vt ex vna, alterius æſtimationem percipiat. Nec miteris quòd res etiam ſpirituales aſſeramus ponderandas, ſiquidem eas Dominus in numero, pondere, & menſura conſtituit. Et Bernardus ait: Res in pondere facta eſt, quæ rei ſui generis eſt comparanda, aut ſecundùm maius, aut ſecundùm minus, aut ſecundùm æquale. Pondus habet, quæ quanti valeat æſtimari poteſt.] Habet homo carnalis trutinam falſam, & mendacem, qua ſolet res ad ſe pertinentes ponderare, vt ſeipſum decipiat. De qua Dauid ait: Verumtamen

Sapiē.11. 21.

Bern. ſer. 51. ex paruis.

Pſal.61. 10.

A vani filij hominum; mendaces filij hominum in ſtateris, vt decipiant ipſi de vanitate in idipſum.] Ipſi vani, quoniam vanitatem diligunt, & ea delectantur: ipſi mendaces in ſtateris, vt mutuò ſe verbis & exaggerationibus decipiant: ipſi quaſi de vanitate collecti, & ad rerum inanium amorem colligati, quia ſola terrena & vilia concupiſcunt. Hac trutina fallaci quis dum ſe & proximum ponderat, ſe bonum; & amore proprio deceptus, fratrem iniquum exiſtimat. Quod quantum Deo diſpliceat Salomon aperit, dicens: Pondus, & pondus; menſura, & menſura, vtrumque eſt abominabile apud Dominum.] Deteſtatur enim ille eum hominem, qui pondus & menſuram habet proprium bonum aggrauantia, & proprium peccatum alleuiantia, vt ſibi placeat: & aliud pondus ac menſuram habet, quibus mala aliena aggrauat, & bona alleuiat, vt fratrem contemnat. Ad quod egregiè ait Gregorius: Scimus, quia in negotiatorum duplici pondere, aliud maius, aliud minus eſt. Nam aliud pondus habent, ad quod penſant ſibi; & aliud pondus, ad quod penſant proximo. Ad dandum pondera leuiora, ad accipiendum verò grauiora præparant. Omnis itaque homo, qui aliter penſat ea, quæ ſunt proximi, & aliter ea, quæ ſua ſunt, pondus & pondus habet. Vtrumque ergo abominabile eſt apud Deum; quia ſi ſic proximum, vt ſe, diligeret, hunc in bonis, ſicut ſe, amaret. Et ſi ſic ſe, ſicut proximum, aſpiceret, ſe in malis, ſicut proximum, iudicaret.] Alio modo pondus & pondus explicat Bernardus, dicens: Duplex quidem pondus habet, qui ſibi malorum conſcius, malum ſe iudicat, aliis verò vult foris bonus, & aliis melior apparere: ſuo iudicio terræ proximus eſt, & aliis cupit eleuatus videri.]

Prouerb. 20. 10.

Gregor. hom. 4. in Ezechiel.

Bern. de paſſione Domini. c.17.

At vir ſpiritualis habet trutinam iuſtam, & pondus æquale, quo ſeipſum, & alios, & res æternas appendat; de qua ait Iob: Appendat me in ſtatera iuſta, & ſciat Deus ſimplicitatem meam.] Si qua vmquam, inquit etiam Gregorius, leuiter, ſi qua perniciosè perpetraui; Dei & hominum mediator appareat, vt in eius vita cognoſcam, an ego veraciter ſimplex fuerim. Qui enim (vt diximus) ſuorum temporum vires exceſſerat, mediatorem Dei & hominum quærebat; vt in illo penſatus agnoſceret, ſi vitam ſimplicem verè tenuiſſet.] Sic ille. Hac ſtatera, aut hac trutina res meditamur, cùm vnius pretium, aut vilitatem ex comparatione ad aliud quaſi ponderando cognoſcimus. Docuítque Eccleſiaſticus hoc genus meditandi, cùm amicum fidelem diuitiis comparat, vt illum tamquam pretioſiorem iſtis præferat. Amico fideli nulla eſt comparatio, & non eſt digna ponderatio auri & argenti contra bonitatem fidei illius.] Eo vſus eſt B. P. N. IGNATIVS, dum peccatum Angelorum vnum cum multis cuiuſque peccatis docet expendere; vt videlicet ex pœna illi peccato irrogata, peccator agnoſcat quam pœnam pro multis ac magnis peccatis expectare debeat, niſi ab illis reſipiſcat. Hócque genus meditationis aſſumemus, cùm duarum rerum vel æqualium, vel inæqualium collatione facta, eam, quam volumus, magis, aut minus, prout oportet, æſtimamus, & pro qualitate materiæ ad eius amorem, vel odium excitamur.

Spiritalis viri trutina, qualis. Iob 31.6. Greg. 21. mor. c.6.

Eccli.6. 15.

Ignat. hebd.1. medit.1.

Primum exemplum pulchrum ſanè huius meditationis, ex Ambroſio deſumimus, qui hominem quaſi in vna lance, & reliqua animalia in altera collocat; vt ille, qui tantis partibus hæc omnia ſuperat, ſola cœleſtia concupiſcat. Eius verba ſunt:

Homines præſtantia præ cæteris animalibus, quo-

modo pōderanda. Ambroſ. 6. Examer. cap. 3.

Si vis ad vſum hominis deriuare, quæ genita ſunt, noli te veritatem vnicuique generi naturæ propriè denegare, & multo magis eam ad gratiam aptabis humanam. Primò, quia omnia genera pecorum, beſtiarum, ac piſcium, in aluum natura proſtrauit, vt alia ventre repant; alia, quæ pedibus ſuſtinentur, dimerſa magis quadrupedo corporis greſſu, & velut affixa terris videas eſſe, quàm libera. Siquidem erigendi ſe non habent facultatem, de terra victum requirunt, & ventris, in quem deflectuntur, ſolas ſequuntur voluptates. Caue, ô homo, pecudum more curuari. Caue ne in aluum te, non tam corpore, quàm cupiditate deflectas. Reſpice corporis tui formam, & ſpeciem congruentem celſi vigoris aſſume. Si ſola animalia prona paſcuntur, cur te in edendo ſternis ipſe, quem natura non ſtrauit? Cur eo delectaris, in quo naturæ iniuria eſt? Cur noctes & dies cibo intentus, pecorum more terrena depaſceris? Cur illecebris corporalibus deditus teipſum inhonoras, dum ventri atque eius paſſionibus ſeruis? Cur intellectum tibi adimis, quem creator attribuit? Cur te iumentis comparas, à quibus te voluit Deus ſegregari, dicens: Nolite fieri ſicut equus, & mulus, quibus non eſt intellectus?] Hæc ille.

Quonam pacto perfectionis excellentia.

Aliud exemplum ponimus ad inueniendam per meditationem perfectionis præſtantiam. Sic eam ponderabis. Statue quaſi in vna lance minimum perfectionis gradum; in altera verò omnes mundi diuitias, cunctas ſæculi voluptates, vniuerſa principum ac regum imperia. Inſuper adde corporis robur, & pulchritudinem immenſam, ſanitatem iucundam, vitámque longæuam. Adiice adhuc ingenium ſubtiliſſimum, ac omnem mundi ſapientiam; ita, vt ſcientia excedas Theologos, & Philoſophos vniuerſos, immo & ipſos ſpiritus cœleſtes rerum cognitione ſuperes. Pone adhuc in hac lance omnem honorem & æſtimationem hominum, ita vt pelagus quoddam omnium donorum hominibus videaris. Hæc omnia, & alia quamplurima ſimilia, quæ poteris cogitare, minimum gratiæ gradum non exæquant, ſed quaſi nihil omnino eſſent, ab illo ſuperantur. Quoniam omne aurum in comparatione illius arena eſt exigua; & tamquam lutum æſtimabitur argentum in conſpectu illius.] Et ille gradus gratiæ te in cœlum attollet, & reliqua ſine illo à gehenna non extrahent. Si igitur tanti valoris eſt minimus perfectionis gradus; quanti pretij erit ſanctitas Auguſtini, aut Franciſci, aut alicuius viri perfecti? Hic eſt modus in ponderatione tenendus.

Sapiē. 7. 9.

De meditatione per ſuperiora.

CAPVT XXIII.

PER ſuperiora meditamur, cùm ad inueniendum aliquid, meditatione, quaſi per gradus, ex vno inferiori in aliud ſuperius; & ex illo in aliud vſque ad ſupremum cogitando conſcendimus. Habet voluntas aſcenſionis gradus, quibus ex vno bono adfectu, in alium præſtantiorem & ſublimiorem aſcendit: vt cùm in actibus charitatis ita prouehitur, vt ex primo per alios vſque ad perfectam reſignationem in voluntate Domini, vel ad perfectam vnionem eleuetur. De quo, ſi Deus dederit, ſuo loco dicemus. Similiter intellectus habet in ſua cognitione aſcenſionis gradus, vt ad notitiam alicuius, quod finis eſt ſuæ inquiſitionis, perueniat. Hanc aſcenſionem Dominus in ſuis facit; quia intellectus eorum, vt paulatim aſcendant, luce perfundit. De qua per myſterium intelligi poteſt illud Amos: Qui ædificat in cœlo aſcenſionem ſuam; & faſciculum ſuum ſuper terram fundauit.] Cœlum enim eſt mens ſpiritualis viri, in qua Dominus, dum lucem ad aſcendendum præbet, ſuam aſcenſionem extruit. Terra autem ſit corpus eiuſdem, in quo Dominus ipſe, dum paſſiones domat, & menti ſeruire facit, quaſi concordiæ & pacis faſciculum fundat. Ad hanc aſcēſionem ſe excitabat ſponſa, dicens: Aſcendam in palmam, & apprehendam fructus eius.] Palma eſt cognitio veritatis: fructus autem eius ſunt adfectus virtutis. Tunc itaque ſpiritalis anima in palmam aſcendit, quando quibuſdam quaſi gradibus in notitiam veritatis peruenit. Gradus autem hîc vocamus non cognitionis, ſed rerum. Nam res ita ſunt à diuina prouidentia diſpoſitæ, vt earum quædam ſint infimæ, quædam mediæ, aliæ verò in ſupremo loco collocentur. Aſcenſus ergo in meditatione eſt, quando ex rebus infimis ad medias, & ex his ad ſupremas peruenimus, vt veritatis, quæ voluntatem adficiat, notionem eliciamus. Hoc meditationis genus habemus in B. P. N. IGNATIO, dum ex puſillitate vnius hominis ad omnes homines, & ex illis ad omnes Angelos, & ex his ad creatorem aſcendit; vt homo tandem ſuam exiguitatem videat, & cognoſcat, quàm peſſimum ſit tantulam creaturam, cuius nihileitatem ex aſcenſu cognouit, contra tantam maieſtatem rebellaſſe.

Amos 9. 6.

Cant. 7. 8.

Ignat. hebd. 1. meditat. 2. pun. 3. 3.

Exēplis oſtēditur.

Omnia hæc, quæ difficilia videntur, optimè exemplis illuſtrantur. Vis te ad mandatorum cuſtodiam incitare? Aſcende igitur per creaturas, & nullam inuenies, à qua non diuinæ legis cuſtodiam docearis. Terra, quæ infima eſt, ab initio creationis ſuæ vſque modò; & ab hoc momento vſque in finem mundi germinat herbam virentem, & ligna pomifera, ob id ſolum, vt ſe Deo obedientem præbeat. Aqua deinde profert innumerabiles piſcium maiorum & minorum ſpecies, non ob aliud, niſi vt ſe diuinis iuſſis attemperet. Aër reſpirationi noſtræ; & ignis calori; & cœlum influxibus ſalutaribus noſtræ vitæ deſeruiunt, vt Deo pareant. Animalia, & aues; terreſtria, & cœleſtia Deo diligentiſſimè obediunt. Et ego ſolus diaboli imitator effectus non obediam? Ego mandata Domini præteribo tantis fulcimentis adiutus, tantis exemplis ad obediendum incitatus? Quis ex hoc diſcurſu attentè meditato non ſe ſentiat ad legis cuſtodiam incitatum, & ad peccati ac tranſgreſſionis deteſtationem permotum?

Iterum recogitas peccati malitiam. Fac in cogitatione tua ſcalam malorum, & per eam ad cognitionem malitiæ peccati peruenies. Malorum vnum, & (vt opinor) infimum reputatur paupertas, quæ bonis infimis, ſcilicet opibus temporalibus, priuat. Maius malum eſt infirmitas, ſeu morbus corporis, qua ſalus amabiliſſimum bonum deſtruitur. Maius adhuc malum eſt mors, qua anima ab omnibus bonis huius ſæculi ſeparatur. In hoc etiam malorum genere, maius malum his tribus à multis cenſetur infamia, qua vitæ & geſtis alicuius ſempiterna nota infœlicitatis inuritur. Secundùm omnium ſententiam, quæ ſine dubio vera eſt, maius malum eſt gehenna, qua homo ſuo fine manet priuatus, & cruciatibus æternis addictus. Sed hæc omnia mala nō ſunt, ſi cum vno graui peccato conferantur.

ferantur. Ipsum est summa paupertas; quia virtutes infusas, & gratiam, ac charitatem, veras diuitias, amandat. Ipsum lethalis infirmitas; quoniam omnia interiora deordinat. Ipsum mors pessima, quę animam à Deo vera vita separat. Ipsum infamia & ignominia grauissima, cùm sit crimen læsæ maiestatis diuinæ. Ipsum tandem peius, quàm gehenna; quia infernalia tormenta ex charitate, & propter Deum pati, esset gloriosum, cùm ab illis in hoc euentu, Dei inimicitia separetur. Vnde hæc in statu obstinationis posita est, quæ gehennam in ratione summi mali constituit. Quam ergo ex corde istud malum esset fugiendum! Quæ mala, ô homo, non esses admissurus, ne in tantum malum incurreres, & ne cum eo ad te accersito vniuersa vera bona dilapidares. His ascensionibus in meditatione factis, mirificè rei bonitas, aut malitia declaratur; vt voluntas se ad odium, vel amorem prouocet, & vitæ actiones emendet.

De meditatione per inferiora.

CAPVT XXIV.

INferiora quoque in meditationem adducuntur, vt ex illis mens ad perfectionem rei longiùs ab infimo distantis cognitionem assurgat. Sicut enim cùm quis ad ima vallis descendit, melius quantum distet ab eo, qui omnibus præeminet, videt: ita dum facto descensu infima cogitatione petimus; multo melius magnitudinem eius, qui quàm longissimè ab infimo distat, contemplamur. Descendit profectò mens per scalam creaturarum, aut perfectionum, non vt cadat, aut opprimatur; sed vt ad maiorem rei, quam considerat, notionem eleuetur. Dictum est ad Ieremiam: Surge, & descende in domum figuli, & ibi audies verba mea.] Ibi in luto, quod figulus tractabat manibus, & de Domini potestate & benignitate doctus est. Sic & nos cùm ex summis ad infima quæque rimanda cogitatione descendimus, summorum scientiam perspicaciùs comparamus. Vidit Iacob in somnis scalam stantem super terram, & cacumen illius tangens cœlum: Angelos quoque Dei ascendentes, & descendentes per eam. Sit nunc scala, meditationis studium, quod cœlum & terram tangit; quoniam ambitu suo vniuersa contemplanda comprehendit. Angeli verò sint spirituales viri, qui eo ipso, quòd cum Deo conuersantur, debent puritatem angelicam æmulari. Horum quidam per scalam creaturarum meditando ascendunt, dum ex vna in aliam perfectiorem tendunt, donec ad Dominum contemplatione perueniant. Alij verò descendunt, & cogitatione semetipsos ex perfectioribus ad minùs perfectas res demittunt: non quidem vt terrenis inhæreant; sed vt ex his meliùs cœlestia conspiciant. Certè Richardus Victorinus per hanc scalam, meditationis, seu contemplationis gratiam intelligit. Nam spiritualis Iacob in itinere suo lapidem aptissimum ad reclinandum caput, nempe assiduitatem speculationis, inuenit, illúmque capiti suo supponens, hanc mysticam scalam aspexit. Sed præstat magnum hunc contemplatorem audire. Reclinato, inquit, capite Iacob in hoc lapide, clausisque oculis concupiscentiæ (quos apertos legimus in primo parente) dum in hoc reclinatorio, alta quiete sopitur, dum exteriorum omnium libenter obliuiscitur, animus eius ad interiora euigilat, videtque quæ priùs vigilans, & videns videre non poterat. Scala vsque in cœlum porrecta ante eius oculos erigitur, Dominúsque innixus scalæ concipitur, vt per inuisibilem formam, inuisibiliúmque figuram, in intelligibilium intelligentiam speculantis animus subleuetur. Fœlix, cui visibilium scientia fit scala ad inuisibilia cognoscenda. Pulchrum spectaculum videre huius scalæ scalaria modo congruo proportionalitérque locata, & vsque in summum ordinatæ distinctionis continuatione producta: vt per multiplicem creaturarum differentiam, dignitatúmque degradationem ordinatè distinctam, distinctéque ordinatam, paulatim se animus ad superiora promoueat, prouectioníque gradibus semper ad altiora conscendat, donec inuisibilia Dei à creatura mundi, per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciantur, & Dominus innixus scalæ videatur. Quis quæso, hoc, nisi in hoc reclitorio dormiens, videret? Quis hoc euigilans efficeret, vt ascensionis suæ scalam vsque in cœlum protenderet, & visibilium speculationi speculationem inuisibilium continuaret?] Et post pauca. Fœlices, quibus vertitur in scalam, quod aliis solet esse in ruinam. Fœlices, quibus exteriorum scientia fit scala ascensionis, non ruina deiectionis. Fœlices, quibus scientia illa, quæ inflat, non est ad inflationem, sed ad inflammationem eius, qui ædificat. Fœlices, quibus temporalium pulchritudo fit æternitatis instigatio.] Hæc ille. Est itaque aptissimus meditandi modus, non solùm ascensus, quo ex imo ad summum proficiscimur; sed etiam descensus, quo ex summo ad infimum imus, vt veritatem, quam inquirimus, intimiùs & meliùs cognoscamus.

Iam hoc meditationis genus duobus exemplis aperiamus. Aliquid fortè circa diuinam prouidentiam meditaris? Vtere ergo discursu quodam à summis ad infima, & tantam, quam Deus habet, prouidentiam admiraberis. Ille quidem curam habet nouem ordinum Angelorum, & cœlorum, quos sedes & domicilia ipsorum constituit. Insuper non ita iuxta cardines cœli perambulat, vt non nostra consideret: sed & elementorum, & humani generis curam gerit, quod post exilium huius vitæ ad cœlestes sedes incolendas elegit. Nec solùm curat humanum genus in generali, verùm & singulis hominibus quantumuis pauperculis, & despicabilibus in speciali ita prouidet, ac si nullius alterius rei prouidentiam haberet. Et an amplius diuina prouidentia condescendit? Ita sanè. Cùm & animalium, non tantùm perfectorum, sed & insectilium, & muscarum, & vermiculorum, immo & cuiusuis folij arboris, quod huc & illuc vento rapitur, sollicitudinem gerat, nec sine Patris nostri dispositione vmquam intereat. Quis hoc descensu mirabilem Dei prouidentiam esse non videat? Quis ad talem considerationem non obstupescat, multo magis, quàm si eam solùm in magnis se continentem cogitaret, & ab his minimis, ad quæ descendit, oculos cogitationis auerteret?

Intendis iterum scrutari excellentiam charitatis? Descende ad infima quæque ab illa præstita, & quasi in admirationem rapieris. Illa tamquam regina potentissima omnes virtutes infusas secum habet quasi pedissequas. Intellectum prudentiâ illustrat: voluntatem iustitiâ exornat;

Ier. 18. 2.

Gen. 28. 12.

Richard. tract. 3. de exterminat. mali. c. 16.

iraſcibilem fortitudine roborat ; concupiſcibilem temperantiâ moderatur. Corpus ipſum modeſtiâ induit, & ad bona opera agile reddit, à maliſque retrahit. Proximis ſe vtilem præbet, non ſolùm magnis, & diuitibus, & nobilibus, ſed & pauperibus,& puſillis auxilium impertit. Nec tantùm fideles, ſed & Ethnicos, & Iudæos amore complectitur, & ſuo ſubſidio dignatur. Immo & his non contenta, mala ſuſtinet ab iis, quibus bona largitur, & iniurias patienter ſuſtinet, nec cuiquam præter rationem iraſcitur. Hac deſcenſione charitatis præſtantia optimè cognoſcitur, quia profectò illud melius eſt, & præſtantius, quod ad plura ſuam bonitatem extendit, & mala etiam non malos deſtruendo, ſed eis benefaciendo proſternit. Sic per deſcenſum meditamur, & quaſi à re ipſa, quam inueſtigamus, fugientes, euidentiùs & perſpicaciùs eius naturam & officia cognoſcimus.

De meditatione per antecedentia, comitantia, & ſubſequentia.

CAPVT XXV.

POSTREMÒ noſtra meditatio formari poteſt ex iis,quæ accidẽtia,aut adiuncta, aut circumſtantia dicuntur, & in præcedentia, comitantia, ac ſubſequentia diuiſa ſunt. Hæc autem ita explicantur. Præcedentia, ſeu præcurrentia ſunt, quæ rem, quam in meditationem vocamus, antecedunt. Comitantia, quæ eam vndique cingunt, ac ſepiunt. Subſequentia, quæ illam ſequuntur. Et ex his quidem ampla effici poteſt meditatio intellectum paſcens, & voluntatem ad bonum afficiens. Vt ſi velis peccati malitiam meditari, conſidera, quæ ipſum præcedant : diaboli incitationem,eiuſdem per negligentiam & incuriam admiſſionem ; concupiſcentiæ titillationem, quæ, vt ait Iacobus, cùm conceperit parit peccatum.Conſidera deinde quæ ipſum comitentur, cæcitatem, conſcientiæ inquietudinem, & deputationem ad pœnam. Et populo huic, inquit Ieremias, factum eſt cor incredulum, & exaſperans : receſſerunt, & abierunt, & non dixerunt in corde ſuo : Metuamus Dominum.] Tandem meditare, quæ ipſum ſubſequantur,mortem gehennámque perpetuè. Quem enim fructum habuiſtis ex his, ex quibus nunc erubeſcitis : nam finis illorum mors eſt.] Et : Stipendia peccati mors.] Et : Non tardes conuerti ad Dominum; ſubitò enim veniet ira illius.]

Iacobi 1. 15.

Ierem.15. 23.

Rom. 6. 21.

Verſ.23. Eccli.5. 8.

Hæc tredecim, quæ dicta ſunt, magis communia, ac omnibus peruia, & vtiliora videntur, quibus poſſimus in meditatione iuuari. Et quidem cùm aura ſua ſpiritus diuinus aſpirat, his adiumentis ad meditandum non eſt opus. Ipſe namque quaſi imbrem bonarum cogitationum immittit, quibus terra noſtri cordis inebriata fructus ſuauiſſimos & copioſiſſimos affectuum profert. At cùm hæc abundantiſſima auxilia ceſſant,& homo, licèt non ex toto (numquam enim hoc orationis opus eſt ſine gratia Dei) at ex parte ſibi relinquitur ; neceſſe habet his inſtrumentis ad meditandum iuuari, & nunc hoc, nunc verò illo conſiderationis genere intellectum ſuum paſcere, & voluntatem admonere. Homini robuſto, & optima valetudine vtenti vnus aliquis cibus ad refectionem ſufficit ; at ægroto, nauſeámque patienti nec multi cibi ſuauiſſimi, nec optimè parati, vt tantillum ſaltem ex illis comedat, ſatis ſunt. Sic & homini perfecto, aut in tempore conſolationis conſtituto quælibet ſancta cogitatio ad feruidos affectus excitandos ſufficit ; cùm tamen minùs perfectum, aut non ita cœleſtibus conſolationibus irrigatum vix multæ conſiderationes ad deuotionem exſuſcitent. Cuius cor ſæpe multiplici conſideratione ligatum, & circumſeptum, dum minus putamus elabitur, ſecundùm illud Dauidis: Et cor meum dereliquit me.] Et Iob ait : Cogitationes meæ diſſipatæ ſunt, torquentes cor meum.] Oportet ergo vt quiſque ita ſtudio orationis ſe tradat, vt illud nec in tempore deſolationis omittat. Sítque non ſicut nauis oneraria, quæ magis ventis impulſa nauigat : ſi verò illi laſſeſcant,quaſi in malatia, aut numquam, aut tarde ſatis in portum fertur. Sed ſicut triremis, cuius eſt, dormientibus ventis, ſe remis impellere, & ad portum properare. Ita ſpiritualis vir, cùm non adeò à Domino viſitatur, debet ſe his meditationum generibus adiuuare, non omnibus ſimul, ſed nunc vno, & poſtea alio; vt ſpiritus eius his quaſi remis impulſus in Deum tendat, & ad voluntatis affectus, qui ſunt veluti portus, quò tendit meditatio, perueniat. Et ſi paulatim his conſiderationibus aſſueuerit, tãquam cooperans gratiæ Dei, & faciens quod in ſe eſt, donum meditandi, & cum eo magna ſanctorum affectuum, & diuinarum conſolationum bona percipiet.

Pſal.39. 13. Iob 17. 11.

De triplici modo meditandi.

CAPVT XXVI.

QVÆ hactenus dicta ſunt pertinent ad res meditandas, quid ſcilicet in quaque re cogitare poſſumus, vt ad ardentes affectus, & petitiones puriſſimas aſſurgamus. Nunc breuiter exponendum eſt, quem modum, quámve rationem intellectus ſpiritualis viri in cogitando ſeruabit. Tres igitur ſunt rationes cogitandi, aut meditandi. Prima communior, & notior;qua res diuinas perinde atque humanas, adductis hincinde rationibus, nobiſcum conſideramus, atque diſcutimus. Quod nullo alio modo explicandum eſt, niſi quòd tu, ô homo, animaduertas quam rationem conſiderandi in rebus huius vitæ practicis habeas, & eamdem in myſteriis fidei euoluendis teneas. Nam ſi veſte indigeas, apud te cogitare incipis, quòd veſte opus habes: deinde inſpicis quænam ſit hæc veſtis tibi neceſſaria, an interior, an exterior. Deinde animaduertis ex quo panno fieri debeat, vt corpus foueat, & à tuo ſtatu non diſſentiat. Item an poſſis diſſimulare, & ſine illa honeſtè inter homines viuere. Si videas id fieri non poſſe, cogitas vnde eam tibi conquiras. An emturus ſis illam, an potiùs à patre tuo, vel hero, vel prælato poſtulaturus. Videns autem quòd ipſa non ſit emenda, ſed poſtulanda, adis patrem tuum, & prædictis cogitationibus, ac inſpectione tuæ neceſſitatis, deſiderio veſtis accenſus, petis ab eo, vt tibi congruum indumentum prębeat, & vt tuam nuditatem, quam illi ob oculos ponis, inſpiciat. Quòd ſi for-

tè patrem ob aliquam leuitatem puerilem à te comniſſam, infenſum ſentias, & ad illum accedere non audeas; adis matrem, aut vnum ex amicis patris tui, rogáſque illum, vt apud patrem intercedat, & veſtem concupitam obtineat. Si hæc ad diuina tranſtuleris, & circa illa exequutus fueris, artem meditandi didiciſti, & conſiderationis gratiam comparaſti. Eadem namque ſimplicitate debes myſteria Chriſti cogitare, in illis veſtem humilitatis, aut manſuetudinis, aut alicuius alterius virtutis inſpicere, & tuam nuditatem animaduertere. His cogitationibus deſiderium virtutis accenditur, & de ratione eam acquirendi cogitatur. Videbis tunc quòd propriis viribus non vales tam pretioſum indumentum poſſidere. Et quòd illud debeas à Patre tuo, ſcilicet à Deo, poſtulare. Accurris ad illum, & ad genua miſericordiſſimi Domini procumbens virtutem neceſſariam poſtulas. Aliquando verò accedis ad B. Virginem, aut ad aliquem Angelorum, vel Sanctorum, & ſine ſtrepitu verborum ſolo corde, vt pro te intercedant, & tibi virtutem obtineant, exoras. Iam vides miſerationem Domini erga te, quia diſſimilis es ab illo, de quo ſcriptum eſt: Noluit intelligere, vt bene ageret.] immo intelligis, & conſideras, vt bene agas, vt bona deſideres, vt bona efflagites, vt ad vitam ſecundùm virtutem agendam procedas.

Pſal. 35. 4.

Hæc eſt prima ratio meditandi, cui illa coniuncta eſt, qua tecum in oratione loqueris, teipſum interrogas, tibíque conuenientia reſpondes. Vt exempli gratia, ſi in ſecreto tui cordis abſconditus ita tecum agas: Ad quid ergo ad hunc locum accedo, & quid nunc facere intendo? Orare, meditari, Deo cultum exhibere, & meipſum ad omnem virtutem incitare. Quem nunc ſum alloquuturus, & vbi eſt ille, cum quo volo ſermonem conferre? Alloquuturus ſum Deum ſummè ſapientem, infinitè potentem, pelagus bonitatis, & miſerationum; qui non longè à me eſt, ſed præſentiſſimus intra me adeſt. Pro quibus rebus tractandis huc accedo, & quanti ſunt momenti? Pro rebus præſtantiſſimis, & admodum mihi neceſſariis. Nam peccatorum veniam ſum poſtulaturus: virtutem hanc, vel illam, vel omnes, & ſanctitatem deſideraturus, & vitam æternam petiturus. Quem modum me decet erga tantam maieſtatem, & pro tantis rebus alloquuturum, ſeruare? Certè vt Deo reuerentiſſimè aſſiſtam; ad eum pertinentia intentiſſimè conſiderem, & me ad omne bonum feruentiſſimè afficiam. In hoc myſterio: quæ ſunt, ex quibus poſſum profectum & emendationem vitæ decerpere? An non video iſtam Chriſti humilitatem? Hanc immenſam erga homines charitatem? Nónne diſcam humiliari? Nónne fratres diligere, & moleſtias ab illis illatas ſuſtinere? Quo modo igitur hanc, vel illam virtutem imitabor? Quos nunc in oratione humilitatis, aut charitatis affectus debeo facere? Quid cum Domino loquar, vt eius miſericordiam inflectam? Certè dicam; & cætera. Et ſic ad ſecundam rationem meditandi accedimus, quam nunc explicare inchoamus.

Altera ergo ratio eſt, qua non iam tecum ratiocinaris, ſed cum ipſo Deo loqueris, & cogitationem tecum priùs habitam, in interius colloquium vertis. Bona enim pars huius ſanctæ orationis in mutua Dei ad animam, & animæ ad Deum alloquutione conſiſtit. Idque indicat ſermo Bernardi dicentis: Sicut quondam Moyſes quaſi amicus ad amicum cum Domino loquebatur, & Dominus reſpondebat: ita & nunc inter Verbum & animam, ac inter duos vicinos familiaris adhuc celebratur alloquutio. Nec mirum; ex vno enim fonte amoris vnicuique influit diligere inuicem, & confoueri pariter. Dulciora ergo melle volant hincinde totius verba ſuauitatis, & mutui feruntur aſpectus ſancti indices amoris. Cùm dicat alter in Canticis: Ecce tu pulchra es, amica mea. Et ſtatim altera dicat: Ecce tu pulcher es, dilecte mi, & decorus.] Inuitat Dominus animam ſæpe vt ſibi loquatur; inſtillátque in præcordiis illius verba Canticorum: Sonet vox tua in auribus meis.] Et rurſum: Eloquium tuum dulce.] Et: Fauus diſtillans labia tua, ſponſa: mel & lac ſub lingua tua.] Huic ergo deſiderio Domini debet anima reſpondere, & ſeipſam ad diuina & ſpiritalia colloquia ſuccendere.

Cant. 1. 5.

Cant. 2. 14.

Cant. 4. 3.

Ibid. v. 11.

Multis autem modis anima Deum alloquitur, quos Bonauentura ita deſcribit: Notandum eſt, quòd anima, ſiue ſpiritus humanus, ſecundùm diuerſa deſideria, & diuerſos modos admirationis, diuerſimodè Deum alloquitur in ſuis meditationibus. Qui licèt ſint infiniti, tamen ad ſeptem reducuntur. Quandoque enim cum animus alloquitur; vt Deum fideliter orando: vt quando in meditationibus ſuis deſideria ſua in vera fide, & ſyncera charitate ſoli Deo exhibet, quod ſoli Deo debetur; quia ſcriptum eſt: Dominum Deum tuum adorabis, & illi ſoli ſeruies. Et veri adoratores ſunt, qui eum in ſpiritu & veritate adorant: ita vt concordet cultus exterior cum interiori. Soli autem Deo ſeruitur, cùm totus homo in Deum per intentionem ordinatur. Vt creatorem vehementer admirando, quando ſcilicet cum ſtupore mentis diuinorum operum, & perfectorum magnitudinem rimatur, per gradus admirationis aſcendendo vſque ad mentis exceſſum; ita vt clamet cum Apoſtolo: O altitudo diuitiarum ſapientiæ & ſcientiæ Dei! Et cum Dauide: Quàm magnificata ſunt opera tua, Domine! Vt Patrem confidenter deprecando; quando nempe deſideria filialis neceſſitatis humiliter clamant, dicendo: Pater noſter, qui es in cœlis. Vt Dominum humiliter honorando: vt quando quiſque ſe inutilem reputans ſeruum, nihil boni ſibi aſcribit; ſed omnia à Domino largitore omnium ſe gratis recipere cognoſcit. Vt iudicem horribiliter timendo; vt quando trepidis deſideriis reatum, & infirmitatem propriam cum confidentia infinitæ miſericordiæ inſinuat, dicens illud Iob: Loquar in amaritudine animæ meæ. Vt ſocium familiariter confabulando; vt quando anima, diuina alloquutione refecta, è conuerſo ſeipſam cum gratiarum actione in feruore deſideriorum ſocialiter exhibet, & familiariter ſe alloquentem alloquitur. Quòd autem ſocietas poſſit eſſe inter Deum, & animam, dicit Apoſtolus: Fides eſt, per quam vocati eſtis in ſocietatem Filij eius. Et Ioannes: Si in luce ambulamus, ſicut & ipſe in luce eſt, ſocietatem habebimus ad inuicem. Vt ſponſum dulciter ſuſurrando; vt quando præ magnitudine amoris occulta, & intima deſideria nec ad plenum formare valet, nec plenè exprimere.] Hæc ille, multis immutatis, & aliis omiſſis.

Bona. 2. itiner. æternitatis. diſt. 4.

His ergo modis, & aliis ſimilibus poſſumus meditationes noſtras ad modum colloquij componere, & cum Domino colloquia miſcere. Hæc autem ratio meditandi vtiliſſima eſt, pariter & efficaciſ

Bernard.

ficaſſima ad animum noſtrum immutandum, & affectus excitandos ; ſi tamen debita cum reuerentia fiat, & homo ad attentè loquendum (ſemper intelligo abſque vocis ſtrepitu) ſeipſum exacuat. Nec tamen in hac meditandi ratione ſolùm Deum, aut Chriſtum Saluatorem alloquimur ; ſed & B. Virginem, vt matrem & Dominam ; & Angelos, vt famulos dilectiſſimos Regis cœleſtis ; & Sanctos in cœlo regnantes, vt Aduocatos interpellamus. Ex hac verò humili & attenta alloquutione (vt experientia teſtis eſt) multo maiorem fructum, quàm ex nuda ratiocinatione percipimus.

Tertia meditandi ratio eſt, qua nec nobiſcum ratiocinamur, nec Deum alloquimur, ſed eum quaſi nos alloquentem, & verba facientem, ac de neceſſariis docentem audimus. Hunc modum meditandi elicimus ex Dauide, dicente : Audiam quid loquatur in me Dominus Deus ; quoniam loquetur pacem in plebem ſuam.] In eóque illam amatricem imitamur, quæ ſedens ſecus pedes Domini audiebat verbum illius.] Loquutio autem Dei, eſt inſpiratio eius, quam aliquando ipſe ſolus in mentibus noſtris format, nobis eam recipientibus, immo & aliquando reſiſtentibus (de qua ſuo loco dicemus) aliquando verò noſtra induſtria & conatu verba formandi (vt in meditatione fit) quaſi ſuam nobis voluntatem declarat. Inſpiratione autem Dei alloquutionem contineri, docet Gregorius, dicens : Quaſi audientibus dicitur, quod videntibus inſpiratur.] Et alio loco: Loquitur Deus intrinſecus ſilenter, ſonans inuiſibili lingua compunctionis, & quanto pleniùs intus auditur, tanto ab exteriorum deſideriorum ſtrepitu perfectiùs audiens auertitur.] Et Auguſtinus : Dei loquutio eſt occulta inſpiratio, qua mentibus ſuam voluntatem & veritatem oſtendit.] Plurimas meditationes hoc modo compoſitas inuenies apud viros ſpirituales. Vnam dumtaxat Thomæ à Campis in exemplum adduco. Nam ſic ille Dominum in corde hominis loquentem inducit : Fili, ego debeo eſſe finis tuus ſupremus, & vltimatus, ſi verè deſideras eſſe beatus. Ex hac intentione purificabitur affectus tuus, ſæpius ad ſeipſum, & ad creaturas malè incuruatus. Nam ſi teipſum in aliquo quæris, ſtatim in te deficis, & areſcis. Omnia ergo ad me principaliter referas, quia ego ſum, qui omnia dedi. Sic ſingula conſidera ſicut ex ſummo bono manantia ; & ideo ad me tamquam ad ſuam originem cuncta ſunt reducenda. Ex me puſillus & magnus; pauper & dines, tamquam ex fonte viuo aquam hauriant viuam, & qui mihi ſponte & liberè deſeruiunt, gratiam pro gratia accipient. Qui autem extra me voluerit gloriari, vel in aliquo priuato bono delectari, non ſtabilietur in vero gaudio, neque in corde ſuo dilatabitur, ſed multipliciter impedietur, & anguſtiabitur. Nihil ergo de bono tibi adſcribere debes ; nec alicui homini virtutem meam attribuas ; ſed totum da Deo, ſine quo nihil habet homo. Ego totum dedi, ego totum iterum habere volo, & cum magna diſtrictione gratiarum actiones requiro. Hæc eſt veritas, qua fugatur gloriæ vanitas. Et ſi intrauerit cœleſtis gratia, & vera charitas, non erit aliqua inuidia, nec contractio cordis, neque priuatus amor occupabit. Vincit enim omnia diuina charitas, & dilatat omnes animæ vires. Si rectè ſapis, in me ſolo gaudebis, in me ſolo ſperabis ; quia nemo bonus, niſi ſolus Deus, qui eſt ſuper omnia laudandus, & in omnibus benedicendus.] Sic ille.

Hoc ergo modo, & aliis ſimilibus Deum in meditatione nos alloquentem cogitamus. Nunc enim ipſum audimus quaſi acriter arguentem : Nam quos amo, inquit, arguo, & caſtigo.] Nunc quaſi terribiliter comminantem : Si quis in me non manſerit, mittetur foras, ſicut palmes, & areſcet, & colligent eum, & in ignem mittent, & ardet.] Nunc quaſi prudenter docendo : Beati eſtis, cùm maledixerint vobis homines, & perſequuti vos fuerint.] Nunc quaſi vtiliter ſuadendo : Suadeo tibi, ait, emere à me aurum ignitum, vt locuples fias.] Nunc quaſi veraciter promittendo : Qui diligit me, ſermonem meum ſeruabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus.] Nunc quaſi familiariter conuerſando, & ad particularia noſtra deſcendendo. Et tandem quiſque poterit his, aut aliis modis Dominum ad ſe loquentem inducere, & ſimiles verbis auditis in ſe affectus excitare. Alia, quæ in his modis meditandi deſiderari poſſunt, infrà ponentur. Hæ igitur rationes, quas diximus in ſuperioribus capitibus, ſunt in noſtram conſiderationem adducendæ : & his tribus modis eas apud nos meditabimur. Si autem aliquis prorſus litterarum ignarus hæc legerit (quod vix accidet, cùm hæc ſcripta noſtra latinè in lucem edantur) & ſic meditari neſcierit, ſimplici corde hiſtoriam vitæ ac mortis Saluatoris, prout geſta eſt, conſideret, & ea ſe ad bonum afficiat ; & ſimiliter alia ad ſuum captum accommodata recogitet. Et pro certo ſciat ſe nullo modo fructu meditationis priuandum. Quia (vt iam diximus, & iterum libenter repetimus) donum huius orationis non in ſubtili rationum inueſtigatione, ſed in ſyncera rerum ſpiritualium recogitatione conſiſtit, quæ animum paſcat, & voluntatem ad amorem boni, & odium mali promoueat.

Pſal. 84. 6.

Luc. 10. 39.

Infrà lib. 5.

Greg. 2. mor. c. . & 30. mo ral. 3. ..

Aug. de triplici habitaculo.

Kemp. lib. 2. de imitatione Chriſti. c. 10.

Apocal. 3. 16.

Ioan. 15. 6.

Matth. 5. 11.

Apocal. 3. 18.

Ioan. 14 23.

Lib. 2. part. 2. c. 11.

Contemplatio finis eſt dictorum ; & eius tractatus in alium locum reiicitur.

CAPVT XXVII.

CONTEMPLATIO, quæ eſt ſyncera Dei, & rerum diuinarum inſpectio, diſcurſibus carens ; Dei verò ardentiſſimum amorem, & ineffabilem mentis exultationem inducens, finis eſt, ad quem omnis meditatio & inueſtigatio tendit, vt ipſa in vitæ puritatem tendat, & ſuum poſſeſſorem hominem cœleſtem, aut angelum terreſtrem efficiat. Dulce quidem eſt viatori poſt moleſtias itineris domum propriam ingredi, in eáque cum abundantia & lætitia quieſcere. Ita dulciſſimum eſt viro ſpirituali poſt diſcurſus meditationis ad quietem contemplationis accedere, & in Deo contemplatione inuento, quaſi in proprio domicilio, commorari. Iam nauigatione exacta, qua nunc proſperis ventorum flatibus, nunc vi remorum impulſus conabatur fluctus diſtractionũ ſubigere, portum tenet ſpiritus noſter ; in quo non cibis corporis, aut viſibilibus diuitiis, ſed veritate ſatiatur. Iam poſt difficultatem aſcenſus, quo in ſummitatem montis aliquando tandem peruenimus, cum ſtatum aſſequitur anima, in quo dicat ad Dominum:

Bonum est nos hîc esse;quia talem splendorem videt, talia pignora fœlicitatis possidet, quæ nulla verba sufficiunt exprimere. Iacob ascensurus in Bethel,vbi Dominus seipsum ostendit, conuocata omni domo sua, ait: Abiicite deos alienos, qui in medio vestri sunt, & mundamini, ac mutate vestimenta vestra. Surgite, & ascendamus in Bethel, vt faciamus ibi altare Deo.] Sic prorsus orationi deditus priùs illicita reiicit, & licita quæque componit,vt ad montem contemplationis ascendat,ibique Dominum sibi bona promittentem aspiciat.Et sanè quo magis emundauerit se ab iis, quæ non licent, tanto magis erit vas in honorem sanctificatum, & vtile Domino, in quo purissimum & suauissimum contemplationis liquorem iniiciat. Idipsum quoque in Dauide & Ionatha figuratum est; qui, vt ex historia Regum constat, tribus vicibus fœdus inierunt. Primò quidem in domo, cùm anima Ionathæ conglutinata est animæ Dauid,& dilexerunt se mutuò. Secundò in agro; cùm Ionathas Dauidi Saulis odium & iniquam voluntatem nunciauit.Tertiò in deserto; cùm Ionathas regno cessit,& Dauidi habendum reliquit. Sic & anima spiritalis viri, primò init fœdus cum Deo suo in domo cordis, eiiciendo peccata, & assumendo arma lamenti, & pœnitentiæ, quibus oppugnet ea, quæ Dei voluntati repugnant. Deinde in agro cordis plantando virtutes,quibus ornata & pulchra oculis Domini, & Angelorum appareat. Hæc autem præcedunt,vt postmodum iungatur Domino in deserto contemplationis, & ei se totam dedat, & in pacatissimum regnum committat.Repellimus peccata,vt Domino,eius gratia vestiti, placeamus: cohibemus sensus, & affectibus imperamus, vt virtutum impedimenta propulsemus. Virtutes acquirimus, vt tam splendidis indumentis, & pretiosis gemmis ornati,ad meditationis & orationis cubiculum admittamur:meditationi & orationi insistimus,vt contemplationis thesauro ditemur.

Gen. 35. 2.

1. Reg. 18. 3.

1. Reg. 20. 12. 1. Reg. 23. 18.

Contemplatio ergo finis est spiritualium studiorum.Finis,inquam,proximus,& in alium remotiorem & sublimiorem ordinatus:is autem est verè terrena despicere,cœlestia diligere,& mentis puritatem,ac vitæ sanctitatem comparare.Contemplatio namque,quæ hunc non quæreret finem;quæ in hunc puritatis vitæ scopum non tenderet; quæ euangelicam perfectionem,& mandatorum custodiam exactam non inquireret; non contemplatio, sed dæmonis illusio à sapientibus reputatur. At ipsa,cùm in hanc dirigitur cordis animíque munditiem,finis est aliorum,quæ diximus.tamquam præcipuum instrumentum, quo turris huius sæculi in cordibus nostris deiicitur, & perfectionis templum ædificatur.

Hanc contemplationem, ac sublimiorem orationis mentalis speciem licet desiderare.Quis enim secundùm volũtatem Dei ponat media ad aliquem finem,& iuxta eamdem volũtatem eum finem non concupiscat? Aut quis desiderare non posset illud instrumentum omnium efficacissimum,quo homo sanctus & perfectus efficitur? Cupiebat quidem eam Augustinus, & humiliter postulabat in hunc modum:Tu es vita mea, per quam viuo; spes, cui inhæreo: gloria,quam adipisci desidero. Tu mihi cor tene,mentem rege,intellectum dirige:amorem erige, animum suspende,& in superna fluenta fontis vitæ post te trahe. Taceat,quæso,tumultus carnis. Conticescant phantasiæ terrarum,& aquarum, & aëris,& poli. Taceant somnia, & imaginariæ reuelationes: omnis lingua; omne signum, & quic-

Augusst.

A quid transeundo fit. Sileat etiam ipsa anima,transeat se,non cogitando se, sed te,Deus meus:quia tu es re vera tota spes,& fiducia mea.] Sic ille.Possumus itaque nos donum contemplationis cupere: possumus illud ex bono fine maioris perfectionis humiliter postulare:possumus, immo & debemus, ad ipsum nos omnimoda abnegatione, & assidua vniuersarum virtutum exercitatione disponere. Hoc autem est ardentissimum desiderium,& optima, pro contemplatione obtinenda, precatio, nostrorum adfectuum ac iudicij & voluntatis abnegatio assidua,& sanctorum ac secundùm virtutem operum exercitatio continua. Deus enim homines his præparamentis dispositos, & per sanctam ac spiritalem vitam ad contemplationem idoneos libenter ad eius beatam possessionem extollit. Delitiæ meæ, inquit, esse cum filiis hominum.] Cùm autem filios hominum minus aptos ad delitias suas capiendas inuenit; tunc delitias ex eorum consortio non admittit.Nos certè in caussa sumus, quòd numquam contemplationis ineffabilem suauitatem gustemus; qui non cor ad hunc cœlestem liquorem accipiendum disponeremus,& mundi cogitationibus & desideriis vacuaremus,non pateretur benignus Dominus, qui tam ardenter homines diligit, nos tanto bono carere, & hac stilla futuræ fœlicitatis priuari.Filium prodigum,verè tamen,& ex corde compunctum, & ad paternam domum cum magna humilitate redeuntem pater, non vtcumque,sed in symphonia,& choro,& in conuiuio vituli saginati lætanter admisit. Quid faciet Pater cœlestis cum viris spiritualibus ex corde compunctis,& humilibus, & sæculi huius magnam despicientiam habentibus, & cordis dispersiones colligentibus? An eos tristi vultu, aut irato & indignabundo excipiet?An durè & seuerè tractabit? Equidem puto quia non ita faciet;sed introducet eos in cellam vinariam, & ordinabit in eis charitatem, & ab vbertate domus suæ inebriabit;& à contemplatione amicissimis parata non excludet.

Prou. 3. 31.

Aues scire, ô iuste, quid te à dono contemplationis amoueat? Audi igitur. Amouent peccata etiam leuia, si in illis hæseris, & assidua compunctione diluere non curaueris. Sic enim intelligit Bernardus illud Ezechiæ: Domine vim patior,responde pro me. Quasi dicat, inquit, Domine, non sponte, sed inuitus retrahor, & arceor à tui contemplatione: quia corpus, quod corrumpitur, aggrauat animam, & deprimit terrena inhabitatio sensum multa cogitantem. Responde ergo tu, ô conditor, pro me, qui nosti naturæ conditionem. Aut si peccata mea hoc faciunt, nec est culpa naturæ, sed meæ pessimæ conditionis, etiam sic nihilominus responde pro me,affigens peccata cruci, & sanguine tuo delens, vt non sit, quod me impediat contemplantem.] Obstant affectus terreni. Quare Cassianus, enumeratis multis contemplationis speciebus, hæc subdidit:Quas profectò nullus perpetuò retentabit, in quo adhuc aliquid carnalium viuit affectuum: quia non poteris, ait Dominus,videre faciem meam. Non enim videbit me homo, & viuet; scilicet mundo huic, affectibúsque terrenis.] Id profectò significant illa verba, quæ de sapientia habentur in Iob: Abscondita est ab oculis omnium viuentium.] Quia,vt Gregorius ait: Quisquis sapientiam,quæ Deus est,videt:huic vitæ funditus moritur, ne iam eius amore teneatur. Nullus quippe eam vidit, qui adhuc carnaliter viuit; quia nemo potest Deum simul amplecti, & sæculum. Qui enim Deum vidit, eo ipso moritur,

Bernard. serm.3.de diuersis, in cant. Ezechiæ.

Cassian. coll.1. c. 15.

Iob 28. Greg. 18. moral. c. 28.

quo vel intentione cordis, vel effectu operis ab huius vitæ delectationibus tota mente ſeparatur. Vnde adhuc ad eumdem quoque Moyſem dicitur: Non enim videbit me homo,& viuet. Ac ſi apertè diceretur: Nullus vmquam Deum ſpiritaliter videt, & mundo carnaliter viuit. Vnde Paulus quoque Apoſtolus,qui adhuc Dei inuiſibilia, ſicut ipſe teſtatur, ex parte cognouerat:iam huic mundo totum ſe mortuum perhibebat,dicens:Mihi mundus crucifixus eſt,& ego mundo.Sicut enim iam longè ſuperiùs diximus, non ſufficit vt diceret: Mundo crucifixus ſum,niſi etiam præmitteret: Mihi mundus crucifixus eſt; vt ſe mundo non ſolùm mortuum,ſed etiam mundum ſibi mortuum eſſe teſtaretur: quatenus nec ipſe mundum, nec ipſum iam mundus appeteret.]

Obſiſtit tandem diſſimilitudo morum. Nam ſi virtutibus Chriſto ſimilis eſſes, abſque dubio illũ contemplari poſſes. Vt enim iterum dicit Bernardus:Nam neque hoc luminare magnum (ſolem loquor iſtum,quem quottidie vides)vidiſti tamen aliquando ſicuti eſt,ſed tantùm ſicuti illuminat,verbi cauſſa,aërem,montem, parietem. Quod nec ipſum quidem aliquatenus poſſes, ſi non aliqua ex parte ipſum lumen corporis tui pro ſua ingenita ſerenitate, & perſpicuitate cœleſti lumini ſimile eſſet. Non denique alterum membrum corporis capax eſt luminis, ob multam vtique diſſimilitudinem. Sed nec ipſe oculus, cùm turbatus fuerit, lumini propinquabit,nimirum ob amiſſam ſimilitudinem. Qui ergo turbatus nullatenus ſerenum ſolem videt propter diſſimilitudinem, ſerenus aliquatenus videt propter nonnullam ſimilitudinem. Profectò ſi pari prorſus puritate vigeret,videret omnino,inoffenſa facie, eum ſicuti eſt, propter omnimodam ſimilitudinem. Ita & ſolem iuſtitiæ illum, qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, videre in hoc mundo ſicut illuminat, illuminatus poteſt, tamquam iam in aliquo ſimilis. Propterea dicit: Accedite ad eum, & illuminamini,& facies veſtræ non confundentur.] Hactenus Bernardus. Tolle ergo peccata tua, tolle immortificationes tuas,aſſimilare Chriſto in moribus,& à dono contemplationis non excludéris.

Bernard. ſerm. 31. in Cant.

Et quidem contemplationis tractatio longa ſatis,& proficua eſt,quam in poſtremum huius voluminis librum reiicimus, vt priùs omnia, quæ ad meditationem ſpectant,tradamus.Hæc enim aliqua habet, quæ ipſam præcedant; aliqua verò, quæ comitentur;alia demum,quæ ſequantur. Item & materiam requirit,circa quam inueſtigatio noſtra verſetur.Tandem & modus aperiendus eſt,quo multiplices affectus ſint in meditatione excitandi, in quibus præcipuus fructus orationis conſiſtit. His ergo in tribus libris ſequentibus pro noſtro modulo explicatis, ad contemplationem redibimus, & eam (Domino concedente) iuxta ſanctorum Patrum doctrinam explicabimus.

ORATIO.

DOmine Deus omnipotens, fons ſapientiæ, & origo omnis luminis, qui primo mundi viſibilis die lucem pulcherrimam è tuæ potentiæ theſauris eduxiſti, qua homo tuorum operum miram bonitatem cerneret, & eorum aſpectu ſemetipſum ad tuam laudem incitaret:quique aliam lucem præſtantiorem,& meliorem in Angelis, & in humanis mentibus procreaſti, cuius beneficio inuiſibilia & æterna cognoſcerent, & proximè ad tui,qui beatitudo noſtra es, notionem accederent:huius lucis radio,quæſumus,iugiter mentes noſtras illumina, & ſanctas cogitationes aſpira, eáſque durabiles facito, vt te tuáque ſemper cogitemus, & ad te diligendum, tibique affectibus inhærendum aſſurgamus. Præbe, Domine, ſollicitæ & intentæ meditationis donum, quod opera tua, ac opera noſtra humiliter perſcrutetur, vt ex cogitatione intima illorum, amor tui,& gratitudo pro tuis beneficiis prodeat; vt ex notitia iſtorum, mundi, & eorum, quæ in mundo ſunt, deſpicientia procedat. Amen.

FINIS LIBRI PRIMI.

DE HIS, QVÆ PRÆCEDVNT, COMITANTVR, ET SEQVVNTVR ORATIONEM MENTALEM,

LIBER SECVNDVS.

PROOEMIVM.

Tripliciter orationis scientiam adipiſcimur.

MEntalis Orationis diſciplinam tribus modis viri ſpirituales addiſcunt: aut ſola gratia Domini erudiente: aut propria hominis induſtria gratiæ ſe adiungente: aut aliena doctrina gratiam & induſtriam auxiliante. Illi ex ſola gratia diſciplinam orationis accipiunt, qui cùm ſpiritum orationis non quærant, immo aliquando prorſus ignorent; repentè ad intimam quamdam Dei præſentiam introducuntur, & ad theoricos mentis exceſſus ſubleuantur. Paulus, inter innumeros alios, orationis donum ex mera gratia percepit, cui Damaſcum pergenti, vt Chriſto in ipſius membris bellum inferret, repentè claritas cœleſtis affulſit, quæ eum ad diuinorum contemplationem extulit, & in tertium cœlum raptum ad Euangelij prædicationem, & ad tot labores pro Chriſto, & pro fratribus exantlandos mirè diſpoſuit. Introductus ille Damaſcum, erat ibi tribus diebus non videns, & non manducauit, neque bibit. Quid illo triduo fecerit, audi ex Chryſoſtomo: Compungebat ſe propter ea, quæ fecerat, confitebatur, precabatur, orabat Deum.] Tunc etiam in tertium cœlum mente fuiſſe ſublatum, multi ex Doctoribus cenſent; & Damaſus Papa non obſcurè indicat in hunc modum canens:

Act. 9. 9.

Chryſoſt. hom. 19. in Act.

Damaſ. in carmine de D. Paulo. Habetur to. 3. Biblioth.

Mutatus poſtquam placuit de nomine Paulus
Mira fides rerum, ſubitò trans æthera vectus
Noſcere promeruit, poſſint quid præmia vitæ.
Conſcendit clarus martyr penetralia Chriſti,
Tertia lux cœli tenuit Paradiſus eumdem.

Illi ex propria ſimul induſtria, & diuina gratia ſpiritum orationis comparant, qui Dei inſtinctu ad eius familiaritatem vocati, labore aſſiduo, ac indefeſſo ſtudio ſcire conantur quónam modo ſit Deus in ſpiritu & veritate adorandus, quomodo ſint cœleſtia rimanda; & quánam ratione fructus ex conſideratione colligitur, & mens paulatim ex infimis ad media, & ex mediis ad ſumma orationis extollitur. Hac induſtria fuiſſe vſum aliquando Dauidem in rationibus diuinæ prouidentiæ meditandis, ex eius verbis agnoſcimus. Cogitaui, ait, dies antiquos, & annos æternos in mente habui. Et meditatus ſum nocte cum corde meo, & exercitabar, & ſcopebam ſpiritū meum.] Illa enim verba cogitandi, in mente reponendi, meditandi, ſeipſum corde exercendi, & ſpiritus interiora rimandi; non aliud quàm adhibitum conatum in eruenda & diſquirenda veritate ſignificant. Enimuero dies antiqui, in quibus ſunt geſta humanæ redemtionis myſteria; & anni æterni à noſtra mutabilitate ſeiuncti, & ab omni viciſſitudine ſeparati, non potuerunt abſque magna ſollicitudine in cogitando ac meditando poſita, deprehendi. In illis tandem diuinæ gratiæ, & propriæ induſtriæ doctrina ſuperadditur, qui aut viua voce magiſtri, aut ſpiritualium librorum lectione ad orationem iuuantur, & quod ipſi per ſe conſequi non poſſunt, ex aliis addiſcunt. Sic duo diſcipuli poſt reſurrectionem à Domino illuminati ſunt, quibus aperuit ſenſum, vt intelligerent Scripturas. Sic Iudæi ad ſacras litteras miſſi ſunt, vt ex eis Chriſti Saluatoris notionem acciperent. Scrutamini Scripturas; quia vos pũtatis in ipſis vitam æternam habere: & illæ ſunt, quæ teſtimonium perhibent de me.] Quorum induſtria lectione ſuffulta eſt, vt his duobus, ſtudio, & lectione, ſe ad gratiam ſuſcipiendam pararent, cuius eſt veritates ſupernaturales mentibus aperire, & congruos affectus veritati cognitæ ſuſcitare.

Luc. 24. 45.

Ioan. 5. 39.

Has tres aſſequendæ mentalis orationis rationes Richardus Victorinus tradidit, & tribus viris inſignibus ſignatas eſſe, his verbis optimè docuit. Modis autem tribus in gratiam contemplationis proficimus: aliquando ex ſola gratia, aliquando ex adiuncta induſtria, aliquando ex aliena doctrina. Horum trium in tribus, Moſe videlicet, Beſeleel, & Aaron typum, vel exemplum habemus, ſi eorum geſta conſulimus. Moyſes primò arcam in monte & nube ſine vllo induſtriæ labore, ex ſola Domini reuelatione vidit. Beſeleel, quam videre potuiſſet, proprio labore formauit. Aaron autem arcam aliena iam operatione formatã videre conſueuit. In morem Moyſis arcam Domini ſine aliqua humana induſtria videmus, cùm ex ſola Domini reuelatione, radium contemplationis accipimus. Sed tunc, quaſi iuxta Beſeleel exemplum, in idipſum ex proprio opere proficimus, cùm in eamdem gratiam noſtro ſtudio & labore artem comparamus. Tunc autem vt arcam Domini videre poſſimus, quaſi ex aliena operatione accipimus; quando ex aliena traditione in eiuſmodi gratiæ vſum aſſueſcimus. Sed quod de induſtriæ operatione dicimus, non ſic accipi volumus, quaſi ſine gratiæ cooperatione aliquid omnino poſſimus, cùm quælibet noſtra induſtria nõ ſit niſi ex gratia.

Richard. 5. de contemplat. cap. 1. Hæc triplex orationis ſcientia in Moyſe, Beſeleel, & Aarone monſtratur.

Pſal. 76. 6.

Sed

Sed aliud eſt contemplationis gratiam diuinitus percipere, atque aliud eſt eiuſmodi donum, Dei quidem cooperatione, proprio exercitio comparare. Modis itaque tribus hanc gratiam obtinemus, & modò quidem ex diuina inſpiratione, modò ex propria exercitatione, modò autem ex aliena traditione.] Sic ille. Primo modo ſolet Dominus eos orationem docere, quos ad magna cõtemplationis dona efferre conſtituit: eos etiam, quibus ſtatus, aut locus, aut ineruditio impedimento eſt, ne valeant præceptoris auditione, vel librorum ſpiritualium lectione in hac diſciplina proficere. Etenim non ſine admiratione aliquas reperimus fœminas à Deo ſolo in ſtudio contemplationis edoctas, & ad eximiam quamdam ipſius familiaritatem admiſſas, quas non vox magiſtri, ſed inſpiratio diuina: non libri, ſed vnctio Spiritus ſancti ita inſtruxit, & erudiuit; vt breui tempore ad incredibilem contemplationis gratiam, & ad ineffabiles mentis exceſſus peruenirent. Audiuimúſque eas cum ingenti animi noſtri ſtupore de myſterio Trinitatis, déque aliis fidei noſtræ arcanis, ac de Angelorum natura & miniſteriis ita propriè loquentes, ita ardenter verba facientes, ac ſi res theologicas in ſcholis ſtrenuè didiciſſent; & ac ſi intus flammam diuini Spiritus excepiſſent. In illíſque perfectiſſimè illud Iſaiæ videtur impleri: Ponam vniuerſos filios tuos doctos à Domino, & multitudinẽ pacis filiis tuis:] quoniam hæ animæ à Domino ipſo videntur inſtructæ, non ſolùm vt arcana fidei oculis ſapientiæ cognoſcant, ſed & vt per rerum humanarum deſpicientiam (quod ſignum eſt, illas non eſſe à dæmone illuſas, ſed à Deo miris donis cumulatas) pacem colant, & tamquam in iuſtitia fundatæ, præcepta & conſilia euangelica perfectè cuſtodiant.

Iſaia 54. 13.

Aliis duobus modis induſtriâ & doctrinâ illi de rebus orationis eruditur, qui capaces ſunt, vt ad regulas meditandi & cõtemplandi capiendas, propriam induſtriam adhibeant: quíque magiſtrum mediocriter inſtructum habent, à quo doceantur: & libris non carent, quorum vſu poſſunt orationis mentalis ſcientiam acquirere. Cùm enim Deus attingat à fine vſque ad finem fortiter, & diſponat omnia ſuauiter, & pro modo cuiuſque (vt Dionyſius ait) prouidentiſſimas bonitates impertiat; ad eius in gubernatione habitam ſuauitatem ſpectat, vt communi ac ordinario modo humanum ſpiritum ad cœleſtia promoueat, & per alios homines, ac non excluſa ipſius addiſcentis induſtria, de cœleſtibus inſtruat. Nec propterea minus proficit, qui non proximè, ſed medio homine, ſcientia orationis imbuitur, quia Deus hominem ad magiſterium hominis vocat, non vt minora doceat, ſed vt paulatim ex his, quæ homo docere poteſt, ad maiora & altiora perducat. Vult ergo Dominus vt homo gratiæ ſuæ propriam induſtriam, & alienã doctrinam adiungat, quia bonum eſt illi ſic orationẽ aſſequi, & gratiæ ſibimet datæ cooperari. Hominem enim docentem auſcultare, & illi ſe ſubiicere, humilitatis indicium eſt. Humilitas autem animam capacem diuinarum illuſtrationum facit, dum ſuperbiam, & confidentiam propriam, quæ ianuam miſericordiarum obſtruit, à nobis auertit. Induſtriam verò, & diligentiam adhibere, honoris noſtri eſt; quia iam ex parte pro donis, quæ recipimus, laborantes, ad ea obtinenda diſponimur, & diuitias, quibus ditamur, aliqua ratione meremur.

Sap. 8. 1.

Dionyſ. cap. 4. de diuinis nom. p. 4.

Orationis verò mentalis tractatio vtriſque vtilis eſt; tam ſcilicet illis, qui ex ſola gratia ad contemplationem efferuntur; quàm illis, qui ex adiuncta induſtria, vel doctrina guſtum orationis capiunt. Primi quidem ex hac tractatione non modicum emolumentum decerpunt; quia abſcondita ſua ſæpius experimento concepta & ignorata, quid ſint intelligunt: quantum valeant deprehendunt; & ſi aliquid in eis illuſionis, aut deceptionis lateat (quod interdum euenit) probè cognoſcunt. Nam hæc omnia ſupernaturalia in mentibus virorum ſpiritualium inuenta, per Eccleſiæ & Theologiæ regulas examinanda ſunt, quas orationis & contemplationis diſputatio debet inquirere, & ad legentium vtilitatem explicare. Aliis verò omnino neceſſarium eſt à patre ſpirituali, vel à libris res orationis tractantibus modum, quo ſe in oratione gerent, audire. Si enim ad alias artes addiſcendas propria hominis induſtria non ſufficit, niſi etiam directio præceptoris accedat; quo pacto rem tam ſublimem, ac eſt communicatio cum Deo, & tam in latebris noſtri cordis abſconditam, poterit quis ſine directore conſequi, aut ſine lectione, quæ in abſentia præceptoris pro illo ſubſtituitur, comparare? Hos itaque, qui modo ordinario ad ſtudium orationis vocantur, erudire cœpimus, & cœpta nunc pro noſtra tenuitate, & prout Dominus dederit, proſequemur. Sunt enim multa in orationis exercitatione ſeruanda, quæ non potuerunt cum ipſa ſimul orationis ſubſtantia abſque tædio & confuſione tractari. Quare maluimus hæc in præſentem tractatũ reiicere, & longiores videri, quàm rei tam vtili caliginem obſcuritatis offundere. Sunt, inquam, hæc multa, nec mirum; quoniam ſi ars ſartoria, vel ſutoria corpori veſtes, vel calceos adaptans multa documenta exigit, vt bene operetur; quare diſciplina orationis non multa ſeruanda contineat? Certè ars loquendi cum hominibus, & eis aliquid perſuadendi, tot habet regulas, tot leges, tot documenta, vt vix vnum in ea perfectum inuenias; & ſcientia loquendi cum Deo, & illum placandi, & ad eum intellectu, & affectu, & puritatis imitatione accedendi nullas leges ſeruãdas continebit? Quis hoc credat? At hæc multa ad nonnullum vſum applicita non ſolùm facillimè memoria retinentur; verùm & ſine vllo labore, ipſa operis exercitatione ſeruantur. Vide, ô iuſte, quàm facilè fabri tignarij, vel aurarij, vel alij ſimiles in operando ſuarum artium regulas teneant. Vide quàm ſuauiter, & ſine moleſtia Grãmatici & Rhetores ſua ad congruè & ornatè loquendum præcepta cuſtodiant, & quæ nũc ſubiiciemus, ſi tamen animum operi accommodaueris, maiori ſuauitate & facilitate te ſeruaturum eſſe non dubites. Illi namque ad opus ſuum ſola natura iuuantur: tu, præter induſtriam tuam, diuina gratia excitaberis, ſpecialibus auxiliis iuuaberis, & Deo faciente, pronitatem conſequéris. Diſciplinam hanc orationis idiotæ non multis diebus capiunt: pueri & adoleſcẽtuli addiſcunt; mulierculæ eius capaces fiunt, & tam illi, quàm iſtæ ad magnam in ea perfectionem accedũt. Quod ſanè argumento eſt, rem hanc nec ex ſubſtantia ſua, nec ex documentorum multitudine eſſe difficilem, quam quidem omnes poſſunt comparare. Iam ergo diuino auxilio freti, dicamus, quænam ſint in diſciplina orationis obſeruanda, vt quiſque hæc præ oculis habens, ita ſe intra & extra tempus orationis gerat, vt in hoc ſancto & ſublimi ſtudio proficiat.

PARS PRIMA

De antecedentibus Orationem mentalem.

INTRODVCTIO.

MEDICI corporum pharmaca efficaciſſima ad pellendos humores noxios ægrotis adhibituri, primùm eos ſuauioribus medicamentis diſponunt; deinde modum accipiendi pharmaca efficaciora præſcribunt; ac tandem quid poſt ſumtam potionem faciendum ſit, vt ſalus concupita proueniat, diligenter animaduertunt. Sciunt enim neque corpus indiſpoſitum poſſe à nequiſſimis humoribus emundari, neque potionem ſine conueniente modo acceptam poſſe proficere, neque ægrotum ſine ſubſequenti cuſtodia poſſe vſque ad deſiderium conualeſcere. Mentalem orationem nos efficaciſſimum medicamen iudicamus, quo noxios humores vitiorum, & inordinatorum affectuum expellimus, & in ſalutem animæ reſtituimur. Idémque iudicauit beatiſſima virgo & Martyr Agatha à Spiritu ſancto docta, quæ Petrum Apoſtolum ſibi apparentem in hunc modum eſt affata: Medicinam carnalem corpori meo namquam exhibui; ſed habeo Dominum Ieſum Chriſtum, qui ſolo ſermone reſtaurat vniuerſa. Ac ſi diceret: Cùm ego habeam orationis donum, quo valeo Chriſtum ſponſum meum euocare, & ab eo ſalutem quoque carnis expoſcere; ſuperuacaneum duco curandis meis vulneribus medicamenta viſibilia quæritare. Hæc ergo ſpiritalis medicina orationis vt proficua ſit mentibus; non ſine ordine & modo accipienda eſt, & medendis noſtris vulneribus applicanda. Ordo autem, ac modus ab hoc pendet, vt quædam documenta, quibus anima diſponatur ad orandum, illam præcedant: quædam ad ipſam orationem pertinentia, ipſam comitentur: & quædam, ex quibus pendet, vt eius fructus perſeueret, illam ſequantur. Ac de his toto hoc libro diſſeremus, Dominóque aſpirante, in quo ſolo ſpes noſtra collocata eſt, à documentis præcedentibus incipiamus.

Qua vitæ puritate debeat ſpiritualis vir ad Orationem mentalem parari.

CAPVT PRIMVM.

Puritate mētis vt fundamēto indiget oratio.

STABILE fundamentum, cui ſanctæ orationis ſtructura ſubnititur, munda & inculpata vita eſt, à qua ſapiens ædificator inchoet, ſi cupit in ſtudio interiori progreſſum facere, & huius turris, ex qua puris oculis videtur Deus, culmen ſummitatémque tenere. Ideo enim expulſionem peccatorum, extinctionem vitiorum, victoriam paſſionum, & acquiſitionem virtutum in ſecundo volumine huius operis ſcribendo præmiſimus: quia hæc omnia orationi & communicationi habendæ cum Deo neceſſaria putamus. Non quidem ita vt prius homo hæc omnia perfectè & perſeueranter obtineat, quàm ad ſtudium orationis accedat inchoandum: (ſic enim plurimi ſerò, aut numquam orationi mentis inſiſterent, & efficaciſſimo ad eruenda vitia, & inſerendas virtutes ſemper inſtrumento carerent.) Sed quia quo purior eſt conuerſatione vitæ, eo eſt ad orationem paratior: & ſi communem diuinæ prouidentiæ modum intueamur, numquam quis ad perfectam contemplationem ſtabiliter admittetur, quouſque plus

A

quàm mediocriter in omni mortificatione & virtute profecerit. In quam ſententiam iuit cum aliis ſanctis Patribus Caſſianus, ſic ſcribens: Et idcirco, vt eo feruore, ac puritate, qua debet, emitti poſſit oratio, hæc ſunt omnimodis obſeruanda. Primùm, ſollicitudo rerum carnalium generaliter abſcindenda eſt: deinde nullius negotij, cauſſæve non ſolùm cura, ſed ne memoria quidem penitus admittenda, detractiones, vaniloquia, ſeu multiloquia, ſcurrilitates quoque ſimiliter amputandæ; iræ præ omnibus, ſiue triſtitiæ perturbatio funditus eruenda: concupiſcentiæ carnalis, ac philargyriæ noxius fomes radicitus euellendus: & ita his ac ſimilibus vitiis extruſis penitus, & abſciſſis, quæ hominum poſſunt patere conſpectibus, talíque, vt diximus, repurgij emundatione præmiſſa, quæ ſimplicitatis & innocētiæ puritate perficitur, iacienda ſunt primùm profundæ inconcuſſa humilitatis fundamina, quæ ſcilicet turrem cœlos pulſaturam valeant ſuſtinere: deinde ſuperponenda virtutum ſpiritalis extructio, & ab omni diſcurſu, atque euagatione lubrica animus inhibendus, vt ita paulatim ad

B

Caſſian. coll. 9. c. 2.

contem

contemplationem Dei, ac ſpiritales intuitus incipiat ſublimari.] Hæc ille. Qui in hoc, quod dicit, nullam negotij alicuius curam, immo nec memoriam ab oratore eſſe admittendam; vt homo ad ſolitudinem vocatus loquitur. Nam certum eſt pia, & ſecundùm vocationem noſtram animarum miniſteria orationis puritatem non impedire, vt poſtea dicemus, ſed eam potiùs feruore & merito promouere.

Vnam autem, & non inefficacem rationem neceſſitatis bonæ vitæ ad orãdum proſequitur idem Caſſianus, dicens: Quicquid enim ante orationis horam anima noſtra conceperit, neceſſe eſt, vt orantibus nobis, per ingeſtionem recordationis occurrrat. Quamobrem quales orantes volumus inueniri, tales nos ante orationis tempus præparare debemus. Ex præcedenti enim ſtatu, mens in ſupplicatione formatur, eorumdémque actuum, procumbentibus nobis, ad precem verborum quoque, vel ſenſuum ante oculos imago præludens, aut iraſci nos ſecundùm præcedentem qualitatem, aut triſtari, aut concupiſcentias cauſſaſve retractare, aut riſu fatuo (quod etiam pudet dicere) cuiuſquam ſcurrilis dicti, vel facti titillatione pulſari, aut ad priores faciet volitare diſcurſus. Et idcirco quicquid, orantibus nobis, nolumus, vt irrepat, ante orationem de abditis noſtri pectori extrudere feſtinemus, vt Apoſtolicum illud poſſimus implere: Sine intermiſſione orate. Et: In omni loco leuantes puras manus, ſine ira, & diſceptatione. Aliàs namque mandatum iſtud perficere non valebimus, niſi mens noſtra ab omni vitiorum purificata contagio, virtutibus tantùm velut naturalibus bonis dedita, iugi omnipotentis Dei contemplatione paſcatur.] Hactenus ille. Ex cuius ſentẽtia liquet perfectionem vitæ ad perfectam orationem aditum aperire. Ideóque per illam myſticam ſcalam ſtatum contemplantium ſignificantem, quam Iacob in deſerto conſpexit, Angelos aſcendentes & deſcedentes intuitus eſt: quia profectò, ſi non naturâ, at vitâ Angeli ſint oportet, qui ex humanis ad diuina contemplanda aſcendunt, & ex diuinis ad humana diſponenda deſcendunt.

Quantopere vitæ puritas ſit orationi neceſſaria.

Nec ſolùm ob tranquillitatem orationis poſſidendam oportet habere vitæ munditiam; ſed etiam quia homo impurus, & maculatus, idoneus non eſt ad cœleſtia contemplanda. Principis aulam ingreſſurus, eúmque de rebus magni momenti allocuturus, cultioribus veſtimentis induitur, & omni munditia & elegantia circumdatur, ne à conſpectu regis cum indignatione repellatur. Vir autem ſpiritualis cùm ad orationem accedit, ad cõclaue ſummi Dei, illum rogaturus, & ſanctitatem, ac æternam ſalutem petiturus ingreditur: quàm igitur purus, & mundus, & virtutum indumentis ornatus ad talem regum Regem, & ad talia deſideranda, & poſtulanda debet intrare? Concentus Muſicæ lyram bene aptatam ac temperatam ſupponit: ignis combuſtibilia humore vacua requirit: ſigillum ceræ blandæ figuram imprimit: gladius ex chalybe ignis calore ſoluto conficitur; & vniuersè, omnis cauſſa in materia diſpoſita operatur. Sic dum animus non eſt vitæ mũditia paratus, nec poterit amicum Deo ſonum orationis edere; nec Dei imaginem & Spiritus diuini ardorem excipere, nec in modum gladij acutiſſimi ad amputanda cordis ſuperflua formari: nec ad cœleſtes illuſtrationes & conſolationes aperiri. Subditus eſto Domino, ait Dauid, & ora eum.] Nam ad orandum præparat mandatorum cuſtodia, & ad Dominum per vitæ

Puritas hac exẽplis declaratur.

Pſal. 36. 7.

A ſanctitatem plena ſubiectio. Sacerdos vt Deo thymiama ſuauiſſimi odoris offerret, bene lotus, ſacra vnctione vnctus, & ſacris veſtibus adornatus iubetur accedere. Oratio autem (quemadmodum ſuperiùs diximus) thymiama ſpirituale eſt ex multis affectibus, quaſi ex multis odoramentis compoſitum. Quilibet etiam orator eſt veluti myſticus quidam ſacerdos, ad quem pertinet orationis ſacrificium offerre. Accedat ergo ad orandum à peccatis lotus, oleo gratiæ vnctus, & multiplici virtutum ornamento veſtitus. Rationale doctrinæ & veritatis geſtet in pectore, & iuxta pedes ſuorum affectuum mala punica operum charitatis, & bonorum exemplorum tintinnabula moueantur, vt oratio ipſius grata cenſeatur. Si velis pulcherrimum

B ſertum intexere, neceſſe eſt, vt & flores ſint puri, & manus etiam ipſa ſit munda, quæ flores legit, & aptè vnum florem alteri iungit. Flores ſunt res, quas meditamur; manus autem eſt animus eas piis cogitationibus & affectibus tractans, & quaſi in coronam decoris copulans. Sit ergo animus purus, vt ſanctus ſancta tractet, & immaculatus immaculata cogitaturus ante immaculatum aſſiſtat. Mundi namque ſunt oculi tui, Domine, ne videas malum, & reſpicere ad iniquitatem non poteris.] Quare animus, qui tibi aſtare cupit, ne ſit malus & iniquus, fugiat malitiam & iniquitatem, vt tu illum benignè reſpicias.

Exod 28. 29. 35.

Habac. 1. 13.

Vel aliter, ô vir Dei, poteris de floribus cogi-

C tare; ita tamen, vt te florum ſimilitudo ad vitæ ſanctitatem orationis præparatricem inuitet. Equidem puto, quia omnis oratio & meditatio noſtra eſt quædam importuna inuitatio, qua Chriſtum ſponſum ad lectulum noſtri cordis inuitamus, & vt in eo quieſcat, expoſcimus. Flores verò ſunt virtutes multiplices, quibus cor humanum decet ornari, vt Chriſtus in eo pauſaturus adueniat. Sciebat id ſponſa, quæ ſponſum inuitatura lectuli floribus aſperſi memoriam præmiſit: Lectulus, inquit, noſter floridus.] Ac ſi diceret: Quandoquidem lectulum ſuauiſſimis floribus, & optimis odoribus ſuffiui, æquum eſt, ô ſponſe, vt ad me, quæ te diu expectaui, venire digneris. Virtutum itaque floribus cordis lectulum exornemus, vt deſideria in contemplatione concepta Chriſtum ad locum quietis aduocent, & non vitiorum, & inanium curarum ſpinis cruentent. Inuehitur Bernardus in eos hunc locum Canticorum interpretans, qui abſque vitæ munditia audent Chriſtum inuitare, & quomodo animus ſit ad orationem parandus, eleganter proſequitur. Miror, inquit, valde impudentiam aliquorum, qui inter nos ſunt, qui cùm omnes nos ſua ſingularitate turbauerint, ſua impatientia irritauerint, ſua contumacia & rebellione contemſerint; ſua inobedientia coinquinauerint; audent nihilominus ad tam fœdum concupiſcentiæ ſuæ lectulum omni orationis inſtantia totius puritatis Dominum inuitare. At cùm extenderitis, ait, manus veſtras, auertam oculos meos; & cùm mul-

D E tiplicaueritis orationem, nõn exaudiam. Quid enim? Lectulus non eſt floridus, magis autem & putidus eſt, & tu illuc Regem gloriæ trahis? Ad pauſandum hoc facis, an ad cauſſandum? Centurio vetat illum intrare ſub tectum ſuum propter ſuam indignitatem; cuius tamen fides in vniuerſo redolet Iſraële: & tu ad te compellis intrare tantorum ſordens ſpurcitia vitiorum? Clamat Apoſtolorum Princeps: Exi à me, Domine, quia homo peccator ſum, & tu dicis: Intra ad me, Domine, quoniam ſanctus ſum? Omnes, inquit, vnanimes in

Oratio lectulo florido ſimilis.

Cant. 1. 15.

Bernard. ſerm. 46. in Cant.

oratione eſtote, fraternitatem diligite. Et vas electionis: Leuantes puras manus, ait, ſine ira, & diſceptatione. Videſne quomodo concordent ſibi, & eodem ſpiritu, de pace & tranquillitate animi (quam habere debet ille, qui orat) loquatur princeps Apoſtolorum, & doctor gentium? Perge ergo tu tota die expãdere ad Deum manus tuas, qui fratres tota die moleſtas, vnanimitatem impugnas, ab vnitate te ſeparas. Et quid me vis facere, inquis? Profectò vt primò quidem emundes conſcientiam ab omni inquinamento iræ, & diſceptationis, & murmuris, & liuoris, & quicquid omnino aduerſari cognoſcitur, aut paci fratrum, aut obedientiæ ſeniorum, de cordis habitaculo eliminare feſtines. Deinde etiam circumdare tibi flores bonorum quorumque actuum, & laudabilium ſtudiorum, atque odoramenta virtutum: id eſt, quæcumque ſunt vera, quæcumque pudica, quæcumque iuſta, quæcumque ſancta, quæcumque amabilia, quæcumque bonæ famæ, ſi qua virtus, ſi qua laus diſciplinæ. Hæc cogitare, in his exerceri curato. At iſtiuſmodi ſecurè vocabis ſponſum; quoniam cùm introduxeris eum, veraciter dicere poteris & tu, quia lectulus noſter floridus, redolente nimirum conſcientia pietatem, ſed pacem, ſed manſuetudinem, ſed iuſtitiam, ſed obedientiam, ſed hilaritatem, ſed humilitatem.] Hactenus ille. Iſta omnia profectò quærenda ſunt, vt quiſque ſtudioſus orationis in oratione proficiat: ſine quibus certum eſt eum non poſſe ſpiritualis vitæ culmine ſublimari. Nabuchodonoſor filios Sedechiæ occidit coram eo, & poſtea oculos eius effodit. Ita diabolus filios, id eſt, virtutum opera nititur interficere, vt, his ſublatis, oculos eruat, id eſt, vim orandi & contemplandi furripiat.

4. Reg. 25.7.

Puritati vel leuia officiunt peccata.

Sed vt ad ſpecialia deſcendamus, vir orationis auidus curet ſe à peccatis etiam leuioribus emundare. Hæc quippe ſunt impedimenta præcipua ne à Domino deſiderata conſequamur. Ideo Pſalmographus ait: Iniquitatem ſi aſpexi in corde meo, non exaudiet Dominus.] Et Salomon: Qui declinat aures ſuas, ne audiat legem, oratio eius erit execrabilis.] Ipſéque Deus per Iſaiam inquit: Si multiplicaueritis orationem, non exaudiam: manus enim veſtræ ſanguine plenæ ſunt.] Planè hæc eſt cauſſa, ait Baſilius, quare Deus oculos ſuos deflexit ab iſtis, cùm alioqui manus ſuas extenderint, quòd ſigna depromendæ ſupplicationi accommoda verterint in occaſionem exaſperandæ iræ Dei; veluti ſi quiſpiam filium alicuius vnicè dilectum neci tradiderit, iſque manus filij ſanguine eatenus cruentatas ſupplex exporrigat ad Patrem vehementer illi infenſum, dexteram inimicitiæ indicem efflagitans, vtque apud ipſum veniæ locum obtineat. An non reſponderemus filij ſanguinem in manu filiicidæ ad iram tanto acriùs exacerbare patrem tali iniuria affectum?]

Pſal.65. 18. Prou.28. 9. Iſaiæ 1. 15.

Baſil. ibid.

Nec exiſtimandum eſt ſola peccata grauia, de quibus Baſilius loquitur, puritati orationis obſiſtere; quia etiam leues quæque culpæ mentem minùs aptam reddunt, ne in profectu orationis excreſcat. Vnde Hugo ait: Multum iuuat ad orationis puritatem, ſi in omni loco & tempore nos ab actibus illicitis temperemus: ſi ſemper ab otioſis ſermonibus auditum pariter caſtigemus, & linguam: ſi in lege Dei ambulare, & teſtimonia eius aſſueſcamus toto corde ſcrutari. Quæcumque ſæpius agere, loqui, audire ſolemus, eadem neceſſe eſt ad animum quaſi ſolitam propriámque recurrant ſedem.] Nos iniquè egimus, vt ſcriptum eſt in Ieremia, & ad iracundiam prouocauimus; ideo inexorabilis eſt.] Nec tantùm peccata grauia, te, Domine, ad indignationem prouocant; verùm & minora in ſeruis tuis, quos tuo alloquio & familiaritate dignaris, non parum irritant, præſertim ſi ex oſcitantia proueniant; quia ſunt tepidæ & ingratæ mentis indicia. Quid mirum ſi aures tuas obtures, ne illos audias, neque ad donum orationis admittas? Aſſueſce itaque, ô homo, purè & ſanctè viuere; aſſueſce quæque peccata vitare, vt in conſpectu Domini poſſis apparere. Præceptum Nili Abbatis diligenter cuſtodi. Si orare deſideras, inquit, nihil facias eorum, quæ orationi aduerſantur, vt tibi appropinquet Deus, & tecum ambulet.] Appropia Deo per vitæ rectitudinem, & ipſe præſtò erit tibi per ſuæ lucis, & ſui ardoris communicationem. Nam in Iacobo Apoſtolo legimus: Appropinquate Deo, & ipſe appropinquabit vobis. Ambula cum illo per conuerſationis puritatem, vt ipſe tecum ambulet, & more amici & ſponſi miſcere tecum colloquia non detrectet. Quo enim ampliùs & ſollicitiùs animæ munditiam quæſieris, eo te capaciorem ſuæ viſitationis inuenies. Speculum quo purius eſt, eo perfectiùs lucem recipit, & faciem ſe aſpicientis meliùs refert. Ità prorſus dum anima noſtra inſtar ſpeculi maiori puritate, & vitæ ſanctitate perficitur, meliùs ſplendore diuino, & Dei facie illuminatur. Tunc fiduciam proficiendi & obtinendi concipit, quando per vitæ munditiam ſe Deo ex pleno corde conuertit. Quare Ioannes ait: Chariſſimi, ſi cor noſtrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum; & quicquid petierimus, accipiemus ab eo, quoniam mandata eius cuſtodimus; & ea, quæ ſunt placita coram eo, facimus.] Et Gregorius optimè: Cùm reatu culpæ deprimimur, leuare ad Deum faciem cordis noſtri veremur. Cùm verò lamentis culpa diluitur, & ſic perpetrata planguntur, vt plangenda non perpetrentur, magna menti fiducia naſcitur, & ad conſpicienda ſuperna retributionis gaudia, mens noſtra leuatur.

Nilus de oratione c.62.

Iacob. 4. 8.

1. Ioan. 3. 21.

Gregor. 16. mor. c.10.

His adiiciendum eſt, vt maioribus criminibus, & leuioribus culpis, quantum fieri poſſit, eliminatis, paſſiones cohibeas, affectus modereris, virtutum ornamenta conquiras, & ad tranquillitatem cœli imitatricem te referas, ſi velis dono orationis & contemplationis cumulari. Nam ſi virtutes abſint, affectúſque inordinati permaneant, impoſſibile erit peccata à vitiis & immoderatis affectibus manantia, vitare. Et mens ſordida & inquieta haudquaquam poterit cœleſtem ſplendorem excipere, & in vno inſpiciendo, & diligendo ſeipſam immotam tenere. Elias priùs iugulauit Prophetas Baal, & fugit Iezabelem, tranſiuit Iordanem, & reliquit pallium, & poſtea per turbinem in cœlum aſcendit. Eadem tibi facienda ſunt, ſi vis cœleſtis fieri, & per orationis donum ſpiritibus cœleſtibus aſſociari. Extingue vitia tua, quæ te delitiis huius mundi decipiunt: fuge carnem tuam, & omnem ſuperfluitatem, ad quam anhelat, abiicito: tranſi Iordanem fluuium iudicij, & tua interiora, quomodo ſe habeant, expendito: linque pallium, ab omnibus terrenis, aut opere, aut ſaltem deſiderio te immunem facito. Tunc curru igneo ſanctæ orationis, in quo & lux eſt ſapientiæ, & ardor amoris, facilè in cœleſtia conſcendes. Recordare, obſecro, quídnam accidit Patriarchæ Iacob, quia dilecta Rachel idola patris abſtulit, ac ſecum detulit. Cer-

Ad orationẽ affectus moderãdi.

4. Reg. 2. 11.

Gen. 31. 33.

Thren. 3. 42.

te Laban perſecutus eſt eum, & comprehendit illum, & ſcrutatus eſt omnia ipſius, vt inuentis ſuis idolis, ea ſecum referret. Idem omnino tibi eueniet, ſi vitæ contemplatricis ſponſus factus aliquid huius ſæculi tecum habueris. Cùm enim ab eo ad orandum ſeceſſeris, ipſum te inſequetur, & impuris cogitationibus tibi illudet, & vniuerſa interiora turbabit, donec turbellæ cauſſas, id eſt, affectuum immoderantiam abiicias. Moſes cupiens videre viſionem illam magnam, quare arderet, & non combureretur rubus, audit dicentem Dominum: Ne appropies huc; ſolue calceamentum de pedibus tuis: locus enim, in quo ſtas, terra ſancta eſt.] Et tu, ô vir Dei, quid optas, cùm ad contemplandum accedis? Nónne videre rubum in igne, ac ignem in rubo? Videre humanitatem Chriſti diuinitate fulgentem, & diuinitatem ipſius ex conſortio humanitatis nihil in ſe vilitatis patientem? Nónne locus orationis terra ſancta eſt, vbi rebus ſanctis inſpiciendis & diligendis intendimus: vbi ſanctitatem acquirimus; vbi Sancti Sanctorum aſpectum ſuſpiramus? Oportet ergo calceamenta ex pellibus mortuorum animalium facta diſſoluere, & affectus terrenos, antequam illuc appropies, derelinquere. Idem etiam Moſes ad radicem montis relinquebat turbam, & ſolus in ſummitatem aſcendebat, vt Deo aſſiſteret, & cum eo negotia tractaret. Quin & Aaron ſacra indumenta ſumebat, vt Domino ſacrificium offerret. Quid hæc indicant, niſi quòd vir ſpiritualis ad orandum acceſſurus, debet & adfectus tumultuantes deſerere, & virtutum indumentis amiciri. Sic magnus contemplator Richardus hæc duo ad id, quod perſuadere conamur, adaptat. Sed vt Aaron, inquit, idoneè poſſet, & promtum haberet intra velum intrare, cùm vellet, & oporteret, pontificalem ſibi ornatum & habitum in id officij idoneum comparauerat, atque poſſidebat. Quid autem eſt habitum id in officij idoneum habere, niſi illa virtutum merita comparare, per quæ poſſit eiuſmodi gratiæ officium in vſu habere? Oportet autem non in ſolo pontificali habitu, verumetiam cum aromatici fumi obnubilatione (iuxta Dominicum præceptum) incedere, qui vult ad interiora velaminis penetrare, & introgreſſionis ſuæ hora, tanta cœleſtium deſideriorum exhalatione, & quaſi aromatici fumi exæſtuatione efferbeat, quatenus ei in deſpectum veniat, & omnino quaſi pro nihilo reputet, quicquid de interioris hominis ornatu placere poterat. Fortè autem idem eſt Moyſem turbam ad pedem montis relinquere, & Aaron ante ingreſſum tabernaculi communem habitum deponere: idem autem Moyſem cum ſenioribus Iſraël montem aſcendere, & Aaron cum pontificali ornatu in interiora tabernaculi intrare; nec fortè aliud & aliud eſt illum (ſenioribus in aſcenſu montis relictis) cum ſolo Ioſue verticem montis apprehendere, & iſtum cum aromatico incenſo in Sancta Sanctorum properare; & idem nihilominus ſit illum ſe in nebulam, iſtum ſe intra velum ingerere.] Sic ille. Hæc itaque ſit prima ac præcipua oratoris, ſeu contemplatoris cura, ſeipſum ab omni inquinamento mundare, ſeipſum affectuum moderatione pacare, à ſeipſo quicquid Deo diſplicet conſtanter abiicere.

Membrana, aut charta, vt litteris ſcribatur, apta non eſt, niſi ab omni ſit humiditate vacua, niſi raſa ſit, munda, & expolita. Itidem non poterunt ſacræ meditationes, & moris affectus in

Exodi 3. 5.

Richard. 4. de contemplat. c. 23.

A animo inſcribi, quem terrenorum concupiſcentia poſſederit, & multiplex culpa fœdauerit. Orationis namque ſcopus, & finis, vt poſtmodum ſumus dicturi, non eſt alius, quàm legem ſeruare, animam à maculis emundare, omnique virtute perficere. Hunc autem finem non conſequemur, niſi vitam ab omni labe purgare nitamur. Meritò autem inſtrumentum orationis negabitur nobis non curantibus finem aſſequi, cuius gratia inſtrumentum conceſſum eſt. Qui hanc vitæ rectitudinem ad orationis ſtudium neceſſariam negligit, illud præceptum Salomonis præterit, quo dictum eſt: Ne temerè quid loquaris, neque cor tuum ſit velox ad proferendum ſermonem coram Deo. Deus enim in cœlo, & tu ſuper terram: idcirco ſint pauci ſermones tui.] Temerè namque loquitur coram Deo, qui, exempli gratia, humilitatis excellentiam conſiderans, eámque poſtulans, eius virtutis opera habere non curat: & velox eſt, id eſt, inconſideratus ad proferendum de humilitatis deſiderio ſermonem, qui arrogantia ſua, & honoris appetitu non debiti, ſe potiùs ſuperbiam deſiderare deſignat. Animaduerte itaque, ô homo, Dei maieſtatem, quia ipſe in cœlo eſt, tamquam cœli & vniuerſæ creaturæ Dominus: item & tuam vilitatem; quia tu in terra es, vt terræ vermiculus. Idco ſint pauci, ſint videlicet conſiderati, & ſapientiæ pleni ſermones tui; vt nimirum ea petas, pro quibus laboras: ea mediteris, atque ad illa te in oratione afficias, quæ in vita poſſidere deſideras. Sic illud quoque alterius ſapientis cuſtodies: Noli verboſus eſſe in multitudine Preſbyterorum; & non iteres verbum in oratione tua.] Nam ſi dum oras in conſpectu Angelorum aſtas Deo; non incongruè Preſbyterorum nomine Angelos intelligemus, quos non canicies capitis, ſed actionum grauitas dignos omni honore ac reuerentia facit. In conſpectu itaque illorum verboſus non eris, ſi quæ oras, & quæ bona meditaris, habere coneris. Et ſi peccata, pro quibus eluendis oras, emendes, verbum in oratione non iterabis.

Hunc enim eſſe huius ſententiæ intellectum, Gregorius in hunc modum aſſerit: Quo videlicet dicto vir ſapiens nequaquam nos prohibet ſæpe veniam petere, ſed culpas iterare. Ac ſi apertè dicat: Cùm malè geſta defleueris, nequaquam rurſus facias, quod in precibus iterum plangas. Vt ergo ad precem facies ſine macula leuetur, ante orationis ſemper tempora debet ſollicitè conſpici quicquid poteſt in oratione reprobari: talémque ſe mens, cùm ab oratione ceſſat, exhibere feſtinet, qualis apparere iudici, in ipſo orationis tempore, exoptat. Sæpe namque immunda quædam, vel illicita in animo verſamus, quoties à precibus vacamus. Sed cùm ſe mens ad ſtudium orationis erexerit; earum rerum imagines reuerberata patitur, quibus libenter priùs otioſa premebatur: & quaſi iam faciem anima ad Deum leuare non ſufficit, quia in ſe nimirum inquinata mente maculas pollutæ cogitationis erubeſcit. Sæpe curis mundi libenter occupamur. Cúmque poſt hæc ſtudio orationis intendimus, nequaquam ſe mens ad cœleſtia erigit, quia pondus hanc terrenæ ſollicitudinis in profundum merſit: & in prece facies munda non oſtenditur, quia cogitationis infimæ luto maculatur.] Hæc ille. Meritò ergo ſtudium orationis à vitæ munditia incipit; quia oratio licèt de ſe munda ſit, tamen à fonte impuro cordis imperfecti ſuas miſerias non erubeſcentis,

Eccl. 5. 1.

Terrena non abiiciēs quomodo coram Deo temere loquatur.

Eccli. 7. 15.

Greg. 10. mor. c. 11.

ſed eas potiùs amantis, munda non exibit. Quamobrem ſi cupimus huius magni doni eſſe participes, magna cura nos ab omni peccato purgemus, vitia noſtra, & affectus inordinatos vincamus; virtutibus exercendis intendamus, & bonis, ſecundùm vocationem cuiuſque, ſemper operibus occupemur. Quo enim vita noſtra fuerit purior, eo erit meditatio quietior, oratio attentior, contemplatio clarior, & affectus amoris feruentior. Nec miremur ſi abſque cura ſanctè & ſpiritualiter viuendi in orationis exercitatione non proficiamus; quia potiùs mirabile eſſet immortificatum atque impurum animum tot vinculis, quot imperfectiones habet, irretitum, ad cœleſtia contemplatione volare.

Qua diſcretione debeat noxias & ſuperfluas occupationes abiicere.

CAPVT II.

AVIC vitæ puritati, qua ad mentalem orationem præparamur, duo alia adiungenda ſunt, ſine quorum conſortio ſtare non poterit. Alterum eſt, vt modum in actione & occupationibus teneamus: alterum, vt cor diuinæ familiaritatis officinam, ab inanibus deſideriis & cogitationibus vacuemus. Illud primum tamquam facilius in hoc loco explicandum eſt. Ac primò ſciendum perfectam orationem, quæ etiam vſque ad extaſim, & cœleſtium illuſtrationum acceptionem prouehatur, nequaquam à ſolitudine pendere, neque omnem externam occupationem excludere. Quod ſanè adeò manifeſtum eſt, vt non oporteat in eo oſtendendo diutius immorari. Cùm enim contemplatio ſit donum Dei, & non opus ſolius imbecillitatis humanæ, ab illis expectari debet, qui ad ipſum recipiendum vocantur, & neceſſaria ſe præparatione diſponunt. *Non ſolùm eremitæ ad orationẽ vocãtur.* Quis autem in animum inducat ſolos eremitas ad contemplationem vocari, viros verò Apoſtolicos in ſalutem animarum incumbentes, quibus pro ſuo munere tam neceſſaria eſt contemplatio, ab eius poſſeſſione reiici? Aut quis putet hominem ſolo opere manuum, & lectione ad perfectam orationem parari, & non multo magis ad eam miſericordiæ & charitatis functione diſponi? Certè Apoſtoli formam Eccleſiæ miniſtrorum habentes ad ſublimiſſimam orationem euecti ſunt: & Bernardus, ac Dominicus, & Franciſcus, & IGNATIVS, & alij ſimiles ad ineffabile donum orationis admiſſi, & plurimi filij eorum, qui à tantis Patribus non degenerant, ad perfectam orationem ſublati, cùm tamen aliquando magnas occupationes ſuſtineant. Idque non ſolùm in codicibus legimus, aut aliorum relatione cognouimus, verumetiam in non paucis inſtituti noſtri, propriis oculis ſpectauimus. Hoc verò dictum eſt, vt quiſque in ſuo ſtatu perfectam orationem quærat, & ad ſe illam Pauli ſententiam trahat: *1.Cor. 7. 27.* Alligatus es vxori? noli quærere ſolutionem. Solutus es ab vxore? noli quærere vxorem.] Id eſt, ſi occupationibus, ô vir Dei, ſolutus es, & vitam ſolitariam profeſſus; in ea perſeuera, in qua ad contemplationis ſublimitatem peruenire poteris. Si verò miniſteriis animarum, aut aliis quibuſcumque alligatus, ea non deſeras, in quibus, ſine dubio, modò vitæ ſanctitatem arripias, perfectiſſimæ contemplationis particeps eſſe valebis. Scito itaque cogitationes de mutando ſtatu, de ſubtrahendo te à muneribus debitis, ac de vita ſolitaria inchoanda, non eſſe aliud, quàm tentationes ac dolos aduerſarij volentis te prætextu deſiderij orationis, omni bono ſpoliare. Cura tuæ vocationis qualitatem agnoſcere; vtiles, ſecundùm illam functiones admittere; ſuperfluas verò, & inutiles reſecare; & vas aptum te præbebis, in quo Dominus, ſi ita expedierit, ſuam dulcedinem ac ſuauitatem collocet. Sed res tanti ponderis, & in qua ferè tota res eſt, ſigillatim erit explicanda.

Conſolationes ſuperfluæ vitandæ. Illud ergo inprimis curandum eſt, ſine quo vitæ munditiam non habebimus, vt ſuperfluæ conſalutationes, vana colloquia, minus neceſſarij diſcurſus, & inanes occupationes præcidantur. Superfluas conſalutationes voco, quas vera alicuius negotij ſpiritualis, aut temporalis neceſſitas non exigit; vana colloquia, quæ charitas, vel pietas non requirit: ſuperuacuos diſcurſus, quos ſolùm tædium cellæ, & cor in ſeipſo manere non valens accerſit: inanes occupationes, quas ſpiritus noſtræ vocationis ſeniorum & inſtitutorum magiſterio probatus non admittit. Hæc omnimodis relinquenda ſunt, ſi aliquos in mentali oratione progreſſus facturi ſumus. Stultum enim eſt (quod non ſuccedet) velle carnem ſpirituмque coniungere; diſtractionem & orationem vnire; & Angelorum ac Dei colloquia puriſſima cum vanis ſermonibus hominum copulare. Et qui putat ſe poſſe riſui, & curioſitati, & ſenſuum oblectationibus, & corporis indulgentiæ vacare, ac ſimul orationis donum, & diuinæ conſolationis guſtum accipere, ipſe ſe ſeducit, & manifeſto experimento comperiet, quàm inſipienter & vanè præſumat. Ecce ego lactabo eam, ait Dominus per Oſeam, & ducam eam in ſolitudinem, & loquar ad cor eius.] Animam ſpiritualem alloquitur, eam ſcilicet, quæ amatores ſuos deſerere, & ad ſponſum ſuum redire conſtituit. Illam, quæ priùs, licèt multis interpoſitis, dixerat: Vadam, & reuertar ad virum meum priorem, quia bene mihi erat tunc magis, quàm nunc.] Hanc, inquam, vt ad ſuam familiaritatem admittat, vt ei blandiatur, vt illi blanda & ſuauia loquatur, in ſolitudinem ducit; quia inter inanium occupationum & diſtractionum turbas non erit apta Deo loqui, nec eius vocem, aut inſpirationem audire. Amicus ille Iob in quiete, & non in ſtrepitu vocem Domini ſibi loquentis audiuit. Porrò, ait, ad me dictum eſt verbum abſconditum, & quaſi furtiuè ſuſcepit auris mea venas ſuſurri eius. In horrore viſionis nocturnæ, quando ſolet ſopor occupare homines.] Verbum abſconditum, interprete Gregorio, eſt vnigenitus Filius Dei, quem ſinus æterni Patris abſcondit, quem ſacra humanitas texit, quem multiplex figura ſcriptæ legis obuelauit. Hunc Dei Filium in oratione quaſi furtiuè ſuſcipimus, quia inſpirationem eius non ſine magna attentione velut tenuiſſimam vocem audimus. Et in horrore viſionis nocturnæ, & in tempore ſomni nobis oſtenditur: quia non niſi in quiete mentis, & in ſolitudine ſpiritus reuelatur. Quam autem quietem, quam ſpiritus ſolitudinem habet, qui ſupra actiones debitas, & neceſſarias, aliis etiam ſuperfluis & vanis intendit? Profectò non poterit inter ſonitus & inquietudines earum, verbum Domini cogitare, & doctrinam eius, quæ ſicut aquæ Siloe, in ſilentio currit, audire.

Oſee 2. 14.

Oſea 2. 7.

Iob 4.12.

Greg. 5. mor. c.29

Idcirco ſpiritualis vita, & eius ſublimior orationis functio ſomno comparata eſt: quia ſicut ad dormiendum neceſſaria eſt quies corporis,& curarum obliuio: ita ad orandum & contemplandum ſummi momenti eſt occupationum ſaltem inanium vacuitas. Cuius rei Gregorius teſtis eſt locuples, quodam loco ſic ſcribens: Somno quoque, calcatis carnis deſideriis, vitæ quies figuratur; ſicut ſponſæ voce in Canticis Canticorum dicitur: Ego dormio, & cor meum vigilat; quia videlicet ſancta mens, quò ſe à ſtrepitu temporalis concupiſcentiæ comprimit,eo veriùs interna cognoſcit, & tanto alacriùs ad intima vigilat, quanto ſe ab exteriori inquietudine occultat. Quod bene per Iacob in itinere dormientem figuratur. Qui ad caput lapidem poſuit, & obdormiuit: à terra ſcalam cœlo inhærentem, innixum ſcalæ Deum, aſcendentes quoque, & deſcendentes Angelos vidit. In itinere quippe dormire, eſt in hoc præſentis vitæ tranſitu à rerum temporalium amore quieſcere. In itinere dormire eſt in dierum labentium curſu ab appetitu viſibilium,mentis oculos claudere, quos primis hominibus ſeductor aperuit.] Sic ille. Oculos igitur, quos in parente noſtro aduerſarius aperuit, rebus ſuperuacuis claudamus, & Deo ac diuinis aperiamus, & mundo dormientes, ac Chriſto vigilantes,eius colloquio & aſpectu fruemur.

Greg.5. mor.c.22.

Apoſtoli Domini vbi eum transfiguratum aſpexerunt? Vbi ſplendorem faciei eius, & candorem veſtium illius mirati ſunt? Nónne in monte à turbis ſeparati, & in ſolitudine conſtituti? Sciant proinde omnes, qui ad eumdem aſpectum, id eſt, ad donum orationis aſpirant, eam ſaltem ſolitudinem, & quietem ſibi eſſe quærendam, qua à ſuperfluis actionibus vacent, & ſe curis ſæcularibus, & profanis negotiis non illigent. In hac quiete Chriſtus faciei ſplendorem, id eſt, ſuam deitatem; & veſtium candorem, id eſt, ſuam humanitatem oſtendit: ab iis verò,qui in valle ſunt, & in ſuperuacuis occupationibus ſedent,meritò ſeipſum abſcondit. Iſaac videns, pauca de Iacob filio dilecto cognouit: non videns, ſeu cæcus factus, multa & mirabilia prophetauit. Expende tu, ô vir Dei, an Chriſtum Saluatorem tuum filium vocare poſſis? Certè ipſe dixit: Quicumque fecerit voluntatem Patris mei,qui in cœlis eſt, ipſe meus frater, & ſoror, & mater eſt.] Et Gregorius expoſuit: Quia, qui Chriſti ſoror & frater eſt credendo, mater efficitur prædicando. Etiamſi ad prædicationis onus, & ad ſalutem animarum voceris, cæcitas tibi placeat neceſſe eſt, ſi multa vis de Chriſto contemplari, quem in animabus generare contendis. Cæcitas, inquam, qua vana non videas, ſuperflua pertranſeas, tuo propoſito minimè conuenientia prætermittas. Hac cæcitate ditatus,quæ potiùs viſus perſpicacitas eſt,tibi cœleſtia pandentur: ſi verò ea carueris, obſcura tibi & occulta manebunt. Exploratores illi terræ promiſſæ, quos Ioſue ad terram conſiderandam deſtinauit,aſſerentibus Hebræis quibuſdam à Lyrano citatis, ſe ſurdos mutóſque finxerunt, ne ab incolis agnoſcerentur, vt tutiùs poſſent gentium mores, & partes muri infirmiores ad vrbem Iericho expugnandam contemplari. Tu autem explorator es illius ſupernæ ciuitatis, quæ eſt in cœlis, ad quam aſcendere, & quam violenter diripere concupiſcis. Imitare igitur viros iſtos, & te ſurdum ad vana audienda, & mutum ad ea loquenda facito, ne à profanis hominibus impediaris. Nam ſi te ſibi ſimilem putauerint, id eſt, vana & ſuperflua curantem; ſic te ſuis negotiis implicabunt, vt animo diuina contemplari non poſſis. Si ita feceris, ſi eorum obſequiis vacare contemſeris; ſi à ſuperfluis conſalutationibus, & à verbis officioſis abſtinueris, te illi pudore impeditum, & planè ſtultum exiſtimabunt: at non magnum malum eſt ab ſtultis ſtultum iniuſtè damnari. Immo optimum conſilium eſt ſtultitiam hanc ſapientem profiteri, ne tempus orationi deſtinatum amittas. Dauid, vt fugeret Saul, ad Achis regem Geth ſe recepit, ab eóque benignè ſuſceptus, inuidiam ſeruorum illius regis ipſum accuſantium, ac mortem per inſidias parantium incurrit. Videns autem quia pro anima illi res erat, vt euaderet, ſtultum ſe finxit. Et immutauit,ait Scriptura, os ſuum coram eis, & collabebatur inter manus eorum,& impingebat in oſtia portæ, & defluebant ſaliuæ eius in barbam. O ſapientem ſtultitiam quæ virum hunc è manibus hoſtium eripuit, & regno florentiſſimo reſeruauit! Vade tu, & fac ſimiliter, & inter hoſtes tuos, inter eos ſcilicet, qui te ad ſæcularia & vana trahunt,non conſentiendo eis, ſtultum te finge, vt ſapiens ab Angelis,& viris ſapientibus prædiceris. Sic à vanis occupationibus liberaberis, tibi ſpiritum cæcitatis & torporis adducentibus, vt regno tuo, quod intra te eſt,id eſt, diuina contemplatione fruaris.

1.Reg.21. 13.

In monte ſeparatis à turbis videtur Deus.

Gen.27. 27.

Matth. 12.50.

Greg.homil. 3. in Euang. Quæ orationi cæcitas deſeruiat.

Ioſuæ 2. 1.

Illi profectò ad contemplationem, ſeu perfectam orationem admittuntur, qui inanibus,& ſuæ vocationi non conuenientibus occupationibus abſtinent. Quod Dominus ſuo exemplo voluit oſtendere, in ſolitudinem, orationis gratia, ſecedens.Hoc ipſo opere manifeſtans nos niſi in aliqua ſolitudine, in ea ſcilicet, quæ profana reſpuat, nequaquam poſſe orationis dono ſublimari. Sed de vtraque re Caſſianum loquentem auſcultemus. Illi, inquit,ſoli puriſſimis oculis diuinitatem ipſius ſpeculantur, qui de humilibus ac terrenis operibus & cogitationibus aſcendentes, cum illo ſecedunt in excelſo ſolitudinis monte: quo liber ab omni terrenarum cogitationum ac perturbationum tumultu, & cunctorum vitiorum permixtione ſecretus, fide puriſſima, ac virtutum eminentia ſublimatus, gloriam vultus eius, ac claritatis reuelat imaginem his, qui mundis eum merentur animæ obtutibus intueri. Cæterùm videtur etiam Ieſus ab his, qui in ciuitatibus, & caſtellis, ac viculis commorantur; id eſt, qui actuali conuerſatione ſunt, atque in operibus conſtituti; ſed non in illa claritate, qua illis apparuit, qui cum ipſo poſſunt in prædicto virtutum monte conſcendere, id eſt, Petro, Iacobo, & Ioanni. Ita enim in ſolitudine & Moſi apparuit, & Eliæ locutus eſt. Quod volens noſter Dominus confirmare, ac perfectæ nobis relinquere puritatis exempla, & quidem, cùm ipſe fons inuiolabilis ſanctitatis ad obtinendam eam, ſeceſſionis adiutorio, ac ſolitudinis beneficio extrinſecus non egeret (non enim vllis turbarum ſordibus,puritatis plenitudo poterat maculari,nec contaminari humano conſortio, qui vniuerſa polluta mundat, atque ſanctificat) ſeceſſit tamen in montem ſolus orare, per hoc ſcilicet nos inſtruens ſuæ ſeceſſionis exemplo;vt ſi interpellare nos quoque Deum voluerimus puro & integro cordis affectu ab omni inquietudine & cõfuſione turbarum ſimiliter ſecedamus, vt in hoc corpore commorantes, ad ſimilitudinem quamdam illius beatitudinis, quæ in futuro repromittitur Sanctis, vel ex parte aliqua nos aptare poſſimus, ſítque nobis omnia & in omnibus Deus.] Hactenus ille.

Inania relinque ſi vis ad contemplationẽ peruenire.

Caſſian. coll. 10. c.5.

Qui eo quòd ſolitudinem incoleret, ad corporalem etiam ſolitudinem inuitabat; nos verò eius verba adducimus, non vt ad eremum vniuerſos viros orationis amatores mittamus, quibus extra ſolitudines & antra deſerti poteſt lux quoque ſublimis orationis affulgere, ſed vt ad hanc ſpiritualem ſolitudinem, quæ profanas occupationes amputet, inuitemus. Cupiunt illi (vt opinor) à ſuis affectibus eripi, & ab impulſibus dæmonum immunes fieri: vt tranquillè Deo viuant, & eius operibus ac perfectionibus contemplandis intendant. Faciant autem, vt id conſequantur, quod ſanctus Dauid. Ecce, ait, elongaui fugiens, & manſi in ſolitudine.] Fugiant hoſtes ſuos; opera ſuo ſtatui & vocationi aduerſantia, & ab illis ſe elõgent, atque in cordis tranquillitate maneant, quam certiſſimè illa opera tollunt, & tunc impleri ſuum votum expectent. Expectabam eum, inquit, qui ſaluum me fecit à puſillanimitate ſpiritus, & tempeſtate.] Vbi expectaſti, ô tribulate rex? In ſolitudine expectaui, vt & te ad imitationem mei in ſolitudine tua, hoc eſt, in ſtatu tuo, & in ſolis actionibus illi congruis à puſillanimitate, quæ ex immoderatis affectibus ſæpe oritur: & à tempeſtate tentationum liberari patienter expectes. Vide quia non in ſpiritu grandi & forti ſubuertente montes Dominus, neque in commotione, aut igne Dominus, ſed in ſibilo auræ tenuis. Non illum in ſpiritu vanitatis, qui ſuperbos concutit; non in lubrico inanis ſollicitudinis: non in ardore concupiſcentiæ, ſed in quadam vitæ tranquillitate, quam proprij ſtatus functiones non adimunt, Dominum te viſitantem inuenies.

Pſal. 54. 8.

Pſal. 54. 9.

3. Reg. 19. 11.

Magni refert ſcire quando Spiritus ſanctus ad nos veniat, vt eum cum amore & gratitudine recipiamus: quando item per ablationem ſenſibilis deuotionis abſcedat, vt ipſum deſideriis ac precibus aduocemus. At nec venientem excipere, nec abeuntem inſequi valebimus, ſi inanibus & profanis negotiis impliciti extiterimus. Hæc enim ita cordis attentionem exhauriunt, ita mentem in abiecta & inutilia diſtrahunt; vt Domini aduentum, aut receſſum ſcrutari non valeat; efficitúrque ad aduentum ingrata: quia Dominum aduenientem non audit; & ad abſceſſum ſtulta; quia tanto bono carere negligit. Cæterùm quando Spiritus ſanctus veniat, vel quando vadat, inquit Bernardus, id planè periculoſiſſimè ignoratur. Cùm enim hæ Spiritus ſancti circa nos diſpenſatoriæ quidem viciſſitudines vigilantiſſimè non obſeruantur; fiet, vt nec abſentem deſideres, nec præſentem glorifices. Nempe qui idcirco recedit, vt auidiùs requiratur; quónam modo, ſi abeſſe neſcitur, requiritur? Et rurſum, qui dignanter ad hoc redit, vt conſoletur, qualiter dignè pro ſua maieſtate ſuſcipitur, ſi nec adeſſe ſentitur? Mens ergo, quæ ignorat abſceſſum, patet ſeductioni: & quæ reditum non obſeruat, erit ingrata viſitationi. Petiit quondam aliquid Elizeus à magiſtro, cùm diſceſſum eius imminere præſenſit: nec obtinuit, ſicut ſcitis, niſi ea quidem conditione, ſi videret, quando tolleretur à ſe. In figura contigit hoc illis, ſcriptum eſt autem propter nos. Vigiles eſſe, & ſolliciti circa opus noſtræ ſalutis (quod mira ſubtilitate ac ſuauitate diuinæ ſuæ artis inceſſanter actitat ſpiritus in intimo noſtri) prophetico docemur & monemur exemplo. Numquam ſanè ſine noſtra conſcientia magiſtra vnctio, quæ docet de omnibus, tollatur à nobis, ſi duplicato volumus munere non fraudari. Numquam, cùm venerit, in-

Quantũ mentem inania impediãt

Bern. ſer. 17. in Cant.

A

ueniat imparatos; ſed ſemper vultus ſuſpenſos expanſóſque habentes ſinus ad largam Domini benedictionem. Tales denique quærit ſimiles hominibus expectantibus dominum ſuum, quando reuertatur à nuptiis, qui vtique ab illis ſupernæ menſæ copioſis delitiis, vacua numquam reuertitur manu. Vigilandum proinde, & vigilandum omni hora; quia neſcimus qua hora ſpiritus venturus ſit, ſeu iterum abiturus.] Hæc Bernardus. Et quidem ille Deo non vigilat, neque eius aduentum expectat, quem rerum ſibi interdictarum cura ſollicitat. Hoc vigilare, dormire eſt, quia dum mens terrenis inuigilat, ſe (quod proprium dormientis eſt) cœleſtium rerum curis & deſideriis exonerat.

B

Oſtendam ergo tibi, ô iuſte, quomodo in rebus externis te geres, ne tempus orationis ſurripiant, aut fructum eius impediant. Eſto amator cellæ, cuſtóſque ſilentij; ex illa ſola onera debita extrahant, & oris diſciplinam duæ ſolæ neceſſitatis, aut charitatis claues relaxent. Sede itaque ſolitarius, inquit idem Bernardus, ſicut turtur, nihil tibi cum turbis, nihil cum multitudine cæterorum; etiámque ipſum obliuiſcere populum tuum, & concupiſcet Rex decorem tuum. Solus eſto, vt ſoli omnium ſerues teipſum, quem ex omnibus tibi elegiſti. Fuge publicum, fuge & ipſos domeſticos; ſecede ab amicis, & intimis, etiam & ab illo, qui tibi miniſtrat. An neſcis te verecundum habere ſponſum, & qui nequaquam ſuam tibi velit indulgere præſentiam, præſentibus cæteris? Secede ergo, ſed mente, non corpore, ſed intentione, ſed deuotione, ſed ſpiritu.] Magni momenti eſt hæc diſcreta ſeceſſio, vt peccata & imperfectiones vites; vt inutiles confabulationes & amicitias præcidas; vt imagines rerum abigas, quæ orationis tempore abſque dubio te interpellabunt. Attentè conſidera, quæ ſint actiones propriæ ſtatus tui; quæ item ab eo alienæ, & vtraſque ſi religioſus es, ex obedientia, ſin minùs ex conſilio ſapientium diſces. Iſtas à te conſtanter elimina, nõ aliter quàm impuras meretriculas, quæ te blanditiis ineſcant, & quaſi ſuaui cantu demulcent, & à conſpectu & alloquio Dei tui inquirendo retardant. Non poteris duobus dominis ſeruire, Deo, & ſæculo, orationi, & vanæ occupationi, ſed hæc omnimodis explodenda eſt, vt illa ſubſiſtat. Illas verò non timidè, ſed fidenter; non tepidè, ſed diligenter; non ex triſtitia, aut ex neceſſitate, ſed ex charitate libenter ſuſcipe; quia propoſito tuo vacandi Deo nequaquam obſiſtent. Applica te ad illas, non vt ad finem, ſed vt ad medium, quo & Deo obſequéris, & ad interiorem exercitationem præparaberis: non vt ad ſalutem ſanitatémque, ſed vt ad medicamentum, quo faciens Dei voluntatem, & propriæ vocationi reſpondens, te ad ſtudium orationis contemplationíſque componis. Simul atque ceſſauerint, redi ad te, reuertere ad ſecretum tuum, ibi lege, ſcribe, geme, ſuſpira, ſcientiis vtilibus ſine nimia adhæſione ſtude: omnium, quæ extra cellam ſunt, obiuiſcere; ſolus cum Deo tuo habitare diſce, & ad ſolum mandatum eius (quod mandatum obedientiæ, aut conſilium charitatis eſt) è clauſtro illo tuæ quietis egredere. Moyſes minauit gregem ad interiora deſerti, venítque ad montem Dei Horeb, & in ea ſolitudine Dominum videre meruit. Sic & tu gregem curarum tuarum ad interiora collige, vt Domini præſentia frui, ipsúmque audire merearis.

Externæ occupationes qua ratione cõtemplatori ſint exercendæ. Ber. ſer. 40. in Cant.

Exodi 3. 1.

Ille animam tuam ſtatu ipſo, quem ſuſcepiſti, & aſſiduis inſpirationibus ad ſuam familiaritatem vocat. O quoties dicit ei: Aperi mihi, ſoror mea,

Cantic. 5. 2.

C

D

E

amica mea, columba mea, immaculata mea, quia caput meum plenum eſt rore, & cincinni mei guttis noctium.] Animam tuam his nominibus honorat; non quia talis eſt, ſed quia talem illam faciet, ſi tam amabili vocationi reſponderit. Faciet, inquam, illam ſororem, & cohæredem regni cœleſtis: amicam, & arcanorum conſciam: columbam Spiritu ſancto repletam: immaculatam, à peccatis mundam. Et quidem efficaciſſima illi ratio proponitur, ob quam debeat ad ſponſum excipiendum accelerare: quia nimirum caput eius (diuinitatem ſcilicet illius) ros frigidus operuit: & cincinnos eius (nimirum humanitatem eius) multiplex noctium gutta contexit. Ac ſi diceret; multi frigido & cæco corde meam Deitatem ac humanitatem venerantur; propterea ad te venio, vt me clarioribus oculis contempleris, & amore complectaris. Quid æquum eſt, vt anima tua huic ſponſi petitioni reſpondeat? An non deberet extemplò conſurgere, &, expulſis vanitatibus, illum in hoſpitio tui cordis excipere? At miſera, & rerum terrenarum amore ligata, longè aliter facit. *Iſaiæ 28. 10. Terrenis occupata anima ſponſo nõ aperit.* Manda, inquit, remanda; expecta, reexpecta: expecta, reexpecta; modicum ibi, modicum ibi.] Nunciis tuis me præueni, ô ſponſe; quando vis ad me venire, vt tempeſtiuè me his & his negotiis expediam. Et ſi iam tuis me inſpirationibus præueniſti, iterum manda, & remanda, ac mille me impulſibus voca, ſi tandem tuis vocibus acquieſcam. Et cùm me multis annis ad te vocaueris, expecta tantiſper, vt hanc vanam amicitiam abrumpam. Si verò iam expectaſti, reexpecta iterum obſecro, vt hæc profana negotia vſque ad finem perducam. Video te iam reexpectaſſe; ſed iterum in hoc inani colloquio detentam, modicum expecta: & iterum in hac curioſitate, quæ nunc incidit, iterum modicum reexpecta. Quid eſt hoc, ô anima? An ſponſum irrides? An exiſtimas, quia poteris illum decipere? An non times, vt his moris & ingratudinibus vadas & cadas retrorſum, & conteraris, & illaqueeris, & capiaris?

Nuncij Domini, qui. Nuncij Domini ſunt quottidianæ vocationes Dei: nuncij ſunt inſpirationes aſſiduæ; & ac ſi numquam huiuſmodi nuncios recepiſſemus, adhuc imparatos nos eſſe dicimus, & magis ac magis expectari poſtulamus. *Richar. 4. de contẽp. c. 13.* Huiuſmodi nuncios quottidie excipimus, inquit Richardus, & aliis aliiſque ſuperuenientibus ſæpe; alios alióſque adhuc quottidie importunè exigimus, & in auribus Domini Sabaoth fortiter inclamamus: Manda, remanda; manda, remanda. Sed quanto magis copia dictorum nunciorum abundat, tanto ſanè acerbiùs, tanto moleſtiùs propria nos conſcientia accuſat, & cruciat. Hinc fit ſæpe vt vitam noſtram corrigere diſponamus, ſemper tamen differamus. Et dum hoc fieri in futuro proponimus, fit, vt illud futurum, ſemper ſit futurum, immo fortaſſis numquam futurum. Sæpe autem aliquod certum futurum determinatur, quo corrigatur vita noſtra; & dicitur interim dilecto noſtro, expecta; & cùm futurum illud in præſens vertitur, item in aliud futurum transfertur, & dicitur; reexpecta. Quàm multi ſæpe proponunt, fortitérque apud ſe ſtatuunt, vt ſi ex alienis affectibus, quibus interim implicantur, ſemel detur ſe poſſe explicare, numquam amplius in eadem velle recidere, & interim modicum illud ſe poſtulant expectari; & cùm eoſdem fortè affectus amiſerint, potius quàm abſciderint, vehementer ſatagunt reſarcire quod perdiderunt, & iterum adhuc modicum ſe volunt & petunt reexpectari. Sanè hoc totum dicunt modicum, & modicum. Quicquid namque non ſatiat deſiderium, quantumcumque ſit, affectui videtur parum. Modicum itaque, & modicum ſe expectari, & reexpectari petunt, qui eiuſmodi ſunt. Modicum ibi, & modicum ibi: modicum & modicum ſæpe ſub affectu vno & altero, & tempore tamen vno. Et in his omnibus dilecto noſtro cantamus canticum odioſum: Expecta, reexpecta: modicum ibi, modicum ibi.] Hactenus ille.

Alia nobis ad orationem vitanda. Ne igitur ſimus ingrati Deo nos ad ſtudium orationis vocanti, & ne ſemper ſine fructu operam in piis meditationibus collocemus, neceſſe eſt impedimẽta præcidere, quæ hunc fructum ſanè ſuauem ac deſiderabilem prouenire non ſinunt. Hæc autem ſunt (vt vidimus, quottidiéque experimur) opera omnia, & negotia illa ab ſpiritu vocationis noſtræ extranea. Quamobrem illa penitus releganda ſunt, &, ne ad illa redeamus, penitus à noſtris viſceribus euellenda; ne, dum per amorem inhærent, ad illa nos redire contingat. Nec hoc ſufficit: verùm & illæ actiones, quæ proprię ſunt vocationis noſtræ, ea moderatione admittendæ ſunt, vt nec tempus orationi deſtinatum ſuffurrentur; nec immoderata ſollicitudine ſanctas cogitationes auertant. Vnde Bernardus: *Bernard. ad Fratres de mõte Dei ad medium.* A ſpiritualibus exercitiis in corporalia numquam longè, vel in totum recedatur, ſed facilè ad ea poſſe redire animus aſſueſcat, & cum illis ſe mutuet, iſtis ſemper inhæreat. Non enim vir propter mulierem, ſed mulier propter virum. Nec ſpiritualia propter carnalia, ſed carnalia propter ſpiritualia.] Habeant illa ſuum tempus, prout charitas dictauerit, aut obedientia præſcripſerit: ita tamen, vt orationis horas non ſolùm expeditas, atque paratas, verùm & curis vacuas relinquant. Hoc enim eſt actionis orationiſque diſcrimen: vt actio (prout fieri poſſit) numquam debeat ab oratione, aut diuina præſentia ſeparari; oratio verò debeat penitus ab actione diſiungi. Ita ſcilicet, vt cùm aliquid agimus, cor non ſubmerſum, nec actione obrutum, ſed ad Deum eleuatum habeamus: cùm verò orationi inſiſtimus, penitus actionis, & rerum huius mundi non recordemur, niſi fortè cùm oportuerit illas ad normam orationis dirigere, & à Domino earum bonum initium, & progreſſum, ac finem poſtulare. Hæc ergo laudabilis ac neceſſaria diſcretio, qua & occupationes inutiles ac profanas præcidimus, & vtiles moderamur, hoc emolumentum afferet, vt & opportunitatem orandi tribuat, & vnam ex præcipuis cauſſis diſtractionis & tepiditatis auertat.

Qua ſollicitudine vir ſpiritualis debeat cogitationes & deſideria à fine ſuo aliena depellere.

CAPVT III.

NOn ſatis erit ad orationis ſtudium arripiendum vanas occupationes fugere, & neceſſarias moderari, niſi etiam cor noſtrum ab omni affectu terreno, & inani cogitatione mundemus. *Animæ pedes ad orationẽ qui.* Pedes animæ, quibus itinerà orationis ingredimur, & ad ſuperna properamus, ſunt cogitatio, & deſiderium, quibus profectò anima à ſemetipſa exit, & omnia viſibilia derelinquit, & ad Deum cognoſcendum & dili-

gendum

gendum accedit. Cùm autem vana concupiſcimus, aut à propoſito noſtro aliena cogitamus, pedes iſtos inficimus, & ad infima ac vilia conuertimus: quare illos minùs idoneos ad aſcendendum in cœleſtia facimus. Quin & hæc inania deſideria,& ſuperflua, ac minus pura cogitata, animam deprimunt, ne ſe expediat, vt ad ſuperna conſideranda conſcendat. De quibus etiam per ſublimiorem intellectum intelligi poteſt illud Domini: Attendite vobis, ne grauentur corda veſtra in crapula, & ebrietate,& curis huius vitæ.] Si enim immoderantia ciborum corpus grauat, & crapulam generat; non minus ſuperfluitas deſideriorum mentem aggrauat, & cruditates agglomerat. Et ſi vinum minus moderatè ſumtum inebriat, & ſenſum turbat; non minus vanitas cogitationum mentem ab optimo ſtatu dimouet. Quod in eadem ſententia ſignificatum eſt; dum curæ ſæculares, quæ inania deſideria, & ſuperuacuas cogitationes continent, crapulæ & ebrietati adiunguntur: ac ſi diceretur, curam ſæcularem crapulam eſſe animæ, quæ eam ineptam faciat, vt rebus diuinis contemplandis intendat.

Luc. 21. 34.

Orationi vacanti multæ ſollicitudines vitandæ.

Ioannes Caſſianus optimè hunc intellectum attigit,dum curam rerum temporalium(& idem ſentiendum eſt de qualibet alia) orationem impedire, his verbis animaduertit: Verùm eſt alia quoque crapula non minus noxia, & ebrietas ſpiritalis difficiliùs euitanda,cura quoque ac ſæcularis ſollicitudo, quæ nos etiam poſt omnium facultatum noſtrarum perfectam renunciationem, & vini epularúmque continentiam cunctarum, & quidem in ſolitudine conſtitutos frequenter inuoluant; de quibus Propheta: Expergiſcimini,inquit, qui eſtis ebrij,& non à vino. Alius quoque: Obſtupeſcite,& admiramini, fluctuate, & vacillate;inebriamini, & non à vino;mouemini,& non ab ebrietate. Cuius ebrietatis & crapulæ vinum, conſequenter neceſſe eſt, vt ſecundùm Prophetam furor draconum ſit. Ipſúmque vinum de qua radice procedat, aduerte. Ex vinea enim Sodomorum vitis eorum eſt;& ſarmentum eorum ex Gomorrha. Vis etiam fructum vitis iſtius,atque ſarmenti germen agnoſcere? Vua eorum vua fellis,botrus amaritudinis ipſis. Propter quæ omnia, niſi fuerimus cunctis vitiis expurgati, & ab omnium paſſionum crapula ſobrij, abſque ebrietate vini, epularúmque omnium affluentia erit cor noſtrum ebrietate & crapula magis noxia prægrauatum. Nam quia ſæculares curæ etiam in nos, qui nullis iſtius mundi actibus admiſcemur, cadere nonnumquam poſſint; manifeſta ratione monſtratur,ſecundùm regulam ſeniorum,qui quicquid neceſſitatem victus quottidiani,& ineuitabilem vſum carnis excedit,ad ſæcularem definierunt curam,& ſollicitudinem pertinere:vt,verbi gratia, ſi cùm poſſit operatio vnius ſolidi neceſſitatem noſtri corporis expedire,ad duorum,vel trium ſolidorum acquiſitionem noſmetipſos propenſiore velimus opere ac labore diſtendere:& cùm duarum ſufficiat velamen tunicarum, ad vſum ſcilicet noctis, atque diei, trium, vel quattuor fieri domini procuremus: cúmque vnius,ſiue duarum habitatio ſufficiat cellularum, ambitione ſæculari,atque amplitudine delectati,quattuor,ſeu quinque cellas,& has eaſdem exquiſitiùs ornatas, & capaciores, quàm vſus deſiderat, extruamus, paſſionem libidinis mundialis, in quibus poſſumus, præferentes.] Sic ille. Et quidem ſi hæc deſideria temporalium, quæ non admodum animæ adhærent, eam inebriant,ne poſſit diuinis ſcrutandis & diligendis vacare,quid facient deſideria honorum, & dignitatum; quid minus puræ amicitiæ;quid nimiæ familiaritates cum hominibus, & alia huiuſmodi, quæ magis dementant? An putabimus animum his occupatum ſpiritum orationis habere?

Caſſian. coll. 9. c. 4.

Ab illis itaque auelli conemur,quorum Eccleſiaſticus meminit,dicens: Diuinatio erroris,& auguria mendacia, & ſomnia malefacientium, vanitas eſt.] Duobus primis, deſideria terrenorum ſignata ſunt, quæ profectò faciunt erroneè diuinare, & auguriis,ac ſi ea portendant, quæ deſideramus, intendere. Tertio verò inanes cogitationes intelliguntur, quæ optimè ſomnia malefacientium vocantur; quoniam ex illis tamquam ex ſeminibus ſolent malorum operum fructus prodire. Hæc in rebus vanis computantur; quoniam ex illis nullum omnino emolumentum colligimus. Nec ſolùm inania ſunt, verùm & apertè mala, & noxia; vnde & ſacer textus proſequitur: Et ſicut parturientis cor tuum phantaſias patitur.] Sicut parturiens, inquit, præ nimio dolore,animi deliria patitur, adeò vt rebus ſibi vtilibus non attendat:ita & tu dum volueris, ſepoſitis curis, teipſum ad interiora colligere, tales moleſtias ex conceptis antea deſideriis & cogitationibus patieris, vt conſiderationem vtilium,& colloquia cum Deo poſthabere cogaris. Qualia ſemina in horto plantaueris, tales fructus germinabunt:& quales cogitationes ac deſideria conceperis, tales, orationis tempore, conſiderationes proferent. Si porros, & cepe, & allia comederis, & ſtatim ad alloquendum Regem ingrediaris, neceſſe eſt te fœtorem, non ſine rubore, eructare: & ſi impura cogitaueris, & vana cupiueris, neceſſe etiam erit eadem, dum Deo ad orandum adſtiteris, non ſine magna irreuerentia, reuoluere. Verba ſunt Domini ad Pharaonem: Dimitte populum meum, vt ſacrificet mihi in deſerto.] Quia videlicet in quadam deſideriorum & cogitationum ſolitudine oportet nos Deo hoſtias ſanctarum meditationum, & puriſſimorum affectuum immolare. Si autem volueris in terra tua, hoc eſt, in corde tuo nondum purgato, quod huiuſmodi tribulos & ſpinas profert,holocauſta orationum offerre; dicet tibi Moſes: Non poteſt ita fieri: abominationes enim Ægyptiorum immolabimus Domino Deo noſtro. Quòd ſi mactauerimus ea, quæ colunt Ægyptij, lapidibus nos obruent.] Ac ſi diceret: Vide,ô ſtulte,quia hæc inania deſideria, & ſuperfluas cogitationes immolaturus es, quæ amas, quæ ſponte in corde conſeruas: & ſi abſque præuia mortificatione eorum, ad orationem acceſſeris; lapidibus, id eſt, ſuis importunitatibus te obruent, dum ea mactare tentaueris.

Eccli. 34. 5.

Vers. 6.

Exodi 5. 1.

Exodi 8. 26.

Ad ſolitudinem ergo vadas oportet, vt orare noueris, & te Deo hoſtiam immaculatam offerre. De cætero ad orandum, inquit Bernardus,ſola indicitur tibi mentis & ſpiritus ſolitudo. Solus es,ſi non communia cogites, ſi non affectes præſentia; ſi deſpicias, quod multi ſuſcipiũt:ſi faſtidias quod omnes deſiderant: ſi iurgia deuites:ſi damna non ſentias:ſi non recorderis iniuriarum. Alioquin nec ſi ſolus corpore es, ſolus es. Videſne poſſe eſſe te, & ſolum, cùm inter multos, & inter multos ſolus es? Solus es in quantacumque hominum verſeris frequentia, tantùm caue alienæ conuerſationis eſſe,aut curioſus explorator, aut temerarius iudex.] Ad hanc ſolitudinem inuitauit Dominus Petrum, cùm dixit illi interroganti de Ioanne:Sic eum volo manere,donec veniam;quid ad te? tu me ſequere.]

Bernard. ſerm. 40. in Cant.

Ioan. 21. 22.

Quæ ad nos non attinent, relinquamus; ab illis deſideria & cogitationes auellamus, eáque curiosè non perſcrutemur; & tunc ſoli erimus ea ſolitudine, in qua Deus mundis oculis, & à fœce terrenorum purgatis aſpicitur.

Cor cur orationis officina dicatur.

Cor humanum officinam orationis libenter voco, in qua vir ſpiritualis huic arti meditandi & contemplandi ex profeſſo vacat. Et hoc ipſum ad abſcindenda vana deſideria & cogitationes nos vocat. Quis enim in officina immunda & inquieta, & in qua ſordidæ artes exercentur, poterit ad Dominum puras manus leuare? Templum officina orationis eſt; ſecundùm illud: Domus mea, domus orationis vocabitur cunctis populis.] Et cor hominis templum Dei eſt. Nam ſi de omnibus membris hominis aſſeruit Paulus: An neſcitis, quoniam membra veſtra templum ſunt Spiritus ſancti:] quanto magis id cordi competit, tamquam membro omnium præcipuo? Efficitur ergo cor officinam eſſe orationis. Quomodo ergo in hanc officinam, in hoc cubiculum tuum, in hoc templum Dei ad orandum intrabis, ſi illud ſuperfluis affectibus inquinatum, & minus puris cogitationibus turbatum & inquietum aduertis? Exquiſiui Dominum, ait Dauid, & exaudiuit me: & ex omnibus tribulationibus meis eripuit me.] Vbi, ô homo, exquiris Dominum, niſi in templo cordis tui; in eo cœlo, quod tanta, & tam abſcondita tegit, & celat; de quo alio loco: Dominus in templo ſancto ſuo: Dominus in cœlo ſedes eius.] Munda igitur illud, vt per orationem puram Deum exquiras, & ab eo, quem, vt decet, in loco mundo exquiris, ad votum exaudiaris. Quomodo ſi venias ad aliquem locum, inquit Auguſtinus, ſilentium eſt ibi, fortè quies eſt ibi, mundus eſt locus: oremus hîc dicis: & delectat te compoſitio loci, & credis, quòd ibi te exaudiat Deus. Si ergo loci viſibilis te delectat munditia; quare te non offendit immunditia cordis tui? Intra, mundà omnia, leua oculos tuos ad Deum, & ſtatim te exaudiet.]

Iſaiæ 56. 7.

1. Cor. 6. 19.

Pſal. 33. 5.

Pſal. 10. 4.

Auguſt. ad Pſal. 33. con. 2.

Cor à vanis deſideriis mundandum. Iob 3. 13.

Si autem cor ab huiuſmodi vanis deſideriis & cogitationibus non emundaueris, non erit mirum ſi non exaudiaris. Si illud ad tranquillitatem minimè compoſueris; non mirum ſi ſtabiliter perdurare & quieſcere in oratione non poſſis. Nunc dormiens ſilerem, inquit Iob (& de morte ſua, quam tantis malis affectus optabat, loquitur) & ſomno meo requieſcerem. Cum regibus & conſulibus terræ, qui ædificant ſibi ſolitudines. Sed eſt alia mors ſuauis, & optabilis, qua homo terrenis affectibus moritur, & ad diuina inſpicienda & amanda in oratione ſuſcitatur. Et ſicut corpori vita functo, vt quieſcat, ædificatur ſepulchrum: ita & animæ, vt quietè contempletur, ab iis, qui ſeipſos regunt, & propriis concupiſcentiis imperant, ſolitudo deſideriorum & cogitationum ædificanda eſt, & cor mundum procurandum. Solitudines quippe ædificare (& verba ſunt Gregorij) eſt à ſecreto cordis terrenorum deſideriorum tumultus expellere, & vna intentione æternæ patriæ, in amorem intimæ quietis anhelare.] Dicat ergo anima orationis cupida: Vnam petij à Domino, hanc requiram; vt inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ. Vt videam voluptatem Domini, & viſitem templum eius.] Iam diximus domum Domini cor noſtrum eſſe; quando in illo Deus per gratiam inhabitat. Voluptas autem Domini, eſt illa puriſſima delectatio, quæ in cõtemplatione percipitur. Templum verò Domini, eſt humanitas Saluatoris, in qua habitat plenitudo diuinitatis corporaliter.

Greg. 4. moral. c. 28.

Pſal. 26. 4.

Quid inde? Id ſanè, vt qui optat in cordis ſui abdito commorari, & ibi humanitatis ac diuinitatis arcana cognoſcere, & ex hac conſideratione guſtum percipere, hoc vnum petat, hoc ſolum exquirat. Eſt namque hæc tanta res, vt non deceat eam cum aliis rebus cogitari, aut concupiſci.

Adfectus expellendi.

Poſt diſcretam itaque occupationum fugam, ab expulſione affectuum & deſideriorum incipiendum eſt; ita ſcilicet, vt nihil terrenum, nihil vile, ô homo, nimiè deſideres. Nimiè dixi, quoniam perfectam cordis moderationem ipſa oratio parit: nimietatem autem affectuum nos turbantem, & cor in varia diſtrahentem (ſi aliquid profecturi ſumus) neceſſariò ſupponit. Id ſcilicet, vt nec honores, nec dignitates, nec commoda corporis immoderatè cupias, neque ad aliquam perſonã, quantumuis ſanctam, præter rationem afficiaris, neque alium ſimilem affectum tibi dominari patiaris; ſed omnia hæc conſtanter abſcindas. Quilibet affectus minus ordinatus, quodlibet deſiderium alicuius rei temporalis, quam non propter Deum cupias, ſatis erit, vt te in oratione perturbet. Sicut enim vnus dolor capitis, aut ſtomachi, aut alterius membri etiam minoris, ſatis eſt, vt nos totos inquietet, nec neceſſe eſt, vt omnia membra doleant ad hoc, quòd infirmi, & ad actiones eorum, qui bene valent, inepti dicamur: ita vna affectio immoderata, vnúmque inane deſiderium ſufficit, vt nos poſitos in oratione perturbet. Optimè Bernardus ait, oculum non tantùm defectu lucis, aut abſentia incolumitatis; verùm & pulueris iniectione à videndo impediri: ſícque mentis oculum non ſolùm tenebris peccatorum, aut ſcrupuloſa eorum recordatione, ſed & curis huius ſæculi, velut quodam puluere iniecto, à functione contemplationis arceri. Idque putat illud eſſe Dauidis: Quia cinerem tamquam panem manducabam.] Nam cinere pro pane paſci, nihil aliud eſt, quàm pro pane contemplationis, curis actionum tamquam cinere refici. Orationi cum fructu vacare abſque cordis ſtabilitate, non eſt poſſibile: hanc autem ſtabilitatem inania deſideria omnino ſurripiunt. Vnde Hugo Victorinus ait: Dum cor noſtrum, ſiue ſpiritus noſter per deſideria fluere cœperit; quaſi in tot diuiſum eſt, quot ſunt ea, quæ concupiſcit. Hinc naſcitur motus ſine ſtabilitate, labor ſine requie, curſus ſine peruentione, ita vt ſemper ſit inquietus ſpiritus noſter, donec illic inhærere cœperit, vbi deſiderio ſuo nihil deeſſe gaudeat, & ea, quæ diligit, ſemper manſura confidat.]

Bernard. ſerm. 5. de Aſſumt.

Pſal. 101. 10.

Hug. lib. de arca Noë, c...

Qui ergo in animo habet ad pietatem componi, quæ cultus Dei eſt, & ad ipſius familiaritatem præparari, imitetur in hoc negotio abiiciendorum deſideriorum Hæronem ex Philoſopho fortiſſimum Martyrem, de quo hæc Nazianzenus ſcribit: Perſpicuum faciebat (ſcilicet Hæro) nec pietatem in paruis leuibúſque rebus, nec ſapientiam in vultu ad triſtitiam compoſito, verùm in animi firmitate, vultúſque puritate, ſynceráque ad virtutem ſummúmque bonum inclinatione conſiſtere: nihil referre, quo habitu ſimus, & cum quibus conſueſcamus, modò nos ita comparemus, vt ſiue ſoli ſimus, mentem à ſenſibus contrahamus; ſiue cum aliis verſemur, in hominum cœtu priuato more viuamus; atque inter eos, qui à Philoſophia abhorrent, Philoſophiæ ſtudia colamus. Et quemadmodum arca illa Noe in diluuio, vim diluuij non ſenſit: & rubus ille mirabilis, quem Moſes in monte conſpexit, ita conflagrabat, vt tamen à flamma exhauriri non poſſet; eodem modo nos quoque nec multitu-

Nazian. de laude Haron. Hier. in catalogo, hãc orationẽ non in laudẽ Haronis, ſed Maximi, ſcriptam affirmat.

dinis imperitiæ vitiis inficiamur (quemadmodum, nec adamas percutientium ictibus labefactatur) & pro virili noſtra curemus, vt alij per nos meliores efficiantur.] Sic ille. Et proculdubio numquam hanc tranquillitatem comparabit, nec in mari huius mundi à tempeſtate; nec in igne occaſionum à læſione ſe cuſtodiet; nec vt petra firmiſſima ictibus tentationum non cedet, qui per varia deſideria diffluxerit. Te ergo in vnum deſiderium collige, ô iuſte: illud verò ſit Deo placere; illi intellectu & affectu inhærere, & propriæ vocationi ſatisfacere: reliqua verò deſideria, aut omnino abiice, aut certè comprime, & moderare, & huic primo & maximo deſiderio ſeruire facito, ne te à Dei communicatione abſtrahãt, & vires tuas ab æternitatis amore diuellant.

Noxiæ cogitationes propulſandæ.

Alterum bellum aduersùs noxias & inanes cogitationes ſuſcipitur, quod eſt longè difficilius: quia illa, quæ concupiſcimus, & ea quoque, ad quæ nullum deſiderium tendit, ſæpe ex ſola animi mobilitate cogitamus. Enitendum eſt itaque à mente rerum ſuperfluarum, & noſtro propoſito minimè conuenientium, cogitationes expellere, & neceſſarias cogitationes ordinare, ne inſtar vinculorum nos teneant, nec ad Deum alis meditationum & affectuum volare permittant. Vt enim ait Gregorius: Cùm ſe mens ad orationem erexerit, earum rerum imagines reuerberata patitur, quibus antea otioſa libenter premebatur.] Et alio loco exponens illud: Muſcæ morientes perdunt ſuauitatem vnguenti; ait: Cogitationes ſuperfluæ, quæ aſſiduè in animo carnalia cogitante, & naſcuntur, & deficiunt, eam ſuauitatem, qua vnuſquiſque intrinſecus per ſpiritum vnctus eſt, perdunt: quoniam integritate eius perfrui non permittunt.] O quoties hæ muſcæ non iam ex inanibus deſideriis, ſed ex cœno noſtræ infirmitatis exortæ holocauſta noſtrarum meditationum inficiunt! O quoties ſuauitatem deuotionis tollunt, vt ipſo experimento diſcamus, quam neceſſarium ſit, extra tempus orationis, importunas has muſcas abigere, ne orationis tempore, nolentibus nobis, irrumpant, & noſtra ſacrificia confundant. Nititur diabolus noxias cogitationes tamquam ſemina iniicere, ex quibus mala opera prodeant: è contra verò noſtræ curæ ſit illas reſpuere, & bonas cogitationes quærere, ex quibus fructum quietis colligamus.

Greg. 10. moral. c. 17.

18. mor. c. 25.

Exodi 1. 16.

Vide præceptum regis Ægypti: Quando obſtetricabitis Hebræas, & partus tempus aduenerit, ſi maſculus fuerit, interficite: ſi fœmina, reſeruate.] At illæ timentes Dominum, non fecerunt iuxta præceptum regis Ægypti; ſed conſeruabant mares. Huius hiſtorię myſterium edicat Ambroſius: Sicut fœminis, inquit, dedit vuluam natura, in qua vniuſcuiuſque animantis generatio per menſtruas formatur ætates: ita eſt quædã virtus animæ, quæ velut quodam vuluæ genitalis ſecreto, cogitationum noſtrarum ſuſcipere ſemina, conceptus fouere, partus ſolet edere. Neque enim aliter diceret Iſaias: In vtero accepimus & parturiuimus ſpiritum ſalutis; niſi vuluam animæ nouiſſet. Harum generationum, quædam fœmineæ ſunt, malitia, petulantia, luxuries, intemperantia, impudicitia, aliáque huiuſmodi vitia, quibus animi noſtri quædam eneruatur virilitas. Maſculinæ ſunt, caſtitas, patientia, prudentia, temperantia, fortitudo, iuſtitia; quibus mens noſtra, & carò ipſa firmatur, & ad obeunda impigrè munia virtutis erigitur. Hos partus aluus ille propheticus parturiuit. Et ideo ait: In vtero accepimus & parturiuimus ſpiritum ſalutis. Maſculum igitur & parturiuit, & peperit, qui ſpiritum ſalutis effudit.] Sic ille. Conatus ergo diaboli, ſollicitudine appoſita, in contrarium eluditur; vt ſicut ille fœminas, id eſt, impuras cogitationes ſeruari; & maſculos, id eſt, bona cogitata, occidi præcipit: ita & nos ad oppoſitum conantes, illas interimamus; has verò & cuſtodire & promouere curemus. Id eſt elongare ſe ab omni illo, quod mentem in oratione perturbat. Nam, vt Bernardus ait, illud Dauidis exponens: Ecce elongaui fugiens, & manſi in ſolitudine. Non fuit contentus exire, niſi & longè ſe faceret, vt poſſet quieſcere. Tranſiliſti carnis oblectamenta, vt minimè iam obedias concupiſcentiis eius, nec tenearis illecebris, profeciſti: ſeparaſti te, ſed nondum elongaſti, niſi & irruentia vndique phantaſmata corporearum ſimilitudinum tranſuolare mentis puritate præualeas. Huc vſque noli tibi promittere requiem. Erras, ſi citra inuenire te exiſtimas locum quietis, ſecretum ſolitudinis, luminis ſerenum, habitaculum pacis.] Non omnia victa ſunt, ſi adhuc vanæ cogitationes maneant, cùm illæ ad obſcurandam ac diſtrahendam mentem ſatis ſupérque ſufficiant.

Bernard. ſerm. 52. in Cant. Pſal. 54. 8.

Ambr. 1. de Cain, c. vlt.

Ita anima ſæcularibus affectibus & vanis cogitationibus vacua, efficitur apta, vt eam Deus imbre ſanctorum affectuum, & bonarum conſiderationum irriget. Vas enim vacuum & mundum ille requirit, in quo pretioſum liquorem orationis iniiciat, ex ardentiſſimis affectibus, ſanctiſſimiſque cogitationibus compoſitum. Eo autem ipſo, quòd à corde noſtro illa vana deſideria, & profanas diſtractiones expellimus; illud vas mundum Domino præſentamus. Apes aluearia ſua quaſi argilla amariſſima intus illinunt, vt neceſſe ſit prius amaritudinem vincere, quàm quis poſſit ad mellis dulcedinem peruenire. Ita priùs amaritudo inquieta inanium deſideriorum & cogitationum vincenda eſt, & poſtmodum ſanctæ orationis quies, & dulcis eius conſolatio guſtanda. Extra orationem ergo illa cogitemus, quæ Eccleſiaſticus breui ſermone perſtrinxit. Beatus vir, qui in ſapientia morabitur, & qui in iuſtitia ſua meditabitur, & in ſenſu cogitabit circumſpectionem Dei.] In ſapiẽtia morari, eſt Dei opera, in ſapientia, facta conſiderare. In iuſtitia meditari, eſt opera noſtra quomodo iuſtè fiant, perſcrutari. Circumſpectionem Dei cogitare, eſt illum vbique præſentem, & quaſi nos ambientem intueri. A deſideriis itaque miſeri huius ſæculi nos abſtrahamus, & de his iugiter cogitemus, & ſic ad tempus orationis nos optimè præparabimus.

Animus cogitationibus vacuus vas eſt à Deo donis implendum.

Eccli. 14. 22.

Cuius apparatus tamquam rei verè magnæ, non ex his tantùm, quæ ante eam proximè fiunt (de quibus poſtea) ſed multo magis ex conuerſatione laudabili, ex hácque cordis munditia dependet. Et, vt Richardus ait: Illud omnino conſtare debet, quia quanto pleniùs atque perfectiùs ad intimam animus pacem & tranquillitatem componere ſe præualuerit; tanto firmiùs, tanto tenaciùs in hac ſubleuatione, ſummæ luci, per contemplationem, inhærebit. Et proculdubio quanto purior ad integritatem, quanto diffuſior ad charitatem; tanto perſpicacior, tanto capacior inuenitur ad ſupermundanorum & ſupercœleſtium contemplationem. Et Bernardus cauſſas enumerans ab oratione retrahentes, quartam ponit hanc mundialem deſideriorum & cogitationum vanitatem. De qua hæc ſcribit: Illis, quos huiuſmodi nouiſſima cauſſa à ſancto propoſito retrahit, melius erat gloriam Dei non cognoſcere, quàm poſt agnitam retroire. Quam vtique excuſationẽ habebit iſte de peccato? Nónne

Richard. 5. de contempl. c. 11.

Bernard. in ſcala.

Isai.5.4. iuſte ei poterit dicere Dominus: Quid debui tibi facere,& non feci?Non eras,& creaui te:peccaſti,& diaboli ſeruum te feceras, & redemi te. In mundi circuitu cum impiis currebas,& elegi te. Dederam tibi gratiam in conſpectu meo, & volebam facere apud te manſionem, tu verò deſpexiſti me, & non ſolùm ſermones meos, ſed meipſum proieciſti retrorſum, & ambulaſti poſt concupiſcentias tuas.] Si ad ſtudium orationis vocati ſumus, & in eo volumus progreſſus facere, & timemus ſic reprehendi, conſtanter à vanis nos deſideriis cogitationibúſque purgemus. Quamdiu enim hæ fæces nobis inhæſerint, ad conſpectum Domini familiarem non admittemur.

Contra moleſtias pugnandum.

Nec ſolùm aduersùs hæc,quæ diximus,pugnandum eſt, verùm & aduersùs quamlibet aliam moleſtiam,ſiue ex timoribus irruentibus, ſiue ex ſcrupulis pungentibus,ſiue ex dolore, vel indiſpoſitione corporis ortam, decertandum. Parum enim refert,ſi hoc,aut illud ſit,quod moleſtat; ſi,quicquid illud ſit,nos in tempore orationis inquietat. Timores, conſideratione diuinæ præſentiæ, ac eius prouidentiæ, ſuperantur, quæ non permittet nos ad ſe accedentes, ob hanc cauſſam aliquid aduerſum pati. Etſi in cœtu hominum poſiti, nihil timemus; cur apud Dominum ſtantes, & cuneis Angelorum cincti, ſecuri non ſumus? Nam etſi ambulauero in medio vmbræ mortis,non timebo mala,ait Dauid, quoniam tu mecum es.] Ille in medio magnorum periculorum, quæ imaginem mortis præſeferebant, non timebat; & tu in medio Angelorum te comitantium pertimeſcis? Et alio loco: Dominus mihi adiutor; non timebo quid faciat mihi homo. Dominus mihi adiutor;& ego deſpiciam inimicos meos.] Tu autem eumdem adiutorem habes; quid hoſtes viliſſimos, & orationis ipſius timidiſſimos times? Illam ſcito formam iuſti ab Ambroſio vocari, vt nihil metuat, nihil reformidet, niſi virtutis diſpendia, aliorúmque vanas formidines comprimat, quas habeant de periculorum ſolicitudine, mortis timore,corporis infirmitate,&c.

Pſal.12.4.

Pſal.117.6.

Ambroſ. lib.1.de Iacob. c. vlt.

Scrupuli quomodo vincantur.

Scrupuli autem humilitate,charitate,& fide vincuntur. Humilitate quidem: quoniam Dominus hac paſſione in nobis humilitatem præcipuè exquirit; vt ſcilicet noſtram infirmitatem ac nihileitatem agnoſcentes, nos verè deſpiciamus, & viles ac auxilij indignos eſſe putemus. Quare dum hanc virtutem ſtrenuè comparamus, dignos tranquillitate ſpiritus, & interna conſolatione nos reddimus;ſecundùm illud Pauli: Qui conſolatur humiles,conſolatus eſt nos Deus.] Charitate verò, quia Deus hac etiam afflictione nobis immiſſa, contendit vt proximos diligamus, & ſicut ab eis portari volumus, ita & eorum onera infirmitatéſque portemus. Impleanúſque illud: Alter alterius onera portate,& ſic adimplebitis legẽ Chriſti.] Lex eius eſt charitas, & mutuus amor, quem ſi habuerimus ad cordis quietem accipiendam diſponemur. Fide verò,ſi magiſtro Spiritus(de quo ſtatim)fidem præſtemus, & ſecundùm eius præſcriptum viuamus;& id ſolum putemus vetitum, quod ipſe,ex Eccleſiæ regulis,tale eſſe docuerit. Aliæ moleſtiæ,vt ſomni, doloris,mœroris,& aliæ ſimiles,congruentibus remediis curandæ ſunt.Somnum diligentia vincit,& aliquando pia compaſſio, qua corpuſculo neceſſariam pauſationem non denegemus.Mœror reſignatione in Dei voluntate, quæ nobis triſtitiæ cauſſam intulit,deponendus eſt;& dolor medicamentis leniendus. Ita ergo ad orationem accedendum, vt nihil ſit (quantum fieri poſſit) quod mentem diuinis intendentem perturbet.Licèt enim ex his paſſionibus æquanimiter propter Dominum acceptis aliquod proueniat meritum: tamen hoc exiguum eſt,& ideo poſtponendum,ſi cum orationis merito & emolumento conferatur.

Ambroſ. lib.1.de Iacob. c. vlt.

1.Cor.7.6.

Gal.6.2.

Magiſter ſpiritualis ab amatore Orationis quærendus, cui obediatur, & interiora manifeſtentur.

CAPVT IV.

Lib.5.p.2.c.12.

SPIRITVALEM vitam præceptore indigere, à quo doceatur, in libris de perfectione multis adſtruximus: nunc eiuſdem præceptoris neceſſitatem ad orationis diſciplinam addiſcendam explicare contendimus. Oratio quidem donum Dei eſt, ipſéque eſt primus ac præcipuus orationis magiſter, ſine cuius voce nemo hactenus hanc ſcientiam didicit, nec in poſterum addiſcet. Apparuit ille Moſi in monte Sina,omnémque rationem ſui cultus expoſuit:ſic veris adoratoribus ſe præceptorem orationis exhibet,& quomodo in ſpiritu & veritate adorandus ſit, tradit. Quoniam eſtis filij Dei, inquit Paulus, miſit Deus ſpiritum Filij ſui in corda veſtra clamantem:Abba Pater.] Vniuerſos ſiue ex Iudæis, ſiue ex Gentibus conuerſos, filios ſuos per adoptionem fecit, eiſque ſpiritum ſuum, & ſpiritum Filij ſui, nempe Spiritum ſanctum indidit clamantem, id eſt, docentem clamare eos, Abba Pater. Iudæos docet clamare, Abba:nam hæc vox eorum eſt; Gentes verò docet clamare, Pater. Cùm autem vtriuſque vocis vna ſit ſignificatio, docet eos ad vnum eumdémque omnium hominum Patrem, orationis clamore recurrere. Nam ille clamor non aliud eſt, quàm oratio; quia eſt pius affectus electorum erga Deum, vt ait Anſelmus, & pia mentis poſtulatio eſurientis & ſitientis iuſtitiam.] Spiritus ergo Dei, eſt orationis magiſter. Ipſe ſalutares cogitationes immittit: neque enim ſufficientes ſumus cogitare aliquid à nobis, quaſi ex nobis, ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt. Ipſe docet eas extendere, & in meditationem proucherе. Ipſe, cùm oportet, facit meditationem in contemplationem tranſire. Ipſe affectus excitat, & ad puriſſimas orationes,ſiue poſtulationes fundendas inuitat: nam ſine ipſo quid oremus, ſicut oportet, neſcimus. Et breuiter, omnis hæc ſcientia ab ipſis exiguis initiis vſque ad vltimam perfectionem, à Deo prouenit, & nihil in ea certum,aut ratum, aut ſecurum erit, ſi non ipſe docuerit, atque monſtrauerit. Vnde Auguſtinus:Cùm non ſit in noſtra poteſtate cor noſtrum, ſed diuino ſubleuetur auxilio, vt aſcendat, & quæ ſurſum ſunt, ſapiat, vbi Chriſtus eſt in dextera Dei ſedens, non quæ ſuper terram: cui de hac tanta re agendæ ſunt gratiæ, niſi hoc facienti Domino Deo noſtro.]

Orationis magiſter Deus.

Gal.4.6.

Anſelm. ibid.

2.Cor.3.5.

Auguſt. de dono perſeuer. c.3.to.7.

At huic manifeſtiſſimæ veritati non repugnat, quòd neceſſe ſit hominem orationis præceptorem habere; quoniam ipſe Dominus vult homini per hominem,quaſi per interpretem,loqui,& velut per internuncium ſuam voluntatem manifeſtare. Quod in illo facto Moyſis apertè cognoſcitur. Deus enim Moyſem, & Moyſes populum docuit. Ille à Deo nullo medio interiecto; hic à Moyſe præcepta diuini cultus accepit. Ita à præceptore,

Oratio magiſtro indiget.

seu præfecto nostro accipimus, quod Deus vult vt ab ipso, sed non sine medio hoc, discamus. Licèt autem in omnibus deceat, & in initio conuersionis omnino oporteat à præceptore spirituali regi; sed in exercitio orationis id est magis necessarium. Multa namque sunt in oratione pericula, non ab ipsa, sed ab impugnatione dæmonis prouenientia, in quibus necesse est à magistro iuuari. Multæ sunt orationis viæ, nec sine duce tyro cognoscet, quánam via sibi ingrediendum sit. Multa in libris spiritualibus leget, quæ non intelliget, vel in quibus hæsitabit, vel in quo statu ac dispositione animæ accipienda sint, ignorabit: atque adeò, vt vtilia sint, magistrum spiritualem audire, & ab eo pendere oportebit. Deus quoque humilitatis amator eos admittit, qui propter illum homini se submittunt, & ab eo discere non erubescunt: superbos verò sibimetipsis præfidentes repellit.

Qualis futurus orationis magister.

Has ob causas magister spiritualium rerum quærendus est, cuius consilio in oratione ducamur. Ac primò videre oportet qualem familiæ religiosæ ad hoc munus debeant eligere: si verò non eligatur, & huic negotio non præficiatur; qualem vir suæ salutis, & perfectionis amator, siue in religione, siue extra eam, debeat acceptare. Is non ex multitudine annorum, quibus vitam est spiritualem professus, neque ex canicie capitis; sed ex feruore spiritus, ex laudabili conuersatione, & ex rerum spiritualium experimento, idoneus censendus est. Vt enim ait Cassianus: Sicut non sunt omnes iuuenes pari modo, vel feruentes spiritu, vel disciplinis ac moribus optimis instituti: ita ne senes quidem cuncti, vno modo, vel perfecti possunt, vel probatissimi reperiri. Diuitiæ enim senum non sunt canicie capitis, sed industria iuuentutis, ac præteritorum laborum stipendiis metiendæ. Quæ enim non congregasti, inquit, in iuuentute, quomodo inuenies in senectute tua? Senectus enim honorabilis est, non diuturna, neque numero annorum computata. Cani autem sunt sensus hominis, & ætas senectutis vita immaculata. Et idcirco non omnium seniorum, quorum capita canicies tegit, quósque vitæ longæuitas sola commendat, nobis sunt sectanda vestigia, seu traditiones, aut monita suscipienda; sed eorum, quos laudabiliter vitam suam, ac probatissimè compererimus in iuuentute signasse, nec præsumtionibus propriis, sed maiorum traditionibus institutos. Sunt enim nonnulli, quorũ etiam, quod est lugubrius, maior est multitudo, qui in tepore suo, quem ab adolescentia conceperũt, atque ignauia senescentes, auctoritatem sibi non maturitate morum, sed annorum numerósitate conquirunt. De quibus exprobratio illa Domini propriè satis dicitur per Prophetam: Et comederunt alieni robur eius, & ipse nescivit; sed & cani effusi sunt in eo, & ipse ignorauit. Hos, inquam, in exemplum iunioribus, non vitæ probitas, nec vlla propositi huius laudabilis, atque imitanda districtio, sed annositas sola prouexit. Quorum caniciem callidissimus inimicus ad deceptionem iuniorum in præiudicata auctoritate proponens, etiam illos, qui ad viam perfectionis vel suis, vel aliorum potuerunt monitis incitari, subuertere ac decipere exemplis eorum fraudulenta subtilitate festinat, vel in teporem eos noxium, vel in lethalem desperationem doctrinis eorum institutísque perducens.] Sic ille. Et vt, quod verum est, fatear, vnum familiarum religiosarum est, & non minimum detrimentum, quòd tepidi, & rerum spiritualium ignari alios viam spiritus edocemus, & feruorem incipiẽtium, quem deberemus accendere (iam enim pauci in desiderio perfectionis excedunt) imprudenter extinguimus, quia illum nostra ignauia metimur. O quàm sæpe Dei vocationem, qua aliquem ad sublimiora vocat, ignoramus, & ob id nec consiliis illum, nec adhibitis congruentibus documentis prouehimus! O quàm sæpe discipulum non intelligimus, quia iam nos in perfectione orationis superat, & ideo ad maiorem profectum, non illum dirigimus! O quàm sæpe eum impedimus, & ne vlterius procedat, à tramite viæ sibi salutaris, auertimus!

Cassian. coll. 2. c. 13.

Eccli. 25.

Sap. 4.

Oseæ 7.

Iustin. lib. de obedien. c. 20.

Eligatur ergo ille (vt verbis illum Laurentij Iustiniani depingam) qui discretione sit prouidus, experientia probatus, ordinatus moribus, grauitate maturus, decoratus honestate, sanctarum Scripturarum gnarus, austerus in se, proximo compatiens, orationi assiduus, corde mitis, eloquio verax, & in omni (si possibile est) spirituali disciplina prouectus.] Sed vberius eum describit Basilius in hunc modum: Simul ac in primo congressu aduersarium superaueris, summa vigilantia, acerrimáque in omnes partes circumspectione operam dato, vt aliquem tibi virum inuenias, quem in omnibus deinceps delectæ tibi vitæ studiis certissimum ducem sequaris, eiusmodíque, qui rectum iter ad Deum volentibus pergere, sciat commonstrare: qui ornatus virtutibus sit: cuius yniuersæ totius ipsius vitæ actiones testimonio sint charitatem in eo erga Deum inesse: qui diuinarum litterarum scientiam habeat; virum integrum, nec vlli distractioni indulgentem; ab auaritia abhorrentem: minimè libenter gerendis se negotiis admiscentem, quietum, amantem Deum, egentium studiosum, minimè iracundum, iniuriarum immemorem, natura propensum ad eos docendos, qui ad ipsum accedant; quem gloria inanis non inflet, superbia non extollat, adulatio non frangat, seuerum, atque constantem, cui denique nihil sit præstantius honore Dei.] Hactenus ille.

Basil. ser. de abdicat. rer.

Ruth 2. 14. 18.

Orationis magister describitur.

Eligatur ille, qui non aliter, quàm alias scientias, doctrinam spiritus speciali studio didicerit; qui sanctorum Patrum, præsertim eorum, qui ascetica scripserunt, libros euoluerit; qui, quæ didicit, experiri, & opere complere curauerit. Eligatur ille, qui bene suis affectibus imperet; qui omnibus virtutibus fulgeat; qui sit silentij & quietis amator; qui res spirituales pro dignitate doceat, & auditores suos, potenti oratione pro eis fusa, sustineat; & non tam verbis, quàm exemplis erudiat. Nihil enim ita instruit, ac exemplum præceptoris. Antiquorum exempla non semel simplices & incipientes exterrent, dum illos, qui præcesserunt, plus quàm homines existimant: præsentium verò facta, quibus cum viuimus, quos homines imbecillos nouimus, ad imitationem prouocant. Eligatur ille, qui sciat suæ perfectionis maiorem curam habere, séque primo loco perficere, & postmodum alios spiritu promouere. Casta Ruth in conuiuio messorum Booz comedit, & saturata est, & tulit reliquias, & dedit Noëmi de reliquiis cibi sui, quo saturata fuerat. Est hæc magistri spiritualis imago, cui hoc conducibile est, vt sibi primò abundè satisfaciat, tempúsque ad Deo vacandum præripiat, & ex his, quæ sibi superfuerint, discipulis tradat. Nec ob id erunt spiritu macilentiores, immo pinguiores reliquis ab homine arido, & minùs deuoto educatis; quoniam præceptoris feruentioris reliquiæ tales sunt, vt verbis aridis alterius tepidioris emineant. Eligatur ille, qui sit amore & desiderio orationis captus, & ad

res ſpirituales optimè affectus. Nam nec triſtis ad lætitiam, nec lætus ad triſtitiam ac mœrorem auditores ſermone afficiet; ſed hilaris ad lætitiam, & mœſtus ad mœrorem,& quiſque ad affectum ipſi dominantem incitabit. Sic ſpiritualis præceptor, ſi ſit orationis, & eorum, quæ ad eam requiruntur, amator; orationis,& ſilentij,& deſpicientiæ ſæculi amorem in auditores iniiciet. Eligatur ille, qui ſpiritu diſcretionis polleat, qui non eadem omnibus tradat, nec cunctis eamdem viam orationis oſtendat: ſed ab vnoquoque iuxta capacitatem & vocationem, quam habet, penſum exigat. Non ſunt vniuerſi æqualiter ad orationem idonei: & aliter pueri, aliter rudes, aliter melancholici, aliter confuſi, aliter occupati, aliter inquieti ſunt edocendi. Econtra verò ad orationem idonei, rebus magnis ante eorum oculos poſitis,& vitę perfectioris oſtenſione, ſunt ad ſublimiorem orationem excitandi.Ille demum eligatur,qui viros optimo & ſubtili ingenio libenter inſtruat, & rudes ac deſpectos, & pauperculos non excludat, immo teneriùs foueat, accuratiùs doceat, manſuetiùs ſuſtineat:& quos non minus, immo ſæpe multo magis ad ſublimem orationem vocatos cognoſcet, maiori alacritate in illis inſtituendis operam collocet.

Iob 29. 6. Greg. 19. moral. c. 10.

Hoc ex ſententia Gregorij eſt lauare pedes butyro, huiuſmodi puſillos docere, & ad viam ſpiritus reuocare. Eius verba ſunt: Si autem ſentire iſta ex voce ſolius corporis debemus; nimirum pedes Eccleſiæ ſunt inferiorum operum miniſtri; qui dum ad vſus neceſſarios ea, quæ ſunt exteriùs, exercent, per extremum miniſterium, velut pedes terræ inhærent. Sed debent hi, qui præſunt, qui doctrinæ ſtudio inuigilant, ſolerti cura occupatorum corda requirere,eiſque eam, quam ipſi vacando percipiunt, crebræ admonitionis voce infuſionem pinguedinis miniſtrare.Nam quia in vno corpore inuicem pro ſe membra ſollicita ſunt;ſicut illorum miniſteriis noſtra extrema fulciuntur: ita neceſſe eſt, vt noſtris ſtudiis illorum interiora repleantur. Quando igitur ſancti Doctores quibuſdam ad externa miniſteria deditis vnctionem Dominicæ incarnationis prædicant, butyro eloquij pedes lauant. Solent etiam pedes ipſa itineris aſperitate lacerari. Vnde & omnino difficile eſt in terrenis actionibus huius vitæ iter agere, & nulla ex labore itineris vulnera ſuſtinere. Cùm ergo vigilantes præpoſiti auditores ſuos curis exterioribus intentos, ad cor reuocant, vt quæ inter ipſa licita opera admiſerint, mala cognoſcant, & quæ cognouerint, defleant, pedes butyro lauant; quia eorum vulneribus pœnitentiæ vnguenta ſubminiſtrant.] Hæc Gregorius.

Cum illo quomodo agẽdum.

Si præceptorem ſpiritualem tam idoneum inueneris, qui te de rebus orationis erudiat, eum in magno pretio habe, & tamquam tibi diuinitus datum, ei te libenter ſubiice. Eum ſyncerè dilige:ita tamen vt in amore non excedas, nec propter amorem illius in amore Domini intepeſcas. Sicut enim ad illum pertinet ita docere,vt poſtquam illum audieris, ab eóque diſceſſeris Chriſtum inuenias: ita ad te ſpectat, vt illum, tamquam ſeruum, & nuntium ſponſi, diligas, totum verò cordis tui amorem ſponſo relinquas.Hanc prudentiam in docendo,& in amando inſinuauit ſponſa,dicens: Paululum cùm pertranſiſſem eos, inueni quem diligit anima mea.] Ita nuntios diligas,vt non in eis hæreas, ſed ad ſponſum tranſeas. Ita illi te doceant,vt non te teneant,ſed ad illum mittant.Hoc enim eſt,

Cant. 3. 4.

A quod Bernardus ait: Oportebat quidem ſponſam tranſire per eos, per quos cognoſceret veritatem, ſed tamen & pertranſire. Niſi enim pertranſiſſet & ipſos,non inueniſſet quem quærebat. Atque hoc ipſum ſuaſum ab illis non ambigas.Non enim prędicabant ſemetipſos, ſed Dominum ſuum Ieſum, qui abſque dubio ſupra ipſos eſt,& vltrà. Vnde & ait: Tranſite ad me omnes, qui concupiſcitis me. Nec ſufficiebat tranſire,ſed & pertranſire docetur; ſiquidem pertranſierat is, quem veſtigabat.] Res hæc maioris momenti eſt, quàm prima ſpecie apparet:ſolent namque ex hac communicatione ſpirituali interdum, non ſine culpa noſtra, minus puræ amicitiæ, & pluſquam oportet intimæ familiaritates, inter magiſtrum & aliquem ex diſcipulis B exoriri, quæ gubernationem adeò neceſſariã nonnihil fuſcant, & apud alios auctoritatem præceptoris imminuunt. In réque tam ſancta, & propter perfectionem inſtituta, minimus etiam næuus non parum diſplicet, nec modicum impedimentũ profectus ſpiritalis affert. Ac propterea cautio adhibenda eſt,tum præceptori;ne ex hac occaſione cor minus mundum, minúſque creaturis exoneratum habeat: tum diſcipulo; nedum in medio hæret, & præceptorem plus nimio amat,ad finem concupitę perfectionis numquam perueniat. Hunc igitur amorem,qui hoc documento indiget, moderabitur, ſi ex Bernardo, quo loco præceptor ſit habendus, addiſcat. Tu ergo, frater (inquit) agnoſce te præ- C uentum, & præuentum in benedictionibus dulcedinis; non à me,qui nihil ſum,ſed ab illo,qui me, vt de tua te ſalute monerem, aſpirando præuenit: nam,vt multum mihi tribuas, plantator ſum, rigator ſum,abſque illo tamen, qui incrementum dat, quid ſum? Ipſi te in omni humilitate ſubiicias,ipſi tota deuotione inhæreas; me verò vtere eius ſeruo, conſeruo tuo,comite in via,& cohærede futuro in patria.] Iniquum autem eſſet pro ſeruo Dominum poſthabere, & huius amori pro amore illius iniuriam inferre.

Bernard. ſerm. 79. in Cant.

Bernard. ep. 146.

Inuento hoc ſpiritali magiſtro, vt ei omnia tua arcana confidas neceſſe eſt; nihílque ſit in conſcientiæ receſſibus malum, aut bonum, quod non ei ſyncerè & humiliter aperiatur. Manifeſtabis ei D affectus tuos, quibus magis ſubiectus es, tentationes tuas,imperfectiones,tepiditates,& quicquid in te præpoſterum eſt, ex quo animæ tuæ ſtatus cognoſcatur. Manifeſtabis item corporis aſperitates, virtutum exercitationes, orationũ vocalium multitudinem, aut paucitatem; materiam ac modum meditandi; diſtractiones, ariditates:aut è contra, conſolationes,& illuſtrationes cœleſtes, & reliqua omnia in bonorum genere, vt te ſcilicet intus & in cute cognoſcat, & in omnibus, ſed præcipuè in oratione, gubernare ſciat. Dei communicationi ſe tradere, virtus eſt, & magna virtus: ſed ſi debito modo fiat, ſed ſi hoc ſtudium diſcretione non careat. At minimè diſcretè te geres, niſi præceptori te patefacias, niſi ad eum in tuis dubiis recurras, & E ab eo,qua ratione tibi ſit procedendum, accipias. Diſcretio,vt inquit Bernardus, omni virtuti ordinem ponit,ordo modum tribuit,& decorem,etiam & perpetuitatem. Eſt ergo diſcretio non tam virtus,quàm quædam moderatrix & auriga virtutum, ordinatrix affectuum, & morum doctrix. Tolle hanc, & virtus vitium erit; ipſáque affectio naturalis in perturbationem magis conuertetur, exterminiúmque naturæ.] Vide tu, ô iuſte, ſi iam donum diſcretionis habeas, an non? Si te habere putas, ſuperbiſſimus es: ſi te habere non putas, &

Omnia magiſtro ſpirituali aperienda.

Bernard. ſerm. 40. in Cant.

nihilominus teipſum regis, ſtultiſſimus; quia cùm cæcus ſis, téque ipſum cæcum cenſeas, ſapientem præceptorem renuis accerſere, à quo in via periculoſa ducaris. Si mala tua pandis, ſuperbiam proteris diuinæ familiaritatis expultricem,& tuis miſeriis efficaciſſimum medicamentum affers, & certam tibi ſalutem promittis.

Si bona oſtendis, inanem gloriam ne timeas; multi namque,& recentiores in hac via (quod magiſter non ignorat) te in his donis ſuperant; & quod tibi videtur ſingulare donum, aliis eſt panis quottidianus, quo abundè & frequenter reficiuntur. Dona omnibus paſſim aperienda non ſunt, ſed illud: Secretum meum mihi (vt poſtea dicemus) magna cura ſeruandum: at ab oculis præceptoris non abſcondantur, ſed palàm, ad Dei gloriam, illi manifeſtentur: vt ipſe videat, an dona ſint,an potiùs illuſiones ſub tegumento donorum: & ſi verè dona, qualia; an magna, an parua: an ordinaria, an ſpecialia: an quaſi præmia præteritæ conuerſationis,qua quis ſanctè conuerſatus eſt, an incitamenta futuræ. Et ex his eliciet, quomodo te debeat regere,& in ſtudio orationis adiuuare.

Illi obediendum.

Poſtquam huic præceptori omnia tua interiora detexeris, reliquum eſt, vt ei tamquam nuncio Dei, vel tamquam voci, per quam tibi loquitur, in omnibus obedire feſtines. Illud tẽpus orationi concedes, quod ipſe ſignauerit. Illam materiam meditandam ſuſcipies, quam ipſe ſelegerit. Illum affectum ac deſideria ex meditatione curabis elicere,quæ ipſe præſcripſerit. Ea negotia, eáſque occupationes quoad ſubſtantiam & modum ſuſcipies, eáſque refutabis, quas ipſe docuerit. Eos libellos ſpirituales euolues, aut eam partem eorum, quam ipſe probauerit: neque enim omnia, quæ ſcripta ſunt, omni generi hominum ſpiritualium apta ſunt. Sed quædam magis ſolitariis; alia magis ſaluti animarum vacantibus; alia incipientibus, & alia proiectis in virtute magis congruunt. Ad hunc præceptorem pro conſilio frequenter accurres, & quantum fuerit poſſibile, in reliquis, eius arbitrio gubernaberis, nec latum vnguem ab eius ſententia diſcedes. Sic diſcretionem ad progrediendum conſequéris: quam (vt Gerſon ait) non ſecurius habere, poſt diuinam gratiam, poterimus, quàm per ſedulum & ſecurum alterius experti, nóſque diligentis & agnoſcentis conſilium.]

Gerſon de meditatione c.9.

Hic eſt optimus modus abnegandi teipſum, & parandi mentem tuam, & eam vacuandi à proprio ſenſu, vt à Deo illumineris. Nihil enim ita obſtat diuinæ illuſtrationi, & cœleſti conſolationi, nec non & orationis fructui, ac proprium iudicium, & propria voluntas, & præſumtio ſeipſum regendi; quæ omnia abſolutiſſimè hac vna ſubiectione vincuntur. Si quis videtur inter vos ſapiens eſſe in hoc ſæculo (verba ſunt Pauli) ſtultus fiat, vt ſit ſapiens. Niſi te ſtultum reputaueris, & quaſi ignarus alterius directionem ſuſceperis, numquam hanc ſcientiam ſpiritus, orationis dono contentam, obtinebis. Dominus non ſine columna ignis & nubis populum ſuum ad terram promiſſam euntem præcedebat: nec te ſine magiſtro præeunte (ſi illum habeas) ad contemplationis ſublimitatem capiendam præcedet. Non audebunt, inquit Iob, contemplari omnes, qui ſibi videntur ſapientes.] Vt Deum contemplari audeas, & queas; conſilium ductoris ſuſcipe, & ne tibi ſapiens eſſe videaris. Dic tibiipſi cum illo ſapiente: Stultiſſimus ſum virorum, & ſapientia hominum non eſt mecum. Non didici ſapientiam,& non noui ſcientiam Sanctorum.] Si autem te inſipientem reputas, audi ſapientes. Si ſapientia elongata eſt à te, & eam per diſciplinæ admiſſionem accerſe. Si ſcientiam Sanctorum non didiciſti, id eſt, eam, qua diuina myſteria cognoſcuntur, eam ab illo, qui ad docendum præfectus eſt, diſce. Nam ſi abſurdum eſt artem ſutoriam abſque magiſtro velle diſcere; quàm præſumtuoſum erit ſcientiam ſpiritus velle abſque doctore comparare. Zachæus Chriſtum videre geſtiens, & præ ſtaturæ puſillitate videre non valens, in arborem ſycomorum, id eſt, in ficum fatuam aſcendit. Quia nimirum, qui mundi ſtultitiam humiliter eligunt, vt ait Gregorius, ipſi Dei ſapientiam ſubtiliter contemplantur.] Elige igitur hanc ſalutarem ſtultitiam, vt ab alio doceri velis, vtque ei obedias,& ſcientiam orationis,qua Chriſtus videtur, conſequéris.

Luc. 19. 4.

Greg. 27. mor. c. 27

Vſus autem alienæ doctrinæ, & auditio magiſtri ſpiritualis, non eſt omnibus æquè neceſſaria. Incipientes ea maximè indigent, (incipientium autem ſtatus non tam ex tempore, quàm ex profectu æſtimandus eſt.) at ſpiritu iam proiecti, & dono orationis cumulati, non tam à frequenti ductoris communicatione dependent, licèt non omnino debeant ſine ductore viuere. Si verò ſupernaturalia experiantur, & à communi modo orandi ad ſingularem ſubleuentur; magiſtrum adeant neceſſe eſt, ex cuius conſilio ea, quæ ſibi communicantur, examinent; alioqui periculis ſe multarum fraudum exponent.

Aliena doctrina qui magis indigeant.

Eſto tamen, ô vir Dei, quòd ſpiritualem magiſtrum omnibus numeris abſolutum minimè inuenias (quod non ſemel eueniet) nihilominus operæpretium erit mediocrem, & minus fortè in ſpiritualibus exercitatum, audire. Nam & Dominus hanc tuam humilitatem gratam habebit, & te (vt pium eſt credere) ab illo decipi in re alicuius momenti non ſinet. Ipſúmque aut per libros, quos legit, aut per aliorum conſilium; aut, ſi oportuerit, per ſeipſum, & per internam inſpirationem illuminabit, vt tibi vtilia ſuggerat. In qua re non ſolùm notanda, ſed & admiranda eſt ſententia Auguſtini ad Auxentium, vel Auxilium Epiſcopum ſcribentis. Nequaquam, inquit, iuuenilem ætatem tuam, & honoris eccleſiaſtici rudimenta contemno. En adſum ſenex à iuuene coepiſcopo, & Epiſcopus tot annorum à collega necdum anniculo paratus ſum edoceri.] Ille ſol Eccleſiæ in rebus ſibi tam perſpectis doctrinam iunioris ſuſcipiendam cenſet, & tu in via, quam numquam nouiſti, alterius antiquioris conſilio duci recuſabis? Certè Abbas ille apud Ioannem Moſcum tam ſublimiter in oratione profecerat, vt Angelos ſibi aſſiſtentes, cùm ſacrificium offerebat, quottidie videret. A quibus tamen hoc ſalutare documentum accepit; vt homini ſe docenti obediret: quia Deus, inquiunt, ita diſpoſuit, vt homines ab hominibus corrigantur. In Deuteronomio quoque præceptum eſt, vt ſi aliquid dubitationis inciderit, ad ſacerdotem ſoluendum deferatur. Veniéſque ad ſacerdotem Leuitici generis, & ad iudicem, qui fuerit illo tempore, quæréſque ab eis, qui indicabunt tibi iudicij veritatem.] Cúmque dexteritas ſacerdotis in nodo diſſoluendo, populo examinanda minimè relinquatur; manifeſtum eſt, de ſufficientia præceptoris nobis à prælato præpoſiti non eſſe curioſiùs perſcrutandum. Sed piè credamus, quod Ri-

Aug. ep. 75.

Pratum ſpirit. c. 199.

Deut. 17. 9.

Licèt minus ſpiritalia cal leat orationis magiſter, ei parendum.

Illuſtrationi diuinæ quid maximè obſtet.

Exodi 13. 21.

Iob 37. 24.

Prou. 30. 2.

Richard. in Cant. c.39.

chardus Victorinus scripsit : Non potest errare, qui cum consilio viuit ; nec ab inimico decipi, qui suggestiones eius detegit.] Nam licèt magister, aut præfectus erret, ego tamen obediendo non erro, dummodo nihil manifestè malum mihi præceperit.

Sed si præceptor spiritualis sit penitus rudis, & rerum orationis prorsus ignarus, & ad dirigendam animam per viam spiritus inidoneus (quod aliquando accidet, præsertim iis, qui in sæculo vitam spiritualem profitentur, aut iis fœminis religiosis, quibus confessarius rerum interiorum peritus non datur) tunc ex libris spiritualibus, qui hoc tempore in communi etiam idiomate, sunt per Dei misericordiam plurimi, & optimi, poteris res orationis addiscere, & à Domino ipso, qui per se solet (cùm magister spiritalis abest) vicem eius supplere, scientiam spiritus postulare. Roga illum obnixè, vt mittat ad te doctorem, à quo instruaris : interim tamen, vt te ipse instruat, & per libellos de rebus piis editos te ad plenum doceat. Dic illi cum fiducia : Doce me facere voluntatem tuam ; quia Deus meus es tu.] Quandoquidem, ô Domine Deus meus, & eo ipso, omne bonum meum tu es, & vniuersarum mearum indigentiarum prouisor largissimus : doce me in hac vocatione tua, qua ad orationem me vocas, ita me gerere, vt vocationi respondeam, vt voluntatem tuam faciam, vt inoffenso pede in hoc itinere tam suauitatis referto proficiam. Nec dubites quòd Dominus tuæ petitioni satisfaciet, & aut præceptorem idoneum dabit, aut minus idoneum ad vtilitatem tuam, vt recta doceat, instruet, aut ipse per se tibi notitiam rerum spiritualium sufficientem instillabit. Sícque nec præsumtuosus eris, nec ob superbiam reiicieris ; nec, cùm Deus ipse magister sit, sine spirituali magistro proficies.

Psal.142. 10.

Finis debitus orationi præfigatur.

CAPVT V.

Orationis finis qualis futurus.

SPIRITVALIS magister illud in primis suum alumnum edocebit, vel si desit, aut obliuiscatur, ipse orator scire curabit rem summi momenti esse, scopum ac finem conuenientem sibi proponere, ne inutiliter tempus terat, & post multos annos in oratione & contemplatione consumtos, nullum fructum ex suo labore percipiat. Omnium operum humanorum bonitas ex fine pendet ; qui si bonus sit, opera media, siue indifferentia, bona reddit : si verò malus, bona ex sua bonitate deiicit, & ingenita malitia inficit. Pulchra similitudine oculorum id Dominus in Euangelio declarauit. Lucerna, inquit, corporis tui, est oculus tuus.] Tu autem, lector, intellige, quia sicut corpori tuo visibili oculus pro lucerna datus est : ita & corpori bonorum operum intentio est pro lucerna prærogata. Si oculus tuus simplex fuerit (id est, mundus, & purus) totum corpus tuum lucidum erit ; quia exiguus ille lucis orbiculus satis est illi, vt vniuersas actiones optimè præstet, & cunctis membris bene fungatur. Similiter si intentio simplex ac pura fuerit, actionum bonarum cumulus splendidus erit, & ex hac parte nullam nebulam imperfectionis habebit. Si autem oculus tuus fuerit nequam

Matth. 6.22.

A (id est, vitiatus, & immundus) totum corpus tuum tenebrosum erit ; quoniam veluti in caligine positum perperàm suas actiones obibit. Ita si intentio præpostera fuerit, bonarum actionum cumulus, tamquam in tenebris & obscuritate factus, à præmio excidet, & tibi peribit. Sunt, quorum non simplex est oculus, inquit Bernardus, & recipiunt mercedem suam. Sunt, qui feruntur propriis motibus animorum, & contaminata sunt vniuersa, quæ offerunt ; quippe cùm voluntates eorum inueniantur in eis.] Et alio loco ; hanc intentionem existimat esse illud vnum penitus ad vitam necessarium. Nisi enim opus tuum, ait, in vnitate feceris, Deo, qui vnus est, acceptum (teste ipso) profectò non erit.] Laurentius quoque Iustinianus putat hanc ob caussam bona opera iugiter esse examinanda, ne sinistra aliqua intentione fuscentur, & ex ea suum valorem amittant. Christi legitimus seruus, inquit, & perfectionis amator numquam cessat, rationis iudicio, virtutum actus examinare, ne incuria discretionis vitium sub virtutis velamine ad opus exeat. In huiusmodi quippe frequenter ruit decipula, qui sua discernere negligit, vel ignorat. Currit, & nescit, quò pergit, nec percipit quà. Super arenam mentis domum ædificat, & arbitratur se super solidam petram fundamenta locasse : secundùm corporis fatigationem, animæ putat esse mercedem. Non autem considerat, quòd parum prodest, non adhibita intentionis rectæ custodia, multa operari. Sicut enim auri exigua massa magnum superexcedit cumulum vilis cuiuscumque metalli : ita pauca opera peracta cum incendio puræ charitatis, in conspectu conditoris magis fulgent, atque gratiora fiunt, quàm multorum exercitia laborum prodeuntia ex radice negligentiæ, & de fonte intentionis incultæ.] Hæc ille. Quòd si quodlibet bonum opus adeò ex fine bono dependet, vt sine illo factum nullius pretij sit apud Deum ; quanto magis perfectissimum orationis opus, quod tanta virtutum opera continet, & exercet, ex bono fine sibi præfixo pendebit ? Certè macula in lino fœda est, in serico fœdior, in tela aurea fœdissima : ita præpostera intentio, & sinister finis in qualibet bona actione turpis est ; sed in oratione, & Dei familiaritate quærenda turpissimus. Pro instrumento namque omnis perfectionis adipiscendo laboras, dum orationem frequentas, ipsum verò instrumentum inutile ad perfectionem reddis, dum illi minus vtilem finem apponis.

Bern. ser. 3. de Assumt.

Serm. 3. de Assumt.

Iustiniã. de discip. monast. c. vlt. ad med.

Qui fines in oratione abiiciendi.

Abscedat igitur à viro spiritali, qui orationi se dedicat, omnis in suo fine curiositas ; omnis suauitas, & consolationis appetitus, omnis vanitas, omnis instantia orationis ex sola consuetudine orta, quæ diligentiam nostram in hoc præstantissimo opere collocatam eludunt. Quidam orant ob curiositatem, vt subtilia cognoscant, vt aliquid occultum sibi manifestetur, & more Athenienstium, volunt audire, aut videre aliquid noui. His dicit Dominus : Generatio hæc signum quærit, & signum non dabitur ei.] Quidam ob suauitatem, & spiritualem consolationem, & nonnullas lacrymulas, quas ad calorem meditationis extorquent ; & his se subtrahentibus, in studio meditandi lassescunt. Illis autem dicitur : Quæritis me ; non quia vidistis signa, sed quia manducastis ex panibus, & saturati estis.] Quidam ob vanitatem, quia spirituales videri volunt ; & si aura popularis cessauerit, aut in contradictionem se

Matth. 16.4.

Ioan. 6. 26.

conuerterit, ſtatim à cœpto reſiliunt. Hi radices non habent, qui ad tempus credunt, & in tempore tentationis recedunt. Alij tandem ex ſola conſuetudine ad orationem accedunt; à quibus ſi inquiras, quid ex oratione colligere cupiant, neſciunt aliud dicere, niſi ad eam vadimus, quia ex regula tempus orationis præſcriptum habemus. Súntque ſicut illi, de quibus Oſeas ait: Ephraim vitula docta diligere triturám.] Nam ſicut vitulæ in terra Iſraelis ex ſola conſuetudine cum aliis animalibus ad triturandum accedebant; ſic & hi; quia ſic aſſueuerunt, tempus aliquod in oratione conſumunt.

Oſeæ 10. 11.

Iſti omnes ſine debito fine in oratione occupantur, & dum ſic permanſerint, parum, aut nihil in hoc exercitio proficient. Finis ergo conueniens huic operi apponendus eſt: & generaliter loquendo ille talis eſſe cenſebitur, qui in aliis bonis operibus quæritur. Orationi itaque ſtudendum eſt, vt opus præſtantiſſimum virtutis religionis, & alia virtutum opera interiora continens, exerceamus. Vt eo tamquam præcipuo inſtrumento, omnem virtutem ac ſanctitatẽ adipiſcamur, vtque eo Deo placeamus, & ex eius amore opus quàm gratiſſimum ipſi præſtemus. Oratio enim in ſpirituali vita non finis eſt, ſed medium, quo ad finem peruenimus. Finis autem eſt ipſa ſanctitas, atque perfectio. Orandum eſt igitur, non vt oremus, non vt meditemur, aut contemplemur, ſed vt oratione & contemplatione ſanctitatem acquiramus. Ferrum in fornacem iniicis: an tantùm vt caleat? An tantùm vt ardeat? Non ſanè, ſed vt dum duritiem amittit, arte ex eo aliquid operis fiat. Ita accedis ad fornacem orationis, in qua mens cœleſtibus veritatibus illuſtratur, & igne diuini amoris accenditur. An ſolùm vt illumineris? Vt accendaris? Vt conſoleris? Non, non: ſed vt emolliaris, quo poſſis cum fructu, ictus mortificationis ſuſcipere, & ad omnem virtutem formari, & perfectionem, ſiue Chriſti imaginem ſuſtinere. Moſes ex conſortio Domini cornutam faciem reportauit, id eſt, fortitudinem ad hoſtes proterendos, & robur ad viam illam ad terram promiſſionis conficiendam acquiſiuit. Dauid inquit: Viam mandatorum tuorum cucurri, cùm dilataſti cor meum.] Quia videlicet dilatatio hæc, quæ oratione perficitur, non ad aliud, quàm ad currendum, & ad mandatorum ac conſiliorum cuſtodiam ordinatur.

Orationis finis.

Exodi 34.29.

Pſal.118. 32.

Chriſtus etiam Saluator noſter ad paſſionem oratione ſe muniuit. Hæc omnia oſtendunt orationem eſſe inſtrumentum perfectionis, ad ídque exercendam eſſe, vt perfectionem acquiramus. Meritóque dictum eſt à Salomone: Scientia Sanctorum prudentia.] Inueſtigatio, inquam, rerum ſanctarum, quas meditatione inueſtigamus, ad hoc refertur, vt prudentes ſimus; id eſt, vt eam vitæ rationem inſtituamus, quam ſpiritualis prudentia requirit. Ioannes in cõtemplatione ſuſpenſus, vidit ciuitatem ſanctam Ieruſalem, nouam, deſcendentem de cœlo, à Deo paratam. O optimam & vtilem contemplationem, quam nos imitabimur, ſi illam ſupernam ciuitatem ad nos, vitæ puritatem, adduxerimus, & in eius tranſierimus affectum. Illa ſuperna ciuitas, mater noſtra eſt, vt dixit Paulus: Illa autem, quæ ſurſum eſt Ieruſalem, libera eſt, quæ eſt mater noſtra.] Ad quid ergo nos filij ad eam conſideratione aſcendimus, niſi vt ab huius ſæculi deſideriis auulſi, ei amore & imitatione inhæreamus. Huńc itaque

Matth. 26.46.

Prou.9. 10.

Apoc.21. 2.

Galat.4. 26.

ſcopum tibi in orationis ſtudio præſcribe, vt teipſum perficias, & Deo placere contendas. Dicitóque ſubinde cum ſancto Iob: Ecce enim in cœlo teſtis meus; & conſcius meus in excelſis.] Omnis, qui ex eo, quod agit, ait Gregorius, humanas laudes appetit, adde tu, aut in aliquid terrenum intendit, teſtem in terra quærit. Qui autem de actibus ſuis omnipotenti Deo placere feſtinat, teſtem ſe in cœlo habere conſiderat.] Nihil vile, nihil humanum ex oratione quæras; ſoli Deo placere, & in omni virtute creſcere concupiſcas; & orationem (vt re vera eſt) medium facis, & in ſuum finem dirigis.

Iob 16. 20.

Gregor.

Hunc tamen orationis ſcopum, quia res hæc magni momenti eſt, amplius euoluamus, & in tres fines ſpeciales illum ſecemus. Eſt itaque triplex orationis finis ſub illo vno generali contentus, ad quem omnis mentalis exercitatio refertur. Primus eſt, perfecta abnegatio, & victoria ſui. Secundus eſt, perfecta vniuerſarum virtutum adeptio, Chriſtíq, imitatio. Tertius eſt, perfecta charitas, & vnio cum Deo. Cùm primùm te orationi mentali dedicas, fuga omnis peccati, & mortificatio ſenſuum, ac paſſionum tuarum, quin & abnegatio iudicij, & voluntatis, necnon & ſpiritus ad caſtigationem corporis, & ad ſæculum proterendum, eſt tibi ex oratione quærendus. Nec teipſum decipias, aut exiſtimes te aliquid profeciſſe, niſi de teipſo in his omnibus glorioſam victoriam acquiras. Oratio Iacob Patriarchæ hunc primum finem præſetulit. Ille namque ex lucta cum Angelo, quæ luctam orationis figurabat, manſit claudus, ſed benedictus & nomine foritudinis cumulatus (hoc enim ſonat nomen Iſraël, præualens Deo) & terror hoſtibus ſuis factus: Nam terror Dei inuaſit omnes, per circuitum, ciuitates, ne ab hoſtibus aliquis ſuorum damnum acciperet. Idipſum vir ſpiritualis ex oratione conſequitur; vt ſcilicet ad mundi amorem perſtet infirmus, ad ſui victoriam robuſtus, ad vincendos dæmones animatus, ita vt eos in fugam vertat, & victos à ſe propellat. Vide & eumdem fructum in Henoch præfiguratum, de quo dictum eſt: Ambulauit cum Deo, & non apparuit, quia tulit eum Deus.] Ambulare cum Deo, eſt ſanctè viuere: ferri à Deo, eſt ad guſtum contemplationis ſublimari; non apparere, eſt fructus huius contemplationis, ſe nimirum deiicere, & amorem terrenorum præcidere. Quia, vt ait Gregorius: Humana mens in contemplationis arce ſubleuata, tanto ſemetipſam duriùs de ſuperfluis cruciat, quanto nimis ſubtile conſpicit eſſe, quod amat. Et cùm pulchrum intuetur hoc, quod ſuper ſe appetit, diſtrictè iudicat quicquid in ſe infirmum priùs tranquillè tolerabat.]

Primus orationis finis, Abnegatio ſui.

Gen. 35. 5.

Gen. 5. 24.

Greg. 5. mor. c. 24.

Omnis noſtra deliberatio circa agenda, & omittenda, in meditatione perficitur. Sed exponat Richardus Victorinus circa quæ deliberatio animæ iuſtæ verſetur, & inde hunc finem mentalis orationis elicies. Debemus autem ſemper, inquit, omne deliberationis noſtræ ſtudium circa hoc negotium vehementer impendere, & huic exercitationi tam fortiter, quàm frequenter inſiſtere; vt omnis noſtra affectio ab illicitis tranſiens, per licita diſcurrat; & vt in licitis etiam deſideriis, æquitatis modeſtiam vbique cuſtodiat. Nónne ex virtute deliberationis aſſiduæ efficitur, vt affectus boni nutriantur, promoueantur, ſolidentur? Nónne ex virtute deliberationis quottidie agitur, vt affectus mali cohibeantur, minuantur, deſtruantur? Vide quomodo quoſdam affectus in perpetuũ damnat, alios verò in

Rich.3.de cõtempl. c.28.

æternum exaltat. Suſcitans de puluere egenum, & de ſtercore erigens pauperem. Nónne illius officium eſt totam illam internæ familiæ turbam tot cogitationum, tot affectionum, pro arbitrio diſponere, & imperantis more ſuis legibus ſubiugare; quottidie iudicium & iuſtitiam facere; dominari à mari vſque ad mare, & à flumine vſque ad terminos orbis terrarum? Nónne ipſius eſt carnalia deſideria forti caſtigatione percutere; fluctuantium cogitationum tumultus violenter reprimere, ſéque quottidie ad ſpiritalem pugnã accingere, ad faciendam vindictam in nationibus, increpationes in populis? Nónne ipſius eſt omnes rebelles animi motus, elationúmque faſtus fortiter premere, hoſtilémque illum vitiorum exercitum viriliter opprimere: ad alligandos reges eorum in compedibus, & nobiles eorum in manicis ferreis?] Sic ille. Hunc finem orationis incipientes ſibi præſcribunt; quia enim ex vita anteacta multas reliquias rerum mundanarum ſecum detulerunt, quid aliud dum ſibi & Deo vacant, debent quærere, niſi hoſtes adhuc infeſtãtes perimere, & abominationes Ægyptiorum, id eſt, vitia & præpoſteros mores in deſerto mactare? A quo fine nec in virtute prouecti, nec etiam perfecti & Sancti exiſtimantur exemti. Omnis enim profectus, & omnis perfectio in hac vita aliquid imperfectionis admixtum habet, quod oratio debet pro ſua poſſibilitate præcidere. At quia in virtute promoti minus habent, quod vincant, debent ad alios duos fines ſe extendere; de quibus nunc dicemus, & non ſemper in luctu & mœrore perſiſtere.

Secundus orationis finis, Acquiſitio virtutũ.

Cùm ergo iam ab initiis ſpiritualis vitæ receſſiſti, & medium huius itineris ingreſſus es, omnimodam Chriſti imitationem, per vniuerſarum exercitationem virtutum, debes ex oratione conquirere. Curabis in ea ex iis myſteriis, quæ fueris meditatus, humilitatis, paupertatis, caſtitatis, obedientiæ & manſuetudinis guſtum percipere, & ad omnem te inclinare virtutem. Sit tibi oratio veluti ſchola, in qua ſcientiam vniuerſæ virtutis addiſcas. Sit officina, in qua ad bene ſanctéque viuendum aſſueſcas: ſit ſpeculum, in quo tui cordis maculas videas, vt eas ſanctis moribus corrigas, & magis ac magis quottidie perficias. Et licèt in hoc gradu omnes ſint affectus ex meditatione eruendi, de quibus (ſi Dominus conceſſerit) libro quarto dicemus; tamen primo loco, & maiori cura te ad Chriſti & Sanctorum imitationem excitabis, & per hunc affectum præſtantiſſimum, Chriſtum induere, & eius viuam imaginem fieri conaberis. Moſes hunc fructum ex Dei familiaritate collegit: ſplendor enim vultus eius, & tabulæ mandatorum in manibus eius, quid aliud deſignant, niſi orationem ad bona exempla proximis danda, quæ ſplendore ſignantur, & ad omnium virtutum præcepta ſeruanda, reuocari? Vnde Hugo optimè ait: Ecce dum de illo diuino internæ contemplationis ſecreto reuertimur, quid nobiſcum afferre poterimus, niſi lucem? Lucem de regione lucis venientes portamus. Hoc enim decens & neceſſarium eſt, vt cùm à lucis regione venimus, ad fugandas noſtras tenebras nobiſcum lucem apportemus. Et quis ſcire poterit, quòd ibi fuerimus, ſi illuminati nõ redimus? Sed ſi vidimus Patris potentiam, apportemus lucem diuini timoris. Si vidimus Filij ſapientiam, apportemus lucem veritatis. Si vidimus Spiritus ſancti clementiam, apportemus lucem dilectionis. Potentia, torpentes excitet ad timorem. Sapientia, ignorantiæ tenebris excæcatos illuminet. Clementia, calore charitatis frigidos inflammet.] Hæc ille.

Hugo lib. de tribus dictis circa finem.

Iacob ex hac vita diſceſſurus, ſic dilectum Ioſeph eſt alloquutus: Do tibi partem vnam extra fratres tuos, quam tuli de manu Amorrhæi in gladio, & arcu meo.] Chaldęus autem Paraphraſtes ait; quam tuli in oratione mea, & deprecatione mea. O optimum gladium, quo non ſolùm hoſtis occiſus eſt, ſed & terra ab illo erepta, & in dominium victoris tranſlata! Hoc gladio vitia expellamus, ſed hoc non eſt ſatis, niſi etiam cordis terram poſſideamus. Illam autem virtutes poſſident, illam mentes virtute præditæ tamquam regnum ſibi proprium retinent. Hæc duo in patre illo multarum gentium delineata conſpicio. Ille namque Dominum in ſpecie Angelorum alloquuturus, de tabernaculo egreditur, Dominum ad pauſandum inuitat, vitulum mactat, panes, butyrum, & lac ſimul cum vitulo iam cocto, ad comedendum ſubminiſtrat. Si tu eadem ſpiritualiter facias, vberrimum fructum ex tua oratione reportas. E tabernaculo exiſti, ſi ſæculum, aut mores priſtinos depoſuiſti: Dominum inuitaſti, ſi ſanctis deſideriis, & piis orationibus illum aduocaſti: vitulum occidiſti, quando aliquid de proprij iudicij, & propriæ voluntatis ſuperfluitate, ac de tuis immoderatis affectibus abſcidiſti. Dominum autem vitulo bene apparato, & butyro & lacte paſcis, quando virtutum victimis, & pinguedine deuotionis, & vitæ puritate, teipſum promoues. Fruſtrà verò ad orandum, & Dominum meditatione quærendum properas, niſi aliquid horum, vel aliquem virtutis fructum ex oratione collectum illi offeras. Iure optimo Bonauentura ſanctam operationem finem eſſe omnis orationis, & ſpiritualis exercitationis aſſeruit. Cùm aliquis, inquit, in ſpiritualibus exercitatus fuerit ad æterna directus per rectam rationem, vel intentionem, cùm fuerit in itineribus æternitatis expeditus per frequentem meditationem; cùm fuerit ad æterna directus per limpidam contemplationem; cùm fuerit ad æterna inclinatus per feruidam dilectionem; cùm fuerit de æternis inſtructus per multiplicem reuelationem; cùm fuerit æterna expertus per dulcem præguſtationem, quid modò reſtat, niſi vt æterna ingrediatur per deiformem & meritoriam operationem? Quídnam prædicta omnia valerent, ſi ea deiformis operatio non conſummaret? Non enim perfectum facit cognitio veritatis, niſi ſubſequatur habitus virtutis in operatione. Quid nobis prodeſt, ſi in Deo cognoſcimus maieſtatis celſitudinem, & nullam nobis inde colligimus vtilitatem?] Sic ille. Patet igitur finem orationis omnem eſſe virtutem; operatio enim bona, & omni ex parte perfecta, non ab alio, quàm à virtute procedit.

Gen. 48. 22. Hic finis eſt illa Ioſephi pars extra fratres.

Gen. 18. 2.

Bonau. 7. itinere æternitatis. diſt. 1.

In hoc autem gradu proficientium, cùm omnem virtutem fueris adeptus, ſimul cùm ſollicitudine illam augendi, altiorem adhuc finem tibi in oratione præſcribe; vt ſcilicet perfectam charitatem obtineas, & ad intimam quamdam cum Deo vnionem, & angelicæ planè vitæ inſtitutionem peruenias. Hic eſt præcipuus orationis finis, vero Dei amore ardere, eius perfectiones induere, ipſius ſanctitate, aut ſanctitatis imitatione formari: in terra vitam cœleſtem arripere, & ab omni deſiderio terrenorum penitus elongari. Elias quidem, trucidatis ſacerdotibus Baal, & eluſa Iezabele, cuius manus effugerat, priùs dormiuit ſub iunipero:

Charitas vltimus orationis finis.

4. Reg. 2. 13.

deinde

deinde excitatus ab Angelo, aſcendit in montem Dei Oreb: ibique vidit Deum in ſibilo auræ tenuis: poſtmodum verò, relicto pallio, in cœlum raptus, huius finis nobis memoriam reliquit. Sacerdotes Baal occidere, an eſt vitia omnia necare? Iezabelem eludere, an eſt carnem à ſuis concupiſcentiis auertere? In montem aſcendere, an eſt ad omnem virtutum perfectionem ſublimari? Ibi Deus contemplatione videtur, vt etiam pallium, nempe quicquid terrenum eſt, deſeras, & quaſi in cœlum raptus vitam quamdam cœleſtem in terris inſtituas. Ecce ſecundum cœlum, ad quod ex primo venimus, vt ad tertium rapiamur. Primum cœlum, inquit Richardus, ſubtilitas intelligentiæ; ſecundum claritas iuſtitiæ; tertium ſublimitas gloriæ. In primo cœlo contemplatio veritatis; in ſecundo dilectio æquitatis, in tertio plenitudo æternæ iucunditatis.] Ad primum igitur cœlum, ſcilicet ad contemplationem aſcendis, non vt in eo ſiſtas, ſed vt ad ſecundum, ad omnem nimirum iuſtitiam & æquitatem procedas. Inde, ſi perſeueraueris, abſque dubio in tertium cœlum, id eſt, in gloriam, rapieris. De duobus primis dixit Paulus: Noſtra conuerſatio in cœlis eſt.] Non in vno cœlo tantùm, ſed in duobus cœlis: nam ita diuina contemplabatur, vt ex eorum ſcrutatione ad ampliorem profectum, & maiorem ſanctitatem perueniret. Inde autem raptus eſt in tertium cœlum, quod per ſe facere non valuit, vt cuiuſdam formæ beatitudinis particeps eſſet. Sic & tu diuina meditare, aut contemplare, vt ignorantiam pellas; & iam primum cœlum tenes. Inde autem tranſi ad omnis puritatis amorem, & guſtum, vt malitiam abiicias; & ſecundum cœlum poſſides. Hoc ſi poſſederis, aliquando tandem ad Dei conſpectum ſublimaberis, vt miſeriam neſcias; & in tertio cœlo beatus exiſtas.

Rich. ad Pſal. 121.

Philip. 3. 20.

Omnis itaque noſtra oratio pro fine proximo ſanctitatem, & morum informationem habeat, indéque quantum in ea quiſque profecerit, prudenter attendat. Si enim quottidie feruentiores, humiliores, obedientiores, & in omni virtute & puritate perfectiores euaſerimus, in oratione profecimus, licèt paucas conſolationes, aut etiam mentis ariditatem ſenſerimus. Econtra verò parum in oratione promouemur, ſi virtus, & omnis ſanctitas in nobis non creſcat, quamuis multas conſolationes ſentiamus. Superbus Aman ex donis acceptis, & fauore apud regem, ac reginam, ſuæ ſortis fœlicitatem metiebatur. Quin & apud ſuos gloriabatur, dicens: Regina quoque Eſther nullum alium vocauit ad conuiuium cum rege, præter me:] & ignorabat miſer, quia conuiuium erat ei futurum in ruinam. Ne ex conuiuio, ô homo, & ex fauoribus, ſed ex vera virtute tuum profectum metiaris; alioquin non tibi in bonum cedent, & ob ſuperbiam tuam te decipient. Quòd ſi ariditate probaris, ne deſpondeas animum, ſed magis teipſum robora; ſciens, quia ſicut ægrotus cibo ſibi inſuaui nutritur, & viuit; ita & tu oratione, à qua conſolatio abeſt, etiam viuis, & creſcis, ſi in virtute & feruore promoueris.

Quodnã ſit ſignũ noſtri profectus in oratione.

Eſther 5. 12.

Sed fortè ambiges, quónam modo oratio ad vitæ puritatem tamquam ad finem ordinetur, cùm ſuprà dixerimus eadem vitæ puritate animam ad orationem præparari? An eadem vitæ munditia poteſt eſſe ſimul orationis principium, & finis? Ita ſanè. Laudabilis vitæ conuerſatio ad orationem diſponit, & ſimul oratione creſcit. Ad orationem ordinatur, vt apti ſimus conuerſari cum Deo: ſed rurſus ipſa oratio ordinatur ad conuerſationem laudabilem, vt ad præcipuum bonum noſtrum. Nónne aulicus quiſpiam optimis veſtibus ſe ornat, & opes oſtentat, vt regem adeat, regem autem adit, vt ex dono eius, ſuæ opes, & ſua dignitas creſcat? Et ſic diuitiæ ad palatium regis aditum pandunt; iſte verò aditus ad diuitias augendas procuratur. Eodem modo virtutum opes nos ad Dominum per orationem puram ingredi faciunt, quæ tamen ipſa oratione augeſcunt, & creſcunt. Calor lignum occupat, & ipſum ad ignem ex ligno procreandum præparat; ipſe autem ignis aduenies calorem augmentat. Ita vitæ puritas nos ad orandum idoneos reddit; oratio verò in vitæ puritatem augendam tendit. Quæ profectò non ſolùm vt augmentum caloris ignem, ſtudium orationis conſequitur, ſed ad ſanctè viuendum, tamquam ad finem, ordinatur. Diuerſa itaque ratione vitæ puritas ad orationem parat, & orationem terminat. Parat ad eam quatenus animam dignam Dei colloquio facit: & terminat, ac perficit eam, quatenus eſt donum optimum, quod oratio augere, & ſeruare contendit. Id ergo ex oratione & contemplatione quære, peccata etiam leuia vitare; teipſum vincere; mundum contemnere; virtutes exercere; charitatem augere, & per obtentum perfectionis vitam cœleſtem æmulari; & ſic debitum finem in ſtudio orationis habebis, & magnum ex ea fructum capies.

Quomodo oratio ad vitæ puritatem ordinanda.

Ante orationem ardens orationis deſiderium excitetur.

CAPVT VI.

VIR nobilis ingreſſurus ad regem, & rem magni momenti apud illum perfecturus, tria præmittit, quibus ſe ad illud negotium fœliciter tranſigendum præparat. Nam primò, abiectis omnibus impedimentis, ſplendidis indumentis ſe ornat, & famulis, ac honorabili comitatu conſtipatus incedit. Deinde regiam domum ingreditur, & per familiares regis ad eius conſpectum admitti, atque aures ſibi dari conatur. Tandem ad præſentiam regis veniens, ei genuflexus debitam exhibet veneration-em, & facultatem loquendi petit. Horum trium illud primum magis remotè ad negotium pertinet: illud ſecundum propiùs accedit; iſtud verò tertium proximè, & ſine vllo medio ad loquendum de illo negotio diſponit. Oratio (vt iam non ſemel dictum eſt) colloquium eſſe dicitur de rebus ſalutis, & perfectionis noſtræ, ac proximorum cum Deo habitum: vnde ad tres claſſes reuocari poſſunt, quæ viam ad orandum & contemplandum aperiunt. Prima continet ea, quæ hactenus ſcripta ſunt, quibus impedimenta peccatorum, & ſuperfluarum occupationum, & inanium deſideriorum & cogitationum abiicimus, & nos bona intentione veſtimus. Secunda continet ea, quæ nunc ſubiiciemus, & videntur nos in regiam inducere, & Domini beneuolentiam promereri; vt ex his ad tertiam claſſem eorum, quæ proximi ſunt apparatus orationis, accedamus. Hæc tria non incongruè illis verbis Domini ſignata intelligimus, quibus dixit ad duos ex diſcipulis ſuis, vt locum aptum ad poſtremam cœnam præpararent. Ite, ait, in ciuitatem, ad quemdam, & dicite ei: Vbi eſt di-

Luc. 22. 12.

uersorium, vbi pascha cum discipulis meis manducem? Et ipse ostendet vobis cœnaculum magnum stratum, & ibi parate.] Nam & oratio cœna est, seu conuiuium opulentissimum, ad quod Christus nos libenter inuitat. Offeremus autem ei cœnaculum magnum stratum, & ad cœnandum ibi parabimus. Cœnaculum grande est cor nostrum virtutibus affectum, & noxiis occupationibus, & inanibus desideriis, & cogitationibus vacuũ. Nam hæc cor nostrum grande, & Dei capax efficiunt. Ecce primam præparationem. Nec sufficit, vt sit grande; sed oportet vt sit stratum, & bona intentione, ac ardenti desiderio, & sollicitudine, & aliis ornatum. Ecce secundam præparationem. Ibi autem per diuinam præsentiam, & adorationem, & alia, quæ subiiciemus, nos locum ipsum paramus. Ecce tertiam præparationem.

Orationis desiderium proximè ad illam disponit,

In hoc ergo genere eorum, quæ propinquiùs ad orationem disponunt, primum locum obtinet orationis desiderium. Non quidem illud generale, quo vir spiritualis semper ad orationem, & exercitationes spirituales habendas inflammatur; sed illud speciale, quo nunc in hac hora ad orandum, seu meditandum accenditur. Quod dicimus, exemplo, aut simili fiet manifestum. In homine duplex est desiderium eorũ, quæ ad hanc vitam sunt necessaria. Alterum, quo omnia huiusmodi desiderat, cibum, potum, vestem, domum, & si quæ sunt alia. Alterum, quo hodie solita hora appetit manducare (quod vocatur fames, & sitis) & per cibum & potum indigentiæ sui corpusculi prouidere, Quòd si in potestate cuiusque esset famem & sitim aliquam ante prandium excitare; nemo esset, qui non eam ad salubriùs & suauiùs sumendum cibum accenderet. Omnes viri spirituales desiderium generale habent orandi, meditandi, contemplandi, & in virtutibus se exercendi; at summi momenti est in singulis statutis horis, quibus ad orandum nos colligimus, desiderium ac famem excitare, orandi, & loquendi cum Deo (quod cum gratia Domini in nostra est potestate) vt hunc saluberrimum cibum auidiùs sumamus, & quantum per tempus licuerit, eo nos abundè saginemus. De nocte ergo, cùm ad pausandum & dormiendum te componis, de oratione summo mane habenda tibi est cogitandum, & vehemens orandi desiderium accendendum. Qui postero die aliquod sunt sibi gratissimum opus facturi, cùm cubant, de eo cogitant, & tempus illud inchoandi desiderant, & noctem, quòd tardè prætereat, incusant. Oratio autem opus est operum, opus vtilissimum, opus suauissimum, opus viro spirituali gratissimum; quid mirum si inter pausandum cogitationes orationis eum teneant; inter dormiendum somnia orationis inquietent, & desideria orationis interpellent? Quid mirum si dicat ad Dominum: Anima mea desiderauit te in nocte; sed & spiritu meo in præcordiis meis, de mane vigilabo ad te.] Non solùm, Domine, humana natura in nocte legis scriptæ desiderabat te, vt in aurora incarnationis tuæ, & in die illustrissimo vitæ tuæ ad te vigilaret, téque hospitem beatum exciperet; sed & anima mea singulis noctibus coram te apparere, & tibi sanctis cogitationibus & affectibus adhærere cupit, vt ante aduentum auroræ spiritu meo apud te vigilem, tempúsque illud quietum, & curis vacuum sanctis amoribus consecrem. Hoc facias de nocte necesse est.

De nocte cogitandum cum Deo nobis manè loquendum.

Isaiæ 26. 9.

Primo mane de oratione

At cùm surgendi signum ante lucis aduentum insonuerit, & vigilandi tempus aduenerit, idem

A

B

C

D

E

orationis desiderium resume, & sanctam concupiscentiã orandi, & ad Deum accedendi succende. Excita famem huius cibi suauissimi (etenim potes) quo anima impinguatur: excita sitim huius ambrosiæ, qua præcordia mentis nostræ refrigerium sentiunt. Scriptum est: Ecce oculi Domini super metuentes eum, & in eis, qui sperant super misericordia eius. Vt eruat à morte animas eorum; & alat eos in fame.] Sat scio, quia vnus ex illis esse cupis qui Dominũ metuunt, qui in eo spem suam collocant; qui beneficio eius à mortis faucibus eruuntur, & suo tempore, congruo cibo pascuntur. Sed animaduerte, quia cibus tẽpore famis ministratur. Si tu famem nõ habes; si absque ingenti desiderio ad orationis cibũ accedis; fortè illũ abundantem, & ita vt te pascat, nõ inuenies. Non cõfundentur in tẽpore malo, ait alio loco Dauid; & in diebus famis saturabũtur.] Tempus malum, tempus est tribulationis, & tentationis: immo & totum tempus huius vitę, quod tribulationibus plenum est. Quare dixit Paulus: Quoniam dies mali sunt.] Dies autem famis sunt illi, in quibus cœlestem panem desideramus, & præ eius desiderio tabescimus. Si nondum isti dies aduenerunt; si nondum fames & desiderium orationis premit, quomodo anima, in tempore orationis, cibũ fami satisfacientem percipiet?

statim cogitandum.

Psal. 32. 19.

Psal. 36. 19.

Ephes. 5. 16.

Iusti quidem istud orandi desiderium proximè ante orationem in se suscitant, vt fructum orationis inueniant. Audi quod in se illi desiderium accendant. Numquid rugiet onager, inquit Iob, cùm habuerit herbam: aut mugiet bos, cùm ante præsepe plenum fuerit?] Ac si dicat: Nec ille satiatus rugiet, nec iste refertus pabulo mugiet. Onager, ex sententia Gregorij, iustũ nulli muneri addictum; & bos iustum prædicationis, vel alterius ministerij officio oneratum signat. Vterque autem cùm inops & vacuus ad contemplationem properat, eiusdem in se prius desiderium excitat. Non erit iniucundũ verba sancti Doctoris excipere. Sed cùm quis, inquit, ex vita sæculari, internæ visionis desiderio æstuat; cùm refectionis intimæ pabulum concupiscit; cùm iejunum se in peregrinationis huius cæcitate cõsiderans, quibus valet, fletibus reficit, quasi herbam non inueniens onager rugit. Alius quoque necessitatem suscepti ordinis tolerat, in labore prædicationis exudat, & per æternam iam contemplationem refici appetit, sed quia redemtoris sui speciem necdum conspicit, quasi bos ad præsepe vacuum ligatus gemit.] Sic illi gemunt, & rugiunt, sic ad Dominum accedere, vt illuminentur, & reficiantur, concupiscunt: inde autem prouenit, vt ad præsepe orationis velut animalia munda alligati, affatim satientur. Oculi omnium in te sperant, Domine; & tu das illis escam in tempore opportuno.] Quibus das escam, nisi illis, qui præ desiderio oculos ad te suspensos habent, & more egenorum, à te refectionem sperant? Qui dat iumentis, etiam ait, escam ipsorum; & pullis coruorum inuocantibus eum. Per iumenta, & filios coruorum, Augustinus, & alij, tum prædicatores, tum ex gentilitate conuersos, intelligunt. Hi autem quomodo inuocant, nisi desideriis, & ostensione indigentiæ suæ? Huic inuocationi Deus respondet, cùm eos esca feruentissimæ orationis reficit.

Iusti ante orationẽ, illius excitant desideriũ. Iob 6. 5.

Greg. 7. mor. c. 6.

Psal. 144. 16.

Psal. 146. 9.

Desiderium profectò orationis orationẽ ipsam præueniens, eam efficacem & fructiferam facit. Ad quod indicandum sponsa in Canticis ait: Manè surgamus ad vineas; videamus si vinea nostra floruit, si flores fructum parturiunt.] Manè surgere ad vineas, quid est, nisi surgere ad contem-

Orationis desiderium eam reddit fructiferam. Cant. 7. 12.

planda

planda diuina myſteria in ſacris Scripturis contenta,ex quibus deuotionis,& amoris, & aliorum ſanctorum affectuum fructus colligitur? Et videre an vinea floruerit,quid eſt,niſi an mens noſtra deſideriis tamquam ſuaueolentibus floribus fuerit ornata,conſpicere? Enimuero myſteria diuina ſunt vineæ,quæ botros deuotionis & ſanctitatis ferunt:& anima cuiuſque eſt vinea (cùm dictum ſit, vinea Domini Sabaoth domus Iſraël eſt) ex qua Dominus fructũ virtutis expectato. Flores huius vineæ, id eſt, ſancta deſideria, fructus in oratione parturiunt; quia cum qualibus deſideriis orationem ingredimur, tales ex ea affectus & fructus colligimus. Cùm magno deſiderio orandi ad orationem venis, fructus adæquabitur illi, magnum plerumque fructum percipies. Cùm modico,aut nullo deſiderio accedis,ibi frigidus eris,& nullum,aut modicum fructum reportabis.

Iuxta deſiderium, oratio nobis deuota conceditur. Sap.7.7.

Pſal.118. 81.

Multa ſunt in Scripturis, ex quibus notum fit à Domino deſideria noſtra,qua orationem optamus, audiri; & iuxta magnitudinem ac feruorem illorum,deuotam nobis orationem concedi. Salomon ait: Optaui, & datus eſt mihi ſpiritus ſapientiæ:] quaſi deſiderium fuerit ad ſapientiam, & contemplationis guſtum introductio. Et Dauid:Defecit in ſalutare tuum anima mea: & in verbum tuum ſuperſperaui.] Præ magnitudine, inquam, deſiderij exanimatus ſum;ſalutare tuum, ô Domine, ac verbum tuum, contemplationis oculis videre deſiderans.Quin & defecerunt præ ardore deſiderij oculi mei,quos in mente habeo, in eloquium tuum, ipſo æſtu cõcupiſcentiæ,dicentes:Quando conſolaberis me?Quando me audies,& iuxta id, quod concupiſco, in tuum conſpectum introduces? Audiſti Dauidis deſiderium? Audi nunc deſiderij fructum, ac deſideratæ contemplationis obtentum.Quia factus ſum,inquit, ſicut vter in pruina:iuſtificationes tuas non ſum oblitus.] Non ſum fruſtratus voto meo, quod vel ex effectis manifeſtum efficio. Si enim contemplatio ſolet corpus domare,& à ſenſibilibus concupiſcentiis abſtrahere; ecce corpus meum mortificatum, & non aliter, quàm vter in pruina,& gelu conſtrictum pæne ad voluptates carnis emortuum. Si ſolet ad cuſtodiam mandatorum inſtigare;ecce iuſtificationes tuas ante oculos meos habeo,& eas ſemper perfectè cuſtodio. Abraham in oſtio tabernaculi ſui,& in ipſo feruore diei,Domini aduentum expectauit,& ex deſiderio,& expectatione ſua,eius aſpectum,& alloquium,viſitationémque promeruit. Elias ſtetit in oſtio ſpeluncæ, & intra ſe continere non potuit, vt Deum tranſeuntem aſpiceret, & iuxta votum ſuum, quod volebat, eſt conſequutus. O ſi ex ingenti deſiderio ad orationem accederemus! O ſi non ex conſuetudine, ſed ex intima notitia dignitatis, & vtilitatis eius,eam vſurparemus,aliud eſſet noſtræ virtutis & puritatis augmentum.

Pſal.118. 83.

Gen.18. 1.

3.Reg.19. 13.

Sponſus deſideriis vult à nobis inuitari.

Cant.2. 17.

Cùm oramus ardenter, ſponſus ad nos venit. Cùm ex neceſſitate, aut ex charitate ab oratione ceſſamus,non ex indignatione, ſed ad bonum noſtrum,& aliorum diſcedit,aut ſe abſcondit. Vt autem iterum veniat,vult à nobis vocari,vult inuitari,cupit audire:Reuertere, ſimilis eſto, dilecte mi, capreæ, hinnulóque ceruorum ſuper montes Bethel.] Hæc verò vox,qua eum vocamus, & inuitamus, non eſt alia, quàm vehemens familiaritatis eius deſiderium.Verbo enim abeunte,vt Bernardus ait, vna interim, & continua animæ vox, continuum deſideriũ eius,tamquã vnum continuúmque reuertere, donec veniat. Idque ipſa adducta ſimili-

Bernard. ſerm.74. in Cant.

A

B

C

D

E

tudo ſubindicat:Veni,ait ſponſa,vt caprea; animal eſt perſpicaciſſimum,vt renes & præcordia mea intuearis; vt interiora ſcruteris, & paupertatem meam conſiderans, illi ex theſauris tuæ miſericordiæ ſubuenias. Veni,vt hinnulus ceruinus, qui venenatos angues abſumit, vt culpas meas imperfectionéſque ſubuertas. Ideo te deſideriis voco;ideo te gemitibus & lacrymis inuito, & ad tuum conſpectum intrare geſtio;tum,quia te diligo; tum,vt hæc dona,quibus tibi placeam, ex tua largitate recipiam.]

Eſt ergo initium magni profectus, & planè inchoata fœlicitas,ex ardenti quodam orationis, ſeu contemplationis deſiderio, ad conſpectum Domini,vt ei intendamus,accedere; quoniam in oratione deuotionis guſtum ſentimus, affectibus amoris accendimur,& quod volumus,ſi expediat,impetramus.Beatus homo,qui audit me,inquit æterna Sapientia, & qui vigilat ad fores meas quottidie, & obſeruat ad poſtes oſtij mei,] Hæc verba ingens quoddam deſiderium exprimunt. Fœlix ille eſt,qui ſapientiam ceu magiſtram ad ſe vocantem interna inſpiratione audit,qui ad fores eius, id eſt, ad Scripturas ſanctas,ac myſteria fidei in eis contenta meditanda peruigilat. Qui ad poſtes, hoc eſt,ad Sanctos, quorum vitam & mores ſibi imitandos proponit,plenus deſideriorum obſeruat. Et quare beatus? Quia inueniet Dominum,quem deſiderat; & eum inueniens inueniet vitam, & hauriet ſalutem à Domino. Dilata os tuum (Dei eſt promiſſio) & implebo illud.]Os tuum,ô homo,deſiderium tuum eſt; quod,vt Auguſtinus ait,confitendo,& amando dilatatur. Excita deſiderium, non oſcitanter, ſed deſideranter ad orandum accede,vt donis à te deſideratis implearis. An non oras, nõ contemplaris, vt ſanctitatem acquiras, quæ in perfecta charitate, & mandatorum cuſtodia poſita eſt? Sed ſcito,quia deſiderium orandi, eſt optimus orationis magiſter. Quare Dauid: Os, inquit, meum aperui,& attraxi ſpiritum:quia mandata tua deſiderabam.] Ex amore virtutis & cuſtodiæ mandatorum ſpiritum orationis aduocaui, quo ſum auxilia ad hanc cuſtodiam adepturus. Ad hoc autem, videlicet, vt orationis ſpiritum attraherem, os meum aperui, deſiderium dilataui; ſciens, quia ſine huiuſmodi deſiderio meditatio erit diſtracta,& oratio, ſeu poſtulatio remiſſa. Clamat os tuum, inquit Ambroſius, & cùm tacet,ſicut & Moyſes cùm taceret voce,clamabat ſpiritu. Ab hominibus non audiebatur,apud Deum perſonabat. Eſt enim interioris clamor affectus, qui auditur in cœlo. Intellige quid os ſit, an cor,an interioris hominis habitus.] Hoc itaque deſiderio orationis clamandum eſt, vt eius ſpiritum attrahamus.

Orationis deſiderium inchoata fœlicitas.

Prou.8. 34.

Pſal.80. 11.

Auguſt. ibid.

Pſal.118. 131.

Ambroſ. ibid. ſer. 17.

Iam ex his liquet, quanti referat ante orationis tempus magnum orationis deſiderium excitare, & ad eam velut ad rem deſideratiſſimam, & nobis amabiliſſimam accedere.Sed quomodo hoc deſiderium accendemus? Omnia,quæ de nobilitate orationis ſuperiùs dicta ſunt,ſi conſiderentur,eius deſiderium accendunt. Sed interim, dum ad orationem te præparas, tria poteris conſiderare, aut aliquod eorum,ex quo ſcintillas deſideriorum elicies. Primò,ad quem vadis. Secundò, quid, poſitus coram eo, facturus ſis. Tertiò, quam inde vtilitatem percepturus.Ad quem igitur vado, cùm ad orationis locum accedo? Ad eum, qui ab ſponſa dicitur totus deſiderabilis,aut totum deſiderium. Deſiderabilis in humanitate; quia in ea eſt plenitudo redemtionis: deſiderabilis in Diuinitate; quia in ea

Vnde orationis deſiderium accendatur.

Cant.5. 16. Ex dignitate Domini, quem alloquimur.

plenitudo bonitatis. Vt homo, desiderabilis ad salutem: vt Deus, desiderabilis ad fœlicitatem. Vt homo, desiderabilis ad meritum; vt Deus, desiderabilis ad præmium. Totus desiderabilis, quia in eo est meorum desideriorum plenitudo. Desidero finem meum? Sed Deus est. Desidero fortitudinem, vt eum apprehendam, quem violenti diripiunt? Sed fortis est. Desidero vitam, sine qua haudquaquam fortitudo subsistit? Sed vita est. Denique sitiat anima mea, cum Dauide, ad Deum fortem viuum.] Dicárque ex æstu desiderij: Quando veniam, & apparebo ante faciem Dei? Desiderem venire ad Deum, per quem me deificandum & beatificandum expecto: ad fortem, à quo fortitudinem omnem prouenire cognosco: ad viuum, à quo me aliquando immortalitatem habiturũ esse confido.

Psal. 41. 2.

Ex rerũ, quas sum petiturus magnitudine.

Quid coram eo facturus sum? Non aliud, quam meditari, clamare, & orare. Medicabor eum, qui summè vult à me cognosci: clamabo ad eum, qui me libenter exaudit: orabo eum, qui potens est quæcumque postulata concedere. Salutem ac fœlicitatem in votis habeo? At oratio est clauis aperiens regnum cœlorum. In cuius testimonium, Iesu orante, apertum est cœlum, & descendit Spiritus sanctus sicut columba in ipsum. Quia nimirum sicut ad orationem capitis, ita & ad orationem membrorum tali capiti nixam, cœlum illis aperietur, & Spiritus sanctus donabitur. Humanitatis, ac Diuinitatis Christi cognitionem, & imitationem desidero? At hanc duplicem notitiam, ac duplicem similitudinem oratione consequor. Etenim, orante Moyse, ingressus est medium nebulæ: & iterum, orante Domino, ecce nubes lucida obumbrauit eum. Nam & oratione mysteria diuinitatis quasi in caligine considero; & arcana humanitatis, veluti in nube fulgida, clarius contemplor. Medium ad omnia bona consequenda concupisco? Sed hoc medium est oratio. Quæ, vt ait Bonauentura, tantæ virtutis est, vt ad omnia valeat, & in omni tempore homo possit per eam lucrari in hyeme, in æstate, in sereno, & in tempore pluuiali, immo in quacumque hora lucratur homo oratione deuota, plusquam valeat totus mundus; quia tali oratione acquirit homo regnum cœlorũ.] Si oratio tantum bonũ est, quidni illi me tradere, eámque nunc exercere desiderem?

Luce 3. 21.

Exod. 34. 18. Matth. 17. 5.

Bonau. tract. de perfect. vita, c. 5.

Quam denique sum ex oratione vtilitatem percepturus? Omnes, quasi hucusque exposuimus. Sed specialiter. Si incipiens sum, & paruulus; in ea lac paruulorum sugam. Si proficiens, & ætate maior, solidiori cibo virtutum pascar. Si perfectus, & spiritu vir, pinguissima alimenta charitatis inueniam. Ex ea nunc veniam peccatorum; nunc victoriam meiipsius; nunc omnium virtutum augmenta, aut alicuius in particulari, vt humilitatis & obedientiæ incrementa suscipiam. Tibi ergo, ô Domine, dixit cor meum, exquisiuit te facies mea: faciem tuam Domine, requiram.] Sitiuit in te anima mea; quàm multipliciter tibi caro mea.] Expandi manus meas ad te: anima mea, sicut terra sine aqua tibi.] Hæc recordatus sum; & effudi in me animam meam: quoniam transibo in locum tabernaculi admirabilis, vsque ad domum Dei. His, aut aliis similibus considerationibus, aut verbis poteris desideria orationis accendere. Enitendúmque tibi est, vt ad quamlibet meditationis horam non ex consuetudine, sed ex nouo desiderio vadas, & ad eam vt famelicus & sitibundus accedas: sic fiet, vt oratio, seu meditatio non aliter quàm cibus post famem, dulciùs tibi sapiat, vt illi attentiùs & diligentiùs insistas, & maiorem ex ea vtilitatem percipias.

Ex mira, quam percipiã, vtilitate.

Psal. 26. 8. Psal. 62. 2. Psalm. 142. 6.

Cor viuidum & erectum ad orationem afferatur.

CAPVT VII.

EX hoc orationis desiderio aliud solet prouenire, quod omnino necessarium nouimus ad mentalem orationem pro dignitate tractandam, vt cor non segne, sed viuidum; non remissione prostratum, sed sollicitudine erectum ad orandum afferamus. Desiderium namque alicuius rei comparãdæ ex eius bonitate concepta, & æstimatione nascitur. Æstimatio verò, & desiderium duæ sunt alæ, quibus cor nostrum non iam spatiosè ambulat, vt rem optatam apprehendat, sed velocissimè ad eam currit, & volat. Si ergo quis ad orationem accedat tamquam ad rem magni momenti, quam ardenter desiderat, facilè ad eam exercendam se corde diligenti, sollicito, & erecto præueniet. Accedes itaque ad orandum, seu meditandum, ô vir Dei, non remissus, non dissolutus, non iners; sed attentus, viuidus ac diligens, vt qui velis oratione cœlum expugnare, perfectionem induere, & vires ad diabolum vincendum cõparare. Mercenarius oculos in solam mercedem intendens, vtcumque laborat: at miles optimè sciens, quia pro vita illi cum hoste res est, strenuè & viriliter pugnat. Ne sis in oratione mercenarius, qui solum velis tempus orationis elabi, vt te orasse, aut fuisse meditatum, valeas affirmare: nam sic aut mercede carebis, aut satis exiguam illam, & tuæ vecordiæ respondentem accipies. Sis animosus miles, qui cum Deo luctari, & ei præualere contendens, fortiter & alacriter depreceris. Oratio in hunc modum viuida & erecta cœlum expugnat. Nam & Bernardus ait: Timida quidem oratio cœlum non penetrat, quia restringit animum timor immoderatus, vt oratio, non dicam non ascendere, sed nec procedere queat. Tepida verò in ascensu languescit, & deficit, eo quòd non habeat vigorem. Nam temeraria ascendit, sed resilit: resistitur enim ei, nec tantùm non obtinet gratiam, sed & meretur offensam. Quæ verò fidelis, & humilis, & feruens oratio fuerit, cœlum sine dubio penetrabit: vnde certum est, quòd vacua redire non poterit.]

Cor viuidũ ad orationẽ afferendum.

Bernard. in c. ieiunij. ser. 4.

Ideo autem oratio illis verbis Canticorum videtur expressa: Quæ est ista, quæ ascendit per desertum sicut virgula fumi, ex aromatibus myrrhæ, & thuris.] Thus, inquam, orationis est index, quod igni superpositum, optimum spirat odorem. Sic oratio hoc cordis feruore succensa apud Dominum miri odoris existimatur, & vt grata recipitur. Egregiè profectò Gilbertus Abbas hanc orationis qualitatem in prædictis verbis latere cognouit, dum sic scripsit: Quid verò thus? Nónne ipsum est odoris exigui, dum integritas illi, & corpulentia sua manet? Cùm verò flammis subactum effluere cœperit, in odoriferos totum fumos expirat. Simili ratione nónne tibi videtur crassa, & pigra oratio, & corporea quadam tarditate segnis igniti & intimi eloquij si non fuerit virtute succensa? Vtique in thure ego accipio orationis materiam, & in fumo gratiam. Dirigatur, inquit, oratio mea, sicut incensum in conspectu tuo. Nescit itinere directo ad Deum ire oratio, quæ succensa non fuerit. Oratio, quæ frigido fuerit de corde expressa, subitò relabitur: nec potest esse perpetua, quæ non est promta. Vim patitur, & non est sui

Cant. 3. 6. Vt thus oratio in cœlum ascendit.

Gilber. serm. 15. in Cant.

Psalm. 140. 2.

iuris.Sed nec ſui iuris eſt planè ſuccenſa oratio.Illa contra conatum reprimitur;iſta ſupra conatum arripitur. Illa conatur,& recedit;iſta præter conatum aſcendit. Illa violenter dirigitur;iſta voluntate fertur.Illa vix exhibetur;iſta nec cohibetur. Illa laborioſa;iſta libera. Illa triſtis ; iſta læta.Illa bona ; ſed iſta optima. Denique eſt oratio temperatè media inter frigidam , & feruidam : illam excedens , ſed non accedens ad iſtam.Et (vt ſic dicam) prima coacta eſt;ſecunda directa;tertia abrepta.Prima ſitiens; ſecunda ſobria ; tertia ebria eſt.] Sic ille. Vtinam ſi non orationem ebriam,ſaltem ſobriam habeamus, & vt ſobrij ad Dominum vigilemus. Nam qui animum deiectum ad orationem affert,ſimilis eſt dormiturienti,qui non tam in loco orationis laborare, quàm pauſare cupit. Qui verò mente erecta ad orandum accedit,is ſimilis eſt vigilanti, cuius eſt inertiam pellere , & vtiliter ac gnauiter rerum cœleſtium conſiderationi vacare.

Cor oratione tradendum.

Eccli.39. 6.

Hunc certè cordis vigorem à viro iuſto in ſtudio orationis apponi , Eccleſiaſticus annotauit, cauſſam quoque, vnde ſoleat procedere, haudquaquam prætermiſit. Sapiens,inquit,cor ſuum tradet ad vigilandum diluculò ad Dominum, qui fecit illum;& in conſpectu Altiſſimi deprecabitur.] Egregium ſapientis elogium;manè,id eſt, ante omnia alia opera , orationis opus aſſumere. Is orationi ſe tradit, nimirum ſtrenuè & diligenter in orationem incumbit. Aliis operibus minimè tradendum eſt cor, ſed moderatè applicandum , ne in infimis hæreat,ne rerum viſibilium amore mergatur. At orationi tradendum eſt ; quia idem omnino ſunt cor orationi tradere, & illud Deo, cui oratione iungimur , conſecrare. Cor ſuum tradet ad vigilandum: nam oratio non ſomnolentia , ſed vigilia eſt ; non ignauia, ſed ſollicitudo, qua ſollicitè & diligenter cor diuinis intendit , & intellectu apprehendit , vt affectu ac voluntate deguſtet. Meritò autem ſapiens(& hic non eſt alius,quàm iuſtus)quaſi in orationem mergitur,& aliis curis ſepoſitis, vigili cura contemplationi dicatur;quia factorem ſuum alloquitur , & Deo altiſſimo ſe præſentat , è cuius benignitate omne bonum expectat. Res verò tanta non debet negligenter aſſumi , ſed ſtrenuè & gnauiter vſurpari.

Cherubim homines orationi vacantes ſignificant. 2.Paral. 3.13.

Illa duo Cherubim arcam teſtamenti protegentia , imagines erant virorum orationi vacantium. Sed quid de illis dicit Scriptura? Igitur alæ vtriuſque Cherubim expanſæ erant , & extendebantur per cubitos viginti:ipſi autem ſtabant erectis pedibus.] Alæ vim intelligendi & diligendi denotant, & duæ cuiuſque alæ decem cubitos habentes expanſæ erant ; quia viri iuſti omnes vires ſuas denario ſignatas in Deo collocant ; & ad illum (vt iam diximus) non tam velociter currunt, quàm incredibili agilitate volant. Stabant etiam erectis pedibus,quaſi vellẽt terram deſerere,& in cœlum euolare:nam & ſic oportet , vt iuſti in oratione perſiſtant , ac ſi præ feruore niterentur omnia terrena tranſcendere , & carnem , ne ab ea impediantur, exuere. Et id quidem meritò. Nam, vt ſcribit Hugo de ſancto Victore , inſtanter & ardenter orare debemus. Magna enim ſunt bona , quæ promittit Deus nobis. Nam oculus non vidit, nec auris audiuit,nec in cor hominis aſcendit, quæ præparauit Deus diligentibus ſe. Non vult bona ſua quærendi & inueniendi facilitate vileſcere. Pretioſa & deſiderabilis merces auidum negotiatorem inquirit. Ideo nos Dominus hortatur in Euangelio, dicens: Petite,& dabitur vobis, &c. Non enim otioſis, tepidis , & negligentibus promittitur regnum Dei, ſed violenter irrumpentibus. Amat Deus inſtantiam & importunitatem in prece. Si magna ſunt bona, non debent eſſe deſideria parua. Cum magnitudine præmiorum concordare debet magnitudo deſideriorum.] At hæc inſtantia,& importunitas, hæc magna deſideria à corde remiſſo & diſſoluto non prodibunt , quod non tam aptum eſt ardentes affectus elicere,quàm neglectis ſanctis deſideriis , in ignauiæ fæce dormire.

Hugo ad regulam, cap.3.

Itaque , ô iuſte , cùm ad meditandum accedis, cor tuum erige, mentem attolle , omnem ſomnolentiam & ignauiã excute , ac teipſum vigore quodam,& quaſi igne feruoris accende. Opus hoc manus remiſſas non ſuſtinet ; ſed robur animi ad ſuperandas difficultates , ſiue ex grauedine corporis, ſiue ex rerum labentium memoria naſcentes,requirit.Sacerdotes in templum ad orandum ingredientes,thus accendere tenebantur.Quare de Zacharia ſcriptum eſt : Sorte exiit , vt incenſum poneret ingreſſus in templum Domini.] Et tu , quiſquis ſis, ſpiritualis ſacerdos es Domini , qui templum tui cordis ingrederis,vt orationis thus offeras;oportet ergo,vt illud igne feruoris accendas.Vnus de Seraphim ad Iſaiam deſtinatus , accepta pruna , quam forcipe tulerat de altari , os illius tetigit , dixitque illi : Ecce tetigit hoc labia tua, & auferetur iniquitas tua,& peccatum tuum mundabitur.] Ora & tu Dominum,vt Angelum ſuum mittat,qui labia cordis tui , intellectum , & affectum , pruna feruoris tangat,vt oratio tua affectuum amoris & compunctionis plena omnem iniquitatem tibi dominantem , & omne peccatum abſumat. Nullus enim, vt inquit Laurentius Iuſtinianus , in oratione reſpuitur,niſi qui in ipſa tepidus inuenitur. Si viuidus es in oratione , & ſolers , non repulſam patieris ; ſed quod deſideraueris , conſequéris. Econtra verò , ſi diſſolutus & iners accedas , non mirum ſi repellaris.Vt enim Hilarius ait:Deſpiciuntur orationes leues, diffidentes, inutiles , ſæculi curis anxiæ, & rerum corporalium deſideriis implicatæ ; bonorum operum fructibus infœcundæ. Hæ igitur deſpicabiles ſunt orationes , Dei dignatione non dignæ; de quibus per Iſaiam ait : Et cùm extenderitis manus veſtras ad me, auertam oculos meos à vobis.]

Cor in oratione ad Deum erigendum.

Luc. 1. 9.

Iſaiæ 6. 6.

Iuſtin. in ligno vitæ , de orat.c.2.

Hilarius ad Pſal. 54.

Vocalis oratio lingua carnis effertur : at mentis deprecatio & conſideratio , feruore & vigore cordis , quaſi lingua , pronunciatur, quam ſi non habeas , inutiliter in hac oratione deſudas. Audi ex Bernardo,quam debeas linguam ad hoc genus orationis aptam exiſtimare. Spiritus eſt verbum , inquit , ſpiritúſque anima , & habent linguas ſuas, quibus ſe alterutrum alloquantur , præſentéſque indicent. Et verbi quidem lingua , fauor dignationis eius : animæ verò, deuotionis feruor. Elinguis eſt anima , atque infans, quæ hanc non habet , & non poteſt ipſi vllatenus ſermocinatio cum verbo. Ergo huiuſcemodi linguã ſuam , cùm verbum mouet,volens ad animam loqui, nõ poteſt anima non ſentire. Viuus eſt enim ſermo Dei,& efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti, pertingens vſque ad diuiſionem animæ,& ſpiritus. Et rurſum, cùm ſuam anima mouet , verbum latere multo minus poterit , non ſolùm quia vbique eſt præſens , ſed propter hoc magis , quòd niſi ipſo ſtimulante, deuotionis lingua minimè ad loquendum mouetur. Verbo igitur dicere animæ:Pulchra es,& appellare amicam ; infundere eſt, vnde & amet , & ſe præſumat amari.Ipſi verò verbum viciſſim nominare dilectum , & fateri pulchrum , quod amat, & quod

Bernard. ſerm. 45. in Cant.

Feruor, orationis lingua.

amatur,

amatur, ſine fictione, & fraude, adſcribere illi, & mirari dignationem, & ſtupere ad gratiam. Siquidem pulchritudo illius, dilectio eius, & ideo maior, quia præueniens. Medullis proinde cordis, & intimarum vocibus affectionum, tanto ampliùs atque ardentiùs clamitat ſibi diligendum, quanto id priùs ſentit diligens, quàm dilectum.] Sic ille. Hanc feruoris & vigoris linguam, ſi non habeas, ſi non tibi priuſquam ad orationem ingrediaris, vtcumque conquiras, inſtrumento præcipuo huius orationis exercendæ carebis. Ac proinde in hoc tuam ſollicitudinem colloca, vt cor erectum & ſollicitum ad orationem adducas.

Ad orandũ omnia diligẽter relinquẽda.

Tria autem ſunt, quæ ad hunc vigorem cordis comparandum adiuuabunt. Horum alterum eſt, ſi ad orandum è lecto diligenter ſurgas, vel ſi de nocte, aut alio diei tempore, orationi es vacaturus; opus, aut occupationem, qua teneris, libenti & libero animo relinquas, nec quaſi illi eſſes alligatus, animam ibi dimittas, & ſolo corpore ad locum orationis te conferas. Magni ponderis eſt hæc ſollicita properatio: nam ſomnum & torporem excutit, & quaſi mentem ad id, quod facturi ſumus, addicit. Cùm autem ſimus ad meditandum & orandum acceſſuri, hoc ipſum feſtinare, & diligenter accedere, mentem ad opus orationis exſuſcitat. Ideo Laurentius Iuſtinianus ſic viros ſpirituales monet. De ſtratu, quo iacent, tamquam de vinculis duri carceris ardenter properéque ſe excutiant, & veluti ſtrenui milites ad bella proceſſuri, crucis ſignaculo frontem, os, pectúſque ſuum muniant.] Animabus ſpiritualibus contemplationis amatricibus in Canticis dictum eſt: Egredimini, & videte, filiæ Sion, regem Salomonem in diademate, quo coronauit eum mater ſua.] Hæ quidem ſunt filiæ Sion, id eſt, ſupernæ illius ciuitatis, quæ eſt mater noſtra, & Domini gloriam ſpeculatur; quare, vt filiæ eius, nituntur veri Salomonis Chriſti humanitatem ſpeculari. Ad hoc verò non ſufficit, vt gradiantur, ſed vt egrediantur; vt nimirum ſollicitè quietem corporis deſerant, & ſtrenuè omnem actionem externam relinquant. Sic videbitur Saluator in diademate illo pulcherrimo, quo coronauit eum mater ſua virgo Maria; ſcilicet in humanitate, quam pro nobis induit. Et quæ egreſſæ ſunt à terrenis, vt humanitatem aſpiciant; aliquando ingredientur adita cœleſtia, vt ipſius Domini diuinitatem contemplentur. Quæ autem anima à terrenis occupationibus, vel à quiete carnis diligenter egreſſa non fuerit, nec poterit vtiliter humanitatem meditari, nec ad contemplandam diuinitatem efferri. Id ergo magni refert ad cordis feruorem comparandum, ſi alacriter, & diligenter, aut à ſomno nos excutiamus, aut ab externis occupationibus ſeparemur.

Iuſtin. de diſcip. monaſt. c. 10.

Cantic. 3. 11.

Cor item congruis cogitationibus accendendum.

Alterum eſt, vt ſtatim atque à ſomno excitaris, aut interdiu prope tempus orationis accedis, cor tuum colligas, & cogitationibus congruis illi rei, quam meditaturus es, ipſum ad meditandum accendas. Si aliquid de peccatis tuis, aut de miſeriis ſæculi, vel de nouiſſimis tuis, ſis recogitaturus; teipſum vt in hac valle lacrymarum exulem, vt reum de peccato conuictum, & in carcerem coniectum, vel certè ad iudicis conſpectum citatum conſidera. Si vitam, aut paſſionem Domini Saluatoris ſis meditaturus; teipſum vt diſcipulum ad ſcholam tanti præceptoris euntem; vel vt militem, qui ducis tui veſtigiis velis inſiſtere, cogitabis. Si beneficia Domini ſis contemplaturus, te debitorem, qui de acceptis rationem es redditurus, agnoſces. Atque ita pro qualitate materiæ conſiderandæ aliquid conueniens euolues. Vel te prædictis conſiderationibus de Dei bonitate, & orationis dignitate, & vtilitate, ad ſollicitudinem animabis, vel denique vocaliter orabis, & ad attẽdendum verbis teipſum coges, ſi aliud præſtare non poſſis. Huius rei momentum ad feruorem mente concipiendum, ex Patribus potes addiſcere. Laurentius Iuſtinianus ſic inquit: Vnde mox vt à ſomno euigilant, ſemper cor ſurſum erigere contendant. Prima vox, prima cogitatio, primus affectus diuinam reſonet laudem; ignitam ad Deum dirigat ſupplicationem, & illi ſe ſyncero corde committat, qui valet potenter de imminentibus periculis liberare. Mundiſſimo namque Domino mundiſſimum debet offerri ſacrificium, non terrenis fœdatum cogitationibus, nec obſcœnis imaginationibus coinquinatum.] Bonauentura verò ſic: Cùm euigilas, ſtatim omnes cogitationes tuas abiice de corde tuo, & ſomnia, quæ ſomniaſti in nocte, quibus te diabolus vellet occupare, & primitias cogitationum tuarum offerre Deo in cogitatione, vel aliqua bona meditatione, cum corporis exercitatione, vel genuflexione, donec aliquem affectum deuotionis concipias, & cogitationes vanas, quæ tunc maximè infeſtant mentem, à te abiicias; & ex hoc eris ad omne opus deuotior & expeditior tota die.] Et Climacus ait: Eſt è ſpiritibus vnus, qui præcurſor dicitur, qui nos è ſomno ſurgentes protinus excipit, primúmque noſtrum cogitatum inquinare nititur. Da Domino primitias diei. Erit enim tota eius, qui priùs illam occupauerit. Memorabile verbum, atque auditu digniſſimum operarius quidam optimus loquutus eſt: Ab ipſo, inquit, matutino tempore curſum totum meum diei ſcio.]

Sup. c. 6.

Iuſtin. ſup.

Benau. de informat. nouit. par. 1. c. 4.

Climac. de diſcr.

Caſſianus verò vberrimè has ſanctas cogitationes, quæ cor noſtrum à ſomno excitatum occupant, eas primitias ſpiritualiter eſſe putat, quas lege iubemur offerre, dicente in Exodo: Decimas tuas, & primitias tuas non tardabis reddere. Quid verò, inquit, de primitiis dicam, quas ab omnibus, qui Chriſto fideliter famulantur, quottidie certum eſt exhiberi? Nam cùm expergefacti à ſomno, & quaſi rediuiua poſt ſoporem alacritate ſurgentes, priuſquam motum ſenſus vllius corde concipiant, vel memoriam, aut curam rei familiaris admittant; cogitationum ſuarum ortus, atque principia, diuinis conſecrant holocauſtis, quid niſi primitias verè ſuorum fructuum per ſummum ſacerdotem Ieſum Chriſtũ pro vſu vitæ huius, & imagine quottidianæ reſurrectionis exoluunt? Quíque etiam à ſomno excitati hoſtiã iubilationis ſuæ Deo ſimiliter offerentes, primo linguæ ſuæ motu ipſum inuocant, ipſius nomen laudéſque concelebrant, atque ad canendos ei hymnos, prima labiorum clauſtra reſerantes, immolant Deo ſui oris officia. Cui etiã pari deferunt modo prima manuum ſuarum greſſuúmque libamina, cùm è cubiculis conſurgentes in oratione conſiſtunt: & priuſquam in propriis cauſſis membrorum ſuorum fungantur officio, nihil ſibi de miniſterio eorum antè decerpunt, ſed ad ipſius honorem promouent greſſum, atque in eius laudatione defigunt; & ita cunctorum motuum ſuorum primitias, protenſione manuum, incuruatione genuum, & totius corporis proſtratione perſoluunt. Illud enim, quod decantatur in Pſalmo, aliàs implere non poſſumus: Præueni in maturitate, & clamaui.] Et: Præuenerunt oculi mei ad te diluculo, vt meditarer eloquia tua.] Et: Manè oratio mea præueniet te:] niſi vt poſt quietem ſomni in hanc lucem, vt ſuprà diximus, velut è tenebris,

Caſſian. coll. 21. c. 26.

Exod. 22. 29.

Primæ cogitationes, ſpirituales ſunt primitiæ.

Pſal. 118. 147. & 148.

Pſal. 87. 14.

nebris, & morte imaginaria reuocati, de vniuerſis officiis mentis, & corporis, nihil omnino in noſtris præſumere neceſſitatibus audeamus. Nullus namque eſt alius, quem aut Propheta præuenerit matutinus, aut nos præuenire ſimiliter debeamus, niſi, aut noſmetipſos, id eſt, occupationes noſtras, & affectus curáſque mortales, ſine quibus eſſe non poſſumus, aut ſuggeſtiones ſubtiliſſimas inimici, quas nobis adhuc quieſcentibus, ac ſopore demerſis, per phantaſias inanium ſomniorum inferre conatur, quibus nos mox euigilaturos occupet, & inuoluat, vt primitiarum noſtrarum opima defloràns, primus ipſe decerpat. Quamobrem omni nobis cautione curandum eſt, ſi tamen vim prædicti verſiculi opere volumus adimplere, vt ita primos matutinarum cogitationum ortus ſolers vigilantia tueatur, ne quid ex eis feſtina præſumtio liuentis attaminet inimici, noſtráſque primitias tamquam viles iam, atque communes, à Domino faciat reprobari. Qui ſi præuentus à nobis peruigili mentis circumſpectione non fuerit, anticipationis nequiſſimæ conſuetudinem nõ deponens, quottidie nos fraudibus ſuis præuenire non deſinet. Et idcirco ſi placitas & acceptabiles Deo primitias ex fructibus mentis noſtræ optamus offerre, non mediocrem ſollicitudinem debemus impendere, vt omnes noſtri corporis ſenſus, matutinis præcipuè horis, tamquam ſacroſancta Domini holocauſta in omnibus illibata atque intacta ſeruemus.] Hactenus Caſſianus. Hæc ergo ſollicitudo ante orationẽ animum colligendi, admodum è re eſt, vt cor aptũ ad meditandũ, & ſtrenuum ac viuidum afferamus.

Ad orationem, vt ad opus, in quo laborandum, accede. Pſal. 26. 14.

Tertium eſt, vt ad orationem tamquam ad opus, in quo tibi laborandum eſt, accedas. Tibíque dictum exiſtimes dictum illud Dauidis: Viriliter age, confortetur cor tuum, & ſuſtine Dominum.] Si diuinis conſolationibus replearis, ſat mihi notum eſt, ipſæ te excitabunt, & ſolertem ac ſtrenuum facient in orando. At ſi tibi, & communi gratiæ relinquaris, hoc opus, hic labor eſt. Somnus te aliquando infeſtabit, diſtractio multiplex contriſtabit, dæmon impugnabit; cogitationis inſtabilitas impedimenta præſtabit; ariditas & difficultas eliciendi affectus ex ſilice cordis tui, ab ſtudio orationis retrahent. Et quid facies, ſi his omnibus hoſtibus cinctus, in contemplatione poſitus cor diſſolutum & remiſſum habeas? Profectò aut locum tuum deſeres, & ab oratione ad externas occupationes fugies, aut in loco orandi, puſillanimis, diſtractus, triſtis, & ſine fructu perſiſtes. Cor igitur erectum & robuſtũ afferas, & te quaſi ad pugnandum & vincendum accingas. Sic fugient inimici tui, ſic labor erit minor, difficultas remiſſior, fructus autem, & ſuauitas maior, & fructus cumulatior, quem ex oratione percipies. Id tamen animaduertas neceſſe eſt, cor ita eſſe viuidum, & ſollicitum ad orationem afferendum, vt tamen in initio ipſo meditandi non te nimium acceleres, nec immoderatum conatum in ipſa oratione, aut in meditatione, aut in colloquiis, vel in aliis, colloces, ne poſt paululum capitis, aut corporis imbecillitate preſſus, laſſeſcere compellaris. Sed quemadmodum cæmentarius ſummo mane ad opus accedens, ſolerter, ſimul & pedetentim laborare incipit, vt ad occaſum vſque Solis poſſit in opere perdurare: ſic & tu in initio orationis feſtina lentè, vt valeas ad multum tempus orationem protrahere, donec ſpiritu feruoris afflatus, celeriter & ardenter, ad Dominum diligendum, & aliis affectibus complectendum, aſſurgas.

De lectione rei in Oratione meditandæ: & quæ propria habeat.

CAPVT VIII.

Nos lectione ad orationẽ paremus.

MYSTERIVM, aut opus Dei, à nobis in oratione meditandum, ante ipſum orationis tempus præueniendum eſt; ne mens in ipſo meditationis tempore materiam inquirens, diſtrahatur, & inutiliter huc illúcque vagetur. Si enim ad ſenatum ſimus orationem habituri, vel regem alloquuturi, diligenter præuenimus, quod ſine rubore, & cum laude dicamus: quanto magis apud ſummum Deum, & curiam cœleſtem verba ſpiritualia facturi, præuidendum eſt, quòd cum bona gratia principis, & aſtantium illi aulicorum, & cum emolumento noſtro cogitemus, & ex illo affectus petitionéſque formemus. Ante conuiuium cibi & vina pretioſa parantur, & poſt ſolitam præparationem, conuiuæ ad menſam recumbunt. Sic meditatio præuenienda eſt, & materia conſiderationis non aliter, quàm cibus, præparanda; vt, hoc apparatu præmiſſo, Dominum ad menſam vocemus. Sæpe ille ad menſam ſuam opiparè paratam inuitat, intonátque in cordibus noſtris: Ecce prandium meum paraui; tauri mei, & altilia occiſa ſunt, & omnia parata, venite ad nuptias:] nos verò negligimus, & poſt noſtras concupiſcentias abimus. At ſi nos illum ad menſam meditationis priùs paratæ inuitauerimus, pro ſua benignitate cibos noſtros, licèt minus ſuaues, aut minus bene paratos, non negliget, immo libentiſſimè nobiſcum accumbet. Hanc orationis præuentionem Salomon docuit. Ne temerè, ait, quid loquaris, neque cor tuum ſit velox ad proferendum ſermonem coram Deo. Deus enim in cœlo, & tu ſuper terram, idcirco ſint pauci ſermones tui.] Quandoquidem, inquam, tu terrenus es, & vilis homuncio; Deus autem cœlum incolit, & immenſæ eſt maieſtatis, neceſſe eſt, vt non temerè, & præcipitanter, & abſque debita præparatione eorum, quæ dicturus es, coram eo loquaris; vtque cogitationes ac ſermones tui ſint pauci, id eſt, diligenti examine perpenſi. Et alio loco: Cuſtodi pedem tuum ingrediens domum Dei; & appropinqua, vt audias.] Cùm domum Dei, Eccleſiam ſilicet, aut cubiculum tuum, aut locum ſecretum ad orandum fueris ingreſſus; cuſtodi pedem tuum, & affectum tuum (iſti namque ſunt pedes, quibus ad Deum accedimus) ita autem cuſtodies, ſi locum, vbi eos figes, aſpexeris: id eſt, ſi materiam conſiderandam, & diligendam, aut fugiendam præparaueris. Sic accedes, vt audias; nec Deus te ſuo colloquio indignum putabit, quem prudenter cogitantem aduerterit.

Matth. 22. 4.

Eccl. 5. 1.

Eccl. 4. 17.

Ipſa nocte res meditanda præparabitur. Pſal. 131. 4.

Fiet autem præparatio materiæ meditandæ, in præcedente nocte, cùm ad cubitum imus, ſi media nocte, aut ſummo mane orationi ſimus ac meditationi vacaturi. Sic implebimus illud Pſalmi cuiuſdam: Si dedero ſomnum oculis meis, & palpebris meis dormitationem: & requiem temporibus meis, donec inueniam locum Domino, tabernaculum Deo Iacob.] Locum namque Domino inuenimus, cùm cogitationes & deſideria per materiæ præuentionem ad eum aduocandum & excipiendum paramus. Somnum verò, & requiem, donec locum inueniamus, excutimus, cùm ante ſomnum, quid ſimus meditaturi, præuidemus. Vtilitatem autem huius præuentionis ipſa nocte factæ, attigit Ambroſius.

Ambros. ad Psal. 118. ser. 8. vers. 6.

brosius. Etenim, ait, quod vespere cogitaueris, citò cùm euigilaberis, recensebis. Excitabit te ipse Dominus Iesus, admonebit, vt surgas, & eo tempore arma orationis assumas, quo solet incursare tentator.] Vt cor ad orationem erectum haberemus, memoriam Domini assumi, cùm primùm à somno excitamur, necessarium diximus. Ad hanc autem memoriam oportere materiam meditationis de nocte præuenire, nunc asserimus. Quod ex

Isaiæ 26. 9.

Isaia nõ obscurè colligitur. Anima, inquit, mea desiderauit te in nocte: sed & spiritu meo in præcordiis meis, de manè vigilaui ad te.] Quo intelligimus desiderium vacandi orationi de nocte conceptum, nos ita disponere, vt manè ex totis præcordiis ad Dominum vigilemus. Hoc est de nocte, itineris instrumenta ad iter agendum valde diluculo præuenire; & ligna ad accendendum ignem componere, & arma ad pugnandum præparare. Quòd si alio tempore, quàm ad mediam noctem, vel ad auroram sit orandum, paulo antè materia ipsa præueniatur, ne mens imparata & instabilis ad orandum assistat.

Hæc autem materiæ meditandæ præuentio, lectione fit, qua ab aliquo spirituali libello ex multis ad hunc finem sapienter elaboratis, puncta meditationis decerpimus. Quare Thomas à Campis

Thom. à Camp. serm. 4. ad Nouitios, p. 2.

ait: Ex sacra lectione trahitur bona meditatio de Deo; ex bona meditatione procedit deuota affectio, & pronta eleuatio mentis in Deum. Exinde surgit feruens & intenta oratio, penetrans cœlos.] Et Bonauentura: Lectio dat materiam, & quasi semen bonæ cogitationis.] Bernardus quoque lectionem primum scalæ spiritualis gradum ponit;

Bonau. de informat. nouit. p. 2. cap. 4. Bernard. in scala claust.

quia videlicet meditationem, postulationem, ac contemplationem præuenit. Aitque: Lectio est sedula Scripturarum cum animi intentione inspectio. Posteáque eius officium, & quomodo se ad alios gradus scalæ habeat, & qua intentione sit ante meditationem vsurpanda, ita describit. Beatæ, inquit, vitæ dulcedinem lectio inquirit, meditatio inuenit, oratio postulat, contemplatio degustat. Vnde ipse Dominus dicit: Quærite, & inuenietis; pulsate, & aperietur vobis. Quærite legendo, & inuenietis meditando. Pulsate orando, & aperietur vobis contemplando. Lectio quasi solidum cibum ori apponit, meditatio masticat, & frangit. Oratio saporem acquirit. Contemplatio est ipsa dulcedo, quæ iucundat, & reficit. Lectio in cortice, meditatio in adipe, oratio in desiderij postulatione, contemplatio in adeptæ dulcedinis delectatione. Quod vt expressiùs videri possit, vnum de multis supponam exemplum. In lectione audio: Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt. Ecce breue verbum, sed suaue, & multiplici sensu refertum. Ad pastum animæ quasi vnam ministrauit, quam postquam anima diligenter inspexit, dicit intra se: Potest aliquid boni esse? Redibo ad cor meum, & tentabo, si fortè intelligere & inuenire potero munditiam hanc. Pretiosa enim, & desiderabilis est res ista, cuius possessores beati dicuntur, quibus visio Dei (quæ est vita æterna) promittitur, quæ tot sacræ Scripturæ testimoniis collaudatur.] Sic ille. Hoc itaque est officium lectionis, præuenire, quod mediteris, custodire in ventre memoriæ, quo cum vtilitate ad ruminandum redire possis, & sapienter speculari, quod postea per meditationem, & voluntatis affectus valeas possidere. Verbum fuit Domini ad Moysem: Mitte viros, qui considerent terram Chanaan, quam daturus sum filiis Israël, singulos de singulis tribubus ex principibus.

Præparatio ad orationem est terræ promissæ exploratrix. Num. 13. 3.

A Idem nunc cuique viro spirituali præcipitur, vt mittat exploratores, qui virtutem à nobis cognitione & affectu possidendam attentè considerent. Exploratores sunt lectiones variæ pro qualitate mysterij à nobis considerandi, & possidendæ virtutis. Hi multi sunt, quoniam multa debemus legere, nunc vnum, & postea aliud, vt multa valeamus meditari. Et singuli ex singulis tribubus; quia diuersæ sunt classes meditationum, vt libro tertio patebit, ex quarum qualibet diuersis diebus aliquid decerpendum est, quod nos in notitiam veritatis & virtutis inducat. Et ex principibus, quoniam hæc est præcipua lectio, seu princeps lectionis, quam non ad discendum, aut cognoscendum tantùm, sed ad meditandum, & contemplandum, ad afficiendam voluntatem, & vitam rectè instituendam vsurpamus.

B

Qualis futura lectio, qua ad orationẽ præparamur. Sit breuis.

Lectio hæc, vt proposito conueniat, necesse est, vt sit breuis, sit attenta, sit ad finem instruendi intellectum, afficiendi voluntatem, & sanctè viuendi accommodata. Inprimis, sit breuis. Nam illa solùm legenda sunt, quæ ad meditationem paulo pòst futuram sufficiant. Quemadmodum enim in domibus ciuium alimenta non simul pro tota hebdomada, aut pro toto mense, sed pro quolibet prandio, & pro qualibet cœna parantur, & in ea mensura, quæ ad vnum prandium, vel ad vnam cœnam satis sint: ita, quandoquidem lectio hæc velut cibi præparatio est, quem os animæ, scilicet intellectus,

C ruminet, & venter affectus ad spiritualis vitæ conseruationem & augmentum concoquat; ita moderanda est, vt vni comestioni, vni nempe meditationi, conuenientem materiam subministret. Ad hoc

Bernard. serm. ad fratr. de mon. Dei ad med.

Bernard. ait: Sed & de quottidiana lectione aliquid quottidie in mentem memoriæ demittendum est, quod fideliùs digeratur, & rursum reuocatum crebriùs ruminetur, quod proposito conueniat, quod intentioni proficiat, quod detineat animum, vt aliena cogitare non libeat.] Non multum, sed parum aliquid assumendum est, quod nos in proximè futura meditatione pascat, non quod supra necessitatem expleat, & conuenientes veritates ruminare non sinat. In quo cognoscitur alterius lectionis,

D de qua alio loco diximus, & huius, manifestum latúmque discrimẽ. Quòd illa quasi vna ex exercitationibus spiritualibus quottidianis per se sumitur, vt animus ad veritatem & virtutem afficiatur. Et propterea debet esse longa, non tam paginis, quàm tempore; vt sicut per vnam, vel duas horas meditamur; ita per vnam horam, vel semihoram lectioni spirituali quottidie vacemus. Hæc verò de qua nũc loquimur, est quasi meditationis orationísque præambulum, quæ non propter se, sed propter meditationem assumitur, & tamdiu durare debet, quamdiu mens vnum, aut duo puncta, vel ad summum tria meditanda decerpat. Illâ tractatus selectiores Patrum profectus animæ gratia conscriptos, & alios eiusdem materiæ ab aliis spiritualibus viris inferioris notæ elaboratos euoluimus. Hac verò solam materiam ad meditandum aptam, & ad formam meditationum, seu exercitiorum breuiter comprehensam legimus.

Tom. 2. lib. 3. de extermin. mali. par. 3. sect. 2. c. 1.

Sit attenta.

Deinde lectio hæc sit attenta, vt quæ legerimus, memoriæ hæreant, & in hora meditandi veluti materia considerationi deseruiant. Proprium hoc est omnium artificum, vt materiam, circa quam operaturi sunt, attentè considerent. Sic sutor pannum, aut sericum coram se positum diligenter inspicit, vt videat quomodo ex eo tunicam, aut pallium efficiat. Sic aurifex argentum, aut aurum intento

animo perpendit, vt ex eo torquem, aut annulum faciat, gemmámque in illo pretiosam includat. Talem sciamus esse meditationis materiam: nam ex ea sumus meditationes elicituri, & affectus virtutum producturi. Quare necesse est illam diligenter expendere, ac introspicere, vt quod in ea lateat possimus eruere. Qui autem inattentè, & minus considerate legerit, paruam, aut nullam ad meditationis vsum vtilitatem percipiet. Ad quod pulchra sunt illa Senecæ verba: Nusquam est, qui vbique est. In peregrinatione vitam agentibus, hoc euenit, vt multa hospitia habeant, nullas amicitias. Idem accidat necesse est eis, qui nullius se ingenio familiariter applicant, sed omnia cursim & properanter transmittunt. Non prodest cibus, nec corpori accedit, qui statim sumtus emittitur. Nihil æquè sanitatem impedit, quàm remediorum crebra mutatio; non venit vulnus ad cicatricem, in qua crebra medicamenta tentantur. Non conualescit planta, quæ sæpe transfertur; nihil tam vtile est, quod in transitu prosit.] Sic ille. Non ergo in transitu legendum est, quod meditemur, sed intentè, & meditatè, & sensim instillandum, vt postmodum, quæ legerimus, præstò sint omnia: ne sollicitudo quærendi, quæ meditanda sunt, distractionis & ariditatis caussas obtendat.

Senec. lib. 1. ep. 2.

Sit orationi accommodata.

Sit præterea lectio ista meditationi & orationi accommodata; in qua non subtilia, non curiosa, sed afficiendæ voluntati, & desiderandæ virtuti congrua legamus. Subtilia enim intellectum fatigant, curiosa dementant; at simplicia & plana affectum deuotionis inflammant. Huius lectionis finis non est vt aliquid de nouo sciamus (licèt id interdum eueniat) sed vt mysteria fidei à nobis meditanda in memoriam reuocemus, & eorum gustu delectemur. Ad hoc autem non opus est obscura & delicata legere, sed plana & aperta, & quæ proposita vim habeant mouendi, oculis mentis proponere. Quia non cognoui litteraturam, ait Dauid, introibo in potentias Domini.] Alia autem translatio habet: Quia non cognoui negotiationem. Hugo verò de sancto Victore ita locum interpretatur, vt ille negotiationem nouerit, qui volumina non ad ædificationem, sed ad curiositatem legit. Ille autem litteraturam, aut negotiationem non nouit, qui in voluminibus non inflantem scientiam, sed gustum virtutis quærit. Atque is in Domini potentias intrat, quia mysteria fidei affectu complectitur, ad quæ aridus intellectus nequaquam admittitur, sed vt seruus Domino suo locum requietionis ostendens, foris stat. Eos igitur libros ad parandam materiam meditationis legamus, quibus ea, quæ idem auctor scribit, omnino conueniant. Qui virtutum, inquit, notitiam, & formam viuendi in sacro quærit eloquio, hos libros magis legere debet, qui huius mundi contemtum suadent, & animam ad amorem conditoris sui accendunt, rectúmque viuendi tramitem docent; qualitérque virtutes acquiri, & vitia declinari possint, ostendunt. Primùm enim, inquit, quærite regnum Dei, & iustitiam eius; ac si apertè dicat: Et cœlestis patriæ gaudia desiderate, & quibus iustitiæ meritis ad ea perueniatur, solerter inquirite. Vtrumque bonum, vtrumque necessarium. Amate, & quærite. Si amor est, otiosus esse non potest. Peruenire desideratis; discite quomodo peruenire possitis, quò tenditis.] Et paulo pòst: Sciat etiam ad propositum suum non conducere, vt inani raptus desiderio scientiæ obscuras, & profundæ intelligentiæ scripturas exquirat, in quibus magis occupetur, quàm ædificetur animus: ne sic eum sola lectio teneat, vt à bono opere vacare compellat. Christiano Philosopho lectio exhortatio esse debet, non occupatio; & bona desideria pascere, non necare.] Hæc ille. Cùm ergo lectio orationem præueniens vice lucernæ sit, quæ intellectui viam considerandi, & voluntati affectus virtutum exercendi commonstret, ex libris non ad fastum & arrogantiam scriptis, sed ad amorem virtutis elaboratis desumatur.

Psal. 70. 16.

Hugo lib. 3. didascal. erud. c. 7.

Illud demum hoc loco animaduertendum est, lectionem hanc, quæ orationem mentalem præcedat, non ita esse necessariam, vt sine illa oratio omnino haberi non possit. Nam & homines litterarum rudes, qui nec legere didicerunt, huius orationis sunt capaces; cùm tamen se non valeant ad eam lectione disponere. Hi à magistro spiritus meditanda auditu percipiant, & sententiam Philonis Iudæorũ disertissimi implere non desinant. Quemadmodum, inquit, quodlibet animal ruminans cibum semel deuoratum, & rursum sub dentes reuocatum atterit: sic anima cuiuscumque disciplinarum studiosi, postquam per aures recepit contemplatione dignum aliquid, obliuioni hoc non tradit, sed per otium secum ipsa retractat singula, & cuncta sibi reducit in memoriam.] Insuper viri spirituales ex longo vsu, & assidua lectione sufficienter instructi, hac proxima ad orationem lectione materiæ meditandæ non indigent. Satis est si paulo antè, vel in ipso ingressu orationis materiam considerationis habendæ ad memoriam reuocent. Illud tamen dicere non prætermittam, aliquos me nouisse satis de rebus meditandis instructos, sed tanta humilitate & simplicitate procedentes, vt nouitiorum more semper ante orationem aliquid aptum ad meditandum legerint, non vt memoriæ succurrerẽt, sed vt se velut ignaros, & huius instrumenti indigos æstimarent. Istorum simplicitatem & modestiam vehementer laudo, & alios ac meipsum ad eorum imitationem exhortor; sed lectionem hanc, quæ orationi materiam paret, imperitis & incipientibus omnino quidem necessariam (nisi auditione suppleatur) prouectis autẽ, & probè instructis solùm vtilẽ esse profiteor.

Non semper hæc lectio necessaria.

Philo lib de Agricultura.

De affectu, qui in oratione quæritur, præueniendo.

CAPVT IX.

MENTALIS oratio (vt non semel dictum est) duobus constat; nimirum considerationibus intellectus, & voluntatis affectibus: & sicut considerationum materiam lectione paramus; ita affectus, attentione ad id, quod legimus, & propriæ necessitatis inspectione, præuenimus. Non satis est puncta meditationis à nobis consideranda præuidere lectione, aut eorum, quæ antea legeramus, commemoratione; sed etiam oportet affectum ex punctorum consideratione eliciendum, habere perspectum. Nam quemadmodum si nihil certum intellectui considerandum offeramus, huc illúcque distractus per diuersa vagatur: ita si nihil fixum, vt odium peccati, aut amorem Dei, vel aliquid simile, fixum voluntati proposuerimus, sine fructu, aut cum exiguo emolumento ad varios affectus, & forsitan minus nobis necessarios, feretur. Ad quod propositum, licèt in alio sensu, illud Pauli adduci

1.Cor.14. 15.

poteſt : Etenim ſi incertam vocem det tuba, quis parabit ſe ad bellum ?] Id eſt, ſi conſideratio, inſtar tubæ, ad incertum affectum moueat, quia nihil ex ea conſtitutum, ac certum, ſed quod ſe primum obtulerit, quærimus; quémnam fructum ex noſtra conſideratione colligemus ? At ambiges, quónam pacto ſit affectus præuidendus, cùm non videatur in noſtra poteſtate eſſe poſitum, vtrùm iſto, an illo affectu tangamur. Huic ambiguitati vt ſatisfaciamus, illud ſciendum eſt, orationem (vt iam diximus) perfectionis & puritatis vitæ gratia eſſe ſumendam. Non enim meditamur, aut contemplamur, vt contemplemur, ſed vt humiliores, puriores, feruentiores, & legis diuinæ perfectiores obſeruatores euadamus. Hoc conſequimur tum deſideriis, & affectibus, tum ſanctis omnium virtutum operibus; quorum deſideria & affectus in ipſa oratione, quaſi igne conſiderationum calefacti complemus; opera verò per totam vitam ſtrenuè præſtamus. Quamobrem omnis noſtra meditatio proximè ad excitandos in voluntate affectus ordinatur: ex quibus, dum opus fuerit, opera virtutis emanent, & ſancta ac pura conuerſatio procedat. Id etiam animaduertimus, meditationem, quæ pars orationis mentalis ſit, ad noſtri ipſorum perſuaſionem eſſe formandam. Sicut enim cùm concionem ad populum habendam præuenimus, rationes excogitamus, quibus populus ad odium peccati, & amorem virtutis excitetur, & quo magis, ad particularia deſcendimus, & ad vnum hoc peccatum fugiendum, vel vnam hanc virtutem aſſectandam hortamur, vtiliorem, cæteris paribus, concionem habemus: ita cùm ad meditandum nos recipimus, ea nobis cogitanda ſunt, quibus non alios, ſed noſipſos ad odium mali, & amorem boni in ſpeciali ſuſcitemus.

Affectus ante orationem præueniendus.

Quomodo præueniendus.

Sic ergo affectus ex oratione eliciendus præuenitur. Quòd tu, ô vir Dei, ſtatum tuæ mentis, & gradum virtutis conſideres, & qua victoria alicuius paſſionis, aut qua virtute indigeas, diligenter animaduertas, & quomodo ex materia meditanda affectus tuo ſtatui, aut tuæ neceſſitati conuenientes elicias prudenter inquiras. Exempli gratia. Tu forſitan incipiens es, qui ex ſylua huius ſæculi nuper abſciſſus nondum tua peccata abundè fleuiſti, atque adeò deteſtatio & dolor peccatorum eſt tibi quærendus. Cogita igitur tãtillum, cùm materiam meditandam lectione præuenis, quónam pacto ex hac cõſideratione peccatorum tuorum deteſtatione tangeris, vel quomodo excuſſorio ferro huius conſiderationis ſilicem tui cordis feriens, aliquam ſcintillam contritionis educes. Iam paululum proceſſiſti, & poſt habitum magnum peccatorum dolorem, & abundantiſſimam vim lacrymarum profuſam, vides in te aut affectum iræ, aut inanis gloriæ, aut alium ſimilem minimè fuiſſe compreſſum, cum quo tibi eſt deinceps decertandum. Cogita, cùm materiam meditandam legis, quomodo ex hoc pũcto me ad huius paſſionis mortificationem excitabo ? Atque eodem modo procedes, ſi ad virtutem aliquam, vt ad humilitatem, aut charitatem fraternam, vel obedientiam, vel aliquam aliam te mouere cupis. Præuentio ergo affectus non tam eſt affectum præuidere, quem meditatione quærimus (nam hic, vt vtiliter meditemur, multis diebus erit vnus, atque idem, & licèt quottidie puncta meditationis mutemus, affectum tamen non mutabimus, ſed eumdem ad multum tempus quæremus, donec victoria vitioſitatis noſtræ, vel adeptio virtutis affulgeat) non, inquam, tam eſt affectum

A

B

C

D

E

præuidere, quam breuiter animaduertere, qua ratione ex hoc puncto, quod recogitamus, illum in nobis excitabimus. Hoc eſt in oratione ad emendationem vitæ propriam neceſſitatem reſpicere, & ei remedium adhibere, & non, quod nihil noſtra refert, ſed quod neceſſarium eſt, precibus poſtulare. De quo hæc ſunt verba apud Ephrem: Quapropter, mi frater, quod vrget magis, quæque in omni tempore tibi magis neceſſaria ſunt, ea à Deo poſtula. Conſidera enim duos illos cæcos ad eum accedentes, atque clamantes : Miſerere noſtri, Fili Dauid. Et quid ad illos Dominus: Quid vultis, inquit, vt vobis faciam? At illi ſecundùm dolorem & affectum cordis ſui, petierunt, vt aperirentur ipſis oculi. Numquid petierunt ſibi donari aliquid etiam earum rerum, quibus re vera indigebant ? Nũquid dixerunt : Da nobis veſtimentum, quoniam pauperes ſumus ? Minimè verò; ſed illud poſtularunt potiùs, quod magis vrgebat. Reſpice & Chananæam poſt illum clamantem, atque dicentem : Miſerere mei, Domine: filia mea malè à dæmonio vexatur : nihílque aliud protulit, quàm dolorem, & affectum cordis ſui. Similiter & omnes, quicumq; ad eum acceſſerunt, quid aliud, quàm ſui cordis angores ei exponebant ? Illa quoque hæmorrhoiſſa, ſiue quæ ſanguinis fluxum patiebatur, nónne ſiſtẽdi maximè fluxus ipſius cauſſa, illum adiit ? Quis, obſecro, infirmus accedit ad medicum, & non vulnus ſuum mox illi aperit ? Et tu igitur, mi frater, offer illi dolorem animæ tuæ, ac intuere illum intellectualibus fidei oculis, ſecundùm quod ſcriptũ eſt : Sedentem ſuper thronum excelſum, & eleuatum, exercitúſque Angelorum, & Archangelorum illi in circuitu aſſiſtentes; & proiiciens teipſum ante conſpectum bonitatis ipſius, effunde coram illo preces tuas, primùm peccata tua cõfitens, & ſic iam in conſpectu eius verba tua enunciãs, ſiue etiã tribulationem tuã, vt in bonitate ſua miſereatur tui, effundátque ſuper te miſerationes ſuas, dicens : O anima, magna eſt fides tua, fiat tibi ſicut vis.] Hactenus ille. Ex cuius ſententia cùm conſtet ea, quæ opus habemus, nobis continenter eſſe poſtulanda; etiam liquet conſimiles affectus, neceſſitati videlicet proprię congruentes, eſſe parandos, quibus mala noſtra fugentur, & bona ſpiritualia augeantur.

Ephrem de armatura ſpiritali. tom.2.

Paulus ab Angelo Satanæ colaphizatus ſæpius Dominum rogabat, vt ab eo liberaretur. Ter, inquit, Dominum rogaui, vt diſcederet à me.] Ter, id eſt, ſæpe. Qui autem ſæpe poſtulauit, ſæpe etiam deſiderauit, & iuxta eam neceſſitatem, quam patiebatur, affectus multiplices repetiuit. Chriſtus in horto ter ad orandum procubuit, & non diuerſum affectum, ſed eumdem aſſumſit. Denique orauit tertiò, eumdem ſermonem dicens. Nam quid aliud putamus à Domino eadem verba dicta fuiſſe, niſi eadem naturæ ſuæ deſideria Patri patefeciſſe, eoſdem reſignationis affectus habuiſſe, eamdem poſtulationem iteraſſe? Idipſum videre eſt in Dauide, qui in Pſalmis, cùm Deum laudat, mille modis laudationem profert : cùm gratias agit, multis verbis eumdem affectum gratiarũ actionis extendit : cùm peccata ſua deflet, aut alium affectum elicit, variis rationibus illum ipſum iterare non deſinit. Clauus enim non vno ictu, ſed multis infigitur; & corpus non vna refectione, ſed plurimis ad viuendum per longum tẽpus reficitur; & terra non leui ſtillicidio, ſed abundãtiſſima pluuia ad fructũ ferendum irrigatur. Sic virtutem quamlibet, non vno affectu, aut actu interiori, ſed pluribus, & ardenter frequentatis, cõparamus, eámque in mentẽ inuehimus. Cùm

2.Cor.12. 8.

Matth. 26.44.

ergo idem affectus sit in oratione repetendus pro qualitate nostri profectus,non tam ipse præuidendus est, qui satis est nobis perspectus ; quã modus, quo illum ex meditatione colligemus,indagãdus.

Hæc ita accipienda sunt,vt in eis non tam opus, quàm finem , quò nobis tendendum sit , agnoscamus. Verum quidem est pro statu cuiusque eum à Domino ad diuersum affectum vocari. Quod & Bernardus perspicuè docuit. Vides, inquit, intuitũ Domini , cùm in se semper maneat idem , non tamen eiusdem semper efficaciæ esse,sed conformari meritis singulorum, quos respicit, & aliis quidem incutere metum , aliis verò magis consolationem & securitatem afferre ? Denique respicit terram,& facit eam tremere , cùm è regione respexerit Mariam,& infuderit gratiam. Respexit, ait, humilitatem ancillæ suæ : ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes. Nõ sunt hæc verba plorantis, aut trepidantis, sed gaudentis. Respexit similiter hoc loco sponsam; & nec tremuit illa , nec fleuit instar Petri, quia non sapiebat terram , sicut ille.Dedit verò lætitiam in corde eius,effectu testificans quo eam respexerit affectu.] Sic Bernardus. Licèt autem hæc ita sint,tamen vocante & faciente Domino,alios affectus iustus interserit, vt iucũdior & vtilior fundatur oratio. Si enim semper vni affectui niteretur inhærere , præ continuatione , aut eiusdem actus repetitione lassescceret , aut certè eumdem cibum tam frequenter ori voluntatis admotum fastidiret,& alios virtutis actus non prætermittendos, minus quàm oportet, exerceret. Secundum ergo quòd variæ considerationes exigunt, varios & multiplices in vna eadémque oratione fundit affectus. Et iam ad Dei laudem, nunc ad gratiarum actionem , nunc ad imitationem alicuius virtutis in Christo elucentis ; nunc ad amorem Dei,seu dolorem peccatorum se sentit permoueri. Est enim oratio quasi lautum conuiuium , in quo multi & varij cibi optimè parati ad prandentium voluptatem apponuntur. Planè conuiuium vindemiæ ; in quo vnusquisque non solùm ad necessitatem cibum inuenit,sed ad voluptatem saporum varietatem reperit. Est sicut armamentarium, in quo multiplex armorum genus habetur (id est, multiplex virtutum affectus) quod in hostes (in vniuersa nimirum vitia) intorqueamus. Est velut hortus,in quo non rosæ solùm,aut violæ; sed cuncti flores odoris suauitate referti nascuntur;& ager fructuum plenus,cui benedixit Dominus. At affectus isti sic exercendi sunt , vt animus de suo profectu sollicitus,ad illum affectum,quo se magis indigere nouit, quémque in lectione præuenit , diligentiúsque recurrat,ad illum reliquos affectus ordinet, & eum magis repetere , aut promouere curet. Ægroto quidem cibus primùm salutaris , & ad morbum pellendum , & sanitatem recuperandam aptus apponitur ; sed non solus apponitur , immo alij etiam offeruntur,vt illum,qui omnino sumendus est,suauiorem & faciliorem ad glutiendum efficiant. Ita & nos illius affectus magis necessarij, tamquam cibi salubrioris , maiorem curam habeamus ; alios verò , ne iste fastidio sit , & vt aliorum adiectione nonnumquam sit vehementior , libenter adhibebimus.

Ingenuè fateor ista non tam facilè fieri , quàm dici; dicuntur tamen,vt quisque sciat, quid in oratione debet intendere; scilicet affectum suo statui, ac profectui magis necessarium , diligentiùs frequentare. Hæc etiam difficultas ex his , quæ inferiùs de affectibus, Deo donante, scribentur, aliqua ratione superabitur. Qui verò huic modo orandi non se accommodauerit , non propterea tristetur, sed ductum spiritus se docentis sequatur;illud semper diligentiùs curans,vt in consideratione intellectus nequaquam sistat , sed ad desideria,& pios affectus voluntatis se conuertat. Illud autem hîc maneat (cuius gratia ad exercitationem affectuum digressi sumus)in lectione non tantùm puncta meditationis , in quibus intellectus occupetur , esse quærenda; sed & affectus præuidendi,quorum assidua continuatione , aut repetitione voluntas pascatur. Sciamus lectionem esse sicut mẽsam salutaribus eduliis oppletam, ex qua ad nos pertinet sumere,quòd intellectus contempletur, & quòd voluntas diligat,aut odio habeat.Esse sicut officinam ex qua emturi sumus, quod duobus filiis, considerationi & affectioni, sufficiat. Eúmque non omnino ad orationem paratum accedere , qui ex lectione,quod recogitaret, non modum, quo se afficeret ad rem cogitatam,elegit. In Exodo præceptum est populo , vt die sexta duplicem mannæ mensuram colligeret;atque in die sexta collegerunt cibos duplices. Sic & nos ante requietionem Sabbati, ante orationem scilicet,duplices cibos colligamus;alterum doctrinæ, quo intellectum ; alterum affectus, quo voluntatem roboremus. Illi colligebãt vnam mensuram cibi pro die sexta; alteram pro Sabbato: nos vtramque colligamus pro Sabbato, id est, pro orationis tempore:quia si in eo intellectum & voluntatem abundè refecerimus,in die laboris,id est, actionis,famem cruciantem minimè sentiemus.

Iacob filios suos secundò in Ægyptum pro alimentis missurus,dixit illis : Pecuniam duplicẽ ferte vobiscum;] ne scilicet ex defectu pecuniæ apud fratrem suum, quem nondum nouerant, regno illi dominantem , aliquod detrimentum incurrerent. Duplex pecunia nobis paranda est , alteram rerum meditandarum intellectus; alteram affectuum voluntas ferat; ne tamquam minus habentes,sine alimento virtutis à conspectu Domini recedamus. Duo agni anniculi in altari præcipiebantur offerri; alter manè,alter vesperi;vnde & duo necessariò parabantur, ne aliquid oblationis integritati deesset. Sic & tu , ô vir Dei , cùm ad orationis sacrificium te lectione disponis , duos agnos para; alterum materiæ considerandæ,qui manè, id est, priùs, est offerendus , quoniam opus intellectus præcedit; alterum affectus habendi , qui vesperi , id est, posteriùs,offertur;quoniam motus voluntatis considerationem sequitur.Verè agni:nam & in intellectu,& in affectu simplicitas quærenda est.Verè immaculati; quia ex cõsideratione,& ex affectu mentis puritatem colligimus. Et tandem anniculi , si iuxta mensuram nostri profectus conuenientes meditationes,& congruos affectus habeamus.

Bernard. serm. 57. in Cant. Affectuũ diuersitas.

Exodi 16.22. Per lectionem orationis materia, affectúsque comparãdus.

Gen. 43. 12.

Exodi 29.38.

Isaiæ 25. 6.

De diuinæ præsentiæ consideratione.

CAPVT X.

POst ea omnia,quæ superiùs dicta sunt, iam ad ipsum opus orationis accedimus, in quo ante meditationẽ quattuor præmittuntur , ac propterea meditationis præludia nominantur. Hæc autẽ sunt, diuinæ præsentiæ consideratio , diuinæ maiestatis adoratio, nostrarum virium & actionum oblatio, ac cœlestis gratiæ ad meditandum postulatio. Quæ licèt orationis mentalis sint partes præcipuæ ; quia tamen

omnis consideratio ab eis debet incipere,ideo non incongruè inter illa, quæ orationem mentalem, id est, meditationem, & affectus ex ea ortos, præcedunt, recensentur.Et quamuis ista breuiter satis in cuiusque orationis exordio percurrenda sint, nisi aliqua specialis lux, & ardens voluntatis motus ad immorandum impellat; tamen ea distinctè, & ex professo exponemus, in quibus non parum momenti ad proficiendum in oratione inesse putamus. In ipso ergo orationis ingressu Deus nobis præsens cogitandus est, & tam attentè ac reuerenter inspiciendus, ac si eum corporeis oculis cerneremus. Cùm enim oramus licèt à commercio hominum elongati,& in secreto cubiculo, vel in eremo positi, nequaquam soli sumus; sed Deus ipse præsentissimus adest, coram eóque sumus intellectu & voluntate operaturi, & ad eum verba facturi. Eum itaque præsentissimum,& nobis intentissimum cum magna veneratione cogitemus. Hoc (vt manifestè constat) initium est omnis orationis. Nam oratio colloquium est hominis cum Deo. Nemo autem absentem alloquitur;sed illum,quem & adesse putat, & intentum suis verbis existimat. Quare si Deum in oratione alloquimur, si ab eius misericordia dona poscimus, eum absque dubio præsentem esse putamus.

Dei præsentia quantopere sit necessaria.

Cassian. coll. 10. c.7.

Meritò quidē Germanus apud Cassianum, hanc Dei memoriam orationis affirmat esse principium, sine quo necesse est orantem à proposito longiùs aberrare. Sed vtile erit ipsum de perpetuitate orationis, quam ab hac Dei præsentia pendere censet, loquentem audire. Quapropter, inquit, huic quoque sublimissimæ disciplinæ, per quam instruimur Deo iugiter inhærere, non dubito quædam institutionis esse fundamina, quibus primùm firmissimè collocatis,posthac superposita extollantur perfectionis celsa fastigia. Cuius hęc esse principia tenuiter suspicamur,vt primùm nouerimus,qua meditatione teneatur, vel cogitetur Deus. Deinde hanc eamdem, quæcumque est, materiam quemadmodum valeamus immobiliter custodire, quod etiam non ambigimus, culmen totius perfectionis existere. Et idcirco quamdam memoriæ huius materiam, qua Deus mente concipiatur,vel perpetuò teneatur, nobis cupimus demonstrari, vt eam præ oculis retentantes, cùm elapsos nos ab eadem senserimus, habeamus in promtu, quò respicientes, illicò reuertamur, ac resumere illam sine vlla circuitus mora,& inquisitionis difficultate possimus. Euenit namque, vt cùm de theoriis spiritualibus euagati ad nosmetipsos velut de lethali sopore conuertimur, & tamquam expergefacti materiam quærimus, qua illam, quæ obruta est, spiritalem memoriam resuscitare possimus,retardati ipsius inquisitionis mora, prius quàm reperiamus eam, à nostro conatu iterū deuoluamur; & antequam spiritalis quidem pariatur intuitus, concepta cordis euanescat intentio.Quam confusionem idcirco nobis accidere satis certum est, quia speciale aliquid præ oculis propositum,velut formulam quamdam stabiliter non tenemus, ad quam possit vagus animus post multos anfractus,ac discursus varios, reuocari,& post longa naufragia,velut portum quietis intrare.Itaque fit vt hac ignoratione ac difficultate mens iugiter præpedita errabunda semper, & velut ebria per diuersa iactetur,& ne illud quidem quod casu potius, quā industria sibimet occurrerit spiritale, diu ac firmiter teneat, dum aliud ex alio semper recipiens,sicut introitus eorum,atque principia, ita etiam finem discessúmque non sentit.]

Hactenus ille. Qui & optimè, vt expertus, animaduertit,hac Dei prędentia mentem ad distractionem pronam colligi, & sine illa necesse esse, ob cordis nostri mobilitatem,cogitationes eius in varia dispergi.

Mosis exēplo ad Dei præsentiam hortamur. Hebr. 11 27.

Huius considerationis præsentiæ Dei caussa, fides est,qua Deum vbique esse credimus,quáque illum hîc præsentem, & nos intuentem, nostráque supplicationes auscultātem oculis fidei aspicimus. De Mose sic scribit Paulus: Fide reliquit Ægyptū; & ab illo regno, in quo captiuus Dei populus tenebatur, secum illum educens, discessit, non veritus animositatem regis,id est,ferociam & indignationem Pharaonis, qui eum erat insequuturus, & Dei plebem,si posset,occisurus. Id autē ex eo processit,quòd inuisibilem tamquam videns sustinuit. Quia enim Deum, qui inuisibilis dicitur, eo quòd corporeis oculis cerni non potest, tamquam sibi præsentem fide spectabat, ideo tantam rem ausus fuit,ac erat discessus ex Ægypto, & regis potentis iram nequaquam extimuit. Ita si Deum in initio orationis vt præsentē aspexerimus,facilè sæculum hoc nequam, & opera eius nos distrahentia fugiemus, & dæmonum insultus non timebimus, ac in desertum, id est, in quamdam mentis tranquillitatem,nos recipiemus, in qua Deo & diuinis intendamus. Sic profectò orabat Dauid, & oraturi sunt vniuersi,qui,vt decet,cupiunt orare. Quid ille ait: Effundo in conspectu eius orationem meam,& tribulationem meam ante ipsum pronuncio.] In cōspectu eius orationē fundere, est ipsum intra nosmetipsos præsentem cernere, & in secreto cordis miserias, quibus quatimur, aperire. Quid est in conspectu eius?inquit Augustinus,eumdem locum interpretans. Vbi videt? Vbi autem non videt? Ita enim dicimus; vbi videt, quasi alicubi non videat. Sed in isto cœtu rerum corporalium vident & homines, vident & animalia: ille autem videt, vbi & homo non videt. Nam cogitationem tuam nullus hominum videt,Deus autem videt.] Et post multa: Intus est Christus, ibi habitat. Effunde ante eum precem tuam, noli quærere vt de longè te exaudiat; non enim longè est sapientia Dei, quæ pertendit à fine vsque ad finem fortiter, & disponit omnia suauiter. Ecce intus est apud te, ante eum effunde precem tuam.]

Psal. 141. 2.

Augusſt. ibid.

Deum itaque in orationis exordio præsentem nobis, aut nos præsentes illi aspiciamus oportet. Nec solùm in initio, verùm & omni tempore orationis hæc Dei præsentia seruanda est;tū vt si cum Deo loquimur,cum eo,qui nobis adest, & qui nos audit,loquamur:tū,vt in omnibus cogitationibus, & discursibus ad illum,vt ad finem,recurramus.De quo etiam regius Vates seipsum præbuit exēplum. Et erunt,inquit, vt complaceant eloquia oris mei: & meditatio cordis mei in conspectu tuo semper.] Si mei, inquam, vitia non fuerint dominata, tunc immaculatus ero, & emundabor, si non à leuibus culpis, sine quibus mortalis ista vita non ducitur; at à grauibus criminibus,& delicto maximo. Tunc oratio voce depromta, & solamente concepta, & erit tibi, ô Domine, grata, & semper in conspectu tuo,ac coram te fusa ingredietur accepta.

Psal. 18. 15.

De præsentia Christi Dei, & hominis. §. 1.

SEd quibus modis hæc Dei præsentia in initio orationis, ac in decursu eius tenenda est? Hoc exponere vtilissimum iudicamus, & claritatis gratia omnes modos diuinæ præsentiæ in oratione habendæ tribus classibus, aut ordinibus compre-

hendi

hendimus. Aut enim Christum Saluatorem nostrum nobis præsentem facimus; aut Deum ipsum in sua Deitate, & hoc, vel sub corporea imagine, vel sine illa nobis astantem exhibemus. Primò ergo in conspectu Iesu Christi Saluatoris nostri, quem præsentem consideramus, solemus orare. Et hæc eius consideratio, qua illum fidei oculis cernimus, non vna est, sed multiplex. Aliquando enim ipse Dominus, secundùm nostri profectus qualitatem, diuersimodè se nobis ingerit; vt infantulum, quia nos virtute pusilli sumus: aut crucifixum, quia ad crucem & mortificationem impellimur: aut immortalem, & speciosum forma præ filiis hominum, quia ad studia amoris vocamur. Audi quàm pulchrè hoc Bernardus affirmet. Quòd diuersis, inquit, nominibus Deum nunc quidem Patrem, nunc magistrum vocemus, aut Dominum, non illius simplicissimæ, & omnino inuariabilis naturæ diuersitas vlla in caussa est: sed affectionum nostrarum multiplex variatio secundùm diuersos profectus animæ, vel defectus. Videntur enim quædam animæ sub patrefamilias agere, quædam sub domino, quædam sub magistro, quædam quoque sub patre, & nonnullæ cum sponso, vt cum proficientibus proficere, cum immutatis mutari videatur & ipse, qui iuxta Prophetam mutat quidem creaturas, & mutabuntur, licèt idem ipse sit, & anni eius non deficiant. Denique quid in alio Psalmo idem Propheta ad ipsum loquatur, attende. Cum sancto, inquit, sanctus eris; & cum viro innocente innocens eris; & cum electo electus eris; atque, vt magis miremur, & cum peruerso peruertéris. Et quemadmodum sic mutetur, immo sic mutet immutabilis ipse, secutus adiungit: Quoniam tu populum humilem saluum facies, & oculos superborum humiliabis.] Ad idem quoque Ioannes Cassianus sic scribit: secundùm mensuram namque puritatis suæ vnaquæque mens in oratione sua vel erigitur, vel formatur, tantum scilicet à terrenarum ac materialium rerum contemplatione discedens, quantum eam status suæ prouexerit puritatis, fecerítque Iesum, vel humilem adhuc, & carneum; vel glorificatum, & in maiestatis suæ gloria venientem internis obtutibus animę peruideri. Non enim poterunt Iesum intueri venientem in regno suo, qui adhuc sub illa quodammodo Iudaica infirmitate detenti, non queunt dicere cum Apostolo: Et si cognouimus secundùm carnem Christum; sed nunc iam non nouimus.] Hæc illi. Aliquando verò nos ipsi, Deo donante, Christum secundùm diuersam effigiem nobis præsentem reddimus, quia id omnino poscit qualitas operis, aut mysterij, quod meditamur; vt scilicet imago Christi Domini nobis exhibita, & consideratio tali imagini congruens, efficaciùs nos ad virtutem, & amorem puritatis alliciant.

Quam diuersè nobis Christũ præsentem exhibeamus.

Bern. ser. de diuer. affectionibus animæ. princ.

Cassian. coll. 10.

Cùm ergo peccatorum nostrorum fœditatem meditamur, Christum Dominum vt seuerum iudicem in potestate magna, & maiestate ineffabili astantem, nósque contuentem nobis proponimus: ac nosipsos vt reos, & nequitiarum nostrarum vinculis irretitos, & ad necem destinatos consideramus; vt tali inspectione ad dolorem, peccatorum detestationem, & ad gemitus & lacrymas incitemur. Atque hanc Christi Domini Saluatoris præsentiam Simon de Cassia nos docuit, sic scribens: Et tu cùm oraueris, formam suscipe hominis propter delicta propria ad exitiale supplicium, cui patibulum ex fore factis iustitia præparauit: & cùm interna conscientia premit, & mordet, seipsum interne diiudicans, dicat: Meritò hæc patior. Nec audet aliquid in iudicem irrogare calumniæ, propriis criminibus accusantibus conglobatim. Et maioribus vrgetur doloribus quia deliquit, quàm quia in interitum vadit. Eius verò similitudinem non assumas, qui mala fecit digna pœna, sed morte turpissima, & de iudice querulatur, vehementius dolẽs quòd patitur, siue moritur, quàm quòd commisit huiusmodi pœna plectendum. Talem typum assumens, etiamsi ex animo fundat preces, nubem habet oppositam. Typo autem primo vestitus postulans magnam Dei misericordiam super magnam miseriam, assequitur sæpe petitionis effectum.]

Simon de Cassia, lib. 13. c. 33.

Cùm aliquid ad sæculi huius vanitatem, aut vitiorum vilitatem eliminandam, vel ad passiones moderandas pertinens meditamur; obiiciat se oculis nostris Christus Iesus medicus; vel certè vt Rex, & Dominus, & herus noster, nósque illi astemus, vt serui pauperes, & nudi, à quo volumus stipem accipere, & à malis, quæ patimur, liberari. Primúmque ad Angelos & Sanctos occurramus, vt ad ditissimos aulicos, & Domino ac Regi familiarissimos, à quibus & eleemosynam petamus, & aditum ad regem efflagitemus. Hunc modum nos habendi in oratione docuit Gerson in hunc modum: Noui personam, quæ non modicum profecit ad reducendas suas cogitationes, seu recolligendum in vnum, & ad simplicitatem, per hoc quòd diligentiùs seipsam intuebatur fore pauperem miserabilémque creaturam, nihil se habere ex suo, nec quicquam posse acquirere. Qua ex caussa mendicare meditabatur, atque sic acquirere bonorum spiritualium eleemosynam à paradisi conciuibus, in talibus diuitiis opulentissimis, atque plenis, quos nosset largos, miróque modo charitatiuos existere: ideo præfata persona sub arbore quadam, loco secreto, se collegit, in quo pro suo libitu, atque diutiùs ibidem meditari posse putabat. Conuertit itaque se cordetenus sine loquela modò ad vnum, postea ad alium Sanctum, secundùm suæ deuotionis ministerium, à quolibet eleemosynam expetendo, aperiendóque suam necessitatem, & indigentiam exponendo; sed & memorando eorum magnam gratiam, atque largitatem; deprecando etiam eos, vt dignarentur intercedere pro se ad Deum omnipotentem, quia personaliter comparere coram eo digna non esset.] Sic ille.

Quomodo ab illo, qui vitia desiderat extirpare.

Gerson de monte cõtemplat. c. 39.

Cùm materia meditationis nostræ est vita, aut passio, aut resurrectio Saluatoris, ipsum Dominum præsentem nobis exhibeamus; aut in generali, vt hominem sanctissimum, ac dignissimum, qualem depingit Laurentius Iustinianus his verbis: Vt autem meditantis animus colligatur in vnum, vt amicabiliter teneat Christum; vt sciat cui compatiatur, non Dei substantia, quæ incomprehensibilis est; sed assumti hominis imago mente formanda est. Cogitandus est vir vtique elegantissimus, statura procerus, pulcherrimus forma, aspectu venerabilis, compositus moribus, sermone rarus, plenus facũdia, maturus incessu, vestitu pauperrimus, nullam habens maculam, deformitatem nullam: quem venerantur Angeli, famulantur Archangeli; virtutes colunt, principatus ac potestates tremunt, throni benedicunt, & dominationes; & ipsi Cherubim & Seraphim iucunda modulatione collaudant, mirãtur, efferúntque. Humanam igitur effigiem deuota mens, & adhuc tenella componat

Christus describitur.

Iustiniã. de triũph. Christi agone. in prolog.

Christus quomodo à peccatore considerandus.

in ſe, quatenus ſenſibus, ſenſibilibúſque aſſueta, pedetentim creſcendo per viſibilem ſpeciem ad inuiſibilis ſubſtantiæ verbi attingat notitiam.] Hæc ille. Aut in ſpeciali meditemur Chriſtum, & iuxta qualitatem myſterij, aut paruulum, aut cruci affixum, aut ad columnam ligatum, aut aliis modis præſentem cogitemus. De quo hæc Bernardus: Aſtat oranti hominis Dei ſacra imago, aut naſcentis, aut morientis, aut reſurgentis, aut aſcendentis, & quicquid tale occurrerit, vel ſtringat neceſſe eſt animum in amorem virtutum, vel carnis exturbet vitia, fuget illecebras, deſideria ſedet. Ego hanc arbitror præcipuam inuiſibili Deo fuiſſe cauſſam, quòd voluit in carne videri, & cum hominibus homo conuerſari, vt carnalium videlicet, qui niſi cornaliter amare non poterant, cunctas primò ad ſuæ carnis ſalutarem amorem affectiones retraheret, atque ita gradatim ad amorem perduceret ſpiritualem.] Hanc itaque Chriſti præſentiam in oratione aſſumimus, vt ex illa tamquam ex re faciliori ad aliam ſubtiliorem, de qua ſtatim agemus, aſcendamus. Ita verò Chriſtus Ieſus eſt à nobis inſpiciendus, vt non eum purum hominem, ſed Deum ſimul & hominem, in his omnibus modis præſentiæ eius, conſideremus; quod & reuerentiæ, & amori, & cuicumque deuotionis affectui maximè proderit.

Bern. ſer. 20. in Cant.

Eſt tamen aliquid addendum circa hanc conſiderationem Chriſti præſentiæ, quam in orationis exordio nobis proponimus. Nam in quacumque effigie illum accipiamus, non in eodem loco viri ſpirituales illum conſiderant. Quidam enim cœlos cogitatione tranſcendunt, & corporeis oculis etiam in altum elatis, interioribus luminibus illum ad dexteram Patris aſpiciunt. Alij conſideratione ad locum vadunt, in quo myſteria geſta ſunt, & ſe in Bethleem iuxta præſepe Saluatoris: aut Hieroſolymæ iuxta crucem conſtituunt. Alij intra ſemetipſos, & in corde ſuo Chriſtum, & ea, quæ geruntur, agi conſiderant. Alij non iam intra, ſed extra ſe, & iuxta locum, in quo orant, Chriſtum, & myſteria acta recogitant. In quo vnuſquiſque eum modum teneat, qui magis arriſerit. Illud tamen certum eſt, eam conſiderationem, qua Dominum, & ea, quæ geruntur, ad nos trahimus, & iuxta noſipſos aſpicimus, & faciliorem eſſe, ac magis noſtræ naturæ conformem, & ad deuotionem excitandam aptiorem. Et quamuis Dominus noſter Ieſus Chriſtus ſecundùm venerandam humanitatem ſuam vbique non ſit, & ſolùm ſupra omnes cœlos, & in tremendo Euchariſtiæ ſacramento reſideat; nullus tamen eſt error, nullâve deceptio, ſi eum iuxta te, aut etiam intra te-ipſum oculo mentis aſpicias. Nam hæc eſt natura intelligentiæ, & conſiderationis noſtræ, vt res ad ſe trahat, & aut intra ſe, aut iuxta ſe homo (quod experimento conſtat) illas aſpiciat. Et error, aut falſitas non in apprehenſione eſt, ſed in iudicio, vel in affirmatione, & negatione, qua quis Chriſtum hîc eſſe, vel non eſſe aſſeueranter affirmet. Tu autem cùm Dominum intra te, aut iuxta te meditaris, ſimpliciter hîc illum apprehendis, & non erras, quia illum hîc ſecundùm humanam naturam ſuam præſentem eſſe non dicis. Et ſicut ille, qui ante ſexcentos ſupra mille annos natus eſt, hodie dicitur, ſine errore, & conſideratur naſci, quia hodie natalis eius memoria agitur, & hodie fructus ex eius natiuitate capitur: ita & in præſenti loco, vel ac ſi præſens eſſet aſpicitur; quia in præſenti loco emolumentum ex ipſius nobis meditatione donatur. Vide quid Bernardus de tempore dicat. Semper, inquit, nouum, quod ſemper innouat mentes, neque vmquam vetus, quod fructificare non ceſſat, quod in perpetuum non marceſcit. Hoc eſt enim ſanctum, quod non datur videre corruptionem. Hic nouus homo, qui nullius vmquam vetuſtatis capax, etiam eos, quorum inueterauerunt omnia oſſa, in veram vitæ transferat nouitatem. Inde eſt, quòd etiam in præſenti tam iucundiſſima annunciatione congruè dicitur, non tam natum eſſe, quàm naſci. Ieſus Chriſtus Filius Dei naſcitur in Bethleem Iudæ. Sicut enim quodammodo immolatur adhuc quottidie, donec mortem eius annunciamus, ſic videtur & naſci, dum fideliter repræſentamus eius natiuitatem.] Hæc ille. Si igitur non erramus, dum dicimus: Hodie Saluator naſcitur, quia hodie eius natalitius dies repræſentatur; non errabimus profectò, ſi eum nobis præſentem conſideremus; quia hoc loco ex virtute eius fructum accipimus. Ecce, inquit, vobiſcum ſum vſque ad conſummationem ſæculi.] Si ille nobiſcum eſt, quia auxilio ſuo nobis præſtò eſt; quis non videat, eum rectè præſentem cogitari? Et vt intellectum exacuat, & affectum accendat, & mentem colligat, optimè quaſi aſtantem agnoſci? Hic ſit itaque primus modus præſentiæ Dei, quo non Deum ſolum, ſed Deum hominem, Chriſtum ſcilicet Ieſum, nobis præſentem exhibemus, vt coram illo, & meditationi inſiſtamus, & preces noſtras deuotè fundamus.

Bern. ſer. 6. in vigil. natalis Domini.

Matth. 28.20.

Quomodo nos rebus præſẽtes exhibeamus.

De præſentia Dei per corporeas imagines. §. 2.

SEcundus modus præſentiæ Dei, quem nobis in ipſo initio orationis obiicimus, corpus excludit; quia non Filium Dei carne obuelatum, ſed adorandam Trinitatem, ac Deum ipſum, vbique per eſſentiam, præſentiam, & potentiam exiſtentem, nobis aſtantem cogitamus. Ita tamen cogitamus, vt eius, ſub imagine corporali hominis eximiæ cuiuſdam auctoritatis, vel luminis, vel ignis, vel fontis totius boni, recordemur. In quo etiam nullus intercedit error; quoniam Deum non hæc eſſe dicimus; ſed ex his imaginibus ad cognoſcendas eius perfectiones aſſurgimus, & quaſi in illis ſpiritum illum puriſſimum latentem, & per rimulas ſuarum creaturarum ſe oſtentantem peruidemus. Per hominis imaginem, eius benignitatem: per lumen, eius ſplendorem: per ignem, eius efficacitatem: per fontem, ipſius largitatem in dando cognoſcimus. Iccirco Scriptura Deum his & aliis nominibus ſimilibus vocat: quòd vtique non faceret, ſi ita illum conſiderare non liceret. Simile eſt regnum cœlorum, ait, homini regi, qui fecit nuptias filio ſuo.] Iam intelligit charitas veſtra, inquit Gregorius, quis eſt iſte rex regis filij Pater: ille nimirum, cui Pſalmiſta ait: Deus iudicium tuum regi da; & iuſtitiam tuam filio regis. Qui fecit nuptias filio ſuo. Tunc enim Deus Pater Deo Filio ſuo nuptias fecit, quando hunc in vtero Virginis humanæ naturæ coniunxit.] Alio autem loco dicitur: Quoniam Deus lux eſt, & tenebræ in eo non ſunt vllæ.] Et iterum: Quia Dominus Deus tuus ignis conſumens eſt.] Ac rurſus: Quoniam apud te eſt fons vitæ, & in lumine tuo videbimus lumen.] Et: Me dereliquerunt fontem aquæ viuæ.] Si Deus his nominibus vocatur, non eſt abſonum nobis illum præſentare rebus, quæ huiuſmodi nominibus ſignificantur: non quia

Matth. 22.2. Gregor. hom. 38. in Euãg. Pſal. 71.

1. Ioan. 1. 5. Deut. 4. 24. Pſal. 35. 10. Ieremiæ 2.13.

ipſe talis ſit, ſed quia ſimilibus imaginibus aliqua eius perfectio detegitur.

Deus etiam quaſi his figuris latens, hominibus interdum apparuit. Et quidem ſub imagine hominis facta eſt multiplex apparitio. De primis parentibus, poſt admiſſum peccatum, in Geneſi legimus: *Gen.3.8.* Et cùm audiſſent vocem Domini Dei deambulantis in Paradiſo ad auram poſt meridiem, &c.] Quo loco Deum effigie humana per Angelum eius Perſonas repræſentantem apparuiſſe, ac verba ſenſu corporis audibilia protuliſſe, multorum ſententia eſt, quam Auguſtinus & Gregorius indicant. *Aug. 11. de Geneſ. ad litt. c. 33. Greg. 28. mor. c. 2.* Abrahæ apparuit Dominus in conualle Mambræ. Sed quomodo apparuit? Apparuerunt ei tres viri ſtantes prope eum.] Tres viri, tres vnius Dei perſonas ſignificabant, aſſertoribus Auguſtino, Cyrillo, Euſebio, & aliis: vnde & ipſe gentium Pater cum illis tamquam cum vno loquutus eſt, dicens: Domine, ſi inueni gratiam in oculis tuis, ne tranſeas ſeruum tuum.] Iſaiæ quoque viſus eſt Dominus ſub humana effigie. Vidi Dominum ſedentem ſuper ſolum excelſum, & eleuatum.] Similiter & Danieli. Antiquus dierum ſedit: veſtimentum eius candidum, quaſi nix, & capilli capitis eius, quaſi lana munda.] Et ſic ſunt multa alia in Scripturis. Lux etiam, Dei imago eſt. Nam Transfigurationis myſterium narrans Matthæus, inquit: Ecce nubes lucida obumbrauit eos.] Atque, vt in ſplendore illo Deum repræſentari intelligeremus, ſubiungit: Et ecce vox de nube, dicens: Hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui.] Similiter & ignis. Quoniam Spiritus ſanctus in linguis igneis deſcendit ſuper Apoſtolos. Et in Exodo: Totus autem mons Sinai fumabat: eo quòd deſcendiſſet Dominus ſuper eum in igne; & aſcenderet fumus ex eo, quaſi de fornace.] Conſonant his, ſicut & conſonare debent, tum doctrina, tum viſiones Sanctorum. Nam & Origenes, & Ambroſius (vt aliquid de fonte dicamus) fonte Deum ſignificare aiunt. Quorum hic (vt nunc primum omittamus) ſic ſcribit: Fugiamus, ſicut cerui, ad fontes aquarum, quos ſitiebat Dauid. Sitiat & noſtra anima. Quis eſt ille fons? Audi dicentem: Quoniam apud te eſt fons vitæ. Huic fonti dicat anima: Quando veniam, & apparebo ante faciem tuam? Fons enim Deus eſt.]

Matth. 17.5. *Act. 2.3.* *Exod.19. 18.* *Origen. in c. 21. Num. homil. 12. nõ longè à principio. Ambroſ. lib. de fuga ſæculi, cap. 9.*

Certum eſt quoque, & ex hiſtoriis Sanctorum compertum, apparuiſſe illis Deum ſæpe ſub imagine corporali. Atque in his viſionibus illuſtres ſunt viſiones Ruperti Abbatis doctoris illuminatiſſimi, quas ipſe de ſe inſigni pietate, ac columbina ſimplicitate litteris conſignauit. Apparuit illi beata Trinitas ſub ſpecie trium Perſonarum, quæ erant habitus valde reuerendi, & dignitatis, quantum nulla poteſt lingua verbis conſequi. Duæ Perſonæ multùm antiquæ, id eſt, valde cani erant capitis; Perſona tertia, vt ſpecioſus aſtabat iuuenis regia dignitate, vt ex veſtitu eius poterat agnoſci. Iterum apparuit eidem Spiritus ſanctus in ſpecie ſenis, & ignis. Illic, inquit, inuenio ſenem antiquum virgam manu geſtantem, & agnoſce Spiritum ſanctum, filiole, filiole, inclamantem; quo nomine paruulos appellare ſolemus, quos de ſacro fonte ſuſcepimus, méque tali appellatione confortantem geſtu potentis, pariter & adiuuantis. Et enarrato conflictu eiuſdem viri ſancti aduersùs dæmones, & reditu ad Dominum pro impetratione auxilij: Ecce, ait, inuentus eſt in eodem loco, non ſicut priùs, ſenex antiquus, ſed ignis valde ſerenus, & circa eum quietudo & ſeueritas magna.

Rupert. lib. 12. de gloria Filij hominis, in longa digreſſ. *Ruperti viſio miranda.*

Sed mirabilior eſt alia apparitio, qua Deus in ſpecie talenti auri eidem beato Doctori viſus eſt. Libétque illam hoc loco ipſius verbis inſerere, ne tam admirandæ dignationis, ſi eam breuiùs perſtrinxerimus, obtundatur ſapor; & quia plurimum valet ad id, quod volumus, confirmandum. Sic ille ait: Cùm hæc, vel talia dixiſſem (in ſomnis ſcilicet amico apparenti) repentè paululum ſemotus ab eo, cui loquebar: video quaſi cœlum deſuper modicè aperiri, atque inde quaſi talentum lucidum ſubſtantiæ ineffabilis, ſubſtantiæ viuentis velociter, ac dicto citius demitti, quod meo illapſum pectori magnitudine, vel pondere ſuo me protinus ſomno excuſſit, auro grauius, melle dulcius. Quod vbi lapſum eſt, primùm quidem aliquanta morula quieuit, ſéque ab omni motu continuit, me quoque quieto, vt fortè reſupinus iacebam, expectante euentum rei, mox autem moueri cœpit, & circuire vterum interioris hominis, vterum animæ, quem eatenus neſciebam, cuius, vel quantæ eſſet capacitatis. Circuibat itaque modo mirabili res viua, & vera vita, ſempérque circuitus ſequens præcedente erat maior, multóque amplior: quos tamen circuitus, cùm multi fierent, non attendi vt numerarem. Miróque atque ineffabili modo & circuibant inundationes, altera poſt alteram, & ſeſe infundebant, donec tamen vltima infuſio, veluti quoddam magnum flumen inundans, hoc mihi dabat intelligere, & hoc ſentire me fecit; quòd totum animæ, vel cordis exceptorium plenum eſſet, & plus capere non poſſet. Quo facto, iterum quieuit pauliſper, vt neque influeret, quod iam fecerat; neque efflueret, quod poſtmodum fecit: & interim volebat homo interior quaſi faciem clariùs videre illius ſubſtantiæ viuentis; ſed quodammodo occultabat ſe, vt non videretur facies eius, cùm valde magno pondere portaretur, & in magna dulcedine ſentiretur. Poſtmodum cœpit reflecti, aliámque in partem circuitus agens in modum fluminis per læuum latus effluxit, videntibus oculis interioris hominis: quòd cùm vltimus circuitus profluueret, paululum ſubſtitit: & ecce videbam, quia ſubſtantia illa pulcherrima, quaſi aurum liquidum erat. Vbi hoc actum eſt, & eius rei ſenſus præteriit; ego ignorans, quod deinde prouenturum eſſet, hoc ſolum dolebam, quia ſecundùm intentionem meam nihil dixiſſet, quòd hoc pro maximo gratiæ beneficio accepiſſem, ſi diceret, hoc anno (vt expectaſti) de corpore migraturus es.] Hactenus ille. Et in his ne amplius immoremur, quoniam infrà (Domino concedente) de illuſtrationibus diuinis multa ſumus dicturi. Si ergo Dominus ſe nominibus rerum corporalium vocat: ſi ſe tum in Scripturis ſanctis, tum extra illas ſub ſpecie rerum corporalium oſtentat; non erit abſonum illum, quem puriſſimum ſpiritum eſſe ſcimus, ſub aliqua corporali imagine, nobis in oratione præſentare, quæ animum colligat, & ad conſideranda diuina attributa manuducat. *Lib. 5.*

Nec obſtat ſententia Ioannis Caſſiani Abbatem Serapionem erroris notantis, quòd Deum in corporali imagine ad orandum ſibi præſentem fecerit. De quo, ait, vix tandem ad ſanam mentem reuocato: Ita eſt in oratione ſenex mente confuſus, eo quòd illam, ἀνθρωπόμορφον imaginẽ deitatis, quam proponere ſibi in oratione cõſueuerat, aboleri de ſuo corde ſentiret, vt in amariſſimos fletus, crebróſque ſingultus repentè prorumpens, in terrámque proſtratus, cum eiulatu validiſſimo proclamaret: Heu me miſerum! tulerunt à me Deum meum, & quem nunc teneam nõ habeo, vel quem *Caſſian. collat. 10. cap. 2.*

adorem, aut interpellem iam neſcio.] Hæc, inquam, nihil efficiunt. Quia ſenex ille Deum corporeum eſſe putabat, quod cum Catholica Eccleſia damnamus,& ex Theologia inſtructi falſum eſſe euidenti demonſtratione conuincimus. At nos, qui Deum non tam ſpiritum eſſe credimus, quàm clariſſima ſcientia cognoſcimus, conueniens iudicamus eum ſub ſpecie corporali cogitare,non quæ eum corpus eſſe aſſerat; abſit:ſed quæ animum ad diſtractionem pronum colligat, & magnalia eius quaſi ſtylo noſtræ ruditatis edicat. Poteris igitur Deum in initio orationis tibi præſentem, ac tibi intentiſſimum exhibere, vt immenſam lucem omnia penetrantem: vt ignem efficaciſſimum vniuerſa replentem: vt theſaurum, ſeu glebam auri maiorem orbe cunctas diuitias & opes continentem: vt ſolem ſplendidiſſimum toto cœlo maiorem omnia fouentem. Poteris illum cogitare vt fontem perennem non quidem aquæ materialis, quæ corporis ſitim extinguat,ſed aquæ ſpiritualis, quæ concupiſcentiæ ardorem comprimat, & cordis noſtri maculas abluat. Vel certè vt originem ſanctarum cogitationum memoriam replentium, quod tribuitur Patri.: vel vt initium veritatum intellectui ſatisfacientium, quod tribuitur Filio: vel vt principium affectionum voluntatem inflammantium,quod tribuitur Spiritui ſancto. His, aut aliis ſimilibus modis tibi, ô homo,cogitandus eſt Deus,& ſub illis imaginibus ſpiritus puriſſimus,& ab omni materia auulſus,quaſi latens conſiderandus. Coram illo tuos diſcurſus perficies, illum puriſſimis affectibus amplexaberis, & cum ingenti reuerentia, & ardore ſpiritus in conſpectu ipſius tuas poſtulationes fundes. Illud tamen tibi obſeruandum eſt, ne has imagines Chriſti Saluatoris, aut Dei,exquiſitiùs & vehementiùs in cogitatione tua delineare nitaris:quod & caput lædit,& hominem ex vehementi cogitatione ſe, quod cogitat, videre putantem, periculo illuſionis exponit. Sed ſuauiter, & quaſi confuſo modo formandæ ſunt; ita vt totum quoddam nobis proponant, non ſingulatim cognitum, quod nos ad orandum colligat, & reuerentiam incutiat.

A

B

C

D

E

De præſentia Dei ſine imagine. §. 3.

Quæ ſit Dei præſentia perfectiſſima.

TErtius modus præſentiæ Dei ſublimior atque perfectior eſt, quo illum ſine vlla imagine nobis, ſicut re vera eſt, præſentem facimus, & per virtutem fidei,& intellectum lumine ſupernaturali affectum,illum præſentem, & omnia replentem, & continentem aſpicimus. Hîc non ſe imaginatio ingerit; non ſe functio alicuius ſenſus admiſcet, ſed ſola intelligentia ſine vlla figura,aut modo corporeo, diuinam ſubſtantiam apprehendit. Et quaſi eam in quadam caligine,ſed certiſſimè propè ſtantem perciperet,ad eam diſcurſus,& affectus, & petitiones dirigit. Orationem huic diuinæ præſentiæ ſubnixam Caſſianus puriſſimam appellauit. Ita,inquit,ad illam orationis puriſſimam perueniet qualitatem, quæ non ſolùm nullam diuinitatis effigiem,nec lineamenta corporea in ſua ſupplicatione miſcebit, ſed nec vllam quidem in ſe memoriam dicti cuiuſquam, vel facti ſpeciem, ſeu formam cuiuſlibet characteris admittet.] Quomodo autem ſit Deus in hac perfectiſſima eius præſentia inſpiciendus,docet Laurentius Iuſtinianus,ſic ſcribens: Ad propinquam etiam præparationem congruit, vt attendatur ad illum, cui ſacrificium orationis offertur. Vacate(inquit Propheta) & videte, quia ego ſum Deus. Deus vtique ſplendor numquam deficiens,vita non moriens,fons ſemper ſcaturiens,ſeminale vitæ ſeminarium, ſapientiæ principium, initiale bonitatis initium. Tantæ namque excellentiæ eſt, tantæque præcelſæ immenſitatis, quòd implet omnia, tenet omnia, complectitur omnia, ſuperexcedit omnia, ſuſtinet omnia. Nequaquam ex vna parte ſuſtinet, atque ex alia ſuperexcedit: neque ex alia parte implet, & ex alia circumplectitur:ſed circumplectendo implet, implendo circumplectitur: ſuſtinendo ſuperexcedit, ſuperexcedendo ſuſtinet, ſine inquietudine ſuperiùs regens: abſque laſſitudine inferiùs ſuſtinens; interiùs ſine extenuatione penetrans; exteriùs ſine extenſione circumdans.Eſt itaque inferior & ſuperior ſine loco:eſt amplus ſine latitudine; eſt ſubtilis ſine extenuatione: & qui per molem corporis nuſquam eſt, per incircumſcriptam ſubſtantiam ſuam nuſquam deeſt.] Hæc ille,inhærens Auguſtino.Hæc perfectiſſima Dei præſentia aliquantulum difficilis eſt iis, qui ſola ſenſibilia, & loco & tempori alligata conſiderare nouerunt. Facillima tamen illis, qui aſſueſcunt à ſenſibilibus ſe expedire, & purè ſpiritualia contemplari. Enitendum eſt ergo diuinæ gratiæ propriam induſtriam adiungere, & per conſuetudinem Deum purum ſpiritum, ſine aliqua imagine nobis præſentem facere, & illum in ſpiritu,& veritate adorare.

Caſſian. collat.10. cap.4.

Iuſt. lib. de ligno vitæ, de orat. c.3.

Primus modus præſentiæ Dei.

Hic modus præſentiæ Dei quincuplex eſſe poteſt: nam quinque modis poſſumus illum abſque corporea imagine præſentem habere. Primus eſt, cùm clatis mentis oculis illum conſideramus in cœlo, cinctum ſanctis, & velut cœleſtibus ſpiritibus circumſeptum. Licèt enim vbique totus ſit, tamen in cœlo ſpecialiter beatis ſuam faciem detegit: ibi ſuas opes largiùs effundit, & tamquam in aula ſua ſe fruendum amiciſſimis præbet. Hic autem modus orandi & conſiderandi Deum frequentiſſimus eſt in Scriptura. Sic orabat Dauid, ſicque Deum in cœlo ſibi intendentem conſiderabat. Leuaui,inquit, oculos meos in montes; vnde veniet auxilium mihi.] Et: Ad te leuaui oculos meos; qui habitas in cœlis.] Et Suſanna flens ſuſpexit ad cœlum, ſcilicet vt oraret: erat enim cor eius fiduciam habens in Domino. Et oculi ſponſæ ſimiles dicuntur oculis columbarum:quia columba grana ſelectiora colligit,& comedens oculos in cœlum effert.Sicque meditabatur iuſtus Ezechias. Meditabor, inquit,vt columba.] Ita, inquam,conſiderabo,vt oculos in cœlum, in Dei nempe ſedem attollam. Chriſtus etiam Dominus formam ſic aſpiciendi Deum in ſeipſo nobis exhibuit. Nam vt Lazarum ſuſcitaret, eleuatis ſurſum oculis, dixit: Pater, gratias ago tibi, quoniam audiſti me.] Et alio loco: Subleuatis oculis in cœlum dixit:Pater, venit hora, clarifica Filium tuum.] Itaque inſpiciendum eſſe Deum docent Bernardus,& Chryſoſtomus. Ille ſic ait:Porrò quamuis vbique ſit Deus, in cœlo tamen orandus eſt, ibíque orationis tempore cogitandus: vt mens noſtra non oratorij tecto,non aëris ſpatio, non ipſa retardetur nubium denſitate, iuxta eam formam, quæ nobis à Chriſto tradita eſt; vbi ait: Sic orabitis: Pater noſter, qui es in cœlis. Cœlum enim quadam prærogatiua etiam ſedes, ſiue thronus Dei vocatur,qui ad eam comparationem,qua Deum in cœlis Angeli ſancti, & electorum animæ vident; nos miſeri & peregrini ſuper terram vix ſolum nomen habere videmur. Sic igitur oret, qui orat, tamquam aſſumtus, & præſentatus ei, qui ſedet ſuper excelſum thro-

Pſal.120. 4. Pſal.122. 1. Dan.13. 35. Cant.4. 1. Iſaiæ 38. 14. Ioan.11. 41. Ioan.17. 1. Bernard. ſerm. de quattuor modis orandi.

num

num in Angelis,qui minimè ceciderunt, & eleuatum in hominibus,quos ſuſcitauit de puluere inopes,& erexit de ſtercore pauperes. Sic, inquam, ſemetipſum conſideret, & ſic attendat tamquam præſentatum Domino maieſtatis, vt dicat cum Abraham: Loquar ad Dominum meum, cùm ſim puluis,& cinis.Et quia tuo præcepto commonitus, tua inſtitutione formatus, id præſumo, Domine fons pietatis.]

Chryſoſt. Chryſoſtomus autem ſic ait: Et tu igitur regalem ingreſſus aulam,non eam, quæ in terra eſt, ſed illam, quæ multo eſt terribilior, videlicet in cœlo, plurimum reuerentiæ atque ordinationis oſtende. Vnus enim es ex Angelorum choro,atque Archangelorum effectus ſocius, cum Cherubim quoque, atque Seraphim canis. Omnes namque iſti cœlorum populi maximum ordinem per cuncta conſeruant, cum timore & tremore multo, Regi omnium Deo cœleſte illud carmen, & ſacros ſemper hymnos canendo. Iſtos igitur tempore orationis admiſce, & myſteriorum eorum imitator efficere.] Hæc ille.Ad hanc mentis eleuationem iuuat ipſorum oculorum corporalium in cœlum erectio; vt iuxta dictum B. Martini, dum oculi carnei cœlum aſpiciunt, ſpiritus conſiderationibus & affectibus illuc iturus, ad Dominum dirigatur. Ad idque hortatur viros ſpirituales Bonauentura, dicens:Nonnumquam etiam ad ſubleuandam intentionem, in cœlum ſuſpiciant, vt corpus pariter,& animus tendatur ad Dominum, & ibi ſit cor, vbi eſt theſaurus ſuus.]

Bonau. in ſpecul. p.2.c.6.

II. Secundus modus præſentiæ Dei eſt, cùm meditamur illum in locis,aut rebus,in quibus eum tunc operari cogitamus. Et ſic quia præcipuè operatur in Sanctis,& Beatis, poſſumus eum conſiderare ex ſententia Auguſtini,vt habitantem in Sanctis,tamquam in templis ſuis.Sícque intelligit initium Dominicæ orationis: Pater noſter, qui es in cœlis;vt cœlorum nomine, non tam corporeos,quàm ſpirituales cœlos,id eſt,ſanctos,intelligamus.Eſt autem hæc præſentia Dei apprimè vtilis illis, qui ordinem & perfectiones creaturarum meditantur, vt ex illis ad Dei cognitionem aſcendant. Hi enim conſiderent Deum latentem, & operantem,& perfectionem tribuentem, & ſuſtinentem illam creaturam, quam mentis oculis obiiciunt;vtputa ignẽ, aut aërem, aut mare,iuxta illud: Spiritus Domini ferebatur ſuper aquas. At vtilior eſt aliis, quos iam diximus, qui ſcilicet primum illum modum præſentiæ Dei habent, quo Chriſtum Dominum ante mentis oculos ſibi proponunt.In initio namque meditationis, locum, vbi res geſta eſt, quam conſiderant,accuratè ſibi fingant,& ac ſi in illo loco,vt in præſepio,aut in Caluariæ monte ipſi conſiſterent, meditationem proſequantur. Quod Bonauentura docet faciendum eſſe his ferè verbis: Rem per eum geſtam, id eſt, per Chriſtum, vel dictam ante oculos mentis ponas, & quòd cum eo conuerſeris,& familiaris ei fias. Nam in hoc videtur haberi maior dulcedo, & deuotio efficacior, & quaſi totus fructus harum meditationum conſiſtere, vt vbique & ſemper intuearis eum deuotè in aliquo actu ſuo;vt quando ſtat cum diſcipulis ſuis, quando cum peccatoribus,quando etiam loquitur eis,quando prædicat turbæ;quando vadit,& quando ſedet;quando dormit, & quando vigilat:quando comedit,& quando aliis miniſtrat; quando ſanat ægrotos, & quando alia facit miracula. In his autem, & ſimilibus conſidera omnes geſtus ſuos, maximè contemplans faciem eius, ſi potes imaginari,quod ſuper omnia prædicta mihi videtur difficilius.] Hunc modum ſe colligendi B. P. N. IGNATIVS compoſitionem loci vocauit, eo, quòd locus, in quo res geſta eſt, coram nobis fingitur,atque componitur. Eſtque facilis his,qui vehementem habent imaginationem, aliis autem ſatis difficilis.Neque eſt omnino neceſſarium in hac conſideratione loci, in quo Dominus operabatur, vehementiùs inſiſtere, dummodo aliquo ex his modis,quos proponimus, nos in diuina præſentia ad meditandum colligamus.

III. Tertius modus eſt,cùm nos conſideramus iuxta Dominum, & illum internis oculis quaſi coram nobis aſtantem,aut in re, quæ in proſpectu noſtro eſt, latentem aſpicimus.Propè eſt Dominus omnibus inuocantibus eum:omnibus inuocãtibus eum in veritate.] Et tu ad orationem accedis, vt illum in veritate inuoces; ergo illum tibi propinquum habes. Propè igitur, & iuxta te, vel potiùs te iuxta illum in oratione conſidera. Dic illi: Propè es tu, Domine;& omnes viæ tuæ veritas.] Spectat omnia Deus, inquit Ambroſius, omnia videt, aſſiſtit ſingulis,dicens:Deus appropinquãs ego ſum. Sic hîc, ô Domine, ades, & omnia mandata tua veriſſima ſunt,& æquitatis pleniſſima, ad hoc coram te huc venio,vt me illa complere doceas. De hac ratione præſentiæ Dei inquit Baſilius: Quocirca memores aſſiduè verborum Domini illorum:Numquid non cœlum & terram impleo ego? dicit Dominus. Et Deus appropinquans ego ſum; & non Deus de longè. Et, vbi fuerint duo,vel tres congregati in nomine meo, ibi ego in medio illorum ſum; ſic omnia tamquam in oculis illius,& agere debemus, & cogitare.] Tu agere ad opera,quæ in præſentia Dei agenda ſunt, & cogitare ad mentalem orationem referas, & Deum in ea tibi propinquum eſſe conſideres.

Pſalm. 144.18.

Pſal.118. 151. Ambroſ. ibid. ſer. 19.v.7.

Baſ. reg. 5.fuſiùs.

IV. Quartus modus præſentiæ Dei eſt, vt quando quidem Deum exiſtentem vbique credis, te intra illum,& vndique Deo circumdatum mediteris. An non piſces mari cinguntur? Sed Deus mare eſt, à quo exeunt flumina gratiarum, & ad eum per rectam intentionem reuertuntur,vt iterum fluant. An non ciues cinguntur muro? Sed Dominus in circuitu populi ſui.] Et ego ero ei, ait Dominus, murus in circuitu.] An non infantulus genitricis vulua continetur? Sed audite me, inquit, domus Iacob,& omne ſemen domus Iſraël,qui portamini à meo vtero; qui geſtamini à mea vulua.] An non cùm nebula vrbem replet, omnes ambimur nebula? Sed Dominus dixit, vt habitaret in nebula.] Te ergo non immani piſce voratum, ſicut fuit Ionas,ſed Deo ſuauiſſimo Patre cinctum eſſe conſidera.Et hac conſideratione collectus clama,& ora, & illi tua vota manifeſta.

Pſalm. 124.2. Zachar. 2.5. Iſaiæ 46. 3. 3.Reg.8. 12.

V. Poſtremus modus eſt, vt Deum intra teipſum mediteris, & quaſi intra temetipſum ingrediaris, vt illum aſpicias, illum diligas, & cor tuum apud illum effundas. Neſcitis, quia templum Dei eſtis, ait Paulus,& ſpiritus Dei habitat in vobis?] Hoc templum,quod eſt cor noſtrum,adeamus, vt gratiam & miſericordiam impetremus. Cogita cor tuum eſſe gymnaſium, in quo Magiſter hic docet: & illud ingredere, dicens: Audiam quid loquatur in me Dominus Deus; quoniam loquetur pacem in plebem ſuam.] Cogita eſſe agrum, in quo abſconditus eſt theſaurus tuus; & noli extrà quærere,quem intus te ditantem inuenies. Cogita eſſe lectum, in quo ſponſus requieſcit; & in hunc lectum orationis ſomno pauſaturus aſcende. Ad

1.Cor.3. 16.

Pſal.84. 9.

hanc Dei præſentiam in oratione habendam hortatur Auguſtinus,dicens : Quid ſupplicaturus Deo locum ſanctum & aptum requiris ? Interiora tua munda,& inde omni mala cupiditate depulſa,præpara tibi in cordis tui pace ſecretum. Volens in templo orare, in te ora,& ita age ſemper, vt templum Dei ſis. Ibi enim Deus exaudit, vbi habitat.] *Auguſt. melliloqui, cap. 338.*

Et Hugo Victorinus putat hoc eſſe ad Deum aſcēdere, noſipſos ad orandum ingredi. Aſcendere ergo, inquit, ad Deum hoc eſt, intrare ad ſemetipſum, & non ſolùm ad ſe intrare, ſed ineffabili quodam modo in intimis etiam ſeipſum tranſire. Qui ergo ſeipſum (vt ita dicam) interiùs intrans, & intrinſecus penetrans tranſcendit, ille veraciter ad Deum aſcendit. Quando autem homo per ſenſus carnis ad viſibilia iſta, quæ tranſitoria ſunt, & caduca, concupiſcendo exit ; tunc nimirum à dignitate conditionis ſuæ quaſi ad infima quædam, & abiecta deſcendit. Quod ergo intimum eſt, hoc eſt proximum, & ſupremum, & æternum:& quod extremum eſt, hoc eſt infimum, & longinquum,& tranſitorium. Ab extremo itaque redire ad intimum,hoc eſt ab imo aſcendere ad ſupremum ; atque à diſperſione cōfuſionis & mutabilitatis colligi in idipſum. Quia verò mundum hunc extra nos,Deum autem intra nos eſſe cognoſcimus ; ob hoc à mundo ad Deum reuertentes, & quaſi ab imo ſurſum aſcendentes, per noſmetipſos tranſire debemus.] *Hugo de vanit. mundi lib.2.*

Ac tandem Thomas Aquinas eorum cæcitatem deplorat, qui ſemper Deum quaſi abſentem quærunt,cùm præſentem intra ſemetipſos poſſideant. Magna cæcitas,inquit,& nimia ſtultitia eſt in multis,qui ſemper Deum quærunt,continuè ad Deum ſuſpirant, frequenter Deum deſiderant ; quottidie in oratione ad Deum clamant & pulſant,cùm ipſi, ſecundùm verbum Apoſtoli, ſint templum Dei viui, & Deus veraciter habitet in eis ; cùm anima ipſorum ſit ſedes Dei, in qua continuè requieſcit. Quis vmquam niſi ſtultus quærit inſtrumentum foris,ſciens quòd habet recluſum ? Aut quis vtiliter vti poteſt inſtrumento, quod quærit, aut quis confortatur cibo, quem appetit, ſed non guſtat ? Sic etiam vita cuiuſlibet iuſti Deum ſemper quærentis,ſed numquam fruentis,& omnia opera eius minùs perfecta ſunt.] Vno ergo ex omnibus his modis, qui tibi magis arriſerit, poteris tibi in initio orationis Deum præſentem facere,vt hoc quaſi iacto fundamento, ad reliquas orationis partes procedas. Deberes tamen te ad meliora promouere,& modum perfectiſſimum æmulari. Hîc autem ſolùm de præſentia Dei ad orationem tractatum eſt:nam de ea,quæ continua pro huius vitæ poſſibilitate eſſe debet, & contemplationis perfectæ,ac omnis perfectionis eſt adminiculum, infrà, Deo faciente, diſſeremus. *D. Th. opuſc.63. cap.3.*

De *diuinæ Maieſtatis adoratione.*

CAPVT XI.

QVi ad conſpectum regis terreni aliquid petiturus, vel ad eum quoquo modo verba facturus ingreditur ; ſtatim atque illum videt, ante ipſum procumbit, & quantam poteſt ei reuerentiam exhibet. Sic fecit Bethſabee,non iam ancilla,ſed regina,& vxor,quæ ingreſſa ad Dauidem inclinauit ſe, & adorauit regem, obtentáque loquendi facultate, regnum Salomoni filio poſtulauit. Sic & mulier altera Thecuitis ad conſpectum eiuſdem regis admiſſa, cecidit coram eo ſuper terram, & adorauit, & dixit: Serua me, rex ; & Abſaloni gratiam patris obtinuit. Et ab orbe condito,ipſa natura dictante, ſeruatum eſt, vt non ſolùm regibus, ſed & quibuſcumque excellentioribus & maioribus minores in ipſo primo congreſſu obſequium reuerentiæ & adorationis offerrent. In hócque obſeruantiæ virtus conſtituta eſt ; vt homines dignitate præcellentes cultu & veneratione dignemur. Si autem cum regibus, & huius mundi principibus, quia ex Deo aliquam ſtillam excellentiæ participant, hæc facimus ; quid cum Deo ipſo ſummo omnium rectore, & totius bonitatis & dignitatis origine faciendum eſt ? quàm humiliter eſt coram eo procumbendum,& quanta eſt ille, quem tremunt poteſtates,reuerentia & veneratione adorādus ? Cùm primùm ergo in orationis exordio Deum aliquo modo ex prædictis tibi præſentem feceris,eúmque oculis mentis aſpexeris, cultum ipſi adorationis exhibebis. *3.Reg.1. 16.* *2. Reg. 14. 4.*

Dei maieſtas in orationis ingreſſu adorāda.

De hac adoratione in primo congreſſu cum Domino, frequens in ſanctis Scripturis mentio facta eſt, vt eam in initio orationis imitari curemus. Paulus ad Hebræos ait:Et cùm iterum introducit primogenitum in orbem terræ,dicit:Et adorent eum omnes Angeli Dei.] Introduxerat eum primò, cùm in initio creationis Filium hominem aliquando futurum Angelis reuelauerat, adorandúmque propoſuerat. Introduxit iterum Vnigenitum iam primogenitum factum, & fratres habentem,vel in aſſumtione carnis, vel in ipſa natiuitate, vel in reſurrectione, quando Angelis vel iam conceptum, vel natum, vel reſuſcitatum oſtendit. Et tunc dixit illis, quod in Deuteronomio, ſecundùm editionem ſeptuaginta Interpretum,ſcriptum eſt : Lætamini cœli ſimul cum eo, & adorent eum omnes Angeli Dei.] Quia videlicet ipſum exordium cognitionis Dei, aut memoriæ eius, adorationem exigit, & ab eo,cui reuelatur, aut præſens proponitur Deus, debitam venerationem extorquet. Magi quoque illi, qui vt primitiæ gentium Chriſtum Saluatorem quæſierunt, eodem cultu adorationis vſi ſunt. Nam inuenerunt puerum, & Mariam matrem eius, & procidentes adorauerunt eum :] inde orationem & oblationem inchoantes, vnde animus ipſe ad attentionem colligitur,& ad feruorem & reuerentiam incitatur. Quin & ipſe Dominus ſecundùm naturam aſſumtam, dum eſſet in horto ab adoratione ſuam orationem incepit. Et cùm proceſſiſſet paululum,ait Marcus, procidit ſuper terram, & orabat,vt ſi fieri poſſet, tranſiret ab eo hora.] Non priùs eſt orationem exorſus, quàm Patrem adoraret, & coram eo ſe proſterneret,vt eius imitatores agnoſcant adorationem eſſe debere omnis orationis exordium. In Apocalypſi etiam legimus, quòd vigintiquattuor ſeniores ceciderunt coram agno, vt odoramenta, id eſt, Sanctorum orationes, offerrent. Eóque ipſis ſanctis ac iuſtis oſtendunt præuia adoratione proprias orationes eſſe offerendas, vt gratæ apud Dominum habeantur. Certè Dauid ingreſſus ſeorſum, ad orandum ſcilicet Dominum, iacuit ſuper terram,vt pro vita filij deprecaretur. Et Iudith proſtrata clamauit ad Dominum, vt populi liberationem impetraret. Et Magdalena retro ſecus pedes Domini ſtetit, vt peccatorum veniam obtineret. Nos verò idem in oratione cupimus, peccatorum ſcilicet *Deuter. 32.* *Matth. 2.11.* *Marci 14.35.* *Apocal. 5.8.* *2. Reg. 12,16.* *Iudith 9. 1.*

indulgentiam accipere, vitam filiæ noſtræ, id eſt, animæ, quæ malè à dæmonio vexatur, efflagitare, proximis noſtris dona conquirere. Ergo ſiue Dei maieſtatem, ſiue noſtram vilitatem, ſiue qualitatem eorum, quæ cupimus, inſpiciamus, neceſſe eſt, vt ab adoratione orationem inchoëmus.

Quãtum valeat hæc humilis adoratio. Eccli.35. 20.

Humilis profectò adoratio Dei quaſi ipſam orationem præueniens, magnum habet momentum, vt res deſideratas impetremus. Quod non incongruè ex illo Eccleſiaſtici elici poteſt: Qui adorat Deum in oblectatione, ſuſcipietur, & deprecatio illius vſque ad nubes propinquabit.] In oblectatione adorare, eſt ex ardenti amoris affectu cultum adorationis exhibere. Qui autem ſic adorauerit, non repelletur, oratio eius non refutabitur; ſed ipſas nubes, immo & ipſos cœlos penetrabit, & ad thronum gratiæ, & diuinæ miſerationis accedet, & animæ orantis vitiorum extirpationem, & virtutum augmentum acquiret. In quam rem (vt mihi quidem videtur) quadrat, quod de duplici cultu Dei, & noſtro, Auguſtinus ſcripſit, vt ſi Deum adoratione coluerimus, ab eo, tamquam à ſollicito agricola, ſua operatione colamur. Eius verba ſunt:

Auguſt. ſerm. 59. de verbis Dom. c. 1.

Colimus enim Deum, & colit nos Deus; ſed non ſic Deum colimus, vt nos eum meliorem faciamus. Colimus enim eum adorando, non arando: ille autem colit nos tamquam agricola agrum. Quòd ergo nos ille colit, meliores nos reddit, quia & agricola agrum colendo facit meliorem, & ipſum fructum in nobis quærit, vt eum colamus. Cultura ipſius eſt in nos, quòd non ceſſat verbo ſuo extirpare ſemina mala de cordibus noſtris, aperire cor noſtrum tamquam aratro ſermonis, plantare ſemina præceptorum, expectare fructum pietatis. Cùm enim iſtam culturam ſic acceperimus in cor noſtrum, vt ipſum bene colamus; non exiſtimus ingrati agricolæ noſtro, ſed fructum reddimus, quo gaudeat. Et fructus noſter non illum ditiorem facit, ſed nos beatiores.] Sic ille. Hunc fructum ex cultu Dei, & adoratione colligimus: quamuis non tam ob emolumentum, quàm ob debitum Deum adorare debeamus. Quis enim non videat viliſſimam creaturam reuerentiæ atque adorationis eſſe debitricem, quando in conſpectu ſui creatoris ingreditur, à quo & quicquid iam habet, accepit; & quicquid poſtmodum boni habitura eſt, ex eius largitate reportabit?

Qua, & qualis illa ſit.

Sed iam dicendum eſt quæ & qualis ſit iſta adoratio, & quomodo ſit in ipſo initio orationis vſurpanda. Adoratio preſſè ſumta (de hac enim nunc loquimur) & ad Deum comparata, eſt cultus Dei, quo eum ſummum Dominum, & vniuerſale rerum pincipium profitemur, & ob hanc cauſſam nos illi ſubiicimus. Eſt autem duplex, vt Damaſcenus ait, ex quo omnis theologica ſchola deſumſit. Damaſcenus ſic ſcribit: Quia ex viſibili ſimul, & inuiſibili, hoc eſt, ex ea natura, quæ intelligentia percipitur, & ex ea, quæ in ſenſum cadit, conſtamus: duplici quoque proinde adorationis genere illum rerum omnium parentem, & architectum afficimus: quemadmodum videlicet & mente & corporis labiis pſallimus, & aqua ſimul ac ſpiritu baptizamur, & duplici modo Domino copulamur, nempe dum ſacramenta & ſpiritus gratiam percipimus.] Adoratio interior eſt, qua homo, vel Angelus Deum ſupremum Dominum, & omnium bonorum fontem agnoſcens, ei ſe voluntate ſubmittit, ipſúmque colit, & veneratur. Ad quam Dauid ſpiritus cœleſtes inuitat, dicens: Adorate eum omnes Angeli eius. Adoratio externa eſt, qua homo

Damaſc. 4. fidei, c. 13.

Pſal. 96. 8.

A ex conſideratione diuinæ maieſtatis, & ſuæ vilitatis coram ipſo Domino ſe exteriùs ſubmittit, genua flectit, caput apetit, aut inclinat, pectus pugno percutit, & corpus humi proſternit. Hac vſa eſt mater filiorum Zebedæi, quæ acceſſit ad Ieſum adorans, & petens aliquid ab eo. Vſus eſt & Abraham, dicens ad Dominum: Loquar ad Dominum meum, cùm ſim puluis, & cinis.] Eſt autem adoratio (vt Thomas Aquinas inquit) actus religionis, ſicut & ipſa oratio. Eſt etiam actio doni timoris; & tunc eſt longè perfectior; quia donum hoc religionis virtuti præſtat, cuius opus ab inſpiratione Spiritus ſancti procedit. Vnde & adoratio non tantùm à timore ſeruili progreditur, quem & peccatores habent, immo & dæmones, qui credunt, & contremiſcunt; ſed multo magis à timore filiali, quo iuſti & beati Deo ſe humillimè ſubmittunt, & eum adoratione proſequuntur. Hæc ergo adoratio tum interna, tum externa illa eſt, de qua dictum eſt à Domino: Venit hora, & nunc eſt, quando veri adoratores adorabunt Patrem in ſpiritu, & veritate.] Adoramus enim in ſpiritu; quia affectu interno, & non tantùm externa demonſtratione nos Deo ſubiicimus; quod faciebant illi, de quibus Dominus apud Iſaiam: Eo quòd appropinquat populus iſte ore ſuo, & labiis ſuis glorificat me; cor autem eius longè eſt à me.] Adoramus in veritate; quia in vera fide coram illo Deo, qui verus eſt Deus, nos proſternimus, & nequaquam venerationi falſi alicuius numinis acquieſcimus.

Matth. 20. 20.

Gen. 18. 27.

D. Th. 2. 2. q. 81. art. 2.

Ioan. 4. 23.

Iſaiæ 29. 13.

C Poſtquam ergo, ô vir Dei, ad locum orationis aduueneris, & in conſpectu Domini ſecundùm aliquem modum ex dictis te conſtitueris, eum interiùs & exteriùs adorabis. Et quia ab adoratione exteriori ſolemus inchoare, eam primùm exponamus. Hæc in hoc conſiſtit: vt coram Domino ſigna externa humilitatis & ſubiectionis exhibeas. Hæc præſtas, ſi ſtatim in ipſo orationis ingreſſu caput aperias, & non magnatem te facias, qui ſolet coram ſuo rege operto capite loqui; ſed detecto capite per totum tempus orationis permaneas, niſi capitis imbecillitas aliter faciendum eſſe ſuadeat. Tunc enim caput in oratione velare, non eſt ſignum irreuerentiæ, ſed neceſſitatis remedium; quod benigniſſimus Dominus ab imbecillo præſumi ingratum non habet. Item hæc ſigna præſtas, ſi ſtatim, genibus complicatis, humillimam ac profundiſſimam reuerentiam Deo facias, vel coram eo te proſternas, vel ipſum pauimentum ore ac fronte contingas, oculóſque in cœlum leuare non audeas; vel alia ſimilia, quæ cordis compunctionem, & ſubiectionem præferant, exercere non deſinas, prout Spiritus ſanctus ſuggeſſerit, ac deuotio dictauerit. Ac tandem ſi toto orationis tempore vnum ex iis, quæ infrà dicemus, habitum corporis teneas, qui creaturam cum ſuo Deo loquentem, & ipſum deprecantem non dedeceant.

Adorationis externæ ſigna.

Infrà 2. par. c. 3.

Adoratio interior in hoc conſtituta eſt, vt Dei maieſtatem, perfectionem, amplitudinem, ac gloriam agnoſcas: ex alia verò parte tuam vilitatem, imperfectionem, nihileitatem, & confuſionem expendas, & propter hæc te tamquam viliſſimum, & verè nihilum diuinæ illi maieſtati ſubiicias, & ex affectu huius ſubiectionis, & dandi cultũ ei, ipſum maiorem, immo & maximum, te autem minimum, & nihil eſſe complaceas: & interiùs ſine ſono vocis eas cogitationes, ſeu ea verba, quæ hanc ſubiectionem indicent, præ magna reuerentia concipias. Adoratio interior eſt illud exordiũ orationis regis Manaſſæ, ſi abſque verbis ſolo corde concipiatur.

Adorationis interna ſigna.

Domine omnipotens, Deus Patrum noſtrorum Abraham,& Iſaac,& Iacob,& ſeminis eorum iuſti, qui feciſti cœlum & terram,cum omni ornatu eorum: qui ligaſti mare verbo præcepti tui:qui concluſiſti abyſſum, & ſignaſti eam terribili & laudabili nomine tuo: quem omnia pauent, & tremunt à vultu virtutis tuæ,quia importabilis eſt,& inſuſtentabilis ira comminationis tuæ ſuper peccatores: immenſa verò, & inueſtigabilis miſericordia promiſſionis tuæ, quoniam tu es Dominus Altiſſimus, benignus, longanimis, & multum miſericors,& pœnitens ſuper malitias hominum.] Item & illud initium orationis Mardochæi: Domine, *Eſth. 13. 9.* Domine Rex omnipotẽs:in ditione enim tua cuncta ſunt poſita,& non eſt, qui poſſit tuæ reſiſtere voluntati, ſi decreueris ſaluare Iſraël. Tu feciſti cœlum & terram,& quicquid cœli ambitu continetur. Dominus omnium es, nec eſt, qui reſiſtat maieſtati tuæ. Cuncta noſti, & ſcis; quia non pro ſuperbia,& contumelia, & aliqua gloriæ cupiditate fecerim hoc,vt non adorarem Amam ſuperbiſſimum (libenter enim pro ſalute Iſraël etiam veſtigia pedum eius deoſculari paratus eſſem,) ſed timui, ne honorem Dei mei transferrem ad hominem; & ne quemquam adorarem, excepto Deo meo.]

Tu itaque ſimiliter poſt conſiderationem diuinæ præſentiæ,orationem tuam ab hoc cultu adorationis incipies. Dicéſque interiùs abſque ſtrepitu vocum ſic,aut aliter, prout tibi placuerit:Domine, lux ſapientiſſima,bonitas ſanctiſſima; poteſtas inſuperabilis, qui vniuerſorum es conditor, conſeruator, & rector: qui es fœlicitas & beatitudo noſtra; à quo & peccatorum veniam, & meritorum gratiam, & præmij gloriam iuſtorũ hîc degentium cœtus ſperat:quem Angeli venerantur, Cherubim admirantur, & Seraphim diligunt,& omnes ſpiritus cœleſtes collaudãt. En ego peccator viliſſimus venio ad te,vt te creatorem meum,ac omnium bonorum fontem agnoſcam: vt de tua infinita perfectione & ſanctitate complaceam, & propter eam me tibi toto corde, & omni conatu ſubiiciam. Te igitur adoro,te veneror,te omni honore,& laude, & magnificentia proſequor, & dignum iudico, vt ab omnibus Angelis, & hominibus, & vniuerſis creaturis magnificeris, & in ſummo pretio habearis. Poſt hanc, vel ſimilem adorationem, ſequatur oblatio, & gratiæ ad meditandum poſtulatio, vt ſtatim dicemus.

Si verò non iam coram Deo in ſua Deitate, ſed coram Domino Ieſu Chriſto te præſentes,ſimilem adorationem facies; vt ſi diceres: Dulciſſime Ieſu Fili Dei viui, gloria Angelorum, redemtor hominum,vera ſalus filiorum Adam, fons omnium meritorum; Rex & caput Eccleſiæ tum triumphantis, tum militantis. En ego vnus de redemtis tuis, quem tuo ſanguine de iugo peccati liberaſti, venio ad te,vt te redemtorem agnoſcam, te liberatorem prædicem,te virtutum magiſtrum,& omnium donorum auctorem magnificem. Te igitur adoro, te veneror,te omni honore,& laude, & magnificentia proſequor,&c.vt ſuprà dictum eſt.Et poſt hanc adorationem ad oblationem & poſtulationem gratiæ procedamus.

De noſtrarum virium & actionum oblatione.

CAPVT XII.

PRÆCEPTVM erat in lege non ſemel latum,ſed ſæpius repetitum: Non apparebis ante cõſpectum Domini vacuus.] Quo quidem, ſecundùm vnum ſenſum, ſuperbia repellitur: nam ſuperbus tamquam vter vento diſtentus,vacuus apparet. Secundùm alium verò,defectus bonarum actionum damnatur:quoniam,vt Gregorius ait:Qui promerẽdæ vitæ mercedem bene agendo non prouidet, in conſpectu Domini vacuus apparet. At ſi litterã explicemus, illud lex iſta iubet, vt qui ad templũ oraturus iret, aliquod ſecum donum deferret, quo Dominum placaret, ſibíque miſericordiam, & cœleſtia dona promeretur. Licèt enim Dominus noſtrorum donorum non indigeat,quia Deus eſt,& nullius eget: tamen nos oblationis donorum egemus, vt ſubiectionem erga eum, ac ſeruitutem profiteamur. Quapropter Dauid ciues ſuos ad templum aduocat,& ſimul ad offerenda munera inuitat. Afferte, inquit, Domino, filij Dei: afferte Domino filios arietum.] Tollite nimirum vobiſcum hoſtias Domino offerendas, ne coram illo vacui appareatis. Et Anna mater Samuelis adduxit filium ſuum ad Dominum, poſtquam ablactauerat eum, in vitulis tribus, & tribus modiis farinæ, & amphora vini: nec iudicauit æquum poſtquam filium tam deſideratum à Domino recepiſſet, ſine munere pro gratiarum actione offerendo, domui Domini appropinquare. Ac Samuel Dauidem clam vncturus in regem, negotium à Deo demandatum oblationis colore contexit. Quare interrogatus, an pacificus eſſet ingreſſus eius,reſpondit:Pacificus. Ad immolandum Domino veni.] Adeò ſolemne erat,vt qui adirent Dominum, munus aliquod offerendum deportarent.

Oratio autem mihi videtur bene explicata, ſi appelletur apparitio corã Domino: nam cùm oramus, à rebus terrenis, quas cogitatione relinquimus, ad cor noſtrum, quaſi ad templum, aſcendimus,vt coram Domino appareamus, & ab eo ſibi placita,& nobis vtilia poſtulemus. Atque adeò neceſſe eſt,vt oblationem nobis prouideamus, quam in ipſo orationis ingreſſu ſummo Principi dedicemus. Vtque omnes intelligant in oratione aliquid Deo eſſe offerendum, ipſa oratio in ſanctis Scripturis hoſtia, & oblatio, ac ſacrificium vocata eſt. Nam præter id, quod Oſeas ait:Reddemus vitulos labiorum noſtrorum.] Et Paulus:Per ipſum offeramus hoſtiam laudis ſemper Deo, id eſt, fructum labiorum confitentium nomini eius.] Et Dauid: Immola Deo ſacrificium laudis.] Et Ioannes:Alius Angelus venit,& ſtetit ante altare,habens thuribulum aureum: & data ſunt illi incenſa multa,vt daret de orationibus Sanctorum omnium ſuper altare aureum, quod eſt ante thronum Dei.] Præter hæc,inquam,ſunt duo loca in Prophetis de ſacrificio nouæ legis loquentia, quæ Euſebius Cæſarienſis de oratione intellexit. Malachias namque ait:In omni loco ſacrificatur,& offertur nomini meo oblatio munda.] Quis neget Malachiam de incruento Euchariſtiæ ſacrificio fuiſſe loquutum? At dictus Pater orationis etiam oblationem ibi cognouit. Quòd enim, inquit, in omni loco dicit incenſum & ſacrificium offerri Deo,quid aliud ſignificat,niſi non Hieroſolymis, neque definitè in hoc,aut in illo loco id futurum,ſed in omni regione, & in omnibus gentibus: quæ quidem orationis incenſum,& ſacrificium,quod mundum dictum eſt, non per cruores, ſed per pias actiones ſummo Deo eſſent oblaturæ. Iſaias verò ſic vaticinatus eſt: Et

Eccli. 35. 6. Exod. 23. 15. Deuter. 16. 16.

Greg. 7. moral. c. 13.

Pſal. 28. 1.

1. Reg. 1. 24.

1. Reg. 16. 5.

Oratio quàm optimè apparitio dicatur. Hoſtia eſt, & ſacrificium.

Oſea 14. 3. Hebr. 13. 15. Pſal. 49. 14. Apocal. 8. 3.

Euſ. lib. 1. demõſt. euan. c. 6. Malach. 1. 11.

Iſaiæ 19. 21.

cogno

cognoſcent Ægyptij Dominũ in die illa, & colent eum in hoſtiis, & in muneribus; & vota vouebunt Domino, & ſoluent.] Inſpice ſi non hodie, inquit Euſebius, hoc eſt, noſtris interim ipſorum temporibus, ipſis oculis cernuntur non ſolùm Ægyptij, verùm etiam omne genus hominum à multorum deorum ac dæmonum impio cultu liberatum, & verum Prophetarum Deum inuocans, & adorans.] Si verò oratio eſt oblatio ac ſacrificium, aliquid Deo offerat neceſſe eſt. Quia ſicut donatio non eſt abſque re donata, nec venditio abſque re vendita: ita oblatio abſque re oblata eſſe non poterit.

Euſeb.

Aliquid Deo ante orationẽ offerendũm.

Tertium ergo, quod in oratione es facturus, in hoc poſitum eſt, vt Deo aliqua dona offeras. Itaque poſtquam per conſiderationem diuinæ præſentiæ coram Deo apparuiſti; poſtquam illum adoraſti, & magna reuerentia es proſequutus (nam adoratio quoddam eſt reuerentiæ genus) ſequitur, vt aliquid de rebus tuis offerre non prætermittas. Sic fecerunt Magi. Primùm, Dominum quæſierunt, & inuento loco eius, corã ipſo apparuerunt. Secundò, procidentes adorauerunt eum. Ac tandem, apertis theſauris, obtulerum ei munera, aurum, thus, & myrrham. Vade tu ad orationem, & fac ſimiliter. Quid vis in oratione percipere? An peccatorum remiſſionem? Sed eam, ſi Deum oblatione præuenias, faciliùs conſequéris. Nam propterea Eccleſiaſticus ait: Da, & accipe, & iuſtifica animam tuam.] Si, inquã, dona Deo, grata ei, obtuleris; iuſtitiam, & peccatorum remiſſionem accipies. Quid fecit Iacob, qui fratrem natu maiorem, cui appropinquabat, habebat infenſum? Placabo illum muneribus, dixit, quæ præcedunt; & poſtea videbo illum: forſitan propitiabitur mihi.] Salutare illius exemplum ſequere, & Dominum oblatis muneribus, vt tibi parcat, placare contende. Quid amplius cupis impetrare? An tentationum victoriam, & theſauros omnium virtutum? Sed ad hoc oblatio admodum iuuat. Sententia namque eſt Salomonis: Victoriam & honorem acquiret, qui dat munera: animam autem aufert accipientium.] Exordire intelligentiam ab hoc poſtremo. Si muneribus Domini voluntatem abſtuleris, & ad miſericordiam inclinaueris, quid magnum ſi auxilium ad victoriam de tuis aduerſariis reportandam, & ad virtutum honorem poſſidendum acquiras? Si cura eſt tibi de gratiis agendis; vide, quia optimum gratiarum actionis genus eſt, aliquid Deo de iis, quæ accepiſti, referre; ſecundùm illud Dauidis: Tua ſunt omnia; & quæ de manu tua accepimus, reddimus tibi.] Et rurſus: Ego in ſimplicitate cordis meis lætus obtuli vniuerſa hæc: & populum tuum, qui hîc repertus eſt, vidi cum ingenti gaudio tibi offerre donaria.] Licèt autem hæc non intercederent, at ſicut propter infinitã maieſtatem atque excellentiam ſuam Deus eſt adorandus: ita propter eamdem ſunt ei munera deferenda. Regina Saba Salomonem omnium regum tunc ſapientiſſimum & potentiſſimum allocutura, ingreſſa eſt Ieruſalem multo cum comitatu, & diuitiis, camelis portantibus aromata, & aurum infinitum nimis. Sed ecce pluſquam Salomon hic, quem tu es deprecaturus. Æquum eſt ergo, vt in tantæ maieſtatis adorationem & venerationem aliquid inueniat, & portet manus tua, quod illi offeras.

Matth.2. 12.

Eccli.14. 16.

Gen.32. 20.

Prou.22. 9.

1. Paralip. 29. 14.& 17.

3.Reg.10. 1.

Quid Deo vouendum.

At, quid illi, inquis, ſum oblaturus? Aurum, argentum, & lapides pretioſos, & aromata non habeo, quia pauper ſum. Vitulos, & agnos, & hædos non poſſideo. Et ſi poſſiderem, iam ipſe hæc antiqua ſacrificia non accipit. Quid igitur offeram? Habes, quantumuis pauper ſis, aliquid pretioſius, ac ſublimius, quod poſſis offerre. Nam interiora exterioribus præſtant. Habes autem multa interiora, & adhuc alia multa habere potes, ex quibus tua donaria conficias. Quid tam ſacerdotale, inquit Leo Papa, quàm vouere Domino conſcientiã puram, & immaculatas pietatis hoſtias de altari cordis offerre?] Itaque conſcientia pura, & immaculatæ virtutum hoſtiæ Deo placitæ erunt, pro quibus, & de peccatis veniam, & donorum copiam impetremus.

Leo ſer.3. de Aſſumtione ſua.

Non habeo, ais, conſcientiam puram, quia immundus ſum. Non habeo immaculatas bonorum operum hoſtias: immo vniuerſæ iuſtitiæ meæ tamquam pannus menſtruatæ. Audi ergo Bernardum, & ex eo aliud donum intelliges, quod abſque dubio habes. Sed quid, fratres (inquit) nos offerimus, aut quid retribuimus illi, pro omnibus, quæ retribuit nobis? Ille pro nobis obtulit hoſtiam pretioſiorem, quam habuit, nimirum, qua pretioſior eſſe non potuit. Et nos ergo faciamus, quod poſſumus; optimum, quod habemus, offerentes illi, quod ſumus vtique noſmetipſi. Ille ſeipſum obtulit; tu quis es, qui teipſum offerre cunctèris? Quis mihi tribuat, vt oblationem meam dignetur maieſtas tanta ſuſcipere? Duo minuta habeo Domine, corpus, & animam dico: vtinam hæc tibi perfectè poſſim in ſacrificium laudis offerre. Bonum enim mihi, longéque glorioſius atque vtilius eſt, vt tibi magis offerar, quàm deferar mihiipſi. Nam ad meipſum anima mea conturbatur: in te verò exultabit ſpiritus meus, ſi tibi veraciter offeratur. Fratres, morituro Domino Iudæus mortuas hoſtias offerebat: ſed iam nunc, Viuo ego, dicit Dominus: nolo mortem peccatoris, ſed magis vt conuertatur, & viuat. Non vult Dominus mortem meam; & non libenter offeram illi vitam meam? Hæc eſt enim hoſtia placabilis, Deo placens hoſtia, hoſtia viua.] Eſt igitur optimum donum, ſi Deo corpus & animam offeras, & illi te totum committas.

Bern.ſer. 3. de Purificat.

Adhuc (vt coniector) inſtas. Quia facile eſſet, inquis, corpus & animam offerre, ſi corpus eſſet debita caſtigatione mundatum, & anima virtutum donis affecta. At quis Domino corpus offerat, quod mille impuritates, & mille motus ſaltem immodeſtiæ maculant: & animam, quam tot vanæ cogitationes, & profana deſideria fœdant? Nemo ſe Domino offert, & ſe illi conſpiciendum præbet, niſi ſe gratum appariturum ſperet. Vnde Ambroſius inquit: Nemo dicit, vide; niſi, qui iudicat ſe, ſi videatur, eſſe placiturum. Et pulchrè dixit, vide: ſecundùm legẽ dixit: quia lex præcepit, vt vnuſquiſque ter in anno ſe offerat in conſpectu Domini. Quottidie ſanctus ſe offert; quottidie apparet, & non vacuus apparet. Non eſt enim vacuus, qui de plenitudine eius accepit. Non erat vacuus Dauid, qui ait: Repletum eſt gaudio os noſtrum, quia gaudium fructus Spiritus eſt ſancti. Et ſicut de plenitudine verbi nos omnes accepimus, quẽadmodum dixit Ioannes: ita etiam Spiritus ſanctus de plenitudine ſua repleuit orbem terrarum. Non erat vacuus Zacharias, qui repletus eſt Spiritu ſancto, & prophetauit aduentũ Domini Ieſu. Non erat Paulus vacuus, qui euangelizabat in abundantia, & repletus erat, accipiens odorem bonæ ſuauitatis ab Epheſiis placentem Deo hoſtiam. Non erant Corinthij, in quibus abundabat Dei gratia, iuxta eiuſdem Apoſtoli teſtimoniũ. Offerebat ergo ſe Dauid quottidie Deo, & non vacuus offerebat, qui poterat dicere: Os meum aperui, & adduxi ſpiritum.]

Ambroſ. ad Pſal. 118.ſer. 20.ver.7.

Hactenus ille. Si igitur ego vacuus ſum; ſi corpus puritate vacuum induo: ſi animam virtute vacuam geſto; qua fronte corpus & animam meam offerre audebo?

Ne, ô homo, quantumuis impurus ſis, te Deo offerre & dicare formides. Nam ſicut illi placitum erat, quòd cæci, & ſurdi, & claudi, & paralyſi reſoluti, & aliis ægritudinibus impediti, ſe illi præſentarent, vt eos à malis liberaret: ita nunc gratum eſt illi, vt te immundum & imperfectum ipſi offeras, vt ſuam bonitatem & miſericordiam exercens, te perficiat, & mundet. Poſtquam ergo illum, vt ſuprà dictum eſt, adoraueris, duobus modis poteris ei temetipſum offerre. Primò, ſi animam memoria, intellectu, & voluntate conſtantem, ac corpus illi offeras in hunc modum: Et nunc, Domine, ex amore tuo, ac ex deſiderio tibi ſeruiendi, en offero tibi, & conſecro animam meam, vt eam tua gratia perficias, ac in ea ſi non tamquam in templo gloriæ tuæ; at tamquam in tuguriolo tuarum miſerationum habites. Offero tibi memoriam meam, vt eam ſanctis cogitationibus imbuas: intellectum meum; vt eum luce veritatis repleas: & voluntatem meam; vt illam omnium virtutum, ſed præcipuè charitatis, affectu perficias. Offero tandem tibi corpus meum, vt aptum animæ inſtrumentum ad virtutum actiones illud facias, ac de illo in tempore & æternitate diſponas. Secũdò, huic muneri oblationis ſatisfacies, ſi cogitationes, deſideria, verba, & opera Domino dicare conſtituas, in hunc modũ: Et nunc, Domine, en offero tibi ex eodem amore, ac deſiderio, cogitationes meas, vt te ſolum, & alia ſecundùm te, & propter te, ac in te cogitent. Deſideria mea; vt te ſolum ſitiant, aut ſi quid aliud deſiderandum ſit, ſecundùm te, propter te, & in te deſiderent. Verba mea, vt te, & quæ tibi fuerint placita, ſonent. Opera mea, vt ſecundùm legem tuam, & veram virtutem facta, tibi accepta & grata exiſtant. Ne deſpicias, quæſo, nec vultum auertas ab humillima oblatione vilitatis meæ tu, qui benignus & miſericors es, & duo æra minuta viduæ non reſpuiſti, quia nihil aliud habeo, quod tibi offeram, nihílque, quod mihi relinquam.

Quicquid Deo offerimus probat ille.

Ne te pudeat, ô iuſte, hæc tam vilia & abiecta ſummo Deo offerre: nam & ille, qui ſummus eſt, & immenſæ maieſtatis, etiam amator eſt ardentiſſimus. Amator autem nihil, quantumuis partum, deſpicit, ſi ab eo, quem amat, offeratur. Gregorius ſanè Nazianzenus hoc vberrimè, vt ſolet, hac pæne oratione confirmat: Nihil earum rerum, quæ Deo offeruntur, tam paruum eſt, quamuis etiam minimi momenti ſit, quamuis longè illius dignitate inferius, quod non omnino accipiat, atque comprobet, tametſi iuſto iudicio miſericordiã æſtimare & expendere norit. Accipit ille Pauli plantationem, vt Apollinis irrigationem, & viduæ duo minuta, & publicani humilitatem, & Manaſſis confeſſionem. Cùm Moſes olim tabernaculum illud cœleſti tabernaculo figura reſpondens in terra figeret; omnes, quod cùique denunciatum fuerat, conferebant, Quin etiam ſuapte ſponte alij aurum, alij argentũ, alij gemmas pretioſas ad ſuperhumeralis ornatum ferebant. Mulieres partim byſſum contortam, partim coccinum contextum; partim purpuram, partim arietum pelles rubro colore tinctas; partim caprarum pilos, rem viliſſimam. Alij, vt quiſque fortaſſe aliquid habebat, ad opus tabernaculi afferebant, ſed omnes tamen afferebant, nec quiſquam erat ab hac collatione immunis, ne pauperrimi quidem. Conſimilem nos quoque in modũ excellenti huius Eccleſiæ tabernaculo, quod non ab homine, ſed à Deo fixum eſt; quod variis virtutũ ornamentis conſtruitur; alius minus quiddam, alius maius, omnes tamen citra exceptionem offeramus in opus perfectum, in domicilium Chriſti, in templum ſanctum architectonica ſpiritus arte conſtructum, & coagmentatum. Illud quidem minimè dubium eſt, quin etiamſi omnia contulerimus, minus tamen collaturi ſimus, quàm accepimus. Quandoquidem diuini beneficij eſt, quòd ſumus, quòd Deum cognoſcimus, quódque etiam, quod offeramus, habemus. Atque illud pulcherrimum humaniſſimúmque cenſendũ eſt, quòd Deus munificentiam non oblatæ rei pretio, & dignitate, ſed offerentis affectu, & facultate metitur. Proinde noli benignitati liberalitatíq; tuæ moras producere, ſed iam liberalis eſto. Nec quia ſatis dignũ munus offerre non potes, idcirco officium omnino deſere.] Sic ille. Tametſi ergo vilia ſunt, quæ offers, noli ob eorum contemptibilitatem ab hac oblatione ceſſare; quin potiùs quod deeſt rei pretio, ſuppleat affectus. Offer te, ac tua Deo in hoc orationis ingreſſu ex ardenti amoris affectu; & abſque dubio munus tuũ hilari vultu ſuſcipiet. Cùm enim Deus ſit, & nullius egeat, non tam quantum offeratur penſat, quàm ex quanto affectu donum procedat, ipſe conſiderat. Ad hunc ergo modum, quem diximus, poſt adorationem diuinæ maieſtatis debet fieri noſtræ paupertatis oblatio.

Nazian. orat. ad Iulian. exaquatorẽ tributorũ.

De Gratiæ ad orandum poſtulatione.

CAPVT XIII.

RATIO eſt donum Dei, quam non ſolis viribus noſtris acquirimus, ſed Dei munere poſſidemus. Quamobrem ab illo petenda eſt, qui ſolus nouit, & poteſt nos veros oratores facere, & in nos orationis donum immittere. Eccleſia mater noſtra ita quidem cenſet, quæ ſemper orationem ſuam non ab alio, quàm ab altera oratione incipit. Horas namque Canonicas ſolutura ſe in præſentia amabilis ſponſi conſtituit: deinde humili diſpoſitione, ſeu habitudine corporum quaſi illum adorat, & ſtatim ſic inchoat: Deus in adiutorium meum intende: Domine ad adiuuandum me feſtina.] Ad quid in exordio orationis auxilium petit? Ad orandum. Ad quid feſtinationem huius auxilij requirit? Ad purè deprecandum. Ne ſcilicet initium orationis, & laudis diuinæ, quæ iam inſtat, aliqua irreuerentia, aut inani cogitatione polluatur. Ergo Eccleſia principium orationis aliam orationem facit: & ad orationem armis orationis alterius ſe munit. Sententia eſt Salomonis: Aurem audientem, & oculum videntem Dominus fecit vtrumque.] Qua ſignificauit Dominum non tantùm eſſe auctorem iſtarum virium; verùm & recti ac vtilis vſus earum. Rectè proinde ab eo poſtulabimus, vt oculum mentis in oratione ad res diuinas contemplandas aperiat; & aures ad ſuas inſpirationes admittẽdas patefaciat. Apoſtoli dixerunt: Domine, doce nos orare. Idem dicendum, ac poſtulandum eſt nobis, vt ab eo orare doceamur. In Paulóque legimus: Nam quid oremus, ſicut oportet, neſcimus. Orandus eſt igitur ſpiritus Dei, vt hanc noſtram ignorantiam tollat, & de modo orandi, ac de rebus poſtulandis nos inſtruat.

Pſal. 69. 1.

Prou. 20. 12.

Rom. 8. 26.

Orationis ſanè fructum à Domino prouenire certum eſt. Niſi enim ipſe lucem immittat ad diui-

na colluſtranda, non videbimus: niſi voluntatem ad amorem boni, & odium mali iuuet, non afficiemur: niſi gratiam ad operandum tribuat, ſecundùm id, quod in oratione conſtituimus, non operabimur. Quare per Amos ait: Et plui ſuper vnam ciuitatem, & ſuper alteram ciuitatem non plui: pars vna compluta eſt; & pars, ſuper quam non plui, aruit.] O homo, anima tua ciuitas Dei eſt: & anima ſimiliter fratris tui eodem inſignitur ciuitatis Dei nomine. Si illam complutam, & fructum ferentem vides, & tuam ſterilem, & aridam, & abſque humore gratiæ conſpicis; ſcito quia Dominus eſt, qui illam in oratione gratiæ ſuæ pluuia rigauit; tuam verò, exigentibus peccatis tuis, abſque huiuſmodi beneficio reliquit. Vt quid ergo ſilebis? Vt quid in ipſo orationis initio non clamabis, vt te Dominus pluuiæ Pater, & guttarum roris genitor, te pluuia bonarum cogitationum, & ſanctarum affectionum inebriet? Vide huius petitionis fructum, qua gratiam ad orandum poſtulas, in Salomone adumbratum. Cúmque compleſſet Salomõ fundens preces, ignis deſcendit de cœlo, & deuorauit holocauſta, & victimas, & maieſtas Domini impleuit domum. Hic deſcenſus ignis, atque holocauſtorum, & victimarũ concrematio, ſigna fuerunt, quòd Salomon eſt exauditus. Funde preces, vt orare docearis, & vt in oratione poſitus à Domino exaudiaris. Ipſe autem, qui nihil aliud expectat, niſi oratione pulſari, ignem feruoris deſcendere facit, quo oratio ſicut incenſum aſcendat, quo quicquid in te vitioſum eſt comburatur, & aliter ab oratione, quàm ingreſſus es, exeas. Ingreſſus es tepidus, aut etiam frigidus, & ex tuis miſeriis deſolatus, exibis feruidus, & omnino mutatus, & ex ſpe diuinarum miſerationum conſolatione perfuſus.

Amos 4. 7.

2. Paral. 7.1.

Nunc rogas, quo pacto hæc petitio gratiæ ad orandum fundenda ſit? Poteris ſic orare cum Dauide: Appropinquet deprecatio mea in conſpectu tuo, Domine: iuxta eloquium tuum da mihi intellectum.] Intret poſtulatio mea in conſpectu tuo: ſecundùm eloquium tuum eripe me. Eructabunt labia mea hymnum; cùm docueris me iuſtificationes tuas.] Ad orandum neceſſarium eſt tibi aurum ſapientiæ, qua diuina inueſtiges; & corona gratiæ, qua exorneris, & propitiatorij cordis quieti, in quo exaudiaris. Sed dicat tibi Richardus Victorinus vbi hæc inuenire poſſis, & quomodo ea poſtulabis. Sed me miſerũ, inquit, vnde mihi aurum in deaurationem, coronã, & propitiatorium? Argentum & aurum non eſt mihi: & vnde, vel quomodo poſſunt hæc fieri? Qua arte, quæſo, aurum mihi comparo? Fodere non valeo, mendicare erubeſco. Scio quid faciam. Vadam ad Patrem meum, Patrem miſericordiarum, à quo omne datum optimum, & omne donum perfectum, eo quòd ſit dives in omnes, qui dat omnibus affluenter, & non improperat. Effundo itaque in conſpectu eius orationem meam, & paupertatem meam ante ipſum pronuncio, & auri inopiam; & dicam ei: Domine, tu ſcis inſipientiam meam; & ſubſtantia mea tamquam nihilum ante te. Da mihi intellectum, Domine, & aurum habeo, & dives ſum. Cuſtodi animam meam, quoniam infirmus ſum, & quale concupiſco, habeo propitiatorium.] Hæc ille.

Pſal. 118. 169. Quomodo gratia ad orandum poſtulanda.

Richard. lib. 3. de cõtempl. c. 5. Ex Richardo.

Vel poteris ſic ad orandum gratiam petere cum Guillielmo Pariſienſi. Deus gloriæ, & Pater miſericordiarum, audeóne apparere in cõſpectu ſanctæ ac venerãdæ tremendæque ſemper maieſtatis tuæ? Aut poſſunt ferre oculi ſancti tui horrificas abominationes, & mortificas fœditates meas, abyſſos immunditiarum mearum, &, quod eſt deterius, immenſitatem ingratitudinum mearum damnabiliſſimam, & immenſitatem iniquitatum, & iniuſtitiarum mearum nequiſſimam? Speciosa namque eſt Babylon illa terrifica cõparatione monſtruoſitatis meæ: pulcherrimus infernus comparatione deformationis, peruerſitatis, & inordinationis meæ. Mundiſſima eſt cloaca omnis comparatione fæculentiæ meæ, ſordiúmque vitiorum, ac peccatorum, quibus immerſus ac ſepultus ſum. Sed ſi reſpicere dedignaris, quid faciam? Quò fugiam? cùm præter te non ſit refugium peccatoribus. Qualiter audiam, qui etiam audiri indigniſſimus ſum? Cuius aſpectum omnes ſancti ac mundi oculi perhorreſcunt: cuius fœtorem, & ſordes, omnes puræ & incorruptæ nares refugiunt, ſéque ab eis cum abominatione & indignatione auertunt. Sed & ſi dignaris, qua fronte, qua audacia, qua temeritate præſumam aliquid petere à te, cuius iram immenſis & innumerabilibus malis meis toties, & tamdiu horribiliter, támque multipliciter prouocare nõ expaui? Noſti, Domine, qui nihil ignoras, quem nihil latere poteſt, quia nec cogitare, neque loqui quicquã, quod tibi placere debeat, coram te valeo, niſi præueneris me in benedictionibus dulcedinis tuæ. Da, Domine miſericordiæ, mihi miſerrimo peccatori viliſſimo, mihi omni bono indigniſſimo, omni damnatione & morte digniſſimo, orationis tibi acceptæ exordium.]

Ex Guillielme. Guillielmus Rhetor. diuin. c. 5.

Vel cum eodem ſequente conſilium Baſilij, qui à gratiarum actione ait in oratione exordiendum, ſic poteris à commemoratione diuinorum beneficiorum incipere; & poſtmodum aliquibus verbis auxilium ad orandum poſtulare: Deus gloriæ, & Domine miſericordiæ, vnus, ſolus, & verus Deus, & Dominus omnium ſęculorũ, tua ſunt, & tibi debentur omnia, honor, & gloria, omnis collaudatio, & magnificatio, gratiarum actio, & benedictio, quia opus tuum, donum tuum, beneficium tuum, & omne bonũ quodcumque, quantumcumque, & qualecumque ipſum ſit. Et nos, Domine, non ſumus, niſi fabricationis tuæ facturæ mirabiles, à te vnico creatore, auctore, & fabricatore, ex ſolis donis, beneficiis, & operibus tuis; à te vno ſolo Deo vero & vno mirabiliter conditæ, & conſtructæ. A te quòd viuo, quòd ſentio, quòd intelligo. A te accepi animam, & corpus, & omnia bona, quæ in anima mea ſunt. A te accepi pietatis tuæ dona, ſingulariter corporis mei mẽbra, ſingulorum membrorum partes, quorum tu ſolus, & numerum, & compoſitiones, & colligationes, viréſque omnium noſti. Sic & vires ipſius animæ naturales, & nec vllus pilus eſt in toto corpore meo, cuius tu ſolus non ſis fabricator, & dator, & auctor. Accepi & gratiã, qua Chriſtianum me eſſe voluiſti, atque feciſti. Accepi & ſanctificationẽ baptiſmalem cum tota numeroſitate virtutum, & donorum tuorum, quæ neceſſarię ſunt vnicuique ad rectè viuendum, tibíque placitè ſeruiendum, & ad promerendum æternæ fœlicitatis gloriam, propter quam, & ad quam nos creaſti, & bona hæc omnia nobis tribuiſti. Scio, te (Domine) illuminante, atque reuelante, quàm magna ſint bona temporalia, quæ à te accepi, & quia non de meritis meis, ſed de prælarga bonitate tua illa accépi. Scio incomparabiliter præſtantiora eſſe bona gratię, quę deſuper abũdãtiſſima miſericordia tua mihi ſuper hæc appoſita ſunt. Scio bona gloriæ, ad quã me creaſti, & donis tuis naturalibus ſic inſtituiſti, & deinde donis tuis gratuitis, quæ ſunt virtutes, & gratiæ, quibus in ſacramento Baptiſmi

Idem vbi ſup. c. 4.

me informasti, & ad illa præparasti, etiam incogitabiliter nobiliora atque sublimiora esse aliis quibusque. Pro his omnibus, vt possum, atque vt permittunt tenebrositas, ariditas, & frigiditas, omnimodáque paupertas cordis mei, quantum tu das, & quas das de multitudine misericordiæ tuæ, gratias ago tibi, benedico te, collaudo, magnifico, atque glorifico.]

Breuis modus postulãdi gratiam ad orandum.

Si hæc longiora visa fuerint, ostendam tibi viam aliam breuiorem, qua hanc orationem præparatoriam fundas. Iam (vt suppono) ad modum dictum, præsentiam diuinam considerasti: iam infinitam maiestatem præsentem adorasti: iam ei te & tua ex plenitudine cordis obtulisti. Statim ergo veniam quottidianorum defectuum humiliter petes; præsertim si aliquem alicuius momenti commisisti: quod viro spirituali in initio orationis è vestigio se ingerit, & cor tenerum, & desiderio sanctitatis plenum non leuiter pungit. Deinde gratiam ad bene cogitandum, & sanctè te afficiendum, & rectè ac humiliter loquendum postulabis. Demum pro gratia ad affectum, aut finem orationis, quem desideras, eliciendum preces fundes. Taliter itaque interiùs, & sine strepitu vocum orabis, qualiter hæc verba, quæ subiiciam, aut alia similia demonstrant. Ad orandum igitur, & tua mysteria, vel opera meditanda, Domine Deus, huc venio. Oro te per immensas miserationes tuas, ignosce mihi multiplices defectus meos, præcipuè hanc, vel illam culpam, quam ingratissimus & vilissimus peccator admisi; quam ex toto corde execror, & detestor, & ab ea deinceps cauere statuo. Precor insuper ex totis præcordiis meis, vt in hac hora inanes cogitationes dissipes, cor meum tranquillitate repleas, intellectum illumines, voluntatem inflammes, spiritum robores, & corpusculo meo vires præbeas, vt possim purè & sanctè orationi & meditationi vacare. Ac tandem oro, Domine, vt ita sapientia tua meas cogitationes dirigas, vt ipsæ me ad dolorem peccatorum, vel ad studium humilitatis, vel ad amorem ardentissimum tui (vel ad aliud, quod cupis) accendant, & in desiderio omnis sanctitatis inflamment.

Cùm tibi placuerit, poteris etiam diuinas Personas seorsum inuocare. Vt si ab æterno Patre postules, vt memoriam tuam aptis ad meditandum cogitationibus impleat. A Filio, vt intellectum luce fidei & sapientiæ perfundat. Ab Spiritu sancto, vt affectus tuos ad finem in oratione desideratum moueat. Sic etiam vtile est beatissimam Virginem inuocare, & Angelum custodẽ, & Sanctos aliquos, eos præcipuè, quos patronos elegisti, in adiutores accersere, & te quasi inter illos positum ad orandum aspicere. Quæ in modum orationis non efformamus, quoniam intentionis nostræ non est verba orationis vocalis componere; sed viam mentaliter orantibus ad orandum aperire.

Summa præludiorum Orationis mentalis.

CAPVT XIV.

EC ce, ô vir Dei, orationis mentalis præambula, quibus optimè ad eam cum fructu habendam paraberis: quia verò non vt legantur, sed vt opere compleantur, scripta sunt, memoriæ succurrendæ gratia, in hoc postremo huius tractationis capite, breuiter volui perstringere. Sunt ergo tredecim huius orationis præludia; quorum sex priora virum spiritualem ad orationem quasi à longè disponunt: tria sequẽtia proximè, aut paulo ante orationem ad eam præparant: quattuor postrema in ipso initio meditationis exercentur; & sunt quasi mentalis huius orationis exordia. Præludiorum remotorum, siue à longè petitorum, primum est, vt sanctam & laudabilem conuersationem arripias; sícque viuas ab omni graui peccato alienus, & omnis peccati leuis inimicus factus, vt cum Deo familiariter agere & conuersari merearis. Secundum, vt occupationes profanas, & negotia sæcularia, à tuóque statu aliena fugias, & ea, quæ tibi congruunt, & secundùm virtutem sunt, ex rectitudine intentionis admittas. Tertium; vt vana desideria, & inanes cogitationes elimines, & nihil nisi Deum, & quæ ad Deum tendunt, desideres, nihílque agites (quantum fieri possit) quod non status poscat, aut ipse orationis vsus requirat. Quo enim magis te ab inanibus desideriis, & superfluis cogitationibus abstraxeris, eo ad orationem aptior existes. Quartum; vt Magistrum spiritualem quæras, virum non solùm litteris optimè instructum, verùm etiam in spiritualibus rebus maximè expertum, à quo de oratione, & reliquis ad mores pertinentibus docearis, & cui te per omnia submittas. Quintum; vt finem rectum, & debitum tibi in oratione præfigas: & in ea non inanem laudem (quod plusquam puerile esset) non aliquam consolationem, aut voluptatem; non exercitium ex consuetudine assumtum, sed tui abnegationem, morum emendationem, legis diuinæ, & eorum, quæ ad tuum statum pertinent, executionem, ac omnem perfectionem, & vitæ puritatem inquiras. Sextum; vt desiderium magnum orationis, ac diuinæ communicationis concipias, quod te à rebus terrenis abstrahat, & ad Deum in secreto quærendum impellat.

Tredecim ad orationem præludia.

Præludia remota.

Præludiorum ad orationem proximorum primum est, vt cor viuidum, erectum, feruidum, sollicitum, ardénsque ad orationem efferas, & omnem somnolentiam, ignauiam, socordiam, & negligentiam longè à te proiicias. Secundum; vt quæ meditaturus es, solerter legas, vt, quod sapienter consideres, habeas. Namque optimè dixit Guillielmus Parisiensis Episcopus: Lectio & oratio adeò sibi inuicem connexa sunt, vt lectio orationem impinguet, & lectionem oratio illuminet. Quapropter arida, & modicæ, vel nullius refectionis est oratio, quam lectio non impinguat; & parum luminosa lectio, quam oratio non illustrat.] Tertium; vt affectum præuenias, aut modum animaduertas, quo illum ex punctis meditationis elicias.

Guilliel. Rhetorica diui. c...

Præludia verò ad ipsum initium orationis pertinentia sunt. Primum; vt diuinam præsentiam actuali cogitatione præuenias, seu te coram summo Deo creatore, & iudice, ac Patre tuo astare consideres. Secundum; vt diuinam maiestatem præsentem interiùs, & exteriùs adores. Tertium; vt illi corpus, & animam; aut cogitationes, desideria, sermones, & opera promtissima mente offeras. Quartum; vt humili corde gratiam ad fructuosè meditandum postulare non desinas.

Proxima ad orationem præludia.

Et hæc quattuor breuiter præstanda sunt, vt meditationi, affectibus, ac petitionibus & feruidis colloquiis tempus relinquant.

***

ORATIO.

DOmine Deus meus, & virtus salutis meæ, qui ministros tuos idoneos ad munus illis demandatum facis, & largissimè ac benignissimè dona ad illud exequendum impertis: respice nos, quæsumus, ad studium orationis vocatos, & quicquid ad rectè orandum, & dignè tecum conuersandum necessarium, aut conducibile est, misericorditer elargire. Munda ab omni peccato, & ab imperfectionibus vitam nostram: purifica ab omnibus vanis sollicitudinibus sæculi occupationes nostras: cohibe ab iis, quæ tuæ gloriæ & beneplacito contraria sunt, cogitationes & desideria nostra, vt humana mens ad excipiendas cœlestes illustrationes, & sanctos virtutum, sed præcipuè tui amoris, affectus apta fiat. Doce nos orare hominis à te electi ministerio, vt humiliemur: præfige nobis in exercitatione orationis finem optimum tibi placendi, & perfectionem assequendi, ne erremus. Accende ardentissimum tui desiderium, ne vmquam à feruore orandi cessemus. Et tandem da cor erectum, & viuidum, vt ad lectionem, & tuorum operum & mysteriorum considerationem accedamus. Calamum, ô Domine, linguæ intentionis attempera, & vas nostri cordis expurga; vt illud ad te clamet; & istud eius, quod ad clamores nostros ex misericordia tua dederis, capax fiat. Amen.

PARS SECVNDA

De comitibus Orationis mentalis.

INTRODVCTIO.

COMITES Orationis mentalis hæc tractatio comprehendet, quos scilicet nouimus hanc sanctam virtutem vndiquaque circumdare. Cùm enim ipsa sit quasi vniuersarum virtutum mater, quæ eas gignit, & nutrit, & vsque ad perfectionem prouehit; & planè, vt illustris quædam domina, atque regina, non solùm habet satellites eam præeuntes, sed etiam ancillas pulcherrimas eius latus ex vtraque parte cingentes, vt illam tamquam principem clarissimam in medio contineant. Regem aliquò profecturum aliqui serui præcedunt, qui domum hospitij præparent, & supellectili regij apparatus exornent: ipse verò postea, non solus, sed magnatibus, & aliis aulicis, comitatus venit. Ita & reginam hanc, orationem dico, ea, quæ suprà memorata sunt, quasi hospitij comparandi gratia præmissa, remotiùs, aut propinquiùs antecedunt: quæ verò nunc dicemus, in opere ipso orationis, aut circa illud inueniuntur, vt meritò nobilibus regem cingentibus comparentur. Horum autem quædam in tractatione orationis vocalis tacta sunt, vt locus, tempus, & alia, sed habent multa specialia, prout orationem mentalem iuuant; quare necesse est illa iterum ad sermonem adducere. Sed hoc ita fiet, vt nihil omnino ex suprà dictis repetatur, sed si quid nouum fuerit, & numquam antea à nobis dictum, id solummodo explicetur.

Primus comes Orationis mentalis, Locus aptus.

CAPVT I.

LOcvs aptus ad mentaliter orandum, tum ex parte ipsius orationis mentalis, tum ex parte virorum spiritualium in ea exercitatorum, est omnis locus: nec ob aliquam rem, quæ in ipso insit, ab hoc opere debet excludi. Mentalis quidem oratio, si eius naturam spectes, vbique fieri potest: quia cùm spiritualis sit, & à mente sine vlla externa voce, aut signo fundatur, loci corporalis aut munditiam, aut decentiam non exigit; nec valet, quæ à loco non pendet, ad locum aliquem specialem arctari. Perfecti quoque, & probè in ea exercitati, vbicumque sint orare, & Deum intueri, & cum ipso loqui nouerunt: & experimento comperimus, quòd vir perfectus in conuiuio, & in foro, & in media hominum nequissimorum frequentia orat: imperfectus verò in templo, & in cella, & in tranquillissimo eremo delirat. Mulier crede mihi, dixit Dominus ad Samaritanam, quia venit hora, quando neque in monte hoc, neque Ierosolymis adorabitis Patrem.] Hora illa est tempus aduentus Domini, in quo homines

Mentalis oratio vbique fieri potest.

Ioan. 4. 21.

mines non essent ad orationis & adorationis cultum ad aliquem locum arctandi, sed quomodo Deus in omni loco orandus sit secundùm spiritum & veritatem edocendi. Paulus etiam ait: Volo viros orare in omni loco;] quoniam post aduentum Domini omnis locus ea munditia purgatus est, quæ ad preces fundendas, & puras manus leuandas ad cœlestia, sufficiat. Quare Augustinus: Iudæis ideo præcipit Deus relinquere vniuersam terram; & in vno loco offerre sacrificia, & vota reddere, quoniam immunda erat tunc vniuersa terra fumo ararum, & nidore bustorum, cæterorúmque coinquinatorum eorum, quæ de profanis gentilium sacrificiis inferebantur super eam. Nobis verò iam, quoniam Christus aduenies expiauit vniuersam terram, omnis locus oratorium factum est.] Sic ille. Qui & postea sanctificationem terræ oblationi Christi corporis & sanguinis adscribit, quæ vbique locorum offertur. Cuius caussa vniuersæ terræ sanctificatio, templi illius Ierosolymitani sanctificationem exuperat: quoniam in illo pecudes mactabantur; nunc verò in omni loco corporis & sanguinis Domini sacrificium offertur. In omni, inquam, loco; quia iam omnem pæne regionem lux nostræ religionis inuasit, & viuificum ibi sacrificium immolauit. Quod in vno, aut pluribus templis oblatum, non aliter, quàm sol in quarto cœlo consistens, ad omnia loca splendorem sanctimoniæ deriuat.

1. Tim. 2. 8.

August. ser. 130. de tẽpore.

Vbique orarunt Sancti.

Ita tamen Hebræi vni loco orationis addicebantur, vt solemnis tantùm, & publicus Dei cultus in illo suo templo fieri præciperetur. Nam priuatim tunc, sicut & nunc, vbique locorum licitum & conueniens erat orare. Quamobrem nullus fuit locus, etiam apud veteres, in quo orationem factam esse non legamus. Ieremias orauit in carcere. Daniel in lacu leonum deprecatus est, Magdalena in mensa, latro in cruce, Iob in sterquilinio, Dauid in lecto, tres pueri in fornace ignis ardentis purissimas orationes fuderunt. Idem omnino nunc & retroactis temporibus seruatum est in lege gratiæ, vt in omni loco quantumuis profano mente possimus orare. Quin & Climacus narrat, quemdam ex probatissimis monachis in loco immundo ad superandas tentationes orasse. Cùm aliquando, ait, in congregatione quadam essem, notaui sollicitum atque studiosum fratrem dum à malis cogitationibus molestiam pateretur, nec inueniret illic locum idoneum orationi, ad naturæ necessaria simulata necessitate exisse, atque illic aduersùs hostes validissima oratione confligere. Cùm verò loci indignitate permouerer: Cur, inquit, loci huius minus idonei te facies mouet? Persequebantur me immundæ cogitationes, ego in loco immundo, vt mundarer sordibus, oraui.] Sapienter autem omnes Patres vbique orandum esse censuerunt. Quoniam illic orare decet, vbi promtus & alacer est ad donandum ille, quem deprecamur. Deus autem vbique præsens est promtus ad tribuendum, alacer ad suas laudes audiendas, & expeditus ad vota nostra excipienda. Ergo in omni loco potest orari. Vbi sunt pericula, ibi æquum est petere auxiliorum suffragia. Quis autem est locus, vbi non nos circumscpiant infinita pericula; vbi non dæmones dolis suis nos in peccata præcipitare nitantur; vbi non sæcularia mentem nostram infatuent? Et tu aliquem locum minus idoneum ad meditationem & orationem putabis? Opus virtutis ibi exercendum est, vbi instat occasio bene operandi. Occasio verò orandi vbique instat, vbique se ingerit, & multiplex caussa leuandi mentem ad Deum vbique nos excitat: quia vbicumque sumus, cœlestia, & terrestria; interna, & externa Dei considerationem & operum eius exigunt, ad laudem eius prouocant, perpetuam gratiarum actionem inclamant. Quis ex his non videat quemlibet locum aptissimum esse vt in oratorium conuertatur?

Climac. grad. 15.

Tu itaque in quocumque loco te inuenias, scito, quia ibi cum maxima laude & merito poteris spiritu orare. Siue sis in domo, aut in foro; siue ad mensam accumbas; siue in lecto decumbas; siue de vno loco ad alium pedibus tuis, aut equo aut rheda vectus proficiscaris, in ipso itinere mentem ad Deum leua, eius magnalia considera; bonitatem & perfectionem multiplicem ama; misericordiam exora: quia sicut omnis locus aptus est ad viuendum; ita quoque aptus est ad orandum. Si autem adhuc cupis locum certum & tranquillum habere ad orandum, ecce locus iste in omni loco est. Cor enim tuum est orationis ac meditationis locus. Ingredere ad teipsum, & siquidem in quocumque loco cor tuum habes (nisi fortè illud amori creaturarum captiuum dedisti, & dæmonis, aut immoderati affectus seruum fecisti,) in eo etiam locum idoneum ad orandum inuenies. Ad hócque genus orationis, quod locum specialem non quærit, sed in proprio corde habetur, te exhortatur Bernardus, sic scribens: Quocumq; loco cõsistis, cogitationes tuas iacta in Deum, & aliquid salutare in animo tuo versa. Omnis siquidem locus ad meditandum congruus est. Tota ergo facilitate animũ colligens, liberè tecum habita, & in latitudine cordis tui deambulans, ibidem cœnaculum grande stratum Christo exhibe. Mens namque sapientis semper est apud Deum. Illum semper ante oculos habere debemus, per quem sumus, viuimus, & sapimus. Ipsum namque, vt essemus, habemus auctorem: ipsum etiam, vt sapientes simus, debemus habere doctorem: &, vt beati simus, æternæ suauitatis largitorem. Et in hoc imaginem eius, hoc est, illius summæ Trinitatis, cognoscimus. Nam sicut ille est, & sapiens est, & bonus est: sic & nos pro modulo nostro, & sumus, & nos esse scimus, & id esse & nosse diligimus. Vtere igitur teipso velut Dei templo, propter illud, quod in te est, simile Deo. Honor siquidem Deo summus est, illum venerari, & imitari. Imitaris, si pius es. Templum enim sanctum est Deo mens pia, & altare optimum cor eius. Veneraris, si misericors es, sicut ipse omnibus misericors est. Hostia siquidem acceptabilis est Deo, facere bonum omnibus pro Deo. Fac omnia sicut filius Dei, vt dignus sis eo, qui te dignatus est filium vocare.] Sic ille. Quòd si tu templum es Dei, in quocumque loco consistas templum Domini tecum defers, nempe teipsum, in quo possis teipsum colligere, Dominum contemplari, & ad illum orationes fundere.

Cor meditationũ locus.

Ber. meditat. c. 6.

Nos templa sumus, vbi orandũ.

Sed licèt omnis locus, quantum est ex parte orationis, sit ad orationem aptus, quia tamen non omnes perfecti sumus, & rebus corruptibilibus impedimur; ideo loca aliqua signanda sunt, in quibus ad longiora tempora tranquillè, & sine obstaculo meditari & orare possimus. Horum primum & dignissimum esse templum nemo ignorat, si frequentia hominum, aut strepitus ingredientium, & egredientiũ, illud inquietũ non faciant. Vnde multi ex religiosis, & quidẽ sapienter, & cum magno fructu animarum suarum, solent ante aurorã, & paulo pòst; ac vesperi post occasum Solis, cellas proprias

Præcipuus orationis locus, templum.

relinquere,& ad templum,vt mentaliter orent,accurrere. Quia tunc templum non minus quietum est, quàm cella,& propter realem præsentiam Domini in sacramento Eucharistiæ existentis, & propter Sãctorum reliquias, & imagines, & propterea quòd ad orandum deputatur, dignius est,& sacratius,vt in eo quæuis oratio deferatur. Aduersarij quoque nostri multo magis templum, quàm cellam reformidant,adeóque orantes in eo minus inquietant. Semper quidem templum Domini locus aptissimus iudicatus est,vt in eo oratio funderetur. *Luca 2. 42.* Christus cùm esset annorum duodecim, cum parentibus orationis & adorationis gratia ascendit in templum. Ac postea sæpissime ex eadem caussã ad templum accurrit, & bis ementes & vendentes in templo, tamquam orationem aliorum turbantes, eiecit. *Luca 2. 37.* Et Anna Prophetissa filia Phanuel per totum tempus viduitatis suæ non discedebat de templo, ieiuniis & obsecrationibus seruiens nocte & die. *Act.3.1.* Et Petrus & Ioannes ad orandum ascenderunt in templum.

Orandi in templo consuetudo. 3.Reg.8. 44. Hæc autem consuetudo orandi in templo adeò solemnis fuit,vt in veteri lege,qui templum adire non possent,versùs templum exorarent.Et hoc est, quod Salomon Dominum deprecans ait:Si egressus fuerit populus tuus ad bellum contra inimicos suos per viam,quocumque miseris eos,orabunt te contra viam ciuitatis, quam elegisti,& contra domum,id est,versùs domum,quam ædificaui nomini tuo,& exaudies in cœlo orationes corũ.]Et Daniel,post constitutam à Dario impiam legẽ,aut potiùs omnium legum euersionem,ne quisquam oraret Deum per triginta dies; ingressus domum suã, & fenestris apertis in cœnaculo suo contra Ierusalem tribus temporibus in die flectebat genua sua, & adorabat,confitebatúrque coram Deo suo,sicut & antea facere consueuerat. *Dan.6. 10.* Vt nimirum qui ad Ierosolymitanum templum accedere ad orandum non valeret; saltem versùs illud suas feruidas orationes offerret. *Ionæ 2.8.* Similiter & Ionas: Cùm angustiaretur, inquit, in me anima mea, Domini recordatus sum: vt veniat ad te oratio mea ad templum sanctum tuum.] Ille namque, qui vtero ceti clausus ad templum corpore verti non poterat; mente saltem ad illud se cõuertit,ibíque orationem suam admitti petit. *Psal.5.8.* Quid autem dicam de Dauide? Introibo, inquit,in domum tuam: adorabo ad templum sanctum tuum in timore tuo.] Domum & templum vocat, non quod postea Salomon ædificauit,sed quod in Silo ad breue tempus erat extructum. *Psal.137. 2.* Et alio loco:Adorabo ad templum sanctum tuum:& confitebor nomini tuo.] Hæc autem consuetudo orandi in templo,nunc etiam viget,& potiori ratione ab Ecclesia retinetur, cùm templum eius, quodcumque illud sit, licèt temporalibus diuitiis inferius,tamen ob maiestatem Domini in eo habitantis est multo sublimius,atque sacratius.

Templorũ laus. Tu ergo, cùm templum, hominibus ad alia abeuntibus,quietum est, poteris illud adire,& in angulo eius te colligere, vt orationi mentali vaces. Ibi est Christus sponsus tuus, tamquam in throno gratiæ & misericordiæ sedens. Ibi est satellitium Angelorum eius tuas orationes & affectus mentis offerens. Ibi omnia veluti ad orandum dicata ad attentionem & reuerentiam excitant,deuotionem exsuscitant, amorem inflammant. In eo pollicitus est Dominus, quia tuas preces est exauditurus. *3.Reg.9. 3.* Quare ad Salomonem ait de templo illo,quod fuit figura nostrorum:Sanctificaui domum hanc,quam ædificasti,vt ponerem nomen meum ibi in sempiternum; & erunt oculi mei & cor meum ibi cunctis diebus.Si autẽ in templo aliquis fuerit,etiamsi socius propositi tui, nihil externum facies, etiam ad deuotionem excitandam, quod notam aliquam habeat,singularitatémque redoleat. Et,vt Laurentius Iustinianus ait:Si coram hominibus tibi orare contigerit,non voce clamosa orabis ad Dominum, sed conscientiæ secreta stinde placare illum,quia non est vocis,sed cordis auditor. Caue ne tunc orans aliquid noui facias,quod audiant astantes,nõ manus extollas,nec oculos leuabis,sed affectu intimo cœlum clamoribus replebis.] Sic profectò dum loci sanctitate ad orationem & meditationem iuuaris, causas inanis gloriæ fugies. *Iustin.li. gno vitæ, de orat. c.6.*

Cella locus orationi aptus. Alter locus orationi mentali aptus est cella;ideo à viris spiritualibus diligẽda,quòd in ea sponsum, cuius delitiis in oratione fruantur, inueniunt. Est etiam oratorium quodlibet siue in cella,siue extra cellam, orationis caussa constructum. Est tandem quilibet locus secretus,& à turba hominum segregatus, quem nullus strepitus inquietet, nulla distractionis occasio perturbet. Cellam Dominus ipse locum orationis fecit, dicens: Tu autem,cùm oraueris, intra in cubiculum tuum, & clauso ostio ora Patrem tuum.] *Matth. 6.6.* Quam sententiam, licèt superiùs de cubiculo cordis, in quo orationi mentali intendimus,& de clausura oris fuerimus interpretati: tamen primum ac litteralem sensum cubiculum materiale signare,tum antecedentia,tum consequentia manifestant: & sic Chrysostomus & Theophylactus exponunt. *Chrysost. ad 1.Timoth.homil. 8. Theoph. ibid.* Oratorium casta Iudith in remotiori & editiore suæ domus parte construxerat, in quo orationi vacaret. Nam in superioribus domus suæ fecit sibi secretum cubiculum, in quo cum puellis suis clausa morabatur. *Iudith 8. 5.* Hoc autẽ cubiculum oratorium prænotare, quod ad similitudinem templi Ierosolymitani, siue tabernaculi Mosaici constructum erat,certum est. Iudæis enim commune erat oratoria,diuini cultus gratia, construere,quæ & tunc,& postea in initio legis gratiæ cubicula sunt vocata. Vnde sanctus Paulinus ait: Cubicula intra porticum quaterna longis basilicæ lateribus secretis orantium, vel in lege Domini meditantium. Illuc ergo Iudith cum puellis suis constitutis temporibus ascendebat, & Dominum crebris orationibus exorabat:nec contenta erat, si sola orationi intenderet, nisi etiam magistra orationis facta ancillas suas ad orationem vocaret. Vestigiis illius inhæsit quæ dicebat:Trahe me post te, curremus:] nec enim voluit sola ad sponsum orationis affectibus ire; sed ipsa tracta conata est familiam suam ad eumdem adducere. *Paulin. epist.12. ad Seuerum.* Loco alio secreto,& à turbis remoto vsus est Petrus ad orandum. Ascendit, inquit Scriptura, in superiora, vt oraret,] *Cant.1. 3.* In domibus enim illis, quarum superiora plana erant,& ad cœlum aperta, nullus erat locus quietior, quàm pars editior; & ideo nulla pars aptior ad orandum. Ascendit ad superiora,vt oraret: quia omnis sanctus, quando orat, inquit Ambrosius, relinquens humilia, vel terrena, in altum mentis extollitur, & in sublime suspensus rapitur, & cogitatione cœlo vicinus efficitur. *Act.10. 9.* *Ambros,*

Siue in oratorio itaque, siue in cella,siue in loco aliquo occulto & quieto domus, poteris ad orationem te recipere. Et sicut qui vult cum amico familiarissimo de rebus magni momenti loqui, ad locum sine arbitris cum illo secedit:& sicut castissima sponsa cubile secretum, in quo cum sponso quiescat,habet:ita & tu locum à conspectu aliorum semotũ captabis,in quo cum amico,& sponso *Locus clarus, vel obscurus pro libito eligẽdus.*

ac Domino tuo colloquia miſceas,& in eius amore & amplexu quieſcas. Locus iſte, vel pro libitu tuo,aut pro meditationis qualitate, obſcurus erit, vel clarus, & ad excitandam deuotionem diſpoſitus. Dixi,ad libitum tuum; quia aliqui quamlibet rem meditentur,in loco obſcuro, alij in loco claro manere lætantur: & ſicut illi claritate;ita & hi obſcuritate præpediuntur. Ad hanc rem nulla alia regula commodior eſt, niſi quòd vnuſquiſque eum locum eligat obſcurum, vel clarum, in quo magis ad deuotionem & attentionem excitari ſe ſentit. Incipientibus tamen,niſi complexio triſtis obſiſtat, aptior eſt locus obſcurus. Nam ſic ſenſuum obiecta, præſertim viſus,minimè illos impediunt;& ea, quæ debent meditari, peccatorum dolorem, & timorem pœnarum gehennalium incutientia,quantum in ipſis eſt,locum obſcurum requirunt. Immo & multi ſunt etiam in oratione prouecti, qui ſemper loco tenebris obuelato iuuantur. Quod ſi hi, aut alij non inueniant,debent oculos claudere, vel alio modo luci impedienti ſe opponere. Sic Elias ad conuerſandum cum Domino operuit vultum ſuum pallio; & iterum poſuit faciem ſuam inter genua ſua, vt nimirum attentiùs & feruentiùs oraret. Niſi fortè hæc vultus opertio facta ad aduentum Domini,ſignet,quòd multi ſe paratos ad mortem putant,vocante verò eos Domino,exire detrectant. Vide obiter quàm egregiè id dicat Richardus Victorinus: Quid eſt,quòd vultum ſuum operuit,quando Dominum tranſeuntem habuit,qui in idipſum ſic ſuſpenſus ſtetit? An fortè ſub Dominica præſentia imperfectum ſuum perfectius agnouit,& imperfectionem ſuam videri erubuit? Videre tamen voluiſti, qui videri timuiſti. O quàm multi ſunt,qui iam ſe paratos credunt, & tamen ſub ipſo viſitationis ſuæ articulo, illic trepidant timore, vbi antea non erat timor, & exitum, quem prius anxiè requirebant,iam fieri formidant!] Sed redeamus ad rem.

3.Reg.19. 13. 3.Reg.18. 42.

Richard.

Aptus eſt ad orandum locus obſcurus,quia non ſunt ibi, aut non apparent, quæ nos viſa perturbent. Et ideo,vt Simon de Caſſia ait, tempore Dominicæ paſſionis factæ ſunt tenebræ ſuper vniuerſam terram, vt homines meliùs ad recogitandum, & inſpiciendum, quæ fiebant,ſe colligerent. Illius hæc ſunt verba: Proinde omnipotens non ſolùm in ſignum magni facinoris, quo Filius moriebatur in cruce; ſed vt totius mundi omnium hominum mentes in admiratione atque contemplatione ſuſpenderet,tenebras induxit in mediis ſplendoribus ſuper terram non ſolùm Iudæam, ſed vniuerſam, vt aduerteretur non eſſe ſine magno myſterio, quod tam inſolitum videbatur. Non fecit tunc tenebras, vt more ſolito homines dormitarent, ſed vt,non vagantibus oculis, ingrederentur ad mentes. Fecit tunc noctem non ad nocendum, vnde nox appellatur, ſed ad meditandum, propinquis, atque remotis. Proinde per omnia mundi climata illa obſcuritas fuit, in libris annalibus, ac temporum geſta continentibus, annotata.] Sic ille. Audi verò fructum harum tenebrarum. Nam videntes, quæ fiebant, percutientes pectora ſua reuertebantur. Res enim illæ attentè conſpectæ ad maximam compunctionem excitabant, & tenebræ ipſæ attentionem afferebant. In hoc autem loco obſcuro, ſiue occulto,& ab oculis hominum libero,conueniens erit ea omnia ſigna exteriora admittere,quæ ſuſcitandæ,aut augendæ deuotioni deſeruient. De quibus Climacus ait: Conuenit illis, qui nondum veram cordis orationem poſſederunt, corporeæ exercitatio orationis;videlicet, manuum extenſio, tunſio pectorum, gemituum ſingultuúmque ſyncerus ac iugis in cœlum conſpectus, perpetua genuum curuatio.] Hæc,& alia ſimilia eatenus in loco ab hominibus ſequeſtrato ſunt aſſumenda,quatenus feruorem & deuotionem excitauerint, & corpus ſpiritui ſubiecerint.

Cur obſcurus aptus. Matth. 45. Simon de Caſſi. lib. 4. c. 4.

Loca denique aptiſſima ad orandum mentaliter ſunt montes,& nemora, campi, & ſolitudines, horti,& ripæ fluminum,& quicquid extra vrbes & oppida ſilentium & quietem importat. In his enim locis,vbi aër eſt purior,cœlum apertius,mens liberior,& à curis expeditior, ſatis pronus eſt eius ad Deum contemplandum,& ad res cœleſtes conſiderandas aſcenſus. Neque his verbis omnes viros ſpirituales ad ſolitudinem inuitamus (ſcimus namque multos eorum ad aliam vitam animabus curandis proficuam vocari) ſed locum eis ad orandum aptum oſtendimus. Abraham inuitatur à Domino, vt offerat illi holocauſtum ſuper vnum montium,quem monſtrauerit illi. In eóque monte, ô bone Deus! quas promiſſiones accipit, quam multitudinem myſteriorum intelligit. Iſaac egreſſus eſt ad meditandum in agro, in eóque Rebeccam venientem aſpexit, cuius amplexibus dolorem ex genitricis morte leniret. Iacob in ſolitudine luctatur cum Angelo, & ab eo benedicitur, & vno pede claudicare cognoſcitur. Moſes minans gregem ad interiora deſerti Dominum in rubo ardenti contemplatus eſt,& populi dux ac princeps effectus. Elias in ſpelunca vaſtæ ſolitudinis Deum audit, & ſub vmbra iuniperi obdormit, & Angelum ſibi cibum & potum afferentem videt. Eliſeus, & filij Prophetarum ædificant caſas, vt vitæ contemplatiuæ vacarent, iuxta fluenta Iordanis. Ezechiel ad margines fluuij Chobar viſiones admirandas excipit. Daniel ad Tigris ripas orauit. Et commune fuit in illa antiqua lege ex montibus & ſolitudinibus quaſi oratoria conſtruere.

Montes, & nemora locus orationi aptus.

Gen.22. 2.

Gen.24. 63.

Gen. 32. 24.

Exodi 3. 3.

3.Reg.19. 9.

4.Reg.6. 2. Ezech.1. 3.

Dan.10. 4.

Eiuſdem rei in Chriſto Saluatore noſtro exemplum habemus. Ipſe enim ſecedebat in deſertum, & orabat. Et exiit in montem orare:& erat pernoctans in oratione Dei. Et ductus eſt in deſertum ab ſpiritu, vt tentaretur à diabolo: vtque eo loco doceret nos in ſolitudine orare,ieiunare, & cum veternoſo aduerſario confligere. Cùm ergo te in agris, in montibus, & in ſolitudinibus inueneris, loca aptiſſima ad orationem & contemplationem te inueniſſe non dubites. Vox eſt Domini per os Moyſis ad Pharaonem: Dimitte populum meum, vt ſacrificet mihi in deſerto. Et eadem vox ſonat in corde tuo,dum in loco ſolitario conſiſtis, vt ibi ſcilicet Domino hoſtias orationum immoles. Ille tumultu, ſtrepitu, interpellationibus, & aliis auocamentis eſt vacuus. Ille eſt ſilentij, & quietis, & eorum, quæ nos ad interiora colligant, plenus. In eo montium,vallium, fluuiorum,arborum, herbarum,cœlorum,& ſyderum aſpectus, Deum ipſum, cui vacemus,& eius præſentiam,quam veneremur, ingerunt. Noui ego (vt nunc antiquos ſanctos omittam) ſpiritualem noſtræ Societatis virũ pluſquam ſexagenarium, qui cùm in oppidis Peruenſium iſtorum ageret, vt animabus ipſorum conſuleret, ſolitus erat ad montes & nemora properare, vbi (vt mihi quidem aliqui referebant) viſus eſt in extaſim raptus, immo & (ſi bene memini) à terra eleuatus,& quaſi inter cœlum terrámque ſuſpenſus. Cum eodem iter ſatis longum, data occaſione, peregi; & cùm ad hoſpitia extra oppida diuerteremus (ſunt autẽ in America frequentiſſima)

Luca 5. 16. Luca 6. 12. Matth. 4.1.

Exodi 4. 2.

Luca 23. 48.

Climac. gradu 15.

ipse duabus horis post mediam noctem è stratu, in quo vestitus se composuerat, assurgebat, & ad locum agri solitarium in summis frigoribus properans, quibus pars huius regni montosa, cùm deficiunt pluuiæ, constringitur, vsque ad ortum aurorę contemplationi vacabat. Feruórque animæ eius tantus erat, vt inter gelu, & niues, quæ vix bestiæ sustinere possunt, corpusculum eius foueret, & ab omni ægritudine, quam inclementia temporis afferre poterat, liberaret. Surgebam ego tunc ad carpendam viam postquam ipse tribus, aut quattuor horis ad Dominum vigilauerat. Fructum verò huius orationis, & consolationes diuinas ad modum fluminis inundantes, & dona cœlestia ipsum quottidie ad miram puritatem prouehentia prætereo, quia non res eius enarrare, sed loci solitarij commoditatem ad orandum demonstrare constitui. Certè illud solum addam, virum hunc post horas canonicas de more solutas, & post breue colloquium de rebus cœlestibus habitum, à me paululum secedere consueuisse, vt iterum orationi se daret; adeò, vt totum iter nihil aliud esset, quàm indirupta quædam, ac plena suauitatis oratio. Noui & alium, qui in itineribus etiam orationi sæpius intendebat, & vt sanctus quidam amasius diuinæ maiestatis (si ita dici potest) lacrymis & singultibus plenus, montes & valles vocibus & querimoniis replebat, & se Dei desiderio captum, & quasi extra se positum demonstrabat. Est ergo, ô vir Dei, campus & solitudo locus ad orandum aptissimus: cùm in ea te manere contigerit, occasionem Deo vacandi ne prætermittas, sed ei te totum trade, qui in solitudine præsens est; qui in eremo dilues est, qui in itineribus fidelissimus comes est. Et ex his cognosces nullum esse locum, in quo mentaliter orare non valeas; si tamen volueris animum à rebus inanibus auocare, & ad teipsum, atque ad diuina colligere.

Secundus comes Orationis mentalis; Tempus accommodum.

CAPVT II.

IEIVNIVS, ad mentaliter orandum accommodatum, si hanc rem per se, & ad lucem Scripturarum consideremus, est omne tempus: quia in quacumque hora indigentia nostra nos ad orandum sollicitat, & benignitas Domini, si velimus orare, postulationes nostras libenter expectat. Indigentia quidem nostra exigit, vt semper oremus: quia, vt Laurentius Iustinianus ait: Nequaquam debet Christi miles orationis arma abiicere, donec perseuerat pugna. Quoniam verò quousque viuimus, in acie militiæ desudamus, oremus continuè. Nihil enim tam validum reperitur ad hostium nostrorum conterendam rabiem, quàm orationis perseuerans opus.] Ad idem etiam nos respectus diuinæ benignitatis audaces facit. Bene namque ponderauit Guillielmus Parisiensis Episcopus, quod licèt ad adeundos principes terræ, & ad porrigendas preces eis, eligendæ sint horæ secundùm Astronomos, in quibus inueniantur ad tribuendum proni: tamen etiam secundùm eosdem (tanta est veritatis lux) nulla hora eligenda est ad orandum Deum, quia ad opus hoc orationis omnis hora est fausta, & fortunata. Idque non iam in multis mendaces Astrologi iudiciarij, sed ipse per se, & per suos Doctor veritatis edocuit. Nam ipse dixit: Quoniam oportet semper orare, & non deficere.] Et Paulus: Sine intermissione orate.] Et Ecclesiasticus: Non impediaris orare semper; & ne verearis vsque ad mortem iustificari: quoniam merces Dei manet in æternum.] Ac si dixisset: Multa sunt, quæ, quasi facto agmine, studium orationis impediunt; cura sæcularis, amicorum frequentia, crapula, diffidentia, somnolentia, inordinatus affectus, & alia auocamenta similia. Hæc omnia constanter abiicito, vt sis in opere orationis assiduus. Et ne verearis quottidie iustior fieri, & merita noua conquirere, quasi præmia Dei bene agentibus destinata exhaurire valeas. Merces enim eius in æternũ manet; quia quantumuis pro eo laboremus, & ei seruiamus, semper habet præmia ingentia, quæ dare possit. Sed de hac perpetuitate orationis, & quibus modis habenda sit, commodiùs alio loco (Deo dante) scribemus. Hîc tantùm addendum est, viris spiritualibus summè vtile esse, vt mentem collectam habeant, & Deum actuali consideratione præsentem gerant. Animus enim in rebus diuinis iugiter occupatus breui tempore, quo se quottidie ad orationem reuocet, admodum proficiet. E contra verò, qui fuerit in varia & inania distractus, multis horis meditationi concessis, exiguum satis profectum ex suo labore percipiet.

Quia tamen imbecillitas & necessitas humana non sustinet, vt perpetùò orationi vacemus; ideo signanda sunt tempora magis à rebus impedientibus libera, in quibus attentior sit meditatio, & purior, ac feruentior fundatur oratio. Horum duo præcipua, & magis ad orandum accommodata, sunt manè, & vesperi. De quibus Dauid: Vespere, & manè, & meridie narrabo, & annunciabo: & exaudiet vocem meam.] Trium temporum mentionem facit, sed quia meridianum breuius est, ideo nunc illud omittimus. In initio igitur, ac fine diei narrabo coram Domino mira eius beneficia, quibus cumulor; & annunciabo miserias meas, quibus premor: vt ipse orationem meam audiens bona sua augeat, & mea mala depellat. Bonauentura quoque hęc tempora accommodatissima ad orationem putat. Cæterùm manè, & vesperi, inquit, tempus est orationis opportunum, quod penitus peculiari vacuum oratione, si vacat, culpabiliter præteritur. Maximè autem cùm profundum nocturnus sopor indicit silentium, tunc planè liberior erit, puriórque oratio, nullo tunc turbata clamore, nulla aspicientis laude tentata.] In veteri lege manè & vesperi orationibus destinata erant, sacrificiisque faciendis: eadémque tempora lex spiritus apta censet, vt in eis orationi & contemplationi vacemus. Dominum enim principium, & finem omnium agnoscimus; quare æquum est, vt ei diei initium & finem dicemus. Manè mens nostra colligat, quod vesperi facto dispertiat. Nam de Benjamin, de adolescentulo illo, qui imaginem contemplatiuorum præfert, & visus est in mentis excessu, scriptum est: Manè comedet prædam, & vespere diuidet spolia.] Manè colligimus, cùm quomodo nobis conuersandum sit, in matutina oratione statuimus. Vespere autem diuidimus, cùm nobis malè acta cum rubore attribuimus: & bene gesta Domino, vt eorũ auctori, cum gratiarum actione dicamus. Ita dies in oratione incipiens, & in oratione definiens, & duo extrema cursus sui orationem faciens, non poterit sterliter transigi; facilè autem erit ei sanctis operibus abundare.

Luca 18. 1. 1. ad Thess. 5. 17. Eccli. 18. 22.

Quid orationẽ maximè impediat.

Bonau. in specul. p. 2. c. 6.

Iustin. lib. gno vitæ, de orat. c. 6.

Guilliel. Rhetor. diuit. c. 35.

Infrà lib. 3. p. 1. c. ...

Quænam tempora orationi aptiora.

Psal. 54. 18.

Psal. 67. 28. Gen. 49. 27.

Lux Solis ad orandum præueniẽda.

Manè igitur, immo & ante auroram, ad meditandum & orandum surges, ô vir Dei, & solem istum visibilem Solis inuisibilis & increati communicatione præuenies. Nam hoc non præstare, in viro spirituali probrum est apud Basilium. Anteuertendum diluculum est, ait, & ad orationem surgendum, cauendúmque ne dies nos in lectulo dormientes opprimat.] Vitabat id sanctus Dauid. Præuenerunt, inquit, oculi mei ad te diluculo; vt meditarer eloquia tua.] Quem præueniſti sancte Propheta? An illum, qui præoccupat, qui se concupiscunt, vt illis se prior ostendat? An illum, de quo alibi cecinisti: Misericordia eius præueniet me?] Præueni solem, & ante lucem eius ad quærendam animæ meæ lucem surrexi: solem diligentiorem esse non sustinens. Ita & tu, ô homo, huius Prophetæ vestigiis inhærens, præoccupa lucem, vt Deo vigiles, & solem ac diem quasi inertiores post te relinque. Graue est enim, vt inquit Ambrosius, si te otiosum in stratis radius Solis orientis inuerecundo pudore conueniat, & lux clara feriat oculos somnolento adhuc torpore depressos. Arguit nos tanti temporis spatium, sine vllius deuotionis munere, ac sacrificij spiritalis oblatione feriata transmissum. An nescis, ô homo, quòd primitias tui cordis ac vocis quottidie Deo debeas? Quottidiana tibi messis quottidianus est fructus. Occurre ergo ad Solis ortum, vt te oriens inueniat iam paratum, ne lumina tua, madido adhuc sopore mergentia primus diei fulgor exagitet. In cubiculo meo in noctibus quæsiui, quem dilexit anima mea, dicit Ecclesia. Ideo meruit eum inuenire, ideo eius gratiam promereri; quia etiã in cubiculo quæsiuit. Quæsiuit in noctibus: propterea, copia eius adepta, in posterioribus loquitur ad sponsum: Veni, exeamus in agrũ, &c.] Itaque præueni oratione tua solẽ, & diem: immo & præueni ipsum Dominũ, sicut faciebat Dauid, qui alio loco ait: Et ego ad te, Domine, clamaui: & manè oratio mea præueniet te.] Ipse absq; dubio te præueniet, vt ores, & vt aliquid boni facias: & tu eum iam prẽuentus oratione præuenies, quatenus ad recipienda noua dona teipsum præparabis. Ipse Dominus te prẽuenit, vt merearis; & tu merito eum præuenis, ne mercede fruſtreris.

Matutinum tẽpus orationi aptissimũ.

Est igitur hora commodissima ad orandum illa, quæ lucem auroræ præcedit, in qua omnia silent, vniuersa quiescunt; corpusculum post moderatum somnum mentem ad suas necessitates non auocat, & sensus à sensibilibus elongati, eam ad superna volantem minimè ad suas vanitates intorquent. Primam illam horam Domino consecrabis, &, vt virtutes adolescant, cœlestium meditationi te trades. Diuites aliqui consueuerunt primo egeno manè occurrenti eleemosynam erogare: ea sollicitudine & alacritate ad orandum assurgas, vt ex domo tua Deo diuiti in misericordia primus occurras, si fortè velit te, præ aliis negligentioribus, copiosa aliqua eleemosyna cumulare. Ne possit aliquis exprobrare tibi manè dormiturienti, quod Abbas Theodorus apud Cassianum, ipsi non sine suspiriis obiecit. Quanti, dixit, ô Ioannes, hora hac Deo colloquuntur, eúmque in semetipsis amplectuntur, ac retinent, & tu fraudaris tanto lumine, inerti sopore resolutus.] Manna, quod ab igne non poterat exterminari, vt in libro Sapientiæ dicitur, statim ab exiguo radio Solis calefactum tabescebat; vt notum omnibus esset, quoniam oportet præuenire solem ad benedictionem tuam, & ad ortum lucis te adorare. Oratio autem Manna est virorum spiritualium: si sæcularium more vsque ad ortum Solis in lecto iacueris, timendum tibi est, ne illud tabefactum, id est, pinguedine deuotionis orbatum, & vermiculis distractionum scatens inuenias. Vox sapientiæ est: Qui manè vigilant ad me, inuenient me.] Si manè non vigilaueris, & somno ac inertia depressus citò à lecto non exilieris; mirum erit si non deuotionis & dulcedinis occursu priueris. Quoniam ad te orabo, Domine, inquit Dauid, manè exaudies vocem meam. Manè astabo tibi, & videbo: quoniam non Deus volens iniquitatem tu es.] Summo manè, quin & ante ipsum manè coram Domino tuam mentem statue, vt eius bonitatem & pulchritudinem contempleris; vt eius misericordiam interpelles: nec id fruſtrà, quoniam benignus Pater tuam orationẽ exaudiet. Nam si diluculò consurrexeris ad Deum, & omnipotentem fueris deprecatus: si mundus & rectus incesseris, statim euigilabit ad te, & pacatum reddet habitaculum iustitiæ tuæ.] O vtilis & beata surrectio hominis, quæ id assequitur, vt Dominus ipse ad illum iuuandum vigilet, & ad dissipandas tenebras tentationum perturbantium assurgat!

viri spiritalis est.

Prou. 8. 17.

Psal. 5. 4.

Iob 8. 5.

Consurgunt scelerati summo manè, vt sua scelera perpetrent; & manè primo consurgit homicida, & interficit egenum, & pauperem, vt est in Iob; ex quo suæ animæ mortem infert: quare tu non vigilabis, & primo manè consurges, vt te Deo tradas, & vitæ spiritalis, id est, gratiæ augmentum merearis? Aues, vt scribit Ambrosius, in ipso ortu surgentis auroræ laudes Deo canunt, & tu ad similitudinem Dei creatus, & auiculis, ac omnibus animalibus intellectu, & libero arbitrio prælatus, ab illis in laude Dei, ac gratiarum actione superaberis? Artifices quoque & negotiatores, qui labore manuum suarum vel mercimoniis victum parant, mirum est quàm ante primam lucem cubilia deserant, vt suis laboribus, vel negotiis insistant. Tu autem negotiator es, non diuitias perituras, sed margaritam perfectionis inquirens, quam intenta ad Deum oratione & contemplatione lucraberis: & pro tanto bono auroram non anteuertes? Hora hæc aptissima est peccatis odio habendis, ac vitiis eliminandis. Iam aduenerat vigilia matutina, inquit sacer textus, & ecce respiciens Dominus super castra Ægyptiorum per columnam ignis, & nubis, interfecit exercitum eorum.] Orauit tunc Moses, quis dubitet? Clamauit populus, Dominus autem hostes eorum occidit. Quid hoc indicat, nisi quòd si primo diluculo orare assueueris, & ad Deũ intentè clamare, vitia & peccata tua, ipso faciente, extincta conspicies. Hora hæc accommodatissima est diuinis inspirationibus excipiendis. Erigit manè, dicit iustus per Isaiam, manè erigit mihi aurem, vt audiam quasi magistrum.] Accurre igitur summo manè, & te ante Dominum statue, vt aperiat tibi aures, aures animæ, quibus eius eruditionem excipias. Breuiter tandem hæc hora est apta meditationibus rerum cœlestium, quando mundus tacet, sensus silent, & caro præterita pausatione satisfacta conticescit. Nónne dictum est filiis Israël: Vespere scietis quòd Dominus eduxerit vos de terra Ægypti, & manè videbitis gloriam Domini?] Sed idipsum spirituales viri sibi dictum accipiant: vt enim nunc vesperam relinquamus, de qua statim; certè manè gloriam Domini videbunt; quia se secundùm carnem domitos, & spiritu roboratos considerabunt. Nam, vt Bonauentura ait, illa hora est, in qua Christus resurrexit, tunc est tempus allidendis ad petram paruulis, mortificandæ carni, & recreando spiritui opportunum.]

Iob 24. 14.

Hora matutina peccatis odio habẽdis accõmoda. Exod. 14. 24.

Diuinis item inspirationibus accipiendis. Isa. 50. 4.

Nec non meditationi rerum cœlestium. Exod. 16. 6.

Cant. 3.

Psal. 87. 14.

Cassian. lib. 3. c. 35.

Sap. 16. 27.

Oratio Manna

Bonau. in spec. p. 2. c. 1.

Vespertinum tẽpus orationi satis accõmodum.

Aliud tempus ad orationem mentalem accommodatiſſimum, eſt poſt Solis occaſum, quando diurnæ occupationes ceſſant, & homines nos dimittunt,& ad ſuas domos ſe recipiunt.Tunc,ô homo Dei,relictis miniſteriis, & ſtudiis etiam animarum gratia ſuſceptis (nam etiam propriæ animæ cura tibi incumbit) deberes quaſi laſſus & ſitibundus ad quietem & refrigerium orationis accurrere. Poſt diei labores corpus nocte reficitur, & ſomno ac pauſatione roboratur.Sed non minus anima ſe exercuit,non minus feſſa ex occupationibus manſit.Habeat & illa quietem orationis,in qua vires ad iterum laborandum reſumat. Chriſtus Saluator tuus pro ſalute tua erat pernoctans in oratione Dei. Sit etiam curæ ſalus tua tibi, & pro ea adipiſcenda in oratione Dei,id eſt, in oratione feruenti,pernocta. Expende, quæſo, quid Eccleſiaſticus in artificibus obſeruauerit. Sic, inquit, omnis faber, & architectus, qui noctem tamquam diem tranſigit;qui ſculpit ſignacula ſculptilia,& aſſiduitas eius variat picturam : cor ſuum dabit in ſimilitudinem picturæ, & vigilia ſua perficiet opus.] Tuum autem opus ſublimius & perfectius eſt; atque adeò non mirum ſi partem diei noctiſque requirat. Cor tuum forſitan lapide durius eſt, quod vis virtutum varietate depingere, & Chriſto ſanctitatis prototypo ſimilare. Quare initium noctis officinam vanæ curioſitatis facies, & euoluendis libris vacabis,& non in orationem te perficientem incumbes ? Filia patris abſcondita eſt vigiliâ:] quia nimirum in ſecreto vigilat, conſiderans quomodo eam collocet,& optimo marito tradat,& ſollicitudo eius aufert ſomnum. Et tu animam habes quacumque filia chariorem:cur pro ſalute eius non vigilabis, & Deo tuo noctibus amoris vinculo non deſpondebis ? Conſurge igitur, lauda in nocte, in principio vigiliarũ : effunde ſicut aquam cor tuum ante conſpectum Domini. Leua ad eum manus tuas pro anima paruulorum operum tuorum, quæ inanis gloria rapuit, & macula præpoſteræ intentionis infecit.

Oratio quies animæ.

Luca 6. 12.

Eccli.38. 28.

Eccli. 42. 9.

Thren.2. 19.

In lectulo meo per noctes,inquit ſpõſa,quæſiui, quem diligit anima mea.] Tua autem anima ad has puras & ſacras nuptias aſpiret. Per noctem igitur (etiamſi nullo mandato, nulla regula ad id vrgearis) dilectum non in lecto carnis, ſed in lecto ſpirituali, ſcilicet in ſecreto cordis, inquire. Nox ad hanc inquiſitionem nos vocat, in qua nullus eſt ſtrepitus,nulla occupatio, quæ orationem,aut deſiderium impediat. Vnde Bernardus ait : Tempus feriatum commodius aptiúſque, maximè autem cùm profundum nocturnus ſopor indicit ſilentium, tunc planè liberior exit, puriórque oratio. Conſurge in nocte,inquit,in principio vigiliarum tuarum,& effunde ſicut aquam cor tuum ante conſpectum Domini Dei tui. Quàm ſecura aſcendit de nocte oratio, ſolo arbitro Deo, ſanctóque Angelo, qui illam ſuperno altari ſuſcipit præſentandum!Quàm grata & lucida verecundo colorata rubore ! Quàm ſerena & placida nullo interturbata clamore,vel ſtrepitu!Quàm denique munda,atque ſyncera, nullo reſperſa puluere terrenæ ſollicitudinis,nulla aſpicientis laude, ſeu adulatione tentata!Propter hoc ergo ſponſa non minus verecundè, quàm cautè,& lectuli ſecretum petebat, & noctis, orare, hoc eſt, verbum quærere volens. Vnum eſt enim. Alioquin non rectè oras, ſi orando præter verbum aliquid quæras, quoniam in ipſo ſunt omnia.Ibi remedium vulnerum,ibi ſubſidia neceſſitatum, ibi reſarcitus defectuum, ibi profectuum

Cant.3. 1.

Nocturnum etiã tempus orationi aptiſſimum.

Bernard. ſer. vlt. in Cant.

Nocturna orationis laus, ex Bernardo.

A

B

C

D

E

copiæ, ibi denique quicquid accipere, vel habere hominibus expedit, quicquid decet, quicquid oportet.Sine cauſſa ergo aliud à Verbo petitur,cùm ipſum ſit omnia.] Sic ille ad aſtruendas vigilias noctis. Adiecimus verò,quod ipſe de Verbi multiplicibus donis adiecit; quoniam ſi hæc ſemper & appetenda & quærenda ſunt, non multum erit ſi duobus temporibus ante initium diei, & poſt initium noctis oratione petantur.

Tempus poſt mediam noctem orationi eſt accommodatũ. Gen.22. 3. 1. Reg.3. 4. Matth.1. 20. Matth. 2. 23. Pſal.118. 62. Ambroſ. ibid. ſer. 6.v.6.

Alij non iam ad initium noctis, ſed paulo ante mediam noctem, aut poſt medium noctis elapſum orationi ſe tradunt. Quod vehementer laudamus, præſertim ſi etiam initium noctis, ſicut & initium diei orationi conſecrent. Abraham de nocte ſurrexit, & magnam partem itineris nocte confecit, vt vnigenitũ immolaret. Et Samuel in profundo noctis ſilentio ter à Domino vocatus eſt. Et Ioſepho nutritio Domini eodem tempore Angelus apparuit, tum vt ei virginis puritatem manifeſtaret; tum vt ad fugiẽdum cum puero & matre in Ægyptum impelleret. Et Dauid : Media, inquit, nocte ſurgebam ad confitendum tibi ſuper iudicia iuſtificationis tuæ.] Tunc enim ſurgendum eſt ad confitendum Domino. Hoc eſt, vt illo maximè tempore, inquit Ambroſius, deprecari Deum, & propria debeamus deflere peccata; nec ſolùm præteritis veniam poſtulare, ſed etiam præſentia declinare, à futuris cauere. Multa enim in illo tempore tentamenta proſerpunt.] Hoc itaque medium noctis aptiſſimum iudicatum eſt ad vacandum orationi,ſi id imbecillitas corporis ferat,quod in multis, licèt non ſemper, at ſæpe, aut aliquando non difficulter tolerat. At qui hoc,aut infirmitate impediente, aut regulari vita prohibente, non poſſumus, ſaltem ad initium noctis, id eſt, poſt vnam, aut duas horas noctis ſponſum in oratione quæramus.

Tempus in oratione fundẽda pro vniuſcuiuſq; qualitate vnicuique eſt aſſignãdum.

Greg. 6. moral. c. 17.

Sed nunc videamus quantum temporis manè & veſperi orationi tribuendum eſt. Profectò certam regulam in hac re adhibere non poſſumus. Nam & vires corporis,& neceſſariæ occupationes ex proprio ſtatu emergentes, & ingenium ac hominis natura penſanda eſt, vt ſingulis conſilium præbeamus. Inquieti ſpiritus, & à ſecreto & tranquillitate abhorrentes, vix ad paruam moram ſe colligere poſſunt : quieti verò, & placidum ingenium ſortiti,longo orationis tempore delectantur. Et vt Gregorius ait:Neceſſe eſt,vt nec quieta mens ad exercitationem ſe immoderati operis dilatet, nec inquieta ad ſtudium contemplationis anguſtet. Sæpe enim,qui contemplari Deum quieti poterant, occupationibus preſſi ceciderunt : & ſæpe qui occupati bene humanis vſibus viuerent, gladio ſuæ quietis extincti ſunt.] Nullum tamen arbitror ingenio adeò inquietum eſſe, qui manè per vnam horam in oratione durare non poſſit. Et generaliter,qui vna hora ante, vel poſt diluculum;& altera ad initiũ noctis in oratione manſerit, commodam temporis moram, & minimè etiam occupatis moleſtam, orationi concedet. Cùm verò aura ſancti Spiritus perflat, vtiliſſimum eſt orationis tempora protelare, & ad duas, vel tres, immo & ad plures horas à conſpectu Domini non diſcedere. Sicut enim qui puteum effodit, ſæpe, quia minus, quàm oporteret, non perſeuerat, aquam non inuenit:ita mirabiles illuſtrationes, & dona ſæpe non habemus,quia meditando,& orando ad multum tempus abſque interpellatione non perſiſtimus. Hoc ex Bernardo didicimus, qui ſic inquit: Quibus ſtudium eſt orare frequenter,experti ſunt,

Dum deuotionis ſpiritus adeſt, oratio eſt protelãda.

Bernard. ſerm. 9. in Cant.

quod

quod dico. Sæpe corde tepido & arido accedimus ad altare,orationi incumbimus : perſiſtentibus autem repentè infunditur gratia, pinguescit pectus, replet viſcera inundatio pietatis,& ſi ſit, qui premat,lac conceptę dulcedinis vbertim fundere non tardabunt.] Et Gerſon loquens de illo,qui in oratione mendicum ſe putabat,& hunc orationis modum exercebat, vt mente curiam cœleſtem ingreſſus ad pedes Sanctorum , nunc iſtius , poſtea verò illius caderet , & ab eis eleemoſynam poſtularet, hæc ſubdit : Verum eſt dictam perſonam in huiuſmodi meditatione plura ſenſiſſe impedimenta extranearum cogitationum,atque phantaſiarum:ipſa tamen forti perſeuerantia ſe arctauit , atque in dicto loco continuit,inde non mouendo, ſeu diſcedendo,quouſque,quod quæſiuit, inuenit, eſſétque ſtabilita omnino in huiuſmodi oratione , nec aliquid aliud intenderet. Per dies autem plurimos modum dictum continuabat, fuerátque interdum ad duas,tres,vel quatruor horas, priuſquam, quod petiuit,habere potuiſſet : ſcilicet cogitationum & affectionum vnitatem , atque recollectionem ad vnum tale,quale diximus ſuprà. Et per modum talem quaſi ſemper peruenit,ad quod tendebat;quádoque tamen citiùs,interdum verò tardiùs, percepítque clarè verum eſſe Domini noſtri Ieſu Chriſti promiſſum : Qui perſeuerauerit pulſans petendo, aperietur ei.]

Gerſ. de mõte contemplat. c.39.

Tempus orationi deſignatum minimè deſerẽdum. Oratio cibus,potus , & ſomnus animæ.

Illud autem omnino obſeruandum eſt, vt propoſito nobis tempore orandi, aut deſignata ſemel hora , aut mora temporis , qua in oratione perſiſtendum ſit,in hoc conſtantes ſimus,& non niſi ex vrgentiſſima cauſſa ac ineuitabili ab orando nos ſubtrahamus. Oratio namque eſt cibus, & potus, & ſomnus animæ, quibus ipſa vitam ſeruat,& incolumitatem prouehit , & ad perfectam ſtaturam puritatis peruenit. Nec decet ſemper abſque vllo defectu corpori neceſſaria tribuere,& animæ quacumque ex cauſſa orationem, qua impinguatur, & creſcit,denegare.Hac ſimilitudine vſus eſt Baſilius, qui & optimè aſtus dæmonis nos in hac re conantis eludere detegit,& vtile erit eius verba non præterire. Ad orationem, inquit, quotieſcumque vocaris,libenter ſuccinat os tuum, in eáque eò vſque permaneto,donec canoni ſatisfeceris,magnámque te iacturam facere arbitrator, ſi antè inde diſceſſeris.Etenim ſi cùm corporis tui ſuſtentandi cauſſa cibum capis,ægrè admodum à menſa potes auelli, niſi naturale priùs deſiderium expleueris , neque ita facilè hoc facturus ſis,niſi magna te inde aliqua neceſſitas auocet : qui non tandem ab epulis iis auelli ægriùs debes , quibus ſpiritus alitur tuus? Quíque non magis oratione corroborandus tibi tuus animus eſt? Etenim quanto nobilitate cœlum terra præſtabilius eſt,& dignitate cœleſtia terrenis præponderant , tanto ſine dubio anima corpore præſtantior eſt. Siquidem ea cœli quaſi imago eſt quædam,quippe in qua domicilium Dominus habeat. At caro ipſa ex terra conſtat,quæ à mortalibus hominibus , & rationis expertibus incolitur animantibus. Quamobrem quæ corporis cauſſa neceſſariò ſuſcipi munera debent ; ea ita habebis diſtributa,vt legitimum tibi poſtea orationis tempus non interpellent. Caue autem diligenter , ne cogitationi illi animi tui aſſentiare,quæ ab orationis canone nondum peracto auellere te ſtudeat. Habent enim morem hunc dæmones , vt faciendæ orationis temporibus per ſpecioſam ſcilicet aliquam laudabilis cauſſæ alicuius ſimulationem nobis ſedulò auctores ſint, vt ab ea nos ſubduca-

Baſil. de abdicat. rer. ſerm.

Cur dæmones ab oratione nos tantopere conentur auocare.

A mus, vt quam ſalutem afferre nobis intelligant, ab ea nos probabiliter abducant. Noli ingemiſcẽs capitis ventríſve dolorem excuſare, & eius, qui nullus ſit , teſtes incertos proferre , néve quieſcendi cauſſa quicquam de acri vigilantiæ aſſiduitate remiſeris, potiúſque occultas aliquas ſemper orationes habeto , quas in occulto aſpiciens Dominus, pro iis gratiã tibi referat in aperto.]Hactenus ille.

Rectè ergo Ægidius digna B. Franciſci proles, aſſerebat, quòd ſicut,qui cum altero litigat , ſi ad curiam pro ſuis negotiis accedat,inimicus eius curat,ne illuc,quò properabat,perueniat,quòd ſi peruenerit,ne regem adeat ; & ſi adierit,ne dignè , & ita vt effectum conſequatur,loqui ſciat : ita diabolus aduerſarius noſter ſummis deſideriis curat , ne B ad locum orationis accedamus;& ſi acceſſerimus, ne Dominũ alloquamur, ſed diſtracti perſiſtamus: ſi verò alloquuti fuerimus,ne debito feruore,& fiducia,neceſſaria poſtulemus.Has dæmonis technas mens à Deo docta ſufficienter eludet , ſi conſuetis temporibus abſque vlla interpellatione orationi vacauerit , & feruidè Deo intendere, & perfectionem poſtulare ſtuduerit.

Aſſiduũ orationis ſtudium dæmonis fraudes euertit.

Tertius comes Orationis ; Habitudo corporis conueniens.

CAPVT III.

C HABITVDO corporis ad mentaliter orandum, eſt quælibet habitudo, quæ per ſe decens ſit,& affectum mentis non impediat.Neque enim ſolùm ſtantes,aut genuflexi,verùm & ſedentes,& iacentes,& ambulantes poſſumus ſanctis meditationibus,& colloquiis interioribus cum Deo occupari. Nam hæc oratio ſolius mentis eſt,quæ poteſt in ſeipſa proſterni ante Dominum,& ſubiici,& compungi, licèt corpus, quia impeditum eſt,aut minus diſpoſitum,nec proſternatur , nec compungatur. Eius finis etiam eſt intellectum illuminare, voluntatem afficere,& vitam ac mores emendare. Si autem hæc ex aliquo corporis habitu nimis laborioſo impediantur;non D eſt cur ob iſtum , cuius meritum & fructus minoris eſt momenti,profectus ille orationis ſolidus,& maior deſeratur. Iccirco in Scriptura varias corporis diſpoſitiones in orando , quas Auguſtinus , & Bonauentura,& Gerſon in vnum collegerunt,legimus eſſe ſeruatas. Moſes erectus corpore,ac manibus extenſis , & in cœlum erectis orauit , quando fugatus eſt Amalec. Salomon flexis genibus , contra vniuerſam multitudinem Iſrael , & palmis in cœlum leuatis , orationem fudit. Dauid cubans in lecto deprecationi ſuæ lacrymas iunxit.Iſaac deambulans contemplabatur. Magdalena ſedens ſecus pedes Domini audiebat verbum illius, & contemplationi vacabat. Dominus ipſe in horto procidens in faciem ſuam ad orandum Patrem accurrit. E Et in cruce,extenſis manibus,prolixè orauit,ac tãdem ſpiritum ſuum Patri commendauit. Et Apoſtoli ſtantes,& vultibus in cœlum verſis,Chriſtum ſunt oratione & deſideriis proſequuti aſcendentem in cœlum. Ac forſitan alij modi orandi in ſacris Scripturis occurrent , ex quibus manifeſtum eſt nullam eſſe corporis diſpoſitionem decentem, quam in oratione non poſſimus admittere.

Corporis diſpoſitio ad orandũ, multiplex.

Sed licèt hæc ita ſint,eum tamen corporis habitum in oratione ſumamus,quo & Dei memoriam, & pios mentis affectus excitemus. Ideo enim olim ſolitum erat conuerſos ad Orientem orare, vt

Orationis ſcopus varius.

Aug. lib 2. qq. ad lib. Reg. q.4. Bonau. myſter. Theol. de via vnit. p.3. Gerſ. de mõte contemplat. c.25. Exod.17. 12. 1.Paral. 6.12. Pſal.6.7. Gen.24. 62. Luca 10. 39. Matth. 26.39. Luca 3. 46. Act.1.11.

Corporis habitudo, qua affectus excitet , eligenda.

admo

admoneremur nos ad Deum in oratione conuerti. Cùm oramus, inquit Augustinus, ad Orientem cóuertimur, vnde cœlum surgit; non tamquam sit ibi Deus, & quasi cæteras mundi partes deseruerit, qui vbique præsens est, non locorum spatiis, sed maiestate potentiæ. Sed vt admoneatur animus ad naturam excellentiorem se conuertere, id est, ad Dominum, cùm ipsum corpus eius, quod terrenũ est, ad corpus excellentius, scilicet cœleste, conuertitur. Conuenit etiam gradibus religionis, & plurimum expedit, vt omnium sensibus, & magnorum & paruulorum bene sentiatur de Deo. Ideo etiam extensis manibus, & in cœlum elatis, oramus, vt hoc habitu corporis ad sanctam conuersationem, & bonorum operum exercitationem hortemur. Quid manuum in oratione vult extẽsio? ait Chrysostomus. Hæ multis sceleribus ministerium exhibent. Et propterea iubemur eas tollere, vt orationis ministerium sit eis vinculum nequitiæ, & à malitia separatio: vt cùm rapturus, vel oppressurus, vel alterum sis percussurus; recorderis, quòd has ad Deum pro patronis emissurus es, & per has illud spiritale sacrificium offerre debeas, nec illas confundere, nec actionis prauæ ministerio fiducia priuare. Eas igitur emunda per eleemosynam, per misericordiam, per indigentium tutelam. Et ita eas offer ad orationem. Si non enim immundis vsus illis ad orationem fueris, multo minùs in peccatis eas extendens fueris iustus. Si minus times illotis manibus orare, quod est multo grauius magis expauesce. illotis quidem manibus orare, non tam absurdum est. Eas autem innumeris contaminare criminibus, hoc multam affert indignationem, & exitium.] Sic ille.

Aug. lib. 2. de ser. Domini in mõte.

Chrysost. hom. 79. ad popul.

Hic itaque finis ac scopus respiciẽdus est in habitudine corporis ad orationem admittenda; quòd illam assumamus, quæ nos excitet & accendat ad deuotionis affectum. Ad hoc enim viri spirituales nunc erecti, nunc flexi, nunc prostrati, nunc oculis in terram defixis; nunc luminibus in cœlum leuatis, orant: vt affectus animi hos varios modos inueniens, in seipso incrementum deuotionis accipiat. Vide quàm sapienter hoc dicat Augustinus. Quod orantes de membris sui corporis faciunt, supplicationibus congruit, cùm genua figunt, extendũt manus, vel etiam prosternuntur solo, & si quid aliud faciunt visibiliter, quamuis eorum inuisibilis voluntas, & cordis intentio Deo nota sit, nec ille indigeat iis indiciis, vt animus ei pandatur humanus: sed hinc magis seipsum excitat homo ad orandum gemendúmque humiliùs, atque feruẽtiùs. Et nescio quomodo hi motus corporis, nisi præcedente motu in animo, fieri possint, eisdem rursus exteriùs visibiliter factis, ille interior inuisibilis, qui eos fecit, augetur. Ac per hoc cordis affectus, qui, vt fierent ista, præcessit; quia facta sunt, crescit.] Ex his etiam fit notum, eam corporis dispositionem, etsi de se humillimam & deuotissimam, in orando esse deserendam, quæ ob aliquam caussam, vt ob imbecillitatem carnis nos impedit, & ab attentione & excitatione affectuum auertit.

Aug. lib. de cura pro mortuis c. 5.

Corporis habitus, licèt humillimus si ob ægritudinem attentionem impediat, relinquẽdus.

Hîc autem desiderandum est, ne ab aliquo accipiatur negligentiæ & tepiditatis occasio. Quare enitendum est, vt ita in oratione simus, quòd reuerentiam & humilitatem & timorem maiestatis diuinæ præferamus. Hæ namque habitudo corporis externa interioris venerationis est index, reuerentiã quoque mentis auget, & prouehit: nec quis intus reuerẽter assistit Deo, qui foris (cùm possit) corporis reuerentiam non habet. Et quidem licèt sola mente oremus; tamen cùm corpus opus sit Dei, cui proinde reuerentiam & gratitudinem debet, ex debito ipsi in oratione subiicitur. Necdũ quòd cùm, aliis præsentibus, meditationi insistimus, non parũ eos irreuerentia corporis ad tædium, & reuerentia ad similem affectũ prouocamus. Exterior hic corporis habitus sæpe in nostra potestate constitutus est, & valemus iuxta placitum nostrum, corpus reuerẽter in oratione collocare. Si verò id, quod possumus, non præstiterimus; mirum non erit, si internam deuotionem, quam appetimus, minimè consequamur. Sta igitur in orationis prece, ait Climacus, tremens; nec aliter quàm reus iudici assistens, vt & interiori & exteriori habitu fauorem iusti iudicis concilies. Neque enim animã patitur despicere viduam sibi anxiè astantem, molestiásque inuiolabiliter patientem.] Treme, ô frater, exteriùs, vt tremas interiùs: teipsum corpore ad reuerentiam cõpone, vt eam in animo merearis. Quoniam habenti dabitur, & abundabit: ei autem, qui non habet, & quod videtur habere, auferetur ab eo. Ita ora, velut qui cum Deo loqueris, velut qui æternam salutem cupis, ac vt qui tuam extremam vilitatem cognoscis.

Aptæ corporis dispositio præsentibus reuerentiam ingerit.

Climac. gradu 7.

Matth. 25. 29.

Sed vt ad magis specialia descendamus, optimus habitus corporis in oratione est, vt genuflexi cœlestia meditemur. Si enim terrenos reges flexis genibus alloquimur; cur coram summo regum Rege eodem modo non nos habebimus? Ad hunc corporis habitum in oratione suscipiendum Cæsarius Arelatensis Episcopus fideles vehementer hortatur, sic scribens: Vellem tamen scire, qui nec genua flectunt, nec inclinare capita volunt, si aliquid sibi satis necessarium, aut à iudice, aut ab aliqua potenti persona expeterẽt, vtrùm stantes, & recto capite negligenter & tepidè supplicarent. Rem terrenam ab homine terreno quærimus, & prope vsque ad terram nos humiliter inclinamus; & à Deo remissionem peccatorum, & æternam requiem inquirẽtes, nec capita nostra inclinare dignamur. Non ita legimus de beato Elia, & Eliseo, vel cæteris Sãctis, de quibus legitur, quòd frequenter prostrati in terram, ad Dominum cum omni contritione oraueriut. Et de ipso Domino nostro in Euangelio scriptum est; quòd procidens in terram ita orauerit, vt ab eo guttæ sanguinis stillarent. Quid enim indigebat Christus, vt taliter supplicaret? Nõ ille quicquam indigebat, sed nobis exemplo suo, orationis remedia pręparabat. Orat misericordia, & non orat miseria. Orat charitas, & nõ humiliatur iniquitas. Prostratus in terra orat medicus, & non inclinatur ægrotus. Orat innocentia, & non orat nequitia. Orat, qui peccatum non fecit, nec dolus inuentus est in ore eius; & non se prosternit multis peccatis obnoxius. Orat iudex, & desiderat parcere; & non orat reus, vt indulgentiam mereatur accipere. Orat iudicaturus, & orare dissimulat iudicandus. Non ergo pigeat, si infirmitas non prohibet, vt se vnusquisque in terram prostratus humiliet. Ad Ecclesiam, fratres, quasi ad fontem viuum, & ad spiritualem fluuium conuenire debemus, vt accipiamus aquam illam viuam, de qua Dominus dixit: Qui sitit veniat, & bibat: qui credit in me, flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ. Et iterum: Qui biberit aquam, quam ego dabo, non sitiet vmquam: sed fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam. Ad istum ergo fontem fœliciter currit, quicumque ad Ecclesiam fœliciter venit. Sed sicut de fonte terreno, & corporali fluuio non potest aliquis bibere, si se noluerit inclinare: ita & de viuo fonte Christo, & sancti Spiritus fluuio nemo vm-

Genuflexio, optima corporis dispositio.

Cæsar. hom. 34.

Habitudo corporis externa, venerationis interioris indicium.

Christus modũ in oratione tenẽdum nos docuit.

quam aquam viuam haurire poterit, niſi ſe humiliter inclinare voluerit, propter illud, quod ſcriptum eſt: Deus ſuperbis reſiſtit; humilibus autem dat gratiam.] Hactenus Cæſarius.

Deut.32. 2. Domini viſitatio, eſt pluuia nos irrigans.

Qui & ſtatim aliis ſimilitudinibus ad genuflexionem,& corporis curuationem, & capitis inclinationem in oratione ſuſcipiendas inuitat. In oratione namque illam pluuiam, illúmque rorem expectamus,de quo in Deuteronomio legimus:Concreſcat,vt pluuia, doctrina mea; fluat, vt ros, eloquiũ meum.] Talis enim eſt viſitatio Domini, quæ nos vt pluuia,& ros, ad ferendum fructum irriget. Nubes autem pluuiis onerata vallem, id eſt, eum, qui corpore & corde humilis eſt,irrigat: montem verò,id eſt, ſuperbum ad orandum ſedentem, aut iacentem præterit. Omnis vallis implebitur,inquit Iſaias, & omnis mons & collis humiliabitur.] Ne, obſecro, erectus, & ſine reuerentia ad orandum aſſiſtas,ne confundaris:ſed magis genu flecte,& vt ſpiritualis quædam vallis, humilia teipſum,vt donis exalteris, & cœleſti benedictione replearis. Si autem corpus aliquantulum fatigetur, non propterea ſtatim genuflexio prætermittenda eſt, modò fatigatio non eò vſque procedat,vt debitam attentionem adimat; quia ad locum orationis non ad pauſandum, ſed ad laborandum accedimus. Chriſtus in cruce tenſus corpore, pedibus, ac manibus conclauatis, & nudus, & frigore, ac doloribus oppletus orauit; & nos volumus ſine vllo ſenſu tantillæ incommoditatis orare? Sanè quàm longè ſimus à vero amore Chriſti, & à deſiderio noſtræ ſalutis, euidenter oſtendimus.

Isaiæ 40. 4.

Qui ſtãs orat ob inualetudinẽ, reuerẽtiam ſibi comparat.

Qui hunc corporis habitum in oratione longa præſertim non habuerit,quia inualetudo prohibet, aut attentio ac deuotio inprimis quærenda non ſuſtinet; oret ſaltem ſtans,& corpore rectus,qui modus non minimam reuerentiam importat. Nam & ſerui coram dominis ſuis ſolent ſtare:& beati ſtant ante thronum Dei(vt eſt in Apocalypſi) & ſic ſtantes ſuum creatorem laudibus celebrant. Et corpus ſic rectum, & oculi in ſuperna defixi, mentẽ ipſam ad cœleſtia dirigunt. Atque hanc corporis habitudinem ad affectus amoris Bonauentura optimam iudicat. Cùm ergo (illius ſunt verba) ſecundùm diuerſas affectiones,vel cogitationes diuerſus modus reperiatur ab orantibus opportunus; tamen in iſta ſpecialiter neceſſe eſt, quòd corpus totaliter ſit erectum, & facies verſa ad cœlum ſuperiùs, quia ſecundùm diſpoſitionem actionis ſpiritui reſpondentem formatur.] Et infrà: Cùm loquatur ad eum, quem in cœlis adorat; ſuperiùs eſt neceſſe faciem conuertere: cùm ibi eum deſiderando prouocet in ipſum totaliter transformari.] Licèt autem ſanctus hic Pater ad ſolos amoris affectus hãc corporis diſpoſitionem anguſtet; certum tamen eſt eam cuicumque meditationi & affectui conuenire, niſi quis dolore peccatorũ,& profunda humilitate ac compũctione preſſus,ad proſtrationẽ incitetur.

Bonau. Theol. myſt. in via p.3.

Stantis habitudo cuicumq; affectui conuenit.

Qui autem nec flexus genibus, nec ſtans orare potuerit, bene poterit ſedens meditationi & orationi vacare.De qua habitudine corporis(quando genuflexio attentioni impedimentum affert) hæc inquit Guillielmus Pariſienſis, quem Gerſon laudat. Quantum autem ego video, illa diſpoſitio corporis vnicuique in oratione ſua, & habenda & conſeruanda eſt,per quam adiuuari ſe maximè ſentit. Scio namque genuflexionem quibuſdam eſſe impedimentum orationi: ſimiliter & crebras genuflexiones; laborioſæ namque ſunt, & propter hoc de cogitationibus nonnihil in ſe rapiunt,& ob

Sedentis etiam diſpoſitio, eſt orationi apta. Guilliel. Rhetor. diuin.c. 25. Gerſon de monte contẽpl.

A hanc cauſſam cor humanum ad Deum toliter colligi non ſinunt:propter quod omnium diſpoſitionum corporis mihi conuenientior videtur eſſe accubitus, quo incumbitur ſub podiaculo alicui maximè ex parte ſiniſtra: magis enim quietat corpus, magíſque liberum permittit eſſe cor accubitus huiuſmodi:quinimmo expedire mihi videtur orantibus,vt quieto corpore ab omni moleſtia, & libero corde, ab omni mala diſtractione,ſeu ſollicitudine ſint in oratione, ſicut ſcriptum eſt de Ioſaphat,qui timore perterritus totum ſe contulit ad orandum Dominum.] Sic ille.Sed quod pro quiete,& feruore orationis captando, & pro ſenibus & mortificatis dictum eſt, nemo ad prætextum ſuæ tepiditatis aſſumat. Nam ſatis abſurdum eſſet,ſi adoleſcentiores & robuſti vellent ſedendo meditari, cùm decentiori modo poſſent rebus diuinis intendere. Hi ergo genuflexi orẽt,& aperto capite, ſi vltra vnam horam orationem non protrahant; aut ſaltem, ſi laſſentur, ſtantes orationem perficiant. Seniores verò, & imbecilles, & infirmi eam corporis habitudinem habeant, quam ſeruare potuerint:aut certè illam, quam (vt Dionyſius Richelius ait) commodiorem ad deuotionem excitandam, & conſeruandam putauerint.

B

Quomodo adoleſcẽtes,& rectè valẽtes debeãt orare.

Richel. lib. 1. de cõtẽplat. art.24.

Quartus comes Orationis; Diffidentia ſui.

CAPVT IV.

C

MEMINI me alio loco diffidentiam virtutum aſſequendarũ inſtrumentum feciſſe:nunc libet eam comitem orationis vocare; quoniam nihil æquè cor in meditatione quoad intelligẽtiam illuminat, & quoad affectum inflammat, ac ſi homo Deo ſoli fidens in hoc opere penitus ſibi diffidat.Eſt autem in oratione ſpecialis ratio, propter quam eius mentio habenda eſt, quòd ex illuſtrationum diuinarum præſtantia cognoſcitur. Si enim rex aliquis odio haberet illos,qui quælibet dona ab eo ipſis data ſibiipſis tribuerent, & bona, quæ habent è theſauris regis coemta, ſuis propriis expenſis ſe emiſſe prædicarent: quanto magis eos deteſtaretur, qui gloriam ex aliquo inſigni facinore ab eodem principe facto,quaſi furto ſurriperẽt, & ſe auctores eius mendaciter dicerent? Sic prorſus in negotio orationis euenit. Nam ſi Deus illorum oſor eſt, qui in quocumque bono opere ſibiipſis confidunt, &,excluſa gratia Dei, ſuis viribus tribuunt:quanto magis deteſtabitur eos, quorum tanta eſt cœcitas, vt præcipuum opus orationis, in quo credunt, ſperant, diligunt, & reliquas virtutes exercent, ſibiipſis attribuant? Id verò faciunt,qui in orationis ſtudio in ſeipſis confidunt, putántque non quidem intellectu, ſed ſuperbo quodam affectu abundantiam ſanctarum cogitationum ab acumine intellectus, & multitudinem piorum affectuum à placiditate voluntatis manare, & quicquid attentionis & reuerentię experiuntur,à proprio conatu & induſtria proficiſci. Horret animus exiſtimare, quòd inter viros ſpirituales ſint aliqui tam infami vitio præſumtionis infecti. Aliquos tamen eſſe non dubium eſt.Qui licèt ore dicant,& intellectu credant,quod verum eſt,ſe ſcilicet in omni opere bono,atque adeò in ſtudio orationis ab ſpeciali auxilio Dei pendere: tamen prauo quodam affectu ſuperbiæ ab hac veritate cogitationem auocantes, in ſemetipſis confiſi ad orationem accedunt, & ita in ea ſe cruciant,ita ſe anguſtant,ac ſi propriis manibus eſſent lucem capturi,& conatu infirmitatis ſuæ compun-

D

E

Lib. 3. de exterminat. mali.p.3.c... Propria diffidẽtia & intellectum in oratione illuminat, & voluntatem inflãmat. Deum,ſibi in oratione fidẽtes odio habere, declaratur exẽplo.

ctionem

ctionem, & deuotionem,ac lacrymas expreſſuri.

Quánam ratione nobiſipſis diffidẽtes ad oratio nem accedẽdum.

Accedamus ergo ad orationem nobiſipſis diffidentes, & fiduciam omnem noſtram in Deo collocantes. Sed id quomodo conſequemur? Ita ſanè, ſi frequenter ad memoriam reuocemus orationem eſſe donũ Dei,quam ipſe aliquibus tribuit vbi vult, quando vult, & quomodo vult: alios autem non ſolùm propter demerita, ſed etiam propter alias cauſſas nobis occultas,ſibi autem notas,& ſapientię plenas,abſq; hoc dono manere permittit.Duodecim erant diſcipuli Domini ad dignitatem Apoſtolatus vocati, & tres tantùm Petrus, Iacobus, & Ioãnes,reliquis omiſſis,vt in monte Chriſtũ tranſfiguratum viderent,aſſumti ſunt. Quin & ante ſex dies mirabilis apparitionis huius, dictum eſt ad o-

Matth. 16.28.

mnes:Amen dico vobis,ſunt quidam de hîc ſtantibus,qui non guſtabunt morte,donec videant Filiũ hominis venientem in regno ſuo.] Sic prorſus donum Dei eſt,quòd ad montem orationis voceris,& poſtquam vocatus fueris, quòd ad aliquẽ gradum admittaris. Vide, quia nemo poteſt adiicere ad ſtaturam ſuam cubitum vnũ,immo nec digitũ vnum, ſed ab ipſo Deo totam corporis magnitudinem accipit,& ſic animæ magnitudinem,virtutis augmẽtum,& orationis profectum,eo donante,& liberaliter concedente, recipit. Ego plantaui, ait Paulus,

1.Cor.3. 6.

Apollo rigauit, Deus autem incrementum dedit.] Quibus verbis, poſito labore hominũ, vniuerſum fructum Deo tribuit. Sic omnino,licèt multum labores, licèt ſis ſilentij & cellæ tenax; licèt teipſum abneges,licèt corpus caſtiges, licèt omnibus virtutibus ſtudeas,licèt hæc omnia vt apparatus ad orationem facias;nullo modo tibi fructum promittas: nec,ſi aliquid conſolationis, aut profectus habueris, tuis viribus tribuas; quia non vires tuæ, ſed Deus incrementum tribuit. Ipſe quidem cuiq; rei menſuram perfectionis naturæ partitus eſt: & iſte (exempli gratia) bos iſtam perfectionem, & ille leo aliam,& homo aliam ſublimiorem habet, quia Deus ita diſtribuit. Sic & gratiæ perfectionem diuidit, & quiſque illam menſuram orationis habet, quam Deus pro ſua benignitate illi dare diſpoſuit. Si ergo oratio donum cœleſte eſt, nec omnes capiunt illud, ſed quibus datum eſt; quánam ratione in exercitio eius tibiipſi confidis?

Oratio cœleſte donum.

Ad orandum,præter volũtatẽ efficacẽ, nouum auxiliũ requiritur.

Illud etiam propriam fiduciam eliminat, ſi homo attendat longè aliud eſſe habere voluntatẽ efficacem rectè orandi; aliud verò hanc voluntatem executioni mandare. Nã poſita illa volũtate,quam abſque dubio creat gratia Dei, & excitatis ardentiſſimis orationis deſideriis,adhuc ſi nouis auxiliis non iuuemur, nequaquam orationis actum eliciemus.Quod licèt omnibus bonis operibus cõmune ſit; tamen in mentali oratione, ex humanæ ſolùm naturæ cõſideratione perſpicitur. Vis manum mouere, & ſtatim moues: vis progrẽdi, & è veſtigio progrederis;vis quieſcere,& nulla interiecta mora, teipſum ſiſtis. Non ita eſt de internis viribus, quæ reſpectu voluntatis non deſpoticã,id eſt, ſeruilem; ſed politicam,& liberam ſubiectionem,habent.Vis attentè cogitare; & quantumuis attendas, & nitaris, te nolente, imaginatio diſtrahitur: vis odium peccati concipere, & cor ſaxo durius ad compunctionem non emollitur: vis virtutem appetere, & appetitus ad inania rapitur. Cùm ergo vires internæ ſint mentalis orationis inſtrumenta, quónam modo, niſi Dominus has rebelles ancillas tibi ſubiiciat,in oratione proficies? Corpus,quod corrumpitur, aggrauat animã; quo igitur pacto in cœlum aſcendet, niſi Deus grauedinem tollat, & ad oran-

Vires internæ voluntati liberè ſubiiciũtur.

dum alas efficacis gratiæ præbeat? Macharius certè Ægyptius hanc rem pulchra ſimilitudine patefecit. Sicut cùm quiſpiam,inquit,videns auem volãtem, ſi velit & ipſe volare, vtique non poteſt, cùm alas non habeat:ſic & homini quidem adiacet velle purum eſſe (intellige tu non ſine gratia Dei) irreprehenſibilem,immaculatum,& nihil habere in ſe vitij,ſed ſemper eſſe cum Deo: facultatem autẽ non habet. Volare quidem in aërem illum diuinum,atque libertatem ſancti Spiritus conſequi deſiderat: atqui niſi alas acceperit,id nõ poteſt.] O quàm ſæpe ad Deum mente conſcẽdere, & ipſi ſanctis affectibus iungi vehementer cupimus,& hac mortalitate preſſi,ab illa altitudine cadimus,& luto ac fæcibus rerum terrenarum inhæremus! Iuréque poſ-

Macharius homil.2.

Rom. 7. 18.

ſumus cum Paulo clamare: Velle adiacet mihi; perficere autem bonum,non inuenio.] Opus enim hoc non ſolius voluntatis humanæ eſt, ſed gratiæ quoque diuinæ.Vnde quantumuis velis,quantumuis coneris, quamdiu gratiæ aduentus differtur, opus ipſum non perficies.

Pſal. 59. 11.

Verùm interrogas: Quis deducet me in ciuitatem munitam? Quis deducet me vſque in Idumæam? Quis,inquam,me faciet arcem contemplationis obtinere, & per eam,aut ex ea, tãquam ex loco munitiſſimo,me armatum exire, & Idumæam,carnem meam,& inania deſideria ex ea profluẽtia ſuperare?Sed tibiipſi ſequenti verſu reſponde:Nónne

Verſ.12.

tu Deus, qui repuliſti nos; & non egredieris Deus in virtutibus noſtris?] Tu,inquã,Domine,qui nos antea repuleras,iam ingenita benignitate placatus, nos deduces. Tu egredieris ante nos; vt & ingreſſus ad nos per orationẽ,& egreſſus ad pugnandum aduersùs hoſtes,non viribus noſtris,ſed tuæ gratiæ tribuatur. Cùm ergo cordis inſtabilitate, & rerum labentium ſeſe menti noſtræ ingerentium importunitate, & dæmonum acerrimo bello impugnamur, ne tibi,& rebus cœleſtibus vacemus; tu, qui potens es, da nobis auxilium ad ſuperandam tribulationem hanc, quia vana eſt ſalus hominum. Ipſi quidem ſibi relicti impedire nos poſſunt, ſed ſaluare omnino non poſſunt.

Experiẽtia propria,diffidentia comparatur.

Proprij tandem experimenti conſideratio hanc diffidentiam parit. Qui enim aliquid facere, aut aſſequi ſæpe conatus eſt, & ad illud peruenire non valuit; facilè dum ſe viribus auctum non ſentit,ſibiipſi diffidit. Reuoca in memoriam annos conuerſationis tuæ poſtquam ad Deum conuerſus es, & ipſi abundè te docebunt, quàm ſtultum eſt tibiipſi confidere. Quoties voluiſti ad rerum diuinarum contemplationem te colligere, & occupationibus irruentibus, vel ægritudinibus prementibus, impeditus es, & quaſi à loco ipſo orationis reiectus? Quoties opportunitatem orandi & meditandi nactus, cogitationum inanium, aut curarum multitudo te oppreſſit,nec ad Deum volare permiſit? Quoties, ceſſante cogitationum, curarum, & affectuum moleſtia, cor ipſum dormituriens,& nihil,nec malum nec bonum cogitare valens,& quaſi inuiſibili catena, ne in Deum tenderet, vinctum ſenſiſti? Quoties mens per multa ac varia bona cogitata ſe effudit;& abſque excitatione alicuius affectus,& quaſi ieiunus, aridúſque manſiſti? Denique vide, quem nunc gradum orationis habeas; quouſque ſis in hoc ſtudio promotus;& ſi te forſitan diuitem putes, eo ipſo ſcito te eſſe pauperrimum, qui in tuguriolo tuæ tepiditatis educatus, & numquam vrbem opulentiſſimam perfectionis ingreſſus, quæ ibi magnalia ac prorſus admiranda contemplationis dona ſint, neſcis. Si verò quia hæc

legisti, aut à viro perfecto, & in his rebus experto, audiuisti, tuam paupertatem agnoscis,& quàm nudus & famelicus ante limen domus contemplationis iaces; vide si poteris conatu tuo, & viribus tuis dona illa eximia orationis comparare. Huius cœlestis paradisi, in quo Deus spirituales & perfectos viros collocat, non solùm aditus, sed etiam ianuæ occultæ sunt : nec solùm fines,verùm & principia, Deo auctore, panduntur. Collocauit Dominus ante hunc paradisum voluptatis Cherubim, & flammeum gladium,atque versatilem ad custodiendam viam ligni vitæ. Multa namque impedimenta esse permisit, quæ ingressui ad intimam cum ipso familiaritatem obstent, & sola eius auxilia huiusmodi obstacula superare valent. Quare igitur nobis fidemus, & non potiùs ab eius solius gratia suspensi, auxilium ab eo ad ingrediendum postulabimus?

Gen. 3. 24.

Quibus modis à nobis Deus fiduciam propriã expellat.

Multrifariam, multisque modis nos Deus hanc propriæ fiduciæ expulsionem docet. Quosdam interdum absque aliqua notitia orationis internæ,aut absque illius æstimatione & desiderio ad tempus manere sinit, vt postea discant donum orationis, quod habent, Dei munus fuisse, non verò à propriis viribus emanasse. Alios iam ad studium orationis admissos mentis ariditate percutit, & multiplicibus distractionibus impugnari non prohibet, vt postea discant quietem & consolationem non à proprio conatu (etenim priùs quantum poterant conabantur) sed à Dei virtute fuisse profectã. Alios dulcedine, & admiranda consolatione recreatos subitò illis ineffabilibus bonis spoliat, & quasi nihil vmquã boni sensissent, dæmonibus impugnandos, & pro illo fœlici statu horrendis tentationibus vrgendos exponit; vt priorem illam tranquillitatem non fructum partæ virtutis, sed cœleste donum esse perpendeant. Agnoscúntque quàm verum sit illud Iob : Visitas eum diluculo, & subitò probas illum.] Diluculo enim nos Dominus visitat, ait Gregorius,quia erroris nostri tenebras luce suę cognitionis illustrat, cõtemplationis munere subleuat, in arcem virtutis exaltat. Sed subitò hominem probat; quia accedendo corda nostra ad virtutes prouehit; & recedendo concuti tentatione permittit.Si enim post virtutum munera nulla tentatione concutitur,has se habere animus ex semetipso gloriatur.] Alios denique, quos sæpius per viã consolationis ducit,& frequentiùs visitat, cùm feruentiùs se præparauerant, & accuratiùs se pro magna aliqua festiuitate Ecclesiæ celebranda dispoſuerant,fel tunc eis amaritudinis,tristitiæ,& desolationis immittit,& dies non Paschatis,sed acerbissimæ passionis tribuit, vt nulla in illis supersit propria fiducia, sed videant, & manibus contrectent, & fateantur, consolationes Domini non à suis apparatibus,& laboribus,& ieiuniis, sed à mera Dei gratia profieisci. Tunc discunt de seipsis desperare,vt illam Ieremiæ maledictionem euadant, quæ aduersùs fiduciam propriam promulgata est: Maledictus homo,qui confidit in homine,& ponit carnem brachium suum, & à Domino recedit cor eius.] Quo loco non solùm ille damnatur, qui in alio homine; sed etiam, qui in semetipso confidit. Vnde Basilius hæc verba secundùm versionem septuaginta virorum inducens, sic ait : Quæ verba cùm dicunt : Qui confidit in homine; illud præcipiunt, nequaquam spẽ in altero poni debere. Cùm autem & fulcit carnem brachij sui; in se sui habendam fiduciam vetant.Istorum autem vtrumque defectio à Deo nominatur.] Sic ille.

Iob 7. 18. Greg. 8. mor.c.17.

Ieremiæ 17.5.

Basilius reg.42. fusi.disp.

Donum hoc, ô vir Dei, diffidentiæ propriæ magni momenti est. Sine quo (agente tecum benignè Domino,ne superbias) numquam in oratione progressus facies. Vt enim inquit Laurentius Iustinianus, Fiducia propria, cùm ex mentis deliberatione elationis sit filia,spiritualium facultatum dispergit copiam, atque ad opus bonum infirmum reddit animum,adeò vt illa perdurante in corde,nũquam firma proficiendi spes vigeat.] Sara in iuuentute non concipit,quãdo poterat in naturæ vigore confidere:& in senectute concipit,& parit, & lactat filium, quando iam nouerat de seipsa desperare. Sic dum in teipso confidis, sterilis in oratione manes; & tunc irroraris,& fæcundaris, cùm tibiipsi diffidis. Pete illud à Domino,& vt vidua illa quæ petiuit à vicinis vasa vacua non pauca, quæ oleo plena facta sunt; cor teipso, & omni fiducia propria vacuum,quod à Domino sua gratia impleatur,postula tibi concedi. Respexit in orationem humilium, ait sanctus Dauid. Quo loco Hieronymus transtulit:Respexit in orationem vacui,siue egeni:quia nimirum Deus illius orationem respicit,vt exaudiat, quem seipso vacuũ,& confidentia propria egenum considerat.Erue à framea,Deus,animam meam,ait alio loco; & de manu canis vnicam meam. Vel, vt idem vertit : solitariam meam. Sentiens videlicet optimum remedium ad promerendum,quod optabat, esse, solius Dei ope niti.

Sine diffidentia propria nullus est in oratione profectus. Iustinia. in stimul. Lat. amoris. c.3.

Psal.110. 18.

Psal.21. 21.

Efflagita,vt (si aliud fieri non expediat) etiã tribulationibus & ariditatibus illud demum tibi prębeat.Nam hoc postulabat sponsa,dicens:Trahe me post te; curremus in odorem vnguentorum tuorum.] Trahi ad familiaritatem sponsi etiam tribulatione desiderat; vt ipsa vel hoc modo tracta infirmiores animas abiicere sui fiduciam doceat; vt ipsæ cum ea pariter currant.Ego,ô sponse,experiar quàm durum sit ariditate probari, cœlum æneum ac ferreum experiri, per multas horas pulsare, & absque responso manere; immo quasi cum repulsa ab oratione discedere, vt animas meæ curæ commissas efficaciter erudiam, quomodo debeant omnem sui fiduciam depellere,& à te solo tamquam ab omnium bonorum auctore pendere. Tunc omnes hanc scientiam veræ humilitatis edoctę post te curremus; & licèt diuersa ratione eam didicerimus,ego flagellis, illæ sermonibus, cunctæ tamen pariter consolabimur. Nunc vide quàm pulchrè hunc sensum prosequatur Bernardus.

Cant.1. 3.

Disce(inquit)per hoc verbum à me in spirituali exercitio duplex auxilium desuper sperare, correptionem, & consolationem. Altera foris exercet, altera visitat intus.Illa reprimit insolentiam,ista in fiduciam erigit.Illa operatur humilitatem, ista pusillanimitatem consolatur. Illa cautos,ista deuotos facit. Timorem Domini docet illa, ista ipsum timorem infuso temperat gaudio salutari, sicut scriptum est:Lætetur cor meum,vt timeat nomen tuũ. Item:Seruite Domino in timore;& exultate ei cum tremore. Trahimur, cùm tentationibus & tribulationibus exercemur. Currimus,cùm internis consolationibus & inspirationibus visitati, tamquam in suaueolentibus vnguentis respiramus. Ergo quod austerum & durum videtur, retineo mihi tamquam forti, tamquam sanæ, tamquam perfectæ, & dico singulariter : Trahe me. Quod suaue, & dulce, tibi tamquam infirmo communico, & dico:Curremus. Noui ego adolescentulas delicatas & teneras esse, & minùs idoneas sufferre tentationes; & propterea mecum volo, vt currant, sed non, vt mecum trahantur. Volo habere socias consolationis, non autem & laboris. Quare:Quo-

Bern.ser. 21. in Cant.

niam

niam infirmæ ſunt, & vereor ne deficiant, ne ſuccumbant. Me, inquit, ô ſponſe, corripe, me exerce, me tenta, me trahe poſt te: quoniam ego in flagella parata ſum, & potens ad ſuſtinendum. Certatim ſimul curremus; id eſt, ſola trahar, ſed ſimul curremus. Curremus, curremus, ſed in odore vnguentorum tuorum: non in noſtrorum fiducia meritorum. Nec in magnitudine virium noſtrarum currere nos confidimus; ſed in multitudine miſerationum tuarum. Nam etſi quando cucurrimus, ac voluntariæ fuimus; non fuit volentis, neque currentis, ſed miſerentis Dei. Reuertatur miſeratio, & curremus. Tu quidem in virtute tua tamquam gigas & potens curris: nos, niſi vnguenta tua ſpirauerint, non curremus. Tu, quem Pater vnxit oleo lætitiæ præ conſortibus tuis, curris in ipſa vnctione: nos illius odore curremus. Tu in plenitudine, nos in odore.] Sic ille. Hic autem curſus, & hic profectus non illorum eſt, qui confidunt in virtute ſua, & in multitudine diuitiarum ſuarum gloriantur; ſed illorum, qui abiecta omni propria fiducia, humilitatis ſtola & confidentia in Dominum induuntur.

Quomodo ad orationē accedēdum.

Ad orationem itaque, vir Dei, accedes tibiipſi diffiſus, ſed in diuinæ miſerationis auxilio confiſus. Accedes ad eam, non tamquam homo potens aliquid agens; ſed tamquam mendicus ſtipem recipiens. Non velut qui loquitur, ſed veluti qui ab alio dicta auſcultat, & ipſa conſiderat. Accedes, vt terra ſemina bona complectens, & pluuiam de cœlo cadentem excipiens, quibus poſtea fructum bonorum operum feras, & cum fœnore inſpirationi immiſſæ reſpondeas. Accedes, vt puer characteres ſcribere neſciens, qui manum ludimagiſtri ſuæ manui ſuperponi deſiderat, vt optimos characteres efficiat. Sic ingenium tuum, & capacitatem tuam non aliter quàm manum pueri ignorantis aſpicies, cui gratia Domini, vt manus magiſtri, ſuperponitur, vt congruis cogitationibus, & ſanctis affectibus veſtiatur. Accedes, vt infantulus, qui nihil ſcit, niſi matrem, aut nutricem reſpicere, & lacrymis genas rigare. In quo certè illo inueniris inferior; quia ſine adiutorio Dei, neque in illum reſpicere, nec plorare valebis. *Luc. 14. 2.* Accedes, vt ille hydropicus, de quo ſolùm dicitur, quòd erat ante illum. Sic ante Dominum te conſtitues, & lucem, ac ardorem, & reliqua dona, quæ in oratione dantur, expectabis. Accedes, vt leproſus ille, qui dicebat: Domine, ſi vis, potes me mundare: & omnem profectum tuum diuinæ diſpoſitioni committes. Si tibi aliquid datum fuerit, gratias ages, & pro maiori dono ampliorem gratiarum actionem referes: ſi autem, quod optabas, fuerit denegatum, non propterea ex animi elatione turbaberis. Nec tibi nouum videbitur, poſt multas diſpoſitiones ad orationem obtinendam factas, aliquam repulſam pati. Scies enim orationem non debitum, ſed donum eſſe, quod ex libera Dei voluntate manat, & cui vult, & quando vult miſericorditer erogat.

Sic accedens non in teipſo, ſed in tui conditoris gratia confidis, & ſic piè & ſalubriter ages, ab illóque actione diſcedis, de quo Salomon: *Prou. 12. 2.* Qui confidit in cogitationibus ſuis, impiè agit.] Ille enim confidit in cogitationibus ſuis, qui ita ſe habet, ac ſi ex ingenio ſuo, & ex iis, quæ inuenire & conſiderare poteſt, donum orationis penderet. Is impiè agit, quia Deo, quod re vera ſuum eſt, ſcilicet donum orationis, non tribuit. Qui, & meritò, ab eodem Sapiente, alio loco, ſtultus vocatur. *Prou. 28. 27.* Qui confidit in corde ſuo, ait, ſtultus eſt; qui autem gradi-

Sibi confidēs impiè.

A tur ſapienter, ipſe ſaluabitur.] Planè inſipiēs, qui à ſolo corde ſuo ſpinas ac tribulos proferente, putat flores pulcherrimos ſalutarium cogitationum, & bonorum affectuum colligere, vt qui putaret roſas & flores ad pauimenti ornatum artificiosè diſpoſitos, ab ipſo pauimento procreari. At qui ducem habuerit ſapientiam, qui ſcilicet ſe nouerit à Deo ſapientiæ auctore duci, & ſanctis meditationibus prouehi; is tum ab ſterilitate, quam ſibi fidentes ſuſtinent; tum ab illuſionibus liberabitur. In hoc ergo magna pars laboris noſtri collocetur, vt in oratione nobiſipſis diffidamus, & eā, ac eius quemeumque profectum, gratiam Domini, ac miſericordiam eſſe putemus. Nec iſta verba de ſola cognitione accipienda ſunt, qua intellectus credit cuncta bona à Domino prouenire (quis enim niſi à fide deficiens oppoſitum credat?) ſed ad affectum applicanda. Ita ſcilicet, vt quemadmodum intellectu credimus donum orationis, ſicut & cætera bona, à Deo procedere: ita voluntate fiduciam in ipſo collocemus, & nobiſipſis quantumlibet diſpoſitis, & ad orandum paratis diffidamus. Et quia donum hoc fiduciæ proprię pellendæ, ac in Deo ſtatuendæ magnum & pretioſum eſt, & quibuſdam difficile, illis ſcilicet, qui numquā, aut rarò ſunt ariditates & deſolationes experti; ideo orādus eſt Deus inſtāter, vt hoc donum inferat menti, & per veram humilitatem ianuam ad ſolidum orationis fructū aperiat.

B

Diffidentia tum in intellectu, tū in volūtate ſit.

C

Quintus comes Orationis, Reuerentia.

CAPVT V.

FIDVCIA hæc, quam in Deo collocamus, & à nobiſipſis, ac à viribus humanis tollimus, vt non impedimentum, ſed comes & incitamentum orationis fiat; talis ſit neceſſe eſt, vt ab orantibus ſollicitudinem Deo cooperandi non adimat, & noſtram diligentiam non excludat. Nam ſecundùm voluntatē Dei eſt, vt nobiſipſis diffidamus, & etiam eſt voluntatis eius, vt, ſecundùm menſuram gratiæ nobis datam, pro orationē adipiſcenda laboremus. Neque repugnant hæc duo; vt ſcilicet, quod tuum eſt, ad finem aliquem obtinendum ipſe facias, & vt non in tuis viribus, ſed in alterius adiutorio confidas. Hæc duo ſimul in illo fortiſſimo duce Iuda reperimus expreſſa. Accingimini, ait, & eſtote filij potentes, & eſtote parati in manè, vt pugnetis aduersùs nationes has: ſicut autē fuerit voluntas in cœlo, ſic fiat.] In Deo profectò confidebat, qui ab eo fœlicē belli euentum ac victoriam expectabat: & cooperationem hominis minimè ſuperfluam putabat, qui robur exercitus ſui, & bellicum apparatum non reiiciebat. Equus paratur ad diem belli, inquit Salomon, Dominus autem ſalutem tribuit.] Non ſunt, inquam, humana media poſthabenda, licèt à Domino ſalus proueniat, quin potiùs omnimodis ſunt ad finis obtentum applicanda. Et in re, de qua agimus, Gregorius ait: Ille veram Deo orationem exhibet, qui ſemetipſum, quia puluis ſit, humiliter videt; qui nihil ſibi virtutis tribuit; qui bona, quæ agit, eſſe de miſericordia conditoris agnoſcit.] Ita nimirum bona agit, vt bonos rerum euentus ſibi non tribuat: & ita in Deo confidit, vt bona opera facienda non deſerat.

Fiducia in Deo noſtram diligentiā amplectatur.

1. Mach. 3. 58.

Prou. 21. 31.

Greg. 2. mor. c. 27.

Hæc dicta ſunt, vt fiduciæ in Deo collocandæ & à nobis tollendæ documentum, remiſſionem, aut puſillanimitatem non afferat, ſed ſolùm inanem præſumtionem depellat. Debemus enim ita

D

E

Diffidentiam reuerentia cõsequatur.

nobisipsis diffidere, & in Deo omnem fiduciam
A constituere; vt tamen ad necessaria pro dono orationis rectè exercendo conemur, & quod in nobis est diligenter strenuéque faciamus. In oratione ergo, ac meditatione diuinorum quisque reuerenter se habeat, & post fiduciam non in se, sed in Deo colloceatam, magnam quamdam reuerentiam erga Deum, toto orationis tempore, custodire gestiat. Dominus namque de illis amarè queritur, qui ei minus reuerenter assistunt. Quare per Malachiam

Malach. 1.6.

ait: Filius honorat patrem, & seruus dominum suum: si ergo Pater ego sum, vbi est honor meus? & si Dominus ego sum, vbi est timor?] Cogita seriò tu, Deus qualis sit Pater, & qualis Dominus: & inde elicies, qualis ei reuerentia debeatur. Si

Qua reuerentia, & quis honos Deo deferendus.

enim pro mensura effectionis atque dominij reue-
B rentia exhibenda est; quàm ingens reuerentia debita erit illi Patri, à quo non tantùm materiam vilissimæ carnis accepimus, sed quicquid naturæ & gratiæ in nobis est, & quicquid gloriæ erit, obtinebimus? Et quis honos offerendus erit illi Domino, qui non solùm externas nostras actiones possidet, sed supra vitam & animam potestatem habet? Angeli quidem orationes nostras Deo cum eximia quadam reuerentia offerunt. De quibus in

Apoc. 5. 7.

Apocalypsi dicitur, quòd ceciderunt, id est, se cum eximia reuerentia prostrauerunt coram Agno, habentes citharas, & phialas aureas plenas odoramentorum, quæ sunt orationes Sanctorum. Nos verò, quorum sunt orationes, & quibus summopere è re est, vt exaudiantur, eas irreuerenter fundemus? Hoc erit, quod Angeli faciunt, nostra incuria & irreuerentia dissipare.

Reuerentia feruorẽ accendit, & Dei amorem. Ambros.

Quanti autem momenti hæc reuerentia sit, ex multis profectò perspici potest. Reuerentia namq; feruorem orationis, & erga Deum amorem accendit. Quod Ambrosius eumdem locũ Apocalypseos interpretans fatetur, dicens: Cadunt coram Agno, cùm per meditationem diuinarum Scripturarum considerantes immensam clementiam Dei, humiliant se in conspectu creatoris sui: & quanto se per humilitatẽ deiiciunt; tanto amplius in amore eius exardescunt, quia humilitas, quæ fit in conspectu Dei, nutrit amorem Dei.] Hîc, humilitatis nomine, reuerentiam intelligit, qua certum est prouehi amoris affectum. Quanto enim reuerentiùs Deo
D assistimus, tanto eum erga nos benigniorem ac suauiorem sentimus. Hoc autem diuinæ suauitatis experimentum, quid aliud est, nisi dilectionis incitamentum? Esther præ reuerentia, & timore regis Assueri pene exanimis facta, quid pallore vultus ex nimia reuerentia contracto promeruit? Certèquòd regis furentis cor in mansuetudinem verteretur: qui & à throno exiliens blãdissimis verbis eam alloquutus, ait: Quid habes, Esther? Ego sum frater tuus, noli metuere.] Si huius tantæ benignitatis caussa, est amor sponsi erga sponsam plurimas vxores habentis; quid putas faciet amor Dei in pectore eius, cùm animam, quam infinitè diligit, præ timore & reuerentia angustatam videt? Nónne eam
E complexabitur? Nónne verbis mollissimis alloquetur? Ipsa verò Dei amorem experta, quid faciet? Numquid tunc ab amore cessabit? Equidem existimo, quia otiosa non manet, nec à tenerrimo dilectionis affectu desistit.

Diuina delectatio dilectionem incitat.

Esther 15.12.

Reuerentia affert attentionem.

Hæc etiam reuerentia in meditatione, & quocumque alio orationis genere attentionem infert. Vnde interrogatus Basilius quomodo quis assequi possit, ne mente inter orandum distrahatur, respondet: Nimirum si certò credat Deum se ante
A oculos habere. Si enim principem aliquis, aut præsidem intuens, & cum eo loquens, oculos ab eo dimouere non solet, qui non tandem credibilius est intentam mentem habiturum illum, qui Deo preces adhibeat, in eum, qui scrutatur corda, & renes? Et illud facturum, quod scriptum est: Leuantes puras manus sine ira, & disceptatione.] Optima sanè responsio. Nam reuerentia non solùm potens est euagationes abigere, verùm & molestias corporis incidentes superare. De quodam enim puerulo Alexandri ministro res mirabilis proditur, quam verbis Ambrosij libet enarrare. Illud, inquit, exemplum proditur: Alexandro sacrificãte Macedonum rege, puerulum barbarum, qui ei lumẽ accenderet, excepisse ignem brachio, atq; adusto corpore, mansisse immobilem, nec dolorem prodidisse gemitu,
B nec tacito pœnam indicasse fletu. Tanta in puero barbaro fuit disciplina reuerentiæ, vt naturam vinceret, atq; ille non deos, qui nulli erant, sed regem timebat. Quid enim timeret eos, qui, si idem ignis eos contigisset, arsissent?] Idipsum ex parte in viris spiritualibus aspeximus; qui in oratione constituti præ reuerentia imbecillitatem corporis superant, & calorem, aut frigus, ac alia multa ab oratione auocantia quasi contemnentes, prætereunt, ne debitum modum assistendi Deo, aut mentis intentionem in eum reliquisse videantur.

Basilius Reg. breuior. ad interrog. 201.

Ambros. lib. 3. de Virgin.

A reuerentia tandem prouenit, vt in oratione exaudiamur, & donis concupitis cumulemur. De Christo Saluatore nostro Paulus quid dicit? In die-
C bus carnis suæ preces supplicationésque ad eum, qui possit illũ saluum facere à morte, cum clamore valido, & lacrymis offerens, exauditus est pro sua reuerentia.] Quid est, pro sua reuerentia? Nisi pro ea veneratione eximia, & reuerentia incredibili, qua, secundùm quod homo, erga Patrem se gessit. Ille tantus redemtor, & verè Filius Dei pro reuerentia exauditur; & tu sine reuerentia putas exaudiendum te esse, &, quod petieris, impetrare? Bernardus quidem ex intuitu maiestatis Dei, & Angelorum astantium illi, nos ad reuerentiam excitare contendit, sic scribens: Omnino siquidem oportet nos orationis
D tempore curiam intrare cœlestem; illam vtique curiam, in qua Rex regũ stellato sedet solio, circumdante innumerabili & ineffabili beatorum spirituum exercitu. Vnde & ipse, qui viderat, quia maiorem numerum non inuenit; Millia, ait, millium ministrabant ei, & decies centena millia assistebant ei. Quanta ergo cum reuerentia, quanto timore, quanta illuc humilitate accedere debet à palude sua procedens, & repens ranũcula vilis? Quàm tremebundus, quàm supplex, quàm denique humilis, & sollicitus, & toto intentus animo maiestati gloriæ, in præsentia Angelorum, in concilio iustorum & cõgregatione assistere poterit miser homuncio?
E In cunctis igitur actionibus nostris multa opus est animi vigilantia, sed præcipuè in oratione. Etenim sicut in regula nostra legimus, licèt hora omni, & omni loco, oculi Domini super nos speculentur, maximè tamen in oratione. Licèt enim semper videamur, sed nunc etiam præsentamus & ostendimus nos, quasi facie ad faciẽ cum Deo loquentes.] Ita igitur oremus, vt & in reuerentia ipsa signum diuinæ erga nos benignitatis accipiamus, &, quod petierimus, impetremus. Scriptum est enim: Ante grandinẽ præibit coruscatio; & ante verecundiam præibit gratia, & pro reuerentia accedet tibi bona gratia.] Coruscatio oculos exhilarans, grandinẽ & tonitruum præcedit: grandinẽ quidem re vera, quia ipsa ruptione nubis elicitur; tonitruũ verò ad sen-

Reuerentia facit, vt in oratione exaudiamur. Hebr. 5. 7.

Bern. de quattuor modis orandi.

Angelorum præsentia reuerentiã parit.

Eccli. 32. 14.

sum;

ſum;quia prius fulgur oculis obiicitur,quàm tonitruũ audiatur. Ita gratia,aut fauor Dei ad modum coruſcationis mentem exhilarans, verecundiam & reuerentiam ad ſimilitudinem tonitrui,aut grandinis nos conſtringentis, præcedit. Quia ſignum eſt præuenientis gratiæ Dei, ſi ipſum honoremus & reuereamur. Nec ſolùm hoc; verùm & pro reuerentia habita,accedet nobis bona gratia:nam,quod petierimus, obtinebimus.

Reuerentia, præuenientis gratiæ ſignum.

Sed vide etiam quomodo reuerentia cœleſtibus donis ea præditum cumulet. Audi tacens,ait ſuprà idem Sapiens, & pro reuerentia accedet tibi bona gratia.] Nam ſi in oratione non tantùm Deum alloquimur, ſed ipſum etiam audimus; quid eſt tacentes audire, niſi reuerentes & humiles ad orationem accedere? Si ita acceſſeris, optimus mercator efficieris:pro reuerẽtia enim, quam exhibes, gratia & miſericordia ditaberis. Experta eſt hoc Magdalena ſedens ſecus pedes Domini,& audiens verbum illius; de qua hæc Auguſtinus:Sedebat ad pedes capitis noſtri.Quanto humilius ſedebat,tanto amplius capiebat. Confluit enim aqua ad humilitatem conuallis,denatat de tumoribus collis.] Experta eſt & ſponſa,quæ in lectulo ſuo,& per noctem quærebat,quem diligit anima ſua.Quid enim ſecretius lecto? Sed quid occultius nocte? Hæc (auctore Bernardo) non ſolùm loci ſolitudinem ad inanem gloriam vitandam, ſed etiam pudorem animæ, & verecundiam ad reuerentiam exhibendam denotant. Quia verò reuerenter & verecundè ſponſum quæſiuit; licèt non tunc in lecto, at paulo pòſt in ipſa nocte, pertranſitis cuſtodibus, illum inuenit. Licèt enim ſponſus ad tempus, & pro bono noſtro ſe ſubtrahat; ſed numquam, niſi reuerenti animo,& pudicè quærẽti,ſeipſum oſtentat. Magni ergo momenti eſt reuerentia orationi adiuncta, qua & Deum,vt oportet, alloquimur, & eum ad exauditionem orationum noſtrarum,& ad largam donorum effuſionem inflectimus.

Eccli.32. 9.

Aug. de verb.Domin. ſer. 27.c.2.

Cant.3. 1.

Bernard. ſer. vlt. in Cant.

Scrutemur nunc quomodo hæc mentis reuerentia opere implenda ſit:nam de reuerentia externa, quæ in corporis curuatione, in genuflexione,in proſtratione,& in alia qualibet membrorum humiliatione conſiſtit, iam diximus. Huius reuerentiæ ſubſtantia eſt,ſi de Deo ſublimiſſimè, ac de nobis abiectiſſimè ſentiamus; ac propterea more viliſſimorum mancipiorum coram illo mente etiã, & corde proſternamur. Reſpiciamus nos in illo,vt piſciculi in immenſo mari; vt ſtellulæ in firmamento; vt atomi vix apparentes in vniuerſo orbe:nam re vera multo magis,immo in infinitum, à Deo excedimur, quàm iſta, à quibus continentur, exceduntur. Ab hac cognitione, & affectu (nam reuerentia partim ad intellectum cognoſcentem, partim ad voluntatem ſe ſubiicientem pertinet) orationem inchoëmus, ſecundùm illud Salomonis: Iuſtus prior eſt accuſator ſui.] Et Chryſoſtomus ac Hieronymus addunt,iuxta Septuaginta: In initio ſermonis. Nam in ipſo orationis,ſeu ſermonis cum Deo initi exordio, optimum eſt noſipſos accuſare, & ingratiſſimos peccatores agnoſcere; ipſum verò Deum ſanctum ac iuſtum fateri.Quare Gregorius, cùm priùs dixiſſet peccatis orationis fructum impediri, optimè ſubdit: Qua in re hoc eſt ſalubre remedium,vt cùm ſe mens ex memoria culpæ deprehendit, hoc priùs in oratione defleat, quod errauit, quatenus,cùm erroris maculas fletibus tergit, in petitione ſua cordis facies ab auctore munda videatur.] In eodem quoque motu reuerentiæ erga Deum toto orationis tempore perſeueremus. In Exodo enim præceptum erat filiis Iſraël, vt Paſchalem agnum comederent feſtinanter. Alij autem legunt: Comedetis cum extaſi, & pauore. Quia æquum eſt, cùm diuina tractamus, nos quaſi pauidos,& pro reuerentia attonitos coram Domino aſſiſtere, & eius maieſtatem ac potentiam venerari.

Prou.18. 17.

Chryſoſt. orat. 5. cõtra Iudæos.to.5.

Hieron. ad c.43. Iſaiæ.

Greg.10. mor.c.11.

In quonã interior reuerentia conſiſtat. Sup. p.1. c... & hac p.2. c.3.

Exod.12. 11.

Eumdem reuerentiæ affectum poſt orationem cuſtodiamus; vt quoties in die, aut nocte Domini meminerimus (cuius memoria aut perpetua, aut iugis admodum eſſe debet) eum vt Dominum, vt Regem potentiſſimum, cuius maieſtate opprimimur, aut magis ab omnibus creaturis expedimur, vt eius obſequio inhæreamus,illum conſideremus. Populi vrbis Nain,viſo miraculo ſuſcitationis filij viduæ, in magnam Domini reuerentiam adducti ſunt. De quibus dicitur:Accepit autem omnes timor; & magnificabant Deum,dicentes:Quia Propheta magnus ſurrexit in nobis.] Sic & nos poſtquam in orationis tempore,Dei magnalia conſideraũimus, quaſi in ſtupore quodam, & reuerentia perſeueremus, dicentes: O quanta fecit Deus in nobis, & pro nobis, quàm ſe mirabilem, ac verè magnum oſtendit! Denique nos totos hæc reuerentia poſſideat,vt ſimus fratres, & cohæredes illius,de quo dixit Iſaias:Et repleuit eum ſpiritus timoris Domini.] Timor quippe iſte erat filialis ac reuerentialis timor,quo anima illa ſanctiſſima Dei magnitudinem,& ſuam (quantum erat de ſe) paruitatem intimè noſcens,ſupra omne,quod cogitare poſſumus, Deum honorabat, & illi ſe in omnibus,& per omnia ſubiiciebat. Et quidem dum hãc reuerentiam habere curamus, ita aliquando augebitur,vt coram Deo poſiti, præ ſtupore loqui neſciamus,immo ſalutari quadam admiratione turbemur.

Interior reuerentia etiã poſt orationẽ ſeruanda.

Luca 7. 16.

Iſaiæ 11. 3.

Huius reuerentiæ mirabiles ſunt fructus, quos in meditationibus, in colloquiis, in petitionibus, in ratione petendi, & in aliis quibuſcumque ad orationem pertinentibus, habet. In meditatione facit, vt eam materiam meditandam ſuſcipiamus, quæ nobis congruat,& profectus noſtri menſuram non excedat. Magna irreuerentia, & inſignis procacitas cenſeretur, ſi quis vix in regis palatio notus,vellet in adita principis penetrare,& occulta, ac non niſi amiciſſimis aperta conſpicere. Ita eſt irreuerentis & elati animi,ante tempus, quod virtus adepta, & profectus adducit, alta diuinitatis myſteria ex profeſſo ſcrutari.Qui ſic audet,audiat: Sicut qui mel multum comedit, nõ eſt ei bonum: ſic qui ſcrutator eſt maieſtatis opprimetur à gloria.] Mel res per ſe optima extra tempus,aut vltra menſuram,aut dum quis febri laborat,mortem affert; & diuinam maieſtatem,ſine corde ad id apto, ſcrutari,non modicum detrimentum adducit. Noctua tenebris gaudet, & lucem Solis non ſuſtinet: aquila verò,etiam cum ingenti emolumento,oculos in ſplendorem Solis intendit. Dum noctua es vilis,& necdum ad ſpiritualem vitam acceſſiſti,nec te aliqua ex parte viciſti; tenebras tuorum peccatorum aſpice, vt ea plores: ſi quando verò aquila fueris factus, & ad magnam virtutem prouectus, diuinitatem contemplaberis,vt amore flammeris. Ad hunc etiam fructum pertinet,vt in quauis materia ad meditationem adducta plana & ſimplicia conſiderare non dedigneris, quæ ſolent affectum efficacius, quàm ſubtilia,mouere. Inſuper,vt ſemper de Deo altiſſima,ac de te abiectiſſima cogites. Numquam enim, quantumuis ſublimiter de Deo ſentias, excedes:nec quantumuis abiectè & viliter

Interioris reuerẽtiæ fructus multiplex. Qualis in meditatione.

Prou.25. 27.

Priùs propria peccata,quã Diuinitas, contemplãda.

In colloquiis reuerentiæ fructus, qualis.

te conſpicias, tuam ſummam vilitatem penetrabis.

In colloquiis fructus reuerentiæ eſt, vt Deum magnificentiſſimis nominibus compellemus, & quaſi eius maieſtatem & gloriam manifeſtare volentes alloquamur. Si de peccatis cogitandis & lugendis agatur, vocabis eum miſericordiſſimũ, benigniſſimum, patientiſſimum, qui ſcit diſſimulare peccata hominum propter pœnitentiam. Si de vita, & morte, & reſurrectione Domini meditatio inſtituatur; aut de vita Sanctorum, aut aliis ſimilibus; nominabis eum ſanctiſſimum, puriſſimum, virtutum fontem, ſanctitatis, ac perfectionis auctorem. Si de diuinis perfectionibus, aut de Dei beneficiis conſideratio aſſumatur; vocabis eum glorioſiſſimum, excellentiſſimum, amabiliſſimum, omni amore & obſequio digniſſimum, & alia huiuſmodi nomina, cùm interiùs loqueris, vſurpabis. Interdum in vſum aſſumes illa nomina Dionyſio Areopagitæ familiariſſima, ex quo Dionyſius Richelius cum aliis accepit, quæ Dei eminẽtiam ſuper omnia cogitabilia ſignificant. Vt ſi voces eum ſuperamandiſſimum, ſuperhonorabiliſſimum, ſuperpotentiſſimum, ſuperſapientiſſimum, ſuperoptimum, quæ ſolent mentem magis ſubiicere. Diſce ex Auguſtino (vt vnum tantùm locum eius referam) quomodo nominibus Deum exaltes, & teipſum deiicias. Inter alia ſic ait: Quis enim ego ſum, Domine, per me, vt laudem te? Puluis & cinis ego ſum, canis mortuus, & fœtens ego ſum; vermis, & putredo ego ſum. Quis ego ſum, vt laudem te, Domine Deus fortiſſime ſpirituum vniuerſæ carnis, qui inhabitas æternitatem? Numquid tenebræ laudabunt lucem, aut mors vitam? Tu lux, ego tenebræ: tu vita, ego mors. Numquid vanitas veritatem laudabit? Tu es veritas, ego verò homo ſimilis factus vanitati. Quid ergo, Domine? Laudabo te? Numquid miſeria mea laudabit te? Numquid fœtor laudabit odorem? Numquid mortalitas hominis, quæ hodie eſt, & cras tollitur, laudabit te? Numquid laudabit te homo putredo, & filius hominis vermis? Numquid laudabit te, Domine, qui in peccatis conceptus eſt, & natus, & nutritus? Laudet te, Domine Deus meus, incomprehenſibilis potẽtia tua, incircumſcriptibilis ſapientia tua, & ineffabilis bonitas tua. Laudet te ſupereminens clementia tua, ſuperabundans miſericordia tua, ſempiterna quoque virtus, & diuinitas tua. Laudet te omnipotentiſſima fortitudo tua, ſumma quoque benignitas & charitas tua, per quam creaſti nos, Domine Deus, vita animæ meæ.] Ad huius ſancti Doctoris ſimilitudinem poteris Deum reuereri nominibus, teipſum deiiciendo, & eius celſitudinem magnificando.

Auguſt. ſolilo. c. 10.

Gerſon Theolog. myſter. pract. induſtr. 1.

Vt autem aliquam regulam apertiorem habeas, illam accipe à Gerſone traditam, vt illis nominibus cum Deo loquens in oratione vtaris, quæ à tuæ animæ ſtatu, & à virtutis profectu, in quo te inuenis, non diſcordent. Quicumque enim Deo ſeruiunt, ſecundùm iſtum Doctorem, cui omnes aſſentiunt, aut ſunt ſerui, aut mercenarij, aut filij: qui aliis nominibus vocantur, incipientes, proficientes, atque perfecti. Incipientes timent, proficientes ſperant, perfecti diligunt. Quod ita dictum eſt, non quia vniuerſi non diligant, ſed quia affectus varij dominantur eis. In incipientibus eminet timor, & ideo comparantur ſeruis, & mancipiis, quorum eſt timore pœnæ heris inſeruire. In proficientibus ſe exerit ſpes: quare comparantur mercenariis, quorum eſt mercedis intuitu famulari. In perfectis dominatur amor: vnde comparantur filiis, quibus competit ad obſequendum patri, amore duci. Incipientes gehennam metuunt, & in ſuis meditationibus ſic ad Deum inclamant: Quis nouit poteſtatem iræ tuæ, & præ timore tuo iram tuam dinumerare? Si iniquitates obſeruaueris, Domine; Domine, quis ſuſtinebit? Non intres in iudicio cum ſeruo tuo, quia non iuſtificabitur in conſpectu tuo omnis viuens. Illis conueniunt nomina timorem & auctoritatem reſonantia. Qualia ſunt; Deus vltionum, Rex regum, Dominus dominantium; Iudex viuorum, & mortuorum, Creator vniuerſorum, Princeps omnipotens, Zelator fortis, & alia huiuſmodi. Proficientes gloriam in futura vita, & in hac dona, quibus augeantur, ſperant. Et in oratione hæc frequenter inculcant. Propter verba mandatorum tuorum ego cuſtodiui vias duras. Inclinaui cor meum ad faciendas iuſtificationes tuas, propter retributionem. Fac me vt vnum de mercenariis tuis. His congrua ſunt illa nomina, quæ reuerentiam ſimul, & amorem afferunt. Hæc ſunt, vt, cùm Deum nominamus, Dominum vniuerſorum, mundi redemtorem, ignorantium præceptorem, infirmorum medicum, defenſorem, protectorem, adiutorem, gubernatorem, paſtorem compellemus, & alia cum his cognationem habentia.

Incipientium affectus, qualis.

Qualis proficientium.

Perfecti verò, quatenus tales, diligunt, & omnia amore condiunt, & ad augmentum amoris aſſumunt. Voces eorum in oratione ſunt: Quid mihi eſt in cœlo (nimirum pro mercede) & à te quid volui ſuper terram, ad ſuppliciorum euaſionem? Deus cordis mei, & pars mea, Deus in æternum. Id eſt, tu mihi ſufficis, ô Domine, vt rectè viuam, nec egeo aut ſuppliciis terreri, aut præmiis animari. Hi, cùm à Domino in oratione viſitantur, ſentiunt ſe ad nomina dulciora proferenda inuitari. Vocántque, ſine vllo irreuerentiæ diſcrimine, Deum ſponſum ſuauiſſimum, amicum fideliſſimum, totum amabilem, totum pulchrum, candidum, ac rubicundum, electum ex millibus. Ita, inquam, eum alloquuntur, quia ſciunt amorem reuerentiæ iungere, & inter hos affectus Deum vt ſummam maieſtatem aſpicere, ſed affabilem, & amore animarum poſſeſſam, ſéque ipſos nihili reputare. Sed generale nomen, quod omnibus competit, vt Gerſon ait, eſt nomen Patris, quod ita reuerentiæ admonet, vt amorem inferat, & ita ad amorem incitat, vt reuerentiam non deſerat. Molliora ergo nomina interdum admitti poſſunt, cùm ad ea proferenda intima inſpiratione inuitamur, & trahimur: alia verò, quæ reuerentiam ingerunt, ordinariè cogitanda ſunt, quibus ad ſanctum pudorem, vel ad amorem filiali timore miſtum accendimur. Hoc autem præcipuè ſeruandum eſt, quando alios orare docemus, vel ad ipſorum vſum orationes ſcribimus. Nomina enim dulcedinis cubili ſolius mentis reſeruanda ſunt; alia verò, quæ maieſtatem habent, & reuerentiam ingerunt, aliis erunt propalanda. Quod certè Bernardus dicere non omiſit, ſic enim ſcribit: Quando præſens eſt ſponſus, & ſponſa ad ipſum ſermonem dirigit; tunc ſponſus dicitur, aut dilectus, aut quem diligit anima mea, inquit: loquens verò de ipſo adoleſcentulis, Regem nominat. Vt quid hoc? Propterea credo, quia & ſponſæ amanti atque dilectæ conueniat, vti familiariùs (quod à ſe eſt) amoris nominibus; & adoleſcentulis tamquam diſciplina indigentibus, opus ſit reuerendo premi vocabulo maieſtatis.] Hæc ille meritò. Nam, quæ exteriùs proferimus, omnes audire poſſunt, tum perfecti, tum imperfecti; tum iuſti, tum peccatores. Ij autem nomina dulcedinis plena ad Deum relata vix capiunt,

Perfectorum qualis.

Patris nomen reuerẽtiam ingerit, & amorem.

Bernard. ſerm. 49. in Cant.

piunt, & ex eis vtilitatem accipere neſciunt.

Reuerentia munus in petitionibus.

In petitionibus reuerentiæ eſt ea poſtulare, quæ noſtro ſtatui ac muneri conuenientia ſunt; ab aliis verò, quorum petitio ſingularem virtutem requirit, niſi debitæ circumſtantiæ adſint, de quibus nunc dicemus, penitus abſtinere. Poteris à Deo petere veniam peccatorum; veram abnegationem, ac victoriam tui; virtutes, ac omnem perfectionem, quia præcepta euangelica tibi impoſita, & conſilia tibi, vt ad ea coneris, patefacta, de his ſunt. Nec poteris ea implere, niſi gratia iuueris; nec, niſi petas, auxilio efficaci iuuaberis. Inſuper, vt mendicus petes corpori neceſſaria, & vt mala, quæ incidunt, aut incidere poſſunt, ſubmoueantur; quæ omnia in oratione Dominica continentur. Poteris etiam, vt miniſter Eccleſiæ, pro aliis poſtulare; quia in his non tam tu poſtulas, quàm Eccleſia ſponſa dilectiſſima ore tuo, quaſi ore internuncij, poſtulat. Quin & vt priuata perſona, ſi iam grauiorum peccatorum ſpina non lacereris, poteris, ſi interiùs ad id inciteris, pro aliis humiliter deprecari. At miracula, & euentus extraordinarios, niſi ſpeciali inſtinctu Spiritus ſancti mouearis, omnino non petes; memor illius: Non tentabis Dominum Deum tuum;] quia hoc irreuerentiæ imputabitur. Erit etiam affectus humilitatis & reuerentiæ, ſi quę tuum meritum ſuperant poſtulare nõ audeas. Hoc enim ſignificant illa verba Ioannis, ſecundùm expoſitionem Hieronymi, & Ambroſij: Eſt peccatum ad mortem, non dico, vt pro eo roget quis. Id eſt, non quilibet de populo audeat pro peccatore, qui ad mortem deliquit, deprecari; vel pro eo, qui contra Dei miſericordiam, ac Spiritus ſancti benignitatem peccauit; vel ex inueterata conſuetudine diu in peccato permanſit; ſed pro hoc oret Eccleſia, oret vir ſanctus, atque perfectus, forſitan illi indulgentiam impetrabit. Et ad Ieremiam dictum eſt: Noli orare pro populo iſto in bonum,] id eſt, vt miſericordiam illi impertiar. Et rurſus: Noli orare pro populo hoc, neque aſſumas pro eis laudem, & orationem, & non obſiſtas mihi, quia non exaudiam te.] Quia ſcilicet pro obſtinatis & inſigniter ſceleratis generaliter loquendo non peccator, ſed vir magni meriti aliquid impetrabit. Pro calamitatibus autẽ communibus regni auertendis, aut minuendis orare poteris abſque irreuerentiæ nota, non quidem quaſi exemtus, qui nihil patiaris; ſed quaſi miſer, qui vi calamitatis inuolueris. Si enim rex in perduellionem aliquem vindicaret, aduersùs quem magnam indignationem conceperat, non quilibet audebit regem adire, & pro illo orare. Audebit forſitan regina chariſſima, & filius dilectiſſimus, & amicus fideliſſimus, & familiariſſimus. At ipſe perduellio, qui patitur, abſque vlla irreuerentia orat, & à ſuſpendio humillimè liberari poſtulat. Ita & tu, licèt peccator ſis, qui pœnas pateris, & cum aliis caſtigaris, ſine irreuerentia poteris (quod multi ſcelerati in Scriptura fecerunt) ad Dominum pro remedio, oratione clamare. At humilitatis & reuerentiæ erit pro his rebus quæ tuum meritum ſuperant, auſum orandi non habere.

Matth. 4. 7.

1. Ioan. 5. 16. Hieron. 2. in Iouinian. Ambroſ. 1. de pœnit. c. 9.

Ieremiæ 14. 11. Ieremiæ 7. 16.

Quomodo in modo petendi reuerentia ſeruanda. Matth. 26. 39.

Demum in modo poſtulandi reuerentia tenenda eſt: ita ſcilicet, vt humiliter, & tamquam indigni dono, quod cupimus, poſtulemus, & omnia tandem diuinæ voluntati relinquamus. Sic nos orare docuit Dominus noſter Ieſus Chriſtus, qui ſuæ orationi ſanctiſſimæ duas conditiones adiecit. Pater mi, inquit, ſi poſſibile eſt, trãſeat à me calix iſte, ſed non ſicut ego volo, ſed ſicut tu.] Mortis euaſionem petiuit, ſi ſecundùm legem ad mundi redemtionem latam deceret, & ſi Patris voluntati gratum exiſteret. Sic nos poſtulare debemus, poſtulabimus aliquid, ſi ita expedit, & ſi Deus vult ita fieri. Nam orationes temerariæ, aut reuerentia carentes repelluntur. Vnde ſponſa magis, quàm oportuit, confidenter poſtulans: Indica mihi, vbi paſcas, vbi cubes in meridie, audit: Si ignoras te, egredere, & abi.] Aliquando ad magnam reuerentiam pertinet non poſtulare, ſed ſolùm indigentiam noſtram, aut deſiderium aperire. Vt: Domine, apud te deſiderium meum: & gemitus meus à te non eſt abſconditus.] Et B. Virgo in nuptiis: Vinum non habent.] Et ſorores Lazari: Ecce quem amas, infirmatur.] Et leproſus: Domine, ſi vis, potes me mundare.] Et iterum Martha: Domine, ſi fuiſſes hîc, frater meus non fuiſſet mortuus.] Rogare voluit (inquit Hugo) vt fratrem ſuum mortuum Dominus ſuſcitaret: ſed quia propter magnitudinem cauſſæ, & reuerentiam perſonæ extimuit, inſinuare potius, quàm poſtulare, elegit. Dixit vnde voluntas intelligeretur, ſed temeritas non reprehenderetur: vt vel non exaudita, repulſæ non pateretur opprobrium; vel exaudita voluntatis ſuæ conſequeretur effectum.] Hæc ſi in oratione minimè præterierimus, reuerentiæ iura ſeruabimus, quæ omnia ex illa prima radice procedunt; vt enitamur de Deo ſublimiter, de nobis verò humiliter ſentire: illum vt Deum ſummum Regem, auctorem omnium; nos autem vt viliſſimas creaturas, ac prope nihil, aſpicere. Hæc cognitio, & hic affectus faciet, vt ſiue conſideremus, ſiue loquamur, ſiue poſtulemus, ſiue audiamus; piè ſemper de Deo ſentiamus, & reuerenter nos geramus.

Cant. 1. 7.

Pſal. 37. 10.

Ioan. 2. 4. Ioan. 11. 3. Matth. 8. 2. Ioan. 11. 21. Hug. lib. de modo oran. c. 3.

Sextus comes Orationis, Attentio.

CAPVT VI.

Attentio oritur ex reuerentia.

ATTENTIONEM progredi ex reuerentia, iam diximus, qua ſcilicet in id, quod volumus conſiderare, actuali cogitatione tendimus; vel ſaltem affectu, ſi fortè abſque cogitatione actu manere poteſt (de quo poſtea) circa rem ipſam, quæ materia eſt orationis, negotiamur. Hanc attentionẽ Ioannes Climacus orationis initium fecit, vt ſic eius neceſſitatem ad orandum patefaceret. Orationis initium eſt (inquit) fluctus animo aduenientes ſolo, & tacito mentis imperio ex ipſis initiis fugare. Medium verò, cùm in his, quæ dicuntur, vel cogitantur, mens tota eſt: finis verò raptus ad Dominum.] Ille fluctus cogitationum abiicit, qui non ad inania, aut à propoſito aliena, ſed ad ipſa, quæ conſideranda ſunt, attendit. Ille in his, quæ cogitantur, totus eſt, qui iam vniuerſas inanes cogitationes expulit, & ſine impugnatione in re meditata quieſcit. Ille rapitur, qui ſenſuum functionibus derelictis, ad ſola ſpiritalia intuenda transfertur. Ex his autem conſtat mentalem orationem ab attentione ſeparari non poſſe, & prorſus abſque attentione non eſſe. Nec veritus eſt Caſſianus aſſerere: Numquam orat quiſquis, etiam flexis genibus, euagatione cordis qualicumque diſtrahitur.] Si enim voce externa ores, & inuoluntariè diſtractus ad ea, quæ dicis, non attendas; adhuc in oratione perſeueras: quoniam attentio licèt non actu retenta, attamen virtute relicta, externæque prolationi adiuncta; cauſſa eſt, vt omnino oratio non ceſſet, cùm in illa prola-

Climac. grad. 28. Orationis eſt initium.

Mentalis oratio nequit ab attentione ſeiungi. Caſſian. coll. c. 10. 13.

tione

tione ad Deum directa perseueret. Sed cùm mentalis oratio sit ipsa cogitatio, ipséque affectus, quibus ad Deum ascendimus, cùm absque attentione non subsistant; manifestum est orationem hanc, mentis cessante attentione, cessare; cùm mens iam nullo actu feratur in Deum (in quo est tota orationis substantia) sed in abiecta ac vilia dilabatur.

Dupliciter ab attentione cessamus. Primò scienter, vel negligẽter, & hoc non sine culpa.

Duobus ergo modis fieri potest, vt mentaliter orans ab attentione desistas. Primò quidem, quia ex professo, aut saltem negligenter, & oscitanter ad vana recurris, & sanctam cogitationem omittis: (vana autem vocamus, quæ licèt de se necessaria sunt, tamen extra tempus idoneum inutiliter cogitantur.) & hæc distractio absque culpa non erit. Quis enim irreuerẽtiæ, ignauiæ, & leuitatis culpam non agnoscat, si quo tempore se accinxit, vt Deum alloqueretur, ac de eo cogitaret, immensa maiestate sine vllo honesto colore relicta, ad inania & inutilia mentis oculos conuertat? Secundò verò, quia omnino inuoluntariè, & quasi coactus sanctas cogitationes, & pios affectus, & colloquia deseris, & te cogitationibus vanis aut noxiis inuoluis. Et hoc profectò inculpabiliter accidit; quoniam, vt Thomas Aquinas ait, talis distractio non ex voluntate, sed ex naturæ infirmitate procedit. At licèt hæc meritum pugnæ non auferat, aſt substantiam ipsam orationis tollit. Vnde in oratione mentali tantum temporis oras, quantum attendis. Si tota hora, exempli gratia, attendas, per horam orasti: si semihora attendas, per semihoram in orationem incubuisti: at si tota hora genuflexus ad orandum persistas, & solùm per quadrantem attentionem habeas, solùm per quadrantem in oratione perseueraſti: quia oratio mentalis aut est ipsa attentio, aut sine attentione nec esse, immo nec intelligi potest. Esto quòd te ad mentaliter orandum componas, & statim dormias, certè non dices te per horam orasse, sed obdormisse. Et iccirco discipuli in horto sunt à Domino increpiti: quia selecti ad orandum, & vigilandum, neutrum fecerunt, sed dormierunt. Sic, inquit, non potuistis vna hora vigilare mecum? Vigilate, & orate, vt non intretis in tentationem.] Sed quod ad relinquendam mentalem orationem attinet, idem est, si dormias, ac si mentem aliò diuertas. Nec enim ascensus mentis in Deum per solum somnum tollitur, sed & per distractionem qua lapsus est ad terrena, submouetur.

Matth. 26. 40.

Secundò inuoluntariè, & ideo sine culpa. D. Th. 2. 2. q. 83. artic. 13. ad 2.

Per distractionem tollitur ascensus mẽtis in Deum.

Hinc perspicitur quanta sollicitudine sit attentio in oratione quærenda, sine qua oratio hæc, in quam incumbimus, & pro qua laboramus, penitus esse non valet. Cura igitur tua, ô homo Dei, in oratione, sit superfluos discursus abigere, inanes cogitationes fugare, omnium rerum mundanarum ac tuiipsius obliuisci, vt in affectum cœlestem transeas, & optatum fructum ex consideratione percipias. Est namque inanis cogitatio ab oratione diuellens, ceu puluis oculos mentis excæcans; vt caligo lucis cœlestis aduentum impediens; vt macula iponsi lectum inficiens; vt catena ad infima ac vilia trahens. Ipsa est, quæ affectus turbat, cordis domicilium inquietat, & diuinæ operationi vehementer obsistit. Inueniens enim Dominus mentem terrenis distentionibus occupatam, mundo apertam, & sibi clausam, absque dubio illàm vacuam relinquet, & non sine tædio & ira discedet. Quantúque sit periculi in oratione culpabiliter euagari, Cassianus similitudine quadã satis pulchra declarat. Si enim, inquit, cum sublimi homini, non dicam pro vita ac salute nostra, sed etiam pro alicuius lucri commodo supplicamus, totam in eum mentis & corporis aciem defigentes de nutu eius trepida expectatione pendemus, non mediocriter formidantes, ne quod forte ineptum, aut incongruum verbum misericordiam audientis auertat: tum deinde si nobis in foro, aut iudicum sæcularium tribunalibus constitutis, assistente etiam è contra aduersario, in media prosecutione atque conflictu, tussis, sereatus, risus, oscitatio, somnus obrepserit; quanta in perniciem nostram vigilantissimus inimicus seueritatem iudicis commouebit inuidiâ? Quanto magis cùm illi occultorum omnium cognitori pro imminenti perpetuæ mortis periculo supplicamus; præsertim cùm è diuerso callidus seductor, pariter & criminator assistat, intenta atque sollicita oratione iudicantis pietas imploranda est? Nec iniustè non solùm leui peccato, sed etiam grauissimo crimine impietatis adstringitur, qui precem Domino fundens, subitò à conspectu eius, quasi ab oculis non videntis, nec audientis cogitationis improbæ vanitatem sequutus abscesserit.] Sic ille. Qui & hanc spontaneam euagationem grauissimum crimẽ vocat, non quòd existimet eam vsque ad nequitiam grauis peccati procedere: sed quia si hinc extremã vilitatem nostram; illinc autem superexcellentissimam Dei maiestatem spectemus, manifestè perfrictæ frontis sumus, si non in oratione distrahi ac euagari formidamus. Et ibi maximè hyperbolica locutio admittenda est, vbi animus ab irreuerentia in rebus diuinis deterretur, & ad rectè ac cum fructu orandum incitatur. Enimuero voluntaria distractio, licèt quasi per excessum, crimen dicta videatur: tamen non dubium est eam (vt Basilius eadem similitudine vtens, ait) iram Domini prouocare. Qui enim sic facit, inquit, is tantum abest, vt impetraturus sit quod petit, perficiet priùs, vt sibi Dominus irascatur.] Egregium verò fructum ex labore orationis colliges, si vbi Deum placare debueras, inde eius indignationem merearis.

Quare spõtanea euagatio graue crimen appelletur.

Cassian. coll. 23. c. 7. Apposita similitudine ex Cassiano declaratur.

Basil. eõst. monast. c. 2.

Hac profectò attentione consequimur, vt Dominus ad nos attendat, suásque in viscera nostris miserationes infundat. Nam si, vt est in Psalmo, ô Domine, cum sancto sanctus eris, & cum viro innocente innocens eris: non dubium, quin attentus te attentum, & deuotus deuotũ excipiat; vt sicut ipse tibi attendit, vt impetret: ita & tu illi attendas, vt desiderata concedas. Optimúmque incitamentum exauditionis tuæ est, si nos attentè orare ac deprecari curemus. Clamaui in toto corde meo, inquit Dauid, exaudi me, Domine: iustificationes tuas requiram. Clamaui ad te, saluum me fac; vt custodiam mandata tua.] Quídnam est toto corde clamare, nisi ad ea, quæ meditamur, & postulamus, vehementer attendere? Sic enim loquitur Augustinus. Siue cum voce carnis, quando id opus est, siue cum silentio, ad Deum cùm oramus, corde clamandum est. Est autem clamor cordis magna cogitationis intentio. Quæ cùm est in oratione, magnum exprimit desiderantis & petentis affectum, vt non desperet effectum. Tunc porrò in toto corde clamatur, quando aliunde non cogitatur. Tales orationes raræ sunt multis, crebræ autem paucis.] Hunc igitur spiritalem clamorem exaudit Deus, hanc cordis attentionem benignè respicit, & quæ eâ desideramus, quæ petimus, pro quibus gemimus liberaliter impertit. Angelum suum mittit, à quo in oratione ab ignorantia purgemur, oblatis piis considerationibus illuminemur, sanctísque affectibus perficiamur. Oratio autem, & contemplatio sic habita, & luce perfusa, & amoris affectibus decorata, non mirum si ei plã-

Nobis attentè orantibus Deus attendit. Psal. 17. 26.

Psal. 118. 145.

August. ibid. ser. 29.

In oratione ab Angelis illuminamur.

ceat,

ceat, à quo per gratiam ſuam nobis donatur, vt fiat. Et ſanè orationem ſibi placentem exaudiet, & abſque fructu ad orantem redire non ſinet.

Gen.28. 12. O quàm verè ſanctus Iacob huiuſce fructus orationis attentæ experimentum accepit! Vidit in ſomnis ſcalam ſtantem ſuper terram, & cacumen illius tangens cœlum: Angelos quoque Dei aſcendentes, & deſcendentes per eam, & Dominum innixum ſcalæ.] Scala iſta, auctore Bernardo, oratio eſt. Quid autem eſt ſpiritualem virum in ſomnis ſcalam videre, niſi rerum terrenarum oblitum, ac rebus diuinis intentum orationis guſtum habere? Et quid eſt Angelos aſcendentes & deſcendentes aſpicere, niſi inſtinctus vitæ contemplatiuæ, qua aſcendimus, & actiuæ, qua ad opera pietatis deſcendimus, in mente ſuſcipere? Et quid eſt Dominum ſcalæ inniti, niſi opus eius eſſe orationem noſtram, ſeu mentis intentionem tenere, ne cadat, & per diſtractionem, à rebus diuinis ne diſcedat? In hac igitur oratione attenta, & rerum terrenarum oblita, quid audit ſpiritualis Iacob? Certè largam benedictionem audit, vt ſcilicet terram viuentium in poſſeſſionem habeat; vt in omni virtute creſcat; vt aliis fructuoſus exiſtat. Si autem non in ſomnis, id eſt, non attentus oraſſet, numquam hæc dona magnifica recepiſſet. Idem prorſus ſponſæ legimus euenisſe. Ego dormio, ait, & cor meum vigilat: vox dilecti mei pulſantis.] Quid namque eſt: Ego dormio; niſi, vt Deo mente inhæream, curarum huius ſæculi penitus obliuiſcor? Quiſquis enim ea, quæ mundi ſunt, agere appetit, vt ſcribit Gregorius, quaſi vigilat: quiſquis verò internam quietem quærens, huius mundi ſtrepitum fugit, velut obdormiſcit.] Et quid eſt: Et cor meum vigilat? Non aliud, niſi mente & ſpiritu ad diuina atque cœleſtia, abiectis terrenis curis, attendo. In hoc autem vigilantiſſimo ſomno, vel in hac vigilia quietiſſima, vocem ſponſa dilecti pulſantis audit, eámque dulciſſimis vocibus inuitantis, quia attentam ſibi animam Deus viſitat, & ad amoris amplexum inuitat.

Bernard. in ſcala clauſtr. initio.

Attentio ſomno ſimilis.

Cant.5. 2.

Greg.5. moral. c. 22.

Apertiùs autem Eliu apud Iob ſub nomine etiam ſomni, fructum ſolertiſſimæ attentionis expreſſit. Per ſomnium, inquit, in viſione nocturna, quando irruit ſopor ſuper homines, & dormiunt in lectulo: tunc aperit aures virorum, & erudiens eos, inſtruit diſciplinâ.] Somnium, & ſoporem, & dormitionem in lectulo, ad ſpiritualia transferamus, & per ea vacationem à curis terrenis, & attentionem orationis intelligamus, ac à Domino viros ſpirituales ſibi attentos erudiri, & multis donis impleri cognoſcemus. Hoc autem eſt, quod Gregorius ait: Quid eſt, quòd per ſomnum nobis locutio diuinitatis innoteſcit, niſi quòd Dei ſecreta non cognoſcimus, ſi in terrenis deſideriis vigilemus? In ſomnio enim exteriores ſenſus dormiunt, & interiora cernuntur. Si ergo interna contemplari volumus, ab externa implicatione dormiamus. Vox videlicet Dei quaſi per ſomnium auditur, quando tranquilla mente ab huius ſæculi actione quieſcitur, & in ipſo mentis ſilentio diuina præcepta penſantur. Cùm enim ab externis actionibus mens ſopitur; tunc pleniùs mandatorum Dei pondus agnoſcitur. Tunc verba Dei mens viuaciùs penetrat, cùm ad ſe admittere curarum ſæcularium tumultus recuſat. Malè autem homo vigilat, quando eum ſæcularium negotiorum æſtus inſolenter inquietat. Aurem quippe cordis terrenarum cogitationum turba, dum perſtrepit, claudit; atque in ſecretario mentis quanto minùs cura-

Iob 33. 15.

Greg. 23. moral. c. 12.

Per ſomnium quid intelligat Gregorius.

A rum tumultuantium ſonus compeſcitur, tanto amplius vox præſidentis iudicis non auditur. Neque enim perfectè homo ſufficit ad vtraque diuiſus: ſed dum ſic interiùs erudiri appetit, vt tamen exteriùs implicetur: vnde exteriùs auditum aperit, inde interiùs obſurdeſcit. Moyſes admixtus Ægyptiis quaſi vigilabat: & iccirco vocem Domini in Ægypto poſitus non audiebat. Sed, extincto Ægyptio, poſtquam in deſertum fugit, illic dum quadraginta annis degit, quaſi ab inquietis terrenorum deſideriorum tumultibus obdormiuit: atque iccirco diuinam vocem percipere meruit, quia per ſupernam gratiam, quanto magis ab appetendis exterioribus torpuit, tanto veriùs ad cognoſcenda interiora vigilauit.] Hactenus ille. Ex his autem innoteſcit quàm diligenter ſit attentio in oratione B mentali curanda, ſine qua nec oramus, nec optatum fructum ex noſtro labore percipimus.

Triplex autem eſt huius attentionis gradus, quo orationi ac meditationi vacamus. Primus eſt, ne ſponte & voluntariè orationis tempore diſtrahamur, & aliena ab eo tempore & loco cogitemus. Quem attentionis profectum par eſt credere cunctos ſpiritales viros attigiſſe. Quis enim erit tam excors, & tam à timore diuinæ maieſtatis alienus, qui, quo tempore ad diuina meditanda, & Deum deprecandum colligitur, audeat ex electione ſtultiſſima, ſanctis cogitationibus abiectis, non dico ad noxia & impura, ſed ad vana & inutilia ſe conuertere? Id nihil aliud eſſet, quàm Deum nos vocantem & inuitantem negligere, & ab illa ſumma pulchritudine, mentis faciem auertere, & ad huius ſæculi ſordes, & ridendas vilitates inclinare. Qui aurum pro luto commutat, inſipiens eſt: & qui tempore orationis ſanctam cogitationem, qua ad bonum afficitur, pro vana relinquit, qua ad minùs tempus perdit, & ſe macula irreuerentiæ inficit, inſipiens non erit? Sanè nemo eſt, qui facillimè hanc peruerſitatem non intelligat, & quàm alienum ſit à viro timorato, in oratione ſpontè diſtrahi, planè non videat. Magna hæc irreuerentia, & Dei neglectus ex Cæſarij Arelatenſis Epiſcopi oratione nobis innoteſcet. Orantes, inquit (fratres chariſſimi) quantum poſſumus, adiuuante Domino, laboremus, vt nulla nobis extranea cogitatio ſubripere poſſit; ne fortè aliud habeamus in corde, & aliud proferamus ex ore: ne fortè, dum lingua Dominum rogat, cogitatio in rebus variis occupata, ab orationis ſenſu diſcedat, & inde acquirat peccatum, vnde potuit habere remedium. Si enim apud aliquam perſonam potentem velles aliquam cauſſam neceſſariam allegare, & ſubitò auerſus ab illa, media interloquutione dirupta, aliquibus te velles ſcurrilitatibus occupare, qualem putas iniuriam illi perſonæ, cum qua loquebaris, inferres? Aut quomodo contra te illius iracundiam commoueres? Si ergo cum homine loquentes tota intentione animi laboramus, ne aliud cogitantes, illi, cum quo loquimur, iniuriam facere videamur; cum Deo in oratione loquentes, & ante tantam maieſtatem peccatorum noſtrorum miſerias allegantes, non nos pudet, & non erubeſcimus, captiuis ſenſibus, huc illúcque diſcurrere, & infœlicem mentem multis occupationibus à conſpectu diuinæ maieſtatis abſtrahere? Et ideo vnuſquiſque antequam in oratione procumbat, omnes cogitationes ſuperfluas ab animi ſui intentione, Deo auxiliante, repellat; vt anima noſtra ſancti Spiritus fauore ſuccenſa, omne vitium compunctionis, vel orationis igne conſumat, & vagas ac volaticas cogitationes

Attentionis gradus tres. Primus, voluntariè ne diſtrahamur.

Caſ. homil. 31.

longè

longè diſpergat,vt ſolæ virtutes tantùm,& ſanctæ meditationes in cordibus noſtris locũ ſemper inueniant.] Hactenus ille. Ex quo intelligitur quàm ſapienter Ioannes Climacus dixerit: Is, qui dum orat, Deo ſe aſſiſtere intimo cordis affectu exiſtimat,vt columna perſtabit immobilis. Quia re vera intima hæc cõſideratio diuinæ præſentiæ, & quòd cum Deo verba miſcemus, & res diuinas mente tractamus, faciet nos ſpontaneam diſtractionem ineptiſſimam, irreuerentiſſimam, ſicut verè eſt, & ſenſato homine indigniſſimam reputare.]

Climac. grad.18.

Secundus gradus, diſtractionis cauſſas amouere.

Secundus gradus attentionis eſt,cùm ea auferre conamur, quibus ad diſtractionem, ſeu euagationem impellimur. Sunt enim multi,qui dum orant, nullam ſpontè alienam ab oratione cogitationem admittunt;at extra orationem cauſſas euagationis, de quibus ſtatim,non abſcindunt. Inde autem neceſſe eſt,vt meditantes, aut orantes ad ea, quæ diligunt, & quæ à corde relegare non curant, quaſi inuiti trahantur. Et quidem non penitus trahuntur inuiti,ſed potiùs quaſi ſpontanei ducũtur:quia licèt euagationem non diligant,cauſſas autem eius amant, & fontes, è quibus ſcaturit, non obturant.

Iuſtin. ligno vitæ, de orat. cap.5.

Numquam (verba ſunt Laurentij Iuſtiniani) commotioni contemplatio iungitur,nec prævalet præturbata mens intueri ſpiritualia,quæ vix tranquilla valet: quia quemadmodum Solis radius nequaquam cernitur, cùm commotæ nubes cœli faciem obducunt; nec turbatus fons reſpicientis imaginem reddit, quam tranquillus propriam oſtendit: ſic nec inquietus animus Dei charitatem in orationis ſpeculo poteſt conſpicere. Imitetur itaque mentis quietem, pacíſque amplectatur bonum, quiſquis exuberantibus, quæ in oratione donãtur, cupit inebriari voluptatibus; quia nullo modo animus ad vim intimæ contemplationis rapitur, niſi priùs à terrenorum deſideriorum tumultu per adeptionem quietis ſopiatur.] Sic ille. Qui itaque cauſſas diſtractionis abſcindit, quas ſtatim referemus,& ſe purum & illibatum ad attentè ac feruidè orandũ cuſtodit, is ſecundum attentionis gradum eſt aſſecutus,quo non parum in oratione proficiet.

Tertius gradus, victoria euagationis à natura prouenientis.

Tertius gradus eſt, cùm quis in oratione euagationes ex naturæ fragilitate emergentes ſuperare contendit.Certum eſt enim naturam noſtram infirmam ac fragilem, & carnis vilitate circumdatam ex ſe ad terrena deprimi,& diu quaſi è cœlo ſuſpenſam ſtare non poſſe. Ille ergo hunc gradum attentionis habet, qui (prout poſſibile fuerit) euagationes ex hac radice pullulantes conatur abiicere,& ſe abſque impugnatione curat mẽte cœlis inferre.Virorum autem ſpiritualium hanc attentionem curantium laborem Ioannes Caſſianus appoſitiſſimo ſimili patefecit.

Caſſian. coll. 23. c.9.

Rectè, inquit, Sanctos, qui memoriam Dei ſtabiliter retinentes quaſi per extentas in ſublime lineas ſuſpenſo feruntur inceſſu, ſchœnobatis, quos vulgò funambulos vocant,dixerim comparandos,qui ſummam ſuæ ſalutis ac vitæ in anguſtiſſimo funiculi illius tramite collocantes,atrociſſimam ſe mortem protinus incurſuros eſſe non ambigunt, ſi vel exigua pes eorum titubatione deuiauerit, aut modum illius ſalutaris directionis exceſſerit. Qui dum arte mirifica aëreos greſſus per inania molliuntur, ſi illam anguſtiorem veſtigio ſemitam non cauta atque ſollicita moderatione ſeruauerint; terra, quæ in omnibus naturalis eſt baſis, & ſolidiſſimum cunctis ac tutiſſimum firmamentum, fit illis præſens ac manifeſta pernicies: non quia illius natura mutetur, ſed quia illi ad eam præcipiti carnis vondere delabantur. Ita etiam indefeſſa illa Dei bonitas, immutabiliſque ſubſtantia, ipſa quidem neminem lædit, ſed nos declinando à ſummis, atque ad ima tendendo, nobiſipſis conſciſcimus mortem; immo declinatio ipſa mors efficitur declinanti. Væ enim, inquit, eis, quoniam receſſerunt à me.] Sic ille. Hi autem væ audiunt, non quidem quia delinquant, cùm ex naturæ fragilitate diſtrahantur, ſed quia in miſeriam luctuoſam ex originali peccato emanantem incurrunt. Et non exiguam addiſcendæ humilitatis cauſſam habẽt, cùm inter Angelos poſiti,& rebus diuinis occupati ſentiant ſe ad euagandum ab ipſa naturæ, quam geſtant, vilitate pulſari.

Naturalis euagatio nobis humilitatem conciliat.

Qui autem ex hac ſolùm humanæ conditionis infirmitate fuerit ad euagationem pronus, nequaquam puſillanimis fiat, aut ab oratione deſiſtat;ſed potiùs conuenientibus rationibus ſe exhilaret, & ad perſeuerantiam prouocet. Harum vna eſt,quòd euagatio ex hominis mutabilitate exorta omnibus hominibus cõmunis eſt. Nemo, quantumuis perfectus,ſine ſpeciali priuilegio ab hoc onere eximitur, & aliquando rariùs, aut frequentiùs nonnulla euagatione pulſatur. Nemo eſt, qui interdum triſtis clamare non poſſit: Et cor meum dereliquit me.] Nam cùm ſit ipſo vento mobilius,nobis non putantibus, fugit, & per multa ac varia diſcurrit. Si verò vniuerſi hanc naturæ infirmitatem patimur, æquum eſt, vt eam patienter ſuſtineamus, & vt more peritorum medicorum congrua ei remedia adhibeamus, non tamen ab oratione ceſſemus.

Huiuſmodi euagatio omnibus ineſt hominibus.

Pſal.30. 13.

Altera ratio eſt, quòd hæc euagatio ex naturæ inſtabilitate profecta, cui non conſentimus, nullum eſt peccatum: nec propter eam Deus nobis iraſcitur, immo potiùs oculis miſericordiæ & benignitatis nos reſpicit.Et ſicut pater habens filium phreneſi laborantem,nõ eum deſpicit, ſed ei compatitur,cùm delirantem videt: ita Dominus verus Pater, & qui erga nos viſcera habet paterna, nequaquam nos contemnit,cùm ex naturali infirmitate delirantes, id eſt, ad aliena per inuoluntariam euagationem abeuntes aſpicit.Ad quod notatu digna ſunt verba Baſilij in hunc modum ſcribentis:

Euagatio hæc, illi ni cõſentiamus, peccatum non eſt.

Baſ. ſup.

Si verò propterea quòd à peccato debilior factus, hoc à teipſo impetrare non potes, quin interim, dum oras,animo ac mente diſtrahere; enitere contrà quantum potes, & ipſe tibimetipſi vim affer,& coram Deo ſtare perſeuera, mentémque tuam in illum defixam tene, ipſámque ad ſeipſam aduoca. Si ita feceris,ignoſcet tibi Deus, quoniam non ex contemtione, ſed ex infirmitate, eo modo, quo conueniret, coram Deo ſtare non vales.] Gregorius autem exponens illud Iob: Nec faciem meam operuit caligo;] ſubtiliter notat,quia non dixit ſe caligine non tangi, ſed caligine non operiri; quia ſæpe in poteſtate non eſt, quòd ineptæ cogitationes nos tangant, quibus tamen non inficimur, ſi manu diſcretionis abigimus. Excipiamus verba ſancti Doctoris. Et notandum, inquit, quòd ipſe priora denuncians, nequaquam ait:Faciem meam non tetigit; ſed, non operuit caligo. Sæpe enim etiam corda iuſtorum ſubortæ cogitationes polluunt,terrenarum rerum delectationibus tangunt: ſed dum citiùs manu ſanctæ diſcretionis abiguntur,feſtinè agitur,ne cordis faciem caligo operiat, quæ hanc ex illicita delectatione tangebat. Nam ſæpe in ipſo orationis ſacrificio importunè ſe cogitationes ingerunt, quæ hoc rapere,vel maculare valeant, quod in nobis Deo flentes immolamus. Vnde Abraham,cùm ad occaſum Solis ſacrificium

Iob 23. 17.

Greg. 16. moral. c. 19.

offerret,

offerret,insistentes aues pertulit, quas studiosè, ne oblatum sacrificium raperent,abegit. Sic nos, cùm in ara cordis holocaustum Deo offerimus, ab immundis hoc volucribus custodiamus, ne maligni spiritus, & peruersæ cogitationes rapiant, quod mens nostra offerre se Domino vtiliter sperat.] Sic ille.Dum ad exemplum huius sancti Patriarchæ in oratione cogitationibus vanis,aut minùs puris obsistimus,illæ non sordes sunt, sed naturæ miseriæ; non culpæ sunt,sed pœnæ, quas debemus æquanimiter sufferre,& in nostro opere orãdi perseuerare.

Eiusmodi vanæ cogitationes, naturæ miseriæ sũt.

Tertia ratio pro imbecillium consolatione sit, quia hæc inuoluntaria euagatio non solùm nõ est peccatum,verùm & sæpe multũ valet ad meritum. Vnde Blosius vir piissimus sic ait:Adnitere,vt præsentem animũ habeas,dum precaris,Deúmque laudas.Facito id diligenter,& cum debita reuerentia: nusquam deliberata voluntate consentiens ineptis cordis euagationibus. Si verò tam instabilis atque volubilis fuerit mẽs tua,vt verbis orationis attendere non possis;nequaquam ob id indigneris, neq; deiiciaris animo:sed grato, placido, tranquillóque spiritu fac,quod in te est, bonam voluntatem Deo offerens,& cõstantem patientiã exhibens. Esto humilis potius,quàm pusillanimis. Quãuis minus attẽtus plurima prętereas,subinde tamẽ vel vno verbulo attendis:quòd si nec vnum verbum attentus pronunciare potes, nec sic quidem perdis operã, si vigil & rectus corde fueris.Internã perplexitatem, internum impetum, nimis anxiam sollicitudinem, nimis vehementem cogitationem atque conatũ sapienter vitato, & multiplices rationes attentionis seruandæ ne inconstanter perquiras.Ista enim confusionem in anima gignere,& diuinæ gratiæ saporẽ excludere solent.] Si ergo attenta oratione non proficimus,at vt nos comprimamus suauiter laboremus,& sic labore pugnandi proficiemus,& quod suauitatis abfuerit,pugnę sustinẽtia supplebimus,& aliquãdo attẽtione, & quieta oratione donabimur.

Inuoluntaria distractio sæpe iuuat ad meritũ. Blosius in canon. vitæ spirit. c. 17.

De euagationum caussis in Oratione.

CAPVT VII.

COGNITA attentionis necessitate ad orandum mente, hostes eius perscrutemur,quos è finibus nostris strenuè pellamus. Hostes autem attentionis voco distractionum ac euagationum mẽtis caussas,quibus necesse est bellum indicere,si cupimus cor attẽtum in oratione possidere. Hæ caussæ vsque ad numerũ senarium excrescunt, vt quasi post hebdomadã laboris,in qua aduersùs eas animosè confligimus,septimus quietis dies nobis resplendeat,in quo mens nostra à terrenis auulsa absque vlla interpellatione aliquando tandẽ in conspectu sui cõditoris assistat.

Distractionum caussæ sex.

Prima distractionum caussa sunt peccata etiam leuia,si ab eis quis se emendare & purgare non curet. Sunt passiones necdum moderatæ, & affectus inordinati,qui nos ad terram illidunt,& in cœlestia sursum ferri non sinunt. Peccata quidẽ non solùm nos maculant,& fiduciã Deo assistendi & precandi tollunt; verùm & non aliter quàm spinæ & tribuli mentem pungunt. Sicut autem corpus inter spinas ipsum lacerantes minimè quiescit:ita & mens spinis peccatorum fodicata, in re, quam meditatur, pausare non valet.Affectus verò immoderati, sunt sicut funes:nam mentem ad cœlestia tendentem ad terrã trahunt,vt in rebus vilibus,& nihili, ad quas afficitur,sicut sus in luto miserè volutetur. Vnum sensualitatis, qua omnes affectus inordinati cõtinentur,est voluptas percepta ex rebus sensibilibus. De qua voluptate quanto quis plus bibit,tanto amplius sitit: quare si affectus non cohibemus, quottidie magis ac magis sitimus. Quid autem faciet anima cœlestia non cupiens,& terrena vehementer sitiens,nisi, cùm illa cogitare debet, ab eis importunitate sitis abduci,& ad ista,quæ sitit, & appetit, declinare? Bernardus alia similitudine,quam suprà ex parte tetigimus,hoc impedimentum attentionis expressit.Hæc igitur(inquit) tria sunt,quæ oculum intelligentiæ confundunt,atque à contemplatione veri luminis excluduńt;tenebræ scilicet peccatorũ; recordatio eorumdem peccatorum; cura terrenorum actuum. Primo illo morbo turbatum se plangebat Propheta, cùm diceret:Dereliquit me virtus mea,& lumen oculorum meorum,& ipsum non est mecũ.Cùm enim luce iustitię destituimur,nil aliud, quàm peccatorum nostrorum tenebras inuenimus. Iterum secundò se grauari sentiebat, cùm dicebat: Conuersus sum in ærumna mea:dũ configitur spina;peccatorum scilicet recordatio.Tertiò occupari se conqueritur, cùm dicit:Quia cinerem tamquam panem manducabant;cinerem scilicet actionis pro pane contẽplationis.Quicumq; ergo mentis oculũ diuinæ contemplationi vult intẽdere,profectò necesse est,vt eum priùs ab hoc triplici impedimento studeat purgare.] Sic ille. Siue ergo peccata vt spinas,vel tenebras,& passiones immoderatas;vt puluerem,vel vt catenas intelligas,certum est ab vtrisque mentis euagationem prouenire, & debitam in oratione attentionem tolli. Vox enim est veritatis: Vbi est thesaurus tuus, ibi est & cor tuum. Si verò per conuersionem ad rem creatam,& per immoderatum affectum in ea tuum thesaurum constituis, quomodo absq; magna contradictione poteris cor tuum ab illa seiũgere, & quietis cogitationibus, & feruidis affectibus mysteriis cœlestibus copulari?

Prima caussa, peccata, etiam leuia.

Affectus item immoderati.

Bernard. ser. 5. de Assumt.

Secunda euagationum caussa est,mentis tepiditas,cuius caussa vel quasi otiosa & dormituriens in oratione manet;vel seipsam non cogens,per inania & inutilia discurrit. Et indicium manifestum est mentis tepidæ,cùm ad ea,quæ illam distrahũt,affectum non habet,sed eis ex sola leuitate se pascit.Ex tepiditate quoque nascuntur vana,& impura, quibus necesse est mentem à cœlestibus auocari.In quã sententiã Richardus Victorinus ait:In remissa mẽte crescunt terrenæ delectationes,& syluescũt propriæ volũtates;quia iuxta Salomonem:Agrum hominis pigri replent vepres, & spinæ,quæ quantum fructificant,tãtum nemus opacum horum frutetorum generant,mentémque obtenebrant, vt minus homo remissus intelligat in quantis delinquat,minus se attendat,minus se apprehendat.Timenda est hæc nox,in qua homo quottidie fit deterior,& tamẽ de se securior.Qui verò diuini amoris gladium habuerint,timorem hunc excutient, & non veniet super eos timor iste spinarum,& veprium;ad quem habẽdum maximè valet memoria beneficiorũ Dei, vt recolás, & cogites, quòd te fecerit, & refecerit, quòd tibi benefecerit.] Sic ille.Et Cassianus de vitio acediæ scribens:Huius(inquit)ægritudinis vniuersa incommoda, vno versiculo B.Dauid elegãter expressit:Dormitauit,inquiens,anima mea præ tædio;id est,præ acedia.Propriè satis nõ corpus dixit, sed animã dormitasse.Verè enim ab omni contemplatione virtutum,& intuitu spiritualium sensuum dormitat anima,quę perturbationis huius telo fuerit sauciata.] In tepidum cadit illa maledictio, qua Cain est à Deo percussus.Cùm operatus fueris ter-

Secunda caussa, mẽtis tepiditas.

Richard. in Cant. c.1.

Cassian. lib. 10. c.4.

Gen. 4. 17.

ram,nõ dabit tibi fructus ſuos: vagus & profugus eris ſuper terrã.] Cùm enim vult terram cordis ſui orationis aratro proſcindere,vt fructum ferat,ex ea non fructus ſanctarum cogitationum,& bonorum affectuum, ſed ſpinas & tribulos ineptiſſimarũ cogitationum legit, quibus compellitur per abſurda & inania vagari.Et apud Oſeam tepidorum euagatio deſcribitur:Percuſſus eſt Ephraim,radix eorum exſiccata eſt,fructũ nequaquam facient. Quòd etſi genuerint,interficiam amantiſſima vteri eorũ. Abiiciet eos Deus meus, quia non audierunt eum; & erũt vagi in nationibus.] Prorſus vulnere tepiditatis percuſſi ſunt, quæ ceu vulnus animæ vires diſſoluit.Radices eorũ exſiccatę ſunt,in quibus virtutes initia bonorum operũ aruerunt.Si aliquid boni quaſi per tranſitum cogitatione cõceperint; ſtatim interit, quia ad efficax deſiderium non peruenit. Abiicit & euomit eos Deus: quoniam eius inſtinctibus non obſequuntur.Et ideo neſciunt corde in rerum diuinarum meditatione conſiſtere:ſed compelluntur per inutilia & noxia vagari. Reuertere igitur,ô anima,reuertere per ſanctum feruorem ad cor tuum. Vſquequo delitiis,aut delitiarum amore diſſolueris,filia vaga,vt ad teipſam redire nõ audeas, ſed magis eligas per inania diſcurrere,quàm in vno quod te ſatiet,& multiplicet,contineri?

Oſea 9. 16.

Ieremia 31,22.

Tertia cauſſa, curioſitas.

Tertia diſtractionum cauſſa, eſt curioſitas,quæ à tepiditate mentis,vt effectus, exoritur. Neq; enim aliquem reperies feruore conſpicuum,qui non curioſitatem ablegauerit.Sed expende nunc cauſſam, quare curioſitas in morbum diſtractionis incidat. Hominem nunc ad ſimilitudinem nauis conſidera, cuius ſentinam, aut fundũ cor facito; ſenſus verò, & vires alias quaſi huius nauis partes apprehẽdito. In naui,quicquid aquæ,vel ſordiũ aliæ partes hauriunt,in ſentinam vadit,& ideo grauiter olet.Similiter quicquid per ſenſus ingreditur, ſtatim in cor deſcẽdit,& illud replet. Curioſitas autem vniuerſa vana & inutilia ad ſenſus adducit,quę in ſentinam cordis cadentia, & ipſum olidum faciunt,ac ab attenta conſideratione cœleſtium auertunt. Sapiẽter quidam dixit,in Scripturis ſanctis præcepta eſſe lata de cuſtodia aliorum membrorum, ne occaſione illorum,cor noſtrum aliquid mali contrahat. Nam ſicut è corde exeunt cogitationes malæ, & opera mala;ita viciſſim per ſenſus ingrediuntur, quæ cor ipſum maculent,& rerum viſibiliũ obiectione perturbent.Ac proinde meritò Auguſtinus curioſitate orationem impediri,ait his verbis:Verumtamen in quàm multis minutiſſimis & contẽptibilibus rebus curioſitas noſtra quottidie tentatur, & quàm ſæpe labamur,quis enumeret?Et tãdẽ,cùm in huiuſmodi rebus conceptaculum ſit cor noſtrum, & portat copioſæ vanitatis cateruas, hinc & orationes noſtræ ſæpe interrũpuntur,atque turbantur.] Bernardus quoque ait,quòd curioſitas opponitur pietati, quæ eſt cultus Dei:quia videlicet curioſus animus, tamquàm in exteriora diffuſus,non poterit in interiori quiete durare. Et dum ad feneſtras ſenſuum apparet, & ex iis, quæ obiiciuntur, ſimilitudines haurit,& intra ſe reponit,nihil aliud,quàm cauſſas multiplices euagationis conquirit. Quàm appoſitè de curioſa anima dicetur, quod de meretrice Salomon ſcripſit: Garrula,& vaga,quietis impatiẽs,nec valens in domo conſiſtere pedibus ſuis,nunc foris, nunc in plateis,nunc iuxta angulos inſidians.]Hæc non vnum tantùm adoleſcentulum, ſed mille vilitates apprehendit,& in domum cordis introducit, vt cum illis in reuerendo toro ſanctæ orationis ludat, & Chriſto ſponſo puriſſimo per multipli-

Curioſitas omnia vana ſenſibus ingerit.

Aug. lib. Confeſſ. c.35.

Bernard. ſer.de ſeptem donis.

Prou. 7. 10.

A cem ſaltem euagationem iniuriam irroget.

Quarta cauſſa, euagatio extra tẽpus orationis.

Quarta diſtractionis cauſſa, eſt praua conſuetudo euagandi extra orationis tẽpus, qua mens quaſi in multa diſcinditur, & vagari aſſueta,nulla ratione in vnius boni meditatione fixa ac immota continetur.Veriſſimáq; eſt Ioannis Caſſiani ſententia: Et idcirco quales orantes volumus inueniri, tales nos eſſe oportet ante tempus orandi. Neceſſe eſt enim mentem in tempore ſupplicationis ſuę de ſtatu præcedenti formari,illíſque eam cogitationibus orantem vel ad cœleſtia ſublimari, vel ad terrena demergi,quibus ante orationem fuerit immorata.] Si itaque totis diebus & noctibus inania aut ſuperflua cogitare aſſueſcas, quid mirum ſi ad orandum collectus,ſolo corpore colligaris,mẽte in varia diſtracta perdurante? dũ antea cogitata, vt te à bono auocent, & interpellent, occurrunt. Cogitationes meæ diſſipatæ ſunt,inquit Iob, torquẽtes cor meũ. Noctem verterunt in diem.] Sic omnino quibuſcũque euenit, ſi cogitationes diſſipatas, & in varia diſciſſas habere aſſueſcant; quòd cor aſſidua mobilitate contorquent,& in diem contemplationis tenebras& caliginem aduehũt,vt in ea ſola turbatio & confuſio emineat, & quietis ſplendor non illuceſcat.Quare,ſi volueris attentè orare,non tantùm ſenſus comprimes, verùm & multo accuratiùs cogitationem cohibebis;cui niſi extra orationem obſiſtas,in oratione eam ligare non poteris.

Richard. Bẽiamin minor. lib.1.c.6.

Iob 17.11.

Quinta cauſſa, humana fragilitas.

Quinta cauſſa diſtractionis,eſt ea,quam iam ſuprà tetigimus, humana ſcilicet fragilitas, & ſtatus cuiuſque conditio,quę nos deorſum deprimunt,& in rebus ſublimibus cogitandis diu non ſinunt immorari.Certum eſt enim ſpiritualem virum, qui in expulſione peccatorum, ac in compreſſione affectuum & cogitationum,atq; in victoria curioſitatis non parum profecerit,vel curis ſtatus, ac muneris, cui eſt addictus,tamquam vel certè ſola infirmitate naturæ & cogitationis volubilitate, à rebus cœleſtibus contemplandis abduci. Enimuero noſtræ imaginationis volubilitatẽ ſub nomine Balæ, quã Iacob aliquando duxit vxorem, Richardus Victorinus pulchrè depinxit;nos nomina tantùm claritatis cauſſa mutabimus.Imaginatio(inquit)cum tanta importunitate in auribus cordis perſtrepit, quatenus eius clamorẽ ipſa mens vix,vel omnino cohibere nõ poſſit.Hinc eſt,quòd ſæpe dum pſallimus, vel oramus, phantaſias cogitationũ, vel quaſlibet imagines rerũ ab oculis cordis amouere volumus, nec valemus. Quoniã ergo huiuſmodi perſtrepentium cogitationum tumultus quottidie etiam inuiti patimur, qualis & quanta ſit imaginationis garrulitas,quottidiano experimento docemur.Quæq; etiam viſa,vel audita,quæ aliquando ipſi geſſimus, vel diximus, ad memoriã reuocat, & quæ ipſa iam enarrando explicauerit, cadẽ iterum atque iterum replicare non ceſſat. Et ſæpe, cùm nulla voluntas cordis ei audiendi aſſenſum præbeat,ipſa nihilominus (quamuis nullo quaſi audiente) narrationem ſuam explicat.Sic vtique decrepiti ſenes, vel inueteratæ anus ſolent quælibet abſque omni auditore referre,& quaſi aliquibus præſentibus,cum eis ſermonẽ conferre.]Hæc ille. Quòd verò proprio munere ab intẽtiſſima oratione interpellemur,ſic Ioãnes Climacus docet,ac animã, licèt aliquantulum diſtrahatur,in magnã ſpẽ erigit. Certa (inquit)tota animi intentione, mentémq; ſemper inquietam ac vagã infatigabiliter cõtine,teipſum ad teipſũ colligens.Neq; enim ab his,qui obedientiæ legibus viuunt,orationẽ ſine vllo cogitationũ ſtrepitu quietã requirit Deus.Noli triſtari,aut mœrore vllo affici,

Proprio munere ab oratione diſtrahimur. Climac. gradu 4.

ſi,dum oras,ſubtiliſſimè inimicus irrepſerit,animíque intentionem clàm, vt fur, auerterit : ſed bono animo eſto, dum ſemper lubricã reuocas mentem. Angelis enim ſolis datum eſt huiuſmodi non patere furibus. Qui ſibiipſi latenter perſuaſit numquam ſibi ab huiuſmodi conflictu recedendum vſque ad extremum ſpiritum; immo ſi mille mortes, vt ita dixerim,animæ & corporis immineant,nihil huiuſmodi facilè incurret.] Sic Climacus. Qui vt ſolitarius non ſolitarios à dono intentiſſimæ orationis excluſit. Sed iam diximus quia licèt id rerũ natura exigat,&hoc multiplex occupatio aliquãdo diſtrahat; Deus tamen non eſt ſolitudini alligatus, ſed interdũ conſueuit viros ſpirituales pro obligatione ſui muneris ſatis occupatos attẽtiſſima oratione donare.Dum verò à Domino in cõmuni modo orãdi relinquimur; nemo eſt tam ſolers orator, qui naturę fragilitate depreſſus nõ ſe sẽtiat à diuinis ad humana,& ſibi propria in oratione vocari.

Deus maximè occupatis attẽtam tribuit orationẽ.

Sexta cauſſa, dæmonũ aſtus.

Sexta ac poſtrema diſtractionis cauſſa,eſt aſtutia dæmonum omnibus quidem inſidiantium,ſed illis præcipuè , qui nituntur Deo per meditationem ac contemplationem copulari. Sunt dæmones à Deo affectu ac voluntate omnino ſeiuncti;nec patienter ſuſtinent inuidia pleni,ſi aliquis bonum, quod ipſi amiſerunt,habeat, & Deo pio affectu ac voluntate iũgatur.Sunt hoſtes hominum manifeſti,& ibi eos acriùs impugnant , vbi faciliùs nouerunt ſe ab hominibus vinci,& ſuas fraudes efficaciùs eludi.Sunt virtutis & perfectionis inimici, & ideo orationem impugnant,&,ſi poſſunt, diſtractione fœdant, qua vident omnem virtutem perfectionémque ſuccreſcere. Optimè ſanè Ioannes Climacus horũ pertinaciſſimos aſtus detexit,quibus puram & intentam orationem impediunt. Obſeruemus,inquit,diligẽtiùs, & inueniemus, cùm inſonuit ſignũ ſpiritualis tubæ,viſibiliter quidem cõgregari fratres:inuiſibiliter verò cõuenire inimicos, atque hos quidẽ cùm experrecti fuerimus,aſtare lectulo, nóſque, vt iterũ decũbamus lectulo,hortari. Expecta,inquiũt, dum cõpleatur principales hymni, ſicq; demũ in Eccleſiã proficiſcéris. Alij,cùm ad orationẽ aſſiſtere cœperimus,nos in ſomnũ præcipitãt. Alij præter conſuetudinem ventrem immoderatè ſtimulãt. Alij, vt inuicem colloquamur,hortantur. Alij mentem noſtram in turpes cogitationes pertrahunt. Alij ſuper parietem reclinare nos,vt debiles,admonent. Nonnumquam verò oſcitare etiam immodicè faciunt. Nonnulli illorum,orationis tempore, riſum nobis mouent,vt per hunc ad indignationem contra nos Deus prouocetur. Alij per ſummã deſidiã feſtinare nos in verſuũ pronunciatione impellunt. Alij contrà Pſalmodiam protrahere,voluptatis cauſſa hortantur. Nonnumquã verò ori etiam aſſidentes noſtro,ita illud claudũt,vt vix aperiri poſſe videatur.]

Climacus.

Quónam pacto damonis euagationis inieeta dignoſcatur.

Signum autem euagationis ex dæmone prouenientis,eſt qualitas eorũ,quæ ineptè cogitamus. Nam ſi ad ea nũquã fuimus affecti; ſi nec curioſitatis vitio ad eorum conſiderationem,aut aſpectum ducti ; ſi nec ad ipſa per cõditionem naturalem proni;ſi aut numquam,aut proximo tẽpore,ea nullo ſenſu percepimus; quis dubitet, talia dæmonũ induſtria obiici,vt orationis puritatẽ auferant, & eius fructum impediant? Hæ ſunt diſtractionis præcipuæ cauſſæ, & virorum ſpiritualium moleſtæ afflictiones, quas in oratione patiuntur. Sed ne deſperes , ô vir Dei, quia Dominus in his ſex tribulationibus , quas in oratione ſuſtines,liberabit te,vt eſt in Iob,atque in ſeptima non tanget te malum.Eſſet autem ſeptima, ſi tantis moleſtiis victus, de profectu deſperares,& orationem tamquam opus, ex quo nullum emolumentum ſentis , imprudenter omitteres. Perſiſte igitur;& licèt diſtractus , & euagationibus impetitus , orationem non deſeras : nam & ipſa, ſi perſeuerans ſit, faciet,vt Deus tui miſereatur,& cauſſas culpabiles euagationum ſubmoueat ; inculpabiles verò magna ex parte diminuat.

Iob 5. 19.

De harum euagationum remediis.

CAPVT VIII.

CONTRARIA contrariis curantur,quare cognitis euagationum radicibus , non eritdifficile remedia curationis adhibere. Nam ſi põdere peccatorum grauaris, vel alicuius culpæ leuioris ſpina compungeris , cui te puſillanimiter tradis, cíque haudquaquam reſiſtis; remedium erit importabile onus deponere , vt ad Deum aſcendas,& ſpinam euellere,vt apud illũ attentus quieſcas. Si paſſionibus & affectibus minus ordinatis illigaris; illos,vt aura Spiritus ſancti ſurſum feraris, abrũpes. Si præ ignauia & tepore dormis,& quaſi nihil agens in oratione,nec bonũ,nec malum meditaris;ſocordiam, & noxium illum ſoporem excuties,& te ad aliquid boni cogitandum, &ad affectus excitabis.Si ſenſuum curioſitate traharis,eos aſſidua mortificatione cohibebis. Si praua conſuetudine mente euagandi impugneris extra tempus orationis,aſſidua diuinæ præſentiæ cura,& irruentium cogitationum abiectione ſanaberis. Denique naturæ fragilitatem gratiæ vigore, & aduerſariorum pugnam contemtu ipſorũ euinces.

Quemodo diſtractioni à peccatis, vel paſſionibus prouenienti medicina ſit adhibenda.

Qui ignauia depellenda.

Qui curioſitas, & cõſuetudo euagãdi extra orationem.

Qui naturæ fragilitas.

Sed licèt hæc pro medicina euagationum ſufficerent; tamen alia remedia generalia ſubiiciã, quibus ſpirituales magiſtri ſolent huic morbo mederi: vt ex medicaminũ multitudine facilior ratio huius curationis exiſtat. Et ſanè efficaciſſimũ remedium attentionis eſt, ſi Deus ſpiritu ſuo,& ſuauitate ſua mentem labilem , & ad euagationem procliuẽ vndiquaque contineat. De ſpiritu enim Dei dicitur, quòd capiat omnes ſpiritus ; quia videlicet ſpiritũ humanum continet,ne pereffluat, & in vana cogitanda & amanda ſe diffundat.Et alio loco:Quoniã Spiritus Domini repleuit orbem terrarum; & hoc, quod continet omnia,ſcientiã habet vocis.]Replet & continet.Replet quidẽ ſanctis & admirandis cogitationibus, & affectibus, vt alia cogitare non libeat:& continet reuerẽtia maieſtatis ſuę,vt animus ſancto timore correptus euagari perhorreſcat. Magnus ſanè contẽplator Richardus de ſancto Victore hunc locũ ad noſtrum propoſitũ ſic interpretatur. Hæc (ſcilicet ſola Spiritus ſancti ſuauitas) animũ in intimis fixit , & per alia deſideria currere & euagari non ſinit. Mirari vtique habet,cui hæc experiri licet,humanus ille animus vagus & profugus ſuper terram,qui fugit velut vmbra, & numquã in eodem ſtatu permanet,quomodo in vno ſuauitatis internæ deſiderio totus inhæreat; & quomodo tota illa tot deſideriorum turba ad vnum ſe votũ adſtringat. Vel quomodo tanta tam innumerabilium cogitationũ familia in vno eodémque concupiſcẽtię ſuę reſpectu fixa permaneat.Sed vnde hoc,quęſo,niſi quòd ſpiritus Domini, qui replet omnia, ſimul & etiam continet omnia? In eo enim quòd replet,in eo ipſo & continet.Nam vnde interiora noſtra ſua dulcedine afficit , inde ad ſe omnes cordis motus conuertit, & in illius expertæ ſuauitatis deſiderio figit.Numquã ei diſcurſus ille fluctuantium deſideriorum,& tumultuantiũ cogitationum com-

Satis efficax remedium ad attentionem, ſi Deus mẽtem cohibeat. Sap.7.23. Sap.1.7.

Richard. ſer.de SS. ad finem.

pescitur,nisi interna refectione satietur. Quamdiu enim mens ad veram & plenam refectionem pertingere nó valet,habet semper,quò per desiderium festinet. Vna itaque, eadémque spiritualis dulcedo, quæ sola sufficit intima nostra satiare, & ad vnam pacem componere: ita vt idem spiritus rectè dicatur omnia replere, & omnia continere.] Huc vsque ille. Quando hic sanctus Spiritus perflat, quando mentem replet, & continet, absque labore ipsa immota & attenta in sanctis cogitationibus manet. At cùm abest per subtractionem huius gratiæ,& suauitatis, & cùm se abscondit, his remediis te ad attentionem coges.

Præparatio ad orationem in quo consistat.

Ad locum orationis bene dispositus ac præparatus venies. Hæc autem præparatio,vt ex dictis colligere potuisti, in hoc collocata est: si desiderium orationis accendas: si cor erectum & applicatum ad meditationem afferas: si rem à te meditandam attentè legas, & in memoria reponas:si affectum, vel fructum, quem intendis, præuenias:ac demum si omnia,quæ tunc te interpellare possunt,constanter abiicias. Hæc vim habent ad tranquillandum animum,vt attendat,& à Domino auxilium ad pellendas inanes cogitationes,& ad habendam attentionem impetrant. De præparato habitaculo suo respexit super omnes, qui habitant terram.] Habitaculum eius, cor tuum est: si illud paratum obtuleris, ille te in bonum respiciet. Audi fructum respectus eius. Qui finxit sigillatim corda eorum:qui intelligit omnia opera eorũ.Si te respexerit ex corde sibi parato,ipse te formabit ad similitudiné Filij sui:ipse desideria tua,& affectus tuos,quos apud illum effundes,scientia approbationis intelliget.Hęc ergo cura tibi incumbit.Nam hominis est animam præparare,& Domini gubernare linguam.] Sicque munera inter Deum & hominem discernuntur; vt homo non sine adiutorio gratiæ seipsum ad orandum præparet: Dominus verò linguam hominis internam,id est, mentem eius, vt non inania secum meditetur, sed sancta & pura ad Deum loquatur, sapienter gubernet.Idémque sonant alia verba eiusdem Sapientis: Cor hominis disponit viam suam, id est,præparat se ad orationem, quæ via est,qua in Deum tendit:sed Domini est dirigere gressus eius, quos ordinariè non dirigit, si homo ab ipso adiutus, quod in se est non faciat, nec viam suam,vt in Deum tendat, accuratè disponat. Denique, qui timent Dominũ, præparabunt corda sua, & in conspectu illius sanctificabunt animas suas.]Parabunt, inquam, se, vt coram Domino appareant, vt illi se præsentent,& sic per attentam ac feruidam orationem, sanctitatem ab ipso Domino consequentur. Si autem imparati accedant, non mirum si inattentè & irreuerenter orent, & seipsos potiùs fœdent, & iram promereantur.

Prou. 16. 1.

Prou. 16. 9.

Eccli. 2. 20.

Iuuat etiam, ipsã attentionem exposcere. Psal.105. 47.

Postquam ad locum orationis paratus veneris, donum attentionis humiliter postulabis. Dicésque cum Dauide:Saluos nos fac, Domine, & congrega nos de nationibus, vt confiteamur nomini sancto tuo, & gloriemur in laude tua.] Nam & Israëlitæ, Domine, in exteras nationes erant dispersi;nos verò in res creatas cogitationibus & desideriis effusi. Congrega cor nostrum, ac in vnum collige dispersiones eius vt tibi adhæreamus, & gratias agamus, vt te diligamus, & tãquam adepti, quod cupimus, in tua laudatione lætemur. De Domino scriptum est in Iob:Qui fecit ventis pondus,& aquas appendit in mensura.] Nam & eius est spiritibus nostris stabilitatem in oratione præbere; & tentationibus per aquas signatis, ne nos mergant,modum imponere. Fugat ille cateruas inanium cogitationum impetu irruentium, vt nos ab illo separent: & vires nostras ad se colligit,& mysteriis suis pascit,vt profectum augeat puritatis internæ. Ædificans enim Ierusalem Dominus, dispersiones Israelis congregabit. Si enim nomine Ierosolymæ nõ solùm illam cœlestem in supernis regnantem, aut istam terrestrem in infimis bellantem; sed & quãlibet iustam animam possumus accipere,quid erit tempore ædificationis eius, dispersiones ipsius à Domino congregari; nisi ad profectum virtutum instrumento orationis augendum,vires omnes mentis ad attendendum & excitandum affectum cogi? Si ergo attentio est opus Dei,quo animam in vnum colligit, & facta stabilitate in ea, rebus cœlestibus attẽdere facit;æquum est,vt spem consequendi eam non in nostris viribus, aut conatibus, sed in diuina gratia, & in oratione ponamus:& inter alia,quæ in initio orationis facimus, vnum sit, attentionem postulare, & gratiã ad cohibendas euagationes deposcere.

Psal. 146. 2.

Attentio opus est Dei.

Conducit insuper,si initio vigiliarũ, cor bonis cogitationibus præoccupetur.

Conferet etiam ad attentionem in oratione habendam;si, cùm primùm vigilas, vel à somno excitaris, hospitium cordis bonis cogitationibus occupes, quibus euagationem præuenias. Solent enim duces in bello fortissimi, loca munitissima ab hostibus oppugnãda militibus præoccupare,ne in aduersarij exercitus potestatem veniant,& transitum, aut vrbis alicuius expugnationem,aut etiam victoriam optatam impediant. Sic & tu locum proprij cordis in ipso initio vigiliarum obtinebis,& sanctis cogitationibus munies;ne,si ab euagationibus prẽueniatur,locum,vnde aduersùs dæmones pugnaturus eras, amittas,& illis tamquam è superiori loco pugnantibus,& tela malarum,aut inanium cogitationum intorquentibus,in orationis bello succumbas. Scis ex libris Machabæorũ quid Ierosolymitis acciderit.Ierusalem, inquiunt,non habitabatur,sed erat sicut desertũ:nõ erat,qui ingrederetur,& egrederetur de natis eius; & sanctum conculcabatur.] Tantæ calamitatis caussam perscrutare, dicetúrque tibi:Et filij alienigenarum erãt in arce, ibi erat habitatio gentium.Illius ciuitatis opprobrium sit animæ tuæ in fugiendæ euagationis exemplum. Nam si arcem cordis superfluæ cogitationes,& curæ sæculares occupẽt;sanctarum meditationum vacuus, & à piis affectibus eris alienus. Auferetur voluptas à Iacob,& deficiet in eo tibia,& cithara. Quia post tempus orationis exactum, non causas lætitiæ ex donis in oratione acceptis, sed ex irreuerentia, & aliis defectibus, quibus in ea fœdatus es,mœstitiæ occasiones inuenies.Si hæc vana cogitata ipso initio vigiliæ in prærordiis admittas,non mirum si in oratione non fugiãt,sed potiùs, licèt in oppositum coneris, conualescant. Iam legisti quid immundus spiritus per spiritũ veritatis domo sua pulsus tandem fecerit. Inuenit eam vacantẽ,scopis mundatã & ornatã. Tunc vadit, & assumit septem alios spiritus secum nequiores se,& intrãtes habitant ibi.] Ingressi proculdubio sunt in ea; nõ quia munda & ornata erat, sed quia habitatorũ vacua erat;numquam enim diabolus in illam intrasset,si habitatorem strenuũ,& sua tuẽtem inuenisset.Non satis est ad orandum si à maioribus peccatis sis mundus,& virtutibus exornatus: nam hæc dæmonem nostræ salutis hostem ad bellum inferendum inuitant,sed oportet vt sis à principio diei bonis cogitationibus repletus,& tui custodia munitus,vt ipse veniens ad puram animam maculandam, eam habitatã & custoditam inueniat,& tristis ac confusus abscedat.

Iob 28. 29.

Matth. 12.44.

Præter cordis mũdiciã, & virtutes, requiritur ad orandum bonarum cogitationum præuentio.

Confert, rem meditãdam vt præsẽtem contẽplari.

Vtile deinde erit ad stabiliendum attentione

animum,

animum, si rem, quam ad considerationem adducis, non vt præteritam, nec vt futuram, sed vt præsentem mediteris. Christum Saluatorem nostrum, exempli gratia, ad columnam ligatum, vel cruci affixum consideras : mysteria hæc non vt ante tot sæcula facta, sed ac si nunc actu fierent, sunt animo recogitanda. Angores mortis meditaris non vt post multos annos futuros, qui fortè hodie succedent; sed vt iamiam imminentes & instantes cogitatione tractabis. Sic enim, sicut amplius affectum tangunt : ita quoque intellectum magis attentum & quietum in his, quæ cogitantur, reddunt. Præsentes, vt Bernardus inquit, viuidiùs & efficaciùs supplicamus : & quæque obiecta præsentia intimius, quàm cùm sunt absentia etiam cogitatione percipimus. Quare si mysteria cœlestia, aut res alterius vitæ, vt præsentes contemplari assuescimus, multo attentiùs illis, ac quietiùs inhærebimus. Mosi tributum est laudi, quòd inuisibilem Deum tamquam videns sustinuit; & inde sustinentiam & fortitudinem ad labores perferendos comparauit. Ita prorsus, si Deum hîc præsentem intueamur, & opera eius admiranda vt præsentia meditemur, fortes nos efficient, vt aduersùs euagationes pugnemus.

Bernard. epist. de morte Malachiæ.

Hebr. 11. 27.

Est præterea optimum ad attendendum remedium, si imagines rerum irruentes non solùm non aduertas, non discutias, non examines; sed ita te habeas, quasi eas aspicere dedigneris. Nam & ipsum aduertere, & examinare istas cogitationes, euagari est : & iam aduersarius noster aliquid à nobis extorsit; vt nimirum occasione resistendi, & cogitationes huiusmodi examinandi aliò animo diuertamus. Tu ipse in re ad vitam corporalem pertinente huius remedij exequendi magister esto. Si enim iter facias, & canes è latere exeuntes, & oblatrantes sentias, nec illos percutis baculo, nec lapides in illos iacis (quod puerorum & mancipiorum est) neque illos quidem aspicis; sed acsi non latrarent, securus & celer transis. Idem omnino cum his cogitationibus facias necesse est; vt scilicet ad clamores earum minimè attendas, sed acsi non insurgerent, nec interpellarent, in sancta consideratione persistas. Transeunte Domino, cæcus sedens in via, & mendicans, valenter clamabat: Iesu fili Dauid, miserere mei. Et cùm à turba increparetur, & clamare prohiberetur, adhuc altiùs intonabat : Iesu fili Dauid, miserere mei. Hic cæcus est orantium ac meditantium præceptor. Quibus si vanæ, aut malæ cogitationes obsistant, illis contemtis, debent in sua meditatione persistere, & nec ad punctum à pio clamore cessare. Quod certè mysterium in hac discreta importunitate cæci, Gregorius sic scribens agnouit : Ecce, quem turba increpat, vt taceat, magis ac magis clamat, quia quanto grauiori tumultu cogitationum carnalium premimur, tanto orationi insistere ardentiùs debemus. Contradicit turba ne clamemus, quia peccatorum nostrorum phantasmata plerumque & in oratione patimur. Sed nimirum necesse est, vt vox cordis nostri quo duriùs repellitur, eo valentiùs insistat, quatenus cogitationis illicitæ tumultum superet, atque ad pias aures Domini, nimietate suæ importunitatis erumpat. In se, vt suspicor, recognoscit vnusquisque, quod dicimus : quia dum ab hoc mundo animum ad Deum mutamus; dum ad orationis opus conuertimur, ipsa, quæ priùs delectabiliter gessimus, importuna postea, atque grauia in oratione nostra toleramus. Vix eorum cogitatio manu sancti desiderij ab oculis cordis abiicitur. Vix eorum phantasmata per pœnitentiæ lamenta superantur. Sed cùm in oratione nostra vehementer insistimus, transeuntem Iesum menti figimus.] Hæc ille. Et certum est, quòd diabolus vt superbus, & arrogans, multo efficacius hoc contemtu propellitur, quàm si ei aliquo alio remedio resistatur.

Iuuat etiam, si rerũ occurrentiũ imagines despectui habeamus.

Cogitationes vana canibus latrãtibus similes.

Luc. 18. 38.

Gregor. hom. 2. in Euang.

Tandem conducet non parum ad mentem attentione firmandam, si non pusillanimiter tristemur, dum nolẽtes huc illuc cogitatione euagamur. Anxietas enim ipsa euagationem fouet, & horrorem orandi affert : tranquillitas verò conseruata mentis, inanem cogitationem insurgentem hærere non sinit. Optimè ergo Climacus dixit, vt vidimus: Noli tristari, aut mœrore vllo affici, si dum oras, subtilissimè inimicus animi intentionem clam, vt fur, auertit, sed bono animo esto, dum semper lubricam reuocas mentem. Angelis enim solùm datum est huiusmodi non patére furibus.] Hæc sunt instabilitatis animæ medicamina ad attentionem comparandam non parum vtilia. Sed præcipuum omnium, est puritas vitæ : nam quo puriores ad orationem accedimus, eo faciliùs Deo auctori puritatis inhæremus, & impedimenta creaturarum, & imaginum ex illis prouenientium superamus.

Damon, si contemnatur, celeriùs abscedit. Animi tranquillitas euagationem propellit.

Climacus sup.

Præcipua distractioni curãdæ medicina, vitæ puritas.

Septimus comes Orationis, Sollicitudo discreta.

CAPVT IX.

AD hanc attentionem habendam, & reliqua obeunda, quibus pura ac perfecta oratio perficitur, oportet oratorem spiritualem solerter se gerere, & discretam quamdam diligentiam, ac sapientem sollicitudinem prædictis adiungere. Nullum bonum, si alicuius momenti sit, absque labore & diligentia consequimur, quæ quasi vehiculum est bonum afferens, & vt aquæductus gratiam ad operandum ad nos è cœlo transmittens. De qua re pulchra sunt verba Philonis Iudæorum disertissimi, in hunc ferè modum scribentis : Labor inter præcipua bona numerandus, bellum cum voluptate gerit perpetuum. Hunc enim, si verum dicendum est, omnis fœlicitas, omnísque virtutis principium hominibus Deus declarauit, sine quo nihil honestum apud mortales esse inuenies. Nam sicut sine luce videre non possumus, quia nec colores, nec oculi ad videndum sufficiunt, hanc enim ceu vinculum natura præparauit, quo coaptaretur colori oculus: nam in tenebris neuter suam vim exerit. Eodem modo animæ oculus nullam virtutis actionem potest attrectare, nisi à labore, seu luce adiutus. Hic enim inter mentem, & bonum, quod mens desiderat, medius illud vna ex parte, hanc ex altera trahens ad se, vtraque manu amicitiã concordiámque conciliat, atque ita bona perfecta efficit. Opta tibi bonum quodlibet, inuenies eius possessionem labore parari, confirmaríque; pietas quoq; & sanctitas bona sunt: sed nisi Deum colamus, non possunt nobis cõtingere. Cultus autem hic cum pertinaci labore coniunctus est. Prudẽtia, fortitudo, iustitia, pulchræ omnes, & inter perfecta bona censendæ, non facilè obueniunt. Atque vtinã vel assidua cura parari possint. Non possunt instrumẽta animæ ferre familiaritatem cum virtute, & Deo, ceu quãdam intensam vehementémque harmoniam : proinde remissa laxatáque sæpius, tamquam à summis artibus descẽdunt ad medias. Superest tamen magnus labor, vel in mediis. Considera studiosos omnes artium,

Quanti sint momenti labor, ac diligẽtia ad bonũ quoduis obtinendum. Philo lib. de sacrificio Abel, & Cain. Labor luci confertur.

quas alij Encyclias, alij Liberales nominant. Considera agricolas, & qui victum quacumque ratione quæritant; hi nec interdiu, nec noctu curis sunt vacui, sed semper & vbique, vt vulgus loquitur, manibus pedibúsque, & omnibus viribus laborare non desinunt, adeò vt immoriantur plerumque suis negotiis. Sed sicut qui animam conantur reddere sibi propitiam, necessariò colunt virtutes animæ: ita, qui cupiunt frui prospera valetudine corporis, curare debent sanitatem, & id genus vires eius cæteras, quas certè curant irrequietis laboribus, qui solliciti sunt de potentijs, ex quibus contemperati sunt. Vides igitur omnia bona è labore, tamquam radice, pullulare, quæ negligere haud vmquam sustineas: alioqui non senties te cum eo cumulum bonorum negligere. Nam rector cœli, mundíque, & habet & præbet bona quibuscumque vult magna cum facilitate: & qui tãtam mundi molem sine labore iam olim absoluit, ne nunc quidem in eodem statu eam continere desinit, quippe cui non defatigari maximè conuenit. Mortali autem nemini adipisci bona sine labore datum est, vt sic quoque eminentem Dei fœlicitatem prædicemus. Equidem existimo laboris cibique eamdem esse vim. Nam sicut à cibo tota vita pendet vnà cum suis actionibus, & affectionibus: ita etiam à labore pendet quicquid in rebus bonum est. Ergo quemadmodum, qui vitam sibi prorogare cupiunt, alimenta non negligunt: ita quotquot, quæ bona sunt, concupiscunt, laborem magnificiant. Sicut enim cibus se habet ad vitam, sic labor ad honestatem, qui cùm sit vnicus, caue illum posthabeas, vt per eum potiaris bonis simul omnibus.] Hæc omnia Philo; quibus vberrimè probat nulla bona nec corporalia, nec spiritualia posse absque labore & sollicitudine nobis contingere.

Nullus mortalis sine labore bonum aliquod cõsequitur.

Cibo labor similis.

Si id ita est, sicut re vera est, facilè conuincitur, nequaquam magnum orationis & contẽplationis bonum sine solerti diligentia parari. Cœlum non tardè, sed velocissimè cursum suum peragit, vt omnia corruptibilia à se pendentia veluti motu sustineat, & citissimo cursu quasi eis opem ferat. Arbores & plantæ irrequieto motu trahunt ex terra humorem, vt crescant. Animalia & aues sollicitissimè cibum sibi quæritant. Negotiatores huius sæculi ô quantis curis, quámque magna strenuitate diuitias sibi opésque conquirunt. Et tu poteris absque corde peruigili oratione in cœlum ascendere, & inde gratiam, qua custodiaris, & crescas, attrahere, & spirituales diuitias comparare? Quis hoc in animum inducat, parua bona cum labore & vigilantia conquiri; maxima autem bona sine labore, immo & cum segnitie & oscitantia ad cumulum perfectionis adduci? Certè tibiipsi in oratione diffidas necesse est, quemadmodum iam diximus, sed non ita vt dormias, & omnia Deo quasi per miraculum facienda relinquas: quin potiùs ita vt postquam, quod in te est, feceris, non de tua virtute, aut sollicitudine, sed de diuina gratia præsumas. Si ergo cupis in oratione progredi, applica te ad laborandum, & vigilanter te habendum in his, à quibus vtilis oratio & meditatio dependet. Sollicitè ad orationem te præpara: diligenter, & absque mora horis destinatis ad locum orationis accurre; strenuè cor tuum sursum in Deum leua; vigilanter euagationes abiice; accuratissimè fructum orationis, scilicet mentis puritatem, possidere festina: & his præstitis non de teipso, sed de Domini benignitate donum orationis expecta. Ipse quippe multo melius & abundantius, quàm Noe, consolabitur te ab operibus & laboribus manuum tuarum. Faciétque vt ex tuo labore fructus colligas, quos tempus edax numquam absumat. Expende, quæso, quàm solerti vigilantia aurifex auro gemmam pretiosam includat. Tu verò, cùm oras, lapidem illum angularem, probatum, pretiosum cupis ad vitæ tuæ conseruationem transferre. Animaduerte quoque, quàm attentè & diligenter seruus aliquis vas aureum liquoris magni valoris plenum manu gestat, ne, si tantillum titubauerit, illud effundat. Tu autem dum oras, aut contemplaris, mentem habes sanctis cogitationibus & affectibus puris plenam. Quanta igitur cura deberes vigilare, ne tam pretiosum liquorem per distractionem perderes, & vacuus ac egenus remaneres.

Orationis bonũ magna comparatur diligentia.

Gen. 3. 29.

Septuaginta illi viri, qui Salomonis lectulum ambiebant, fortes esse dicuntur, & gladiis instructi prædicantur; quia videlicet, qui lectulo contemplationis assident, in quo Christus verus Salomon requiescit, necesse est fortitudine ad superandam carnem deorsum prementem, vestiantur, & gladio spiritus ad vincendos internæ quietis hostes armentur. Animalia insuper solium Christi trahentia, antè & retro plena erant oculis: quoniam mille oculos oportet à viris spiritualibus possideri, vt valeant sine offensione ad exteriora disponenda egredi, & rursus ad res spirituales ingressi, in eis sine euagationibus perdurare. Simulachra leonum delusa gẽtilitas ante suorum deorum templa fingebat; vt his animalibus perspicacissimis (nam & apertis oculis dormiunt) & ad capiendam prædam aptissimis indicaret, quanta vigilantia esset ad diuinum Numen accedendum, vt ab eo aliquid homines postularent. Et illi quidem deos colebant oculos habentes, nihil autem videntes; & aurium effigiem gestantes, nullo verò modo postulationes mortalium percipientes. At nos verum ac viuum Deum colimus, à quo & videmur, & audimur. Æquum ergo est, vt oculis patefactis, id est, animo erecto & peruigili ad eum contemplandum atque exorandum stemus. Profectò qui perspicaces sunt ad instar leonum in contemplando, etiam & fortes sunt in capiendo: quoniam diligenter orantes, & ad Dominum clamantes, quod petunt, obtinent. Desiderium enim pauperum exaudiuit Dominus; eorum nimirum, qui vt pauperes, suam indigentiam optimè intelligentes, vehementer desiderant. Gregorius sic scribit: Tanto quisque minus clamat, quanto minus desiderat; & tanto maiorem vocem in aures incircumscripti spiritus exprimit, quanto se in eius desiderium plenius fundit. Animatum igitur verba ipsa sunt desideria. Nam si desiderium sermo non esset, Propheta non diceret: Desiderium cordis eorum audiuit auris tua.] Si itaque diligenter orantes & meditantes ardenter desiderant, altiùs clamant, & in auribus Domini vociferantur, vnde ab eo, quod cupiunt, recipiunt. De ventre inferi, inquit Ionas, clamaui, id est, ardenter ac feruidè deprecatus sum, & exaudisti vocem meam. Et Moses sollicitè orans, audit à Domino: Quid clamas ad me? quia vehemens oratio magnus est clamor. Diligenter proinde in oratione perseueremus; vt sic ipsa oratio ingens clamor reputetur, & ab eo, qui potens est nos à malis eruere, & in bonis prouehere, exaudiatur.

Cantic. 3. 7.

Apoc. 4. 6.

Pierius. lib. 1.

Perspicacissimis oculis in oratione persistendum.

Psal. 9. 37.

Greg. 2. mor. c. 4.

Iona 2. 3.

Exodi 14. 15.

Attentè verò inspiciendum est, quòd non quamcumque vigilantiam, sed discretam ac prudentem exegimus: quia solent nonnulli, dum meditationi se tradunt, ita caput fatigare, & cordi suo ac pectori

Orationi attẽdendum sed non citra prudentiam.

violen

violentiam inferre,ac ſi meditandi donum non ex gratia Domini eſſent accepturi; ſed quaſi ſuccum ex corde, & capite, & ex aliis membris expreſſuri. Enimuero hæc magna hominis miſeria eſt, vt poſt peccatum terrena & vilia facillimè & ſuauiſſimè; æterna verò & ſublimia difficulter & violenter cogitet. O quàm promtè auarus pecuniarum lucra, & ambitioſus fallacem honorum ac dignitatum gloriam; necnon & impudicus ſordidas delitias conſiderat: vir autem orationi inſiſtens quàm difficulter cœleſtia & diuina recogitat! Huiuſce rei duæ ſunt cauſſæ. Altera, quòd cuique pronum eſt ea cogitare, quæ ſenſibus hauſit, quæ ab incunte ætate dilexit, quæ ſibi cognata, & quaſi propria cognouit. Cum his verò ſenſibilibus nati ſumus, cum illis adoleuimus, ea conformia noſtræ naturæ, ac nobis propria putamus; ſed cùm ſupernaturalia & cœleſtia alterius generis ſint, & quaſi à nobis aliena; non mirum ſi ab illis cogitatio humana reſiliat, donec verè ſpirituales effecti, iam ſpiritualia nobis congrua, & ad nos pertinentia reputemus. Altera cauſſa eſt, quòd in rebus ſenſibilibus meditandis ſuauitatem voluptatémque ſentimus; in ſpiritualibus autem cogitandis oppoſitum frequenter accidit, quòd ariditate tabeſcimus: non quia ſpiritualia arida ſint, aut ſuccum immenſæ conſolationis non habeant; ſed quia palatum mentis affectibus inordinatis & vitiis infectum non poteſt, dum non purgatur, hæc ſine tædio & nauſea guſtare. Nitimur itaque ex horum conſideratione deuotionem ſenſibilem, & ſuauitatem etiam cum fatigatione capitis, & preſſura cordis exprimere, & ſimilia quodammodo iis, quæ in cogitatione temporalium experimur, in ſpiritualibus quæritare. Euenitque illud Salomonis: Qui fortiter premit vbera ad eliciendum lac, exprimit butyrum: & qui vehementer emungit, elicit ſanguinem.] Nam ſicut ex nimia compreſſione vberum, non lac, quod deſideratur, ſed materia denſior exprimitur: & quemadmodum, qui nares vehementiùs emungit, non tam ab humiditate ſe purgat, quàm ſanguine ſe cruentat: ita, qui cum fatigatione capitis, & compreſſione temporum, & violentia cordis & pectoris vult ſenſibilem deuotionem exprimere, non illam, ſed dolorem & afflictionem eliciet.

Prou. 30. 33. Quæ indiſcretâ attentionem excipiant damna.

Diligenter itaque, ô vir Dei, tibi orandum ac meditandum eſt, ſed ſuauiter & diſcretè: ſi enim in vigilantia (in qua etiam medium eſt quærendum) excedas, in multa mala imprudenter incurres. Primò etenim timorem ac horrorem orationis concipies, & eam inſulſam, immo amaram ac intolerabilem iudicabis. Et non aliter ac canis à macello, in quo multas plagas expertus eſt, fugit; ita & animo a loco orationis meditationiſque diffugies. Deinde capitis dolores, ſtomachi debilitates, cordis anguſtias & ægritudinem comparabis, humorem melancholicum augebis, & corporis vires exhauries. Præterea, ſpiritum ſanctæ libertatis obrues, & ad ſupernalia auxilia recipienda te minùs idoneum reddes. Denique, quia hæc violentia carni facta ex ſuperbia & propria fiducia manat; fiet, vt aduentum Domini humiles quærentis, & ad ſibi diffidentes diuertentis impedias. Concipietis ardorem, ait Dominus ad Aſſyrios per Iſaiam, & parietis ſtipulam; ſpiritus veſter vt ignis deuorabit vos.] Quia nimirum ſtatuerunt Hieroſolymas perdere, & ſpe ſua fruſtrati ſunt, & ſuamet cogitatione ſubuerſi. Ita, qui imprudenter ſeipſos fatigantes, quaſi ardorem concipiunt, non conſolationem, quam quærunt, ſed inanem laborem pariunt, ſéque ipſos minus aptos ad cœleſtes illuſtrationes efficiunt.

Iſaiæ 33. 11.

Cùm ad orandum, vel meditandum ſteteris, teipſum, quantum potueris, ad quietem & tranquillitatem præparabis. Omnem conatum reprimito; capiti, vel cordi nullam vim facito; ſolem & aquam, id eſt, lucem ad meditandum, & ardorem ad diligendum è cœlis expectato. Myſterium, quod tibi meditandum eſt, ſimplicibus oculis, & pia mentis affectione conſpicies. Si facilè, quæ ſeſe offerunt, meditari potueris, per illud myſterium diſcurres: ſin minus, quaſi ſuauiter intuendo quieſces, & aliquem bonum affectum excitabis. Si nec hoc tibi concedatur, animo deiicies teipſum, & indignum prorſus aliquo dono fateberis. Sufficiat diei malitia ſua: ſufficiat, inquam, corpori afflictio ſua: quod aut ſtans, aut genuflexum tenes; quod à ſenſibilibus ſibi deſiderabilibus abſtrahis: cuius ſenſus ab omni euagatione comprimis; cuius affectus ab omni, quod delectat, auertis; & aliis moleſtiis, quæ ex longa illa quiete naſci ſolent, exponis. Ne ipſum, ſuper hoc onus, plus nimio vrgeas; ne immoderato conatu opprimas; quia vltra vires oneratum ſuccumbet. Si ita ſuauiter te geſſeris; crede, quia aliquando conſolaberis, & fructus non pœnitendos orationis colliges. Si aliquando inſueta, & non ordinaria luce, aut ardenti aliquo affectu fueris viſitatus; ſilenter & tranquillè donum illud excipies, ſicut aër excipit aduenientem Solis lucem, aut ſicut terra à pluuia cadente ſe irrigari & penetrari ſinit. Ne tunc vim tuo corpori inferas, quaſi velis motibus, & lacrymis, gemitibus, & ſuſpiriis viſitationem apprehendere, ne abeat. Ne verba aliqua proferas, licèt amoris & teneritudinis plena; quia hæc omnia ſolent conſolationem illam impedire, & animum ab eo, quod ſentit, auocare. Idque pro certo ſcias, quòd ad te tunc temporis magis pertinet recipere, & ſinus cordis expanſos habere, quàm aliquid facere. Sic conſolatio illa erit diuturnior; affectus & illuminatio productior, & diuina communicatio permanentior. Quid tu facis, cùm in hyeme ad radium Solis calefaciendus accedis? Certè quieſcis, & ſine aliquo conatu tuo illius luce ac calore illuminaris, & cales. Quòd ſi vergente ſole ad occaſum radium ſuæ lucis ſubtrahat; quantumcumque fleas, & ſuſpires, & loquaris, illū apud te tenere non poteris. Acceſſus ad orationem, & contemplationem, eſt acceſſus ad iuſtitiæ ſolem. Si ipſe nubes diſpulerit, & impedimenta diſiecerit, atque illuminare & tepefacere cœperit, quietus ad radium lucis, & influxum caloris mane, nec putes durationem boni illius ab aliquo tuo conatu pendere. Eſto igitur in meditatione prudenter ſollicitus, & ſollicitè prudens; ita ſcilicet, vt nec præ nimia ſollicitudine corpus frangas, aut caput obtundas, nec ob prætextum falſæ prudentiæ ſegniter agas, & tepidè in re tanti momenti, ſcilicet in oratione, procedas.

Vide ſis modum quo te in oratione optimè geras.

Octauus comes Orationis, Ordo meditandorum.

CAPVT X.

DEvs amator eſt ordinis, & omnis confuſionis oſor, qui ordinis inuerſionem in tartarum deiecit, vbi nullus ordo, ſed ſempiternus horror inhabitat: omnia verò in numero, & pondere, & menſura conſtituit. Quare intelligendum eſt, ipſum in hoc opere ora-

tionis, quò adoratur,& colitur, ordinem ſemper amaſſe, confuſionem autem, ac perturbationem reſpuiſſe. Quæ ſunt,inquit Paulus,à Deo ordinatæ ſunt,] Loquitur autem de poteſtatibus,tum eccleſiaſticis,tum ſęcularibus:quia eas Deus aptè diſpoſuit,& iſtam illi ſubiecit,& quamlibet ordinatè ſe gerere facit,& in ſeipſum,vt ſibi ſcilicet ab omnibus ſeruiatur,ſapientiſſimè dirigit. Idem autem de omnibus rebus veriſſimè dicimus, quia illas non ſolùm inter ſe concatenauit, atque connexuit, verùm & in vnaquaque earum mirum partium, aut perfectionum ordinem collocauit; adeò, vt Propheta regius clamet:Quàm magnificata ſunt opera tua,Domine!omnia in ſapientia feciſti: impleta eſt terra poſſeſſione tua.] Sapientia namque ſua ſic Deus illa diſpoſuit, vt magna & admirâda cunctis appareant,& cernentes in laudem creatoris,& gratiarum actionem impellant. Impleuit ipſe terram creaturis ſuis, neque illas confuſè & perturbatè coaceruauit, ſed ordinatiſſimè quamque earum aliis ſubiici,vel ſupereminere fecit. E terra,& aliis elementis,quæ inter ſe magnum ordinem habent, mixta inanimata perfecit: his arbores & plantas aliquam vitam habentes præpoſuit; hæc animalibus in vſum attribuit; animalium ac cæterorum homini dominium prærogauit. Hominibus quippe dictum eſt:Replete terram,non aliter quàm poſſeſſores, & domini; & ſubiicite eam, & dominamini piſcibus maris, & volatilibus cœli,& vniuerſis animantibus,quæ mouentur ſuper terram.] Inter homines ipſos ordinem ſeruari voluit, ita, vt quidam imperent,cæteri illis obediant:iſti doceãt, alij verò doceantur, & per eos, qui dignitate, aut talentis maiores ſunt, reliquis bona adminiſtrentur. Quòd ſi rebus humanis ordo non deficit, in quibus tanta ſunt,quę ab æqui & boni ſcitis exorbitent; quis non videat cœlos, & angelicos ſpiritus admirando ordine eſſe diſpoſitos,& pulcherrimo ſuperiorum & inferiorum fœdere colligatos? Denique vniuerſus orbis, aut ordo creaturarum eſt, aut certè ſine ordine, & recta partium collocatione non eſt. Vnde Dominus Iobum interrogãs, ait:Numquid noſti ordinem cœli, & pones rationem eius in terra?] Ac ſi diceret,non poteris,niſi me docente, intelligere, quàm admiranda ratione cœli ipſi inter ſe aptè collocentur; quàm ordinatè moueantur; quàm conſtanter vim illuminandi, & opera ſua efficiendi retineant. Nec poteris inueſtigare quomodo ipſi cœli terram & inferiora gubernent; & in his quaſi ſua iura omnimodis ſeruanda præſcribant,& annos ac tempora ætatéſque diſponant,& ad vtilitatem hominum vniuerſa ſibi ſubiiciant.

Rom. 13. 2.

Pſal. 103. 24.

Quantopere ordinem diligat Deus.

Gen. 1. 28.

Iob 38. 33.

Cùm igitur omnia ordinem diligant, & ſint in ſeipſis,& cum aliis ordinatè diſpoſita; non eſt exiſtimandum nobiliſſimum orationis ſtudium ordine poſſe carere. Immo ſicut naturales, & ſupernaturales ſcientiæ methodo ac ratione traduntur, & in eis quædã ſunt priora, & primo loco addiſcenda; quædam verò poſteriora, & poſtmodum animis inſtillanda. Quin & ipſæ ſcientiæ inter ſe ordinem habent,& quaſi per gradus ex vna ad aliam aſcendimus,& ex illa ad aliam, quouſque ad ſummam ſapientiam perueniamus:ita prorſus hæc orationis diſciplina non eſt ordinis expers,ſed ſua habet initia,ſuos progreſſus, & fines, quorum rationem,qui ſeruare neglexerit,non magis ſanè proficiet,quàm qui in Philoſophia,reiectis initiis,vellet in primo ingreſſu ſecretiſſima eius intelligere, aut hac ſcientia, quæ tempore prima eſt, poſthabita, Theologiam naturalem, aut ſupernaturalem perueſtigare. Qui autem ordinem in oratione ſeruauerit,faciliter progredietur,res clarè intelliget,virtutes quaſi à fundamentis acquiret, & non ſegniter in virtute proficiet.

Sed iam inquis, in quibus ergo iſte ordo orationis mentalis conſiſtit? In eo ſanè, vt quicquid meditamur ex rebus creatis,quemadmodum Dionyſius Richelius dixit, ad Deum cognoſcendum ordinemus. Sicut enim eſt ordo diligendorum, omnia propter Deum diligere; ita eſt ordo meditandorum,vniuerſa propter Deum cognoſcendum meditari. Sed non in hoc tantùm eſt ordo,verum etiam in tribus aliis. In rebus ſcilicet meditandis; in affectibus excitandis; & in ſtabilitate ſeruanda. In rebus quidem meditandis; quia priùs debes infima, poſtea media, & tandem ſuprema meditari. Si incipiens ſis, ea tibi recogitanda ſunt,quæ te in illo ſtatu paſcãt,& ad maiora promoueant. Finem, propter quem creatus es, meditaberis, ne ab illo deflectas:peccata tua,vt illa defleas:miſerias mundi,vt illum contemnas: horrorem mortis, vt eum præuenias: ſententiam æterni iudicis, vt ad illam te diſponas:tormenta gehennæ, vt ea euadere tota ſollicitudine cures; & alia, quæ infrà tibi proponentur. Si proficiens fueris, ea in meditationem vocabis,quibus in Chriſti imitatione,& virtutibus adoleſcas,vitámque ipſius Saluatoris,beatæ Virginis,& Sanctorum, necnon & virtutum pulchritudinem ac dignitatem meditaberis. Si alicuius perfectionis,vel à longè,odorem ſenſeris, & iam non ex timore pœnæ,neque ex ſpe præmij,ſed ex mero Dei & virtutis amore, te rectè conuerſari cognoueris,ad Dei maieſtatem, & perfectiones eius contemplandas aſſurges. At,qui, ordine prætermiſſo,à ſummis inchoare voluerit; non minus profectò ſentiet detrimentum, quàm qui,necdum iactis domus fundamentis,parietes erigeret,& culmina ſuperponenda diſponeret.

Richel. opuſc. de meditat. art. 4. Quis ordo in oratione ſeruandus.

Lib. 3. p. 1. tota.

A Richardo Victorino hunc rerum meditandarum ordinem accepimus. Sic enim ait: Nihil rectè æſtimat,qui ſeipſum ignorat. Neſcit quàm ſub pedibus ſuis omnis mundana gloria iaceat, qui conditionis ſuæ dignitatem non penſat. Neſcit omnino,neſcit,quid de ſpiritu angelico, quid de ſpiritu diuino ſentire debeat,qui ſpiritum ſuum priùs non cogitat.Si nondum idoneus es intrare ad teipſum, quomodo ad illa rimanda idoneus eris, quæ ſunt intra, vel ſupra temetipſum. Si necdum dignus es intrare in tabernaculum primum; qua fronte præſumis ingredi in tabernaculum ſecundum,hoc eſt, in Sancta Sanctorum? Si nondum moliri potes greſſus altos, vt cum Domino Ieſu,vel ſaltem cum Moyſe aſcendas in montem excelſum; qua præſumtione paras volare in cœlum? Prius redi ad te, quàm rimari præſumas,quæ ſunt ſupra te.Prius ſol ortus ſui confinia irradiat, quàm ad altiora conſcendat.Hinc etiam per Salomonem dicitur: Oritur ſol,& occidit,& ad locum ſuum reuertitur,ibíque renaſcens, &c. Ergo ſol ad locum ſuum reuertitur, vt ibi renaſcatur, idémque renaſcens, paulatim ſe ad altiora eleuat, vt poſtmodum cœli verticem tangat.] Et iterum infrà ait:Si ergo cupis euolare vſque ad ſecundum, ſeu etiam vſque ad tertium cœlum,ſit tibi tranſitus per primum. Spiritus ſiquidem omnia ſcrutatur, etiam profunda Dei. Si ergo & tu ſcrutari paras profunda Dei, ſcrutare priùs profunda ſpiritus tui. Profundum ſiquidem, immo & prauum eſt cor hominis, & inſcrutabile. Inſcrutabile ſanè, niſi ei fortè, qui ſpiritalis eſt.

Richard. 3. de contemplat. cap. 6. Orationis ordo ex Richardo.

Spiri

Spiritalis enim diiudicat omnia, & ipſe à memine iudicatur: eo quòd ſoli ſpiritales digni inuenti ſunt, qui videant opera Dei, & mirabilia eius in profundo. In hoc ſanè profundo inuenies multa ſtupendà, & admiratione digna: ibi inuenire licet alium quemdam orbem, latum quidem, & amplum; & aliam quamdam plenitudinem orbis terrarum. Ibi ſua quædam terra ſuum habet cœlum, nec vnum tantùm, ſed ſecundum poſt primum, & tertium poſt primum & ſecundum.]

Gerſ. de möte contemplat. c.44.

Gerſon etiam eumdem rerum conſiderandarum ordinem docuit. Nam & contemplationem altiſſimæ rupi ſimilem facit tria habitacula continenti. In primo & infimo habitat fides. Et in hoc homo poſitus meditatur malitiam peccatorum, quibus Deum offendit,& terribilitatem pœnarum,in quas per peccati perpetrationem incurrit. Quæ omnia oculus carnis non videt, ſed oculus fidei optimè perſpicit. In ſecundo habitaculo commoratur ſpes. Hoc verò cùm vir ſpiritualis ingreſſus fuerit, meditari poterit Chriſti Domini noſtri vitam ſanctiſſimam, & beneficiorum tum magnitudinem, tum multitudinem, quæ Sancti recipiunt, quibus in ſpem aſſurget,& cor timore compreſſum dilatabit. In tertio habitaculo manet charitas. Ad quod cùm iuſtus acceſſerit, contemplatur Dei magnitudinem, & bonitatem, & quàm dignus ſit amari, atque laudari,& reliqua de Deo inueſtigat,quæ accendunt amoris affectum. Sed multo meliùs ab ipſo Chriſto Saluatore noſtro hunc ordinem meditandi diſcemus. Ipſe namque priùs minus perfecta & faciliora tradidit, & in poſterum perfectiora & difficiliora reſeruauit, vt ſecundùm ordinem doctrinæ ab ipſo ſeruatum, à nobis ordo diſciplinæ ſuſcipiendæ ac meditandæ ſeruaretur. Priùs minora,poſtea maiora propoſuit. Si terrena dixi vobis, & non creditis,quomodo ſi cœleſtia dixero vobis, credetis?] Quædam Apoſtolis adhuc carnalibus patefecit;quędam Spiritui ſancto eiſdem iam adultioribus exponenda reliquit. Adhuc multa habeo vobis dicere;ſed non poteſtis portare modò. Cùm autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem.] Similiter Paulus quibuſdam dicit: Lac vobis potum dedi,non eſcam; nondum enim poteratis.] Aliis verò: Sapientiam loquimur inter perfectos.] Si meditatio labor eſt diſcendi diuina, vt animum virtutibus imbuamus;quare ea ordinatè traduntur, niſi vt nos ordinatè meditemur?

Orationis ordo ex Gerſ.

Ioan. 3. 12.

Ioan. 16. 12.

1. Cor. 3. 2.

1. Cor. 2. 6.

Ad hunc etiam ordinem rerum meditandarum pertinet, ne ſemper (quod aliqui faciunt) in meditandis noſtris defectibus,& lugendis hæreamus; ſed ad alia,quibus amplius proficiamus, poſt ſufficientem luctum aſſumtum, feſtinemus. De quo hæc leguntur apud Bernardum. Quamobrem ſuadeo vobis amicis meis reflectere interdum pedem à moleſta & anxia recordatione viarum veſtrarum, & euadere in itinera planiora ſerenioris memoriæ beneficiorum Dei: vt qui in vobis confundimini, ipſius intuitu reſpiretis. Volo vos experiri illud, quod ſanctus Propheta conſulit, dicens:Delectare in Domino, & dabit tibi petitiones cordis tui. Et quidem neceſſarius dolor pro peccatis; ſed ſi non ſit continuus,ſanè interpoletur lætiori recordatione diuinæ benignitatis, ne fortè præ triſtitia induretur cor, & deſperatione plus pereat. Miſceamus abſinthio mel, vt ſalubris amaritudo ſalutem dare tunc poſſit, cum immixto temperata dulcore bibi poterit. Audi denique Deum quomodo ipſe contriti cordis temperat amaritudinem;quomodo pu-

Bernard. ſerm. 11. in Cant.

Peccata non ſemper meditanda.

ſillanimem à deſperationis barathro reuocat;quomodo blandæ & fidelis promiſſionis melle mœrentem conſolatur, erigit diffidentem. Ait per Prophetam:Ego infrænabo os tuum laude mea,ne intereas; hoc eſt, ne interitu facinorum tuorum nimiam incurras triſtitiam, atque inſtar effrænis equi deſperatus in præceps ruas,& pereas. Fræno te, inquit, inhibeo indulgentiæ meæ, & meis laudibus erigam, reſpirabíſque in bonis meis, qui de tuis cõfunderis malis, dum me ſanè benigniorem, quàm te culpabiliorem inuenies. Hoc fræno ſi infrænatus fuiſſet Cain, nequaquam deſperando dixiſſet: Maior eſt iniquitas mea, quàm vt veniam merear. Abſit, abſit. Maior enim eſt eius pietas, quàm quæuis iniquitas. Ideo iuſtus non continuè, ſed tantùm in principio ſermonis accuſator eſt ſui. Porrò autẽ in Dei laudes extrema ſermonis claudere conſueuit. Videte iuſtum hoc ordine procedentem. Cogitaui (ait) vias meas,& conuerti pedes meos in teſtimonia tua; vt videlicet qui contritionem & infœlicitatem in viis propriis perpeſſus fuerat,in via teſtimoniorum Dei delectaretur, ſicut in omnibus diuitiis. Et vos igitur exemplo iuſti, ſi de vobis in humilitate ſentitis, ſentite & de Domino in bonitate. Sic enim legitis apud Sapientem: Sentite de Domino in bonitate, & in ſimplicitate cordis quærite illum.] Sic ille. Qui autem per ſe neſcit diſcernere quando orationis materia ſibi mutanda ſit, à Patre ſpirituali, à quo regitur, diligenter addiſcat.

Iſai. 48. 9.

Gen. 4. 13.

Prou. 18. 17.

Pſal. 118. 59.

Sap. 1. 1.

In affectibus ordo ſeruandus.

Ordo quoque ſeruandus eſt in affectibus excitandis; vt ſcilicet priùs nos ad affectus incipientium moueamus, cuiuſmodi ſunt deteſtatio peccatorum, fuga vitiorum,& eorum omnium abnegatio, quibus nos vetus Adam primus noſter pater infecit. Deinde affectus proficientium; qui ſunt interiores omnium virtutum actus,excitemus: ac tandem affectibus perfectorum, nimirum amore, & Dei laude paſcamus. Explicuit hoc Bernardus per triplex oſculum oris, manus, & pedis; cuius verba melliflua, licèt longiuſcula, non poſſumus præterire. Sic ergo ſcribit,exponens illud initium Canticorum: Oſculetur me oſculo oris ſui. Minimè ergo id ſibi arroget mei ſimilis anima onerata peccatis,ſuæque adhuc carnis obnoxia paſſionibus, quæ ſuauitatem ſpiritus necdum ſenſerit, internorum ignara atquè inexperta penitus gaudiorum. Oſtendo tamen ei, quæ huiuſmodi eſt, locum in ſalutari ſibi congruentem. Non temerè aſſurgat ad os ſereniſſimi ſponſi, ſed ad pedes ſeueriſſimi Domini mecum pauida iaceat, & cum publicano terram tremens,non cœlum aſpiciat:ne confuſa in luminaribus cœli facies aſſueta tenebris, opprimatur à gloria,atque inſolitis reuerberata ſplendoribus maieſtatis,denſioris rurſum cæcitate caliginis obuoluatur. Non tibi, ô quæcumque es talis anima,non tibi ille locus vilis, aut deſpicabilis videatur,vbi ſancta peccatrix peccata depoſuit,induit ſanctitatem. Ibi Æthiopiſſa mutauit pellem,& in nouum reſtituta candorem, iam tunc fiducialiter, veracitérque reſpondebat exprobrantibus ſibi verbum:Nigra ſum,ſed formoſa,filiæ Ieruſalem. Miraris quánam arte id potuerit, vel quibus obtinuerit meritis? Paucis accipe. Fleuit amarè, & de intimis viſceribus longa ſuſpiria trahens, ſalutaribus intra ſe ſuccuſſa ſingultibus, felleos humores euomuit. Cœleſtis medicus celerrimè ſubuenit, quia velociter currit ſermo eius. Numquid non potio eſt ſermo Dei? Eſt vtique fortis, & vehemens,& ſcrutans corda,& renes. Denique

Bernard. ſerm. 3. in Cant.

sermo Dei viuus, & efficax,& penetrabilior omni gladio ancipiti, pertingens vsque ad diuisionem animæ ac spiritus,compagum quoque ac medullarum,& discretor cogitationum. Huius ergo beatæ pœnitentis exemplo prosternere & tu, ô misera,vt desinas esse misera:prosternere & tu in terram,amplectere pedes, placa osculis,riga lacrymis, quibus tamen non illum laues, sed te, & fias vna de grege tonsarum, quæ ascendunt de lauacro : ita sanè, vt suffusum pudore ac mœrore vultum,non antè sustollere audeas, quàm audias & ipsa : Dimittuntur peccata tua ; quàm audias:Consurge,consurge,captiua filia Sion:consurge,excutere de puluere.

Sumto itaque ad pedes primo osculo, nec sic quidem præsumes statim ad osculum oris assurgere:sed erit tibi gradus ad ipsum medium quoddam aliud osculum, quod secundo loco ad manum accipies.Hoc ergo restat mihi petendum,& accipiendum, quàm præsumam altiora & secretiora contingere. Nolo repentè fieri summus;paulatim proficere volo. Quantum displicet Deo impudentia peccatoris, tantum pœnitentis verecundia placet. Citius placas eum, si mensuram tuam seruaueris, & altiora te non quæsieris. Longus saltus & arduus est de pede ad os, sed nec accessus conueniens.Quid adhuc?Recenti adhuc resperſus puluere ora sacra continges ? Heri de luto tractus,hodie vultui gloriæ præsentaris ? Per manum tibi transitus sit. Illa priùs te tergat;illa te erigat. Quomodo erigat?Dando vnde præsumas. Quid istud ? Decor continentiæ, & digni pœnitentiæ fructus, quæ sunt opera pietatis. Hæc te de stercore erigent in spem audendi potiora. Sanè accipiendo donum, osculare manum;hoc est,non tibi, sed nomini eius da gloriam. Da semel,& da iterum,tum pro donatis criminibus,tum pro collatis virtutibus.Aut certè videto vnde munias frontem contra ictus istos. Quid habes,quod non accepisti?Si autem accepisti, quid gloriaris,quasi non acceperis?

Iam tamdem in osculis duobus geminum habens diuinæ dignationis experimentum, forsan non confunderis præsumere sanctiora. Quantum quippe crescis in gratia, tantum & in fiducia dilataris. Inde fit vt ames ardentiùs,& pulses fidentiùs pro eo,quod tibi deesse sentis. Porrò pulsanti aperietur. Iam summum illud, quodcumque est, summæ dignationis, & miræ suauitatis osculum credo non negabitur sic affecto.Hæc via,hic ordo.Primò ad pedes procidimus, & ploramus coram Domino, qui fecit nos, ea, quæ fecimus nos. Secundò manum quærimus subleuantis & roborantis genua dissoluta. Postremò cùm ista multis precibus & lacrymis obtinemus,tum demum audemus forsitan ad ipsum os gloriæ caput attollere(pauens & tremens dico) non solùm speculandum, sed etiam osculandum: quia spiritus ante faciem nostram Christus Dominus;cui adhærentes in osculo sancto,vnus spiritus ipsius dignatione efficimur.Tibi, Domine Iesu, tibi meritò dixit cor meum,exquisiuit te facies mea;faciem tuam,Domine,requiram.] Hæc omnia Bernardus.

Ordinatè igitur in affectibus procedendum est, quia Deus in illis non minus, quàm in meditationibus intellectus ordinem amat. Amat,inquam,affectuum voluntatis ordinem, quem ipse in nobis efficit. Introduxit me rex in cellam vinariam, inquit sponsa, ordinauit in me charitatem.] Cella vinaria, vel domus vini, vt ad verbum est in Hebræo,nónne oratio,& meditatio, & contemplatio, in qua ad bibendum vinum spirituale colligimur ?

Cant. 2. 4.

A Et vinum huius cellæ nónne affectus multiplex, quo castificamur, quo recreamur, quo incalescimus ? Castificamur affectibus incipientium, cùm à malo retrahamur : recreamur affectibus proficientium,quia suauitatem virtutum gustamus : incalescimus affectibus perfectorũ, quia amore succendimur. Hoc vinum inebriat mentes, quia sanctis affectibus, eorum,quæ sunt in mundo, & suiipsarum obliuiscuntur, & dilectione soporantur. Quid est autem : Ordinauit in me charitatem ? In amore, quo sponsum diligo, ordinem posuit ; vt scilicet hic amor me non perturbatè moueat, sed, seruato ordine,affectibus progredi faciat,& ex primis ad media, & ex mediis ad summa perducat. *Amor ordinem diligit.*

B Tu ergo, si sapis, ô frater, huic ordini dilectionis acquiesce, & seruato ordine conuiuij, in quo adest Dominus, primò vinum communius, quod tibi accommodatius erit, & postea vinum pretiosius bibe. Exerce te primo loco in affectibus detestationis & doloris peccati. Nam & hoc vino peccatores recenter conuersos potat Dominus. Legimúsque in Dauide:Ostendisti populo tuo dura:potasti nos vino compunctionis.] Postea assume affectus virtutum moralium,quibus vir robustus efficiaris. Hoc enim est mysticè vinum illud Zachariæ, quod germinat virgines. Tandem in affectus amoris ingredere, de quo in Canticis dictum est: Bibite amici,& inebriamini,charissimi.] Hinc intelliges, quomodo meditationes intellectus, & affectus voluntatis se mutuò respondeant, & quàm suauiter nos in perfectionem inducant. Imperfecto enim facillimum est plorare, gemere, suspirare,de suis sordibus erubescere,ab eo,quod noxium iam iudicat voluntatis motibus fugere. Difficillimum autem esset corde luctuoso læta sacrificia amoris offerre. Musica enim in luctu importuna narratio :] & cor adhuc spinis compunctum non potest ad suauitatem illorum affectuum assurgere, qui spinas peccatorum euulsas præsupponunt. Similiter eliminatis peccatis,facilè humilitatis,obedientiæ,mansuetudinis, & aliarum virtutum affectus elicies:& his in animo radicatis,ad Deum,cui similis puritate factus es, amore, & similibus motibus afficieris. Si ergo Deus ita attingit à fine vsque ad finem fortiter, vt disponat omnia suauiter; non dubium quin velit à nobis vt ordinatè procedamus,& vt nõ ante tempus ad altiora,& nostram capacitatem superantia properemus. *Psal 59. 5.* *Zach.9. 17.* *Cant.5. 2.* *Eccli.22. 6.*

C

D

Ad hunc etiam ordinem spectat,vt stabilitatem in vno genere meditationum & affectuum per aliquod tempus obseruemus. Inconstantia enim nihil ad finem vsque perduxit : qui verò in suis actibus constans est, & stabilis, omnia impedimenta vincit,& id, quod cupit, licèt sit arduum, ac difficillimum, apprehendit. In vno ergo meditationum & affectuum genere non paucis diebus persistes. Si nondum à peccatis purgatus es, meditationes ad dolorem peccatorum ordinatas vsurpabis, donec illa verè,& quasi ex habitu detesteris. Si humilitate,aut obedientia,vel alia virtute ex potioribus,vel magis ad vitam spiritualem necessariis indiges ; ea ad multum tempus cogitabis, quibus te ad eam virtutem excitari, & eius habitum augeri sentias.Et sic in reliquis est procedendum.Non dico vt vnam eamdémque meditationem sæpius repetas : nam id, si luci ordinariæ relinquamur, tædium generare solet;sed vt in eodem genere meditationum ad eumdem affectum ordinatarum insistas. Virtutes namque per non vsum minuuntur. Vnde si hodie,exempli gratia,obedientiam tẽpore *Stabilitas in oratione seruãda.*

E

meditationis exerceas, & poſtea multis diebus, dum aliis virtutibus occuparis,ad eam non redeas, facilè, quod eo die laboraſti, euaneſcet, & iterum quaſi ab initio neceſſe erit obedientiæ diſciplinam incipere. Maria profectò ex profeſſo in dolorem peccatorum incubuit, & largiſſimè fleuit, deinde pedes Domini vnxit;poſtea ſecus pedes eius ad audienda illius verba ſedit:iterum vnguentum ſuper caput effudit, poſtmodum totum eius corpus vnguentis deliniuit, ac tandem reſuſcitatum aſpexit. In ſingulis iſtorum gradibus tu moram facies, & pedetentim procedes, vt in omnibus exercitatus euadas. Primò, tua peccata lugebis. Secundò, vnguenta humilitatis & mortificationis ad Domini pedes effundes. Tertiò, ad audiendam doctrinam virtutum ſedebis. Quartò, vnguentum gratiarum actionis afferes. Quintò,deuotione perunges. Sextò,amore pulchritudinis Domini ſuccendéris. Nec immeritò vnguentum humilitatis pedibus Domini,& gratitudinis capiti, & deuotionis toti corpori aſcribimus:quoniam peccatores, vt veniam obtineant, pedibus prouoluuntur;iuſti autem iam effecti experimento donorum, quæ accipiunt, per ſpem caput attollũt:deuotione verò deliniti, mille amoris obſequia Domino impendunt, vt videantur non tantùm pedibus, aut capiti poſſe ſufficere, ſed totum corpus Domini recreare.

Oratio inſtrumentum eſt non tantùm perfectionis totius,ſed & cuiuſcumque gradus eius. Stabilitatem igitur in quolibet ſtatu illius donec gradum perfectionis illi correſpondentem acquiras, curabis addiſcere. Deus mundum iſtum fabrefaciens à ſingulis eius partibus manum non abſtulit, quouſque eas omnino perficeret. Denique vidit ſingulas earum, quòd eſſent bonæ; & opere conſummato vidit omnia, quæ fecerat, & erant valde bona. Chriſtus Ieſus Filius Dei verus,& homo verus noſtram ſalutem operans, donec eam ad finem perduceret,à labore ac cura non deſtitit. Opus,inquit,conſummaui,quod dedit mihi, vt faciam.] Et paulo antè quàm animam ſanctiſſimam deponeret,dixit:Conſummatum eſt;] vt hoc verbum eſſet animi in cœpto perſeuerantis indicium. Sancti omnes ita vitam ſuam inſtituerunt,vt ordinatè proceederent, & in quolibet virtutis gradu ſe pro gratia ſibi data vſque ad finem eius perducerent: & quia futuri erant columnæ regni cœlorum, iuxta illud:Qui vicerit, faciam illum columnam in templo Dei mei;] conati ſunt, vt in Eccleſia ſe columnas ſtabiles exhiberẽt. Vniuerſæ creaturæ in mutabilitate ſua tenent eumdem ſe mouendi tenorem, & quamdam (vt ita dicam) mutationis conſtantiam, vt paulatim, & quaſi per partes ad ſuam perfectionem perueniant. Vltro enim terra fructificat, primùm herbam, deinde ſpicam, deinde plenum frumentum in ſpica. Tu ergo ita per ſtudium orationis ad perfectionem feſtinabis,vt vnum meditationum genus (prout infrà diſponentur)diu te teneat, quouſque fructum deſideratum, id eſt,virtutis, aut perfectionis gradum, quem quæris, accipias.

At ne quid nimis:non ita huic ordini adhæreas neceſſe eſt,vt in nullo euentu illum omittas. Nonnumquam enim neceſſe eſt ordinem exercitiorum mutare,& ad alia tranſire. Si enim Deus extraordinaria quadam luce, & flammantiſſimo mentis ardore te ad aliud meditandum trahat,aut etiam rapiat,quid facies?Numquid illi reſiſtes? Si per multos dies ad aliud genus meditationum propenſionem ſentias,& nihil aliud tibi pro tunc ſatisfaciat; an immotus perſiſtes,& Dei impulſum non intelliges? Si in his exercitationibus perpetuam aridítatem & deſolationem ſentias; an ſemper hærebis in eadem ſalebra,& in alio exercitio fructum non quæres? Itaque in his euentibus bonum eſt, & neceſſarium, etiamſi nondum tempus aduenisſe videatur, ordinem hunc prætermittere, & Deo, qui Dominus eſt,& quod vult, in nobis facit, vocanti reſpondere. Sed in his nos Spiritus ſancti vnctio docebit,& magiſtri ſpiritualis conſilium ad vitandos errores plurimum conferet, à cuius ore humiliter deberemus pendere, ne nos aut cordis humani leuitas fallat, aut è contrario ſuperba pertinacia ſeducat.

Nonus comes Orationis, meditandi modus, & ratio.

CAPVT XI.

NIHIL veriùs, aut propriùs orationis mentalis comes appellabitur,quàm ipſe modus, quem in meditando ſeruamus; qui cùm non ſit ipſa meditationis ſubſtantia,quandoquidem ab hoc,vel illo modo ſeparatur,ſicut moles corporis ab hac,vel illa figura,ita tamen illi coniungitur,vt ſine aliquo modo ac ratione numquam ſubſiſtat. Eſt adhuc aliquid, quod de iſto modo meditandi explicemus, cuius ſuprà meminimus, eúmque triplicem eſſe in medium protulimus. Aut enim meditamur nobiſcum recogitando & diſcurrendo; aut cum Deo loquendo,aut quaſi ipſe loqueretur nobis,eius verba auſcultando. Ad hæc tria vberiùs explicanda, aliqua vtiliſſima documenta conſiderabimus:

Sup. lib. 1. p. 3. c. 27.

In quo poſita meditatio.

In prima meditandi ratione, qua rem aliquam recogitamus,vt ex ea fructum animæ reportemus, illud conſiderandum eſt; actionem meditandi non eſſe opus imaginationis,quam habemus cum beſtiis communem, ſed rationis, qua animalia bruta ſuperamus,& ab illis diſtinguimur,atque in natura hominis conſtituimur. Quare meditari non eſt res ſenſui peruias cogitatione voluere,aut res ſpirituales ad ſimilitudinem corporalium effingere; ſed rerum ſiue ſpiritualium, ſiue corporalium naturas,cauſſas,effectus,& proprietates ſcrutari. Ratio enim corticem rerum frangit, vt nucleum inueniat: ſuperficiem prætergreditur,vt profundum tangat, & ea, quæ ſenſui patent,tranſcurrit,vt interiora ac ipſam rerum naturam percipiat. Cùm ergo meditari ſit rationis opus,dũ meditamur haudquaquam res confusè aſpicimus, aut in exterioribus ſiſtimus; ſed ad interna,& abſcondita myſteriorum ſcrutando,atque inueſtigãdo peruenimus. Idcirco Dominus,vt Iudæorum mentibus ſui notionem inferret, ad meditationem ſacrarum litterarum illis verbis hortatus eſt: Scrutamini Scripturas, quia vos putatis in ipſis vitam æternam habere, quæ teſtimonium perhibent de me.] Non ſufficit vt Scripturas legatis, ſed neceſſe eſt,vt eas ſcrutemini, & ad interiora earum meditatione intrare nitamini; & ſic meipſum cognoſcetis. Paulus quoque creaturas non in cortice videndas, ſed introſpiciẽdas eſſe aſſerit,vt ex illis diuinitas agnoſcatur. Inuiſibilia enim ipſius à creatura mundi,id eſt,ab homine, per ea, quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur.] Sunt enim creaturæ veluti ſpe-

Ioan. 5. 39.

Rom. 1. 20.

Gen. 1. 31.

Ioan. 17. 4.

Ioan. 19. 30.

Apocal. 3. 12.

Marc. 4. 28.

cula,

cula, in quarum intimo ſe Deus oſtendit, & tamquam cauſſa in ſuis effectis iam notis apparet. Et quidem non tantùm de Chriſto Deo, & homine, ſed & de ipſo Deo illud Canticorum intelligi poteſt: Oleum effuſum nomen tuum;] quoniam ipſe Deus, ac virtus eius quaſi vnguentum odoratiſſimum creaturis adhæſit, vt dum eas inquiſitione & meditatione tractamus, non ſolùm in eius cognitione creſcamus; ſed etiam amore flammemur. Benéque ſequitur: Ideo adoleſcentulæ dilexerunt te;] quoniam animæ ſanctæ dum in intimo creaturarum meditatione Deum inquirunt, eius amore tangi ſe ſentiunt. Sunt nonnulli, inquit Gregorius, qui ita Deum diligunt, vt ſeipſos contemnant; in interiora ſe rapiunt, vt Deum inueniant. Et quia Deus in ſuperficie non iacet, meditationibus laborant, ſubtiliſſimè examinant, lectionibus vacant, & quomodo Deus inueniatur, omnibus modis perquirere non ceſſant.] Non ergo quaſi in atrio rerum manendum eſt, ſed ad intima penetrandum, vt noſtra conſideratio nomine meditationis ſit digna. Spiritus enim ſanctus ſcrutatur per nos, ſiue ſcrutari nos facit etiam profunda Dei, vt in eius cognitione creſcamus; & amore ac omni virtute delectemur.

Cant. 1. 2.

Gregor. ibid.

1. Cor. 2. 10.

Meditationis materia quotuplex.

Sed vt hanc rem amplius exponamus, omnem meditationis materiam ad quatuor claſſes reducimus. Nam vel meditatio verſatur circa miſerias noſtras; vel circa opera ac miſericordias Dei; vel Chriſti Saluatoris vitam, & geſta, ac myſteria perſcrutatur; aut tandem diuinam naturam, eiúſque perfectiones inquirit. Si miſerias noſtras conſideremus, cœnum hoc fœtidum euoluendum eſt, & fæx iſta diligenter verſanda, vt nequitia peccatorum, inordinatio affectuum, ac maxima ingratitudo noſtra patefiat. Hinc namque odium peccati, & deteſtatio ac pudor anteactæ conuerſationis noſtræ enaſcitur, quando quid à nobis geſtum ſit, & quàm præpoſterè & ſtultè vixerimus, non quaſi in ſuperficie tantùm, ſed altè ac profundè cognoſcitur. Si Dei opera meditemur ſiue gratiæ, ſiue naturæ; in his inquirenda eſt vniuſcuiuſque natura, vires, & actiones: in quem finem tendant, quàm pulchra ſint, & aptè diſpoſita, atque perfecta; quem inter ſe ordinem, quámve connexionem habeant; & quomodo in illis ſacer ille ternarius diuinæ ſapientiæ, bonitatis, & potentiæ reſplendeat. Si in Deum, ac perfectiones eius mentis oculos intendamus; perſcrutandum eſt pro captu noſtro, quàm vnam puriſſimam ac ſimpliciſſimam naturam conſtituant; & ſimul quàm multiplices ſint, quàm perfectæ, ac infinitæ capacitatis, & qua ratione ex eis tanquam ex perennibus fontibus omnes creatæ perfectiones emanent, quæ ad ipſum Deum, vnde fluxerunt, tanquam ad quoddam immenſum mare totius eſſe, & totius perfectionis redeunt. Si tandem vitam & geſta Domini Dei, & hominis Saluatoris recogitemus; hîc non ſola & nuda hiſtoria diſcutienda eſt; ſed ad intima cordis Domini penetrandum, quæ & pro tempore orationis mentem abundantiſſimè paſcent, & pro toto vitæ decurſu in exercitatione vniuerſæ perfectionis erudient. In vita Domini puritatem ſummam eius: ſapientiam, qua cunctis hominum generibus accommodatur: actiones perfectiſſimas omnium virtutum recogitabimus, & vt Dei viriles, ideſt, vt actiones non ſolius hominis, ſed Dei ſimul & hominis intuebimur. Per humanitatem quaſi per oſtium ad indaganda myſteria diuinitatis tranſibimus, & ex diuinitate iterum ad humanitatem egrediemur, vt omni bono paſcamur. Ego enim ſum oſtium, ait ipſe Dominus, per me ſiquis introierit, ſaluabitur: & ingredietur, & egredietur, & paſcua inueniet. Nam quid aliud in hac orationis materia erit ingredi, & egredi, niſi ex natura humana Chriſti quaſi ex atrio in adyta Diuinitatis intrare, & ex hoc Sancto Sanctorum Diuinitatis ad atrium ſanctæ humanitatis exire.

Ioan. 10. 9.

Per Chriſtum duos fines orationis aſſequimur.

Vel in hoc loco ſcopus proximus non ſolùm conſiderationis vitæ Chriſti, verùm & vniuerſæ meditationis oſtenditur. Omnis namque ſancta meditatio cuiuſcumque materiæ ſit, quodammodo Chriſti eſt. Quia in ipſa recogitatione peccatorum ad Chriſtum tamquam ad deſtructorem eorum recurrimus, & ex aliis miſeriis noſtris ad Chriſtum tamquam ad liberatorem, & conſolatorem; & ex operibus naturæ, vel gratiæ ad eum veluti ad cauſsã; & ex Diuinitate, & perfectionibus eius, ad ipſum etiam tamquam ad templum, in quo corporaliter habitat, pertranſimus. Ipſe ergo eſt quaſi meditationis ianua, cùm per illum aditum facillimum inueniamus ad omnia illa perſcrutanda, in quibus mentalis oratio verſatur. Per illum itaque duos fines aſſequimur: alterum vt ingrediamur; alterum vt egrediamur. Nam ſi Deus intra nos habitat, & ipſe eſt, velut medulla tenerrima in rebus creatis abſcondita eas reficiens, atque ſuſtentans, nos verò vt cortex, & quaſi velamen, ſeu cruſta, qua medulla contegitur, quid erit ingredi, niſi ad Deum cognoſcendum intrare; & quid egredi niſi ad nos cognoſcendos exire. Hæc igitur duo in omni meditatione quærenda ſunt; primum vt Deum cognoſcamus, & ex eius notitia ad caſtum timorem, ad ardentem amorem, & ad obedientiam mandatorum eius aſſurgamus: ſecundum vt noſmetipſos nouerimus, & ex hac notione ſanctum odium, & deſpicientiam noſtri, & contemtum viſibilium comparemus. Hos duos fines poſtulabat, qui dicebat: O Domine, nouerim te, nouerim me. Si te cognouero, introibo in potentias Domini, memorabor iuſtitiæ tuæ ſolius.] Si autem me non ignorauero, egrediar ad portam ſtercoris, & conſiderabo murum animæ meæ diſſipatum, & portas eius conſumtas igni;] & à luctu me continere non potero. Siue autem ingreſſus, ſiue egreſſus fuero, paſcua inueniam: quoniã dum ad te intrauero, manducabo panem amoris: & cùm ad me exiero, comedam panem doloris. Signantur etiam in Rachele celebri fœmina, quæ contemplationis typum geſſit. Cuius nomen, auctore Hieronymo, interpretatur ouis, vel videns principium, aut viſio ſceleris. In hoc enim omnis contemplatio dirigitur, vt principium, id eſt, Deum; & ſcelus, id eſt, noſipſos ſceleſtiſſimos videamus, & per vtramque viſionem ouis ſimplicitate & munditie circumdemur. Duo etiam nomina filio Rachelis impoſita idipſum deſignant. Vocatus eſt enim Benoni, quod interpretatur filius doloris mei: & Benjamin, quod ſonat filium dexteræ. Nam & contemplatio cùm homo ſeipſum agnoſcit dolorem parit, & cùm Deum intuetur, ſpem & amorem gignit. Hæc autem duo vnus tantùm eſt filius; quia ſiue noſipſos deſpiciamus, ſiue Deum diligamus, in eumdem profectum animæ tendimus.

Pſalm. 70. 16.

2. Eſdr. 13.

Hieron. de nominib. Hebrai. in Geneſ. Rachelis egregia contemplatio Gen. 35. 18.

In ſecundo modo meditandi per colloquia illud animaduerſione dignum indicabimus; quòd colloquia duobus modis fieri poſſunt; aut quatenus illis affectus exprimuntur, de quibus poſtea, aut quatenus per colloquia meditationes formantur, de híſque nunc tractandum eſt. Colloquium autem am-

plius

Meditatio per colloquia.

plius videtur significare, quàm volumus : cùm sit duorum mutua locutio, vnde ad orationem translatum, aut coangustatum, non tantùm verbum animæ factum ad Deum, sed & verbum Dei factum ad animam significat. Hîc verò pro locutione animæ ad Deum, licèt nihil illi à Deo respondeatur desumitur. At quia Deus benignissimus est, & (si de eo aliquid humanum fari decet) vrbanitatis plenissimus : cùm semper misericordissimè pias suorum orationes excipiat, & numquam sine fructu, vel eius quod postulatur, vel eius quod oportet abire sinat, ipsum admittere, & dare quod conuenit, eius respondere est. Ac proinde nostra locutio meritò ad Deum colloquium vocata est, quia numquam ab ea seiungitur Domini congrua responsio. Est ergo in proposito meditatio per modum colloquij, cùm idipsum, quod nobiscum discurrentes recogitare possumus, sine aliqua voce externa intus lingua cordis, quasi cum Deo loqueremur, reuerenter dicimus. Et quoniam hæc locutio ad alium tendit, Deum, & omnes illos in oratione loquimur, quibus de Deo ipso, aut de nobis aliquid oratione & meditatione dignum quasi manifestare valemus. Vt autem, ô vir Dei, istud quod dicimus manifestiùs intelligas, triplex genus colloquiorum animaduertito. Primum continet colloquia ad Deum ipsum facta : quibus vel sanctissimam Trinitatem, vel aliquam personam seorsum vt Patrem, vel Filium, vel Spiritum sanctum, vel Christum Deum, & hominem alloquimur. Si enim orationes Ecclesiæ, & Sanctorum filiorum eius, vt Augustini, Bernardi, Anselmi, & aliorum in suis meditationibus contentas inspicias, videbis earum nonnullas ad totam Trinitatem, alias ad aliquam trium diuinarum Personarum, alias ad Christum esse directas. Non quidem ex eo quòd cùm oratur solus Pater, non oretur Filius, & Spiritus sanctus; sed quia hæc specialis interpellatio vnius personæ iuxta statum animæ, ac præsentem necessitatem solet iuuare ad deuotionis affectum. In his autem colloquiis non volumus aliquid Deo manifestare, quod nesciat; cùm nulla sit creatura, nullâque vel occultissima cogitatio inuisibilis in conspectu eius, sed intendimus nos per excitationem affectus, & deuotionis, quæ istis locutionibus excitatur, ad donum aliquod recipiendum, & obtinendum præparare.

Colloquiorum genus.

Dan.7. 10. Apoc.7. 9.

Secundum genus colloquiorum amplectitur ea, quibus Sanctos alloquimur. Et hæc plurima sunt, non tantùm ex parte eius, quod per modum locutionis recogitamus, sed etiam ex parte illorum, ad quos verba dirigimus. Millia millium ministrabant ei, inquit Daniel, & decies millies centena millia assistebant ei.] Et Ioannes post numeratos Sanctos ex duodecim tribubus Israël, ait: Vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat; stantes ante thronum, & in conspectu Agni; & palmæ in manibus eorum.] Ad hos ergo Angelos, & Sanctos, & ad quemlibet illorum possumus in oratione verba facere. Nunc enim beatissimam Virginem matrem, & Dominam nostram alloquimur. Nunc tres hierarchias Angelorum nouem ordinibus distinctas, vel aliquam hierarchiam, vel aliquem ordinem, vt Seraphinorum, vel aliquem Spiritum alicuius ordinis, vt Michaëlem seorsum interpellamus. Nunc tandem, vel omnes Sanctos simul, vel aliquem ipsorum statum, vt Apostolorum, vel aliquem cuiusvis dignitatis vt Petrum, vel Stephanum orare, aut verbis nostris excitare contendimus. Tunc verò non tantùm cupimus affectum nostrum accendere, aut aliquid apud Deum mereri : verùm & intima nostra illis patefacere, vt auditis verbis nostris, quæ in mente proferimus, nostri misereantur, & quod postulamus, vel vtile esse perspexerint, impetrent nobis. Sanctos enim intueri preces, & orationes, & colloquia nostra, etiam absque vllo externo signo in intimo cordis prolata, constans Theologorum sententia est. Siue ea videant in ipso Deo tamquam in lucidissimo omnium creaturarum speculo, siue per nouam reuelationem sibi factam à Deo de nostris postulationibus admoneantur; quod disputare extra propositum est. Existimamus autem eos non à principio beatitudinis suæ, sed nunc quando colloquia formantur, vel preces à nobis funduntur ab illis de nouo cognosci. Quod profectò statui beatitudinis nullo modo repugnat : nam sicut in illis gaudia, quæ vocantur accidentalia, crescunt, vt ex ingressu, verbi gratia, vnius iusti in cœlum, quem numquam nouerunt, ita & potest notitia istorum particularium extendi, & ad nostras orationes dilatari. Si ergo illi incipiunt nunc meam orationem, aut locutionem agnoscere, bene possum, vt illis mea hæc ad eos fusa oratio innotescat intendere.

Colloquiorum genus.

Tertio colloquiorum genere creaturas orationis expertes, & inanimes, in oratione alloquimur. Sic tres illi adolescentes apud Danielem cecinerunt : Benedicite sol & luna Domino : laudate & superexaltate eum in sæcula. Benedicite stellæ cœli Domino. Benedicite omnis imber & ros Domino : & cætera, quæ sequuntur. Et postea : Benedicite volucres cœli Domino : benedicite omnes bestiæ & pecora Domino.] Et Dauid : Laudate eum sol, & luna : laudate eum omnes stellæ, & lumen. Laudate eum cœli cœlorum, & aquæ omnes, quæ super cœlos sunt, laudent nomen Domini.] Rursúsque : Laudate Dominum de terra, dracones, & omnes abyssi. Bestiæ, & vniuersa pecora; serpentes, & volucres pennatæ.] His autem colloquiis non intendimus ratione carentibus aliquid patefacere, neque ea nostris verbis ad aliquid faciendum impellere; sed Deum in multiplici earum perfectione laudare, & nosipsos ad laudem & deuotionem accendere, & quasi laudationem, quam ipse Deo tribuunt, ratam habere. Laus enim Dei, vt ex Euthymio colligitur, multis modis fit. Sola mente; & sic laudant eum Angeli : mente, & voce externa, & sic laudant homines : vitæ immaculatæ conuersatione, & sic laudant Iusti, quorum opera bona glorificari faciunt Deum, qui in cœlis est. Tandem laus Dei fit rerum perfectione, magnitudine, pulchritudine, situ, vtilitate, ministerio, perseuerantia : nam præsentia earum spectatores ad laudem & glorificationem mouentur. Omnia, inquit Nazianzenus, Deum laudant, & inenarrabilibus, & mutis etiam, vt ita dicam, vocibus Deum glorificant. Námque pro his omnibus gratiæ à me aguntur Deo; atque hoc pacto mea laus, qua Deum ego laudo propter illa, ipsorum quoque laus efficitur, dum ab illis ego laudandi occasionem accipio. Et Hieronymus : Omnis creatura non voce, sed opere laudat Dominum, quia ex creaturis consequenter Creator intelligitur, & in singulis operibus atque effectibus Dei magnificentia demonstratur.] Profectò sex in omnibus ac singulis creaturis inuenies, quæ Deum earum opificem com-

Dan.3. 62.80.

Psal.148. 3.7 10.

Euthym. ad Psal. 148.

Matth. 5.

Nazian.

Hieron. lib.in Daniel. ad cap.3.

mendent, maximèque prædicent. Horum primum est natura, ac cuiusque in suo genere perfectio. Secundum; multiplex proprietas, & mirabilis pulchritudo, cuilibet rei, cui inest, congruens. Tertium, vtilitas, & mirabilitas operationum, & effectuum. Quartum; ordo tum rerum inter se, tum cum tota rerum vniuersitate. Quintum; perseuerantia in conseruando ordine ab initio illis impositò, & constantia in præstando hominibus ministerio. Sextò; obedientia in omnibus, quæ Deus in ipsis, aut per ipsas operari vult, vel iuxta, vel præter ipsarum naturam. *Psal.118. 91.* *Sap.16. 24.* Omnia enim ô Domine, seruiunt tibi. Et omnis creatura tibi factori deseruit. Has ergo creaturas ratione, aut sensu etiam carentes in oratione interdum alloquimur, vt commemoratione earum ad laudem Domini, aut ad nostram confusionem moueamur.

Idem omnino iudicium de aliis colloquiis esto, quibus interiùs homines nunc viuentes siue bonos, siue malos, aut etiam aduersarios nostros alloquimur. Vt si diceremus: Filij hominum, vsquequo graui corde?] *Psal.4.3.* Exultate iusti in Domino, rectos decet collaudatio.] *Ps.32.1.* Declinate à me maligni, & scrutabo mandata Dei mei.] *Psal.118. 115.* His enim verbis non aliud intendimus, quàm nostram deuotionem augere, & illos quibuscum loquimur aut dignos laude, aut vituperatione apud nos dicere, vt quosdam imitemur, quosdam fugiamus, & ad resistendum aduersariis roboremur. Nam si dum homo aliquid humanum apud se cogitat, solet hac cogitandi ratione vti, & ac si aliquis amicus esset præsens cum eo loqui, & illum carpere, aut aduersùs eum irasci; cur in meditatione rerum diuinarum idem non faciemus, vt deuotionis affectus augmentum accipiat?

Varius colloquiorũ vsus. Hic modus meditandi per colloquia interiora cunctis spiritualibus viris communis est. Quidam enim quodlibet tempus meditationis colloquio ad Deum facto finiunt. Alij in eadem meditatione quoduis punctum meditandum colloquio concludunt, quod melius est. Alij in quocumque meditationis puncto varia colloquia interserunt, vt varios affectus exprimant, & hac varietate melius se colligant. Alij denique à principio vsque ad finem meditationis colloquiis vtuntur, vel omnem suam orationem continens colloquium ad Deum faciunt: quod familiare est illis, qui magis per viam affectuum, quàm per viam discursuum procedunt, de quibus postea dicemus. Hinc colligere licet colloquia, ad quamcumque orationis materiam applicari posse, ac debere esse iuxta statum personæ, quam alloquimur, reuerentiæ vel amoris, vel desiderij vel aliorum similium affectuum pleniſſima, aut è contra contemtu & indignatione referta. Nam si cum Deo loquaris, aut cum Christo homine, aut cum B. Virgine; aliisque Angelis, & Sanctis; quis non videat quanta reuerentia, quantus amor, & quàm pij affectus debeant orationi copulari. Si verò cum dæmonibus, vel impuris hominibus, discretionis erit conuenientes affectus verbis adiungere. Hæc colloquia in oratione communiter ex mentis feruore nascuntur: possunt tamen ab eo, qui in ariditate est ad excitandum feruorem vsurpari. Tunc verò quædam vtilia erunt, vt colloquia bene fiant, & fructum desideratum habeant. Hæc autem sunt: si verba suauia ac dulcia concipiamus; si petitionibus nostris impetrandi causas adiungamus: si interdum voce aliqua externa, vel motu etiam corporis, vt oculorum eleuatione, coporis prostratione, pectoris tunsione, & aliis similibus adiuuemur. Si denique personam illam, aut rem, qua cum loquimur, nobis præsentem exhibeamus, & ab ea audiri consideremus. Nam si colloquia ad Deum fiant, apertum est ipsum vbique esse præsentem; si ad Sanctos, ex dictis liquet ab eis per illustrationem diuinam preces nostras agnosci; si ad reliqua creata, etiam est manifestum absque vllo errore posse quasi præsentia considerari.

Iam ad tertiam meditandi rationem accedendum est, qua non loquimur, sed Deum loquentem audimus. In oratione igitur non semper recogitandum est nobis, nec semper loquendum; sed interdum oportet quiescere, & quasi Deum loquentem audire. Est enim vox eius dulcis, vt ait sponsa in Canticis, quam negligere, aut præterire non licet. *Cant.2. 14.* Sistat itaque anima aliquando cogitationes suas, sistat & affectus suos, & internis oculis cum reuerentia & amore ad Deum præsentem attendat, vt aliquod verbum eius audiat, & ex eo non solùm eruditionem, sed & amorem percipiat. Nónne cor nostrum ardens erat in nobis, dixerunt discipuli euntes in castellum Emauntis, dum loqueretur in via, & aperiret nobis Scripturas. *Luca 24. 32.* Prorsus hi duo sunt fructus huius auditionis Dei, quia erudimur, atque flammamur. Erudimur in his, quæ nobis facienda & fugienda sunt; flammamur verò amore Dei, quo & amor creaturarum extinguitur, & cor nostrum optata perfectione possidetur. Quamobrem ne tantis bonis impedimento simus, interdum in spiritali somno orationis constituti verba Domini dulciora super mel & fauum humiliter auscultemus. Tunc enim aperit aures virorum, & erudiens eos instruit disciplina. *Iob 33. 16.* Nec instruit tantùm vt sciant, sed vt auertat hominem ab his, quæ malè fecit, & liberet eum de superbia. Ex hac autem duplici locutione animæ ad Deum illam audientem, & Dei ad animam illum auscultantem, & dona ipsius recipientem perfecta resultat oratio. De qua intelligi potest illud Habacuc Prophetæ: *Habac. 2.1.* Super custodiam meam stabo, & figam gradum super munitionem, & contemplabor, vt videam quid dicatur mihi, & quid respondeam ad arguentem me.] Nam oratio custodia cordis est, & munimentum virtutis. In ea dum immobiliter stamus, contemplabimur sanè mirabilia Dei; loquemur illi, ac nostras miserias manifestabimus. Ac viciſſim audiemus, quid loquatur nobis. *Ibid.* Nec te moueat, quod dicit: vt videam quid loquatur mihi.] Quia vox Dei, vox est auditui, sed lux splendidiſſima visui. Vox hæc operatrix est, & quod dicit tibi, idipsum facit: cuius effectus cùm experiaris, non mirum si eam in suis fructibus videas. Vnde Iob ait: *Iob 42.5.* Auditu auris audiui te: nunc autem oculus meus videt te.] Ex auris perfectione oculorum perfectio processit, & qui Deum suas perfectiones narrantem audiuit, ipsum Deum se ostendentem aspexit. Quoniam Deus ita docet, vt nos nec à disciplina alienos, nec sui vacuos, & ieiunos relinquat.

Nec solùm in oratione Deum debemus audire, sed vtile etiam est B. Virginem, & Angelos, & Sanctos, immo & creaturas inanimes quasi nobis loquentes auscultare. Sic enim Damascenus sepulchrum Deiparæ quasi loquentem sibi, & se tamquam audientem introducit, cùm ait: Quid *Damasc. ser. 2. de dormit. Deiparæ.*

quæritis in ſepulchro eam, quæ ad cœleſtia tranſlata eſt tabernacula? cur à me cuſtodiæ rationem expoſcitis? Non poſſum ego diuinis iuſſis contraire, &c.] Sed longè alia eſt locutio Dei, ac locutio aliorum. Nam illa eſt vera aliquorum verborum immiſſio, vel ſaltem doni alicuius infuſio. Quia cùm Deum loquentem audimus, aut aliqua eius verba conſideramus, vt: Fili, præbe mihi cor tuum, aut aliquod eius donum, ſaltem illam conſiderationem recipimus. Hæc verò eſt mera noſtra conſideratio, qua vel Angelum, vel creaturam aliquam quaſi loquentem cogitamus. In quo ſanè nulla interuenit inſcitia, & interdum magna vtilitas reperitur. Quis enim non inuenit in ſcriptis doctiſſimorum hominum tum prophanorum, tum ſacrorum creaturas etiam inanimes quaſi loquentes inductas; & quod illi ad artem loquendi exercendam faciunt, poſſumus nos ad finem altiorem ordinare. Nec iſtud alienum eſt ab Scriptura, quæ ſicut aliis Rhetorum figuris, ita & proſopopœia vtitur. Vt eſt illud: Eleuauerunt flumina vocem ſuam.] Et illud: Ierunt ligna, vt vngerent ſuper ſe regem; dixerúntque oliuæ: Impera nobis.] Eſt quoque in hoc non minima vtilitas, quia per has ſalutares fictiones non modicum ſolet excitari deuotionis affectus. At vnumquodque in ſuo loco ponendum eſt. Nam Deum in oratione audire, & cum eo colloqui, & Sanctos vt interceſſores interpellare eſt omnino neceſſarium. Has verò fictas creaturarum locutiones inducere, quibuſdam erit vtile; alij verò prudenter omittent, & talem modum meditandi non aſſument, ſi eo non ſe ſentiant ad aliquem bonum affectum excitari. Ad quem (vt nunc dicemus) omnis meditatio dirigenda eſt.

Pſal.92. 3.

Iudic. 9. 8.

Decimus comes Orationis, Affectuum excitatio.

CAPVT XII.

MAteria affectuum, tamquam eorum, in quibus præcipua pars huius orationis mentalis ſita eſt, iuſtum volumen, in ſuas partes diſtributum infrà complebit: nunc ea tantùm dicemus, quæ ad hunc locum explicandum vtcumque ſufficiant. Orationem mẽtalem ex duobus eſſe compoſitam, ex cogitationibus intellectus, & affectibus voluntatis, ſæpe inculcatum eſt. Quod vel ex ipſa conſiderationis natura abundè colligitur. Conſideratio enim, ſeu meditatio, quæ pars orationis ponitur, non eſt ſpeculatiua, quæ ſola eſt veritatis aſſecutione contenta, ſed practica, & ad opus omnis virtutis & perfectionis ordinata. Quia verò inter hanc conſiderationem, & opera externa virtutum interiacent voluntatis affectus, qui & ſunt ipſarum virtutum interiores actiones, ex quibus externæ actiones prodeunt, atque formantur, manifeſtum eſt quòd ipſa conſideratio propinquiùs & principaliùs ad affectus ordinatur. Quod quidem ita verum eſt, vt in nullo orationis genere exceptionem patiatur. Nam, vt inquit Gerſon, cogitatio, quæ eſt improuidus animæ obtutus, generat affectum vagum, & improuidum ad ſimilitudinem ipſius cogitationis facillimè euaneſcentem. Meditatio, quæ eſt prouida & vehemens inquiſitio, generat affectum ſtabiliorem qui ab eo vocatur deuotio. Contemplatio denique quæ eſt libera & expedita animæ intuitio, generat affectum liberum, & expeditum, cuiuſmodi eſt dilectio, ſiue iubilatio. Mentalis itaque oratio quæcumque illa ſit ab affectu incipit, ab amore ſcilicet Dei, vel ab alicuius virtutis, aut emendationis vitæ deſiderio, & in affectum deſinit, quia illum tamquam finem & ſcopum reſpicit. Dauid de cogitatione quid dicit? Quoniam iniquitatem meam annuntiabo; & cogitabo pro peccato meo.] Id eſt, ad hoc cogitabo de peccatis meis, vt ea affectu deteſtationis & doloris obliterem. Quare Auguſtinus pro cogitare, curam gerere cum Septuaginta legens ſic interpretatur: Quid eſt curam gerere pro peccato tuo? Curam gerere pro vulnere tuo. Si diceret: Curam gererem pro vulnere meo, quid intelligeretur, niſi dabo operam vt ſanetur? Hoc eſt enim curam gerere pro delicto, ſemper niti, ſemper intendere, ſemper ſtudiosè & ſedulò agere, vt ſanes peccatum.] De meditatione verò idem ſanctus Vates quid ait? Concaluit cor meum intra me; & in meditatione mea exardeſcet ignis.] Cùm, inquam, iniquorum, & me perſequentium flagitia conſidero, indignationis aduersùs peccata eorum affectu ſuccendor. De contemplatore demum in Iob dicitur ſub nomine Aquilæ: Inde contemplatur eſcam, oculi eius de longè proſpiciunt,] quia ad hoc ſublimia oratione intuetur, vt dilectionis affectu paſcatur.

Nulla eſt ſpeculatio quam affectus ſimilis nõ ſequatur.

Pſal.37. 19.

Auguſt. ibid.

Iob 89. 29

De omni oratione hoc ipſum Salomon non minus breuiter, quàm pulchrè confeſſus eſt. Melior eſt, inquit, finis orationis, quàm principium.] Si enim locum de oratione virtute & religionis actu cum multis intelligamus, eius principium actum intellectus, quo ſancta cogitamus, & eius finem affectum voluntatis, quo cogitata diligimus, & operari ſtatuimus, conuenienter accipitur. In oratione ergo bonus eſt ſanctæ rei cogitatus, ſed melior eſt affectus, propter quem habendum cogitatio ſuſcipitur. Parum namque prodeſſet bona intelligere, quæ iniqui etiam ſæpe conſiderant, & quia non apprehendunt, nec diligunt, in ſua iniquitate manent; ſed illud perfectum eſt, bona quæ conſideramus affectibus amplecti, & actione perficere. Hos tres aſcenſionis gradus in Canticis Spiritus ſanctus euidenter expreſſit. Quæ eſt iſta, quæ progreditur, quaſi aurora conſurgens, pulchra vt luna, electa vt ſol, terribilis vt caſtrorum acies ordinata?] Iſta eſt anima ſpiritualis viri, quæ ideo comparatur auroræ, quia munda eſt, & ſemper procedit, & creſcit vſque ad perfectum puritatis diem. Sed attende quomodo procedat, & creſcat. Primò eſt vt luna dum bona meditatur, & intellectu apprehendit. Cùm enim luna lucem habeat, & calore careat, meritò cognitionem boni ſine affectu deſignat. Deinde eſt, vt ſol, dum ad bonum & virtutem afficitur. Quia cùm Sol ſit fons caloris, iure optimo ſanctis affectibus aſſimilatur. Tandem eſt vt caſtrorum acies, quia quæ in oratione cognouit, & cõcupiuit, poſtea extra orationem fortiter atque conſtanter operatione apprehendit. Affectus ergo finis meditationis eſt, quem ſi meditatio non excitet, imperfecta & minùs vtilis manet. Ac proinde Richardus de ſancto Victore ſic ſapienter ſcripſit: Ad hoc ſiquidem nobis datur huiuſcemodi gratia; ad hoc, inquam, infunditur æternorum intelligentia; vt ſciamus quid indefeſsè debeamus per ſtudium quærere, vel per deſiderium ſuſpirare. Alioquin

Ecclſ.7.9.

Affectus cogitationi præfertur.

Cant.6. 9.

Aurora comparatur vir ſpiritualis dum orat.

Richard. 4. de contemplat. cap.20.

Oratio mentalis excogitationibus & affectibus conſtat.

Gerſ. in myſter. Theolog. ſpec. conſiderat. 27.

fruſtrà in nobis diuinæ cognitionis abundantia creſcit, niſi diuinæ in nobis dilectionis flamma augeſcat. Debet itaque in nobis creſcere ſemper, & ex cognitione dilectio, & nihilominus ex dilectione cognitio, & mutuis incrementis mutua incrementa miniſtrare debent, & alternis augmentis alterna augmenta accreſcere habent. Debet ergo anima perfecta, & aſſiduè ſummorum contemplationi dedita omni hora peregrinationis ſuæ terminum, ergaſtulique huius egreſſum cum ſummo deſiderio expectare, quo id, quod interim videt per ſpeculum, & in ænigmate, mereatur facie ad faciem videre.] Hæc ille. In cuius verbis id conſiderandum eſt, quòd diuerſimodè ſe habet cognitio dilectionem, aut aliam ſanctam affectionem generans, vel ab affectione generata. Cognitio quippe ſeu meditatio illa prima tendit in affectionem vt in finem, quo ſi careret, quaſi fruſtranea & vacua ab eo, ad quod ordinatur, exiſteret. At meditatio affectionem ſequens habet ſe vt effectus, quia affectio ad bonum aliquod, ad amplius inquirendum inſtigat. Quod ſi amplius non inquireremus, & affectu illo eſſemus contenti, non propterea minùs vtiliter noſtra meditatio proceſſiſſet.

Cognitio affectionem generans & alia ex affectione ſequuta quo differant.

In mentali igitur oratione illos Seraphim imitabimur, quorum vni ſex erant alæ, & ſex alæ alteri: duabus velabant faciem Domini, & duabus velabant pedes, & duabus volabant. Nam quid quæſo eſt quatuor extremis alis faciem & pedes Domini velare, & duabus mediis apparentibus circa cor, volare, niſi cognitioni rerum ſublimium diuinitatis, & infimarum humanitatis Chriſti frænum iniicere, ne nimis diſcurrat: & affectui habenas laxare, vt illi, qui ter Sanctus eſt, id eſt, infinitè Sanctus, vehementiùs adhæreat. Ad hoc ſpirituales viri Dominum velant, vt amplius volent, & vt ardentiùs inclament: Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus exercituum; quoniam ſi in Dei mirabilibus perſcrutandis plus nimio occuparentur, parum internæ efficaciæ (ſecundùm quòd nos pro modulo humanæ capacitatis concipimus) affectui amoris relinquerent. E contra tamen faciendum eſt, & cognitio ac diſquiſitio moderanda, vt affectus excreſcat. Meditatio veritatem aliquam ſimpliciter inſpiciat, vt affectus virtutem colligat: quia non nos ſanctos facit cognitio veritatis, ſed poſſeſſio virtutis. Meditatio cibum ori admoueat, & variis conſiderationibus quaſi dentibus mandat, vt affectio quaſi animæ palatum veritatis illius dulcedinem guſtet. Meditatio theſaurum eruat, affectio poſſideat. Tandem illa eatenus admittatur, & continuetur, quatenus affectui excitando, & augendo deſeruiat; dum autem impedit, relinquenda. Solùm enim conſideratio aſſumitur, vt mens ad affectum diſponatur. Idque Bonauentura ſic docet: Quia adhuc mens proficiens eſt indiſpoſita ad hoc quòd expeditè feratur affectionibus anagogicis in directum, oportet quòd primò aliquantulum meditetur.] Et alio loco conſiderationem in oratione mentali comparat lignis, quæ ab artificibus ſupponuntur, vt pons ex lapidibus, vel lateribus extruatur. Nam ſicut illa perfecto ædificio tolluntur, ita & conſideratio intermittenda eſt, quando ille, quem optabamus, ſurrexit affectus. Alij non incongruè conſiderationem cani venatico, & affectum feræ captæ ſimilem faciunt. Nam quemadmodum ille capta præda non amplius diſcurrit, ſed eam venatori comedendam

Isaiæ 6. 2. Seraphim millia ab Esaia viſa orare nos docet.

Moderãda inquiſitio veritatis vt creſcat affectio.

Bonau. tract. de myſter. Theol. dẽ via illumin. p. 3. Ibidẽ in prolog.

A

B

C

D

E

defert: ita intellectus inuenta re amanda vel fugienda, eam vt ametur vel diligatur voluntati proponit. Alij denique intellectum ac voluntatem in hoc negotio orationis quaſi duos mercatores faciunt, quorum vnus adoleſcens & pauper mercibus onuſtus ad nundinas vadit, alter maturior, & ditior, lucrum à priori allatum accipit, ac recondit. Sic intellectus alicuius rei cauſſas effectúſque diſquirit, vt quid diligendum ſit apprehendat, voluntas verò ditior, at quietior diligit, & amplectitur, quod ille tamquam bonum lucrum amplectendum repræſentat.

Ita ſanè, ô vir Dei, vtiliter intellectu meditaberis, ſi in meditatione non ſcientiam, ſed virtutem; non intellectum ſolùm paſcere, ſed voluntatem afficere, & ad bonum inclinare ſtudueris. Percute conſideratione veritatis quaſi ferro ſilicem cordis tui, vt ex illo ſanctorum affectuum ſcintillæ reſultent. Perforet acus meditationis aurem mentis tuæ, vt poſt eam inauris aurea dilectionis ingrediatur, qua mens decenter ornetur. Accedat agnus tui ſimplicis intellectus ad vbera myſteriorum cœleſtium, non tantùm vt ea inſpiciat, ſed vt affectu premat, & ſuauiſſimo virtutis lacte paſcatur. Habeto, vt illa Ezechielis animalia, manus ſub pennis, quæ poſt pennarum volatum, ardentia deſideria perfectionis apprehendant. Quærant dilectum interiores oculi, vt cor illum iam inuentum teneat; & dicas: Inueni quem diligit anima mea, tenui eum, nec dimittam.] Et hæc ſit in oratione ſollicitudo tua, vt ex quacumque conſideratione affectus elicias, ad propoſita virtutis aſſurgas, teipſum ad amorem perfectionis inducas. Sic quottidie perfectior efficieris, & purior: nam conſideratione non ſolùm illuminaberis, ſed virtutum acquiſitione mundaberis.

Ezech. 1. 8.

Cant. 3. 4.

Nondum tamen lectoribus ſatisfecimus, ſi poſtquam affectus in meditatione excitandos eſſe diximus, modum ac rationem eos excitandi prætereamus. Omnibus enim, qui in ſtudio orationis verſati ſunt, manifeſtum exiſtimo non eſſe ſemper in poteſtate noſtra affectibus tangi, ſæpéque ab intellectu bonitatem amandam, aut malitiam fugiendam eſſe propoſitam, neque voluntatem ad amorem, vel odium inclinari. Quid ergo faciendum, vt ad rem propoſitam conuenienter afficiamur? Res hæc vtiliſſima, ac ſcitu digniſſima eſt, ad quam maximè conferent octo regulæ his breuiſſimis verbis ad memoriam iuuandam comprehenſæ. Nam ad affectus excitandos remedia efficacia ſunt: Recta diſpoſitio cordis: ſimplicitas inueſtigationis: attentio meditationis: vſus longanimitatis: materiæ conuenientis, & affectionum illi correſpondentium electio: actuum ad eumdem affectum pertinentium inuentio: eiuſdem actus repetitio: verborum affectum exprimentium interna prolatio.

Affectus quomodo excitãdi.

Octo regulæ traduntur ad affectus excitandos.

Recta diſpoſitio cordis eſt, ſi aptus, ô homo, & paratus ad orationem accedas. Aptus eris, ſi culpas etiam leues diligenter viſitaſti, ſi affectus inordinatos cohibere curaſti, ſi occupationes à tuo ſtatu alienas, & te diſtrahentes abieciſti. Paratus eris, ſi orationis deſiderium inflammaſti, materiam conſiderandam præueniſti, & cor ab euagationibus collegiſti. Si autem minus aptus & imparatus accedas, non mirum ſi affectiones ſanctas incitare non valeas. Aduerſarius tuus ſub vmbra dormit in ſecreto calami, in locis humentibus.] Si cor tuum vmbram amat, id eſt,

Prima recta cordis diſpoſitio, & qua illa ſit.

Iob 40. 16.

ea, quæ ingreſſum lucis impediunt, ſi inſtar arundinis nullam ſtabilitatem habet, & humore terrenorum deſideriorum abundat, nequaquam poterit in eo calor amoris & ſanctorum deſideriorum accendi. Non ſic Dauid ad orandum accedebat, cuius eſt vox: Expandi manus meas ad te: anima mea ſicut terra ſine aqua tibi.] Et quia velut terra arida ſitiens erat, ideo à Domino compluta eſt, & ſanctis affectibus irrigata. Abundat mare, inquit Auguſtinus, inundat, copioſum eſt: fluctuat, ſed amarum eſt. Diſcreta eſt aqua, apparuit arida anima mea: irriga eam, quia ſicut terra ſine aqua tibi. Citò exaudi me Domine: quæ enim mora quando ſic ſitio, ad inflammandam ſitim meam? Pluuiam differebas, vt hauriens imbiberem, non reſpuerem quod influeres. Si ergo ideo differebas, iam da, quoniam anima mea velut terra ſine aqua tibi.] Proſequitur eumdem verſum ſanctus Vates ad idem propoſitum dicens: Velociter exaudi me Domine: defecit ſpiritus meus.] Quando quidem iam ſpiritus meus, ſpiritus veteris hominis euanuit, quid reſtat Domine, niſi vt iam meas preces exaudias, & tuo me ſpiritu repleas, quo impulſus facile mihi erat ad cœleſtia ſubſilire, & te ſolum ſuſpirare. Si itaque te ad orandum paraueris, & per vitæ laudabilem conuerſationem ad ſtudium orationis aptum effeceris, cor tuum ſanctis affectibus implendum eſſe non dubites.

Pſalm. 142. 6.

Auguſt. ibid.

Pſal. 142. 7.

2. Simplicitas inueſtigationis.

Simplicitas inueſtigationis eſt in re quam medimur non tam ſubtiles & curioſas ratiocinationes inueſtigare, quàm id quod affectum accendat ſimpliciter quærere. Cùm enim mentalis oratio non ſolùm litteratorum, ſed omnium ſit, non eſt eius ſubſtantia in ſublimibus conſiderationibus, quas literati vix inueniunt, ſed in ſincera quadam myſteriorum cœleſtium inquiſitione, quæ nos afficiat collocanda. Cum ſimplicibus, ait Salomon, ſermocinatio eius,] id eſt, Domini. Hos ad ſe vocat, & eorum gaudet alloquio. Simus in meditatione ſynceri, & in eâ non ſcrutemur quid coram aliis ad vanitatem dicamus, ſed id, quo ad compunctionem & amorem moueamur, & ex qualibet conſideratione quæ obiiciatur, ſancta propoſita, & virtutis affectus eliciemus. Terra non rapido fluminis curſu defluente, & pinguedinem eius auferente, ſed moderata pluuia ſenſim deſcendente, & interiora penetrante fructificat. Ita terra cordis noſtri fructus affectuum profert, ſi moderata conſideratione irrigetur, quam paulatim imbibat, non ſi multis & ſubtilibus inueſtigationibus obruatur. Ad quod ſanè applicari poteſt dictum Domini per Iſaiam: Et quomodo deſcendit imber, & nix de cœlo, & illuc vltrà non reuertitur, ſed inebriat terram, & infundit eam, & germinare eam facit, & dat ſemen ſerenti, & panem comedenti: ſic erit verbum meum, quod egredietur de ore meo.] Verbum Dei eſt meditatio de ipſo à nobis concepta, & ab ipſo immiſſa. Hæc ſi abſque ſtrepitu, & ſuauiter inſtar pluuiæ & niuis ad cor noſtrum venerit, ipſum inebriabit, & infundet, & fructiferum reddet, vt affectus virtutum quaſi ſemina proferat, & panem bonorum operum, quo homo paſcatur producat.

Pron. 3. 32.

Iſaiæ 55. 10.

3. Eſt attentio & in quo ſita ſit.

Attentio meditationis eſt, in illa ſimplici & plana conſideratione, quæ intellectui offertur, non ſegniter & perfunctoriè nos habere, ſed eam diligenter euoluere, & abiectis euagationibus ſolerter inſpicere. Hæc attenta meditatio affectus & deſideria ſuſcitabit. Cùm enim voluntas intellectum ſequatur, & id auerſetur, aut diligat, quod ille noxium, aut opportunum apprehenderit, nullus, aut tepidus erit voluntatis affectus circa rem illam, quam intellectus inattentè, & quaſi per tranſitum intuetur. Qui ita meditatur, cum pigris & inertibus computandus eſt, de quibus Salomon ait: Vult, & non vult piger;] quia videlicet ad modum rotæ ex vna in alteram ſententiam volutatur, & in eodem propoſito permanere neſcit. In ſuperficie virtutem aſpicit, & eius pulchritudine delectatus tunc illi placet, ſed quia non bene difficultatem adiunctam inſpexit, & quia neſcio quid aſperitatis in initio tetigit, manum retrahit. Meditator ergo rem ſibi obiectam non in cute tantùm, ſed intus inſpiciat: virtutis pulchritudinem, & ſuauitatem, & media etiam minus ſuauia, quibus comparanda eſt, inquirat: & non ſolùm ſalutem illam amabilem, ſed & medicamina iſta amara admittere ſtatuat, & ſic minimè ad modum pigri voluntates ſingulis momentis mutabit, ſed in eo quod bonum eſſe bene intellexit conſtanter perſiſtet. Sic res conſiderabat ſanctus Dauid, & inde ardentiſſimos eliciebat affectus. Quomodo dilexi legem tuam, Domine: tota die meditatio mea eſt.] Legem, inquam, tuam attentè & ex profeſſo recogito, & aſſidua meditatione conſidero. Inde autem prouenit, vt eam ardenter diligam, & inſtante alicuius præcepti obligatione, illud iucundè implere ſatagam. Sic myſteria cœleſtia meditanda ſunt, & attento corde inſpicienda, vt voluntatem duram & rebellem emolliant, & amori ac deſiderio ſubiiciant.

Prou. 13. 4.

Pſal. 118. 97.

4. Eſt longanimitatis vſus.

Vſus longanimitatis eſt, ſi ad ſtudium orationis longanimitatem induas, & Dominum quaſi moram facientem expectare, & clamoribus ac gemitibus aduocare adſueſcas. Sponſus vult rogari, vult inuitari, non quia ad nos inuitus veniat, qui venire, & ſuis bonis nos replere deſiderat, ſed vt deſideria ardentiora in nobis inueniens, abundantiora dona diſtribuat. Si hodie meditatio, & intellectus inueſtigatio mentem percutiens ſcintillam alicuius affectus non excuſſit, non propterea deſperandum eſt, nec quaſi cum nauſea ad opus meditationis accurrendum, immo iterum, & iterum, & millies, ſi oportuerit, meditabimur, & ſine dubio ante multos ictus ignem ſancti affectus excutiet. Moſes percuſſit ſemel petram, & non dedit aquas, at percutiens iterum egreſſæ ſunt aquæ largiſſimæ, ita vt populus biberet & iumenta. Eliſeus ſtetit ſuper ripam Iordanis, & pallio Eliæ, quod ceciderat ei, percuſſit aquas, & non ſunt diuiſæ. Et dixit: Vbi eſt Deus Eliæ etiam nunc? Percuſſítque aquas, & diuiſæ ſunt huc, atque illuc, & tranſiit Eliſeus. Volente Domino diſcipulos pertranſire, coegerunt eum, & qui ſimpliciter, aut tepidè inuitatus non manſiſſet cum eis, importunè rogatus manſit, & ſui corporis (vt multi ſentiunt) in illo à ſe fracto & benedicto pane copiam fecit. Quid hæc omnia ſignificant, niſi quòd Dominus perſeuerantia & longanimitate cogendus eſt, & non ſemel, ſed bis, & ſæpe gemitu & oratione pulſandus, vt nos per decurrentem alueum meditationum ad ripam affectus transferat, & ex ſilice cordis noſtri aquas ſanctorum deſideriorum educat.

Numer. 20. 97.

4. Regum 2. 14.

Luc. 24. 29.

5. Electio materiæ conuenientis. Quæ perfectis, quæ verò incipientibus ſit apta mõſtratur.

Materiæ conuenientis, & affectionum illi correſpondentium electio eſt, vt quiſque à præceptore rerum ſpiritualium inſtructus animæ ſuæ ſtatum ſciat, & res cõuenientes ſuo profectui ad meditandum eligat, & ex illis ſe ad affectus ſibi proportionatos alliciat. Si enim homo è ſilua ſæculi nuper

abscissus, & passionibus oneratus vellet abditissima Trinitatis mysteria contemplari, & ad purissimum Dei amorem se excitare, nihil efficeret: quia hic ignis purissimus in viridi ligno non ardet, sed siccum & bene præparatum requirit. Similiter si homo perfectus meditationi præteritorum delictorum, & pœnarum inferni semper insisteret, & solùm se ad dolorem peccati prouocaret, modicum satis in via spiritus progressum faceret. At si hi duo studia commutent, & ille dolori peccatorum, iste verò amori sui conditoris intendat, ambo facilem viam ad profectum, & ad affectus depromēdos inuenient. Non ergo semper in meditatione peccatorum hærēdum esse, sed ad alia transeundum Pynuphius apud Cassianum docet his verbis: Cæterùm hoc quod de peccatorum recordatione dixistis, vtile satis ac necessarium est, sed adhuc agentibus pœnitentiam, vt cum iugi pectoris sui contusione proclament: Quoniam iniquitatem meam agnosco, & peccatum meum contra me est semper. Illud etiam: Et cogitabo pro peccato meo. Dum ergo agimus pœnitentiam, & adhuc vitiosorum actuum recordatione mordemur, necessarium est, vt ignem conscientiæ nostræ, obortus ex confessione culpæ lacrymarum imber extinguat. Cùm verò cuiquam in hac humilitate cordis & spiritus contritione defixo, atque in labore & gemitu perduranti, horum fuerit recordatio consopita, & conscientiæ spina de medullis animæ gratia Dei miserantis euulsa, certum est eum ad satisfactionis finem, atque indulgentiæ merita peruenisse, & ab vniuersorum criminum labe purgatum. Ad quam tamen obliuionem non aliàs peruenitur, nisi per obliterationem vitiorum, atque affectuum pristinorum, & perfectam cordis, atque integram puritatem, quam sine dubio nullus eorum, qui per ignauiam siue contemtum vitia sua purgare neglexerit, assequetur, nisi qui gemitus atque suspiria mœsta iugitate continuans omnem sordium pristinarum excoxerit labem, & virtute animi, atque opere proclamarit ad Deum: Delictum meum cognitum tibi feci; & iniustitiam meam non operui, &c. Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die, ac nocte; vt consequenter mereatur audire: Quiescat vox tua à ploratu, & oculi tui à lacrymis, quia est merces operi tuo, ait Dominus. Illud quoque similiter ad eum voce Domini dirigatur: Deleui vt nubem iniquitates tuas, & quasi nebulam pecçata tua. Et iterum: Ego sum, ego sum, qui deleo iniquitates tuas propter me, & peccatorum tuorum iam non recordabor. Et ita funiculis peccatorum suorum, quibus vnusquisque constringitur, absolutus, Domino cum omni gratiarum actione cantabit: Dirupisti vincula mea, tibi sacrificabo hostiam laudis.] Hæc ille. Qui in eo, quod cuiquam indulgentiæ certitudinem videtur adscribere, cautè legendus est, cùm nemo in hac vita, absque speciali Dei illustratione, certus esse possit an amore, an odio dignus sit.

Cassian. coll. 20. cap. 7.

Sumenda illa sæpe ad orandum materia quā Deus inspirat.

Non solùm autem ex mensura profectus meditationes, & affectiones animæ, eligendæ sunt, sed etiam ex diuina dispensatione immissæ penitus acceptandæ. Nam quosdam Deus pro inscrutabili sapientia sua nunc ad hoc meditandum, & ad hunc affectum in se excitandum mouet; nunc aliam meditationem, & alium affectum ingerit. Quidam in cruce, alij in præsepio, alij ad dexteram Patris sedentem Christum faciliùs inueniunt, & commutatis vicibus nunc ad vnum, nunc ad aliud incitantur. Tunc ergo, ô vir Dei, sequere Deum: nam si ille te docet, & mouet, absque dubio in meditatione & affectu ab eo proposito abundè proficies.

6. Inuentio actuū ad eundē affectum spectantium, & quid illa.

Actuum ad eumdem affectum pertinentium inuentio est, si scire cures in quo cuiuslibet virtutis substantia consistat, quos actus habeat, in quem finem tendat, quomodo ab aliis virtutibus moueatur, vel ipsas moueat, & in vniuersum, quæ ad singulas species affectuum bonorum pertineant. Hæc facile cognosces tum ex his, quæ in libris de exterminatione mali, & promotione boni de singulis virtutibus diximus, tum ex his, quæ infrà de singulis affectibus libro quarto dicemus. Et hæc notitia apprimè vtilis est, vt quando ex meditatione ob tuam duritiem, & in dispositionem affectu non tangeris, teipsum vrgeas, & moueas iuxta id quod in postrema regula continetur. Nec enim ex Domini voluntate est, vt semper quasi ab extrinseco motionem expectemus, sed vt nosipsos per gratiam non deficientem nobis ad aliquod bonum desiderandum iuxta subiunctam materiam moueamus. Húncque conatum nostrum ex diuina gratia præassumtum Deus promouet, vtque iam non agamus, sed agamur, & affectibus sanctis fœliciter raptemur efficit. A scintilla vna, inquit Ecclesiasticus, augetur ignis, & ab vno doloso augetur sanguis.] Nunc per dolosum aliquem malum affectum intellige. Ab vno ergo affectu malo, quem in corde tamquam scintillam admisimus, & extinguere non curauimus, solet turba immensa iniquitatum prodire (quis hoc non vidit) diabolo flante, & ignem accendente. Ita ab vno affectu bono quasi ab vna scintilla, quam seruare contendimus, magnus ignis, Deo faciente, deuotionis accenditur, & vitium multiplex superatur.

Eccli. 11. 34.

7. Eiusdē actus repetitio quātum intersit, & quomodo fieri debeat declaratur.

Eiusdem actus, siue affectionis repetitio est, si affectum qui ob indispositionem subiecti diu non durat, per repetitionem breuem eiusdem animā durationem supplet, & per longum tempus in affectu se continet. Hoc scire, & exequi magni momenti est, quoniam sicut in monetis nostris vndecim argentei vnum aureum faciunt, & non minus quàm ille valoris habent, ita multi affectus breues repetiti non minoris meriti esse solent, quàm vnus diu continuatus, nec minus animam perficiunt, atque purificant. Ex alia verò parte multo facilius est affectus breues repetere, quàm per longum tempus in vno continenter perdurare. Quamobrem optimè Thomas Aquinas ait: Si non potes concupiscere vehementer, saltem dura parumper; quòd si non diu continuare potes, quoniam secundùm Augustinum in viatore sunt cogitationes volubiles, & consequenter affectiones, saltem sint repetendo frequentes. Nam quo frequentiùs, eo consequenter vehementiùs concupisces, & quo vehementiùs, eo diutius.] Hanc verò repetitionem affectus ex ipsa Scriptura, præsertim ex Psalmis didicimus. O Domine, ego seruus tuus: ego seruus tuus, & filius ancillæ tuæ.] Paratum cor meum Deus, paratum cor meum.] Miserere mei Deus; miserere mei, quoniam in te confidit anima mea.] Benedicat nos Deus, Deus noster; benedicat nos Deus.] Psallite Deo nostro, psallite: psallite regi nostro; psallite.] In primo versu affectus repetitus subiectionis est; in secundo resignationis; in tertio humiliationis, & fiduciæ; in quarto desiderij, & postulationis; in quinto laudis; & sic sunt innumera in Scripturis. Similia multa apud Augustinū in medi-

D. Thom opusc. 61 de dilect. Dei. c. 3.

Psal. 115. 16. Psal. 56. 8. Ps. 56 1. Ps. 66. 8. Ps. 46. 7.

tationi

tationibus, & Bernardum, & Anſelmum, & alios inuenies. Ita & tu affectum ſi non continuabis, at repetes. Vt, diligo te fortitudo mea: volo tibi omnia bona tua, ô virtus mea: gaudeo de pulchritudine tua ô gloria mea, & omne bonum meum. Hæc repetitio continuationem amoris, in qua hærere non poſſumus, ſupplet, & cor ſatis potenter accendit.

8. & vlt. eſt interna prolatio verborũ exprimentium affectus.

Verborum affectus exprimentium interna prolatio eſt, vt id quod nunc diximus facias, & verba affectus ſignificantia concipias, & per illa ex animo prolata cor ante Dominum effundas. Certum enim mihi eſt, quòd aliquis affectus hanc intellectus conceptionem ſequitur, licèt in primo vſu harum aſpirationum ob duritiem cordis minus perceptibiliter ſentiatur. Idque ex oppoſito euidenter intelliges. Si enim interiùs ex animo diceres: Nolo obedire Deo; nolo hoc, quod modò inſtat præceptum eius ſeruare: nolo eius voluntati me ſubmittere, grauiſſimi peccati reus eſſes, & ob illud tantùm, niſi reſipiſceres, in æternum damnareris. Ergo ſi ex animo dicas: Volo Domine obedire tibi: volo hoc, & omnia præcepta ſeruare tua; volo nec latum vnguem à tua voluntate diſcedere, actum obedientiæ facis, & præmium apud Deum mereris. Nec refert quòd hæc aliquando corde arido proferantur: nam actiones, ſeu affectus voluntatis, in quibus eſt vera ſanctitas & ſubſtantia virtutis, cùm merè ſpirituales ſint, cum ſumma ariditate, & magna deſolatione poſſunt elici: neque eſt in noſtra poteſtate actus ſimiles ſuauitatem ſenſibilem habentes in appetitu producere. Interdum hæc Deo donante iunguntur, & tunc nemo eſt, qui non caput leuet, & ſecum bene agi putet. At non hæc ad ſubſtantiam profectus pertinẽt, ſed ad curſus ſuauitatem: quòd ſi tu licèt non cum dulcedine, at quantum alter ambulas, & eadem quæ ille tam intenſo affectu voluntatis diligis, non minus quàm ille profeciſti. Immo aliquando magis, quia magis laboraſti, & nihil adhuc conſolationis recepiſti. Et hæc pro nunc ſufficiant, donec iſta tractatio fuſiùs diſputanda, infrà libro quarto, Deo donante, recurrat. Tu his aſpirationibus inter meditandum aſſueſce, & ſic affectus admirandos elicies, & breui tempore mutatum te ſenties.

A B C D E

ſtulemus. Et quidem ita in meditatione ſua vtiliter quiſque procedet, ſi primùm in eo, quod conſiderandum ſuſcepit, rationes, quibus ſe ad bonum moueat, inueſtiget: deinde ſi affectus ad illud bonum diligendum & amplectendum excitet; poſtea ſi incaleſcente corde ignitas poſtulationes, quibus bonum illud ſibi dari petat, humiliter fundat; poſtremò, ſi propoſita bonum illud quærendi, & ſe in omnibus diuinæ voluntati accomodandi concipiat.

Bernard. in ſcala clauſtralium.

Adeò verum eſt meditationem ad petitionem eſſe dirigendam, vt Bernardus non vereatur docere, illam abſque iſta eſſe infrugiferam. Dixerat, Samaritanam illam mulierem verbo Domini inſtructam priùs fuiſſe meditatam quàm vtile ſibi foret habere aquam illam, qua numquam ſitiret: iſtáque meditatione ſuccenſam ad petitionem proceſſiſſe, dum dixit: Domine, da mihi hanc aquam, vt non ſitiam, neque veniam huc haurire.] Mox verò ſubdit: Ecce auditus verbi Domini, & ſequens ſuper eo meditatio incitauerunt eam ad orandum. Quomodo namque eſſet ſollicita ad poſtulandum, niſi eam priùs accendiſſet meditatio? Aut quid ei præcedens meditatio contuliſſet, niſi quæ appetenda monſtrabat, ſequens oratio impetraſſet? Ad hoc ergo vt fructuoſa ſit meditatio, oportet vt ſequatur orationis deuotio.] Meditationem etiam ad petitionem ordinari tamquam ad vnum ex finibus propter quos aſſumitur, Bonauentura ex Hugone de ſancto Victore fatetur, ſic ſcribens: Sic orationi ſancta meditatio neceſſaria eſt, vt omnino perfecta eſſe oratio nequeat, ſi eam meditatio non comitetur, aut præcedat. Nam & qui mala ſua conſiderare negligunt, aut nihil petendo facile per ignorantiam falluntur, aut certè minus, quàm oportet dignè petendo per deſidiam tepeſcunt. Quanto homo magis mala ſua intelligit, tanto magis ſuſpirat, & gemit. Primùm ergo neceſſe eſt vt ſi prudenter & vtiliter Deum orare volumus, animum noſtrum iugi meditatione exerceamus, & in conſideratione miſeriæ noſtræ diſcamus quid nobis neceſſe ſit petere; & in conſideratione miſericordiæ Dei noſtri quo deſiderio debeamus poſtulare. Iſtis duabus alis, ſcilicet miſeria hominis, & miſericordia Dei Redemtoris oratio ſubleuatur.] Idem dicitur in libro de orando Deum, qui à nonnullis tribuitur Auguſtino, in hunc modum: Orationi ſanctæ, ſancta meditatio neceſſaria eſt, & omnino oratio perfecta nequit eſſe ſine ea, oportet enim eam meditetur, atque præcedat.] Et rurſus: Neceſſe eſt ſi prudenter & vtiliter Deum orare volumus iugi meditatione animum noſtrum exercere, vt ex malorum noſtrorum circumſpectione diſcamus, quid neceſſe ſit petere, & ex conſideratione noſtri, quo deſiderio debeamus poſtulare. Conſtat ergo meditationi ſicut affectus ita & poſtulationes eſſe miſcendas, vt triplici hoc malleo conſiderationis, quo intellectum percutimus, & affectionis ad bonum, quo voluntatem emollimus, & poſtulationis, quo ianuam diuinæ miſericordiæ pulſamus, omnem virtutem & perfectionem impetremus.

Bonau. in ſpecul. 2. p. c. 6.

Deus itaque noſter vult in meditatione rogari. Ipſe meditatione pulchritudinem virtutis oſtendit, vt deſideriũ, & ſitim eius exſuſcitet, ex ſiti verò poſtulationis gemitum profert, & poſt poſtulationes & gemitus id quod optabamus, & poſtulabamus, impertit. Id profectò in loco Apocalypſeos moraliter intellecto videbimus ſublimiter adumbratum. Primùm enim factum eſt ſilentium in cœlo quaſi media hora, deinde Angelus orationes

Quæ velit Deus rogari, idque frequenter à nobis præſtandum. Apocal. 8. 1.

Vndecimus comes Orationis; Petitionum effuſio.

CAPVT XIII.

Petitio eſt finis proximus meditationis.

MEDITATIONIS noſtræ, non ad comparandam ſcientiam, ſed ad emendandam vitam pertinentis duplex eſt proximus finis, affectio, & petitio, ſeu poſtulatio: quod ex ipſo fine præcipuo, ad quem tota dirigitur, nempe ex vitæ emendatione, & conuerſationis puritate manifeſtum eſt. Vitæ namque puritas, & morum perfectio non ſolùm in opere externo, verùm in affectu interno, qui opera exteriora informat, & perficit, eſt conſtituta. Meditatio ergo affectum moueat, & ad bonũ inclinet neceſſe eſt, vt nos ſtudioſos & perfectos efficiat. Virtus etiam atque perfectio vniuerſa donum Dei eſt, quod non noſtris viribus, ſed Dei gratia præueniente & auxiliante conquirimus. Igitur meditatio ad hoc ordinanda eſt, vt donum hoc, quod meditatione quærimus, ab eius datore, ſcilicet à Deo po-

Greg. 31. moral. c. 24.

Sanctorum obtulit, postmodum ignis de altari in terram descendit. Silentium illud auctore Gregorio, quietem intimæ contemplationis designat. Quid autem est post contemplationem fumum incensi in cœlum ascendere, & ignem in terram descendere, nisi postulationem incenso significatam meditationem subsequi, & ipsa oratione in cœlum suscepta ignem feruoris, quo vitia nostra absumantur, impetrari? In meditatione Deus & homo conueniunt, ille præueniens, & adiuuans gratia sua, iste laborans industria sua, & vnusquisque quod suum est facit. Ille, qui actus purus est, & nullius eget, & dat omnibus affluenter, dona tribuit; hic qui summa paupertas & miseria est id, quo indiget, abundanter recipit. Inter dationem verò, & receptionem, media est postulatio: vt qui suam indigentiam, & diuinam misericordiam meditatione cognouit, bonum quo indiget efflagitare non desinat, & se humiliando petitis dignum efficiat. Hæc cùm ita sint in meditatione petendum est, & frequenter petendum, vt sicut singulas considerationes purissimi affectus, ita singulos affectus ardentes postulationes sequantur. Manna filiis Israël non in magna quantitate datum est semel, vt pluribus diebus sufficeret, sed in ea mensura, quæ satis esset ad singulos dies, vt quottidie in cœlum suspicerent, & ab eo panem expectarent. Et Dominus docuit panem ad diem tantùm petere: Panem nostrum quottidianum da nobis hodie; vt scilicet animaduertamus postulationem debere esse frequentem, vt quidquid intellectu bonũ esse viderimus, & voluntate desiderauerimus, in signum humilitatis, immo & in professionem veritatis, qua nouimus nos nihil boni posse, statim ab eo, qui potens est donare, petamus. Hoc est effundere cor in conspectu Dei, quoniam ipsa petitio est quasi quædam cordis expansio, qua possit donata percipere. Sic dixit Anna postquam à Domino filium postulauerat: Effudi animam meam in conspectu Domini. Et Dauid ad postulandum inuitans populum ait: Sperate in eo omnis cõgregatio populi, effundite coram illo corda vestra: Deus adiutor noster in æternum. Meritò autem spem præposuit, quoniam tunc petitio efficacior ascendit, quando ex aliquo bono affectu procedit. Meritò etiã effusio & quasi expansio cordis vocata est, vt celeritas diuinarum miserationum designetur. Simul enim ac petimus, necesse est sinum expandere, in quo aut id quod petimus, aut aliquid nobis conducibilius recondamus.

Exod. 16. 16.

Petitio est cordis effusio.

Præceptũ orandi à Deo impositum nobis, & cur.

Sed mirum valde est quòd Deus velit à nobis orari: & quòd postulationes tanta cura suadeat (quam statim videbimus) immo & præceptum orationis, id est, petitionis imponat. Esse namque huius orationis præceptũ omnes Theologi scholastici cum suo principe Thoma Aquinate vno ore fatentur: quod virtutis religionis præceptum dicunt, & ex eo verbo Domini præcipuè colligunt, quod est apud Matthæum: Petite, & dabitur vobis; quærite, & inuenietis; pulsate, & aperietur vobis. Hócque præceptum, sicut & reliqua diuina & naturalia mandata aliquo tempore obligare aiunt, cùm scilicet graui tentatione pulsamur, à qua non possumus nisi per remedium orationis euadere: cùm graue aliquod negotiũ aggredimur: cùm post lapsum ad gratiam recipiendam disponimur; & pro aliis, cùm eos extrema, aut graui necessitate coangustari videmus: & fortè in aliis euẽtibus, quæ sub hoc nomine temporis necessitatis à Doctoribus comprehenduntur. Quare igitur Dominus hoc nobis præceptum imposuit, & omnino orari & rogari ab hominibus voluit? Nam oratio presè sumta, id est, postulatio, siue petitio ad duo videtur ordinata. Alterum est, vt eũ, quem rogamus, nostræ indigentiæ, quam ignorat, faciamus certiorem. Alterum vt ipsum quasi auersum ad donandum flectamus, & ad miserationem incitemus. Tu verò, ô Domine Deus meus, scis omnia, & sicut non est opus, vt quis te interroget, ita nec vt te roget. Es etiam valde pronus ad miserendum, & donandum, & cùm sis immutabilis, & decretum prouidentiæ tuæ sit infallibile; haudquaquam petitionibus nostris inflecteris. Satis ergo sit nobis te intellectu contemplari, & affectu diligere, ac concupiscere, & ab eo onere, quod honestis hominibus intolerabile est, petendi nos eximere.

Petere ab homine molestiũ maximè.

Petitio illa, qua ab hominibus aliquid postulamus, satis molesta esse solet: quam pudor & erubescentia nos subiiciendi aliis, comitatur, cuius labor sæpe ob impossibilitatem, aut duritiem eius, à quo petimus, euacuatur, quæ non semel cum risu, aut indignatione reiicitur. Verè iuxta dictum Domini, beatius est magis dare, quàm accipere. Immo infœlicitatis plenum est ab hominibus pendere, & ex auarissima eorum manu & donatione viuere. Qui vt stulti illos sibi onerosos & molestos putant, à quibus, cùm ad donandum petitionibus incitantur, ad genus quoddam fœlicitatis prouehuntur. Hinc prouenit, vt honestus pudor homines à petendo retrahat, ne aliis à quibus postulant minùs grati & despicabiles existant. Habent enim cordi infixum, si non verbis, at sensu, illud cuiusdam Poëtæ verissimum apophthegma, quod à Thoma Aquinate ad liberalitatis commendationem adducitur:

Act. 20. 35.

D. Th. 2. 2. q. 117. artic. 4. ad 3.

Si quis in hoc mundo vult multis gratus haberi,
Det, capiat, quærat, plurima, pauca, nihil.

At petitio, qua à Deo aliquid postulamus, iucundissima, & bonorum omnium refertissima est. Quid enim iucundius, quàm hominem à suo factore pendere? quid lætius, quàm seruum vilem se Deo omnium dominatori subiicere? quid facilius, quàm in conspectu illius, qui numquam nos ridet, numquam contemnit, numquam aduersùs petentes indignatur, nostra vota depromere. Petitio ergo qua à Domino aliquid petimus non onus est, sed honor, non vilitas, sed vtilitas, non erubescentia, sed mentis exultatio gratissima. Enimuero hæc causa satis esset, vt intelligeremus, quare Deus velit à nobis rogari, quia nimirum nos vult honore cumulare, vult lætitia & fructibus multiplicibus petitionis afficere. Cupit nos secum habere, & vt ad eum tamquam ad patrem recurramus; & quid fœlicius, & iucundius, quàm manus tam benigni largitoris inspicere? Certè, Domine, licèt te quasi non audire dissimules, licèt votorum nostrorum impletionem differas, licèt dona tua de die in diem interdum protrahas, tamen nescio quid anima sentit, cùm à te aliquid postulat, quod beatius putat à conspectu tuo quasi vacua discedere, quàm à conspectu principum huius sæculi suo voto potitam ad propria repedare. Nescio dixi, sed non omnino ignoro; hæc enim causa quietis animæ à te petentis nec obtinentis supra illum, qui ab hominibus petit, & obtinet, statim sese offert, quod accipit, quę cordi minimè satisfaciunt, quæ illud, quasi spinæ pungunt, quæ sæpius magis nocent, quàm prosint. At anima à te petens licèt non obtineat, quod petit, accipit autem, quod sibi vtilius erit, vel accipit firmam spem obtinendi, vel accipit, quòd Deo se

Petere à Deo iucundissimum est.

Redduntur causæ plures, cur Deus velit rogari à nobis.

Cur beatius sit petere à Deo etiã si nõ obtineatur, quàm obtineri ab homine quod petatur.

subiecit. Nihil autem ita creaturam quietat, ac beat, quàm eam Deo suo subiici, & illi suas miserias aperire, qui scit, & vult, & potest, cùm oportuerit, remedium afferre.

Petitio Deũ honorat Dominúmque profitetur.

Sed præter hanc causſam, sunt aliæ, & quidem maximi momenti, propter quas disposuit Deus, vt ab eo decentia peteremus, & frequenter nostras ei preces porrigeremus, & necessitates, ac miserias, quod ad nos attinet aperiremus. Harum vna est; quia Deus est vniuersarum rerum Dominus, & omnium hominum possessor, & herus; vúltque vt nos homines ei tamquam hero nostro tributa pendamus, vt ipsum omnium bonorum auctorem & fontem profiteamur, vtque illum laudemus, & glorificemus. Postulationes autem sunt tributa, quæ à nobis exegit. Qui enim argento, & auro, & rebus nostris non indiget, hoc subiectionis & vectigalis genere nos sibi submitti præcepit: quo eum bonorum omnium, quæ petimus auctorem, fatemur, & non minima gloria afficimus. Iuxta illud, quod ipse per Dauidem ait: Inuoca me in die tribulationis: eruam te, & honorificabis me.] Hoc est sacrificium, quo vult à nobis Deus & creator agnosci. Et ideo præmiserat: Immola Deo sacrificiũ laudis; & redde Altissimo vota tua:] vel vt Septuaginta habent, preces tuas. O salutare sacrificium, ô vtilissimum non regi cui penditur, sed ipsi à quo penditur seruo vectigal, siquidem dum eo Deum honoramus, nosipsos ineffabilibus diuitiis & donis implemus.

Psal. 49. 15.

Ibid. 14.

Vt Pater tractari vult Deus cũ vult à nobis orari.

Altera ratio est. Quoniam Deus non tantùm Dominus hominum est, sed etiam Pater, qui erga illos viscera Patris habet, & vt filios charissimos diligit. Pater verò præsertim diues & liberalis nihil aliud gratius habet, quàm vt filij sibi charissimi indigentias proprias illi pandant, & quidquid necessarium putant, confidenter petant. Ergo Deus, qui Pater noster est, & diues in misericordia, & ad donandum & parcendum propensus, meritò vult, & iubet, vt nostris miseriis ad eum recurramus, & indulgentiam, & misericordiam, & gratiam, & cætera bona postulemus. Háncque voluntatem Dei propriam esse benignissimi Patris, indicauit Cyprianus his verbis: Qui fecit viuere, docuit & orare, benignitate ea, qua scilicet & cætera dare & conferre dignatus est.] Hinc sunt in Scriptura multæ voces verè paternæ, quibus Deus animam, vt ad se recurrat, & petat, inuitat. Per Michæam ait: Nunc quare mœrore contraheris? numquid rex non est tibi (à quo nimirum libertatem & omnia bona postules) aut consiliarius tuus periit, quia comprehendit te dolor sicut parturientem.] Et per Ieremiam: Numquid resina non est in Galaad, aut medicus nõ erat ibi? (ad quem scilicet pro medicamine nostrarum ægritudinum accurramus;) quare igitur non est obducta cicatrix filiæ populi mei?] nisi quia Patrem, & medicum interpellare distulimus? Et in Ecclesiastico: Respicite filij nationes hominum, & scitote quia nullus sperauit in Domino, & confusus est. Quis enim permansit in mandatis eius, & derelictus est: aut quis inuocauit eum, & despexit illum?] Et Saluator per Ioannem ait: Vsque modò non petistis quicquam in nomine meo: petite, & accipietis, vt gaudium vestrum sit plenum.] Cùm præsens, inquit, eram, multa quidem tum spiritualia, tum corporalia à me postulastis: nunc autem quando discedo, petite à Patre in nomine meo, à quo & maiora recipietis, & eum verum Patrem agnoscetis. Hæ voces à benignissimo Patre proferuntur, vt suum desiderium aperiat, & nos ad postulandum, & cor filiorum habendum inducat.

Cypr. de oratione Domin.

Michæa 4. 9.

Ierem. 8. 22.

Eccli. 2. 11.

Ioan. 16. 24.

Tertia ratio est, quia amator hominum Deus impensè cupit homines honorare, & in magnam sublimitatem euehere. Omnis autem hominum gloria & sublimitas in coniunctione ad Deum, qui noster est vltimus finis, & nostra summa perfectio, posita est. Hanc vt consequeremur, voluit filium suum hominem fieri, vt sic cognationem cum ipso Deo haberemus, & fratres vnigeniti, & naturalis filij eius efficeremur. Qui post resurrectionem suam nos etiam fratres vocauit, dicens Mariæ: Vade ad fratres meos, & dic eis: Ascendo ad Patrem meum, & Patrem vestrum, Deum meum, & Deum vestrum.] Voluit quoque per gratiam ad participationem suæ diuinitatis sublimare. Nam per Christum maxima & pretiosa nobis promissa donauit, vt per hæc diuinæ efficiamur consortes naturæ. Quia verò hæc vnio per gratiam maximè ab alia vnione pendet, qua ad Deum frequenter actibus nostris accedimus, & amore eius incalescimus, voluit nos occasione quottidianarum necessitatum, quas patimur, ad assiduas postulationes adigere, & sic viles homunciones ad suam familiaritatem vocare. Vnde si de falsis diis dixerunt quidam nomine sapientum indigni, quòd hominibus ad illos non patet accessus, nos contradicimus, quòd facta est nobis copia accedendi ad thronum gloriæ veri & magni Dei, vt ab eo conducibilia petamus, & misericordiam & gratiam consequamur, & sic ineffabili gloria & honore cumulemur.

Summa gloria est hominũ Deo per amicitiã coniungi, hanc vt foueret, orationẽ iniunxit Deus. Ioan. 20. 17.

2. Pet. 1. 4.

Quarta ratio est. Nam Deus volens in homines ita sua dona conferre, vt aliquid ipsi ad eorum acceptionem facerent, & quasi nonnihil in eis haberent, quatenus ad illa se disponerent, facillimam ad hoc viam petitionum reperit, statuítque vt qui debito modo peteret impetraret, vt omnem hominibus excusationem ad eum non accedendi præcideret. Si dona Dei auro & argento emenda essent, quid facerent pauperes? Si ieiuniis, & humicubationibus, quid facerent infirmi? Si ciliciis, & flagris, aut longis peregrinationibus, quid facerent imbecilli? At petitionibus & gemitibus coëmuntur, quę habent pauperes, & ægroti, & imbecilles, quia orationibus impetrantur. O summa bonitas Dei, qui tam facilem fecit salutis & perfectionis viam, vt magnam partem eius in assiduis postulationibus constituerit! Iam ô homo nullam accedendi ad Deum tuum excusationem prætendas, ne in te quadret illud prouerbium: Occasiones quærit, qui vult recedere ab amico suo: omni tempore erit exprobrabilis.] In æternum namque tibi probro dabitur, si ad Deum tam largum & benignum in dando minimè per frequentem petitionem accesseris. Dic potiùs cum Dauide: Apud me oratio Deo vitæ meæ, dicam Deo: Susceptor meus es.] Quandoquidem tam facile est mihi orare, & postulare, vt in corde & voluntate mea petitionem meam habeam, non cunctabor eam in conspectu mei conditoris offerre. Non enim vt supplicem Deo, inquit Augustinus, emturus sum de transmarinis locis, aut vt exaudiat me Deus meus nauigabo, vt de longinquo afferam thura, & aromata, aut de grege adducam vitulum, vel arietem. Apud me oratio Deo vitæ meæ. Intus habeo victimam, quam immolem; intus habeo thus, quod imponam; intus habeo sacrificium, quo flectam Deum meum. Sacrificium Deo spiritus contribulatus.] Sic ille. Istud ergo sacrificium promtè offeram, vt bona, quorum indigeo, conquiram.

Prou. 18. 1.

Psal. 41. 9.

Quia omnibus dari sua dona vult Deus, pretium orationes designauit, quas soluere omnes possunt.

August.

Vt prouidētiæ suæ decretum in effectū suauiter axiret, statuit Deus orationē vt medium.

Postrema demum ratio est. Quia licet Deus ab æterno sapientissima sua prouidētia statuerit quid in omnibus rebus,& præcipuè in suis prædestinatis & prædilectis esset futurum, & hoc decretum sit infallibile,cui nemo vmquam resistet,tamen illud suauiter, & per media aliqua exercere disposuit. Vnum autem medium in his quæ ad nos, & interdum ad alios pertinent, sunt orationes nostræ,quibus, & nobis, & illis necessaria, aut vtilia postulamus. Voluit ergo à nobis rogari, vt posito medio orationis nostræ decretum prouidētiæ suæ effectum sortiatur. Statuerat Deus Saram Tobiæ iuniori tradere, & à dæmone eius maritos interficiente liberare. At Angelus præcipit adolescenti, vt orationibus vacet cum ea, vt mediis orationibus fieret, quod ex æternitate dispositum erat. Quam historiam adducens Prosper, hæc pulchra ad propositum subiicit: Quamuis ergo quod statuit Deus nulla possit ratione non fieri, studia tamen non tolluntur orandi, nec per electionis propositum liberi arbitrij deuotio relaxatur:cùm implendæ voluntatis Dei ita sit præordinatus effectus, vt per laborem operum, per instantiam supplicationum, per exercitia virtutum fiant incrementa meritorum;& qui bona gesserint, non solùm secundùm propositum Dei, sed etiam secundùm sua coronentur.] Et ad idem Gregorius ait: Obtineri nequaquam possunt, quæ prædestinata non fuerunt, sed ea quæ sancti viri orando efficiunt, ita prædestinata sunt, vt precibus obtineantur. Nam ipsa quoque perennis gloriæ prædestinatio ita est ab omnipotenti Deo disposita, vt ad hoc electi pro labore perueniant, quatenus postulando mereantur accipere, quod eis omnipotens Deus ante sęcula disposuit donare.] Hæc illi. Sicut ergo non obstante decreto prouidentiæ Dei, quo aliquem saluare decreuit,debet ille media ad suam salutem ponere, & secundùm Dei legem viuere, ita & debet orationibus diuinam miserationem pulsare.

Tob. 6. 18.

Prosp. 2. de vocat. gent. c. 36.

Greg. 1. mor. c. 8.

Nullus ab orando excusatur.

Hinc liquet omnibus tum malis, tum bonis, tum imperfectis, tum perfectis esse postulandum, quia omnes gratia & misericordia Dei indigent, & de manu Domini dona accipient. Samaritana peccatrix erat, cui tamen Dominus dixit: Si scires donum Dei,& quis est, qui dicit tibi: Da mihi bibere,tu forsitan petisses ab eo,& dedisset tibi aquā viuam.] Apostoli iusti erant, qui audiunt à Domino: Et omnia quæcunque petieritis in oratione credentes, accipietis.] Et ipse Christus iustorum caput secundùm naturam assumtam orauit,cui dixit Pater:Postula à me,& dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ.] Si autem omnium est postulatio,quanto magis eorum,qui ad res diuinas meditandas secedunt. Ad hoc enim eas recogitant,vt voluntatem ad bonum afficiant. Quid autem faciet mendicus, qui bonum cognoscit & desiderat, & vires non habet ad consequendum illud, nisi postulare ab eo qui vires subministrat,& bonum ipsum potest tribuere.Mendici sumus omnes in conspectu Dei positi; per meditationem nobis virtutem deesse cognoscimus,per affectum eam ardenter concupiscimus; necesse est ergo, vt tunc quando indigentia se ostentat, & cor desiderio tangitur, eius remedium à Domino postulemus.

Ioan. 4. 10.

Matth. 21. 22.

Psal. 2. 8.

* * *

Quid, & quomodo in Oratione mentali petendum.

CAPVT XIIII.

Petitio duplex generalis, & specialis, hæc propria meditationis.

DVPLEX est petitio, quam ad Deum dirigimus,specialis vna,generalis altera: illa aliquid speciale, vt remissionem peccatorum, vel humilitatem, vel aliquid simile à Domino petimus:ista ad omnia, quæ decent,& ab hominibus dignum est peti,postulanda diffundimur. Videndum est autem, vtra earum ad meditationem pertineat? Et si vim ac naturam meditationis inspexerimus,facile ab hac quæstione nos expediemus. Meditatio namque aliquid scrutatur,atque recogitat,vt exduritie cordis nostri bonum aliquem affectum eliciat; qui,quo specialior est, & ad magis particularia descendens,eo reputatur vtilior. Quia efficaciùs ad opus mouet, in quod tāquam in finem omnis nostra meditatio tendit.Si ergo postulatio affectui respōdet, nam ea postulare solemus, ad quæ per voluntatem afficimur, manifestum relinquitur petitionem specialem propriam esse meditationis. Quod Bernardus clarissimè testatus est, gradus suæ scalæ per recapitulationem repetens. Lectio, inquit, quasi fundamentum primò occurrit,& data materia ad meditationem nos mittit. Meditatio verò quid appetendum sit, diligentiùs inquirit, & quasi effodiens thesaurum inuenit,& ostendit. Sed cùm per se obtinere non valeat, mittit nos ad orationem.Oratio se totis viribus erigens ad Dominum, impetrat thesaurum desiderabilem.] Itaque thesaurum illum specialem, quem meditatione inuenimus, statim calente corde petimus, vt per orationem, siue postulationem, quod nobis necessarium, aut vtile nouimus, à Domino, qui solus potest dare, cùm oportuerit,impetremus.

Bernard. in scala.

Ista igitur, ô iuste, est exercendæ meditationis ratio,vt primùm aliquid recogites, exempli gratia, fœditatem & nequitiam tuorum peccatorum; deinde, vt ea voluntate detesteris, & odio habeas, & de admissione eorum plurimum doleas; postremò vt veniam tantorum scelerum humillimè petas, & omnibus modis, quos affectus dictauerit, iustum iudicem ad misericordiam inflectas. Si hæc tria in quolibet puncto meditationis feceris, & ad hunc meditandi ordinem assueueris,iucundè satis,& vtiliter in meditationem incumbes. Hæc enim varietas intetiorum actuum suauiter euagationes comprimit, & voluntatem ad omne genus virtutis allicit, & ad promerendam diuinam misericordiam apprimè disponit.

In meditatione generali etiā petitione vtendū. 1. Tim. 2. 1.

Et quidem hæc ita sunt. Tamen meditator non ratò petitione generali debet vti. Habeat enim necesse est tempora designata, in quibus sibi, & proximis, & toti Ecclesiæ Dei multa à Deo fonte bonorum petat. Id palàm iubet Paulus: Obsecro igitur primùm omnium fieri obsecrationes,orationes, postulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus, pro regibus, & omnibus qui in sublimitate sunt,vt quietam & tranquillam vitam agamus in omni pietate,& castitate.Hoc enim bonum est, & acceptū coram Saluatore nostro Deo.] Et Iacobus: Orate inuicem vt saluemini.] Interdum etiam in ipsa meditatione amore inflammatus ad multa postulanda non tantùm sibi, sed & aliis impellitur: & eum quem optimum,& suorum bonorum largissimum datorem intelligit, vt in

Iac. 5. 16.

vniuerſos bona ſpiritualia effundat, ardentiſſimè deprecatur. Quando poſtulatio ab hac interna Spiritus ſancti, & ſpeciali motione procedit, ſpiritualis vir regulis ad poſtulandum non eget, niſi quòd ea petat, & eo modo petat, ad quem ſe intellexerit incitari. Quando enim Deus ipſe magiſter eſt, & per ſeipſum ad poſtulandum mouet, ſuperfluè homo documenta ad rectè poſtulandum ſcribet. Sed cùm hoc ſpeciali impulſu, & inflammatione cordis ad petendum non mouemur, ſed deſignatis temporibus ad fundendas petitiones colligimur, tunc aliqua ſunt tum in rebus petendis, tum in modo poſtulandi omnimodis obſeruanda.

Quæ ſint obſeruãda, tum in rebus petendis, tum in modo. Iac. 4. 3.

At certum eſt nihil malum, nihil impurum ab auctore puritatis eſſe petendum. Qui enim mali aliquid, & illiciti petit, aut præpoſtero fine petit, neque id quod poſtulauerit accipiet, iuxta illud: Petitis, & non accipitis, eo quòd malè petatis;] neque à peccato immunis erit. Non ſolùm enim deſiderium mali, quod ipſa petitione comprehenditur, malum eſt, verùm & ipſe auſus petẽdi à Deo quod non licet, eſt temeritatis & irreuerentiæ pleniſſimus. Sed in re tam manifeſta, & in ea tractationis ſerie, qua viros ſpirituales alloquimur, non eſt cur amplius immoremur. Petemus igitur tantùm bona, & non nobis tantùm, ſed & omnibus aliis, qui ſimilium bonorum indiguerint. Si ab eo peteremus, cuius bona finita eſſent, aut cuius animus eſſet ad donandum anguſtus, petere nobis, & aliis, meritò formidaremus, tum ne bona cunctis non ſufficerent, tum ne tam ampla petitio cum, à quo petimus, irritaret. At crumena Dei noſtri indeficiens eſt, & infinita bona capit: cor etiam benigniſſimum eius nihil habet gratius, ac lætius, quàm omnibus dare, & in omnia creata fructus ſuæ bonitatis effundere. Non ergo eſt cur nobis & aliis petere timeamus. Et ſanè faciliùs & abundantiùs obtinemus, cùm fratres participes noſtrarum petitionum efficimus. Vnde Gregorius ait: Quiſquis pro aliis intercedere nititur, ſibi potiùs ex charitate ſuffrágatur, & pro ſe tanto citius exaudiri meretur, quanto deuotiùs pro aliis intercedit. Iure optimo Paulus: Omnia, ait, ſuſtineo propter electos, vt & ipſi ſalutem conſequantur. Et alio loco: Per omnia omnibus placeo, non quærens, quod mihi vtile eſt, ſed quod multis. Ex quo diſcamus laborem deprecandi pro aliis ſuſtinere, & quod eis vtile eſt aſſidua oratione quærere, vt hac amplitudine charitatis cumulum meritorum augeamus. Quod ſanè ex ſententia Nili Abbatis eſt æmulari orationem Angelorum. Iuſtum eſt, inquit, non ſolùm pro purgatione propria orare, ſed etiam pro omnium purgatione, vt morem Angelorum imiteris.

Gregor.

1. Tim. 2. 10. 1. Cor. 10. 32.

Nilus de orat. cap. 37.

Bonorum autem quædam ſpiritualia ſunt, quædam temporalia. Illa primo loco, & ardentiori affectu petenda, quia vera bona ſunt, quia verè bonos nos faciunt, quia ad bonorum cumulum, nempe ad æternam vitam, ianuam aperiunt. Omni tempore, dixit Tobias filio ſuo, benedic Deo, & pete ab eo, vt vias tuas dirigat, & conſilia tua in ipſo permaneant.] Id ergo petendum eſt, vt Dominus opera noſtra in omni virtute dirigat, vt conſilia noſtra, & propoſita intra limites ſuæ voluntatis cuſtodiat, vt à peccatis nos eripiat, vt in omni ſanctitate promoueat, vt filij ſui veros imitatores faciat. De his ſic ſcribit Bernardus: Hæc autem ſunt toto affectu, & omni tempore poſtulanda: hæc ſunt pro quibus inceſſanter, & quàm obnixè poterunt, ad Deum clament deſideria tua, vt habeant gratiam eius bonam, & placere poſſis in oculis pietatis ipſius, & in eo viuas, & moriaris in ipſo, vt gloriam eius videre, & ipſo frui in perpetuum mereari. De his enim dictum eſt: Sine intermiſſione orate. Vnde & Propheta: Exquiſiuit, inquit, te facies mea, faciem tuam Domine requiram. Et alibi: Vnam petij à Domino, hanc requiram, vt inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ.] Sic ille. Quia ergo ad vitam æternam, tamquam ad finem creati ſumus, hæc inprimis petenda eſt, & illa omnia poſtulanda, quibus idonei ad hanc vitã beatam obtinendam efficimur. Hæc autem ſunt virtutes veræ, mandatorum cuſtodia, Chriſti imitatio, & vno nomine omnis ſanctitas, atque perfectio. Hæc igitur priùs & ardentiùs poſtulẽtur, ſine quibus licèt adſint cætera in infœlicitatis barathrum detrudemur, & vitam illam veram, cuius gratia conditi ſumus, numquam comparabimus.

Bernard. ſerm. de quat. modis orandi.

Spiritualia bona primò & ardẽtiùs poſtulanda. Tob. 4. 20.

Nonnulli verò addubitarũt, an ſint à Deo temporalia poſtulanda. Nam Ioannes Caſſianus inter alios, id videtur prohibere. Expoſita enim oratione Dominica, ſtatim ita ſubiungit: Videtis ergo qualis nobis, ab ipſo, qui per illam exorandus eſt, iudice, orationis ſit modulus, & forma propoſita, in qua nulla diuitiarum petitio, nulla memoria dignitatum, nulla potentatus ac fortitudinis poſtulatio, nulla corporeæ ſanitatis, ſeu temporalis vitæ mentio continetur. Nihil enim caducum vult à ſe, nihil vile, nihil temporale æternitatum conditor implorari. Itaque magnificentiæ eius, ac munificentiæ maximam irrogabit iniuriã quiſquis ſempiternis petitionibus prætermiſſis, tranſitoriũ aliquid, & caducum ab eo maluerit poſtulare, & offenſam potius, quàm propitiationem iudicis ſui vtilitate orationis incurret.] Sic ille. At certum eſt temporalia licitè & decenter peti poſſe. Quia ea iure poſtulare poſſumus, quæ abſque peccato deſiderare valemus, vt Auguſtinus cenſuit, & eſt manifeſtum, quia petitio nihil aliud eſt, quàm deſiderij manifeſtatio. Non ſolùm autem ſine peccato, verùm & cum merito temporalia deſiderantur, ſi modus ſeruetur in deſiderio. Ergo non eſt cur minùs licitè poſtulentur. Nec Caſſianus oppoſitum cenſuit, qui poſtulationes temporalium prætermiſſis petitionibus æternorum iuſtè prohibuit.

Caſſian. coll. 9. c. 23. Temporalia licitè peti poſſunt.

Quomodo igitur temporalia petentur, an ſolùm in generali. Nam Socrates apud Valerium Maximum ſtultum eſſe cenſuit aliquid determinatè à Deo petere, quia fortè poſtulabimus quod nobis non expedit. Socrates, inquit, humanæ ſapientiæ quaſi quoddam terreſtre oraculum, nihil vltrà petendum Diis immortalibus arbitrabatur, quàm vt bona tribuerent; quia ij demum ſcirent, quid vnicuique eſſet vtile, nos autem plerumque id votis expetere, quod non impetraſſe melius foret. Etenim denſiſſimis tenebris inuoluta mortalium mens, in quàm latè patentem errorem cæcas precationes tuas ſpargis? Diuitias appetis; quæ multis exitio fuerunt? Honores concupiſcis, qui complures peſſum dederunt? Regna tecum ipſa voluis, quorum exitus ſæpenumero miſerabiles cernuntur? Splendidis coniugiis iniicis manus? At hæc vt aliquando illuſtrant, ita nonnumquam domos funditus euertunt. Deſine igitur ſtulta, futuris malorum tuorum cauſſis, quaſi fœliciſſimis rebus inhiare, téque totum cœleſtium arbitrio permitte; quia qui tribuere bona ex facili ſolent, etiam eligere aptiſſima poſſunt.] At cùm non diſcipuli Socratis ſimus, ſed Chriſti, ab eo docti ſumus aliqua temporalia determinatè poſtulare. Vos autem ſic orabitis. Et inter alia poſuit hæc verba: Panem

Qui modus in tẽporalibus petendũ. Val. lib. 7. c. 2.

Matth. 6. 11.

noſtrum

noſtrum quottidianum da nobis hodie ;] ſalutem quoque corporis à ſe poſcentes non increpauit, ſed benignè incolumitatem carnis conceſſit. Et ſpiritus eius docuit ſapientem in hunc modum: Diuitias, & paupertatem ne dederis mihi, ſed tantùm victui meo tribue neceſſaria.] *Prou. 30. 8.*

Poſſumus itaque temporalia determinatè, & in ſpeciali petere, vt ſanitatem carnis, abſceſſionem triſtitiæ, aut doloris, & quæ neceſſaria ſunt ad mortalis vitæ ſuſtentationem, & alia ſimilia. Si duo tamen in huiuſmodi petitione ſeruentur. Alterum eſt vt petantur ſub cõditione, id eſt, ſi nos ſanos eſſe, aut alacres, aut cum aliis bonis minoribus ad Dei obſequium expediat. Alterum vt primò & præcipuè ſpiritualia petantur, temporalia verò in ordine ad ſpiritualia, & quaſi in additamentum poſtulentur. Secundum quod Dominus mandauit, dicens: Quærite primùm regnum Dei, & iuſtitiam eius, & hæc omnia adiicientur vobis.] *Matth. 6. 33.* Qui enim non ait dabuntur, inquit Gregorius, ſed adiicientur, profectò indicat aliud eſſe quod principaliter datur, aliud quod ſuperadditur. Quia enim nobis in intentione æternitas, in vſu verò temporalitas eſſe debet, & illud datur, & hoc nimirum ex abundanti ſuperadditur. Et tamen ſæpe homines dum bona temporalia poſtulant, æterna verò præmia non requirunt, petunt quod adiicitur, & illud non deſiderant vbi adiiciatur. Nec lucrum ſuæ eſſe petitionis deputant, ſi hîc ſint temporaliter pauperes, vt illic beatitudine diuites in æternum viuant, ſed ſolis, vt dictum eſt, viſibilibus intenti labore poſtulationis renuunt inuiſibilia mercari. Qui ſi ſuperna quærerent, iam cum fructu laborem exhiberent: quia cùm mens in precibus ad auctoris ſui ſpeciem anhelat, diuinis deſideriis inflammata ſupernis coniungitur, ab inferioribus ſeparatur, amore feruoris ſui ſe aperit vt capiat, & capiens inflammat; & ſuperiora amare, iam ſurſum ire eſt; dúmque deſiderio magno ad cœleſtia inhiat, miro modo hoc ipſum, quod accipere quærit, deguſtat.] Hæc ille. Deus itaque in petitione quærendus eſt, & reliqua omnia propter illum, & vt eius voluntas impleatur optanda. Et ſic quando deſideria noſtra differuntur, nequaquam ab oratione ceſſabimus, quia præcipuum, quod deſiderabamus, nempe Deo adhærere, & cum eo loqui, iam obtinemus.

In quacumque autem petitione ſiue bonorum gratiæ, ſiue gloriæ, ſiue huius vitæ, modus tenendus eſt, quem Bernardus optimè inuenit, ſic ſcribens: Porrò petitiones cordis in tribus credo conſtare; nec video quid præter illa quiſque ſibi debeat poſtulare. Duo quidem huius temporis ſunt, id eſt, bona corporis, & animæ, tertium verò beatitudo æternæ vitæ. Nec mireris quòd bona corporis à Deo dixerit eſſe quærēda, quoniam eius ſunt corporalia omnia, ſicut & ſpiritualia omnia bona. Ab eo ergo petendum & ſperandum nobis eſt, vnde poſſimus in eius ſeruitio ſuſtentari. Verumtamen pro neceſſitatibus animæ orandum nobis eſt, & frequentiùs, & feruentiùs, id eſt, pro obtinenda gratia Dei, animæque virtutibus. Sic & pro vita æterna tota pietate, & toto nobis orādum eſt deſiderio, vbi nimirū corporis & animæ plena & perfecta ſit beatitudo. In his ergo tribus, vt cordis petitiones ſint, tria nobis ſunt obſeruanda. Nam & in prima quidem ſuperfluitas, & in ſecunda impuritas, & elatio interdum ſurrepere ſolet in tertia. Nonnumquam enim temporalia quæri ſolent ad voluptatem, virtutes ad oſtentationem. Sed & vitam æternam fortaſſis aliqui non in humilitate quærunt, ſed tamquam in fiducia ſuorum meritorum. Nec hoc dico quin accepta gratia fiduciam donet orandi, ſed non oportet vt in ea conſtituat quiſquam fiduciam impetrandi. Hoc ſolum conferunt hæc præmiſſa dona, vt ab ea miſericordia, quæ tribuit hæc, ſperentur etiam ampliora. Sit ergo oratio, quæ pro temporalibus eſt, circa ſolas neceſſitates reſtricta, ſit oratio, quæ pro virtutibus eſt animæ etiam ab omni impuritate libera, & circa ſolum beneplacitum Dei intenta. Sit ea, quæ fit pro æterna vita, in omni humilitate præſumens de ſola (vt dignum eſt) miſeratione diuina.] Hactenus ille. Atque ex dictis conſtat, quæ ſint in oratione petenda. Id ſolum omittendum non eſt, quòd ſpiritualia feruidè & ex profeſſo petamus, temporalia verò animo reſignato poſtulemus, & citò ab illis nos expediamus, & ne ita in his rebus Deum vrgeamus, ac ſi id quod in temporalibus cupimus magni momenti eſſe cenſeremus. Si enim ſapimus, ſi ſpiritu viuimus, ea quę ad ſpiritum promouendum conferunt, æſtimanda ſunt, reliqua verò vel ad ſolum ſpiritum referenda, vel ſi non multum proſint, timoratè poſtulanda. Hæc enim humilis timoratáque petitio gratiſſima eſt Domino, qui cor petentis reſignatum, & ſibi ſubiectum inſpicit, & propter illud ad concedendum quod petitur, manus ſuæ liberalitatis extendit.

Bernard. ſer. 7. in Quadra. docet modum petẽdi quod libet bonum.

Alius etiam modus conſiderandus eſt ex parte petentis: nam aliquando deſideriis ſolùm, aliquando indigentiæ noſtræ manifeſtatione, quam Hugo Victorinus inſinuationem vocat; aliquando demum aperta & clara petitione poſtulamus. Petimus deſideriis quando in conſpectu Domini aliquod donum deſideramus, & pro eo ſuſpiramus, ac gemimus. Deſideria namque ſunt in auribus Domini validæ voces, illum ad dandum excitantes. Deſiderium pauperum exaudiuit Dominus, inquit Dauid, & ideo audit, quia vim vocis & poſtulationis habet. Et Iob: Quis mihi tribuat auditorem, vt deſiderium meum audiat Omnipotens.] Vera quippe poſtulatio, ait Gregorius, non in oris eſt vocibus, ſed in cogitationibus cordis. Valentiores namque voces apud ſecretiſſimas aures Dei non faciunt verba ſed deſideria. Æternam etenim vitam, ſi ore petimus, nec tamen corde deſideramus, clamantes tacemus. Si verò deſideramus ex corde, etiam cùm ore conticeſcimus, tacentes clamamus.] Et Auguſtinus. Quod ait Apoſtolus: Sine intermiſſione orate. Quid eſt aliud, quàm beatam vitam, quæ nulla, niſi æterna eſt, ab eo qui eam ſolus dare poteſt, ſine intermiſſione deſiderate. Ipſa ſitis terræ, qua veluti aperitur, vt aquam excipiat, vox eius eſt. Et ipſa fames auicularum, qua cibum eſuriunt, clamor earum eſt. Quare ſi apud Dominum deſiderare nouimus, profectò petere non ignoramus.

Deſiderium rei petitio quædam eſt & optima. Hug. lib. de orando Deum, cap. 3.

Pſal. 10. 16.

Iob 31. 35.

Greg. 22. mor. c. 13.

Auguſt. epiſt. 121. c. 9. 1. Theſſ. 5. 16.

Petimus indigentiæ manifeſtatione, quando in conſpectu eius poſiti, qui eam optimè nouit, non vt eum certiorem faciamus, ſed vt nos ad deſiderium ſubuentionis excitemus, miſeriam noſtram narramus, & verbis ſiue interioribus tantùm, ſiue etiam exterioribus aperimus. Talis fuit poſtulatio illorum leproſorum clamantium: Ieſu præceptor miſerere mei.] Et alterius dicentis: Domine ſi vis, potes me mundare.] Et Chananeæ dicentis: Miſerere mei Domine fili Dauid: filia mea malè à dæmonio vexatur.] Et Magdalenæ lugentis: Domine ſi fuiſſes hîc, frater meus non fuiſſet mortuus.] Et filij Prodigi pronunciantis: Pater peccaui in cœlum & coram te, non ſum dignus vocari filius tuus.]

Itẽ manifeſtatio indigentiæ propriæ.

Marc. 9. 29. Matth. 8. 3. Matth. 15. 22. Ioan. 11. 21. Luc. 15. 21.

tuus.] Hi omnes indigentias ſuas, aut ſalutis, aut vitæ, aut indulgentiæ ſolùm manifeſtauerunt, ſed nihil petentes ſatis efficaciter petiuerunt. Quoniam ipſa miſeriæ manifeſtatio petitionem omittens, ex reuerentia, vel fiducia, vel dolore, vel ſimili alio affectu eſt ſapientiſſima quædam petitio.

Eſto tandem petitio determinata rei poſtulatio.

Petimus denique aperta poſtulatione quando aliquid determinatè poſtulamus. Vt cùm rogamus Dominum, vt dimittat nobis peccata, vt virtutes conferat, vt auxilium gratiæ concedat. His ergo tribus modis poſſumus in petitione meditationis vti. Vt ſi flagitiorum noſtrorum tum multitudinem, tum enormitatem conſideraſſemus, poſſumus indulgentiam ſolis deſideriis efflagitare. O ſi numquam deliquiſſem! ó ſi à tantis malis culparum & pœnarum tua Domine miſeratione eſſem liberatus! Vel manifeſtatione noſtræ miſeriæ petere. Vide Domine calamitatem facturæ tuæ, vide ſtragem & excidium animæ meæ, quoniam innumeris peccatis irretitus ſum. Vel clara petitione. Vide humilitatem meam, & laborem meum, & dimitte vniuerſa delicta mea.] Et quomodocumque ex affectu petamus, pinguior erit noſtra meditatio, & non ſine fructu petitio.

Pſal. 24. 18.

De multiplici titulo ex parte Dei, & hominis, quod petitioni adiungitur.

CAPVT XV.

Diuitũ, ac pauperum in petendo diſcrimẽ.

DIVITES huius ſæculi, ſi eos ſuperbia comitetur, petere quippiam ab aliquo erubeſcunt: & ſi petant, non tam rogando, quàm iubendo petunt: & ſi rogent, arroganter rogant, & ſigna aliqua humilitatis præferre neſciunt. Pauperes verò, quia illis humilitas & modeſtia aſſident, ſciunt petitionibus ſuis ea adiungere, quibus quod cupiunt valeant impetrare. Ad hoc ſignificandum legimus in Prouerbiis Salomonis: Cum obſecrationibus loquetur pauper: & diues effabitur rigidè.] Diues, inquam, ſuperbus, ſi reſpondeat pauperi, rigidè & verbis minacibus reſpondebit: ſi aliquo egeat, arroganter ſibi dari iubebit: ſi roget, cùm egere neſciat, & cõditiones humilis petitionis ignoret, vix quod cupit impetrabit. At pauper, quem artem poſtulandi docebit erudita paupertas, petitionibus ſuis obſecrationes adiiciet, & nullum non lapidem mouebit, donec quod optat obtineat. Spirituales viri ſemper ſunt ſpiritu pauperes: hæc autem beata paupertas, cui regnum cœlorum promiſſum eſt, docet eos opportunè & importunè petere, & ita in poſtulatione perſiſtere, & rationes ac titulos ad impetrandum allegare, vt non fruſtrentur voto ſuo. Hæc enim efficaciam petitioni tribuunt, quoniam & deſideria petitorum accedunt, quæ Deus in poſtulãte requirit, & ſacculum cordis in quo petita recondantur aperiunt, & Dominum qui vult rogari, & quaſi argumentis egenorum conuinci, ad erogandum inflectunt. Cùm itaque ad meditationem accurrunt, & cor deſideriis inflammari, & ad puriſſimas poſtulationes virtutis eius, qua indigent, excitari ſentiunt, debent non tantùm ſimpliciter petere, ſed omnia media, quibus petitio ſit efficax, ſolerter adhibere. Diſcant id ex Baruch, qui Ieroſolymam ſic inducit loquentem: Exui me ſtola pacis, indui autem me ſacco obſecrationis, & clamabo ad Altiſſimum in diebus meis.] Stola pacis eſt veſtis pretioſa, ſaccus obſecrationis eſt cilicium, dies vitæ illius ſunt ſeptuaginta anni, quibus captiuitas filiorum ſuorum erat in Babylonia duratura. Exuant igitur illi omnem lætitiam inanem, ſi titulis, quibus diuinam miſericordiam inflectant, ceu ſaccum induant, & toto tempore, quo in hac vita affectus eorum vinculis rerum terrenarum captiui tenentur, poſtulare non deſinant. Sic orabat Salomon antequam à Deo per tot admiſſa flagitia diſcederet. Loquens enim de illa domo verè magnifica, quam in honorem Dei extruxit, ait: Ad hoc tantùm facta eſt, vt reſpicias orationem ſerui tui, & obſecrationem eius (id eſt, quaſi adiurationẽ per ſacra) Domine Deus meus.] Sic clamabat populus Iſraël cùm ob nequitiam Aman excidium omnibus immineret. Omnis quoque Iſraël pari mente & obſecratione clamauit ad Dominum, eo quòd eis certa mors impenderet. Sic tandem iubet Paulus Epheſios poſtulare: Per omnem orationem, & obſecrationem orantes omni tempore in ſpiritu, & in ipſo vigilantes in omni inſtantia, & obſecratione pro omnibus Sanctis.] Sic igitur nobis inſtat petendi & obſecrandi neceſſitas, vt per orationem quaſi per ſcalam cœleſtis ad nos miſeratio deſcendat.

Prou. 18. 24.

Baruch 4.20.

2. Paral. 6.29.

Eſther 13.18.

Epheſ. 6. 18.

Habitus petentis magni refert ad impetrãdum.

Eorum quæ ad inſtantiam orationis conferunt quædam pertinent ad habitum petentis, quædam verò ad rationes, quæ ab ipſo poſtulatore allegantur vt deſiderata conſequatur. Habitum petentis magni eſſe momenti ad aliquid impetrandum ex Scriptura eſt manifeſtum; vbi qui aliquid à Domino efflagitabant, introducuntur cilicio induti, aut ſolo proſtrati, aut quaſi oculis è cœlo ſuſpenſi, vt quod deſiderabant, impetrarent. Si autem ad effectum orationis potens eſt iſte habitus exterior corporis, quem oculis carnis intuemur, multo potentior erit habitus animi, quem Deus præcipuè contemplatur. Induat ergo pia mens ad poſtulandum aliquem ſpiritualem habitum, quo & in ſeipſa petitorum deſideria moueat, & Dominum quaſi ad dandum alliciat. Nunc homo petat à Deo quaſi ſeruus à Domino, à quo ſolo pendet, à quo & victum, & veſtitum, & omnia non ſolùm ad corpus, ſed multo magis ad animam neceſſaria opportuno tempore accipiet. Nunc quaſi ciuis à rege, ad quem omnis gubernatio cœli, & terræ, & eorum omnium, quæ his continentur, ſpectant. Sic deprecatus eſt Mardochæus: Domine, Domine rex omnipotens, in ditione tua cuncta ſunt poſita, & non eſt qui poſſit tuæ reſiſtere voluntati, ſi decreueris ſaluare Iſraël.] Nunc quaſi pauper à diuite: nam Deus, vt ait Paulus, eſt diues in omnes qui inuocant illum. Sic orabat Dauid: Reſpice in me, & miſerere mei, quia vnicus & pauper ſum ego.] Et: Ego mendicus ſum, & pauper: Dominus ſolicitus eſt mei.] Nunc quaſi ægrotus à medico; vt ille qui dicebat: Sana animam meam, quia peccaui tibi.] Nunc quaſi reus à iudice indulgentiam peccatorum implorans; quale eſt iſtud Iob: Qui etiamſi habuero quippiam iuſtum, non reſpondebo, ſed meum iudicem deprecabor.] Nunc quaſi diſcipulus à magiſtro; ita poſtulabat ille, qui dicebat: Doce me facere voluntatem tuam, quia Deus meus es tu.] Nunc quaſi amicus ab amico. Húncque petentis habitum docuit ipſe Dominus in illa parabola hominis euntis ad amicum ſuum, vt accommodaret illi tres panes. Nunc quaſi filius à Patre. Quem modum etiam ipſe Dominus conceſſit iubens vt ſic peteremus: Pater noſter, qui es in cœlis.

Eſther 13.9.

Rom. 10. 12.

Pſal. 24. 16.

Pſal. 39. 18.

Pſal. 40. 5.

Iob 9.15.

Pſ. 142. 10.

Denique ita affectus amoris & fiduciæ ſolet animam poſſidere, vt habitum ſponſæ induat, & quaſi ab ſponſo vtilia petere non erubeſcat. Nam ſic petit anima perfecta in Canticis oſculum pacis, quo veluti arrham cœleſtis fœlicitatis accipiat. Hæc igitur conſideratio, qua homo accedens ad poſtulandum, ſe ſeruum, aut filium, aut mendicum cogitat, & quaſi diuerſum habitum pro qualitate poſtulationis, aut pro ratione ſtatus induit, plurimum valet ad deſiderium accendendum, & ex conſequenti ad impetrandum.

Cant.1. 1.

Ex parte noſtra, Dei, & aliorũ ad obtinendũ quod petitur, deducuntur rationes.

Rationes, quas poſſumus apud omnium conditorem proferre, & poſtulationibus adiungere, ſunt duplices: quædam ſumuntur ex parte noſtra, quædam ex parte Dei, & aliorum, quod ex ipſis humanis petitionibus diſcimus. Nam pauper ſtipem à diuite poſtulaturus, nunc maximam indigentiam, qua premitur, & nuditatem & vulnera oſtendit: nunc apud illum obſequia aliqua ſi habet, aut beneficia in illum collata commemorat (atque hæc ex parte ſua) poſtea verò amicorum, aut filiorum adſtantium fauorem ad obtinendum implorat, & ipſo diuiti decens eſſe dare, & miſeris ſubuenire proclamat. Quatuor ergo ſunt claſſes rationum quas afferre poſſumus, vt à Domino in noſtris poſtulationibus exaudiamur.

Ex miſeria noſtra quæ rationes deſumãtur ad impetrãdum aliquid à Deo.

Prima claſſis continet rationes acceptas ex miſeriis noſtris, quæ ad flectendum cor miſericordiæ plenum, & ad dandum & ſubueniendum pronum plurimum valent. Hæ ſunt, procliuitas ad peccandum ex originali delicto profecta. Ecce Domine in iniquitatibus conceptus ſum, & in peccatis concepit me mater mea.] Multitudo perſonalium peccatorum, & grauitas ac pondus eorum. Quoniam iniquitates meæ ſupergreſſæ ſunt caput meum, & ſicut onus graue grauatæ ſunt ſuper me.] Impetus & furor dæmonum nos perſequentium. Circumdederunt me vituli multi, tauri pingues obſederunt me. Aperuerunt ſuper me os ſuum, ſicut leo rapiens, & rugiens.] Infirmitas & imbecillitas carnis noſtræ: Quoniam lumbi mei impleti ſunt illuſionibus, & non eſt ſanitas in carne mea. Afflictus ſum, & humiliatus ſum nimis: rugiebam à gemitu cordis mei.] Labores & miſeriæ, quibus ab ipſo ortu ſumus ſubiecti. Pauper ſum ego, & in laboribus à iuuentute mea.] Ego in flagella paratus ſum, & dolor meus in conſpectu meo ſemper.] Breuiter nulla eſt miſeria, nulla afflictio, nulla calamitas, quam patiaris, quæ non poſſit in conſpectu benigniſſimi Patris adduci, vt ab eo donum exauditionis accipias. Miſer ſum, Domine, & miſerabilis à parentibus meis in peccato conceptus, ad gemitus & anguſtias natus. Tu, quem nihil latet, vides innumerabilia vulnera peccatorum meorum, quæ animam meam vndequaque circumdant. Vides dolos, & technas, & impulſus aduerſariorum meorum, qui in via hac mortalitatis meæ mille laqueos obtendunt. Vides infirmitatem cordis mei, & dolores & ægritudines carnis meæ, ne me hinc deſolatum dimittas. Concede hanc virtutem, aut hoc donum, quod ſolum peto ad glorificandum te, &c. Sic poteris miſerias tuas effundere coram Domino, vt miſericordiam conſequaris.

Pſal.37. 8.

Pſal.87. 16.

Pſal.37. 18.

Ex bonis quæ diuina gratia fecimus ali-

Secunda claſſis continet rationes petitas ex bonis, quæ per diuinam gratiam feciuus; ad quas allegandas viri ſpirituales aliquando ſe ſentiunt excitari. Quod faciunt non ex tipho ſuperbiæ, ſed ex ſpiritu magnæ humilitatis; non tam vt ſuos labores, quàm vt diuinas miſericordias narrent. Sic orauit Ezechias, & orando quod poſtulabat, promeruit: Obſecro, Domine, memento quæſo, quomodo ambulauerim coram te in veritate, & in corde perfecto, & quod placitum eſt coram te fecerim.] Ad hoc genus orationis refert Abulenſis illud Sapientiæ Salomonis: Tu elegiſti me regem populo tuo, & iudicem filiorum tuorum, & filiarum: & dixiſti me ædificare templum in monte ſancto tuo, & in ciuitate habitationis tuæ altare.] Item & illud Geneſis, quo orauit Iacob: Domine, qui dixiſti: Reuertere in terram tuam, & in locum natiuitatis tuæ, & benefaciam tibi, minor ſum cunctis miſerationibus tuis, & veritate tua, quam expleuiſti ſeruo tuo. In baculo meo tranſiui Iordanem iſtum, nunc cum duabus turmis regredior. Erue me de manu fratris mei Eſau.] Illo autem manifeſtè vſus eſt Dominus ſic Patrem orans apud Ioannem: Pater, ego te clarificaui ſuper terrã, opus conſummaui, quod dediſti mihi vt faciã, & nunc clarifica me tu Pater apud temetipſum, claritate, quam habui prius, quàm mundus eſſet apud te.] Non dedecet in hoc Saluatorem noſtrum imitari, & labores ac preſſuras, quas quis pro ipſo pertulit, apud eum ex ſpiritu humilitatis, ac gratiarum actionis referre. Senſus enim huius orationis eſt: Quandoquidem, ô Domine, tam in me beneficus fuiſti, vt mihi gratiam abundantem dares, qua propter te hæc illa perferrem, aut facerem, da quæſo nunc hoc donum, quod poſtulo, & in hac occaſione erga me beneficus eſto. Ita orauit quidã vir ſpiritualis ex noſtris, in triremibus Hiſpanię ambulãs, vt remiges & milites in officio contineret. Cùm enim duæ triremes, in quarum vna ipſe erat, ferme in manus Turcarum incidiſſent, ſic clamauit ad Dominum: O Deus meus; tu dixiſti: Beatus qui intelligit ſuper egenum, & pauperem, in die mala liberabit eum Dominus. En inter iſtos dego ex obedientiæ iuſſu, vt eos ad te conuertam, & in tot incommodis pro tuo amore laboro: & ecce diem malam, in qua cum his vita, aut libertate perielitor, libera me. Nec fruſtratus eſt voto ſuo: nam Dominus illum & alios à Turcis eripuit, & obedientiam ac miſericordiam eius in pauperes illos, necnon & modum orandi fuiſſe ſibi gratum oſtendit. Sed non eſt ita omnium orare, & illi ſoli modum hunc petendi præſumant, quibus & vitæ perfectio fiduciam dederit, & diuina inſpiratio tale quid inſpirauerit.

quando rationes allegantur, & licitè.

4. Reg. 20.3.

Abulenſ. in 4. Reg. 20.q... Sap.9.7.

Gen.32. 9.

Ioan.17. 4.

Pſal. 40. 2.

Tertia claſſis continet poſtulationes noſtras, quas fulcimus interceſſionibus Sanctorum. Cùm enim illi ſint amici Dei familiariſſimi, quos in aula ſua noſtros aduocatos patronóſque conſtituit, gratum erit illi, ſi propter merita & interceſſiones eorum dona poſtulemus, & quod per nos non poſſumus, per illos impetrabimus. Hac oratione orauit aliquando Moyſes pro populo: Recordare ſeruorum tuorum, Abraham, Iſaac, & Iacob: ne aſpicias duritiam populi huius, & impietatem, atque peccatum.] Eamque Domino gratiſſimam eſſe oſtendit ipſe, dum voluit ab amiciſſimo Iobo poſt calamitatem illam pro amicis eius rogari, qui non parum ſermone deliquerant. Iob, inquit, ſeruus meus orabit pro vobis; faciem eius ſuſcipiã, ne vobis imputetur ſtultitia.] Nunc ergo per interceſſionem vnius ſancti, nunc per interceſſionem alicuius ordinis eorum, nunc per merita omnium aliquid à Deo poſcemus. Poſſumúſque ordinatè eos no-

Poſtulationes in terceſſionibus Sãctorũ ſuſſultæ.

Deut.9. 27.

Iob 42.8.

minare : vt ſi petamus per ſanctitatem & fidelitatem Angelorum ; per zelum & charitatem Apoſtolorum ; per fortitudinem & conſtantiam Martyrum ; per ſolicitudinem & inſtantiam Pontificum ; per ſapientiam & labores Doctorum ; per ieiunia & aſperitates Confeſſorum ; per puritatem & victorias Virginum ; & per merita Sanctorum omnium , & Iuſtorum in cœlo regnantium , vt nobis quod ſecundùm Deum cupimus , concedatur. Interdum poſſumus ad ipſos Sanctos verba dirigere , & eos vt pro nobis intercedant inuocare. Id & humilitatis eſt opus , & fiduciæ magnum incitamentum. Nam cùm Sanctum aliquem in Aduocatum vocamus , optimum profectò mediatorem eligimus , qui (vt inquit Bernardus) ſibi iam poſtulãs nihil, totum in nos transferre deſiderat, & ſupplicantis affectum, & ſupplicationis fructum.] Quòd ſi vnius oratio tãti valoris eſt, quantum valebit apud Dominum vniuerſorum deprecatio , & quid etſi magnum non impetrabit?

Bern. ſer. 2. de S. Victore.

Interceſſio B. Virginis validiſſimũ ad obtinẽda quæque præſidium.

Si verò per interceſſionem Sanctorum Deus noſtra vota ſuſcipit , quàm abundantiùs per deprecationem Reginæ Sanctorum , & totius creaturæ ſuſcipiet ? Rogabimus itaque eam obnixè , vt pro nobis oret , & per merita eius , per dignitatem eius , per pulchritudinem & ſuauitatem eius , & per obſequia , quibus filio in terris degenti ſeruiuit , Dominum exorabimus. Certè repulſam nequaquam patiemur. Si enim Salomon dixit matri ſuæ : Pete mater , neque enim fas eſt , vt auertam faciem tuam.] Chriſtus matri ſuæ ſanctiſſimæ, ac dilectiſſimæ quid dicet ? Et ille quidem poſtquam petitionem matris audiuit, vt Abiſag daretur Adoniæ , eam repulit. Chriſtus autem pientiſſimæ matris poſtulationes non refutabit , ſed noſtra vota complebit. Totis ergo medullis cordium , inquit Bernardus , totis præcordiorum affectibus , & votis omnibus Mariam hanc veneremur , quia ſic eſt voluntas eius , qui totum nos habere voluit per Mariam , hæc, inquam , voluntas eius eſt, ſed pro nobis. In omnibus ſiquidem, & per omnia prouidens miſeris , trepidationem noſtram ſolatur ; fidem excitat , ſpem roborat , diffidentiam abigit, erigit puſillanimitatem. Ad Patrem verebãris accedere , ſolo auditu territus ad folia fugiebas : Ieſum tibi dedit mediatorem. Quid non apud talẽ Patrem Filius talis obtineat ? Exaudietur vtique pro reuerentia ſua : Pater enim diligit filium. An verò trepidas , & ad ipſum ? Frater tuus eſt , & caro tua , tentatus per omnia abſque peccato, vt miſericors fieret. Hunc tibi fratrem Maria dedit. Sed forſitan , & in ipſo maieſtatem vereare diuinam, quòd licèt factus ſit homo , manſerit tamen Deus. Aduocatum habere vis , & ad ipſum ? Ad Mariam recurre. Pura ſiquidem humanitas in Maria , non modò pura ab omni contaminatione , ſed & pura ſingularitate naturæ. Nec dubius dixerim , exaudietur & ipſa pro reuerentia ſua.] Sic ille. Hanc aduocatam habemus apud filium , quia mater eſt; aduocatam apud Patrem , quia filia eſt ; aduocatam apud Spiritum ſanctum , quia ſponſa eſt. Nec Pater talem filiam , nec Filius talem matrem, nec Spiritus ſanctus talem ſponſam repellet , nec nos vacui à conſpectu Domini egrediemur , ſi per hanc Virginem , ac matrem noſtram pia vota obtulerimus.

3. Reg. 2. 20.

Bern. ſer. de Nat.

Ex Chriſto Domino quàm maximè motiua

Quarta claſſis rationes ad petendum & obtinendum continet , quas ex Chriſto noſtro Redemtore deſumimus. Ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris , quem habemus Aduocatum apud Patrem. Ipſe præcepit , vt in nomine eius poſtularemus , vt quod optamus impetremus. Quodcumque petieritis Patrem in nomine meo , inquit, hoc faciam , vt glorificetur Pater in Filio.] Et : Amen, amen dico vobis , ſi quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.] Et : Si manſeritis in me, & verba mea in vobis manſerint , quodcumque volueritis petetis, & fiet vobis.] Poſtulabimus ergo Patrem in nomine Chriſti filij dilectiſſimi ſui , & Saluatoris noſtri : ſcilicet per humilitatem infantiæ eius , per admirandas & multiplices virtutes vitæ eius, per dolores & afflictiones paſſionis eius, per acerbiſſimam mortem eius, per glorioſam reſurrectionem & aſcenſionem eius , per ſanctitatem & benignitatem eius , ac tandem per infinita merita eius. Hæc ac ſi noſtra eſſent offeremus , & verè noſtra ſunt , quia capitis noſtri ; vt deſiderata obtineamus. Nec poſtulabimus quaſi ab ipſo ſeiuncti , ſed vt ei ceu membra colligati : quod & poſtulationes noſtras perficit , & fiduciam adiicit, & celeriùs quod à nobis deſideratum eſt , expedit. Optimè enim , ac ſapienter ſcripſit Auguſtinus: Nullum maius donum præſtare Deus poſſet hominibus , quàm vt verbum ſuum per quod condidit omnia faceret illis caput , & illos ei tamquam membra coaptaret: vt eſſet filius Dei , & filius hominis , & vnus Deus cum Patre , vnus homo cum hominibus ; vt & quando loquimur ad Deum deprecantes , non inde filium ſeparemus , & quando precatur corpus filij , non à ſe ſeparet caput ſuum, ſitque vnus ipſe Saluator corporis ſui Dominus noſter Ieſus Chriſtus filius Dei , qui & oret pro nobis, & in nobis, & oretur à nobis. Orat pro nobis vt Sacerdos noſter: orat in nobis vt caput noſtrum ; oratur à nobis vt Deus noſter.] Hæc ille. Nec ſolùm orabimus Patrem per filium, ſed orabimus etiam ipſum Filium , vt noſtri miſereatur, & orationes à nobis fuſas exaudiat. Nam ſi vt homo apud Patrem cauſſas hominum ſuſcipit , vt Deus & homo poſtulata concedit.

debent ſumi ad exorandum Patrem. Ioan. 14. 13. Ioan. 16. 13. Ioan. 15. 7.

Auguſt. Præfat. ad Pſal. 85.

Demum obſecramus Deum propter ſemetipſum , & propter gloriã & honorem nominis ſui, quod in Scripturis frequentiſſimum eſt. Propter nomen tuum , Domine , propitiaberis peccato meo , inquit Dauid , multum eſt enim.] Et Daniel: Nunc ergo exaudi Deus noſter orationem ſerui tui , & preces eius , oſtende faciem tuam ſuper ſanctuarium tuum , quod deſertum eſt , propter temetipſum.] Et Ieremias : Nec des nos in opprobrium propter nomen tuum , neque facias nobis contumeliam ſolij gloriæ tuæ.] Et ſic ſunt multa alia. Pulſabis ergo ô homo ad ianuam miſericordiæ Dei, & per gloriam diuinitatis eius, per omnéſque perfectiones ipſius , præcipuè verò per benignitatem & propenſionem ad miſerendum , vt tuam petitionem non reiiciat. Hic obſecrationum aſcenſus validiſſimus eſt ad accẽdendum affectum, & ad donum quod petimus impetrandum. Si nimirum primùm miſerias noſtras, & indigẽtias multiplices aperiamus; deinde ſi omnes Angelos, & Sanctos interceſſores innocemus; poſtea ſi B. Virginẽ, & Sanctorum reginam in aduocatam inducamus; rurſus ſi per Chriſtum Saluatorem noſtrum poſtulemus ; ac tãdem ſi vltimum ac fortiſſimum præſidiũ inferamus , quod eſt Deum ipſum propter ſuũ nomen rogare , & ad largiendũ per ſuas perfectiones vrgere. Itaque ſi meditatio noſtræ miſeriæ indagatrix anteceſſerit , & deſiderium inflammauerit , & vehemens poſtulatio obſecrationibus munita fuerit ſubſequuta , non dubium quin ex ora-

Per ſemetipſũ orandus Deus. Pſal. 24. 11. Dan. 9. 17.

Ier. 14. 21.

tione alacres & fortes egrediemur, & ſpem in corde repoſitam exauditionis habebimus.

De cauſſa exauditionis poſtulationum noſtrarum, ſcilicet de fiducia in petendo.

CAPVT XVI.

Ex quibus virtutibus perfecta oratio debet procedere, quibuſq; velut cardinibus impetratio nitatur. D. Thō. 2.2.q.83. art.15. corp. & ad 3.

DONA in meditatione à Deo petimus, hauddubie, vt quod nobis conducibile fuerit impetremus: quare oratio vt poſtulationem continet præter alia bona, quorum eſt diues, vim etiam habet impetrandi. Ipſa namque, vt Thomas Aquinas ſapienter docuit, ſi perfecta ſit, à charitate, & religione, & humilitate, & fide, ac fiducia debet procedere. Charitas in poſtulando bonum finem, nempe gloriam Dei reſpicit, & meritum poſtulationi confert. Religio ipſam poſtulationem elicit, & cultum Dei facit. Humilitas cor petentis Deo ſubiicit, & indigentiam propriam agnoſcit. Fides Deum eſſe potentem ad ſubueniendum credit, & attentionem ac reuerentiam gignit. At fiducia vim impetrandi habet, & quod deſideramus & poſtulamus obtinet. Nam impetratio duobus innititur. Primò quidem gratiæ Dei volentis dare, & nos ad poſtulandum inducentis. Quare Auguſtinus ait: Non nos hortaretur vt peteremus niſi dare vellet.] Et Chryſoſtomus: Numquam oranti beneficia denegat, qui vt orantes non deficiant, ſua pietate inſtigat.] Secundò fiduciæ ex Dei gratia conceptæ, qua ad petendum, & ad feruorem & ſtabilitatem in petendo permouemur. Idcirco Iacobus ait: Qui indiget ſapientia, poſtulet à Deo. Poſtulet autem in fide nihil hæſitans. Qui enim hæſitat, ſimilis eſt fluctui maris, qui à vento mouetur, & circumfertur: non ergo æſtimet homo ille, quod accipiat aliquid à Domino.] Quare diffidens ſimilis dicitur fluctui maris? Quia in poſtulatione erit inſtabilis, & ab ea citò deſiſtet. Et quia ſicut fluctus maris nunc erigitur, nunc verò deprimitur, & aliis fluctibus ſuperuenientibus obruitur: ita qui hæſitat in petendo tentationibus diffidentiæ ſubmergitur, & petitis ac deſideratis vacuatur.

Auguſt. ſerm. 29. de verbis Domini. c.1. Chryſoſt.

Iac.1.5.

Quatuor neceſſaria vt quis à Deo infallibiliter exaudiatur. Ioan.16. 23.

Vt ergo nunc breuiter Doctorum ſententiam circa impetrationem poſtulationis noſtræ colligamus, & quaſi fundamentum ad dicenda iaciamus, quatuor aiunt eſſe neceſſaria, vt quis à Deo infallibiliter exaudiatur, quibus ſtantibus fide certum eſt, ipſum conſequuturum eſſe quod petit. Primum eſt, vt quis pro ſe petat. Dominus enim dixit; Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.] Vobis, inquam, petentibus, ita vt poſtulatores, & ij, pro quibus poſtulatur, ſitis. Exaudiuntur quippe omnes Sancti, inquit Auguſtinus, pro ſeipſis, non autem pro omnibus exaudiuntur, vel amicis, vel inimicis ſuis, vel quibuſlibet aliis. Quia non vtcumque dictum eſt, dabit: ſed dabit vobis.] Et quidem in hoc Doctores vniuerſi conſentiunt. At veroſimile admodum eſt, quemque infallibiliter impetrare quod petit, licèt non pro ſe, ſed pro aliis petat, modò quæ infrà ſubiungemus concurrant. Scriptum eſt enim: Omnis qui petit accipit, & qui quærit inuenit;] nec additum eſt; accipit ſibi, aut inuenit ſibi. Et rurſus: Hæc eſt fiducia, quam habemus ad Deum, quia quodcumque petierimus ſecundùm voluntatem eius, audit nos. Et qui ſcit fratrem ſuum peccare peccatum non ad mortem, petat; & dabitur ei vita, peccanti non ad mortem.] Neque ex hoc ſequitur, quòd ſi quis conuerſionem ad fidem, & ſalutem æternam omnibus infidelibus petat, etiam vt oportet, illi ſint tandem conuerſuri. Quia ſicut ſi quis aliquod ſibi donum petat, ex alia verò parte ſe minus idoneum ad recipiendum faciat, illud non recipit: ita quia infideles ſe idoneos ad fidem & gratiam non faciunt, ideo quod illis poſtulamus, non recipiunt. At hæc oratio pro aliis fuſa aliquando ita valida eſt, vt hi pro quibus petimus à Deo diſponantur, & donis pro ipſorum ſalute à nobis petitis cumulentur. Eſt ergo primum neceſſarium ad impetrandum, vt is, pro quo petitur, ſiue ſit ipſe poſtulans, ſiue alius, ſit rectè diſpoſitus ad recipiendum.

Idoneus fiat ad ſuſcipiēdum qui petit.

Matth. 17.19.

Matth. 21.22.

Marc.9. 22.

Hebr. 4. 16.

Dan. 3. 40. Pſal.90. 14.

Ioan.15. 7.

1.Ioan.3. 20.

Secundum eſt, vt quis piè petat. Ille autem piè poſtulat, qui ex fide, & ſpe, & charitate poſtulationem fundit. Petit ex fide, ſi firmiter credat Deum poſſe dare quod petit: eúmque promiſiſſe ſe daturum quod ab ipſo petitur, & in ſuis promiſſis eſſe veracem, atque fidelem. Huic fidei impetratio promiſſa eſt. Si habueritis fidem ſicut granum ſinapis, dicetis monti huic, tranſi hinc illuc, & tranſibit, & nihil impoſſibile erit vobis.] Et omnia quæ petieritis in oratione credentes, accipietis.] Et illi, qui à ſe filij ſanitatem petebat, dixit Dominus: Si potes credere, omnia poſſibilia ſunt credenti.] Petit ex ſpe, ſi in Deo firmam fiduciā habeat, & quod petit ſe aſſequuturum eſſe confidat. Quare de ſpe legimus: Adeamus cum fiducia ad thronum gratiæ, vt miſericordiam conſequamur, & gratiam inueniamus in auxilio opportuno.] Et apud Danielem: Non eſt confuſio confidentibus in te.] Et in Dauide: Quōniam ſperauit in me, liberabo eum.] Petit ex charitate ſi amicus Dei ſit, gratiámque & verum Dei amorem habeat, & ad Dei gloriam petat. Id enim ſonant illa verba Saluatoris: Si manſeritis in me, & verba mea in vobis manſerint, quodcumque volueritis petetis, & fiet vobis.] Et Ioannes in ſua Canonica: Si cor noſtrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum, & quodcumque petierimus, dabit nobis.] Petit etiam quodammodo ex charitate peccator, qui licèt amicitiam Dei non habeat, tamen de peccatis ſuis, vtcumque dolet, & ex bono fine miſericordiæ Dei aliquid petit. Nam & hoc indicat ſatis apertè Dominus in illa petentis ab amico tres panes: Dico vobis, & ſi non dabit illi, eo quòd amicus eius ſit, propter improbitatem tamen eius ſurget, & dabit illi quotquot habet neceſſarios.] Et eius ſumma benignitas ac miſericordia compellit nos credere, quòd etiam peccatores non qua tales, ſed qua homines miſeros & calamitoſos exaudit, & illis poſtulata concedit.

Piè quis petat ſi obtinere vult, & quid ſit piè poſtulare.

Luca 11. 8.

Tertium requiſitum ad impetrandū eſt, vt quis vitam æternam petat, vel neceſſaria ad illam conſequendam, vel etiam quoquomodo vtilia, & ad animæ ſalutē ordinata. Hoc enim auctore Auguſtino eſt illud quid, quod Saluator dandum à Patre promiſit, dicens: Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.] Nam ſi aliquid malum, aut ſaluti æternæ contrarium poſtulatur, bene nobiſcum agitur, ſi illud non conſequamur. Nec Deus denegans ſuæ pollicitationi deerit. Nam vt Auguſtinus ait: Non petitur in nomine Saluatoris, quicquid petitur contra rationem ſalutis. Similiter, ſi aliquid temporale petas, quod nullo modo ad ſalutem pertinet, non eſt infallibile quod illud conſequeris: quia ſi ad veram vitam

Petēdum eſt quod ad vitā æternam conducit.

Ioan.16. 23.

Auguſt. tract.102 in Ioan.

Auguſt. tract.102 in Ioan.

Matth. 7.8.

1.Ioan.5. 16.

condu

conducibile non est, iam nihil est. At non ob id, quòd petitio tua infallibilitatem impetrationis non habeat, ideo est à postulatione cessandum, quia si secundùm iudicium prudens hominum bonum est quod petis, & ex bono fine petis, forte & illud consequéris. Si verò eximiam quamdam sanctitatem peteres, vt, verbi gratia, Ioannis Baptistę, non est infallibile quòd eam esses adepturus, immo oppositum est certum, quòd numquam illam obtinebis: tum quia numquam ad illam te dispones: tum etiam quia promissio dandi beatitudinem hominibus rectè petentibus eam, intelligitur secundùm mensuram electionis, & prædestinationis diuinæ, quæ immutabilis est. Bonum est tamen ad magnam perfectionem aspirare, & magnam sanctitatem petere, nullam faciendo comparationem cum Sanctis in cœlo regnantibus, quia huiusmodi orationes, & desideria, licèt illam mensuram non obtineant, tamen suo merito & fructu non carent.

Ad impetrandũ perseuerentia in petendo necessaria.

Quartum est, vt quis perseueranter petat. Neque statim obtinemus, quod petimus, quia acceptum est Domino propter vtilitatem nostram, vt in postulando persistamus. Et quia hæc perseuerantia ad impetrandum necessaria est, ideo ad eam sæpe Scripturæ sanctæ nos inuitant. Nam oportet semper orare, & non deficere.] Et: Orationi instate.] Et: Sine intermissione orate.] Et: Multum valet deprecatio iusti assidua.] Et: Qui diligit Deum, exorabit pro peccatis, & continebit se ab illis, & in oratione dierum exaudietur,] id est, in oratione perseuerante, & quottidiana. Tamdiu ergo in petitione perseuerandum est, quousque donum quod petimus, obtineamus; & si vitam æternam cum his conditionibus petierimus, infallibiliter eam adipiscemur: quia promissio Dei deesse non potest. Si autem alia postulauerimus honesta, & virtuti conformia, suo tempore consequemur. Sed quare Deus vult multo tempore perseueranter rogari? Certè vt ad hanc eximiam dignitatem colloquendi cum Deo extollamur. Vnde Nilus Abbas sic ait: Ne petas à Deo imperiosè, quod statim velis impetrare, vult enim te beneficio afficere in oratione perseuerantem. Quid enim excellentius, quàm cum Deo colloqui, & vsu eius detineri?] Certè vt nos ad se trahat. Quare Chrysostomus ait: Nostrum ergo sit opus, continuis insistere precibus, & non ægreferre si differatur quod petimus, sed longanimes esse. Neque enim renuens preces nostras differt, sed hac arte sedulos nos efficiens ad semetipsum attrahere vult.] Tandem vt donorum suorum æstimationem inferat. Et hoc est, quod ait Augustinus: Cùm aliquandiu tardius dat, commendat dona, non negat. Diu desiderata dulcius obtinentur, citò autem data vilescunt. Petendo & quærendo crescis vt capias. Seruat tibi Deus quod non vult citò dare, vt & tu discas magna magnè desiderare.] His ergo de caussis vult Deus importunè à nobis, ac perseueranter orari.

Luc. 18. 1. Rom. 12. 12. 1. Thess. 5. 17. Iacobi 5. 16. Eccli. 3. 4.

Nilus de orat. c. 32.

Chrysost. hom. 30. in Gen.

Aug. ser. 5. de verbis Dom.

Fiducia tribuitur impetratio petitorum, quia sine illa nemo impetrabit.

Licèt autem hæc ita sint, & quatuor ista quæ diximus necessaria sint, vt exaudiamur, & alia nonnulla ad exauditionem conferant, quæ statim subiungemus, meritò tamen fiduciæ vis impetrandi tribuitur, quoniam in ipsa natura postulationis imbibitur. Quis enim vmquam postulauit, sine aliqua spe, aut fiducia obtinendi quod postulat. Et quia fiducia apprimè honorificat Deum, quem bonorum omnium auctorem ipsa postulatione fatemur, & ab eo nos pendere, ab eóque dona obtinere cognoscimus. Et profectò homo non tantùm sibi, sed etiam aliis petens sæpissime obtinet: & peccator si se deiiciat, & coram Deo humiliet, interdum suo voto potitur: & qui semel tantùm postulauit, interdum statim accipit, priusquam secundam petitionem adiiciat. At qui diffidens non sibi sed Deo aliquid petit, quánam ratione impetrabit, cùm ipsa oratione Dei bonitati & fidelitati iniuriam irroget. Re vera, inquit Laurentius Iustinianus, indignus cœlesti benedictione esse conuincitur, qui dubio quærit affectu. Indignum namque est, vt mens dubitatione in oratione frangatur, cùm magnam exauditionis precum suarum habeat materiam. Adest in cœlo Dominus Iesus, hominum mediator, & redemtor, & frater, cui vota funduntur: & qui orat pro nobis voce, affectu, & sanguine, & quam pro nobis assumsit humanitatem offert Patri interpellatricem orationis. Nec repellere quibit fideliter orantem, cùm & ipse sit orans.]

Iustin. in ligno vitæ de orat. c. 4.

Quibus modis fiduciã nostram Christus erexerit.

Et quia tam magni momenti est fiducia ad impetrandum quod volumus, eam Saluator noster multis ac miris modis erexit. Nam primò proposita iudicis iniqui parabola, qui nec Deum timebat, nec homines reuerebatur, & tamen viduæ petenti ius suum dedit, vt se ab illius importunitate & molestia liberaret, ita concludit: Deus autem non faciet vindictam electorum suorum clamantium ad se die, ac nocte, & patientiam habebit in illis.] O efficax persuasio, cui tota pusillanimitas hominum respondere non poterit! Si iudex iniquus importunitate viduæ ad subueniendum vincitur, Deus summè bonus, & sanctus, & ad misericordiam propensus perseuerantia orationum nostrarum ad tribuendum & miserendum non inclinabitur? Christus, inquit Chrysostomus, hanc eiusdem Domini benignitatem ponderans, homines inuitans ad orandum, & vtilitatem hinc proficiscentem commendare volens animis nostris, iudicem quemdam inducit improbum, ac sæuum, qui pudorem omnem ex oculis abiecerat, quíque Dei timorem ex anima propulerat. Atqui satis erat iusti clementísque iudicis personam proposuisse, vt huius iustitia collata cum Dei benignitate, demonstraret quantum valeat deprecatio. Etenim si benignus ac mansuetus homo placidè recipit, qui supplices accedunt, quanto magis idem facturus est Deus, cuius tanta est erga mortalium genus benignitas, vt non solùm nostram excedat intelligentiam, verumetiam maior sit, quàm vt huius magnitudinem Angeli ipsius possint animo complecti? Itaque satis erat, vt dixi, iusti iudicis personam inducere. Nunc autem iudicem proposuit immitem, impium, & inhumanum: in cæteris quidem implacabilem, ad preces verò benignum, ac mansuetum, videlicet vt intelligas, quòd omnis precatio ingenium etiam malum facile ad misericordiam & clementiam pertrahit. Quam igitur ob caussam hoc facit Christus? Ne quis omnium ignoraret quantam vim habeat deprecatio, atque idcirco, postquam iudici omnium immanissimo adhibuisset viduam, eúmque præter naturam ostendisset factum ex improbo humanum, ad Patrem suum parabolam transfert, ad illum, inquam, bonum, mansuetum, mitem, humanum, misericordia sua vincentem peccata mortalium, condonantem errata plurima, tolerantem in se quottidie dicta conuicia, dissimulantem honorem haberi dæmonis, se contumeliis affici,

Luc. 18. 7.

Chrysost. 2. de orãdo Deũ.

filium suum innumeris incessi conuiciis, aliáque ferentem atrocia dicenda pariter, ac silenda: & tamen sic conuiciis affectus adeò mansuetè tolerat. Quòd si viderit, eo quo decet tremore accedentes sibi, an non protinus miserebitur?] Hactenus ille. Si igitur ô homo, peccatis multiplicibus angustiaris, si tentationibus circumdaris, si dæmonibus aduersariis tuis vrgentibus ad malum impelleris, ne quæso desponde animum, sed accurre ad Deum tuum, ac iudicem tuum; non iniquum, sed optimum; non crudelem, sed mitem; non implacabilem, sed affabilem, & benignum. Pete ab eo flagitiorum tuorum veniam, & tentationum victoriam. Roga illum vt te de aduersariis vindicet, crede autem quia non obsurdescet, quia non ad multum tempus suum anxilium differet, sed citius quam cogites te à malis eripiet, & in te, ac per te aduersarios superabit.

Parabola amici idē præstat.

Deinde qui patrem suum iudicem fecit, & ex parabola iudicis non admodum æqui, immo & planè iniqui, quanta sit Dei propensio ad tribuendum patefecit, nó multum erit si eum amico comparauerit. Si amicus, inquit, dormiēs ab altero precibus excitetur, vt sibi tres panes accommodet, principio quidem forsitan se daturum negabit, nolens è lecto surgere, & se ac suos somni quiete priuare. Sed si ille pulsans perseueret, surget profectò, *Luc. 11. 9.* si non amicitiæ gratia, at vt se molestis eius voeibus eximat, & dabit illi quotquot habet necessarios. Si amicus id facit, quid æquum est de Patre meo existimare. Petite igitur ab eo, & accipietis, quia ille amator est ardentissimus, & semper paratus est ad erogandum. Non excitabitis illum, qui numquam dormit, sed magis ille vos excitat, & inuitat, vt ab eo panem vitæ, & quæque *Aug. de orando Deo, ep. 121. c. 8.* opportuna petatis. Optimè sanè hoc ponderauit Augustinus, sic scribens: Ille quoque cui amicus de via venerat, nec quod ei apponeret habebat, ab amico sibi tres panes cupiens commodari, quibus fortasse ipsa Trinitas vnius substantiæ figurata est, iam cum suis seruis dormientem petitor instantissimus & molestissimus excitauit, vt daret ei quantos volebat, magis & ipse vitando tædium, quàm beneuolentiam cogitando: vt hinc intelligeremus, si dare cogitur, qui cùm dormiat à petente excitatur inuitus, quanto det benigniùs qui nec dormire nouit, & dormientes nos excitat vt petamus.] Sic ille. Et Petrus Chrysologus suauissimè, *Chrysol.* vt assolet, sic hanc Dei benignitatem exclamans, declarauit: O quàm dare vult, qui se inquietari taliter, taliter patitur suscitari! O quàm necessitatis esse suæ, quod suæ potestatis est vult videri! O quā pulsanti iste gestiuit occurrere, qui sic secreti sui cubile ipsam collocauit ad ianuā! O quàm negare noluit, qui sibi etiam negantí, qualiter extorqueretur, ostendit! O quàm non ad ianuam tantùm Dominus, sed ipsa ianua fuit! Ego sum, inquit, ianua. Qui dormientibus seruis, pulsantis necessitatem solus & primus audiuit. O quàm pius, quàm misericors, qui quod mandatis docet, probat, & informat exemplis.] Hæc Chrysologus. Postula igitur, ô vir Dei, ab amico tuo, ab eo qui te verò diligit, quidquid opus tibi est, vt perfectè viuas, & ei à quo petis virtutum possessione placeas, & *1. Reg. 1. 27.* quod postulaueris non negabit. Dicéque gaudens cum Anna Samuelis matre: Orani, & dedit mihi Dominus petitionem meam, quam postulaui ei.] Neque enim sustinuit amator verus & optimus me à conspectu eius vacuum exire, & sine fructu meæ orationis repedare.

A Hæc satis superque sufficerent ad fiduciam erigendam, nisi Christus redemtor noster quasi postulationum nostrarum auidissimus efficaciori adhuc eam ratione roborare voluisset. Si vos, inquit, cùm sitis mali nostis bona data dare filiis vestris, quanto magis Pater vester, qui in cœlis est, dabit bona petentibus se.] Deum, Patrem nostrum commemorat esse, vt sic omnem pusillanimitatem ac diffidentiam de medio tollat. Si Pater est, inquit egregiè Petrus Chrysologus, non potest non amare, si amat, nisi quod bonum est dare nescit. Negat Patrem, qui de Patris suspectus est largitate: ignorat se filium, quem data paterna solicitant: totum quod est pietatis excludit, qui salutare non credit, B quidquid dederit Pater: aut quomodo Pater poterit filiis dare mala pró bonis, qui mala sēper paratus est sustinere, qui pro filiis mortem non refugit, pericula non declinat? Ideoque re Deus Patrem fecit, ideo à te voluit hominem procreari, qui vtique quod te de terra fecerat poterat fecisse quamplurimos, sed egit vt generando scires quanta esset generantis affectio, & in te amorem tui tantum probares auctoris, quantum ipse auctor pignoris tuo pignori conaris impendere. Certè non solùm in te quid esset generantis affectio, sentire te Deus voluit, sed in feris, & in pecudibus, & auibus, hoc voluit Deus te videre: quæ cùm de terra produxerit sola iussione, postea laborem sentire compulit C generandi: mutare patrias, loca cubilibus apta conquirere, fœtus locorum difficultatibus communire, gemitibus edere, maximis laboribus enutrire, ac se morti, si natos suos capi viderint, non negare. Vnde si non hominis, vel ferarum comparatione, pecudum similitudine, exemplis auium, disce quanta sit in paterna charitate synceritas.] Sic ille. Pater igitur terrenus mendicus & pauper dat filiis suis quod petunt, & Pater cœlestis diues in misericordia, & omnium bonorum abundans à filiis suis petita negabit? Ille malus non natura sed moribus, aut procliuitate peccandi ad bona largienda filiis naturæ affectione vincitur, & hic bonus, ac ipsamet bonitas, ad bona impartienda paterno amore non incitabitur? Ille qui homo est, D & sit donatione pauperior, si à filiis interpelletur, quod petunt retinere non potest; & hic qui Deus est, & effundendo suas opes non exhaurit, si à filiis rogetur, dare, & eos ditare cunctabitur? Dabit ille sanè bona vera postulantibus, quia dabit spiritum bonum petentibus se. Effundet, inquam, ille *Luc. 11. 14.* in nos quidquid petierimus ab eo, dummodo verum sit bonum, aut ad illum summum, in quod tendimus bonum consequendum expediat. Ac proinde si meditatione, ô iuste, tuam indigentiam cognouisti, si affectibus eius remedium cupiuisti, fidenter à iusto iudice, à fidelissimo amico, à benignissimo & amantissimo Patre, illud quo indiges postula, siue humilitas sit, siue charitas, siue quodlibet aliud, & de prælarga manu eius certissimè expecta. Hæc spes sit velut anchora, cui innitaris, si tentationum & diffidentiæ procella surrexerit. Hæc te alacrem in petendo, & simul perseuerantem ac longanimem faciat, quia si in petendo perstiteris, tandem panem, & piscem, & ouum, id est, quidquid expedierit, consequeris.

Efficacissima tādem ratione roborat, & expenditur ratio. Matth. 7. 11.

Chrysol.

De aliis exauditionis cauſſis.

CAPVT XVII.

LICET

LICET fiduciæ tribuatur noſtrarum poſtulationum exauditio, alia tamen ſunt, quæ ad eam admodum iuuant, de quibus hîc breuiter agendum eſt, vt homo quod in ſe eſt faciat, vt deſideriorũ, & orationum ſuarum fructum obtineat.

Quãtum iuuet ad impetrãdũ quod petitur vitæ sãctitas. Iudith 9. 18. Pſ. 144. 19. Eccli. 35. 20. Iſaiæ 65. 24.

Exaudiuntur igitur, qui bene & ſanctè viuunt: & in omnibus Dei beneplacitum implere geſtiunt. Nam & hos Deus diligit, & dilectionis effectus in illis oſtendit. Vnus autem dilectionis & beneuolentiæ fructus eſt amicorum deſideriis acquieſcere, & eorum poſtulata libenter facere. Humilium, & manſuetorum, ô Domine, ſemper tibi placuit oratio.] Et: Voluntatem timentiũ ſe faciet, & deprecationem eorum exaudiet.] Et: Qui adorat Deum, qui ſcilicet illi puro ac ſimplici corde ſubiicitur, in oblectatione ſuſcipietur, & deprecatio illius vſque ad nubes propinquabit.] Et: Erit antequam clament, ego exaudiam eos; adhuc illis loquentibus ego audiam.] Et Ieremias hãc vitæ probitatem in hominibus quærit, vt à Deo obtineant quod poſtulauerint. Scrutemur vias noſtras, inquit, & quæramus, & reuertamur ad Dominum. Leuemus corda noſtra cum manibus ad Dominum in cœlos.] Scrutari vias, eſt acta noſtra diſcutere; quærere, & reuerti ad Dominum eſt abiectis obliquitatibus peccatorum, viam virtutis ingredi. Leuare corda cum manibus eſt poſtulationes ſanctæ vitæ operibus exornare. Vnde Gregorius ait: Corda verò cum manibus leuat, qui orationem ſuam operibus roborat. Nam quiſquis orat, ſed operari diſſimulat, cor leuat, & manus non leuat. Quiſquis verò operatur, & non orat, manus leuat, & cor non leuat. Iuxta ergo Ioannis vocem, tunc cor fiduciam in oratione accipit, cùm ſibi vitæ prauitas nulla contradicit.] Sic ille. Iuſtitiæ itaque intendendum eſt, vt orationis aditum ad Dei thronum inueniant, & ad nos vacuæ, & pudore ſuffuſæ non redeant.

Greg. 18. mor. c. 5.

Iob 9. 15.

Hæc confortabat patientem Iob, non quidem, vt Deo ſe opponeret, ſed vt eius miſericordiam imploraret. Qui: Etiamſi habuero quippiam iuſtum, inquit, non reſpondebo ei. Sed meum iudicem deprecabor, & non quaſi ex iuſtitia, ſed ex miſericordia mearum poſtulationum fructum conſequar. Quia verò rectitudo vitæ ad impetrandum confert, hinc manifeſtum eſt, quòd maior vitæ puritas, & morum perfectio amplius obtinebit. Et quę cõmunes iuſti ſuis poſtulationibus non impetrant, homines virtute conſpicui, & ſanctitate perfecti conſequentur. Ex quo elicitur, ne timoris ſancti, & reuerentiæ iura violemus, non omnia omnibus eſſe petenda; enitendúmque nobis eſſe, vt tales ſimus, quòd ad magna petenda fiduciam immiſſam habeamus. Deus enim aliter communis virtutis hominem, & aliter virum ſanctum ad poſtulandum inducit: nam quod per illum non faciet, quia ad ſalutem eius minimè eſt neceſſarium, iſto orante, & poſtulante præſtabit. Illius oratio maiora audentis, & illud quod ſupra ſe eſt poſtulantis eſt oratio temeraria. De qua hæc ſcribit Bernardus: Verumtamen ſicut periculum eſt ſi fuerit oratio nimis timida, ſic in contraria parte non minus, imò & maius periculum eſt ſi fortè fuerit temeraria. De his qui ſic orant, audi quid loquatur ad Prophetam Dominus. Clama, inquit, ne ceſſes: quaſi tuba exalta vocem tuam, &c. Quaſi tuba, inquit, quia in ſpiritu vehementi increpandi ſunt temerarij. Me etenim quærunt, qui ſeipſos nondum inuenerunt. Nec dico, vt peccatoribus auferam orandi fiduciam, ſed volo eos orare tamquam gentem, quæ peccatum fecerit, non iuſtitiam. Orent pro indulgentia peccatorum ſuorum in animo contrito, & ſpiritu humilitatis, quemadmodum Publicanus: Deus, inquit, propitius eſto mihi peccatori. Temeritatem enim dico, quando is, in cuius conſcientia peccatum adhuc, aut vitium aliquod regnat, ambulat in magnis & mirabilibus ſuper ſe, minus ſollicitus pro periculo animæ ſuæ.

Non omnia omnibus petenda ne temeraria ſit alicuius oratio.

Bernard. ſerm. 4. Quadra.

Exaudiuntur feruidè orantes, & magnum conatum ſuis poſtulationibus adhibentes. Feruens quippe oratio ex magno deſiderio procedit: & Dominus non tam vocem exteriorem, aut cogitationem interiorem, quàm voluntatis deſiderium inſpicit. Si infans à matre aliquid ſimpliciter petat, ſæpe non accipit: ſi autem cum lacrymis & gemitibus petat, quod petit obtinet. Quia viſcera matris lacrymulis puſilli emolliuntur, vt eum rei petitæ dono conſolentur. Ita & Dominus qui erga nos viſcera Patris habet, vult à nobis non vtcumque ſed ardenter & importunè rogari. Propè eſt Dominus omnibus inuocantibus eum in veritate.] Id eſt, non corde frigido, aut tepido, ſed feruido, & ardenti. Qui enim tepidè orat, in veritate non inuocat: quoniam, ſe illud quod petit deſiderare verbis dicit, & cordis frigiditate contradicit. Et alio loco Dauid ait: Clamaui in toto corde meo; exaudi me Domine.] Quaſi diceret; non eſſem dignus exaudiri, niſi feruenter clamarem, & ardenter orarem, & cuſtodiam tuorum præceptorum exquirerem. De hoc feruore in orãdo ſic ſcribit Climacus: Si vmquam viſibili iudici obnoxius fuiſti, non tibi alia forma iam opus erit, quam imitari debeas dum orationi inſiſtis. Quod ſi neque ipſe reus extitiſti, neque alios examinari perſpexiſti, vel ex infirmorum precibus, quas medicis, dum ſecandi, aut vrendi ſunt, fundunt, huiuſmodi aliquid addiſce.] Enimuero ſi hi vt pœnam euadant, aut ſalutem corporis conſequantur, tanto conatu orant, quo conatu & feruore par eſt nos orare, ſi non terrena, ſed ſpiritualia, & cœleſtia oratione quæramus. Certè ille ægrotus pudefacit nos, qui cùm poſt multos dolores alium acerbiorem experturus, ita orauit vt Auguſtinum in magnum ſtuporem adduceret. Sed feruorem huius orationis tanti Doctoris verbis audiamus. Inde ad orationem ingreſſi ſumus. Vbi nobis ex more genua figentibus, atque incumbentibus terræ, ille ſe ita proiecit, tamquam fuiſſet aliquo impellente grauiter proſtratus, & cœpit orare. Quibus modis, quo affectu, quo motu animi, quo fluuio lacrymarum, quibus gemitibus atque ſingultibus ſuccutientibus omnia membra eius, & pæne intercludentibus ſpiritum, quis vllis explicet verbis? Vtrùm orarent alij, nec in hæc eorum auerteretur intentio, neſciebam. Ego tamen prorſus orare non poteram, hoc tantummodo in corde meo breuiter dixi: Domine, quas tuorum preces exaudis, ſi has non exaudis? Nihil enim mihi videbatur addi iam poſſe, niſi vt expiraret orando.] Et hic quidem corporis incolumitatem impetrauit orãs, & nos animæ ſalutem, & virtutum poſſeſſionem aſſequeremur, ſi eas feruenter & compuncto corde peteremus. Quia tamen tepidiſſimè petimus, non mirum ſi poſt multos dies poſtulationum fructum non inueniamus.

Feruenter orans exaudietur.

Pſ. 144. 18.

Pſal. 118. 145.

Climac. gradu 28.

Aug. 22. de Ciuit. Dei, c. 8.

Exaudiuntur, qui animo reſignato petunt, & voluntatem habent ex vna quidem parte bonum aliquod ardenter deſiderantem, ex alia verò diuinę voluntati conformem. Eorum enim, quæ deſideramus, quædam Deum velle nobis donare ſcimus,

Reſignata debet eſſe voluntas petentis, & diuinæ conformis voluntati, vt voti compos fiat.

qualia ſunt remiſſio peccatorum,infuſio virtutum, & gratiæ ac puritatis augmentum. Et hæc ſimpliciter ſunt à nobis poſtulanda. Alia verò ſunt, quæ an Deus dare velit, & an nobis expediant penitus ignoramus.Huius generis ſunt,conſolatio mentis, ablatio tentationum,incolumitas carnis, & alia ſimilia. Hæc verò cum vera animi reſignatione & ſubmiſſione ſunt petenda: ita vt totum noſtrarum petitionum affectum diuinæ voluntati relinquamus,& ad obtinendum,vel non obtinendum parati ſimus. Reſignationis autem defectus eſt nubes illa aſcenſum noſtræ orationis impediens, de qua Ieremias: Oppoſuiſti nubem tibi, ne tranſeat oratio.] Quem locum tractans Simon de Caſſia, ſic optimè ait:Prohibens penitus eſt, quod tranſitum impedit euntis. Nubes,radiantis Solis ad nos ſæpe B conſueuit tranſitum impedire. Profundi eſt intellectus noſcere illam nubem,quæ ad orationem noſtram ſe obicé facit, & qualiter ſe obiiciat expedit ſcire intentè orare volentem. Luce clarius mentibus hominum illuceſcat bona,vel mala noſtra cogitamina, verba, vel opera nihil habere obſiſtens, quin ante diuinum conſpectum perueniant, etiam antequam fiant, ſed vſque ad Deum tunc tranſire dicuntur, cùm nihil ſecum portant vnde improbentur, tunc verò quopiam obſiſtente non tranſeunt,cùm ſecum ferunt,vnde reprobentur. Nubes autem, quam Deus opponere dicitur, ne oratio tranſeat,orantium eſt ſenſualis,aut retenta voluntas. Non enim Propheta inſolerti, aut improuiſo ſermone locutus eſt, cùm nubem obſtaculum orationis expreſſit. Nam ſicut nubes ex exhalatione C terræ atque paludum efficitur, & viſibus obſtat,ne vſque ad ſuperiora lumina vſitato more perueniant, & luci ſupernæ ne partibus inferioribus ſolitis ſplendoribus fulgeat:ſic ſenſualis, aut retenta voluntas ſurgit ex carne,naſcitur ex terris, prouenit ex placitis, exit ex aſperis toleratis, aut vtique tolerandis; quæ ad ſeipſam eſt,Deum ad ſe quærit inflectere,non ipſa ſubfieri. Quæ niſi à ratione victorioſa vincatur, & in diuinam ſe transferat voluntatem,vt ipſa, non noſtra fiat: nubes obex efficitur,vt ad Deum noſtram orationem tranſire non ſinat. Non tranſit ad Deum oratio,quæ non in ſpe vtili,aut in re reportat optatum. Nubiloſa voluntas eſt, quæ ſuis directionibus inſiſtit, & gaudet, quæ in diuinæ voluntatis ſe non tranſtulit claritatem.Proinde omnis anima pro cœleſtibus certans, cùm oratione effundit ſuam ex animo coram Domino,cùm gratiarum actiones & laudes iure præcedentes exſoluerit:aut nihil diſtinctum poſtulet, aut ſi poſtulauerit diſtinguendo,totum in diuinam traiiciat voluntatem, quoniam ipſe melius nouit omne nobis expediens, quàm feruidus, feruidè orans.] Hactenus ille. Neſcit infans quid ſibi expediat,nec infirmus quid ſibi ſit vtile,in illo ignorantia, in iſto delectabilium appetentia velamen oculis opponente ne vtilia cognoſcãt.Et nos pueri ſenſibus ſumus,& appetitu ſenſualitatis infirmi, & quid nobis eſt conducibile, quid verò noxium, penitus ignoramus. Et verè vt dixit Paulus, quid oremus, ſicut oportet,neſcimus. Ita ergo poſtulemus,vt nó tam quod petimus, quàm fieri diuinam voluntatem petamus. Cor autem ſic regnatum, atque ſubiectum, dicens in veritatè: Fiat voluntas tua,& non mea, ſed tua voluntas fiat; ita Domini benignitatem conciliat, vt niſi noxia,aut inutilia poſtulemus, ea ad nos opportuno tempore adducat.

Thren.3. 44. Simon de Caſſ. lib. 13.c.32.

Exaudiuntur hi, qui humiliter petunt, Deus enim ad donandum, cor in nobis paratum, & vas vacuum, in quo recipiamus, exquirit. Humilitas autem eſt, quæ nos ab omni liquore impuritatis euacuat,& quaſi capacitatem ad recipiendum amplificat. Ad quod verba Guillielmi Pariſienſis ſunt notatu digniſſima. Et ob hanc, inquit, cauſſam gratioſiſſima eſt in conſpectu eius humilitas. Ipſa enim ſemper queruloſa eſt, ſemper mendica, ſemper egena, dum hîc viuitur ſemper ſaccum ſuum vacuum ei oſtendens,& porrigens, ſempérque indigentem ac pauperrimam ſe acclamans, miſeriaſque ſuas immenſas & innumerabiles oculis pietatis ipſius ingerens,non tam oſtentans, quàm vehementi improbitate & importunitate impingens, iuxta cõſuetudines trutannorum, qui ſcabies ſuas, & vlcera, membrorúmque ſuorum corroſiones, nuditatem, cæteráſque miſerias ſuas tanta ſtudioſitate oculis ſpectantium ingerunt, & intueri illas cogunt, vt ſi nullo miſerationis affectu in eo moueantur, neceſſe tamen habeant aliquo beneficio oculos ſuos ab aſpectu tam horrificarum miſeriarum redimere.Habet & aliud gratiæ ſingularis humilitas,videlicet,quòd ſaccus eius,nec hîc impleri poteſt donis largitatis, nec paupertas eiuſdem ditari. Cauſſa autem in hoc eſt, quoniam quanto maiora amplioráque dona recipit, tanto amplius ipſa creſcit. Et propter hoc tanto amplius vacuam & pauperem ſe proclamat. Ipſa igitur quaſi contendit cum immenſitate diuitiarum, & beneficentiæ Creatoris:& dicit audenter:Imple ſaccum paupertatis & vacuitatis meæ, ſi potes Domine Deus meus. Propter hoc igitur,vt prædixi,gratioſiſſima eſt humilitas in conſpectu Creatoris,quoniam occaſiones ei ſemper miniſtrat, largiendi ſimul, & miſerendi, donandi pariter, & prædonandi.] Nec minus digna ſunt quæ notentur verba Laurentij Iuſtiniani,ita enim ait:Nulla namque poteſt eſſe in oratione repulſa,quãdo hæc humilitas deprecantis fuerit ſocia,& orationis præuia. Eo namque mens in oratione erit alacrior, & in contemplatione ſublimior; quo in ſe extiterit abiectior,atque humilior. Propterea ſeruus Chriſti virtutum amator, orationis ſectator humilitatem habeat, humilitatem exhibeat in negotiis, in moribus, & per amplius in orationibus. Quæ virtus cùm animã compleuerit,deiecerit,liquefecerit,tunc incipiet cor dilatari dilectione, irradiari veritate, repleri lumine, perfundi exultatione, iucundari ſuauitate,ſaginari deuotione,eleuari ſpiritu,inebriari iubilo,contemplatione niteſcere, potiri amplexibus, circumdari ſplendoribus,odoribus aſpergi,atque ineffabilibus gaudiis ditari. Hinc ſecretorum oritur reuelatio, ſcripturarum declaratio, futurorum cognitio,ſenſuum corporalium alienatio, cœleſtium donorum medullaris participatio, diuinæ bonitatis adhæſio, & vnitatis ſpiritus beata fruitio.] Hucuſque ille. Homines qui ſecundùm rectam rationem tribuunt, vel ex miſericordia tribuunt,vt miſerorum neceſſitati ſuccurrant:vel ex liberalitate, vt amicis bene faciant: vel ex iuſtitia, vt debitum ſoluant. Omnibus autem his modis Deus veris humilibus poſtulata concedit. Ex miſericordia quidem, quoniam humiles ſuam indigentiam, & multiplicem miſeriem agnoſcunt. Ac proinde vox humilis eſt illa Dauidis:Ego autem mendicus ſum, & pauper; Dominus ſollicitus eſt mei.] Ex largitate verò,quia humiles ſunt Dei amici dilectiſſimi, tamquam ſimiles filio eius de ſe dicenti:Quòd mitis eſt,& humilis corde. Ac tamdem ex iuſtitia in verbo Domini ac promiſſione fundata.Nam ipſe dixit,humiles

Humilitas deprecãtis præcipua ratio eſt cur exaudiatur. Pariſien. de Rhetorica diuina, cap.31.

Iuſtin. in ligno vitæ in peroratione.

Ex miſericordia, liberalitate & iuſtitia Deus humilibus poſtulata concedit.

Pſal.39. 18.

eſſe

esse exaltandos. Donis autem, ac muneribus exaltantur, qui instanter postulare non cessant. Et hominis exaltatio est, si ad Deum pro remedio suarum necessitatum accurrat, & consolatus, ac voto suo potitus ab eius solio discedat.

Per Christum & ipsius nomine petendum.

Exaudiuntur qui petunt per Christum. Ille enim dixit vt peteremus Patrem in nomine eius, vt desiderata consequeremur. Christus est frater noster natu maior, ob cuius merita Pater filiis adoptatis, & minoribus errata dimittit, & postulata concedit. Moyses quidem oraturus Dominum, vt populus Israel de Amalec victoriam reportaret, virgam, qua aperuit mare, & mirabilia patrauit, manibus ad orationem fundendam accepit. Vnde ait ad Iosue: Elige viros, & egressus pugna contra Amalec; cras ego stabo in vertice collis habens virgam

Exod. 17. 9.

B Dei in manu mea.] Quid hoc indicat nisi quòd vir spiritualis aliquid à Domino obtinere cupiens virgam Iesse, id est, Christum Saluatorem in manu teneat, & intellectu atque affectu Patri ostendat, vt per illum non solùm victoriam, sed & quæcumque optata percipiat. Est ergo optimus modus orandi, si per humilitatem Christi petat humilitatem; per eius mansuetudinem, aut charitatem, aut alias similes virtutes postulare non desistat. Si etiam labores & afflictiones iunctas Christi laboribus & afflictionibus offerat: sic enim ista ex plumbeis fiunt aurea, atque valore crescunt: & illæ petitiones repulsam minimè patiuntur. Quod Cyrillus Alexandrinus optimè in hunc modum prosequitur: Præterea ad petendum cum fiducia impellens eos, Amen, amen affirmans dixit, impetrabitis à Patre, quidquid in nomine meo petieritis. In nomine autem meo addidit, vt mediatorem se, & collargitorem ostendat. Nullus enim accedit ad Patrem nisi per Filium. Per quem adductionem habemus ad Patrem in spiritu; vt scriptum est: ideo se portam & viam appellat: Quia, inquit, nemo venit ad Patrem nisi per me. Nam in quantum Filius & Deus est, vnà cum Patre nobis bona largitur. Quod ostendens Paulus dicebat: Gratia vobis, & pax à Deo Patre, & Domino Iesu Christo. In quantum verò mediator est, & Pontifex, & paracletus, nostras preces ad Patrem adducit: ipse enim nobis libertatem atque fiduciã ad Patrem largitur. Orandum igitur est in nomine Saluatoris, si exaudiri à

Cyrillus lib. 11. in Ioan. c. 7.

C

D Patre volumus: vt accipientes, quæ petierimus, spiritali gratia repleti, & prudentiores per spiritum facti, aduersùs sordidas possimus voluptates militare, & ita amore virtutis indies ardentiores & fortiores ad opera sanctificationis facti, retributionis spe gaudeamus, & mæstitia cõscientiæ criminũ depulsa, gaudio Christi mentes nostras repleamus.] Hæc ille. Omnia itaque per Christum petenda sunt, siue magna, siue parua. Nam licèt ipse magnus sit, nequaquam sui contemtum ducit si propter eum parua petamus; quia ab eo qui impensè nos diligit, & propter eum qui summè diligitur, & magna & parua postulare solemus.

Adhibẽdi precatores etiã ij, qui in terris versantur.

Exaudiuntur, qui alios non solùm cœlites, sed etiam ex his qui in terra habitant, secum precatores adhibent. Nam Deus, qui vult rogari, gratius & acceptius habet à multis rogari. Et humilium amator non potest non hoc opus humilitatis probare, & illius intuitu postulata concedere. Nec hoc peccatoribus dumtaxat, verùm & iustis & perfectis dicitur, quorum quanto maior est vitæ sanctitas, tanto in hoc subliminor elucet humilitas. Daniel iustus erat: sed vt interpretatio somnij sibi pãderetur, quid fecit? Ingressus est domum suam,

Dan. 2. 17.

A Ananiæque & Misaëli, & Azariæ sociis suis indicauit negotium, vt quærerent misericordiam à facie Dei cœli super sacramento isto. Quid ais, ô homo, inquit Chrysostomus? Paulus non dixit, mihi non est opus oratione, licèt orantes eo digni non essent: immo nec ipsi pares; & tu dicis, quid mihi opus est oratione? Petrus nõ dixit: Quid mihi opus est oratione? Ait enim: Oratio fiebat sine intermissione ab Ecclesia pro eo, & statim liberauit eum ex vinculis; & tu dicis: Quid mihi opus est oratione? Propter hoc & indiges, quoniam indigere non te credis. Nam si Deus nostrum in oratione torporem & negligentiam exquirat, & quod in eius conspectu positi, & orantes, neque tantum ei præbemus honorem, quantum dominis serui, quantum

Chrysost. hom. 79. ad popul.

B ducibus milites, quantum amicis amici: amicum enim alloquens hoc cum attentione facis, Deo autem pro peccatis occurrens, pro tótque criminibus veniam petens, & rogans tibi remissionem fieri torpes: & genibus tuis humi prostratis, circa forum & domum mentem tuam vagari frequenter dimittis, ore tuo frustrà nugante, & incassum: nec hoc semel, & bis, verùm & frequenter patimur. Si hoc tantùm exquirere Deus voluerit, numquid veniam habebimus? Numquid excusationem assequi poterimus?] Sic ille. Quibus verbis aliam caussam ostendit, propter quam opus est nobis cum precatoribus accersere; quia nimirum orationes nostræ innumeris defectibus sordent, quos & aliorum orationes contegent, & nostra humilitas in eis præmittendis operiet. Deus quidẽ quemlibet iustum gratum habet, sed gratiorem & amabiliorem congregationem iustorum, in qua multi sunt iusti, multi sanctitate perfecti. Meritò ergo credimus, quia quod ille solus non obtinet, hi omnes quasi agmine facto consequentur, & pectus illud Domini non sanè ferreum, sed pietate mollissimum, & ad dandum propensum inclinabunt.

Pœnitentia & eleemosyna orationi adiuncta valde confert. Tob. 12. 8. Dan. 9. 3. Leo ser. 5. de ieiun. decimi mensis.

Exaudiuntur qui postulationibus suis ieiunia, & carnis afflictiones, & eleemosynas adiungunt. Bona est oratio, dixit Angelus Tobiæ, cum ieiunio, & eleemosyna, magis quàm thesauros auri recondere.] Et Daniel orauit in ieiuniis, sacco, & cinere, & sic tẽpus aduentus Domini docente Angelo intellexit. Efficacissima, inquit Leo Papa, pro peccatis deprecatio est, in eleemosynis, atque ieiuniis, & velociter ad diuinas conscendit aures talibus oratio eleuata suffragiis. Quoniam sicut scriptum est, animæ suæ benefacit vir misericors, & nihil vniuscuiusque tam proprium, quàm quod impendit in proximum. Pars enim corporalium facultatum, quæ indigentibus ministratur, in diuitias transit æternas: & illæ opes de hac largitate partiuntur, quæ nullo vsu minui, nulla poterũt corruptione violari. Beati autem misericordes, quoniam ipsorum miserebitur Deus, & ipse erit illis summa præmij, qui est forma præcepti.] Et Ambrosius: Oratio, ait, quę castitatis, iustitiæ, eleemosynarum operibus adiuuatur, excedit mundum, penetrat paradisum, euolat

Ambros. de orat. c. 8.

E vsque ad ipsum summæ maiestatis, Angelo conferente, conspectum, sicut quodam loco vox testatur angelica: Et cùm tu, inquit, orares, ego obtuli orationem tuam, in conspectu claritatis Dei. Beata anima charissima, cuius votum, cuius compunctionis incensum, cuius supplicationis holocaustum nulla infidelitate fumidum, nullo carnalis illecebræ fœtore pollutum, nulla sæuitia cruentum, nulla odij simultate maculatum, sed fide igneum, conscientia nitidum, sinceritate cordis odoriferum, concordia & charitate perfectũ, vsque ad Dei vultum

Tob. 12. 12.

per

per cœlestium nunciorum defertur obsequia.] Hæc illi. Et sane si humano modo in his rebus loqui decet, postulatio iciuniis eleemosyníque circumdata quodammodo ad genus emtionis transit. Opes enim, & corporis labores veluti in pretium eius, quod postulamus, offerimus. Ille autem, qui istarum mercium est cupidus, nec nos repellet, nec sine eo quod petimus diu manere permittet. Nec paupertatem, ô vir Dei, si eam profiteris, obiicias. Nam si argentum & aurum in eleemosynam erogare non possis, habes tamen ministeria tua, habes consilium, quo idiota indiget, & Sacramentorum administrationem, qua peccator opus habet, & hæc ac similia pretiosæ eleemosynæ rationem habent.

Perfecti viri oratio, quæ vim faciat Deo procul dubio exaudietur. Rich. in Cant. c. 15.

Exaudiuntur tandem viri perfecti, quando ad contemplationem & intimam familiaritatem admissi vim Domino suis precibus faciunt. Tunc enim Deus beneuolus illis ostenditur, quia vult impensè rogari, & istarum fœlicium animarum postulationibus flecti. Vnde Richardus expositis pretiosissimis donis, quæ anima in contemplatione percipit, hæc ait: Anima talis quædam postulata obtinet propter fidei suæ magnitudinem; quædam propter profundam humilitatem; quædam per importunitatem. Interdum deuotione, & immensi desiderij feruore Deum cogit. Interdum Deum flectit compositione verborum, & blanda, siue cauta locutione. Interdum ostensa iusta caussa miserendi, & ratione super aliquibus postulatis consolationem accipit: super aliquibus reuelationem; & nunc certam, nunc dubiam, interdum exauditam se intelligit, sed modum nescit. Sic Tobias cognouit se exauditum, sed de modo non est ei reuelatum. Credidit enim hunc esse modum vt moreretur, cùm potiùs vt illuminaretur. In quibusdam Deum propitium fore sperat, eo quòd se in orando præueniri consolatione sentiat, & iuuari. In quibusdam obtinendis sentit Deum oportere flecti, & precibus diuturnis pulsari. In quibusdã experitur eum quærere, & desiderare virum, qui sepem orationis vindictæ eius opponat. In aliquibus verò iræ ipsius non posse resisti agnoscit, etiamsi Moysem & Samuelem in conspectu eius stare contingat.] Hucusque ille. O beata anima, cui datum est in cellam vinariam intrare, & mero charitatis inebriari, & cor sponsæ possidere, & pure ac nudè in omnibus Christi sponsi gloriam quærere. Nam & sibi & aliis postulationis manibus ex Dei thesauris inæstimabiles opes donorum accipiet.

Fides est vnicum solatium iis, qui se nõ exaudiri putant.

His ergo, ô anima, te ad fructum postulationum tuarum obtinendum paraberis, & ab eo, qui occasiones quærit miserendi, non sine magno emolumento tuæ paruitatis exaudieris. Illud tantùm expendito, & te eius notitia consolato, quòd etsi non obtineas quod petis, numquam postulatio tua à conspectu Domini sine fructu discessit. Ais forsitan, nemo mihi respõdet: nihil mihi tribuitur post tam assiduas & feruentes postulationes, nullam vitæ meæ, quam peto emendationem aspicio. Mirum quidem erit, si studio orationis, & assiduitate postulationis te immutatum non sentias. Sed esto quòd ita contingat, & tunc Bernardus hunc nodum soluat. Verumtamen, inquit, quoties de oratione loquor, verba quædam humanæ cogitationis audire mihi videor in corde vestro, quæ & ab aliis frequenter audiui, & nonnumquam expertus sum in corde meo. Quid enim est quòd licèt numquam ab oratione cessemus, vix vmquam experiri videatur aliquis nostrũm, quis sit orationis suæ fructus? Sicut ad orationem accedimus, si redire videmur, nemo nobis respondet verbum, nemo quidquam donat, sed laborasse videmur incassum. Sed quid in Euangelio dicit Dominus? Nolite, ait, iudicare secundùm faciem, sed iustum iudicium iudicate. Quod est autem iustum iudicium, nisi iudicium fidei? Quoniam iustus ex fide viuit. Ergo iudicium fidei sequere; & non experimentum tuum: quoniam fides quidem verax, sed experimentum fallax. Quæ est ergo veritas fidei, nisi quod promittit ipse filius Dei: Quidquid orantes petitis, credite quia accipietis, & fiet vobis. Nemo vestrũm fratres paruipendat orationem suam. Dico enim vobis quia ipse, ad quem oramus, non paruipendit eam. Priusquam egressa sit ab ore nostro, ipse scribi iubet eam in libro suo. Et vnum indubitanter è duobus sperare possumus, quoniam aut dabit quod petimus, aut quod nobis nouerit esse vtilius. Nos enim quid oremus sicut oportet nescimus, sed miseretur ille super ignorantiam nostram, & orationem benignè suscipiens, quod nobis aut omnino non est vtile, aut non tam citò dari necesse est, minimè tribuit, oratio tamen infructuosa non erit.] Hæc ille. Itaque quando expedit dare quod postulamus, differt nonnumquam Dominus effectum desideriorum nostrorum, vt ea quæ petimus, dona esse cognoscamus, vt paratiores ad ea recipienda reddamur, vtque abundantiùs donis petitis cumulemur.

Vtilius aliquid accipimus quã esset quod petimus cùm id quod non expedit denegatur. Chrysost. hom. 79. de orat.

Quando verò non expedit, tunc benigniùs nobiscum agitur, quia aliquid melius, & vtilius, quàm quod petebamus, accipimus. Quia si non exaudiamur ad votum, tamen exaudimur ad meritum. Vnde nulla est ratio cur rei desideratæ defectu tristemur, aut irascamur. Egregiè enim scripsit Chrysostomus. Nam si patres, licèt carnales, non omnino, quæ petunt filij, præbent, non quòd petentes aspernentur, sed quoniam eorum curam gerunt maiorem: multo magis Deus, qui plus & diligit, & plus omnibus nouit, quod nobis expedit, affert. Cùm ergo defeceris orans, & nõ acceperis, cogita, quoties pauperem audisti te petẽtem, & non exaudisti, & indignatus ille non est, nec te contumeliis affecit. Et tu quidem hoc ex crudelitate facis, Deus autem ex benignitate. Si ergo tu conseruum propter crudelitatem non audiens, te dignum accusari non censes, Dominum propter misericordiam seruum non audientem accusas?] Sic ille. Nostram ergo summam vtilitatem perspectam habeamus, sícque magnum ac pretiosum donum ducemus ad Dominum intrasse, ad eúmque verba fecisse. Sed vere Domine, cùm viscera habeas paterna, & dulcedinis ac pietatis plena, numquam postulationes nostras inanes finis abire. Sed aut quod petimus tribuis, aut aliquid melius præparas, quod congruo præbebis tempore. Quod certissimè cognoscemus, cùm in tuas potentias introibimus, & miserationes tuas admirabimus, quibus in nos copiosum fructum nostrarum orationum effundes.

Quare aliquando non exaudiamur, ac de exauditionis indiciis.

CAPVT XVIII.

OGNITIS caussis, quæ ad exauditionem nostrarum postulationum iuuant, facile innotescunt caussæ quare non exaudiamur, nec quod petimus impetre-

Bonau. 7. proceſſu relig. cap. 13. Peccatorum noſtrorum multitudo eſt cauſſa propter quam orantes nõ exaudimur.

mus. Has Bonauentura in vnum collegit;& nos ex eo, & ex aliis eas hîc ſcribemus, vt curæ ſit nobis origines noſtræ ſterilitatis fugare. Prima igitur cauſſa eſt demeritorum & peccatorum multitudo, præſertim ſi quis in illis hæreat, & flagitiorum complacentiam habeat. Bonum quippe eſt, & ex zelo iuſtitiæ profectum, deſideria hoſtium eludere, & eis beneficia denegare. Cùm autem iniqui ſint hoſtes Dei, iuſtè profectò illorum poſtulatio tamquam indigna & ingrata reiicitur. Quare ait Dominus per Iſaiam: Et cùm extenderitis manus veſtras, auertam oculos meos à vobis; & cùm multiplicaueritis orationem, non exaudiam; manus enim veſtræ ſanguine plenæ ſunt.] Et ipſe Propheta alio loco ait: Iniquitates veſtræ diuiſerunt inter vos & Deum veſtrum, & peccata veſtra abſconderunt faciem eius à vobis ne exaudiret.] Iob quoque ait: Ibi clamabunt, & non exaudiet ſuperbiam malorum.] Non ergo fruſtrà audiet Deus, & omnipotens cauſſas ſingulorum intuebitur. Eorum ſcilicet, qui Deum ſuum non audiunt, & ipſius iuſſa contemnunt. Citius enim exauditur, ait Auguſtinus, vna obedientis oratio, quàm decem millia contemtoris.] Nec ſolùm grauia peccata, verùm & leuia, quæ non curamus excutere, exauditionem impediunt: tum ex eo quòd fiduciam & feruorem orationis tollunt: tum etiam, quia Deus ſic hæc delicta, licèt leuia caſtigat, & oculos à petitione illius auertit, qui eius inſtinctibus ad perfectionem vocantibus non obedit. Cordis ergo puritatem ſectemur, quæ fiduciam ingenerat, & Deum puriſſimum ad reſpectum noſtrum, & orationum exauditionem inclinat. Tunc, inquit Iob, leuare poteris faciem tuam abſque macula, & eris ſtabilis, & non timebis. Inter maculas autem, quæ exauditioni obſtant, vna & præcipua eſt, auerſio aduersùs proximum mente concepta. Vnde præcipimur munus ante altare relinquere, & ſi quid frater habet aduersùm nos, abire, & illi priùs reconciliari. Et Gregorius ait: Tunc verè ſine macula faciem leuamus, cùm nec nos prohibita mala committimus, neque ea, quæ in nos à proximis commiſſa ſunt, ex proprio zelo retinemus. Graui namque mens noſtra orationis ſuæ tempore confuſione deprimitur, ſi hanc aut ſua adhuc operatio inquinat, aut alienæ malitiæ ſeruatus dolor accuſat.] Simus ergo concordiæ & pacis amatores, ne diffidium Deum pacis offendat, & eius à nobis miſerationes auertat.

Non ſolùm grauia, ſed etiam leuia peccata noſtra caſtigat Deus nõ exaudiẽdo nos, item non exaudimur quia tepidè poſtulamus. Ierem. 29. 12. Bernard. ſerm. 10. in Cant.

Secunda cauſſa eſt tepor orandi, ac negligentia petendi. Qui enim tepidè poſtulat, videtur quaſi externa tantùm ſpecie poſtulare, & donum, quod petit, pro nihilo ducere. Inuocabitis me, ait Dominus per Ieremiam, & ibitis: & orabitis me, & ego exaudiam vos. Quæretis me, & inuenietis, cùm quæſieritis me in toto corde veſtro.] Profectò ſi in dimidio corde, id eſt, tepidè & negligenter quæſierimus, & poſtulauerimus, non mirum erit, ſi non exaudiamur. Tepiditas quoque fiduciam tollit laudandi & deprecandi, ſine qua, vt dictum eſt, poſtulationes noſtras vacuas manere contingit. De quo iſta præclara legimus apud Bernardum. Duabus, inquit, de cauſſis videtur mihi huiuſmodi animi ægritudo & diffidentia ſolere contingere, aut de nouitate videlicet conuerſionis, aut certè de conuerſationis tepore, etiamſi in conuerſione longum tempus habuerit. Vtrumque profectò humiliat, & deiicit conſcientiam; & inquietam facit, dum ſiue pro tempore, ſiue pro tepore antiquas animi paſſiones necdum in ſe emortuas ſentit: & neceſſe proinde habens reſecandis intendere de cordis

A hortulo ſpinis iniquitatum, & vrticis cupiditatum, longiùs à ſemetipſa euagari non ſinitur. Quid enim? Qui laborat in gemitu ſuo, poterit ſimul, & in die laudibus exultare? Quónam modo in ore gementis & plãgentis ſonabit pariter illud Iſaiæ; gratiarum, ſcilicet, actio, & vox laudis? Nam ſicut a Sapiente accepimus: Muſica in luctu importuna narratio eſt.] Sic ille. Elias oratione orauit vt non plueret ſuper terram, & non pluit annos tres, & menſes ſex. Oratione orauit, id eſt, aſſiduè & feruidè orauit; ideóque quod poſtulauit obtinuit. Sic nobis feruidè & inſtanter orandum eſt, vt feruor & importunitas orationis, quod deſideramus, extorqueat. *Iac. 5. 17.*

B Tertia cauſſa eſt inſtabilitas in orando: ita ſcilicet vt nunc poſtulemus, & ſtatim à petitione deſiſtamus. Oportet namque perſeueranter petere, vt Dei magnitudinem & maieſtatem orationum iteratione profiteamur, qui dabit quando voluerit, & oportuerit, atque ita ei nos humili expectatione ſubiicimus, vt etiam ſit vtilitati noſtræ conſultum: quia vtiliſſimum eſt nobis ad Deum ſubinde recurrere, & ab eo continenti poſtulatione pendere. Perſeuerantiæ igitur defectum exauditioni impedimentum afferre, Dominus ſatis euidenter oſtendit. Et ſi ille, inquit, perſeuerauerit pulſans, dico vobis, & ſi non dabit illi ſurgens eo quòd amicus eius ſit, propter improbitatem tamen eius ſurget, & dabit illi quotquot habet neceſſarios.] Ac ſi diceret; ſi ille non improbè ac perſeueranter petiiſſet, numquam tres illos panes impetraſſet, ſed vacuus in ſuam domum rediiſſet. Nouerat hoc Eliachin ſacerdos tempore Iudith; nam dixit ad populum: Scitote quoniam exaudiet Dominus preces veſtras, ſi manentes permanſeritis in ieiuniis, & orationibus in conſpectu Domini.] Certè Baſilius parabolam illam tractans hominis poſtulantis ab amico tres panes, ſic ait: Si verò propterea quòd à peccato debilior factus, hoc à teipſo impetrare non potes, quin interim dum oras animo ac mente diſtrahare, enitere contrà quantum potes, & ipſe tibimetipſi vim affer, & coram Deo ſtare perſeuera, mentémque tuam in illum defixam tene, ipsámque ad ſeipſam aduoca. Si ita feceris, ignoſcet tibi Deus, quoniam non ex contemtione, ſed ex infirmitate eo modo, quo conueniret, ſtare non vales.] Et poſtea inter alias cauſſas, ob quas non obtinemus hanc, perſeuerantiæ abſentiam inducit. At ſæpe petiui, inquit, neque impetraui tamen. Prorſus quia non rectè petiuiſti, videlicet aut dubitabundus, aut aliud agens, aut quæ tibi vtilia non erant futura. Quòd ſi, & quæ tibi erant vtilia, ſæpe petiiſti, at non perſeuerantiam tamen adhibuiſti. Scriptum eſt enim: In perſeuerantia veſtra poſſidebitis animas veſtras. Et: Qui perſeuerauerit vſque in finem, hic ſaluus erit. Nouit Dominus cor eorum, qui orant.] Sic ille. At tu dices: Quamdiu ſum in oratione perſeueraturus? Certè quouſque tuam poſtulationem admiſſam eſſe rei petitæ obtentione peruideas, aut interiùs ceſſandum tibi à poſtulatione cognoſcas. Nam ſi quæ petis expediẽtia ſint, ea Deus opportunè prębebit, & patienter ſuſtinendus eſt, quia veniens veniet, & non tardabit. Si autem non expediant, & ea pro gloria Dei petas, ipſe ab illa poſtulatione eſſe ceſſandum inſtillabit. Sic dictum eſt Ieremiæ: Tu ergo noli orare pro populo hoc, neque aſſumas pro eis laudem, & orationem, & non obſiſtas mihi, quia non exaudiam te.] Et Samueli: Vſquequo tu luges Saul, cùm ego proiecerim eum ne regnet ſuper Iſraël.] Dicetur

Cauſſa etiã propter quã nõ exaudimur eſt inſtabilitas in orando.

Luc. 11. 8.

Iudith 4. 12.

Baſ. cõſt. monaſt. cap. 2.

Quãdiu petitioni inſiſtendum.

Ierem. 7. 16.

1. Reg. 16.

itaque

itaque tibi aliquando, licèt non eadem certitudine, vt pro aliqua re temporali non ores, & desiderium eam petendi extinctum senties. Et tunc erit à petitione cessandum, & humiliter decretum Domini acceptandum, quia eam rem consequi non expediet.

Aliquot aliæ causæ cur orationes nostræ repellantur. Cur aliquando differatur quod in oratione postulamus.

Aliæ etiam causæ repulsæ orationum nostrarum possunt assignari, vt si quis non bona, aut non conuenientia petat; si non bona intentione, & ob Dei gloriam petat: si absque resignatione & humilitate petat; si orationes aliorum, qui pro eo possunt orare, negligat; si debitam fiduciam omnino (vt diximus) necessariam deponat. Aliquando verò licèt nobis videatur quòd oratio nostra repellitur, non ita est, sed effectus eius iusta ratione differtur, vel vt ad feruētiùs petendum prouocemur, vel vt sanctis desideriis augeamur, vel vt Dei dona pluris æstimemus, vel vt ea cautiùs custodiamus, vel vt synceriùs humiliemur, vel vt alios ad nobiscum petendum incitemus, vel tandem vt aliquid melius & vtilius recipiamus. Numquam igitur postulatio omittenda est, præsertim postquā mens vsu meditationis incaluit, quia Dominus illud certè vult dare, cuius in nobis desiderium accendit.

Indicium exaudi-tionis futuræ adeò vehemēter impelli ad petendū. Rom. 8. 27.

Nec reliquit nos Deus verè misericors sine aliquibus exauditionis indiciis. Indicium namque exauditionis est, & quia sumus adepturi quod petimus, si vehementi aliquo Dei impulsu ad postulandum moueamur. Si enim bonus & benignus dator dare nollet, numquam tantis gemitibus & suspiriis, & tanta compunctione cordis ad petendum incitaret. Qui autem scrutatur corda, ait Paulus, scit quid desideret spiritus, quia secundùm Deum postulat pro Sanctis.] Quia, inquam, gemitibus inenarrabilibus postulare nos facit, ideo Deus scrutator cordium scit approbationis sciētia quod in nobis petit, vt & postulationē approbet, & eius effectum non neget. Et Augustinus ait: Dominus noster Iesus Christus inter nos petitor, & cum Patre dator, non vtique nos tantùm hortaretur, vt peteremus, nisi dare vellet.] Et cùm ille hac forti inspiratione ad postulandum mouet, omnia ad obtinendum necessaria etiam donat, vt fiduciam, humilitatem, resignationem, ac cætera huiusmodi, ne homo suo voto frustretur.

Aug. serm. 29. de verb. Dom. c. 1.

Indiciū exaudi-tionis est insignis fiducia diuinitus accepta. Cassian. coll. c. 31.

Indicium etiam exauditionis est insignis quædam fiducia, quam Deus cordibus iustorum immittit, quáque interiùs illis dicit, quia iam quod petebant obtinuerunt, & citò, aut congruo tempore illud recipient, aut certè iam possident. Huius indicij meminit Cassianus, qui sic scribit: Cùm orantes nos nulla interpellauerit hæsitatio, & fiduciam petitionis nostræ quadam desperatione deiecerit, sed obtinuisse nos in ipsa orationis effusione, quod poscimus, sensérimus, non ambigamus preces nostras ad Deum efficaciter penetrasse. Tantum enim quis exaudiri atque obtinere merebitur, quantum vel inspici se à Deo, vel Deum crediderit posse præstare. Irretractabilis enim est Saluatoris illa sententia: Quæcumque orantes petitis, credite quia accipietis, & venient vobis.] Eiusdem signi meminit Bernardus. Sic enim ait: Ad hæc autem obtinenda, & conseruanda continua appetenda sunt præsidia sedulæ & longanimis orationis: in qua tanta sit fides vt speret omnia: tanta deuotio vt Deum videatur cogere: tantus amor, vt omnia, quæ petit in ipsa oratione se sentiat obtinere: tam benigna humilitas, vt in omnibus non suam, sed Dei voluntatem in se fieri præoptet.] Enimuero aliquando hæc fiducia eousque

Bernard.

Quousq; iustorum fiducia in petendo procedere soleat.

A solet procedere, vt ante doni petiti assecutionem ad agendas gratias pro eo, ac si iam obtinuerimus, moueamur. Sic Dominus secundùm eam naturam, quam pro nobis induit, ante suscitationem Lazari gratias pro ea retulit, dicens: Pater, gratias ago tibi quoniam audisti me.] Quia nimirum meam voluntatem suscitandi Lazarum in testimonium diuinitatis meæ probasti, & voce mea id fieri iam ab æterno decreuisti. Sic Bernardus illud genus orationis, quod Paulus gratiarū actionem vocauit, exposuit: Est enim ex sententia illius hæc oratio admodum pretiosa. Multam enim, inquit, prorsus gratiam inueniet apud Deum, quem iuxta promissionem suam exaudit, antequam inuocetur; & testimonium reddet spiritui eius B spiritus, quem habet ex Deo, quoniam exauditum est desiderium eius, ita vt certus, iam non orare, sed gratias agere possit.] Hoc signum exauditionis non conceditur omnibus, immo aliquando exaudiuntur, licèt se auditos esse ignorent. Iob enim ait: Et cùm inuocantem exaudierit me, non credo, id est, non sentio, quòd audierit vocem meam.] Quia mens, vt Gregorius ait, ex ipsa sua mutabilitate fit trepida, & per hoc quòd nolens patitur repulsam se abiectámque suspicatur. Aliqui ergo eorum, qui exaudiuntur, hoc nesciunt, alij verò id quasi accepto interiùs fiduciæ responso, cognoscunt. Sic nouit Anna mater Samuelis se fuisse exauditam, cuius vultus post orationem, C quam susceptam credidit, non sunt amplius in diuersa mutati. Sic nouit & Virgo Deipara, cùm vinum ad subueniendum inuitatis postulauit. Si enim id non nouisset, non vtique ministris diceret: Quodcumque dixerit (scilicet filius meus) vobis, facite.] Sic & interdum viri spirituales etiam inferioris notæ cognoscunt, quia antequam clament, exaudiuntur à Domino, & quod petierunt impetrarunt.

Ioan. 11. 42.

Bernard. serm. de quatuor modis orandi.

Exaudiuntur aliqui & exauditos se esse ignorāt. Iob 9. 16. Greg. 9. mor. c. 11.

1. Reg. 1. 18.

Ioan. 2. 5.

Indicium tandem aut exauditionis, aut quòd aliquando exaudiemur est perseuerantia in feruidè orando, quoquomodo à Domino orantes aspiciamur. Vt enim Bonauentura sapienter annotauit, affectus orantis multis variisque modis respectum Dei sibi repræsentari sentit. Aliquando namque iustus orat, & quasi videtur sibi quòd Deus nec illum attendere, nec audire dignetur. Dicítque: Auertisti faciem tuam à me, & factus sum conturbatus.] Et: Ecce clamo ad te, & non exaudis; sto & non respicis me.] Aliquando sibi Deus implacabilis & iratus apparet. Ac propterea addit: Mutatus es mihi in crudelem, & in duritia manus tuæ aduersaris mihi.] Et: Multitudo viscerum tuorum, & miserationum tuarum continuerunt se super me.] Aliquando quasi aliis intentus, & occupatus Deus, orantem non aspicere cogitatur. Cogitúrque dicere: Exaudi Deus orationem meam, & ne despexeris deprecationem meam; intende mihi, & exaudi me.] Et: Verba mea auribus percipe Domine, intellige clamorem meum.] Inquires tamen an hæc sit imaginatio tua, an potiùs mera veritas, quòd ita scilicet à Deo respiceris? Ad hoc optimè Bonauentura respondet: Aduertendum est quòd ista pauida mentis imaginatio, qua durum & austerum sibi proponit Deum, qui mitis & benignus est, & in charitate pius & misericors est, aut est deceptæ mentis propria confictio, qua format sibi dolum pro eo quod non est ipse, aut est dispensata permissio ad terrendum, & humiliandum, & corrigendum, vel purgandum animam, quo postmodum suauis sapiat ei benigna Dei respectio, sicut

Indicium itē exauditionis perseuerantia in orando feruidè. Bonau. 7. processu, c. 10. Psal. 29. 8. Iob 30. 20. Iob 30. 21. Isaiæ 63. 15.

Psal. 54. 2.

Psal. 5. 2.

poſt expertam amaritudinem, deſiderabiliot fit dulcedo.] Eſt itaque hæc cogitatio noſtra permiſſio, aut ordinatio Dei, vt fidelitatis noſtræ, & perſeuerantiæ in petendo quaſi experimentum capiatur, & ad recipiendum indiſpoſitio purgetur.

Aliquando videtur Deus benignè in poſtulationem intendere, ſed nos quaſi abſque reſponſione relinquere. Idque ſignificat illud quod ex Iob ſuprà retulimus. Cùm inuocantem exaudierit me, non credo quòd exaudierit vocem meam.] Aliquando tandem videtur Deus benignè orantem reſpicere, & poſtulationi aſſenſum præbere. Quod ſignum exauditionis iam diximus, iuxta illud: Qui non hæſitauerit in corde ſuo, ſed crediderit, quia quodcumque dixerit fiat, fiet ei.] Cùm ergo tot ſe nobis offerant reſpectus Dei ad nos, credimus ſignum exauditionis eſſe. Si quando iuxta noſtram cogitationem repulſam patimur, adhuc in oratione perſeueramus. Neque enim Dominus ita ex vna parte probaret, & affligeret, & ex alia ſtabilitatem in petitione tribueret, niſi quod petimus dare vellet. Chananæa profectò repulſam pertulit, & audiuit verba illa duriſſima: Non eſt bonum ſumere panem filiorum, & mittere canibus, at perſeuerans filiæ ſanitatem impetrauit. Ita cùm in ariditate, & afflictione, adhuc poſtulando perſeueramus, ſignum eſt quod obtinebimus.

Iob 9.16.

Marc.11. 23.

Signum aliud exauditionis.

Duodecimus comes orationis, Lacrymæ.

CAPVT XIX.

Lacrymarum duplex cauſa neutra ſpiritualis.

Lacryma virorum ſpiritualium donũ Dei.

Lib. medit.c.36.

Obnixè petiit Auguſtinus lacrymarum donum.

MEDITATIONIBVS, affectibus, & poſtulationibus, cœlo deſuper animam irrigante, lacrymæ ſolent adiungi, quarum effuſio riſu huius ſæculi longè ſuauior ipſam animam exhilarat, & omni virtute fœcundat. Mittamus nunc lacrymas, quas aut impurus aliquis affectus profert, aut teneritudo naturæ aliquorum educit. Harum illæ malæ ſunt, iuxta qualitatem illius, ex qua profluunt, fontis impuri: iſtæ mediæ, quas lugentis animus ſecundùm lamenti cauſſam poteſt in bonum vertere, vel in malum commutare. Has igitur duplices lacrymas ab hac tractatione reiiciamus, illas, quia impuras; iſtas, quia à molli quadam, & tenera natura profectas: & ad ſpiritum, & perfectionis amorem minimè pertinent: & ſolùm de bonis lacrymis à diuina gratia manantibus inſtituamus ſermonem. Iſtæ lacrymæ donum Dei ſunt, ad cuius obtentum Eccleſia peculiarem orationem inſtituit. Et Auguſtinus illud ſic inſtanter petit: Rogo te per illas benigniſſimas tuas lacrymas, & per omnes miſerationes tuas, quibus mirabiliter nobis perditis ſubuenire dignatus es, da mihi gratiam lacrymarum, quam multum deſiderat & appetit anima mea, quia ſine dono tuo non poſſum habere eam, ſed per Spiritum ſanctum tuum, qui dura peccatorum corda mollit, & ad fletum compungit. Da mihi gratiam lacrymarum, ſicut dediſti patribus noſtris, quorum veſtigia debeo imitari: vt plangam me in omni vita mea, ſicut ipſi planxerunt die, ac nocte. Propter merita & orationes eorum, qui tibi placuerunt, & deuotiſſimè ſeruierunt, miſerere mei indigni ſerui tui, & da mihi gratiam lacrymarum. Da mihi irriguum ſuperius, & irriguum inferius, vt ſint mihi lacrymæ meæ panes die, ac nocte, efficiárque in conſpectu tuo per ignem compunctionis holocauſtum pingue, & medullatum: macter totus in ara cordis mei, & tamquam pingue holocauſtum aſſumar tibi in odorem ſuauitatis. Da mihi fontem irriguum, & perſpicuum, in quo lauetur aſſiduè illud inquinatum holocauſtum. Tribue mihi gratiam lacrymarum præcipuè ex multa dulcedine amoris tui, & commemoratione tuarum miſericordiarum.] Ipſiſque diuina conſolatio promiſſa eſt. Nam: Beati qui lugent, quoniam ipſi conſolabuntur.] In quo benigna Domini miſeratio erga ſuos non parum elucet. Has enim dulces lacrymas animæ conſolatrices fecit, & illis conſolationem numquam perituram promittit. Itaque ô anima ſi lacrymis irrigata fueris, vel in hoc erit tuum gaudium mundanorum gaudio fœlicius, quod illi labore, & dolore, & ſolicitudine, & magnis impenſis gaudium mercantur, tu verò conſolatione, conſolationem aſſequeris. Nam lacrymæ iſtæ, quas rerum diuinarum meditationes, & ſancta deſideria, & donorum cœleſtium poſtulationes inſtillant, ipſæ per ſe indicibili quadam conſolatione, & ineffabili dulcedinis ſapore replentur. Cœlum non ſemel obſcuræ nubes obducunt, & quaſi triſtitia ac mœrore perfundunt, ſed ſimul atque incipiunt in pluuiam reſolui, incipit cœlum clareſcere, & finita pluuia lætiſſimam faciem mortalibus non moratur oſtentare. Ita, ô iuſte, ſi deſideria tua, quibus deſideras ſiue à malis liberari, ſiue cœleſtibus bonis cumulari, ſiue diuino conſpectu perfrui, in lacrymas deſinant, earum profuſio mentem exhilarat, & ceſſante fletu mira tranquillitate & gaudio fœcundat. Lacrymarum ergo inſtillatio animæ conſolatio eſt, & in præmium huius conſolationis conſolationem accipies, non quamcumque, ſed illam, quæ riſus dici mereatur. Beati enim, qui nunc fletis, quia ridebitis. Non ſolùm intus gaudebitis, ſed & exteriùs ridebitis, vt quia totum hominem mœror lacrymarum oppleuit, totum etiam hominem lætitia poſſideat: & os, quod fletus contraxit, ſanctus riſus exultatione dilatet.

Matth.5.

Luc. 6. 21.

Mens hominis ad cœleſtia conuerſatione tendentis hortus eſt Dei. Ad quem Sponſa, id eſt, fidelis anima, ſponſum inuitat, dicens: Veniat dilectus meus in hortum ſuum, & comedat fructus pomorum ſuorum.] Nec eſt audax anima, ad ſuum hortum, & ad fructus virtutum, ſiue bonorum operum Chriſtum inuitans, eum ſcilicet, qui aperit manum ſuam, & implet omne animal benedictione: & in quo oculi omnium ſperant, & ipſe dat illis eſcam in tempore opportuno. Non, inquam, eſt audax, quoniam hortus iſte ſuus etiam eſt Dei. Cuius vox ſtatim ſubiungitur: Veni in hortum meum ſoror mea ſponſa.] Quare anima Deum non ad hortum à ſe conſitum vocat, ſed ad illum quem ipſe conſeuit, & excoluit, & fructificare fecit, inuitat. Et eſt ac ſi diceret: Poſtquam me Dominus viridarium ſuum fecerit, & floribus ac fructibus cumulauerit, quod ipſe plantauit, & auxit, metat, & vniuerſa quæ in me contulit in ſuam gloriam cedant. Horto autem duplex irriguum neceſſarium eſt, alterum è cœlo deſcendens, alterum ab ipſa terra profluens, vt vicem primi illius ſuppleat, quando cœlum quaſi ferreum, vel æneum factum, pluuiam in

Cant.5. 1. Hortus animæ lacrymis irrigatur.

Pſ.144. 15.

Cant.5. 2.

Gratia irriguum cœleſte, lacrymæ verò quaſi terreſtre.

se contineat, & flores ac fructus rigare desinat; sic & anima duplici aqua eget, vt floreat, & fructus in oratione proferat. Illa cœlestis est gratia animam, & omnes vires eius infundens: ista terrestris sunt lacrymæ terram cordis emollientes, immo & ad illam præparantes. Quæ licèt ex gratia procedant, aliam tamen maiorem & cumulatiorem impetrant. Eris, ô anima, si lacrymis fueris madefacta, quasi hortus irriguus, & sicut fons aquarum, cuius non deficient aquæ.] Si enim, Deo donante, in te fuerit lacrymarum fons, quid mirum si tu fueris instar fontis, quæ defectum aquarum non metuas. Tunc sancta desideria sicut flores pulcherrimi germinabunt, tunc proposita sanctorum operum, & purioris vitæ, tamquam fructus optimi matureſcent, & quicquid in te fuerit magna vbertate pingueſcet. Visitasti terram, ait Dauid, & inebriasti eam: multiplicasti locupletare eam.] Terra profectò aquis visitatur, & pluuiis descendentibus inebriatur, ita & anima gratia deuotionis, & aqua lacrymarum infunditur, vt vniuersarum virtutum fructibus multiplicetur. Quod in terra facit aqua, in nobis faciunt lacrymæ; nos enim rigant, vt fructum feramus, & bonis operibus, quæ ipsæ obtinent, fœcundemur.

Isaiæ 58. 11.

Psal. 64. 10.

Lacrymæ virorum etiã fortium arma cum iusta lacrymarũ causſa subest.

Nec putet aliquis, lacrymas arma puerorum esse, aut mulierc ularum, & ad viros fortes, & constantis animi non pertinere. Id quidem longè à vero deuiat, quoniam sicut affectus tristitiæ & doloris cunctorum est, ita & lacrymæ doloris indices, aut ex aliis affectibus profluentes ad vniuersos spectant. Et omnibus euenire potest iusta causſa flendi, sicut potest accidere causſa lætandi. Atque in emissione lacrymarum, hoc est puerorum virorúmque discrimen, quòd illi ex leuissima quaque causſa; hi verò non nisi data magna occasione lugent. Quæ autem potest esse maior fletus occasio, quàm si nos videamus à Deo per peccatum auersos, à vera virtute alienos, magnis miseriis circumdatos, à cœlo pulsos, & à conspectu Domini relegatos? Illis quidem, qui supra vniuersos homines virorum nomen meruerunt, dictum est:

Ioan. 16. 20.

Amen dico vobis, quia plorabitis & flebitis vos, mundus autem gaudebit, vos verò contristabimini.] Sed ita sit, quòd lacrymæ pusillorum & infirmorum sunt arma, quisnam homine, si ad Deum conferatur, abiectior? quis ad res cœlestes capessendas infirmior? Ploret igitur, & lacrymis pro armis vtatur, vt bona cœlestia mereatur accipere.

Matth. 11. 12.

Matth. 18. 3.

Regnum cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud.] A quibus autem vim patitur, nisi ab illis, quibus alio loco dictum est: Nisi efficiamini sicut paruuli, non intrabitis in regnum cœlorum.] Paruuli ergo cœlum non aliis armis, quàm fletibus, & gemitibus, & suspiriis expugnant. Eorum enim infirmitas, & ad obtinendum tam amplissimum regnum paruitas, & imbecillitas, cogit eos pro impetranda gratia ad laborandum lacrymas fundere. Hæ iter eorum comitantur vt in patriam desideratam conscendant. In fletu venient, ait

Lacrymis cœlũ expugnatur.

Ierem. 31. 4.

Dominus per Ieremiam, & in misericordia reducam eos.] Fletus enim aduocat misericordiam Dei, vt nobis benefaciat. Quantumque valeat ad hanc profectionem luctus, & fletus, subinfert, dicens: Et adducam eos per torrentes aquarum in via recta, & non impingent in ea; quia factus sum Israëli pater, & Ephraim primogenitus meus est. Torrentes aquarum lacrymas signent, quæ id consequuntur à Domino, vt per viam rectam, & sine offendiculo in cœlum deducamur, & filij dilecti reputemur. Nam idem significant alia verba eiusdem Prophetæ: Venient filij Israël ipsi, & filij Iuda simul, ambulantes & flentes properabunt, & Dominum Deum suum quærent.] Tantum enim bonum est Dominus, vt ab his, qui vires ad Deum assequendum non habent, sit saltem lacrymis & fletu quærendus, vt quod virtus manus nostræ non apprehendit, iam gemitus & fletus obtineat.

Ier. 50. 4.

Omnia tandem, quæ ad nostram salutem attinent, impetrant lacrymæ, quare illis Scripturæ sacræ non minus quàm postulationi vim exauditionis tribuunt. Hoc est nuntium, quod ore Isaiæ misit ad Dominum Ezechias: Audiui orationem tuam, & vidi lacrymas tuas: ecce ego adiiciam super dies tuos quindecim annos.] Et Raphaël ad Tobiam: Quando orabas cum lacrymis, & sepeliebas mortuos, ego obtuli orationem tuam Domine.] Et Saluator noster cum clamore valido, & lacrymis offerens exauditus est. Ex quo intelligimus eam orationem non reiici, quam vehemens desiderium protulerit, & lacrymæ abundantes irrigauerint. Vnde Laurentius Iustinianus ait: Nemo ad Deum aliquando flens accessit, qui non quod postulauit, acceperit. Nullus ab eo beneficia dolenter optauit, qui non impetrauerit. Ipse est enim, qui consolatur flentes, dolentes curat, pœnitentes informat. O lacryma humilis, tua est potentia, tuum regnum, tribunal iudicis non vereris, amicorum tuorum accusatoribus silentium imponis, non est, qui te ad Deum accedere vetet. Si sola intres vacua non redibis. Quid plura? Vincis inuicibilem, ligas omnipotentem, inclinas filium Virginis, aperis cœlum, fugas diabolũ. Tu cibus animarum, roboratio sensuum, abolitio delictorum, vitiorum exterminium, virtutum præuia, gratiæ socia, refectio mentium, & lauacrum culparum. Tu odor vitæ, sapor spiritus, gustus indulgentiæ, sanitas redeuntis innocentiæ, reconciliationis iucunditas, serenatæ conscientiæ suauitas, & electionis æternæ spes valida. Qui te orationis suæ comitem habebit, gaudeat, quia post orationem securus abibit.] Lacrymæ sponsum ad nos trahunt, & qui rogabatur, iam fletu emollitus & captus ad nos venit quasi precator. Aperi mihi, inquit, soror mea, quia caput meum plenum est rore, & cincinni mei guttis noctium.] Ros, & guttæ, quæ in serena nocte descendunt, & quasi ad sustinendum æstum Solis terram recreant, lacrymas signant, quibus sponsus refrigerium sentit, & æstum desiderij, quo nostram salutem sitit, vtcumque sedat. Eius caput, id est, diuinam personam eius, si hoc rore, & his guttis infuderimus, & gemitibus vim fecerimus, ad nos festinus veniet, vt ei aperiamus postulabit, & ingressus ad nos, & compedibus amoris captus, quid non animo libenti concedet.

Necessaria ad nostrã salutẽ impetrant lacrymæ. Isaiæ 38. 5. Tob. 12. 12.

Hebr. 5. 7.

Iustin. in ligno vitæ de orat. c. 9.

Lacrymarum encomia.

Cantic. 5. 2.

Postulationes quibus adiunguntur lacrymæ videntur mihi vt semina, quæ in terram bonam cadunt, & aquis copiosissimis irrigantur, quæ non possunt fructum abundantem non ferre. Ad quod forsitan respexit Dauid, quando cecinit: Euntes ibant & flebant, mittentes semina sua: venientes autẽ venient cum exultatione portantes manipulos suos.] Ideo enim iusti flent, ne postulationum suarum semina arescant, & fructum nõ proferant: illisque fletus & lacrymæ pro pluuia sunt, quæ pectus Domini, in quod orationes iaciuntur, madefa-

Orationes cum lacrymis vt irrigata semina, vberrimè fructificant. Psal. 125. 6.

ciens,

ciens,facit vt ex illa terra bona & optima non ſine fructu eorum,quę deſiderabamus,proueniant.Cura igitur, ô vir Dei, vt lacrymas in tuam orationem infundas. In illis namque non aliter quàm Ægyptij in mari rubro, peccata noſtra pereunt, impuræ cogitationes ſuffocantur, flammæ concupiſcentiarum extinguuntur. Hæ animæ maculas abluunt, cordis duritiam emolliunt, & balneum in quo renouamur, & quaſi ad iuuentutem repedamus, efficiunt. Per iſtas aquas nauis mentis noſtræ ad Dominũ fœlici curſu dirigitur, & quaſi collyrio interioris hominis oculus ad inſpiciendum inungitur, & affectus ac deſiderium virtutis paſcitur, & totus homo quaſi ſpirituali baptiſmo mundatur. Hunc baptiſmum ſine vllo periculo delicti, immo & cum meritorum augmento iterabis, & in eo in nouam creaturam conuertéris, & infantulus Chriſti factus rationabile, & ſine dolo lac concupiſces. Sed quia, quomodo te ad lacrymas prouocabis, ſcire deſideras, id dicam tibi, ſi priùs genera bonarum lacrymarum explicauero.

Lacrymarum fructus.

De primo lacrymarum genere. §. 1.

IOannes Caſſianus quinque genera lacrymarum recenſuit, alij plura, alij pauciora diſtinguunt: nos ſex gradus lacrymarum faciemus, & quia omnes in oratione inueniri poſſunt, eos breuiter numerabimus. Primus ergo gradus, ſiue primum genus lacrymarum eſt, quando ad euaſionem aduerſitatum, & malorum temporalium, quibus quatimur, ex animo afflicto, ſed in Dei beneplacitum reſignato moderatè lugemus. De his lacrymis Caſſianus illud Dauidis vult intelligi: Quia cinerem tamquam panem manducabam, & potulum meum cum fletu miſcebam. Quas, inquit, certum eſt, non illo affectu promi, quo in ſexto Pſalmo ex perſona pœnitentis emergunt, ſed pro anxietatibus vitæ, atque anguſtiis, & ærumnis, quibus iuſti in hoc mundo poſiti deprimuntur. Quod etiam Pſalmi ipſius non ſolùm textus, ſed etiam titulus euidenter oſtendit, qui ex perſona illius pauperis, de quo in Euangelio dicitur: Beati pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt regnum cœlorum, ita deſcribitur: Oratio pauperis cùm anxiatus fuerit, & coram Deo effuderit precem ſuam.] Huius generis fuerunt Tobiæ lacrymæ, qui poſt incurſam cœcitatem,& opprobria vxoris audita, ingemuit, & cœpit orare cum lacrymis, quod ex fine ſuæ orationis innoteſcit. Et nunc Domine, inquit, ſecundùm voluntatem tuam fac mecum, & præcipe in pace ſuſcipi ſpiritum meum: expedit enim mihi mori (ne ſcilicet talia ſuſtineam) magis, quàm viuere.] Tales etiam fuerunt lacrymæ Saræ nurus eius futuræ, quæ excepto ab ancilla improperio, quòd viros ſuos occidiſſet, tribus diebus, & tribus noctibus non manducauit, neque bibit, ſed in oratione perſiſtens cum lacrymis deprecabatur Deum vt ab iſto improperio liberaret eam. Talis & fletus Iudith, quæ ſtetit ante lectum Holofernis orans cum lacrymis, & labiorum motu in ſilentio, vt ebrium illum poſſet occidere, & populum ſuum ab excidio liberare.Lacrymæ iſtæ copioſiores fortè quàm expediat eſſe ſolent, ex ea parte, qua natura dolore concepto huic ſe luctui inſolenter immiſcet. Quod Scriptura non tacuit, fletum Annæ matris Samuelis exponens. Cùm eſſet, inquit, Anna amaro animo, orauit ad Dominum flens largiter.] Opprobrium enim ſterilitatis, & verba Phennenæ, quibus exprobrabat ei, largum imbrem lacrymarum extorſerant. Non eſt autem alienum à viris ſpiritualibus, atque perfectis hunc fletum pro malis temporibus arcendis admittere, dummodo ſit ratione moderatus, & ab eo debita in voluntate Domini reſignatio non abſit. Poteríſque cùm dolore aliquo, aut morbo, aut præſentia afflictionis opprimeris, etiam cum lacrymis Dominum deprecari, vt præſens malum leniat, vel ex toto depellat. Et ipſa oratione, quàm fletus fuerit comitatus experieris, quàm dulcis & verus Pater ſit Dominus, qui aut malum auferet, aut ex parte diminuet, aut certè (ſi id non expedierit) fortem & alacrem ad ſuſtinendum animum benignè præbebit.

Caſſian. coll. 9. cap.28.

Primum lacrymarum genus pro huius vitæ laboribus euadendis. Pſal.101. 10.

Sancti viri huius generis lacrymas profuderunt.

Tob. 3. 1.

Tob.3.6.

Iudith 13.6.

1.Reg.1. 10.

Non decet viros ſpirituales iſtæ lacrymæ, moderatæ tamen.

De ſecundo lacrymarum genere. §. 2.

SEcundum genus eſt earum lacrymarum, quas ex dolore peccatorum tum grauiorum, tum leuiorum profundimus, quæ vel ex timore pœnæ in incipientibus, vel ex deſiderio præmij, & amore virtutis in proficientibus, vel ex feruida dilectione Dei in perfectis ſolent effundi. Hæ fuerunt lacrymæ Petri poſt trinam illam negationem, qui egreſſus foras, fleuit amarè. Lacrymæ quoque Magdalenæ, cui dimiſſa ſunt peccata multa, quoniam dilexit multum.In has lacrymas ex amore profuſas optimè quadrat illud Chryſologi: O quanta vis in lacrymis peccatorum! rigant cœlum, terram diluunt, extinguunt gehennam, delent in omne facinus latam diuina promulgatione ſententiam.] Fletus enim charitatis non iam Deo ſedem præparat, ſed eum placat, & nos illi reconciliat. Placet illi ſummopere hoc lacrymarum conuiuium, quod ignis diuini amoris excoxit. Quare idem ſanctus Pater, & inſignis concionator Chryſologus de eadem ſancta muliere hæc antea præmiſerat: Venit ſatisfactura Deo, non homini placitura cùm venit: venit pietatis illa, non voluptatis exhibitura conuiuium: denique & pœnitentiæ ponit menſam, fercula compunctionis apponit, panem doloris infert, potum lacrymis temperat in menſura, & ad delitias Deitatis totas, totam pulſat cordis ſui & corporis ſui ſymphoniam, organi planctus dat clamorem, citharam per ſuſpiria longa modulatur, gemitus aptat in fiſtulam:& dum pectus ipſam conſcientiam arguens ſæpe percutit, facit placitura Deo cymbala perſonare; dúmque taliter apportat diuinis oculis cibos totas miſericordiæ copias ſic reportat.] Sic ille. Nec non & lacrymas Dauidis cum prædictis computamus. Nam dum peccata antiqua defleuit, tacitè profitebatur ſe præſentia non habere quæ fleret, ſed iam ad Deum perfectè conuerſum, & ex amore vitaſſe. Exitus, inquit, aquarum deduxerunt oculi mei, quia non cuſtodierunt legem tuam;] quia, nimirum, ipſi oculi, ô Domine, olim à lege tua exorbitarunt. O vtinam contingat mihi aliquando,inquit Richardus,vt neceſſe non habeam iam amplius flere præſentia delicta,ſed præterita, nec me remordeat vltrà inſtans culpa, ſed tantùm tranſacta. Sed væ mihi miſero cui incumbit dolere, & deflere,non ſolùm pro eo Domine, quòd oculi mei non cuſtodierunt legem tuam; ſed idcirco maximè, quòd necdum cuſtodiunt legem tuam. Puto tamen quia nihil magis cohibet mentẽ ne apponat iniquitatem ſuper iniquitatem:ne veteribus ſuperponat quottidie noua;

Secundũ lacrymarũ genus quas dolor peccatorum extorquet.

Luca 22. 62.

Luca 7. 38. Chryſol.

Peccatorum lacrymæ lautum conuiuiũ Deo.

Pſal.118. 136.

Richard. ibid.

Lacrymæ de præteritis peccatis co-

hibet nos à præsentibus.

quam si semper meminerit, sæpe defleuerit delicta præterita.] Sic ille. Doleamus igitur delicta conuersationis antiquæ, & lacrymis ea diluamus, vt hæc salutaris compunctio nos à præsentibus etiam cohibeat. Si non potuerimus flere ex amore, at saltem lugeamus ex timore, vt ex hoc gradu inferiori ad superiorem tandem aliquando ascendamus. Sic priùs fleuit Dauid, qui non sine

Psal. 6. 8. lacrymis protulit: Conuertere Domine, & eripe animam meam: saluum me fac propter misericordiam tuam: quoniam non est in morte qui memor sit tui; in inferno autem, quis confitebitur tibi.]

Psal. 101. 10. Et alio loco: Quia cinerem, ait, tamquam panem manducabam, & potum meum cum fletu miscebam.] Ex hoc autem gradu ad illum peruenit, in quo non tantùm ex Dei amore

B sua peccata deflere, sed aliorum quoque sibi subiectorum delere constituit, & peccatores de

Psal. 100. 14. Domini ciuitate disperdidit.

De tertio lacrymarum genere. §. 3.

Tertium lacrymarum genus, quæ ex timore pœnæ procedit.

HIs, quas modò diximus, cognatæ sunt lacrymæ, quæ de metu gehennæ, aut ex timore alicuius alterius pœnæ nobis infligendæ procedunt. Nam dimisso delicto quantum ad culpam solet reatus pœnæ manere; & vltio, quæ si non conuerteremur deberet esse perpetua, in temporariam commutari, ex eo quòd conuersio non fuit vsquequaque perfecta. Luget itaque anima, & oculos corporis sui fontes lacrymarum facit, tum quia hanc pœnam metuit, tum vt eam præsenti

C compunctione repenset. Huc pertinent illa verba

Ps. 142. 2. Dauidis: Non intres in iudicium cum seruo tuo; quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens.] Et ea, quæ in eodem Psalmo sequuntur: Non auertas faciem tuam à me: & similis ero (si nimirum faciem tuam auerteris) descendentibus

Isaiæ 53. 3. in lacum.] Item & oratio Ezechiæ, qua conuersus ad parietem, scilicet versùs locum vbi erat templum, orauit ad Dominum, & fleuit fletu magno.

Thren. 1. 2. Ac denique fletus Ierusalem, de qua Ieremias: Plorans plorauit in nocte; & lacrymæ eius in maxillis eius.] Sicut ergo pueri solent apud ludimagistrum lacrymis flagella redimere, ita & nos apud

D Dominum flagella, quibus digni sumus, redimamus. Ipse enim, qui viscera pietatis habet, misericordia motus super nos, compunctionem nostram, & lacrymas in locum pœnæ sufficiet, & à flagellis, quæ iamiam imminebant, eripiet.

De quarto lacrymarum genere. §. 4.

Quarti generis lacryma ex cõpassione passionis Christi oboriuntur.

QVartum genus perfectiores lacrymas continet, quæ ex compassione Passionis Domini nostri Iesu Christi, & ex consideratione aliorum mysteriorum vitæ eius ab oculis iustorum vberrimè manant. Comparimur illi vt conregnemus. Flemus cum illo, vt illam legem charitatis asserentis: Flere cum flentibus, impleamus. Hunc fletum susceperunt piæ illæ mulieres, quæ Dominum

E crucem baiulantem sequebantur. Quibus tamen

Luca 23. 28. dictum est: Filiæ Ierusalem, nolite flere super me, sed super vos ipsas flete.] Non quòd omnino à fletu propter mortem Christi, licèt post tres dies resurrecturi prohiberentur, sed vt ad aliam etiam causam fletus, nempe ad excidium suæ ciuitatis imminens deplorandum attenderent.

Beda lib. 6. in Lucam ad Quod indicans Beda, dum eumdem locum interpretatur, ait: Sed Dominus vbi cor contritum & A humiliatum respicit, mox addita salutiferæ compunctionis gratia, vnde gratiùs, dulciùs, vberiùs flere debeat magister, sedulus & blandus consolator irrogat.] Vel, vt Bernardus autumat, flendi ordinem docet. Flete, inquam, super vos primò, deinde super filios vestros, & postea scietis vtiliter dolorum Christi gratia compassionis lacrymas fundere. Luctus compunctionis præcedat, ô homo, quo peccata tua defleas, quo bonorum tuorum operum filios extinctos lugeas, & tunc sequetur vtilius luctus compassionis; quo pro Domino tuo passo lacrymas fundas. Intuere illum vt Patrem, vt Fratrem, vt Dominum innocentissimum pro te passum, afflictum, despectum, & morti adiudicatum, & plusquam saxeum pectus habebis, B si non in fletum, & lacrymas abundantissimas dissoluaris.

eum locum.

Bernard. de Resurrect. ser. 2.

De quinto lacrymarum genere. §. 5.

Lacryma quinti generis ex amore Dei & æternorũ desiderio.

SVblimiores adhuc sunt lacrymæ, quæ ex amore Dei, & æternorum desiderio procedunt: quas pia anima cœlestem patriam, & purissimum Dei complexum suspirans abundanter emittit. Has credimus fudisse Dauidem, & amatricem Dei mentem emittere, cùm eius desiderio capta & incitata dicit: Sitiuit anima mea ad Deum fortem viuum; quando veniam, & apparebo ante faciem

Psal. 41. 3. Dei. Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die, ac nocte: dum dicitur mihi quotidie: Vbi est Deus

C tuus?] Et: Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est: habitaui cum habitantibus Cedar; multum incola fuit anima mea.] Has lacrymas interni amoris indices cupiebat Augustinus, quando ita precabatur: Et da mihi euidens signum amoris tui, irriguum lacrymarum fontem iugiter manantem, vt ipsæ quoque lacrymæ tuum in me testentur amorem; ipsæ prodant, ipsæ loquantur quantum te diligit anima mea, dum præ nimia dulcedine tua, nequit se à lacrymis continere. Reminiscor pie Domine istius bonæ mulieris Annæ, quæ ad tabernaculum venit pro filio rogatura, de qua Scriptura refert, quòd vultus illius post lacrymas & preces non sunt in diuersa mutati. Sed me-

D mor tantæ virtutis, tantæque constantiæ dolore torqueor, & verecundia confundor, quia me miserum nimis deorsum iacere intueor. Si enim ita fleuit, & in fletu ita perseuerauit mulier, quæ quærebat filium, quomodo in planctu persistere debet anima, quæ quærit & amat Deum, & ad Deum peruenire desiderat? Quomodo gemere & flere debet talis anima, quæ quærit Deum nocte, quæ præter Christum nihil vult amare? Mirum quippe est si iam non sunt factæ ei lacrymæ eius panes die, ac nocte. Respice ergo, & miserere mei, dolores enim cordis mei multiplicati sunt. Da mihi consolationem tuam cœlestem, & noli spernere peccatricem animam, pro qua mortuus es. Da mihi lacrymas ex toto affectu internas, quæ

E peccatorum meorum possint soluere maculas, & cœlesti iucunditate semper repleant animam meam.] Sic ille. Et multa alia satis piè, & deuotè.

Quando Deus absconditur lacrymis aduocandus est. Sic etiam tempore aridit atis, & quando Dominus ad tempus absconditur, lacrymis est, & gemitibus aduocandus. Illíque dicendum: Sicut desiderat ceruus ad fontes aquarum; ita desiderat anima mea ad te Deus. Et quemadmodum Maria Magdalena stetit ad monumentum foris plorans, donec quem mortuum quærebat, viuum & resuscitatum inuenit. Ita & nobis in intimo

cordis commorantibus perſeueranter flendum eſt, quouſque ille totus deſiderabilis, qui ob multitudinem demeritorum noſtrorum nonnumquam abſconditur placatus, & noſtri miſertus menti ſitienti reueletur.

De ſexto lacrymarum genere. §. 6.

Lacrymis ſexti generis proximorũ calamitates deploramus.

POſtremo lacrymarum genere, non iam miſerias proprias, ſed afflictiones & calamitates proximorum flere conſueuimus. Quod ideo vltimo loco ponimus, quoniam ſæpe ex perfecto amore erga Deum vniuerſorum Patrem exoritur. Charitas enim non in Deo ſe continet, ſed ad proximos ſe diffundit. Quos quia ex vero amore propter Deum diligimus; ideo vſque ad fletum copioſum eorum tribulationibus & caſibus miſeremur. Hoc lacrymarum genere lugebat Samuel Saulem, quoniam Dominum pœnitebat quòd conſtituiſſet eum regem. Et Ieremias populum. Quis dabit, inquit, capiti meo aquam, & oculis meis fontem lacrymarum, & plorabo die ac nocte interfectos filiæ populi mei.] Et Paulus, qui ait: Per triennium die ac nocte non ceſſaui cum lacrymis monens vnumquemque veſtrûm.] Sed perfectiſſimum huius fletus exemplar eſt Dominus, qui interrogans vbi Lazarus quatriduanus mortuus poſitus eſſet, lacrymatus eſt. Illæ ſanctiſſimæ lacrymæ Lazarum ſuſcitarunt, & potentes ſunt, ſi ad nos applicentur, nos ad vitam reuocare. Vnde Ambroſius ait: Vtinam ergo ad hoc monumentum meum digneris accedere Domine Ieſu; tuis me lacrymis laues, quoniam durioribus oculis non habeo tantas lacrymas, vt poſſim mea lauare delicta. Si illacrymaueris pro me, ſaluus ero: ſi dignus fuero lacrymis tuis, fœtorem abſterges delictorum omnium: ſi fuero dignus vt pauliſper illacrymes, vocabis me de monumento huius corporis, & dices: Exi foràs, vt non intra corporis huius anguſtias incluſæ teneantur cogitationes meæ, ſed egrediantur ad Chriſtum, in lumine verſenter, vt non cogitem opera tenebrarum, ſed opera lucis. Qui enim peccatum cogitat, intra ſuam conſcientiam ſtudet ſeipſe includere. Voca ergo foras ſeruum tuum, quamuis ligatus vinculis peccatorum meorum vinctos habeam pedes, innexas manus, & cogitationibus & operibus mortuis iam ſepultus, te vocante liber egrediar, & inueniar vnus de diſcumbentibus in conuiuio tuo, & domus tua pretioſo repleatur vnguento, ſi quem redimere dignatus es, cuſtodieris.] Sic ille. Hæc faciunt illæ lacrymæ Domini, quas non ſolùm ad vitam illius defuncti, ſed ad vitam ſpiritualem noſtram, ſalutémque profudit. Idémque pro ſuo modulo faciunt Iuſtorum lacrymæ ſi effluant ex deſiderio boni proximorum, quoniam eas ſuſcipit Dominus, & peccatores propter merita & orationes illorum, qui eas fundunt, ſæpe conuertit.

1. Reg. 15. 35.

Ier. 9. 1.

Act. 20. 35.

Ioan. 11. 35.

Ita lacrymatus eſt Ieſus obitum Lazari.

Ambroſ. 2. de pœnit. c. 8.

De mediis ad obtinendas lacrymas. §. 7.

Lacrymæ non ſunt immoderato deſiderio affectandæ.

DOnum hoc Dei, quod in nobis vas aptum, in quo recipiatur, requirit, aliquibus mediis ex eius gratia, ac noſtra induſtria in medium productis comparare ſolemus. Primum eſt, ne lacrymas immoderatè affectemus, & quaſi violenter ex ardentibus oculis exprimamus. Hæ namque parum vtiles ſunt, immo ſenſum deuotionis obtundunt, & nos aridos & deſolatos relinquunt. Magis inquit Caſſianus de illis loquens ſupplicantis animum ſuis conatibus diſtrahentes humiliabunt, atque ad ima demergunt, & ab illa cœleſti ſublimitate deponent, in qua attonita mens orantis indeclinabiliter debet eſſe defixa, eámque compellent precum ſuarum intentione laxata erga ſteriles, & coactitias lacrymarum guttulas ægrotare.] Et Climacus: Vidi ego apud quoſdam ſupremum terminum luctus, ſanguinem enim eos præ afflicto & percuſſo corde profundere ex ore conſpexi, recordatúſque ſum eius qui dixit: Percuſſus ſum vt fœnum, & aruit cor meum.] Quia nimirum ex nimio fletu inſtar fœni aridi, & humore deuotionis vacui permanſerunt. Eſt ergo in affectandis fletibus, & deſiderandis lacrymis non minima moderatio ſeruanda, ne per vim effluant, ſed ſponte & ſuauiter profluant.

Caſſian. coll. 9. cap. 29.

Climac. gradu 7. fine.

Secundum eſt vt ſalutarem fletum, & lacrymarum profuſionem, quæ nos riget, atque fœcundet, à Domino poſtulemus. Oratio enim tantæ virtutis eſt, vt non ſolùm aliis, ſed etiam ſibi conſulat, & comites ſuos, quibus perficiatur, obtineat. Quod in libro Ioſue inuenimus per myſterium figuratum. Cùm enim Axa filia Caleb ex intimo pectore ſuſpiraſſet, interrogata quid haberet, ita reſpondit: Pater, terram auſtralem & arentem dediſti mihi, iunge & irriguam. Iuſta autem petitio ſuo voto fruſtrata non eſt. Nam dedit ei Caleb irriguum ſuperius, & inferius. Huius iucundæ hiſtoriæ myſterium Gregorius in duo genera tantum donum lacrymarum diſtribuens nobis exponat. Axa, inquit, ſuper aſinum ſedet, cum irrationalibus carnis ſuæ motibus anima præſidet, quæ ſuſpirans à patre terram irriguam petit, quia à creatore noſtro cum magno gemitu quærenda eſt lacrymarum gratia. Sunt namque nonnulli qui iam in dono perceperunt liberè pro iuſtitia loqui, oppreſſos tueri, indigentibus poſſeſſa tribuere, ardorem fidei habere, ſed adhuc gratiam lacrymarum non habent. Hi nimirum terram auſtralem & arentem habent, ſed adhuc irrigua indigent: quia in bonis operibus poſiti, in quibus magni atque feruentes ſunt, oportet nimirum, vt aut timore ſupplicij, aut amore regni cœleſtis, mala etiam, quæ antea perpetrauerunt, deplorent. Sed quia (vt dixi) duo ſunt compunctionis genera: dedit ei pater ſuus irriguum ſuperius, & irriguum inferius. Irriguum quippe ſuperius accipit anima, cùm ſeſe in lacrymis cœleſtis regni deſiderio affligit. Irriguum verò inferius accipit, cùm inferni ſupplicia flendo pertimeſcit.] Sic ille. Nec ſolus Deus ad donum lacrymarum impetrandum orandus eſt, verùm & Sancti inſtanter inuocandi, illi præſertim, vt Guillielmus Pariſienſis ait, qui in hoc dono excelluerunt, & lacrymis ſæpe orationum ſuarum ſemina irrigarunt.

Lacrymarũ donũ à Deo petẽdum.

Ioſue 15. 19.

Gregor. 3. dialog. c. 34.

Guilliel. Rhetor. diuin. c. 27.

Tertium eſt, vt eas cogitationes, quæ nos ad fletum & lacrymas prouocent, in oratione aſſumamus. Quæ pro diuerſitate fletus, quem quærimus, mutandæ ſunt. Conſideratio namque nequitiæ peccatorum, & terribilitatis pœnarum, qua tanta iniquitas ſolet iuſtè mulctari, primas, & ſecundas, immo & tertias lacrymas elicit. Conſideratio verò paſſionum, & laborum, & mortis Domini Ieſu quartas lacrymas educit. Cogitatio demum bonitatis Dei, & perfectionum eius, & beneficiorum ab ipſo acceptorum, & miſeriarum, quas proximi à nobis ex charitate dilecti patiuntur, ad duo poſtrema lacrymarum gene-

Ad lacrymarum donũ obtinẽdum refert meditationibus vti quæ lacrymas prouocãt.

ta inducit. Quantæ verò efficacitatis sint conuenientes cogitationes ad lacrymas fundendas, ex libro Canticorum elucet. Sponsæ namque dicitur: Oculi tui sicut piscinæ in Hesebon, quæ sunt in porta filiæ multitudinis.] Hesebon cogitationum rationabilium abundantiam significat, ex quibus profectò euenit, vt oculi quasi piscinæ riuos lacrymarum emanent. Oculus iste, inquit Ambrosius, prouideat, quæ futura sunt: & si aduersa imminere præuiderit, fletu lacrymisque emollire ac mitigare non desinat.] Hæc itaque rerum tum prosperarum, tum aduersariarum præuisio fletum excitat, & ad lacrymas prouocat, ad illas, inquam, quarum lætitia est causa, si læta & prospera cogitentur, vel ad eas, quarum tristitia est origo, si tristitia & aduersa internis oculis proponantur.

Cant. 7. 4.

Ambros. in Psal. 118. ser. 16. versu 1.

Quartum est, vt sex impedimenta tollamus à Bonauentura annotata, quæ lacrymarum effusionem impediunt. Primum est elatio superbiæ. Nam sicut montes solent esse aridi, ita humore lacrymarum solent carere superbi. Secundum est affectio terrenorum. Terra consumit aquam, & eam in lutum redigit. Sic amor terrenorum aquam lacrymarum euertit. Cain, qui interpretatur possessio, interfecit Abel, quod nomen, secundùm eum, significat luctum. Quia videlicet amor eorum quæ possidemus luctum interimit. Tertium cordis durities & immisericordia. Nam ex rupe citra miraculum non scaturit aqua: nec ex corde immisericordi aqua compunctionis exoritur. Quartum, occupatio nimia, quæ scilicet non sinit attendere, ad ea ex quibus lacrymæ profluunt. Quare nimiis occupationibus dicendum est illud Isaiæ: Recedite à me, amarè flebo.] Si enim illæ non abscedant, & locum cogitationibus sanctis relinquant, nequaquam valebimus luctui vacare. Quintum miseriarum ignoratio; vnde dixit Dominus Ierusalem: Si cognouisses, & tu quæ ad pacem tibi, vtique fleres.] Ideo sanè à lacrymis abstinemus, quia multiplices miserias nostras penitus ignoramus. Sextum est multitudo peccatorum. Quia enim abundat iniquitas, refrigescit charitas. Deficiente autem igne charitatis, cor nostrum aquas compunctionis, aut deuotionis stillare non potest.

Bonau. dicta salut. tit. cap. 3. Quænam sint lacrymarũ impedimenta. Genes. 4. 8.

Isaiæ 22. 4.

Lucæ 19. 42.

Matth. 24. 12.

Postremum tandem medium est animi resignatio, & cum diuina voluntate conformitas. Hæc quippe pluris quàm abundantissimum profluuium lacrymarum valet. Efficiétque, vt si lacrymæ affluerint per elationem non extollamur, & si abfuerint, vt per pusillanimitatem non cadamus. Lacrymæ instrumenta sunt deuotionis, non ipsa deuotio, sine quibus tamen scit Deus deuotionem immittere, ac per multum tempus seruare. Si lacrymis perfusus fueris; ô frater, noli efferri, neque alios non flentes despicere. Qui enim lacrymarum suarum gratia in animo inflatur, ait Climacus, eósque qui non lacrymantur damnat, is ei similis est, qui ab imperatore contra inimicos suos accipit arma, iisque ipsis semetipsum necat.] Si autem arueris, & lacrymas fundere non valueris, haudquaquam tristeris, sed te diuinæ voluntati committe. Nam sine his lacrymis exterioribus potest te saluare, & ad magnam sanctitatem efferre.

***

Conformitas cũ voluntate diuina pluris æstimanda quàm lacryma.

Climacus supr.

Summa comitum Orationis mentalis.

CAPVT XX.

Omnia suprà dicta paucis perstringũtur.

IAm memoriæ consulamus, & sanctæ orationis comites breuiter prælibemus. Tu igitur, ô vir Dei, qui te ad orandum diligenter præparasti illis præambulis, in prima huius libri tractatione præmissis, si cupis tuum laborem non amittere, & in diuina familiaritate proficere, locum aptum eliges, & omni strepitu & distractione vacuo, in quo sine teste (quantum fieri possit) tuos gemitus & suspiria notante, & sine aliquo interpellante possis rerum diuinarum considerationi vacare, & cum Domino ac Deo colloquia miscere. I.

Ad hoc opus præstantissimum exercendum tempus accommodatum assumes, illud scilicet vel matutinum, vel vespertinum, vel aliud in quo & corpusculi imbecillitas, vel huius mortalis vitæ necessitas ad alia obeunda non vocet, nec curæ, aut occursus aliorum tuam quietem interturbent. II.

In hoc loco, & tempore, ita corpus tuum ad orationem habendam collocabis, & genuflexione, aut statione, aut humili sessione disponES, vt mentem contemplantem ad alia non trahat, neque attentionem ac reuerentiam impediat. III.

In oratione, ac rerum cœlestium meditatione tibiipsi diffides, & in solo Deo tuam spem fiduciámque constitues, sciens, & ipso experimento cognoscens orationis opus, discursus scilicet intellectus, & pios ac sanctos affectus, & postulationes congruas, non viribus humanis perfici, sed à Dei gratia & auxilio pendere, & supernaturali ope niti. IV.

Coram Domino pauens ac tremens astabis, & magnam atque intimam erga illum reuerentiam habebis, quam consequeris si te mancipium inutile, ac creaturam vilissimam, illum verò vniuersorum Dominum ac creatorem intellexeris. V.

Ad Dominum cui es præsens, & ad ea, quæ meditaris, diligenter attendes: & ita te comparabis, vt omnem caussam euagationis abiicias, & penitus indignum ducas, vt seruum fugitiuum cogitatione à Deo & diuinis abscedere, & ad inania & prophana prolabi. VI.

Toto meditationis, aut orationis tempore solicitè & strenuè te geres: vt qui in maximi momenti negotium incumbis. VII.

Quid enim maius, aut excellentius, aut vtilius, quàm animam meditatione diuinorum erudire, sanctis affectibus perficere, & bona vera huius vitæ, ac æternam postulare? Ordinem in meditando custodies, & apta tuo statui, ac profectui virtutis in considerationem adduces. VIII.

Lac infantibus, & solidos cibos adultis natura prouidit, & lex spiritus diuersas meditationes pro necessitate cuiusque incipientibus, & proficientibus, & perfectis assignauit. IX.

Eam etiam meditandi rationem tenebis, quæ magis tuam perfectionem prouehat, & nunc tecum intellectu recogitando; nunc vel ad Deum, vel ad Sanctos, vel ad teipsum loquendo, nunc quasi diuinam vocem excipiendo per rem meditandam ad fructum spiritualem colligendum discurres. X.

Opus intellectus in oratione moderatè cohibebis, & te magis ad mouendam voluntatem, & affectus virtutum eliciendos extendes. Cùm omnis consideratio, quæ est orationis pars, non sit finis, sed medium; non rei substantia, sed instrumentum; non propter seipsam, sed ad affectus excitandos, & firma proposita sanctè viuendi quæratur. Meditationibus & affectibus XI.

poſtulationes iunges, præſertim cùm ad poſtulandum incitatum te ſenties, quia poſtulationes huiuſmodi ex conſideratione indigentiæ propriæ, & ex ardenti affectu depromtæ diuinam miſericordiam inflectent,& ad dandum quo indiges prouocabunt. Tandem ſpiritum compunctionis,& lacrymarum copioſam effuſionem concupiſces, quam

XII.

A

ſi ex Dei benignitate ſuſceperis, hoc irriguo ſuperiori & inferiori donatus, ſuauiùs & efficaciùs virtutum donis,quæ lacrymæ obtinent,locupletaberis. Si his comitibus orationem circumſepſeris, non erit inutilis labor tuus,ſed per orationis itinera vſque ad arcem contemplationis, in qua cum perfectione ſponſeris,aſcendes.

ORATIO.

DOmine Deus meus, & adiutor meus, donorum vniuerſorum theſaurus, & bonorum plenitudo, qui legatum per nos ad te miſſum, orationem ſcilicet, tot tantíſque donis repleuiſti, vt in ea ſola tot habeamus opes ſanctorum operum, & tam pretioſa dona virtutum: da nobis per inexhauſtam bonitatem tuam, vt tam ſancta,& feruens, & pulchra ad thronum tuæ gratiæ ingrediatur, quòd non inde vacua, ſed tuarum miſerationum plena ad nos, qui eam miſimus, deriuetur. Da Domine diſcretionem, qua locum & tempus accommodum,& habitudinem corporis aptam ad orandum eligamus. Da fiduciæ donum, vt nobiſipſis verè & ex corde diffidentes, in te ſolum, à quo omne datum optimum, & omne donum perfectum venit, confidamus:da vt attentè, reuerenter, & ſtrenuè rebus diuinis meditandis vacemus. Doce nos, ô Magiſter bone, ordinatè ac ſapienter intellectum occupare, ſanctos amoris & omnium virtutum affectus accendere,& importunis poſtulationibus,quas lacrymæ,& ſuſpiria,& gemitus impellant,ad ianuam tuæ miſericordiæ procumbere,donec à te amico fideliſſimo,& Patre piiſſimo tres panes, id eſt, omnem perfectionem & ſanctitatem accipiamus, quibus amicum de via venientem, vel ad te per huius vitæ vias properantem, dum præmium Gloriæ differtur, ſpiritum noſtrum ſatiemus. Amen.

Iac.1.17.

PARS TERTIA

De ſequentibus Orationem mentalem.

INTRODVCTIO.

SI in ea ſimilitudine, quam ſuperiùs induximus, perſiſtamus, & orationem adhuc reginæ potentiſſimæ comparemus, facile intelligetur, aliqua eſſe, poſtquam ab illa ad actiones externas exierimus, diligentiùs obſeruanda: quia reges non tantùm habent ſatellites, qui eos præcedant; & nobiles, qui eos comitentur; verùm & famulos, qui ipſos ſequantur. Et quidem nos hoc loco ſubſequentia Orationem ea vocamus, quæ ab illa vt fructus, ſiue effectus proueniunt, vel quæ profectui orantium impedimento eſſe ſolent, vel quæ à viris ſpiritualibus poſtquam orationi mentali vacare conſtituerunt, debent mordicus obſeruari. Nam duplex eſt iſtorum ſtatus: alter conſolationis & deuotionis; alter deſolationis, & ariditatis; quorum quilibet ſua propria habet, quæ omnino cognoſcenda ſunt, vt in via ſpiritus, & in ſtudio orationis ſine offendiculo procedatur. Alia autem ſunt vtrique ſtatui communia, quæ ſiue iuſtus deuotione irrigetur, vel ariditate & deſolatione purgetur, ſunt tota mentis intentione curanda. Tria ergo hæc tractatio iſta continebit: nam & ſtatum deuotionis, & ſtatum ariditatis exponet; & quid ſemper viro ſpirituali curandum ſit, ſiue deuotus, & alacer, ſiue aridus, & deſolatus exiſtat, prout nobis deſuper datum fuerit, explicabit.

Auctoris hac in parte ſcopus, & ordo.

De vera & ſolida deuotione ex ſtudio Orationis proueniente ſeruanda.

CAPVT I.

B

DVPLICEM deuotionem ſuprà tetigimus, alteram veram, & ſolidam, quam Theologi ſubſtantialem appellant; alteram effectum, aut fructum prioris, quam accidentalem vocant, & nos ſuauitatem & conſolationem ſpiritus nuncupauimus, & in hunc locum vtriuſque

Deuotio duplex.

disputationem reiecimus. Nunc vt promissis stemus, & effectus mentalis Orationis explicemus, eos à priori exordientes tractamus. Solidæ & veræ deuotionis natura ex ipso nomine innotescit. A deuouendo enim deriuatum est, quod verbum significat alicui tradere se, vel in obsequium alicuius se mancipare. Est ergo deuotio, vt Thomas Aquinas ait, voluntas quædam promtè tradendi se ad ea, quæ pertinent ad Dei famulatum. Voluntas pro ipso actu voluntatis ponitur, siue pro illo affectu, quo nos diuinis obsequiis consecramus. Est autem propria virtutis religionis actio. Eiusdem namque virtutis est facere aliquid, & promtam voluntatem habere faciendi illud. Vt temperantiæ est non solùm in debita mensura cibum sumere, sed etiam velle in cibo sumendo seruare mensuram. Et iustitia est (auctore Philosopho) qua homines volunt & operantur iusta. Diuinus autem cultus, siue famulatus, ac diuinum obsequium religionis actio cùm sit, sequitur, quòd etiam voluntas, qua volumus promtè diuinis obsequiis vacare, ad religionem pertinebit. Dicitur autem deuotio voluntas promtè se tradendi Deo, ita vt promtitudo affectum nostrum, non tamen semper opus afficiat. Si enim quis velit efficaciter corporis afflictionem in Dei cultum & obsequium accipere, ac per castigationem carnis se Deo dicare, licèt caro fragilis obmurmuret, & sensus contradicat, & difficultatem maximan sentiat, non ob id est deuotionis dono priuatus, cùm promtè & efficaciter velit difficultatem illam superare, & se per afflictionem suo conditori subiicere. Sæpe verò hæc promta voluntas, quæ deuotio dicitur, ipsa obsequia, licèt de se ardua, & amara, reddit facilia. Nam & respicit ea vt media ad venerandum Deum, cui summè placere desiderat: atque hoc ipsum difficultatem tollit, sicut consideratio vtilitatis in potione ad sanitatem recuperandam inuentæ, eam magna ex parte lenit. Et quia ipsa deuotio amor est obsequiorum illorum, quibus Deum veneramur, illíque placemus. Amor autem id habet vt res etiam laboriosas faciles & iucundas reddat. Huius deuotionis effectus sunt omnia illa obsequia siue interiora, siue exteriora, quæ in Dei cultum & honorem accipimus: qualia sunt ieiunium, vigilia, genuflexio, corporis castigatio, multiplex virtutum affectio, psalmodia, sacrificium, immo & ipsa mentalis oratio. Nam & hæc caussa est deuotionis quatenus promtam hanc voluntatem generat, vt statim dicemus. Est quoque ipsius effectus, quia promta hæc volũtas iam genita sicut & ad alia opera, ita & ad opus orationis & meditationis impellit, & in ea spiritum promouet, quo sensu dixit Augustinus, vel quisquis est auctor libri de spiritu, & anima: quòd deuotio perficit orationem; quia scilicet ex deuotione nascitur oratio perfecta.

Hæc deuotio, siue hæc efficax & promta voluntas tradendi se Deo, & illi per omnia & in omnibus placendi atque obsequendi ingens bonum est. Quoniam est filia gratiæ, & charitatis, ac cæterarum virtutum mater, & omnium bonorum operum fons, & origo. Est quidem filia gratiæ: nam quòd quis hanc voluntatem efficacem habeat, ex gratia procedit, & omne graue peccatum reiicit; si verò aliquod admitteret, non esset efficax, quam nunc exponimus, & vera deuotio. Est autem aliorum bonorum operum, & aliarum virtutum origo: quia est generalis actio, seu voluntas, qua efficaciter ad omne bonum afficimur. Et sicut amans vniuersas res amici sui, amat filium eius, & amat seruum eius, & amat equum eius, & reliqua in speciali, cùm hæc omnia in illo cumulo bonorum amatorum contineantur: ita qui efficaciter vult in omnibus Deo placere, & eius obsequio mancipari, vult quoque omne peccatum fugere, & omnia bona præstare, quæ esse Domino grata cognouerit. Hac voluntate initia bonorum operum nostrorum Domino consecramus. In cuius typum filij Israel obtulerunt mente promtissima atque deuota primitias Domino. Quid enim est primitias offerre, nisi laborum nostrorum initia Deo dicare? Eâdem progressum & continuationem operum ipsi Domino offerimus. Quare alio loco, obtulit vniuersa multitudo hostias, & laudes, & holocausta mente deuota. Nam hostiis, & laudibus, & holocaustis quidquid initia bona sequitur, conuenienter potest intelligi. Ac tandem ipsa deuotione in fine actionum nostrarũ, non alium quàm Deum ipsum respicimus. Voluntariè quippe sacrificabo tibi, & confitebor nomini tuo Domine, quoniam bonum est. Quid est voluntariè? Promtè, delectabiliter, ac deuotè. Sacrificium ergo, quod hæc voluntas promta & deuota promit, non alium finem quàm Deo placere, & ipsius operis honestatem inquirit. Quem sensum certè Augustinus exposuit. Laudetur, inquit, voluntate, ametur charitate; gratuitum sit, & quod amatur, & quod laudatur. Quid est gratuitum? Ipse propter se, non propter aliud.] Et post multa: Numquid ait: Confitebor nomini tuo Domine, quia das mihi fructuosa prædia; quia das mihi aurum, & argentum; quia das mihi latas diuitias, amplam pecuniam, excellentissimam dignitatem? Non. Sed quid? Quoniam bonum est. Melius nihil inuenio quàm nomen tuum. Ideo confitebor nomini tuo, quoniam bonum est.] Si ergo deuotio hæc initia præuenit, progressus dirigit, & finem nostræ conuersationis perficit, nihil ea aut nobilius inuenitur, aut sublimius, aut in vita nostra pretiosius.

Eius admirabilem virtutem Christus Redemtor noster in seipso voluit exprimere: & quidem in initio & in fine mortalitatis suæ, vt nobis pateat quàm deuoti ac Deo traditi in exordio & fine nostræ conuersationis esse debeamus. De suæ mortalitatis principio quid dicit? Sacrificium & oblationem noluisti, aures autem perfecisti mihi; vel vt Septuaginta verterũt: Corpus autem adaptasti mihi: holocaustum & pro peccato non postulasti; tunc dixi: Ecce venio.] Cùm inquam sacrificia, & oblationes, & hostias pro peccato, & holocausta antiquæ legis abiecisti, & me carne circumdedisti, ac aures meas obsequentes tibi dedisti; nunc promtus & alacer dixi: Ecce in mundum venio. Et si interroges ad quid veniat? statim respondet: In capite libri scriptum est de me, vt facerem voluntatem tuam: Deus meus volui, & legem tuam in medio cordis mei.] Ad hoc venio, ô Pater, vt in corpore meo non aliter quàm in quodam volumine à te iussa & imperata perscribam, adeò vt qui me viderint, me non aliud esse quàm tui beneplaciti expressionem intelligant. Ad hoc venio, vt promtissimè ac perfectissimè tuam voluntatem expleam. Hanc volui, id est, summè ardentérque dilexi, & eam in medio præcordiorum meorum abscondi, vel in medio ventris gestaui, vt innotescat, quia meus cibus est, vt faciam voluntatem Patris mei, qui in cœlis est. At in fine vitæ quomodo suam orationem concluserit? Verumtamen, ait, non sicut ego volo, sed sicut tu.] Non, inquam, fiat hoc (sic interpretatur Beda) quod humano affectu loquor,

D. Th. 2. 2. q. 82. art. 1. Quidnã deuotio vera sit.

Exedi 35. 21.

2. Paral. 29. 31.

Arist. 5. Ethic. cap. 1.

Psal. 53. 8.

Explicatur deuotionis definitio.

Augusti. ibid.

Deuotio ardua quæque facilia reputat.

Christus veræ deuotionis exẽplar in principio & fine vitæ. Psal. 39. 7.

Oratio deuotionis caussa & effectus.

Aug. lib. de spir. & anima, cap. 50.

Verſ. 9.

Hebræa sic possũt verti: In capite libri scriptum est superme.

Deuotio filia gratiæ.

Ioan. 4. 34.

Itẽ virtutum origo.

Matth. 26. 39.

Beda ibid.

sed

ſed id propter quod ad terras tua voluntate deſcendi.] Chriſtus itaque ſecundùm quod homo, ſicut fuit perfectiſſimum vniuerſarum virtutum exemplar, ita ſeipſum exhibuit prototypum veræ ac ſubſtantialis deuotionis, quam tunc imitamur, cùm Deo in omnibus obedire, & eius iuſſa exequi ſiue in proſperis, ſiue aduerſis efficaciter volumus. Ille tantus Dominus in ipſo ingreſſu ſuo, quo venit carne indutus ad nos, teſtatus eſt, quia ad faciendam Patris voluntatem venit. In progreſſu vitæ voluntatem Patris cibum habuit, in egreſſu ad explendam Patris voluntatem promtiſſimè morti ſe dedit. Hic erit conatus noſter, hoc deſiderium, vt in omnibus Dei voluntate formemur, & promtiſſimè ei ſeruire velimus. Sítque formula vitæ noſtræ illud Dauidis: Anima mea illi viuet; & ſemen meum ſeruiet ipſi.] Ad hoc ſpiritum ducam, & anima mea hos artus non deſeret, vt Deo in omnibus me conformem, & non meipſum, meam vtilitatem, aut dignitatem, aut voluptatem, ſed eius voluntatem aſſecter. Opera etiam mea, quæ vice filiorum mihi ſunt attributa, illi perpetuò ſeruient, & in ipſius gloriam promouendam incumbent.

Pſal. 21. 31.

Veræ deuotionis præcipua cauſſa Deus.

Deuotio hæc, ſeu promtiſſima Deo ſeruiendi voluntas, in qua profectò omne pondus ſpiritualis vitæ conſiſtit, cauſſam habet primam ac principalem ipſum Deum, qui iuſtos ſic ad ſe trahit, & per hanc promtitudinem ſibi ſubiicit. Quis enim potuiſſet voluntatem humanam à proprio amore, & à ſuis commodis auocare, niſi ille ipſe, qui herus eſt, & Dominus voluntatis? Quis niſi ille, qui velut optimus & ſapientiſſimus gubernator ſuæ gratiæ clauo nauem cordis noſtri in portum ſalutis dirigit, & habenis auxiliorum ſuorum cohibet ne in præceps ruat, & in peccatum tendat. Ac proinde ſapienter dixit Ambroſius: Deus quos vult ex indeuotis deuotos facit.] Cauſſa autem proxima hunc actum eliciens eſt virtus religionis, immo & ſæpe virtus charitatis, quarum illa hanc promtam voluntatem elicit, vt Deo honorem tribuat; hæc vt ipſi propter ſeipſum amato placeat. Cauſſa trahens, & certa quadam ratione mouens eſt res à nobis conſiderata, & in recogitationem adducta. Cauſſa tandem excitans, ſeu inſtigans eſt mentalis oratio, quæ Dei maieſtatem, & eius beneficia, & multiplex debitum noſtrum attentè conſiderans, & virtutum affectus iubens ſuauiſſimè voluntatem Deo ſubdit, & ad hanc promtitudinem ſe tradendi illi expeditiſſimam facit. Nouit hoc Dauid: Memor, inquit, fui nocte nominis tui Domine, & cuſtodiui legem tuam.] An nocte tantùm nominis Domini recordabatur, & die per inania mente vagabatur? Nullo modo. Sed per noctem hanc vitam triſtem & tenebricoſam intelligit. In ea, inquam, magnitudinis tuæ memini, ô Domine, & hæc recordatio me ad cuſtodiendam legem allexit, & ab iis, quæ impedimẽto eſſe poterant, expediuit. Et paulo antè dixerat: Memor fui iudiciorum tuorum à ſæculo Domine, & conſolatus ſum.] Et alia litera habet, vt refert Auguſtinus: Et exhortatus ſum. Nam conſideratio operum diuinorum eius prouidentiam & benignitatem ante oculos mentis ponens, nos vehementer conſolatur, & ſimul efficaciter exhortatur vt tam magno & benefico Domino pareamus.

Ambr. 6. in Luc. c. 9. Cauſſa deuotionis proxima interdum religio, interdũ charitas. Cauſſa excitans mentalis oratio.

Pſal. 118. 55.

Pſal. 118. 52. Auguſt. ibid. concion. 15.

Sed audi ex Bernardo, quæ meditationes donum deuotionis prouehant. Quatuor, inquit, eſſe dicuntur, quæ gratiam noſtræ deuotionis adaugent, memoria peccatorum quæ hominem reddit humilem apud ſe; recordatio pœnarum, quæ illum ſolicitet ad bene agendum; conſideratio peregrinationis, quæ illum hortetur, viſibilia debere contemni; deſiderium vitæ perennis, quæ hominem incitans ad profectum cogit eum à terrenis affectibus voluntatis mutatione ſuſpendi.] Bonauentura quoque multiplicem conſiderationem tangit, ex qua donum deuotionis emergit, ſic ſcribens: Ignis in altari ſemper ardebat, quem nutriebat ſacerdos ſubiiciens manè ligna per ſingulos dies impoſito deſuper holocauſto. Ignis eſt iſte perpetuus, qui numquam deficit in altari. Tu ergo Dei ſacerdos, id eſt, ſacris deditus, cùm per noctem negligẽtiæ deprehenderis ignem deuotionis in altari cordis tepuiſſe, manè, id eſt, apparẽte prima lucis agnitione, ligna deuotionis diuerſis occaſionibus quaſi adiacentibus nata ſi vis collecta ſubiice, ligna ex magna ſilua ſupplicationis materiam miniſtrantia ſunt peccata quottidiana, & aliqua magna. Ligna ſunt negligentiæ noſtræ, & miſeriæ, & defectus virtutum, & gratiarum, & vitia tam ſpiritualia, quàm carnalia, & tentationes & varij euentus, quibus pulſamur, & incommoda, quæ patimur, & timemus, & pro quibus dolemus, tam pro nobis, quàm pro aliis, quorum miſeriis compatimur. Ligna ſunt omnia quæ deſideramus habere, pro quibus oramus, vt impetremus: ſimiliter omnia beneficia nobis collata, pro quibus agere gratias debemus. Hæc multam deuotionis materiam, quaſi perpetui ignis nutrimentum perpetuò ſubminiſtrant.] Sic illi. Mentalis itaque oratio deuotionis eſt excitatrix. Nam ſicut prauæ cogitationes, & impuri affectus ad omne malum inclinant voluntatem, cuius eſt ductum conſiderationis ſequi: ita Dei & diuinorum meditatio, & multiplex, quæ ex ea inſurgit affectio virtutis, voluntatem promtam efficit, vt ſe Deo tradat, & eius in omnibus obſequium quærat.

Bern. in ſent. ad medium. Quanam gratiam deuotionis excitent ex Bernardo.

Bonau. 7. de proceſſu religion. c. 11.

Hæc ſuper re Bonauẽturæ conſilium.

Viatorem laſſum & fatigatum ex itinere diuertere ad hoſpitium aſpicimus; qui ſi cibum conuenientem accipiat, & per aliquod tempus obdormiat, iam laſſitudine ſublata agilem ſe ſentit ad progrediendum, & ambulandum. Et occupationes ac negotia huius vitæ greſſus voco difficilis ac longioris itineris, quod per cliuum aſperum & arduum conficimus, in quo non parum mente laſſeſcimus, & quoad virtutem & robur animi fatigamur. Meditationem autem diuerſorium appello, in qua ſanctis conſiderationibus, & affectibus, quaſi ſuauiſſimis cibis, & pretioſis vinis recreamur, & in quadam ſpirituali tranquillitate ſuauiter obdormiſcimus. Quid multum ſi poſt tale refrigerium agiles ad carpendum iter, & robuſtos ad Dei voluntatem explendam, ac planè deuoti inueniamur. De Chriſto Propheta rex cecinit: De torrente in via bibet, propterea exaltabit caput.] Torrentis autem nomine labores mortalitatis eius, ac præſertim acerbiſſimam mortem intellexit. Qua ſuperata in reſurrectione caput extulit, & carnem ſuam gloriæ & exultationis ſtola veſtiuit. Torrentem paſſionis ac laborum Saluator patiendo bibit: nos aqua torrentis huius compatiendo & meditando potamur. Atque in hac pia meditatione caput efferimus, quia fortes ad proterendos hoſtes, & ad expugnandam patriam cœleſtem efficimur. Orauit in horto Dominus, & ex oratione quàm promtus ad paſſionem ſurrexit; qui vno verbo hoſtes proſtrauit, vt adamantem & ſilicem ſemetipſum doloribus & opprobriis obiecit, mundum ſubdidit, diabolum vicit, & peccatum mor-

Anima defatigata diuerſorium meditatio.

Pſal. 109. 7.

témque destruxit. Et ille quidem ante orationem fortissimus erat, quem ab ipso conceptionis momento sicut plenitudo gratiæ, ita & omnis potestas ac fortitudo circumdedit. Sed ante orationem illam mortis timorem & passionum horrorem admisit, in oratione verò illam carnis imbecillitatem expulit, vt quid in membris suis, scilicet in iustis futurum esset, apertè monstraret. Hos enim sæpe ante orationem segnities & pusillanimitas possidet, & post orationem infirmitate pulsa, virtus ad faciendum & patiendum excipit. Sciúntque,& quasi contrectant manibus ex oratione promtitudinem ad bonum, & veram deuotionem exoriri.

Rationi inuigilãdum ad deuotionem conseruãdã. Psal.62. 6.

Hæc cùm ita sint, solicitè inuigilandum est, vt oratio nostra hanc substantialem & solidam deuotionem accendat,& accensam augeat,donec nos promtissimos ad diuina obsequia reddat.Ideo ante orationem eam postulabat Dauid: Sicut adipe & pinguedine repleatur anima mea, & labiis exultationis laudabit os meum.] Quia videlicet oratio ex pinguedine deuotionis procedens ipsam deuotionem accendit. Si aliquam eius vel paruam scintillam habuerimus, summopere curabimus, ne eam negligenter oscitantérque perdamus. Pistor furnum suum calidum semper conseruare nititur, sciens quia si semel penitus calorem amittat, difficulter postea, & maiori impensa ad calorem redibit. Sic omnino in corde nostro calorem deuotionis,& promtitudinis huius custodiemus:nam si semel intepescat, quàm laboriosè iterum accendatur,non sine detrimento discemus. Pulchro simili Ecclesiastes hoc quod docemus expositit. Si retusum fuerit ferrum,& hoc non vt priùs,sed hebetatum fuerit, multo labore exacuetur, & post industriam sequetur sapientia. Gladius,inquam,acutus, & leuigatus moderato vsu splendescit, & vim secandi non amittit:at si otietur, nigrescit,obtunditur, rubiginem contrahit, & ineptus ad scindendum efficitur. Ita animus rerum cœlestium consideratione animatus ad sanctè viuendum, & ad vitam spiritualem promtus effectus;si illam promtitudinem perdat,segnior & negligentior factus difficulter satis reparabitur. Post solertem verò,& laboriosam industriam sequetur sapientia:illa nimirum qua homo detrimẽto suo cognoscet quantum bonum amisit, & cum quanto labore illud in pristinum statum restituet. De quiete diei septimæ in qua cultus Dei præcipiebatur,& opera seruilia interdicebantur, dictum est ad filios Israël: Maneat vnusquisque apud semetipsum, nullus egrediatur de loco suo die septimo. Et sabbatizauit populus.] Hoc de studio orationis Bonauentura moraliter intellexit. Et nos ad propositum deuotionis sic interpretamur. Quòd si nos quieti, & feruori orationis assueuerimus, facile mentem in eo statu custodiemus, quo iucundè spiritualiter sabbatizet, ac diuinis obsequiis vacet.Si autem distracta,& ad teporem conuersa partam facilitatem in diuino cultu perdiderit,non facile eam iterum reparabit. Præcipuum instrumentum, quo hæc deuotio conseruatur,& augetur, est ipsa oratio mentalis, & timor atque amor Dei,ex quibus processit. Nam vt ait Climacus: Quoties anima seipsam prodiderit, colorémque amabilem ac beatissimum amiserit, inquirat diligenter,qua ex caussa id sibi contigerit, atque aduersùs illam bellum omne, ac studium summis viribus resumat. Neque enim poterit per aliam portam illum reuocare, nisi per quam egressus est.] Alia verò instrumenta, quia deuotioni substantiali & sensibili sunt communia, in sequentibus explicabimus.

Eccl. 10. 10.

Difficile amissa deuotio recuperatur.

Exod.16. 29.

Bonau.7. processu, c.14.

Instrumẽta ad deuotionem conseruandã & augendam.

De suauitate spirituali magni æstimanda.

CAPVT II.

DEVOTIONEM veram ac solidam, quæ nullo pacto ex aliqua dulcedine, aut iucunditate dependet, accidentalis deuotio consequitur, quam in suauitatem & consolationem suprà distinximus.Nunc verò has voces, ac res per illas significatas declarantes,quod huius loci fuerit(nam multa horum affectuum potiùs ad donum perfectæ contemplationis spectant,& infrà, si Deus dederit, erunt explicanda)pro legentium vtilitate dicemus.Promtitudo voluntatis ad seruiendum & obsequendum Deo, quæ vera & substantialis deuotio appellata est, tribus obstaculis solet impediri, & interdum magna ex parte minui, & extenuari. Alterum est carnis fragilitas omnem laborem fugiens, & ad pausationem trahens; de qua est illud Domini ad discipulos in horto dormiturientes: Spiritus promtus est, caro autem infirma.] Alterum est sensualitas, seu appetitus sensibilium voluntati contradicens, & quæ sunt carnis, & sæculi huius concupiscens,& timorem virtutis, ac rerum spiritualium, & repugnantiam inducens. De hoc ait Paulus: Condelector enim legi Dei secundùm interiorem hominem: video autem aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captiuantem me in lege peccati.] Tertium est necessitas huius vitæ,quæ nos ad curam corporis,sanitatem,& alia,sine quibus non subsistet,perpetuò aduocat. Et huc pertinet quod etiam dixit Paulus: Nemo enim vmquam carnem suam odio habuit, sed nutrit, & fouet eam.] Deus autem, qui est princeps benignissimus, & pater amantissimus, vult famulos ac seruos suos lætos & alacres esse, & non sine hilaritate & exultatione sibi seruire. Si enim hoc volunt principes huius sæculi,& præcipuè carnales patres; cur idem non velit ille, qui verus & dulcis Pater est, ex quo omnis paternitas in cœlis & in terra nominatur? Hoc igitur facit in eis per hanc deuotionem, aut suauitatem spiritualem, qua & imbecillitatem nostram erigit, & sensualitatem comprimit,& immoderatam curam rerum huius vitæ reiicit, & animam in quadam admiranda serenitate & tranquillitate constituit. Hanc suauitatem quid sit, & quàm pretiosa & sublimis existat, volumus explicare.

Impedimẽta deuotionis substantialis quæ.

Matth. 26. 41.

Rom.7. 22.

Ephes.5. 29.

Deo cum alacritate seruiẽdum.

Ephes.3. 15.

Accidentalis deuotio id efficit.

Eam superiùs oleo comparauimus, & quia res sancta est, & sanctitatis effectrix oleo sancto, quo sacerdotes vnguntur, & sacramenta perficiuntur, suauitatem istam spiritus similem esse dicamus. Quæ enim de hoc sancto oleo Cyprianus scripsit, optimè eius vim ac proprietatem explicabunt. Ex huius vnctionis beneficio, inquit, & sapientia nobis,& intellectus diuinitus datur,consilium & fortitudo cœlitus illabitur, scientia,& pietas,& timor inspirationibus supernis infunditur. Hoc oleo vncti cum spiritualibus nequitiis colluctamur, nec fœtoribus spuriis imbui possumus, qui balsami spiritalis odore fragramus. Hoc oleum à creditorum vsuris sub Elisæo Propheta mulierem pauperculam liberauit. Hoc Eliæ tempore Sareptanam pauit, nec Lecythus trima effusione defecit. Hoc

Hæc deuotio sancto oleo persimilis est. Cyprian. de Cardinal. operibus Christi, titul. de vnctione Chrisin.

oleo

oleo vncti cum ſpiritualibus nequitiis colluctamur, nec fœtoribus ſpuriis imbui poſſumus, qui balſami ſpiritalis odore fragramus. Hoc oleum à creditorum vſuris ſub Eliſæo Propheta mulierem pauperculam liberauit. Hoc Eliæ tempore Sareptanam pauit, nec Lecythus trina effuſione defecit. Hoc oleo Iacob lapidem, quem ſuppoſuerat capiti, vnxit, & familiari mandato eruditus inter ſacramenta aſcenſionum & deſcenſionum, & diſcurſus Angelicos innixum ſcalæ ſublimi videns Deum, quid virtutis hæc haberet vnctio, intellexit. Moyſes hoc oleo tabernaculum, & ſacra vaſa perunxit, & ſuper caput Aaron tanta abundantia fudit, vt vſque in barbam eius deſcenderet, & ſuper oram veſtimenti manaret. Samuel quoque ad reges initiandos ſine oleo non accedit.] Hæc ille. Eadem autem, quæ ſanctæ vnctioni tribuit, facile poſſunt oleo ſuauitatis aptari. Nam cùm Dominus eam in animam iuſtam effundit, Spiritus ſancti multiplex donum non otioſum ſe continet, ſed vt virtutes perficiat, in actionem exit. Tunc impulſus dæmonis magna ex parte ceſſant, & mitiores ſunt, & ſtatim abſcedunt. Tunc oblata qualibet meditatione compungimur, & lacrymas vbertim fundimus, vnde & ab imperfectionum & culparum debitis liberamur. Hæc ſacra deuotio vt panis oleatus nos paſcit, & ſpiritualem pinguedinem in corde deeſſe non ſuſtinet. Hæc Chriſtum lapidem viuum nobis ceruical blandiſſimum, cui innixi ſuauiſſimè dormiamus, exhibet, ad cognoſcendam ſcalam virtutum, & opera ſtudioſa, quæ per gradus illius ad Deum aſcendunt, ad proximóſque deſcendunt, oculos aperit. Hac ſpiritalis Moyſes, vir ſcilicet orationi deditus tabernaculum Dei, & omnia vaſa eius, nimirum mentem ſuam, & omnes vires eius Deo conſecrat, & ab vſibus prophanis abalienare non ceſſat. Hac iuſti vnguntur in reges, qui ſeipſos faciliter regant, & quidquid in ſe minus ordinatum inuenerint ſeuerè puniant. Hæc denique aliquando nullo modo in capite Aaron, aut in mente ſe continet, ſed ad oram veſtimenti (vt ſtatim dicemus) ad corpus ſcilicet carnémque deſcendit.

Vnctionis ſanctæ effectus de uotioni accommodantur.

Deuotio igitur hæc, quam ſuauitatem vocamus, ipſam mentem afficit, & in ea mirabiles effectus habet, quos Bonauentura ſapienter, & veluti ea perfectè vnctus expoſuit. Primò enim memoriam ſanctis cogitationibus imbuit, & in recordatione Dei ſtabilitatem impertit; omnem euagationem excludit; corporales imaginationes expellit; perfectam obliuionem rerum mundanarum immittit, & quaſi vnum ſpiritum nos cum Deo facit. Secundò intellectum ad intelligentiam Dei, & eorum, quæ ipſius ſunt, & ad eum conſequendum conferunt, luce perfundit; Dei beneplacitum illi patefacit; inter virtutes ac vitia diſcernere docet; vias virtutum & remedia vitiorum ad propriam meditantis vtilitatem detegit; admirationem ſapientiæ, bonitatis, & potentiæ Dei, & aliarum perfectionum in diuinis operibus elucentium infert, & circa quamcumque rem, quam recogitet, lucidiſſima cognitione replet. Tertiò voluntatem, ſanctis & deuotis erga Deum & multiplicibus affectionibus perficit; fiduciam erigit; charitatem adauget; deſiderium Deo in omnibus placendi, & bonam voluntatem ingerit, mentis alacritatem tribuit, ſpe remiſſionis peccatorum, & aſſequendæ ſalutis exhilarat; amore erga Chriſti humanitatem, & compaſſione dolorum ipſius emollit, deſiderio regni cœleſtis, confidentia exauditionis, & affectu diuinæ familiaritatis ditat, & ad amorem proximorum, odium vitiorum, ſtudium virtutum, & curam bonarum actionum inflammat. Quartò corpus ipſum componit, ab impuris motibus eripit, ad ſeruiendum ſpiritui promtum reddit; quod ſpiritui obedit in omnibus bonis, & non recalcitrat, nec ſi exerceatur obmurmurat. Facile ſuſtinet, ſi ad laborem inſtigetur, ne torpeat: ſi caſtigetur, ne inſoleſcat: ſi parcè ſuſtentetur, ne laſciuiat. Tandem hæc ſuauitas dat homini conſolationem in bonis operibus licèt laborioſis de ſe, & in conſideratione diuinorum, & in reliquis exercitationibus ſpiritualibus, ita vt iſta illi ſatisfaciant, & in illis ipſe quietem, & animi ſerenitatem, in aliis verò quibuſcumque rebus ab ſpiritu alienis, quaſi tribulas & ſpinas inueniat. Hæc autem conſolatio, ſiue delectatio in bonis, vt Dionyſius Richelius ait, non ſemper eſt perceptibilis, ſiue ſenſibilis, ſed eſt verum ſpiritualéque gaudium, ſeu complacentia voluntatis, qua in rebus ſpiritualibus, atque in bonis operibus nõ aliter quàm in centro quieſcit. Omnia quæ de hac ſuauitate diximus breuiter perſtrinxit Bernardus ſic ſcribens: Verùm quid aliud eſt hæc conſolatio, quàm procedens de ſpe veniæ gratia deuotionis, & ſuauiſſima delectatio boni, & guſtus ſapientiæ licèt exiguus, quibus interim benignus Dominus afflictam refrigerat animam? Sed guſtus ille nihil aliud eſt, quàm irritamentum deſiderij, & incentiuum amoris, ſicut ſcriptum eſt: Qui edunt me, adhuc eſurient, & qui bibunt me, adhuc ſitient.] Hæc ille.

Dionyſ. Richel. 1. de contemplat. art. 12.

Bernard. ſerm. 1. om. sãct. in illud, Beati qui lugent.

Eccli. 24. 29.

Hæc ſuauitas, ſiue deuotionis pars non dubium, quin ab oratione quoque mentali proueniat. Eſt namque ſi bene inſpiciatur ipſa deuotio ſubſtantialis magis prouecta, atque perfecta, quæ iam non tantùm impedimentis virtutum reluctatur; verùm & ipſa eiicit à finibus noſtris, ac ab anima potenter eliminat. Vt autem hoc intelligamus, ſciendum eſt duobus modis à Domino hanc ſuauitatem & veram conſolationem effici. Primò quidem facit eam ſolus Deus per ſeipſum abſque vlla præuia diſpoſitione noſtra vt ſe Dominum cordis oſtendat. Interdum enim nõ ſolùm non orantes, verumetiam diſtracti, & inutilibus inhærentes repentè interiùs tangimur, & indicibili ſuauitate colligimur, & vniuerſa terrena contemnimus, & ad ſpiritualia & cœleſtia vehementer inhiamus. Implet Dominus verbum ſuum. Auferam à vobis cor lapideum, & dabo vobis cor carneum, & ſpiritum meum ponam in medio veſtri.] Ingreditur ianuis clauſis, id eſt, priuſquam illum aduocemus, aut ad illum excipiendum diſponamur: & hoc vel intellectum ſubita & noua illuſtratione tangens, vel abſque noua illuſtratione voluntatem afficiens, & cor quod habet in manibus velut cerã emolliens, & dicit: Pax vobis. Et tunc ô Domine, fit pax in virtute tua, & abundantia in turribus tuis.] Quis enim explicet quàm magna tunc arcem noſtræ mentis pace perfundas? Quanta abundantia quietis, & ſanctarum illuſtrationum, & feruentiſſimorum affectuum turres munitiſſimas huius arcis, memoriam, intelligentiam, & voluntatem impleas? Ex hac ſubita mutatione à nobis nequaquam præuenta conſpicitur, quia in tuam domum intraſti, & tecum has veras & copioſas diuitias adduxiſti. Certum ſit igitur ſine vllo præuio apparatu ex parte noſtra aliquando hanc cœleſtem ſuauitatem immitti. Huiuſce autem rei tres cauſſas Laurentius Iuſtinianus his verbis aſſignat: Interdum conſueuit diuina bonitas ſuos inopinatè, & ſine vlla prorſus præparatione, aut diſpoſitione, interno

Suauitas ab oratione mentali prouenit.

Interdũ Deus hãc ſuauitatem ſe ſolo cordibus immittit.

Bonau. 3. proceſſu relig. per totum. Illius deuotionis effectus ex Bonauentura.

Ezech. 36. 26.

Pſal. 121. 7.

Iuſt. lib. de diſcip. monaſt. cap. 18.

illuſtra

Cur nãid ſæpe ſe ſolo Deus efficiat, ex Iuſtiniano.

illuſtrare ſplendore, ſiue vt iacentis animi torpentem excitet ignauiam, ſiue vt elationis & propriæ æſtimationis auferat materiam, ſiue vt puſillanimitatem ac fragilitatem foueat, & erigat humanam.] Sapienter quidem hæc dicta ſunt. Quia nihil ita torporem excutit, ac iſte ignis ac feruor de cœlo demiſſus: nihil ita elationem comprimit, ac iſte profectus à nobis priùs non quæſitus, immo & penitus ignoratus: nihil ita hominem ad magna aggredienda confortat, ac iſtud armorum genus, quod homo ante acceptam hanc gratiam numquam in ſeipſo fuerat expertus.

Sæpius Deus per orationẽ hanc ſuauitatem in cordibus excitat.

Deinde excitat Dominus hanc ſuauitatem ſpiritus, & accidentalem deuotionem orationis mentalis, ac conſiderationis præſidio. Quemadmodum enim ſi rem aliquam pretioſiſſimam & pulcherrimam videamus, eius deſiderio inardeſcimus, ipsámque non ſolùm comparare ſtatuimus, verùm & ſpe illam poſſidendi lætamur: ita dum mens cœleſtia myſteria, ac Dei magnalia omnibus theſauris pretioſiora conſiderat, non ſolam promtam voluntatem ea quærendi induit, quod eſt ſubſtantialis deuotio, verùm & expectatione tanti boni ſuauitatem iſtam, & gaudium ſpiritale conquirit. Meditatio quoque animam culpa & imperfectionibus mundat, quia excitat odium omnis peccati, & omni virtute perficit, ad cuius affectus & actiones impellit. Sicut autem ſanitas corporis iucunditatem corpori tribuit, ita & hæc ſanitas mentis lætitiam illi & ſuauitatem affert. Pro qualitate autem conſiderationis ſuauitas hæc ſpiritualis magis, aut minus aſſurgit. Nam quo attentior, profundior, & vehementior fuerit confidentia, eo maior ſuauitatis deuotio ſuccẽditur. Quo maiores incidunt cauſſæ iracundiæ, eo indignatio implacabilior emergit. Vt enim eſt in Eccleſiaſtico: Secundùm ligna ſiluæ, ſic ignis exardeſcit: & ſecundùm virtutem hominis, id eſt, potentiam, ſic iracundia illius erit, & ſecundùm ſubſtantiam ſuam, id eſt, diuitias ſuas, exaltabit iram ſuam.] Ita, & quo magis cauſſæ diligendi Deum, & in virtute proficiendi per meditationem nobis innoteſcunt, eo amplius creſcit deuotæ ſuauitatis affectus. Nehemias carnes, quæ in holocauſto erant concremandæ, ac ligna compoſuit, Dominus verò è cœlo ignem miſit, & præparata ſuccendit. Ita dum nos ſanctas meditationes quaſi ligna componimus, & cor noſtrum vt ſacrificium offerimus, igne ſanctæ deuotionis concremamur. Omnis itaque conſideratio, omnis oratio, omnis ſancta de rebus diuinis affectio, hanc internam ſuauitatem mentis generat, ſi (vt poſtea ſumus dicturi) vitæ tepiditas, aut multiplex imperfectio non impediat. Huic orationi mentali dediti quottidie ad abnegationem ſui, & ad mortificationis opera, & ad virtutis labores faciliores ſe ſentiunt. Quia nimirum hæc interna ſuauitas illorum difficultatem attemperat. Eliſeus in ollam plenam colocynthidis amariſſimis farinam miſit, & eas dulcedine & ſuauitate condiuit, ita vt non fuerit amplius quicquam amaritudinis in olla. Et Chriſtus in vitam noſtram huiuſmodi ſuauitatem ex oratione profectam mittit, vt omnem ab ea amaritudinem tollat.

Eo maior ſuauitatis deuotio quo attentior oratio.

Eccli. 28. 12.

Hæc ſuauitas tẽperat mortificationis amaritudinem. 4. Reg. 4. 40.

Quanti facienda ſpiritualis ſuauitas.

Quàm pretioſa verò ſit, & quanti valoris iſta ſpiritualis ſuauitas, ex oratione mentali profluens, ſatis ex dictis perſpicitur. In nobis enim eos actus & affectus virtutum profert, & auget, quibus in omni ſanctitate perficimur. Quis non videat quàm pretioſa ſit memoriæ quies, & ſanctarum cogitationum vbertim fluentium copia, diſcurſuum & meditationum abundantia, affectuum, amoris & humilitatis, & aliarum virtutum opes, in vincendis tentationibus pronitas, in perficiendis bonis operibus, & aggrediendis magnis laboribus ſumma facilitas? Sed hæc omnia ex hac ſuauitate manant, qua Deus vniuerſa ſubmouet impedimenta virtutis, & animam plenè reddit ſubiectam ſibi. Non eſt cenſus, inquit Eccleſiaſticus, ſuper cenſum ſalutis corporis, & non eſt oblectamentum ſuper cordis gaudium.] Vt ſicut ſanitas corporis omnibus opibus & theſauris præponitur, ita hoc verum gaudium ad omne opus bonum incitamentum in immenſum omnibus gaudiis viſibilibus præferatur. Eſt namque Spiritus ſancti fructus ordinariè à charitate procedens, & veram pacem & animæ tranquillitatem attribuens. Quod docuit Paulus, dum illud in medio charitatis & pacis conſtituit, dicens: Fructus ſpiritus eſt charitas, gaudium, pax.] Pro hoc gaudio alio loco gratias agit. Qui conſolatur humiles, ait, conſolatus eſt nos Deus. Verè ille conſolatur humiles, quia his ſuauitatem iſtam, & conſolationem abundanter impertit, ab ea verò ſuperbos elatóſque repellit. Hæc ſuauitas eſt velut arrha bonorum cœleſtium, qua mens ſtillam quamdam libat illius futuræ & ſemper duraturæ quietis. Quæ profectò (auctore Bonauentura) datur interdum etiam tyronibus, & viam ſpiritus incipientibus, vt videant quàm largè Deus remunerat ſibi ſeruientes, & quàm bonum eſt ſeruire tam dulci Deo. Item ad confirmationem fidei, ad robur ſpei, ad charitatis accenſionem, ad deſiderij inflammationem, ad eruditionem, vt videant quomodo pergendum ſit, ſicut in tenebris lumen oſtenditur, vt videatur quomodo ſit eundum, & à quibus cauendum.] Eſt igitur lac infantibus, & ſolidus cibus adultis: quoniam omnes hac interna ſuauitate paſcuntur, & pro ſtatuum varietate ſuccreſcunt.

Eccli. 30. 16.

Galat. 5. 22.

Bonau. proceſſ. 3. relig. ad finem.

Cur ſpiritualis ſuauitas detur ſæpe tyronibus.

Hanc ſuauitatem, & conſolationem ſpiritualem, ô vir Dei, ardenter deſidera, & humiliter poſtula, non propter ſe, ſed vt illa quaſi inſtrumento in omni virtute proueharis. Hæc multo efficacius te à culpis & imperfectionibus retrahet quàm timor imminentis caſtigationis, & aliis venerabilem reddet, & omnis virtutis exemplar. Eſt enim vnguentum illud, de quo ſponſa in Canticis ait: Quia meliora ſunt vbera tua vino fragrantia vnguentis optimis.] Pinguedo gratiæ, ait Bernardus, quæ de tuis vberibus fluit, efficacior mihi eſt ad ſpiritualem profectum, quàm mordax increpatio Prælatorum. Nec ſolùm meliora vino, ſed & fragrantia vnguentis optimis: quia non modò internæ dulcedinis lacte præſentes alis, ſed bonæ quoque opinionis grato odore reſpergis abſentes, bonum habens teſtimonium, & ab his qui intus, & ab his qui foris ſunt. Habes, inquam, lac intus, & foris vnguenta; quoniam quidem non eſſent quos lacte reficeres, ſi non priùs odore attraheres. Hæc orationem tuam impinguabit, quæ abſque conſolatione ſatis arida & exilis inuenitur. Quare eam oblationi Orationis viri iuſti Dauid imprecatur, dicens: Memor ſit omnis ſacrificij tui, & holocauſtum tuum pinguefiat.] Equidem exiſtimo quia ſatis appoſitè per hoc ſacrificium, quod è ſimila & thure offerebatur, & per hoc holocauſtum, in quo totum animal cremabatur, eſt oratio intelligenda. Quæ vt odor ſimilæ, & ſuffitus thuris in cœlum aſcendit, & quidquid in nobis eſt quaſi charitatis igne cõſumit. Eſt ergo ac ſi diceret: Ora-

Ad profectum iſta ſuauitas ardẽter deſideranda.

Cant. 1. 1.

Bernard. ſerm. 9. in Cant.

Suauitas orationẽ impinguat. Pſal. 19. 4.

tionem tuam,ô iuſte,Deus vt odorem ſuauiſſimum gratã habeat, & deuotionis ac ſuauitatis pinguedine repleat, vt ea illectus, & quaſi victus ſecundùm tuum deſiderium faciat, & quidquid poſtulaueris affatim tribuat. Nec iſta orationis pinguedo difficulter intelligitur. Quiſque enim animaduertit quàm aliter orat cùm ſuauitas deuotionis infunditur,aut cùm Deo ordinante, aut permittente ſubtrahitur. Si enim aura hæc cœleſtis afflauerit, ſtatim diſcurſus deſeris,quibus ad quærendã veritatem vtebaris,& quaſi voto tuo potitus ad colloquendũ cum Domino,quẽ ſentis præſentẽ,te conuertis.Iam non tam ſpecularis,quàm guſtas,cognitione quadam experimentali, & practica, & veluti dilectum ipſum intueris; incipíſque vim illius ſententiæ percipere: Guſtate, & videte,quoniam ſuauis eſt Dominus.] Nam guſtus dulcedinis Dei (quod in Ionatha adumbratum fuit) aperit oculos, vt poſt guſtatum mel cœleſtia aliter videas. Huius tandem ſuauitatis beneficio virtutes augentur,& ad opus applicantur, opera perficiuntur, & iucundè, ac ſine tædio ab homine fiunt: & tota mens eximia lætitia & exultatione perfunditur. Quam lætitiam efficit, tum lux illa experimentalis,quæ multo melius, & efficacius quàm corporalis lux vim habet lætificandi: tum ordo & modus in rebus omnibus ab ipſa deuotione profectus, cuius eſt perturbationem contriſtantem expellere; tum agilitas ab ipſa quoque deuotione manans, quæ pondus ſterilitatis,& tepiditatis,quod nos opprimebat, auertit.

Pſal.33. 9.

Auget virtutes & iucũdè illarũ opera exequitur.

Perperã aliqui contẽnũt hanc deuotionis ſuauitatem.

Errant itaque qui hanc ſpiritualem ſuauitatem non magnifaciunt, & eam in oratione non ſitiunt, & ſi abſcedat,minimè eius cauſſa triſtantur,in quo indicium præbent quòd eius multiplicem vtilitatem numquam opere didicerunt. Quam ſi aliquãdo guſtaſſent, & eius impulſu ſe non tam ambulare, quàm currere, immo & volare ad perfectionem cognouiſſent, pretioſam vtique æſtimaſſent eam, quæ tam magnum affert virtutum & omnis puritatis augmentum. Si illa cor hominis incipientis & imperfecti poſſideat, elicit actiones perfectas,& omnibus numeris abſolutas. Et ſi ab homine iam in virtute prouecto & perfecto ſe abſcondat, vix nouit pro eo tempore abſque multiplici imperfectione in opus incumbere. Non eſt hominis delicati, & habentis cor effœminatum pro hac ſuauitate ſuſpirare, ſed hominis ſapientis, & fortis, qui ingenitam imbecillitatem agnoſcens illud deſiderat,quo citius & velociùs in Deum currat, & maiora opera ac difficiliora perficiat. Qui verò aliter iudicat, nec ſeipſum nouit, nec perfectionem ardenter cupit, nec diuitias huius ſuauitatis veras & ſolidas intellexit.

De conſolatione ſenſibili non deſpicienda.

CAPVT III.

Quid ſit deuotio ſenſibilis.

ISTA ſuauitas, de qua in ſuperiori capite præloquuti ſumus,non ſemel ita ſolet excreſcere, vt nequaquam in mente ſe contineat, ſed etiam ad appetitum ſenſualem, & ad ipſum corpus ſe diffundat; & tunc conſolationis,ſeu deuotionis ſenſibilis nomen obtinuit. Quæ aliquando non ex interiori deuotione prouenit, ſed eam Deus animabus teneris & imperfectis impertit, vt ipſas ad ſuum obſequium vehementiùs alliciat. Vt quanti valoris ſit, & in quo loco habenda duplex iſta conſolatio ſciatur, opportunum erit, illam exponere, & quos effectus ſortiatur aduertere. Hæc igitur deuotio,ſiue deuotionis effectus duobus modis nominatur, ſcilicet conſolatio ſpiritualis, & conſolatio ſenſibilis. Spiritualis quidem,quoniam de rebus ſpiritualibus,& ſanctis,& diuinis habetur: ſenſibilis verò, quoniã non ſola voluntate,ſed corde carnali,& ſenſu ipſo, atque appetitu nõ ſine corporis immutatione percipitur. Eſt autem duplex,vt iam tetigimus. Altera quæ ex perfectione ſubſtantialis deuotionis, & ex abundantia ſpiritualis ſuauitatis in appetitum & in corpus redundat;ſpiritu ſcilicet corpus poſt ſe trahente, & ad ſpiritualia eleuante. Quod Dionyſius Richelius poſita diuiſione duplicis deuotionis appoſitiſſimo ſimili declarat,ſic ſcribens:Cùm deuotio ſit promtitudo voluntatis ad opera Dei, dũ iſta promtitudo adeò amoroſa delitioſáque eſt, quòd in inferiorem animæ partem, videlicet ſenſitiuam perceptibiliter ac iucundè redundat,vocatur deuotio experimentalis,ſiue ſenſibilis: cùm verò in ſuperiori remanet appetitu,ſine redundantia tali,ſaltem notabili, dicitur rationalis, vel intellectualis. Denique ſecundùm Philoſophum,ſicut ſphæra ſuperior ſuo impetu ſecum trahit ac circumuoluit ſphæram inferiorẽ, ita in homine appetitus intellectualis poſt ſe trahit, ſibíque ſubiicit appetitum ſenſitiuum: qui quamuis frequenter rationali appetitui reluctetur, natus eſt tamen obedire: quod fit per virtutes morales, quibus paſſiones frænantur,ac moderantur. Itaque quanto appetitus inferior rationi,ac ſuperiori appetitui promtiùs perfectiúſque ſubiicitur,& obedit,eo deuotio maior eſt, vtroque videlicet appetitu concorditer ſe ad actus diuini cultus extẽdente.] Sic ille.Deuotio illa propria ſpiritus eſt inſtar ignis:nam ſi multum creſcat, domum ſibi coniunctam,ſcilicet appetitum accendit,& omnem repugnantiam,omne tædium exurit, & ipſum facit ſpiritui conformem. Tunc iſtæ duæ portiones hominis,ſuperior,& inferior,ſpiritus,& appetitus, quaſi intimam amicitiam ineunt, & pariter in eiſdem affectibus & deſideriis conſentiunt, ſimul virtutem diligunt, & vitium auerſantur, de bono gaudent, ac de malo triſtantur, & in perfectionis terminum alacriter currunt.

Deuotionis ſenſibilis duplex cauſa. Dionyſ. lib. 3. de cõtempl. art.22. Oritur 1. ſenſibilis deuotio ex deuotione ſubſtantiali.

Homo iuſtus hac ſuauiſſima vnctione vnctus, & hac deſiderabili ſpiritus & carnis ſocietate donatus,canit cum Dauide: Cor meum, & caro mea, exultauerunt in Deum viuum. Cor pro ipſo ſpiritu ponitur, qui ſimul cum carne Deo viuenti ſe conſecrat, cùm quaſi reuiuiſcens, & iucunditatem cœleſtis vitæ participans, in his quæ Domini ſunt vehementer exultat. Animaduertit ſanè quàm bonum ſit,& iucundum habitare fratres in vnum. Et quòd ſicut vnguentum in capite, quod deſcendit in barbam, barbam Aaron, & in oram veſtimenti eius; ita cœleſtis ille liquor omni melle ſuauior, à capite ſcilicet à mente in appetitum deſcendit, & ab appetitu in ipſam carnem ſe demittit, vt omnia ſuauiſſimo Deo & Angelis odore cõpleat, & ſicut mons Hermon montem Sion ſuo rore perfundit; ita ſpiritus conſolatio reliquiis ſuis carnem ipſam afficiat. Spiritus in hoc ſtatu diues effectus habet quo partem inferiorem exſatiet, & ſibi illud Iob, quando in ſua proſperitate lætabatur, aſſumit: Si comedi buccellam meam ſolus, & non comedit pupillus ex ea.]Nec ſine myſterio appetitum ſenſibilem pupillũ vocat,quia tunc ad epulas ſpirituales admittitur,quando ab hoc ſæculo quaſi à patre, &

Pſal.83. 3. Quanta ſit huius ſenſibilis deuotionis iucũditas. Pſal.132. 1.

Iob 31.17. Mirabilẽ efficit corporis & ſpiritus conſenſum.

ab eius delictis separatur. Ac tandem cum antea inter spiritum & corpus simultates implacabiles intercesserint, hac deuotione durante spiritus corpus suum amicum, & vnius secum voluntatis appellat. Sic enim Richardus Victorinus ad sensum moralē Dauidis carmen applicuit: Tu verò homo vnanimis, dux meus, & notus meus. Qui simul mecum dulces capiebas cibos: in domo Dei ambulauimus cum consensu.] Corpus vocatur homo exterior interiori homini vnanimis, quia ad imperium huius ille mouetur, & tam citò manum ad motum leuat, aut pedem refert, aut oculum aperit, & claudit, quàm citò animus imperauerit. Vocatur dux, quoniam per exteriora, quæ sensu percipit, animum ad interiora & spiritualia cognoscenda ducit. Vocatur notus, quia nihil agit, aut patitur, quod etiam animus non simul agat, aut eidem cópatiatur. Hi ergo duo amici simul cibum capiunt, quando in eodem affectu consentiunt; & de peccatis, verbi gratia, pariter compunguntur. Qui sint panes, inquit hic Doctor, quos interior homo noster interiori apponit, vel quibus eum cibis reficit, manifestat Scriptura, quæ dicit: Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die, ac nocte, dum dicitur mihi quottidie: Vbi est Deus tuus? Et alibi de huiusmodi panibus iterum ait: Surgite postquam sederitis, qui manducatis panem doloris. Huiusmodi itaque panem homo interior aliquando solus comedit, aliquando etiam vt secum comedat, domesticum suum vix multa fatigatione compellit. Panem suum spiritus solus comedit, quando animus quidem de peccatis suis dolet; verumtamen lacrymas nulla ratione extorquere valet. Panem doloris pariter comedunt, & cibum vnum quasi vnanimiter sumunt; cùm interior homo profundè ingemiscit, & ad eius gemitum exterior homo vbertim lacrymas fundit.] Tunc profectò in domo Dei ambulant cum consensu, quia appetitus spiritui non contradicit, sed illi in bonis obedit, vt simul cum illo in virtutem perfectionémque festinet. Iam imaginatio ineptas & impuras cogitationes abiicit, dispersiones suas colligit, & circa illud quod intellectus meditatur se sistit. Iam affectus cordis non in inepta & vana dilabuntur; sed post voluntatem Deo adhærentem tendunt. Iam denique exterior homo nunc dulci quadam tristitia (& ipse experitur eam dulcem esse; licèt inexpertus quomodo tristitia dulcis possit esse non capiat) nunc ingenti lætitia profunditur.

Psal. 54. 14. Apposita Richardi explicatio.

Richard. de contēplat. c. 17.

Psal. 41. 4.

Psal. 126. 2.

Consolatio hæc manifestè effectus est orationis mentalis, quia nequaquam à priori suauitate distinguitur, sed est eadem magis aucta, atque perfecta, & in appetitum corpúsque protensa. Scriptum est: Memor fui Dei, & delectatus sum.] Nam, & meditatio Dei vim habet delectandi, & hominem etiam exteriorem ad se trahendi. Est autem spirituali suauitate pretiosior, quoniam illam continet, & aliquid amplius, quod vehementiùs allicit ad virtutem, includit. Et si gleba auri pretiosa est, maior gleba pretiosior erit. Hæc autem consolatio in corpus ex mente redundans est deuotio auctior, & quasi graduum adiectione perfectior. Pretiosum est Deo, etiam appetitu reluctante obtemperare. Ergo pretiosius erit appetitu consentiente, & in idem conspirante seruire. Atque adeò stultiores essent, qui hanc consolationem despicerent: qua certè homo breui perfectus efficitur, & quasi ad statum primæ iustitiæ reuocatur. Vnúmque habet velle, & vnum nolle cum Deo, quia voluntas Deo se promtissimè subiicit, & appetitus nequaquam contradicit.

Huius consolationis causſa mentalis oratio. Psal. 76. 4.

Includit suauitatem spiritualem & aliquid amplius.

A

B

C

D

E

Altera consolatio non ex abundantia deuotionis internæ profluit, sed ex benignitate Domini volentis recenter conuersos ad se attrahere, vel certe de rerum, quas meditantur, & numquam ante considerauerant, nouitate procedit. De ista consolatione hęc scribit Richardus: Visitatione gratię consolatur Deus pusillanimitatem nostram; iuuat infirmitatem; excitat voluntatem. Et quid mirum si infirmus vngatur gratia; cùm etiam malus Domino, cùm bonum fecerit, confiteatur? Itaque contingit vt pusillanimis, & dilectionis auidus, dilectione hac magis moueatur: & in quo sensualitas, & carnalis appetitus potius quàm ratio dominatur. Interdum hanc magis sentit leuis corde, & inops gratiæ: faciliùs enim mouetur, qui leuior fuerit: expers consolationis delectabiliùs oblatam recipit. Huius ergo dulcis affectus causſa est interdum non gratiæ copia, sed mentis inopia: exigua enim lætificant pauperem. Non omnis qui dicit: Domine, Domine, intrabit in regnum cœlorum. Non omnis, qui iterum, atque iterum dicit Domine, dulciter (scilicet affectuosè) intrabit: sed qui voluntatem Patris fecerit: qui mandata custodierit. Voca me, & respondebo tibi, ait beatus Iob. Vocat Deus per gratiam visitantem: & respondebit homo per mandatorum impletionem. Vocatio non facit perfectum: sed obligat; responsio per mandata iustificat.] Sic ille. Est itaque ista consolatio pusillorum, quæ tamen despicienda non est. Quonjam & à Deo donatur, & à peccatis & imperfectionibus incipientes abducit, & eorum actiones aliquantulum perficit, & in abnegatione sui, atque in omni virtute facilitatem præbet. Sunt aliqua indicia à Dionysio Richelio sapienter annotata, ex quibus cognoscitur an hæc consolatio sit à Deo. Huiusmodi sunt: Si hac consolatione donatus diligenter recessus suę conscientiæ discutiat; si omne graue peccatum odio habeat; si pro delictis à se commissis libenter satisfaciat; si firmiter omne graue peccatum in futurum vitare constituat; si absque inspectione proprij commodi se ad Deum afficiat, si honorem Dei, & animarum salutem magno zelo procuret, si malit subiici, & obedire, quàm aliis imperare, ac præsidere; si proprias iniurias remittat; si ad suam vocationem spectantia præcipuè, præcepta, & vota fideliter impleat; si consolationem non pro leuamine suo, sed vt feruentiùs laboret, & puriùs viuat, accipiat; & demum si ex illa in Dei amore, & vera humilitate, & omni virtute succrescat. Qui hæc habuerit, verosimiliter existimare poterit consolationes suas sensibiles à Deo proficisci.

Oritur 2. maximè in tyronibus ex Dei benignitate.

Richard. in Cant. c. 6.

Dionys. Dialog. de instit. nouit. art. 5. Indicia ad dignoscendum an hæc cōsolatio sit à Deo.

Diximus autē has consolationes esse Dei, si prędicta indicia proferant; quoniam certum est posse eas à dæmone proficisci, qui potest, permittente Deo, sensus hominis, & corpus immutare, in eóq; ementitam & fallacem suauitatē efficere. Facit hoc diabolus non quidem vt hominē consoletur, quem implacabili odio prosequitur, sed vt illū decipiat; vt in superbiā efferat, vt ad inanem complacentiam moueat; vt à veris & solidis virtutibus auocet; vt sejpsum sanctum, & Dei plenum putet, & alios hęc non habentes vt minus perfectos, aut planè imperfectos despiciat. Audi, quo pacto hoc Richardus exponat. Fit etiā aliquoties affectus iste dulcis à malo spiritu; vt dum nimis ei creditur, eíque dū valde delectat, inhærctur, ad debilitatē cordis homo perducatur. Item vt per illius occupationē ab vtiliori opere reuocetur; & itē vt eius abundātia fretus aliquis se perfectum credat, & ad profectum minus excitetur.] Et alio loco vberiùs sic pulchrè inter

Poteſt dæmon ementitā consolationem efficere.

Richard. sup. Cur dæmon hāc consolationē fictam immittat.

Vera & falsa cō-

Solationis distinctio.

consolationem veram falsámque discernit. Verus sapor sic à falso discernitur: quia non est vehemens, vel impetuosus; carnem non titillat, sed carnis motus compescit, & mitigat. Modestus est, tranquillus, lenis, dulcis, pacatus; spiritum roborat; carnem debilitat; mentem accendit, & illuminat; non extollit, sed humiliat. Nam suauitas eius desiderium excitat: & dum ad ampliora accendit, de profectu semper humilem reddit. Cùm enim parum est quod habet, sicut semper se egentem reputat; ita semper humiliter de se sentit. Imperfectus siue falsus sapor diuitem sibi hominem demonstrat: quia ad cognoscendum diuitias bonitatis Dei non penetrat. Est autem imperfectus, quem accipiunt adhuc noui, & carnales, & nondum perfectam munditiam cordis consequuti; sed lippientes cordis oculos habentes, vt clarè videre non possint, & spiritualia comprehendere. Inde igitur diuites se putant, vnde parum vident, & veram cognitionem non habent. Tales si plus illuminati, plus cognoscerent, & immensitatem huius suauitatis apprehenderent, potius humiliarentur, quàm extollerentur: quia exiguum intelligerent, quod de hac percipere potuerunt. Falsus sapor est, quem inimicus operatur; & hoc quod dulciter afficit, & mentem exhilarat, sed extollit, non humiliat; plenitudinem simulat, sed non habet: nam hunc percipientes quantum à vera gratia vacui sunt patebit, si per aduersa probentur. Vnde thalamo comparati possunt, qui foris est nitidus, sed intus vacuus; foris nitent tales, & lucent, quia speciem quamdam deuotionis habent; sed intus vacui sunt à virtutibus, & feruorem non habent. In huius thalami secreto dormit, & quietem habet inimicus: quia non excitant, vel fugant eum desideria sancta, & ignitæ orationes; sed patitur eum, & fouet tepor mentis, & falsus nitor religionis. Horum gloria non est ab intus: nec tam in conscientia, quàm in exteriori fama; & quia exteriùs fusi sunt, ideo interna non cognoscunt, vel percipiunt. Horum sapor etsi suauis sit, sed non est suauissimus; quia à sponso non est, sed ab aduersario. Suauissimus est, quem percipiunt boni, qui per cordis munditiam ad veram bonitatis eius peruenerunt notitiam.] Hactenus Richardus. Ex cuius verbis constat, quia probandi sunt spiritus, an ex Deo sint, & consolationes examinandæ, ne pro vero falsum accipiamus, & lutum, quod maculare potest, aurum esse putemus.

Appositæ Richardi comparatio.

Quisnã vera cõsolatione sensibili abutatur.

Sed his omissis, ad veras consolationes sensibiles redeamus. Illis quidem, sicut & cæteris omnibus bonis, potest malitia & superbia hominis malè vti. Abutitur namque his consolationibus, si eas propter seipsas capiat, non verò quatenus sunt virtutis adiumenta, & in illis finem constituat. Quemadmodum enim delectationem cibi Deus alimentis apposuit, vt alimenta absque horrore acciperemus: vnde ordinatum est delectationem in cibo ad sumtionem eius admittere, præposterum verò delectationem finem manducationis facere, & hanc ad illam ordinare: ita cùm consolatio ad reddendam suauem virtutem, & ad profectum data sit, malè vtitur illa, qui altissimum opus virtutis orationis ad consolationes refert, & per gustum illarum veram virtutem non quærit. Abutitur illis, qui dictas consolationes in vacuum recipit, & experimento earum proficere non studet. Ista enim dona instar alarum sunt, quas anima iusti in vanum recipit, si illis à mundo se expedire, & ad virtutis fastigium volare non curet.

A Abutitur tandem illis, si propter eas quis animum à debitis occupationibus sui status auertat, & quæ ad ipsum facere spectant, omittat. Consolamur namque non vt consolemur; sed vt ad labores accingamur, & suauissimo orationis pane ad iter cœli conficiendum roboremur. Hæ igitur consolationes sensibiles veræ, quamuis despiciendæ non sint, non sunt tamen supra modum æstimandæ. Quia nec sunt veræ virtutes, nec necessarij solidarum virtutum effectus, nec necessaria profectus instrumenta, sine quibus plurimi ad magnam virtutem, ac mentis puritatem ascendunt. Quòd si defecerint, nemo tristetur, aut perturbetur, cùm ab ipso nihil ad proficiendum necessarium tollatur; si verò adfuerint, nemo propter has B consolationes se meliorem existimet, nec alios eas non habentes contemnat, nec in illis suam virtutem constituat, sed magis elaboret per hanc consolationem, tamquam per cibum puerorum virtute adolescere, & ad veras & spiritales consolationes aspirare.

Hæc sensibilis deuotio nec contẽnẽda nec plurimi æstimanda.

Quibus vera deuotio & Spiritualis consolatio parabitur.

CAPVT IV.

C VERAM deuotionem, ac spiritualem consolationem magni faciendam esse vidimus, cuius valore perspecto nullus erit tam suæ perfectionis dilapidator, qui eam habere non cupiat. Vt autem illi nonnulla media ad tantum bonum assequendum proponamus, illud inprimis supponendum duximus, consolationes spiritus dona Dei esse, neque à viribus humanis, aut à nostra potestate pendere, quòd earum dulcedinem ac suauitatem experiamur. Spiritus vbi vult spirat;] & ipso non spirante quasi in malacia sumus, neque itineris spiritualis vel passum conficimus. Et vox est Christi Saluatoris ad suos: Modicum, & videbitis me, & iterum modicum, & non videbitis me.] Ipse per D internam consolationem suis dilectis se prodit; ipse ab eisdem tempore desolationis se abscondit: nec quisquam potest iure dicere: Cur ita facis? Et sicut nemo potest solem ad occasum tendentem & se occultantem retinere, aut ab oriente illucescentem impedire; ita nemo poterit radios diuinæ lucis, & calorem cœlestis consolationis abiicere, si verus iustitiæ sol immittat; neque apprehendere, si secundùm prouidentiæ suæ dispositionem subtrahat. Appellauit Deus lucem, diem; & tenebras, noctem: factúmque est vespere & mane dies vnus.] Dei appellare facere est. Eius est diem consolationis facere, & noctem desolationis expandere: & quemadmodum aduenientе nocte non est in nostra facultate diem protrahere; ita neque immissa ariditate mentis ab statu consolationis non excludi. E

Spiritualis consolatio donũ Dei.

Ioan. 3. 8.

Ioan. 16. 16.

Gen. 1. 5.

Scit hoc, & pro certo habet fidelis anima, ac proinde ab sponso, cuius est consolationem ac deuotionem immittere, se tangi postulat, dicens in Canticis: Trahe me post te.] Nam si non trahatur, arida & obscura relinquitur; si verò trahatur, miris voluptatibus consolatur. Vtrumque autem opus sponsi est, vel consolari infundendo gratiam; vel desolari subtrahendo eam. Vnde Bernardus ait: Vidésne illum, qui in spiritu ambulat, nequaquam

Cant. 1. 3.

Interdũ Deus cõsolationẽ spiritus subtrahit.

permanere in vno ſtatu, nec eadem ſemper facilitate proficere, & quòd non ſit in homine via eius; ſed quemadmodum ei ſpiritus moderator prout vult diſpenſat, nunc ſegniùs, nunc alacriùs, quæ retro ſunt obliuiſci, & ad anteriora ſeſe extendere? puto quòd hoc ipſum, ſi attenditis, veſtra vobis experientia intus reſpondet, quod ego foris loquor.] Neque putandum eſt ſemper Dominum ob animæ culpam abſcedere: immo non ſemel abſque culpa diſcedit, vt ſe non deuotionis debitorem, ſed donatorem oſtendat; & qui lacrymis, & precibus, vt miſericors flectitur; vt Dominus, qui ſponte venit, ſecundùm hanc conſolationem abſconditur, dum ſtrictiùs teneri putatur. Vnde idem Bernardus alio loco ait: Nam cùm vigiliis, & obſecrationibus, & multo labore, & imbre lacrymarum quæſitus affuerit, ſubitò dum teneri putatur, elabitur: & rurſum lacrymanti & inſectanti occurrens comprehendi patitur, ſed minimè retineri, dum ſubitò iterum quaſi è manibus euolat. Et ſi inſtiterit precibus & fletibus deuota anima, denuo reuertetur, & voluntate labiorum eius non fraudabit eam, ſed rurſum mox diſparebit, & nō videbitur, niſi iterū toto deſiderio requiratur. Ita ergo & in hoc corpore poteſt eſſe de præſentia ſponſi frequens lætitia, ſed non copia: quia etſi viſitatio lætificat, ſed moleſtat viciſſitudo. Et hoc tamdiu neceſſe eſt pati dilectam, donec ſemel poſita corporeæ ſarcina molis auolet, & ipſa leuata pennis deſideriorum ſuorum, liberè iter carpens per campos contemplationis, & mente ſequens expedita dilectum quocumque ierit.] Sic ille. Iſta ergo vita mortalis etiam in perfectis viris viciſſitudinum plena eſt, vt pro natura ſua mutabilitati ſubſit, & vt humana infirmitas in conſolatione miſerationes Dei, & in deſolatione ſuam miſeriam agnoſcat.

Quid quod propter hanc eamdem cauſſam vnum hominem eodem tempore Deus ita diſponit, vt ſecundùm ſuperiorem portionem eum conſoletur, & ſecundùm inferiorem ab ipſo tentationibus affligatur. Quam rem Gregorius in illa ſancti Iob ſententia expreſſam intellexit. Si ſubuerterit omnia, vel in vnum coarctauerit, quis contradicet ei?] Verba ſancti Doctoris ſubiiciamus. Sæpe namque contingit; vt ad ſumma iam mentem ſpiritus eleuet, ſed tamen hanc importunis caro tentationibus impugnet. Cúmque ad contemplanda cœleſtia animus ducitur, obiectis actionis illicitæ imaginibus reuerberatur. Nam carnis repentè hunc ſtimulus ſauciat, quem extra carnem contemplatio ſancta rapiebat. Cœlum ergo ſimul, & infernus coarctatur, cùm vnam eamdémque mentem, & ſubleuatio contemplationis illuminat, & importunitas tentationis obſcurat: vt & videat intendendo quod appetat, & ſuccumbendo in cogitatione toleret quod erubeſcat. De cœlo quippe lux oritur, infernus autem tenebris poſſidetur. In vnum ergo cœlum infernúſque redigitur, cùm mens, quæ iam lucem patriæ ſupernæ conſiderat, etiam de carnis bello tenebras occultæ tentationis portat. Certè iam Paulus tertij cœli culmen aſcenderat; iam paradiſi ſecreta cognouerat, & tamen adhuc carnis bella tolerans gemebat, dicens: Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captiuum me ducentem in lege peccati, quæ eſt in membris meis.] Quid ergo in huius tanti prædicatoris pectore, niſi cœlum, Deus, infernúmque coarctauerat; qui & viſionis intimæ iam lumen acceperat; & tamen adhuc tenebras de carne tolerabat? Super ſe viderat, quod lætus appeteret; in ſe cernebat, quod metuens doleret. Iam cœleſtis patriæ lux irradiauerat; ſed adhuc tentationis obſcuritas animum confundebat. Cum cœlo ergo infernum pertulit: quia & illuminatum ſecuritas erexit, & tentatum gemitus ſtrauit.] Hæc omnia Gregorius. Quæ licèt veriſſima ſint, & ipſo experimento comperta; tamen non dubium, quin cum Dei gratia poſſimus ab ipſo promereri, vt in nobis conſolationes protrahat, & ariditate ac deſolatione rarius affligat. Quæ autem ad hoc admodum conferant, breuiter aperiamus.

Si ergo cupias, ô vir Dei, deuotionem & conſolationem ſeruare, illud inprimis curato, vt omnia deuotionis impedimenta ſubmoueas. Agricola enim ſentes eradicat, vt ex terra bene purgata fructum colligat; & qui non deſipit cor ſuum ab vniuerſis, prout poteſt, imperfectionibus mundat, vt illud in deuotione cuſtodiat. Quæ verò ſint iſta impedimenta, ex ſupradictis manifeſtum eſt. Sunt enim peccata etiam leuia, quæ ceu muſcæ morituræ perdunt huius vnguenti ſuauitatem. Sunt affectus inordinati omni abſinthio amariores, qui longè faciunt à corde omnem conſolationis dulcedinem; ſunt deſideria ſæcularia, quæ deſideria rerum cœleſtium eliminant, ſine quibus vera deuotio ſtare non poteſt. His omnibus cor noſtrum ceu mare turbatur, quod quamdiu ita manet, haudquaquam ſubiiciet illud deuotionis beata trāquillitas. Numquam homo opes ſuas in mare, ſed in terra recondit; quoniam eas mari committere, non recondere, ſed perdere eſt. Ita & Deus theſauros intimæ deuotionis non in mare cordis paſſionibus & variis deſideriis turbati; ſed in terra mentis tranquillæ, & ſtabilitatem habentis cuſtodit. Inhabita hanc terram, ô homo, & paſceris in diuitiis eius. Poſſide, inquam, cor tuum, ne vt mare fluctuet, & ipſum vt terram ſtabilem facito. Nam ſi ita feceris, Deus illud opibus deuotionis replebit, quibus abundanter paſcaris. Hæc eſt terra optima, cor ſcilicet expulſione deſideriorum terrenorum ſtabile, quam Iſachar, id eſt, æternæ mercedis amator, non ſine magno labore poſſedit. Hæc eſt illa terra, quam Dominus multiplici conſolatione viſitare & cumulare dignatur. Nam, viſitaſti terram, ait Dauid, & inebriaſti eam: multiplicaſti locupletare eam.] Quid putas eſt cauſſæ (inquit Richardus) quòd ſolam terram Dominus dicitur inebriaſſe: cur non etiam, & mare? Sed ſcimus, quia mens, quæ per varia deſideria fluctuat, quam adhuc ſæcularium curarum procella exagitat, ad illud internum gaudium non admittitur, & illo torrente voluptatis non potatur: quanto minus inebriatur? Scimus quia mare ſemper fluctuat; terra autem in æternum ſtat. Sic & cætera elementa ſemper in motu ſunt; & ſola terra ſtante, cætera ſtare neſciunt. Quid igitur per terram, niſi fixam cordis ſtabilitatem debemus accipere? Debet igitur fluctuationem cordis reſtringere, & ad vnius veri gaudij deſiderium cogitationum affectionúmque motus colligere, qui ſe cupit, vel credit illo veræ ſobrietatis poculo inebriandum fore.] Quidquid ergo deuotioni obſtat abiiciendum eſt, ac ita viuendum, vt qui cum Deo ſummo Rege regum colloquia miſcemus, & ab eo pretioſa dona ſanctæ deuotionis accipimus. Nam, vt Chryſoſtomus ait: Quemadmodum qui cum rege colloquuti ſunt, & ob hos ſermones placidos, honorémque ſunt conſequuti, nō dignantur in cótubernium

Nec ſemper id accidit ob culpam noſtram.

Serm. 32. in Cant. Quibus viciſſitudinibus ſubiecta ſit etiam perfectorū vita.

Interdū Deus cōſolatur & ſimul deſolatur animam.

Iob 11. 10.

Greg. 10. mor. c. 8.

Rom. 7. 23.

Poſſumus à Deo impetrare vt ſapius nos conſoletur & deſoletur rarius.

Vt conſolatio conſeruetur, deuotionis impedimenta tollenda. Quænam hæc impediméta ſint.

Pſal. 36. 5.

Gen. 30. 28.

Pſal. 64. 10.

Richard.

Chryſoſt. lib. 2. de orando Deum.

venire mendicorum & abiectorum hominum : ita qui cum Deo confabulatus est, eique sua vota protulit, nequaquam dignabitur mali & impij spiritus familiaritatem admittere.] Admittimus autem eum, cùm culpis & affectibus inordinatis fœdamur. Hæc ergo sola industria sufficeret ad deuotionem promerendam, eámque seruandam. Quoniam misericors Deus, & ad dandum pronus, nihil aliud quàm cor imperfectionum vacuum ad effundendas consolationes cœlestes exquirit.

Diuina consolationis desideria feruidè excitanda.

Sublatis his impedimentis, oportet vt intima desideria deuotionis & diuinæ consolationis accendas, non quidem vt voluptatem capias, vt iam dictum est, sed vt ad sanctè viuendum robustior fias. Ægroto quippe licitum est suauitatem in cibo quærere, vt possit illum sumere, & sanitatem ac vires recuperare. Sic non est alienum à perfectione deuotionis & consolationis donum ad feruentiùs orandum, & intimiùs meditandum, & sanctiùs viuendum concupiscere. Insignis humilitatis est, si qua anima hoc donum desiderare non audeat, putans se consolatione prorsus indignam : sed etiam discretionis est, si ea, quæ minus dignam se reputat, illam desideret, vt amplius in virtute proficiat. Dices ergo ad Dominum : Deduc me Domine in via tua, & ingrediar in veritate tua: lætetur cor meum, vt timeat nomen tuum.] Esto, inquam, ô Domine, ductor meus in omni actione bona, atque perfecta : da mihi per contemplationem ingressum ad cognoscendam veritatem tuam. Huic verò contemplationi adiunge delectationem, & deuotionis consolationem. Quam ad hoc solum cupio, ad hoc peto, vt cor meum timeat nomen tuum. Vt consolatione vnctum in sancto & filiali timore crescat, & ad profectum amoris accedat. Si ita deuotionem concupieueris, crede quia minimè tuo voto frustraberis. Illa veniens te in dies meliorem & puriorem faciet : puritas verò vitæ, & obedientia mandatorum intellectum illustrabit, & maiorem consolationem accendet. Hic enim est ordo à Deo positus, vt eius gratia ad meliorem vitam prouocet, & sanctior vita aditum ad ampliorem deuotionis gratiam aperiat. Ad quod pulchra sunt verba Richardi : Priùs, inquit, oportet Ægyptum deserere ; priùs oportet mare rubrum transire ; priùs necesse est Ægyptios in aquis perire ; priùs necesse est Ægypti cibos deficecere, quàm possimus hoc spiritale alimentum, cibúmque cœlestem percipere. Ægyptum non solùm corpore, sed etiam corde deserat, mundíque amorem penitus deponat, qui cœlestes illos solitudinis cibos desiderat. Transeat rubrum mare; omnem mœrorem & amaritudinem studeat de corde expellere, qui satiari desiderat interna dulcedine. Priùs subiugentur Ægyptij, pereántque mores peruersi, ne degenerem conuiuam dedignentur ciues angelici ; priùs necesse est Ægyptiacos cibos deficere, & carnales voluptates in abominationem vertere, quàm experiri liceat, quæ sunt illæ internæ & æternæ delitiæ. Absque dubio amor Dei quanto pleniùs omnem alium affectum vincit, tanto sæpius, tanto vberiùs animum interna iucunditate reficit. Sub hoc itaque statu mens sugit mel de petra, oleúmque de saxo durissimo. Sub hoc statu stillabunt montes dulcedinem; & colles fluent lac, & mel. Sub hoc statu animam esurientem & sitientem sæpe Dominus visitat ; sæpe interna suauitate satiat, spiritúmque sui dulcedine inebriat. Sæpe sub hoc statu Dominus descendit de cœlis; sæpe visitat sedentem in tenebris, & vmbra mortis ; sæpe gloria Domini repletur tabernaculum fœderis. Sic tamen præsentiam suam exhibet, vt faciem suam minimè ostendat.] Hæc ille. Desiderium itaque, & humilis postulatio deuotionem inflammat, deuotio vitæ puritatem augmentat, & vitæ puritas per quemdam pulcherrimum circulum ipsam deuotionem, à qua promota est, promouet, & in maiorem sublimitatem adducit.

Petenda consolatio hac solum ad profectũ spirituale. Psal. 83. 11.

Richard. tract. de gradib. char.

Perpulchra Richardi allegoria.

Quo tempore deuotionis pluuia irrigaris quantum per occupationes & naturæ fragilitatem licuerit, te totum orationi trades, & depositis aliis negotiis in solum studium orationis incumbes. Apes, vt Plinius ait, opus suum non statis diebus peragunt ; sed quoties cœli commoditas inuitat. Et iustus apis est illa, de qua in Ecclesiastico legimus : Breuis est in volatilibus apis, & initium dulcoris habet opus illius.] Cùm ergo se occasio profectus obtulerit (& occurrit maximè deuotionis & consolationis tempore) eam sine fructu labi non sinas. Ouis etiam iustorum est typus : nam & Dominus in postremo die statuet quidem oues à dextris, hædos autem à sinistris. Sed expende quid de oue dicat Ambrosius. Ouis in aduentu hyemis inexplebilis ad escam, insatiabiliter herbam rapit, eo quòd præsentiat asperitatem hyemis futuram, vt se prius herbæ pabulo farciat, quàm gelu adurente omnis herba deficiat.] Tempus consolationis est quasi æstas, in quo hyemem desolationis præsentire debes, téque abundanter deuotionis pabulo suaui reficere, vt ingruente ariditate à feruore non cadas, & eius inclementiam robustè sustineas. Dominum autem aliquando secundùm hanc gratiæ dulcedinem abfuturum, & nos in ariditate relicturum non dubium est: sicut enim post resurrectionem suam Discipulis suauissimam suæ præsentiæ claritatem indulsit ; postea verò in cœlum ascendit, & eos solidiori laborum & tribulationum cibo refecit : ita & nunc suis ad tempus per gratiam consolationis apparet, & ad tempus se subtrahit, & in vtroque ipsorum maiorem perfectionem intendit. Aliis surrexit Christus, inquit, Bernardus, sed nondum ascendit, immo cum eis adhuc pia dulcedine commoratur in terris, his scilicet, qui in deuotione sunt tota die, flent in orationibus, suspirant in meditationibus suis, & omnia festiua & iucunda sunt eis, & per omnes dies illos continuum Alleluia cantatur. Sed oportet lac eis subtrahi, vt discant vesci solido cibo, & expedit eis vt Christus vadat, & hæc temporalis deuotio subtrahatur. Sed quando hoc capere poterunt ? Desertos sese à Domino, priuatos gratia conqueruntur. Sed expectent paululum; sedeant in Ciuitate donec induantur solidiori quadam virtute ex alto, & maiora percipiant charismata Spiritus sancti, sicut Apostoli promoti sunt in gradum altiorem, & supereminentiorem viam charitatis ingressi, non iam soliciti quomodo flerent paululum ; sed quomodo magna quadam victoria de communi aduersario triumpharent, & conculcarent Satanam sub pedibus suis.) Hæc ille. Si ergo deuotionis dulcedo subtrahenda à nobis est, quid superest, nisi vt prudentes effecti abundè ea, quamdiu durat, nos expleamus, & ad tempus belli & tentationis nos paremus.

Deuotionis tempore maximè orationi vacandum. Plin. lib. 11. cap 7.

Eccli. 11. 3.

Matth. 25. 33. Ambr. 6. examer. c. 4.

Bernard. serm. 4. de resurrect.

Magni denique momenti est, supra quàm dici possit, cùm à Domino consolaris, & donis cœlestibus deuotionem comitantibus cumularis, secretum custodire, & dona illa occulta tenere. Ne itaque teipsum & tua bona prodas, quæ patefacta

Occultãda deuotio vt cõseruetur.

fortitan latrunculus inanis gloriæ diripiet. Ne verbis, aut gestibus, aut gemitibus quæ interiùs experiris detegas, & sicut gallus gallinaceus circumsistentes aduoces: nam à te granum internæ deuotionis per vanam laudationem tollent. Ne sis sicut puerulus, qui calceis, aut veste donatus se continere non valet, sed aliis statim nouum ornatum ostentat; sic multi non ex magnitudine lucis, & feruoris accepti (qui aliquando tegi silentio & dissimulatione non potest) sed ex paruitate animi quæcumque habent insipienter manifestant. Esto ad modum aluearis, quod interiùs melle abundat, & exteriùs suber est; sic & tu memor illius: Omnis gloria filiæ regis ab intus;] consolationes, & illustrationes, & affectus, & dona interiùs habeas, foris autem supra alios homines nihil ostendas. Samuel prædicturus Sauli quia futurus esset rex, præcepit illi in hunc modum: Dic puero vt antecedat nos, & transeat: tu autem subsiste paulisper, vt indicem tibi verbum Domini;] quia videlicet dona Dei, & immensa dignatio, qua nos aliquando præuenit, non est passim aperienda, nec omnibus propalãda. Et lucerna minimè ventis exposita non facilè extinguitur; & odor clausus in vase sine detrimento seruatur: sic deuotio abscondita, & à notitia, & à linguis, & iudiciis elongata multo meliùs custoditur. Secretum meum mihi, ait Isaias, secretum meum mihi.] Bis se seruaturum legem secreti pollicetur; quia nimirum dona Domini, & occultanda sunt à bonis hominibus, ne nos in elationem efferant; & à malis, ne illa dona pedibus proterant. Hæc quoque causa est quare oraturi, & Deum alloquuturi in cubiculum intrare iubemur, ne consolationes cœlestes imprudenter prodamus. Denique orare volentes, inquit Bernardus, iubemur intrare cubiculum, vtique secreti gratia. Id quidem ad cautelam, ne coram orantibus laus humana orationis furetur fructum, frustretur effectum. Sed doceris nihilominus verecundiam sententia hac. Quid tam proprium verecundiæ, quàm proprias vitare laudes, vitare iactãtiam? Patet quod signanter, & ad verecundiam orantibus petere secretum indixerit pudoris filius, & minister. Quid tam indecorum maximè adolescenti, quàm ostentatio sanctitatis? Cùm tamen ab hac potissimum ætate aptum profectò capiatur, temporaneúmque religionis exordium. Ieremia dicente: Bonum est homini si portauerit iugum Domini ab adolescentia sua. Bona commendatio secuturæ orationis, si præmittas verecundiam, dicens: Adolescentulus sum ego, & contemtus, iustificationes tuas non sum oblitus.

Psal. 44. 14.

1. Reg. 9. 27.

Isaiæ 24. 16.

Cur oraturi cubiculum intrare iubeamur. Bern. ser. 86. in Cant.

Expedit deuotionem manifestare prælato aut spirituali magistro.

Hæc ita dicta sunt, vt tamen ab hac lege prælatum, aut magistrum spiritus excludamus. Huic enim non solùm miseriæ nostræ; verùm & consolationes, & dona etiam sublimia pandenda sunt, vt nos in eorum æstimatione & vsu dirigat, & siquid illusionis aduersarij latet opportunè detegat. Cum aliis verò si conuersemur consolationes nostras, & suauitates, & lacrymas, & cætera huiusmodi silentio premantur. Quod interdum esse difficile Rupertus protestatus est beatæ Virginis mirabile secretum expendens. Quæ numquam seipsam prodidit, nec vlli hominum immensam matris Dei dignitatem aperuit, nisi illis, quibus sciuit priùs fuisse abs Spiritu sancto reuelatam. Verba huius Doctoris sunt. Horum idcirco meminerim, quia re vera non nisi qui tentatus est in his quæ accepit, & à Deo reuelata sunt sibi, dignè potest perpendere religiosum silentium Virginis, siue custodiam

Exẽplũ beatissimæ Virginis hac in re.

Libr. 1. in Cant. c. 1.

A oris eius, circa secretũ Dei. Quis enim ab illo, qui somnia primus vidit, & enarrauit, quorum vtique visio visitatio fuit emissa ab Altissimo, id est, à puero Ioseph filio Iacob: quis, inquã, vsque in præsentem diem, ita nouit, vel potuit obseruare tempus tacendi, & tempus loquendi; quin aliquando opus haberet increpari, & doceri cauere scandalum inuidentium, sicut illum pater suus increpauit. Ergo quanto quisque amplius tentatus est in eiusmodi, & expertus est inuidiæ malum, quid sit ipse scit, & enarrare potest intellectum huius rei, quòd tu beata Virgo verè fidelis fuisti, & veraciter magnæ fidei: non solùm quia credidisti Angelo euangelizanti; verumetiam quia secretum istud custodisti, B neque properasti aliquando cuiquam tuæ admirationem facere fœlicitatis, vt diceres quid fecisset tibi Deus: nisi ei, cui prior ipse Deus, vel Spiritus sanctus reuelauit. Hoc non leuiter perpendere nos vult Euangelista, cùm semel & iterum dicit: Maria autem conseruabat omnia verba hæc conferens in corde suo.] Sic ille. Hanc difficultatem vtilitas vincat. Quia profectò si incauti fuerimus, & imprudenter interiora hæc manifestauerimus, repentè euanescent, & nos aridos, & desolatos, & donorum vacuos relinquẽt. Ezechias thesauros suos nuntiis regis Babylonis ostendit, & quia ostendit amisit. Audítque Dominum sibi loquentem per Isaiam: Ecce dies venient, & auferentur omnia, C quæ sunt in domo tua, & quæ condiderunt Patres tui, vsque in diem hanc in Babylonem.] Sic multi quia dona hæc sibi data inaniter manifestant, ea in pœnam suæ vanitatis amittunt. Consultiùs faciebat Paulus, nam de se ait: Siue mente excedimus, Deo: siue sobrij sumus, vobis.] Extases, & raptus, & consolationes diuinas soli Deo notas esse volebat; hominibus autem se sobrium, id est, æqualem, ac temperatum, ac si nihil eorum experiretur, se exhibebat, vt suæ humilitati consuleret, & alios per ministerium prædicationis lucrifaceret. Denique Saluator noster post transfiguratione suam ex monte descendens tribus discipulis tantæ gloriæ testibus præcepit, dicens: Nemini dixeritis visionem, donec filius hominis à mortuis resurgat.] Vt in hoc etiam formam discretionis nobis præberet, & ad hanc salutarem cautelam incitaret. D

Cùm cœlestia dona omnibus manifestantur euanescunt.

4. Reg. 20, 17.

2. Cor. 5. 13.

Matth. 17. 9.

De tædio Orationis, & somno.

CAPVT V.

Quænam suauitati & cõsolationi opponantur.

MIs tribus bonis, quæ ex oratione meditationéque proueniunt, deuotioni, suauitati, & consolationi, tria mala pœnæ opponuntur, tædium, ariditas, & desolatio, de quibus modò dicendum est, & medicamenta conuenientia adhibenda, vt anima langues possit ad salutem reuocari. Hæc autem mala pœnæ vocata sunt, quoniam licèt aliquando ex culpa procedant, vt dicemus, tamen ipsa molestiam & pœnam sonant, & interdum absque culpa contrahuntur, immo & possunt animam à defectibus culpísque mundare. Tædium veræ & substantiali deuotioni contrarium est, & ex deuotionis natura eius tristis facies atráque dignoscitur. Est enim horror quidam orationis & tristitia, ac languor animi in omnibus, quæ pertinent ad cultum & obsequium Dei. Si hæc animam afficiat, intellectum obscurat, & ligat, ne in rebus meditandis E

Tædium deuotioni contrariũ quid.

Tædij effectus.

discur

discurrere valeat; voluntatem obdurat, cogitationem verò dissoluit, vt innoxia, aut inania festinet, appetitum ad terrena deprimit, corpus grauat, & animam ad ea, quæ sunt mundi post se trahit: & omnibus exercitationibus spiritus vehementer obsistit, hominémque ad eas ineptum reddit. Quid hoc malum infestissimum tædij in viro spirituali faciat, quáque ratione ab omnibus bonis extrudat, Cassianus in libello de Acœdia, pulchrè copioséque descripsit.

Cassian. lib. 10. c. 2. & 3. Iust. lib. de discip. monast. cap. 18.

Quid anima tẽpore tædij patiatur ex Iustiniano.

Sed magis ad nostrum propositum loquitur Laurentius Iustinianus, sic enim ait: Solet tamen interdum diuina bonitas ab orantis affectu se subducere, eúmque totum aridum, totúmque reddere indeuotum. Tunc quidquid meditanti offertur, de sipit, quidquid cogitare disponit, indiscussum præ ariditate spiritus derelinquit. Nihil sapit, nihil delectat, nihil reperitur, quod pascat affectum, quin potiùs vbique tenebræ densissimæ palpantur: vbique sterilitas sentitur; quasi priùs nihil gustatum sit dulce. Fiunt quoque intus fragores, tonitrua, coruscationes, & immissiones per angelos malos, vt euertant à sua stabilitate animum, faciántque illum ab oratione cessare.] Et post pauca: Retunditur etiam quandoque ex Dei dispensatione orantis animus innumerabilium varietate cogitationum, quæ præ sui multitudine, & importunitate ipsum instabilem reddunt; ac ipse more carinæ fluctuantis in medio pelagi huc illúcque agitatus per tentationum scopulos collisus atteritur: atque amisso delectabilis quietis tranquillo portu incessanter ad Dominũ clamare cogitur, & dicere: Saluum me fac Deus; quoniam intrauerunt aquæ vsque ad animam meam. Infixus sum in limo profundi.]

Bernard. serm. 54. in Cant. Idem luculenter exprimit Bernardus.

Non minus aptè Bernardus tædij huius miseriam expositi. Dominus, inquit, declinauit in ira à seruo suo. Hinc ista sterilitas animæ meæ, & deuotionis inopia, quam patior. Quomodo ita exaruit cor meum, coagulatum est sicut lac, factum est sicut terra sine aqua. Non compungi ad lacrymas queo, tanta est duritia cordis mei; non sapit Psalmus; non legere libet; non orare delectat, meditationes solitas non inuenio: vbi est illa inebriatio spiritus; vbi mentis serenitas, & gaudium, & pax in Spiritu sancto? Ideo ad opus manuum piger; ad vigilias somnolentus; ad iram præceps; ad odium pertinax; linguæ & odij indulgentior, segnior obtusiórque ad prædicationem. Heu omnes montes in circuitu meo visitat Dominus, ad me autem non appropinquat. Hæc, & alia deuotissimus Doctor ait, quibus indeuotionis & tædij sterilitatem aperuit.

Isaiæ 15. 6. Miserandus animæ status in tædio.

Cùm hoc malum animæ dominatur, fit in ea illud, quod in Isaia scriptum est: Aruit herba, defecit germen, viror omnis interiit.] Deficiunt in ea sancta perfectionis desideria, quæ instar herbarum vitam exornant; abeunt germina bonorum operum, aut ita lassescunt, vt nullius valoris esse videantur: modestiæ viror interiit, & ipse etiam aspectus exterior non vt antea præsentes ad reuerentiã prouocat, nec aspicientes ædificat. In locum autem eorum, quæ animam diuitem ac beatam faciebant, exercitus multiplicium imperfectionum ingreditur, cui optimè aptari potest illud Ioëlis: Ante faciem eius ignis vorans, & post eum exurens flamma: quasi hortus voluptatis terra coram eo, & post eum solitudo deserti, neque est, qui effugiat eum.] Quid namque illum præcessit, nisi ignis indeuotionis, & tædij, omnia illa sancta desideria, & pios

Ioël. 2. 3.

A ac dulces affectus consumens? Quid sequitur, nisi velut flamma opera virtutis depascens? Ita cor hominis populatur, ac si esset hortus voluptatis, qui tenui cæspite custoditur; & post hanc calamitatem, ac si esset solitudo, illis omnibus bonis, quæ possidebat, orbatur. Tunc animus in oratione positus loco gaudij nimia tristitia conficitur. Vsurpátque sibi illud Tobiæ: Quale gaudium mihi erit, qui in tenebris sedeo, & lumen cœli non video.] Iam enim illustrationes cœlestes abierunt, & ingressa est post illas atra caligo. Itémque & illud Ieremiæ: Expandit rete pedibus meis, conuertit me retrorsum: posuit me desolatũ, tota die mœrore confectum.] Nam animus quasi vinctus ac ligatus se à tetris cogitationibus expedire, & ad cœlestia sicut priùs volare non potest; coram hostibus suis retro præ timore conuertitur, & quia euadere non valet, mœrore & tristitia conficitur. Tunc etiam tempus orationis, quod antea instar vnius momenti videbatur, ô quàm longum, quàm tardum, quàm importabile & molestum videtur. Nescítque animus quónam pacto hoc tempus, in quo se sponsus abscondit, modicum vocatum sit, cùm potiùs multum habere spatij hora breuis orationis appareat. Dicítque cum Bernardo: O modicum longum! Pie Domine, modicum dicis quod non videbimus te? Saluum sit verbum Domini mei, longum est, & multum valde nimis. Verumtamen vtrumque verum, & modicum meritis, & non modicum votis. Habes vtrumque in Propheta: Si moram fecerit, expecta eum, quia veniens veniet, & non tardabit. Quomodo non tardabit, si moram fecerit, nisi quòd ad meritum satis est, sed non satis ad votum?] At votum hoc animi tædio laborantis valde exile ac remissum est: nam tam vehemens est languor, vt etiam verum & efficax desiderium salutis excludat. Rapitur in hoc statu animus ad terrena, cœlestia verò, quæ priùs fœliciter suspirabat exhorret; & si aliquando in illa desiderio fertur, illud infirmum & deiectum, & planè inualidum experitur. Omnia tunc sordent, omnia nauseam prouocant, & homo sibi onerosus, aliis molestus, & ad vniuersa virtutis opera, tam interiora, quàm exteriora ineptus efficitur.

Tob. 5. 12.

Thren. 1. 13.

Bernard. serm. 74. in Cant.

Habacuc 2.

Tempore tædij homo in oratione somno opprimitur ex sola segnitie.

Solet homo tempore huius tædij & tristitiæ, somno in oratione opprimi: quem non immoderatus labor præcedens, nec alia naturalis causa, sed sola animi segnities & tristitia progignit. Quã somnum afferre, ex trium discipulorum, quos Dominus in comites suæ orationis asciuit euentu, didicimus: nam inuenit eos præ tristitia dormientes. Ecquis nesciat mœrorem non solùm lacrymas fundere; verùm & vapores in cerebrum excitare; infantésque post fletum soporari, & viros in luctu existentes altè dormire? Hi ergo præ tædio & mœrore dormiunt, & illum somnum quietæ contemplationis, à quo iubet sponsus in canticis spiritalis viri animam excitandam non esse, in somnum naturalem conuertunt. Adiuro vos filiæ Ierusalem, ait, ne suscitetis, neque euigilare faciatis dilectam, donec ipsa velit. Post hanc verò adiurationem cùm à nullo interpelletur anima, ipsa se excitat, & ad res vanas & prophanas cogitandas & desiderandas euigilat, & sopore dissolui orationis tempore, ac naturaliter dormire nequaquam formidat. Interdum torpor iste non vsque ad somnum procedit, sed tam tepidè & negligenter se habet animus, ac si dormiret. Quia videlicet nec bona, nec mala mente voluit, sed quasi nihil agens, in loco orationis persistit. Huic dicit Paulus: Surge qui dormis,

Cant. 2. 7.

Ephes. 5. 14.

& exurge à mortuis, & illuminabit te Christus.] Quem locum ad nostrum propositum egregie Anselmus exposuit. Surge qui dormis, id est, qui torpes in obscuritate cordis, non recogitans Deum, nec aduertens peccata tua, sed in terrenis desideriis oculos mentis habens: surge ab illa pigritia per recordationem Dei, & intelligentiam culparum tuarum: & exurge, id est, ex toto surge per dignam pœnitentiam, tu dico, eleuatus, & separatus; à mortuis, id est, ab illis, qui per peccata spiritualiter mortui sunt in anima, vt iam cum illis nō iaceas similiter mortuus.] Sic ille. Ita igitur accipiendus est Apostolus, vt non loquatur cum mortuis in anima per absentiam gratiæ, sed cum tepidis spiritu per absentiam deuotionis, qui debent surgere, id est, torporem excutere, & à mortuis, id est, à similiter tepidis & negligentibus separari, vt eos per aduentum noui feruoris Christus illuminet.

Anselm. 165.

Huius tædij & noxij torporis Cassianus triplicem causſam assignat, scilicet negligentiam nostram, impugnationem diaboli, & permissionem Dei. Ille sic scribit: Tripartita à maioribus ratio nobis super hac, quam dicitis, sterilitate mentis est tradita. Aut enim de negligentia nostra, aut de impugnatione diaboli, aut de dispensatione Domini, ac probatione descendit. Ac de negligentia quidem, cùm vitio nostro tepore præcedente indifferenter nosmetipsos, & remissiùs exhibentes, & per ignauam desidiam noxiis cogitationibus pasti, terram cordis nostri spinas & tribulos facimus germinare: quibus in ea pullulantibus consequenter efficimur steriles, atque ab omni reddimur spirituali fructu & contemplatione deserti. De impugnatione verò diaboli, cùm etiam bonis nōnumquam studiis dediti, callida subtilitate mentem nostram aduersario penetrante, vel ignorantes ab optimis intentionibus abstrahimur vel inuiti.] Hæc ille. Qui postea causſas dispensationis diuinæ recensēt, quando ex ea hæc ægritudo descendit: & nos eas postea subiiciemus, si priùs de duabus aliis torporis originibus pauca dixerimus.

Collat. 4. cap. 3. Tadij causſa triplex.

1. Tadij causſa negligentia nostra.

Tædium igitur istud molestissimum, & noxius torpor, quo orationem horremus, & ad omnia bona opera dormitamus, ex culpa & negligentia nostra primùm exoritur. Nam culpæ oscitanter admissæ, & sensuum euagationes præsumtæ, & affectus immoderati minus quàm oportebat repressi animam turbant, & obnubilant, vt non queat lucem diuinæ illustrationis accipere, nec in vtilium consideratione quiescere, nec piis affectibus, & sanctis desideriis vacare. His autem omnibus abscedentibus, quæ solent esse bonarum actionum, & sanctæ conuersationis initia, necesse est eam aut penitus, aut magna ex parte cessare. Sicut enim si in homine spiritus vitales & animales se subtrahant, motus & sensus deficit, & homo miserandam paralysim, aut mortis similem lethargum incurrit: sic discedente orationis dono, & absentibus piis meditationibus, & sanctis affectibus, & reliquis, quæ ipso comprehenduntur, omnis cessat structura virtutum. Si ex hoc capite te segnem in oratione, & torpentem inueneris, medicamētum habes sanctum timorem Dei, quo tamquam stimulo vrgeas teipsum. Atque adeò Bernardus cùm dixisset præsente gratia nobis esse timendum, subdit: Quid si recesserit? Num multo magis tunc timendum? Planè multo magis: quia vbi deficit tibi gratia, deficis tu. Audi enim quid dator gratiæ dicat: Sine me, ait, nihil potestis facere. Time ergo subtracta gratia tamquam mox casurus. Time, & contremisce, Deo tibi, vt sentis, irato. Time, quia reliquit te custodia tua.] Et superiùs dixerat: In veritate didici nihil æque efficax esse ad gratiam promerendam, retinendam, recuperandam, quàm si omni tempore coram Deo inueniaris non altum sapere, sed timere. Beatus enim homo, qui semper est pauidus.] Medicamentum etiam est ardens deuotionis & feruoris desiderium. Quod & ipse sanctus Pater Bernardus alio loco profitetur, dicens: Restat, vt anima absentem sponsum studiosè requirat, reuocet abeuntem. Ita ergo reuocatur verbum, & reuocatur desiderio animæ; sed eius animæ, cui semel indulserit suauitatem sui. Numquid non desiderium vox? Et valida. Denique desiderium pauperum exaudiuit Dominus.] Tandem medicamentum huius ægritudinis est humilis postulatio, qua efflagitemus iterato gratiæ aduentu sanari. Ad quod non parum conferent verba illa Iob: Dies mei, ô Domine, illi scilicet, quibus prosperè mecum actum est, quos tamquam veros dies lux tuæ gratiæ & præsentiæ illuminauit, velociores fuerunt cursore, quē timor imminentis periculi, aut amor boni nondum adepti instigat ad currendum. Fugerunt à me, citò transierunt, antequam fœlicitatem præsentiæ tuæ, & datam proficiendi occasionem aduerterem. Non viderunt illud bonum solidum, atque perfectum, quo mens humana in hoc exilio, dum æternitatem expectat, quodammodo satiatur. Tam velociter enim præteriisti, & me tua luce, & affectu amoris, & agilitate ad perfectam vitę conuersationem vacuum reliquisti, vt me ista vidisse non reputem. Reuertére igitur, dilecte mi, similis esto capreæ hinnulóque ceruorum super montes Bethet.] Iterum redi ad accendendum feruorem meum pæne extinctum. Similis esto capreæ, bonas herbas eligenti, & alta petenti, vt me doceas bona eligere, & ad te affectibus amoris extolli. Similis esto hinnulo ceruorum loca vmbrosa requirenti, vt me sub vmbra tua à tentationū æstu custodias. Deduc me vsque ad montem Bethet, mōtem discretionis, in quo ea, quæ me in hunc miserū statum impulerunt agnoscam, & per fletum & lactymas deleam.

Prou. 28. 14. Serm. 74. in Cant. Itémque ardenti desiderio feruoris & oratione humili.

Iob 9. 25.

Cant. 2. 17.

2. Tadij causſa impugnatio dæmonis.

Nascitur secundò tædium istud ex impugnatione diaboli, qui variis modis nos decipit, & in statum torporis impellit. Nunc enim culpis & peccatis suasor eorum factus, nos fœdat, quibus deuotionem dissipamus. Nunc occupationes, & negotia, & curas prætendit etiam honestas, sed quæ vires nostras excedant, vt illis distrahamur. Nunc per falsos fratres persecutiones excitat, quibus ad impatientiam, & pusillanimitatem impulsi cordis tranquillitatem ad actus deuotionis necessariam amittamus. Nunc corpus ipsum grauat, sensus obturat, imagines sensuum interiorum inordinatè mouet, vt quasi phrenetici per inania & stulta discurramus. Breuiter nullum non lapidem mouet, vt nobis illudat, & segnes ac ineptos ad opera orationis faciat. Quando tædium & torpor ab hac causſa procedunt, admirāda scribit Henricus Herpius, quibus anima impetitur, atque tentatur. Et inter alia ait: Quòd sicut Iob tradebatur Satanæ flagellandus & plagandus in omnibus bonis, quæ habebat, in prolibus suis, in seruis & ancillis, & similiter in omnibus membris suis à capite vsque ad pedes, dummodo vita à sancto viro non auferetur: ita etiam iusti exponuntur ineffabilibus spiritualibus tentationibus non solùm humanis, sed etiam diabolicis, quas vix potest homo ab eis liber cogitatione comprehendere.

Herpius in direct. 2. p. grad. 4. consurrect.

Sancto timore excutiendū tædiū ortum ex negligentia. Bernard. serm. 54. in Cant. Ioan. 15.

Patientia & resistentia vtendum si tædiũ sit ex impugnatione diaboli. Bernard. serm.3.de altitudine & bas sit.cordis.

Si languor tædij ex hac radice procedat duplici medicamento opus est, patientiæ & resistentiæ. Patientia est, si pressuras, tentationes & amaritudines æquanimiter sustineamus,& si non per iter consolationis, at per iter tribulationis virtutem nostram promouere curemus. Nam & quibus gratia deuotionis negatur,vtile est, auctore Bernardo, immo & necessarium, vt in patientia possideant animas suas. Sed fortè dicat aliquis vestrûm, ait, Glorientur certè de potestate filiorum Dei, in quibus filialis erga eum feruet amor, viget affectus: vt præsumant omnia sibi cooperari in bonum,qui Deum ligunt in veritate.Ego verò mendicus sum, & pauper, carens affectu filiali,expers dignæ deuotionis. Sed attende quod sequitur. Nullum enim desperationi locum reliquit in scriptura sua; qui alio loco sic loquitur: vt per patientiam,& consolationem Scripturarum spem habeamus. Affectus enim ille, quem quæris, pax est, non patientia: in patria est,non in via:nec eos, qui eiusmodi sunt,à Scriptura opus est consolari. Ergo per patientiam & consolationem Scripturarum spem habeamus, etiamsi nondum possumus apprehendere pacem.] Sic ille.

Quidnã resistẽtia efficiat.

Resistentia verò est non solùm,vt tentationibus irruentibus obsistamus, verùm vt in oratione etiã indeuoti, & multis amaritudinibus cincti perseueremus. Ille enim, qui in veritate non stetit, constantia vincitur, & animo, qui in oratione consolationem non quærit,sed etiam in amaritudine positus perseuerat, absque dubio superatur. Vnde

De disciplin. monast. cap. 12.

Laurentius Iustinianus ait:Contra hanc cordis insensibilitatem optimum & salubre remedium est, consueta deuotionum & virtutum exercitia infatigabiliter custodire:neque ab illis actu deficere,& desiderio, imò ea potiùs augere. Studeat qui tentatur de Dei bonitate resumere spem, sibique ipsi dicat:Quare tristis es anima mea, & quare conturbas me? Spera in Deo:quoniam adhuc confitebor illi. Nam si bona de manu Domini suscepimus: mala autem quare nõ sustineamus?Patientia namque & animi fortitudine victor efficietur,quisquis

De merito contemplat. c.43.

in hoc positus fuerit conflicto.] Gerson etiam huius remedij meminit,qui & addit modum,quo homo salubriter se decipiet:ita scilicet vt se adigat ad perseuerandum in oratione saltem per quartam horæ partem,aut per semihoram; qua exacta se ad orationem per aliam semihoram prouocet; & sic deinceps quousque totum tempus ad orandum destinatum adimpleat. Certum est autem, quòd qui sic perseuerauerit, ad concupitam deuotionem (Deo disponente) redibit.

3. Causſa tædij permissio Dei.

Tandem oritur tædiũ ex permissione Dei, gratiæ suæ auxilia efficaciora subtrahentis, & nos in humana imbecillitate relinquentis, vt ex hac probatione & derelictione bonum nostrum eliciat.

Collat.2. cap.4.

Huius igitur derelictionis multę sunt causſæ.Duas assignat Cassianus sic scribens: Dispensationis autem ac probationis duplex est causſa.Prima vt paulisper à Domino derelicti, & mentis nostræ infirmitatem humiliter intuentes

Diuina ordinationis causſa 1.

super præcedente puritate cordis,quæ nobis illius est visitatione donata, nullatenus extollamur, probantésque nos ab eo derelictos, gemitibus nostris, & industria illum lætitiæ ac puritatis statum recuperare non posse intelligamus; & præteritam cordis alacritatẽ non

Huius dispensationis diuinæ 2. causſa.

nostro studio, sed illius nobis dignatione fuisse collatam; & præsentem de ipsius rursum gratia,& illuminatione poscendam. Secunda verò probationis est causſa, vt perseuerantia nostra, vel mentis constantia & desiderium comprobetur, & qua intentione cordis, vel orationum instantia, deferentem nos visitationem sancti Spiritus requiramus,manifestetur in nobis; ac pariter agnoscentes quanto labore amissum istud spiritale gaudium, & puritatis lætitia conquiratur, solicitiùs inuentam custodire, ac tenere intentiùs studeamus. Quodammodo enim negligentiùs custodiri solet quidquid creditur facile posse reparari.] Tertiam causſam addit Bernardus in hunc modum: Et fortè ideo subtraxit se,quo auidiùs reuocaretur, teneretur fortiùs.Nam & aliquando simulabat se longiùs ire,non quia hoc volebat,sed volebat audire:Mane nobiscum Domine,quoniam aduesperascit. Et rursum alia vice super mare ambulans cùm Apostoli nauigarent,& laborarent in remigando, quasi volens præterire eos;nec tunc quidem istud volebat, sed magis probare fidem, & elicere precem: denique sicut ait Euangelista:Turbati sunt,& clamauerunt, putantes phantasma esse. Ergo istiusmodi piam simulationem, immo salutarem dispensationem, quam tunc corporaliter verbum corpus interdum exhibuit, non cessat identidem verbum spiritus modo suo spirituali cum deuota sibi anima sedulò actitare. Præteriens teneri vult; abiens reuocari. Neque enim hoc irreuocabile verbum: It,& redit pro beneplacito suo,quasi visitans diluculo & subitò probans.Et ire quidem illi quodammodo dispensatorium: redire verò semper voluntarium est:vtrumque autem plenum iudicij.] Hæc Bernardus & Cassianus. Quæ omnia illo comprehenduntur,quod scriptum est à Ieremia:Cogitauit Dominus dissipare murum filiæ Sion; tetendit funiculum suum.] Nam si hæc postrema verba secundùm expositionem Ruperti in bonum assumamus; quid est post muri dissipationem tetendisse funiculum (quo solemus locum aptum ædificationi metiri) nisi post ablationem deuotionis,quę nos instar muri cingit & protegit, de eius reparatione Dominum cogitasse. Ad hoc, inquam,tollit, non vt in perpetuum irascatur, sed vt in nobis iam per humilitatem,& nostri cognitionem, & ardentia desideria dispositis abundantiùs & securiùs reparetur.

3. huius ordinationis causſa ex Bernardo.

Thren.2. 8.

Quid autem faciet anima viri humilis quando sic à Domino reiicitur, & in tanta angustia relinquitur, vt eam nec orare, nec aliquid boni agere, nec laborare libeat? Certè seipsam fortiter coget, ne consueta tempora orationis deserat. Ad Dominum igitur statutis horis ibit,si non læta, at tristis; si non consolatione animata, at desolata:si non libens, at propositi sui obligatione compulsa.In loco orationis se constituet, si non ob aliud, saltem vt tunc temporis illum locum occupet,& vt cellę, in qua orare consueuit,aut oratorij parietes obseruet. Ibi si non aliquid salutare, si non ad bonum se afficere possit, at abiectis suauiter ineptis cogitationibus simpliciter Deum respiciat; & sicut catellus in dominum suũ sedentem,sic in illum oculos interiores intendat. Millies distrahetur? Millies iterum oculos ad suum liberatorem conuertat. Millies quasi repelletur? Millies iterum, quasi intrare procuret. Millies se impuris, aut tristibus cogitationibus obrutam sentiet? Millies caput leuet,& cum gratia Dei, quæ absque dubio illi non deficit, se per consensum obrui non sinat.Id vnum cuitatur,vt locum suum, & sanctũ orationis exercitium vtcumque non omittat. Si nimis affligatur, in eo secum condescendat,vt libellum spiritualem coram se ponat,& aliquãtulum legat,quod statim

Cũ anima à Deo sic probatur consueta exercitia non deserat.

Quónam modo tũc se debeat gerere anima in oratione.

medi

meditatione ruminet, & per hanc vicissitudinem lectionis & meditationis tædium ex parte leuet. Omissionem autem orationis pro aliquo pio opere, quod tunc orationem suppleat, aut pro spiritali colloquio cum præfecto, aut magistro spiritus non probo; nisi cùm tanta esset afflictio, & tam vehemens tentatio, vt quis in aliquod periculum se casurum probabiliter timeat. Extra hunc euentum orationis exercitatio quomodocumque homo eã habere potuerit, huius tædij victoria est. Pulchráque similitudine Gerson illos delineat, qui ex eo quòd deuotionem non sentiunt, à contemplatione & oratione resiliunt. Renuunt, inquit, seipsos dare orationi, aut meditationi incumbere, nisi se deuotione sentiant affectos ad illa, ac nisi cùm eos ista delectant, veniántque ad cor suum. Videntur enim talibus aliàs dicta nihil prodesse. Sed huiusmodi comparantur huic, qui frigore nimis cruciatur; recusat tamen accedere ad igem, nisi priùs habeat calorem. Aut certè æquiparantur alicui fame pereunti, nolentíque quærere ad manducandum, nisi antea saturatus sit. Quare enim aliquis se dat in orationem, vel meditationem, nisi vt calefiat diuini amoris igne, velut saturetur donis vel gratia Dei. Tales in hoc deficiunt, seu errant, putantes se tempus perdere, cùm positi in oratione, vel meditatione non mox deuotionis imbre irrigantur. Ad quod respondeo quòd si nitantur quantum in se est ad hoc, & sint in bello, & pugna continua contra suas cogitationes cum displicentia, quia non abscedunt, nec pacem habere permittunt, tales pro tunc maius habent meritum, quàm sæpe si eis veniret deuotio subitò sine tali conflictu. Ratio, quia militant Deo, & seruiunt suis expensis propriis, & sumtibus, atque cum labore maiori, & pœna.] Persta igitur in oratione, ô vir Dei, adsta coram illo, qui non ex odio, sed ex amore te tanta afflictione castigat; pulsa ad ostium miserationum eius; dic cum sancto Iob: Etiamsi me occiderit, in ipso sperabo: verumtamen vias meas in conspectu eius arguam.] Et sic miseriæ præteritæ obliuiscéris; & quasi aquarum, quæ præterierunt, non recordaberis; & quasi meridianus fulgor consurget tibi ad vesperam, id est, in tempore tantæ tribulationis; & cùm te consumtum putaueris, orieris vt Lucifer.]

Gerson de monte contemp. c. 43.

Apposita Gersonis comparatio.

Iob 13. 15. Iob 11. 16.

De ariditate animæ in Oratione.

CAPVT VI.

Non omnes præfato tædio affliguntur.

NON est omnium virorum spiritualium hoc tædium orationis, quod suprà descripsimus: tale scilicet, quod substantialem ac veram deuotionem tollat, & animam ad spiritales exercitationes, & ad obsequia Dei minus pronam, ac planè inidoneam, seu difficilem reddat. Immo multi admodum sunt, qui à tempore conuersionis suæ vsque ad horam mortis statum veræ deuotionis & feruoris habent. At nemo est (vt credo) eorum, qui Deo seruiunt, & orationi ac meditationi se tradunt, qui non aliquando mentis ariditatem & sterilitatem sentiat, & alicuius desolationis & amaritudinis onus non ferat. Est autem ariditatis & indeuotionis (vt nunc desolationem in sequens caput reiiciamus) magnum manifestúmque discrimen. Nam tædium, seu indeuotio tamquam deuotioni ex diametro oppositum veram & substantialem deuotionem tollit, quare periculosa satis res est, & nimis à viro sapiente formidanda, quæ ipsum morosum & inidoneum ad obsequia diuina efficit, & morando, atque in bene operando promtitudinem aufert. Ariditas verò veram sæpe deuotionem secum admittit, & solùm abundantiam sanctarum cogitationum & affectionum impedit. Euenit enim quòd aliquis sit suarum passionum, & suorum sensuum impugnator acerrimus, & ad omnes actiones virtutum, & Dei obsequia promtissimus, & orationis ac meditationis satis auidus, ad quam libentissimè accedat: & tamen in ea positus nec bonarum cogitationum, nec affectionum vbertatem sentiat; sed velut terra sterilis hunc præsentem fructum ex suo labore non proferat. Huius ægritudo vocatur ariditas, seu sterilitas, sumta metaphora à terra sterili, quæ accepto optimo semine prouentum speratum non refert. Ita anima sæpe sarculo mortificationis excolitur, & à sentibus & zizaniis purgatur; & desideriis & exercitatione virtutum præuenitur, & præparatione eorum, quæ meditanda sunt, tamquam bono semine vterus intellectus eius impletur. Tempore autem orationis, id est, fructus ferendi, non sanctas & ordinatas cogitationes, nec feruidos virtutum affectus profert, sed distractionum tribulos, & affectuum illis correspondentium spinas progignit. Hæc est ariditas & sterilitas mentis. Ariditas quidem, quoniam illi pluuia illa sanctorum actuum, quibus intellectus & voluntas impinguantur, quæ è cœlo demittitur, deficit: sterilitas verò, quia homo post laborem assistendi Domino, & recogitandi, ac faciendi, quod potest, se pauperem, & quasi absque fructu sui laboris inuenit.

Vnde ariditas & sterilitas dicitur.

Richard. de grad. charit. cap 2.

Richard. id loculentur exprimit.

Nullus est, qui non saltem aliquando ariditatem mentis experiatur. Tadij ariditatisque discrimen.

Virorum igitur spiritualium nullus est, vt opinor, qui aliquando de hac ariditate non conqueratur, & vicissitudine suauitatis & sterilitatis non exerceatur ad bonum suum. Duos huiusce rei testes Bernardum ac Richardum proferamus in medium. Ille sic scribit: It, & redit spiritus, & qui stat eo tenente, deserente cadat necesse est: sed non collidetur, quia Dominus rursum supponit manum suam. Et has alternare vices non cessat in his, qui spirituales sunt, vel quos potiùs spirituales proinde ipse creare intendit, visitans diluculo, & subitò probans. Denique septies cadit iustus, & septies resurgit: si tamen cadat in die, vt se cadere videat, & cecidisse sciat, & resurgere cupiat, & requirat manum adiuuantis, & dicat: Domine in voluntate tua præstitisti decori meo virtutem: auertisti faciem tuam à me, & factus sum conturbatus.] Hic verò sic: Habent igitur amatorij spiritus corporis corruptione detenti, & distenti, crebram de Dei visitatione lætitiam: sed nullam copiam, dum nec plena esse finitur, nec morosa; vnde & quodam iucundo ioco interim Deus ludere videtur cum filiis hominum: à quibus dum teneri putatur, è manibus labitur, insectatus se comprehendi patitur: & disparens rursum non videtur, donec denuo lacrymis & precibus vocatus reuertatur: & ita licèt delectet visitatio; molestat vicissitudo. Sed quanto putas stupore perfunditur anima subtracta illa dulcedine; & ad hos sensuum laqueos captiua retracta? Nónne quasi de patria spirituum depulsa in vallem corporum in aliud quoddam ignotum sæculum sibi cecidisse videtur longè priori dissimile, in quo & charitas friget, & sensualitas regnat: caligat oculus mentis, & sensus viget corporis? Hæret tunc, & alta trahens suspiria inde misera, vnde beata efficitur. Nam quo gratiora fuerat experta, eo molestiùs

Nullus non aliquando hanc ariditatẽ patitur. Bernard. serm. 17. in Cant. Teſtatur Bernardus.

fert

fert ea ſibi eſſe ſubtracta. Subtractio enim rei amatæ augmentatio deſiderij eſt: & quod ardentiùs optas, cares ægriùs.] Sic ille. Et quidem cor noſtrum cùm ſit terrenum, id eſt, in terra habitans, ac de terra progenitum, ita à Deo propter bonum noſtrum excolitur, quemadmodum terra ad fructum ferendum adiuuatur. Nónne hæc nunc quidem aqua & pluuiis irrigatur, vt fructus ferat; nunc verò calore, & radiis Solis aduritur, vt ad tempus quieſcat, & ipſo otio aptior ad fructum iterum præbendum fiat? Sic & cor pro ſapientiſſima diſpenſatione Domini, nunc ariditate affligitur, vt humilitate ad fructum ardentiſſimorum affectuum ferendum magis idoneum efficiatur; poſtea verò imbre orationis, & ſuauitatis, vt fructificet, prout eſt capax, miſericorditer emollitur. Denique ſi Dominus continuerit aquas, omnia ſiccabuntur: & ſi emiſerit eas, ſubuertent terram. Enimuero tempore huius ſpiritualis proſperitatis quaſi terra ſubuertitur, quia terrena deſideria ſopiuntur, & homo in ſtatum quemdam pluſquam humanum, immo quaſi cœleſtem transfertur.

Appoſita comparatio ad animæ viciſſitudines explicanas.

Iob 12. 15.

Cur Deus interdum conſolationem, interdum verò ariditatem mittat.

Sed quare Deus harum viciſſitudinum amator eſt, & omnino vult ſuos nunc conſolatione affici, nunc ariditate vexari. Huius rei aliquas cauſſas de tædio agentes attulimus, & alias ſtatim de deſolatione ſcribentes afferemus (nam harum trium ægritudinum eadem ſolent eſſe principia;) nunc verò, ne omnia ſimul ſcribantur, aliquas moleſtiæ vitandæ gratia dicamus. Diſponit Deus in nobis viciſſitudines iſtas, ne perpetua ariditate deſperemus, aut continenti ſuauitate pereamus. Sicut enim ſæcularium proſperitas, inquit Bernardus, occidit ſtultum ſæcularem; ſic poteſt & abundantia ſpiritualis proſperitatis occidere indoctũ ſpiritualem, atque ideo non ſpiritualem.] Diſponit eas, vt ſuauitas fructum afferat, & ariditas à peſte elationis auertat. Ad quod Climacus: Cœnobium eſt terreſtre cœlum; idcirco quaſi Angeli miniſtrantes Domino affici in corde ſtudeamus. Nonnunquam hi, qui in eiuſmodi cœlo ſunt, corde ferè lapidei fiunt: nonnunquam verò per compunctionem molliuntur: vt per huiuſmodi duritiam elationem fugiãt; & per lacrymas labores conſolentur.] Diſponit eas, vt homo quid ex ſe, & quid ex Deo habeat, agnoſcat, & vnicuique quod ſuum eſt tribuat. Viſitas eum diluculo, ait ſanctus Iob, & ſubitò probas illum.] In viſitatione iſta homo virtutibus creſcit, & Dei erga ſe benignitatem perſpicit: in probatione verò ſe nudum, & illorum donorum vacuum videns propriam paupertatem agnoſcit. Poſuiſti namque, ô Domine tenebras, & facta eſt nox, in ipſa pertranſibunt omnes beſtiæ ſiluæ.] Quis tunc non extimeſcat, quis non ſe deſpiciat, cùm ſe caligine obuolutum, & beſtiis inanium cogitationum & affectuum ſe circumſeptum aduertat? At ortus eſt ſol, & congregatæ ſunt, & in cubilibus ſuis collocabuntur. Quis tunc non fiducia aſſurgat, & per gratiarum actionem in Deum donorum largitorem nõ tendat? Enimuero ad veſperum demorabitur fletus ob inopiam noſtram, & ad matutinum lætitia ob miſericordiam diuinam. Ac tandem ſe ſubtrahit Dominus, & aridos nos dimittit, vt culpas aliquas puniat, vt cautiores faciat, & vt præmium laboris noſtri non in hac vita, ſed in futura expectandum doceat. De his omnibus non poſſumus Bernardum loquentem præterire. Sic enim ſcribit: Sed ne timeas, ô ſponſa, ne deſperes, ne exiſtimes te contemni, ſi pauliſper tibi ſubtrahit ſponſus faciem ſuam. Omnia iſta cooperantur tibi in

Climac. grad. 4.

Iob 7. 8.

Pſal. 103. 20.

Pſal. 29. 6.

Bernard. in ſcala.

A bonum, & de acceſſu & receſſu lucrum acquiris; tibi venit, tibi & recedit. Venit ad conſolationem, recedit ad cautelam, ne magnitudo conſolationum extollat te; ne ſi ſemper apud te ſit ſponſus, incipias contemnere alios ſodales, & hanc continuam viſitationem non iam gratiæ attribuas, ſed naturæ. Hanc autem gratiam cui vult, & quando vult, ſponſus tribuit, non quaſi iure hæreditario poſſidetur. Vulgare prouerbium eſt, quòd nimia familiaritas parit contemtum. Recedit ergo ne fortè nimis aſſiduus contemnatur, & abſens magis deſideretur; deſideratus auidiùs quæratur, diu quæſitus tandem gratiùs inueniatur. Præterea ſi numquam deeſſet hîc conſolatio (quæ reſpectu gloriæ, quæ reuelabitur in nobis, ænigma eſt ex parte) putaremus fortè hîc habere ciuitatem manentem, & minus inquireremus futuram. Ne ergo exilium deputemus pro patria, arrham pro pretij ſumma, venit ſponſus, & recedit viciſſim: nunc conſolationem afferens; nunc vniuerſum ſtratum noſtrum in infirmitatem commutans pauliſper nos permittit guſtare quàm ſuauis eſt, & antequam plenè ſentiamus ſe ſubtrahit, & ita quaſi alis expanſis ſupra nos volitans prouocat nos ad volandum. Quaſi dicat: Ecce parum guſtaſtis, quàm ſuauis ſum, & dulcis, ſed ſi vultis plenè ſaturari hac dulcedine, currite poſt me in odorem vnguentorum meorum, habentes ſurſum corda, vbi ego ſum in dextera Dei Patris. Ibi videbitis me non per ſpeculum, & in ænigmate, ſed facie ad faciem, & plenè gaudebit cor veſtrum, & gaudium veſtrum nemo tollet à vobis.

B

C

Hæ igitur ſunt ariditatis cauſſæ, quam ſi abſque culpa noſtra, & ex Dei diſpenſatione ſuſtineamus, multa ſunt, quæ nos conſolentur. Nam & cùm triſti corde hoc malum patimur, & illud ſuperare nitimur; quaſi ſponſi oſculum ſuſpiramus, & eo ipſo aliquod bonum poſſidemus. Nam conſolationes corporis ſe ingerentes refutare, & ſolius Domini ſuſpirare præſentiam, magnum bonum eſt. Certè hoc eſſe deſiderium præſentiæ Domini, & oſculi ſponſi, Bernardus ait, cuius hæc eſt oratio: Plerique veſtrûm mihi quoque (vt memini) in priuatis cõfeſſionibus ſuis conqueri ſolent ſuper huiuſcemodi arentis animi languore, atque hebetudine ſtolidæ mentis, quòd Dei ſcilicet alta atque ſublimia penetrare nequeant, quòd de ſuauitate ſpiritus, aut nil, aut parum ſentiant. Quid iſti niſi ad oſculum ſuſpirant? Suſpirant planè, & inhiant ſpiritui ſapientiæ, & intellectus: intellectus vtique quò pertingant; ſapientiæ qua guſtent, quod intellectu apprehenderint. Ego in hoc ipſo affectu ſanctum puto oraſſe Prophetam, cùm diceret: Sicut adipe & pinguedine repleatur anima mea, & labiis exultationis laudabit os meum. Oſculum omnino petebat, & illud oſculum, in cuius tactu perfuſis labiis pinguedine gratiæ ſpecialis ſequeretur quod alibi idem ipſe precatur: Repleatur os meũ laude, vt cantem gloriam tuam, tota die magnitudinem tuam.

D

E

Non ægrè ferenda ariditas ſi abſque noſtra culpa eueniat.

Bernard. ſerm. 9. in Cant.

Similiter & non modicum incitamentum eſt ſuſtinentiæ, quòd aliquando non minus, immo ſæpe magis ariditate mentis in oratione, quàm deuotione meremur, & æqualiter, aut ampliùs in virtute progredimur. Deus enim eſt, qui dat niuem ſicut lanam; nebulam ſicut cinerem ſpargit. Mittit cryſtallum ſuam ſicut buccellas.] An eſt aliquid ariditatis niue frigidius? Sed en Dominus nouit ceu lana conſolationis fouere. An aliquid nebula obſcurius, quæ tenebras lucis priuationem æmulatur?

Sæpe ariditas ad meritum orationis & ad virtutũ incrementa conducit. Pſ. 147. 16.

Sed

Sed ea nouit terram cordis nostri, velut cinere (quod in locis arenosis huius regni vidimus) fœcundam reddere. An est grandine molestius aliquid: Sed eo scit Deus quasi buccellis panis suauissimi animam pascere. Quis in vobis est derelictus, ait Dominus, per Aggæum, qui vidit domum istam in gloria sua prima? & quid vos videtis hanc nunc? numquid non ita est, quasi non sit in oculis vestris? Et nunc confortare omnis populus terræ, & facite, quoniam ego vobiscum sum.] Licèt, inquam, ô homo, quasi te derelictum videas, licèt gratiam deuotionis, & illam donorum gloriam domum cordis tui deseruisse sentias: at ne animum despondeas, quia Dominus tecum est, vt licèt minori suauitate, & maiori labore, at non minus quàm antea in profectu tuo facias. Immo & aliquando magis, si magis enitaris, & amplius labores. Vnde Richardus Victorinus ait: Si duo sint in pari charitate: & alter gratiam habeat se exercendi in deuotione: alter tentatione laboret, vel contra aliquam infirmitatem, vel imperfectionem bellum gerit: tantum meretur iste motibus, & conatu pugnæ, quantum ille deuotione, & mentis alacritate: immo magis mereri poterit, si legitimè certauerit. Paulus in labore tentationis maximè posse mereri aliquem, & in eo augeri charitatem, perhibet his verbis, quibus dicit: Quando infirmor, tunc fortior sum, & potens. Vehemens quippe tædium, & amaritudo cordis virtutes exercet, non euertit. Siue ergo aliquis acedia laboret, & ariditate cordis, & tentatione aliqua, siue deuotione perfruatur: tantum mereri potest in illo aduerso statu, sicut in isto prospero: si tantùm intendatur motus eius, & conatus in reluctando.] Hæc ille. Si ergo meritum quærimus, & perfectionis augmentum studio orationis optamus, non est cur ob ariditatem, & gratiam deuotionis subtractam tam impatienter tristemur.

Aggæi 2. 4.

Richard. in Cant. c. 18.

Multi ariditatẽ mentis perpetuò patiuntur. Luc. 15. 29.

Bernard.

Aliqui profectò sunt ex his, qui non segniter currunt; nec incuriosè in spirituali conuersatione procedunt, qui perpetua ariditate vexantur. Et dicunt ad Dominum non superbè & arroganter, sed humiliter & amanter conquerentes, quod dixit filius natu maior ad patrem: En tot annis seruimus tibi, & numquam dedisti nobis hœdum sanctæ consolationis, vt cum amicis nostris, viribus scilicet inferioribus, epularemur.] De quibus ait Bernardus: Sed multi tota vita sua ad hoc tendunt (vt scilicet habeant deuotionis gratiam) & numquam pertendunt: quibus tamen si piè & perseueranter conati sunt statim vt exeunt de corpore, redditur quod in hac vita dispensatoriè est negatum: illuc perducẽte eos sola gratia, quo priùs tendebant ipsi cum gratia, vt cõsummati in breui expleant tempora multa. Non est autem credibile seruos fideles à Domino semper suauitate & gratia deuotionis priuari, si absque illa per alium modum secretiorem, & interdum tutiorem virtutum profectum non daret, nec mentis puritatem efficeret.

Quid nobis faciẽdũ si nostra culpa ariditatẽ patimur. Richard. in Cant. c. 16.

At si ex culpa nostra mentis ariditas oriatur, tunc non consolatio in hac afflictione, sed emendatio quærenda est, & instanter pro gratia deuotionis orandum, ac radices huiusmodi sterilitatis amputandæ. Quæ omnia nos nec meliùs, nec dissertiùs dicemus, quàm magnus contemplator Richardus scripsit, & ideo præstat ipsum docentem audire. Quando per nostram negligentiam, & cordis dissolutionem à bonis cogitationibus ad vanas & noxias dilabimur, quandoque tentante aduersario, & suggerente: interdum contingit, vt longo tempore anima exsiccata à gratia, & spiritualibus cogitationibus destituta suauem illam dulcedinem non experiatur: pro ea tanto humiliùs & instantiùs est orandum, quanto ignoramus vtrùm huius effectus aliquo modo causa sumus. Priuatur enim aliquis gratia propter aliquod latens peccatum; vel propter ingratitudinem, indignè scilicet per hanc operando; vel largitori gratias non reddendo; vel quia hanc non sicut debet quærit; vel quia carnales cogitationes admittit. Cùm ergo siccitas hæc euenerit, & facta fuerit terra sine aqua, expandendæ sunt manus ad Deum in oratione: & cum Helia post siccitatem trium annorum pluuiam postulante, secedendum est ad orationem: & pro pluuia gratiæ postulandum. Ille puerum misit iterũ atque iterum ad comprobandum si preces eius exauditæ essent, nec factum est ante septimam vicem: ita mente siccata longo tempore à deuotionis gratia orandum est, & multis vicibus insistendum: nec à prece cessandum, donec quies mentis, (quæ per septenarium intelligitur) & gratia, (quæ septiformis est) operetur. Sine enim magna instantia, & laboriosa prece exsiccata mens à gratia illam recipere non meretur. Non autem deuota prece consequi valet illam requiem, cùm deuotione, & dulcibus illis affectionibus destituta sit: sed labore & importunitate necesse est, vt deuotionem recompenset. Et ita si non propter amicitiam, propter importunitatem tamen quod petit accipiet. At verò preces eius exaudiantur necesse est, vt superflua locutionis, cogitationis, & etiam operis amputet, & circũcidat: ne dissoluta sit cogitatione vana, superflua, vel noxia loquens. Ne quoque sit sine custodia cordis indifferenter quaslibet cogitationes admittens, nec super his discernens, vel sibi cauens: ne etiam mollis sit, & dissoluta in opere: non quod expedit, sed quod delectat tractans, atque agens. Hanc enim custodiam, & circumcisionẽ illam notat mons ille Carmelus, in quo Helias hanc orationẽ fudit, & quod postulauit accepit. Interpretatur enim Carmelus cognitio circumcisionis. Qui in se ista circumcidere non nouerunt, exaudiri digni non sunt. Sunt quippe montes Gelboë, in quos nec ros, nec pluuia gratiæ descendit, eo quòd in eo proiectus sit clypeus fortium, id est, custodia, & circumcisio virilis. Sine enim custodia nec aliqua virtus conceditur; nec gratia amplior acquiritur. Si ergo anima circumspecta videat, & circumcidat superflua, & noxia, instet precibus interum, & iterum: nec cessat ascendente principio parua nubecula gratiæ: tandem erumpat, & sequatur immensitas salutaris pluuiæ, & planè mentem irriget, & infundat quæ diutiùs siccitate noxia, & defectu gratiæ aruerat.

Quanam ariditatis radices, & quomodo euellẽdæ. Inordinati effectus. Negligẽs cordis custodia. Otium & scurrilitas.

Vt autem hæc tenaciùs in memoria hæreant, visum est omnes radices ariditatis ac remedia, quibus euelluntur, breui sermone perstringere. Interdum ex inordinatis affectibus, & inanibus desideriis prouenit; & tunc fortiter pugnandum est, vt hæc desideria eradicentur, aut certè mortificentur ne germinẽt. Interdum ex negligenti cordis mentísque custodia: & tunc solicitudo adhibenda est, vt omnia distrahentia, & à Deo auocantia repellamus. Interdum ex otio, & scurrilitate: nam communicatio cum Deo cor leue vagúmque non sustinet: tunc verò homo ad honestos, & secundùm propriam vocationem labores se adigat, & nugas ac omnia similia leuitatem redolentia con-

Occupationes nimiæ.

ſtanter abiiciat. Interdum ex nimiis & immoderatis occupationibus; quæ & moderandæ ſunt, & ex eis licet vtilibus aliquid ſubtrahendum, vt cor in Deum tendat, & vel breuiſſimis oratiunculis in Deum iactis cor aliquantulum incaleſcat.

Defectus materiæ in oratione.

Interdum ex defectu materiæ, quia mens aliquorum minus diſcurſibus aſſueta, quod aptè cogitet inuenire non audet. Et in hoc euentu meditationes legantur, quæ non breuiter, ſed abundè materiam ſubminiſtrent, & multa præueniantur, & memoriæ commendentur, quæ tunc animum paſcant, & in officio contineant.

Intentio nõ rectæ.

Interdum ex defectu reſignationis, & quia non propter Deum, ſed propter noſipſos ſuauitatem optamus. Cui defectui medemur, ſi ad Chriſti pedes procumbentes, eius nos voluntati committamus, & cum eius beneplacito ariditatem pluſquam ſuauitatẽ optemus. Si ergo radices ariditatis amputaberis, ipſa ariditas exareſcet, & aptus ad Domini viſitationes efficieris.

2.Reg.7. 27.

Dicéſque cum Dauide: Propterea, ô Domine, inuenit ſeruus tuus cor ſuum, vt oraret te oratione hac.] Quia, inquam, occaſiones peccatorum & imperfectionum abſcidi, cor meum reperi bene diſpoſitum, vt orarem, & ſuauiſſimum fructum ſanctarum meditationum & affectionum acciperem. Sin minus, nequaquam de ariditate mentis, quam tu tibi affers, conqueraris. Nam cœleſtem conſolationem non merentur, licèt ſtudio orationis ſe tradant, quia non ſe ad illam percipiendam diſponunt. Ad eam autem non te præparas, ſi imperfectiones te minus gratum Deo facientes animosè non deſeras. Et fiet vt multum labores, vt te colligas, & meditationibus ac affectibus irrigeris, & quia priùs vas cordis non emundaſti, te ſine fructu diſcruties.

Michæa 6.15.

Tu ſeminabis, ait Dominus per Michæam Prophetam, & non metes; calcabis oliuam, & non vngeris oleo; muſtum, & non bibes vinum.] Nónne materiam meditandam præuenire, ſeminare eſt? Nónne eam conſideratione premere, quaſi oliuam & vuam calcare eſt? Sed ideo ex hoc labore nihil colligitur, & oleum deuotionis, quò vngaris, & vinum ſanctorum affectuum, quo inebrieris, non exprimitur, quia Dominus, ſine quo nihil eſt qui plantat, aut rigat, pinguedinem deuotionis, & vinum amoris non conſueuit dare illis, qui cor mundum ad accipiendum afferre non curant.

A Dei obſequia ſatis pronus: at imbrem meditationum & affectuum, conſiderationi incumbens, non percipit; & tunc ſterilitate afficitur, & eſt ſubſtantialiter quidem deuotus, ſed aridus. Nonnumquam denique & eſt ad diuinum famulatum promtus, & alacer, & in oratione ſanctis cogitationibus & affectibus ſecundùm intellectum & voluntatem irrigatur; at appetitus famelicus & mendicus manet, & contradictionem ſentit, & ſenſibili deuotione priuatur, & tunc deſolatione torquetur. In hoc ſtatu laborat homo quamuis non ſemper æqualiter, vt ad res meditandas attendat, & ac ſi fune & ſitula aquam hauriret ex puteo; ſic in ſanctis cogitationibus eruendis, & diſcurſibus habendis laſſatur.

Difficultas in exercitiis deſolationis tempore.

Affectus elicit amoris, aut aliarum virtutum, B non ſuauiter, ſed cum afflictione, atque conatu; & illi non ſunt admodum vehementes; quia vires inferiores non concurrunt, ſed interdum contradicunt. Tempus orationi deſtinatum non breuiter volans, ſed tardè & ſpatiosè præteriens videtur, & ad illud implendum, & in loco orationis perſeuerandum ſpiritualis vir non dulcedine, ſed ratione ducitur. Et quemadmodum æger, cui nullum eſt cibi deſiderium, ſi appetitui obediret, nihil prorſus comederet; at neceſſitate, quam probè cognoſcit, & deſiderio valetudinis ſeipſum ad manducandum cogit, & licèt cum nauſea & repugnantia naturæ alimenta ſumit: ita animus deſolatus non dulcedine, quam ſentiat, illectus; ſed ratione & propria neceſſitate conuictus, licèt cum triſtitia & C difficultate ſpiritualibus exercitiis intendit. Scandit montem orationis, ſed manibus ac pedibus reptans, non curru ſenſibilis deuotionis raptus, nec pennis conſolationis ſubuectus. Et quamuis terra cordis eius tribulos & ſpinas malarum affectionum non proferat, immo & bonas fruges ſanctarum cogitationum & affectionum germinet; tamen non quaſi ſponte, & faciliter germinat, ſed homo in ſudore vultus ſui veſcitur pane ſuo, & in laboribus comedit ex ea in his diebus vitæ ſuæ. Breuiter intelligit, qui huiuſmodi eſt proprio experimento doctus, vim illius Saluatoris ſententiæ: Spiritus promtus eſt, caro autem infirma.] Quia ſpiritu promtè & ſtrenuè ad cœleſtia ducitur, ſed carne & appetitu in hoc aſcenſu fatigatur, & ad infima trahitur.

Matth. 26.41.

His manet (pro tenuitate mea) D natura deſolationis expoſita: quam viri ſpirituales (vno, aut altero excepto, quem Deus ad perfectionem quaſi Angelorum manibus tollit) proculdubio ignorare non poſſunt.

Hic deſolationis ſtatus non adeò triſtis eſt, & ſterilis, vt propter bonum finem aliquando & deſiderari & poſtulari non poſſit. Poſtulabat illum Dauid, ex ſententia Caſſiani, quando canebat: Iuſtificationes tuas cuſtodiam; non me derelinquas vſquequaque:] vel, vt alia litera habet: vſque ad nimietatem. Ille enim vſque ad nimietatem, vel vſquequaque deſeritur, qui non ſolùm deuotione ſenſibili, ſed etiam fœcunditate ſpiritus, quam ſuauitatem diximus, & ſubſtantiali deuotione priuatur. Adeò vt tepidus & ſegnis effectus vel exercitationes ſpirituales deponat, vel in eis externa ſpeere tantùm, & ſine fructu permaneat. At ille ſalubriter ad tempus ex parte relinquitur, quando ſenſibili deuotione ſubtracta, & hoc genere deſolationis immiſſo, in vera deuotione, ac meditationum & affectuum vtili exercitatione perdurat. Ita ergo me relinques ô Domine, inquit ſanctus Propheta, vt ſaporem & dulcedinem auferas; at vſque ad ſubtractionem veræ deuo-

Deſolatio quatenus deſiderabilis. Pſal.118. 8.

De deſolatione animæ in oratione.

CAPVT VII.

Inter aviditatẽ mẽtis & deſolationẽ diſcrimen.

INTER ariditatem mentis, & deſolationem nonnihil eſſe diſcriminis facilè intelligemus, ſi eorum quæ de ſuauitate & conſolatione ſunt dicta, meminerimus. Nam cùm ſuauitas in ipſo ſpiritu ſe contineat, & conſolatio ad inferiores vires corpúſque deſcendat, fit vt ariditas, quæ ſuauitati opponitur, ſuperiora mentis afficiat, deſolatio verò conſolationi contraria, propriè ad vires inferiores ſpectet. E

Deſolatio quid.

Eſt ergo deſolatio ægritudo inferioris ſiue ſenſualis partis hominis ad cœleſtia aſpirantis, quæ ex rebus ſpiritualibus gaudium, aut lætitiam non percipit. Homo namque aliquando eſt ad orationem, & cultum Dei minimè prõtus, immo ineptus, & inidoneus, & tunc tædio laborat, & vocatur tepidus, & indeuotus. Aliquando verò eſt ad orationem, &

tionis non deseras. Meritò autem hæc vocatur salutaris derelictio, qua anima & proficit, & per humilitatem in suis se limitibus continet. Est nigra, sed formosa.] Formosa quia deuota, & feruida; nigra quia tristis, & desolata. Hoc ipsum, inquit Bernardus, quàm cautum, quàm plenum consilij, plenum discretionis & congruentiæ est, quòd in sponsa deiectio ista, & ista celsitudo secundùm tempus quidem eo moderamine sibi pariter contemperantur, vt inter mundi huius varietates, & sublimitas erigat humilem, ne deficiat in aduersis; & sublimem humilitas reprimat, ne euanescat in prosperis? Pulchræ omnino ambæ res cùm ad inuicem contrariæ sint, sponsæ tamen pariter cooperantur in bonum, subseruiunt in salutem.] Hinc perspicitur desolationem hoc modo intellectam non esse nimis extimescendam, nisi viuacitati meditationum, & feruori affectuum obstaret. At quia manifestè obstat, & huiusmodi actus spiritus, si vires inferiores non iuuent, non solent esse adeò vehementes, ex quorum tamen feruore non parum profectus virtutum, & omnis perfectio dependent, ideo bonum est desiderare, & petere, vt spiritus & appetitus in opus orationis conspirent, & vt desolatio sensibili deuotioni contraria à finibus nostris recedat.

Cant. 1. 4.

Bernard. serm. 27. in Cant.

Desolationis vtilitas.

Spiritualis profectus consolationi semper alligatus non est.

Sed Deus non est consolationibus alligatus, vt scilicet desolationis tempore spiritum nostrum valde promouere non possit, & ideo ordinariè, & vt in plurimum nostrum erit omnia impedimenta consolationis abiicere, & de cætero nos diuinæ voluntati committere, & aduentum consolationis æquanimiter expectare. Sunt enim multæ causæ propter quas Dominus has sensibiles consolationes subtrahit, & animam in desolatione relinquit, quas Gerson vsque ad septem supra decem protraxit. Eas autem nostris verbis referemus, vt nonnihil adiiciamus.

Multa desolationis causa.

Gerson de myst. Theolog. pract. indust. 6.

I. *Prodest desolatio humilitati nostræ.*

Subtrahit ergo Deus consolationem suam, & animam contemplantem desolatione percutit. Primò, vt superbiam retundat, aut nos cautos ad eam, quæ tinea est omnis virtutis, & perfectionis, detestandam efficiat. Dauid tandem placatus filium Absalon, quem ob mortem Amnon à se repulerat, ad suum conspectum, & ad osculum pacis admisit. Et post hæc fecit sibi Absalon currus, & equites, & quinquaginta viros, qui præcederent eum. Prosperitas, & conspectus patris illum extulit: sic multi spirituali prosperitate, & diuina consolatione in superbiam efferuntur, & ne superbiant, velut elationem deponant consolatione priuantur. Filiæ tibi sunt, ait Ecclesiasticus, serua corpus illarum, & non ostendas hilarem faciem tuam ad illas.] Hoc etiam Deus cum filiabus suis, hoc est, cum iustorum animabus obseruat. Quas si viderit ad superbiam pronas, cingit eas spinis tribulationum, & hilarem faciem minimè illis ostendit, vt eas in modestia contineat.

2. Reg. 15. 1.

Eccli. 7. 26.

II. *Confert ad accendenda desideria familiaritatis Dei.*

Secundò vt deuotionis, & diuinæ familiaritatis maiora desideria succendat. Nam ignis flatu compressus, ardentiùs erumpit; & bonum dilatum animæ desiderium auget. Grandia etiam non segniter optanda sunt: est autem cœlestis cõsolatio res magna, quatenus ad magna nos roborat, & à rebus visibilibus auocat. Absconditur itaque, vt diligentiùs quæratur. Atque vt Climacus ait: Abscondit seipsam infantis mater, quem si se viderit anxiè inquirere, gaudio afficitur, sícque illum instruit sibi adhærere iugiter, affectúmque suum altiùs infanti imprimit, eúmque ad se ardentiùs amandum inuitat. Qui habet aures audiendi audiat.] Et sub hac similitudine intelligat, se vt ad desiderandum Dominum accendatur, interdum à consolatione ablegari.

Climac. gradu 7.

III. *In desolatione cognoscitur fragilitas nostra. Iustiniã.*

Tertiò, vt ab homine propria fragilitas, & miseriarum abyssus profundiùs agnoscatur, & vt seipsum veriùs despiciat, videns quid ex seipso sit, & quid ex Dei munere esse possit, quod sæpe suis culpis exigentibus perdit. Ad quod notanda sunt verba Laurentij Iustiniani sic scribentis: Ad reprimendam igitur hominis audaciam sapientissimè interdum se subtrahit sapientia non odiendo, non contemnendo, sed amando. Quis autem nisi quandoque relictus sibi, propriam agnosceret fragilitatem? Continuus successus occasionem parat elationis: vix quippe flagellis eruditus animus, & tentationibus attritus suam valet intelligere infirmitatem. Nemo Apostolo sanctior, & tamen de seipso ait sic: Ne magnitudo reuelationum extollat me, datus est mihi stimulus carnis meæ angelus Satanæ, qui me colaphizet. Quis vmquam arbitraretur hominem vsque ad tertium raptum cœlum, immo in paradisum, ibíque arcana diuinitatis audisse verba, quæ homini loqui non licet; cuius conuersatio propter amoris vehementiam, mentísque munditiam in cœlis erat; qui non ab homine quòd prędicabat Euangelium accepit, sed per Iesu Christi reuelationem; qui fiducialiter dicebat: Certus sum quia neque mors, neque vita, neque Angeli, neque principatus, neque virtutes, neque instantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia potetit nos separare à charitate Dei, quæ est in Christo Iesu; ne eleuaretur inaniter supra se, necessariò doceri habuit per se de se. Non autem dubitandum est de tanto credere viro, quod ipse de se testatur. Nemo tanti se æstimet, vt quamuis charismatibus multis ornatus sit, absque disciplinæ documento possit euadere. Prona quidem ad malum est hominis natura ab adolescentia sua secum sibi aduersantem portat. Priuatus etenim amor ignotum reddit illum sibi. Facilè & rectè iudicat aliena quum aperiuntur ei, sua verò non potest. Medicamine igitur eget alieno, quum suo nequeat liberari. Quamobrem sapientia quandoque se subtrahit, vt quem diligit humiliando custodiat. Nam maximum humiliationis genus est vehementer puréque amantem dilecti sui priuari præsentia. Opponit præsumtioni obstacula antequam veniat, suíque dilectoris quamuis dolentis, quamuis nolentis, & renitentis salutis operatur remedia.

IV. *Desolationẽ expertus aliorũ desolationibus compatitur.*

Quartò, subtrahit Dominus consolationem suam vt ea probatus induat viscera misericordiæ, & sciat compati desolationibus, & ariditatibus aliorum. Nihil enim æquè, ac miseriæ experientia excitat compassionis affectum. Et inde probat Paulus Christum super miseriis nostris miseratione pulsari, quod fuerit multiplici tentatione probatus. Non habemus Pontificem, inquit, qui nõ possit compati tribulationibus nostris, tentatum per omnia pro similitudine absque peccato. Vt ergo in nobismetipsis fragilitatem humanam & compassionem doceamur, & quanti doloris sit desolatio in nobis ipsis agnoscamus, interdum diuinam consolationem amittimus, & in desolationem incurrimus.

V. *Prodest desolatio ad satisfactionẽ.*

Quintò, vt desolatus satisfaciat pro peccatis suis, vel alienis. Pro suis quidem; quoniam si ieiunia, & opera illa, quæ pœnalia vocantur, pro peccatis satisfaciunt, quid non satisfaciat immissa desolatio, quæ sentitur intimiùs, & cruciat

vehe

vehementiùs. Ignouit Dauid filio ſuo fratricidæ Abſalom, & permiſit eum ingredi Ieroſolymam, at illi ſuam faciem minimè voluit oſtendere. Reuertatur, inquit, in domum ſuam, & faciem meam non videat.] Sic & Dominus licèt peccatores per veram pœnitentiam in ſuam gratiam admittat; non tamen continuò hilarem eis faciem oſtendit, ſed iubet eos ariditate ac deſolatione purgari. Gratúmque eſt illi ſi in nouiſſimo loco ipſi recumbant, vt poſtquam ſe conſolatione indignos agnouerint, ad illam ſecuriùs & ſtabiliùs aſcendant. Aliorum quoque ſic peccata perſoluunt: nam qui conſtituerunt pro aliis ſatisfacere, non ſolùm ad aſperitates corporis incitantur, ſed & deſolationibus affliguntur: vt quemadmodum Chriſtus Saluator noſter peccata noſtra non ſolùm dolore corporis, ſed animæ triſtitia deleuit; ita & qui volunt pro peccatis aliorum aliquam pœnam ſuſtinere, dolore corporis, & deſolatione mentis crucientur.

2. Reg. 14. 24.

VI. *Profitentibus vitam miſtã ſubtrahitur cõſolatio vt viciſſim actioni vacẽs.*

Sextò, vt ad lucra animarum, vel ad aliud miniſterium vocatus non ita orationi & meditationi ſe dedat, quòd à ſuo munere retrahatur. Nam cùm plurimi ex viris perfectis non ad vitam purè contemplatiuam, ſed ad vitam mixtam vocentur, ad Dei prouidentiam & amorem pertinet, ita illorum conſolationes moderari, vt non ſemper ebrij hoc ſpirituali vino (nam ſic ab actione non parum impedirentur) ſed ſobrij interdum, vt laborent, & aliis intendant, relinquantur. Ideo ſponſa nunc ad quietem inuitatur non tantùm interna inſpiratione, verùm & conſolationis immiſſione; nunc verò per ſubtractionem eius ad munera externa mittitur. Audítque: Surge, propera amica mea, columba mea, formoſa mea, & veni.] Illud, ſurge, aliquando cum deſolatione affligere eſt. Non quidem, vt ſtatutis orationis temporibus aliis intendat (nam hæc, vt diximus, numquam prætermittenda ſunt) ſed vt illis ritè expletis, moras non nectat, immo ſtatim ad laborandum in agro Domini exeat. Nec obſtat quòd ei non dicatur: Vade; ſed veni: quia hoc modo loquendi vtitur ſponſus, cùm ad animas lucrandas mittit, vt oſtendat ſponſam non ſolam, ſed ipſi aſſociatam ad laborem exire, eúmque non longè eſſe ab animabus, quas ſaluare contendit.

Cantic. 2. 10.

VII. *Item cõſolatio deeſt iuſto vt tẽtationem expertus ſibi & aliis diſcat.*

Septimò, vt vir iuſtus deſolationis tentatione edoctus virtutes omnes perfectiùs diſcat, & alios efficaciùs doceat. Eas enim perfectiùs diſcit, quoniam omnis virtus tentationis tempore, ſi ei grauiter reſiſtamus, animo efficaciùs infigitur; ſicut arbor hyemis tempore, quando mortua videtur, magis in terra radicatur. Atque efficaciùs docet iuxta illud Socratis à Gerſone adductum: Loquimur melius, quæ melius cognoſcimus; illud autem melius cognoſcimus, quod intimiùs experti ſumus. Nam vir inexpertus quid cognouit? Quid de Domino à Paulo ſcriptum eſt? Debuit per omnia fratribus ſimilari, vt miſericors fieret, & fidelis Pontifex ad Deum, vt repropitiaret delicta populi. In eo enim, in quo paſſus eſt ipſe, & tentatus, potens eſt, & iis qui tentantur, auxiliari.] Ira ergo anima pura, & dilectiſſima Chriſti ſponſa ſolet deſolatione affligi, vt erga adoleſcentulas, id eſt, animas imperfectas, quas erudit, viſcera miſericordiæ induat: & ex propria tentatione & mœrore, quomodo aliis mœſtis & tribulatis opem allatura ſit, diſcat.

Hebr. 2. 17.

VIII. *Deficit etiam cõſolatio vt homo aliis præter. orationẽ incumbat. Cant. 1. 11.*

Octauò, ne homo propter dulcedinem diuinæ conſolationis deſerat implere diuinam iuſſionem; iugiter enim vacare orationi ſupererogationis eſt, præcepta verò ſeruare, & onera proprij ſtatus portare, præciſæ obligationis. Tollitur ergo illa dulcedo ne homo plus nimio rebus cœleſtibus contemplandis intentus, à ſuo munere, ſuáque vocatione deficiat. Sponſa præſentiam dilecti ſponſi ſuſpirabat: Indica mihi vbi paſcas, vbi cubes in meridie, & audiuit: Murenulas aureas faciemus tibi, vermiculatas argento.] Quia vtilius eſt illi aliquando conſolationem amittere, & debitæ actioni vacare. Vnde Bernardus: Ita ergo nunc ſponſa ſcire cupiens, & inquirens vbi in meridianis horis dilectus paſcat, & cubet; murenulas pro eo portat aureas, vermiculatas argento, id eſt, ſapientiam cum eloquentia, haud dubium, quin ad prædicationis opus. Docemur ex hoc ſanè intermittenda plerumque dulcia oſcula propter lactantia vbera, nec quemquam ſibi, ſed omnes illi, qui mortuus eſt pro omnibus, eſſe viuendum.] Vt itaque illi perfectiùs & vtiliùs viuamus, ab vberibus conſolationis ſeiungimur, & pane tribulationis ſuſtentamur.

Serm. 41. ſuper Cant.

IX. *Mittitur deſolatio frequentiùs in pœnam lenium peccatorum.*

Nonò, deſolatio immittitur ad caſtigationem peccatorum venialium, quod (vt opinor) eſt frequentiſſimum. Nam ſicut pater filio aliquid indecens facienti faciem triſtiorem oſtendit, ita & Dominus iuſto incircumſpectè ſe gerenti rigidum & auſterum ſe exhibet: vt de cætero cautior, & à leuibus etiam quibuſque defectibus efficiatur alienior. Punitur itaque vir ſpiritualis in eo, quod teneriùs amat, & conſolatio ſubtrahitur, & in pane, & aqua, id eſt, ſine vlla voluptate ſpiritu ieiunare compellitur. Et ne iterum tale flagellum ſentiat, imperfectiones ac diſtractiones euitare laborat.

X. *Item vt homo intelligat conſolationẽ non eſſe in ſua poteſtate. De proceſſu relig. c. 21.*

Decimò, vt homo experimento cognoſcat conſolationem nequaquam à viribus humanis procedere, nec eſſe in poteſtate hominis, ſed omnino pendere à voluntate Dei. Negatur ſenſibilis deuotionis donum, inquit Bonauentura, vt ex hoc quis eruditior in gratia fiat, quod à Deo fit, non ab homine; cùm non poteſt homo pro voluntate ſui arbitrij habere, ſed Deus qui dat ex ſe, quum vult infundit, & cùm vult ſubtrahit, prout ſibi placet, & prout accipienti iudicat conuenire. Item quia ex gratia ſua dat, non pro meritis hominis, quia ſi daret ſemper cùm quæritur, & non daret niſi quæreretur, putaretur iam tunc dare ſecundùm merita requirentium, & non ſecundùm gratiæ liberalitatem. Ideo quandoque ſtudioſè quærentibus negat ex iuſtitia, & non quærentibus quandoque dat ex gratia.] Habet igitur in hoc etiam locum illud Apoſtoli: Non eſt volentis, neque currentis, ſed miſerentis Dei. Quia niſi ipſe miſericordiam præroget, in vacuum conabimur ad conſolationem aſſurgere, & ab ariditatibus liberari.

Rom. 9. 16.

XI. *Subtrahitur cõſolatio ad purgationem cordis.*

Vndecimò, ad purgationem cordis noſtri, quod ex nimia quiete ſordes contrahere conſueuit. Sicut enim aqua ſtagni fit tetra, & olida, ex eo quòd nec fluit, neque huc illúcque mouetur; ita cor hominis proprio iudicio, & voluntatis duritie ex noſtra culpa inficitur, niſi aliqua viciſſitudine conſolationis ac deſolationis exerceatur. Alio etiam ſimili idipſum poteſt intelligi. Ephraim, inquit Oſeas, factus eſt ſubcinericius panis, quod non reuerſatur.] Eo enim ipſo quòd panis abſque vllo motu inter prunas diu durare permittitur, ex parte, quæ deorſum eſt, exuritur, & facies ſurſum apparens, inquit Gregorius, ex ſuperiecto cinere ſordidatur. Sic & animus ſi nullam contradictionem habeat, & inter ſpirituales delitias quieſcat, non

Oſee 7. 8.

Greg. 11. moral. c. 7.

quidem ex defectu illarum, sed ex culpa & imperfectione sua solet delicatior ad sustinendum, & impatientior ad aliquid sufferendum fieri, & elatione, ac aliorum contemtu coinquinari.

XII. *Item vt anima cognoscat an recta intentione oratioui se dedat. Eccli.6. 10.*

Duodecimò, vt innotescat sibimet anima, & sciat an gratis seruiat Deo, & orationi se dedat, an verò propter stipendia solùm consolationum orationis studia requirat. Qui absque consolatione in orationis exercitationibus perseuerat, quasi suis expensis arcem contemplationis expugnat. Iam indicium præbet, quòd non sit ille, de quo Ecclesiasticus: Est amicus socius mensæ, & non permanebit in die necessitatis;] quia iam nouit arenti corde Dei familiaritatem exquirere, non minus quàm si quottidie stipendia consolationum acciperet.

XIII. *Priuatur anima consolationibus ne illis nimis adhæreat.*

Decimotertiò, ne anima donis creatis, scilicet his consolationibus nimis adhæreat, & pro illis Deum ipsum relinquat. Scopus enim eius quo sanctitate perficitur est diligere Dominum Deum suum. Et tollitur ab ea, quæ possent hunc amorem minus purum reddere, dum ipsum Deum non tam propter bonitatem eius, quàm propter dona, quæ recipit, concupiscit. Interdum pater filio dilectissimo negat obolum quo aliquid nociuum est emturus, cùm tamen præparet illi hæreditatem. Ita Dominus negat tibi, ô anima, sensibilem consolationem, cui immoderatè adhærebis, vt pretiosioribus donis fruaris. Dicit tibi petenti, nec impetranti: Sufficit tibi gratia mea; nam virtus in infirmitate perficitur.] *2.Cor.12. 9.*

XIV. *Item ob carnis imbecillitatem. Cassian. coll. 13. cap.6.*

Decimoquartò, ob carnis imbecillitatem, quæ assiduis lacrymis & gemitibus breui deficeret, nec posset onus spiritus sustinere. Ita vt nonnumquam, inquit Cassianus, nos etiam vtiliter ab istis spiritalibus sentiamus studiis auocari, vt dum nolentibus nobis interrumpitur nostri cursus intentio, & infirmitati carnis aliquid relaxamus, etiam inuiti ad salutarem perseuerantiam reseruemur.] Rogatus Dauid, vt filij conuiuium admitteret, ita respondit: Noli fili, noli rogare, vt veniamus omnes, & grauemus te.] Simili modo nonnumquam Deus se subtrahit, ne animam quasi expensis grauet, & corpusculo, quod ad perseuerandum in bonis necessarium est, irremediabile detrimentum importet. *2.Reg.13. 25.*

XV. *Subtrahitur etiam consolatio animæ vt feruentiùs Deũ quærat. Cant.1. 2.*

Decimoquintò, vt sic Deus animam viri spiritualis ad volandum prouocet. Sicut enim mater à filio se abscondit, & ipsum deserit, non vt deserat, sed vt infantulus illam diligentiùs quærat, & quæsitam inueniat, & inuentam teneriùs astringat. Ita anima secundùm hanc sensibilem consolationem deseritur, vt ad feruentiùs quærendum Deum incitetur. Quid ait sponsa? Quæsiui illum, nimirum sponsum, & non inueni. Et quid inde sequutum est? Surgam, & circuibo ciuitatem, per vicos & plateas quæram quem diligit anima mea.] Quæsiuit priùs, & minimè inuenit (inquit Gregorius de Magdalena, & ad quamlibet animam orationi deditam applicari potest) perseuerauit vt quæreret, vnde & contigit, vt inueniret: actúmque est vt desideria dilita crescerent, & crescentia caperent quod inuenissent.] Et Richardus Victorinus. Sed non semper sponsus quærenti se statim offert: nec desideranti se exhibet: sed sæpe vota implere differt, vt augeat: & aucta postmodum remuneret, & perfectiùs impleat. Differt etiam hæc interdum, vt constantiam quærentis probet: & eo vtilius, quo tardius desiderata præstet. Quod enim cum labore acquiritur, arctiùs tenetur, & cautiùs custoditur. Et nonnumquam desideria citius impleta deficiunt, & dilata ampliùs crescunt.] Sicut ergo est actus amoris Dei erga animam, consolari & afficere illam; ita amoris est illam desolatione probare, & ad feruentiùs diligendum allicere, vt scilicet plus ipsa diligens, plus ametur, & donis potioribus augeatur. *Gregor. hom. 25. in Euãg.* *Richard. in Cant. cap.1.*

XVI. *Vt patiẽtiam in desolatione exerceat.*

Decimosextò, vt per desolationem anima patientiam exerceat. Nam patientia opus perfectum habet, & supra quàm dici possit ad obtinendam perfectionem conducit. Nulla autem est fortassis patientiæ vehementior occasio, quàm post expertas spiritus delitias desideria terrena sentire, & amaritudinis ac desolationis felle potari.

XVII. *Tandem vt anima cõiiciat quã sit malii à Deo perpetuò separari.*

Decimoseptimò, ac postremò, vt homo ex tempore desolationis, & ariditatis, & deuotionis coniiciat, quàm inexplicabile malum erit à Deo in perpetuum separari, si hæc tantilla subtractio deuotionis, qua Deus se abscondit, tam vehementer afficit, & animam inconsolabiliter affligit.

Has igitur notauit Gerson desolationis causas. Ex quacumque autem radice, siue ex culpa nostra, siue ex dispensatione diuina desolatio procedat, illud nobis enitendum est, vt flagellum hoc patienter feramus, vt numquam de diuina pietate nec ad minimum desperemus, & vt siue per dolorem, siue per dulcedinem in virtutibus progrediamur. Oranda est etiam, auctore Bernardo, beata Virgo consolationis mater, vt nobis donum hoc consolationis obtineat. Eius verba sunt: Quoties mihi necesse est fratres post lacrymosas querimonias vestras exorare matrem misericordiæ, vt suggerat suo benignissimo filio, quoniam vinum non habeatis? Et ipsa dico vobis charissimi si piè à nobis pulsata fuerit, non deerit necessitati nostræ: quoniam misericors est, & mater misericordiæ. Nam si compassa est verecundiæ illorum à quibus fuerat inuitata; multo magis compatietur nobis, si piè fuerit inuocata. Placent enim illi nuptiæ nostræ, & pertinent ad eam multo amplius illis: nimirum de cuius vtero, tamquam è thalamo suo cœlestis sponsus processit. Sic profectò ex vna parte diuinæ gratiæ aduentum, & consolationis saltem spiritualis immissionem postulantes, & ex alia rectè, & ad profectum nostrum vicissitudine desolationis & consolationis vtentes, nullo successu à progressu in virtutibus impediemur, immo ipsa desolatione, & mentis ariditate in dies amplius in omni perfectione crescemus. *Bernard. serm.1. in 1. Dom. post octa. Epiph. Oranda beatissima Virgo in desolatione.*

De longanimitate, quæ his imperfectionibus orationis medetur.

CAPVT VIII.

Longanimitas & patientia habenda in desolatione & ariditate.

MIs expositis, quæ ad laborem & afflictionem orantium ac meditantium pertinent, sex tandem documenta subiiciam, quibus custoditis mentis ariditates & desolationes curabunt. Horum primum est, vt illius carminis Dauidici meminerint: Expecta Dominum, viriliter age, & confortetur cor tuum, & sustine Dominum.] Præcesserat sanè alia mysteriorum plena sententia: Credo videre bona Domini in terra viuentium.] Quænam est terra viuentium? An terra Israelitarum, vt etiam Chrysostomus autumat, quòd eam homines iusti, & verum Dei cultum habentes incolerent? An patria cœ- *Psal. 26 14. Psal. 26 13.*

lestis,

lestis, vt Augustinus exposuit, ad quam nec falsitati, nec morti patet accessus? Sed etiam terra viuentium præcipuam virorum spiritualium actionem, nempe contemplationem designet, in qua vera bona, immo & ipsum bonorum auctorem, si non facie ad faciem, at oculo sapientiæ vident. Vt autem videant, vt hanc regionem in terris patriæ cœlestis imaginem ingrediantur, Dominum expectare, qui nonnumquam vt amplius desideretur, moras nectit; & viriliter ad ascensum conari iubentur. Quòd si post longam expectationem non venerit, adhuc sustinendus est, & patienter eius dilatio ferenda, quia & ipsa sustinentia magnum meritum habet, & ad Domini aduentum ianuam aperit. Qui curiam alicuius regis sequuntur, vt aliquam dignitatem obtineant, ô bone Deus, quot annos patienter expectant, & post longam & molestam expectationem illud comparant, quo sæpe in æternum pereunt, aut quo scrupulos & onera conscientiæ congregant, & non semel (quod fortè maioris est fœlicitatis) nihil assequuntur, & post immensos labores, & opum suarum magna dispendia suo voto frustrantur. Nos autem qui diuinam familiaritatem omni dignitate potiorem quærimus, non expectabimus? Et si non statim consolatio adfuerit, & suauitas redundauerit, animum despondebimus, & ab orationis studio resiliemus? An rex terrenus expectandus est, vt det quod interimat, aut id certè, quod nullius valoris est; & rex cœlestis expectandus non erit, vt det rem pretiosissimã, qua ad vitam æternam & perfectionem assequendam muniamur? Væ his, qui perdiderunt sustinentiam, & qui dereliquerunt vias rectas. Ille viam rectam reliquit, qui communem rationem obtinẽdi quod desideratur, despicit. Communis verò, & ordinaria via obtinendi rem magnã in diuturna expectatione & longanimitate ponitur. Væ igitur illi, qui hanc viam rectam, & omnibus iustis tritã reliquerit, quoniã ei nõ solùm cœlestis consolatio, verũ & donũ orationis negabitur.

Spiritualia dona etiamsi differantur diu expectãda.

Eccli. 2. 16.

Nihil nos à perseuerantia & expectatione retrahat.

Retrahit te, ô homo, ab oratione, & ab spe adipiscendæ cœlestis consolationis imbecillitas tua? Sed non viribus tuis, quæ vt bene cognoscis, nullæ sunt, sed diuinis auxiliis, & conditoris gratia assequuturus es illam. Retrahit te difficultas, & rei desideratæ speciositas? Sed omne pretiosum est difficile, & quod alij imbecilliores obtinuerunt, tu quoque comparare valebis. Retrahit te impedimentum multiplex, quod frequenter emergit? Sed huiusmodi impedimenta viros ad vincendum accingunt, ignauos verò, & inertes prosternunt. Abducit te denique longæuitas temporis, qua sine initio saltem alicuius fructus expectas? Sed ipsa expectatio frugifera est, licèt numquam quod expectatur aduenias: & conducibilius est in hac expectatione mori, quàm per ignauiam & instabilitatem à tam salutari ambitione cessare. Non tamen permittet Dominus cassum esse laborem tuum; immo quanto longior & laboriosior fuerit expectatio, tanto erit (si te disposueris omnimoda abnegatione, & vniuersarum virtutum exercitatione) consolatio abundantior, & fructificatio pretiosior. Tanta res est Domini aduentus, vt quãtumcumque differatur, non tardet, sed debeat ab his, qui seipsos cognoscunt, humiliter expectari, & locus orationis vbi apparere solet, ab eisdem minimè derelinqui. Si moram fecerit, vt tibi quidem videtur, expecta illum, quia veniens veniet, & non tardabit.] Iam ille ex æternitate disposuit, quando erat ad te venturus, quando tuam animam consolaturus, quãdo tristitiam depulsurus, & lacrymas absterfurus, ne ab expectatione desistas, nec ab studio orationis resilias, cùm adhuc non tardet, cùm tempus ad apparendum præstitutũ nondum aduenerit. Quibusdã Dominus in ipso conuersionis initio apparere, & ad eos consolãdos venire disposuit. Hi fuerunt in Ioanne Baptista signati, qui in vtero situs matris Saluatorem adesse præsensit. Alios in vitæ spiritualis progressu, & longè post initia consolari decreuit. Quos tres illi discipuli figurarunt, qui ad verticẽ Thaboris subuecti ipsum Christum Solis claritate fulgentem aspicere meruerunt. Aliis vsque ad vltimos annos, & vsque ad finem vitæ hæc visitatio differtur. Quorum Elias fuit imago; de quo scriptum est, quòd ad videndum & audiendum Dominum egressus stetit in ostio speluncæ. Itémque & Israëlitæ: nam columnam nubis, in qua cum Moyse loquebatur Dominus, aspiciebant ex ostiis tabernaculorum suorum. Ostium namque, per quod ex domo nostra ad ciuitatem egredimur, postremas vitæ annos significat, quando ad occurrendum Domino præparamur. Si tu ex illis es, quibus cœlestis visitatio vsque ad finem vitæ seruatur, an tam superbus & temerarius eris, vt de Deo, qui nullius est debitor, conqueraris, & dicas illi, cur ita facis? Flecte igitur ceruicem elationis tuæ, & consolationis te considera prorsus indignum: satísque benignè tecum agi scito, si coram maiestate Domini, vel aridus ac desolatus admittaris. Numquam statutis temporibus ab exercitio orationis absis, ne fortè dies, in qua à perseuerantia excidisti, sit illa, quam Dominus ad te visitandum, & dono contemplationis cumulandum elegerat, & propter instabilitatem tuam, hoc magno bono, ac diu desiderato prioueris.

Quibusdã statì, aliis verò serius se Deus cõmunicat. Vtrique olim significati.

3. Reg. 19. 13.

Exodi 33. 10.

Habac. 2. 4.

Paulus vas electionis à Domino ipso in viam veritatis adductus non continuò lumen oculorum recepit, sed tribus diebus lumen cœlitus datum expectauit. Et erat ibi tribus diebus, inquit, non videns, & non manducauit, neque bibit.] Quid istud nobis indicet, ex Bernardo discamus. Sanè quòd triduo Paulus sine cibo manet persistens in oratione, ad eos maximè pertinet, qui nouiter sæculo abrenunciantes, necdum in cœlesti consolatione respirant. Sustineant ergo & ipsi Dominum in omni patientia, orent sine intermissione, quærentes, petentes, pulsantes: quia exaudiet eos Pater cœlestis in tempore opportuno. Non obliuiscetur eorum in finem, veniet, & non tardabit. Si triduo sustinueris eum non habẽs quod manduces, confide quia miserator & misericors Dominus ieiunum te non dimittet.] Profectò hæc expectatio Pauli vsque ad tertium diem ad hoc trahenda est, vt nos ad sustinentiam inclinet, hæc nullo modo tam impatiens esse debet, vt post paululum velimus à molestia ariditatum eximi, & consolationibus abundare. Quinimmo inspicientes indignitatem nostram, & maiestatem Dei, & magnitudinem boni concupiti, sciamus non solùm vsque ad secundum diem, id est, vsque ad pertransita nostræ conuersionis initia, sed vsque ad tertium, nempe vsque ad finem vitæ (si oportuerit) desolationes & ariditates patienter ferre; nec propter illas opus hoc orationis meditationísque deserere. Israëlitæ non statim atque Aegyptum reliquerunt, sed post multos annos, & post immensos labores in terram promissam lacte & melle manantem admissi sunt. Terra autem, quam nos quærimus, aut potiùs cœlum serenum contemplationis, & veræ quietis, quod cupimus, absque vlla mensura excel

Act. 9. 10. Bern. ser. 1. de conuers. Pauli. Paulus in cõuersione sua typus perseuerantium in oratione cum ariditate.

Ad istã perseuerantiam iuuat humilitas.

Contemplationis dulcedo maximo digna labore.

excellentius & suauius est. Quare non sustinebimus tantisper? quare labores non superabimus, & per ignem, & aquam, nimirum per ariditates & desolationes non penetrabimus, vt tantum bonum aliquando possideamus? Quàm magna multitudo dulcedinis tuæ, Domine, quam abscondisti timentibus te. Hæc est contemplationis dulcedo, non omnibus peruia, sed tepidis & instabilibus abscondita: quam illi capiunt, qui assiduo labore, & perseuerantia, non aliter quàm pretiosum thesaurum effodiunt. Perfecisti eis, qui sperant in te, in conspectu filiorum hominum. Eàm, inquam, dulcedinem in illis vsque ad perfectionem prouehis, ô Domine, quorum est palàm, & quasi in conspectu hominum eam sperare, id est, per indefessam orationis perseuerantiam se eius amatores dignos ostendere. Iacob contemplatiuorum typus, quánam ratione meruit ab Angelo benedici? Orationis sanè importunitate. Ecce, inquit, vir, id est, Angelus in specie viri, luctabatur cum eo vsque mane. Lucta ista aut spiritualis fuit, vt Origenes & Hieronymus autumant, aut si corporalis, vt aliis placet, luctæ spiritualis est typus, qua cum Deo in oratione pugnamus. Hæc itaque à Deo incipit, ipse prior ad nos per gratiam accedit. At nostrùm est orationem vsque ad auroram protrahere, & quàdiu nox huius mortalitatis durat, minimè ab illa desistere. Nostrùm est ad orationem non vt ad delitias semper, sed vt ad luctam qua cum cogitationibus & ariditatibus pugnamus, & quasi ad certamen accedere. Nostrùm est cum lacrymis & amaritudine cordis consolationis benedictionem postulare, ac dicere ad Dominum: Non dimittam te, nisi benedixeris mihi.

Psal. 30. 20.

Gen. 32. 24.

Orig. lib. 3. Periar. Hieron. Ephes. 6.

Gen. 32. 26.

S. Iob exẽplar longanimitatis in orando.

Huius longanimitatis amorem in sancto Iob virorum patientium forma videmus expressum. Is si in loco quietis & pacis bellum reperit, non propterea ad consolationes humanas dilapsus est, sed in inquirendo Domino perseuerauit. Si dixero (verba sunt eius) consolabitur me lectulus meus, & releuabor loquens mecum in strato meo. Terrebis me per somnia, & per visiones horrore concuties.] Ibat ille ad lectulum suum, ad illum certè spiritalem & mysticum sanctæ contemplationis, in quo solet anima quiescere. Ibi leuamen secum, ac cum Deo loquens, & consolationem quærebat, & mercedem pro afflictione, quam in actione & operibus vitæ actiuæ sustinuerat, expectabat. Desiderium autem quietis & suauitatis experiendæ frustrabatur, cogitationibus rerum mundanarum irruentibus, & aduersùs omnem tranquillitatem mentis decertantibus. Quid autem ille fecit? An lectulum contemplationis deseruit, & occupationibus se prophanis addixit? Nequaquam, immo ait: Quamobrem elegit suspendium anima mea, & mortem ossa mea.] Eo ipso quòd à contemplatione abigor, & à consolatione prohibeor, magis in eius exercitatione perseuero. Si mihi accedere ad cœlestia non datur, suspendium eligo, terram tangere nolo, inter cœlum & terram afflictus pendere malo, & mortem subire, quàm ab studio orationis diuelli. O vir longanimis! ô spiritus fortitudinis & amoris Dei plene, qui non te, sed Deum quæris, non propter consolationes, sed propter Dei beneplacitum orationi intendis, nequaquam fructu tui laboris carebis. Ecce dies venient, dicit Dominus, & comprehendet arator messorem, & calcator vuæ mittentem semen, & stillabunt montes dulcedinem, & omnes colles culti erunt.] Nam sicut in annis vbertatis vna terræ fructificatio aliam assequitur, ita vna consolatio post aliam veniet, & vnum donum alij succedet. Quin & mõtes & colles loca ad fruges sterilia, corda scilicet arida, & infœcunda pinguescent, & stillabunt lac, & mel. Experietúrq; homo quàm bonus & largus præmiator sit Dominus his, qui illum in afflictione sperarunt. Tali animæ suspiranti frequenter, ait Bernardus, immo sine intermissione oranti, & afflictanti se præ desiderio, cùm interdum desideratus ille, qui ita quæritur, miseratus occurrerit, puto illi de propria experientia conuenire vt dicat cum sancto Ieremia: Bonus es Domine sperantibus in te, anima quærenti te.] Bonus proculdubio, id est, benignus, est sperantibus, & sustinentibus, & præstolantibus illum; & sedulo, & puro ac sincero corde quærentibus illum. Adeò vt homo delitiis spiritualibus post desolationem affluens apertè conspiciat, quia bonum est præstolari cum silentio salutare Dei.

Ps. 23. 3.

Ps. 14. 1.

Ier. 3. 25.

Bernard.

Thren. 3. 26.

Richard. Beniam. minor. c 26.

Gerson. lib. de meditat. cõsiderat. 5.

Pulchra similitudo ex Gersone.

Si ergo, ô homo iuste, vis consolatione cumulari, & in via spirituali proficere, esto longanimis, & studium orationis intermittere propter ariditatum ac tentationum molestiam numquam in mentem inducas. Difficile quidem est ad montem orationis sine baculo alicuius consolationis ascendere, & multò difficilius in eo sine huiusmodi adiutorio persistere. Multi quidem in ipsa ascensione defecerunt, inquit Richardus Victorinus, propter nimium laborem ascendendi; multi ab eius arduo vertice ociùs descenderunt propter laborem standi.] Et ideo quærit Dauid: Quis ascendet in montem Domini, & quis stabit in loco sancto eius?] Et rursus: Domine quis habitabit in tabernaculo tuo, aut quis requiescet in monte sancto tuo?] At difficultas hæc superanda est ab eo, qui cupit diuinàm suauitatem gustare. Qui vult ignem in lignis humidis, viridibus, aut luto aspersis accendere, (& est similitudo Gersonis) debet sufflare quantùm potuerit, & iterum atque iterum resufflare, & fumum conturbantem oculos sustinere. Post multum laborem vix parua scintilla emicabit, & statim euanescet. Ac quasi à principio incipiendum est, donec illa impedimenta superentur, quibus euictis splendidus tunc, & magnus ignis emerget. Qui verò congesta ligna dispersit, nec longanimiter in sufflando perstiterit, nequaquam ignem habebit. Sic prorsus in oratione persistendum est, & omnimodis enitendum, vt impedimenta vincamus, & noxium humorem inordinatorum affectuum exsiccemus, vt adhibita nostra industria per gratiam Domini magnus aliquando ignis deuotionis erumpat. Artium liberalium, siue mechanicarum artifices longanimiter insistendo peritissimi in suis artibus euaserunt; & tu si longanimitatem non deponas, sed in oratione licèt aridus & desolatus existas, tandem spiritualis vir, & dono orationis cumulatus euades. Quamuis oleum & operam perdere, & nihil agere tibi videaris, at Domini operationem expecta, & ne ad lectionem, aut ad aliud simile, quasi ad vtilius recurras; quia sic numquam fructum optatum consequeris. Audi eumdem Gersonem, quid super hac re alio loco scriptum reliquerit. Falluntur qui volunt semper vel legere, vel orare vocaliter, vel deuotionis verba à loquentibus accipere: si putant exinde contemplationis gratiam familiarem sibi committere. Accessuro prosunt hæc, sed non sufficiunt. Esto namque compungantur interim tales ad lectionem, vel sermonem, si abstuleris librum, aut verbum abibit illico comes compunctio: non aliter

Ier. 9. 13.

Longanimes tandem affluenter consolabitur Deus.

Gerson. Theol. mysti. pract. cõsid. 11.

Oratio mentalis neque cũ vocali, neque cũ

quàm

lectione facile cõmutãda.

quàm cum libro, aut verbo reuersura. Quamobrem oportet cum silentio præstolari salutare Dei, vt consuescat homo orare spiritu, orare & mente: dum etiam vocis strepitus, aut libri deerit inuitatus. Sit ipsa meditatio silens liber tuus, sit prædicatio: alioquin vide ne semper discens numquam ad sapientiam peruenias.] Si verò post multum laborem, & contritionem spiritus adhuc nihil proficis, nec ad aliquem gradum orationis ascendis, nihilominus non desperes, sed humiliter apud Dominum tuam tribulationem aperi, tuam afflictionem confitere. Dícque cum sancto Iob, non de tua conuersione, sed de diuina miseratione præsumés: *Iob 7.12.* Numquid mare ego sum, aut cetus, quia circumdedisti me carcere?] Mare, vel cetus, ô Domine, *Lib. 8. c. 12. exposit. mor.* vt verbis Gregorij vtar, iniqui videlicet, eorúmque auctor malignus spiritus, quia effrænari ad solam perpetrandæ iniquitatis licentiam appetunt, rectè pœnæ suæ carcere constringuntur. Ego autem, qui iam æternitatis tuæ libertatem desidero, cur adhuc meæ carcere corruptionis premor?] Sic ob tuam miseriam si non corporis, at animæ lacrymas funde, & immotus persistens pro descensu cœlestis spiritus deprecare, & pro certo scias, quia si quod in te est feceris, ille qui viscera pietatis habet, opportuno tempore aduenier.

De instinctibus, qui in Oratione sentiuntur, suscipiendis.

CAP. IX.

POST longanimitatis propositum, illud secundo loco nimiopere curandum cuique est, vt instinctus, siue inspirationes diuinas reuerenter ac attentè suscipiat, *Inspirationibus Dei diligenter obediendum.* & eis diligenter obediat. Scopus enim præcipuus meditationis est Dei voluntatem ita in omnibus, quæ prohibet, & iubet agnoscere, vt eam siue fugiendo ab illis, siue faciendo ista in opus producamus. Vnde vt Deus nos doceat, & suam voluntatem aperiat, & in itineribus perfectionis erudiat ad orandum & meditandum accedimus. Super custodiam meam stabo, ait Habacuc Propheta, & figam gradum super munitionem, & contemplabor, *Habacuc 2.1.* vt videam, quid dicatur mihi, & quid respondeam ad arguentem me.] Oratio hæc satis appositè vocatur custodia, siue specula, quia in ea præterita, præsentia, & futura speculamur. Vocatur & munitio, quia in ea tamquam in loco munitissimo à curis mundanis defendimur. Ascendam, inquit anima, in hanc speculam contemplationis, perseueranter stabo in hoc loco munitissimo, atque tutissimo. Scopus autẽ huius laboris est videre quid à Domino dicatur mihi, & eius vocem & instinctum audire. Vox quidem est, quam percipere cupio, sed vox Dei, quæ non solùm auditu, verùm & visu percipitur: quoniam luce cœlesti, quam infert, mysteria patefacit, & oculos ad eorum, quæ dicuntur, visionem aperit. Nam auditu auris audiui te, *Iob 42.5.* inquit Iob; nunc autem oculus meus videt te:] & tandem per ea admiranda, quæ in spiritu nostro operatur clarius, quàm si oculis cerneretur, seipsum ostendit. Itaque fructus orationis est Deum *Orationis fructus Deum loquentem audire. Psal. 84. 9.* inspirantem & loquentem audire, qui solùm illa loquitur, quæ mentes nostras virésque sanctificẽt. Propheta regius ad hoc orationem, & diuinorum operum considerationem frequentabat. Audiam

A quid loquatur in me Dominus Deus; quoniam loquetur pacem in plebem suam; & super Sanctos suos; & in eos, qui conuertuntur ad cor.] Loquitur ipse in me, quando compressis cogitationibus ad eum contemplandum & audiendum ingredior in me. Audiam igitur illum, quia non futilia & inania proferet, sed quæ tam iustos, quàm peccatores ad pacem conuertant, edicet. Illa ab ipso audiam quæ carnem spiritui subdant, quæ spiritum illi subiiciant, quæ me totum ad alios homines pacem habere, & discordiam vitare faciant.

Sponsa quoque animas spirituales in se delineans ad diuinas inspirationes audiendas, illáque actione complendas in secretum contemplationis se recepit. Sic Christum sponsum alloquitur: Ap- B prehendam te, & ducam in domum matris meæ; ibi me docebis: & dabo tibi poculum ex vino condito, & mustum malorum granatorum meorum.] Apprehendit illum assidua mysteriorum eius consideratione: ducit in domum mentis, id est, in voluntatem, in qua habitat mater gratia Spiritus sancti, à qua genita est, synceræ charitatis affectione quæ ex consideratione nascitur. Ibi docetur anima ab sponso per internam inspirationem, vt bene de eius voluntate edocta vicissim offerat illi vinum efficacis dilectionis virtutum sapore conditum, & mustum malorum granatorum propriæ abnegationis per sanctam operationem. Huius etiam rei gratia alio loco diuinum instinctum postulauit. C Surge Aquilo, inquit, & veni Auster, perfla hortum meum, & fluant aromata illius.] Discedat, inquam, à me torpor spiritus, & sua inspiratione Spiritus sanctus ad me orantem aduenias, recreet hortum mentis aura suauissima vocis suæ, vt omnium virtutum, quas ex eius inspiratione concepi, odores effluant. Enimuero adeò mentalis oratio propter audiendam diuinam inspirationem reperta est, vt quasi vna indirupta Dei inspiratio esse videatur. Qua cessante statim in vana distrahimur, & à sanctarum rerum consideratione, & à piis affectibus auellimur. Quare in Ecclesiastico legimus: Sicut parturientis, cor tuum phantasias patitur, nisi ab Altissimo fuerit emissa visitatio.] Nisi ille in meditatione nos dirigat; nisi manu benignitatis suæ nos ad se conuertat; nisi docendo & mouendo animam illuminet, & afficiat, non minus cogitationum vanitate deprimemur, quàm parturiens dolorum acerbitate grauatur. Econtra verò si instinctu ac interna voce sua mentem afflauerit, quid ad perfectè viuendum facto opus sit perspicuè docebimur. Tu enim, Domine, vitam & misericordiam tribuisti mihi; & visitatio tua custodiuit spiritum meum. Vitam profectò tribuis, gratiam infundens: nam & gratia tua viuimus. Misericordiã elargiris, ad sanctè viuendum, & ad vsum gratiæ ac virtutum ab ea promanantium gratiam impertiens; & hac misericordia prouehimur. Et visitatione, id est, assidua inspiratione tua spiritum mihi infusum, & à te donatum custodis, quia nisi ad E modum auis mihi incubares, & intellectum edoceres, & voluntatem afficeres, & ad opus roborares, iam ab antiquo vitam & misericordiam à te prærogatam perdidissem. Memento igitur nostri Domine in beneplacito populi tui secundùm benignitatem tuam nobis exhibitam: visita nos in salutari tuo, ac salubri inspiratione tua. Ad videndum in bonitate electorũ tuorum, vt scilicet contemplatione videam quæ bona præparasti electis tuis; ad lætandum in lætitia gentis tuæ, vt voluntate, gaudio spiritali, & iustorum lætitia perfun-

Id sponsa testatur. *Cant. 8. 2.* *Cant. 4. 16.* *Mentalis oratio iugis inspiratio Dei videtur.* *Eccli. 34. 6.* *Iob 10. 12.* *Psal. 105. 4.*

dar: vt lauderis à me laude vocis, & operis cum hæreditate tua.

Inspirationes Dei diligenter exequtioni mandandæ.

Cùm itaque orationi ac meditationi vacemus, vt audiamus intus loquentem Deum, & ab eo de viis salutis & perfectionis doceamur, in id incumbendum nobis est, vt mens nostra ad Dei vocem diligenter attendat, & eam reuerenter excipiat, & post orationem in conuersatione sua incunctanter exequatur. Fidelis quippe famulus conclaue regis ingreditur, vt illum de suis negotiis alloquatur. Quid sibi ab eo dicatur expectat, iussa cum magno tremore suscipit, & quæ imperata sunt quàm citissimè & diligentissimè perficit. Et nos quemcumque perfectionis gradum teneamus, famuli Dei sumus, & hunc statum famuli etiamsi cor sponsæ, aut filij sentiamus, numquam amittimus, nec tutò deponimus, & si sapimus, simul cum affectu sponsæ, aut filij amantis, affectum famuli seruientis, & dicto obedientis possidemus. Ad orationem imus, vt de salute nostra, & de purgatione & perfectione animæ Deum alloquamur, & responsum eius excipiamus. Non verba inutilia nobis ab eo expectanda sunt, quæ ipse numquam proferre nouit. Ego Dominus Deus tuus, ait, docens te vtilia, gubernans te in via, qua ambulas.] Sed verba proficua, quibus nos arguit, nos hortatur, & mouet, suámque voluntatem patefacit. Alloquitur nos inspiratione sua, vt animam nostram sibi sedem præparet, & rursus post præparationem loquitur quasi præsens, & in nobis habitans, ea quibus eum semper apud nos tenebimus, & in eius amore magis ac magis proficiemus. De his notanda sunt melliflua verba Bernardi, quibus licèt longiusculis vtilitas inspirationum & sermonum Domini demonstratur.

Semper docet nos Deus in oratione vtilia profectui nostro. Isaiæ 48. 17.

Melli flua verba Bernardi de vtilitate inspirationum Dei. Bern. in Cant. serm.

Si, inquit, admonitus fuero, vel foris ab homine, vel intus à spiritu de tuenda iustitia, & seruanda æquitate, istiusmodi salutaris suasio erit mihi profectò prænuntia imminentis aduentus sponsi, & præparatio quædam ad dignè suscipiendum supernum visitatorem, Propheta hæc mihi indicante, dicentéque quia iustitia ante eum ambulabit. Et item loquitur Deo sic: Iustitia, & iudicium, inquit, præparatio sedis tuæ. Nihilominus verò spes eadem arridebit, si sermo insonuerit de humilitate, vel patientia, seu etiam de fraterna charitate, & obedientia deferenda prælatis: maximè autem de sectanda sanctimonia, & pace, & cordis puritate quærenda; quoniam quidem Scriptura ait, Domum Domini decet sanctitudo. Et factus est in pace locus eius; & : Mundi corde Deum videbunt. Quidquid itaque siue de his, siue de aliis quibuslibet virtutibus suggestum animo fuerit, significatio, vt dixi, erit mihi visitationem Domini virtutum imminere animæ meæ. Sed etsi corripuerit me iustus in misericordia, & increpauerit me, idipsum sentiam, sciens quia æmulatio iusti, & beneuolentia iter faciunt ei, qui ascendit super occasum. Bonus occasus, cùm ad correptionem iusti stat homo, & corruit vitium, & Dominus ascendit super illud, conculcans hoc pedibus, & conterens ne resurgat. Non ergo contemnenda increpatio iusti, quę ruina peccati cordis sanitas est, necnon & Dei via ad animam. Sed nec vllus omnino sermo, qui ædificet ad pietatem, ad virtutes, ad mores optimos, negligenter est audiendus; quoniam & illic iter, quo ostenditur salutare Dei. Quòd si sermo gratus venit, & placidus, quatenus pulso fastidio cum desiderio audiatur; iam non modò venire sponsus, sed & accelerare, id est, cum desiderio venire credendus est. Illius namque desiderium, tuum creat: & quod tu properas eius sermonem admittere, inde est quòd ipse festinat intrare. Non enim nos eum, sed ipse, inquit, prior dilexit nos. Iam etsi etiam ignitum eloquium sentis, atque ex eo conscientiam vri in recordatione peccati; recordare tunc de quo Scriptura dicit: Quia ignis ante ipsum præcedet; & ipsum propè esse non dubites. Denique iuxtà est Dominus his qui tribulato sunt corde. Si verò non solùm compungeris in sermone illo, sed & conuerteris totus ad Dominum, iurans & statuens custodire iudicia iustitiæ eius: & iam adesse ipsum noueris; præsertim si te inardescere sentias amore eius. Etenim vtrumque de illo legis, & ignem videlicet ante ipsum præcedere, & ipsum nihilominus ignem esse. Moyses siquidem de illo dicit, quia Deus ignis consumens est. Differunt autem, quòd is, qui præmittitur ignis, ardorem habet, sed non amorem: coquens, sed non excoquens: mouens, sed non promouens. Tantum ad excitandum præmittitur, & præparandum, simúlque ad commonendum quid ex te sis, quo dulcius sapiat postmodum quod ex Deo mox eris. At verò ignis, qui Deus est, consumit quidem, sed non affligit, ardet suauiter, desolatur fœliciter. Est enim verè carbo desolatorius, sed qui sic in vitia exerceat vim ignis, vt in anima vicem exhibeat vnctionis. Ergo in virtute qua immutaris, & in amore, quo inflammaris, Dominum præsentem intellige. Nam dextera Domini facit virtutem. Non autem fit hæc mutatio dexteræ Excelsi, nisi in feruore spiritus, & in charitate non ficta, ita vt dicat, qui huiusmodi est: Concaluit cor meum intra me, & in meditatione mea exardescet ignis. Porrò hoc igne consumta omni labe peccati, & rubigine vitiorum si iam emundata ac serenata conscientia sequatur subita quædam, ac insolita latitudo mentis, & infusio luminis illuminantis intellectum, vel ad scientiam Scripturarum, vel ad mysteriorum notitiam, quorum alter propter nos oblectandos, alterum propter ædificandos proximos recordari: oculus respicientis proculdubio est iste, educens quasi lumen iustitiam tuam, & iudicium tuum tamquam meridiem.] Hæc omnia Bernardus.

In oratione Deum alloquimur, & loquentem ipsũ audimus.

Voces itaque Dei, & inspirationes eius vtilissimæ nobis sunt, quibus à vitiis auocat, ad virtutes & ad se vocat, ac suam in mentibus nostris præsentiam, & quid ex nobis velit, perspicuè demonstrat. Ac proinde in oratione non tantùm alloquemur Dominum, sed attentè audiemus à Domino quid dicatur. Interdúmque absque vllo discursu mentis oculos in eum defigentes, & eius præsentia contenti quasi ex ore eius sermonem expectabimus. Loquere, Domine, quia audit seruus tuus;] sonet vox tua in auribus meis. Doce me facere voluntatem tuam. Ostende mihi quid me vis facere. Verè verba vitæ æternæ habes. Et eloquia tua eloquia casta, argentum igne examinatum, probatum terræ, purgatum septuplum.] Si homo sapientissimus & eloquentissimus concionem habeat, quanta attentione illum audimus, & ne verba eius nobis excidant, diligenter curamus. Ipsa autem sapientia Dei ad nosipsos facere dignatur, & non multis simul eadem serie verborum, sed mihi in speciali, quod in me cupiat, clarè, & sine ambagibus aperit. Quanta igitur attentione mentis debet audiri? Certè loquente Iobo principes cessabant loqui, & digitum superponebant ori suo. Vocem suam cohibebant duces, & lingua eorum gutturi suo adhærebat.] Quanto magis anima Deo sibi loquente si

1. Reg. 3. 10.

Psal. 11. 7.

Quanta attentione Deus audiendus in oratione.

Iob 29. 9.

lebit,

lebit, & verba ipsius dulciora super mel,& fauum; & potentiora sicut malleus conterens petras attentè suscipiet. Hæ autem voces in statu meditationis,sunt illimet discursus nostri,quibus ex rebus meditatis fructum elicimus, & ad vincendam passionem aliquam , ad fugiendas imperfectiones, quibus sordemus , vel ad quærendam humilitatem,vel mansuetudinem , vel aliam virtutem, quæ nobis sit opus , prouocamur. Animæ enim meditanti , non alloquia Dei contemplationis donum habentibus nota , expectanda sunt, sed hæ cogitationes eorum,quæ expediunt, admittendæ, quæ in instinctibus & inspirationibus Domini numerantur.Bona enim cogitatio à Deo nobis immissa (vt iam diximus) eius inspiratio est, quam vt vocem Domini attentè decet audire. Oportet etiam & memoriæ commendare , & in fine orationis quid sit nobis dictum , siue iniunctum expendere , vt congruo tempore,quemadmodum statim dicemus, executioni mandetur.

Quænam sint in meditatione voces Dei.

Inspirationes Dei in fine orationis memoriæ mandandæ.

Nec sufficit attentè Domini inspirationem audire , nisi eam reuerenter excipamus. Bonus filius in magno honore habet iussa patris , & fidelis seruus mandata domini sui. Et similiter Dei seruus, & filius adoptione , & gratia, instinctum Dei cum magna reuerentia suscipit. Loquente Angelo ad Danielem , hic de se ait : Et audiens iacebam consternatus super faciem meam , & vultus meus hærebat terræ.] Id processit ex sancto timore Angeli, & intima reuerentia qua eum sanctus Propheta est prosequutus. Si in tanto pretio habenda sunt, & cum tanto tremore audienda verba Angelorum ; quomodo excipiendi erunt instinctus Dei. Neque quidquam deperit illis propterea quòd communi modo proueniant,quia non ratio & modus loquendi , sed dignitas personæ loquentis , & momentum verborum eius reuerentiæ causa est. Si autem Deus ipse ad me loquitur, & de rebus ad meam salutem æternam,& perfectionem loquitur, quid refert si insueta aut communi ratione , si in terrore , aut suauitate loquatur. Deus sancto Iobo per Angelum in visibili specie apparentem , vel in vento celeriter transeunte loquutus est(vtrumque enim verba sacri textus significant)& ille ad visum vehementer extimuit. Et cùm spiritus, inquit, me præsente transiret, inhorruerunt pili carnis meæ.] Similiter & Habacuc ad internam reuelationem est timore correptus : Domine audiui auditionem tuam , & timui.] Et Dauid in frequenti rerum cœlestium, & mandatorum Dei consideratione est ad timorem & reuerentiam incitatus.Vnde ait : Confige timore tuo carnes meas ; à iudiciis enim tuis timui.] Licèt ergo varietur modus, at affectus reuerentiæ,& sancti timoris,quo instinctus Dei percipiamus, idem semper maneat necesse est , vt magna dignè tractemus , & ex semine inspirationis immissæ in corde susceptо expectatum ab eo, qui seminat , fructum feramus.

Iob 4.15.

Habacuc 3. 2.

Psal.118. 120.

Deus in oratione iubet, cõsulit, suadet, fructus tamen orationis est executio.

Fructus autem est non alius, quàm id,quod tertio loco proposuimus , nimirum promta obedientia , & rerum inspiratarum exequutio. Iubet enim Dominus in oratione,cùm præcepta sua, & Ecclesiæ,& Prælatorum à nobis seruanda esse proponit. Consulit cùm varia sancti Euangelij consilia actione docet implenda. Suadet cùm magna perfectionis exercitia facienda nobis esse decernit. Ex his verò præceptorum & consiliorum commemorationibus , & nouis adhortationibus nihil aliud quàm opus requirit. Qui ponit fines tuos pacem, ô anima iusta,& adipe frumenti satiat te.Qui emittit eloquium suum terræ , velociter currit sermo eius.] Hoc postremum prioris est causa. Ad hoc verbum suum ad te mittit,& instar nuntij velociter currentis venire præcipit , vt pace fruaris , & adipe frumenti satieris.Pax verò ex victoria repugnantium nascitur , & frumenti adeps ex agricolationis labore conquiritur. Mittitur ergo ad te eloquium inspirationis Dei , non vt otio torpeas, sed vt in omni virtute labores , & omnem repugnantiam prauorum appetituum vincas. Veni in hortum meum soror mea sponsa, vox est Domini, messui myrrham meam cùm aromatibus meis, comedi fauum cum melle meo , bibi vinum cum lacte meo. Sponsus in hortũ venit , expositore Gregorio,quando Christus mentes visitat. Visitat autem eas vocibus, & inspirationibus suis. Venit ad hunc spiritualem animarum hortum , vt quotiens inspiratio de mortificatione est,myrrham perfectæ mortificationis cum aromatibus omnium virtutum metat. Neque enim potest abnegatio vera à virtutum actibus segregari. Cùm verò inspiratio de ipsa oratione est , venit vt fauum comedat , aut manducare nos faciat , & secessionem ab occupationibus, licèt bonis,& longa temporis spatia orationi & contemplationi dicanda suadeat.Cùm tandem instinctus de amore est, venit vt bibat vinum suum cum lacte suo , id est , vt nos ad bibendum prouocet,& affectibus amoris ac desideriis puritatis exsatiet. Est inspiratio quasi talentum nobis ad negotiandum datum, quod otiosum, & in sudario repositum seruare non licet. Negotiatio autem bona est operatio,& profectus animę in omni virtute ex operatione exortus, est vsura conquisita. Isque seruus malus & piger vocabitur,qui acceptis sanctis inspirationibus secundùm illas nequaquam profecerit : seruus autem bonus & fidelis habebitur, qui his Dei vocibus obedierit.

Cant. 5. 1.

Gregor. ibid.

Inspiratio Dei talẽtum ad negotiãdum.

Hic super bona Domini constituetur , super illa sanè,quæ in Ecclesiastico sapientiæ susceptori promissa sunt. Etenim sapientiam susсipit , qui vocibus & instinctibus eius obedit. Qui audit illam ita, vt obedientem ipsi se præbeat , iudicabit gentes,dignus erit qui aliis præsit ; & qui intuetur illam,ac oculos in eam intendit quasi iussa facturus, permanebit confidens. Si crediderit ei,hæreditabit illam,ac cum illa omnia bona possidebit : & erunt in confirmatione,id est,erunt stabiles creaturæ,scilicet actiones illius. Quoniam in tentatione ambulat cum eo, ne cadat : & inprimis, seu inter primos , & magis dilectos eligit illum Timorem, & metum, & probationem adducet super illum quatenus ad eximia quædam opera mortificationis instigat;& cùm ea exequutus fuerit,cruciabit illum in tribulatione doctrinæ suæ. Hæc autem faciet, donec tentet ac probet illum in cogitationibus ac consiliis suis, & credat ac fidat se animæ illius. Et firmabit illum, seu in stabili & firmo virtutis statu collocabit, & via commodissima ad illum veniens iter adducet directum ad illum , & consolatione sua lætificabit illum. Et denudabit absconsa ac mysteria sua illi , & thesaurizabit super illum ampliorem scientiam , & intellectum iustitiæ. O igitur quàm magna bona inspirationũ obedientia affert ! ô quantis donis,qui se instinctibus Dei accommodat multiplicatus accrescit ! Profectò in hoc solo scire potest,an Deum suæ mentis habitatorem habeat , si illi obediat in omnibus , & effectus huius obedientiæ morum emendationem in se animaduertat.Nam & Bernardus pulcherrimè de aduentu Domini in animam disputans, & per quod ostium

Bona promissa obedientiæ inspirationum Dei. Eccli. 4. 16.

Vers. 17.

Vers. 18.

Vers. 19.

Vers. 20.

Vers. 21.

Vers. 22

Obedientia inspirationũ Dei signũ præsentiæ ipsius in nobis.

Psal. 147. 14.

Serm.75. in Cant.

introi

introiret inuestigans, ac huius introitus ignorantiam confitens, per fructus in se animaduersos eius præsentiam sensit.] Hæc sunt verba sancti Doctoris. Nam vnde in animam meam venerit, quóve abierit, denuo eam dimittens: sed & quia vel introierit, vel exierit, etiam nunc ignorare me fateor, secundùm illud: Nescis vnde veniat, aut quò vadat. Nec mirum tamen; quia ipse est, cui dictum est: Et vestigia tua non cognoscentur. Sanè per oculos non intrauit, quia non est coloratum; sed neque per aures, quia non sonuit; sed neque per nares, quia nõ aëri miscetur, sed menti; nec infecit aërem, sed fecit. Neque verò per fauces, quia non est mansum, sed haustum. Nec tactu comperi illud, quia palpabile non est. Quà igitur introiuit? An fortè nec introiuit quidem, quia non deforis venit? Neque enim est vnũ aliquid ex iis, quæ foris sunt. Porrò nec de intra me venit, quia bonũ est, & scio quoniam non est in me bonum. Ascendi etiam superius meum, & ecce supra hoc verbum eminens. Ad inferius quóque meũ curiosus explorator descendi, & nihilominus infra inuentum est. Si foras aspexi, extra omne exterius meum comperi illud esse: si intus, & ipsum interius erat. Et cognoui verum quidem esse quod legeram. Quia in ipso viuimus mouemur, & sumus: sed ille beatus est, in quo est ipsum, qui illi viuit, qui eo mouetur. Quæris igitur, cùm ita inuestigabiles sint viæ eius, vnde adesse norim? Viuum & efficax est, móxque vt intus venit, expergefecit dormitantem animã meam, mouit, & molliuit, & vulnerauit cor meum, quoniam durum lapideúmque erat, & malè sanum. Cœpit quoque euellere, & destruere, ædificare, & plantare, rigare arida, & tenebrosa illuminare, clausa reserare, frigida inflammare, nec non mittere praua in directa, & aspera in vias planas, ita vt benediceret anima mea Domino, & omnia quæ intra me sunt, nomini sancto eius. Ita igitur intrans ad me aliquoties verbum Sponsus, nullis vmquam introitum suum indiciis innotescere fecit, non voce, non specie, non incessu. Nullis denique suis motibus compertum est mihi, nullis meis sensibus illapsum penetralibus meis: tantùm ex motu cordis (sicut præfatus sum) intellexi præsentiam eius, & ex fuga vitiorum, carnaliúmque compressione affectuum aduerti potentiam eius virtutis, & ex discussione, siue redargutione occultorum meorum admiratus sum profunditatem sapientiæ eius, & ex quantulacumque emendatione morum meorum expertus sum bonitatem manuetudinis eius, & ex renouatione ac reformatione spiritus mentis meæ, id est, interioris hominis mei percepi vtcumque speciem decoris eius, & ex contuitu horum omnium simul expaui multitudinem magnitudinis eius.] Hactenus Bernardus. Ex quo licet colligere, quia si Deum in nobis per gratiam præsentem habemus, est ex eo quòd eum loquentem vsque ad obedientiam audimus. Nullúmque certius signum gratiæ ac amicitiæ eius est, quàm si ei loquenti siue per scripturam, siue per Ecclesiam, siue per instinctum suum, quod semper est Scripturæ & Ecclesiæ conforme, obediamus. Dicente ipso: Si quis diligit me, sermonem meum seruabit.]

Ioann. 14.23.

In obediendo inspirationibus Dei sita perfectio.

Tanti ergo ponderis est sanctis Dei inspirationibus obedire, vt in hoc omnis perfectionis, & doni orationis augmentum positum esse videatur. Perfectionis quidem, quoniã si omnis virtus subiectio erga Deum, & obedientia est, qui promtior est, & solicitior in obediendo verbis & inspirationibus Dei, ille perfectior est. Orationis verò, quia hæc instinctuum diuinorum exequutio validissimum est vitiorum expellendorum, & virtutum inserendarum, ac omnis tranquillitatis instrumentum. Anima verò quieta, à vitiis emundata, & virtutibus exornata, inuenitur aptissima, vt ad contemplationem subuehatur. Illud postremo loco tractandum esset, ne omni spiritui credamus, nec quidquid in mentem venit Dei instinctum esse putemus; nisi hæc tractatio inferiùs suam propriam sedem haberet. Vnum tamen verbum præterire non licet, instinctus Dei à veritate fidei, & sanctæ Scripturæ, nequaquam posse discedere, neque ad aliud quàm ad custodiam mandatorum, ad obedientiam prælatorum, & ad omnem virtutem allicere, neque à regulis discretionis, neque à pulchritudine rectæ intentionis separari. Si itaque quod tibi in oratione instillatur, verum est, & ad normam Scripturæ, & sensus Ecclesiæ dispositum, si bonum, & cum obedientia præceptorum, & consiliorum, & cum virtute coniunctum; si discretionis plenum, si ex recta intentione Deo placendi, & proficiendi dictatum, exequitor, & ad Dei familiaritatem admitteris, & multiplici consolatione donaberis. Si verò ambigas, an tale sit? Ad spiritualem patrem, & prælatos Ecclesiæ recurrito, vt de veritate docearis. Sed de hoc alias.

Quónam modo cognoscetur an inspiratio sit à Deo.

In dubio spirituales magistri consulendi.

De obligationibus status cuiusque propter orationem non omittendis.

CAP. X.

ALIVD tertio loco explicandum, quod efficacissimè nos in adyta orationis & contẽplationis infert, & ad diuinas consolationes parat, ad propriam est vocationem amor, & indefessa earum functionum, ad quas tenemur, exercitatio. Omnis namque oratio, & omnis contemplatio etiam altissima ad vitæ puritatem (vt suprà diximus) & vniuersæ perfectionis assequutionem ordinatur. Hæc autem sine peruigili cura incumbendi in actiones proprias cuiusque status & vocationis reperiri non potest. Perfectio enim est perfecta charitas Dei, & proximi, ac vera magnáque vitæ puritas, fuga peccati, & mandatorum custodia, & cõsiliorum adiectione comparata. Qui verò à debitis sui status operibus se subtraxerit, nec peccata fugiet, quæ in hac multiplici omissione intercedunt, nec mandata, aut consilia seruabit, quæ huiusmodi opera præcipiunt, atque suadent. Non igitur erit vir bonus, nec in statu bonæ conscientiæ, quanto minus poterit esse perfectus. Itaque oratio ad explendas & perficiendas actiones status & vocationis cuiusque referenda est, & ex ea solicita cura horum operum præstandorum elicienda: nam his ad finem orationis, & contemplationis, nempe ad perfectionem ascenditur. Qui verò propter contemplationis studium has functiones omitteret, similis esset ei, qui medium fini, nauigationem portui, & medicamenta ipsi saluti præponeret. Ac proinde vnusquisque eorum, qui orationi mentali vacant, siue ille religiosus sit, siue prælatus, siue secularis, videat an debito vocationis suæ & status operibus satisfaciat, alioqui omnem contemplationem suam, quantumuis sublimis videatur, sciat esse suspectam. Religiosus ad exactam custodiam regulæ, Prælatus ad magnam de subiectis sibi solicitudinem habendam,

Ad orationẽ medium efficax nostræ vocationis officij munera diligenter obire. Sup. 1. p. c...

Nisi id fiat perfectio nequit obtineri.

Ad quid referendus potissimum orationis fructus.

alicui

alicui muneri addictus, vt concionatoris, confessarij, lectoris ad ea, quæ eius muneris sunt, obseruanda orationem suam dirigat. Sic vita oratione iuuabitur, & oratio ad maiorem indies perfectionem prouehetur.

Spiritualis consolatio quó nam dirigenda. Cant. s. 4.

Cùm etiam in oratione consolamur, & mira suauitate perfundimur, ad hoc consolatio ordinanda est, vt ad actionum debitarum laborem roboremur. Fecit hoc sponsa pretioso quodam beneficio consolationis accepto. Dilectus meus misit manus per foramen, & venter meus intremuit ad tactum eius.] Quæ est ista manus? Quod istud foramen? Quis iste tactus? Quis iste tremor? Manus potestas sponsi: foramen auditus interior sponsæ, paulatim verba excipientis: tactus consolatio illius: tremor intima reuerentia istius. Tangit ventrem ille, id est, mentem, quæ instar ventris cogitationes decoquit, & eam præ reuerentia & gaudio tremore concutit, & subsilire facit. Quod anima pura, & sponsæ nomine digna (& vt ego coniector, erat anima Ruperti Abbatis ita narrantis, & de seipso quasi de alio præ humilitate loquentis) semel atque iterum experta est. Et vt cætera omittam, memorabat hæc adolescentula, id est, hæc anima nuptiis spiritualibus dedita, canticisque nuptialibus intenta, quoniam dilectus in visu noctis conspicuus, manum suam miro modo pectori eius quasi per foramen iniecit, & cor eius intrinsecus apprehendit, tenuítque aliquãdo suauissimè stringens, & gaudebat ineffabili gaudio cor illud intra manum illam subsiliens, atque tripudians.] Hæc & alia similia, aut dissimilia animæ puræ consolationis tempore dona recipiunt. Ex his autem non ingenium delicatum, & ab actione auersum, sed robur ad agendum & patiendum consequuntur. Vnde & sponsa subdit: Surrexi, vt aperirem dilecto meo: manus meæ stillauerunt myrrham, & digiti mei pleni myrrha probatissima.] Surgit, inquit Richardus Victorinus, vt dilecto aperiat, quia accepta gratia ampliùs accenditur ad hanc percipiendam: ad amandum feruentiùs: ad studiosiùs insistendum curæ, & salutis proximorum. Quæ enim dilecto priùs aperuerat ampliùs in eum accenditur, atque operibus charitatis insistit. Exercet se tunc in amore Dei, seu contemplatione: opera misericordiæ impendit proximorum vtilitati, prout necessitas eorum exposcit, & tempus exigit. Pro aliis orat: alios consolatur: aliis consilium salutis dat: & regimen suscipere, vel prædicationis officium exercere parat si tempus exigeret, dum sic gratia visitatur, & gratiæ respondere nititur, & se illi conformare. Accenditur etiam ad mortificandum quidquid in se carnale deprehendit. Quamuis autem mortificauerit peccata, atque vitia: tamé ex accepta abundantiori gratia, magis ad hoc attendit, & magis quod reficit inuenit. Plus illuminata, plus defectus suos cognoscit: & melior facta plus sibi vilescit. Damnat tunc paruos defectus, quos priùs tolerabat: & tam in verbis, quàm in cogitationibus multa se commisisse peccata intelligit, quæ minus mala antè reputabat. Dum huius mortificationis labori & operi insistit, manus eius distillãt myrrham: quia hæc operatio per manus intelligitur, & per myrrham hæc mortificatio designatur. Et digiti eius pleni sunt myrrha probatissima, quia discretè & pura intentione agit omnia. Per digitos enim hæc discretio designatur, qua quod rectè offert, rectè diuidit, id est, quod bene intendit facit discretè. Per probatissimam verò myrrham pura intentio in mortificando accipitur: qua sic Deum quærit, vt inanem gloriam mortificet, & laudes exteriores contemnat: & ad Deum scilicet oculus eius, id est, intentio, & ad futuram & veram dilectionem semper aspiciat.] Sic ille. Ad hoc itaque oratio animam, non ad otium impellit. Quæ in occasione posita, quam antè præuiderat, nempe in prælatione, aut aliquo alio animarum curandarum munere, tantum abest, vt in eo ex orationis amore lasseseat, quòd potiùs in ipsa oratione, si illusionem aliquam admixtam non habeat, ad agendum, & muneri satisfaciendum incitatur.

Rip. lib. 5. in Cãt.

Cant. 5. 5.

Rich. c. 34. in Cant. Orationis fructus virtutum opera.

Spirituales certè viri ex multis intelligẽt, quanti referat orationis & contemplationis prætextu à bonis proprij status actionibus non auerti animo, nec amore seiungi. Opera enim status necessitatis sunt, longa verò contemplationis spatia supererogationis. Nemo autem non videt præposterum esse propter ista illorum executionem omittere. Et sanè functiones istæ, ad quas vocationis, aut status, aut muneris obligatione constringimur, nullo modo sunt orationis impedimenta, sed potiùs nos ad eam aptiores faciunt. Studiosa quippe proprij muneris occupatio est vt collyrium, quo infirmitati oculorum medemur, cuius est in principio quidem aliquantulum oculos claudere, & visum impedire, post tantillum verò aciem eorum ad videndum acuere. Sic prorsus bona actio nonnihil cùm durat contemplationem retardat, sed postmodum eam illustrat, & nouis incrementis multiplicat. Ingredieris, ait Iob, in abundantia sepulchrum, sicut infertur aceruus tritici in tempore suo.] Sepulchri nomine, quietem contemplationis accipimus, in qua à rebus huius sæculi minimè interpellamur. Hoc autem non horridum, sed peramandum sepulchrum per bonorum operum abundantiam ingredimur. Vt quemadmodum maturæ segetes suo pondere flexis calamis in terram procumbunt, ita & nos bonis operibus onustos in contemplationem sponte ingredi videamur. De Iosue viro fortissimo atque duce scriptum est, quia sepelierunt eum in finibus possessionis suæ in Thamnathsare in monte Ephraim. Quo loco ex Hebræis refert Lyra tanti hominis sepulchrum insignitum fuisse imagine Solis, quem in cœlo quasi vinctum tenuerat, vt hoc videlicet opus eius memoriam nobilitaret, & transeuntes ad eius venerationem, qui talia fecisset, induceret. O iuste, qui ad donum orationis aspiras, scito quia in fine possessionis tuæ, id est, in perfectione bonorum operum quietem contemplationis cõsequéris. Ibi præcipuus labor tuus, quem in munere tibi de mandato collocas, non te ab illa quiete contemplationis abducet, sed insigniorem faciet, vt ea apud Dominum dignissimus habearis. Et sicut exploratores ab eodem Iosue missos Rahab non iam meretrix, sed hospitalitati intenta recepit & abscondit, ita, & tu per opera pietatis nequaquam quiete optata priuaberis, sed magis ab eis in hospitium contemplationis recipieris. Cúmque effuderis esurienti animam tuam, vt est in Isaia, & animam afflictam repleueris, orietur in tenebris ac in latebris cordis, lux tua, & tenebræ tuæ erunt sicut meridies. Et requiem (contemplationis) tibi dabit Dominus semper, & implebit splẽdoribus animam tuam, & ossa virtutum tuarum, quæ otio tabescunt, à corruptione liberabit. Et eris quasi hortus irriguus, immo & sicut fons aquarum, ex cuius pectore consolationum latices scaturiant, & cuius non deficiant aquæ.

Contemplationis prætextu proprij status munera nõ omittenda.

Proprij muneris occupatio ad ipsam orationẽ confert.

Iob 5. 26.

Iudic. 2. 9.

Lyra ibid.

Ioſ. 2. 1.

Isaiæ 58. 10.

In hac autem re, quid beatus Iob de se dicat, audiamus, vt eius vestigiis inhærere possimus. Ille

Interim ab oratione va-

qui

candum vt operibus misericordiæ & charitatis vacemus.

qui Deo vacans ipsum secum commorantem sentiebat,& butyro internæ suauitatis, ac oleo consolationis pedes eluebat, ita erat operibus charitatis intentus, vt nullum amoris erga proximos officium omitteret. Adeò vt ad humilia etiam, & abiecta obsequia descenderet, & nihil horum suæ mentis tranquillitatem impedire putaret. Vnde ait: Oculus fui cæco,& pes claudo. Pater eram pauperum, & causſam quam nesciebam, diligentissimè inuestigabam.] Quid ex hoc loco vir spiritualis addiscet? nisi vt quamuis butyro, & oleo diuinarum consolationum abundet,ad proximorum miserias leuandas condescendere non erubescat, & illam dulcedinem pro charitate interim intermittat; & hanc deiectionem, & humilitatis exercitationem vtilem putet, qua & Christum ipsum imitatur propter nos ad infima descendentem, & exacto externo labore cœlestia clariùs & subtiliùs intuetur. Optimè enim ait Gregorius: Nec tædere animum debet, si sensus eius contemplationi spiritalium semper intentus, aliquando dispensandis rebus minimis quasi minoratus inflectitur,quando illud verbum per quod constat omnis creatura, vt prodesset hominibus, assumta humanitate voluit paulominus ab Angelis minorari. Quid ergo mirum si homo se propter hominem attrahit, dum creator hominum, & Angelorum, formam hominis propter hominem suscepit? Nec tamen minoratur sensus cùm sic attrahitur: quia tanto subtiliùs superiora penetrat,quanto humiliùs pro amore conditoris nec inferiora contemnit. Quid indignum nobis, vel difficile est, si supra infraque animum ducimus,qui eadem manu corporis lauamus faciem,qua etiam calceamus pedem?] Confirmat & hoc Bonauentura, sic scribens: Bona actio maximè condita pinguedine charitatis, & obediētiæ, vel alterius virtutis lætificat conscientiam. Et dat fiduciam spei in Deum, etsi ad horam intercipit deuotionis quietem, tamen meretur postea maiorem dulcedinis infusionem, & gratiam puritatis.] Non itaque pia occupatio gratiam deuotionis tollit,sed infert,nec donum orationis minuit, sed auget:quia actionis orationisque varietas ita iuuat,vt hæc illam vt sororem minorem dirigat, illa verò merito & labore suo istam perficiat, atque suffulciat. Et cùm natura mutabiles simus, atque ex hoc in illud vertibiles cuiusuis functionis indiscreta continuatio tædium ingenerat, transitus autem ex hac functione in aliam vigilantiam perfectionis cuiusque rei matrem affert,& vicissitudo delectat.

Meritò ergo Dionysius Richelius,& ipse solitarius,aut vitæ contemplatiuæ puræ ex instituto addictus hortatur eos,qui ad perfectiora,& contemplationis sublimia cupiunt pertingere,vt primò diligentissimè præcepta,& si religiosi sint,sui ordinis statuta & opera vocationis adimpleant. Et Cassianus non iam cœnobita, sed vnus ex illis eremitis antiquis. Nullum, inquit,tempus ab operis exercitatione vacuum transire concedunt, quia non solùm ea,quæ diei splendor admittit, omni instantia manibus exercere contendunt, sed etiam illa operationum genera solicita mente perquirunt, quæ ne ipsius quidem noctis densissimæ tenebræ valeant impedire: credentes se tanto sublimiorem spiritualium contemplationum puritatem mentis intuitu quæsituros, quanto deuotiùs fuerint erga operis studium ac laboris intenti. Et idcirco mediocrem canonicarum orationum numerum iudicant diuinitus moderatum, vt ardentioribus fide spatium quò se virtutis eorum infatigabilis cursus extenderet,seruaretur, & nihilominus fessis ægrisque corporibus minimè gigneretur de nimietate fastidium.] Et cùm Martha & Maria, ipsa veritate attestāte,& Bernardo annotante,sorores sint,haud quaquam sunt sibi contrariæ,sed Martha,id est,vita actiua contemplatiuam in Maria signatam libenter excipit, quotiescumque ab illa sua sublimitate ceciderit. Hæc enim semper Deo inhærere, & in cœlestibus suspensa esse non valet,ad otium verò, & desidiam ei declinare non licet. Igitur opera bona præsumat,illa præsertim,ad quæ pro suæ vocationis ratione tenetur, vt his expletis liberiùs,& feruentiùs, & alacriùs ad consuetas & sibi gratas mentis considerationes & affectus assurgat. Certè si duorum famulorum alter suis tantùm cōmodis inhæreret, alter verò postpositis commoditatibus suis augmenta opum domini sui, & gubernationem familiæ procuraret, non dubium, quin iste à domino plusquam ille primus amaretur, & ad sublimiorem statum eueheretur. Sic qui sibi soli consulit,& opera pietatis refugit,si debita sint,& obligatoria, negligitur; qui verò Deo obsequitur, & quantumuis orationem amet, eam in consilio positam ad tempus propter opera sui status intermittit,orationis ipsius gradibus sublimatur.

Orationis alæ ieiunium,& eleemosynæ vocatæ sunt. Idque indicant illa verba Tobiæ: Bona est oratio cum ieiunio, & eleemosyna magis quàm thesauros auri recondere.]Et vt Leo Papa ait:Efficacissima pro peccatis deprecatio est in eleemosynis atque ieiuniis,& velociter ad diuinas conscendit aures talibus oratio eleuata suffragiis. Eleemosyna autem non solùm est pecuniæ, aut beneficij temporalis erogatio,qua miseriam pauperis subleuamus,sed multo magis opus pietatis, quo proximorum miseriis spiritualibus subuenimus. Hoc manifestum est, & Richardus Victorinus in hunc modum docet:Pauperes facit indigentia bonorum exteriorum: multo magis autem pauperes reddit inopia bonorum interiorum.Pauper est qui discretione caret,qui consilium non habet,qui virtutum diuitiis caret. Sed vbi paupertas est, ibi & eleemosyna esse potest. Et quāto paupertas est verior,tanto & eleemosyna maior.Magna eleemosyna suo cibo reficere carnem quamquam morituram:maior autem sui generis alimento saginare animam in æternum victuram. Eleemosyna nudum vestire: maior autem indisciplinatum morum disciplina ornare. Optimum eleemosynæ genus corripere inquietos;consolari pusillanimes; patientem esse ad omnes.Misericordia magna alienę afflictioni compati:maior autem pro alienis erratibus compungi.] Ad idem sic scribit Gillebertus Abbas, qui ad expositionem canticorum Bernardi supplementum elaborauit. Eleemosynæ vocabulo non incongruè censentur vniuersa,quæ indigentibus misericorditer impenduntur:non modò iste corporeus cibus, & indumentum, sed etiam doctrina, exhortatio, correctio, consolatio, & vniuersa, quæ ad animæ commoda spectare videntur. Opera hæc sunt charitatis, & orationis vim obtinent, cùm solius Dei fiunt intuitu, sed non sunt hæc specialia & propria ipsius.Quid enim tam proprium,quàm dilecto soli intendere, & liberè se in amoris exercere negotio? Ab hoc spiritualis iucunditatis excessu, & ebrietate sobrium fieri,& propter fraternas necessitates ab alienatione mentis temperare, quid nisi vultum in diuersa mutare est?] His ergo spiritualibus eleemosynis, id est, pietatis operibus, & propriæ vocationis actionibus oratio nostra liberiùs

Yob 29. 14.

Greg. 19. moral. c. 14.

Bonau. de inform. nouit. p. 2. c. 4.

Pia occupatio gratiam auget deuotionis.

Dionys. 1. de contemp. ar. 22.

Id etiam contemplatiui tollātur. Cassian. lib. 2. de instit. c. 12.

Bernard. serm. 51. in Cant. Mariæ & Marthæ exemplū ex Bernardo.

Pia occupatio orationis ala. Tob. 12. 8. Leo serm. 5. de ieiunio 10. mensis. Spiritualis miseria sublenatio eleemosyna perfecta. Lib. de conscientia securit. c. 38.

Gilleb. in Cantic. serm. 10.

ascendit

ascendit in Deum, & nulla ratione moram impedimentáve patietur, sed quottidie attentior & perfectior euadet. Quid enim nos ad promerendum orationis donum aptiores efficiet, quàm si voluntatem Domini impleuerimus, & ei obedientes extiterimus? Cùm autem ipsius voluntas sit, vt quisque onera sui status subeat, & actiones propriæ vocationis ritè perficiat, errat profectò qui putat se his actionibus à dono orationis elongari. Immo potiùs illi se elongant, & studium orationis infamant, qui illud sanctissimum exercitium, & viris spiritualibus perneccessarium prætextum otiositatis, & propriæ voluntatis faciunt, & seipsos manifestè decipiunt, quia eo quo volunt in oratione crescere, scilicet otio, & desidia, & actionum debitarum neglectu non crescunt, sed se inutiles reddunt, ita vt nec studio bonæ actionis suam vitam commendent, nec splendore sanctæ orationis ab omni desidia fugientis effulgeant.

Diuina voluntatis exequutio maximè ad orationem disponit.

De illusionibus dæmonis in oratione vitandis.

CAPVT XI

ADVERSARIVS hominum diabolus omnibus operibus nostris, sed præcipuè sublimioribus, & maius meritū habentibus insidias parat. Nam cùm illius odiū in Deum atque in homines sit pæne incredibile, & cùm eos ab æternæ salutis ascēsu deturbare percupiat, illa opera eludere & exinanire contendit, quibus ad hanc salutem adspiscēdam è vicino disponimur. Adeò vt interdū aliquas honestas actiones à nobis fieri sustineat, & earum occasiones ingerat vt ab aliis vtilioribus, & magis perfectis auertat. Functiones verò illæ, quæ orationis & contēplationis nomine continentur, vtilissimæ sunt (vt ex dictis manet perspicuum) ad vitam veterem deponēdam, ad nouam, ac secundùm spiritum conuersationem arripiendam, & ad salutem æternam cōparandam. Quamobrem multis ac variis modis orationis ac meditationis exercitationes impedire, aut decurtare, aut minus vtiles reddere, & nos ab earum studio separare conatur. Sed antequam diaboli technas in hoc orationis negotio sigillatim aperiamus, generale medicamentū pro illis omnibus exhibeamus. Illud autem est, vt persuadeamus nobismetipsis, quia sumus tentationes & contradictiones habituri, & aliqua pericula subituri. Velle namque absque vllo offendiculo tentationis incedere, supra naturam vitæ mortalis est: neque virum spiritualem inueniemus, qui non aliquas tentationis & tranquillitatis vicissitudines patiatur. Salomon nunc accipit cor mirè sapiens, & intelligens; nunc mulierum tentationem vsque ad casum sustinet. Et quemadmodū Gregorius ait; Mox vt tantæ reuelationis gratiam accepit, certamen turpium mulierū pertulit; quia nimirum sæpe cùm mentem nostram concessis virtutibus respectus intimæ largitatis illuminat, hanc protinus etiam lubricæ cogitationes turbant, vt quæ subleuata immenso munere exultat, etiam tentatione pulsata, quid sit, inueniat.] Idem videre est in Elia, & Paulo. Ille nunc cœlos aperuit, & copiosissimā pluuiam super terrā effudit; nunc verò vt imbecillus ad intētatas minas Iezabelis expauit. Hic verò iam ad cœlum arcana ineffabilia contemplaturus rapitur, iam mole carnis oppressus ad infima appetenda trahitur. Hæc omnia sunt vitæ spiritualis imagines, in qua nunc prosperè, nunc è contra nobiscū agitur; nunc consolamur, & quasi in cœlestem quamdam regionem recipimur, nunc tentatione probamur, & veluti in foueam tribulationum deiicimur. Quia ergo iacula præuisa minus feriunt, hæc, quæ nunc subiiciemus, tentationum iacula, statim subiicienda nobis consideranda sunt, vt sciamus studium orationis, in cuius perniciem intorquentur, conuenientibus remediis protegere.

Spiritualia exercitia conatur dæmon præcipuè inficere.

In spirituali vita cōtradictiones futuræ & pericula subeunda.

3.Reg.3. 12.

3.Reg.11. 1.

Greg.8. moral. cap.17.

3.Reg.18. 46.

3.Reg.19. 3.

2.Cor. 12.2.8.

Animæ itaque iam persuasæ, quòd tentationes in via orationis passura sit dicamus illud Michææ à cortice literæ ad tropologiæ mysterium extractum. Et tu turris gregis nebulosa filiæ Sion, vsque ad te veniet, & veniet potestas prima, regnum filiæ Ierusalem.] O, inquam, tu anima, quæ ante conuersionem eras velut caula ouium, humilis & abiecta, in qua greges pecudum, id est, irrationabilium cogitationum, & concupiscentiarum morabantur, nunc verò ad Deum conuersa, quasi turris es nebulosa, id est, excelsa, téque illa nebula cooperit cœlestis protectionis, de qua dictum est, quia Deus habitabit in nebula, nè ad perniciem tuam ab hostibus videaris, si dæmonis illusionibus fueris infestata, ne timeas, quia ad te veniet, & ad tuum auxilium potestas prima, ex qua omnis potestas in cœlis & in terra nominatur, quæ est potestas Dei tui. Veniet regnum filiæ Ierusalem, quam interpretamur visionem pacis, in qua post victas tentationes immensa pace & tranquillitate gaudebis. Nunc, quando scilicet ariditatibus, & desolationibus, & tentationibus vndique cingeris, quare mœrore contraheris? Numquid rex non est tibi, qui te ducat, aut consiliarius tuus periit, qui te erudiat, & doceat? Si ille adest, vt te defendat, vt te à malis eripiat, audi non tristis, sed læta, non desperationis, sed fiduciæ plena, quibus diabolus te potest impetere, vt eum irrideas, & proteras, & glorioſam victoriam consequaris.

Michæa 4.8. Ne deterreamur ab oratione propter contradictiones dæmonis.

Decē sunt illusiones dæmonis, quibus solet spirituales viros ab studio orationis auocare. Prima est quam superiùs expressimus, honestarum & debitarum actionum horror, ad quas homo pro sui status, aut vocationis ratione tenetur. Videns enim orationis quietem, & vitæ priuatæ, & ab occupationibus alienæ securitatem, mauult sibi soli intendere, quàm operibus pietatis, quibus nonnihil sordidatur, insistere. Aítque ad Dominum ad opera exteriora, licèt honesta vocantem. Expoliaui me tunica mea, quomodo induar illa? Laui pedes meos, quomodo inquinabo illos?] Tunicam exuit, quando propter amorem Domini temporalia reiecit; pedes lauit, quando in intimo orationis peccata planxit, & virtutum affectibus seipsum ornauit. Hos autem pedes, inquit Gregorius, inquinare metuit, quia valde sollicitus est, ne si in prælatione ponatur, per terrena ambulans, iterum suscipiat quod dimisit. Idcirco inuitus ab otio recedit, quia dum à marinis fluctibus alienus est, quasi in littore positus securiùs viuit.] Hinc ad lucra animarum vocatus ad vitam solitariam, ad quam non vocatur, aspirat. Prælatus prætextu orationis quæ sui muneris sunt, minimè curat. Religiosus onera obedientiæ detrectat; sacerdos vt meditationi vacet horas canonicas perfunctoriè & festinanter recitat. Coniugatus filiorum educationem, & seruorum ac ancillarum gubernationem negligit, & alius vt se ad diuinam familiaritatem paret, immoderatis asperitatibus corpusculum discruciare contendit. Huic illusioni ita homo medebitur, si consideret Deo obsequia non

I. *Debita cuiusque status officia propter orationē non obire illusio dæmonis.*

Cant.5. 3.

Gregor. ibid.

Quid cō sideran-

dum vt huic illusioni occurratur.

esse grata, quæ non sunt discretionis sale condita. Si metuat, ne se vnde inquinari formidat, turpiori macula inquinet. Nam si distractio operi admixta nonnihil fuscat; at operum statui, aut muneri, aut vocationi debitorum omissio multo magis coinquinat. Si sciat Deum ab ipso orationem & consolationem ablaturum, dum ab operibus debitis ipse homo se subtrahit. Econtra verò illum qui ad proprium munus attendit, ampliori gradu orationis cumulat, & illud distractionis, aut ariditatis, quod interdum in oratione se inserit, immissa in ipsa actione, consolatione compensat. Quibus præcognitis facile erit inter studium orationis, & laborem actionis ita vitæ spatia distribuere, vt nec iste orationem obnubilet, nec illud debitam actionem incuria aut omissione fuscet.

II. Orationi & contẽplationi vacare intentione non recta illusio.

Secunda est ob præposterum finem orationi & contemplationi se tradere. Ille orationis exercitationibus tenebras prauæ intentionis offundit, qui eam ob gloriam inanem, vel ob experientiã suauitatum, vel consolationum assumit; vel ei solùm ex cõsuetudine, vel ne ab aliis irreligiositatis notetur, vel vt se à communibus laboribus excuset intẽdit, cùm tamen non hęc sint ex oratione quęrenda, sed vera virtus, & conscientiæ puritas, & mundi contẽtus, & sui abnegatio, & vera sit mẽtis pax ac munditia sectanda. Finis habendus in oratione iã suprà explicatus est, & illo versiculo continetur: In pace in idipsum dormiam, & requiescam.] Dormitio & quies orationis est typus, in qua à curis terrenis quiescimus, & quoad hæc exteriora sensuũ operatione priuamur. Hic somnus & quies in pace & in idipsum sit, quod tunc habebit, quando ad internã pacẽ in victoria nostri positã dirigetur, & ad charitatẽ & cõcordiã cũ proximis tenendã ordinabitur.

Psal. 4. 9. Orationis finis.

III. Statis tẽporibus orationẽ omittere propter occupationes externas illusio.

Tertia est propter occupationes externas orationẽ omittere, & spatia temporis illi destinata in aliis rebus insumere. Nam sunt aliqui ita ignari, & à dęmone, aut desidia propria sic cæcitate percussi, vt valorem & meritum sanctæ meditationis non noscãt, & si otientur illã segniter habeant, si verò aliquid occupationis occurrerit, facillimè prætermittant. Hi in manifesto sunt periculo nõ perseuerandi in orationis studio, quia in qualibet interruptione eam difficiliorem sentient, & ad eam, quã nunc per duos dies exẽpli gratia deserunt, post tres dies, & iterum post quinque, & iterum post vnũ mẽsem redibunt, & tandem illam omnino relinquent. Esto autem quòd non ex toto relinquant, at nullos in ea progressus facient, quos non aggressio, sed perseuerãtia, nõ principia, sed fines in omnibus pepererũt.

Magni æstimanda oratio ad hanc illusionem vincendam.

Hanc illusionem euinces, si orationem ac meditationem in magno pretio habeas, & eam in corde tuo omni actioni præponas, ad quam ex obedientia, aut præcepto minimè tenearis, aut euidẽti necessitate à consueto exercitio auoceris. Si etiã apud te firmiter statuas, numquam te propter occurrentes occupationes orationis spatia prætermissurum, aut certè post ineuitabilem occupationem eodem die orationis tempus compẽsaturum. De hac re sic scribit Bonauentura: Si omne confusum & inordinatũ eo ipso corruptibile & instabile iudicatur; similiter è cõuerso omne ordinatum stabile, & suæ ordinationis decentia iudicabitur stabilitum. Idcirco discipulis veritatis est cum diuturniori exercitio sagaciter laborandum, cùm suas orationes, vel Psalmos, vel hymnos, vel quæcumque alia dixerint, vt stabiliant in se numerum dicendorum. Item quid primò, quid secundò, quid tertiò: nisi fraterna charitate vel necessitate aliqua, vel obedientia maioris, aliquantulum retardentur, semper id, & eo modo quo decreuerint, studeant adimplere. Quia ex isto fœlici exercitio relinquitur quædam habilitatio in mente, de quo sæpe animus non modicum contristatur, si aliqua negligentia, vel inertia consuetum exercitium derelinquat: immo quod in principio ipsius exercitij spiritualis laboriosum videbatur, spiritui postmodum quasi versum in consuetudinem suo decore alliciat: vt iam frigiditas versa in calorem, tarditas in velocitatem, maximè quia amore vnitiuo trahitur, experimento infallibili comprobetur.] Sic ille. Et quidem anima cùm ad hunc statum peruenerit, vt & ex omissione orationis dolorem & inquietudinem sentiat, & ex assiduitate exercitationum spiritualium saporem & iucunditatem percipiat, magnum indicium habet quòd in orationis studio proficiat.

Indicium progressus in oratione.

IV. Ex pusillanimitate orationem paruipẽdere, & alia pluris facere illusio. Iustin. de cõuersat. monast. c. 38. ad finem.

Quarta est, ex pusillanimitate orationẽ despicere, & eam nullius momenti esse putare, vt sic vir spiritualis vtilius iudicet aliis intendere, quàm in meditationem, cuius modum discere nescit, incumbere. Hanc tentationem Laurentius Iustinianus ita describit. Conatur diabolus mentis tuæ domiciliũ variis exagitare tentationibus, aut hebetudine obnubilare: quatenus ex his impulsionibus tuo perturbatus animo nequeas cogitare, quod priùs quietus meditando dulciter gustare consueueras: ac per hoc affectus tædio vsum actumque deseras meditandi. Hac machinatione aduersarij quã plurimi prostrati fuere: arbitrantes se magis placere Deo, si lectionibus, vel operibus manuum occupẽtur, quàm si reluctantes contra seipsos mentis suæ sterilitatem meditando & orando abigere contendant. Horũ deceptoria deliberatio prorsus ab orationis placida tranquillitate eos abstrahens in turbulento mari diuersarum inutilium cogitationum naufragare coegit.] Tu verò, ô homo Dei, vt hoc telum eludas, meditationem tuam, licèt in ea ferè nihil facias, licèt non discurras, nec affectũ moueas, & quasi somno oppressus in ea perdures, vtilissimam iudica. Perseuerãtia tua, & molestiis, quas ibi sustines, diuinam misericordiam ad tuum iuuamen inflectes. Si hodie nihil profecisti, cras fortè proficies, & hodierna afflictione te ad crastinum profectum parasti. Si autẽ multis diebus, immo & mensibus & annis nihil genus orationis tuæ promoueas, adhuc ab studio orationis cessandum non est, quia in hoc labore magnum est meritum, & non modica (licèt non appareat) morum emendatio. Et in fine vitæ abundantiam gratiæ ad contemplationem percipies, aut saltem post hanc vitam merito sanctæ perseuerantiæ nequaquam frustraberis.

Quónam modo hæc tentatio eluenda.

V. Ob tẽtationum & scrupulorum molestiã orationẽ horrere illusio. Ab oratione non cessandũ tentationũ metu.

Quinta est, ob tentationum & scrupulorum molestiam orationis opus timere. Solet enim aliquis in bonis operibus externis magnam animi tranquillitatem sentire, & cùm ad locum orationis colligitur, multarum tentationum impetus experiri. Ibi etiam scrupulis angitur, & ex memoria præteritorum peccatorum angustatur. Sed hoc ipsum orationis amorem accendat. Quia ideo diabolus in eum locum tentationes reseruat, vt in præstantissimum opus nostrum, & magis meritorium virus suæ malignitatis iniiciat. Et si ab adeptione bonorum temporalium homines ob contradictionem non cessant, cur nos à contemplatione diuinorum, qua sancti & spirituales efficimur, ob latratus aduersarij cessabimus? Si verò scrupuli nos turbant, ex eodem Laurentio Iustiniano hunc dæmonis astum, & eius remedium audiamus. Humani verò generis aduersator diabolus eo amplius

De discip. monastica conuer-

Sat. c.18. Qui se debeat homo gerere cùm in oratione scrupuli ingruunt.

erga orantes æmulationis face accenditur,quo magis viderit illos in deuotione proficere. Vnde contigit deprecantis animum memoria perpetratæ culpæ repercutere: quatenus ex hoc amittat fiduciam,& ex impedimento conceptę pusillanimitatis non valeat deuotionis exercitia secundùm consuetudinem peragere. Huic autem fallaci suasioni nequaquam fides accomodanda est. Proinde Christi miles egregius caueat ne confundatur, sed cùm se peccasse cognouerit, humiliter in spiritu ante pedes Domini se prosternat: confiteatur delictum suum Domino, blandísque verbis offensum mulceat dilectum, & statim gratiæ intelliget adesse præsentiam: per quam resumtis animæ viribus, & concepta fiducia de cætero Domino quieto animo vacare valebit. Non tamen facile hæc admittenda sunt, sed prudenti ratione discutienda: quia maligni spiritus persæpe sub compunctionis specie ardorem desiderij, deuotionis gratiam deorantis corde dissipant, & extinguunt.] Meritò autem dicit non esse semper ad compunctionem recurrendum,tum ne sine fructu compunctionis,quam quis quærit, & sine emolumento considerationis omissæ maneat, tum ne quod solo contemtu dæmonis superatur, difficilioribus mediis curare assuescat. Ita ergo ad tentationes & scrupulos incipiens in oratione se habeat, ac si ea non audiret,& à se per solum contemtum & attentionem ad ea quæ meditatur, auertat.

VI. *Propter ariditatẽ orationẽ breuiare vel propter consolationẽ nimis protendere illusio.*

Sexta illusio est, vel propter duritatem & ariditatem mentis tempus orationis abbreuiare, vel propter abundantiam consolationis immoderatè protendere. In illo est immortificationis, in isto verò indiscretionis periculum. Qui ob ariditatem spatia orationis decurtat, indicium præbet quòd non Dei gloriam, sed suam consolationem inquirit, & quòd nescit suis affectibus imperare,quibus tam facile ab eo quod amarum gustatur abducitur. Qui verò ob consolationem infusam tempus nimiè protendit, fortè caput ita lædet, & corpus opprimet, vt postmodum nec temporibus consuetis orationi vacare possit.Meminit huius scopuli idem beatus Laurentius Iustinianus,& in hunc ferè modum viam regiam tenere nos docuit. Illud autem temporis spatium, quod sibi quisque elegerit, nec propter cordis duritiem multum diminuendum, nec propter mẽtis deuotionem inordinatè prætergrediendum est. Vtrobique latent insidiæ. Nam in diminutione negligentia sæpe triumphat, in prolongatione autem indiscretio dominatur.Si verò æqua discretionis libra vtrumque prouidè disponendum est:& orationi tempus accommodandum, vt eadem fiat absque fastidio, & in ea perseuerare non pigeat. Hoc nempe tunc veraciter fit quum animus orandi patitur famem,& ipsa oratione pascitur,& nutritur.Nam cùm plus debito oratio insuetè protenditur, ipsius gustus facile amittitur. Vnde per quemdam sapientem scriptum est: Mel inueneristi,comede quod sufficit, ne in fastidiũ versus euomere incipias.]Sic ille.Meritò verò sanctus hic ait tempus nec ob laborem ariditatis nimiè diminuendum,nec ob affluentiam consolationis immoderatè prolongandum.Quoniam aliquantulum abbreuiare tempus, si afflictio cordis arentis sit talis, qualem suprà descripsimus,tolerabile est.Et ad non modicum tẽpus spatium orationis protrahere cùm aura diuinæ cõsolationis afflauerit,si vsque ad nimietatem non procedat, sapientiæ plenum est.Plus enim hoc tempore, quo à Deo cõsolamur, in virtute proficimus, quàm multis orationis horis,si absque hoc prospero vẽto diuini Spiritus remigamus. Quis autem non videat vtilissimam esse oblata nauigandi optima occasione ventis vela pãdere,& inanẽ timorẽ carnis affligendæ deponere.

Iustin. ibid. ad finem.

Moderatè orationis tẽpus decurtare i. protẽdere interdum vtile.

VII. *Circa materiã orationis illusio quæ.*

Septima est,à meditatione humilium abstinere, & sola mysteria sublimia velle in nostram considerationem admittere. Errant qui numquam à meditatione suorum peccatorum & miseriarũ recedunt, & semper in hoc cęno satis fœtulento volutantur. At multo magis errant, qui ante tempus his abiectis diuinitatis mysteria contemplari præsumunt, quoniam ex his emolumentum capere nesciunt,& à vitio elationis excusari non possunt. Neque hoc periculum Iustinianus prætermisit: nam exposita ignorantia illorum,qui ob hebetudinem mentis ab oratione resiliũt,ita prosequitur. Quòd si hac nil se viderit arte proficere virtutum hostis,simplicitatem studet irridere meditantis:& hoc meditationis sanctum opus tuum, nouitiorum asserit esse principia:verecundúmque fore suggerit,vt post diuturnam in via Dei conuersationem nouitiorum debeas exercitia sectari. Ista suadet inuẽtor malorum diabolus, vt hac palliata decipula seductus subtiliora & magis profunda quæras, quàm tibi conueniant,in quibus nihil proficias:imò tua meritò elatione prostratus amittas quod dulciter vtilitérque tenebas.]Materia ergo meditationis statui meditãtis aptanda est,sicut cibus stomacho vel puerili, & imbecillo,vel robusto comedẽtis,ne vir, id est,perfectus lacte & puerorum alimentis se pascat, aut infans,id est, imperfectus pro lacte sibi cõgruo panem robustorum ad detrimentum comedat. Et in hoc multum valere debet consilium prudentis magistri,qui accommodã materiã cuiq; pręscribet.

Iustin. de discip. monast. conuers. cap.8.

Meditationis materia statui meditãtis aptanda.

VIII. *Raptus aut reuelationes desiderare illusio.*

Octaua est, si quis in oratione sua ecstases, raptus, & reuelationes desideret. Hæc namque desideria ex superbia & vana curiositate sæpius oriuntur: quæ profectò illusionibus & deceptionibus dæmonis ianuam aperiunt, & indignationem Dei, vt nos à diabolo decipi sinat,accendunt. Verũ quidem est plurimos Sanctorum veris reuelationibus, & raptibus, & ecstasibus fuisse ditatos, multósque hodie,& in omni tempore in Ecclesia his & similibus donis ornari.At non licet nobis in his,aut aliis similibus, sed in virtutibus veris, & solidis velle Sanctorum æmulatores existere.Virtutes enim veræ nos sanctos & perfectos faciunt, & in salutem æternam adducent, non reuelationes, nec ecstases. Vnde desiderandæ non sunt,immo potiùs humiliter declinandæ,ne diaboli potestati tradamur. Ad quod grauissima sunt verba Vincentij Ferrarienſis: Illi qui volunt se subdere Deo, non desiderent per orationem & contemplationem, vel per alia opera perfectionis visiones, vel reuelationes, vel sentimenta quæ sunt supra naturam, & supra omnem cursum eorum, qui diligunt Deum, & timent per verissimum amorem; quia prædictum desiderium non potest esse sine radice & fundamento superbiæ,vel curiositatis circa Deum,vel sine fragilitate fidei. Et per hunc defectum iustitia Dei dimittit animam,quæ habet dictum desiderium,& permittit venire in talem illusionem diaboli per falsas visiones, & reuelationes, & falsas seductiones, per quem modum seminat maiorem partem tentationum spiritualium huius temporis,& radicat eas in cordibus illorũ,qui sunt nuntij Antichristi,secundùm quod poteris videre per subsequentia. Debes enim scire quòd veræ reuelationes, & sentimenta spiritualia secretorũ Dei non veniunt per antedictum desideriũ,neque per aliquem conatũ,seu studium

Vincent. de vita spirit.t.r. remedia contra tentat.

dium quod anima habeat in se, sed tãtùm veniunt pura bonitate Dei in animã, quæ est in magna humilitate,& in magno desiderio Dei, & reuerentia. Nec etiam exercitet se homo in magna humilitate,& timore Dei propter hoc quòd habet visiones, & sentimenta supradicta, quia in idem delictũ caderet,in quod per supradictũ desiderium.] Sic ille. Neque existimandũ est abiecto hoc reuelationum desiderio nos ianuã donis diuinis occludere. Nam si Deus voluerit animam ad has supernaturales illustrationes euehere,humilitatem eius,qua eas fugit,& timet,gratam habebit,& præparationẽ optimam ad illi communicandũ reputabit.Aliud etiam extremum vitandum est,ne omnes reuelationes & raptus illusiones dæmonis putemus, aut hæc habentes vt illusos despiciamus;quia verè(vt iam dictum est)nonnullos sanctos viros & fœminas Deus mirabilium donorum, & supra cõmunem captum abundãtia dignatur.De his verò infrà commodiori loco dicemus;interim verò si sapimus, tum à desiderio reuelationum, tum à iudiciis temerariis eorum,qui eas habent,abstinebimus,& eis, quorum interest,examen istorum relinquemus.

Humilis timor reuelationum & huiusmodi,præparatio ad cœlestia dona.

Reuelationes aliorum non temere illusiones iudicandæ.

IX.

Nona est, dum quis gratiam consolationis expertus,ea subtracta putat se à dæmone fuisse illusũ, nec illam suauitatẽ,aut consolationem à Deo fuisse profectam.Hanc tentationem & remedium eius Bonauentura exponit his verbis : Duæ enim sunt tentationes deuotorum satis consuetę maximè nouis,& imperfectis,hæsitatio,& elatio,hæsitãt enim sæpe an à Deo sit talis gratia,vel homo per se istos motus à suo conatu procuret, & est satis importuna tentatio.Aliquando etiam videtur homini quòd fortè possit esse dæmonis illusio, & fit perplexior, vt quandoque studium deuotionis cogitet omnino postponere, & simpliciter vocalibus orationibus & actionibus solùm intentus esse, quasi in illis sit securior,quàm in studio internę deuotionis.Et hoc præcipuè patitur, cùm deuotionis gratia subtrahitur,& sic dupliciter tribulatur de subtractione gratiæ, & de hæsitatione, si fuerit à Deo gratia quam habebat. Sic discipuli ante plenã immissionẽ Spiritus sancti sæpe vacillabant in fide Christi, dummodo visis miraculis eius, & excellenti doctrina, credebant eum esse verum filium Dei; modò visis eius passionibus pro nobis susceptis,titubãtes hæsitabant, sicut eo passo antequã certi essent de eius resurrectione, dixerunt : Nos autem sperabamus, quòd ipse esset redemturus Israël; quasi dicerent: Ab hac spe frustrati sumus. Sic & post resurrectionem suam viso eo gaudebant,& dubitabãt, donec per multa argumẽta de veritate eius certificati sũt, maximè post ascensionem ipsius, & Spiritus sancti missionem.Ita & deuoti Christi fideles,modò gaudent de consolatione internæ gratiæ, modò dubitant,& tristantur. Ideo variè operatur in eis Spiritus sanctus.Nũc illo modo,postea alio modo, iam infundit eis cõsolationem,& iam subtrahit:donec pluribus indiciis experiantur veritatem,& vtilitatem suæ visitationis : præsente gratia gaudent de consolatione,& securi sunt de veritate. Absente ea vtriusque muneris solatio carent. Sapiens autem in die malorum, non immemor studet esse bonorum, quorum recordatio reuocat eum à pusillanimitate spiritus,& tempestate.] Hucusque ille.Sciat itaque homo Deum esse fidelem,& quia eum à deceptione liberabit, si quod sibi datum est fecerit. Illud autem est in oratione non consolationem,sed vitæ emendationem quærere, obnixè gratiam, ne illudatur,postulare,& viri spiritualis, cui magisterium animarum commissum est, consilium exquirere,& eius dictis acquiescere.

De proceſſ.relig. cap.21. Se illusum putare quãdo solita cõsolatio deest, illusio.

Hac super re cõsilium.

Postrema tandem illusio vocatur elatio dum vir spiritualis cogitat stultè, quia solùm in sua domo lucescit,& quòd alij vt carnales aut minus perfecti non recipiunt in oratione dona, quæ ipse recipit, nec nouerunt talibus epulis abundare.Bonauentura certè hanc tentationem non est oblitus. Vnde ait : Extolluntur verò deuoti quadrupliciter, quia aut gloriantur se deuotionis gratiam præcedentibus studiis & laboribus meruisse, aut præ cæteris, qui hanc gratiam non videntur habere,se à Deo dilectos,aut maiorem sibi gratiã fuisse datam, quàm tamen sit in veritate,aut se meliùs scire vti,& gratiùs recipere, & fructuosiùs impendere, & minus negligere quàm alij,qui simile donũ gratię acceperunt.] Et post pauca medicamentũ adhibet,dicens: Contra hanc tentationem elationis valet diligens cognitio propriæ indignitatis, & teporis, & negligentię,& ingratitudinis,& inanis gloriæ,& timida expectatio reddendæ rationis de gratia collata, & neglecta, & pauida suspicatio subtrahendæ gratiæ, & derelictionis à Deo propter vitia prenotata,quia iã diu causſa correctionis tolerata sunt,& inemendata:& studiosa cõsideratio aliorum,qui in gratia, in virtutibus,& in omnibus bonis studiis incõparabiliter nos præcellunt.] Sic beatus hic Pater. Et sanè,vt reliqua omittamus,hæc postrema consideratio validissima est ad comprimendam elationem. Vilis agricola inter suos educatus, & paternis tantùm rebus assuetus,fortassis de abundantia segetũ, & de prouentu vinearũ gloriabitur, quæ inter sui similes alicuius valoris esse censentur. Sed si regiã ingrediatur, & ampliſſimas opes magnatum, & auri atque argenti copiam consideret, satis stultus erit,si non vela inanis gloriæ contrahat,& se pauperrimum ac miserrimum ducat. O tu quisquis es, qui de dono contemplationis & acceptæ consolationis gloriaris, si dona admiranda Dei aliis etiam sæcularibus, & coniugatis, & mulierculis prærogata cognosceres,certè vanam gloriationem deponeres,& scires quia Dominus salit in montibus, & transilit colles, & despectis superbis,ac de se præsumentibus, ita animas humiles visitat, & exaltat, vt lautissimum conuiuium tibi factum, & lætior dies tibi data, vix reliquiis eorum valeat comparari. Hæ igitur decem illusiones sunt nobis vitandæ, vt per iter orationis & contemplationis sine offensione curramus.

X.

Putare se præ aliis cœlestia dona recipere illusio. Bonau. vbi suprà.

Huius morbi medicamentum ex Bonauentura.

De perseuerantia in studio Orationis.

CAPVT XII.

Quàm sit perseuerentia ad orationẽ necessaria.

NIHIL est, vel in artibus, quas hominum inuenit industria;vel in scientiarum disciplinis, quibus intellectus instruitur; vel in virtutibus, quarum splendore totus homo decoratur, quod nobis absque indefessa perseuerantia proueniat.Desiderium hominis cum adiutorio Dei,quod numquam à conatibus nostris excludimus, hæc omnia incipit, sed perseuerantia perficit : illud quasi prima lineamenta describit; ista verò viuos colores superinducit, & pulchræ imagini, vel scientiæ, vel virtutis, quam effingere nitimur, absolutionem præbet. Nemóque absque perseuerantia neque in rebus minimis, neque in magnis finem attinget. Huius autem necessitas tanto ad obtinendam perfectionem orationis est maior, quanto ipsa oratio est homini ad exte-

riora propenſo difficilior. Enimuero ſi ſuper hac re Laurentium Iuſtinianum conſulamus, omnia exempla, quibus ille ad perſeuerantiam orationis inducit, in ſola oratione reperiemus, vt ſic intelligatur, ſi alia à perſeuerantia, hanc à perſeuerantiſſima (vt ita dicam) perſeuerantia pendere. Viatorum, inquit, hæc eſt conſuetudo, & commendabile propoſitum, ab incepto non deficere itinere, donec ad terminum, quò tendunt, attingant. Hoc agunt ſtrenui bellatores, quòd non priùs diſcedunt de loco certaminis, niſi poſt conſummationem victoriæ. In omni re, in quolibet negotio videndus eſt finis. Nihil laude dignum eſt, quod imperfectum relinquitur. Cœpiſſe, nec perfeciſſe opus, non caret reprehenſione. Hoc contingit in agricultura; hoc in ædificiis conſtruendis; hoc in literarum ſtudiis, hoc in moribus componendis; per amplius verò in adipiſcendis virtutibus. Non profeciſſe namque in virtute in vanum cucurriſſe eſt. Studeant ergo qui Deo adhærere, & vnum cum illo effici ſpiritum per orationis virtutem & exercitationem elegerunt, nullam ſpiritui ſuo dare requiem, numquam à concepto langueſcere deſiderio, donec vororum fiant compotes ſuorum.] Hæc, inquam, ad perſeuerantiam in oratione habendam maximè impellunt, quia non ſolùm ſunt quaſi argumenta aliunde petita, ſed in ipſamet natura orationis comprehenſa. Hæc enim eſt via, qua in Dei notionem, & amorem, & in noſtri notitiam, & odium ſanctum tendimus. Eſt bellum, quo aduerſùs dæmones, & vitia, & immoderatos affectus pugnamus. Hoc negotium quietum, ſeu otium omni negotio operoſius, quo in ſalutem noſtram incumbimus. Hæc eſt agricultura, qua ſanctas meditationes & affectus in cordibus noſtris inſerimus. Hæc ædificatio, qua cordis noſtri templum extruimus. Hæc Theologia myſtica, quæ nos ſapientes facit, mores inſtruit, virtutes infundit, & in quadam cum Deo vnione conſtituit. Si horum ſingula ad ſui perfectionem perſeuerantiam exigunt, oratio omnium eorum difficultatem continens, quam perſeuerantiam requiret?

Iuſtin. de ligno vitæ de orat. c. 10.

Oratio conſueta magna ex cauſa numquã omittenda.

Huius igitur perſeuerantiæ in orationis ſtudio vir ſpiritualis ſectatorem ſe faciat, & poſtquam ſpatia temporis orationi deſtinanda conſtituerit, ea ſine euidenti neceſſitate non omittat. In hoc naturæ ſit imitator, vt quemadmodum illa opus ſuum, ad quod deſtinata eſt, continenter exequitur; ita orationis opus, quod ſemel habendum ſuſcepit, ac ſi illi neceſſariò alligatus eſſet, numquam poſthabeat. Vel potiùs Dei & Angelorum in ſe imaginem referat; quorum Deus natura eſt immutabilis; iuxta illud: Ego Deus, & non mutor; hi verò ex ipſo habent, vt numquam à cœpto bono deſiſtant. Sic & orationis amator hanc immutabilitatem in orationis exercitiis æmuletur. Externas occupationes diſcretè præueniat, vel in aliud tempus reiiciat, & ita diſponat, vt orationi ſuum tempus relinquant. Prudens Iacob Rachel, & filium eius Ioſeph magis dilectos ne aliquid mali à maiori fratre paterentur, in tutiſſimo loco conſtituit. Sic vir ſpiritualis orationi commodiorẽ opportunitatem attribuat, ne vmquam detrimentum ex emergentibus difficultatibus patiatur. Conſalutationes, officioſa verba, & alia huiuſmodi, quæ aulicorum, non virorum ſpiritualium ſunt, penitus deſerat, aut ſi id fieri non poſſit, quantum potuerit moderetur, ne tempora orationis præripiant. Nemo poteſt duobus dominis ſeruire; & qui vult mundo & ſpiritui famulari, ipſe malo ſuo ſciet quàm violenter

Aliis occupationibus præponẽda oratio.

Gen. 33. 2.

A à mundo trahatur, & ab obſequio ſpiritus ſeparetur. Ne ad opera etiam pietatis & ſalutis animarum, ô vir iuſte, teipſum effundas: ſed eorum ea ſuſcipe, quæ nec vires interiores exhauriant, nec orationis & ſpiritualis lectionis tẽpora impediant. Quòd ſi harum pro ratione ſtatus, aut vocationis cura ſuſcipitur, certum ſit illa ita eſſe metienda, vt ſalutis animæ tuæ detrimentum non patiaris. Si aliquod fuerit opus ab obedientia demandatum, vel certè à charitate fratrum iniunctum, vel ex neceſſitate profectum quod orationem tollat, eam eodem die quamprimum poteris ſtrenuè ſupplebis. Tobias pro ſepultura fratris occiſi prandium, quod præparauerat, ad tempus quidem diſtulit, ſed B poſtea rediens cum luctu & tremore panem comedit: ita ſi aliquando opus pietatis te à cibo orationis abduxerit, poſtquam illi ſatisfeceris ad orationem redire non cunctaberis; quia ſine hoc pane vitam ſpiritualem ſeruare non poteris. Sed quid eſt prandiũ priùs cum lætitia paraſſe, & panem poſtea cum mœrore comediſſe, niſi quòd opus cui intendimus, & miſeria proximi, cui ſuccurrimus, talis eſt, vt compellat nos ad orationem reuerſos affectum mutare, & pro lętitia, quam habuiſſemus, dolorem compaſſionis ſumere. Breuiter te nimium (ſi ita fas eſt loqui) orationis amatorẽ oſtendes, qui omnibus modis ea prẽſtare cures, quibus ab eius amplexibus nõ ſeiungaris, ſciens quia quęlibet interruptio culpabilis ſine detrimẽto nõ tranſit, & econtra in cœpto cõſtantia magnã orationis perfectionẽ inducit.

Oratio pia ex cauſa omiſſa ſuppleatur quamprimum.

Tobiæ 2. 5.

C Ad hanc orationis perſeuerantiam hortatus eſt Dominus, dicens: Quoniam oportet ſemper orare, & numquam deficere.] Quid enim aliud eſt ſemper orare, niſi ſtata orationis tempora mordicus tenere, & ob nullã cauſſam, quam euitare poſſimus, prætərire. Sic orauit Dauid etiam ampliſſimæ reipublicæ regimine oneratus. Cuius firmiſſimum erat ſuæ mentis decretum: Benedicam Dominum in omni tempore, ad orationem ſcilicet deſtinato, ſemper laus eius in ore meo.] Sic orauit & Daniel, qui contemto regis edicto, & timore necis poſthabito, tribus temporibus in die flectebat genua ſua, & adorabat, confitebatúrque coram Deo ſuo, ſicut & antè facere conſueuerat. Sic & Saluator noſter exemplum huius perſeuerantiæ dedit, qui conſueto tempore non obſiſtente comprehenſionis & mortis diſcrimine, quod ſciẽbat, in hortum ad orandum exiuit. Oratio cibus eſt animæ, ſi ſtatis temporibus non comedas, præ laſſitudine in via Dei & fatigatione deficies. Eueniétque tibi illud Iob: Attenuetur fame robur eius, & inedia inuadas coſtas illius.] Si enim coſtæ, auctore Gregorio, animi ſenſus deſignant, hac refectione ſubtracta ſenſus mentis deficient, quæ cogitationes ſuas gubernare non poterit. Deus cùm corpus humanum condidit, non ex ſeipſo, ſed ex alimento extrinſecus accepto, & ex aliis, quibus indiget, dedit ei vitam habere, & vſque ad præfinitũ tempus ſeruare: ita cùm animam ex nihilo fecit, dedit ei, non ex ſeipſa, ſed ex oratione, & gratia, & ſupernaturalibus donis ad vitam æternam venire. Si orationem relinquas gratiæ, & donorum impetratricem, non mirum erit, immo neceſſe erit, vt his donis careas, & à perfectione quoad menſuram vitæ æternæ tibi paratam, excidas. Conſultò autem ita circumſpectè loquor, quoniam nõ de quacumque oratione, ſed de mentali oratione, ac conſideratione loquor, ſine qua licèt ad ſalutẽ prædeſtinatis paratã aliqui veniunt; tamen tu ad hoc genus orationis vocatus, ſine ea ad perfectionem, &

Exempla perſeuerantiæ in oratione. Pſal. 33. 1.

Daniel. 6. 10.

Oratio cibus animæ.

Ioh 18. 12.

Greg. 14. moral. cap. 7.

Oratio cœleſtia dona parata perfectis impetrat.

gloriæ magnitudinem perfectis destinatam non ascendes. Dicetúrque de te,quod de similibus dictũ est per Oseã : Misericordia vestra quasi nubes matutina;& quasi ros manè pertrãsiens.]Cùm oras nõ quidem in Deum, qui tua oratione non indiget, sed in temetipsum misericordiam exerces,quia orationis præsidio miseriarum tuarum subleuationem consequeris. Sed hæc misericordia, si in oratione non perseueres,erit instar nubis matutinæ,quæ orto sole aresçit, & sicut ros manè decidens, qui adueniente diei calore sine emolumẽto alicuius momenti pertransit. Ita oratio in qua stabiliter non persistitur, si aliquid boni ad nos reportauerit, at vsque ad perfectionem nequaquam promouebit.

Osea 6. 4.

Illorum statum, qui in oratione nõ perseuerant, quinque similitudinibus Gerson pulchrè depingit. Similes sunt ascendentibus in montem excelsum, & postea,quia difficultatem aliquã repererunt,descendentibus, priusquam ad verticem montis pertingant. Similes sunt accendẽtibus ignem in lignis putridis,aut viridibus,qui si fumus tantillum oculos eorum lædat,statim recedunt, & struem lignorum hincinde proiiciũt. Similes sunt illis, qui bonum triticum in agro seminarunt, & quia non è vestigio fructum reddidit, illud rigare, & agrum excolere, & prouentum expectare contemserunt. Similes sunt simiæ appetenti nucleum dulcé nucis degustare, quæ si senserit corticis amaritudinem, nucem frangere, vt nucleum eliciat prætermittit. Similes tandem sunt militibus ignauis, qui in obsidione vrbis, antequam capiatur, inde discedunt. Sicut hi omnes fructum nullum ex suo labore conquirunt;sic non perseuerantes in oratione ad contemplationis gratiam, & ad perfectionem non veniunt. Si retusum fuerit ferrum,verba sunt Salomonis, & hoc non vt priùs, sed hebetatum fuerit, multo labore exacuetur, & post industriam sequetur sapientia.] Donum orationis in hoc ferro simile puta, quòd sicut hoc terram scindimus, arbusta serimus,& semina terrę condimus;ita oratione cor nostrum compunctione afficimus, & virtutum semina illi committimus,ac dona cœlestia comparamus : si ferrum retundatur,& hebetetur, ô quanto labore opus est, vt agricola illud exacuat. Et si in oratione non perseueretur,ipso otio languescit, & magno labore opus est,vt ad priorem feruorem reuocetur. Si tuam miseriam & instabilitatem erubescens improbo labore extinctum accendisti orationis feruorem, & quod amisisti per instabilitatem,lacrymis, & gemitibus, & multarum dierum perseuerantia reparasti, tunc post hanc industriam sequetur sapientia. Tunc, inquam,sapiens, & cautus effectus scies quantum malum fuerit à perseuerantia orationis excidisse, & propter sæculi occupationes tẽpora profectui animæ deputata fuisse suffuratum. Perseuerabis igitur,& licèt impedimenta à dextris,& à sinistris insurgant,tu vt lucem sapientiæ obtineas signatis temporibus ab oratione non discedes. Moses semel in montem ascẽdit, & tabulas legis in manibus deportauit: fractis autem illis ob peccatum populi iterum ascendit, & non solùm legem, sed & vultus splendorem accepit, quem prima vice non acquisiuit. Hoc perseuerantiæ in oratione incitamentum est.Numquam enim Domino sine emolumento adhærebis, semper aliquem profectum nouum acquires.Sed si vsque ad splendorem & lucem sapientiæ accedendum,necesse est expectare,& non fatigari,& semel atque iterum, & millies ad orationem recurrere. Hodie,& cras, & multis diebus ab oratione aridus & desolatus exiisti ? Sed non despondeas animum, quia aliquando vera consolatio, & solidus fructus adueniet. Nec illi desolationis dies sine fructu abierunt,sed vt exercearis non apparet.Si hodie percipere cupias corporis alicuius infantis augmentum, nullo modo deprehendes. At post aliquot menses videns illum notabiliter auctum, aliquod fuisse cuiuscumque diei augmentum manifestè cognoscis. Spiritualis profectus ex oratione percepti eadem omnino ratio est, qui huic diei respondens solus non videtur,at post aliquot dies coniunctus aliis profectibus nulla ratione potest ignorari.

Gerson de mont. cõtemplat. c.34.

Quibus nam similes sint qui in oratione non perseuerant.

Eccl.10. 10.

Exod. 34.29.

Excitamentum ad perseuerantiã in oratione.

Optimum autem ad hanc perseuerantiam habendam medium est, si nobis persuadeamus multa impedimenta non esse defutura, quibus viriliter obsistere debeamus : si etiã cognitis multiplicibus orationis obstaculis à Domino perseueranter perseuerantiam postulemus.Ostendit mihi Dominus, ait Zacharias, Iesum Sacerdotem magnum stantem coram Angelo Domini, & Satan stabat à dextris eius,vt aduersaretur ei.]Cúmque sacerdos iste Christum significaret, vt Rupertus intetpretatur (in quo cùm nulla essent siniſtra,à dextris eius, vt scilicet pulchris eius operibus insidiaretur,dæmon apparuit)intelligere debemus,eum in membris suis eamdem contradictionem sustinere. Nam quotiescumque iusti viri coram magno cõsilij Angelo, nimirum coram eodem Saluatore nostro se in oratione præsentant,diabolum habent à dextris,à quo nimirum de instabilitate tententur, & aduersùs dexteram perseuerantiæ impugnationem patiantur. Quid ergo faciet orationis studiosus nisi gratiam ad perseuerandum in oratione postulare, sine qua nullo interpellante ipsum etiam tempus contemplationi destinatum solet aufugere.Rectè enim in hoc (vtinam sic in aliis ad gratiã pertinentibus) dixit Cassianus : Nónne in multis, quæ vtiliter optamus implere,cùm desiderij plenus ardor,ac voluntas perfecta non desit (subintellige tu, à gratia donata) interpellans quæcumque fragilitas cassat vota concepta, nec proposito nostro assistit effectus, nisi virtus perficiendi Domini fuerit miseratione donata, ita vt cùm sit innumera multitudo illorum, qui fideliter virtutum studiis desiderent inhærere,summam tamen eorum, qui hæc perficere, vel tolerare prævaleant inuenias raritatem ; vt prætermittam quòd nec tunc quidẽ, cùm omnino nulla nos arceat infirmitas, facultas vniuersa,quæ volumus peragendi nostræ subiacet potestati ? Nam neque remotionis silentium, neç districtionem ieiuniorum, nec lectionis instantiam, illo etiam quo possumus tempore pro nostro retentamus arbitrio, sed quibusdam occurentibus caussis, etiam inuitissimi frequenter retrahimur à salutaribus institutis,ita vt vel loci,vel temporis copiam in quo hoc exercere possimus, necesse sit nos à Domino deprecari, nec sufficere nobis id quod possumus certum est,nisi etiam opportunitas peragendi ea, quæ nobis vtique possibilia sunt, à Domino tribuatur,de quibus,& Apostolus: Quoniam voluimus (inquit) venire ad vos & semel, & iterum,& impediuit nos Satanas.]Sic ille. Ipsa itaque iugis oratio pro impetranda gratia perseuerantiæ fundatur, qua mens tempora contemplationi destinata,tam sancto studio vacua esse non sinat.

Ad perseuerãdum in oratione mediũ valde vtile.

Zachar. 3.1.

Rup. lib. 2. in Zachar.

Perseueranter à Deo petẽda perseuerantia in oratione. Cassian. coll. 13. c.6.

Sed quid faciendum si infirmitas, aut debilitas corporis ab hac meditandi assiduitate nos auocet? Certè illud temporis spatium ex consilio spiritualis patris huic exercitio dandum est, quòd vires nostræ non grauatè ferant:quale esset manè per in-

Quatenus orationi insistẽdum cùm corporis debilitas vrget.

tegram

tegram horam,& veſperi ſimiliter vacare orationi. Si autem interdum hoc caro ex aliquo accidenti debilitata non ferat, at aliquo tempore licèt breuiori ſancta hæc exercitatio nos teneat. Quòd ſi inualetudo grauior ſit,ita vt omnino opportunitatem meditandi ſurripiat, dum vis eius remiſerit ad amicam occupationem eſt redeundum, idque ſatis erit, vt à perſeuerantiæ lege non excidamus. Nec putandum eſt crebris etiam occupationibus, quas euitare nequimus,profectum noſtrum omnino tolli. Aliquando namque non tollitur, ſed augetur,dum patiendi, & nos deiiciendi occaſionem captamus. Ad quod Bonauenturæ ſunt verba notanda. Qui orationis ſtudio vult intendere,aſſueſcat primò aliquando orationi vacare; deinde ſæpius ad orationem recurrere; deinde diutiùs in oratione perſiſtere;tantum frequenter quantum licet orationi incumbere, nec pro faſtidio, vel leuitate deſiſtere, niſi quando vel corporis debilitas, vel vrgens neceſſitas,vel rationis vtilitas inde auocet, & iterum reuertatur in idipſum, ne per diutinam abſtractionem redeat in diſſuetudinem orandi,& refrigeſcat; affectus quoque ad ſingulos modos orandi,& diuerſis modis petitiones formet,& diuerſas petitiones attentet, vt tandem in aliqua ſpecie deuotionis affectum concipiat,& illi quamdiu ſapit inhæreat. Si autem debilitas capitis vel corporis cohibeat, & ſenſus exteriores ſub diſciplina retineat, & Dei auxilium ad ſingula humiliter inuocet, & patienter (ſi profectus non ſuccedit)aſſiduè ſuſtineat. Ipſa quoque retardatio proficiendi, eſt via profectus dum humiliatur. Et per hæc meliùs à ſuperbia defendimur, quia ſæpe nimia proficiendi ſecuritas extollẽdo mentem deiicit,& feruor communicatus corpus exurit.Et ideo Deus piè curſum temperat noſtrum, vt longiùs procedat.] Hæc cùm ita ſint,ô iuſte,rogo ne impediaris orare ſemper; id eſt, licèt impedimenta orationis emergant, tu non deſinas feruorem animæ tuæ ab huiuſmodi impedimentis inſurgentibus ſuperari.Et ſcito,quoniam quaſi lapidis virtus probatio erit in illis, & non demorabuntur proiicere illam.Quemadmodum,inquam,lapis ſuo pondere infirmos & robuſtos probat, quorum illi è veſtigio ac illum humeris ſuis imponunt,abiiciunt; iſti verò conſtanter ſupportant: ſic oratio ignauos & ſtrenuos examinat. Iſtos enim qui difficultatem perſeuerandi vincunt, præmio victorum cumulat; illos verò citò onus abiicientes numquam ad perfectionem exaltat. Hanon tulit ſeruos Dauid, & raſit dimidiam partem barbæ eorum, & ſic dimiſit eos.Quid autem Dauid?Manete,inquit,in Iericho, donec creſcat barba veſtra, & tunc reuertimini. Quid barba niſi fortitudinem perſeuerantiæ deſignat? Quorum autem Hanon partem barbæ raſit, eos Dauid donec barba creſcat ingredi ſuã regiam prohibet,quia quos perſeuerantia deſerit,Chriſtus ad ſuam intimam familiaritatem non admittit.

Ad hanc autem orationis perſeuerantiam non ſolùm pertinet vt ſtatutis temporibus ab oratione non ceſſemus,verùm & vt eamdem orandi ac meditandi rationem conſtanter teneamus. Sunt enim aliqui, vt ait Gerſon, qui poſtquam iter orationis arripuerunt per vnam viam, ſtatim declinant ad aliam,vel ex inconſtantia & inſtabilitate animi,vel quia putant ſe inuenturos eam faciliorem & delectabiliorem. Cùm tamen ob idipſum ferè nihil aſcendant neque comprehendant. Canes venatici nullam prædam capiunt, ſi nunc iſtum ceruum, & poſtea alium inſequuntur;ſic qui nunc iſtũ modum orationis,nunc illum accipit,nihil vtilitatis apprehẽdit.Enimuero tenebit iuſtus viam ſuam,& mundis manibus addet fortitudinem.Non,inquam,nec latum vnguem ab eo quod ſemel cœpit orandi genere inſtabilitate raptatus abſcedet; quod ſi faciat, mundis manibus laborans in ſingulos dies fortior euadet. Orationis ſtudium curſus eſt: ſi autem qui prudenter currit,eamdem viam ſemper tenet,vt finem optatum apprehendat; ita qui ſapienter orationi mentali vacat,eamdem orandi & meditandi, vt proficiat,rationem obſeruat. Hoc autem ita intelligendum eſt, non vt ſemper eadem meditemur: nam meditationes,vt poſtea dicemus, iuxta profectum, aut neceſſitatem cuiuſque mutandæ ſunt; neque vt à Deo ad altius orandi genus vocati, ei non acquieſcamus, quod ſtultum eſſet, ſed ne inconſulto ſpirituali magiſtro, & ex leuitate animi modum orandi mutemus.

In hoc tandem perſeuerantia orationis eluceat, vt conceptus in ea feruor numquam tepeſcat, immo in dies maius ac maius augmentum accipat. Multi,ait Auguſtinus,langueſcunt in orando,& in nouitate ſuæ conuerſionis feruenter orant, poſtea languidè, poſtea frigidè, poſtea negligenter. Quaſi ſecuri fiunt:vigilat hoſtis,dormis tu.] Non ita ſit. Sed iuſtorum ſemita,ſicut in aliis virtutibus, ita & in hac,quaſi lux ſplendens procedat, & creſcat vſque ad perfectam contemplationis diem. Immo & in orationis augendo feruore tanto magis eniteat, quanto certius eſt virtutũ reliquarum augmentum ex orationis feruore pendere, eo verò deficiente lãgueſcere. Maledictus,ait Ieremias,qui facit opus Dei fraudulenter. Et quódnam melius poteſt vocari opus Dei quàm quod eius gratia perficitur, quod in eum terminatur, quod eius magnalia meditatur, quo homo cœleſtis ac diuinus redditur. Quid autem eſt hoc opus fraudulenter facere, niſi illud debito feruore fraudare.Certè opus Dei ad literam in præſenti loco vocatur Moabitarum vaſtatio; vnde ſubditur: Et maledictus, qui prohibet gladium ſuum à ſanguine. Sed ſi iuſſu Dei, inquit Theodoretus, ſermo propheticus ſubdit maledictioni eos, qui negligenter occidunt, quantas nos pœnas exoluemus, ſi munus ſpirituale paruipenderimus.] Quàm digni reprehenſione erimus ſi gladium mortificationis à ſanguine corporis noſtri abſtinuerimus, & nos ſtrenuè non abnegauerimus. Itaque in abnegatione & oratione ita perſeuerandum eſt, vt conceptus feruor ſemper excreſcat, donec in obitu noſtro occurramus Domino, qui feruidam orationem noſtram compleat, & ad claram ſui viſionem nos in æternum admittat.

Bonau.7. proceſſu relig.c. 11.

Familiaritas Dei præmium perſeuerantiæ in oratione. 2. Reg. 10.4.

Perſeuerantia etiam in modo orationis habenda. Gerſ. de monte contemp. c.36.

Eccli.18. 22.

Eccli.6. 22.

Iob 17.9.

Perſeuerandum etiam in orationis feruore. Aug. ad Pſal. 65. ad finem. Prou.4. 18.

Ieremi. 48.10.

De diſcretione in Orationis exercitiis.

CAP. XIII.

Quæ ſit neceſſaria diſcretio in vita ſpirituali.

VNIVERSA hæc Orationis ſectandæ documenta vnica virtutum auriga diſcretione claudantur, cuius tantum eſt in vita ſpirituali momentum, vt ſine illa nec rectè inchoare, nec fœliciter progredi, neque ad optatum finem pertingere valeamus.Non poterimus ſanè vberiùs & eloquentiùs diſcretionis neceſſitatem aperire, quàm ſi verba Ioannis Caſſiani de hac re ſapientiſſimè loquentis viris orationis auidis legenda proponamus. Hæc eſt diſcretio, inquit, quæ non ſolùm lucerna corporis, ſed etiam ſol ab Apoſtolo nuncupatur, ſecundùm illud: Sol non occidat ſuper iracundiam veſtram. Hæc etiam

Caſſian. coll.2. c. 4.

vitæ noſtræ gubernatio dicitur, ſecundùm illud: Quibus non eſt gubernatio cadunt vt folia. Hæc conſilium rectiſſimè nominatur, ſine quo nihil agere omnino Scripturæ auctoritate permittimur, ita vt nec ipſum quidem ſpiritale vinum, quod lætificat cor hominis, ſine ipſius ſinamur moderatione percipere, ſecundùm illud: Cum conſilio omnia fac, cum conſilio vinum bibe. Et iterum: Sicut ciuitas muris diruta, & non circumdata, ſic eſt vir, qui non cum cõſilio aliquid agit. Cuius priuatio quàm pernicioſa ſit monacho, teſtimonij huius exemplũ figuratè declarat, dirutæ cum, ac ſine muris comparans ciuitati. In hac ſapientia, in hac intellectus ſenſúſque conſiſtit, ſine quibus nec interior noſtra ædificari domus, nec ſpiritales poterunt diuitiæ congregari, ſecundùm illud: Cum ſapientia ædificatur domus, & cum intellectu iterum erigitur: cum ſenſu implẽtur cellaria omnibus diuitiis pretioſis & bonis. Hæc, inquam, eſt ſolidus cibus, qui niſi à perfectis tantùm, ac robuſtis ſumi non poteſt, ſecundùm illud: Perfectorum autem eſt ſolidus cibus, eorum qui pro conſuetudine exercitatos habent ſenſus ad diſcretionem boni, ac mali. Quæ in tantum vtilis nobis ac neceſſaria comprobatur; vt etiam verbo Dei, eiúſque virtutibus coaptetur, ſecundùm illud: Viuus eſt enim, & efficax ſermo Dei, penetrabilior omni gladio ancipiti, & pertingens vſque ad diuiſionem animæ, ac ſpiritus: compagum quoque & medullarum, & diſcretor cogitationum, & intentionum cordis. Quibus manifeſtiſſimè declaratur, nullam ſine diſcretionis gratia perfectè poſſe, vel percipi, vel ſtare virtutem. Et ita tam beati Antonij, quàm vniuerſorum ſententia definitum eſt, diſcretionem eſſe, quæ fixo gradu intrepidum monachum perducat ad Deum, prædictáſque virtutes iugiter conſeruet illæſas, cum qua ad conſummationis excelſa faſtigia minore poſſit fatigatione cõſcendi, & ſine qua multi etiam propenſiùs laborantes, perfectionis nequiuerint culmen attingere. Omnium namque virtutum generatrix, cuſtos moderatríxque diſcretio eſt.] Hactenus ille. Licèt autem omnis virtus ita ſit diſcretioni coniuncta, vt ſi ab ea ſeparetur, virtus eſſe deſinat, & alicuius vitij naturam, aut proprietatem induat: tamen orationis ſtudium ſpeciali quadam ratione moderamine diſcretionis eget, quia maiores habet ſcopulos iter hoc, in quibus ſpiritualis profectus nauis illi datur, & diligentiùs conatur diabolus huic ſanctiſſimo orationis dono per indiſcretiones noſtras aliquam infamię notam inurere.

Orationis ſtudiũ maximè diſcretionem requirit.

Tres diſcretionis regulæ in primis ſeruandæ in oratione.

Diſcretionis materiam ad orationem accommodatam tribus breuiſſimis regulis comprehendimus. Altera eſt, ne ſupra vires noſtras, & ſupra menſuram gratię nobis datam ſtudio orationis nos tradamus. Altera, ne fragilitatis noſtræ conſideratione puſillanimes facti minus quàm oportet diligentes in oratione ſimus. Tertia vt omnia, quæ in oratione ſentimus, ſanctæ Eccleſiæ regulis metiamur, & quatenus ſeruiunt cuſtodiæ præceptorum, & emendationi vitæ noſtræ, eatenus acceptemus.

Feruidi moderatè ſe tradãt orationis ſtudio.

Primam regulam feruidi, & cœleſtibus conſolationibus cumulati prudenter obſeruent. Solent enim hi ſpirituali dulcedine inebriati nullum tempus ſufficiens ad exercitia cõtemplationis iudicare, nullum modum in attentione intellectus, & imaginationis, neque in affectibus cordis tenere. Hinc breui tempore caput frangunt, corpus conficiunt, & ſe ineptos ad exercitia orationis reddunt, & qui antè integris diebus & noctibus cupiebant diuinis intendere, poſtea nec horis ex regula conſuetis audent orationi vacare. Sciant hi, ſi feruorem ſuum non moderentur, & ſi iuxta patris ſpiritualis præſcriptum non ſe gerant, citò caſuros, & ex nimio feruore ad ridiculum teporem & ignauiam reuerſuros. Sciant Domini eſſe voluntatem, vt diſcretè ſe in ſtudio deuotionis exerceant, qui & in ipſa cõpunctione menſuram amat. Cibabis enim nos Domine pane lacrymarum; & potum dabis nobis in lacrymis in menſura.] Sciant hominem non ſolùm in qualitate delinquere, cùm illi ſcilicet ea imprecatio Iſaiæ conuenit: Væ qui dicitis bonum malum, & malum bonum;] ſed etiam quantitate boni ſolere peccare. Nam mendaces filij hominum in ſtateris ſuis, nec placitum eſſe Domino quidquid manus indiſcretionis obtulerit. Eua quidem non ex toto primo parente, ſed ex vna coſta eius facta eſt. Ædificauit Dominus Deus coſtam, quam tulerat de Adam in mulierem. Adam, ex Richardo Victorino, ſignificat rationem, Eua verò affectionem. Affectio igitur ex particula rationis efficitur, quia eam diſcretio moderatur. Sed præſtabilius erit hũc contemplatorem loquentem audire. Habes igitur Adam; habes & Euam. Priùs Adam formatus eſt: poſtea de Adam Eua facta eſt. Priùs enim debemus per rationem quid amandum ſit prudenter eligere; deinde ſecundùm electionis iudicium, quod amandum eſt ardenter diligere. Præcedat ergo cognitio veri: ſubſequatur dilectio iuſti. Priùs eſt diſcernere: poſtea amare. Prima diſcretio fiat inter bonum & malum: ſecunda ſubſequatur inter bonum & optimum: & tũc ex ipſis optimis eligamus, quid potiùs per amorem amplecti debeamus. Non enim omnia poſſumus omnes. Vidéſne quemadmodum ex toto Adam quædam quaſi particula eligitur, vnde Eua formetur. Nam bonum & malũ diſcernere bonum eſt: ſed malum & bonũ diligere malum eſt; immo vtrumque amare impoſſibile: vtrumque tamẽ cognoſcere laudabile. Sed & de ipſis bonis, quia non omnes omnia poſſunt, pars quædã excipitur, vnde in Adæ adiutoriũ Eua formetur.] Hæc ille. Ita ergo amor orationis, & dulcedo conſolationis nos teneat, vt tamen menſurã diſcretionis non excedat.

Pſal. 79. 6.

Iſaiæ 5. 20.

Pſal. 61. 10.

Gen. 2. 22.

Richar. ad Pſal. 121.

Qui ſe debeat gerere ille cuius valetudini obſunt conſolationes diuinæ.

Sed quid ſi Dominus aliquem continuò viſitet, & multis ac magnis cõſolationibus cumulet, quas naturæ imbecillitas ferre non poſſit? An dicendum eſt illi, vt ſe cõtineat, vel ad tempus, ne corpus aut caput lædatur, à nobis diſcedat? Certè anguſtiæ erunt nobis vndique. Nam ſi impetu conſolationũ & viſitationum raptemur, manifeſtum diſcrimen amittendæ valetudinis eſt. Si verò ſponſum à nobis arceamus, nõ modicum periculum irreuerentiæ eſt. Præſertim cùm ipſe vniuerſalis & potens Dominus valeat in quocunque onere corpori impoſito incolume illud ſeruare: aut hac ratione ipſum perdere, vt animam ad magnam perfectionem extollat. Huic obiectioni ſanctus Bonauentura ita reſpondit: Ad hoc (ſaluo meliori iudicio) videtur cõſulendum nimis debilibus, quòd interdum poſſunt ſe vtiliter ſubtrahere à ſtudio deuotionis, & conatu proprio non adhuc inſtare, nec quaſi extorquendo exprimant deuotionis affectum, quia tales violenti conatus debilitant etiam validiores. Si autem ſine laborioſo conatu offert ſe gratia, & ingerit ſe illis non quæſita, nec abiiciant eam ex toto, nec omnino totos ſe immergant ei, maximè ſi vehementer ex hoc debilitari ſe ſentiãt, ſed temperatè, & in quadam ſpiritus libertate ſuperficialiter inhęreant; iuxta illud Prouerbiorum: Mel inueniſti, comede quod ſufficit tibi; quod ſatis eſt iuxta virium tuarum menſuram. Vtilius enim eſt ad horam habere

Bona. 7. proceſſu relig. c. 21.

Indiſcretionis incommoda ex Bonauentura.

tempe

temperatius gratiam deuotionis,quàm omnino exhauſtis viribus,& deſtructa virtute naturali totaliter eam perdere,& irrecuperabiliter ea carere,quia ſic deſtructi poſtea nimis incipiunt ſibimet compati,& vt recuperent vires amiſſas per indiſcretionẽ, non ſolùm delicatius, ſed etiam diſſolutius, quàm expedit, ſe habere. Exhauſtis namque viribus maximè capitis, & cordis,vix audebunt etiam ad ſtudium deuotionis per moram aliquam aſpirare,quia retrahit eos cõtinuò moleſta debilitas. Et quo magis volunt contra illam conari, eo minus poſſunt. Et ideo conſultius videtur conſolationes diuinas moderatius quærere, cùm debilitas corporis obſiſtat,vt diuturnius eis frui poſſint, & auctas valeant tolerare,quàm ad breue tempus in eis ita indiſcretè delectari,vt eas poſtea fugere oporteat, & ſine ſpe recuperandi amittere propter virium defectionẽ. Vaſe enim contrito liquor effunditur,vnde dicitur in Pſalmo : Defecit caro mea, & cor meum, quia cùm corporis virtus omnino deficit, cordis etiam vigor à deuotione langueſcit.] Hucuſque Bonauẽtura.In hac re habet ſe Dominus ſicut rex quidam benigniſſimus,qui ſeruum ſibi chariſſimũ ad menſam inuitat, & illi multa, ac varia, & pretioſa ciborum genera apponi mandat, non vt omnia deuoret, quis enim hoc poſſet, ſed vt conuenientia comedat,& in reliquis, quæ non tangit,regis erga ſe amorem & benignitatem intelligat. Sic ſolet Dominus pro electis & dilectis ſuis conuiuium orationis ineffabilibus conſolationibus refertum inſtruere, ex quibus quod ad menſuram ſuarum virium fuerit,humiliter accipient,reliqua prudenter omittent,& pro illis gratias agentes Domini amorem intelligent. Quando ergo ſederis vt comedas cum principe, ô vir Dei,diligenter attende, quæ appoſita ſint ante faciem tuam, vt ex illis, quæ opportuna ſunt, comedas; & ſtatue cultrum in gutture tuo,vt ſupra vires nihil præſumas. Mel inueniſti, comede quod ſufficit tibi, ne fortè ſatiatus euomas illud.] Mel namque eſt cœleſtis cõſolatio, quam ad menſuram aſſumes, ne vltra vires capacitatis te onerans, fructum eius perdas, & ad vitam delicatam repedare cogaris.

Cùm diuinæ conſolationes affluãt quæ moderatio tenenda.

Prou. 23. 1.

Prou. 25. 16.

Hunc conſolationis ſtatum Bernardus diem octauum nominauit, in quo oportet etiam nunc Chriſtum non in ſeipſo,ſed in membris eius, qui miris conſolationibus afficiuntur,circumcidi.Gladiolus eſt diſcretionis donũ, quo omnis nimietas, ne corpus penitus atteratur, abſcinditur, & tunc viro ſpirituali nomen ſalutis imponitur, quia qui diſcretè ſe gerit, ſuam abſque dubio ſalutem operatur. Sed non decet tanti Doctoris melliflua verba præterire. Sic igitur ait:Illis verò qui ad hãc deuotionis gratiam perueniũt, vnum videtur reſtare periculum, & omnino timendum à dæmonio meridiano. Ipſe enim Satanas transfigurat ſe in Angelum lucis. Hoc ergo timendum ei,qui tanta delectatione omnia facit:nedum ſequitur affectionẽ, corpus deſtruat per immoderatam exercitationem, ac deinde neceſſe habeat nõ ſine magno ſpiritualis exercitij detrimento,circa debilitati curam corporis occupari. Ergo ne incurrat, qui currit, illuminari neceſſe eſt lumine diſcretionis,quæ mater virtutum eſt,& cõſummatio perfectionis. Hæc nimirũ docet, ne quid nimis:atque hæc eſt octaua dies, in qua circumciditur puer;quia diſcretio verè circumcidit,vt non plus, nec minus fiat. Nam & qui nimius eſt, fructum boni operis abſcidit, non circumcidit : ſicut qui tepidus eſt,minus facit. In hac ergo die nomen imponitur, & nomen ſalutis : nec

Bernard. ſer. 3. de circumc. ad finem. Bernardi cõſilium de diſcretione cũ conſolationes diuinæ abundant.

A de eo, qui ſic cõuerſatur, dubitem dicere quòd ſuã ipſius ſalutem operetur.Vſque ad hunc enim diem dicere poſſunt Angeli,qui norunt ſecreta cœleſtia: ſed ego nunc primùm ei fiducialiter nomen ſalutis impono.At quia omnino rara iſta auis eſt in terris, huius diſcretionis locum in vobis fratres, ſuppleat virtus obedientiæ, vt nihil plus, nihil minus,nihil aliter,quàm imperatum ſit faciatis.

Qui ſe gerẽt contemplatiui in conſolationibus.

Atque hæc pro ſtatu meditantium dicta ſunt: nam ſi aliquis contemplationis gratia prædictus ſubtrahere ſe nullo modo à diuinis illuſtrationibus valet,is Deo ſe, corpus,& animam committat, & regulis, quas ſeruare non poteſt, ſe nequaquam arctari confidat. Tunc enim diſcretio erit conſulto ſpirituali magiſtro Dei ductum ſequi, & quæ B declinare non valet, ſine immoderato timore ſuſcipere. Sed de hoc álio loco fuſiùs dicemus.

Cauendũ ne deſidia ſubrepat diſcretionis prætextu.

Secundam regulam minùs feruentes & arentes cuſtodiant, ne prætextu diſcretionis in deſidiam incidant,& dum volunt fortitudinem ſuam ad Dominum cuſtodire nihil agant. Neceſſe itaque habent,vt ipſi ſe cogant,& cum aliquo labore ad res meditandas attendãt, & cum aliqua afflictione ad ſanctos affectus aſſurgant,& corpus licèt nonnihil fatigetur,atque laſſeſcat genuflexum, aut erectum, & ieiuniis ac aſperitatibus bene domitum teneãt. In hac enim re nimia prudentia, mera ſtultitia eſt, & qui à diſcretione inceperit,non in perfectionẽ, ſed in vitam tepidam, & fortè carnalem deſinet. C Vide quid Sapiens dicat:Super ſalutem & ſpeciem dilexi illam,] nimirum cõtemplationis ſapientiã. Qui autem eam ſuper ſalutem & pulchritudinem diligit, proculdubio carnis perituræ incolumitati & robori eam anteponit. Richardus Victorinus acutè per duos oculos hominis circumſpectionem & diſcretionem intelligit, ille eſt oculus ſiniſter, iſte dexter. Illum præcipimur ſemper ſeruare,quia non datur abſque circumſpectione rectè viuere; iſtum aliquando iubemur eruere,quando diſcretio in carnalem prudentiam declinat,& nos à vitæ ſeueritate ſub velamine quærendæ ſalutis auocat. Si oculus, inquit, dexter ſcandalizat te, erue eum,& proiice abs te. Sic facies, ô vir Dei, oculum carnalis diſcretionis erues, ſi eo ad ignauiam te dirigi ſenſeris,& conſilio Prælati,aut ſpiritualis magiſtri, qui te non palpet,tuam vitam committes.Sed dicis mihi,ait prædictus Doctor : Ecce iam per experimentum didici,quia hic diſcretionis oculus,quem dextrum dixiſti,frequenter mihi falſa pro veris affirmat : in iudicio multoties errat : & dum parum diſcernit, me non parum ſcandalizat : & ego tibi reſpondeo; quia ſi oculus tuus dexter ſcandalizat te,erue eum,& proiice abs te. Melius ſiquidem tibi eſt cum vno oculo ingredi ad vitam, quàm duos oculos habentem mitti in gehennam. Quid ergo, inquis:quónam (quæſo) modo viam mandatorum Dei monoculus inoffenſo pede percurrere, quam nec modò duorũ beneficio oculorum adiutus valeo ſine errore conſummare ? Audi igitur quod facere debeas, quia forſitan parum acutè conſideras. Aurem & linguam appoſuit, qui tibi oculũ dedit. Habes igitur quo quæras : quo audias, ſi aurem & linguam te habere non diſſimulas. Quære igitur domum videntis, qui parum vides, à quo quid te oporteat facere,quò currere audies.Melius tibi eſt manu duci,quàm vltro errorem ſequi. Melius proinde tibi eſt cum vno oculo ingredi ad vitã,quàm duos oculos habentem mitti in gehennam.Si ergo oculus tuus dexter ſeducit te:ſi omnino ſcãdalizat te,erue eum,& proiice abs te.Siniſtro (vt dictũ eſt)

Sap. 7. 10.

Diſcretio ex Richardo oculus dexter, qui interdum eruẽdus.

Richard. ad Pſal. 118. ad finem.

Spiritualis magiſtri diſcretione diſcretio noſtra reguletur.

oculo

oculo vitam noſtram circumſpicimus: dextro verò qualis eſt, vel qualis eſſe debeat diiudicamus. Sed ſi in diſcernendo errat, nos vtique ſcandalizat. Si ergo oculus tuus dexter ſcandalizat te; erue eum, & proiice abs te. Nuſquam legiſſe memini, vt oculum ſiniſtrum eruere debuiſſem. De dextro hoc ex præcepto iniungitur, ſi in eo erroris ſcandalum inueniſſem. Cur hoc? Idcirco (vt arbitror) quia vitam propriã me meliùs ſcire nullus poteſt: ſed eam alius me multo meliùs ſecundùm diſcretionem diſponere poteſt. Habemus itaque viam noſtram ſpiritualium virorum, & maximè Prælatorum diſcretioni committere, qualibus nouimus ipſum Dominum claues regni cœlorum commiſiſſe.] Conſilio igitur ſpiritualis viri, qui non ſegniter in via ſpiritus ſe habuerit, viue, & ſancto ac diſcreto feruore hanc veram indiſcretionem pallio diſcretionis tectam eludes.

Spirituales viri motus ſuos internos Eccleſiæ & Prælatis ſubijciãt.

Tertia regula omnibus viris ſpiritualibus neceſſaria eſt, & illis magis neceſſaria, qui feruentiores ſunt, & maiora Dei dona habere videntur, vt ſcilicet non ſibiipſis fidant, nec ſe per motus internos tantùm regant, quibus putant ſe à Deo ad aliquid incitari, ſed Eccleſiæ & Prælatis ſe ſubiiciant, & ex cõſilio & directione eorum in omnibus procedant. Nam prima illa directio per inſtinctus & motus animi, ſi ab iſta ſecunda ſeiungatur, & hæc eam non moderetur, maximorum errorum ſeminarium extitit, quod in primo proximo ſæculo ab anno milleſimo quingenteſimo, vſque ad annum ſexcenteſimum ſatis apparuit: in quo tot hæreſes, tot deliria, & tot animarũ ſtrages hæc vana & ſtulta perſuaſio ſuſcitauit. Eccleſia columna eſt veritatis, quam Spiritus Dei ſanctus regit, & docet. Mons eſt Domini collocatus in vertice mõtium, & ſuper omnem altitudinem ſublimatus, ad quem venturi ſunt vniuerſi, qui ſapiunt, vt de viis Domini, & de ſemitis patriæ cœleſtis doceantur. Prælatis eius à Domino datum eſt, nõ ſolùm vt diſtinguant inter lepram, & lepram, verùm & vt ſi quid natum fuerit, quæſtionis etiam in bonis ipſi definiant. Illi ſunt duces gregis Domini, illi magiſtri, illi huius ſpiritualis militiæ anteſignani, ab ipſo Deo conſtituti.

Exodi 24. 14.

Inſtinctus interni non ſemper à Deo.

Inſtinctus autem interni fallaces eſſe poſſunt, & à nequam ſpiritu profecti, qui, vt ait Paulus, non ſemel trãsfigurat ſe in Angelum lucis. Quæ clementia erit hunc ductorem ſequi innumeris erroribus expoſitum, & illos à Deo inſtructos, & ad ſuũ populum gubernandum poſitos aſpernari? Quibus ſi adhæreamus, non errabimus, & ſaltem à peccato excuſabimur; ſi verò ſpiritum tantùm internum ſequentes errauerimus, nullam prorſus excuſationẽ habebimus. Meritò autem dictum eſt documẽtum hoc perfectioribus magis conuenire, quoniã ſublimior virtus & maius rerum ſpiritualium & cœleſtium conſolationum experimentum faciliùs elationis diſcrimen ſubit, quàm ſequi ſolet proprij iudicij durities, nimia ſuiipſorum cõfidentia, & aliorum minor æſtimatio, & aliquãdo manifeſtus contemtus, quod vtinam non millies eſſemus experti. Hi ergo & omnes ſciant orationem, cõtemplationem, illuſtrationes, interiora alloquia, inſtinctus & motus animi etiam ſanctiſſimi, & maximis Dei donis cumulati ad normam Euangelij, & ad regulas Eccleſiæ, & ad iudicium Doctorum & Prælatorum eſſe examinãda, illúdque tantùm eſſe bonum, atque ſincerum, quod illi probauerint.

Perfectiores cautiùs procedant circa motus internos.

Summa dictorum.

CAP. XIV.

ILLVD itaque viris ſpiritualibus, & ſanctitatis amatoribus perſuaſum ſit orationem mentalem inſtrumentum ac medium eſſe, non finem, quo ſalutem noſtram operamur, vitia proterimus, virtutes acquirimus, Euangelium & Chriſti imitationem in cordibus delineamus, & ingreſſum in cœleſtem patriam aſſequimur. Hæc oratio ad illud referẽda eſt, vt veram & ſubſtantialem deuotionem quæramus, quæ nos promtos & alacres ad Dei obſequia & diuinæ legis cuſtodiam efficit, & vt ab ſtatu indeuotionis peſſimo omnino declinemus. Ita autem inter ſuauitates & ariditates ſpiritus, inter conſolationes & deſolationes quiſque procedat, vt ſiue conſolationem guſtet, ſiue deſolationis amaritudinem ſentiat, numquam à vera deuotione excidat, & ſemper in omni virtute proficiat. Ad hoc verò obtinendũ ſex illa, quæ latè expoſuimus, conferent. Primum, vt vir ſpiritualis orationis ſtudio ſe tradens, licèt minus proſperè res ei eueniant, longanimis fiat, & ſe prorſus indignum cœleſti conſolatione cognoſcat. Secundum, vt diuinas inſpirationes ac inſtinctus reuerenter ſuſcipiat, & eis cognitis, atque à falſis dictaminibus ſeparatis, eis ſtrenuè & perſeueranter obediat. Tertium, vt præcepta conſiliis præferat, quæ proprij ſtatus & vocationis ſunt, ſupererogationis operibus anteponat, & propter otium debita negotia non deſerat. Quartum, vt dæmonis illuſiones multiplices ſanctis deſideriis ſe immiſcentes fugiat, & ab eo ſe decipi ſub ſpecie boni, & falli nõ ſinat. Quintum, vt perſeuerantiam in oratione & in omni virtute diligat, & omnia huius ſancti exercitij impedimenta diſcretè ſubmoueat. Sextum, vt per diſcretionem regiam viam teneat, ne aut nimio feruore, aut ſtulta tepiditate correptus finẽ deſideratum perfectionis minimè obtineat. Hæc ſi præſtiterit, ſi, inquam, ſupradictis ſe ad orationem parauerit, & conuenientes orationi comites adhibuerit, & eam ad veram deuotionem, & omnimodam virtutem ordinauerit, mentalis orationis exercitio magnam perfectionem & mentis puritatem acquiret.

ORATIO.

DOmine Deus meus, amator veritatis, & effector perfectæ virtutis, qui per veritatem nos ad perfectionem ducis, & viis tuis, quæ ſunt miſericordia, & veritas, tuorum animas ad veram fælicitatem euehis: oramus te ſupplices, vt nos in ſtudio orationis viam veritatis doceas, & ab omni eo, quod & nobis officere, & ſanctum ſtudium orationis infamare poteſt, potenter auertas. Fac nos, ô Domine, in oratione ad tua obſequia promtos, in conſolatione humiles, & in deſolatione patientes. Sciamus ſi aliquantulum tardaueris, te longanimiter expectare, tuis inſtinctibus obedire, non quod nobis dulce, aut vtile eſt, ſed quod tibi beneplacitum quærere, ab illuſionibus aduerſarij declinare, & perſeueranter ac diſcretè tui cognitionem & amorem quærere, quo ad tui fruitionem æternam peruenire poſſimus. Amen.

FINIS LIBRI SECVNDI.

DE MATERIA ORATIONIS MENTALIS,

LIBER TERTIVS.

PROOEMIVM.

Omnis ars circa aliquam materiã sicut & potentia quauis circa suũ obiectum versatur.

MEDITATIO, quam orationis mentalis non infimam partem esse monstrauimus, & cuius formam & modum hactenus exposuimus, circa aliquam materiam versatur, quam vir perfectionem sitiens ad sui emendationem, & vniuersarum virtutum adeptionem cõsiderat. Manifestum est enim nullam artem, nullámque disciplinam, nullámque vim ex his, quas Deus rebus creatis indidit, aliquid posse agere, nisi prẽstò sit illi materia aliqua, vel ex qua opus suum in medium proferat, vel in qua, aut circa quam illud efficiat. Omissis autem nunc artibus, in quibus inueniendis humani ingenij desudauit industria, quæ ex lapidibus, & lignis, & variis metallis, & ex aliis ad vsum nostræ imbecillitatis necessariis opera sua perstruunt: & silentio suppressis philosophicis disciplinis, quæ circa aliquam materiam inuestigandam laborant. Vt Astrologia circa cœlum, Arithmetica circa numerum, & Physica circa naturam motui subiectam, certè hoc ex viribus ad sentiendum datis perspicuè cognoscitur. Nam nec videre oculis possumus, nisi præsens sit color, aut lux, quam videamus; nec sine vocibus, aut sonis audire, nec sine odoribus subolere, nec sine saporibus gustare, nec sine calore, aut frigore, aut similibus qualitatibus contrectare valemus. Idem in tribus animi viribus à corporis concretione seiunctis euidenter inuenimus. Memoria quippe alicuius rei recordatur, intellectus aliquam veritatem intuetur, voluntas amore, vel odio ad bonum, vel malum afficitur. Cùm igitur meditatio orationis mẽtalis pars sit quædã intellectus, consideratio seu functio circa aliquid se occupat, quod aptum sit voluntatem ad omnem virtutem & sanctitatem allicere. Hoc autem vocatur orationis, aut meditationis materia, quam toto hoc tertio volumine volumus ministrare.

Sed cùm opportuna ad hanc partem istius operis adornaremus, non minima dubitatio subit animum, quánam ratione vtile foret legentibus de materia orationis scribere. Nam varias orationis materias quasi digito ostendere, & cursim sine aliqua earum expositione præterire, quod in libris de vita & fine solitarij Dionysius Richelius fecit, parum videbatur nostro instituto accommodatum, cùm viris orationi deditis viam meditandi sufficienter, & sine aliis libris, ad quos remittãtur, aperire cupiamus: omnes autem aut plurimas orationis materias sigillatim persequi, quod multi cum magna laude, etiam vulgari idiomate hac tempestate fecerunt, iudicabitur fortè superfluum, cùm iam sit ab illis non solùm deuotè, verùm & satis eruditè elaboratum. Quid quòd si mentem aura cœlestis aspiret, satis pauca & simplicia in meditationem adducta voluntatem immutant, & emendant, si verò illa desit, nec multa sufficient. Et vt Richardus ait: Opus est in hoc opere intima potius compunctione quàm profunda inuestigatione, suspiriis quàm argumentis, crebris potius gemitibus, quàm copiosis argumentationibus.] Reuela, Domine, oculos meos, & in paucis etiam, & simplicibus, quæ occurrerint, considerabo mirabilia de lege tua.] Et: Lætabor ego super eloquia tua, quæcumque illa sint, modò tua sint sicut qui inuenit spolia multa.]

Rich. lib. 4. de contemplat. cap. 6. Psal. 118. 18. 162.

Non tamen putabo me actum egisse, si materiam meditationis obtulero, & syluam meditationum toto hoc tractatu conscripsero, quam aliquibus saltem vtilem fore confido. Meditationum namque hactenus conscriptarum, quas ego legi (& plurimas legi) quædam adeò sunt breues, vt solis viris doctis, aut aliàs in discursibus faciendis exercitatis vsui esse possint, quædam adeò sunt longæ, atque prolixæ, vt qui in numero rudium hominum computandi non sunt, illas ob prolixitatem exhorreant, & se ad præueniendum in ipsis puncta meditationis, spatium temporis non habere prætendant. Vt ab his duobus scopulis fugiamus, ita nos stylũ in scribendis hisce meditationibus temperabimus, vt nec ob nimiam breuitatem satis amplam materiam non præbeant, nec ob molestam prolixitatem, qui in his breuitatem amant, ab illis legendis abstineant. Verum quidem est lapidicinam sanctarum meditationum amorem esse, eíque non defuturum quod meditetur, si Deum ardentiùs amauerit. Facile est matri de filio cogitare, quem vnicè diligit; & nos non semel audiuimus patrem de filio, quem intimè diligebat, ita diserte & abundanter loquentem, vt tantam rationũ & sententiarum copiam in homine non admodum erudito vehementer miraremur. Ita facile erit amanti Dominum plurima inuenire, quæ de ipso in meditatione cogitet. Et meditabor, promtè scilicet, & faciliter, ait Dauid, in mandatis tuis, quæ dilexi.]

Meditationes tradendæ nec nimis breues, nec nimis prolixæ.

Dei amor facile suggerit ad meditandum materiam.

Psal. 118. 47. 97.

dilexi.] Et: Quomodo dilexi legem tuam Domine:tota die meditatio mea est.] At amor is si non ardeat,vt cupimus, meditationum quasi lignorum est appositione fouendus: illæque meditationes aptiores videntur, quæ neque ita exiles sint, vt ad nutriendum ignem amoris minimè sufficiant, nec ita copiosæ & prolixæ,vt ipsum extinguant,ac vt dum multum intellectui damus, voluntatem accendi non sinant.

Sed priusquam structura huius libri, & ordo nostrarum meditationum appareat,libuit animaduertere multas ac varias esse mentalis orationis materias, quibus mens virtute formatur, & in similitudinem sui creatoris effertur. Si enim corpori parata sunt tot alimentorum genera,vt se ad vitam aliquando desituram protrahendam reficiat, quanto plura meditandarum rerum genera præparata erunt animæ,vt vitâ in se gratiæ semper mansuram custodiat & augeat. Hæc pro diuersitate affectus, quo tangebantur, & pro varietate viarum, qua à Domino in perfectionem dirigebantur viri spirituales, ab ipsis diuersimodè numerata sunt. Gerson duo tantùm genera meditationum facit, alterum pertinens ad timorem,alterũ ad spem. Ex cuius sententia in illo carmine sancti Dauidis: Si dormiatis inter medios cleros pennę columbæ deargentatæ,& posteriora dorsi eius in pallore auri spiritualis anima intelligenda est, quæ binis alis dextera spei, & sinistra timoris volat,& cauda discretionis in cœlum dirigitur. Meritò duæ, vt nec illa nimis per timorem deprimat,nec illa per spem immoderatiùs attollat, sed vtraque æquo libramine animam in medio constituat. Meritò de argentatæ,quia animam mundant,& ornant.Meritò discretionis aureæ gubernatione directæ, ne in aliquem errorem impingant.Penna timoris ex decem plumis, seu ex decem meditationibus coalescit. Prima est diuina seueritas, delicta Angelorum & hominum multipliciter puniens. Secunda damnationis perpetuitas iniquos in gehenna acerbissimè torquens.Tertia peccatorum enormitas,tot peccatorum & iniquitatum malitias continens. Quarta humana fragilitas,tam innumera pericula animi & corporis sustinens. Quinta falsa prosperitas, tam multas occasiones superbiæ & aliorum delictorum comprehendens. Sexta frangens aduersitas, quæ hominem ad impatientiam prouocat.Septima carnis dolositas, quæ quo suauiùs, eo periculosiùs tentat.Octaua,diaboli peruersitas,qui mille fraudibus mentem illaqueat. Nona, ad viuos iniquitas, quæ proximorum multiplicia scandala generat. Decima,ad mortuos crudelitas,quę purgatorio detentis suffragia denegat, & à fœlicitate retardat. Penna spei totidem meditationes habet.Prima,diuina misericordia, quæ ab initio sæculi tot Angelos & homines iustos à malo damnationis eripuit. Secunda incomprehensibilis gloria, quæ corpus & animam multiplici bono donauit. Tertia pœnitentiæ gratia,quæ omni tempore offensas peccatorum deleuit. Quarta larga auxiliorum affluentia, quæ in bono perseuerare fecit. Quinta confortans lætitia, quæ per prospera ad bonum faciendum allexit. Sexta erudiens tristitia, quæ tolerata multa bona præstat. Septima bona voluntas, quæ gratiæ dono fulcita carnem subiicit. Octaua Angelorum & Sanctorum beneuolentia, quæ nos iuuat. Nona viuorum auxilia, quorum exemplo ad virtutem instruimur. Decima, eorum qui præcesserunt suffragia orationésque, quibus apud Dominum adiuuamur.Hęc putat Gerson à nobis esse meditanda.

Duo meditationũ genera à Gerſone tradita. Gerſon Theodor. myſt. practic. induſt. 11. Pſal. 67. 14.

Huic assignationi materiæ meditandæ adstipulatur Bernardus,pedes Domini iustitiam & misericordiam esse definiens, quorum alter ad timorem, alter ad spem pertinere dignoscitur. Ambos igitur osculandos esse docet,ne si iustitiam solam meditemur,in desperationem cadamus, aut si soli misericordiæ attendamus,ad falsam securitatem prouocemur. Non erit molestum verba tanti doctoris audire. His certè pertransit, & nunc benefaciendo & sanando omnes oppressos à diabolo, sed spiritualiter,sed inuisibiliter. His, inquam, pedibus deuotas perambulat mentes, incessanter lustrans scrutánsque corda & renes fidelium. Vide autem ne fortè hæc illa sint sponsi crura, quæ sponsa tam magnificè commendat in consequentibus, comparans ea,ni fallor,columnis marmoreis,fundatis super bases aureas. Pulchrè omnino,quoniã quidem in incarnata Dei sapientia (quæ auro designatur) misericordia & veritas obuiauerunt sibi: denique vniuersæ viæ Domini misericordia & veritas. Felix mens cui semel Dominus Iesus vtrumque infixerit pedem. A duobus signis cognoscite eam, quæ huiusmodi est, quæ secum necesse est referat diuinis impressa vestigiis. Ipsa sunt timor & spes, illæ iudicij, ista misericordiæ repræsentans imaginem. Meritò beneplacitum est Deo super timentes eum, & in eis, qui sperant super misericodia eius: cùm sapientiæ timor initium sit, spes profectus. Nam consummationem sibi charitas vendicat.Quæ cùm ita sint,non paruus fructus est in primo hoc osculo,quod ad pedes accipitur tãtùm,curato,vt neutro frauderis illorũ. Porrò enim si iam dolore peccati,iudicij timore compungeris,veritatis iudiciíque vestigio labia impressisti. Quòd si timorẽ dolorémque diuinæ intuitu bonitatis, & spe consequẽdæ indulgentiæ temperas,etiã misericordiæ pedem amplecti te noueris. Alioquin alterum sine altero osculari nõ expedit,quia recordatio solius iudicij in barathrum desperationis præcipitat, & misericordiæ fallax assentatio pessimam generat securitatem. Datum est & mihi misero nonnumquã sedere secus pedes Domini Iesu:& modò hũc, modò illum tota deuotione amplecti, in quantum me sua benignitas dignabitur admittere. At si quando miserationis oblitus stimulãte conscientia, iudicio paulo diutius inhærerem:mox metu incredibili,ac miserabili cõfusione deiectus,& tenebroso circumfusus horrore, hoc solum palpitans de profundis clamabam: Quis nouit potestatem iræ tuæ,& præ timore tuo iram tuã dinumerare?Quòd si eo relicto pedem misericordiæ plus tenere contingeret, tanta è contrario incuria & negligentia dissoluebar,vt cõfestim,& oratio tepidior,& actio pigrior,& risus promtior,& sermo incautior, & omnis denique vtriusque hominis status inconstantior appareret.Proinde magistra instructus experiẽtia,non iudicium iam solum,aut solam misericordiam,sed misericordiam pariter,& iudicium cantabo tibi Domine.] Sic ille.Nolimus ergo,vt Basilius ait, Deum ex dimidia parte cognoscere,sed ea quæ ad timorem comprimant,& ad spem erigant,meditemur, vt inter has duas vias incedentes optatum profectum promereamur.

Duo alia ex d. Bernardo dextro, & læuo Christi pedi annotãtur.

Bernard. serm. 6. in Cant.

Pſal. 84. 11. Pſal. 24. 10.

Pſ. 146. 11. Prou. 1. 7.

Pſal. 89. 11.

Pſal. 100. 1. Baſil. proœm. reg. fuſ. diſput. Sex alia totidem Seraphim alis apud Iſaiã expreſſa affert. Bonau. in itinerario ment. cap 1. Iſai. 6. 1. 3. Reg. 10. 18. Gen. 2.

Sanctus Bonauentura meditationum genera, siue materias alia ratione distinxit. Cùm enim Seraphim illa throno diuinæ maiestatis assidentia, quæ vitos spirituales mysticè designant,senis alis ornarentur,visum est illi in sex classes vniuersam materiam cõsiderationis nostræ distinguere. Sex gradibus ad thronum Salomonis fiebat ascensus: sex

quoque diebus perfectus est mundus: ac post sex dies Christus discipulis transfiguratus apparuit. Ita sex ascensionibus spiritus noster ad sedem Dei aditum inuenit, & paulatim efficitur omni virtute perfectus. Has verò sex ascensiones seu ascendendi materias insinuauit sanctus Dauid, dicens ad Dominum: Deduc me Domine in via tua, & ingrediar in veritate tua; lætetur cor meum, vt timeat nomen tuum.] Primò ergo consideramus vestigia Dei, scilicet creaturas sensibus subiectas, & rationis expertes, & per earum multiplices proprietates venamur infinitam perfectionem Dei. Secundò consideramus Deum in his creaturis, in quibus est per essentiam, præsentiam & potentiam, in quibus etiam operatur admiranda. Hæc autem duo pertinent ad illud: Deduc me Domine in via tua, quia huiusmodi res creatæ sunt viæ Dei. Vnde in Iob dicitur de diabolo sub nomine Behemoth, quòd ipse est principium viarum Dei. Tertiò meditamur imaginem Dei, nimirum hominem, & Angelum, quo ad sua naturalia, & ex his etiam ad Deum cognoscendum prouehimur. Quartò meditamur Deum in hac imagine sua per gratiam reformata, & per dona gratuita decorata. Quæ duo explicantur illo quod sequitur: Et ingrediar in veritate tua: nam imago Dei, qualis est homo & Angelus, est expressio quædam veritatis Dei: & cùm ad creaturam hanc intellectualem recogitandam intramus, quasi ad Dei veritatem ingredimur. Quintò contemplamur Deum in seipso secundùm quod est vnus, & ea omnia, quæ ad diuinam vnitatem ac perfectionem spectant. Sextò contemplamur mysterium Trinitatis, ac abditam & incomprehensibilem vnionem verbi cum natura humana, & omnia mysteria Christi filij Dei; & in hoc completur illud: Lætetur cor meum, & timeat nomen tuum; cùm ex hac consideratione exoriatur lætitia animi amoris plena, & filialis timor, seu reuerentia diuinæ maiestatis.

Matth. 17.

Psal. 85. 11.

Iob 40. 14.

Richardus Victorinus sex etiam rerum meditandarum genera paulo aliter fecit, quas superiùs recensuimus, dum de multiplici specie orationis mentalis ageremus. Ea autem quadraginta duabus meditationibus comprehendit, vt sicut populus Israël per quadraginta duas mansiones terram promissam tenuit, ita mens per totidem considerationes cognitionem & amorem summæ veritatis attingat. Quin, & modos meditandi seu discurrendi in quaque re, qui à nobis etiam suprà expositi sunt, sub similitudine auium variè volantium pulchrè declarat. Huius sanè rei formam, inquit, si rectè perpendimus, in cœli volatilibus quottidie videmus. Videas alia nunc te ad altiora attollere, nunc te ad inferiora demergere, & eosdem ascensionis descensionisque suæ modos sæpius repetere. Videas alia nunc dextrorsum, nunc sinistrorsum diuertere: & nunc in hanc, nunc verò in illam partem declinando in anteriora parum, vel pænè nihil se promere: & easdem discursuum suorum vicissitudines multa instantia multipliciter reiterare. Videas alia sub magna festinantia se in anteriora extendere. Sed mox sub eadem celeritate in posteriora redire: & sæpe idipsum agere, eosdémque excursus atque recursus diutina frequentatione continuare, atque protrahere. Videre licet alia, quomodo in gyrum se flectunt, & quàm subitò vel quàm sæpe eosdem, vel similes, nunc autem paulo latiores, nunc paulo contractiores circuitus repetunt, & semper in idipsum redeunt. Videre licet alia, quomodo tremulis alis, sæpéque reuerberatis se in vno eodémque loco diutius suspendunt: & mobili se agitatione quasi immobiliter figunt, & ab eodē suspensionis suæ loco diu multúmque hærentia penitus non recedunt, ac si operis & instantiæ suæ executione prorsus videantur exclamare, & dicere: Bonum est nos hîc esse.] Expositio verò modo quo auis spiritualis, anima scilicet orationi dedita hos multiplices motus volatilium æmuletur, tandem eos Scripturarum diuinarum auctoritate manifestat. Audi de illo contemplationis modo, qui quodammodo fieri solet antè & retrò. Ibant animalia, & reuertebantur in similitudinem fulgoris coruscantis. Accipe & de illo per quem animus in diuersa rapitur: & nunc in hanc partem, nunc in illam discurrendo mira agilitate in contraria agitatur. Fulgebunt iusti, & tamquam scintillæ in arundineto discurrent. Illum qui quasi sursum & deorsum fit, paucis Psalmista verbis expressit. Ascendunt (inquit) vsque ad cœlos, & descendunt vsque ad abyssos. Ad illum contemplandi modum, qui velut in gyrum ducitur, prophetica illa voce admoneris, qua dicitur: Leua in circuitu oculos tuos, & vide. Tunc autem contemplationis radius velut in vno loco immobiliter fugitur: quando illud Habacuc in semetipso quilibet experitur: Sol & luna steterunt in habitaculo suo.] Sic ille. Ex quo habet anima non solùm multa, quæ meditetur, sed etiam modum, quo in qualibet re ad meditandum accersita se quasi multorum ciborum suauitate pascatur.

Richard. lib. 1. de cont. c. 5. mentis discursus in oratione auiū volatui appositissimè confert.

Dionysius Richelius incipiendo à summis ad infima materias orationis inuersa ratione distinxit, & ad quinque tantùm species reuocauit. Prima est contemplatio superbenedictæ Trinitatis, & omnium eorum arcanorum, quæ tribus diuinis personis conueniunt. Secunda contemplatio simplicis deitatis, & attributorum eius, quæ aut lumine naturali, aut supernaturali noscuntur. Tertia, meditatio assumtæ humanitatis Verbi diuini, & omnium eorum, quæ ad vitam, & mortem, & resurrectionem eiusdem Saluatoris pertinent. Quarta est speculatio munerum gratiæ, ac eorum donorum, quibus Deus in hac vita animas iustas ornat, & in futura glorificat. Quinta est consideratio donorum naturæ, omniúmque creaturarum, ex quarum recta dispositione mundus hic visibilis constituitur.

Dionys. lib. de cōtemplat. art. 26. Quinque alia meditationum genera ex Richelio.

Prædicta omnia ab antiquioribus dicta, consultò à nobis allata sunt, vt sciamus posteros ascetricæ doctrinæ scriptores orationis materiam ab illis prioribus mutuasse, sed ad meliorem formam redegisse, & quæ magis proposito fini perfectionis assequendæ conueniat. Omnis namque interior exercitatio, qua cœlestia ac terrestria contemplamur, in hunc finem fertur, vt vitam nostram emendemus, mores corrigamus, & veram ac perfectam obtineamus mentis puritatem. Hæc in illo posita est, vt in nobis viua quædam, & expressa imago Christi Saluatoris eluceat: ad quam tribus operum generibus peruenimus similibus his, quæ ad imaginem aliquam in ligno vel lapide exprimendam concurrunt. Si velis effigiem Christi Iesu ex marmore vel ex cedro conficere, primò multa abscindas & demas necesse est, vt membra corporis aptè expressa cernantur: deinde vt colores superinducas, qui colores humani corporis, & vestimentorum eius imitentur: tandem quòd omnia ita perficias vt colores & lineamenta quasi res viua se oculis aspiciētium obiiciant, & ad lon-

Quinam finis meditationis cuiusuis.

Idem accommoda similitudine exprimitur.

gum tempus ſtabilia perdurent. Hanc effigiem non iam viſibilem, ſed ſpiritualem, & virtutum Chriſti ſimilem vir ſpiritualis non in corpore, ſed in mente delineare contendit, quare omnia exercitia mẽtalia ſua ad hæc tria facienda referuntur. Ex quo triplex ſtatus vitæ ſpiritualis, & triplex via cuique ſtatui congruens dimanauit. Ille primò ſuperflua demit, peccata, & vitia, ac paſſionum & affectionum immoderantiam abſcindit: & tunc incipiens eſt, eiúſque opus vocatur via purgatiua, quoniam à malis ſe purgat, & ab omni eo, quod Chriſti imitationem tollere poteſt, ſe conſtanter emundat. Secundò poſtquam ſe à malis purgauit, & ſuperflua depulit, mentem Chriſti virtutibus induit, & proficiens eſt, & eius exercitatio appellatur via illuminatrix, ſeu illuminatiua, quoniam intellectus quaſi veritatis ornamenta lucet, & affectus decore virtutum ſplendet. Tertiò has virtutes perficit, & calore amoris Dei ſtabiles facit, & tunc habet nomen viri perfecti, & eius operatio eſt via vnitiua, quia per charitatis amorem animam Deo vnit, ita vt vnus ſpiritus fiat cum eo. Omnem ergo materiam meditationis huius ſacræ ſcientiæ tractatores in tres claſſes diſtribuunt. Prima quæ contineat meditationes incipientibus conuenientes, quibus procedant in via purgatrice. Secunda meditationes proficientibus congruentes & ſeruientes viæ illuminatrici. Tertia habet meditationes pro perfectis, & proprias viæ vnitricis. Atque hanc rationem diſponendi materiam orationis Bonauentura magna ex parte docuit; Laurentius Iuſtinianus attigit, & B. P. N. Ignatius in aureo libello ſuorum exercitiorum exquiſitiùs cuſtodiuit.

Triplex vita ſpiritualis ſtatus.

Bonau. in ſoliloqui. c.1. Iuſtin. de conuerſ. monaſt. c.18. Ignat. lib. exercit.

Nos igitur in tradenda orationis materia eamdem viam ad proficiendum aptiſſimam perſequemur, & primo loco eas meditationes ſcribemus, quæ nos ad odium peccati, & eradicationem tribulorum & ſpinarum ex terra cordis noſtri per veram & omnimodam abnegationem prouocent. Deinde eas, quæ nos omni virtute cumulent, & ad boni dilectionem accendant. Tandem illas, quæ amore Dei inflamment, & in bono perficiant. Qui ab exordio vitam ſpiritualem inceperit, ab initio etiam huius libri meditationes ad ſe exercendum accipiet, & pro menſura profectus, quo in ſe virtutes auxerit, ad alia ſuperiora meditanda tranſibit. Qui verò iam ſpiritu aliquem progreſſum fecit, meditationes ſui ſtatui conuenientes aſſumet; & ab eis, quæ ſibi non congruunt, generaliter abſtinebit. Fili, inquit Eccleſiaſticus, in vita tua tenta animam tuam, id eſt, vt ad propoſitum noſtrum loquamur, qualitatem virtutis, & profectus tui, & ſi fuerit nequam, hoc eſt minus tibi congruum quod in his meditationibus inueneris, non des illi poteſtatem hærendi in eo: non enim omnia omnibus expediunt, & non omni animæ omne genus meditationum placet. Noli auidus eſſe in omni epulatione ſpirituali, & non te effundas ſuper omnem animæ eſcam, ſed eam prudenter gluties, quam ex patris ſpiritualis conſilio tibi congruam eſſe cognoſces. Ad hoc quoque non ineptè applicabimus dictum Ambroſij: Vnuſquiſque ſuum ingenium nouerit, & ad id ſe applicet quod ſibi aptum elegerit. Itaque quid ſequatur, priùs conſideret.] Et poſt pauca: Quò etenim vnumquemque ſuum ducit ingenium, aut quod officium decet, id maiore implet gratia.] Incipiens igitur ad myſteria Trinitatis, & diuinas perfectiones contẽplandas non aſſurgat, omiſſis his, quibus ad peccatum deteſtandum accenditur. Et perfectus in nouiſſimis ſuis, vt morte & iudicio meditandis non hæreat, illis poſthabitis, quibus in diuino amore flammatur. Sed quiſque iuxta capacitatem & neceſſitatem ſuam vtilia & deuotionem excitantia meditetur. Montes enim excelſi ceruis: petra refugium herinaciis.] Id eſt, vt Ioannes Caſſianus interpretatur, perfecti ſublimi myſteriorum ſacris Scripturis contentorum copia reficiantur, minus verò perfecti dominicæ paſſiones memoria ſaginentur. Meritò autem diximus hæc generaliter eſſe ſeruanda: nam ſi Deus aliquem ab initio conuerſionis ad ſuprema vocauerit (cuius rei magiſter ſpiritualis erit iudex) nos eum non poſſumus prohibere. Perfecti etiam vtiliter (vt Gerſon ait) aliquando ad infima meditanda deſcendunt. Ad priorum, inquit, ſimilitudinem, id eſt, incipientium ſe reuocent, ſe arguant, ſe habere iudicem ſeueriſſimum, ſe magiſtrum, vel Dominum, vel patrem conſeruatorem vltorémque negligentiarum cum tota mentis proſtratione recogitent. Alioquin vereantur illud: Niſi in timore Dei inſtanter te tenueris, citò ſubuertetur domus tua. Et ad idem Richardus ait quòd à mentis exceſſu, & à ſupramundanorum contemplatione regredimur, cùm ad circumſpectionem morum noſtrorum mentis oculos reducimus, & intima noſtra diſcutientes, quales ipſi ſimus ſtudioſa retractatione perſcrutamur. De quo & myſticè illud Actorum intelligit: Petrus ad ſe reuerſus dixit: Nunc ſcio verè quia miſit Dominus Angelum ſuum, & eripuit me de manu Herodis. Nam in exceſſu poſitus Angelum ſe liberantem, & è cuſtodia educentem aſpexit, & poſt exceſſum, qualis iam eſſet vidit, ſic in contemplatione perfecti dona pretioſa obtinent, ad ſe verò reuerſi conſiderant, qualiter illis per gratitudinem, & maiorem puritatem reſpondere valeant.

Ambroſ. 1. officio. c.44.

Pſal.103. 18.

Caſſian. coll.10. c.20.

Theolog. myſtag. pract. induſt.1. Perfectis etiã prodeſt infima nonnumquã meditari. Richard. de contempl. c.8.

Cãt.1.7. Dion.2. de vita & fine ſoli.ar.6.

Hæc, inquam, quaſi exceptiones ſunt regulæ generalis ab omnibus communiter obſeruandæ, vt iuxta ſtatum & virtutem cuiuſque meditationes vſurpentur. Quia & in gradibus ſcalæ ordo eſt, & ad poſtremum niſi per primum, & alios medios non datur aſcenſus. Et, vt Ambroſius ait, Ordinis ignorantia perturbat formam meritorum. Nec reputatur perfecta rei cognitio in nobis exiſtere, cùm ſcimus quid faciendum, & ignoramus quo ordine ſit procedendum. Vanum eſt vobis ante lucem ſurgere, inquit Dauid, ſurgite poſtquam ſederitis.] Vt ſcilicet mens ad perfectionem tendens priùs in puluere ſedeat, & peccata ſua defleat, eáque recogitet, quæ ad hunc fletum, & compunctionem, & veram abnegationem inducant; poſtea verò Deo fidens ad ſublimiorem conſiderationem aſſurgat. Quo enim modo, ait Caſſianus, vel virtutum rationem, qui ſecundus in actuali diſciplina gradus eſt, vel rerum ſpiritualium & cœleſtium ſacramenta, quæ in theoricæ gradu ſublimiore conſiſtunt, valebit attingere, qui naturam vitiorum ſuorum nec potuit intelligere, nec niſus eſt extirpare? Conſequenter enim pronuntiabitur progredi ad excelſiora non poſſe, qui non euicerit planiora; multóque minus ea, quæ ſunt extrinſecus, apprehendet, quiſque intelligere ea, quæ ſibi ſunt inſerta, non quiuerit.] Idem Dionyſius Richelius nobis putat fuiſſe mandatum, in illis verbis ſponſi ad ſponſam: Si ignoras te, ô pulcherrima inter mulieres, egredere & abi.

Priuſquã ad altiora deueniatur in interiorib. eſt ſubſiſtendum. Ambr. ad Pſal.118. ſerm.4.

Pſal.126. 2.

Caſſian. coll.14.

Vt anima ſciat per meditationis ſtudium prius ſuas miſerias & peccata cognoſcere, & flere, quàm locum vbi dilectus paſcat, & cubet, per contemplationem attingat. Quia enim mens noſtra à principio capax non eſt, neque faciliter ad alta ſuſtollitur, ideo in humilibus interim, præſertímque in his, quæ humanitatis ſunt Chriſti, excerceri eget, quatenus manuductione hac congrua ad optimorum eleuetur intuitum. Ac tandem ad hæc faciunt verba Bernardi, ſic de Eccleſia loquentis: Sed quia non ex omni interim parte adhuc ad petram forandam, Eccleſia accedere poteſt (neque enim omnium eſt, qui in Eccleſia ſunt, ſacramenta diuinæ voluntatis inſpicere, aut apprehendere per ſemetipſos profunda Dei) ideo non ſolùm in foraminibus petræ, ſed in cauernis maceriæ habitare oſtenditur. Ergo in perfectis quidem, qui rimari ac penetrare arcana ſapientiæ, & puritate conſcientiæ audent, & intelligentiæ acumine poſſunt, habitant in foraminibus petræ. De reliquo in cauernis maceriæ, vt qui in petra per ſemetipſos fodere aut non ſufficiunt, aut non præſumunt: in maceria fodiant, contenti vel gloriam Sanctorum intueri mente. Si cui ne hoc quidem poſſibile ſit, huic ſanè proponet Ieſum, & hũc crucifixum: vt & ipſe abſque ſuo labore habitet in foraminibus petræ, in quibus non laborauit. Iudæi in his laborauerunt, & ipſe in labores infidelium introibit, vt ſit fidelis. Nec verendum quòd patiatur repulſam qui & vocatur vt intret. Ingredere, inquit, in petram, abſcondere in foſſa humo à facie timoris Domini, & à gloria maieſtatis eius. Infirmæ adhuc, & inerti animæ (quæ, iuxta quod in Euangelio quidam de ſemetipſo confitetur, fodere non valet, mendicare erubeſcit) foſſa oſtenditur humus, vti lateat donec conualeſcat, & proficiat, & poſſit, & ipſa per ſe cauare ſibi foramina in petra, per quæ intret ad interiora verbi, animi vtique vigore & puritate. Et ſi intelleximus foſſam humum, illam quæ ait: Foderunt manus meas & pedes meos; non erit ambigendum de ſanitate in ea citius adipiſcenda animæ vulneratæ quæ in ea demorabitur.] Sic ille. Ne igitur ô vir Dei ante tempus erigas oculos ad opes, quas non potes habere, quia facient ſibi pennas quaſi aquilæ, & volabunt in cœlum,] Et: Sicut, qui mel multum comedit, non eſt ei bonum; ſic qui ſcrutator eſt maieſtatis, opprimetur à gloria.] Ex his ſtructura & ordo materiæ orationis, & harum meditationum elucet.

Bern. ſer. 62. in Cant.

Iſaiæ 2. 10.

Luc. 16. 3.

Pſal. 21. 17.

Prou. 23. 5.

Prou. 25. 27.

Qui modus in omnium meditationum genere ſeruari debeat.

Nunc modus in meditatione ſeruandus, qui ex dictis in ſecundo libro ex parte iam claret, breuiter pro omnibus meditationibus exponendus eſt, ne eadem ſæpius repetamus, & ſolùm in tradenda materia conſideranda deſudemus. Cùm in loco orationis deſtinato nos collocauerimus, primùm omnium Deus ibi præſens ſecundùm aliquem modum ex ſupradictis, qui meditationi habendę congruat, attentiſſimè ac reuerẽdiſſimè conſiderãdus eſt. Secundò eum, quem nos aſpicičtem credimus, immo perſpicuè ſcimus, humillima proſtratione corporis, & multo magis cordis & ſpiritus adorabimus. Tertiò ei corpus & animam, cogitationes, deſideria, verba, & opera ex magno affectu amoris offeremus. Quartò gratiam meditandi, & fructum affectuum, & emendationis, quam cupimus, colligendi ardenter poſtulabimus. Quintò ad puncta meditanda, & conſideratione euoluenda, quæ antea præuenimus, accedemus. In quibus præter ea, quæ diximus, tria animaduertenda ſunt. Alterum vt tot puncta præuiſa feramus, quæ ad ſpatium orationis occupandum ſufficiant. Erunt autem communiter duo vel tria; & his conſideratis in ſequenti orationis tempore à ſequenti puncto eiuſdem etiam meditationis incipiendum eſt, vt omnia tandem, quæ ſubiiciemus, conſiderentur. Alterum eſt, vt quottidie noua puncta ad meditationem afferamus, quod magni intereſt ad orationis feruorem, qui rerum conſideratarum nouitate ſuccenditur. Vnde Baſilius non ſolùm de Pſalmorum decantatione, ſed & de quacumque oratione, hæc ait: Atque vtilis etiam, meo quidem iudicio, hæc in orationibus, & Pſalmorum decantationibus, quæ certis temporibus fiunt, diuerſitas eſt, atque varietas ob eam cauſſam, quòd in perpetua ſimilitudine & æqualitate rerum animo neſcio quomodo torpedo quædam plerumque oboritur, atque tædium, eáque re aliud agens, ad futiles & vagas cogitationes aberrat. In viciſſitudine autem, varietatéque, cùm Pſalmodię, tum ſingularum horarum rationis, & ſtudium ipſum reuocatur, & attentio inſtauratur.] Tertium eſt, vt ex quolibet meditationis puncto ſanctum affectum iuxta exigentiam noſtram elicere ex cordis noſtri ſilice enitamur, & illud feruentiſſimo colloquio, & ardentiſſima poſtulatione finiri curemus. Sic meditatio tot affectibus ac poſtulationibus quaſi interpolata, attentior erit, & vtilior, & magna cum iucunditate in ea longum etiam tempus collocabitur. Exacto orationis tempore hoc opus (vt alio loco diximus) examinabimus, & quod emendatione dignum fuerit, in ſequenti oratione corrigemus, & de defectibus admiſſis dolebimus.

Baſil. reg. fuſ. diſ. 37.

Richard. lib. 4. c. 22.

In hoc libro etiã ea quæ contemplationi deſeruiãt pro materia ponentur.

Illud in hac præfatione poſtremum locum obtineat, quòd in hunc libellum tribus partibus diſtinctum omnia illa conſideranda reiiciemus, quæ ſolent non ſolùm meditationi, ſed etiã ſublimiſſimæ contemplationi ſeruire. Vt ſicut in magna domo fons commodiſſimè in medio eius effoditur vt ex ſupremis cœnaculis, & ex infimis cellis facilè ad eum omnes accurrant; ita in meditullio huius tertij operis, quod totum de oratione eſt, omnem materiam orationis quaſi fontem, ex quo affectus ſcaturiunt, duximus proponendam, ad quam tum infimi, id eſt, qui ſolùm meditantur, tum ſupremi, id eſt, qui gratiam contemplationis acceperunt, ſi aliquando indigeant (nam hi ſæpe non indigent) ad hauriendam aquam rei conſiderandæ perueniant. Quid quòd etiam altiſſima interdum illi cum fructu meditantur, qui ad gratiam contemplationis non admittuntur, & infima illi contemplantur, qui à perfecta contemplatione extranei non ſunt. Meditatio enim, & contemplatio non ex rebus ipſis conſideratis, ſed ex ſeipſis ſecernuntur. Quare Richardus de illis ſex generibus contemplationis loquens, quos ex materia diſtinxit, hæc ait: Quamuis autem familiare ſit, & quaſi proprium videatur duobus nouiſſimis cõtemplationum generibus per mentis exceſſum videre: è cõtra autem quatuor primis quaſi domeſticum eſt, & pæne velut ſingulare ſine vlla animi alienatione in contemplationem aſſurgere. Poſſunt autem omnia atque ſolent modo vtroque contingere. Nam ex illis, quæ primis contemplationum generibus ſubiacent, poſſumus quædam ex diuina reuelatione cognoſcere: & per mentis exceſsũ contemplationis oculo cernere: & ea item quæ ad duo nouiſſima contemplationum genera pertinent, ſolemus prout nouimus & valemus ſecundùm com-

munem animi ſtatum in conſiderationem adducere, & per contemplationem videre.] & ad finem capitis: Vnde & manifeſtè datur intelligi, quia & illa nouiſſima duo contemplationum genera, quibus quaſi proprium eſſe videtur per mentis exceſſum exerceri: ſolent tamen quãdoque infra humanæ cõprehenſibilitatis metas cohiberi. Omnia cõtemplationum genera poſſunt modo vtroque fieri: & modò per mentis exceſsũ, modò ſine aliquo mẽtis exceſſu ſolent excerceri.] Hæc ille. Qui per contemplationem communem apertè meditationem intelligit, & non contemplationem perfectam diſcurſum excludentem, de qua ſuo loco, Deo dante, dicemus. Illam autem dicit ad ſublimiſſima quæque conſideranda conſcendere, hanc verò cõtemplationem perfectam quæ mentis exceſſum effi- A ciat, etiam ad humilia deſcendere. Cùm itaque omnis materia orationis mentalis communis ſit vtrique ſpeciei eius, nimirum meditationi, & contemplationi, non incongruè ſimul quidquid ea continetur explicamus. In his autem meditationibus puncta numeris diſtinguemus, & ab his verbis conſidera, cogita, meditare, & ſimilibus abſtinebimus, quia certum eſt hæc omnia ad hoc ſcribi, vt ea ad meditationem & cogitationem afferamus. Tu Domine, qui noſtris deſideriis hucuſque fauiſti, tuam erga me benignitatem ne ſubtrahas, ſed nouis auxiliis oſtendas, & quod per me cœpiſti perficias, vt dilecti tui, quibus me ſeruire feciſti, ex meis laboribus habeant quo ſine labore in amore tuo ſua tibi ſemper dedita corda valeant ſuccendere. Amen. B

PARS PRIMA

De materia Orationis mentalis ad incipientes.

INTRODVCTIO.

INCIPIENTES ſunt qui necdum peccatis abiectis, nec vitiis extinctis, nec affectibus moderatis denuo vitam ſpiritualem arripiunt. His ſolicita cura doloris peccatorum, & omnis mortificationis incumbit: quare eorum inſtitutum via purgatiua vocatur, quoniam his quæ peccata purgant, & affectus ordinant, continetur. Ea verò ſunt illis cogitanda, quibus à peccatis abſterreantur, & per anguſtam portam obſeruantiæ mandatorum, & veræ abnegationis intrare contendant. Pro materia igitur mentalis orationis hæc quæ ſequuntur accipient, ac ſedulò cogitabunt. Primò vltimum finem, cuius gratia conditi ſunt, vt ad illum conſequendum omnem vitam ſuam, & vniuerſas actiones dirigant. Secundò, enormitatem peccati mortalis, vt illud amaris fletibus, & veriſſima contritione deleant. Tertiò, miſerias ſæculi, vt illud deſpiciant. Quartò, horrorem mortis, vt ad illam ſe parent. Quintò, terribilitatem iudicij Dei, vt ſuas rationes ſupputent. Sextò, acerbitatem pœnarum inferni, vt illas euadant. Septimò, vtilitatem abnegationis omnimodæ, vt ad eam ſe inducant. Octauò, pulchritudinem rectæ intentionis, vt ea omnes ſuas actiones condiant.

De vltimo fine Hominis.

CAPVT PRIMVM.

Quæ ab incipientibus meditanda ſint.

HOMO ſuę ſpiritualis ſalutis & emẽdationis cupidus, qui orationis mentalis iter ingreditur, & vſque ad perfectam contemplationem aſcendere nititur, primò apud ſemetipſum ſeriò cogitet, quid ipſe ſit, & quis finis cuius gratia à Deo creatus ſit. Nam ſi ſeipſum ignoret, viliſſimis obſequiis creaturarum diligendarum vitam ſuam deputabit, & ſi finem ſuum neſciat, non in hoſpitium quietis, ſed in locum perditionis diuertet. Ab eo etiam gradu excidet, qui eſt cognitio ſui, ſine cuius aſcenſu ad Dei cognitionem & contemplationem peruenire non poterit. Quare Bernardus à ſeipſo meditationes incipiens ſic ait: Multi multa ſciunt, & ſeipſos neſciunt. Alios inſpiciunt, & ſeipſos deſerunt: Deum quærunt per iſta exteriora, deſerentes ſua interiora, quibus interior eſt Deus. Iccirco ab exterioribus redeam ad interiora, & ab interioribus ad ſuperiora aſcendam, vt poſſim cognoſcere vnde venio, aut quò vado, quid ſum, vel vnde ſum, & ita per cognitionem mei valeam peruenire ad cognitionem Dei: quanto namque in cognitione mei proficio, tanto ad cognitionem Dei accedo.] Et alio loco Eugenium Papam alloquens momentum quoque huius propriæ cognitionis exponit, dicens: A te proinde C

Bernard. in medit. c. 1.

Cognitio ſui quàm neceſſaria.

2. de conſid.

incipiat

incipiat consideratio tua non solùm autem, sed & in te finiatur. Quocumque euagetur, ad te reuocaueris eam, cum salutis fructu. Tu primus tibi, tu vltimus. Sume exemplum de summo omnium Patre verbum suum & emittente, & retinente. Verbum tuum consideratio tua. Quæ si procedit, non recedat. Sic progrediatur, vt non egrediatur. Sic exeat, vt non deserat. In acquisitione salutis nemo tibi germanior vnico matris tuæ.] Sic ille. Et ista quidem cognitio meritò ad salutis acquisitionem necessaria dicitur, cuius præsidio animus à peccatis liberatur. Nam, vt ait Eliphaz apud Iob: Visitans,ô homo,speciem tuam nõ peccabis.] Species sanè, Philosophis etiam attestantibus, cuiusque rei naturam significat. Atque adeò visitas speciem tuam, non solùm, vt Gregorius ait, cùm humanæ proximorum infirmitati per opera misericordiæ subuenis, sed, vt Augustinus indicat, cùm temetipsum cognoscis. Hæc autem tuiipsius visitatio, suæ naturæ propriæ perscrutatio, peccatis obsistit, quoniam si tuã nobilitatem animaduertas qua ab animo tuo insignitus es, indignum duces teipsum diabolo seruum addicere,& peccatorum contagione sordere. Lucifer, quia se ignorauit,cecidit; & primus parens Adam, quia seipsum nescivit, in peccatum incurrit. Si quis ignorat, inquit Paulus, ignorabitur:] audiétque illam vocẽ, qua omnes impij feriendi sunt: Numquam noui vos; discedite à me,qui operamini iniquitatem.] Iustéque Deus illũ non noscit,qui seipsum cum iactura ignorationis Dei scire & considerare contemnit. Quid autem faciet homo à Deo ignoratus, id est, reprobatus, nisi in barathrum damnationis præcipitem cadere, & ex via summæ miseriæ, nimirum ex peccato, ad summam miseriam transire. Principio ergo homo in cognitione naturæ suæ, omnem operam collocet, vt quomodo sibi viuendum sit & conuersandum, ex inuestigatione suæ dignitatis eliciat.

Quanti etiam referat, finem cuius gratia homo creatus est non ignorare, Laurentius Iustinianus pulchrè docet his verbis: Quoniam vniuersitatis artifex Deus sua creaturarum omnium numerositatem ita disposuit sapientia: vt singulæ naturali suo cursu tendant indefessæ ad ipsum, ad quem conditæ sunt,finem: indubiè definiendum est nullam scientiarum omnium vtiliorem esse, quàm illam propter quam agnoscitur vniuscuiusque rei caussa & finis. Hac quicumque carent cognitionis regula, multiplicium inuoluuntur errorum caligine. Vtilia quidem sæpissimè noxiis,vera falsis, spiritualia corporalibus, virtutes vitiis, cœlestiáque obscurato mentis iudicio postponunt terrenis,vtũtur fruendis, & fruuntur vtendis, quod est nefas pessimum, & Deo inimicissimum. Hac ignorantia subuertitur ratio, diuina aboletur lex, naturæ iura mutantur,euacuantur promissa,honestas confunditur, perit fides, iustitia negligitur, languet spes, & ipsa cæteris virtutibus charitas eminentior tepescit.] Id profectò hac nostri finis notione consequimur, vt legem Dei eiúsque custodiam (infirmo peccatoris palato) satis amaram, dulcem, & satis ad obseruationem pronam & facilem inueniamus. Quod sanctus Dauid insinuasse videtur, dum ita cecinit: Omnis consummationis vidi finem latum mandatum tuum nimis.] Nam quid quæso consummationis nomine hoc loco melius intelligemus, quàm hominem ipsum, cuius vita tam breui periodo circumscribitur. Omnia quidem visibilia finita sunt,& breuissimo spatio consummantur: at homo videtur quasi consummatio ipsa, quoniam tanquam flos egreditur, & conteritur, vt est in Iob, & fugit velut vmbra, & numquam in eodem statu permanet. Hesterni quippe sumus, inquit etiam vnus ex amicis eius, & ignoramus, quoniam sicut vmbra dies nostri sunt super terram.] Et Dauid: Homo vanitati similis factus est: dies eius sicut vmbra prætereunt.] Si alia ergo tam bona quàm mala consummationes dicuntur, quia citò prætereunt, ipse homo, cuius vita est instabilior, & beuior, consummatio dicatur. Huius autem consummationis finis est (vt postea meditabimur, & nunc ex Augustino discimus) excellere in regno Christi, quod non habet finem: & habere ibi sine morte, sine dolore, & cum magno honore vitam, morte huius vitæ, ac doloribus & opprobriis acquisitam.] Cùm igitur magnitudinem & præstantiam huius finis mente tractamus,legem Domini latissimam,id est,suauissimam, & obseruatu facillimam experimur. Et illa quæ dicitur angusta porta, & arcta via ducens ad vitam, huius finis meditatione dilatatur, & omni prætextu amaritudinis & difficultatis eximitur. Certum est ad tyrones vitæ spiritualis pertinere iniquitatem fugere, & se ad omnium mandatorum victoriam accingere; primò itaque considerent, quid ipsi sint, vt sanctè superbiant, ac subiacere peccatis exhorreant, & in quem finem destinentur, vt legem diuinam suauem inueniant. Ad hoc conferunt meditationes sequentes.

Iob 5.24.
Greg.6. mor.c.16.
Aug.annot. in Iob.
1. Cor. 14.38.
Matth. 7.23.
Iustin. lib.de casto cõnubio c.1.
Cognitio vltimi finis quã homini expediat.
Psal.118. 96.
Iob 14. 22.
Iob 8.9.
Psal.143. 4.
Augustin. ibid.concion.21.
Matth.7. 14.

MEDITATIO I.

Quid sit Homo.

1. HOmo, qui à Philosophis diffinitur, animal rationale, est quasi centrum vniuersi: quoniam sicut lineæ à circulo deductæ in medio centro, ita omnium creaturarum perfectiones in homine copulantur. Est compendium, & summa omnium operum Dei: habet enim esse cum elementis, & rebus inanimis; viuere cum plantis, & arboribus: sentire cum piscibus, auibus, & animalibus: & intelligere cum spiritibus cœlestibus. Est alter mundus, mundo quidem hoc visibili quantitate minor, sed dignitate maior: quia Dominus & habitator illius,factúsque,vt præsit piscibus maris,&c. Tam nobilis, & excellens factus factori suo gratus existat, & seruire peccatis mancipiis vilissimis erubescat.

2. Constat homo ex duabus partibus, altera visibili,& mortali,quam appellamus corpus, altera inuisibili & immortali, quam vocamus animam. Has licèt dispares ita Deus concatenauit, vt amore incredibili fœderentur. Earum anima corpus viuificat: corpus verò animam errore liberat,ne de seipsa supra se sentiat. Illa corpus rectum facit,vt in cœlum suspiciat,istud animam deprimit, ne superbiat. Anima corpus nobilitat, ne post carnis concupiscentias eat: corpus autem animam sua corruptibilitate monet, vt in augendis meritis non tepescat.

3. Homo ex parte corporis animalibus rationis expertibus est cognatione coniunctus, & multiplicibus miseriis mortis, ægritudinis, doloris, tristitiæ, famis, & sitis, & aliis,quæ nequeunt numerari,subiectus. Est etiam pauperrimus, & omnium aliarum creaturarum indigus. Indiget terra in qua habitet, & cuius fructibus, & animalibus, & aliis rebus se reficiat, & vestiat, & protegat. Aqua qua

Homo vniuersi centrum, Dei operum cõpendium & mundus minor.
Gen. 1. 26.
Hominis partes duæ, corpus & anima, earum connexio, & mutua officia.
Homo ex parte corporis multis obnoxius miseriis: paupertate extrema laborat.

elemẽtorũ. aliarúmque rerũ nimiopere indigus.

se refrigeret,aëre quo spiret,igne quo calefiat, sole quo illuminetur, cœlis,luna, & stellis,quorum influxibus viuificetur, & aliis hominibus, sine quorum obsequiis & laboribus nemo nec rex ditissimus & potentissimus sustentatur. Immo ideo dicitur homo,quia plura præstò habet à quibus dependet.

Quæ bona ex parte animæ habeat.

4. Ex parte animæ cognatus est Angelorum,& capax nobilissimarum functionum cognoscendi & amandi Deum,& obsequendi illi, ac perpetuam fœlicitatem comparandi. Quanto igitur æquius esset ablegato terreno & animali genere, huic nobilissimo conuersatione adhærere, & quasi dissimulata vilitate carnis, vitam ciuium cœlestium, quibus homo nobiliori sui parte coniungitur, æmulari.

Homo Dei inuisibilis imago in multis.

5. Habet etiam homo ab anima,vt sit pulcherrima imago Dei. Cuius imaginis perfectio in multis est constituta. Nam primò Deus est spiritus nullo corporeo sensu perceptibilis; & animus hominis est similiter spiritus, quem nullus percipit corporis sensus. Deus est immortalis,& animus est immortalis, qui licèt à corpore discedat, in æternum tamen non deficiet. Deus est vna simplicissima substantia, & tres personæ; homo verò vna sustantia, & tres potentiæ,memoria, intelligentia, & voluntas. Deus cùm sit impartibilis,est totus in toto vniuerso,& totus in qualibet parte illius;similiter, & animus, cùm sit impartibilis est totus in toto corpore,& totus in quauis parte ipsius. Deus operatur omnia in omnibus : animus operatur multa in cunctis partibus corporis. Ipse namque videt in oculo, & audit in aure,&c. Deus omnia continet, & animus momento temporis cogitatione per omnia discurrit. Deus est vita omnium, animus verò vita corporis sui. Deus tandem vniuersis rebus præsidet, & animus omnibus rebus corporalibus præpositus est.

Hæc imago quarũ rerum sit capax.

6. Hæc imago Dei, quæ est animus, potest supernaturali similitudine perfici, & gratia quæ est participatio diuinæ naturæ sublimari, & omnibus virtutibus, & donis cœlestibus cumulari, & Dei conspectu & possessione perfrui, & corpus suum gloria cuius est capax, & immortalitate vestire. Quàm stultum erit pro oblectatione vilissimæ carnis hæc omnia bona perdere, & ab hac nobilitate ad mores brutorum declinare,& hominem iumentis insipientibus similem fieri. Homo igitur seipsum intueatur, & aliquid sua nobilitate dignum statuat,quo se indies magis ac magis perficiat.

MEDITATIO II.

Quis non sit finis hominis.

Agere propter finẽ magna perfectio, etiam in prima causa. Gen. 1. 26. Iob 10.8.

1. PVnctum. Agere non casu nec temere, sed propter aliquem finem,magna perfectio est; quare Deo, qui abyssus est omnis perfectionis,hæc perfectio neganda non est. Deus igitur omnia quæ fecit, ad finem aliquem sua immensa sapientia direxit. Homo autem opus est Dei; cuius firmum decretum extitit: Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram,] vnde Iob ait: Manus tuæ, Domine, fecerunt me, & plasmauerunt me totum in circuitu.] Hominem ergo condidit Deus propter aliquem finem. Non quidem propter finem consumtionis, quo adepto destrueretur, sicut cibus factus est vt comedatur, & dum transit in substantiam comedentis destruatur, sed propter finem perfectionis,quo adepto beatus efficeretur; sicut tela ad finem texturæ peruenit, vt

Hominis finis perfectio.

A omnino pulchra & pretiosa censeatur. Inuestiget igitur homo hunc finem suum, cuius gratia à Deo conditus est, vt ad illum omnes actiones suas dirigat, & reliqua, quæ non prosunt, aut obesse possunt, constanter reiiciat.

Quæ à nostri finis ratione excludãtur & aspernanda sint.

2. Finis tuus, ô homo,cuius gratia conditus es, non sunt diuitiæ, quæ cor sollicitudinibus dilacerant, & ad corporis imbecillitatem subleuandam quæruntur. Non sunt honores, nec fama,nec gloria apud alios, quæ non te, qui fine tuo beatus esse debes,sed honore prosequentes afficiunt, & maiorem aliquam excellentiam in te reuera, aut secundùm hominum apprehensionem existentem consequuntur. Non sunt dignitates, quæ curarum morsus, & formidinum aculeos non expellunt, & te non tam Dominum quàm seruum eorum, quibus dominaris, efficiunt. Non sunt voluptates, quarum sunt sæpe tristes exitus, iuxta illud: Extrema gaudij luctus occupat,] & has Deus, possessioni bonorum,vt additamentum adiecit. Denique non sunt alia bona creata,quæ appetitum nostrum minimè satiant. Qui biberit, inquit, ex aqua hac, qua temporalia signabantur, sitiet iterum.] Quæ malis pariter & bonis conueniunt. Nam sæpe via impiorum prosperatur, & bene est omnibus, qui præuaricantur, & iniquè agunt.] Quæ multoties in possidentes innumera mala inuehunt. Quare de opibus dicitur : Diuitiæ conseruatæ in malum domini sui.] Et idem omnino de quibuscumque aliis bonis temporalibus diceretur. Hæc igitur,quæ ad finem tuum non pertinent, non tantùm generaliter, sed sigillatim despicies, & propter assequutionem eorum à tuo fine excidere formidabis.

Prou. 14. 13.

Ioan. 4. 13.

Ier. 12. 1.

Eccl. 5. 12.

Mẽs sordida efficitur, dũ perituris bonis adhæremus.

3. Si hæc bona temporalia non sunt finis hominis, liquet, quia homo eisdem bonis immoderato amore inhærens mentem suam inficit, & quasi sordibus & immunditiis aspergit. Immundum enim dicitur, quod alicui imperfectiori miscetur: quàm igitur immundus erit homo ista nimiè diligens, qui admistione tot tantarúmque vilitatum sordidatur. Si in his amorem tuum colloces, ô homo, argentum tuum versum est in scoriam, vinum tuum mistùm est aqua.] Quod enim argentum spiritu hominis purius, ac splendidius, quod vinum eodem spiritu suauius, & efficacius ? Hunc verò temporalium rerum purgamenta maculant, & à sua efficacitate & gustu suauitatis alienant. Roga Dominum, vt excoquat ad purum scoriam tuam. scilicet amorem sæculi, & auferat omne stamnum tuum, ac omnem immoderatam adhæsionem ad res creatas depellat.

Isaiæ 1. 22.

Isaiæ 1. 25.

Homo etsi bonis temporalibus affluat,non quiescit extra proprium locum constitutus.

4. In his etiam bonis temporalibus,quantumuis singula aut omnia ad votum possideantur, numquam homo quiescet, neque mentis tranquillitatem inueniet.Res namque naturali pondere in suis locis sistunt,& ab alienis, tametsi placidi videãtur, velut à tribulis & spinis recedunt. Quidquid autem temporale est, non est proprius hominis locus : numquam ergo in eo requiem habebit. Lapidem grandem super columnas aureas, & argenteas, & lapidibus pretiosis ornatas constitue. An ibi requiesceret? Nullo modo, vniuersa Philosophia attestante, sed semper ad locum suum veloci descensu properare contendet. Et te in omnibus diuitiis, & dignitatibus, & corporis oblectamentis colloca, quia cùm ista non sint finis tuus, numquam in illis tuis desideriis satisfacies. Sed quis in hoc peruersionem humanæ naturæ portento similem non aspiciat ? An non portentum esset, si ignis sponte relicto loco suo in terram magno

impetu descenderet, lapides verò, & montes à terra conuulsi in cœlum magna velocitate properarent? Et monstrum non erit, quòd homo relicto Deo suo ad sola terrena inhiet, & in his requiem habere velit? Erubesce Sidon, anima affectuum ventis agitata; ait enim mare: Quia ego natum vt terram meis fluctibus operirem, ad præceptum Domini me in fragili arena contineo; tu verò in centro tuo iucundissimo te continere non vales.

Isaiæ 23. 4.

MEDITATIO III.

Quis sit vltimus finis hominis.

Finis hominis æterna fœlicitas. Prou. 16. 4.

1. FInis vltimus hominis est illa æterna fœlicitas, quam post hanc mortalem vitam in cœlis consequendam expectat. Nam licèt vniuersa propter semetipsum operatus sit Dominus, hominem tamen & Angelum ita propter semetipsum fecit vt in perpetuum cum ipso regnarent. Est videre Deum non iam per speculum & in ænigmate, sed facie ad faciem, & media hac visione eum vt propriam hæreditatem possidere. Hæc enim est vita æterna vt cognoscant te solum verum Deum, & quem misisti Iesum Christum. Est amore perpetuo & dulcissimo complecti Deum, & per hanc charitatem eidem vt sponso suauissimo iungi. Est frui Deo vt summo bono infinitè delectabili, cuius est omnem tristitiam & dolorem ablegare.

1. Cor. 13. 12.

Ioan. 17. 3.

Finis hominis beatitudo perfecta. Apoc. 21. 4.

2. Quid amplius est finis hominis? Est beatitudo illa omnibus numeris absoluta, quæ dicitur status omnium bonorum aggregatione perfectus. In quo absterget Deus omnem lacrymam ab oculis suorum: & mors vltrà non erit, neque luctus, neque clamor, neque dolor erit vltrà, quia prima (quæ in hac vita accidunt) abierunt. In quo nullum deerit bonum, quod desideremus, & nullũ aderit malum, quod fugiamus, & nullum imminebit damnum, quod timeamus. In quo corruptibile hoc induet incorruptionẽ, & mortale hoc induet immortalitatem. In quo tandem iusti (qui scilicet mãdata seruauerint) fulgebunt sicut sol in regno Patris eorũ, & erunt socij Angelorum, & fratres Christi, & filij Dei, quòd si filij, & hæredes. Hæredes quidem thesaurorum existentium in cœlo, vbi neque ærugo, neque tinea demolitur, & vbi fures non effodiunt, & furantur.

1. Cor. 15. 53.

Matth. 13. 43.

Matth. 6. 20.

Finis nostri dignitas, & altitudo. Exod. 33. 19.

3. Magnus & sublimis est hic finis hominis supra omne quod dici aut cogitari potest: quoniam est infinitum bonum nullis limitibus circumscriptum. Est omne bonum: ego enim, inquit ad Moysem, ostendam omne bonum tibi.] Est vita super omnem vitam, quam nulla mors auferet, salus super omnem salutem, quam ægritudo non tollet. Est thesaurus, voluptas, & honor super omnes diuitias, voluptates, & honores. Bonum quod capacitatem nostram omnino replebit, & desideria satiabit.

Finẽ nostrũ quærere vtilissimũ.

4. Hominem in hunc suum finem tendere, facit illum simpliciter bonum, appropinquare meliorem, quærere hilarem, atque quietum. Nam sicut lapis magna suauitate in centrum tendit, & aqua fluminis in mare recurrit, ita homo in conatu assequendi suum finem lætitiam, & pacem conscientiæ, in auersione verò ab illo tristitiam & inquietudinem sentit.

Omnia fine suo cõsequuto, lætantur, amisso tristantur.

5. Res miseræ sunt, si suum finem non consequantur. Sic & ego miserrimus ero, & infœlicissimus, si ab hoc fine excidero; quia animæ meæ, & gratiæ Dei, ac donorum eius, & lætitiæ, & beatitudinis detrimentum faciam. Ecquæ res fœlices sunt si suum finem obtineant. Et ego similiter ero fœliciſſimus si hunc finem tenuero: quoniam, & animam meam lucrabor, & gratiam & gloriam possidebo.

6. Assequutio huius finis cum gratia Dei, quæ nulli deest, in mea est potestate. Apposuit mihi Deus aquam, & ignem, vt ad quod voluerim porrigam manum. Ante me vita & mors, bonum & malum, quod mihi placuerit, dabitur mihi. Firmiter ergo apud me constituam tantum bonum non perdere, & pro eius assequutione vsque ad mortem decertare.

Eccli. 15. 16. Finis nostri assequutio potestati nostræ Deo auxiliãte, relicta.

MEDITATIO IV.

Quod sit officium hominis.

Hominis officium Deũ nosse, reuereri, & amare. Eccles. 12. 13.

1. OFficium est opus, quo finem consequimur. Atque adeò officium hominis est nosse Deum, reuereri & amare illum super omnia; Deo obsequi, ac mandatis eius acquiescere, quia non aliis quàm his ad finem beatitudinis peruenimus. Vnde scriptum est: Deum time, & mandata eius obserua; hoc est enim omnis homo.] Si autem quis ad altiorem in vita Christiana cõuersationem vocatus sit, eius officium præterea est impensè propriæ animæ perfectioni assequendæ vacare, & iuxta mensurã vocationis suæ exemplo vitæ & oratione, aut etiam doctrina in salutem proximorum incumbere.

Huic officio alia munia diligenter obsequi debent. In Regũ domibus varia studia eumdem finẽ habẽt scilicet Regi placere, similiter in Ecclesia omnium cura Deo seruire. Nostri muneris laudes præclaræ.

2. Omnia alia officia & ministeria huic tamquam præcipuo & proprio hominis debent seruire, & eatenus acceptari, quatenus obsequium Dei, & nostram salutem promouent, & non amplius. Vt quemadmodum in domo regis multa sunt munera, vt eorum qui sunt à secretis, & à consiliis, & cæterorum, quorum tamen vna cura est regi obsequi, & eius gratiam promereri: ita in hac magna domo Dei, quæ est Ecclesia, varia sunt hominum studia, quę tamen in vnum tendunt, quod est Deo seruire, atque eius voluntatem implere, & tandem beatitudinem comparare.

Sap. 5. 7.

Quæ natura consona, facilia, suauia.

3. Præclarum hominis munus, facile, & plenum tranquillitatis. Præclarum & nobile, quia nõ est in operibus luti, & lateris, id est, in aggregandis diuitiis cõstitutum. Sed (quod proprium est aulicorum curiæ cœlestis munus) in intelligenda & exequenda Dei voluntate collocatum. Adeò præclarum, vt etiam vilia ministeria huius gratia assumta, nobilissima, & digna præmio æternæ vitæ faciat. Facile quod pueri, & virgunculæ, & idiotæ præstare possunt, & opere ipso perfectissimè exequuntur. Cùm tamen diabolo & carni seruire difficillimum sit, ipsis iniquis attestantibus. Nam lassati sumus, inquiunt, in via iniquitatis, & perditionis, & ambulauimus vias difficiles, & viam Domini ignorauimus.] Tranquillitatis plenum, quia secundùm naturam est virtus, & ea suauia sunt, & requiem afferunt, quæ sunt secundùm naturam cuiusque.

Deus nos ad se allicit, & inuitat. Eccli. 24. 26. Summa stultitia Deo non audire. Psal. 16. 5.

4. Nobiles huius sæculi, ô homo, ascisci in régis obsequium ambiunt, & quærunt; Deus te ambit, & vt hoc munus nobilissimum admittas rogat, dicens: Transite ad me omnes qui cõcupiscitis me, & à generationibus meis, id est, à fructibus beatitudinis implemini, &c.] Stultus eris si Deo obedire detrectes, & similis illi, qui spreto munere nobilissimo, infami vacaret, aut relicto recto itinere in præcipitium iret. Pete à Domino vt dirigat gressus tuos in semitis suis.

MEDITATIO V.

Quæ inſtrumenta ad ſuum munus accepit homo.

Media ſupernaturalia ad noſtrum finẽ conducẽtia.

1. DEdit Dominus homini media plurima, & admiranda, ad cõſequendum ſuum finem, & proprium munus exequendum. Horum quædam ſunt ſupernaturalia, vt verbum Dei, & multi qui illud verbo & ſcripto proponant: auxilia plurima gratiæ, quæ hominem excitent, & iuuẽt; Sanctorum exempla, quæ ad obſequium Dei prouocent; promiſſa, & minæ, quæ amorem virtutis, & peccati horrorem immittant. Ipſe filius Dei ad hoc venit in mundũ, vt eſſet homini via per cuius imitationem ambularet, veritas à qua diſceret, vita cuius gratia viueret. Angelos etiam ſuos in miniſterium miſit propter eos qui hæreditatem capiũt ſalutis. Dicit ipſe: Quid amplius debui facere vineæ meæ, & non feci?] Ecce, ô homo, talenta tibi ad negotiandum data, quæ ſi otioſa habueris, in ignem æternum mitteris.

Iſa. 5. 4.

Media naturalia ad eumdem finem. Pſ. 104. 44.

2. Alia media ſunt naturalia, vt cœli, elementa, mixta, arbores, animalia, tempus vitæ, ſanitas corporis, diuitiæ, honores, & alia huiuſmodi: quæ omnia noſtræ vitæ ſuſtentandæ gratia laborant. Dedit illis, ſcilicet Iſraëlitis, ait Dauid, regiones gentium, & labores populorum poſſederunt: vt cuſtodiant iuſtificationes eius, & legem eius requirant.] In nos autem ad idem munus requirendi legem plura & maiora contulit, & ſi non requiſierimus, grauiter in nos animaduertet.

Sap. 14. 11.

Creatura in creatoris cognitionem nos ducunt, & noſtris commodis ſeruiunt.

3. Creaturæ quidem Dei in odium factæ ſunt ab ipſis hominibus, qui eis perperam vtuntur, & in tentationem animabus hominum, & in muſcipulam pedibus inſipientium. At Deus eas non in laqueum, ſed in adiumentum fecit. Quamobrem omnes illæ ad cognitionem ſui creatoris me perducunt, & ſe mihi liberaliſſimè tribuunt. Earum etiam quædam me reficiunt, aliæ veſtiunt, aliæ ornant, aliæ recreant, aliæ protegunt, aliæ monent, aliæ terrent, aliæ caſtigant. Breuiter, nulla eſt ipſarum, quæ me aliquo modo ad Dei cognitionem, & amorem, & obſequium non impellat.

Quando creaturis malè vtimur.

Oſea 2. 9.

4. His creaturis ego (vt de aliis hominibus taceam) ſæpiſſimè perperam vſus ſum, vel dum in eis ſenſibus diſtrahor; vel dum immoderato amore ipſis adhæreo: vel dum in malos vſus, vel in bonos malè aſſumo. Dignus ſanè vt Deus me ſuis creaturis ſpoliet, & ſumat frumẽtum ſuum in tempore meo (quo ſcilicet eo vtor) & vinum ſuum, & liberet lanam ſuam, qua meam informitatem operio. Expectat tamen ex immenſo ſuo amore patienter, vt ad ipſum conuerſus his bene vtar.

MEDITATIO VI.

Quàm ſtultum ſit hæc media in propriam perditionem vertere.

Deus cõqueritur de malo creaturarum vſu. Ezech. 16. 17. Ierem. 2. 21.

1. SI res iſtas non ad Dei obſequium, ſed ad diſtortos fines vſurpo, eas in perditionem verto, quibus ad conſequendam gloriam vti debueram. Stupeſco cùm ob hanc iniquitatem de me conqueritur Dominus. Tuliſti, inquit, vaſa decoris tui (creaturas ad decorem animæ tuæ comparandum factas) de auro meo, atque argento meo quæ dedi tibi, & feciſti tibi imagines maſculinas (idola, dum creaturis tamquam fini adhæres) & fornicata es in eis.] Ego te plantaui, ô anima, ſicut vineam electam, omne ſemen verum ac ſarmẽtum optimum donorum meorum per Baptiſmum in te conſeui: quomodo conuerſa es mihi in prauum vinea aliena?]

Inſipientia, creaturas in proprium damnum vertentium, cõparationibus declaratur. Aggæi 1. 6.

2. Sed hoc quàm ſtultum ſit, animaduerte. Nónne ſtultum eſſet ſi quis cõſultò ita ſeminaret, vt nihil meteret; ſi quis ita laboraret, vt nullum fructum ex ſuo labore colligeret. Idipſum facit, qui creaturas non ad finem beatitudinis quærit, quia ea labore ſuo meritum nullum conquirit. Huic & ſimilibus illud conuenit: Seminaſtis multum, & intuliſtis parum: comediſtis, & non eſtis ſatiati: bibiſtis, & non eſtis inebriati: operuiſtis vos, & non eſtis calefacti: & qui mercedes congregauit, miſit eas in ſacculum pertuſum.]

3. Non ſolùm homines rebus creatis abutentes nullum ex eis fructum colligunt, verùm (quæ ſumma inſipientia eſt) & eas in ſuum detrimentum conuertunt. Hoc ideo, quia ſe Deo valde ingratos oſtendunt: & pœnis futuræ vitæ ſe dignos faciunt: & in præſenti mœroribus & triſtitiis conſcientiæ pungunt. Nam creaturæ ancillæ Dei ſimplicibus, & ex recta intentione vtentibus ſe placidæ tribuunt, eos autem qui ipſas ad Dei offenſam aſſumunt, conſcientiæ morſibus quaſi vocibus reprehendunt.

Creaturis abutentes ingrati, digni pœnis inferni, conſcientiæ pungũtur ſtimulis.

4. Res etiam creatas iniuria afficit, qui eas non ad finem conſequendæ beatitudinis dirigit: quia eas ad Dei gloriam creatas vanitati & iniquitati ſeruire facit. Ipſæ autem ſic iniuria affectæ in poſtremo die vindictam de iniquis poſtulabunt. Et lapis de pariete clamabit aduersùm, te ô homo, quia eo te ad peccandum abſcondiſti, & lignum quod inter iuncturas ædificiorum eſt, reſpondebit, & lapidis accuſationi atteſtabitur. Et pugnabit cum Domino orbis terrarum contra inſenſatos. Stultiſſimum eſt autem tot hoſtiũ agmina, quæ in nos inſurgant, ad diem, quo ſummè amicis indigemus, conſeruare.

Creatura ante iudicẽ in ſeipſis abutentes inſurgẽt, vindictã poſtulantes. Habac. 2. 11. Sap. 5. 21.

MEDITATIO VII.

Quomodo ſe habebit homo erga creata.

Vitæ ſpiritualis ædificio apta fundamenta iacienda.

1. PVnctum. Poſtquam hæc ſeriò recogitauero, vitæ ſpiritualis fundamenta mihi iacienda ſunt, talia, quæ molem tam excelſæ turris ſuſtineant. Hæc autem ſunt firmiſſima quædam mentis propoſita, ex quibus tamquam ex lapidibus prægrãdibus hæc fundamenta ſubſiſtent. Horum primum eſt: Si Deus ipſe eſt vltimus finis meus, in quo ſolo poſſum quieſcere, & illi ſeruire & obedire officium meum, cuius exequendi gratia huius vitæ vſuram accepi, Deus mihi in omnibus ardentiſſimè quærendus eſt, & eius obſequium in omnibus meis cogitationibus, deſideriis, verbis & operibus diligentiſſimè procurandum. Nec ſinam me vinci ab iniquis, qui diuitias, aut voluptates, aut alia viliſſima vt finem aucupantur: nec à ſutoribus, & fabris, qui tam ſtrenuè ob temporale lucrum ſua miniſteria exequuntur.

1. Fundamentum Dei in omnibus obſequiũ ardentiſſimè quærere.

2. Si auxilia gratiæ, & ſecundùm meum ſtatum & vocationem virtutis opera, & Sanctorum à Chriſti imitatio efficaciſſima media ſunt ad hunc finem conſequendum, & ad hoc officium præſtandum, his ita inhæream, & ita reliquis omnibus abdicatis inſiſtam, vt & Deum gloriam meam conſequar, & in meo officio ſeruiendi illi perfectus inueniar. Et ex aulicis regis temporalis diſcam, quàm diligenter debeam ſummi Regis obſequium obire,

2. Virtutis opera exercere, Sanctorũ & Chriſti inſiſtendo veſtigiis.

& ad ſummam magnitudinem gloriæ cœleſtis aſpirare.

3. Si temporalia ſunt quoque adipiſcendæ ſalutis, & Deo ſeruiendi media, ſed talis naturæ, vt nunc iuuent, nunc obſtent; & vt in hac menſura conferant, & in illa non parum officiant, hæc eatenus admittam, & quæram, quatenus obſequio Dei ſeruiunt, quòd ſi illi obſtiterint, animosè contemnam. Ea accipiam non aliter quàm cibum, & medicamina, quæ ſi vitæ & incolumitati corporis vtilia ſunt, & in ea menſura, qua vtilia inueniuntur, accipio: ſi verò inutilia, aut etiam noxia, conſtanter reiicio. Ac proinde coram Domino, qui falli non poteſt, omnino indifferens & reſignatus ero. Nec magis eligam diuitias, quàm paupertatem, ſanitatem, quàm ægritudinem, vitam lõgam, quàm breuem, hunc modum viuendi, quàm illum. Sed ſicut qui in multas vias eũdi in ciuitatem incurrit paratus eſt breuiorem ac ſecuriorem eligere, ita & ego paratiſſimus ero ex his omnibus illud eligere, quo Deum meum, & eius obſequium breuiùs ac perfectiùs potero comparare.

4. Stultus ſum, ſi aliquid præter Deum quæro, non minus quàm ille, qui vt in vrbem iret, in profundam foueam præceps ſe deiiceret. Stultus ſum, ſi omni virtuti & ſanctitati non diligenter ſtudeo, non minus quàm ille, qui theſauros profunderet, & quiſquilias colligeret. Stultus ſum ſi parentibus, cõſanguineis, amicis, bonis temporalibus, aut muneribus, aut aliis huiuſmodi immoderatè adhæreo, non minus quàm ille, qui ſponſam pulcherrimam & nobiliſſimam odio haberet, ancillam verò fœtidiſſimam & viliſſimam adamaret. Hæc enim non immoderato amore, ſed (ſi mihi è re ſit) moderato, & in Deum ordinato tenentur, dicente Domino: Iacta cogitatum tuum in Domino, & ipſe ſe enutriet.] Et: Quærite primùm Regnum Dei, & hæc omnia adiicientur vobis.]

5. Quia impotens ſum, ad hæc omnia præſtanda diuinum auxilium implorabo.

3. Eatenus temporalia admittere, quatenus ad Dei obſequiũ conducunt.

Ante Deiũ indifferentes & reſignati eſſe debemus.

Qui ſtulti meritò habendi ſunt.

Pſal. 45. 23. Matth. 6. 33.

4. Diuini implorato fauoris.

De enormitate peccati.

CAP. II.

PERSPECTO fine hominis cuius cauſſa conditus eſt, conſideret homo vias ſuas, & ſeriò recogitet, an in hunc finem ſe contulerit, an potiùs aliò declinauerit. Viæ tuæ, ô homo, opera tua ſunt. His, ſi bona & ſecundùm virtutem ſunt, ad Deum tuum finem accedis: ſi mala, & diuinæ legi contraria, ab eo recedis: & cùm videris multitudinem & grauitatem peccatorum tuorũ, ſuſcipe luctum quaſi ſtruthionum, & planctum velut draconum, quia à Domino Deo tuo, & à ſalute animæ tuæ longiùs aberraſti. Eſto ſicut ille, qui dicebat: Ego vir videns paupertatem meam in virga indignationis eius.] Non eſt alia, quàm illa, quæ ex peccatis prouenit, ſumma pauperies; quam, quia non ſolùm in peccatis ipſis, ſed & in vltione, qua Deus ea caſtigat, vides, in virga indignationis eius agnoſcis. Statue tibi ſpeculam altæ ac profundæ meditationis, qua tuorum peccatorum enormitatem conſideres, pone tibi amaritudines contritionis atque doloris, quibus ea delere contendas, dirige cor tuum in viam rectam innocentiæ, & ſupra omne lutum iniquitatum eleuatam, in qua ab ipſo ingreſſu per

Bonis operibus ad Deũ accedimus, malis verò recedimus. Mich. 1. 8.

Peccata grauiter lugenda. Thren. 3. 1.

Crimina pauperiẽ generãt. Ierem. 31. 21.

A Baptiſmum in Eccleſiam, ambulaſti. Reuertere ô virgo Iſraël, ô anima æternæ ſalutis auida, ad ciuitates tuas iſtas. Vrbes namque tuæ virtutes ſunt, in quibus non egena, & captiua, ſed diues & domina commoraberis. Inſpice multiplices miſerias ac fœditates tuas, & per multos dies in hac meditatione perſiſte, vt per compendium magnæ deteſtationis peccatorum ad viam rectam, qua ad Deum itur, reuertaris. Sequutus es Dauidem errantem, ſequere pœnitentem, atque dicentem: Peccatum meum contra me, id eſt, coram me, eſt ſemper.] Et iterum: Lauabo per ſingulas noctes lectum meum, lacrymis meis ſtratum meum rigabo.] Nec ſolùm lugeas, verùm & cum eximia quadã humilitate tantorum malorum veniam petas. Nam ſi hoc viro iuſto congruit, de quo ſcriptum eſt: Aperiet os ſuum B in oratione, & pro delictis ſuis deprecabitur;] quãto magis nequiſſimo peccatori conueniet. Ad hoc ergo vtiliſſimæ erunt meditationes, quas modò ſubiiciam, ex quarum aſſidua & intenta inſpectione tuam ſtultitiam agnoſces, qui ita Deum offendiſti, & ab eo, qui beatitudo tua eſt, tam inſipienter abſceſſiſti, veram etiam contritionem, & maximum dolorem tuæ anteactæ vitæ concipies, & de cætero firmiſſimè ab omni peccato fugere, & ad vitam ſecundùm legem Dei, & ſecundùm vocationem tuam regredi ſtatues. In hiſque meditationibus, atque in his triſtitiis atque doloribus perdurabis, quoad vſque vel à ſpirituali patre, qui te gubernat, vel ſi hic defuerit, à Deo inſpiratione ſua C dicatur tibi: Amice, aſcende ſuperiùs, & tunc ad altiora meditanda ſecurus aſcendes.

Vrbes animæ virtutes, in quibus domina, & diues.

Pſal. 50 5. Pſal. 6. 8.

Humiliter venia delictorũ petenda. Eccli. 39. 7.

Meditationum vtilitas magna.

Luc. 14. 10.

MEDITATIO I.

De grauitate peccati ex natura eius.

1. PVnctum. Nullus hominum, nec Angelorum, malitiam & grauitatem peccati plenè cognoſcit; ſed ſolus Deus perfectè ſibi notus eam ſuæ bonitati infinitæ aduerſantem intelligit. At, vt poſſumus, eam conſideremus, vt calamitatem noſtram abundantiſſimis lacrymis deflcamus. Peccatum, quod dicitur dictum, vel factum, vel concupitum contra legem Dei; vel præuaricatio legis diuinæ, & cœleſtium inobedientia mandatorum, eſt iniuria Dei regis æterni, & contemtus illius infinitæ bonitatis, & rebellio aduersùs illius iuſtiſſimam voluntatem. Eſt cum ſumma irreuerentia terga vertere Deo, & ad viliſſimã creaturam amore conuerti. Me, inquit, dereliquerũt fontem aquæ viuæ, & foderunt ſibi ciſternas, ciſternas diſſipatas, quæ continere non valent aquas. Eſt contriſtare Spiritum ſanctum Dei, & ab habitaculo mentis ablegare. Eſt ignominia Chriſtum afficere, & ſicut fecit Iudas, ipſum vendere, & pro Barabba commutare.

Peccati malitia ſoli Deo perfectè innotescit.

Quid ſit peccatũ deſcribitur.

2. Peccatum eſt priuatio gratiæ, ablegatio amicitiæ Dei. Eſt mors animæ, quam ſolus Deus poteſt ſuſcitare. Ægritudo infamis, quam ſolus ille poteſt ſanare: ad cuius remedium effuſio ſanguinis filij Dei neceſſaria fuit. Eſt incredibilis fœditas animæ, quæ eam quaſi in brutum conuertit, dum rationem appetitui ſubiicit. Eſt deſtructio bonorum gratiæ, & quaſi nebula & plaga bonorum naturæ. Quare peccator ſignatus fuit in illo homine deſcendente ab Ieruſalem in Iericho, & incidit in latrones, qui etiam deſpoliauerunt eum, & plagis impoſitis abierunt ſemiuiuo relicto.

Peccati, malæ arboris, mala germina, & fructus aperiuntur.

Luc. 10. 30.

3. Peccatum quodlibet mortale innumeras

Peccatũ

conti

continet rationes iniquitatis. Est proditio in Deum admissa, qua homo arcem mentis suæ à Deo tollit, & in potestatem diaboli transfert. Est sacrilegium, quo violatur templum Dei: quia templum Dei estis, & spiritus Dei habitat in vobis. Est apostasia, quia est defectio à mandatis Dei, & transitus ad partes diaboli. Est adulterium, quo anima fidem Deo datam in Baptismo frangit, & creaturis se prosternit. Est furtum: nam homo mancipium Dei ab eius obsequio se subtrahit. Ac tandem quia in Deo reperiuntur omnes rationes bonitatis, & honoris, quæ sunt in creaturis; peccatum vnum continet omnes fœditates, adeò vt qui offendit in vno, factus sit omnium reus.

est proditio, sacrilegiū, apostasia, adulterium, & furtum. 1. Cor. 3. 16.

Sicut in Deo omnis bonitas ita in quolibet peccato omnis iniquitas cōtinetur. Iac. 2. 10. Peccatū omnia mala pœna vtriusque vitæ superat. Eccl. 28. 25. Discrimen inter mala pœnæ & culpæ. Amos 3. 6. Isaiæ 33. 4. Dan. 13. 22. Peccatū, quatenus priuat infinito bono, quodammodo infinitum est malū. Psal. 49. 21.

4. Peccatum in immensum est maius malum quàm omnia mala pœnæ huius vitæ & futuræ. Quare de quodam peccato, scilicet de peruersa loquela dicitur: Mors illius mors nequissima, & vtilis potius infernus quàm illa.] Hoc autem manifestum est: quoniam mala pœnæ priuant bonis finitis, vt vita, salute; peccatum verò bono infinito, scilicet Deo. Illa à Deo fiunt, & non est malum in ciuitate, quod non fecerit Dominus: hoc autem impossibile est quòd à Deo fiat. Illa à Deo mittuntur ad medicamentum, vel ad pœnam non æqualem istius. Illa tandem assumta sunt à Christo, quia languores nostros ipse tulit; hoc verò non potuit assumi. Sapienter ergo illa dixit, & dicam ego cum illa: Melius est mihi incidere in manus hominum, quàm peccare in conspectu Domini.]

5. Breuiter, peccatum est malum certa ratione infinitum, quoniam est priuatio boni infiniti, nempe Dei. Vnde neque omnes creaturæ, ô homo, nec ipsemet Deus potest in te tantum malum conferre, quantum tu tibi facis. Quoniam Deus, & omnia creata solùm possunt tibi inferre mala pœnæ, & tu solus potes te in culpam coniicere. Dicit autem Dominus: Hęc fecisti, & tacui: arguam te & statuam ante faciem tuam.]

MEDITATIO II.

De grauitate peccati ex caussa eius, quæ est homo.

1. PVnctum. Quisnam tam immane flagitium admisit? Ego. Quis ego sum? Homo: & vtraque pars mei ex qua constituor me ad inconsolabilem dolorem instigat. Corpus meum factum est non ex cœlo, non ex aliqua stella splendida, non ex igne lucidissimo, sed ex terra infimo elemento; & ideo audio: Quid superbit terra & cinis, vt meã extremam vilitatem intuear. Nam terra per se aliquid valet, saltem vt ex ea paries fiat, & cinis per se aliquid efficit, quia calidissimæ aquæ iniectus sordes pannorum eluit, at terræ mixtus est prorsus inutilis, & terram ipsam reddit inutilem. Est autem corpus immunditiæ plenum, atque fœtoris, & erit in sepulchro horror hominum, & cibus vermium. Quid ergo nequius, quàm quòd caro fœtidissima ausa sit aduersùs spiritum purissimum ac sanctissimum rebellare? Anima verò facta est ex nihilo, & si tantisper desereretur, rediret in nihilum: & quid enormius quàm quod nihilum contemnat, & ad iram prouocet ipsum esse à quo omnino pendet.

Peccati grauitas ex anima & corporis vilitate dignoscitur. Eccli. 10. 9. Terra nostri corporis inutilis.

Anima ex nihilo facta, in nihilum verteretur opifice deserente. Beneficia parere Deo nos cogunt.

2. Quis peccauit? Ego tam innumeris beneficiis ad seruiendum & obediendum constrictus, & ad diligendum obligatus. Peccaui in Deum; filius rebellis in optimum patrem; seruus infidelis in fidelissimum Dominum, vilis creatura in vniuersorum conditorem. Ei diligentissimè seruiunt, & perfectissime obediunt magnates curiæ cœlestis, Angeli, & Sancti, & tu vilis homuncio illum ad iram prouocas, & (quod ad te attinet) eius gloriã & maiestatem extenuas. Numquid parua est fornicatio tua? Numquid modicum crimen tuum.

Ezech. 16. 21. Psal. 50. 7.

3. Quis etiam peccauit? Ego in iniquitatibus conceptus, in peccatis natus, vitiorum plenus, ad omnia mala propensus. Quia nullum flagitium commisit vmquam homo, quod perpetrare non possit alter homo. Ego abyssus ignorantiæ, fons prauæ concupiscentiæ, vas malitiæ, libero arbitrio infirmus, periculis multis circumdatus. Et talis in animum induxi fontem bonitatis offendere, à quo solo possum à meis malis liberari.

Hominis misera conditio, imbecillitas, ignorantia.

4. Quis tandem peccauit? Ego. Et quantus ego sum ad cœtum omnium hominum comparatus, in quo tot sunt sapientes, tot potentes, tot nobiles? Propè nihil. Deinde, quid ero, si cum nouem ordinibus Angelorum, & cum agminibus cunctorum Sanctorum me conferam? Nihil. Postea quid ero, si ad vniuersum orbem & omnia creata tum visibilia, tum inuisibilia, & ad omnia, quę creari possunt, me comparem? Si dici potest, minus quàm nihil. Sed vniuersa hæc cum Deo collata nihil omnino sunt, & quasi stilla situlæ, & vt momentum stateræ coram eo. Ego igitur quàm nihil ero? Et tam vilis, & nullius momenti tantam maiestatem offendi, quídni meam stultitiam detester, quídni doleam, quídni gehennam pertimescam.

Homo aliis rebus comparatus minor nihilo appareret.

Isa. 40. 15.

MEDITATIO III.

De grauitate peccati, à persona, in quam peccatur, qui est Deus.

1. PVnctum. In quem autem peccaui? In Dominum Deum meum, vnde peccatũ est offensa Dei; offensa verò eo grauior est, quo persona iniuria affecta est dignior, & persona offendẽs est vilior. Quare multo maiori pœna dignum est vulnus illatum Regi, quàm duci, aut illatũ duci, quàm equiti, aut ciui. At Deus infinitæ est maiestatis, & ego homo extremæ vilitatis. Qualis ergo, & quanta erit offensa, qua illum irritaui?

Peccati grauitas ex offensa personæ dignitate, & vilitate offendentis venatur.

Qualis sit peccãtis iniuria Deus affectus.

2. Peccaui in eum, qui in se consideratus est summè sapiens, quem nullum meum peccatum potest latere: qui est summè bonus, cui nulla iniquitas potest placere: qui est infinitè potens, à quo nullus peccator potest fugere. Qui est omnium perfectionum cumulus, omnis pulchritudinis plenus, & omni amore dignissimus. Et hunc creatorem, & Dominum, & Patrem meum odio habui.

3. Peccaui in eum, qui ad me relatus est mihi omne bonum. Ille namque ex nihilo me creauit, hucusque suis manibus conseruauit, sanguine vnigeniti filij sui me redemit, ad gremium Ecclesiæ vocauit, ad vitam spiritualem adduxit, multis quotidie bonis me cumulat, & innumeris malis eripit, & tanta mea flagitia hucusque sustinuit, & paratus est me vt benignus Pater excipere. Ille semper est mihi bonus, ego illi semper ingratus, & malus. Quid faciam? Detestabor peccata mea, & reuertar ad Patrem meum, & dicam ei: Pater peccaui in cœlum & coram te: non sum dignus vocari filius tuus, fac me sicut vnum de mercenariis tuis.

Offensi numinis in nos beneficia collata.

Luc. 15. 19.

4. Peccaui in eum cui Angeli seruiunt, cui omnes creaturæ etiam insensibiles obediunt, cui omnia libentissimè se subiiciunt. Solus diabolus & peccator iugum suaue, & onus leue huius debitæ

Deo omnia etiã insensibilia famulãtur.

ſubiectionis excutit. Ego autem à cœtu Angelorum & creaturarum obedientium diſceſſi,& ad aciem diaboli & perduellionum tranſiui, & forſitan ſignifer fui,dum alios ad peccata prouocaui.

5. Si in tantum ac talem Dominum omnium rerum inſurrexi, quàm dignus ſum vt in me orbis terrarum inſurgat. Certè meritum meum eſt, vt terra me obruat, aqua me ſuffocet, aër beneficium ſpirationis neget, ignis me conſumat, cœli in me indignationis tela contorqueant,& Angeli dæmonibus tradant,& in infernum detrudant. Certè dignus ſum, vt cùm per plateas & compita ambulo, omnes me vt ſtultum irrideant,& in me lapides & lutum iaciant,& iniuriis ac ſannis imbuant.

Quale ſit peccatoris meritum.

MEDITATIO IV.

De grauitate peccati ex pœnis, quibus Deus illud punit.

1. PVnctum. Sed quàm implacabili odio Deus proſequatur peccatum, non poſſumus videre in ipſo Domino, cuius faciem non intuemur,in cuius cor non penetramus, at poſſumus facile ex pœnis colligere ad puniendum peccatis illatis. Angeli ob vnum peccatum ſuperbiæ,quo bona ſua ſine dependentia à Deo habere appetiuerunt, à cœlo expulſi,& in æternas pœnas inferni detruſi ſunt. Ego autem multa peccata commiſi cogitationis, loquutionis, & operis,& non ſola ſuperbia, ſed omnibus vitiis me fœdaui,quomodo puniar ſi inemendatus inueniar? Vas aureum ob vnam guttam veneni in eo iniectam ex menſa cœlorum à Deo deturbatum eſt; & vas teſteum plenum veneni in illa menſa collocabitur, & non magis in gehennam mittetur? Satan vnius peccati pondere preſſus vt fulgor de cœlo cecidit, & ego innumeris peccatis oneratus illuc aſcendam? Tantorum donorum,quibus Deus Luciferũ ditauerat (omnis enim lapis pretioſus operimentum eius) nullam rationem habuit, & me omnis boni indigum peccatis infectum à caſu in damnationem eripiet?

Peccati grauitatem pœna illi debita ſatis declarant.

Angelorum peccatũ ſuperbia.

Angeli vaſa aurea, homines teſtea. Luc.10. 18. Ezech. 28.15.

2. Primus parens Adam Rex totius orbis conſtitutus, in gratia & iuſtitia originali creatus, & caput vniuerſorum hominum effectus ob vnum inobedientiæ peccatum è Paradiſo exul eiicitur, & poſt veriſſimam & maximam deteſtationẽ peccati nongentorum annorum pœnitentia mulctatur, quid ego ſpero infimus hominum, & nec dignus vocari extremus pedis digitulus, numquid poſt tot patratas inobedientias immunis abibo? Illius delictum omnium filiorum eius pœna & miſeriis punitum eſt,& tot miſeriarum ac calamitatum,quas patimur,in illum atque in nos animaduerſum. Quæ igitur pœnæ ac miſeriæ erunt mihi ob tanta & tam grauia crimina præparatæ,ſi ea dignis pœnitentiæ fructibus non deleuero, & vitæ mutatione non emendauero.

Adamus ob vnum peccatũ è Paradiſo eiectus longa pœnitentia multatur.

Adami culpa omniũ malorum origo.

3. Tempore Noë Deus vniuerſam terram ob peccata hominum generali diluuio ſubmerſit, & totum genus humanum, exceptis pauciſſimis in arca ſeruatis, ſupplicio mortis addixit. Et tactus dolore cordis intrinſecus: Delebo, inquit, hominem quem creaui à facie terræ, ab homine vſque ad animantia:pœnitet enim me feciſſe eos.] Poſtea Sodomam & Gomorrham, & finitimas ciuitates ob peccata terribili igne conſumſit.Sic alias res publicas florẽtiſſimas peccatorum cauſſa diris calamitatibus afflixit,aut omnino deleuit.Quid cum vno peccatore faciet, nullius valoris, & pretij, ſi integra regna, ne peccata impunita manerent, miſerè profligauit?

Peccatorum pœna diluuium.

Gen.6.7.

Gen.19. 24.

4. His omnibus peccatum debitas pœnas non luit. Nam Deus vt ſibi pro eo ſatisfieret, vnigenitum filium ſuum miſit in mundum, vt fideiuſſor peccatorum factus meritis infinitis, & acerbiſſima paſſione & morte ſua debita noſtrarum iniquitatum exolueret.Filius regis pro delicto mancipij viliſſimi ad patibulum ducitur:ſeruus ipſe, ſi non reſipiſcat,quomodo punietur? O homo inſpice principem tuum ſpinis coronatum, felle & aceto potatum,toto corpore flagellatum,manibus & pedibus perforatum:cruci affixum, & morti ſubiectum. Et dic:Si in viridi ligno hæc fiunt,in arido quid fiet?] Ipſe Dominus tuus ita peccatum auerſatus eſt, vt pro eo delendo, ſicut alter Samſon ad delendos hoſtes ſuos vitam profuderit. Maius ergo fuit in eo odium peccati alieni,quàm amor propriæ vitæ, vt ego diſcam ſupra ſalutem & vitam peccata deteſtari.

Chriſtus fideiuſſor ſuis meritis noſtrorum ſcelerum debita exoluit.

Luc.23. 31.

Peccata ſupra omnia deteſtanda.

5. Tandem, quot hominum millia ob pauciora & minora peccata,quàm mea,Deus in inferno caſtigat? Mecum autem adhuc diſſimulat, me adhuc ſuſtinet,me ad ſe vocat,ad ſuam amicitiam inuitat; ſi damnatus ex inferno ad hanc vitam reuocaretur, quàm verè reſipiſceret, quàm feruenter pœnitentiam ageret, quàm alacriter vel modicum tempus ad vitam perfectam arripiendam, acciperet. Et ego ab inferno extractus ſum, quia non minori miſericordia ab inferno ſeruatus. Quia reuera, Domine, miſericordia tua magna eſt ſuper me:& eruiſti animam meam ex inferno inferiori.

Deus peccatores ſuſtinet, & ad ſe vocat.

Pſal.85. 13.

MEDITATIO V.

De grauitate peccati, à bonis, quibus peccatorem ſpoliat.

1. PVnctum. Expende nunc, ô infœlix peccator, quàm magnis & pretioſis bonis te tua iniquitas ſpoliauerit, vt vel ex hoc diſcas illam lacrymis ac gemitibus ablegare. Per peccatum amiſiſti gratiam vniuerſo orbe pretioſiorem:quare miſerior & pauperior factus es, quàm ſi Rex totius mundi conſtitutus eius dominium perdidiſſes, & vt Iob in ſterquilinio vlceribus plenus, nudus, & ab omnibus contemtus remanſiſſes. Amiſiſti amicitiam Dei,& conuerſus es in hoſtem ac inimicum eius. Vide quanti valoris ſit amicitia regis terreni, vt aſcendas ad cognoſcendum valorem amicitiæ Regis cœleſtis. Amiſiſti nomen & dignitatem filij Dei, ſpecialem prouidentiam, quam iuſtorum habet,& ſpecialiora auxilia,quæ in illos confert.

Peccati grauitas ex bonis amiſſis deprenditur.

Peccatũ gratiam, Dei amicitiã, & filij nomẽ adimit.

2. Perdidiſti (excepta fide, & ſpe) omnes virtutes infuſas, quæ ſunt vires animæ ad bene operandum: & quaſi gemmæ pulcherrimæ, quæ illam exornant. Inſuper & dona ac fructus Spiritus ſancti. Horum autem quodlibet maius bonum eſt quàm vniuerſa bona naturæ.

Peccatũ animam virtutibus, Spiritus ſancti donis & fructibus priuat.

3. Perdidiſti fructum bonorum operum, & omnes virtutis actiones & labores mortificaſti, ita vt niſi ad Deum redeas per pœnitentiam, nihil omnino ad promerendam gloriam conducant. Inſuper & ſpecialem quamdam participationem operum vitæque iuſtorum, atque indignum te meritis Chriſti feciſti.

Adimit bonorum operum fructum.

4. Perdidiſti pacem interiorem, ſerenitatem conſcientiæ, & lætitiam veram. Ac tandem amiſiſti Deum, vnde & omni bono orbatus es. Longè enim eſt Dominus ab impiis.] Et peccata mea di-

Tollit cordis lætitiã, mentis tranquillitatem. Prou.15. 29.

uiserunt inter me, & vos. Ille qui idolum amiserat, inconsolabiliter eiulabat, atque dicebat: Deos meos, quos mihi feci, tulistis, & dicitis: Quid tibi est?] Tu autem verum Deum amisisti, & te omnibus bonis extorrem fecisti, & non eiulabis?

Iudic. 18. 24.

MEDITATIO VI.

De grauitate peccati, ex multiplicibus malis quæ infert.

1. PVnctum. Non solùm peccatum omnibus bonis peccatorem priuat, verùm & omnia mala secum importat. Malum infamiæ est filium esse hominis nequissimi ac vilissimi, aut sponte ipsi famulari. Sed peccator filius constituitur diaboli, non quidem generatione, sed morum imitatione. Quare peccatores audiunt: Vos ex patre diabolo estis, & desideria patris vestri vultis facere.] Est etiam libera voluntate sua mancipium peccati. Nam qui facit peccatum, seruus est peccati, venundatus vt faciat malum. Si autem peccatum malum est infinitum, qualis eris tu, ô inique peccator, qui tanto malo sponte subes: cùm seruus non sit maior domino suo.

Omnia mala secum peccatū importat, quæ illius grauitatem aperiunt. Ioan. 8. 44. Ioan. 8. 34.

2. Malum est domui, si in potestatem alicuius perduellionis veniat. Sed peccatum te infœlicem ac miserum diaboli habitaculum facit. Quòd si in vna domo aut cubiculo cum illo habitare metueres, quare mansionem illius fieri non extimescis. Peccatum te turpissimum ac deformissimum facit: nam si Luciferum & satellites eius à pulchritudine deturbauit, cur te non deiiciet? Insuper peccatum tibi mortem animæ affert, quo nec tuam miseriam vides, nec Dei vocem audis, nec fœtorem iniquitatis, nec amaritudinem sentis, nec plagas à Deo illatas aduertis, dissipatúsque es, nec compunctus. Secundùm præsentem iustitiam damnatus es ad æterna supplicia, à quibus nisi per Dei gratiam & veram peccati detestationem ab eo datam non poteris liberari. Hanc igitur toto mentis conatu postulabis.

Varij ac miseri peccatorum effectus.

3. Peccatum etiam mala temporalia infert. Paupertatem: nam peccatum spoliauit Ægyptios diuitiis suis, & Chananæos terra sua. Infamiam: nam peccatum Heli & filios eius priuauit honore. Et qui contemnunt me, inquit, erunt ignobiles.] Seruitutem: nam Saulem & Nabuchodonosor spoliauit regno. Tollit peccatum corporis sanitatem, vt videre est in Philisthæis: lætitiam, vt in Antiocho: vitam, vt in Ægyptiis. Pestes, fames, bella, terræmotus, & alias calamitates, quis nisi peccatum importauit? Si de aliquo istorum malorum pœnæ ita doles, cur de origine omnium illorum malo culpæ non doles? Scito & vide, quia malum & amarum est, reliquisse te Dominum Deum tuũ, & non esse timorem mei apud te, dicit Dominus Deus exercituum.

Plurima temporalia mala parit peccatum. 1. Reg. 2. 30.

Ierem. 2. 19.

MEDITATIO VII.

De grauitate peccati, ab his, quæ illi insunt.

1. PVnctum. Ex singulis, quæ insunt peccato, quæ circumstantiæ dicuntur, eius malitia amplius perspicitur. Nam quis peccauit? Ego baptismali gratia ablutus, seruus Christi Iesu, & filius Dei constitutus, tot beneficiis & donis instructus, tot auxiliis & exemplis ad non peccandum roboratus. Ego qui Saluatoris mei militiæ nomen dederam, hosti Dei peccato manus dedi, ego qui tot titulis creationis, & conseruationis, & redemtionis Dei sum, ad diaboli partes transiui.

Ex circumstantiis malitia peccati cognoscitur.

2. Quid peccando feci? Animam meam interemi, Angelos & vniuersas creaturas iniuria affeci, Deum aduersùm me irritaui, dæmones & infernum lætificaui, & meipsum innumeris malis impleui. Nec enim semel aut bis, sed plus quàm millies à me peccatum commissum est. Comprehenderunt me mala, quorum non est numerus: comprehenderunt me iniquitates meæ. Multiplicatæ sunt super capillos capitis mei. Non tam mare scatet piscibus, quàm ego peccatis cogitationis, verborum, & operis, contra mandata Dei. Si autem tot sunt quæ cognosco, quot erunt, quæ ignoro, quorum oblitus sum? quæ ob suam subtilitatem me latent? quæ cùm aliena sint, mihi tamen imputantur, quia ipsa non prohibui, cùm tamen possem & deberem.

In quot mala peccator incurrat. Psal. 39. 13.

3. Vbi peccaui? In Ecclesia, quæ est domus ipsius, quem meis peccatis iniuria affeci? De quo ipse conqueritur: Quid est, quòd dilectus meus in domo mea fecit scelera multa?] In ea quæ dicitur sancta & immaculata, & ego eam, quoad partem aliquam, nimirum quoad meipsum, qui pars sum Ecclesiæ, meis fœditatibus pollui & maculaui. In conspectu & ante oculos patris & iudicis mei, & non semel in conspectu hominum, quos meis malis exemplis ad peccatum traxi.

Domus Dei Ecclesia. Ierem. 11. 15.

Exempla peccantis ad peccãdum hortantur.

4. Quibus auxiliis peccaui? Eisdem viribus, & donis, quæ ab ipso Deo, ad ei seruiendum accepi, cum concursu eius, quo me ad opera naturæ meæ consona semper adiuuit. Omnia bona eius arma iniquitatis feci, & in Dominum meum quasi tela retorsi, sicut si ancilla in sponsam regis admissa gemmas ab ipso dono acceptas riuali tribueret.

5. Cur peccaui? Ob res vilissimas, ob sæculi honorem, aut vile lucrum, & obscœnam voluptatem. Et violabant me, inquit ad populum meum, propter pugillum hordei, & fragmen panis.] Qui autem ex duobus vnum eligit, hoc maius bonum censet, & alteri præfert. Hæc igitur abiectissima Deo prætuli, & secundùm affectum maiora bona esse dixi. Verè Chanaan, in manu eis statera dolosa, calumniam dilexit.

Causſa peccandi. Ezech. 13. 19.

Osea 12. 7.

6. Quomodo peccaui? Sine metu, sine horrore peccati, dicens in corde meo: Peccaui, & quid mihi accidit triste? Non solùm ex ignorantia, aut ex passione, sed ex malitia quoque. Fuíque ex illis, qui bibunt vt aquam iniquitatem.

Modus peccandi. Eccli. 5. 4.

7. Quando peccaui? Quo tempore à Domino conseruabar, & ab eo dona sine numero recipiebam, & ei seruire ac obedire tenebar. Si ab alicuius manu extenui filo penderem, & si me dimitteret, in immane præcipitium inciderem, numquid illum contumelia prosequi auderem? Quomodo ergo ausus sum Dominum, à quo multo magis pendeo, ad indignationem prouocare?

Tempus peccandi.

De vanitate sæculi.

CAP. III.

MVNDVS in hac doctrina spiritus non pro orbe bono & pulchro quem Deus condidit, sed pro mundanis hominibus sumitur, & sæculum non pro aliqua duratione rerum, sed pro sæcularibus negotiis & rebus, quas prophani diligunt, vsurpatur. Mundus, ait

Mũdi & sæculi acceptiones.

Ioannes de Christo loquens, cum non cognouit.] Et Paulus: Non est nobis colluctatio aduersùs carnẽ & sanguinem, sed aduersùs principes & potestates, aduersùs mundi rectores.] Quem locum tractans Augustinus: Ne fortè, inquit, cùm dixisset, mundi, intelligeres dæmones esse rectores cœli & terræ, mundi dixit, tenebrarum harum; mũdi dixit, amatorum mundi; mundi dixit, impiorum & iniquorum. De sæculo autem, ait idem Paulus, Christum traditum esse pro nobis, vt nos eriperet de præsenti sæculo nequam. Quod dicitur nequam propter peccata malorum, & propter sæcularia, & prophana, quæ nos ad peccatum trahunt: sicut dicitur mala domus, quæ impuris est oppleta habitatoribus. Et alio loco: Nolite conformari huic sæculo, sed reformamini in nouitate sensus vestri.] Quia videlicet huius sæculi figura, vt Chrysostomus scribit, humi depressa est, vilis, temporalis, nihil habens sublime, nihil stabile, nihil recti, sed omnia peruersa.] Quia verò omnia peccata, quæ fecimus, propter amorem huius mundi, & desiderium aut possessionem rerum sæcularium admissa sunt, interest maximè faciem huius mundi cognoscere, & vilitatẽ eius inspicere, tum vt doleamus, nos propter tam vilia & misera deseruisse Deum, tum vt de cætero illa despiciamus, ac propter hæc absurda & nullius valoris peccatorum sordibus non inquinemur. Et quidem qui attentè perspexerit hæc mundana & sæcularia quàm breuia sunt & exigua, quàm fallacia & amara, quàm fragilia, quàm denique miseriis referta, atque periculis, non poterit non erubescere, quòd propter talia Deum summum bonum perdiderit, & animum Dei capacem ad tam despicabilia amore conuerterit. Nunc ergo post meditationem enormitatis peccatorum, incommoda rerum sæcularium consideranda sunt, vt hæc meditatio dolorem ac detestationem nostrorum peccatorum augeat, & nos ad despicientiam mundi prouocet, quem si ex corde non despiciamus, absque dubio in via spiritus parum aut nihil progrediemur.

Ioan. 1. 10. Ephes. 6. 12.

Aug. ad Psal. 54.

Gal. 1. 4.

Rom. 12. 2.

Chrysost. hom. 20. ad Rom.

Mundana & sæcularia, breuia, fallacia, & periculis plena.

Reriũ sæculariũ meditatio dolorem ingerit peccatorum, & mũdi contemtum.

Meditatio I.

De breuitate rerum sæculi.

Qua res sæculi dicantur.

1. PVnctum. Res sæculi dicũtur diuitiæ, dignitates, honores, voluptates, & alia commoda cuiuscumque status sæcularis aut clericalis, aut religiosi, quæ homines specie hac externa mundi decepti solent quærere atque diligere. Hæc autem omnia ô bone Deus, quàm breuia sunt! Enimuero non possunt esse vita hominis longiora. Sed hæc quàm breuis sit, accipe. Quæ est vita vestra? Vapor est ad modicum parens, & deinceps exterminabitur. Memento, quia ventus est vita mea.] Nihil velocius quàm ventus fugit, nihil citius quàm vapor euanescit, & nihil breuius quàm hominis vita pertranſit. Breues namque dies hominis sunt, ô Domine, & numerus mensium eius apud te est, non autem apud me; vt dum vitæ meæ mensuram ignoro, amare, quæ hodie fortassis non sunt duratura, erubescam.

Bona huius mundi breuissima metiuntur vita. Iacobi 4. 14. Iob 7. 7. Vita nostra vapori cõparatur & vento. Iob 14. 5.

2. Sunt hæc omnia sæcularia, quæ mundani diligunt, breuissima adhuc vita breuiora. Esto enim quòd ab initio vitæ alicuius vsque ad eius mortem durent, & quòd ille nascatur rex potentissimus, & rex quoque moriatur. Quantum est hoc? Certè vsque ad vsum rationis iste non regnat, & licèt dicatur Dominus omnium, nihil differt à seruo. Similiter cùm dormit & stertit, non magis potitur regno suo, quàm si illo omnino careret. Demas etiam illud spatium temporis necesse est, quando superuacuis rebus distractus nec regni meminit, neque aliquid dignum animo regis efficit. Supputa nunc quantum temporis imperio supersit, & videbis quàm verum sit, quòd gaudium hypocritæ est instar puncti. Si autem bona totius vitæ tam breuia sunt, qualia erunt illa, quæ post multos annos & labores comparantur, & exacto breui tempore auferuntur? Profectò nullius valoris est domus infirmo fundamento subnixa, & imago cerea calori Solis expositа, & flos fœni licèt pulchra, qui solo noctis aduentu fit marcida. Quàm ergo contemtibília sunt sæcularia, quæ in fragili vita fundantur, & in ipso suo ortu finem respiciunt?

Sæcularia sæculi bona exigua sunt.

3. In hac autem rerum mundanarum breuitate illis omnino credendum est, qui eas & dilexerunt & possederunt. Dicite vos, ô impij, quid de huiuscemodi bonis sentiatis? Transierunt omnia illa tamquam vmbra? Quid inanius? & tamquam nuntius præcurrens. Quid agilius? & tamquam nauis, quæ pertranſit fluctuantem aquam. Quid velocius? Vide celeres volatus auium, & citissimum sagittæ cursum in locum aliquem destinatum emissæ, & inuenies hæc non solùm breuissimè euanescere, verùm & post transitum haudquaquam sui vestigium derelinquere. Sic & temporalia breuissimè discedunt, & post transitum nihil aliud nisi tristitiæ & conscientiæ morsum relinquunt.

Sæcularia nihili habenda, quæ vix orta occasũ aspiciunt. Testimonium impiorũ de rebus mũdanis. Sap. 5. 9. Præterierunt vt vmbra, nuntius, nauis, volucris, sagitta.

4. Sed hæc omnia quæ per se breuia sunt, multo videbuntur breuiora, si cum æternitate comparentur. Omne tempus ab initio mundi vsque ad finem eius, si cum æternitate conferatur, est instar puncti. Quoniam mille anni ante oculos tuos tamquam dies hesterna, quæ præteriit: & custodia in nocte, quę pro nihilo habentur, eorum anni erunt.] Non diei hodiernæ, sed hesternæ, cuius nulla pars superfuit, & vigiliæ noctis, quæ tribus horis constat, & ipsi nihilo ætates hominum similes esse dicuntur. Et omnis gloria hominis velut somnium aduolans non inuenietur, & transiet sicut visio nocturna.] Quàm ergo miserum fuit pro his Deum perdidisse? quàm stultum in illis amore collocasse, & bonorum æternorum possessionem abiecisse?

Temporalia nullum sui vestigiũ relinquunt. Bona sæculi æternitati cõposita, quã breuissima. Psal. 89. 4. Iob 20. 8. Miserum pro terrenis cœlestium iacturam facere.

Meditatio II.

De exiguitate rerum sæculi.

Sæculi bona perexigua, & contẽtu dignissima.

1 PVnctum. Vniuersa mundi bona exigua sunt, digna quidem, quæ contemtui habeantur. Quæ princeps alicuius reipublicæ hostibus suis facile concedit, nullius valoris, ac nullius vtilitatis æstimat. Deus autem bona temporalia tribuit hominibus impiis hostibus suis; ergo nullius pretij sunt apud eum. Vide tu, qui hactenus clauum regni tenuerint, qui opes & thesauros possederint, qui voluptatibus se ingurgitauerint, & hæc talibus data contemnes?

Deus talia bona malis hominibus impertitur.

2. Nullum istorum bonorum, nec omnia simul cor hominis satiant, nec implent. Quàm autem parua sunt, quæ cor exiguum implere non possunt. Non satiatur oculus visu, id est, rebus omnibus visibilibus, sed visis quibusdam alia videre appetit, & priora visa fastidit: nec auris (quod plus est) auditu impletur, & licèt illi omnia possibilia narres, numquam eius capacitatem implebis. O quàm modica sunt, quæ exiguam oculi pupillam non saturant,

Illa etsi in vnum congesta humanũ cor minimè satiant. Eccl. 1. 8.

Non auribus satisfaciũt

nec oculi implent pupillã.

turant, nec auribus ſatisfaciunt, quanto minus animum Dei capacem ſatiabunt. Quid quæris & diligis ea, quibus adeptis, adhuc vacuus & inquietus remanebis?

Bona tẽporalia non faciunt nos bonos. Malos habent effectus.

3. Diuitiæ ſunt quæ diuitem faciunt, poteſtas quæ potentem: bona ergo quæ faciunt bonum. Hæc autem temporalia bonum te non faciunt. Igitur nec ſunt bona. Non itaque extenuámus ea, dum parua bona dicimus, quæ reuera bona non ſunt. Hæc ſæpe bonos homines à ſanctitate deturbarunt, & malos fecerunt. Hæc malos in nequitia quaſi in carcere ligant, ne ab ea ſe expediant, immo & frequenter nequiores faciunt. Excute mala, excute hæc parua bona, quæ veriſſimorum bonorum aſſequutionem impediunt.

Terra punctum reſpectu cœli: eius bona puncti puncta.

4. Vniuerſa terra ad cœlum comparata, Mathematicis conſtanter aſſerentibus, punctum eſt. In hoc puncto nauigamus, belligeramus, regnamus; pro aliquo puncto huius puncti poſſidendo (ſi ita dici aut cogitari poteſt) mille angores ſuſtinemus. Si nec punctum puncti eſt quicquid tu diuitiarum, aut dignitatum, aut commodorum habere poteris, cur prò tam exigua re laborare non negligis?

MEDITATIO III.

De fallacia rerum ſæculi.

Sæcularia dolis & fraudibus ſcatent.

1. PVnctum. Quamvis bona ſæculi huius eſſent breuia & exigua, aliquo fortaſſis amore digna reputarentur, ſi eſſent vera. At omnia fraudis & doli plena ſunt, & præſtigiis ſuis miſeros peccatores demẽtant. Attentè illa conſidera, & intelliges quia ſunt exteriùs aurea, interiùs lutea. Similia ſunt ſterquiliniis niue tectis, & ſepulchris dealbatis putredine & oſſibus mortuorum plenis. Sunt inſtar hypocritæ, quia aliud apparent, & aliud ſunt.

Diuitiæ pauperiatẽ augent. Eccl. 5. 10. 9.

2. Fallaces ſunt diuitiæ, quæ à Domino ſpinis comparatæ ſunt, quæ non explent, ſed penuriam augent. Vbi enim multæ ſunt opes, multi & qui comedunt eas.] Et: Auarus non implebitur pecunia; & qui amat diuitias, fructũ non capiet ex eis.] Fallaces ſunt dignitates ſicut baculi arundinei, exteriùs nitidæ, interiùs vacuæ, videntur ornamenta, & ſunt onera grauia, quæ potentes vitiis nõ liberant, & multas ſecũ curas, quibus illi perpetuò ſeruiunt, important. Fallaces ſunt honores & fama ac gloria apud homines; quæ ſæpè putantur haberi, & non habentur, & ex minima quaque occaſione pereunt. Fallaces denique voluptates, torſionibus & amaritudinibus conſcientię miſtæ, & veluti ſi mel lingeremus ex ſpinis, ſic ex ſcrupulis conſcientiæ ſenſu collectæ.

Quæ ſit dignitatum fallacia.

Fallaces honores & voluptates.

Amicus fidelis rara auis. Prou. 20. 6.

3. Vnum eſſet huius fraudis detegendæ remedium, ſi aliquem haberemus, qui hanc nobis veritatem demonſtraret. At quàm rara auis in terris amicus fidelis, qui conſilio ſuo hanc laruam mundi auferat? Virum enim fidelem quis inueniet?] Quàm multi ſunt amici ſecundùm tempus, intellige proſperitatis, & non permanebunt in tempore tribulationis! Quàm multi, qui carnaliter diligãt, & bona temporalia etiam cum detrimento ſalutis æternæ à nobis haberi curent! Quàm multi, qui cùm ſibimetipſis mali ſunt, & ſeipſos odio habeãt, eo ipſo quòd iniquitatem amant, nobis boni atque amici eſſe non poſſunt! Viuis ergo, ô homo, in ſæculo inter laqueos auro, & ſerico, & melle contectos, & inter illos, qui licèt periculum videant, illud reuelare nolunt. Quàm tutum erit iſta deſpicere, & veritatẽ in vera virtute collocatam amare.

Eccli. 6.

Mũdani inter laqueos degunt.

MEDITATIO IV.

De amaritudine rerum ſæculi.

Sæcularia felle permixta. Prou. 13. 12.

1. PVnctum. Bona hæc ſæculi antequam habeantur amara ſunt appetenti ea. Nam memoria boni tardantis contriſtat, deſiderium rei abſentis diſcruciat, ſecundùm illud: Spes quæ differtur, affligit animam, vel vt eſt in Hebræo, infirmitas eſt cordis: & ira in illum, qui aduentui boni impedimentum præſtat, excitata conturbat. Eſt cor deſiderantis hæc bona, tamquã mare feruens, quod tranquillari non poteſt. Ventis deſideriorum ita agitatur, vt ſæpe illum pœniteat, deſiderare cœpiſſe, & prænſationi animum applicaſſe.

Cor mũdani irrequietum, & æſtuoſũ mare.

2. Similiter bona hæc amara ſunt poſſidenti ea, quia multo minora inueniuntur, quàm expectabantur: quia contra ſpem animam priùs deſiderantem non ſatiant, & (quod miſerrimum eſt) poſt paulum abſque præuia ſatietate in faſtidium conuertuntur. Immo, & quod iucunditas exiſtimabatur, afflictio reperitur. Altitudo namque dignitatis eſt velut ſuſpendium, cui ſuperbus clauis proprij amoris ſuffigitur: voluptas carnis eſt quaſi cloaca, cuius tetro odore animus affligitur, & ſordibus fœdatur. Poſſeſſio diuitiarum eſt veluti lectulus ſpinarum, in quo homo curarum & timorum aculeis pungitur.

Sæcularia faſtidium pariunt. Quid dignitatis altitudo carnis voluptas, diuitiarũ poſſeſſio.

3. Tandem, bona hæc ſæculi, quando abeunt, & nos relinquunt, amara ſunt. Nullúſque mundanorum negat, eorum diſceſſio quantas amaritudines & triſtitias ingeneret. Teſtes ſunt eorum lacrymæ, teſtes gemitus & querimoniæ, teſtes iræ atque lamenta quibus ſe in amaritudine eſſe non negant. Qualiſcumque ergo iſtorum bonorum ſtatus, nónne plus anxietatis, quàm iucunditatis habet? Dum vindicas, dum defendis, dum inuides, dum ſuſpicaris, dum ſemper amabis, quæ non habes, & nonnullis adeptis, acquirendi ardor non minuitur, quæ requies in gloria tua? Profectò, ô homo, cùm iſta amas, amaritudinem & animi perturbationem amas: deſine amare, & deſines ex horum bonorum abſentia & abſceſſu triſtari.

Res mũdanæ decedentes amaritudinẽ cauſant.

MEDITATIO V.

De fragilitate rerum ſæculi.

Bona ſæculi fragilia, vitæ fragili innixa fundamento.

1. PVnctum. Temporalia bona ſicut non poſſunt eſſe vita noſtra, in qua fundantur, longiora, ita nec eſſe poſſunt ſolidiora. Vita autẽ noſtra fragilis valde eſt, quam non ſolùm ferrum deſtruit, ſed cibus intemperatus, & potus extra tempus aſſumtus, & halitus etiam ægroti corrumpit. Quàm ergo fragilia erunt bona, quæ tam infirmo fundamento nituntur. Statua illa aurea & argentea & ferrea corruit, quia pedes fictiles habuit; & omnium bonorum ſæcularium gloria citò cadit, quia nullo modo ſine hac fragili vita ſubſiſtit.

Iſaiæ 40. 6. Comparãtur flori debili.

2. Omnis caro fœnũ, & omnis gloria eius quaſi flos agri.] Gloria eius, diuitiæ eius, delitiæ eius, honores & dignitates eius. Quid flore delicatius? qui frigore areſcit, calore marceſcit, vento rapitur, & frangitur, pedibus conculcatur, à brutis comeditur? Sed quid horum bonorum poſſeſſione fragilius? Quibus in aduerſitate inſidiatur ruina, in proſperitate aduerſatur inuidia: quorum poſſeſſores à murmuratoribus lacerantur, à potentioribus ſpoliantur, & tandem ipſa bona ſine vllo hoſte ſolo decurſu temporis deficiunt & pereunt.

Intereũt labenti tẽpore. Ex habendi de-

3. Ipſum deſiderium habendi huius fragilitatis rerum mundanarum eſt teſtis. Neque enim vna

ſiderio fragilitas ſæcularium rerũ inoteſcit.

aliqua re vnius generis ſatiatur, vt vna dignitate, vna voluptate, vno honore, vna auri & argenti copia, ſed ad plura & plura bona diſtenditur. Quia nimirum quaſi coniectura aſſequitur, quòd illorum bonorum quodlibet dicto citius abire poteſt, & ideo aliud & aliud, quæ pro deficientibus ſuppleant, habere concupiſcit. Ne igitur nos fragiles innitamur huic baculo arundineo, quod confractum perforabit manus noſtras, ſed bona ſpiritus ſemper duratura & nos protectura quæramus.

Baculo arundineo non credẽdũ.

MEDITATIO VI.

De miſeriis rerum ſæculi.

Ingens miſeriarum numerus ſæcularia comitatur. Miſeriarum radices. Cor hominis paſſionibus abundãs.

1. PVnctum. Bona hæc mundi qualiacumque ſint, aliquibus amabilia eſſent cor vile & anguſtum habentibus, ſi nullis miſeriis permiſcerentur; at tot ſunt malis ac afflictionibus circumſepta, vt ferè nullam iucunditatem ſecum habeant. Hæ tot ſunt, vt nullo poſſint numero comprehendi, ſed breuiter eius radices, quæ attentè cogitentur, attingamus. Vna eſt cor ipſum humanum paſſionibus minimè moderatum, quarum tempeſtate ſæua agitatus homo dicit: Factus ſum mihimetipſi grauis. Iam diligit quod diligendum non eſſet, & ardore illo amoris tantiſper moderato, ſe illud amauiſſe erubeſcit. Iam timet, quod numquam in cogitationem ſuorum hoſtium venit, & numquam accidet. Iam triſtatur de eo quod inſipienter & ſine vllo fundamento apprehendit. Iam iraſcitur aduersùs illum, à quo bonum conſilij aut correctionis accipit. Hiſque ac ſimilibus affectus perturbatus ex bonis quæ habet iucunditatem non percipit. Expertus eſt hoc Aman, qui ira incenſus, eo quòd à Mardochæo non adoraretur, dixit ad vxorem & amicos ſuos: Cùm omnia habeam, nihil me habere puto, quamdiu videro Mardochæum, &c.]

Aman miſer. Eſther 5. 13.

Multiplex corporis cura.

2. Altera eſt multiplex cura corporis reficiendi, veſtiendi, cura etiam diteſcendi, excedendi, & alios ſuperandi, à qua quis mundanorum eximitur. Superbia namque ac proprius amor altè radicatus, multas huiuſmodi curas affert, & humana neceſſitas alias, quæ euitari nequeunt, inducit; quia maledictio in omne genus humanum prolata eſt: In ſudore vultus tui veſceris pane.] Alia animalia ſine labore, homo cum præuio labore & afflictione comedit. Illa ſi quando natura impellente laborant, cum fructu laborant, vt cùm Aquila vetuſtatem deponit: homines verò ſæpiſſimè abſque vlla vtilitate curis & laboribus implicantur. Telas aranearum texuerunt. Telæ eorùm non erunt in veſtimentum, neque operientur operibus ſuis: opera eorum opera inutilia.] Quis autem dubitet, has curas inutiles bonorum huius vitæ iucunditatem adimere.

Gen. 3. 19. Diſcrimẽ inter hominẽ, & animalia. Iſaiæ 59. 5. 6.

Varia corporum ægritudines.

3. Tertia eſt ægritudo corporis non ſolùm pauperum, ſed regum quoque palatia peruadens. Hæc verò quæ multiplex eſt, & moleſtiſſima, mirum eſt quantum bonorum temporalium lætitiam extenuet. Si enim melius eſt corpus validum quàm cenſus immenſus: & melior eſt mors quàm vita amara: quid lætitiæ bona mundi huius afferent, quæ amaritudinem ægritudinum tollere, & ſanitatem dare non poſſunt? Medicamenta verò quibus dolores lenimus, & carnem curamus, adeò acerba ſunt, vt melius ſæpe iudicetur ægritudinem perferre, quàm talibus remediis ſanari.

Bona ſæculi ægros non ſanant.

4. Afflictio ex omnibus ferè rebus proueniens. Nam cœlum, & terra, & reliqua elementa, quæ nos ſuis inclementiis inquietant, frigus comprimit, æſtus adurit, hæc notent, illa licet minima, moleſtiam, alia timorem incutiunt. Ipſi homines quaſi humanitatis obliti nos perſequuntur, & non tantùm mali, ſed etiam & boni ex recta intentione magnas occaſiones triſtitiæ & mœroris præbent, & modicam iucunditatem ex quapiam re acceptam multo felle permiſcent.

Afflictio ex multis dimanans.

Ætates humanæ miſeriæ optimi teſtes.

5. Ætas. Nam quæcumque illa ſit, multa habet, quibus hominem miſerum eſſe confirmet. Pueritia eſt ignorans, in qua homo à bruto non differt, & ſi quæ bona habet, minimè percipit. Adoleſcentia leuis, in qua homo quaſi folium ventis deſideriorum huc illúcque iactatur, & nuſquam conſiſtere nouit. Iuuentus præceps, in qua velut equus effrænatus in malum rapitur. Senectus moleſta, in qua miſer homo ſub onere ægritudinum ac dolorum gemere cogitur. Quid proſunt puero temporalia bona, quæ an bona ſint neſcit? Quid adoleſcenti, in quorum nullo conſiſtit? Quid iuueni, quibus malè vtitur? Quid ſeni, à quibus poſt momentum deſeritur?

Bona ſæculi nulli proſunt.

Nemo ſua ſorte contẽtus. Eccli. 40. 1.

6. Status. Nemo enim mundanorum ſua ſorte contentus viuit, nemo nec rex in ſolio ſuo omni ex parte tranquillus degit. Eſt iugum graue ſuper filios Adam à die exitus de ventre matris eorum vſque in diem ſepulturæ in matrem omnium. Ac non multo tolerabilior videretur exilij huius habitatio quàm gehenna, niſi Dominus Sabaoth reliquiſſet nobis ſemen fiduciæ, & expectationis. Contemtus ergo præſentium, & ſpes æternorum hæc omnia mala leniunt, nec oportet illis amore inhærere, ſed ad iſta ardenter inhiare.

Amanda cœleſtia, mundana tẽnẽda.

MEDITATIO VII.

De periculis rerum ſæculi.

Rerũ tẽporalium plurimi laquei.

1. PVnctum. Res iſtæ temporales plenæ ſunt laqueis. Laqueus eſt cupiditas quæ in diuitiarum poſſeſſione reſidet: laqueus eſt intemperantia, quæ voluptatibus & delitiis inſidet: laqueus eſt ſuperbia, quæ ſe in altitudine dignitatis abſcondit. Paſſerculus in ramo arboris ſedet, & viſco capitur: ſimiliter homo ad bonum aliquod iſtorum accedit, & laqueo alicuius vitij captus tenetur. Fugiebat paupertatis malum, & in aliud longè maius incurrit cupiditatis, & dum vult abiectionem euadere, cadit in ſuperbiæ vilitatem. Et qui timent pruinam, irruet ſuper eos nix.

Iob 6. 16.

Ægritudo ſæculariũ duplex, amor, & odium.

2. Sæculum locus eſt peſtilens, bona eius quaſi oppida ſunt, in quibus crudeliùs peſtilentia ſæuit. Ægritudo quę in illis præcipuè graſſatur duplex eſt, amor & odium. Quis bona ſæculi appetens nimio eorum amore liberatur? Quis rancore & odio aduersùs eos qui ea diripuerunt, aut impedimentum adipiſcendi præſtiterunt, eripitur? Sapientes loca peſte infecta declinant. Cur tu, ô homo, ſæcularia non declinabis, à quibus abſque infirmitate nullo pacto immunis exibis?

Pſal. 103. 25. Sæculum mare variis partibus cõſtans.

3. Vocatur ſæculum mare, cuius tot ſunt partes, quot ſunt res ab ipſo dilectæ. Mare magnum & ſpatioſum manibus, id eſt, partibus ſiue lateribus: illic reptilia, vel homines reptilibus ſimiles, quorum non eſt numerus. In mari Oceano ex quatuor nauibus vix perit vna: in hoc autem mari ex quatuor mundanis hominibus à periculo peccati neć liberatur vnus. Multi autem in æternum pereunt, quia comparationę reproborum pauci ſaluantur.

In sæculo vitiorum occasiones iniquorum contubernia. Osea 4. 2.

4. Viuit homo in sæculo inter occasiones vitiorum, & in societate iniquorum. Inter occasiones quidem vitiorum, quoniam in eo maledictum, & mendacium, & homicidium, & furtum, & adulterium inundauerunt, & sanguis sanguinem tetigit, ac peccatum superueniens prioris malitiam auxit. In societate verò iniquorum, quia pedes eorum qui profana sectantur, ad malum currunt. Eorúmque conuictus non potest non maculas peccatorum afferre. Qui enim tetigerit picem, inquinabitur ab ea, & qui communicauerit superbo, induet superbiam.] Erubesce itaque ô homo, quoniam pro isto sæculo nequam, & pro rebus eius nullius momenti Deum perdidisti. Et de cætero à sæculo & bonis visibilibus elongari constitue. Quia sicut hi qui proficiscuntur Romam, non comitantur eos qui vadunt in Indiam; sic tu in cœlum pergens non debes societatẽ & mores eorum amare, qui tendunt in æternam perditionem.

Eccli. 13. 1.

Sæculi bona deserenda.

De horrore mortis.

CAPVT IV.

Mortis cogitatio vtilis.

AD augendum dolorem peccatorum, & sæculi despicientiam tenaciùs infigendam, valida est mortis consideratio, quæ à peccato manauit, & omnibus huius sæculi bonis finem imponit. Meritò Philosophia dicta est à Platone mortis meditatio, non tam propter rationem eius motum considerantis, quo res ad non esse transeunt, quàm propter ea quòd magna sapientia est ex fine omnia pensare, & nihil quod postea dolorem & pœnitudinem inducat admittere. Mortis meditatio magnum est omnis perfectionis incitamentum. Nam si ad perfectionem necesse est præterita peccata vitare, & deinceps noua non admittere, quid efficacius, quàm mortis & reddendæ rationis memoria nos à peccatis auertet? Iosias rex iustus, & Deo charus, contriuit statuas, & succidit lucos: repleuítque loca eorum ossibus mortuorum, nihil accommodatius inueniens, ne iterum statuæ erigerentur, & arbores lucorum germinarent, quàm mortuorum ossa, quę homines ab illis locis contaminatis reiicerent. Sic in perpetuum idola nostra, id est, peccata subuertimus, & occasiones eorum præcidimus, cùm mortis, & cineris, & vermium recordamur. Si etiam oportet bonorum operum fructus proferre, ad hoc mortis consideratio potenter inuitat. Si enim seriò expendas, quia venit nox, id est, mors, in qua nemo potest ad meritum operari, idipsum manus exeret, & roborabit, vt ante aduentum huius perpetuæ noctis diligenter opereris. Si denique vt perfectus euadas, est tibi sapientiæ ac rerum diuinarum considerationi vacandum, huius mortis recordatio est erudita magistra. Nam illa quæ abscondita est ab oculis omnium viuentium, & volucres quoque cœli latet, morti se detegit; vnde perditio & mors dixerunt: Audiuimus famam eius. Mors & interitus famam sapientiæ audit, quia inde sapientia vera incipit, si teipsum cognoscas, & ita in mundo viuas, sicut qui transitum ad meliorem vitam expectas. Illud etiam habet optimum meditatio mortis, quòd ab illis, qui iam per Dei gratiam peccata grauia vitant, ignauiam & tepeditatem elongat, ad quod facit hæc Bernardo digna sententia: Monet horror in exitu, dolor in transitu, pudor in conspectu gloriæ magni Dei. Vnde nobis ista dissimulatio est, fratres mei? Vnde hæc tam pernitiosa tepiditas? Vnde hæc securitas maledicta? Quid seducimus miseri nosmetipsos? Forsitan iam diuites facti sumus? forsitan iam regnamus? Nónne ostium domus nostræ horribiles spiritus illi obsident? Nónne exitum nostrum laruales illæ facies præstolantur? Quis ille pauor erit, ô anima mea, cùm dimissis omnibus quorum tibi est tam iucunda præsentia, tam gratus aspectus, cohabitatio ipsa tam familiaris, sola ingrediens incognitam penitus regionem, occursantia tibi cateruatim ruere teterrima illa monstra videbis? Quis tibi in die tantæ necessitatis occurret? Quis tuebibitur à rugientibus præparatis ad escam? Quis consolabitur? Quis deducet? Filioli mei, memoremur hæc nouissima, ne peccemus.] Sic ille. Hæc ergo quæ nunc subiicimus poteris de hora mortis ad meditationem accersere.

Philosophia mortis meditatio.

Ad perfectionẽ omnia peccata vitanda. 4. Reg. 23. 14.

Mortis recordatio ad bene operãdũ calcar habet. Ioan. 9. 4.

Mors sapientiæ magistra.

Iob 28. 22.

Mortis memoria ignauiæ relegat. Bernard. ser. de sex tribul.

MEDITATIO I.

De mortis conditione.

Mors priuatio vitæ, & actionum illius.

1. PVnctum. Mors est discessus animæ à corpore. Priuatio vitæ omniúmque actionum eius. Neque enim defunctus potest aut oculis videre, aut auribus audire, aut naribus olere, aut palato gustare, aut manibus aliquid contingere. Non potest imaginatione neque aliis sensibus interioribus vti, neque affectibus cordis, vt amore sensibili vel odio, in aliquid inferri. Breuiter omnes actus vitæ communes corpori & animæ cessant, quia dissoluitur nexus ille duarum partium ex quibus homo constat, sine quo actus illi esse nequeunt. Cessant actus hominis, quia per mortem definit esse homo.

Mors omnibus, velis nolis, bonis vitæ priuat. Mors calamitatum acerbus. 1. Reg. 15. 32.

2. Mors est spoliatio vniuersorum huius vitæ bonorum, in ea detrahent à te cognatos, amicos, famulos, dignitatem, diuitias, honores, voluptates. Corpus ipsum ab anima auellitur, & anima à corpore separatur, vnde mors aceruus quidam omnium calamitatum & amaritudinum inuenitur. Quam ille Rex imminere iam sentiens, cum magno eiulatu dixit: Siccine separat amara mors?] Quod amatur, numquam sine dolore deseritur, & pro mensura amoris est in separatione mensura doloris. Si autem tam molestum est vxorem, aut filios, aut patriam ad breue tempus linquere, quàm durum erit animæ ab omnibus quæ diligebat, immo & ab ipso corpore, quod ab initio creationis suæ comitem accepit, in perpetuum separari? O mors, quàm amara est memoria tua homini pacem habenti in substantijs suis!] Noli diligere substantiam tuam, & tolerabilem senties mortem tuam.

Eccli. 41. 1.

Mors primogenita filia peccati. Sap. 1. 13.

3. Mors est primogenita filia peccati. Per vnum namque hominem peccatum in mundum intrauit, & per peccatum mors. Cuius tanta est miseria, vt Deus in ea partem habere nolit. Quia Deus mortem non fecit, nec lætatur in perditione viuorum.] Non, inquam, primò, & per se intendit illam, licèt in pœnam peccati eam hominibus fore aduenturam lege sanciuerit. Quæ à tali parente generatur, & à voluntate Dei, quæ per se aliquod bonum velit, aliena censetur, quàm plena miseriarum existet. Si hanc ob admissionem peccatorum incurrimus, æquum est, vt magis peccatum quàm illam timeamus, & omnia illa quæ in morte nos relinquent, deserere priùs nequaquam cunctemur.

Peccatũ morte magis timẽdum.

MEDITATIO II.

De mortis certitudine.

Omnibus subeunda mors. Psal.88. 49. Eccl.1. 16.

1. PVnctum. Certissimum ac euidentissimum est, quòd sum moriturus. Quis enim est homo, qui viuet, & non videbit mortem? Nullus. Eruet animam suam de manu inferi, ac de potestate sepulchri? Nullus. Ab aliis legibus quantumuis generalibus aliqui eximuntur: à lege moriendi hominum nullus eximitur. Moriuntur idiotæ: moriuntur & sapientes. Moritur enim doctus, similiter & indoctus. Moriuntur plebeij? moriuntur & nobiles, & ipsi reges ac imperatores potentissimi. Vbi enim sunt principes gentium, & qui dominantur super bestias? Exterminati sunt, & ad

Baruch 3.16.

B inferos descenderunt, & alij loco eorum surrexerunt. Moriuntur peccatores? moriuntur & iusti ac sancti; nec ipsa regina Sanctorum, nec ipse Christus Sanctus Sanctorum lege moriendi, vt nos redimeret, exemtus est. Omnibus hominibus absque vlla exceptione sicut commune est nasci, ita commune est mori. Manifestum est igitur, quia & mihi quoque moriendum est.

Virgo & Christus à morte nõ exẽti. Omnibus communis ortus, & occasus. Sap.5.12. Ætas cito pede labitur, & mors breuiter aderit.

2. Certissimum est, quòd citò moriar, & hanc communem legem moriendi subibo. Nos nati (dixerunt illi) continuò desiuimus esse: & ego similiter licèt adolescens, licèt robustus, licèt magnas de me spes conceperit mundus, eo illuso citò esse desinam. Quia omne tempus breue est, reliquum est, vt licèt per aliquos annos vitam protraham,

C tamen quàm citissimè communem & tritam moriendi viam ingrediar. Veniet sine dubio annus, qui sit vitæ meæ postremus annus: veniet mensis, postquam non concedatur mihi alius mensis: veniet dies, vltra quem non supersit mihi alius dies: veniet hora, quam vitæ meæ non sequatur alia hora. Instabit momentum fugax, post quod non dabitur mihi aliud momentum ad viuendum.

Hebr.9. 27. Semel est moriendum. Eccl.41. 3.

3. Certum est quòd semel moriar: nam statutum est hominibus semel mori. Nulli conceditur ad experiendum tantùm moriendi facultas, sed vna tantùm vice moriendum est, & ex ea aut damnatio æterna, aut salus æterna dependet. Et si ceciderit lignum ad Austrum, id est, ad partem gloriæ, aut

D ad Aquilonem, id est, ad partem inferni, ibi erit in perpetuum. Quis ergo tota vita non discet, quomodo semel bene moriatur; disciplina autem bene moriendi sancta vita est, quam per misericordiam Domini mors magnis & efficacibus auxiliis adiuta consequitur.

Vita sancta mortis bona disciplina.

MEDITATIO III.

De mortis incertitudine.

Mortis hora homini incerta. Iob 14.5.

1. PVnctum. Diem & horam mortis meæ Deus ab æterno signauit, vltra quam nec ad momentum mihi concedetur viuere. Breues enim, ô Domine, dies hominis sunt, numerus mensium eius apud te est: constituisti terminos eius, qui

E præteriri non poterunt. Et licèt tempus vitæ aliquorum ob eorum peccata diuertatur, & ob aliorum merita aut orationes protrahatur, tamen his præuisis, iam Deus apud se statuit quo tempore cuique moriendum sit. O momentum ineuitabile, à quo pendet æternitas! Sed hoc momentum Deo certissimum, mihi prorsus incertum est; nec possum mihi vnam horam, nec vnum horæ quadrantem promittere. Alij dormientes, alij ambulantes, alij loquentes, alij comedentes, alij in delictis suis,

Vltimus vitæ dies soli Deo notus.

Varia hominũ mors.

A alij in sanctis operibus occupati repentè extincti sunt, neque potest quisquam ad momentum securus esse, aut de vitæ possessione gloriari.

Dũ mortis dies ignoramus, vigilare debemus singulis horis. Matth. 24.42. Apoc.3. 3. Luc. 12. 39.

2. Seruauit Deus sibi notitiam mortis cuiusque, & ab hominibus abstulit, vt ego & vniuersi semper vigilemus, & operandæ salutis æternæ, haudquaquam obliuiscamur. Vigilate quia nescitis, qua hora Dominus vester venturus sit. Ignoro annum? Vigilabo igitur per singulos annos. Ignoro horam? Vigilabo itaque in singulis horis, ne si in aliqua somno peccati dormiero, illa sit, qua mors me opprimat, & meas expectationes seducat. Si non vigilauero, veniet Dominus ad me tamquam fur, & nesciam qua hora venier ad me. Si sciret paterfamilias qua hora fur veniret, vigilaret vtique,

B & non sineret perfodi domum suam: & quia horam nescit, omnibus horis per se aut per alios vigilare constituit. Ego similiter horã mortis nescio, cur singulis horis vigilare & paratus esse negligo?

Mortis incertitudo ex duplici causa.

3. Hæc mortis incertitudo non solùm ex voluntate Domini occultantis horam, sed etiam ex parte nostra à miseria nostræ fragilitaris exoritur, quæ tot casibus subiecta est, vt mirum sit quónam modo homo tamdiu viuat, non quare citò moriatur. Homo bulla, dicebat ille, quoniam sicut in stagno bullæ pluuia cadente succrescunt, & sine vllo ordine vna post aliam, aut multę simul euanescunt, ita homines superbia intumescimus, & breui ac incerto tempore, & dum minus putabatur extinguimur. Si ante me ponerentur in mensa decem cibi

Homo bulla dictus.

C delicatissimi, in quorum vno venenum lateret, omnes pertimescerem. Esto quòd anni vitæ meæ sint decem, aut viginti, si in vno illorum est virus mortis, cur omnes non timeo, & ac si statim essem moriturus, non ita me gero? Milites distributis in se horis semper in arce vigilant, quia horam aduentus hostium ignorant. Ego igitur semper super animam meam vigilias agam, quæ est omni arce pretiosior, cuius est inimicus violentior, cui hora imminet irruptionis incertior.

Mortis modus etiam incertus cũ varia sint moriendi genera.

4. Sicut incertum est tempus mortis, ita omnino incertus est modus. Fortè gladio alicuius me inimicum putantis, confodiar: fortè igne domum vrente consumar: fortè vadum fluminis superans aquis obruar: fortè tremefacta terra viuus pariete

D sepeliar, omnibus quoque ægritudinibus, quibus alij homines decesserunt, & modò decedunt, sum expositus, quælibet illarum me potest opprimere, & vsura huius lucis orbare. Multos ex cognatis & amicis vidi principio febricula lenta pulsatos post septem aut plures dies sepulchrum occupare, & extremum diem obire. Prorsus dubium est quo sim genere mortis occubiturus. At certum est me stultissimum esse, si cùm: Ecce sponsus venit, inclamatum fuerit, absque oleo bonorum operum inueniar, quia à nuptiis illis æternis excludar.

Oleum bonorum operum habendũ ad aduẽtũ sponsi.

MEDITATIO IV.

De mortis timore.

E

1. PVnctum. Mors igitur certissimè veniet, & citò veniet, & hora, qua minus forsitan putabam, aduenier. Tunc verò plurima erunt, quæ molestiam & timorem incutiant. Benignissimè mecum agetur, si non subitò tollar, sed lento aliquo & graui morbo corripiar. Quantis, ô Deus, in illa ægritudine doloribus opprimar, quàm multis cordis angustiis & tristitiis absumar. Medicamenta parabuntur, & applicabuntur ipsa ægritu-

In mortis hora timorem multa ingerunt, & molestiam.

dine nihilo mitiora, immo sæpè amariora, quæ dolori dolorem adiiciant. Pro hac hora, ô Domine, orabit ad te omnis Sanctus in tempore opportuno, cùm scilicet illi robur ad orandum conceditur. Verumtamen in hoc diluuio aquarum multarum, ac innumerabilium dolorum, ad eum non approximabunt aquæ, ita vt illum ab spe in miserationibus tuis concepta dimoueant. Iam morbus ingraueſcet, naturámque superabit, & desperatus à medicis iacebo supinus. Non deerit aliquis eorum vel cognatorum, vel amicorum, qui mihi mortis nuntium afferat, & quia iam morior, palàm edicat: Rumor iste, nisi homo perfectus sim, & ab amore mundi elõgatus, quàm tristis & molestus adueniet? quanto mœrore me replebit? qui ad instar mancipij mali & pigri herum meum pertimesco, & in hoc exilio lætus viuo.

Psal.31. 6.

Mortis aduentãtis nuntius peccatori inuitũdus.

2. Tunc etiam illius versiculi vim intelligam: Circumdederunt me vituli multi, tauri pingues obsederunt me, quoniam multa perturbantia & metum afferentia me cingent. Peccatorum totius vitæ me recordatio torquebit, quæ grauiora forsitan quàm fuerunt apparebunt, & quasi agmine facto in me irruent. Multiplex negligentia in seruitio Dei, & tepiditas supina cruciabit. Tempus otiosè consumtum, & occasiones neglectæ bonorum operum faciendorum affligent. Tunc me maximè pœnitebit, quòd peccata mea pœnitudine non deleuerim, quòd frequentiæ aut feruenti vsui Sacramentorum non vacauerim, quòd orationi & abnegationi strenuè non studuerim. Omnibúsque huius mundi thesauris vnam horam emerem, quæ tamen mihi concessa non erit, ex his quas modò otiosè consumo. Vermis malæ conscientiæ interiùs me rodet, metus diuinæ seueritatis comprimet, incertitudo assequendæ æternæ salutis coanguſtabit. Verè circumdabunt me dolores mortis, & torrentes iniquitatis meæ conturbabunt me. Dolores inferni quem metuo circumdabunt me: & præoccupabuut ac implicabunt laquei mortis, quia malum quod imminet perpetuæ damnationis, maximum est: & sententia iudicis si aduersùm me pronuntietur irreuocabilis est, & quòd eam sim ob grauia peccata commeritus, mihi notissimum est.

Psal.21. 13.

Morientem peccatorum torquet memoria.

Bonorum operum omissio.

Vermis malæ cõscientiæ.

Psal.17. 5.

Timor inferni, & dãnationis perpetuæ.

3. Dæmon, vel visibiliter apparens, vel inuisibiliter adstans terrorem augebit, sciens quòd iam modicum tempus habet. Motus desperationis excitabit, dicens: Quia si iustus vix saluabitur, impius & peccator vbi parebunt? Aliis etiam multiplicibus tentationibus me adorietur, illis præcipuè, quibus dum viuerem, strenuè non restiti, aut planè succubui. Si autem nunc valens & in me collectus vincor, quomodo eum tot malis cinctus superabo? Profectò dæmones declinabunt in me iniquitates, & imputabunt mihi, quas nec cogitaui quidem, & in ira sua molesti erunt mihi. Cor meum etiam ex hac parte conturbabitur in me, & formído mortis cadet super me. Timor & tremor veniet super me, & cooperient me tristitiarum tenebræ.

Dæmonũ præsentia.

Apoc.12, 12.

1.Petr.4. 18.

Multiplices tẽtationes.

Psal. 54. 5.

4. Summa tamen illius temporis miseria, meo iudicio, est magna, quæ tunc adest, pœnitendi, & ad Deum ex vero amore redeundi difficultas. Nam morbi vis, & dolorum acerbitas ad alias curas nos vocant, & peccatorum detestationem, ac veram ad Deum conuersionem interpellant. Si ego, peccatis meis exigẽtibus, & doloribus impedientibus ad te non conuertor, conuertere tu, Domine, & eripe animam meam: saluum me fac propter misericordiam tuam. Quoniam non est in morte qui memor sit tui: in inferno autem tantarum miseriarum quis confitebitur tibi? Nemo, nisi tu eum excites, & ad te trahere constituas.

Magna pœnitendi difficultas in morte.

Psal.6. 5.

MEDITATIO V.

De mortis amaritudine.

1. PVnctum. Hæc omnia ipsam horam mortis præcedunt, & sunt quasi vigiliæ illius festiuitatis luctuosæ, aut velut præludia illius quam extimescimus calamitosæ tragœdiæ. Sed instante iam mortis hora, ô quàm tristis & amara sentietur! Ponetur ante me imago Christi crucifixi, cuius imitationem, aut contẽsi, aut tepidè satis assumsi. Dabitur in manu lucerna index bonorum operum quæ non habui, & hanc infœlicitatem super omnes alias miserias incurram, quòd operibus externo signo lucernæ indicatis carens, vt hypocrita moriar. Astantium voces insonabunt, quibus dicetur mihi, vt si voce non possim, saltem Deum inuocem corde. O quàm amarum erit tunc animæ corpus relinquere, omnia deserere, & ad iudicium properare.

Mortis hora tristis & amara valde.

2. Deposita erit tunc anima, id est, in abyssum desolationis deiecta, vehementer non habens consolatorem. Nihil quod ipsam tueatur inueniet. Sursum gladium diuinæ iustitiæ flammeum videbit: deorsum sepulchrum patens aspiciet: intra vermem conscientiæ accusantem sentiet: extra amicos & cognatos hincinde genuflexos, & Deum rogantes considerabit, qui nec lenire malum, nec vitam possunt protelare. Sacerdotes, si adsint, commendationem animæ ab Ecclesia institutam recitabunt, Sanctos inuocabunt, Dominum supplicabunt. Et interim anima omnia mundana in puncto transiuisse mirabitur, & futura, quæ iam imminent, in perpetuum duratura intuebitur. Séque stultissimam reputabit, quæ ob momentum hoc, æternitatis iacturam facit.

Thren.1. 9.

Tunc multa desolationem afferent, nulla solatium.

3. Iam instat tempus moriendi, quo anima corpus deseret, & vita spoliatum relinquet. Tunc verò corporis vires deficiunt, membra cuncta rigescunt, pulsus cessat, pectus palpitat, raucum guttur anhelat, tabescunt oculi, nigrescunt dentes, palescunt ora, sensus abeunt, & vniuersæ corporis partes indicia summi doloris & extremæ calamitatis ostendunt. Tunc mortis framea vno ictu carnem à spiritu diuidit, & vita discedit, & homo esse desinit, & omnis eius gloria & splendor euanescit. Et dicent qui ad transitum morientis adstiterint, quod dictum est de illa pulchra muliere: Hæccine est illa Iezabel? Hic est ille nobilis? ille literatus & doctus? ille tot honoribus & dignitatibus sublimatus? Abierunt omnia eius magnalia, erítque Israël in prouerbium & in fabulam cunctis populis.

Signa, quæ mortẽ ipsam præcedunt.

4. Reg.9. 37.

3.Reg.9. 7.

MEDITATIO VI.

De mortis, quam affert, omnium nuditate.

1. PVnctum. Nunc post mortem animam meam ac corpus intuear, vt vel ex hoc quid mihi ex rebus huius vitæ sit profuturum agnoscam. Corpus quidẽ post discessum animæ perstat vt aridum lignum, vita, sensu, & motu orbatum. Iam illi nulla est pulchritudo, quam videat; nulla vox, nulla melodia, quã audiat: nulla suauitas, quã oleat: nulla dulcedo, quã gustet: nulla lenitas, nec mollities,

Quale corpus post mortem.

quam manu contrectet. Iam cogitatio inania fabricare non potest, nec memoria pars sensus delectabilium recordari, nec cor affectibus immoderatis feruere. Quia sensus omnes tum interni, tum externi dissipati sunt, omnium istarum actionum exordia. Manet & iam corpus pallidum, deforme, horribile, ita vt non solùm amicus amicum, sed & frater fratrem, & pater filium, & sponsus sponsam extimescat. Post paululum intolerabilem fœtorem exhalat, ita vt ab omnibus deseratur, nisi fortè ab his, qui pietatis ergò non sine magna molestia tantisper sustinent, quousque illud funebri linteo cooperiant. Hicque teter odor solet esse tam pestilēs, vt nonnumquam necesse sit funus accelerare, & ante consuetum tempus defunctum humo iniecta contegere:

Qualiter ituri sepulcrum.

2. Funus ipsum ac solemnes exequiæ multa habent, quæ me ad sanam mentem concipiendam excitent. Exibo è cubiculo aut cella mea, non sicut antea pedibus propriis & vi motrice naturali motus, sed manibus aut humeris aliorum portatus. Canent nonnulli, plorabunt fortassis aliqui, & alij funeris comites se præbebunt, & cùm in me non sit vox neque sensus, nullam nec fletus, nec cantus, nec comitatus rationem habebo. Procedam non splendido amictu vestitus, sed funebri linteo, aut habitu religionis detrito contectus. Deferar non quidem in domum aliquam magnificam, neque in cellam rebus curiosis instructam, sed in sepulturam angustam, & horridam, & obscuram. Ibi lectus erit terra, culcitra stercus, ceruical ossa aliorum defunctorum arida & fœtida, stragulum puluis, & calx, quæ me absumant, ne ego viuos fœtore contaminem. Nec deerit mihi mea vilitate digna societas: nam subter me sternetur tinea, & operimentum meum erunt vermes, qui me vndequaque circumeant & carnem meam paulatim absumant. Vidi certè, cùm aliquod sepulchrum aperitur aliorum ossa & caluarias hincinde iactari, ita post breue tempus ossa mea in pauimento iacebunt, & à transeuntibus conculcabor.

Quã domum & lectũ habituri post mortem. Isai. 14. 11. Comites sepulcri tinea, & vermes.

Quid anima accidat carnis liberæ vinculis.

3. Hæc omnia horribilia corpus expectant. At anima à corpore auulsa nouam illam & numquam visam regionem ingreditur, & omnibus rebus huius sæculi nuda, solis operibus suis bonis aut malis, & virtutibus aut vitiis cincta conspicitur. Ista sunt, quæ si bona, eam in cœlum euolare facient, si mala, in lacum inferni demergēt. Quanta erit eius tristitia, si Angeli eam, vt sua societate indignam, relinquant: quantus timor si dæmones, quibus obediuit, occurrant, & ancillam per multitudinem peccatorum sibi venditam, ad tartara ducant. Quare illa magnifacio, quæ in hac occasione vsui mihi esse non poterunt, quin & damnationem afferent, aut ingressum in cœlum retardabunt? Et quare virtutis & sanctitatis me amor non tenet, siquidem sola virtus est quæ fideliter me à tantis periculis liberabit.

Mortuus obliuioni breui tẽpore traditur. Psal. 29. 11.

4. Post non multos dies ita à memoria hominum deletus ero, ac si numquam in mundo vixissem. Nihil proderunt mihi progenitorum stemmata, neque ab auis & proauis accepta nobilitas. Quæ enim vtilitas in sanguine meo, & interpretatus est quidam, in generis mei claritate, dum descendo in corruptionem. Nihil proderit corporis gratia atque venustas. Nam si cùm splendet, & oculos stultorum capit, fallax est gratia, & vana pulchritudo, quanto magis quando iam fœtet, & in fœtorem mutata conspicitur. Nihil denique proficient opes & coaceruatæ diuitiæ. Quia cùm homo

Prou. 31. 30.

Psal. 48. 18.

A interierit, non sumet omnia, neque descendet cum eo gloria eius. Alij domos & prædia, alij munera honorifica, & cathedras, & dignitates possidebunt, & mei nulla prorsus memoria supererit. Vna igitur vita secundùm virtutem est, quæ me in hac miseriarum expectatione consoletur: quia illa ad sedes æternas, & resurrectionem corporis glorioſam, parabit ingressum.

Vita secundùm iustitiam vnicum animæ solatiũ.

MEDITATIO VII.

De mortis iustorum & peccatorum discrimine.

B 1. PVnctum. Mors peccatorum dicitur pessima, mors verò iustorum pretiosa: & verè sicut dicitur, ita est. Quoniam illa initium est omnium malorum, hæc autem initium omnium bonorum. Moritur peccator, moritur & iustus: sed, ô quàm admirandum est vtriusque mortis discrimen! Peccator magno dolore corripitur, quia ab his quæ nimis diligit, separari compellitur: iustus dolorem non percipit, aut moderatum & tolerabilem percipit; quia à bonis, quibus non est agglutinatus, separatur. Peccator mortis præsentia turbatur, quia paratus non est, & mala æterna, quæ illum manēt, iam coniicit. Iustus æquanimiter aut etiam alacriter faciem mortis aspicit, quia paratum se inuenit, & bona æterna sibi destinata iam præsagit. Peccator timore concutitur, quia dæmonum aspectus illum formidine complet. Iustus timorem immoderatum deponit, quia Christi Saluatoris sui, & Virginis beatæ matris suæ, & Angelorum ac Sanctorum præsentia & protectione inuisibiliter & aliquando visibiliter roboratur. In cuius signum in aliquorum Sanctorum mortibus cœlestia melodia audita est, vt illud quod exteriùs percipitur, indicium sit eius, quod inuisibiliter geritur.

Qualis mors peccatorum, iustorum qualis. Vtriusq; magnum discrimẽ.

C 2. Corpus peccatoris omnibus terrenis bonis nudatur, vt in fœtore maneat, vt post iudicium in æternum ardeat, vt dęmonum cibo deseruiat. Corpus iusti pallore quasi amictu pro itinere parato vestitur donec patriam ingrediens stola immortalitatis ornetur. Moritur ad tempus, vt postmodum semper viuat, & quasi dormit, vt ad regnum percipiendum euigilet. Et cùm dederit Dominus dilectis suis somnum mortis, ecce hæreditas Domini filij, præmia æterna, quæ sunt velut filij sanctorum laborũ. Mola denique mortis teritur, vt pro mensa Domini panis similagineus efficiatur.

Ad quid sontis & insontis corpora seruẽtur. Iustus ad tempus moritur. Ps. 126. 2.

D 3. Anima peccatoris quasi violenter egreditur, desperatione & rabie referta, omnibus donis & virtutibus spoliata, & aduersariis suis circumdata, vt in gehennam deturbetur. Anima iusti ex corpore quasi de cubili procedit, spe læta, charitate secura, virtutibus & donis vestita, Angelis circumsepta, vt si omnino purgata est, statim in cœlum deportetur, sin minus in supplicium filiis paratum ad tempus ab ipsis Angelis purganda ducatur.

Diuersus animæ piæ, & impiæ è corpore egressus.

E 4. Quid faciam, vt moriatur anima mea morte iustorum, & fiant nouissima mea horum similia? Certè hæc quæ sequuntur, quæ attentè cogitanda sunt, & cum spiritus feruore statuenda. 1. Paulatim moriar, id est, sensibus, affectibus, & cogitationibus me à rebus terrenis & creatis auertam, quas si in hora mortis non amauero, facile & hilari vultu ab illis discedam. 2. Animam meam in manu Dei ponam, & in eius voluntate relinquam, iuxta illud: Iustorum animæ in manu Dei sunt, & omnia visibilia pedibus conculcanda subiiciam, vt in modum gra-

Qua faciẽda, vt mortem assequamur iustorum.

dus me ad apprehendendos gloriæ fructus efficiant. 3. Meipsum despiciam, gloriam mundi contemnam, paupertatem & rerum nuditatẽ diligam, vt qui in morte vna sindone saturabor, nunc minimè multa temporalia conquiram. 4. Vitam longam nequaquam mihi promittam, sed quodlibet opus ita exequar, ac si statim essem moriturus: itáque viuam, vt sic vixisse in hora mortis non me pœniteat. 5. Bonam mortem quottidie per merita Iesu Christi Saluatoris mei, & per interces sionem beatæ Virginis & Sanctorum postulabo, vt vocatus humiliter & fiducialiter dicam: In manus tuas Domine commendo spiritum meum.

Mors bona assiduè petenda.

De terrore extremi Iudicij.

CAPVT V.

Duplex hominũ iudiciũ, priuatũ, commune.

VNIVERSI homines duplex apud Dominum sunt iudicium subituri. Alterum speciale in ipso momento mortis cuiusque, quo merita aut demerita eius examinantur, & præmia aut pœnæ decernuntur. Alterum generale longè post mortem, quo resumtis corporibus animæ in conspectu iudicis comparebunt, vt sententiæ in singulis specialiter latæ consensu omnium hominum & Angelorum confirmentur, & Deus vt iustissimus laudibus efferatur. De illo primo intelligitur illud Pauli: Statutum est omnibus hominibus semel mori; post hoc autem iudicium.] De isto verò est illud Domini: Tunc, id est, post signa illa horribilia, videbunt filium hominis venientem in nube cum potestate magna, & maiestate.] Vtrumque autem in meditationem incipiẽtium adducendum est, vt de peccatis doleant, & per fructus pœnitentię iudicem leniant, & deinceps offensas eius adiicere non præsumant. Et siquidem spiritu sunt pusilli iudicium Christi vt pædagogum habeant, à quo à peccatis auocentur, & ad omnem virtutem excitentur: nam ipsum in frenum ne in peccata præcipites ruant Isaias, & in pædagogum, à quo in officio contineantur, Basilius illis assignat. Quiescite agere peruersè, inquit ille, discite bene facere: quærite iudicium.] Hic verò sic interpretatur: Exquirite iudicium, Christi videlicet, secundùm quod de nobis fert sententiam, singulis quibusque nostrûm pro meritorum qualitate rependens mercedem: quod quidem nisi obseruemus, nisi præ oculis habeamus, ne possimus quidem persistere in vllo opere bono. Attenta enim cogitatio arcanorum nobísque formidabilium, quæ in tremendo iudicio se offerent, pædagogus est ad exercendam pietatem.] Seueriſſimi iudicis obliuio in occasionem peccatorum vertitur. De impio namque dicitur: Non est Deus, siue iudex (sic enim habent Hebræa) in conspectu eius; inquinatæ sunt viæ illius in omni tempore. Auferuntur iudicia tua à facie eius.] Et postea: Propter quid irritauit impius Deum? Dixit enim in corde suo: Non requiret.] Vt igitur peccata vitemus, & vitia ac amorem sæculi fugiamus, hic pædagogus nobis audiendus est, qui pro more septem lectiones leget, aut septem meditationes proponet, quibus recogitandis per aliquot dies vtiliter immoremur.

Hebr. 9. 28.

Luca 21. 27.

Vtriusque iudicij meditatio per utilis.

Iudiciũ pædagogus & frænum.

Isaiæ 1. 17.

Basilius ibid.

Iudicis obliuio periculosa & mala. Psal. 9. 5. Vers. 13.

MEDITATIO I.

De loco, & tempore, & personis interuenientibus in iudicio speciali.

1. PVnctum. Non sunt exactæ calamitates tuæ, ô anima mea, si Deo minùs fidelis extiteris, immo post mortem angores incipiunt. Terribile namque iudiciũ expectas, in quo multa inuenies, quæ te metu & terrore concutiant. Tempus huius iudicij erit illud primum momentũ in quo à corpore fueris separata. Dominus enim qui in suis actionibus molimina tarda non habet, in eo momento te ante se sistet, accusationes excipiet, caussam expendet, sententiam proferet, & eam excusationi mandari faciet. Hoc est momentum, à quo tua æterna salus aut condemnatio dependet, quod quidem similiter est ac ipsa hora mortis prorsus incertum: illúdque deberes nõ minus anxia, quàm bene parata expectare.

Priuati iudicij tempus. Quid iudex facturus.

2. Locus, in quo, ô anima, iudicanda es, ille ipse est in quo moriar, siue mare, siue terra, siue platea, siue lectus. Iudex enim tuus vbique est, per præsentiam diuinitatis, & per virtutem humanitatis suæ in omni loco thronũ habet, & iurisdictionem exercet. Si autem lectus communiter solet esse locus mortis, illum certè singulis noctibus lacrymis irrigabo, vel in eo tanto timore & puritate cubabo, vt qui antequam ab illo surgam, extremam sententiam expectem.

Locus iudicij mortis locus.

3. Iudicandus homo reus ego ipse ero; anima quippe mea coram iudice suo sententiam auditura comparebit. Sed quomodo comparebit? Corpore quidem spoliata, opibus, & diuitiis, & rebus visibilibus orbata, à cognatis & amicis deserta. Sola opera sua secum feret, his datur ad hoc seuerum iudicium ingrediendi facultas, vt si bona fuerint, animam in locum salutis efferant; si mala, in gehennam trudant.

Qualiter anima ante iudicem apparebit.

4. Accusator & testes in hoc iudicio non desunt. Ille est diabolus, qui vocatus est accusator fratrum suorum. Vnde de impio dicitur: Diabolus sit à dextris eius. Cùm iudicatur exeat condemnatus. Is me accusabit de omnibus peccatis, quæ feci: & de multis, quæ non feci, quia cogitationes meas & intentiones non nouit. Dicet iudici (quod verum est) me suis inspirationibus sæpè non respondisse, auxilia otiosa habuisse, beneficia contemsisse, sanguinem infiniti valoris conculcauisse. Quid faciam miser, si hæc tunc non fuerint lacrymis & pœnitentia deleta? Illumina nunc, ô Domine, obsecro oculos meos, vt mea errata corrigam: ne vnquam obdormiam in morte peccati; ne quando dicat inimicus meus: Prævalui aduersùs eum. Testis verò erit conscientia propria, testes erunt actiones & cogitationes meæ, quæ si malæ, me etiam accusabunt; si bonæ, defendent.

Accusator diabolus. Apocal. 12. 18. Psal. 108. 7. Dæmonis criminationes.

Psal. 12. 5.

Rom. 2. 15.

Testes conscientia, admissa, cogitata.

5. Neque à misericordi iudice aduocato priuabor. Nam Angelus mei custos patrocinium suscipiet. Is proferet sanguinem Domini Iesu pro me fusum, exaggerabit vim tentationum & passionum, impugnantium, & bona opera mea, si qua fuerint demonstrabit, & diabolum reprehendet. Numquid, dicet, iste non est torris erutus de igne, quæ scilicet ego sæpe ab igne concupiscentiæ seruaui, & semiustum à consensu grauiorum peccatorum eripui? Sed quid proderit aduocatus, vbi reus fuerit manifestè conuictus?

Angelus custos patronus. Illius singularis tutela. Zachar. 3. 2.

6. Iudex tandem est Christus; quia Pater omne

Ioan. 5. 22.

Christi iudicis proprietates.

iudicium dedit filio. Sapientissimus, quem nemo fallet; optimus, quem nemo ad iniquam sententiam flectet: potentissimus, cui nemo resistet: supremus, à cuius sententia nullus appellabit. Hic ergo æquissimus iudex haudquaquam perspicuè se tunc omnibus iudicandis ostendet: at intellectum cuiusque eleuauit, vt sententiam audiat, & vt tunc se accusari, & examinari, & iudicari, & damnari aut saluari cognoscat. Tunc leo rugiet, quis non timebit? Dominus Deus loquutus est, quis non prophetabit, & non se reum esse fatebitur?

Amos 3. 8.

MEDITATIO II.

De forma iudicij specialis.

Luc. 16. 2.

1. PVnctum. Iudex hic sanctissimus atque iustissimus me coram se astantem aspiciens compellabit, dicétque: Redde rationem villicationis tuæ, iam enim non poteris villicare: immo non solùm villicationis, id est, officij aut muneris, sed omnium, quæ ad me pertinent, seueriſſimam rationem exiget. Peccata omnia mea operis, sermonis, & cogitationis sigillatim numerabit, & quare ea admiserim indignabundus inquiret. Corporis, virium, sensuum, talentorum, auxiliorum, inspirationum, Sacramentorum, & reliquorum huiusmodi rationem postulabit, & an in eius obsequium, an verò in contemtum & transgressionem legum eius impenderim, sigillatim examinabit. Bona etiam opera excutiet, secundùm illud: Cùm accepero tempus, ego iustitias iudicabo.] Intentionem an minus recta & præpostera fuerit, inspiciet, circumstantias expendet, negligentias & omissiones, & nihil non excussum atque inexaminatum relinquet. Scrutabitur profectò, non tantùm Babylonem, id est, peccatricem animam, verùm & Ierusalem, id est, iustam & studiosam in lucernis, vt nullum iniquum aut imperfectum opus, sine pœna, nullum bonum opus sine præmio supersit.

Quæ res ad iudicium vocandæ.

Bona & mala opera discutienda. Psal. 74. 3.

Sophon. 1. 12. Iusti & iniusti iudicandi.

Nullum opus sine pœna, aut præmio.

2. Tunc vehementer admirabor, tunc lugebo, tunc timebo. Mirabor, cùm euidenter aspexero, quàm alia sint opera mea, ac ego putabam. Mirabor ficus malas valde malas, id est, peccata mea esse pessima, & Deo supra quàm cogitari possit inuisa. Mirabor ficus bonas non valde bonas, id est, opera bona & labores meos nullius aut parui meriti fuisse, quorum istos inanis gloria fœdauit, illos multiplex negligentia infecit, alios sinistra intentio penitus extinxit. Mirabor me in horreum conscientiæ non frumentum sed paleas recondisse. Lugebo, quia malorum operum patrator, quibus iram merui, & bonorum operum egenus inuenior. Lugebo, quia vitam in vanitate transegi, quia sine fructu laboraui, quia in muneribus etiam bonis & sanctis non Deo, sed meo honori & commoditati seruiui. Timebo, & angore cruciabor, quia os iudicis ad proferendam sententiam aperiri video, & an me absoluturus sit, an damnaturus, nescio. Timet homo qui ab homine super re aliqua leuis momenti, aut super mutilatione membri, aut vita temporali sententiam expectat: & ego non timebo, qui de salute aut perditione æterna sententiam præstolor? Nunc, nunc faciam de me iudicium & iustitiam Domine; non tradas me calumniantibus me superbis.

Qui luctus.

Quæ causa timoris.

Psal. 118. 121.

Mortuorum tria genera. 1. Impiorum eorúmque sententia.

3. Iudex igitur examinata causa sententiam suam proferet. Sed nunc eos qui moriuntur in tres classes diuidamus. Quidam planè sunt impij in lethali peccato decedentes. Qui ex istis infœlicibus fuerit, audiet intus in mente: I maledicte in ignem æternum, discede, inquam, à me in quo pœna damni est. Maledicte: dilexisti namque maledictionem, & veniet tibi; & noluisti benedictionem, & elongabitur à te. Abi igitur non in locum amænum, sed in ignem, & non ad tempus, sed vt per totam æternitatem puniaris. Hac autem sententia prolata, Christus peccatorem deseret, Angeli discedent, asserentes: Curauimus Babylonem, & non est sanata; relinquamus eam, & dæmonibus animam istam puniendam tradent. Alij sunt sancti, seu viri perfecti, aut in obsequio Dei feruidi. Horum cuilibet in aure cordis dicetur: Euge serue bone & fidelis, quia in pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam, intra in gaudium Domini tui. Alij ex his qui in gratia decedunt tepidè vixerunt, & negligenter. Qui priùs quidem acerrimè increpabuntur à iudice, & supra quàm cogitari potest, terrebuntur, at postea prolata absolutionis sententia, & de futura gloria securi facti in ignem purgatorium puniendi & lauandi mittentur. Vide tu, ô anima mea, quam ex his sententiam eligas.

Psal. 108. 18.

Ierem. 51. 9. 2. Sanctorum. Matth. 25. 21.

3. Decedentium in gratia, quibus aliquid igne restituendum.

MEDITATIO III.

De terribilitate vniuersalis iudicij.

1. PVnctum. Deus qui summè iustus est, & misericors, quasi necdum hac bonorum mercede, & malorum castigatione contentus statuit palàm & coram omnibus illos æterno præmio, & istos sempiterna pœna afficere. Veniet ergo in nouissima hora mundi Christus filius Dei Saluator noster, ac iudex viuorum & mortuorum, vt sententiam in singulos latam promulget, vtque quàm iustus sit in omnibus viis suis, & sanctus in omnibus operibus suis, vniuersis tum Angelis, tum hominibus manifestet. Insuper, vt illuminet abscondita tenebrarum, & manifestet consilia cordium, & tum in conspectu omnis carnis laus, vel vituperatio iuxta exigentiam meritorum, vel demeritorum erit vnicuique à Deo. Ac tandem vt Christus pro nobis antea contemtus ab impiis glorificetur, & verus filius Dei, cui Pater omne iudicium dedit, ab omnibus cognoscatur.

Christus in nouissima mundi hora ad iudicandum venturus. Causſa huius aduentus.

2. Sed quàm terribilis futura sit hæc iudicij dies, ex signis eam præcedentibus, & maiora mala portendentibus licet colligere. Turbatur rex, & indignatione plenus ad hostium se vltionem accingit, & turbatur omne regnum cum illo. Sic Christus omnium rex indignabundus aduersùs peccatores veniens vniuersas creaturas commouebit, & ad vindictam sumendam armauit. Sol tenebrescet, vt æternas tenebras impiis paratas indicet; luna vertetur in sanguinem, vt iram Domini sanguinibus iniquorum, id est, peccatis eorum paratam signet. Stellæ cadẽt de cœlo, vt casum reproborum è cœlo Ecclesiæ in gehennam portendant. Omnia elementa quasi ad pugnam contra mortales exibunt. Ignis descendet, & partem maris & terræ, & eorum quæ sunt in eis exuret. Aer fulgura & fulmina mittet, & tonitribus insonabit. Aqua fluminum tabescet, mare verò in terras irrumpet, & plurimas vrbes obruet. Terra insolitis motibus quatietur, & ædificia subuertet, quæ cadentia multos oppriment. Animalia syluestria & fera ad oppida refugij causſa confugient: & nihil erit ex rebus mutabilibus, quod non venturum dolorem ostendat.

Signa iudicium præuentura eius indicant magnitudinem.

Signa iudicij vniuersalis prænuntia.

3. In his autem malis quid facient homines? Profectò arescent: præ timore calamitatum præ-

Qualis hominũ

tunc erit metus, dolor, tribulatio.

sentium,& expectatione dolorum futurorum.Hæc enim erit tribulatio omnium præteritarum ac futurarum maior. Quia nec bonis suis spoliati, nec ab hostibus obsessi, nec à leonibus lacerati, nec in Sodomis vsti, nec generali diluuio submersi talia passi sunt, qualia tunc viuentibus euenient, neque futuri vsque ad illum diem vmquam æqualia patientur. Dicente Domino: Quia erit tunc tribulatio magna,qualis non fuit ab initio,neque fiet.] Et iccirco vocatur dies illa magna, & amara valde. In qua congregabit Dominus super impios mala, & sagittas suas complebit, id est, vsque ad postremam iaculabit in eos.

Matth. 24.32. Sophon.1. 14. Deuter. 32.33.

4. Ab his malis ex parte eximuntur iusti;quibus dicitur: His autem fieri incipientibus respicite securi, & leuate per fiduciam capita vestra,quoniam appropinquat redemtio vestra. Ex quo liquet,quia in omni ætate & occasione Deus iustorum, ceu filiorum charissimorum rationem habet, & à malis, quæ alios dissipant,misericorditer eripit.

Deus sanctorũ curam habet semper.

MEDITATIO IV.

De conflagratione mundi, & vocatione iudicandorum.

1. PVnctum. O quanta sunt,anima mea,quæ te gloriæ mundi despicientiam docent! Hanc enim gloriam Dominus in tremendo illo die ignis pabulum faciet. Ignis in conspectu eius, scilicet iudicis,exardescet,& in circuitu eius tempestas valida.] Et:Ignis ante ipsum præcedet; & inflammabit in circuitu inimicos eius.] Hic ignis ex quatuor partibus mundi consurgens mira celeritate omnia pretiosa,& pulchra,ac magnifica eius absumet.Impios dirissimè cruciabit,iustos mitiùs à maculis purgabit, & omnino purgatos solùm illuminabit,& nullo modo illis officiet.Vox enim Domini intercidentis flammam ignis ita actiones eius diuidet, vt quosdam ad initium æternorum tormentorum torqueat(nam hic ignis vsque ad finem iudicij perdurabit)quosdam ad omnimodam munditiam purget,alios verò ad augmentum amoris & gratitudinis solùm illuminet.Quid ergo magni æstimas,quæ tam sine mora ignis edax absumet.

Psal.49. 3. Psal.96. 3. Omnium rerum conflagratio.

Psal.28. 7. Deus ignis actiones diuidet.

2. Omnibus hominibus, qui tunc erunt quoad corpora sua, & cunctis animalibus ac rebus vsui hominum seruientibus in cinerem versis, & elementis ab immunditia purgatis,vox cuiusdam Archangeli ad modum tubæ personabit,dicentis:Surgite mortui,venite ad iudicium;qua omnes nos ad ius coram tribunali Christi iudicis audiendum vocabit,& vt compareamus iubebit. Huius tubæ angelicæ tanta virtus erit, vt ad sonitum eius omnes resurgamus. In momento,in ictu oculi,in nouissima tuba:canet enim tuba, & mortui resurgent incorrupti. Breuissima namque mora,& Angelorum ministerio cineres cuiusque corporis congregabuntur,& virtute diuina coagmentabuntur,& animabus è cœlo descendentibus,& ab inferis ascendentibus viuificabuntur, vt numquam amplius moriantur.

1. Thess. 4. Mortui ad iudicium vocandi.

1.Cor.15. 42. Citissimè omnes resurgent incorrupti.

3. Sed quantum erit corporis alicuius reprobi, & corporis iusti discrimen? Omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur, id est, non omnes gloria vestiemur. Corpora damnatorum erunt summè deformia,fœtida,passibilia,quę ignis non consumet,sed in perpetuum exuret. In quibus miseræ animæ inuitæ, & cum rabie,& nimia tristitia ingredientur, & multis se inuicem maledictionibus complectentur. Quærent isti homines mortem, & non inuenient eam, & desiderabunt mori, & fugiet mors ab eis. At iustorum corpora resurgent pulchra,impassibilia, glorioſa,quæ animæ iustæ maxima lætitia suscipient, & cogitationibus beneuolentissimis illis gratulabuntur. Dicet anima: O corpus meum, ô amice charissime, ô frater fidelissime,nũc fructum laborum tuorum cum alacritate suscipies. Cecidisti in corruptionem,resurgis in incorruptione; abscondisti te in ignobilitate,eleuaris in gloria: circumdederunt te in infirmitate, appares in virtute: eras corpus animale, mortale ac miserum, factum es corpus spirituale, immortale, glorioſum. Hic solus occursus corporis & animæ sufficiens præmium omnium laborum reputandum est.

Apoc. 9. 6. Qualia iustorum.

1.Cor.15. 43. Qualia impiorũ corpora tũc erũt.

MEDITATIO V.

D aduentu iudicis & segregatione bonorum à malis.

1. PVnctum.Interim oculis omnium cœlum videbitur aperiri,& omnes Angeli nouem ordinum,cunctique Sancti Christum iudicem comitaturi procedent. Ecce, inquit, venit Dominus in sanctis millibus suis.] Et:Dominus ad iudicandum veniet cum senibus populi sui, & cum principibus eius.] Veniet autem postea iudex plenus gloria,vestitus decore, circumdatus maiestate, solem ipsum claritate superans, & bonos fiducia, malos verò summo timore complens. Apparebit ante Dominum vexillum crucis, quod etiam malis timorem incutiet, & bonos maximopere exhilarabit. Qui immortales iam facti rapientur in nubibus obuiã Christo in aëra, vt se Angelis descendentibus immisceant iudicem comitaturi, & cum illa cœlesti turba vsque ad locum discussionis venturi.

Iudicis comitatus. Iudæ 14. Isaiæ 3. 14.

Forma & ornatus. Matth. 24.30. Crucis vexillũ.

1. Thess. 4.16.

2. Locus iudicij est vallis Iosaphat, in quẽ Dominus veniet, & in throno splendidissimæ nubis sedebit:& ibi omnes homines aduocabit vt discepter cum eis. Astabit Regina Angelorum ad latus filij sedens,nullam iam opem peccatoribus allatura, sed illos cum filio damnatura. Sedebunt etiam vt iudices, qui simul cum Christo sententiam probent, Apostoli & Apostolici viri, qui non externa tantùm specie,sed verè & ex corde omnia reliquerunt,& Christi vitam sunt imitati. Quis igitur poterit cogitare hunc diem aduentus Domini, cuius vulnera Solis radiis splendidiora impios terrebunt,iustos verò spe & lætitia roborabunt.

Locus iudicij. Ioël. 3.2. Qui cum Christo iudicaturi.

Malach. 3. 27.

3. Fiet statim illa in æternum duratura separatio, non nobilium ab ignobilibus, non diuitum à pauperibus,non litteratorum ab ignorantibus, sed bonorum à malis.Separabit Dominus Angelorum ministerio triticũ à zizaniis, oues ab hædis;iustos constituet à dextris,& à terra in eminentiorem locum sublimabit:malos statuet à sinistris, & in loco ignobiliori relinquet.Esto & tu ouis,qui Christum ad imitationem enitaris agnoscere,qui vocem eius ad obedientiam audias,vt sublimiorem locum adire merearis. Tunc profectò stabunt iusti in magna constantia aduersùs eos, qui se angustiauerunt. Impij autem videntes eos ad dexteram collocatos, turbabuntur timore horribili, & mirabuntur in subitatione tam insperatæ eorum salutis. Vide vtram partem velis eligere.

Iustis sontes dirimendi.

Boni ad dexterã, mali ad lauam.

Sap.5.1. Sanctorũ constantia, peccatorum timor.

MEDITATIO VI.

De discussione vitæ, tum bonorum, tum malorum.

1. PVnctum. Discutiet Dominus opera hominum sic segregatorum, immo & Angelorum, & magna cum æquitate discutiet. Libri, inquit, aperti sunt, & alius liber apertus est, qui est liber vitæ.] Libri multi conscientiæ multorum: liber vnus vitæ, conuersatio Christi Iesu, cum quo alij libri debent concordare. Deteget igitur Christus conscientias peccatorum; & peccata omnium illorum reuelabit, & cuique peccata sua, & peccata omnium, ita vt cuncta, quæ homines gesserunt, cunctis aperiat, ostendet. Ibi apparebunt crimina secretissima cordis, peccata abscondita operis in recessibus domorum patrata, delicta grauia à notitia sacerdotum in confessione celata, & prætextibus vanis contecta. Apparebunt siniſtræ intentiones, fraudes, hypocrises; & quia hęc libro vitæ non consentient, immo ab eo toto cœlo distabunt, grauissimè increpabuntur. Ne autem impij conquerantur, opera etiam bona ipsorum manifestabuntur, sed ad ignominiam eorum; quia tanta bona, ob res nihili dilapidauerunt; quia in illis non perstiterunt: quia multi ipsorum fuerunt ex illis, qui docuerunt bona, & non fecerunt, & imposuerunt aliis onera grauia, & ea nec digito voluerunt attingere.

2. Nihil erit opertum, ô miser peccator, quod non reueletur; nihil absconditum, quod non sciatur. Vide tu, quando tuæ ignominiæ, tuæque vilitates omnibus reuelabuntur, quanto pudore suffunderis. Vidistine aliquando hominem, quem doctum & sanctum reputaueras, à censoribus fidei in publicum theatrum propter hæresim eductum, veste ignominiosa notatum, & pœnæ ignis adiudicatum. Nónne hęc infamia & ignominia tibi maxima visa est? Sed dico tibi, quòd nullius est momenti, si cum illa ignominia impiorum conferatur.

3. Iustis verò quàm meritò dictum est, vt in hac die terribili capita in signum fiduciæ & fœlicitatis leuent. Aperiet Dominus vniuersis Angelis & hominibus omnia opera bona ipsorum, sigillatim mandatorum custodiam, consiliorum obseruationem, ieiunia, vigilias, corporis asperitates, eleemosynas, multiplex genus abnegationis, & quidquid virtutis gesserunt laudabit, & sibi gratissimũ fuisse in publicum proferet. Peccata etiam horum manifestabit, ex quibus tamen nullus pudor illis prouenier, quia ea pœnitentia & lacrymis diluerunt, quia in Christi sanguine suffocarunt, quia ad viam veritatis tempestiuè redierunt.

4. Quanta erit tunc Sanctorum iustorúmque laudatio, quam nó homines insipientes & decepti dabunt, sed Deus ipse & Angeli & omnes sapientes largientur. Tunc laus erit vnicuique istorum à Deo, qui & illos fideles sibi prædicabit, & ex comparatione ad eos, impiorum turbam noua ignominia afficiet.

Apoc. 20. 12.

Conscientiæ peccatorum retegẽdæ & omnium crimina reuelanda.

Bona etiam impiorum opera manifestanda in pudorem ipsorum.

Mat. 10. 26.

Nulla huius sæculi infamia par ignominiæ futuri.

Iustorum benefacta aperienda, peccata autẽ ad illorum gloriam.

Sancti in iudicio laudãdi: scelesti vituperandi.

MEDITATIO VII.

De sententiæ prolatione ad bonos & malos.

1. PVnctum. Hac discussione seu ostensione operum facta iudex iustus & rectus vltimam sententiam proferet, quam non licet immutare.

A Primò alloquetur bonos hilari & benigna facie conuersus ad eos, vt vel ipsi iniqui testes sint miserationis eius, & fœlicitatis bonorum. Dicet autem illis: Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi.] Venite, inquam, ad gloriam, quia venistis ad iustitiam, quando vocaui vos. Benedicti Patris mei, cuius benedictio efficax est, integra & omnem benedictionem continens est, immutabilis & perpetua est, qui vos benedixerit, erit benedictus, qui verò maledixerit, maledictionibus replebitur. Possidete iure hæreditario, quia filij Dei constituti & fratres mei, non bonum aliquod diminutum, sed regnum, non temporale, sed æternum, non terræ, sed cœli, non ab homine, sed à Deo paratum, non B aliis, sed vobis, quos ipse Pater in suum peculium elegit.

2. Iusti hoc perpetuo regno donati ex totis præcordiis Christo gratias agent, eius misericordiam & iustitiam prædicabunt, sibi inuicem gratulabuntur, beatæ Virgini & Sanctis, quorum ope tantum bonum assequuti sunt, gratissimos se ostendent, & quisque sua opera, quæ fecit, & molestias ac pressuras, quas propter Deum passus est, quibúsquetam eximiam gloriam acquisiuit, in summo pretio habebit.

3 Impiis, quibus væ in hac vita & in futura paratum est, omnia hæc è contrario succedent. Nam iudex Christus vultu indignabundo, & quasi fulmina vibrante conuersus ad illos, dicet voce terribili: C Discedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo & angelis eius.] Discedite, inquam, à me, qui sum vltimus finis vester, & omne bonum vestrum, vt in æternum pœna damni puniamini. Discedite à domo mea, & ab Angelis & Sanctis meis, vt eorũ societate numquam fruamini; discedite ab omni eo quod vos tueri potest, vt in omnimoda solitudine bonorum constituamini. Maledicti, omni maledictione repleti, corpore & anima, & in omni loco & tempore malis & execrationibus sustinendis deputati. In ignem æternum, vt pœnam sensus & cruciatus intolerabiles per omnem æternitatem sentiatis. Quod paratum erat (vobis scientibus vt emendaremini) non quidem vobis, quos ego (quod ad me attinet) saluare volebam, sed dæmonibus, cum quibus in perpetuum punieminí. D

4. Qualis erit iniquorum animus, dum se vident à Christo cõtemni, & in barathrum omnium malorum deturbari? Concipient sine vlla mensura tristitiam & dolorem, quia nulla est mensura calamitatis quam sustinent. Hanc maledictionibus in se iactatis, & querimoniis aduersùs iudicẽ prolatis testabuntur, quibus tamen in omnem æternitatem durantibus nullo modo miseriæ ipsorum lenientur. Time, ô homo, ne ex istis sis futurus, & ita vitã tuam nunc corrige, vt in consilio malignantium non sedeas, sed in illa tremenda die absolutus euadas. E

Sententia pro iustis ferenda. Mat. 25. 34.

Iusti gratias Christo inabebunt.

Damnatorum tristitia & dolor absque mensura.

De acerbitate pœnarum inferni.

CAP. VI.

POst meditationem iudicij recogitanda est acerbitas pœnarum inferni, qua peccatores puniendi sunt. Hæc enim vehementer instigat, vt de præteritis peccatis doleamus; & vt de cætero numquam saltem

Pœnarũ inferni acerbitas meditata retrahit à peccãdo.

graui peccato fœdemur. Nemo eſt, qui cibum etiã ſuauiſſimum comedat, ſi propter guſtum illius ſe ſtatim morte, aut grauiſſimis calamitatibus mulctandum ſciat. Sic qui attenta conſideratione inſpicit criminum dulcedinem doloribus gehennalibus eſſe puniendam, maximè à peccato retrahitur. Tantummodo ſola vexatio, ait Iſaias, intellectum dabit auditui.] Quod quidem verum eſt non ſolùm, quando ipſam vexationem ſenſu percipimus, verùm & cùm eam intenta recogitatione meditamur. Vnde cùm quiſque oculis interioribus videt mala perpetua, quæ ob peccata impij ſuſtinent, hæc ipſa vexatio conſpecta oculis eum à peccatis auertit. Infernus, ex ſententia Bernardi, eſt cuſtos rationis, cuius recordatio efficit ne peccati conſenſu polluatur. Iam verò ad thalamum rationis, inquit, talis & tam ferox adhibendus eſt cuſtos, qui nemini parcat, ſed quicumque hoſtis, ſiue clam ſiue palàm ingredi præſumſerit, procul eum arceat, & hìc ſit recordatio gehennæ.] Bene ergo ſecundùm tropologiam monet Dauid in Pſalmo: Deſcẽdant in infernum viuentes, vt qui in vita illuc conſideratione deſcenderint, in morte in gehennam non cadant, & à cauſſa cadendi ſcilicet à peccato ſe conſtanter auertant. De hac igitur pœna impiorum grauiſſima, hæc ad fugiendum peccatum poſſumus meditari.

Iſaiæ 28. 19.

Cuſtos rationis infernus. Ber. ſer. de triplici iudicio.

Pſal. 54. 16.

MEDITATIO I.

De loco inferni, in quo puniuntur reprobi.

1. PVnctum. In temporali republica bene gubernata ædificatur carcer, vbi mali & inquieti detinentur, quouſque debita pœna puniantur. Sic Deus in mundo fecit carcerem, in quo perpetuò mali, qui in peccato lethali deceſſerunt, teneantur, & diris cruciatibus caſtigentur. Hic carcer vocatur gehenna ſiue infernus. Vnde infernus eſt locus ad comprehenſionem & punitionem impiorum deſtinatus, ſeu eſt ſtatus omnium malorum aggregatione miſerrimus. In terra, ô homo, habes multa bona, quibus vtaris, & non pauca mala pœnæ, quibus patienter ſuſtentatis aliquid apud Deũ merearis. In cœlo habebis omne bonum, & nullum malum. At fuge gehennam, quia ipſa eſt coaceruatio omnium malorum, infamiæ, doloris & cæterorum, & exilium perpetuum omnium bonorum.

Carcer impiorũ infernus.

Gehenna omnium malorum cumulus.

2. Lacus inferni eſt in centro terræ atque in ipſis viſceribus conſtitutus. Cuique enim rei Deus locum congruentem attribuit. Peccatores autem, qui voluntate ſua miſerrimas & viliſſimas creaturas ſe fecerunt, meritò in infimo & viliſſimo ac miſerrimo loco clauſi tenentur. Statuerunt oculos ſuos declinare in terram; terram reſpicere, terram amare, ideo meritò terra obruuntur, & in infimis cauernis eius ſub montibus gemunt, & in ſentina totius terræ, in quam omnes ſordes defluunt, iuſtiſſimè collocantur.

Quare impij teneantur clauſi in infimo terræ loco. Pſal. 16. 11.

3. In iſto loco nihil eſt, quod miſeros peccatores oblectet. Non eſt ibi lux, niſi quæ pœnam ingerentia manifeſtet. Quare vocatur terra tenebroſa, & operta mortis caligine: in qua princeps tenebrarum, & qui tenebras dilexerunt, & lucem odio habuerunt, habitant. Non eſt ibi vox niſi gemituum & vlulatuum, quæ habitatores contriſtat. Ibi eſt teterrimus odor, quare vocatur ſtagnum ignis & ſulphuris, qui odor ex corporibus damnatorum procedet. Eſt & amaritudo maxima abſinthium, & fel longè poſt ſe relinquens. Eſt denique locus tactui horrendus, multa habens, de quibus ſtatim, quæ miſeros crucient. Vide ſi in hoc loco ſemper habitabis, cùm in loco amœno, ſi in illo vinctus tenearis, ad vnum diem commorari non poſſis.

In inferno nulla cauſſa ſolatij. Iob 10. 21.

Apoc. 19. 20.

4. Eſt tandem infernus locus anguſtiſſimus & arctiſſimus. Licèt enim dicatur, quòd dilatauit infernus animam ſuam, & aperuit os ſuum abſque vllo termino. Tamen tot numero in illum deſcenſuri ſunt, vt exiguus locus cuique ſuperſit. Ita erunt inter ſe conſtricti, vt omnino moueri non poſſint. An vidiſti lateres in fornace? an haleces in caniſtro? Sed multo magis delicati in inferno comprimentur. O homo, quàm terribilis eſt locus iſte, verè non eſt hìc aliud niſi domus diaboli, & porta omnis miſeriæ. Deteſtare peccata tua, & fuge ab illis ſi exhorreſcis in tam tetrum carcerem coniici.

Infernus anguſtus. Iſaiæ 5. 14.

MEDITATIO II.

De miſerrima ſocietate damnatorum.

1. PVnctum. Bonorum ſocietas multum valet ad leniendum dolorem, & è cõtra malorum ſocietas ad illum augendum. Ex hac autem parte, ô miſer peccator, niſi reſipiſcas, intolerabilis miſeria te manet, quia cum illis perpetuò eris, quorum præſentia tuus dolor & furor increſcat. In lecto igneo decubabis, & non erunt ibi parentes, nec fratres, nec cognati, qui te conſolentur, quia etſi multi iſtorum forſitan in inferno torquebuntur, tamen viſcera pietatis amiſerunt, & perpetuis maledictionibus tibi inſultabunt. Non erunt ibi amici, quia affectu amoris exuti in hoſtes implacabiles conuertentur. Non erunt ſerui nec famuli, qui erecto collo ad ignominias tibi inferendas conſurgent, & debitum ſeruitutis ac obſequiorum excutient. Non erit in eo loco vllus perſonarum ordo maiorum & minorum, nobiliũ & ignobilium, quia ibi nullus ordo, ſed ſempiternus horror inhabitat. Atque imperatores & reges & alij principes viri æquè ac mancipia viliſſima ad pœnas & iniurias inquirentur.

Malorũ ſocietas tormenta damnatis augebit.

In gehenna nulla pietas, nullus amor, nullum famulorum obſequiũ, nullus ordo. Iob 10. 22.

2. Illi præcipuè, qui complices fuerunt peccatorum, quos immoderatè dilexiſti, quorum tibi fuit conuerſatio iucundior, maiorem in corde tuo rabiem & deſperationem excitabunt. Illos enim aſpicies vt terribiles hoſtes animæ tuæ, vt cauſſas damnationis tuæ: eos implicabili odio proſequéris, & ab eis fugere deſiderabis, nec poteris.

Delictorum comites ibi rabiẽ ingerent, & deſperationem.

3. Socios etiã habebis dæmones fœditate turpiſſimos, odio crudeliſſimos, carnifices infeſtiſſimos, qui immiſſis cogitationibus præſentium malorum, & apparitionibus horribiliſſimis te terrebunt. In hac vita cùm eorum furor à Domino cohibetur, ita Iobum afflixerunt, ita Martyres dilacerarunt, ita energumenos cruciant, & diſcerpunt, quid faciẽt, cùm ſibi facultas omnis ſæuiendi conceſſa fuerit, & reprobos ad libitum lacerandi.

Damnatorũ pœnæ dæmonum comitatu maiores fient.

4. Tandem, nullum inuenies in illo ergaſtulo nec hominem, nec dæmonem, qui te conſoletur: neminem cuius tibi ſit conuictus amabilis. Omnes tibi moleſti erunt, & eo moleſtiores, quo eorum aſpectum vitare non poteris. Pœna ſanè iuſtiſſimè lata in peccatores, vt qui in hac vita ſocietatem bonorum auerſati ſunt, nequiſſimorum dæmonum ſocietate puniantur.

Omnes in inferno cæteris moleſti, graues.

MEDITATIO III.

De pœna damni, qua puniuntur reprobi.

Duplex pœna sẽsus & damni.

1. PVnctum. Duæ sunt damnatorum pœnæ; damni, & sensus, sub quibus omnes aliæ comprehensæ sunt. Pœna damni est quam reprobi ex carentia bonorum, ad quæ possidenda creati sunt, in æternum percipiunt. Nimirum, quia priuantur clara Dei visione, suauissima eius dilectione, ineffabili ipsius dulcedinis possessione, & dotibus glorioſis, quibus Sanctorum corpora ornata sunt. Huc etiam pertinet illa pœna quam patiuntur; ex eo quòd arcentur à conspectu humanitatis Christi Saluatoris, & beatæ Virginis, & à societate nouem ordinum Angelorum, & omniũ Sanctorum. Quia enim peccando à Deo auerterunt se, iustum est vt in vltionem huius auersionis, Deus ipse ab eis auertatur, & ab omnibus Sanctis & Angelis extorres fiant.

Qualis pœna damni.

Pœna damni omnium grauissima.

2. Hæc pœna est omnium grauissima, adeò vt vellent damnati cunctas pœnas huius vitæ & alterius sustinere, quàm hac diuinæ visionis, & eorum quæ ad eam sequuntur priuatione mulctari. Non quia Deum diligunt miseri, qui odio ipsius pleni sunt, sed quia maiorem voluptatem & tranquillitatem in hac sola visione, quam in omnibus aliis bonis esse cognoscunt. Ac proinde implacabili rabie ex carentia tanti boni possessi sunt. Anima enim eodem momento, quo à corpore separatur, vellet magno impetu in suum finem tendere, sicut lapis tendit in centrum, & magna vi ab hoc motu impeditur, & in summam miseriam detruditur.

Animæ finis Deus.

3. Quàm verò terribilis sit ista pœna, ex his perspici licet, quòd illum maiorem dolorem infert, quòd priuat maiori bono. Hæc autem pœna est carentia infiniti boni, nempe Dei, & infinitæ voluptatis, & infiniti thesauri, & infiniti honoris; quãtum igitur dolorem immittet? Terribilissimum malum huius vitæ est mors, sed hæc pœna est mors animæ, quia Deus est vita eius, à quo in æternum auellitur. Denique sicut oculus non vidit, nec auris audiuit, neque in cor hominis ascendit bonũ quod præparauit Deus diligentibus se, ita nec malum hoc damni, quod impiis inferre constituit.

Quibus bonis damnati priuẽtur.

Pœna damni omnem superat cogitationem.

MEDITATIO IV.

De pœna sensus damnatorum.

Pœna sẽsus valde terribilis.

1. PVnctum. Pœna sensus, qua damnati torquentur, non solùm singulas pœnas huius vitæ, verùm & omnes simul acceptas in immensum excellit. Est quilibet illorum, vt abyssus pœnarum, vt mare dolorum, vt pelagus omnium amaritudinũ, in quo nullus est sensus, nullum membrum, nulla particula, cui non specialis & terribilis pœna destinetur. Omnes autem simul, & absque vlla intermissione infœlicem inuadunt, vt eius tormentum sit omnimodo intolerabile. Sed licèt numerus hic pœnarum nostram cogitationem excedat, hoc loco aliquas earum recensebimus. Oculi damnatorum torquebuntur aspectu dæmonum in assumtis corporibus deformissimis illos terrentium. Insuper & aspectu corporum aliorum reproborum, quæ erunt supra omnem nostram existimationem fœdissima. Ac tandem igne & fumo, & atra illius loci caligine & obscuritate.

Damnatorũ quilibet mare dolorum.

Torméta oculorũ.

Aurium cruciatus.

2. Aures illorum infœlicium puniuntur gemitibus, vlulatibus, rugitibus, querimonis, blasphemiis, & aliis vocibus huiusmodi, quorum auditio cor angustabit, & perpetua tristitia complebit.

3. Odoratus pro suaui odore fœtorem sulphuris & omnium rerum fœtidissimarum percipiet, & quisque reproborum ex corpore suo ac ex corporibus aliorum damnatorum pessimum odorem exhalantem sentiet.

Odoratus supplicium.

4. Gustus habebit, quo se oblectet fel, draconum, & vinum aspidum, & omnes sapores felle amariores, & pro crapula & ebietate famem & sitim perpetuam, adeò (vt sicut in diuite epulone contigit) guttam aquæ desideret, vt lingua tantillum refrigeretur in illa flamma quam patitur.

Pœna gustus.

5. Tactus per totum corpus dispersus nimio ignis ardore & intolerabili niuium frigore cruciabitur. Nam miseri illi, vt est in Iob, ad nimium calorem transibunt ab aquis niuium. Si manum vno die in fornace habere non sustines, aut in stagno aquæ frigidæ per vnam noctem hyemis manere non vales, quo pacto illum ardorem & illud frigus æternum sustinebis? Interim autem dum corpora resurgunt, animæ igne torquentur, quia Deus miro sed verissimo modo illi vim confert, vt spiritum cruciet.

Tactus dolores.

Iob 29. 19.

6. Sensus internus siue vnus tantùm sit, siue in plures diuisus, perpetua & viuacissima apprehensione malorum, quæ damnatus patitur, affligetur, & illi cogitationem aliò diuertere, aut suorum malorum obliuisci non dabitur.

Interni sensus afflictio.

7. Appetitus suis passionibus immoderatis quasi in rabiem agetur. Nam præsentia mala tristitias & mœrores, odia & desperationes, timores & desideria, quasi ventos hincinde nauem cordis impellentes & confringentes excitabunt. Erit tunc verè cor impij tamquam mare feruens, quod quiescere haudquaquam poterit.

Appetitus rabies, & mœror.

8. Memoria semper coràm habebit fœlicitatem & delitias, & abundantiam præteritam, & infœlicitatem, & dolorem & penuriam præsentem, non vt ex consideratione bonorum aliquod leuamen capiat, sed vt ex collatione statuum istorum maius tormentum percipiat.

Memoria tormentum.

9. Intellectus errorum & obscuritatum plenus, culpas leues putabit, & pœnas graues, Deumque crudelitatis incusabit, quòd sic peccata castigat. Nihil poterit considerare, quod damnato leuamen afferat. Sed quid mirum, si nulla ei relicta sit consolatio. Intentissimè autem inspiciet, quæ dolorem augeant, quàm momẽtaneæ voluptates transierunt, quàm facile potuit veniam peccatorum consequi, & tanta mala vitare. Quàm magnam gloriam perdidit, & quantam miseriam acquisiuit. Ex his autem oritur vermis ille conscientiæ, de quo scriptum est: Vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur.] Vermis, inquam, ille, & aduersarius ille qui semper miseros arguet, & eorum interiora depascet. Nam sicut vermis de ligno nascitur, & eodem lignum destruitur, ita hoc flagellum quo impius semper in inferno percutitur, ex mala conscientia procedit, & ipsam sine intermissione corrodit.

Intellectus grauis cruciatus.

Isaiæ 66. 24. Vermis conscientia durus & immortalis.

10. Voluntas inuidia Dei & Beatorum angustabitur; odio exardescet, desperatione replebitur. Aliquod leuamen desiderabit, nec obtinebit: quoniam desiderium peccatorum peribit. Hinc iniuriæ in Deum, ac in Sanctos iactatæ, hinc blasphemiæ procedent, quæ quia tabernaculo Domini non appropinquabunt, in ipsos reprobos ad maius eorum tormentum decident.

Voluntatis angustia.

Psal. 111.

Damnati sibi inuicē carnifices.

11. Denique, ô peccator, nisi pœniteas, tot habebis carnifices, homines,& dæmones,qui te crucient, quot fuerint socij damnationis tuæ. Tu ipse carnifex tibi eris,qui teipsum sine vlla miseratione discerpes. Et quod terribilius est, ipse Deus omnipotentia sua te conteret: soluet manum suam, vt succidat te.

Iob 6.6.

MEDITATIO V.

De pœna particularium vitiorum.

Peccatores conueniunt, & differūt.

1. PVnctum. Hactenus recensitæ pœnæ omnibus damnatis communes sunt. At alias speciales indignatio Domini præparauit, quibus singularia crimina puniet. Omnes reprobi in hoc consentiunt, quòd diuinam legem fregerunt, gratiam Dei perdiderunt,& sine pœnitentia decesserunt,sed inter eos iniquitatis discrimen est. Nam quidam illorum superbia,quidam inuidia eminuerunt, alij aliis peccatorum generibus supra mensuram cæterorum fœdati sunt. Hi etiam, vt diuinæ sapientiæ perfectio,& vigor eius iustitię resplendeat,speciali vltione plectentur. Implebitúrque illud: Quantum glorificauit se, & in delitiis fuit, tantum date illi tormentum & luctum.] Et illud: In mensura contra mensurā, cùm abiecta fuerit (anima scilicet cuiusque damnati) iudicabis eam, meditatus est Dominus in spiritu suo duro per diem æstus;id est,in die extremæ afflictionis, quomodo mensuræ peccati mensuram vltionis opponat, & conuenientibus pœnis singulos peccatores affligat.

Qualia crimina tales pœna.

Apoc.18. 7.

Isaiæ 27. 8.

Ad culparum mensurā, tormentorum mensura.

Dualiter affligendi superbi.

2. Superbi igitur contumeliis & ignominiis afficientur, & in nouissimo loco gehennæ collocabuntur; videbúntque in seipsis completum illud Domini: Qui se exaltat,humiliabitur. Auari extremam penuriam, & omnium necessitatem patientur. Gulosi fame & siti intolerabili,& absinthio,& felle, ac aliis potibus amarissimis cruciabuntur. Impudici, & luxuriosi flāmis sulphuris & serpentibus arctabuntur. Inuidi viperis mordendi tradentur. Et pigri stimulis ferreis & candentibus fetientur. Sic nullum erit speciale peccatum, cui infinita sapientia,& seuera iustitia Dei congruentem pœnam non adhibeat.

Auari.

Gulosi.

Impudici.

Inuidi & pigri.

3. Prout ergo seminauerit peccator,sic & metet. Et quemadmodum iusti ob singularia virtutū opera,singularia recipient & præmia,ita peccatores ob singularia flagitia propria & peculiares pœnas sustinebunt. Vnde ex vitiis, quibus sordescis, coniicere poteris,quibus pœnis in inferno plecteris,nisi mutata vitæ conuersatione ad Deum in veritate conuertaris,& præterita crimina detesteris.

Singularia crimina ferent similes pœnas.

MEDITATIO VI.

De æternitate pœnarum.

Æternæ culpæ supplicia æterna.

1. PVnctum. Pœnæ inferni, ô verbum summopere extimescendum,in omnem æternitatem duraturæ sunt. Sicut enim peccata reproborū nullum habuerunt finem, quia in morte retractata nō sunt, sed nunc perdurant, & semper in eorum peruersa voluntate durabunt, ita nec pœnæ videbunt finem. Punieris, ô infœlix peccator, per mille annos, & illis exactis per millia millium cruciaberis, & post mille millia annorum; quasi necdum puniri cœperis, per infinita annorum millia iterum atque iterum torqueberis. Nullámque annorum aut sæculorum multitudinem cogitabis, qua exacta non superfit tibi infinita duratio,qua pœna plectéris. Infœlicitas enim tua & dolores & pœnæ tuæ cum Dei natura certabunt, vt sicut ipse in omnem æternitatem erit beatus,ita & tu in eamdem æternitatem miseria & cruciatu mulctaberis.

Locus supplicij æternus.

Eccl.1.4.

Cruciandus æternus.

Ignis & eius actio æterna.

2. Locus,in quo patieris,æternus erit, in meditullio terræ positus, de qua dictum est: Terra autem in æternum stat.] Tu etiam æternus eris, quia licet desideres mori,fugiet mors à te: & quamuis tormenta sint plusquam mortifera, numquam tamen morieris, vt semper moriaris. Ignis erit æternus. Nam audies cum complicibus tuis: Ite maledicti in ignem æternum. Actio ignis, in te erit æterna, quoniam mittéris in combustionem æternam. Qui vno horæ quadrante digitum igni applicare non potes, quomodo in æternum flammas ignis æterni sustinebis.

3. Solet autē pœnas extenuare, vel interruptio, quia videlicet aliqua mora interrumpūtur, vel imminutio, quia aliquantulum extenuantur, vel saltē spes alicuius interruptionis, vel extenuationis, quia vt interrumpendæ vel minuendæ saltem falsò apprehenduntur. Hæc autem in illis æternis pœnis damni & sensus locum non habent. Si ad illas fueris,ô peccator,damnatus,nec ad vnum momentum per totam æternitatem cessabunt: nec tantillū vnquā vim afflictionis remittent,nec spes saltē fallax interruptionis aut remissionis te cōsolabitur, quia eas semper sicut verè sunt, perpetuas & inuariabiles apprehendes. In hac vita nullum est malū quod varietatem & remissionem non sentiat, quod finē non videat: at illa mala nec interruptione cessabunt,nec extenuatione remittentur, nec aliquo fine claudentur. Si autem bona & suauia quando longo tempore eadem perseuerant, ad nauseam prouocant; dicebántque filij Israël: Anima nostra nauseat super cibo isto leuissimo;] quid tu facies cùm non in bonis,sed in pessimis,non in dulcibus, sed in amarissimis in perpetuum durare cogéris.

Damnatorū cruciatus nec ad vnū instans cessabunt aut remittentur.

Num.21. 5.

4. Cùm duplex sit damnatorum pœna: essentialis diuisa in pœnam damni & sensus; & accidentalis, quæ in tristitia,timore, & ignominia,ex aliis caussis proueniente consistit,illa inuariabilis erit,vt dictum est, ista verò nouo ingressu damnatorum augebitur: cùm autem stultorum,qui illuc ituri sunt, infinitus sit numerus, & tot numero quottidie ingrediantur,quàm in immensum singulis momentis augmentabitur. Time igitur,ô homo,peccata, quibus tam diri cruciatus & æterni dolores parati sunt,& ita viue vt in tam tetrum carcerem non detrudaris. Gratus esto Domino, qui te pœna æterna dignissimum hucusque sustinuit, & tempus ad agendam pœnitentiam concessit.

Impiorū duplex pœna essentialis, accidentalis.

1. Inuariabilis. Eccl. 1. 13.

Altera nouo damnatorū ingressu crescit.

MEDITATIO VII.

De magnitudine pœnarum Purgatorij.

Apoc.21. 27.

1. PVnctum. Non intrabit in illam sanctam & glorioſam ciuitatem Dei aliquid coinquinatum.] Quia ergo multi ex iustis ex hac vita cum multis, vel paucis, vel cum aliquo peccato veniali decesserunt,vel pro grauibus criminibus plenè non satisfecerunt, consequens est,vt sit locus purgatorij in quo ab his maculis lauentur,& ab his debitis liberentur, & ad purum excoquantur. Hic autem locus proximus est gehennę à blasphemiis quidem & peccatis immunis, sed inferno terribilitate pœnarum ferè æqualis. Ab hoc vt euadas,ô iuste,sanctè tibi viuendum est,& leuissima quæque peccata vitanda, quia iustitia Dei, in dilectis quoque suis leuia peccata impunita non sinit.

Locus purgatorij qualis sit, & quorsum.

2. Puniuntur ibi iusti pœna damni, quæ ex di-

Pœna damni iuſtorum terribilis.

uinæ viſionis carentia procedit. Hæc autem pœna,ô anima mea, quàm intolerabilis erit,quia fides pulchritudinis & bonitatis Dei, quem ſi non deliquiſſes,iam viſura eſſes,erit in ſe,& donorum Spiritus ſancti acceſſione clarior deſiderium ex certa ſpe fruendi Deo conceptum vehementius,charitas iam magnam perfectionem habens ex dilatione impatientior. O quanto dolore proclamabis : Heu mihi,quia incolatus meus prolongatus eſt:& quàm vehementer triſtaberis , quia illum incolatum tuis imperfectionibus prolongaſti.

Pſal.119. 5.

Pœna ſenſus grauiſſima.

3. Puniuntur etiam pœna ſenſus,& eodem igne inferni cruciantur.Vnde pœnæ iuſtorum in purgatorio omnes pœnas huius vitæ etiam martyrum excedunt. O quàm miſerabilis cruciatus erit ab illo implicabili igne pati , & ſimul ſocietate beatæ Virginis & Angelorum & Sanctorum carere.

Iuſti ſuarum pœnarum durationẽ ignorant.

4. Cruciatus etiam iuſtorum in illis flammis ex ignoratione futuræ durationis accreſcet. Ignorant enim quamdiu ibi tenebuntur , & quando ſoluentur.Licèt autem incertum ſit quanto tempore animæ iſtæ purgentur,certum tamen eſt,quia pro maiori aut minori numero & quantitate culparũ hæc duratio protrahitur vel abbreuiatur. Ex hiſtoriis autem cõſtat aliquos multis annis purgari. Miſerebor ergo animarum iuſtarum tam atrociter punitarum , eáſque ſuffragiis & orationibus & corporis afflictionibus iuuabo. Ita etiam vitam meam inſtituam,vt in morte iudicis clementiam merear.

Animæ in Purgatorio exiſtentes iuuanda.

De neceſſitate omnimodæ abnegationis.

CAPVT VII.

Quæ vtilitas ex præfatis meditationibus ſequatur.

TERRIBILIVM horum malorum conſideratio , quæ impios & peccatores expectant,tum dolorum commiſſorum criminum,tum deſiderium euadendi,& vitam emendandi pariat neceſſe eſt, cùm his qui iniqua ſua geſta non deteſtantur, & in vitæ emendationem non incumbunt, nulla ſpes ſalutis ſuperſit. Hæc autem mutatio vitæ à vera & omnimoda abnegatione dependet,quæ germina iniquitatis reſecat,& fontem malorum noſtrorum obturat.Peccauimus,& gratiam Dei ac ius ad fœlicitatem perdidimus,& damnatione æterna nos dignos fecimus, quia poſt illud Adæ parentis noſtri peccatũ vehementer ad malum procliues ſumus. Et abſque dubio,niſi hanc procliuitatem abſtulerimus, aut eam cohibuerimus, iterum atque iterum delinquemus. Eam omnino auferre , & extinguere, nec Deus iubet,neq; in noſtra eſt poteſtate. Solùm ergo ſuperest, vt nobis ipſis imperemus ; & concupiſcentiam noſtram ad malum pronam cohibeamus.Hoc verò facit abnegatio ac mortificatio, cuius eſt ſuperflua reſecare,inordinata moderari,vitia ſuperare,& initia virtutum , immo & omnem virtutem inſerere. Si enim abnegationis naturam ac ſubſtantiam conſideremus, perſpicuè videbimus eximiam ac mirabilem eius eſſe præſtantiam , quæ & vniuerſarum virtutum actiones ſecum affert , & omni peccato, quin & omni imperfectioni bellum indicit;neque vmquam deficimus,niſi quia à mortificatione ceſſamus. Singulæ virtutes ſingulis malis noſtris medentur,& aliquam partem noſtri componunt. Humilitas facit nos humiles , non patientes , ſi in ſuo ambitu ſe contineat,& patientia efficit nos patientes,non humiles.Temperantia concupiſcibilẽ moderatur,nõ iraſcibilem, fortitudo verò iraſcibilem ordinat,non concupiſcibilẽ.At mortificatio omnes vires penetrat,in omnia interiora peruadit,vniuerſas virtutes ſibi adiutrices aduocat,vt virum ſpiritualem perfectè mortificatum faciat , & quidquid ſibi aduerſatur depellat. Eſt igitur valde proprium incipientium, qui aduersùs peccata, & vitia,& immoderatas affectiones pugnant , gladium mortificationis aſſumere, & in eo cõtra ſuos hoſtes vſque ad mortem decertare.Eſt nãque mortificatio bona mors , qua peccato morimur , vt iuſtitiæ viuamus. De qua pulchrè & breuiter Auguſtinus:Moriar, ne moriar.] Eſt mors,que,aſſertore Bernardo,vitã non aufert , ſed transfert in melius. Eſt prorſus mors, qua à morte peccati purgamur , & ianuas morti gratię,ne ad nos intrare poſſit occludimus.Et quia alibi latiſſimè eius vis & natura à nobis enucleata eſt, ſolùm dicamus incipientibus ſeptem eſſe mortificanda,vt peccatis obſiſtant, & munus vitæ purgatricis ritè obeant. Primum eſt corpus laſciuiens. Secũdus ſenſus exterior pruriẽs.Tertius ſenſus interior deludẽs.Quartus multiplex affectus effrẽnis. Quinta memoria vaga.Sextus intellectus inſipiẽs. Septima voluntas terrenis adhærens. Septẽ itaque meditationes ſubiicimus,quæ apprimè vtiles videbũtur, vt hi ſe ad amorẽ mortificationis accẽdant.

Quid mortificatio.

Incipientiũ valde propria abnegatio.

Mortificatio bona mors. Aug.1. conf.c.5. Bern.ſer. 52. in Cant. Lib. 2. de exterminatione mali.

Incipientibus ſeptẽ mortificãda.

MEDITATIO I.

De neceſſitate mortificationis corporis.

1. PVnctum. Corpus meum à me domandũ eſt, & debita caſtigatione cohibendũ , quoniam mancipium eſt non ſolùm pigrum , ſed & rebelle, quod flagellum ad honeſtos labores vrget , & cilicium & ciborum parcitas , ac quidquid aliud affligit,à laſciuia compeſcit.Cibaria,ait Sapiens,& virga, & onus aſino ; panis , & diſciplina, & opus ſeruo.] Immo & hoſtis eſt animæ noſtræ,mortémque eius machinatur, dum impuris motibus ad peccati conſenſum trahit. Hoſtis eſt omnium acerrimus, ſine quo nec mundus allicit , nec diabolus decipit. Quid autem iuſtius , quàm hoſtem ſubiugare , ne me interimat, & vinculis aſperitatum alligare , ne me ligatum ad peccatum trahat.

Corpus mãcipiũ pigrum.

Eccli.23. 25.

Corpus hoſtis acerrimus.

2. Corpus molliter & delicatè tractare nihil aliud eſt, quàm ſemina lolij & zizaniorũ, id eſt,vitiorum iacere , quæ cùm exorta fuerint , bonorum operum frumenta ſuffocet. Si nolo vt hortus corporis mei peſſimas herbas proferat , noxia delitiarum ſemina ei cõmendare pertimeſcam. Quoniam qui ſeminat in carne ſua, de carne & metet peccati corruptionem : qui autem ſeminat in ſpiritu (& is eſt, qui ſpiritu & feruore corpus ſuum mortificat) de ſpiritu metet vitam æternam.

Quid ſit molliter corpus tractare.

Gal. 6.8.

3. Non in terra arida,ſed in cœno vel luto volutantur ſues.Sic non in corpore aſperitatibus marcido,& caſtigationibus exiccato , ſed in corpore delitiis & voluptatibus aſſueto volutantur vitia & dæmones. Hoc lutum & cœnum eſt , quia cùm è terra formatum ſit,ipſum fluenta delitiarum emolliunt,& luctum Deo & Angelis fœtidum reddunt.

Qualia ſemina talis meſſis.

Delitiæ volutabrum vitiorũ & dæmonũ.

4. Corpori ſupra neceſſitatem indulgere nihil aliud eſt quàm eſcam vermibus præparare : ipſum namque poſt mortem futurum eſt cibus vermiũ.Si autem tempus hoc vitæ mihi datũ eſt vt eſcas quibus in æternũ veſcar, id eſt, merita æternæ gloriæ, parẽ, & illuc vbi cum Deo sẽper regnaturus ſum, properẽ, quæ dementia eſt in præparãdo cibo vermium vitam terere, & virtutum curam negligere.

Vermibus eſcã parant, qui corpori indulgent.

5. Chriſtus præceptor meus vitam ab omni luxu & voluptate alienam elegit,& in ieiuniis & vi-

Chriſti & Apoſtolorum exẽplũ.

giliis,& ſanctis laboribus, & extrema nuditate tẽpus omne tranſegit.Illum in vitę aſperitate,ſicut & in cæteris omnibus imitati ſunt Apoſtoli,quorum vox eſt per os Pauli : Vſque in hanc horam & eſurimus,& ſitimus,& nudi ſumus.] Et iterũ : Semper mortificationem Ieſu in corpore noſtro circumferentes, vt & vita Ieſu (non quidem mollis & delicata,ſed aſpera & dura)manifeſtetur in corporibus noſtris.]Hos alij Sancti &viri perfecti ſequuti ſunt, qui corporis caſtigationem affectu ſemper amarunt,& opere dilexerunt. Caſtigatio ergo corporis inſtrumentum eſt perfectionis. Ergo ſtultum erit ad perfectionem obtinẽdam alia inſtrumenta,præcipuè contraria quærere,& per corporis indulgentiam ad puritatem mentis feſtinare. Caſtigabo itaque corpus meum , & in ſeruitutem redigam , ne fortè cũ aliis prædicauero, ipſe reprobus efficiar.] Hæc autem erit caſtigatio , ſi ei præcisè neceſſaria in victu & veſtitu,& aliis tribuero,ſi ſuperflua denegauero,ſi diſcretis afflictionibus cohibuero.

1.Cor. 4. 11. 2.Cor. 4.10.

Caſtigatio corporis inſtrumentum perfectionis.

1.Cor.9. 27.

Qualis futura hæc caſtigatio.

Meditatio II.

De neceſsitate mortificationis ſenſuum exteriorum.

1. PVnctum.Senſus externi viſus,auditus, odoratus,guſtus,& tactus cohibendi ſunt, ita vt ſolùm neceſſaria percipiant,vt noxia fugiant, & vt propter amorem Dei , & ſtudium virtutis à multis licitis,quæ ſine detrimẽto vitari poſſunt, abſtinẽat. Hi enim ſunt ianuæ, per quas , niſi mortificatione claudantur , peccati mors ad mentem ingreditur. Dauidem adulterij crimen per viſum cœpit : vidit enim mulierem ſe lauãtem,& cum iniuria viri eius tulit eã. Alios auditus deluſit,quare monet Sapiẽs, vt ſepiamus aures noſtras ſpinis , ne venenũ verbi detractorij per eas in cor penetret , & animam interficiat. Quoſdam odoratus infecit: nam ſicut canes ex odore inſequuntur prædam, ita ánimus per odorem nonnumquam ad minus pura cogitanda procedit. Et illa aſperſit cubile ſuum myrrha , & aloë,& cinnamomo,vt adoleſcentulũ ad luxum attraheret.Guſtus primos parẽtes interemit;& tactus plurimos hucuſq; fœdauit. Qui enim tetigerit picem, inquinabitur ab ea. Si cordi eſt mihi peccata fugere,cordi ſit etiam ſenſus mortificatione munire,& quæque noxia per ſenſus ingredientia vitare.

Sẽſus externi ianuæ , per quas mors anima ingreditur.

2. Reg. 11. 2. Eccli.28. 28.

Prou.6. 17. Gen.3.6. Eccli. 13. 1.

2. Præceptum fuit Iſraëlitis impoſitũ, vt poſtes domorum ſuarum ſanguine agni linirent,ſi vellent a gladio Angeli Ægyptios percutientis liberari. Cuius rei hoc myſterium eſt,vt ad vitandam mortem peccati portas domus noſtræ,id eſt, ſenſus,per quos hæc ſenſibilia ad nos intrant,ſenſuum Chriſti imitatione tingamus. Si autem illius capitis noſtri ſenſus à Deo puri fuerunt , vt nihil vmquam minus neceſſarium , aut minus mundum admiſerint , æquum eſt , vt nos membra eius & ad ſequelam eius vocati cura peruigili in mortificationem ſenſuum incumbamus.

Exodi 12.13. Præceptũ Iſraëlitis impoſitũ, & eius myſteriũ.

3. Tametſi ſenſuum cuſtodiẽdorum neglectus peccata grauia non pareret,at nõ dubium eſt, quin mentes etiam ſpiritualium virorum in varia & inania diſtrahat,& multis imperfectionibus ſuperfluarum cogitationum & deſideriorũ inficiat.Quapropter ſi cor mundum & quietum ſeruare cupio,ſenſuum mortificationi intendere debeo. Scriptum erat in lege : Vas quod non habuerit operculum, nec ligaturam deſuper, immundum erit.] Et nunc in lege gratiæ firmatũ eſt, vt qui ſenſus ſuos operculo mortificationis non texerit,corde immundus

Mortificatio ſenſuum ad puritatẽ cordis neceſſaria.

Num.19. 15.

A cenſeatur. Factus ergo ſum tãquam vas perditum. & immundum , ſi hoc abnegationis operculo ſordes imperfectionum minime vitauero.

Pſal.50. 13.

4. Ab aliquo progreſſu faciendo in oratione & contemplatione diſcedat, qui ſenſus ſuos mortificare noluerit. Sapientia enim diuina miſit ancillas ſuas,id eſt,inſpirationes ſanctas, vt vocarẽt paruulos,id eſt,humiles ad arcem cordis,& ad mœnia & vires interiores ciuitatis,vt ibi comederent panem vitæ & intellectus, & biberent vinum conſolationum cœleſtium,quod miſcuit illis.Qui autem poſt ſenſus ſuos vadit,hanc arcem nõ ingreditur, & his mœnibus nequaquam cingitur,& ideo huius panis & huius vini guſtu priuatur.Si igitur apud me ſtatui orationi intẽdere , vt id cum fructu præſtem,& B ne oleum & operam perdã,diligẽter curabo ſenſus meos cuſtodire,& à rebus ſuperfluis abſtrahere.

Vtiliſſima ad orationẽ & contemplationẽ. Prou.9.3.

Quæ bona amittat ſenſuum famulus.

Meditatio III.

De neceſsitate mortificationis ſenſuũ interiorum.

1. PVnctum. Senſus interiores ſunt, quibus etiamſi exteriores à ſuis functionibus ceſſent, ſenſibilia tractamus , & ac ſi ea oculis cerneremus, aut auribus audiremus, in eorum abſentia percipimus. Hi ſenſus mihi mortificandi ſunt; ita vt non ſolùm nihil indecẽs,verùm & nihil otioſum(quantum fieri poſſit)aut ſuperfluũ euoluant,ſed tantùm neceſſitati huius vitæ,aut orationi ſubſeruiãt. Horum enim ſenſuum actiones, quæ cogitationes dicuntur,ſunt pabula cupiditatum,& alimenta vitiorum:nã quidquid mali cupimus aut facimus, priùs cogitatione cõplectimur. De corde exeunt cogitationes malæ,] deinde tamquã ex illis procedẽtia homicidia,adulteria,& cætera huiuſmodi.Quĩ vult feram aliquam domare,aut penitus extinguere , ab ea pabulũ ſubtrahit.Et qui voluerit mala deſideria & vitia depellere,noxias cogitationes mortificet.

Qui ſenſus interni.

Mortificandi.

Cogitationes alimenta vitiorũ. Matth. 15.19.

2. Corpus ex diuturno morbo conualeſcere incipiens , quælibet affectio in eumdem aut grauiorem morbum impellit:& quælibet impura cogitatio,niſi eam citò mortificem & excutiã,me in peccatum deiiciet. Si enim incipiens ſum , nuper ex ſæcularis vitæ & prophanæ infirmitate conualui: & quamuis rudimenta vitæ ſpiritualis exceſſerim, D necdum propẽſionem ad malum reieci, nec robur ad reſiſtendũ peccato conquiſiui.Debeo ergo conſtanter eas cogitationes expellere,quæ & per ſe cor polluũt,&niſi reiiciãtur maiora mala afferre poſsũt.

Noxiæ cogitationes mortificãdæ.

3. Deo & hominibus debitores ſumus , quare monemur:Prouidentes,id eſt,prouidè præueniẽtes bona, non tantùm corã Deo,ſed etiã coram omnibus hominibus.] Homines intuentur ea quę exteriùs parẽt,Deus autẽ intuetur cor. Si verò exteriùs decenter nos habemus , quia homines nos vident, quanto æquius eſt,vt interiùs decentia ſint omnia, & puri,ac à ſuperfluis cogitationibus liberi Domino appareamus. Hæ namque ſunt mentis maculæ, E quæ eam inficiunt, quia ſordes rerum terrenarum, quæ cogitamus, ſuperiniiciunt.

Rom.12. 17.

Interiora & exteriora decentia ſint.

4. Cogitationes vanæ & ſuperfluæ tempus fruſtrà conſumunt omnibus diuitiis pretioſius , quod in operanda mea ſalute collocandum eſt. Sanctas cogitationes initia bonorum operum & deſideriorum impediunt, & ad diuinam familiaritatem inidoneum reddunt. Earum etiam ſicut & otioſorum verborum ſum rationem redditurus. Ergo otioſas cogitationes non minus quàm otioſa verba formidabo , vt animæ puritati conſulam , & occaſiones tempus conterendi præcidam.

Vanæ cogitationes multum dãni afferunt.

Cogitationum ratio reddenda.

MEDITATIO IV.

De neceſsitate mortificationis affectuum.

Vndecim cordis affectus.

1. PVnctum. Vndecim ſunt affectus cordis noſtri, quos paſſiones vocamus. Amor & odiū: deſiderium & fuga: delectatio & triſtitia: ſpes & deſperatio: timor,& audacia, & ira.Hæ paſſiones mihi cohibendę ſunt,ita vt neq; in vetita ferantur, que immoderatè aliquid amplectātur aut reiiciant. Hoc autem ideo curabo; quoniam paſſiones iſtæ ſunt velut immanes belluæ, quæ cor meum dilaniant: vt venti procelloſi, qui nauem mentis ſine vllo ordine huc illuc impellunt, & periculo ſubmerſionis exponunt: vt equi refractarij, qui me in præcipitium ferunt. Quid verò ſapientius, & vtilius(quandoquidem id gratia Dei poſſum)quàm has belluas manſuefacere, hos ventos comprimere, & iſtos equos fræno mortificationis, ne me in peccata deiiciant,cohibere.

Paſſiones cordis vt belluæ, venti, equi refrænandæ.

Cordis paſſiones ad malū inducūt.

2. Paſſionibus ad plurimorum peccatorum partitionem impellor, dum non diligenda amo, & non odio habenda odio habeo: dum fugienda deſidero, & deſideranda fugio: dum nimis in rebus terrenis delector, & triſtitia ex rebus nullius momenti,quæ deſunt,afficior: dum ſpes vanas concipio,& de gratiæ, qua me ſuperare poſſum, vigore deſpero: dum ad mundana ſum audax, & ad ſpiritualia aggredienda timore comprimor,& dum immoderatiùs iraſcor. Sunt ergo paſſiones culparum origines; ſunt arma à me ſponte dæmoni oblata, quibus me impugnet,& ſuperet. Debeo igitur eas mortificatione ordinare, & quaſi obturare ne culpas iugiter manent, & aſſidua abnegatione quaſi è manibus aduerſariorum eripere.

Inſtar carnificū animam torquent.

3.Hæ ſunt velut carnifices,quæ animā meā torquent,& ab omni quiete & lætitia dimouent. Pugnāt enim aſſiduè aduersùs ſpiritum,vt eum à virtutis amore auocent, & ad conſenſum peccati trahant. His impetitus iuſtus clamat ad Dominum: Quare me poſuiſti contrarium tibi, & factus ſum mihimetipſi grauis?] Et: Infœlix ego homo,quis me liberabit de corpore mortis huius?] Propriæ itaq; amor quietis, & interioris lætitiæ nos ad harum abnegationem inſtiget. Cùm autem certum ſit, quòd non propria induſtria ſola, ſed gratia Dei per Ieſum Chriſtum ab earum impulſu nos liberat, hanc humiliter & inſtanter petamus.

Iob 7.20.

Rom.7. 24.

4. Sedes multarum virtutū,nempe concupiſcibilis & iraſcibilis immoderantia iſtarum paſſionū occupantur. Vnde conſequens eſt, vt virtutū poſſeſſores minimè eſſe poſſimus, niſi exceſſus harum paſſionum abnegemus. Fortis ergo armatus mihi ex atrio cordis pellendus eſt,ſcilicet omnis inordinatus appetitus, & fortioris ſcilicet Chriſti Ieſu virtute & gratia vincendus, vt virtutibus exornemur,& donorū cœleſtium opibus diteſcamus. Has enim opes Deus affectibus inordinatis non miſcet, ſed in corde ab his vacuo & mundo cuſtodit.

Virtutes ſine abnegatione paſſionū non poſſidentur.

MEDITATIO V.

De neceſsitate mortificationis memoriæ.

1. PVnctum.Iam anima rationalis noſtra in tribus potentiis ſuis abnegāda eſt. Harū prima occurrit memoria,quę eſtvelut theca ſiue armariū, in quo ſimilitudines rerum inanium, & ſuperfluarum,& indecentium aſſeruantur;& hę intellectum ad inſpiciendum eas,& voluntatem ad diligendum ſolicitant.Hanc ita mortificabis, ſi aſſidua cura ſimilitudines iſtas tamquam tuo propoſito minimè proficuas abiicias:ſi eas obliuione delere ſatagas,ſi alias per ſenſus irruentes non admittas, ſi rerum ſanctarum ſpecies haurire & conſeruare concupiſcas. Præceptū erat legis: Agrum tuum non ſeres diuerſo ſemine. Et veſtę, quæ ex duobus texta eſt, non indueris.] Quod etiam nunc ſpiritualiter viget, vt nempe in agro memoriæ tuæ cum ſimilitudinibus rerum bonarum ſpecies vanas non ſeras, neque veſte ex tā diſſitis contexta iſtam animę potentiam induas. Quæ ſi ita fuerit induta,immunda reputabitur,& bonum ſemen non proueheturr.

Memoriæ armariū.

Quomodo mortificanda.

Leu.19. 19.

Memoria ager in quo bonæ ſpecies ſerendæ.

2. Deus videt memoriam meā tot vanis & impuris ſimilitudinibus mea culpa fœdatā, & diſplicet illi tanta væcordia, qua meipſum rebus à meo ſtatu alienis maculaui. Inſuper, & dona ſua iniicere in eam renuit,quia me indignū tanto bono præſtiti.Recordabor igitur profeſſionis meę,& meipsū increpans dicā: Ego ne hæc debeo in memoria reponere,qui vitam ſpiritualē profiteor,qui ſacerdos ſum vel religioſus,& iuſtitię cultor?Cur his alienis à meo ſtatu infici nō pertimeſco?Cur Deo inſpiciēti diſplicere non erubeſco?Cur me aptū ad cœleſtia ſuſcipiēda per harū vanitatū obliuionem nō facio?

Deo diſplicet memoria impura.

3. Illud mihi omnino perſuaſum ſit, memoriæ munditiam cum gratia Dei in mea eſſe poteſtate. Curabo itaque illa ſedulò diligentérque præſtare, quibus hæc munditia conquiritur.Huiuſmodi ſunt imanibus ſimilitudinibus cū indignatione occurrere,eáſque repellere:oculos ab illis non ſine oſtēſione contemtus auertere, vt ſimilitudines inanes per deſuetudinē deleantur:ſanctis cogitationibus ſemper inſiſtere,quibus ſanctarū etiam rerū ſimilitudines fabricētur,Dominúmq; inſtāter rogare vt memoriam meā purificet,& immūditias eius abſumat.

In noſtra poteſtate cum Dei gratia memoriæ mūdicia.

MEDITATIO VI.

De neceſsitate mortificationis intellectus.

Intellectus vitia.

1. PVnctum. Intellectus mortificatione purgandus eſt à vitiis ſuis, quæ ſunt,ignorantia eorum quæ ſcire debeo; imprudentia ſeu inconſideratio in his quæ præſtare teneor: mutabilitas in ſuſcepto conſilio ſalutari,qua ab eo ſine cauſſa diſcedo:pertinacia,qua ſenſum meum maiorum definitionibus ſubiicere nolo: temeritas, qua aliorum dicta & facta immo & cogitata inſipienter iudico: prudentia carnis,qua media ad fines diſtortos aſſequendos inuenio:curioſitas, qua ad me non pertinentia recogito.Hæc,inquam,mortificatione abiicienda ſunt, quoniā intellectus dux eſt voluntatis, & quaſi origo omnium actionum quas vt homo præſtare conſtituo.Cæcus autem intellectus & tot vitiis affectus miſeram voluntatem in prȩcipitium ducet,& actiones humanas à rectitudine auertet.

Intellectus dux voluntatis.

Homo quoddam horologium. Eius prīceps rota intellectus.

2. Homo eſt ſicut horologium diuina ſapientia confectum,vt per diuerſas ætates curſum Solis iuſtitiæ Chriſti manu imitationis oſtēdat.Huius prȩcipua rota eſt intellectus, ad cuius motum omnes aliæ vires animæ quaſi rotæ mouentur, & eo perturbato,ipſe confunduntur,& perturbātur,& quocumque prædictorum vitio tangantur,in voluntate & in aliis animæ viribus præpoſterus ordo alicuius peccati vel defectus aſpicitur.Nihil ergo magis curare debeo,quàm intellectum per mortificationem ordinare,vt omnia alia bene ordinata & in ſuo loco collocata conſiſtant.

Intellectus mortificatione cōponendus.

3. Sacrificium de optimis, quæ habemus, acceptum eſt Domino,de reprobis verò,& vilibus cum indignatione reiicitur. Vnde ſcriptum eſt: Omnia quæ offeretis, & in donaria Domini ſeparabitis,

Num.18. 29.32.

optima & electa erunt.] Et: Non peccabitis ſuper hoc,egregia vobis & pinguia reſeruãtes.] Optimũ autem animæ meæ intellectus eſt, quem mihi reſeruo, ſi prædictis vitiis eum ſubiectum relinquo. Et quidquid meum Deo obtulero inuiſum erit, ſi oblatio intellectus ei adiuncta non fuerit. Hunc ergo per veram mortificationem offeram, & ſic optimè legem ſpiritualiter intellectam offerendi cuſtodiam.

Intellectus anima optimũ Deo offerendum.

MEDITATIO VII.

De neceſsitate mortificationis voluntatis.

1. PVnctum. Voluntas mortificanda eſt, quatenus propria eſt,& non Deo proximíſque cõmunis. Hæc inimica eſt omnis legis humanæ, & diuinæ, hoſtis obedientiæ,interemtrix intentionis rectæ, & mater omnium peccatorum, quæ hucuſque patrata ſunt,& nunc patrantur,& in poſterum fient. Eſt inimica legis, quoniam ſeipſam facit eorum, quæ præſtanda, aut omittenda ſunt, legem. Eſt hoſtis obedientiæ, quia nulli vult ſubeſſe, ſed omnium voluntati præeſſe, ita vt omnes ſibi conſentiant, & ipſa ad voluntatem alterius ſe non inflectat. Eſt interemtrix rectæ intentionis, quia etiam in bonis non Dei beneplacitum, ſed ſeipſam quærit. Eſt denique genitrix peccatorũ: nam ex eo homo & diabolus peccant, quòd Dei voluntatem deſerunt,& ſuam ſequuntur.

Propria voluntas inimica legis, hoſtis obedientiæ, peccatorum mater.

2. Voluntas donum Dei eſt, quo ab eo factus ſum liberi arbitrij capax, vt ipſi liberè ſubeſſem,& per obedientiam mandatorum vitam æternã promererer. Si autem eam non abnego (quod facio quotieſcumque contra diuinam voluntatem aliquid volo) eam iniuſtè ab eo ſubtraho, & furtum admitto. Inſuper & volo vt in quodam ſpiritali certamine voluntas mea impiè vincat, & voluntas Dei victa ſuccumbat. Quod quantum malum ſit, ille ſolus nouit, qui & Dei naturalem poteſtatem ſuper omnes, & infinitis titulis debitam creaturæ ſubiectionem agnoſcit.

Voluntas Dei donum.

3. Dicitur voluntas cæca, libera, & appetens. cæca,quia ductu alicuius luminis indiget,quod bonum oſtendit: libera, quia in vtramque partem,in bonum ſcilicet & malum ſe vertit: appetens,quoniam quod ſibi bonum apparet concupiſcit. Eam itaque abnegabo, ſi lumini rationis & legis & ſpiritus eam ſubiectam eſſe curem: ſi fræno diuini timoris,& calcaribus amoris Dei ad bonum cõſtrinxero;ſi ab appetentia malorũ & vetitorũ auertero. Sic enim implebo illud:A voluntate tua auertere.]

Voluntas cæca, libera, appetens.

4. Tota religionis & vitæ ſpiritualis perfectio in abnegatione propriæ voluntatis ſita eſt: quia hæc abnegatio nos Deo in opere & in intentione conformat. Et quantum propriæ voluntati ſubtraxero, tantum veræ virtuti & puritati mentis adiiciam:quam voluntas illa promouet, quæ Deo plenè conſentit,non illa propria,& ab abnegatione aliena;quæ ab illo diſſentit. Denique Chriſtus ſuam voluntatem Patri plenè ſubiecit,dicens: Verumtamen non mea, ſed tua voluntas fiat, vt ego diſcam perfectionem meam aliam eſſe non poſſe quàm voluntatis ſubiectionem. Hæc autem voluntatis ſubiectio nihil aliud eſt quàm ipſius abnegatio.

Luc. 22. 42. Chriſti exemplũ imitandum.

Perfectio in abnegatione voluntatis ſita.

De pulchritudine rectæ intentionis.

CAPVT VIII.

PRÆCIPVVM, quod incipiens purgare debet, eſtamor ſui, ſiue proprius amor, à quo propria voluntas & proprium iudicium manat, & omnis exceſſus ſenſuum & appetituum,& omne vitium originem ſumit. Amorem autem proprium perfectè purgamus ſi intentionem noſtram in illud quod decet,& iuſtum eſt,ac ſanctum,dirigimus. Duplex autem eſt via intentionem dirigendi, & emendandi; prima ſi omnis obliquitas & tortuoſitas ab ea tollatur;ſecunda ſi in finem ſublimiſſimũ ac perfectiſſimum ordinetur. Illud primum omnino ad incipientes pertinet. Neque enim vitam ſpiritualem aggredi incipiunt, ſi aliquem præpoſterum finem intendunt. Quare Paulus ait: An quæro hominibus placere? Si adhuc hominibus placerem, id eſt, placere intenderem, Chriſti ſeruus non eſſem.] Et Anſelmus ad eumdem locum: Quiſquis ſe apud homines iactat, & ita ventilat bona opera ſua, vt finem eorumdem operum in laude hominum ponat, eamdémque laudem hominum quaſi mercedem computet, operum ſuorum, necdum Chriſti ſeruus eſt.] Iſtud verò ſecundum ad proficientes & perfectos ſpectat. Quibus ait idem Apoſtolus: Siue manducatis, ſiue bibitis, ſiue aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite.] Quia verò iam ad finem huius vitæ purgatricis ſumus,& ad materiam à proficientibus meditandam properamus, meditationes quæ intentionem perfectè ordinent,hoc loco proponemus.

Incipiẽti amor ſui vt vitiorũ origo in primis purgandus.

Duplex via dirigendi intentionẽ.

Gal.1.10.

Anſel. ibid.

Deo non homini placendũ cùm operamur. 1.Cor.10. 31.

MEDITATIO I.

De intentione præpoſtera fugienda.

1. PVnctum. Præpoſtera, ſiue mala ac ſiniſtra intentio eſt, quando bona opera non dirigimus ad Deum, nec actu, nec virtute alterius prioris actus, quo in Deum illud opus direxeramus, ſed vel gloriam inanem, vel commodum noſtrum, vel aliquid ſimile principaliter quærimus, ita vt propter illud tamquam propter finem opus faciamus. Stultum eſt ſic operari. Quoniam mei laboris mercedem perdo, aurum pretioſum & probatum gloriæ, quæ mihi danda erat, & loco illius ventum auræ popularis accipio. De ſic operantibus dixit Dominus:Receperunt mercedem ſuam;] & ſe præmium illis daturum negat, quos mundus præmiaturus aduocat. Operarius ebrioſus non locupletabitur.] Ero ſanè operarius ebrioſus, quia quæ per bonam operationem colligo, per ebrietatem inanis gloriæ, aut alterius malæ intentionis diſſipo. Vnde nullas per huiuſmodi opera diuitias ſpirituales conquiram.

Quæ ſit intentio ſiniſtra.

Operum mercedẽ amittit, qui malum ſibi finẽ proponit. Matth. 6.2. Eccli.19. 1.

2. De operantibus ex mala intentione etiam ſcriptum eſt: Fiant ſicut fœnum tectorum, quod priuſquam euellatur exaruit.] Quia nimirum opera eorum ſtatim, atque apparent inordinati finis appoſiti ardore ſiccantur. Opera mea ſi ita fiant, non erunt poma, quæ in menſa mei conditoris apponantur;ſed fœnum, quod pabulo aduerſariorum deſtinetur. Hoc fœnum numquam ad maturitatem peruenit, quia iſta opera priuſquam perficiantur,per ineptũ finem ad quem ordinantur areſcent.Concipiam ardorem malæ intentionis,& pariam ſtipulam inutilem,quæ à vento feratur, & me fructu bonorum operum vacuum relinquat.

Pſal.12. 6. Opera ex deuia intentione orta quaſi fœnũ.

Iſaiæ 33. 11.

3. Tam magnum diſcrimen eſt inter opera ex ſiniſtra & ex recta intentione facta, ac inter hominem viuum & mortuum; quoniam recta intentio

Magnũ diſcrimẽ operum ex bona,

eſt

vel mala intentione.

est vita, & sinistra est mors operum humanorum. Id verò in fine vitæ euidenter apparebit. Sicut enim tempore hyemis omnes arbores tam virides quàm aridæ similes sunt, at in æstate cognoscitur quænam sunt aridæ: nam nec folia, nec flores, nec fructus proferunt; quæ item sunt virides, quia floribus & fructibus abundant. Ita in hac vita quasi hyeme istorum operum discrimen non aspicitur: at in futura quasi in æstate videbitur. Vnde si ex sinistro fine operatus fuero, tunc vt ager fructu vacuus apparebo.

Opera ex mala intentione cõtristãt.

4. Opera ex sinistra intentione facta nos nequaquam satiant, immo mentem contristant, & inquietant. Quare & huic vitæ & futuræ malum est ex mala intentione aliquid agere. Cùm ergo sinistra intentio insurrexerit, faciam quod monet Dominus: Si oculus tuus, id est, intentio mala, quæ tua est, scandalizat te, erue eum, & proiice abs te.] Hoc autem fiet, si non consentias, si abiicias, si resistas.

Matth. 5. 29. Oculus intentio.

MEDITATIO II.

De intentione seruorum.

Intentio bona multiplex. Qua intentio seruorũ.

1. PVnctum. Bona intentio est, quando propter bonum finem operamur bonum. Hæc autem multiplex est, vna minus perfecta, alia verò magis perfecta. Occurrit autem primò intentio seruorum; illorum scilicet, qui ex timore seruili, ne in æternum puniantur, mandata custodiunt. In hoc infimo statu existẽtes sic se possunt ad bene operandum incitare. Verbum est Domini: Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere; sed potiùs timete eum qui potest, & animam & corpus perdere in gehennam.] Si multa, quæ mihi essent iucunda vito, ne dolorem aliquem corporis incurram, aut ne aliquod bonum temporale perdam: quanto magis vitanda sunt mihi, ne animæ meæ iacturam faciam, & me cruciatibus æternis exponam. Neque ex inspectione miserationis diuinæ me decipiam. Quoniam misericordia & ira ab illo citò proximant, & in peccatores respicit ira illius.] Multi sperantes se misericordiam consequuturos ab indignatione eius præuenti sunt. Quid si ita mihi eueniat, & dum in peccatis perseuerans misericordiam spero subitò pœnis me inuolutum inueniam?

Matth. 10. 28. Stimuli ad bene operandum.

Eccli. 5. 7.

2. Non solùm æternis pœnis impij in peccatis perseuerantes castigantur, sed subita morte hinc præripiuntur, vel in dimidio annorum suorum præmaturis mortibus ad reddendam rationem vocantur. Dicítque Dominus de aliquo eorum, quod de ficulnea sterili per similitudinem dixerat: Succide illum, vt quid etiam terram occupat?] Quanto æquius est, vt obediam consilio Sapientis: Quodcumque facere potest manus tua, instanter operare, quia nec opus, nec ratio, nec sapientia, nec scientia erunt apud inferos.] Non tantùm in inferis, verùm nec apud inferos, vel prope illos opus & ratio euadendi solet inueniri. Quia si propè sepulchrum senectus & morbus esse intelligantur, pauci sunt qui ætate præduri ex vitiis ad virtutem redeant; & pauciores qui morbo & doloribus oppressi ad Deũ se syncerè conuertant. Veris pœnitentibus misericordiam Domini non negamus, sed an verè in extremo spiritu constituti se conuertant, nescimus.

Mors peccatorum subita.

Luc. 13. 7. Eccl. 9. 10. Bonis operibus in hac vita semper vacandum.

Psal. 35. 7. Psal. 65. 5. Num. 12. 10.

3. Iudicia Dei abyssus multa.] Qui est terribilis in consiliis super filios hominum, qui peccata iudicio hominum leuia sæpe durissima vltione castigat, vt in Maria sorore Mosis de fratre detrahente, & in ipso Mose ad petram de aquæ eruptione dubitante visum est. Cur ergo leues negligentias non timebo, quas quomodo à Deo accipiantur ignoro? Certè ingrediente in cor meum lumine eius quæ antea mihi nullius momenti videbantur, satis grauia & emẽdatione digna visa sunt. Si ad tantillum lumen mihi datum magna apparent, ad infinitum Dei lumen reuelata qualia apparebunt?

Leuia peccata non contemnenda.

MEDITATIO III.

De intentione mercenariorum.

Excitatio mercenarij ad bene operandum. Gen. 15. 1.

1. PVnctum. Perfectior est intentio mercenariorum, qui bonum faciunt ob præmij spem. Hi sic se poterunt ad bene operandum excitare. Præmium bene operantibus & laborantibus promissum est bonum infinitum, & æternum: ipse scilicet Deus possidendus à nobis, clarè videndus, incessanter amãdus, sine vllo timore fruendus. Ego enim, ait, protector tuus sum, & merces tua magna nimis.] Si tantum laborant homines propter præmia temporalia, vt videre est in militibus, in mercatoribus, in agricolis, & præcipuè in his qui regibus & principibus famulantur; quid ego facturus sum propter mercedem æternam? Dauid inclinabat cor suum ad faciendas iustificationes tuas, Domine, propter retributionem. Ego igitur propter eamdem retributionem ad tua præcepta custodienda me inclinabo.

Psal. 118. 112.

Homines quandoque mala pro bonis retribuunt. 2. Paral. 24. 22. 3. Reg. 9. 12. Deus fidelis in remunerando.

2. Hi à quibus in hoc sæculo propter labores mercedem exquirimus, fallaces sunt, qui sæpe pro bonis, quæ debent, retribuunt mala; pro magnis exigua. Ioas pro bonis quæ debebat Ioiadæ sacerdoti mala retribuit, quia Zachariam filium eius interfecit. Salomon pro ditissimo præmio, quod retribuendum erat Hiran Regi Tyri, terram contemtibilem reddidit; & sic de aliis. At Deus fidelis est, neminem sine præmio relinquet, nulli minus quàm par est, immo semper vltra condignum retribuet, & qui dimiserit sua, centuplum recipiet. Quare illi strenuè non seruiam? quare labori & oneri humerum meum propter terram optimam non subiiciam?

Deus magna & parua nõ sine mercede relinquit. Matth. 10. 42.

3. Reges etiam sæculi magna fortassis præmio afficiunt, minora contemnunt. Dominus contrà parua obsequia non despicit, nec sine præmio æternæ gloriæ manere permittit. Et quicumque potum dederit vni ex minimis calicem aquæ frigidæ, qua nihil contemtibilius, non perdet mercedem suam.] Faciam ergo maiora, & non contemnam minora, quia non minimum erit præmium, quod pro illis recipiam. Si mercator obolo regnũ mercaretur, an obolum erogare contemneret? Sed ego re etiam minima in gratia Dei facta regnum cœleste mercabor.

MEDITATIO IV.

De intentione filiorum.

Intentio filiorum quàm sit perfecta.

1. PVnctum. Adhuc perfectior est intentio filiorum, qui Deo obsequuntur, non vt pœnam euadant, non vt mercedem accipiant, sed vt Deo placeant, & quia ei, quem vera charitate diligunt, displicere formidant. Habent hi quibus se ad ita operandum accendant: nam eo ipso, quòd commodum non quærunt, maius sine vlla comparatione commodum decerpunt. Duplex autem est eorum commodum supra alios; alterum personæ,

Duplex commodum filiorum Dei.

alterum præmij. Perſonæ quidem,quoniam hi filij ſunt Dei,& cor habent filiorum : quantum autem ſuperat filius ſeruum,aut mercenarium, tantum hi dignitate alios excellunt. Præmij verò , quia opus æquale in omnibus , quoad meritum ſi ex timore fiat,eſt quaſi ſtanneum ; ſi ex ſpe,quaſi argenteum: ſi ex amore,eſt pluſquam aureum,& lapidibus pretioſis intextum. Hic modus operandi nos fratres & imitatores Chriſti facit , quia ſicut ille ex puro amore Patri in omnibus placuit, ita qui ſic operatur,in omnibus ex amore Deo placere contendit.

Modus operandi Saluatoris.

2. Deus benefecit mihi , certè non ex timore. Quid enim timebit ille , cui malum appropinquare non poteſt.Certè non ex ſpe.Nam & Deus meus eſt,qui bonorum meorum non eget,ſed ex mero amore. Et quanta in me ex amore beneficia contulit?Hæc nec ipſi cœleſtes ſpiritus numerare valent. Aliqua tamen ad me incitandum delibabo. Creauit me, & creatum multis iam annis,ne in nihilum deciderem, tenuit, & poſt mortem temporalem in æternum conſeruabit. Gubernauit me, & nunc vſque gubernat;ſanguine vnigeniti filij me redemit, ad Eccleſiam vocauit, Sacramentis inſtruxit , peccantem ſuſtinuit , errantem reduxit , cunctantem inuitauit, ab innumeris periculis animi & corporis eripuit,beatitudinem præparauit.Hæc,inquam, omnia & multa alia ex amore tribuit , & ego illi ex amore non ſeruiam?

Deus ex amore benefacit.

Dei in nos beneficia aliquot.

3. Hanc intentionem filiorum,& hunc operandi modum propter ſolum amorem Dei ratio amicitiæ à nobis exigit. Participes enim facti ſumus amicitiæ Dei.] Et Chriſtus ad Apoſtolos : Vos autem dixi amicos.] Amici autem non ex timore, non ex ſpe lucri , ſed ex amore obſequia præſtant amicis.Si amicus ſum Dei, aut hanc amicitiam inire cupio,& de ea glorior in ipſo Domino,profectò ipſi obſequuturus ſum,non ob aliud,niſi vt ei placeam,eiúſque gratiam & amorem obtineam.

Ratio amicitiæ exigit propter ſolũ Dei amorem operari. Sap. 7. 14. Ioan. 15. 15.

4. Tandem in hoc modo operãdi inſignis quædam nobilitas reperitur. Nam magnates alicuius regis obſequuntur ei,non vt aliquam pœnam euadant,aut mercedem accipiant ; ſed ex amore,& fidelitate erga illum. Quia hic modus obſequendi principi , & aſſiſtendi illi , ita cum nobilitate coniunctus eſt, vt ab ea ſeparari vix poſſit. Si itaque ex amore operor non in palatio alicuius regis terreni, ſed in aula Regis regum , nobilis & illuſtris fio. Ac proinde hanc ſtabilem voluntatem concipiam,vt etiamſi nulla pœna malis parata , & nullũ præmium bonis deſtinatum eſſet ; immo etſi certò ſcirem omnes homines eſſe ſaluandos , méque ſolum à regno excludendum, nihilominus Dei iuſſa facerem,& eius conſilia non præterirem.Sed abſit, Domine,vt à tuo regno taliter operantem , & in hac voluntate efficaciter perſeuerantem excludas.

Magna nobilitas purè propter Deũ operari.

MEDITATIO V.

De intentione recta.

Intentio filiorum tres habet gradus.

1. PVnctum. Hæc intentio filiorum propria tres habet gradus, quare triplex eſſe dicitur, recta, ſimplex, Deiformis. Intentio recta eſt,quando peccata etiam leuia fugimus, & cogitata ac deſideria, verba & opera non ſolùm bona , ſed & media,ſiue indifferentia facimus ex amore Dei,vt ipſi placeamus.Ad hanc intentionem excitabor ſi conſiderauero, quòd ea rectus & iuſtus ero. Recti, inquit, diligunt te.] Dilectio enim Dei vera hominem rectum efficit. Et hoc ſolum diſcrimen eſt inter rectos,& non rectos. Non quòd illi orant, iſti non orant , illi ieiunant, aut alia bona opera præſtant,iſti non præſtant; non,inquam,hoc,ſed quòd illi in omnibus Deo placere ſatagunt ; iſti verò aut malum operantur , aut bona mala intentione inficiunt, & diſtortos fines quærunt.

Cant. 1. 4.

2. Hac intentione opera media , quæ de ſe nullum meritum habent,vt comedere,dormire,in bona & meritoria vitæ æternæ conuerto. Si auarus eam artem doceretur, qua poſſet lapides & ſtercus in aurum conuertere, qua auiditate illam addiſceret. Ecce anima mea,artem meliorem,qua quæque viliſſima in aurum & lapides pretioſos conuertas: nam ſi quæ nullius valoris ſunt propter Deum præſtiteris,propter illa mercede æterna donaberis.

Quæ opera ex ſe nullum meritum habeant.

3. Hac etiam intentione actuali ſingulis operibus adhibita amor Dei , in quo perfectio conſiſtit; mirum in modum creſcit. Tum ex eo quòd actus amoris ſine numero multiplicamus. Nam affectus amoris eſt;Domine propter te, & vt tibi placeam, hoc opus facio, vel hunc laborem ſuſtineo : quem ſingulis noſtris actionibus & pœnis adhibemus. Tum etiam quia hæc memoria frequens Dei , & hæc affectio iterata placendi illi ad feruenter operandum impellit.

Amor Dei quomodo creſcat.

MEDITATIO VI.

De intentione ſimplici.

1. PVnctum.Intentio ſimplex eſt,qua quis omnia facit non tantùm, vt Deo placeat,ipſum honoret, atque collaudet , ſed vt his quæ agit , ita ſe diſponat quatenus Deo intellectu & affectu ſemper inhæreat. Hoc eſt illud vnum, quod dixit Dominus præ omnibus neceſſarium, cùm multiplicitatem operum, quæ in hac vita occurrunt, ad hanc vnitatem reducimus ; cùm ita ea præſtamus , vt quantum fieri poſſit , à Dei præſentia nos non abſtrahant , ſed ipſa in amabilem eius cogitationem, & circa eum affectionem ducant.

Quæ ſit intentio ſimplex.

Luc. 10. 42.

2. Animæ,quæ ſponſa Dei dici mereatur , hæc intentio eſt,ad quam amore ſui conditoris inuitatur. Aítque:Dilectus meus mihi,& ego illi.] Quãdoquidem Deus ita intẽdit mihi,ac ſi ſola in mundo eſſem ; quandoquidem ita me amat, ita ſpecialiter mei curam gerit,ac ſi nullam aliam animam à ſe creatam haberet:ego vicem illi rependam,& ita intendam illi , vt meis actionibus nihil aliud quæram , niſi illi perpetua cogitatione & amore coniungi. Ita inter turbas hominum ero , ita in præſentia illorum actiones obeam , ac ſi ſola eſſem, ac ſi à nullo viderer , & quaſi illa quæ in omnibus Deum inuenire,& in eo pauſari concupiſcit.

Cant. 2. 16.

Qualiter ſe gerere debeat ſponſa Dei.

3. Huius ſimplicis intentionis eſt , corporis aſperitates & emergentes tribulationes ſuſcipere,vt quis ab imperfectionibus purgetur , quo Deo ſuo mundus appareat.Virtutes exercere,vt illi ornatior aſſiſtat:proximos variis miniſteriis iuuare, vt ad illum non ſterilis ſed fœcundus accurrat:neceſſitati corporis prouidere priùs mortificata propria ſuiipſius quæſitione aut inclinatione , ne corpus in via Dominum quærendi deficiat. Si ita operatus fuero,& feſtinanter ad perfectionem vadam, & ſine dubio proximis vtilior exiſtam.

Quid ad ſimplicẽ intentionem pertineat.

MEDITATIO VII.

De intentione Deiformi.

1. PVnctum. Intentio Deiformis eſt,qua vir ſpiritualis omnibus operibus ſuis tum exterio-

Quæ ſit Deiformis intentio.

ribus

ribus,tum interioribus,ita in Deum fertur, vt non magis consolationem quàm desolationem, non magis commodum, quàm incommodum, honorem,quàm infamiam requirat. Hæc dicitur intentio Beatorum, qui seipsis dimissis totaliter affectu in Deum transierunt, quam perfecti viri debent, quàm potuerint,æmulari,vt qui in illam cœlestem patriam,non lentis gressibus properant,quomodo in ea se gesturi sunt,hîc vtcumque perdiscant.

Qua viro perfecto curanda. Exod. 15. 2.

2. Vnusquisque, quod suum est quærit, aliena verò non curat. Deus autem noster est. Nam iste Deus meus,& glorificabo eum:Deus Patris mei,& exaltabo eum.] Nos verò & nostra omnia,non nostra sed illius sunt.Ego igitur quod meum est quæram, scilicet Deum, & aliena, scilicet omnia mea, quæ illius sunt,ipsi curanda relinquam.

3. Quæ ad nos pertinent, siue vita, siue salus, siue quidquid aliud,hac intentione in tutissimo loco collocatur,& perfectissimè custoditur. Si vitam meam aut commodum meum,in manu mea haberem, possum perdere; at voluntati Dei commissa non amittam. Quia quod ipse dixit de animabus: Non rapiet eas quisquam de manu mea;] ad omnia alia debet extendi. Intentione igitur mea solum Deum respiciam,quia sic omnia alia seruo,& in his quæ accidũt,non magis vnũ quàm aliud requiram.

Ioan. 10. 28.

ORATIO.

DOmine Deus meus, qui me ita ad vitam spiritualem vocasti,vt velis me tuæ vocationi & gratiæ cooperari, & à corde meo immunditias peccatorum & vitiorum abiicere: da per infinitam benignitatem tuã mihi, quem diligere dignatus es, veram detestationem iniquitatis meæ, vt mens mea à malitia purgata dona tua capiat, & ad virtutes veras exercendas ascendat. Da mihi despicientiam sæculi, mortis timore concute, & carnes meas formidabilis Iudicij tui ac pœnarum, quas ad impiorum castigationem præparasti, horrore confige. Sic, Domine, meipsum abnegabo;sic intentione rectissima in tuam gloriam aucupandam ibo; sic me hominem sciens ad te creatum, te solum cupiam, te solum quæram, tibi soli inhærebo,vt post hanc mortalem viam,te vitam immortalem & beatã accipiam. Amen.

PARS SECVNDA

De materia Orationis mentalis ad proficientes.

INTRODVCTIO.

PROFICIENTES sunt, qui abiectis peccatis & affectibus, vtcumque compressis, atque suscepto melioris vitæ consilio in adeptionem vniuersarum virtutum incumbunt. Horum opus via illuminatiua vocatum est,quoniam eo intellectus variis considerationibus ad studium virtutum pertinentibus illuminatur; & voluntas ac aliæ vires appetituæ splendore ipsarum virtutum ornantur, & generaliter totus homo in via spiritus eruditur. Hi ergo ea ad meditationem accersent, quibus & in concepto mortificationis seu abnegationis proposito radicentur,& ad opera omnis virtutis moueantur. In hoc statu seu vitæ spiritualis curriculo audiat homo illud Leonis Papæ: Agnosce ô Christiane, dignitatem tuam,& diuinæ consors factus naturæ,noli in veterem vilitatẽ degeneri conuersatione recidere. Memento cuius capitis,& cuius corporis sis membrum.Reminiscere,quia erutus de potestate tenebrarum translatus es in Dei lumen & regnum.] Quibus verbis capitis & corporis,cuius est membrum, meditatio sectanda proponitur, in qua profectò & dignitas hominis, ad quam euectus est,& regnum, ad quod est translatus, includitur. Et meritò quidem ista proficiens meditabitur; quoniam si membrum cum capite & cæteris membris debet habere consensum,quid validiùs,quid efficaciùs ad omnem virtutem incitabit,quàm si vir spiritualis recogitet caput suum fontem omnium virtutum vocari, & corpus, cuius est pars,vniuersis virtutibus & cœlestibus donis ornatum existere? Caput nostrum Christus filius Dei & Saluator noster est. Ipsum enim dedit Pater caput super omnem Ecclesiam, quæ est corpus ipsius. Et ipse est caput corporis Ecclesiæ.] Corpus autem eius, cuius sumus membra, est Ecclesia ex Sanctis quasi ex viuis lapidibus coagmentata. Quare Paulus ait: Adimpleo ea,quæ desunt passionum Christi, in carne mea, pro corpore eius, quod est Ecclesia.] Et membra sumus corporis eius, de carne

Qui sint proficientes.

Leo ser. 1.de natiuit.

Christus caput nostrum. Ephes. 1. 22. Coloss. 1. 18. Coloss. 1. 24.

eius

eius, & de ossibus eius.] Et vos estis corpus Christi, & membra de membro.] Hoc est regnum nostrum, ad Ecclesiam pertinere: hæc dignitas nostra, tali capiti, & talibus membris copulari. Tota ergo proficientium meditatio, in capite ipsorum scilicet Christo Iesu, & in regina Ecclesiæ B. virgine Maria, & in membris Ecclesiæ, scilicet in Sanctis & eorum conuersatione versabitur, & de his nos pro vtilitate ipsorum meditationes trademus. Gesta autem Domini, & omnem historiam euangelicam quidam secundùm ordinem Euangelistarum interpretati sunt; alij in certas classes distribuerunt, ex quibus proficientes, quod meditentur faciliùs accipiant. Quam rationem interpretandi Euangelium Simon de Cassia, vir pientissimus, primus tenuit; & post eum Alfonsus Salmeron, vnus ex primis comitibus sancti Patris nostri Ignatij, vir sapientia clarissimus, & sempiterna memoria dignissimus, eamdem viam mirum in modum expoliuit. Nos verò in explicanda infantia, & passione, & resurrectione, atque ascensione Saluatoris nostri præcipuè versabimur, reliquæ autem vitæ eius in communi tantùm meditationes trademus. In quibus vir spiritualis quid de capite suo Saluatore Iesu sit consideraturus, & quid sit imitaturus inueniet, & non subtilia, & acuta, sed simplicia, & plana, & quæ affectum moueant, exquiret.

Ephes. 5. 30. 1. Cor. 12. 27.

Varia gestorum Domini interpretandi ratio.

De capite Ecclesiæ Iesu Saluatore, ac primò de eius infantia.

CAP. I.

Vita Christi mensa opipara & armamentarium.

IAM caput nostrum intueamur Christum Iesum Saluatorem nostrum, cuius vita sanctissima est velut mensa opipara omnibus suauissimis ferculis instructa, in qua tam pusilli, quàm magni habent, vnde se abundè reficiant. Est velut armamentarium, in quo tam robusti quàm imbecilles inueniunt arma virtutum, quibus se ab aduersariis defendant, & tela, quæ in eos iactent, & ad fugam ipsorum excidiúmque contorqueant. Ad hanc lautissimam mensam accumbat, qui iustitiam esurit, & sitit: nam in ea certissimè saturabitur. In hoc armorum repositorium se recipiat quisquis bellum gerit aduersùs vitia sua, & aduersùs aëreas potestates, ex quo protectus & armis congruentibus instructus ad bellandũ procedet. Hoc est epithema còr viri spiritualis roborans, atque confirmans, quod beata Cæcilia semper gerebat in pectore, quia hanc vitam Domini iugiter ruminabat, & ea in se Dei & virtutum amorem accendebat. De hac vita Saluatoris meditata, inquit Bonauentura: Super omnia spiritualis exercitij studia, hoc magis necessarium, magísque proficuum credo, & quod ad celsiorem gradum perducere possit. Nusquam enim inuenies vbi sic doceri possis contra vana blandimenta, & caduca, contra tribulationes, & aduersa, contra hostium tentamenta, & vitia, sicut in vita Domini Iesu, quæ fuit absque omni defectu perfectissima. Ex frequenti enim & assidua meditatione vitæ ipsius adducitur anima in quamdam familiaritatem, confidentiam & amorem ipsius, ita quòd alia vilipendit, & contemnit. Insuper fortificatur, & instruitur, quid facere, quíd ve fugere debeat.] A meditatione autem infantiæ & pueritiæ hominis Dei ordiendum est, vt animæ sanctæ etiã nunc illud spiritualiter impleant, quod de esu agni præceptum erat: Caput cum pedibus & intestinis vorabitis;] sicut enim pedes & intestina vorare est passionem eius, & virtutes meditari, ita caput vorare est eius infantiam mente & pueritiam euoluere; vel certè, vt Beda & Rupertus interpretati sunt, caput edere est alta diuinitatis mysteria capere; pedes comedere est arcana humanitatis agnoscere: intestina manducare est ipsius eloquia castissima non præterire. Montes excelsi cerui: petra refugium herinaciis.] Si adhuc ô anima tenella es, & spinæ passionum, & affectuum te pungunt, ingredere in petram (petra autem erat Christus) & abscondere in fossa humo à facie timoris Domini, & à gloria maiestatis eius, ibi namque tutamen inuenies. Paruula es paruulum recogita; vbera non habes, ad vbera illius infantis accurre, ad mysteria, inquam, humilitatis eius, qua se paruulum fecit, quibus vsque ad sanctam quãdam amoris ebrietatem satiaberis. Hæc autem mysteria libuit per modum colloquij cum ipso Domino Iesu Christo conscribere, & ad imitationem sapientis Idiotæ in libris suarum contemplationum proponere: quia ratio hæc meditandi affectuosior est, & deuotior. Qui autem alium modum magis familiarem habuerit, facillimè poterit, quæ hîc dicuntur non loquendo cum Domino, sed secum recogitando & discurrendo considerare. Sic ergo infantiam Saluatoris in meditationes distinctam quisque reuoluet.

Vita Christi epithema.

Bonau. in prolog. meditat. vitæ Domini.

Exodi 12. 9.

Bedæ 1. in Exod. c. 11.

Rupert. lib. 2. de operib Trinit. c. 12. Psal. 103. 18. Isaiæ 2. 10. 1. Cor. 10. 4. Cant. 8. 8.

MEDITATIO I.

De dispositione Dei in redemtione generis humani.

1. PVnctum. O Deus summe, Deus optime, cuius iudicia sunt incomprehensibilia, cùm rationes prouidentiæ tuæ erga homines & Angelos intueor, planè cognósco, quia vniuersæ viæ tuæ misericordia & veritas. Vidisti, Domine, in æternitate tua Angelos hominésque peccantes, & illos in æternum abiecisti, & obstinatos reliquisti, vt in ipsis iustitiæ veritatem ostenderes: istos verò saluare & mundare decreuisti, vt eis benignitatis misericordiam prærogares. Sed ô consilium sapientia plenissimum! Angelus propria malitia deliquit, homo ab alio, nimirum à diabolo tentatus peccauit. Ille sua voluntate à te, Deus meus, auersus est; hic verò aliena voluntate primi parentis in peccatum originale coniectus. Congruentissimum ergo fuit, vt illum in sua iniquitate manere permitteres, & istum ab immunditia, quam in sua conceptione contrahit, reuocares: vtrumque autem à me inti-

Angelus propria malitia, homo tẽtatus deliquit.

mam gratiarum actionem exigit, qui ſeueritatem iuſtitiæ tuæ ex aliena domo cognoſco, at magnitudinem miſericordiæ in meipſo ac in cognatione mea lætus experior.

2. Sed in hoc conſilio miſericordiæ tuæ, ô Pater benigniſſime, quanta ſunt admiranda. Potuiſti nos ad te conuertere ſola voluntate tua, delendo peccatum per infuſionem gratificantis gratiæ. Si id voluiſſes, quis tibi reſiſteret? quis rationem exigens diceret: Cur ita facis? Potuiſti per vnum hominem purum de nouo creatum, vel per vnum Angelum nos redimere, & à ſeruitute diaboli vindicare. Noluiſti tamen, ſed medium, & tibi glorioſiſſimum, & nobis vtiliſſimum, ac pariter honorificentiſſimum elegiſti, quo redemtionis bonum generi humano præſtares. Hoc autem fuit, vt Verbum tuum, ac vnigenitus filius tuus carnem indueret, & homo fieret, & pro nobis viliſſimis peccatoribus, meritorum ſuorum cumulo, & effuſione ſanguinis ſatisfaceret. Sic tibi ſoli, ô Deus bonorum fons, & creationem, & redemtionem, & quidquid boni habemus acceptum referimus. Sic vbi abundauit delictum noſtrum, ſuperabundauit conditoris gratia. Sic patuit, quàm diuerſæ ſunt cogitationes noſtræ, & cogitationes tuæ. Nos enim cogitabamus in te mala, & peccata; tu cogitabas in nos bona, & remiſſionem peccatorũ. Sic efficaciſſimè nos ad tui amorem & obedientiam excitaſti. Nam ſi tu Domine pro nobis ſummum feciſti, quod fieri potuit, quàm æquum eſt, vt nos te ardentiſſimè amemus, & pro te quidquid potuerimus, faciamus.

Rom. 5. 20.

In redemtionis myſterio multa admiranda.

3. Verùm & in hoc myſterio alia ſunt, ô Creator altiſſime, quæ vehementer admirer. Eſto enim, quòd vnigenitum filium tuum hominem fieri voluiſſes, potuiſti tamẽ cum, ſicut & Adam terreſtrẽ, perfectum & tricennarium hominem facere. At non huiuſmodi tuum decretum fuit, ſed ſtatuiſti, vt filius tuus puſio fieret, & paſſibilis veniret, & ex vulua mulieris prodiret, quo maior eſſet tua immenſa dignatio. Sic namque per omnia fratribus aſſimilatus eſt, vt miſericors fieret, & nos ad maiorem ſui amorem allexit, & ad humilitatem & mortificationem inuitauit. Sic doloribus & triſtitiis ſuis (quæ vt filius Dei & à momento conceptionis beatus, vitare potuerat) pro peccatis noſtris ſatisfecit, & nos viam arctam ingredi docuit. Ac tandem vtrumque ſexum, maſculinũ, & fœmineum, nobilitauit. Quibus elucet, quia voluntas tua fuit in omnibus hominem ditare, & ad immenſam dignitatem extollere.

Hebr. 2. 17.

4. Hæc fuit erga nos, ô Domine amantiſſime, tuæ prouidentiæ ratio, quam poſt mundum creatum non multo tempore celaſti. Immo ſtatim, atque primi parentes peccarunt, eam eis manifeſtam feciſti. Audierunt enim te dicentem ad ſerpentem: Inimicitias ponam inter te, & mulierem, & ſemen tuum, & ſemen illius.] Verè, Domine, iratus eras, ſed miſericordiæ recordatus es. Tu es qui mortificas, & viuificas: deducis ad inferos, & reducis.] Simul nos pro peccatis vulneraſti, & medicamentum promiſiſti: eieciſti nos ex paradiſo terreſti, & cœleſtem aperuiſti, ne deſperaremus, & ne è veſtigio ad te redire cunctaremur. En Pater miſericordiarum, hæc conſiderans nunc ad te venio, ſiquidem tantis beneficiis ad veniendum inuitas, ne repellas me.

Gen. 3. 15. Habac. 3. 2. 1. Reg. 2. 6.

*

MEDITATIO II.

De legatione Dei miſſa per Angelum Gabrielem ad Virginem.

Luc. 1. à verſ. 26. vſque ad 38.

1. PVnctum. Venit iam tempus, ô ſumme Deus, quo hoc tuum opus, & verè tuum eras perfecturus. Tempus in quo vniuerſus orbis idololatriæ contagione tabeſcebat, & populus Iſrael à te in peculium electus flagitiis innumeris exundabat. Tunc cogitaſti cogitationes pacis, & nó afflictionis ſuper filios hominum: & ſicut illuc vſque diſtuliſti remedium, vt illud ipſi deſiderarent, & ſua mala cognoſcerent, ita cùm opportunum fuit miſertus es illorum, ne in perpetuum perirent. Elegiſti itaque ô Pater potentiſſime, vnum ex Angelorum millibus, Gabrielem nomine (quod interpretatur fortitudo Dei) vt vel ipſo nomine fortitudinem tuam, & Verbi tui mittendi, & operis faciendi robur demonſtrares. Elegiſti etiam ex omnibus fœminis vnam, & verè vnam (vna enim eſt amica tua, & formoſa tua, & columba tua) cui nec ſimilis vmquam viſa eſt, nec habere ſequentem. Sed quam elegiſti? Eam certè, quæ in Nazareth ciuitate Galileæ habitabat, quorum illud nomen interpretatur flos, iſtud tranſmigratio. Eam, quæ deſponſata erat Ioſeph, quod ſignificat augmentum. Eam, quæ vocabatur Maria, quæ appellatio Dominam ſignare dignoſcitur. Vt videlicet noſceremus illam tibi placuiſſe, quæ ſuis affectibus imperabat, quæ feruore ſpiritus ſemper in altiora tranſmigrabat; quæ omnium virtutum decore florebat: & quæ ſe libentiſſimè alterius ductui ſubiiciebat. Angelus & virgo, à te, ô Domine, quaſi in adiutores huius magni operis admiſſi ſunt, quia illos ad cœleſtia miniſteria vocas, quos vita ſpirituales & puros reperis.

De Virgine inuenies infrà c. 5. Gabriel fortitudo Dei.

Nazar. flos, Galilea trãſmigratio Ioſeph augmentum interpretantur. Laudes aliquot Virginis.

2. Reuelaſti ergo, ô dulciſſime Pater, Angelo Gabrieli myſterium conſilij tui; & quia cogitatio tua erat, vt per vnigenitum tuum hominem factũ, rebelle hoc genus noſtrum tuo ſubiugares imperio: eúmque ad Virginem legatum deſtinaſti, legationémque tuo ore prolatam, quam afferret, expoſuiſti. Stupuit Angelus ad tantam dignationem, & ſtatim corpore aſſumto, in iter ſe dedit, docens me, ne cùm aliquid faciendum inſtillas, moras texam, ſed abſque vlla cunctatione promtus obediam. Ingreſſus eſt itaque ad illam virginem à te dilectam, quam ſolam, in conclaui incluſam, & ſanctis meditationibus intentam inuenit. Hos enim tu Domine alloqueris, qui cordis ſolitudinem & orationem amant, hos myſteriorum reuelatione dignos efficis. Videns autem Angelus Virginem illam, & tantam ſanctitatem admirans humiliter ſe proſtrauit, & demiſſis in terram præ reuerentia luminibus, ac modeſtiſſima voce verba à te dictata pronuntiauit, dicens: Aue gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus. Quis dubitet, ô Saluator omnium, eam ſaluam eſſe, & multiplices cauſſas habere gaudendi, quam tu ad gaudia prouocas? Quis neget plenam eſſe omnibus gratiis, & donis, & in cunctis viribus & operibus ſuis cœleſti rore abundare, quam tu plenam dicis? Quis ambigat, te eſſe cum illa, quam tecum in ſponſam copulas, cuius vires ſyncериſſima cognitione, & ardentiſſimo amore tecum iungis, quam ſpecialiſſima prouidentia dignaris? Quis tandem non videat eam eſſe benedictam inter omnes mulieres, quæ maledictionem Euæ ſola de medio ſuſtulit, & vniuerſas

Gabrieli incarnationis myſterium reuelatum.

Deo ſtatim parendum.

Quos dominus alloquatur.

Laudes Virginis.

uersas mulieres puritate sua ad sui laudem & amorem semper impellit?

Virgo turbatur eũ ab Angelo laudatur.

3. Turbata est Virgo,ô dulcissime Domine,sed non perturbata. Turbata est non quidem in visu Angeli,quia Angelos à te ad se missos sæpius viderat; sed in sermone eius, quia erat humillima, & præter votum suum, se laudari animaduerterat. Turbata cogitat qualitatem salutationis auditæ, quia erat prudentissima. Turbata etiam silet, quia silentij sancti tenacissima,donec tu,quem ab infantia magistrum elegerat,doceres, quid responderet. Sed quid faciet Angelus à te principe pacis missus? Certè turbellam depulit,pacem immisit, dixitque: Ne timeas Maria. Nulla subest tibi caussa timendi, quia inuenisti gratiam apud Deum. Si enim qui gratiam apud regem terrenum inueniunt, & in eius familiaritatem se insinuant, non timent, cur timebis, quam rex cœlestis dilexit? quam ad tam sublime bonum elegit, quod ego nunc tibi intentè audienti lætus annuntiabo?

4. Dicat iam Angelus, Domine Deus meus,dicat,quid ex hac virguncula poscas.Equidem puto, quia non aliquid eius sed ipsam ambias,& in sponsam charissimam eligas.Ecce,inquit Angelus,concipies in vtero. Igitur ad nuptias eam vocas, non carnis, sed spiritus, ad quas vtique nos ingrediemur,& vtilitate earum fruemur, si lampadibus fidei bonorum operũ oleum adiunxerimus.Et prosequitur:Et paries filium. Igitur ad fœcunditatem inuitas. Neque enim illæ nuptiæ steriles esse possunt, in quibus sponsus tu Deus meus es, qui aliis generationem tribuis:& sponsa virgo integerrima est, cui sine complexu virili generandi virtutem impertis. Sed qualis erit, ô Pater amantissime,iste dilectus à Virgine generandus? Profectò Angelus ipse à te missus legationem suam prosequens perspicuè manifestauit. Vocabis eum, ait, Iesum. Ergo Saluator erit,quia Iesus interpretatur Saluator. Erit magnus, sapientia, sanctitate, potestate. Et filius Altissimi,nimirum filius tuus, Domine, vocabitur. Et quia hæc nuncupatio vera est, filius tuus erit,non adoptione, sed natura. Et dabis illi regnũ quod Dauidi promiseras, vt fidelis inueniaris in omnibus verbis tuis,non temporale,sed æternum; non aliquibus terminis inclusum, sed in domo Iacob,id est, per totum orbem dilatatum. O quanta est mihi gratiarum actionis materia, qui tanta bona in capite meo accipio,qui caput aureum habeo, & influxu eius membrũ non testeum sed aureum, id est, pretiosum & virtutibus ornatũ esse possum.

Isaiæ 66. 9.

Psal. 144. 13.

5. Bonam sponsam elegisti, ô Deus sapientissime,quod vel ex responsione eius satis elucet. Non enim dubitans,sed admirans,& modum huius mysterij scire cupiens respondit:Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco; id est, voto virginitatis,quod sponte ex amore integritatis emisi,ligata sum. Virginitatem illa dilexit, humilitatem amauit, quam breui & necessaria & modestissima responsione,formam loquendi tradens aperuit. Et quid aliud ab sponsa summi regis expeti potest,nisi quòd Virgo sit pulcherrima vt placeat; & humillima vt subiecta sit, & dictis eius obediat. Meritò Domine per Angelum nodum soluis. Spiritus sanctus superueniet in te,vt te fœcundet,& virtus Altissimi Patris obumbrauit tibi, ac proteget te, vt tanta mirabilia, in tua carne & mente facienda sustinere possis. Atque adeò illud sanctum quod ex te nascetur,vocabitur,& erit filius Dei. Verè, Domine, suauis est spiritus tuus: nam Virgini credulæ exemplum proponis, vt eam amplius in fide confirmes. Elisabeth concepit in senectute sua,& mense sexto post imprægnationem sterilis iam vterus eius intumuit. Nulla ergo res impossibilis est apud Deum, & qui sterili filium dedit; virgini dare potest,cùm ad concipiendum sterilitatis & virginitatis eadem ratio sit. Ita est,& tu Domine, qui virginem & sterilem fœcundare potuisti,meam calamitosam sterilitatem amoue,& fructum mentis meæ, filij tui imitationem præbe.

6. Expectas, ô Deus amabilissime, consensum huius puellæ vt tuum opus perficias:expectat Angelus;expectat vniuersa natura verbum virginis,ad cuius prolationem omnis creatura in incarnatione filij tui honorificanda est.Ipsa verò non moras nectit. Sed verbum illud omni acceptione dignum profert:Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundùm verbum tuum. O quantas in paucis verbis sapiens puella virtutes exercuit. Ecce promtam obedientiam sonat. Ancilla profundam humilitatem indicat. Fiat mihi secundùm verbum tuum, fidem mysterij Trinitatis & incarnationis filij tui,spem salutis mundi,& charitatem erga humanum genus denotat.Fac me Domine imitatorem huius Virginis, & in gratiarum actionem & amorem affectus mei cordis extende, vt redemtionis à filio tuo mundo allatæ particeps fiam.

Exercitium virtutum in B. Virgine.

MEDITATIO III.

De Incarnatione Filij Dei.

1. PVnctum. Audito Virginis sacræ responso discessit ab ea Angelus ouans, quia tam fœlicem exitum suæ legationis acceperat, & admirans, quia à tenerrima puella verba tantæ prudentiæ & humilitatis audierat. Discessit statim vt formam se mihi loquendi cum hominibus etiam sanctis exhiberet:nam perfũctus ministerio meo,mox debeo ad cœlum meũ ad cellam redire,& coram te Domine à quo missus sum apparere. Discessit quidem ille, sed non discessisti tu, ô Angelorum Deus & Domine.Immo in eodem momẽto,ex purissimis Virginis sanguinibus corpus humanum organis distinctum formasti: & animam perfectissimam ex nihilo creasti,corporique iunxisti:Verbũ autem tuum hoc corpus, & animam, hanc scilicet humanitatem assumsit, & ad esse personale suum extulit, ita vt naturæ diuinæ & humanæ vna esset persona.Spiritus autem tuus humanam istam naturam omnibus gratiis & donis affecit, & verbo eam desponsauit,& mysterium hoc,quod summæ bonitatis opus est, quasi omnibus numeris absolutum reliquit.Gaudebas tu,ô Pater amantissime,quia dedisti nobis summum quod dare poteras, nempe filium tuum:húncque infantulum recens cõceptum in immensum plusquam omnia creata diligebas. Gaudebas tu, ô fili Dei sapientissime,quia nos tantorum bonorũ participes fecisti,& illum hominem summo amore complectebaris,quem numquam in æternum dimittes.Gaudebas tu,ô Spiritus sanctissime,quia viam ad remissionem peccatorum,& iustificationem nostram, & eum qui nos redimeret reperisti. Gaudebas tu, ô Virgo purissima,quia ineffabili ratione quæ in te fiebant intellexisti, & te Virginem & Matrem,Angelorum reginam, & totius mundi dominam aspexisti. Gaudeo & ego ex tantis simul gaudiis, & quia me Patris filium, filij Dei fratrem, Spiritus sancti habitaculum,Virginis clientulum,& Angelorum socium video.

Gaudiũ sanctissimæ Trinitatis in diuini verbi incarnatione.

Lætitia Virginis.

2. Iam tecum loquar, ô Verbum Patris, ô Fili Dei mea carne circumdate,qui es ipse Messias, &

Christus promissus in lege: iam, inquam, tecum loquar, & priusquam tibi gratuler, responde mihi obsecro, an tu sis, qui venturus eras ad saluandum nos, an alium expectamus? ego quidem sum, qui renouaturus eram Ierusalem; Ego qui loquor iustitiam, & protector sum ad saluadum. Dic rursus, impensè rogo, quid fœlix anima tua in illo primo momento creationis in te viderit, vt te cognoscã, & iuxta dignitatem tuam tecum agam? Vidi me adesse diuinum in vnitate personæ assumtum, atque adeò verum & naturalem filium Dei. Vidi me caput hominum & Angelorum effectum, regem ac principem omnis creaturæ constitutum, ab omni peccato etiam leuissimo, quod nec patrare poterã, immunem, infinita gratia & sanctitate, & omnibus virtutibus & donis huic gratiæ adiunctis circumdatum, scientia & omnium rerum præteritarũ, præsentium & futurarum notitia decoratum, immẽsa gloria, ac clara Dei visione excultum, potestate ad facienda miracula, & ad peccata remittẽda donatũ. Sed quare, ô parue infans, rubrum est vestimentum tuum, & corpus habes passibile, cùm iuxta exigentiam gloriæ animæ tuæ deberet esse gloriosum, impassibile, & immortale? Vt tibi, ô homo, exempla humilitatis & patientiæ præbeam, vt pro te patiar, vt corpus meum hostiam & sacrificium ad hoc vt immoletur adaptem. O igitur Deus meus, ô Redemtor meus, adoro & benedico te, congratulor tibi de omnibus donis tuis, quæ tibi ex corde volo, & me tibi in mancipium offero.

Isaiæ 63. 1.

Christus caput hominum & Angelorum diues gratiarũ & donorum.

Christi amor erga homines.

3. Ostende nunc, ô vnigenite Fili Dei, cùm primùm te ita exaltatum vidisti, quid fecisti? Ego quidem, cùm me in vtero Virginis contemplatus sum ad diuinũ esse assumtum, & tam ineffabilibus donis ornatum, Patrem meum ardẽtissimo amore dilexi, à quo tanta bona sine meritis præuiis acceperã. Ei ardẽtissimis affectibus gratias egi. Coram ipso humillimè me deieci, tãquam qui ex meipso nihil essem, nihilque haberem. Ac tandẽ promtissimè obtuli meipsum ad seruiẽdum ei. Et ad hæc, ô verbum infans, quid Pater æternus adiecit? Ostẽdit mihi genus humanum omnino perditũ diabolo & peccato subiectum: ostenditque seipsum tot peccatis hominum iniuria affectũ, & indignatione commotum: ostendit tãdem multiplices afflictiones, iniurias, & verbera, & plagas, & ipsam mortem quam passurus eram; & præcepit mihi, vt ingratitudinis indicium, & obedientiæ obsequium homines diligerem, hæc omnia mala pro eis sustinerẽ, ac genus humanũ à seruitute diaboli liberarem. Tunc ego vos fratres meos intuitus ardẽtissimo amore complexus sum: de iniuriis Patris mei vehementer cõtristatus sum: vobisque condolui, & me illis omnibus pœnis pro genere vestro liberando subieci, & onus Redẽtoris subiui, dixique: Deus meus volui, & legem tuam in medio cordis mei.] O igitur Redẽtor amantissime, pro hoc onere à te suscepto immensas gratias ago, & omnia bona, quæ habui hucusque, & habeo & habiturus sum, à te accepta profiteor. Scio quid deinceps facturus sum. Te non solùm vt liberatorem, verùm & vt præceptorem aspiciam, & ex omnibus gestis & passionibus tuis veram virtutem, & mentis meæ puritatem addiscere curabo.

Psal. 39. 9.

Meditatio IV.

De profectione Filij Dei ad sanctificandũ Ioannẽ.

Luc. 1. à v. 39. vsque ad 42.

1. Punctum. O verbũ Patris carne velatũ, quàm es nostrę salutis cupidus, quàm addictus muneri Saluatoris. Redemtor noster es, venisti ad redimendum nos, & statim opus redemtionis aggredi; & nec ad momentum otiosus manere voluisti. Et quod est opus redemtionis? Nónne peccata delere? Nónne eos qui iam viã virtutis inceperunt, ad profectum virtutis incitare? Hoc opus tuum, ô Redemtor sanctissime, ab vtero matris tuæ. Virginẽ enim impulisti, vt ad mõtana cum festinatione conscenderet, & vt perfectissimis operibus humilitatis, charitatis, & piæ sedulitatis insisteret; & Ioannem infantulum adhuc vtero matris clausum quæsiuisti, vt eum à peccato originali mundares. Si ita curæ est tibi salus & perfectio mea, cur eã non curabo? Si tam celeriter spolia animarũ ab aduersario detrahis, cur ego sine mora iugũ eius non excutiã, & de virtute in virtutem festinanter non procedã?

Quod sit opus redemtionis.

2. Bene poteras, Domine, hoc opus sãctificationis Ioannis absque vlla profectione perficere. Nam licèt esses absens ab eo secundùm corpus assumtũ, at præsens eras spiritu & virtute diuinitatis tuæ. Quin & puerum Centurionis paralysi resolutum absentẽ sanasti. Vnde vox tua fuit: Vade, sicut credidisti fiat tibi; & sanatus est puer in illa hora. At quia non venisti ministrari, sed ministrare, ab vtero matris in opera seruitutis incumbis; vadisque Dominus ad seruum, creator ad facturam tuam, medícus ad ægrotum, maximus ad minorem, vt eum tuę gratiæ infusione sanctifices. O quanta humilitas, ô quàm ardens charitas! Hæ virtutes te è cœlis ac è sinu Patris in terram venire fecerunt, & eædem nunc te ad domum Ioannis deferunt, vt domum illam lætitia repleres, & fœlicem infantem honore afficeres. Vtinam, ô amantissime puer, ad me venias. Nã quo ego sum indignior & vilior, tãto in hoc aduẽtu tua humilitas & charitas apparebit illustrior.

Matth. 8. 13.

Humilitas & charitas quid in Christo effecerit.

3. Intrasti igitur, ô infans potentissime, ad Ioannẽ, vtero virginis, quasi rheda vectus, & multis Angelorum millibus comitatus. In ipso autem momento ingressus tui, ô quàm admiranda operatus es! O quàm facile est in oculis tuis subitò honestare pauperem! O quàm verũ est, quòd tu rex, sedens in vtero Virginis, quasi in solio iudicij tui dissipas omne malum intuitu tuo! Ioannem à peccato originali mundasti, eximia quadam gratia sanctificasti, Spiritu sancto repleuisti, rationis vsum accelerasti, eum Prophetam constituisti, notitiam mysterij tuæ incarnationis dedisti, & ad adorationẽ & amorem tui, & immensum gaudium prouocasti; & subsilire, ac vt poterat indicia immutationis suæ dare fecisti. Insuper & matrem Elisabetham tuo sãcto Spiritu perfudisti, & immisso prophetiæ dono, ac tantorũ mysteriorũ notione eam ad tuas & matris tuæ laudes, ad humilitatẽ, & gratitudinẽ, & affectus purissimos incitasti. O quanta est potẽtia tua infans tenerrime. Ingressus es tu, & Ioãnes sãctificatus est; & anus Spiritu sancto repleta est, & omnis illa domus lętitia perfusa est, & nisi tu incipias, & venias, nos inchoare nõ possumus. Veni igitur, & noli tardare; incipe, & relaxa facinora serui tui, vt ego incipiam meipsũ relinquere, & in omni virtute promoueri.

Eccli. 11. 23. Prouer. 20. 8. Quæ dona Ioannes in matris vtero accepit.

4. Tribus mensibus, ô Domine, in domo Ioannis mansisti, & vsque ad natiuitatem eius ibi perseueraſti, vt ostẽderes, quia delitiæ tuæ esse cum filiis hominum; & quia eos nõ deseris, sed vsque ad exitũ, & vsq; ad nominis impositionẽ cum illis perseueras. Vsque ad exitũ, inquam, quò ad lucem illam æternã transeunt; & vsquequo nomẽ illud nouum, quod nemo scit nisi qui accipit, nomẽ scilicet fidelium seruorum accipiũt. Mane igitur mecum, ô refugium meum, & egredere mecum ad prælium contra aduersarios meos, vt obtenta victoria, te fruar, & tecum semper permaneam. Amen.

MEDITATIO V.

De Natiuitate Filij Dei secundùm carnem.

Luc. 1. à v. 1. vsq; ad 29. Exodi 34. 29. Isaiæ 4. 2.

1. PVnctum. Aderat iam tempus, ô Redemtor hominum, quo ceu alter Moses è monte descenderes, & te mundo carne tectum ostenderes. Aderat dies, in quo tu germen Domini & fructus terræ sublimis paruulus & humilis appareres. Ita verò humana negotia disposuisti, vt ingressui tuo, in quo fundamina Christianæ religionis iacturus eras, suauiter mirabilitérque seruirent. Reddita enim temporali pace mundo, & conflatis gladiis mortalium in vomeres, & lanceis suis in falces, vt

Isaiæ 2. 4.

Christus Rex pacificus.

tu rex pacificus nascereris, Cæsar Augustus suo decreto sanciuit, vt describeretur vniuersus orbis. Ista autem descriptio, ac subiectionis professio à magna superbia & auaritia profecta (nam descripti noua tributa pẽdebant) occasio fuit, vt tu quod statueras efficacissimè fideliſſiméque præstares. Decreuisti, ô

Christus ex semine Dauidis Regis.

salus nostra, in Bethleem nasci, vt te ex progenie Dauid ortum duxisse secũdùm carnem ostenderes; & cum extrema paupertate & humilitate prodire, vt nos ad contemtũ sæculi, & nostri despicientiam incitares. Accepta igitur occasione edicti, quod à Cæsare emanarat, hanc mentem iniecisti purissimæ Virgini matri tuæ, vt Nazareth suam patriam desereret, & cum Ioseph sponso castissimo in vrbem Bethleemiticam (vbi describenda erat) properaret.

Christi virtutes imitãda.

Sic Domine obediens nasceris; nam illa profectio obedientia fuit. Sic humilis nasceris: nam illa subiectio, & vectigalis solutio insignis humilitas fuit. Sic pauperrimus & in summa incommoditate nasceris: nam illa propriæ domus derelictio, in qua nonnihil commodi esset ad partum, & in alienam terram transmigratio, summa paupertas & incommoditas fuit. O quis non paupertatẽ, & humilitatem, & obedientiam amet, quas videt à te in immẽsum dilectas, & tuo ortu sanctissimo consecratas?

2. Ascendit ergo, ô rex gloriæ, nutritius tuus futurus Ioseph cum Virgine matre tua à Nazareth in Bethleem. Quæsiuit hospitium ad quod diuerteres, & minimè inuenit. Quare non inuenit? Quia maxima hominum multitudo in illam vrbem descriptionis & census pendẽdi causſa confluxerat. Quia ciues illi nutritium ac matrem tuam pauperes esse videbant. Quia ab illis nullã hospitij exhibiti mercedem sperabãt. O quanti iniqui, & perduelliones, & facinorosi in domos ciuium admissi sunt; tu verò Rex regum, & Dominus dominantium repulsam passus. Sed quid mirum si illi nullam tui notitiam habentes hoc fecerunt, cùm ego qui me tuum discipulum esse profiteor idipsum facio. Dum enim cogitationes inanes, & affectus inordinatos admitto, hospites iniquos suscipio, te repello. Iam Domine ab omnibus rebus creatis me vacuo, vt te recipiam. Et id quidẽ sapienter, quoniam Deum meum, & fontem omnis sanctitatis admittã. Et id quidem vtiliter, quoniam magna mercede non carebo. Tu enim es auctor gratiæ, qui domum mei cordis ingrediens peccata fugabis, tu refugium meum qui tentationes aduersariorum depelles: tu præceptor meus, qui omnem virtutem edocebis; tu thesaurus meus, qui vniuersis bonis, quæ petiero, me ditabis. In propria ergo venisti, & te tui non receperunt. Quod certè mater tua (vt de te nunc taceam) humillimè & patientissimè tulit, & in diuersorium cõmune se recepit. Verè pauper spiritu, quæ in tantis angustiis posita, tantam incõmoditatem amplexata est. Verè pia, quæ non sibi, sed tibi statim nascituro compassa est. Verè sapiens, quæ tuum consilium intellexit, & illud acceptauit, quo voluisti in via & in diuersorio nasci, vt te ductorem viæ cœlestis esse monstrares, & ab omnibus inuenireris.

Hospitiũ Virgo nõ inuenit.

Cogitationes inanes, hospites iniqui animæ.

Quid sit Christus erga nos.

Ioan. 1. 11.

Virgo verè pauper, pia & sapiẽs.

3. Ingressa Virgine ac nutritio tuo, ô verbum Patris, in diuersorium, venit tibi illa toti mundo fœlix hora nascendi, in qua nobis eras appariturus, & nobiscum conuersaturus. Tunc autẽ Virgo, arbor scilicet pulcherrima, & rore cœli fœcũdata, quę talem fructum erat editura, partus sui præscia vernare cœpit, & in altissima contemplatione posita, iubilis spiritus, & ineffabilibus amoris affectibus florere, & ad diuinam vnionem rapta velut fœmina quædam cœlestis apparere. Non in dolore, sed in immenso gaudio, non in fœtore & sordibus, sed in puritate & in integritate te suum filium peperit. Nam cùm ita esset corpore erecta, mente suspensa, & cœlestibus reuelationibus occupata, ex vtero eius seruata virginitate sua, ô Domine, prodiisti, nó aliter, quàm pomum iam maturum absque vlla læsione arboris, ex illa cadit, vel potiùs, vt splẽdor ex luce procedit. Es tu lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum: at lux corporea feneſtrã vitream sine eius læsione penetrat, cur tu per clauſtra virginea sine eorum fractione non transeas, & ad nos auctor integritatis absque integritatis ruptione non venias? Quòd si illi, qui prædicant, & animabus tuam imitationem communicant, te spiritualiter pariunt, vtinam Domine absque detrimento meæ puritatis, & sine distractione mentis animabus curandis intendam.

Virgo arbor pulcherrima.

Christus lux.

4. Sensit Virgo beata, te Dominum saluatorem peperisse, te absque detrimento integritatis suæ ad salutem omnium effudisse; & inclinata celeriter, ac genibus flexis quid fecit? Certè aspexit te oculis suis virgineis speciosũ forma præ filiis hominum: adorauit te vt Deum maximum, obsequuta est tibi vt dominorum Domino, & te osculata est vt filium chariſſimũ. Primùm te adorauit, quia te esse filium Dei naturalem carne velatum non solùm fide certissima, sed altiori quadam notitia, & fortassis pro tunc clara visione cognouit. Quas grates illa referebat, quia ad redimendum nostrum genus venisti, quia eam in matrem elegisti, quia ab ipso ortu tuo nõ verbo sed exemplo viam paupertatis, humilitatis, & patientiæ docuisti. Deinde tibi obsequuta est: nam pietate matris incitata purissimis manibus te susscepit, brachiis strinxit, vberibus, & corpori suo stellis puriori calefaciendũ applicuit. Postea in sanctam audaciam procedens te osculata est. Sciebat namque te Dei filiũ quoad assumtam naturã suum esse filium, qui cupiebas à tam sanctissima matre vt filius tractari, & osculis atque amplexibus deliniri. Sed tãdem amicæ humilitatis affectu tacta, quasi se minus dignam tuis amplexibus reputans pannis te paratis inuoluit, fasciis sicut infãtibus fieri solet totũ cinxit, & in humili ac duro præsẽpio collocauit, mearum deliciarũ aut indulgentiarum damnatore, ibique iterũ adorationis & amoris affectibus vacare cœpit. Erat illa non vna ex adolescẽtulis, sed perfectissima spõsa, quæ sciebat nec propter contẽplationẽ ab actione sedula separari, nec propter actionẽ à gustu celsissimę cõtẽplationis auelli. O si scirẽ Domine ista duo in mea cõuersatione coniungere!

Quid virgo fecerit Christo nato. Psal. 44. 3.

Virgo perfectissima spõsa.

5. Iacebas in præsepio, ô Deus magne, & puer parue, nõ tamen otiabaris, immo in tam humili sede collocatus traxisti omnia ad te. Angelos vocasti, pastores inuitasti, stella tunc primùm facta, & in regionibus Orientis apparente regibus innotuisti, & in eis sterili gentilitati tuum aduentum ostendisti. Angeli profectò omnes te iacentem in præsepio

Virgo Christo grates agit.

Christus in præsepio collocatus omnia ad se trahit.

è cœlis viderunt, & tam ſtupendam humilitatem admirantes te adorauerunt, & quaſi coram te erubuerunt. Erat enim anima tua, quod nunc eſt, ardentior Seraphinis, ſapiẽtior Cherubinis, ſtabilior thronis, & cæteris Angelorum choris purior, atq; fœlicior. Sed multi eorum cum Gabriele tuæ œconomiæ paranympho, ſecundùm Patris diſpoſitionem in aſſumtis corporibus deſcenderunt, vt te caput ſuum adorarent, & debita reuerentia tributa perſoluerent. Stupebant illi ad tantam maieſtatẽ, & ad tantam humilitatem. Infantem faſciis ligatum, & infernum ſpoliantem, & ſuper foramine aſpidis ludentem, & in cauernam reguli manum mittentem celebrabant. O ſi dignus eſſem me illis aſſociare, cum illis matri & nutritio ſtupenti & adoranti gratulari, & tibi Domine mille gratiarum actiones concinere.

Qualis erat anima Chriſti, &c. eſt.

Quæ Angelorum admiratio. Iſaiæ 11. 8.

6. Sed ad te redeo, ô amator noſter ardẽtiſſime, & interrogo te, quid primùm feciſti, cùm iſtum cõmunem aërem, ac communem lucem tua corporali præſentia nobilitare inchoaſti. Ego quidem ſic cogito te in illam virginem puerperam oculos cõiecisſe, & tantam puritatem, tãtam fidelitatem, tantam modeſtiam & humilitatem aſpiciens tibimetipſi dixiſſe: Quis contemnat nationes hominũ, qui tam decoras animas habet, vt non pro his meritò pugnare debeamus? O fœlix humana natura, quæ talem veluti primam oſtenſionem tui huic cœleſti mercatori obtuliſti! Vtinam illi vel tantillũ in aliis hominibus ſimilior eſſes, & à primo illo innocẽtiæ ſtatu in quo fuiſti condita, nequaquã degeneraſſes. At tu Deus meus, quaſi ex aſpectu virginis de nouo amore mortalium incenſus Gabrielem aſtantẽ deſtinaſti, vt homines aliquos ad te adorãdũ vocaret. Ille verò claritate nimia veſtitus, & tuæ voluntatis conſcius, non ſapientes huius mundi ſuperbos, nõ diuites auaros, non nobiles otioſos, & in lectis eburneis ſtertentes, ſed paſtores humiles, pauperes, proprium munus obeuntes (nam vigilabant ſuper gregem ſuum) de tanto myſterio erudire dignatus eſt. Apparénſq; illis dixit: Nolite timere. Ecce euãgelizo vobis gaudium magnũ, quod erit omni populo: quia natus eſt vobis hodie Saluator, qui eſt Chriſtus Dominus in ciuitate Dauid. Non eſt, inquam, cur timeatis ex aſpectu meo, quia non durus nuntius, ſed bonus & lætus vobis miſſus ſum. Annuntio vobis gaudium magnum, & verè magnum, quoniam nullis limitibus circumſcriptum eſt: quoniã omni populo veſtro, immo & omnibus populis & gentibus datum eſt. Et ſi vultis ſcire: Natus eſt vobis ille Saluator diu deſideratus, ardenter amatus, & ab omnibus Patriarchis & Prophetis vehementer expetitus. Hoc autem erit nati Saluatoris ſignum. Inuenietis infantem pannis inuolutum, & poſitum in præſepio. Ille enim qui ad ſaluos faciẽdos vos venit, ſigna ſalutis præferre debuit, innocentiam, paupertatem, humilitatẽ, quibus à ſuperbia, ab omni peccato, & à cupiditate omniũ malorum radicem liberemini. Verè hæc ſunt ſigna tua, ô Saluator meus, quibus hodie à multis contradicitur. Tu autem, ea multitudine militiæ Angelorũ confirmaſti, cum illo primo apparentium atque dicentium, Gloria in altiſſimis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Nam hoc natale tuum ſuper omnia opera Dei, gloriam Patri tuo in cœlo attulit, quoniã maius omnibus eſt. Et hominibus in terra pacem cum Deo, cum Angelis inter ſeipſos, & inter carnẽ & ſpiritum prærogauit. Hominibus, inquam, bonæ voluntatis, qui ſcilicet ex recta intentione illa tua ſigna amplectuntur, & tuã humilitatem, paupertatem, & ſanctitatẽ imitantur.

Quid primùm fecerit Chriſtus recens natus.

Paſtoribus per Angelos Chriſti natiuitas innoteſcit.

Chriſti natalis magnæ lætitiæ origo.

Chriſtus paſtores illuminauit.

7. Paſtores ipſi, ô Deus meus, teſtimonium reddunt, quia non fruſtrà vocati ſunt. Audito namque nuntio cœleſti, & cantico gloriæ & pacis excepto, mutuò ſe hortabantur vt ad te venirent. Obedierũt ſigno voluntatis tuæ, & cum magno feruore ad te adorandum feſtinarunt. O ſi ita & ego tuis inſtinctibus obedirem, ô ſi feruenter ad te properarem, quàm magnam laboris mercedem obtinerem! Illis ſtabulum ingreſſis, tu candor lucis æternæ, illos illuminaſti, vt fide viua & vera te filium Dei eſſe cognoſcerent; illos iuuiſti, vt te diligerent, te adorarent, & tibi dona ſuæ paupertatis offerrent. Venerunt paſtores irrationabilium ouium, & redierunt paſtores & prædicatores hominum. Nam omnes qui audierant, mirati ſunt, de his quæ dicta erant à paſtoribus ad ipſos. Qui ad te non accurrit, Domine, qui à te lucem & gratiam non recipit, forte æs ſonans & cymbalum tinniens erit, ſed Apoſtolicus vir, qui verbo & exemplo ædificet, nó erit.

Quæ Virgo mater in corde ſuo conferebat.

8. Sed tu ô pulcherrima fœminarum, quid inter tot myſteria faciebas? Profectò conſeruabas omnia verba hæc conferens in corde tuo. Conferebas naturæ diuinæ maieſtatem cum humanæ humilitate, omnipotentiam cum infirmitate, diuitias cum paupertate, quæ elucebãt in filio tuo. Conferebas opera illius Dei parui, quæ ſunt dare eſſe & vitam & omnia creaturis ſuis, cum operibus illius pueri magni, quæ ſunt flere, pati, & in ſignis externis ſe infantem recèns natum exhibere. Conferebas ſcripturam cum præſentibus operibus, opera cum vocibus Angelorum atque paſtorum. Et in hac collatione amore ardebas, & laudibus & gratiarum actionibus afficiebaris, & flumine lętitię & gaudiorum adimplebaris. Doce me, ô caſtiſſima Virgo, hæc omnia conferre, & mecum recogitare, & ex his & ſimilibus melioris vitæ, & amplioris puritatis ſemper fructum referre. Amen.

Virginis caſtiſſimæ affectus.

MEDITATIO VI.

De circumciſione Chriſti Domini, & impoſitione nominis Ieſu.

Chriſtus legẽ circumciſionis impleuit.

1. PVnctum. Lex erat Hebræis impoſita, ô Saluator noſter dulciſſime, vt maſculi octauo die poſt diem natalis circumciderentur, quã legem implere non refugiſti, vt tempeſtiuè arrham pretij noſtræ redemtionis exolueres, & hoc ipſo te maximè ſitire noſtram ſalutem oſtenderes. Guttulæ illæ ſanguinis ſufficiẽs, immo & ſuperabundans pretiũ erat ad vniuerſum mundũ redimẽdum. Sed theſaurum tanti valoris arrham emtionis facis, quia non cum re emta, ſed cũ immenſo tuo amore pretium pro nobis exoluendum metiris. O ſi à te diſcerem non ſolùm debita & præcepto aut lege impoſita facere, ſed quidquid meæ vires ferrent, licèt debitum non ſit, diligẽtiſſimè pro tuo amore præſtare.

Chriſti obediẽtia noſtram inobediẽtiam reprehẽdit.

2. Circumciſus es igitur, ô infans tenerrime, ſiue à matre tua, quæ ad hoc, ſi Pater æternus voluit, animum pluſquam virilem induerat: ſiue à nutritio Ioſeph, ſiue à quouis alio, cui munus circumcidendi pueros demandatum erat. Hoc autem opere tuo meam anteactam vitam taxas, & ad omnem perfectionem ſectandã inſtigas. Nam obedientia perfectiſſima fuit hæc circumciſio tua, qua legem duriſſimam, à qua mille titulis exemtus eras, deuotiſſimè impleuiſti. Sic autem mea inobedientia reprehenditur, qui ſolùm in rebus facillimis, & meo ſenſuali appetitui conuenientibus pareo, in rebus verò difficilioribus, & ſenſualitati repugnantibus onus

Superbiæ humilitas.

obedientiæ detrecto. Fuit etiam insignis humilitas, quia tu peccati mortisque destructor peccatoris signum (qualis erat circumcisio ad peccatum originale tollendum lata) susceipere dignatus es. Quo meam inuerecundam superbiam increpas qui peccator magnus existo, & iustus videri gestio, & iniquitates meas excusationibus vanis operio. Fuit & inuicta patiētia. Nam non perinde ac alij pueri dolorē passus es, sed sciens & volens sanguinem fudisti, & acerbitatē illius doloris sustinuisti. Sic autem ex mea impatientia mihi ruborem iniicis, qui omnem incommoditatem fugio, & pro te nec minima pati sustineo. Fuit tandem ardens charitas, qua mihi tuum sanguinem infiniti valoris donasti, & gelidum cor meum non te feruenter amans igne accendisti.

Patiētia impatiētiam cōdemnat.

3. At in hac circumcisione tua, ô virtutum omnium magister, lex mihi non carnalis, sed spiritualis circumcisionis indicitur: vt scilicet circumcidar tibi Domino meo, ob honorem nimirum & amorem tui, & auferam præputiū cordis mei. Gladius ad hanc circumcisionem paratus mortificatio est: ipsa autem circumcisio superfluorum, quæ sunt in viribus meis, amputatio est. Abscindam ergo à sensibus & affectibus meis, à iudicio & voluntate mea quidquid tibi non placet: corpori meo commoda quæ vitæ non sunt necessaria negabo. Arbor sum ad fluenta ruæ gratiæ plantata, putabo me, vt fructus virtutum vberrimos feram. Nec solùm ego meipsum abnegabo, verùm & ab aliis mortificari libenter patiar, siue prælatis aut amicis bona intentione, siue ab inimicis intentione sinistra: nam verè qui me mortificat, ad tui amorem & perfectionem iuuat.

Ieremiæ 4.4.

Quæ spiritualis circumcisio auferat.

Quare nomen salutis puero circumciso imponitur.

4. Sed quare voluisti, ô Verbum infans, in ipsa circumcisione nomen tibi salutis imponi? An vt consuetudini illius gentis te cóformares, quæ cùm paruulos circumcidebat, nomina quibus nominandi essent publicabat? An præcipuè, vt mysterium magnum aperires quod per circumcisionem spiritualem à tua gratia inspiratam salus ad nostram mentem ingreditur? Sicut enim æger corpore sanus fit, cùm ab eo sanguis putridus & noxij humores tolluntur; ita æger spiritu ad sanitatem redit, cùm ab eo per mortificationem quidquid Deo est inuisum separatur. An vt ostenderes, quia ab effusione sanguinis tui omnis salus, omnis munditia nostra vitaque pendebat? Nam omnia in sanguine mundantur, & sine sanguinis effusione non fit remissio. An vt hauriamus aquas cum gaudio de hoc fonte Saluatoris, & his aquis sanguine tinctis, quæ aurum virtutum ferunt, iuxta nostrum desiderium diteſcamus? Propter hæc sanè Saluatoris nomen tibi in circumcisione impositum est. Et vt Pater te humiliatum & signo peccatoris notatum exaltaret, & gentibus in Saluatorem proponeret. Si hoc tuo sanguine me lauero, & tuæ vitæ imitationem induero, absque dubio saluus ero.

Iesus, id est, Saluator, vel salus.

Quidam saluatores dicti.

5. Vocatus es igitur, ô Christe fili Dei, Iesus. Hoc nomen Pater tuus æternus imposuit tibi, Gabriel Angelus annuntiauit, Virgo mater aperuit. Quòd si omne quod vocauit Adam animæ viuentis ipsum est nomen eius: quia videlicet singulis rebus conuenientia nomina indidit, quanto magis, quod vocauit Pater, à quo omnis sapientia promanat, ipsum erit nomen tuum, & tibi per omnia conueniet? Vocaris Iesus, quod interpretatur Saluator, vel salus, quia tu saluator & salus nostra es. Sed ego quidem Domine Iesu in Scriptura tua nonnullos saluatores inuenio? Patriarcha Ioseph vocatus est à Pharaone saluator mundi, quia Ægyptios à fame liberauit. Othoniel quoque qui Israëlitas à rege Mesopotamiæ defendit saluator vocatus est. Nam cùm illi clamassent ad te, suscitasti eis saluatorem, & liberasti eos. Et iterum, dedisti saluatorem Israëli Angelum tuum, & liberatus est de manu regis Syriæ. Dic nunc mihi, obsecro, quam ob caussam Saluator vocatus es? An quia nobis corporis panem dedisti? An quia ab hostibus visibilibus eripuisti? An quia pacem temporalem attulisti? Sed quid proderit corporis panem habere, si anima fame pereat? Ab hostibus visibilibus eripi, & inuisibilibus infestissimis subi acere, pace temporali frui, & intestinis affectionum bellis cruciari? Potior & fœlicior est salus à te allata, Domine, quia totum hominem saluum fecisti in Sabbato requiei tuæ, & in die solemni aduentus tui. Propter hanc ego adoro te, propter hanc gratias ago, hanc expecto, hanc postulo, eam meis precibus & desideriis exquiro.

Christus quare dictus Saluator.

6. Vocaris itaque Iesus, seu Saluator, ô fili Dei dulcissime, quia peccata destruxisti: quia catenas & vincula affectionum terrenarum, quibus vincti tenebamur, abstulisti: quia diabolum, qui mortis habebat imperium, vicisti: quia cœlum aperuisti; quia corda hominum ad te traxisti, quia inferno spolia detraxisti, quia vniuersum mundum expugnasti. Vocaris Iesus, quia ab ignorantia & malitia & infirmitate nos liberas, & sapientia, bonitate, & fortitudine roboras. Tu enim factus es nobis sapientia à Deo, & iustitia, & sanctificatio, & redemtio. Vocaris Iesus, quia hoc nomen sanctissimum tuum præcipuum munus nos liberandi detegit, & vniuersa tua nomina comprehendit. Nam si tu es Iesus, & simul Emanuel, id est, nobiscum Deus. Es, qui velociter spolia detrahis, & festinas prædari. Es admirabilis consiliarius, Deus, fortis, Pater futuri sæculi, princeps pacis. Hoc tuum nomen est mihi mel in ore, melos in aure, iubilus in corde: hoc os meum resonet, auris mea audiat, cor meum recogitet, vita quoque mea illi consentiat, conuersatio præferat, vt hac salute cumulatus ad illam æternam perueniam. Amen.

Christus dicitur Iesus ob multa.

Varia Christi nomina.

MEDITATIO VII.

De apparitione Christi Iesu, & adoratione Magorum.

1. PVnctum. Verbum tuum est, ô Christe Saluator hominum, sapientia absconsa, & thesaurus inuisus, quæ vtilitas in vtrisque. Tu autem es sapientia Patris: tu thesaurus thesaurorum, in quo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ absconditi. Non enim decuit, vt esses absconditus, & ab oculis mortalium inuisus. Non quidem propter te, sed propter nos apparere voluisti, & in ipso ortu tuo splendidissimam stellam creasti, quæ te in oriente manifestaret, & illius regionis gentes (apud quas solemne erat vaticinium Balaam: Orietur stella ex Iacob, & consurget virga de Israël) ad te adorandum inuitaret. O vtinam stella sanctæ inspirationis tuæ oriatur in corde meo, quæ tuum in me aduentum annuntiet. Hoc enim est signum aduentus tui in nobis, si excipiamus vocationem tuam, & nequaquam ei obedire cunctemur. Et stellam quidem illam omnes homines illius gentis viderunt, & omnes quid portenderet, cognouerūt, at rerum visibilium amore illigati ad te adorandū minimè properarunt. Soli tres reges relictis omnibus, gratia tua efficaciter moti, & magna deuotione excitati, hoc opus insigne sequelæ & adorationis tuæ

Christus propter nos apparuit.

Vaticinium Balaam.

Reges, visa stella ad Christū adorandum proficiscūtur.

perficere

perficere conati sunt. Ex quo elucet quàm verum sit, quia multi sunt vocati, pauci verò electi. Fac tu, ô amator ardentissime, vt ex multis, quos ad perfectionem vocas, ego sim vnus peccatorum qui in mea segnitie non maneam, sed veram sanctitatem efficaciter apprehendam.

2. Hi ergo reges, ô omnium regũ princeps sanctissime, reliquerunt terram suam, & cognationem suam, immo & regna sua, quibus imperitabant, vt te quærerent, & coronas suas, & omnia quæ habebant, & seipsos sub tuis pedibus collocarent. Illorum exitus Abrahæ exitu è terra sua longè fœlicior fuit: quoniam hic in præmium egressionis suæ terram lacte & melle manantem accepit; illi verò te auctorem cœli & terræ & omnium bonorum fontem inuenerunt, & in tuam se familiaritatem insinuarunt. Statim atque viam ingressi sunt, stella illa loco mota est, & ducem se itineris ac comitem præbuit: quia tu eos non deseris, immo gratia tua præcedis, comitaris, & sequeris, quos te quærentes, & tuum obsequium & aspectum cupientes facis. Illi autem viso tanto miraculo, quid facerent, nisi stellam ductricem sequi, & vt spirituales Israelitæ ad quietem columnæ nubis & ignis quiescere, & ad eius motum ambulare. Sequar & ego, Præceptor meus, stellam tuam, sequar instinctũ tuum, sequar Ecclesiam & prælatos à te constitutos. Illi namque certissimè me ducent ad te: si verò iudicium meum proprium & voluntatem meam sequar, discedam à te.

3. Sed quis non miretur, ô Deus meus, iudicia tua? quis non suspiciat consilia cordis tui? Iam illi in Palæstinam venerãt, iam quasi ad fines Bethlemiticæ vrbis accesserant, & illuc vsque stellã semper præcuntem & viam splendore suo monstrantẽ viderant. Tunc verò repentè disparuit, & illos tristes, anxios, & caligine quadam obuolutos reliquit. Quorsum hæc, nisi vt nos qui hæc legimus, qui hæc meditamur, vicissitudines consolationis & desolationis agnosceremus, & cùm tribulamur, & quasi à te reiicimur, & deserimur, quid nobis faciendum sit, disceremus. Magi sanè amissa stella non deposuerunt animum, non abierunt retro, non redierunt ad domicilia sua, sed Ierosolymam petierunt, & in frequentissima ciuitate, fide firmi, spe robusti, fortitudine & magnanimitate dotati interrogare ausi sunt: Vbi est qui natus est rex Iudæorum? Denique nihil omiserunt eorum quæ in sua potestate erant, vt te suum regem inuenirent. An ego aliter faciam cùm per subtractionem sensibilis consolationis à me discesseris, & vt probes an sim amicus socius mensæ, in mea me obscuritate reliqueris? Non sanè. Surgam, & circuibo ciuitatem, per vicos & plateas quæram quem diligit anima mea. Prælatos interrogabo, exemplis fratrum me animabo, bonis operibus exercebor. Et vbicumque fuero siue in cella, siue in foro, siue in regum palatio, siue inter iniquos positus, meũ negotium agam, quod est te Deum meum quærere, te suspirare, in te solo mea desideria defigere.

4. Turbatur Herodes, ô rex potentissime, ad aduentum tuum, turbantur & mali cum illo. Turbatur ille, quia timebat tyrannus ne regnum auferres, nescies quia non eripis mortalia, qui veniebas regna dare cœlestia. Turbãtur mali qui ex parte eius erant, vel se turbari simulabant, quia iniquo regi displicere metuebant. At non turbantur boni, sed rei exitum Dei promissa considerantes expectabant. Interrogat Herodes principes sacerdotum & scribas in lege doctissimos vbi esses, Domine, nascíturus, non vt te adoret, sed vt te perimat. Illi verò Deo Patre sic disponente veritatem produnt, & allato Michææ vaticinio, Bethleem tuæ natiuitatis locum ostendunt, vt Deus (de quo dictum est: Non est sapientia, non est prudentia, non est consilium contra Dominum) nebulonem illum illudat. Nec solùm irrisisti eum ô Domine, sed & instrumentum tuæ adorationis fecisti, impletúmque est illud: Qui stultus est, seruiet sapienti.] Nam ipse rex impius reges pios docuit vbi eras natus, & viã qua inuenireris, aperuit. Sed ô inscrutabilia iudicia Dei! Scientes te Domine, & viam aliis ostendentes non exquisierunt te, & in sua cœcitate & obstinatione permanserunt: ignorantes autem te, sed humiliter de te interrogantes, te inueniunt, & adoratione prosequuntur, & tandem æternam salutem accipiunt. Ne permittas obsecro, vt qui alios ad te voco, ob peccata mea alienus à te maneam, sed cum illis (quod firmiter statuo) ad tuam imitationem accurram: vt non sim ex miseris, de quibus tu postea dixisti: Dico autem vobis, quòd multi ab oriente & occidente venient, & recumbent cum Abraham, & Isaac, & Iacob in regno cœlorum; filij autem regni eiicientur in tenebras exteriores.]

5. At reges illi, ô sol iustitiæ, de tuæ natalis loco conuenienter edocti, quid faciũt? Profectò statim Hierosolymam & hominum frequentiam deserunt, in qua communiter non inueniris, & ad viã redeunt firmiter statuentes non daturos se somnũ oculis suis, nec palpebris suis dormitationem, nec requiem temporibus suis, donec inuenirent locum Domini, & tabernaculum Dei Iacob. Tu verò iterũ illos splendore stellæ radiantis illuminas, & ducatu illius ad locum humilem vbi latebas, perducis, & ineffabili gaudio perfundis. Hæc sunt opera tua, ô Christe Saluator; licèt ad tempus modicum discedas, statim amore sollicitatus redis: licèt in manibus lucem abscondas, at iterum eam manifestas; licèt salutarem tristitiam immittas, post paululum mentem afflictam exhilaras. Sed ô vos fœliciſſimi reges, quam mentem habebatis, cùm vidistis stellam consistentem non super palatia regum, sed supra humilem & abiectam cassam mendicorũ? Cognouistis apertè quia humilitatis Magister in vili tuguriolo habitabat, & hominum superbiam & luxum respuebat. Cognouistis humilitatẽ esse honoris locum. Nam Deus excelsus ponit humiles in sublime, & mœrentes erigit sospitate. Cognouistis paupertatem & sæculi contemtum esse domos in quibus Saluator sæculi est à mortalibus inueniendus. Ingressi sunt illi, ô Domine, tuguriolum, in quo iacebas, non sunt scãdalizati in paupertate & paruitate tua, nec in simplicitate tuorum, quia lux tua illos erudiuit, vt in illa abiectione summam maiestatem agnoscerent, & in facie tenerrimi infantis, quod venerarentur, & adoratione latriæ prosequerentur, inuenirent.

6. Videntes itaque, ô supreme rex, magnitudinem tuam, prociderunt coram te, secundùm quod prædixerat sanctus Dauid: Coram illo procident Æthiopes, & inimici eius, qui scilicet antea inimici erãt, terram lingẽt.] Suprema adoratione soli Deo debita adorauerunt te. Nam & ipsi etiam vaticinatus fuerat: Et adorabunt eum omnes reges terræ; omnes gentes seruient ei.] Munera obtulerunt tibi, aurum, thus, & myrrham. In eodem enim loco scriptum est: Reges Tharsis & insulæ munera offerent; reges Arabum & Saba dona adducent.] Quibus donis te regem Deum & hominem confessi sunt.

Magorũ exitus è terra sua fœlicior Abrahæ exitu.

Magi imitandi in sequẽda stella.

Magis occultatur stella. Quid hoc mysticè signet?

Eccli. 6. 10.

Cant. 3. 2.

Opus nostrũ Deũ quærere vbique.

Cur Herodes & mali turbati.

Michæa 5. 1.

Prou. 21. 30. Contra Dominũ nulla prudentia.

Prou. 11. 29. Scientes Deũ, nos exquirũt, nescientes verò quærunt.

Matth. 8. 11.

Iusti vicissim cõsolantur, & desolationem patiũtur.

Quæ Magi cognouerint.

Iob 5. 11.

Magorũ adoratio.

Psal. 71. 9.

v. 11. v. 20.

Magorũ munera externa.

Dona interna.

Et hæc quidem exteriora fuerunt, ſed eorum interiora quis explicet ? Et eorum fidem viuam,ſpem certam,charitatem feruidam, deuotionem, gratiarum actionem , & virtutes reliquas quis declaret? O Deus meus, ſi ſcirem beatos iſtos reges imitari. Corde & corpore procido coram te ; in ſpiritu & veritate adoro te: aurum charitatis,incenſum orationis , & myrrham mortificationis offero tibi. Suſcipe ô rex piiſſime oblationem meam;immo & me totum & omnia,quæ ex te habeo, in tuum obſequium admitte.

Aurum, charitas thus,oratio, myrrha,mortificatio.

Magi virginẽ reuerẽtur, & per aliã viam diſcedũt.

7. Illi quidem,ô bone Ieſu, Virgini debitam reuerentiam exhibuerunt, & reſponſo in ſomnis accepto (nam à te lucem ad tuam voluntatem cognoſcendam poſtularunt)non ad Herodem,ſed per aliam viam in ſuam regionem remearunt. Fac rogo,vt per aliam viam in cœleſtem regionem,à qua per peccatum diſceſſi,ingrediar. Ita ſcilicet, vt qui à paradiſi gaudiis per delectamenta diſceſſi ad hæc per lamenta pœnitentiæ valeam reuocari.

MEDITATIO VIII.

De præſentatione Chriſti in templo.

Luca 2.à v.22.uſque 39. Præceptũ offerendi Deo primogenitũ Exod.13. 2.

1. PVnctum. Præceptum erat in illa antiqua lege,ô Chriſte ſaluator meus,vt omne primogenitum Patri tuo conſecraretur in memoriam beneficij magni illius , quo filij Iſraël educti ſunt de terra Ægypti , & à ſeruitute Pharaonis liberati. Sanctifica mihi , ait , omne primogenitum , quod aperit vuluam in filiis Iſraël , tam de hominibus, quàm de iumentis : mea ſunt enim omnia.] Ac tu qui hanc legem non ſoluere ſed adimplere veniſti, eam cuſtodire dignatus es. Et quidem licèt ea non tenereris (quid enim tibi & legi , qui verus filius Dei & auctor es legis ? Quid tibi , & legi illis qui aperiunt vuluam impoſitæ, ſiquidem Spiritus ſancti virtute cõceptus,& de Virgine natus es) tamen ſimpliciter ei te ſubiacuiſti,vt exẽplum magnę humilitatis & ſimplicis obedientiæ nobis præberes, & non in noxia libertate , & in exemtionibus, ſed in omnimoda ſubiectione bonum noſtrum eſſe monſtrares. Nos miſeri contrà facimus, qui mille prætextus quærimus , ne leges ad quas tenemur, debitè cuſtodiamus.

Chriſtus legi , ad noſtram doctrinã ſubijcitur.

2. Inſtillaſti cordi ſanctiſſimæ & obedientiſſimæ matris tuæ (quæ & tunc quoque purificationis legi ſe ſubiecit) vt te ad templum ſine ſtrepitu & oſtentatione deferret,& te hoſtiam ſanctam, purã, immaculatam,pretioſam tuo Patri profeſſione illa externa conſecraret. Paruit illa : ingreſſus es templum Virginis manibus deportatus. Illa nomine ſuo & totius generis humani te Patri obtulit : & quæ de manu eius accepit , reddidit illi. Tu etiam corpore infans,animo tamen perfectus vir te Patri æterno obtuliſti pro omnibus & pro me , vt eum nobis placares,& vt verus agnus non ſolùm veſperi in paſſione,ſed & manè in infantia te hoſtiam & oblationem dares in odorem ſuauitatis. Illi namque duo agni qui manè & veſperi iubebantur immolari, has duas oblationes ſignificabant , quibus tu Domine puer paruulus & vir robuſtus voluiſti ad noſtram redemtionem offerri. O beati qui à pueritia ſe tibi conſecrant,& vſque ad ſenectam in hac conſecratione perdurant. Nunc ſaltem quamuis ſerò tibi me offeram , & vitam nouã incipiam. Hæc namque eſt miſericordia tua, vt neminem ad te properantem reiicias.

Chriſtus Patri nomine totius generis humani oblatus. Exodi 29.38. Quid duo agni olim immolari iuſſi portenderent.

3. Nullam adhuc inuenio ,ô Saluator hominũ, in tua humilitate menſuram. Tu enim qui filius es naturalis obtuliſti te Patri in ſeruum, ac propterea ſecundùm naturam humanam ſic ab eo vocatus es. Ecce ſeruus meus,ait,ſuſcipiam eum:electus meus, complacuit ſibi in illo anima mea.] Voluit ergo, vt more ſeruorum quinque ſiclis redimereris, & à Virgine matre tua dato huiuſmodi pretio, quaſi in eius & omnium noſtrũm poſſeſſionem venires , vt nobis etiam in adeptionem æternæ ſalutis miniſtrares. Tu, ô rex amantiſſime , cùm ſis naturaliter Dominus formam ſerui ſuſcepiſti , vt meæ ſaluti conſuleres , quanto æquius ego naturaliter ſeruus tibi in omnibus tum præceptis,tum conſiliis obſequi debeo , vt per imitationem humilitatis tuæ, meam ſalutem & perfectionem à te conſequar , & quinque vulnerum tuorum ſiclis à tua miſericordia emtus exiſtam.

Chriſtus ſeruus Patrũ ſecundùm humanitatem. Iſaiæ 42. 1.

Deo cùm ſerui eius ſimus in omnibus parere debemus.

4. Tanta humilitas, ô Ieſu dulciſſime , præſenti exaltatione carere non debuit.Quare prouiſum eſt à benigniſſima prouidentia Patris tui , vt duo Prophetæ Simeon & Anna tunc tibi occurrerent, qui palàm & coram omnibus tuam dignitatem & gloriam nuntiarent. Sed quis erat Simeon ? Certè vir iuſtus qui totam legem perfectè obſeruabat,& nemini iniuriã inferebat: & timens Deum,qui Deum colebat,& minimas imperfectiones vitabat:& plenus ſpe redemtionis mundi qua deſideriis tui aduentus ardebat, & iugiter orationi vacabat. Hunc tu, ô Domine, Spiritu ſancto tuo repleuiſti ; eíque pollicitus es,qui ante naturalem mortem te erat in carne viſurus. Sic enim ſoles excellentiſſimam virtutem etiam in hac vita præſtantiſſimis & extraordinariis donis cumulare.Hunc tu fideliſſime Deus, quo tempore præſentabaris in templum adduxiſti, vt tuam promiſſionem impleres. Vidit te ille oculis corporis infantem paruulum,at oculis cordis te Meſſiam,mundi ſalutem, & Deum magnum agnouit. Nec ſolùm te nouit,verùm (vt videamus quia merita ſupplicum excedis & vota) & dulciſſimo amplexu conſtrinxit,& in ſuis vlnis collocauit : & hac vera vita ſatiatus (& tu ipſe es) amplius in terris manere noluit. Tolle, inquit, ô Domine animã meam, quandoquidem vidi filium tuum datum in lucem gentium , & in gloriam plebis tuæ Iſraël. Quin & de te magnificè loquutus eſt,dicens te poſitum eſſe in multorũ reſurrectionem , eorum ſcilicet, quos tibi adhærentes in ſublimẽ ſanctitatem euehis ; & in multorum ruinam , eorum nimirum quos à te fugientes in abyſſum iniquitatis præceps ire permittis. Téque ſignum ſalutis eſſe clamauit, cui tamen hoſtes ſalutis erant pertinaciter contradicturi. Matrem quoque tuam ineffabili gaudio perfuſam de tuis doloribus & paſſione præmonuit , vt voluntati Patris omnia committeret , & gaudium illud triſtitiæ gladio temperatum haberet. Sanctorum enim vitam proſperitatibus & aduerſitatibus texis , vt hac viciſſitudine efficaciùs valeant ad perfectionis cumulum feſtinare.

Chriſti humilitas honorata. Qualis fuerit Simeon.

Simeon externis oculis Chriſtũ vidit:internis agnouit.

Simeonis clariſſima vaticinia.

Vitæ Sãctorũ aduerſis, & proſperis rebus texta. Qualis extiterit Anna , cui ſe Chriſtus oſtendit.

5. Et quæ,ô Deus meus erat Anna,quam ad tuã gloriam promulgandam vocaſti ? Profectò mulier caſtiſſima,orationi ſemper intenta , ieiuniorum amans,deuotè ſeruiens,diuinam legem fideliter implens,& in his omnibus ad multos annos perſeuerans. Huic te oſtendiſti Domine. Hæc confitebatur tibi, & gratias agebat , & de te magnifica prædicabat. Gaudeo quia te humillimum Dominum meum ita exaltari ac prædicari audio: & hos duos ſenes imitari geſtio. Nam ſi eos imitarer,& eorum virtutibus imbuerer,non dubium,quin à te liberaliſſimo principe conſimilia dona ſuſciperem.

MEDITATIO IX.

De fuga Christi in Ægyptum, eiúsque reditu in Iudæam.

Matth.2. à ver.13. vsque ad 23.

1. PVnctum. Ab ipso ortu tuo vsque in hanc horam, ô mi Iesu dulcissime, ab ipsa natura multa incommoda passus es, nunc ab hominibus, quorum redemtor aduèneras, tibi iam parantur insidiæ. Fremit Herodes, quia metuit se à regno eiici, insanit populus, & vt aduletur ei, decernit tibi mortem inferre; indignatur diabolus, quia suum excidium videtur odorari. Vt ergo Pater æternus suam erga te paternam prouidentiam ostenderet, & suo tempori, in quo pro nobis eras moriturus, reseruaret, Angelum suum misit, qui Ioseph nutritio tuo onus fugiendi, & te ac Virginem ducendi in Ægyptum imponeret. Quare, ô rex potentissime, iniquum illum regem non interimis? Quare populum illum ingratissimum non ad nihilum redigis? Quare fugis? An non erat tibi alius modus euadendi, qui omnia potes, & tuos aliquando aranearum telis ab immanium hostium incursione defendis? Scio quia poteras horum vilissimorum canum latratus contemnere, & te ac tuos facillimè mille modis seruare. At potiùs eligis fugere, & persecutionem insurgentem declinare, vt in regione aliena maiores occasiones patiendi habeas; vt te à contribulibus tuis ampliùs elonges, vt euentus Ecclesiæ tuæ multa à tyrannis patientis, à suo initio designes; & vt tu ipse gentes vocare incipias, & vexillum veritatis earum arcibus primus inferas. Ascendisti namque super nubem leuem Virginis matris tuæ; bene nubes, quæ te pluuiam cœlestem attulit: bene leuis, quam numquam onus peccati depressit, & ingressus es Ægyptum, & commota sunt simulachra Ægypti à facie tua, & cor Ægypti contabuit in medio eius.

Christi recèns nati hostes.

Patris æterni erga Christũ prouidentia.

Quare Christus fugere eligit.

Isa. 19.1. Virgo leuis nubes.

2. Quia tamen, ô puer sanctissime, iuxta ætatulam tuam ab aliis in Ægyptum deportandus eras, mirum est quàm sapienter ab æterno Patre tuo fuit dispositа ista profectio. Venit Angelus eam reuelaturus, quia ad ministros tuos, quorũ ille typus erat, pertinet non tantùm tuam voluntatem facere, verùm & illam cæteris hominibus nuntiare. Apparuit Ioseph, & non Mariæ; quoniam licèt minoris meriti, at illius beatæ domus caput erat; & hic est ordo legis tuæ, vt subditi quamuis sanctiores in bono prælatis etiam minus bonis, immo & malis obediant. Et apparuit in somnis: nam & ipsa quies non solùm corporis, sed & castæ cõtemplationis, posthabenda est, si tu iusseris, & pro labore & actione commutanda. Ecce in pace, ô Domine, amaritudo mea amarissima, quoties iusseris me ab illa auelli, & istam, quam quietæ animæ horrent, amplexari. At quid dixit Angelus? Accipe, inquit, puerũ & matrem eius, & fuge in Ægyptum, & esto ibi vsquedum dicam tibi. O Angele Dei, an non comites aduocauit, qui eum in itinere tueantur? An non supellectilem domus, aut saltem aliqua necessaria pro via longissima conficienda conquireret? At quid comites, ô homo, vbi comes est mater Dei, vbi comes est Deus. Sufficis tu Deo, & nihil ex te, nisi te quærit; sufficiat tibi Deus, qui protector tuus est, & merces tua magna nimis. Ad quid alia compararet, qui ita ab vrbe discedebat, & iter agebat, vt panem cœli, & fontem aquæ viuæ, & thesaurum cœlestem secum ferret. Sed quare in Ægyptum in terram barbararum gentium ire iubes? Vt tu, si à Deo voceris, ad gentes pergas, & quidquid tibi splendet & placet, animosè relinquas. Verbis igitur istis docuisti tunc sanctum illum sponsum matris tuæ, & nunc doces me Domine tibi parere, te custodire. Sed sequentibus dolore cor meum percutis. Futurum est, inquit, vt Herodes quærat puerum ad perdendum eum. O numquam visam ingratitudinem! ô numquam cogitatam atrocitatem! Tu quæris vt nos saluos; quæreris vt perdaris. O innocens agne, ad necem inquireris, qui vitam nobis donaturus venisti. Maledictus furor eorum quia pertinax, & indignatio eorum quia dura; consilium eorum longè fac à me.

Cur Angelus Iosepho, nõ virgini apparuit.

Quare etiam in somnis. Isaiæ 38. 17.

Deus comes sufficit.

3. Vir ille iustus discrimen pretiosissimæ gemmæ suæ audiens quid faceret? Certè, Domine Deus, sine mora surrexit, Virginem aut castè dormientem, aut sanctè vigilantem vocauit, omnibus relictis, & cognatis insalutatis, illam ac te amborum thesaurum tulit, itineri se dedit, & exemplum velocissimæ, promtissimæ, ac simplicissimæ obedientiæ mihi præbuit. Ibat ille alacer viam carpens, & quia te secum habebat, alium ducem non requirens. Solabatur ille piissimam matrem tuam, sedulò illi obsequebatur. Ab illis sanctis peregrinis portabaris, Domine, aut potiùs tu illos vehebas, donec ad locum destinatum peruenirent. Ibi quæ incommoda non passi sunt? quibus doloribus non compuncti, cùm inter feras illas omnis charitatis expertes habitabant, & contemtum veri Dei, ac idolorum cultum aspiciebant? Sed lux sanctitatis eorum in illis tenebris luxit, caliginem vitiorum illius gentis ex parte dispulit, & ad cultum veri Dei, ac amorem virtutis aliquos traxit. Vtinam, ô Deus meus, talem virtutem mihi infundas, quæ nesciat inter malos aut tepidos detrimentum pati, & valeat eos ad tui amorem & ad feruorem reuocare.

Promta S. Iosephi obedientia.

Christi parentes in Ægypto multa passi.

4. Interim, ô Christe Iesu, dum in Ægypto manes, pueri innocentes moriuntur pro te. Nam Herodes à Magis illusus, ad quem redire noluerunt, omnes pueros illius regionis interfecit, vt te vnicam vitam nostram inter illos occideret. In omnibus illis occisus es, & compassionis gladio percussus, in tua autem natura seruatus. Verè lampas contemta apud cogitationes diuitum, sed parata ad tempus statutum, in quo nos eras atrociori morte redemturus. At infantes illi pro te occisi nequaquam infœlices fuerunt, quia vitam hanc mortalem pro æterna & pro magna gloria commutarunt. Certum est enim quòd qui pro te patitur, pro afflictione sua immenso gloriæ pondere cumulatur.

Innocentes ab Herode cæsi.

Iob 12.5.

Innocentes nequaquam infœlices.

5. Herodes quidem, Domine, pueros coronauit, seipsum in damnationem æternam deiecit; regnum perdidit, pro quo seruando in sempiternam infamiam incidit; & se cruciatibus perpetuis addixit. Quo mortuo Patris prouidentia non defuit. Mox enim Angelus astitit, qui Iosepho præcepit, vt te ac matrem ad Israeliticam terram reduceret. Iam post quinque aut septem peregrinationis annos tenerrime puer pedes regrederis, & frigus & calorem sentis, & pro me lassaris, & fatigatus sedes, vt me ad sustinendas huius vitæ temporalis molestias, & vitæ spiritualis tentationes inuites. Exacto autem itinere secessisti in Nazareth, & Nazaræus vocatus es, id est, floridus, non solùm quia omni virtute & sanctitate florebas, verùm vt ostenderes, quia labores pro te sustentati sunt semina florum & fructuum, quibus postea floremus, & in omni virtute proficimus. Fac vt pro te pati semper amemus, semper quæramus. Amen.

Mortuo Herode, Angelo præcipiẽte Iosephus ad Israëliticas sedes reuertitur. Christus Nazaræus, id est, floridus.

MEDITATIO X.

De remansione Christi in templo, & disputatione cum Doctoribus.

1. PVnctum. Nihil de te scimus, ô sapientia genita Patris, vsque ad annum duodecimum ætatis tuæ, & multa scimus. Nam hæc suppressio gestorum tuorum clamat in cordibus nostris, vt humilitatem tuam admiremur, & quàm fueris silentij & absconsionis tenax videamus. Iam duodennis factus cum Iosepho & Virgine præstituto Paschæ tempore ascendisti Hierosolymam, vt in templo tuum Patrem adorares. Ibat Ioseph, vt legi obediret: quid enim à te in nutritium electus nisi promtissimam obedientiam amaret? Ibat Virgo, ne à teste suæ puritatis discederet, & ne occasionem hanc adorationis & diuini cultus labi sineret. Ibas & tu, tum vt parentibus, qui te secum habere voluerunt, pareres, tum vt ex amore nimio erga Patrem, illum in suo templo coleres, tum denique vt scintillam aliquam sapientiæ tuæ ad hominum salutem, in illa tenera ætate demonstrares. Sed quomodo ibas, ô mi Rex amantissime? Ibas, vt ego quidem cogito, modestissimè, gratiosissimè; nunc cum nutritio & viris iter agebas, nunc cum virgine & fœminis pergebas: & tam has quàm illos pulchritudine faciei tuæ, & grauitate incessus tui, & sapientia sermonis tui mirum in modum lætificabas. Longè eras ab illis, qui aliquid lasciuum aut procax admittebant, vt nos doceas eos cœtus inuisere, quos pudor non horreat, & verecundia non erubescat.

Christus & illius parentes Hierosolymam ascendit.

Qualiter se Christus in hoc itinere gesserit.

2. Matre ac Patre abeuntibus mansisti in templo benignissime Iesu, nec ad manendum facultatem ab illis petiisti, ne tecum ipsi manerent, & parentum ac cognatorum solitudinem ad opus Dei peragendum necessariam quoquo modo impedirent. Simul vt ostenderes quia non est expectanda parentum aut consanguineorum voluntas ad vocationem diuinam executioni mandandam. Et illi quidem nec tibi obsisterent, ne in templo maneres, nec te à concepto mysterio tecum manentes impedirent. At parentes & cognati nostri non modicum interdum nobis impedimentum ad tibi seruiendum præstant. Æquúmque fuit vt in te præceptore nostro videremus, quod nobis esset imitandum. Mansisti igitur in templo: vbi enim erit filius, nisi in domo Patris sui? & vbi amator Dei, nisi in loco orationis, & adorationis, & amoris? & vbi Deus, nisi in Templo sancto suo, vbi à sapientibus cognoscatur.

Puer Iesus manet in tẽ plo insciis parentibus. Parentes sapius nobis impedimẽtum sunt.

3. In templo autem, ô Christe sapientissime, sedisti in medio Doctorum. Qua autem occasione, nisi quia visa admiranda pulchritudine tua, & stupenda modestia tua ipsi te vocarunt, & sedem præceptore dignam nescientes quid facerent, tibi dederunt. Sedens autem formam conuersandi adolescentibus dedisti. Nam & audiebas Doctores humillimè; & interrogabas sapienter, non vt discereres, sed vt ipsi ex suismet verbis Messiam iam venisse animaduerterent. Si quid verò ipsi interrogabant, respondebas modestè, ita vt ex vna parte sermones tuæ ætati congruos non desereres, & ex alia pro gloria Patris, & ex zelo animarum veritatem absconditam propalares. Hoc ergo adolescentibus congruit, audire & interrogare, & si interrogentur, sciant humiliter respondere. Et si bis, id est, instanter interrogati fuerint, habeat caput, hoc

Christus inter Doctores sedens formam conuersandi adolescentibus dedit.

A est, limitem loquendi responsum eorum. Ne prolixè dicant, sed breuiter se absoluant; stupebant autem qui te audiebant, Domine, super prudentia & responsis tuis. Nec mirum, quia sapientia tua diuina est, quæ illa verba dictabat. Stupebat Regina Saba ad sapiẽtiam Salomonis, quid multum si mirentur homines, cùm tu Deus meus secreta profaris?

Christi responsa admirationem Doctoribus pariunt.

4. Sed cùm non semper tribus illis diebus disputaueris, non semper Doctores audieris, indica mihi, ô bone Iesu, quid reliquis horis illorũ trium dierum & noctium feceris? Id historia sacra non dicit. At quis dubitet te orationem feruentissimam protelasse, & vt imbecillitati carnis consuleros stipem emendicasse, & in nuda terra aliquantulum obdormisse. In omnibus te Domine formam B sanctitatis præbes, in hoc autem mysterio Doctores erudis, vt paucis contenti sint, vt doctrinæ & orationi vacent, & omni humilitati & sæculi huius despicientiæ se dedicent.

Quid Christus per illos tres dies fecerit.

5. Parentes tui, ô Iesu dulcissime, te post aliquantulum temporis abesse cognouerunt; & vt viros spirituales docerent, quando ab eis absconderis, admodum de tua absentia doluerunt; & te inter cognatos & notos (quia inter homines potiùs à te abstrahimur) non inuenerunt. Redeunt igitur in templum in secreti & orationis locum, & ibi inueniris. Et audita matris pia querimonia: Fili, cur fecisti nobis sic? Ecce pater tuus, & ego dolentes quærebamus te; tu sapientia Patris lętanter te plusquam hominem esse respondis. Quid est, inquis, quòd me quærebatis, cùm certum sit vobis, quia plusquam homo malum puerorum pati non possum? Nesciebatis quia in his, quæ Patris mei sunt, oportet me esse? Ibi sint membra ô Fili Dei, vbi caput suum esse conspiciunt. Semper in his quæ Dei sunt, & ad eius gloriam pertinent, simus, vt teipsum conuersatione sequamur.

Christi parentes illum inter cognatos quærunt, nec inueniũt.

Christi responsum.

MEDITATIO XI.

De absconsione Saluatoris, vsque ad annos triginta.

1. PVnctum. Descendisti, ô Domine Iesu dulcissime, cum parentibus tuis in Nazareth, & eras subditus illis. Tu ô Deus æterne, ô Rex omniũ regum, ô Princeps Angelorum, obediebas matri pauperi, obediebas quod magis est fabro, obediebas in his abiectis obsequiis, quæ in domo cuiusdam pauperis fieri solent. Sciebant namque illi puriſſimi coniuges tuam ac Patris æterni voluntatem esse, vt tibi opportuna præciperent, & vt obedirent iubebant, & tibi quod ageres, & in quo laborares intimabant. Doces me Domine iugum obedientię non excutere, vsque ad senectam, & vsque ad horam mortis illi collum subiicere, & si aliis interdum præcipio, non ex superbia & ambitione, non ex propria voluntate, sed ex obedientia imperare.

D

Christus parentibus subditus est.

Obedientia iugũ numquã excutiẽdum.

E

2 Item & toto illo tempore octodecim annorum vsque ad diem prædicationis tuæ, crescebas, ô rex meus, sapientia, & ætate, & gratia apud Deum & homines. Crescebas quidem ætate, more aliorum hominum, & robustior ac vegetior fiebas, vsque dum ad virilem ætatem peruenires. At sapientia & gratia non item. Sapientia enim tua, & sanctitas tua, à momento conceptionis tuæ infinita fuit, non potuit in se (sicut in nobis euenit) vlterius progredi, at potuit in signis & operibus incremen-

Christi sapientia & sanctitas qualis.

tum

tum accipere. Indies enim ſapientiæ & ſanctitatis tuæ apud Deum & homines opera & ſigna creſcebant,& magis ac magis homines illuminabãt.Hæc ſanè debet eſſe vita iuſtorum,quæ quaſi lux ſplendens procedat,& creſcat vſque ad perfectam diem.

Prouer. 4.18.

3. Iſta dicit de te Euangeliſta tuus, ô Chriſte piiſſime, at nos quid contemplamur de hac abſcondita vita tua ? Illud quidem quid in operibus fabrilibus ſanctum Ioſeph iuuabas, vnde de te dicebant:Nónne hic eſt faber filius Mariæ.Templum & Synagogam frequentabas, orationi iugiter inſiſtebas, ab omnibus ſæcularibus negotiis abſtinebas; & nos ad humilitatem & abſconſionem incitabas ne velimus ante tempus agnoſci; & guttam ſcientiæ aut virtutis, quam habemus, ad noſtram perditionem effundere. Breuiter electis,qui digni erant, exiſtebas omnis forma virtutis, in te reperiebant, quod admirarentur, quod imitarentur, & quo ad Dei laudem & gratiarum actionem excitarentur. Erat autem, ô adoleſcens ſanctiſſime, mirabilis pulchritudo tua tantæ modeſtię coniuncta, vt nulla quamuis procaciſſima in te oculos intendens poſſet aliquid indecens cogitare, aut aliud quàm honeſtatis & melioris vitæ deſideria concipere.

Qua Chriſti exercitia vſque ad annos triginta. Marc.6. 3.

Chriſti pulchritudo ſumma cum modeſtia coniũcta.

4. At ab impuris & ſuperbis hominibus, ô Redemtor ſapientiſſime, habebaris ſtultus,& ignauus ac puſillanimis putabaris,quia ad nihil eorum aſpirabas, quibus adoleſcentium ætas ſolet applicari. Tu non ſtudebas militiæ, nec ſatagebas pro corporis virtute pandenda, nec ſi iniuria afficereris, eam verbo aut alio modo propulſabas.Artem nullam ex profeſſo diſcebas, vnde captares neceſſaria vitæ, ſed parentum labore & induſtria fouebaris, litteras nequaquam diſcebas, nec ſcholis & diſputationibus adoleſcentium intereras, ſed magis ſilentium & ſeceſſionem amabas.Nemo te vmquam in conuiuiis, neque in conuenticulis, nec in ſpectaculis vidit, nec te alicui rei inhærere animaduertit ex his quibus mortales ſolent inhiare. Ex alia parte videbant te ſpecie ſupra modum decorum,inceſſu maturum, aſpectu grauem,verbis circumſpectum, & omnibus motibus corporis mirè compoſitum; & ſcandalizabantur in te neſcientes hæc inæſtimabilis virtutis & ſapientiæ ſigna, cum tanta (vt ſibi videbatur) inertia & ignauia coniungere,aut aliquid de te certum cogitare.O Deus meus adoro humilitatem tuam, veneror paupertatem, & omnes virtutes tuas quas in infantia docuiſti.Fac me eas corde & actione ſuſcipere,& ſpecialiter ex hac abſconſione tua diſcere quomodo tibi placeam, & hominum iudicia contemnam. Amen.

Chriſtus nulli ex profeſſo deditus.

Chriſtus vbi nũquam viſus.

De vita Ieſu Saluatoris vſque ad paſſionem eius.

CAP. II.

POST infantiam & abſconſionem Chriſti Ieſu Saluatoris noſtri meditanda eſt eius vita ſanctiſſima in tribus annis prędicationis ſuæ, in quibus multa magnalia dixit atque peregit.Hoc tempore per ſuſceptionem Baptiſmi Ioannis ſeipſum ſtupendo hominibus & Angelis modo deiecit. Deinde longa quadraginta dierum inedia, & tentationum perpeſſione in deſerto ſe communiuit. Poſtea ad oppida & vrbes regrediens homines ad ipſorum ſalutem quæſiuit; legem euangelicam promulgauit, variis diſputationibus patefecit,& parabolis ac ſimilitudinibus explicuit,necnon & multis miraculis confirmauit, & ſeipſum perfectiſſimum exemplar omnis ſanctitatis exhibuit. Ex eo homines diſcant neceſſe eſt, quomodo ſibi ſanctè viuendum,& vtiliter conuerſandum ſit. Vnde & ipſe Dominus apud Bernardum,ſic loquitur:In vita mea,ô homo, cognoſces vitam tuam,vt ſicut ego paupertatis,& obedientiæ,humilitatis,& patientiæ, charitatis, & miſericordiæ indeclinabiles ſemitas tenui, ſic & tu eiſdem veſtigiis incedas, non declinans ad dexteram neque ad ſiniſtram.] Sic ille. Sanctus Bonauentura in ſuis meditationibus præcipua myſteria vitæ Domini ita diſpoſuit, vt facile ſit viris ſpiritualibus ad meditandum ex eius lectione puncta colligere. Alij vtiliter ſatis ferè totam hiſtoriam euangelicam ad meditationes redegerunt:quod & nos nunc ageremus, niſi facillimum eſſet ex ipſis quatuor Euangeliis materiam conſiderationis mutuari. Id ergo ſolum nobis agendum eſt,vt propoſito Baptiſmo Domini, & ſeceſſione in deſertum, quibus ſe ad exemplum noſtrum quaſi ad munus prædicationis accinxit,totam vitam eius,quam inter homines habuit, in communi contemplemur, vt ex ea quales eſſe debeant, qui vitam Apoſtolicam ſortiti ſunt,breuiter apertéque diſcamus. Fuit enim vita Domini noſtri, 1. humillima, 2. pauperrima, 3. caſtiſſima, 4. obedientiſſima, 5. religioſiſſima, 6. pluſquam extatica, 7. vtiliſſima, 8. ſpiritualiſſima, 9. clariſſima, 10. admirabiliſſima. Hæ ſunt qualitates vitæ Domini Ieſu,quas æmulentur neceſſe eſt qui vitam miſtam profeſſi ſunt, vt & ipſa ſemper virtute ac ſanctitate creſcant, & vtiliter in ſalutem animarũ incumbant. Et eædem in quolibet myſterio vitæ ipſius inſpiciendæ ſunt, & ad eius cognitionem applicandæ. Nihil enim Chriſtus geſſit aut docuit, quod non has virtutes redoleat,& in nobis earum amorem & deſiderium accendat.

Ex Chriſto diſcendũ quomodo vita ſanctè peragenda. Bernard. ſerm. 2. Pentec.

Qualis Chriſti vita fuerit.

MEDITATIO I.

De Baptiſmo Chriſti.

1. PVnctum. Poſt longum triginta annorum ſilentium appropinquauit tempus, ô Redemtor ſanctiſſime, quo redemtionis opus laboribus toti mundo viſibilibus exequereris: illud autem à ſuſceptione Baptiſmi Ioannis auſpicatus es, vt miniſtris tuis viam quærendarum animarum aperires.Nos enim ſtulti, cùm aliquod huiuſmodi miniſterium ſumus obituri, magnificamus noſipſos, & bona intentione(vt nobis quidem videtur)talenta & dona accepta apud homines oſtentamus, vt ad profectum ipſorum munere illo digni exiſtimemur. At tu verè ſapiens, immo & ipſa Patris ſapientia in exordio prædicationis tuæ amplius abſconderis, & ab opere ſtupendæ humilitatis, nempe à ſuſceptione Baptiſmatis, quo publicani & peccatores expiabantur,hoc munus docendi exordiris. Quo facto dicis mihi, & omnibus qui te ſequimur, ne aliquod ſpiritale munus obituri, tam conſtanter humanis mediis fidamus, nec noſtrum honorem ad illud munus rectè obeundum neceſſarium vana oſtentatione quæramus, ſed potiùs humilitate & modeſtia præparemur. Nec ob id ſolùm, verùm & ob aliam cauſſam ad Baptiſmum properas, vt quod docturus eras facere incipiás.

Matth.3. à 13. vſque ad 17.

Hominũ ſtultitia.

Quid nos Chriſtus per ſuſceptionem Baptiſmatis doceat. Luc.3.21. Ioan.3. 22.

Docturus, inquam, eras, nos, nisi renascéremur ex aqua & Spiritu sancto, non posse introire in regnum Dei, ideóque primus Baptismum aquæ suscipis, & sic ad te imitandum & Baptismum sanctificantem accipiendum accendis. Habemus enim in te Doctorem, non sanè, qui onera grauia imponat, nec digito attingat, sed qui opere & exemplo præluceat.

Christus opere & exemplo Doctor.

2. Ad Baptismum igitur vadis, ô auctor puritatis, non quidem vt à peccatis expieris. Neque enim ex patre, qui Deus est, neque ex matre, quæ Virgo & sine peccato concepta est, onus aliquod peccandi traxisti. Vadis ergo vt humilitatem sublimitatis prædicationis fundamentum facias; & solus vadis, quasi homo pauperculus esses, & humanis præsidiis destitutus, vt nos humanum fauorem aspernari doceas. Ad locum, vbi Ioannes baptizabat, accedis, publicanis & peccatoribus innocens agnus te associas, concionem Baptistæ attentè & humiliter audis: accedendi ad illum commoditatem expectas, & oblata occasione ad illum accurris, & baptizari modestè poscis. Quis hæc considerans non obstupescat? Quis non se deiiciat? Quis non corde & spiritu ante pedes tuos cadat, & te auctorem sanctitatis fateatur, ac à te potiùs lauari & mundari non postulet?

Christo nullũ inerat peccatum quod Baptismo expiaretur.

Christus humilitatis amans nos demissos esse docet.

3. Seruus, ô Christe Saluator, Dominum suum agnouit, ouis pastorem, redemtus redemtorem. Ioannes Spiritu sancto afflatus cognouit te: nam antea de facie non nouerat. Nouit, inquam, te esse Messiam promissum in lege, te esse agnum Dei tollentem peccatum mundi, te esse filium Dei, à quo in vtero situs matris sanctificatus est. Hæc agnoscens gaudio magno valde gauisus est de te, verissima reuerentia prosequutus est te, maxima humilitate procubuit ante te, & admirans atque exclamans dixit: Ego à te debeo baptizari, & tu venis ad me? Ego quidem munditia à te proueniente indigeo, & tu vis à me Baptismo aquæ lauari, cùm lotione non egeas? Quorsum hæc, Domine, quæ nisi tu exponas, non capio, non intelligo? Placuit tibi, ô dulcis Iesu, humilitas Ioannis, licèt satis debita, quam non fraudasti responsione tua. Sine modò, inquis, sic decet nos implere omnem iustitiam, & omnis sanctitatis exemplum præbere. Hanc tu implebis, ô mi præcursor, obediendo, ego autem impleo me humiliando. Ergo omnis iustitia, Domine, humilitate & obedientia continetur: fac quæso, vt duabus his virtutibus donatus ad omnem iustitiam & veram charitatem perueniam.

Ioannes Spiritu sancto afflatus quis esset Christus agnouit.

Omnis iustitia in humilitate & obedientia sita.

4. Paruit Ioannes, ô præceptor meus, iussioni tuæ, & te suo Baptismo baptizauit. Sed tu quid fecisti? Tactu purissimæ carnis tuæ aquas sanctificasti, Baptismum tuum instituisti (quo peccata purgantur, mens gratiæ infusione sanctificatur, & cœlum hoc tuo Baptismo lotis aperitur) ac ipsum Ioannem à quo baptizatus es aqua, Spiritus sancti Baptismo perfeciisti. Nemo apud te irremuneratus manet, & qui aquæ frigidæ calicem dedit, mercedem tuæ gratiæ copiosissimam non amisit. Hæc sunt obedientiæ præmia, quæ intellectum in captiuitatem redigens, & quod iubetur dummodo malum non sit, ritè simplicitérque perficiens, gratia cumulatur, & cœlestibus donis impletur.

Neminẽ Christus irremuneratũ relinquit.

5. Sed in hoc opere admirandæ humilitatis tuæ, ô Christe Saluator, an impleuit Pater æternus verbum suum, quòd qui se humiliat exaltabitur? Et quidem: nam te baptizato & orante, apertum est cœlum super te, & Spiritus sanctus in specie columbæ super te descendit, ac vox Patris intonuit: Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacui. Oratio humilitati coniuncta, & humilitas orationi comitata, hanc exaltationem meruerunt. Quę autem fuit exaltatio? Primùm quòd cœli aperti sunt tibi, id est, ad honorem tuum, tamquam homini cœlesti, tamquam cœlorum Domino, cui ianuæ propriæ domus aperiuntur, tamquam ei qui cœlestia docebat, diuina penetrabat, & sectatoribus suis supernam mansionem promittebat. Deinde quòd Spiritus sanctus in specie columbæ super te descendit. Auis enim illa munda, fœcunda, & quæ tempore diluuij ramum oliuæ misericordiam Domini erga genus humanum præsignantis attulit, significabat te esse mundissimum qui non ad peccata eluenda, sed ad exemplum nostrum tingebaris. Te esse fœcundissimum, qui multos filios non carne, sed spiritu generatos, eras in gloriam adducturus. Te esse Patri gratissimum, qui eras illum aduersùs peccata nostra indignatum placaturus. Sedit columba super te, vt intelligeremus te esse super quem requieuit spiritus sapientiæ, & intellectus, spiritus consilij, & fortitudinis, spiritus scientiæ, & pietatis, & quem repleuit spiritus timoris Domini. Tandem, quòd vox suauissima in aëre formata, quæ à præsentibus posset audiri, æterni Patris insonuit, qua tu externa specie tam humilis & abiectus filius Patris non adoptione, sed natura es declaratus, & vt summè ei gratus ac principium omnis gratiæ es nobis propositus. Orationi ergo & mei deiectioni vacabo, vt tuis vestigiis inhæream, & tuæ prouidentiæ erga me meam exaltationem relinquam.

Quæ Christi fuerit exaltatio.

Christi mũditia, & fœcũditas.

Isaiæ 11. 2.

Christus non adoptiuus, sed naturalis Patris filius.

MEDITATIO II.

De secessione Christi in desertum.

1. PVnctum. Post Baptismum susceptum, ô Saluator dulcissime, ductus es ab spiritu in desertum. Non quidem ab aliquo spiritu nequam, qui nihil vmquam potuit in te: neque ab spiritu purè humano, qui numquam rexit te, sed ab Spiritu sancto tuo, qui more suo celeriter, suauiter & efficaciter in desertum expulit te. Sed quare Domine, non te inter illas turbas reliquit, quas iam ab illis voce Patris cognitus, posses ad magnam virtutem prouehere? Quare non te Hierosolymam duxit, vbi inciperes prædicare? An vt doceres nos prius profectui nostro vacare, quàm aliorum curam temerariè susciperé? An vt ad exemplum nostrum laudes humanas fugeres eorum qui te tam insigniter exaltatum viderunt, & à conspectibus te collaudantium subtraheres? An vt ieiunium quadraginta dierum & quadraginta noctium absque omni cibo & potu coleres, & sanctũ corpus tuum vigiliis, & frigore, & æstu ac aliis inclementiis affligeres? An vt locum aptum ad orandum eligeres, & sine comite, sine teste contemplationi vacares? An vt fortissimus dux hosti obuiam ires, & eius ad te accessum præuenires? Sanè hac secessione tua ad hæc omnia me inducis, vt scilicet primò & præcipuè saluti meæ, deinde conuersioni aliorum intendam, vt à laudibus humanis abstineam, vt mentem corporis afflictationibus muniam, vt ad orandum à curis terrenis secedam, vtque tibi fidens aduersarij insultus non timeam. O si hos fructus ex hac tua secessione colligerem!

Matth. 4. à 1. vsque 11. A quo spiritu ductus Christus fuerit in desertũ.

Quid nos Christus suo secessu docuerit.

2. In deserto igitur, ô bone Iesu, quadraginta diebus & quadraginta noctibus inter bestias permansisti. Tu qui regiam in cœlis habes, qui agmini-

Luc. 3. 21. Christus humilis exaltatur.

Christus per quadraginta noctes &

bus

dies inter belluas commoratur.

bus Angelorum tibi ministrantium cingeris, bestiarum ferarúmque latibula,& occursum frequentem non exhorruisti, vt quasi te ad alias feras sæuiores admittendas ludicra pugna exerceres, & ad complectendos peccatores præparares. Ecce ad te non obediens,sed stolidum iumentum venio, ne me despicias rogo, sed vt stoliditatem & ignauiam deponam,admittas.Toto illo tempore,ô Domine, ieiunabas,vt persistendi in bono documenta præstares, nec aliquam famem aut sitim sentiebas spiritu tuo carnem confortante,& cœlestibus deliciis,quarum vigor in corpus redundabat, supra vires naturæ pascente. At exactis illis diebus famem aduocasti, & non vtcumque, sed vehementer & grauiter in pœnam cibi vetiti ab Adamo præsumti, & in vltionem gulositatum mearum affligentem sensisti. Et quidem corpus virginale tuum fame torquebatur,sed & spiritus tuus desiderio meæ salutis cruciabatur, & nunc etiam eodem desiderio tangitur. Quòd si tunc præsens in deserto essem corpori tuo, si possem cibum libentissimè ministrare, cur nunc tua gratia potens animæ tuæ desideriis non occurram, & meipsum iuxta voluntatem tuam non omni virtute perficiam?

Famem nec sitim per id tẽpus patitur.

Christus esuriem sustinet.

Christus tentatur à diabolo vitio gulæ.

3. Vidit te diabolus, ô suauissime Iesu, vehementissima fame afflictum, & vt ego quidem existimo,molestissima siti pæne enectum,& tũc occasionem tentandi nactus, visibili hominis forma præsumta telo gulæ primo loco vsus est,dicens: Si filius Dei es,dic vt lapides isti panes fiant. Hoc ille cupiebat agnoscere, an filius Dei esses, & Messias promissus in lege, vt, si posset, salutem hominum impediret.Ille elusus est, & mihi & omnibus fidelibus hæc salutaris notitia reseruata, pro qua gratias tibi ago Domine, & ea ad meam salutem, quæ in tua imitatione sita est,vti constituo. Sed ô egregiam mensam, quam diabolus ante te sternit, duros lapides tibi proponit,& vt tu eos in panes conuertas suadet. Hæc sunt conuiuia eius quibus nos membra tua conatur decipere; arida & dura & insipida huius sæculi nobis offert, quibus nos ad cibum vtamur.Sed quare,ô Domine,hæc dicitur gulæ tentatio? An qui tam extremè cibo indigebas virtute tua panem ex lapidibus facere, & manducare iure non poteras? Non semper cibus sed modus illum prouidendi aut sumendi in vitio est. Et licèt mãducare posses,panem autem,quem alia via habere poteras,miraculis comparare non deberes. Meritò ergo Scriptura sancta ad exemplum meum aduersùs tentationem te protegis,& dicis diabolo: Non in solo pane viuit homo, sed in omni verbo quod procedit de ore Dei. Quandoquidem Deus alia via potest me reficere,& aliis alimentis quàm pane meæ indigentiæ subuenire, frustrà ego nunc miracula facio,& lapides à te,pessime diabole, oblatos in panes conuerto. Sciam ego, ô Domine Deus meus, in necessitatibus tuæ prouidentiæ fidere, & mediis honestis & ab omni specie vanitatis alienis ad fines tibi placitos peruenire,& diabolum illicita suadentem clypeo sanctæ Scripturæ superare.

Qualia dæmonis cõuiuia.

Scriptura clypeus aduersùs tela Luciferi.

In necessitatibus Deo fidendum.

4. Importunus & inuerecundus est diabolus,ô Saluator inuictissime, qui semel victus non cessat, sed iterum atque iterum & millies nos tentat.Idem in deserto fecit, qui sagittam gulæ in cassum iactam sentiens aliam terribiliorem inanis gloriæ ex pharetra suæ iniquitatis eduxit, & nequaquam de victoria desperauit. Miror tamen summam humilitatem & mansuetudinem tuam, ô Princeps sanctissime,qui à diabolo aut tolli per aera,aut ambulando duci te finis, & in pinnaculo templi collocari. Aufers in hoc à me pusillanimitatem, vt accedere ad te adorandum, & tibi obsequendum non verear. Miror etiam diaboli procacitatem,qui tam crassa tentatione te adoritur. Si filius Dei es, inquit, mitte te deorsum. Nam & Angelis mandatum est vt te in manibus tollant,& ab omni offensione custodiant. Immo quia filius Dei est hic, ô impurissime dæmon, non est æquum vt tam inani descensu inanem gloriam quærat, qui verissimæ gloriæ & sanctissimarum laudationum plenus est. Non est æquum vt mittat se deorsum,sed vt supra cœlos ascendat,& me irrisione tua summa virtutis fastigia petere doceat. Denique te ipse repulit, dicens:Scriptum est:Non tentabis Dominum Deum tuum. Si ego per gradus descendere possum, ad quid Deum tentãs per aëra descendo. Ab hoc præceptore accipio quo pacto te superem, & vanam laudem despiciam,& media cõsueta ad finem propositum suauiter & prudenter assumam.

Christus dæmona secundò superat.

5. Tertiò leo iste rugiens, & nostræ salutis inimicus te imperator potentissime aggreditur, & auget munera,vt aliquid consequatur. Ausus est te in montem excelsum deportare,& inde omnia tibi regna mundi,& gloriam ac diuitias eorũ ostendere,eáque si ipsum adoraueris polliceri.Sustinuisti hæc, Domine, vt ego insatiabilem sitim me perdendi in hoc aduersario cognoscerem,& quàm falsò & inaniter promittat aduerterem. Domini est terra,& plenitudo eius; orbis terrarum & vniuersi qui habitant in eo.Cur tu, ô diabole,cùm sis mancipium vile, & refuga tui Domini substantiam & possessionem vsurpas. Verè mendax es, & pater mendacij, qui mihi voluptatem ac tranquillitatem & honorem promittis, & in sempiternam tristitiã & infamiam trudis. At tu mansuetissime Princeps hîc excandescis,vt aperias quàm iniquum sit contemto Deo diabolo genua flectere, & eius iussa præstare. Vade Satana, inquis, scriptum est enim: Dominum tuum adorabis, & illi soli seruies. Te ergo adorabo,tibi soli seruiam, & hunc impurissimum nebulonem ac omnia eius promissa contemnam.

Tertiò Christũ diabolus adoritur.

Dæmonis perdendi nos insatiabilis sitis. Psal. 21. 1. Ioan. 8. 44.

Dæmon mendax & pater mẽdacij. Deut. 6. 13.

Soli Deo seruiendum: solus adorandus.

6. Abscessit diabolus,ô Domine,victus,& quasi pudore suffusus. Accesserunt autem Angeli à Patre missi vt diabolum irriderent,& tibi solertissimè ministrarent. O si scirem quàm speciali prouidentia me protegis, quàm fidelissima Angelorum custodia me cingis, quando interdum ad meam vtilitatem venire cunctaris:animosiùs meum cogitatum in te iactarem,& quietiùs emergentes necessitates aut tentationes sustinerem.

Recedẽte dæmone, Angeli Christo ministraturi accedunt.

MEDITATIO III.

De reditu Christi ad homines, & qualitate vitæ eius.

1. PVnctum. Superato diabolo fœliciss imè, & forma viuendi solitariis sufficienter exhibita ad hominum conuersationem, ô suauissime Saluator ac sapientissime præceptor,regrederis,vt tuo exemplo & doctrina nos ad viam salutis adducas. Eámque vitæ rationem professus es,qua vniuersos homines rectè viuentes actione præires. Nam ita sanctissimam conuersationem tuam instituisti, vt nullum statum sanctæ Ecclesiæ tuæ prætermiseris, quem non vita tua ad rectitudinem efformaueris. Non duxisti vxorem, ô Virgo purissime,at statum coniugatorum in nuptiis Canæ Galilææ tua præ-

Christus omnium statuum exemplar.

sentia

sentia cohonestasti. Immo & Ecclesiæ sponsus existens coniuges docuisti quomodo se debeant mutuò diligere, & sibi inuicem fidelitatem seruare. *Ephes. 5. 25.* Quare Paulus seruus & Apostolus tuus scripsit de te: Viri diligite vxores vestras, sicut & Christus dilexit Ecclesiam, & seipsum tradidit pro ea.] *Luc. 2. 25. Matth. 17. 26.* Noluisti esse temporalis rex; at statum ipsorum suspiciendum esse censuisti, dum & censum reddendum esse Cæsari proclamasti, & staterem pro te & Petro pendere iussisti. Quin & ipsi reges in tua gubernatione discunt quàm iustè, quàm piè, quàm modestè debeant gubernare. Sic & alia hominum ministeria rectæ rationi consona probare & erudire dignatus es, quia omnis virtus tua vita commendatur, & nullum ministerium eorum absque aliqua vera virtute rectè perficitur.

In Christo triplex vita refulget.

2. Tres tamen vitas Ecclesiæ præcipuas, ô amator dulcissime, actiuam, cõtemplatiuam, & mistam, in teipso delineare immo & profiteri visus es, vt vniuersi fideles haberemus nõ solùm ministerium virtuti consonum à te probatum, verùm & vitam nostram exercitatam. *Vita actiua fulget in infantia.* Vita actiua fulget in infantia tua, in qua parentibus promtissime obediuisti, labori manuum studuisti, & omnium virtutum moralium inter homines iura seruasti. *Vita contemplatiua in secessione.* Vita contemplatiua splendet in secessione tua, quãdo in deserto ieiuniis & vigiliis, & humi cubationibus corpus tuum sanctissimum affligebas, & contemplationi deitatis, & considerationi miseriarum nostrarum, quas ablaturus eras, & meditationi passionis & gestorum tuorum, quibus eramus redimendi, vacabas. *Vita mixta in prædicatione.* Vita autem mista lucet nunc in prædicatione tua, in qua, & Patri, & nobis intendisti contemplationem altissimam, & actionem nostræ saluti vtilissimam mirabili nexu iunxisti, & Deo Patri mente semper inhærens, ad subueniendum miseriis nostris animum applicasti. *Apoc. 1. 16. Lux contemplationem: gladius doctrinã significant.* Tu enim es ille filius hominis de cuius ore gladius vtraque parte acutus exibat, & cuius facies lucebat, sicut sol in virtute sua. Lux faciei ad contemplationem, & gladius oris ad doctrinã refertur. Huius rationis fuit conuersatio tua: nam & Patri mente excedebas, & ad bonum nostrum opera attemperabas.

Quare Christus semper inter homines deguerit.

3. Decuit quidem, ô Redemtor sapientissime, vt ab ipso exordio vitæ tuæ vsque ad finem eius inter homines habitares, & non sicut Ioannes Baptista vsque ad diem ostensionis tuæ in desertum fugeres, ne postea ad salutem nostram procurãdam veniens inconstantiæ & leuitatis à Pharisæis arguerere, quasi iam susceptum semel institutum relinqueres. In quo stabilitatis discimus documentum, vt in eo quod cœpimus persistamus. *Christi doctrina cœlestis.* Simul & hoc modo viuendi ostendisti doctrinam tuam esse cœlestem, quam non in deserto ab aliquo ignoto ibi degente didicisti, neque in scholis, quas nunquam es ingressus comparasti. *Ioan. 7. 15. Matth. 13. 55. Admirationẽ pariebat auditoribus.* Ideo te audientes mirabantur, & dicebãt: Quomodo hic litteras scit, cùm non didicerit.] Et rursus: Vnde huic sapientiæ & virtutes? Nónne hic est fabri filius? Nónne mater eius & fratres apud nos sunt?] Voluisti ergo cum hominibus ab initio conuersari, vt tuam doctrinam excipientes mirarentur, & vt in admirationem rapti nisi essent proterui, docerẽtur, & verba cœlestia proferre, quibus oportebat ad salutem consequendam obedire.

Quis incarnationis finis extiterit.

4. At quam sapienter, ô Rex clementissime, toto tempore prædicationis tuæ viram mistam arripuisti: eam videlicet, qua & altissimæ contemplationi vacares, & saluti animarum nostrarũ intenderes. Hoc enim finis incarnationis tuæ aduentúsque poscebat: quomodo namque illos ad salutem adduceres, nisi ipsis innotesceres, & in oculis eorum vitæ exemplo præires. Hoc prædicationis & tractandarum animarum munus postulabat, quod minus efficax inuenitur, nisi prædicator Dei amore ardeat, & ad doctrinam ex contemplatione descendat. Vnde & seruus tuus Moses ait: Concrescat vt pluuia doctrina mea, fluat vt ros eloquium meum, quasi imber super herbã, & quasi stillæ super gramina.] Sit nimirum doctrina in hoc instar roris & pluuiæ, quod non è corde terreno manet, sed è cœlis se demittat. Hoc tandem ingenium hominum cupiebat, quos vita exteriùs communis, & bonis moribus eorum accõmodata allicit, & amorem doctori conciliat. Quis autem poterit, ô Domine, intelligere perfectiones huius mistæ vitæ tuæ, & quibus eam virtutibus exornasti? Certè tantillum quod in ea meditatus sum proferam, vt me, & hæc considerantes ad imitationem adducam.

Predicator ineffœax in diuino ardeat amore. Deut. 32. 2.

Vita exterius cõmunis allicit homines.

MEDITATIO IV.

Vitam Christi fuisse humillimam.

1. PVnctum. Illud inprimis contemplor in vita tua, ô dulcis Iesu, quòd fuit humillima, & ab omni fastu & elatione alienissima. Nunc taceo quomodo tametsi esses filius Dei temetipsum exinanisti, formam serui accipiens. Nunc etiam omnia infantiæ tuæ, & temporis, quo absconditus fuisti, humilitatis insignia prætereo, & solùm qualis fuerit sanctissima vita tua in illis tribus annis prædicationis tuæ delibare constituo. Reuera fuit supra omne quod dicere aut cogitare valemus humillima. Tu sanctissime Domine, omnia bona, quæ habebas, tum naturalia tum supernaturalia, à Patre processisse cognitione quadam sapientissima, & in affectum se deriuante perspexisti, & temetipsum quantum ad id quod in humanitate ex ipsa erat supra vniuersos homines despexisti, & in infimo loco collocasti. Idipsum ab omnibus scire & cognosci voluisti, & quoties occasio se obtulit, verbis apertissimis declarasti. Hinc verba illa tua: Mea doctrina non est mea, sed eius qui misit me.] Non possum ego à me facere quidquam.] Et: Verba, quæ ego loquor vobis, à meipso non loquor, Pater autem in me manens ipse facit opera.] Quorsum hæc? nisi vt quod Dei Patris est, humillimè Deo cares, & meam superbiam retunderes, qui cùm nihil sim aliquid esse videri volo, & laudem Deo debitam superbè mihi præsumo.

Christi vita supra omnẽ captum humillima.

Sua bona Deo accepta referebat. Ioan. 7. 16. Ioan. 5. 30. Ioan. 14. 10.

2. Tu caput nostrum, tu Rex potentissime, & Sacerdos ac Pontifex excelsissime, noluisti in mũdo aliquod reipublicæ munus obire, ex quo apud homines reuerentiam & honorem haberes. Non fuit voluntatis tuæ apud illos regia dignitate fulgere. Vnde cùm quidam illorum viso quodam stupendo miraculo constituerunt te facere regem, discessisti ab eis, & fugisti in montem ipse solus. Nec sacerdotali dignitate eminere, ea scilicet temporali, qua Annas & Caiphas, & alij proceres illius regni principabantur. Nec Pharisæis, qui putabantur omnium religiosissimi; nec Scribis, qui erant in lege doctissimi, nec aliis nobilibus annumerari. Sed quasi vnus de medio populo existens vitam priuatam, & externa specie abiectam sectatus es. Sic ad pauperes & humiles accessisti. Nam & nuptiæ in Cana Galilææ pauperum erant. Et inter illos pauperes sedens nouissimum locum tenebas,

Homo qua Dei sunt, sibi attribuit.

Signum humilitatis Christi.

Aliud signum.

Tertium indicium.

vt tuum dictum impleres: Cùm inuitatus fueris ad nuptias, non discumbas in primo loco; sed vade, recumbe in nouissimo loco, & dicetur tibi: Amice, ascende superiùs.] Sic pauperes, & piscatores, & idiotas in socios elegisti: & in pauperes & abiectos præcipuè miraculorum beneficia contulisti, & ad euangelizandum pauperibus è cœlis ad terram properasti. Sic tandem doces nos dignitates & prælationes contemnere, & pauperibus ac abiectis hominibus libenter viam salutis demonstrare.

Luc. 14. 8.

Quartũ indiciũ.

3. Opera admiranda, ô rex cœli & terræ, ad confirmationem veritatis tibi facienda erant, in quibus tamen primus locus humilitati datus est. Ea sæpe faciebas orans, & à Patre auxilium petens (quod in suscitatione Lazari, & in curatione surdi & muti, quando in cœlum suspexisti, & in aliis multis manifestè conspicimus) vt te ea facere virtute Patris ostenderes. Ea nonnumquam abscondi volebas. Nam cùm multos curasses, dixisti illis ne te manifestum facerent. Et post transfigurationem cùm in tanta gloria & maiestate visus es, dixisti discipulis, ne cuiquam ante mortem tuam illam visionem manifestarent. Interdum à loco, vbi mira feceras, secedebas, vt laudes humanas declinares. Sic cùm ad ianuam socrus Petri multis sanitatem restituisses, abiisti in desertum locum, vt orationi te traderes. Si quando verò opera tua prædicari voluisti (nam & cuidam liberato à dæmone dictum est à te: Vade in domum tuam ad tuos, & annuntia illis quanta tibi Dominus fecerit) solùm pro gloria Patris, & hominum salute id te fecisse certum est. Non ergo tuam, sed Patris in omnibus gloriam quærebas, vt me doceres ex veritate omnia bona mea, si quæ fuerint, tibi adscribere, & nequaquam ex tuis donis in me collocatis superbire.

Quintum indicium.

Sextum indiciũ.

Matth. 12. 16. Matth. 17. 9.

Marc. 1. 35.

Marc. 5. 19.

In omnibus Patris gloriam non suam quaritabat.

4 Illud etiam, ô Præceptor humilitatis sanctissime, in tua conuersatione conspicio, quòd auidissimus eras occasionum, quibus teipsum deiiceres. Expetitus ad imperium fugisti. A Iudæis lapidibus impetitus, te abscondisti. Vectigalia vt homo abiectus persoluisti. Increpationes à Iudæis sine vlla caussa illatas modestè sustinuisti. Iniuriis, & contumeliis, & irrisionibus innumeris te subiecisti. In ipso triumpho, quando die Palmarum Hierosolymam ingressus, & in comitibus, in iumento, cui insidebas, in his qui tibi occurrerunt, nam erant ex turba, tui despicientiam quæsiuisti. Omnia denique tua humilitatem proclamant. Et tamen ad expugnandum mundum, ad vincendum diabolum, ad destruendum peccatum, & ad docendum homines viam salutis, erat aduentus tuus. Vt sciamus nos ministri Euangelij tui fructum animarum non ab elatione & iactantia, & nostri magna apud homines existimatione, sed ab humilitate pendere.

Septimũ indiciũ.

Ioan. 6. 15. Ioan. 8. 59.

Omnia quæ in Christo fuere demissionẽ animi prædicabant.

Animarũ fructus multum ab humilitate dependet.

MEDITATIO V.

Vitam Christi fuisse pauperrimam.

1. PVnctum. Vita etiam tua, ô ditissime rex cœli & terræ, fuit pauperrima. Propter nos enim egenus factus es, cùm esses diues, vt tuiipsius inopia nos diuites essemus. Illa quidem familia tua, cui tu sanctissimè præsidebas, interdum aliquid parum in commune possedit, illud scilicet quod fideles & pij nomine eleemosynæ erogabant, ex quo & tibi & illis aliquid necessarium ad victum & vestitum & reliqua huiusmodi emtum est. At cor tuum sanctissimum ab his & aliis rebus huius mundi omnino nudum erat, & illud exiguum propter imbecillitatem tuorum, & ne à ministeriis animarum auocarentur, admittebas, ac perfectissimam mendicitatem amabas.

Christus pauper vt nos diuites essemus.

Christi animus & cor à mundanis rebus seuocantur.

2. In particulari nihil penitus possedisti; non aurum, non argentum, non domum, non prædium. Vnde & verbum tuum verissimum fuit: Vulpes foueas habent, & volucres cœli nidos: filius autem hominis non habet vbi caput reclinet.] Fecisti hoc vt nobis exemplum paupertatis præberes, vt pauperes ad te quærendum alliceres. Vtrumque autem consequutus es. Nam & multi sunt in Ecclesia tua, qui perfectissimam paupertatem profitentur, & veste attrita ac discissa sunt omnibus diuitibus lætiores. Pauperes etiam & humiles ad te occurrunt, nec verentur superbiam regis diuitis, sed confidunt in sanctitate pauperis redemtoris.

Christus nihil in particulari possedit. Luc. 9. 58.

Multi Christi paupertatem sequuntur.

3. Hæc autem paupertas tua, ô Princeps benignissime, non erat in solo nomine & nuncupatione pauperis constituta, sed verissima omnium rerum indigentia comitata. Inuitatus ab aliquo, simpliciter quæ tibi offerebantur comedebas & bibebas; concors sententiæ tuæ: Manducate quæ apponuntur vobis. At apud tuos vilissimos cibos, & moderatissimè vt panem hordeaceum, & paucos pisciculos comedebas, aquam bibebas, & mendicitatis iura minimè violabas. Adeò sanè vt discipuli tui ob panis defectum & extremam indigentiam spicas vellerent, & ad manducandum eas manibus confricarent. Amictus tuus abiectissimus non ex optimo panno confectus, sed ex tela, qua pauperes illius gentis inducbantur, contextus. Lectus tuus erat terra, ceruical lapis, quem capiti supponebas, & sic ad pauculas horas sopori te dabas.

Christi paupertas non solo nomine contenta sed rerũ indigentia comitata.

Christi & discipulorum eius victus.

Christi amictus.

Christi lectus.

4. Denique ad exemplum nostrum voluisti aliquando, ô rex noster, mendicare. A Samaritana petisti potum; à Martha hospitium, à Zachæo cibum. Per tuum Prophetam dixisti: Ego autem mendicus sum & pauper: Dominus solicitus est mei.] Certè Domine, Angeli stupebant, cùm te thesaurum suum ad tantam paupertatem redactum intuebantur. Fecisti autem hoc, vt pro gloria Patris tui magno bono temporali te priuares, quale est, vt quis habeat quod eroget, & quo alios ditet. Fecisti autem præcipuè, vt Euangelij ministri paupertatem diligant, rerum temporalium abundantiam fugiant, & in victu & vestitu, & lecto & cæteris pro tui imitatione, & pro liberiori Euangelij administratione parcitatem eligant.

Christus fit mendicus. Ioan. 4. 8. Luc. 10. 38. Psal. 39. 18.

Quæ euãgelicos ministros deceant.

MEDITATIO VI.

Vitam Christi fuisse purissimam.

1. PVnctum. Parum & propè nihil est, ô Christe Iesu, omnis puritatis auctor, si vitam tuam ab omni contagione carnis nostræ alienissimam dixero. Si enim in homine aliquo grauissimo Ecclesiæ tuæ non putatur laus, si dicamus de eo quòd non est mendax: quia manifestum est eum non debere sordere vitio illo à quo vel homines mediocris virtutis abhorrent: ita non laudaris si expers

Christi puritas imitãda.

Christus mente & corpore purus.

In Christo nullus peccati fomes.

Fuit exẽplar puritatis perfectissimum.

Psal. 44. 3.

Quanta virginitatis Christi puritas.

Christi summa circumspectio.

Ioan. 4. 27.

Christus impudicitiæ nota numquam iustus. Matth. 11. 19. Luc. 15. 2. Luc. 11. 15. Ioan. 8. 48. Marci 2. 7.

Euangelici ministri casti & circumspecti.

Castitatis comites, verecundia, modestia.

Christus abstinens & sobrius.

nostrarum vilitatum prædicetis. At si non dixero laudem tuam, dicam tamen veritatem puritatis tuæ ab omnibus Euangelij ministris imitandam. Tu Domine eras in carne tua purior sole, pulchriorque syderibus, cuius cor numquã alicui fœditati adhæsit, cuius cogitationi nihil vmquam immundum occurrit. In ipso somno ratio tua expedita & libera erat, & corpus tuum semper omni praua qualitate carebat, & dæmoni ad illudendum tibi nullus omnino aditus patebat, & ideo sensibus tuis soporatis nihil minus mundum se ostendebat. Fomes peccati & propensio ad malum non fuit penitus in te. Intellectum habuisti per scientiam beatam & infusam semper iunctum Deo, & affectum eidem perfectissimo amore copulatum, & sensus ac omnem mollem corporis iustitiæ & sanctitati plenè subiectam. Non ergo potuit ex aliqua parte quid immundum ad tuum sanctissimum cor accedere, & ideo fuisti exemplar perfectissimum puritatis.

2. Tu ergo, ô Christe Iesu, quod ad te attinet, securus fuisti, nec tibi opus erat aliquo remedio vti, vt purus semper permaneres. Tanta fuit puritas virginitatis tuæ, vt licèt pulcherrimus esses, & planè speciosus forma præ filiis hominum, omnibus tamen te aspicientibus cogitationes puritatis iniiceres, & ad amorem castitatis attraheres. Tamen ad exemplum meum, & ad virginitatis dilectionem ea circumspectione vixisti, ac si ab ea quies tuæ sanctissimæ mentis penderet. Oculos in fœminam non figebas, ab auribus tuis quicquid immundum esset speciali prouidentia auertebas, manus semper puras seruabas. Si quando cum mulieribus loquendum esset, coram testibus, qui te aspicerent, aut certè in loco aperto & conspicuo, vbi ab omnibus videri poteras, verba faciebas; adeò vt Apostoli è Sichar venientes mirarentur, quòd cum muliere loquebaris. Quid dicam? Oculis, ore, vultu, motu, omníque corporis habitu puritatem spirabas. Adeò vt cùm sustinueris multa vitia tibi imponi, numquam de impudicitia voluisti nec falso notari. Dicebant de te: Ecce homo vorax, & potator vini, publicanorum & peccatorum amicus.] Et: Hic peccatores recipit, & manducat cum illis.] Et: In Beelzebub Principe dæmoniorum eiicit dæmonia.] Et: Dæmonium habes.] Et: Hic blasphemat,] & alia similia ipsi blasphemabant. At nemo vmquam dixit: Hic minus honestè viuit, minus pudicè se gerit. Tanta enim fuit cura tua in exemplo totius honestatis exhibendo, vt nec homines impurissimi & adeò ob sua peccata relicti ausi sunt super hac re tibi aliquam notam inurere. Ad quid hoc, Domine, nisi vt ministri Euangelij ex te acciperent, quàm casti & circumspecti esse debeant, & quòd nec per iocum in materia castitatis, minimè aliquid sibi imponi sustineant.

3. Nec solùm virginalis puritatis amator extitisti, ô Iesu purissime, verùm & comites castitatis mirum in modum adamasti. Emicabat in facie tua, sanctissima quædam verecundia non ex aliqua fœditate, sed ex puritatis amore profecta. Elucebat in omni gestu & habitu tuo modestia sincerissima, qua quemlibet etiam procacissimum ad compunctionem & rectitudinem prouocabas. Eras abstinentiæ & sobrietatis amator, corpúsque tuum sanctissimum durè tractabas, non quidem, ne aduersùs spiritum insolesceret, quod ab omni rebellione immune erat, sed vt me & omnes seruos tuos castitatis amatores ad discretam afflictionem, sine qua castitas periclitatur, admittendam incitares.

Christus virginitatis amasius. Psal. 109. 3.

4. O Christe Iesu dulcissime, tu (si ita dici possit) amasius es & procus virginitatis. Secundùm diuinam naturam tuam à Patre in splendoribus sanctitatis absque vlla corruptione procedis. Et ad veniendum in mundum & nascendum caussa nostri secundùm naturam humanam fœminam virginem eligis. Hanc iturus ad Patrem non alij quàm virgini committis. In sponsam Ecclesiam virginem ab omni labe erroris liberam assumis, ex qua sine vlla corruptione innumerabiles filios progignis. Virgines tibi associas, qui sequuntur te agnum, quocumque ieris. Ac tandem Virgo es purissimus, dux virginum, & fons virginitatis, à quo omnis puritas hominum & Angelorum emanat. Fac nos quæso castitatis amatores, & carnis ferocis impetum comprime, & hac dignitate & honore cinge, vt liberè in salute animarum tibi ministrare possimus. Amen.

Ecclesia Christi sponsa, virgo. Apoc. 14. 4.

Christus fons virginitatis & puritatis.

MEDITATIO VII.

Vitam Christi fuisse obedientißimam.

1. PVnctum. Id etiam animaduerto in omnibus gestis tuis, ô Saluator purissime, quòd fuisti Patri obedientissimus, vt obedientia quæ Saluatorem ornauit, saluandos ad salutem adduceret. Imposuit tibi Pater præcepta omnium illorum quæ ad redemtionem humani generis pertinebant: quin & præceptis naturalis legis eras ipse subiectus. Hæc autem omnia ita seruasti, ita iussioni Patris te accomodasti, & maiora ac minora impleuisti, vt nec in re minima aliquid prætermiseris. In volumine libri scriptum erat de te, quòd facturus eras voluntatem Patris, & vniuersa ab eo iussa voliturus, & legem eius in medio tui cordis habiturus. Vt scilicet sancta lex Dei cor tuum & amorem tuum purissimum possideret, & inde omnia opera tua ipsa dirigeret, & se ad omnia gesta tua deriuaret. Vnde vita tua videtur ipsa lex non iam solùm in corde conscripta, sed opere exercita, & ad perfectissimam praxim redacta.

Christo Pater præcepta imposuit.

Christus nihil faciendum prætermisit.

Christi vita ipsa lex videtur.

2. Nec solùm in his præceptis, ô suauissime Iesu, à Patre impositis id inspexisti vt ea custodires, sed & vt in eorum obseruatione omnem modum Patri placitum seruares. Non sunt omnes operum tuorum circumstantiæ tibi præceptæ, sed multæ tuæ voluntati relictæ. At in his quoque nec in minimo discessisti à voluntate Patris tui. Animo cogitabas Domine, quid esset Patri gratius atque placentius: quo loco, quo tempore, quibus præsentibus, quáque ratione singula quæque vellet impleri, & ita perfectissimè implebas, & nihil omnino horum quæ substantiam operum aut præcedere aut comitari aut subsequi solent præteribas. Lego de illo fratre maiore, qui queribundus dixit ad Patrem eo quòd videret fratrem minorem perditum & vitiis sordidum festiuissimè recipi: En tot annis seruio tibi, & mandatum tuum numquam præteriui.] Quanto æquius tu, ô Domine, non querulus sed gratus diceres Patri tuo: Et mandatum tuum numquam præteriui, non quidem vt fœlicitati nostræ inuideres, sed vt obedientia tua veram nobis fœlicitatem lucrareris.

Omnes operum Christi circumstantiæ non præceptæ.

Christus quod Patri gratiæ exe cutioni mãdabat.

Luc. 15. 29.

3. Non omnia quæ in terris gessisti, ô Iesu obedientissime, fuerunt tibi præcepta, sed multa eorum aut sub consilium cadebant, aut tuæ disposi-

Christi operũ aliqua sub

tioni

consiliũ cadebãt, aliqua eius dispositioni relicta. Quæ sit perfectissima obedientia.

tioni liberè relinquebantur. At in his tua vita & conuersatio perpetua obedientia fuit. Nam si apud nos perfectissimum obedire est, non solùm mandata prælati custodire, sed voluntati eius in reliquis se accommodare, & signa etiam voluntatis eius pro mandatis habere, cur in te obedientia non fuerit in his omnibus semper ad Patris voluntatem respexisse, & eam absque vlla repugnantia actione præstasse? Verbum tuum est, ô Domine; qui misit me mecum est, & non reliquit me solùm, quia ego, quæ placita sunt ei facio semper.] Si semper fecisti quæ placita erant ei, & absque dubio quia placita erant: ergo opera tua numquam à perfectissima obedientia distabant. Et tu quidem semper mecum esses, si ego semper & in omnibus obedirem.

Ioan. 8. 29. Christus semper quæ Patri placita fecit.

4. Nec huic perpetuæ obedientiæ tuæ, ô bone Iesu, qualitates perfectæ obedientiæ defuerunt. Obediebas in omnibus, vt maiorem gloriam Patris quæreres. Si enim seruus tuus IGNATIVS omnia ad maiorem gloriam Dei faciebat, & ancilla tua Tarasia ad tuam maiorem gloriam quærendam voto se obstrinxerat, quidni tu in omnibus & singulis cogitationibus, desideriis, verbis, & operibus tuis maiorem Patris gloriam curares. Obediebas vt æterno Patri placeres, & tuum erga ipsum amorem ostenderes. Nam vox tua fuit: vt cognoscat mundus quia diligo Patrem, & sicut mandatum dedit mihi Pater sic facio: surgite eamus hinc.] Obediebas promtissimè, & hilariter, sine tædio, contradictione aut tristitia. Tuúsque cibus erat, vt faceres voluntatem Patris tui qui misit te, & vt perficeres opus eius. Obediebas sine aliqua mora, & omnia in eodem momento à Patre præstituto præstabas. Obediebas integrè, & non sine cauda perfecti operis tuum sacrificium offerebas. Vnde dixisti: Consummatum est, ac si nihil omnino eorum quæ agenda erant, reliquisses. Obediebas tandem perseueranter, & factus es obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis. Per hanc abedientiam tuam oro te, Domine, vt meas inobedientias deleas, & me perfectum obedientem efficias.

Qualitates perfecta obedientiæ in Christo. B. Ignatius & B. Tarasia Dei maiorem gloriam quærebant. Ioan. 14. 31. Christi cibus paternam implere voluntatem. Christi obediẽtia integra. Perseuerans vsque ad mortem.

MEDITATIO VIII.

Vitam Christi fuisse religiosissimam.

Quid sit religio.

1. PVnctum. Omnis vita tua, ô mitissime Domine Iesu, fuit religiosissima, ac Deo Patri in omnibus consecrata. Religio namque est cultus Dei, siue præstantissima illa virtus qua Deo cultum & honorem exhibemus. Hoc autem docuisti, hoc fecisti perpetuò Deo Patri cultum exhibere. Hoc, inquam, docuisti. Quid enim significant illa verba: Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt Dei Deo,] nisi quòd sicut regibus huius sæculi tributa iusta ex debito damus, ita Deo, cuius toti sumus, honorem & reuerentiam exhibeamus, ac nos illi sincerissimè consecremus? Quid etiam est, vos sic orabitis: & oportet semper orare, & alia similia, nisi nos religionem docere? Hoc etiam fecisti. Nam tota vita tua sanctissime Domine, perpetua quædam oblatio fuit, tot antiquis sacrificiis & oblationibus præsignata, tam ardentissimis affectibus antiquorum Patrum desiderata, & assiduis orationibus expetita. Ac ideo per os Dauidis ad Patrem ais: Holocaustum & pro peccato non postulasti; tunc dixi: Ecce venio.] Id est, postquam carnalia illa sacrificia repulisti, ô Pater, ego venio melius holocaustum, quod pro omnibus illis sacrificiis suppleo, & tibi semper me consecrare & offerre contendo.

Matth. 22. 21. Christus religionẽ sæpius docuit.

Christi vita perpetua oblatio.

Psal. 39. 8.

2. Licèt autem omnis vita tua, ô Magister bone, esset continens, ac perpetuus cultus Dei, ita tamen eam disposuisti, vt certis diei horis sanctæ actioni & prædicationi ac animarum saluti vacares, & certis horis in Dei cultum & honorem incumberes. His diei temporibus, Domine, non pro tua necessitate, sed pro nostro exemplo, omnem occupationem constantissimè reiiciebas, ad montes & nemora & loca solitaria secedebas, ibique adorationi tum externæ, tum internæ, & laudibus mentis & vocis, & orationi ac contemplationi vacabas. Insuper & omnia opera tua orationibus condita video. Iam à Patre auxilium petebas, iam illi pro donis etiam minimis, vt pro quinque panibus gratias agebas, iam eleuatis oculis & flexis genibus adorabas. Taceo nunc sanctissimam deuotionem pij cordis tui, qua promtissimè omnia tum interiora tum exteriora tua in Patris honorem referebas, & summa facilitate pro cultu eius vniuersa præstabas. Animus ille tuus verè religiosus vrget nos, vt occupationibus tuum cultum & veneration em misceamus, vt à rebus exterioribus ad orandum & contemplandum sequestremur, & vt ex hoc purissimo fonte robur ad laborandum sumamus.

Christus holocaustum omnia sacrificia supplens. Qualiter Christi vita disposita. Christus in mõtes secedens diuinis laudibus, & oratione vacat. Ad quid nos Christi religiosus animus hortetur.

3. Denique, ô Sacerdos sancte, ab ipso conceptu tuo sacerdotij munus obiisti. In vtero matris Patri te obtulisti, omnia opera tua oblationes pro nostris peccatis fecisti: teipsum in sacramento altaris hostiam & sacrificium reliquisti: in ara crucis te holocaustum immolasti. Tu es Sacerdos in æternum, & sempiternum habes sacerdotium. Et saluare in perpetuum potes accedentes per temetipsum ad Deum. Qui & vt hanc salutem efficaciùs & cumulatiùs in quibusdam operareris, formam religiosæ vitæ in collegio Apostolorum tuorum adumbrasti, & cum eis in obseruantia & omnis virtutis disciplina vixisti, & postea in Ecclesia tua omnes cultus & cæremonias sanctas per viros à te afflatos introduxisti, & sanctos quosdam eximios ad fundandas religiones, in quibus perfectiùs & magis assiduè adorareris, excitasti. Omnis ergo vita tua religio & cultus & honor Dei fuit. O vtinam Domine, sic vitam meam constituas, vt ego te semper colam, & non solo nomine, sed opere & veritate tibi addictus & consecratus existam. Amen.

Christi vita perpetua oblatio. Psal. 39. 8. Omnis Christi vita, Dei cultus & religio fuit.

MEDITATIO IX.

Vitam Christi fuisse plusquam extaticam.

Perfectio aliquorũ Sanctorũ extases pati.

1. PVnctum. Alia perfectio quorumdam Sanctorum esse solet, ô Domine Iesu Christe, quòd extases & raptus patiuntur, & ad contemplanda cœlestia vsque ad abstractionem à sensibus sublimantur. Cuius perfectionis gustus ac possessio tibi non defuit, immo & tota sanctissima vita tua plusquam extatica dici potest. Non dico quòd extases & raptus passus sis, quia nihil tibi nolenti vmquam accidere potuit. Nec etiam affirmo quòd voluntariè hæc assumseris, sicut timorem & tristitiam & alios affectus hominis admisisti. Lego quidem quoniam cognati tui voluerunt tenere te, quia putabant te in furorem versum. Sed id non ad aliquam extasim aut raptum refero, sed feruorem prædicationis tuæ & sublimitatem doctrinæ tuæ furorem ab illis putatum esse coniicio. Sed vitam tuam plusquam extaticam

Vita Christi

quare plusquã extatica. Sanctorũ raptus vnde proueniant.

voco, quia omnia dona quæ in raptu & extali sanctæ animæ obtinent, in immensum perfectiora quàm illi, te habuisse certissimè scio. Omnis enim raptus siue excessus in Sanctis non solùm ex magnitudine doni aut reuelationis illis factæ, sed ex aliqua naturali ipsorum imperfectione procedit. Quorum natura limitata & infirma, quia non potest tanta capere, necesse est eam à sensibus alienari. At tu ô homo Deus tantæ capacitatis eras in vita mortali, tantáque à momento conceptionis videras, & tam immenso amore arderas, vt nihil nouum tibi posset accidere, quod ad altiora raperet, & à sensibus alienaret.

Extases ex duplici causa.

2. Raptus ergo & extases, ô rex Christe omnium spirituum pater, ex duobus exoriuntur, vel ex sublimitate lucis, vel ex magnitudine deuotionis. In eísque duo sunt, alterum tuæ virtutis, nimirum quòd mens per inaccessibilem lucem & ardentissimum amorem ad diuina intelligenda & amanda & ad familiarissimam Dei vnionem efferatur, alterum nostræ infirmitatis, scilicet quòd mens tam sublimia non capiens, & ad hæc & temporalia simul non sufficiens, ab vsu sensuum alienatur. Hoc postremum te admisisse non decuit. Eras enim hominum redemtor, gubernator & medicus, oportuítque vt semper & in quacumque occasione posses necessitatibus ægrotorum occurrere, & nos ad te accurrentes alloqui, docere, & audire. At illud primum fuit in te tam sublime aque perfectum, vt omnia Sanctorum illustrationis & dilectionis dona in vnum collecta, & tuæ contemplationi comparata, ab ea infinitis partibus superentur. Illi enim intelligebant & amabant vt serui, tu vt naturalis filius. Illi vt discipuli, tu vt eorum & vniuersorum magister, qui docuisti eos contemplari.

Christi contemplatio lõgissimis spaciis aliorũ superauit contemplationẽ.

3. Seruis tuis, ô Domine Iesu, Mosi & Paulo, & nescio an cuiquam alij datum forsitan est in hac vita mortali, vt ad modicum tempus Dei faciem clarè viderent, & diuinitatis tuæ conspectu fruerentur. At quid est hoc si cum tua magnitudine conferatur? Tu enim ab ipso conceptionis momento diuinam essentiam absque vlla interruptione, & clarissima ac quodammodo infinita visione contemplatus es, & amore etiam immenso & eadem ratione infinito & minimè interrupto diuinam illam maiestatem amasti. Quod & tu ipse confessus es, dicens: Scio eum (scilicet Patrem) & sermonem eius seruo.] Et Paulus ait: Quia constitutus es ad dexteram Patris super omnem principatum & potestatem, & omne nomen quod nominatur non solùm in hoc sæculo, sed in futuro.] Alij ex Sanctis per donum sapientiæ, alij per scientiam infusam ad magnam interim contemplationem & extaticum amorem euecti sunt. Tu verò Domine, dono sapientiæ repletus eras, & scientiam infusam perfectissimam habebas, & non ad tempus, sed continuò, & absque vlla interruptione perfectissimis actibus contemplationis & amoris vacabas. Quin & in ipso somno & quiete corporis hæc erat perpetua occupatio sanctissimæ mentis tuæ. Verissiméque dicere poteras: Ego dormio, & cor meum vigilat, cùm enim in hac cognitione inditæ scientiæ mens tua à sensibus nequaquam penderet, poterat liberè contemplari & amare, licèt sensus essent somno ligati, & ita sine dubio faciebat. Exteriùs ergo & loquebaris, & concionabaris, & miracula operabaris, & ad ea

Moses & Paulus forsitan diuinam essentiam in hac vita viderunt: at Christus ab ipso conceptionis instanti. Ioan. 8. 55. Ephes. 1. 20.

Christus dono sapientiæ repletus & scientia ornatus infusa.

Somnus Christo contemplationẽ non impediebat. Non exteriora remittebant exercitia.

quæ tibi dicebantur attendebas: interiùs autem sine vlla interpolatione dulcissimum contemplationis fauum velut apis solicita componebas, & cognitioni Dei amoríque inhærebas. Vnde si aliquorum Sanctorum vita extatica dicitur, quoniam frequenter ad diuina contemplanda rapiebantur, vita sanctissima tua plusquam extatica fuit, quoniam ad multo altiorem cognitionem diuinorum non rapiebaris, sed & vt tuo statui debita & congruentissima donabaris: neque impediebaris à curanda salute nostra, sed magis ac magis accendebaris, vt nostræ redemtioni consuleres.

Cur vita Christi plusquã extatica dicenda.

4. Ex hoc autem, ô magister illuminatissime, immo & fons luminis nostri, quod ego documentum accipiam? Certè erubescam, & pudore suffundar, quòd tam difficulter recordor tui, immo & quòd tam frequenter tui obliuiscor. Certè enitar te in omnibus occupationibus meis, te semper præsentem habere. Conabor non solùm in oratorio, aut in cella, sed & in vico & in platea & in frequentia hominum ad te oculos mentis intendere, & assiduis dilectionis affectibus aspirare. Ero imitator sponsæ quæ dicebat: Surgam, & circuibo ciuitatem, per vicos & plateas quæram quem diligit anima mea. In omni loco & in omni tempore inquiram te, & faciem tuam Domine requiram, & hanc curam, quæ certè soror est Apostolicæ actionis, à cura ministeriorum non seiungam.

Qua ex dictis nobis documẽta sumenda.

Deus in omni loco & tẽpore quarendus.

MEDITATIO X.

Vitam Christi fuisse vtilissimam.

1. PVnctum. Illi qui ad contemplationis donum prouehuntur, ô Iesu clementissime, solent minus vtiles proximis haberi, quòd hominum consortia fugiant, & se ab aliquibus negotiis auertant. Quidquid autem sit de hoc, in quo non parum imperfecti falluntur, at vita tua sanctissima plusquam extatica, & ad diuina semper contemplanda subuecta simul hominibus vtilissima fuit. Tu enim es lignum illud vitæ, quod Ioannes seruus tuus in reuelatione à te accepta conspexit. Tu, inquam, lignum es vitæ, quia origo & auctor es vitæ. Ad ripas fluuij aquæ viuentis, seu gratiæ nos gratos facientis eras, quia gratia non solùm à te velut à fonte exiuit, sed & sanctam humanitatem tuam abundantissimè irrigauit. Vtramque ripam occupabas, quoniam Angelos illinc, & homines hinc stantes æqualiter posidebas. Affers fructus duodecim per singulos menses reddens fructum tuum: nam per omnes ætates ab initio vsque ad finem mundi electos qui sunt fructus tui Patri repræsentabis. Et folia tua ad sanitatem gentium, quia verbis tuis à cæcitate sanamur, & viam veritatis edocemur. Ita enitemur, vt omnia nostra, opera, verba & labores in proximorum vtilitatem cedant, & in nobis minus rectum, quod eis sit scandalo, minimè videant.

Christus est perfectissima contemplationi addictus, tamen proximis vtilissimus. Christus lignum vitæ. Quid vtraque fluuij ripa designet. Qui fructus duodecim. Quæ folia ad sanitatem gentium.

2. Dicant peccatores, ô Iesu benignissime, quid ex te acceperunt? Quæsiuisti illos, oues perditas, ô bone pastor, nec expectasti vt illi te quærerent; & formam tuis ministris dedisti se opportunè immo & aliquando importunè peccatoribus ingerendi. Mitissimè eos ad te venientes (tu autem eos trahebas, & inuitabas) ac properantes admisisti, & quasi humeris impositos ad caulas iustorum tuorum deportasti. Ad istos verba faciebas, eos propositis validissimis rationibus & variis similitudinibus

Qualiter se Christus erga peccatores gesserit.

ad bonam frugem adducebas, & ab iniquitatis ſcabie mundabas. Dilexiſti nos, & lauaſti à peccatis noſtris in ſanguine tuo. Aliud enim balneum ſufficiens non erat ad maculas noſtras eluendas: ideo non pepercíſti tibi vt peccatoribus parceres, & pro eis apud Patrem debita ipſorum perſolueres.

Balneũ peccatorum, ſanguis Chriſti.

3. Dicant iuſti à te facti, ô Ieſu clementiſſime, quomodo erga illos te habueris? Multas eorum imperfectiones patientiſſimè ſuſtinuiſti: eis te accommodans paulatim & quaſi per partes viam perfectionis & cœleſtia myſteria eos docuiſti. Multa habeo vobis dicere, ſed non poteſtis portare modò.] Auxiliis & exemplis & doctrina ad progrediendum prouocaſti. Si quid in eis luminis, ſi quid feruoris, ſi quid profectus, ſi quid alicuius boni inerat, id totum à te proceſſit. Tu enim es fons ſanctitatis. Et ſicut non eſt aqua quæ à fonte non manet, & à mare per occultos meatus non exeat, ita non eſt gratia nec donum quod in omnes homines à te non procedat.

Quomodo ſe habuerit erga iuſtos.

Ioan. 16. 12.

4. Nulla demum eſt creatura nec cœleſtis nec terreſtris, ô Chriſte Ieſu largiſſime, cui non, adhuc ſecundùm quòd homo, innumera beneficia præſtiteris. Terram præſentia tua honoraſti & ſanctificaſti; reliqua elementa vſu eorum: nam & bibebas & ſpirabas, & ad ignem calefiebas, vſu tuo nobilitaſti: cœlos & aſtra, quorum influxibus ad vitam mortalem conſeruandam vtebaris, magnificaſti. Nam ſi magnum eſt ciui, & honorificum regi ſuo, obſequia præſtare, quàm honorificum erit creaturis omnibus Deo ſuo in rebus ipſi neceſſariis ſeruire. Angelos docuiſti: nam ſi innoteſcit principatibus & poteſtatibus in cœleſtibus per Eccleſiam, quanto magis per te auctorem & principem Eccleſiæ multiformis ſapientia Dei. Eorúmque ſedes vacuas hominibus repleuiſti, & totam illam cœleſtem curiam, cuius tu es lucerna, ô Agne Dei, ſplendoribus tuis illuminaſti. Ad gloriam denique Patris valde nimis profecit vita tua, quoniã totum mundum illi ſubiugaſti, & in fine mundi plenè ſubiectum illi trades. Vnde illud tuum vas electionis ait: Deinde finis, cùm tradideris regnum Deo & Patri: cùm euacuaueris, & ab alio acceptum oſtenderis tam in hominibus quàm in Angelis omnem principatum, poteſtatem & virtutem. Vita ergo tua omnibus vtilis fuit, & tibi quoque vtiliſſima inuenta eſt, per quam gloriam tui corporis & exaltationem tui nominis meruiſti. Oportuit enim te pati (vt tu ipſe dixiſti) & ita intrare in gloriam tuam. Simus ergo vtiles aliis, ô Domine, ſimus proficui, vitam non in ſegnitie & deſidia tranſigamus, ſed in laboribus proximis vtilibus collocemus. Si illis fuerit vtilis, & nobis etiam vtiliſſima exiſtet, quia eius meritis ex gratia factis, & à te collatis vitam æternam conſequemur.

Chriſtus gratiarũ fons.

Chriſtus omnes creaturas beneficiis affecit.

Quatuor elementa & cœlos.

Angelos.

Omnibus vtilis & ipſi Chriſto vtiliſſima fuit.

Vtilitati proximorum ſeruiẽdum.

MEDITATIO XI.

Vitam Chriſti fuiſſe ſpiritualiſſimam.

1. PVnctum. Spiritualiſſima, ô Chriſte Ieſu ſaluator dulciſſime, fuit vita tua, quia non ad terrena & carnalia ordinata, ſed ad cœleſtia & ſpiritualia directa. Finis totius vitæ ſanctæ tuæ ſpiritualis fuit; quia nihil aliud tuis operibus & laboribus voluiſti, niſi gloriam Patri, & mundo pacem & ſanctitatem & ſalutem afferre. Media etiam ad hunc finem à te aſſumta ſpiritualia fuere: nimirum legem euangelicam promulgare, verbum ſalutis prædicare, publicè & priuatim vitiorum fugam, & virtutum ſequelam, & veritates ſupernaturales docere. Vnde dixiſti per ſeruum tuum Dauidem: Ego autem conſtitutus ſum rex ab eo ſuper Sion montem ſanctum eius, prædicans præceptum eius.] Nam tu conſtitutus es rex ſuper Eccleſiam, ad hoc vt doctor & prædicator exiſteres, & viam ſalutis demonſtrares, & gratiam ad fœlicitatem promerendam tribueres. Qui te videbat, videbat redemtorem ſuum ſpiritualia cogitantem, ſpiritualia verbis tractantem, ſpiritualibus operibus intendentem. Videbat te in hoc poſitum vt vitia eliminares, vt virtutes inſereres, vt Patris notitiam & gloriam in noſtris cordibus promoueres.

Finis vitæ Chriſti ſpiritualis.

Media ad finem ordinata ſpiritualia.

Pſal. 2. 6.

Chriſtus ad quid ſuper Eccleſiam conſtitutus Rex.

2. Aliqua, immo & innumerabilia beneficia temporalia, ô bone Ieſu, fons omnium bonorum mortalibus præſtitiſti. Nam & eſurientes ſatiaſti, ægrotos ſanaſti, mortuos ſuſcitaſti, & in aliis multis nobis miſeris prouidiſti. At in his operibus duo conſidero, ob quæ ad opera ſpiritualia pertinebant. Alterum quòd ea ad oſtendendam veritatem diuinitatis tuæ, & ad tuæ doctrinæ confirmationem faciebas. Alterum quòd facillimè, & momento temporis, & abſque vllo functionum magis ſpiritualium impedimento præſtabas. Adeò vt ſi hæc te à miniſterio prædicationis impedirent, nequaquam ea exercere in animum induceres. Non legimus de te quòd coniugiorum pacta feceris, quòd arbitria ad augendas diuitum opes inueneris, quòd ambitiones nobilium adiuueris, quòd in gubernandis rebus publicis aut principum domibus te intromiſeris, aut alia ſimilia tractaueris. Hæc omnia longè fuerunt à te, & longè obſecro fac à me; ne ſi rebus hiſce vanis intendam, ſpiritualem vitam inficiam, & eius munera ſanctiſſima derelinquam.

Beneficia à Chriſto in miſeros mortales collata. Duo in his Chriſti operibus conſiderãda.

Quæ de Chriſto non legãtur.

3. Scio, ô Ieſu præceptor ſanctiſſime, te aliquando ad hæc negotia fuiſſe vocatum. Nam quidam rogauit te vt inter ipſum & fratrem diuideres hæreditatem. At tu eum repuliſti, & nequaquam ei acquieuiſti, dicens: Homo, quis me conſtituit iudicem aut diuiſorem inter vos.] Ac ſi diceres: Ego non diuiſor ſed auctor vnitatis & pacis ſum, non hæc minima ſed maiora tracto, vt ſolis diuinis meos adminiſtros doceam intendere, terrena declino. Idipſum quod feciſti, ore docuiſti. Cuidam enim volenti conuerſionem differre donec patrem ſepeliret, dictum eſt à te: Sine vt mortui ſepeliant mortuos ſuos.] Et alteri cupienti renuntiare priùs his quæ domi erant, dixiſti: Nemo mittens manum ſuam ad aratrum, & reſpiciens retro, aptus eſt regno Dei.] Erubeſcant ergo, ô Domine, qui ſtatum eccleſiaſticum aut religioſum profitentes cor ſæculare habent, & hæc vilia & à ſua vocatione aliena negotia in ore & manibus geſtant. Pudeat eos, quia ſunt ex illis, qui volunt duobus dominis ſeruire. Qui iurant in Domino, & iurant in Melchom. Et induuntur veſte peregrina. Iniice Domine in eos mentem bonam & ſuæ vocationi congruam, ne terrena ſapiant, ſed tibi ſoli & tuis intendant.

* * *

Luc. 12. 14. Chriſtus ſæcularia negotia reiicere opere & verbo docuit miniſtros Euãgelij. Matth. 8. 22. Luc. 9. 62. Qui duobus dominis ſeruiant. Matth. 6. 24. Sophon. 1. 5.

MEDITATIO XII.

Vitam Christi fuisse clarissimam.

1. PVnctum. Aliud elogium sanctissimæ vitæ tuæ est, ô Christe Iesu sol iustitiæ, quòd fuit clarissima & splendidissima. Venisti namque tenebras ignorantiæ, & omnis erroris dispellere doctrina tua, ac lege tua, & humanum genus mirabiliter illuminare. Tu legislator es & præceptor hominum, summus, inquam, legislator, atque optimus præceptor. De te dixit seruus tuus Iacobus: Vnus est legislator & Iudex, qui potest perdere & liberare.] Et tu, ô Princeps, de teipso dixisti: Vos autem nolite vocari Rabbi, id est, præceptor: vnus est enim magister vester.] Leges cõdere solius Dei est: nam alij qui leges fecerunt, eatenus id præstiterunt, quatenus accepta à Deo potestate eius legem declarauerunt. Tu autem verus es Deus, ac naturalis filius Dei, vnde & tuum est legem ferre, & homines ad vnum faciendum & aliud omittendum obligare. Similiter solius Dei est seipsum ac veritates supernaturales aperire; quare ad te pertinet hanc veritatis doctrinam cui assentiamur ritè proponere. Non est similis tui in legislatoribus, Domine, quoniam legem tulisti, & simul gratiam & vires ad illam perfectissimè implendam donasti. Nec est similis tui in præceptoribus, quoniam illi veritatem quidem exterius proponunt, sed lucem ad eam intelligendam minimè tribuunt. Tu verò eam verbis docuisti, & lucem etiam ad eam intelligendam es impertitus. Dedistique leges tuas in mentem nostram, & in corde nostro superscripsisti eas.

Christus venit tenebras ignorantiæ & errorũ fugare.
Est legislator & præceptor hominũ.
Iacobi 4. 12.
Matth. 23. 8.
Solius Dei est leges condere.
Iob 36. 22.
Christo nullus similis legislator, vel præceptor.
Hebr. 8. 10.

2. Lex ergo tua & doctrina tua, ô Iesu splendidissime, doctrinas & leges Philosophorum ad contemtum adduxit; quia in illis multa falsa, & absurda, & obscœna, & nihil viuidum, nihil efficax, nihil esse quod vitam nostram emendaret ostendit. Legem verò naturalem & scriptam non abstulit, sed perfecit. Nam & tu ipse dixisti: Non veni legem soluere, sed adimplere.] Impleuisti eam, quia eam perfectissimè custodiuisti, & à tuis obseruari fecisti; quia ei legis tuæ euangelicæ perfectionem addidisti; quia promissiones eius ac minas, vsque ad vltimum apicem obseruasti. Lex naturæ comparatur nocti in qua homines suis peccatis obcæcati ferè nihil videbant. Lex scripta comparatur auroræ, in qua aliquid lucis emicabat. At lex tua est velut meridies, quia nunc perfundimur clarissima luce, vt arcana supernaturalia videamus, & tepescimus amore charitatis, vt te diligentes mandata tua diligenter obseruemus. Hæc est lex immaculata conuertens animas: testimonium fidele sapientiam præstans paruulis. Iustitiæ rectæ lætificantes corda; præceptum lucidum illuminans oculos.

Philosophorũ leges & doctrina Christi lege obscurantur.
Naturalis & scripta perficiuntur.
Matth. 5. 17.
Lex natura nocti comparatur.
Lex scripta auroræ.
Lex gratia meridiei.
Psal. 18. 8.
Lex gratia quid efficiat.

3. Finis huius legis tuæ, ô suauissime Iesu, est vera beatitudo, ac supernaturalis fœlicitatis obtentio. Destinatio ad quam tendit in hac vita est omnimoda animæ puritas atque perfectio; vnde dicit: Et vos estote perfecti sicut & Pater vester cœlestis perfectus est.] Officia eius sunt, omnẽ veritatem etiam supernaturalem & ad salutem necessariam absque vlla admixtione falsitatis tradere: omne peccatum etiam minimum non solùm operis, verùm & desiderij & cogitationis vetare: omnes virtutes in perfectissimo quoq; gradu docere: gratiam & auxilia efficacissimà ad hæc præstanda includere: & quod ore docuisti verè & cum effectu in conuersatione Sanctorum inferere. Fuit itaque vita tua, ô Redemtor meus, clarissima & efficacissima quædam lux. Nam quæ opere præstitisti, eadem verbis disserebas: quæ disseruisti, in vitam & mores tuorum transfundebas, vt ipsi essent pulchræ imagines vitæ & doctrinæ tuæ.

Legis Christi finis vera beatitudo.
Matth. 5. 48.
Quæ legis officia.
Christi vita lux efficacissima & clarissima.

4. Illud autem est maximè admirandum, ô supersapientissime Domine Iesu, quòd hac clarissima luce doctrinæ tuæ errores hominum radicitus euulsisti, & veritates carni etiam & sanguini & affectibus nostris repugnantes vsque ad assensum immo & vsque ad opus in cordibus seminasti. Vt autem nunc reliqua prætermittam, quæ breui sermone comprehendi non possunt. Mundus dicebat: Beati diuites, & qui thesauros possident, & beatum dixerunt populum cui hæc sunt. Tu verò dixisti: Beati pauperes spiritu, qui sponte rebus mundanis renuntiant, & in voluntaria mendicitate vitam degunt. Et hæc veritas in falsitatem prævaluit, & deserta ac cœnobia pauperibus voluntariis impleuit, quin & ab ipsis diuitibus nimium erga diuitias amorem euulsit. Ille docebat: Beati qui vindictam sumunt de inimicis suis. Tu verò: Beati mites, qui iniurias patienter sustinent, & nec verbo nec opere nec desiderio iniuriam referunt. Ille prædicabat: Beati qui rident, & omnia læta & iucunda experiuntur. Tu è contra: Beati qui lugent peccata sua & aliena, & ex desiderio virtutis & patriæ cœlestis lacrymas fundunt. Ille: Beati qui ad honores & dignitates anhelant. Tu: Beati qui esuriunt & sitiunt iustitiam. Ille: Beati qui sua retinent. Tu: Beati qui sua ex misericordia largiuntur. Ille: Beati qui desideria sua explent. Tu: Beati qui per cordis munditiam cuncta desideria impura & vana reiiciunt. Ille: Beati qui solùm sibi consulunt, & cum damno etiam aliorum propria respiciunt. Tu: Beati pacifici, & qui suo iuri cedunt ne alij turbentur. Ille demum: Beati qui ab omnibus honorantur, & nihil mali sustinent. Tu è contra: Beati qui propter iustitiam persecutionem patiuntur. Hæc doctrina tua Domine sæculi huius doctrinis contraria eas vicit, mundum superauit, & se custodientibus regnum cœlorum, possessionem terræ veram lætitiam, saturitatem, misericordiæ assequutionem, Dei visionem, filiorum Dei dignitatem, & æternam fœlicitatem promisit. Quod autem promittit, certissimè elargitur, & ad hanc vitæ tuæ lucem ambulantes præmio cœlesti dignatur.

Quid Christus sua lege effecerit.
Mundus beatos diuites dicit.
Christus pauperes.
Mundus vindictæ amicos.
Christus mites.
Mundus lætos & ridentes.
Christus lugentes.
Mundus honorum cupidos.
Christus esuriẽtes iustitiã.
Mundus alios fœlices & beatos appellat: aliosverò Christus.
Christi doctrina sæculi cõtraria, magna se custodiẽtibus promisit.

MEDITATIO XIII.

Vitam Christi fuisse admirabilißimam.

1. PVnctum. Postremum quod in tua sanctissima vita considero, ô clementissime Domine Iesu, est quòd verè fuit admiranda. A Propheta tuo prædictum est, quia vocandus esses admirabilis. Et tam dissita interse, in te connexa ac copulata sunt, vt in quocumque eximiam admirationem excusciteant. Quid celsius Deo, quid abiectius homine? Sed hæ duæ naturæ humana & diuina tam indissolubili nexu in te iunguntur, & tanta pace in vna persona fœderantur, vt tu Deus meus sis homo, & tu homo frater meus, sis Deus. Quænam magis opposita quàm gaudium & mœror, lætitia & dolor. Tu autem ab initio conceptionis tuæ beatus existens summo gaudio & lætitia complebaris: quæ posset facillimè omnem sensum doloris ex quacumque

Isaiæ 9. 6.
Christus & eius vita admirabilis.
Multa inter se dissita in Christo coniuncta.
Deus homo.
Gaudiũ, mœror.

causſa

cauſſa prouenientem expellere;& ſimul maximum dolorem ex miſeriis noſtris & triſtitiam patiebaris, quæ ſufficiebat vitam eripere. Tu eras infans ſapientiſſimus, qui in vtero matris ſitus numerabas multitudinem ſtellarum, & omnia præterita, præſentia & futura cognoſcebas, & diſponebas. Tu pauper ditiſſimus,qui nos tua paupertate ditabas. Tu infirmus fortiſſimus,qui in noſtra humilitate cum ſæuiſſimo hoſte congreſſus es,& à te diſceſſit victus atque proſtratus. Tu denique abſconditus & manifeſtus, qui ipſa abſconſione tua qualis ſis aperis,& humilitatem viam eſſe ad exaltationem oſtendis.

Infans, ſapiens.

Pauper, diues. Infirmus, fortis. Tectus, retectus.

2. Opera etiam tua, ô Ieſu Rex potentiſſime, omnia fuerũt admiranda. Ipſa namque erant prorſus ab omni næuo imperfectionis aliena. Erant iuxta exigentiam ſuam in ſupremo gradu cuiuſque virtutis conſtituta. Erant ſingula cunctarum virtutum pulchritudine ornata. Erant noſtræ & angelicæ virtutis perfectiſſima exemplaria. Erant theandrica, ſeu Dei virilia,valore immenſa,merito infinita,& ſingula eorum ſupra omnia Sanctorum & Angelorum merita ſimul ſumta Patri gratiſſima. Quis ad conſiderationem tam ſanctiſſimarũ actionum præ admiratione non ſtupeat?

Christi opera ad mirãda, & perfectiſſima.

Eorum valor & meritũ.

3. Denique, ô Ieſu Chriſte ſanctiſſime, vitam ac doctrinam tuam eſſe diuinam plurimis miraculis confirmaſti, quæ virtute tua facillimè præſtitiſti. Tu homines arreptitios à dæmonibus liberabas,& eos in quemcumque locum voluiſſes eiiciebas. Cœleſtia corpora in paſſione tua tenebris operiebas. Homines à multimodis infirmitatibus ſanabas, & ad vitam reuocabas,& à vitiis ereptos ad meliorem vitam adducebas. Et reliquas creaturas rationis expertes pro arbitratu tuo miraculosè immutabas. Pro hac ergo vita tua humillima, pauperrima, puriſſima,obedientiſſima, religioſiſſima, eleuatiſſima, vtiliſſima, ſpiritualiſſima, lucentiſſima, & admirabiliſſima, millies & pluſquam centies millies laudo & benedico te. Rogóque benignitatem tuã vt mores tuos perfectiſſimos meditari & imitari valeam, & tibi amore ſemper inhæream. Amen.

Christi vita & doctrina miraculis confirmata.

Vita Christi qualitates collecta.

De paſſione Ieſu Saluatoris.

CAP. III.

Christi paſſio aſſiduè meditanda.

PAssio Saluatoris noſtri Ieſu Chriſti à viris ſpiritualibus aſſiduè,intentè, deuotè,& blando ac luctuoſo corde meditanda eſt tamquam perfectionis ſpeculum, in quo omnium virtutum ſed præcipuè humilitatis, patientiæ, & charitatis pulchritudo reſplendet. Hæc eſt officina Domini,in qua anima ſancta omni decore veſtitur:hæc menſa, cuius ſuauiſſimis affectuũ cibis abundantiùs ſaginatur:hæc armamentarium, vbi aduersùs dæmones omni armorum genere inſtruitur. Chriſtus flagellis liuidus,ſpinis punctus, clauis perforatus eſt petra illa nos ad tutamen cingens, ad protectionem excipiens. Lepuſculus, plebs inualida collocat in petra cubile ſuum:& ſpiritualis vir, quem nulla iniuriarum vindicta delectat,collocat in hac petra perforata,qui Chriſtus eſt, tutiſſimam mãſionem ſuam. Montes enim excelſi ceruis; petra refugium herinaciis.] Quod ſatis propriè huic quem diximus ſenſui coaptatur, inquit Caſſianus, eo quòd quiſquis in ſimplicitate atque innocentia perſeuerans nulli eſt noxius vel moleſtus,ſed ſua tantùm ſimplicitate contentus ſolummodo ſe ab inſidiantium præda deſiderat contutari, velut herinacius ſpiritualis effectus iugi euangelicæ illius petræ velamine protegatur,id eſt,memoria dominicæ paſſionis inceſſabili meditatione munitus infeſtantis inimici declinet inſidias.] Hic lapis Chriſtus,qui nos in ſuis vulneribus protegit,ex eis aquam mundam, qua abluamur, effundit. In illa enim die, ſcilicet paſſionis eius, inquit Zacharias, erit fons patens domui Dauid,& habitantibus Ieruſalem, quinque canales habens,quorum quatuor manuum & pedum ſunt in ablutionem peccatoris, & quintus lateris,qui abundãtior eſt & calidior, in ablutionem menſtruatæ. Et in eadem die, dicit Dominus exercituum, diſperdam nomina Idolorum de terra, vitiorum ac peccatorum veſtrorum, & non memorabuntur vltrà. Nihil enim ita validum eſt ad ſuperbiam noſtrã & alia vitia deſtruenda, quàm dominicæ paſsionis intenta conſideratio. Nam quomodo audebit cinis ſuperbire & querulari, ſi attentè recogitet Deum ac Dominum ſuum ad noſtram ſalutem & exemplum tantis iniuriis & contumeliis & plagis affectum, quæ ſponte & patienter ſuſtinuit. In hac etiam meditatione de vniuerſis virtutibus edocemur; & quælibet afflictio Domini, quodlibet vulnus eius, os eſt quod nos erudit,& de ſegnitie quam habemus in eo imitando nos arguit. Multiplices ſanè fructus paſsionis Domini Bonauẽtura ſic colligit. Venerabilis paſsionis Chriſti continua & deuota meditatio mentem tuã ab huius ſæculi mundanis & carnalibus concupiſcentiis ſequeſtrabit, cor tuum ad ſpiritualia & cœleſtia ſubleuabit, quid cogitandum ſit, quid loquendum,quid reſpondendum,quid tacendũ, quid vel qualiter agendum ſit, tibi veraciter indicabit: te demum ad ardua & difficilia incitabit, vt vilificeris,deſpiciaris, & affligaris ſummum deſiderium tibi præſtabit,te in cogitatu tuo, opere,vel ſermone perfectiſsimè regulabit: & breuiter in cunctis neceſsitatibus tuis tibi ſufficiẽtiſsimè miniſtrabit. Nam ſi fueris pauper indeficienti theſauro te ditabit, ſi in tenebris, te luce clariſsima illuminabit, ſi inſcius vel ignarus, te ſapientia veriſsima magiſtrabit. Si rigidus vel crudelis,te ad compaſsionem & miſericordiam dulciter inuitabit. Si debilis, te inſuperabili fortitudine roborabit. Si pauidus, te vigore mirabili aſſecurabit. Si aridus, gratia ſua te vberiùs irrigabit. Si durus & aſper,te compunctionis lacrymis mollificabit. Si anxius & amarus, te deuotionis pinguedine impinguabit. Si piger & acidioſus, te pietatis operibus occupabit. Si frigidus,te diuini amoris igne inflãmabit. Si fatigatus, ſuauitatis requiem tibi præſtabit. Si turpis vel deformis,incredibili pulchritudine decorabit. Si ſordibus maculatus, ſui calidi ſanguinis lixiuio te lauabit. Si triſtis,flebilis ſeu mœſtus,te ineffabili gaudio lætificabit. Si ſaucius & vulneratus,vnguento pretioſiſſimo te ſanabit. Si lubricus vel laſciuus,caſtitatis cingulo te firmabit. Si alicuius alterius peccati morbo infectus, perfectiſsimè te curabit, & contra illud vitiũ, & quæcumque tela ignea ipſius diaboli inuincibilis virtutis clypeo te armabit. Si exul à patria vel peregrinus,te ſimul ducens, viam eundi ad cœleſtem patriam,tibi clariſsimè demonſtrabit.] Hactenus ille. Recordabor igitur,vt Bernardus ait, dolorum eius, conuitiorum,ſputorum, colaphorum ſubſannationum, exprobrationum, clauorum,horúmque ſimilium,quę per eum abun-

Variis rebus comparatur.

Christus petra. Prou.30. 26.

Ps.103. 18. Cassian. coll.10. c.10.

Zach.13. 1. Christus fons quinque canalium.

Passionis Dominicæ cogitatio vtilis contra vitia.

Passio Christi virtutũ magistra.

Bonau. in stimulo amoris cap.1.

Bernar. serm. in ser. 4. hebdom. pœnoſe.

dantiùs tranſierunt. Alioquin etiam exquiretur à me ſanguis iuſtus, qui effuſus eſt ſuper terram, nec immunis ero ab illo tam ſingulari ſcelere Iudæorum, quòd videlicet tantæ charitati ingratus fuerim, quòd ſpiritui gratiæ contumeliam fecerim, quòd ſanguinem teſtamenti pollutum duxerim, quòd conculcauerim filium Dei.] Audiam Dominum ad me dicentem: Terra, ne operias ſanguinem meum, neque inueniat in te locum latendi clamor meus.] Sanguinem eius obliuione non operiam, clamores eius (nam omnia quæ paſſus eſt miſericordiam clamabant) ingratitudine minimè abſcondam, ſed aſsidua meditatione, & multo magis imitatione virtutum eius aperiam. Tu igitur, ô lector, licèt alia Chriſti Saluatoris geſta frequenter euoluas, paſsionem tamen eius frequentiùs ac feruentiùs meditaberis, in eáque ad perſonas, & verba, & actiones eorum qui interueniunt, & ad alia quæ ſuprà latè explicata ſunt attendes, ſed in quolibet myſterio hæc præcipuè, quæ ſequentibus carminibus continentur, recogitare poteris.

Quis patitur? Chriſtus, verbum, ſapientia Patris.
Quid patitur? Spinas, verbera, ſputa, crucem.
Pro quibus hæc patitur? Pro noſtra hominum ſalute.
Cur patitur? Semper ne patiatur homo.
A quibus hæc patitur? Ab amica ſtirpe ſuorum.
Sed quando patitur? Quando fuit inuenis.
Hæc vbi nam patitur? Medio telluris in orbe.
Quomodo tanta tulit? Proferat ipſe modum.

Hæc ergo aut ſaltem aliqua iſtorũ in quacumque meditatione recogitanda ſunt, & quaſi ad noſtram vtilitatem miſcenda, vt ſuauiùs ſapiant, & cor noſtrum vehementiùs afficiant. Tu Domine qui miſericordia motus pro nobis paſſus es, nunc etiam noſtri miſerere. Et nos qui præ imbecillitate fodere non valemus, & mendicare erubeſcimus, in foſſa humo ac vulnerata carne tua nos abſconde, & à Patris tui furore protege. Da vt in his ſacris vulneribus commoremur, vt tibi compatiamur, vt tui imitatione veſtiamur, quo poſt hanc vitam tua gloria coronemur.

MEDITATIO I.

De glorioſo Chriſti ingreſſu in Ieruſalem.

1. PVnctum. Vitam tuam ſanctiſsimam, ô innocentiſsime Chriſte Ieſu, acerbiſsima paſsione clauſiſti, quæ eſſet index infinitæ bonitatis tuæ. Summæ namque bonitatis eſt bona facere, & pro bonis præſtitis mala pati. Tu verò nobis infinita bona attuliſti, & pro bonis his innumera mala reddidit tibi ingratitudo dilectæ plebis tuæ. Sed antequam paſsionẽ inchoares ouans atque triumphans Hieroſolymam ingreſſus es. Alij duces ac mundi imperatores priùs hoſtes vincunt, & de illis victoriam reportant, & poſtea gloriosè triumphant. Tu è contra ante bellum & ante victoriam triumphum agis? Vide ne dicatur tibi: Ne glorietur accinctus æquè vt diſcinctus?] Sed hæc ſancta & humilis gloriatio tua multiplex inſtructio mea eſt. Triumphas ante paſsionem, quia quantum attinet ad valorem meritorum tuorum, iam diabolum viceras atque proſtraueras. Alij expectent donec vincant, quoniam anceps eſt euentus belli: nec quiſquam ante pugnam ſcire poteſt an ſit habiturus cauſſam triumphandi. At tu Domine peccati & mortis deſtructionem certiſsimè noueras, nec ſiniſtrum belli euentum extimeſcebas, vnde meritò ad eruditionem noſtram ante paſsionem triumphas. Quæ eſt autem hæc eruditio? Hæc ſanè, quòd ſcimus te non inuitum ad dolores trahi, ſed libenti & alacri animo pro honore Patris, & ſalute noſtra quaſi ad nuptias ad mortem venire. Hæc inſuper, quòd diſcimus quàm alacriter debeamus pro iuſtitia & pro honore tuo perſecutiones pati, & quàm grato animo iniurias & contumelias ſuſcipere. Hinc etiam perſpecta eſt nobis manſuetudo tua qui poſt tot mala ab illa ingratiſſima ciuitate ſuſcepta volenti animo eam, vt ipſam doceas, & amplexeris, ingrederis. Nota & eſt promtiſſima voluntas tua: & cùm te videro in horto pauidum ac timore affectum, intelligam mœrores iſtos inferiorem animæ tuæ partem attigiſſe, voluntatis tamen tuæ promtitudinem nullatenus extenuaſſe. Manifeſta demum eſt magna humilitas tua; quia voluiſti (quod ſummæ infœlicitatis apud homines eſt) poſt exaltationem deiici & humiliari. Tu, ô Rex meus: Exaltatus, humiliatus es, & conturbatus. Tu qui hodie exaltaris & eleuaris, & ſublimis es valde, poſt modicum deiicieris. Inglorius erit inter viros aſpectus tuus, & forma tua inter filios hominum.

2. Hunc ingreſſum ac triumphum tuum, ô ſuauiſſime Rex Ieſu, ſi ex tua parte conſidero, plenum myſterij & humilitatis inuenio. Myſterium in hoc eſt, quòd non vnum tantùm, ſed duos diſcipulos in quoddam caſtellum vicinum mittis, in quo te charitatis inter Apoſtolicos viros, & concordiæ amatorem oſtendis. Vt iumentum & aſinã diſſoluant præcipis, quia ab illis vt peccatores putreſcentes ſicut iumenta in ſtercore ſuo ab iniquitatibus ſoluant, expoſcis. Si impedimenta experiantur, ne deſpondeant animum, ſed vt dicant ſe à te Domino miſſos fuiſſe, iubes, quo eos conſtantes in curanda ſalute animarum efficis. Te aſina & pullo opus habere profiteris, quia reuera data ordinatione tua, peccatores opus tibi ſumus, in quibus tuas miſerationes demõſtres. At humilitas tua quantum hîc elucet. Non rhedam, ô Princeps ſanctiſſime, nõ equum phaleratum, ſed aſinam & pullum ad hunc celebrem ingreſſum eligis. Non auro & gemmis, ſed detritis Apoſtolorum veſtimentis operis. Non magnatibus huius mundi, ſed viliſſimis piſcatoribus circumſeptus incedis. His ſuperbiam meam & faſtum huius ſæculi damnas: ſimul & te Regem Meſſiam eſſe demonſtras. Dictum enim erat plebi tuæ: Exulta ſatis filia Sion, iubila filia Ieruſalem. Ecce Rex tuus veniet tibi iuſtus & ſaluator: ipſe pauper, & aſcendens ſuper aſinam, & ſuper pullum filium aſinæ.] Tu igitur es Rex meus, & Rex cœli & terræ, qui veniſti ad bonum meum. Iuſtus vt me redimeres, Saluator vt mihi ſalutem afferres; pauper vt tua paupertate me diuitiis impleas: & ſedens ſuper iumẽtum vt ad humilitatem & mundi contemtum incitares.

3. Hunc eumdem ingreſſum, ſi ex parte Patris & hominum recogito, ô Ieſu princeps clariſſime, omnium triumphorum, quibus reges & duces huius mundi excepti ſunt, glorioſiſſimum inſpicio. Nam propè infinita Hieroſolymorum turba, qui Paſcha celebraturi conuenerant ſcientes aduentum tuum, non à præſidibus vocati, ſed interiùs ab Spiritu ſancto commoti ad te excipiendũ properarunt. Hos non curioſitas videndi, nec ſtudium adulandi, ſed pia voluntas te adorandi, ad tibi occurrendum eduxit. Non vt Rex terrenus, qui viſibiles hoſtes vicisti, ſed vt Rex cœleſtis & verus Meſsias genus humanũ à ſeruitute diaboli liberaturus excipèris. Hinc illæ voces: Hoſanna, vel perpetua laus filio Dauid. Benedictus qui venit Rex in

nomine

Matth. 21. 1. vſque 16. Marc. 11. 1. vſque ad 11. Lucæ 19. 30. vſque 48.

Chriſtus non more aliorum Imperatorum: ſed ante bellum triumphat. 3. Reg. 20. 11. Quare id fecerit.

Iob 16. 19.

Chriſti ſanguis & clamor non abſcondendus.

Quæ in quolibet paſſionis myſterio præcipuè meditanda.

Pia ad Chriſtũ oratio.

Quid Chriſtus nos doceat.

Chriſti manſuetudo.

Promta voluntas ad dolores, & mortem ſubeundam.

Humilitas magna. Pſal. 87. 16. Iſaiæ 52. 12.

Chriſti triũphus myſterij plenus & humilitatis.

Quod ſit myſteriũ.

Quæ ſit humilitas.

Luc. 19. 35.

Zach. 9. 9.

Chriſtus Rex iuſtus, & Saluator, & pauper.

Chriſti triũphus omnium glorioſiſſimus.

Chriſtus vt Rex cœleſtis excipitur.

nomine Domini:pax in cœlo,& gloria in excelſis. Benedictum quod venit regnum Patris noſtri Dauid:Hoſanna in excelſis,quibus & Rex & Propheta ille magnus,& filius Dei in lege promiſſus prædicaris. Cædunt illi de arboribus ramos palmarum & oliuarum, vt ipſo facto te victorem peccati & mortis,ac authorem miſericordiæ nobis exhibitæ fateantur. Sternunt in via veſtimenta ac pallia ſua, ſupra quæ iumentum te vehens tranſeat, vt tibi omnia ſua ſubiecta cenſeantur. O ſi omnia mea in tuam laudem cederent, & vniuerſa interiora mea tibi ſe ſubiicerent!

Quid rami palmarii & oliuarii ſeſignẽt.

Quid ſtrata veſtimenta.

4. Sed ô quàm nihil,Ieſu puriſſime, cordi tuo hæ laudes & honores adhæſerunt!Certè inter hos laudationum clamores pergens,& accedens ad cliuum montis, ex quo Hieroſolyma videbatur, intuens in eam,& gloriæ,quæ tibi obiiciebatur,oblitus,largiter lacrymatus es. Quare? Quia illam tenerrimè diligebas,& copioſam lacrymarum materiam eſſe videbas. Erat profectò illa commiſeratione digniſſima: quia non cognouit diem hanc ſuam,& ad ſuam ſalutem præordinatam,in qua tu magiſter & medicus ad eam curandam & docendam ingrediebaris. Quia ignorauit pacẽ vltro ipſi à Patre oblatam, & tecum venientem, ſi ab ipſa vt redemtor excipereris. Quia poſt paullulum ad vltionem iniquitatum ſuarum erat à Romanis vaſtanda, & multimodis vexanda miſeriis. Hæc fuit Domine cauſſa fletus tui, hæc erga miſeros Hieroſolymitas pietas & miſericordia tua: quos velles ſi ipſi eripi vellent,à tantis malis eripere. Et meam quidem animã vides, vtinam non talem inuenias, quæ quantum eſt ex ſe,te ad fletum prouocet, ſed ad amorem & beneuolentiam inuitet.

Quare Chriſtus viſa Hieroſolyma lacrymatus fuerit.

2. cauſſa.

3. cauſſa.

5. Poſt hunc ergo fletum, ô Ieſu amator hominum fideliſſime,ingreſſus es Hieroſolymam,& ſtatim veniſti in templum Dei, in domum Patris tui. Inde vendentes & ementes quæ ad ſacrificia pertinebant cum iuſta indignatione expuliſti,dicens illis: Domus mea domus orationis eſt: vos autem feciſtis illam ſpeluncam latronum. Verè Domine, & anima mea per miſericordiam tuam domus tua eſt; domus orationi dicata eſt:ego verò ſuperfluis curis, & vanis deſideriis meis facio eam domum negotiationis, & ſpeluncam latronum. Corripe me in miſerationibus tuis, libera me ab iis malis meis,vt rebus mũdanis vacuus tibi ſoli inhæream, & animam meam factam domum tuam, puram tibi illibatámque cuſtodiam. Amen.

Chriſtus vendentes & emẽtes eijcit è templo.

Quomodo anima fiat ſpelunca latronum.

Meditatio II.

De cœna Chriſti in Bethania, & eius venditione.

Matth. 26. vſque 6. 17. Marc. 14. à verſ. 8. vſque 11. Exod. 12. 3 Paſchalis agnus Chriſti figura. Ioan. 12. à 1. vſque 8. Chriſtus Bethaniam venies cum Lazaro cœnat.

1. PVnctum. Quinque diebus ante paſsionem tuam, ô immaculate agne Ieſu, ingratiſsimam illam vrbem ingreſſus es, vt tu ſignificatus cum agno figurante conuenires, de quo ſcriptum erat: Decima die menſis huius tollat vnuſquiſque agnum per familias & domos ſuas. Et ſeruabitis eum vſque ad quartamdecimam diem; immolabítque eum vniuerſa multitudo filiorum Iſraël.] At pridie illius diei cùm veniſſes Bethaniam in domo Lazari,& ſororum eius, cœnaſti,& inde occaſio non data,ſed accepta tuæ venditionis emerſit. Iam paſſioni & neci proximus, quàm parcè manducabas,quàm modeſtè ſedebas,quàm benignè & vtiliter ad recumbentes verba faciebas. Audiebat te Magdalena dilectrix tua, videbat Lazarum pau-

A

lo ante ſuſcitatum, & quiete ſedentem ac cibum ſumentem ad menſam tuam. Et dulcedine tuorum ſermonum illecta,& amore erga te ac gratitudine ob ſuſcitationem fratris incitata voluit aliquod ſignum horum affectuum exteriùs exhibere. Vnxit ergo iterum & oſculata eſt pedes tuos,& ad maiorem fiduciam atque ad amorem feruentiorem prouecta,ſurrexit vt vngeret tremendum caput tuum. Accepit alabaſtrum vnguenti pretioſi ex nardi ſpica compoſiti, quod libram integram confectionis odoratiſſimæ capiebat. Illud quamuis multi valoris confregit,& ſi toto mundo pretioſius eſſet etiã confringeret ad honorem tuum, vt ſuo amori ſatisfaceret. Frangens autem vaſculum vnguentum omne ſuper caput tuum effudit, quo & quod melius & pretioſius habebat tibi conſecrauit,& ſanctum corpus tuum vngere ad ſepulturam præuenit. Magnum opus, ſed eo mihi maius, quòd non ſolùm admirabile,ſed & imitabile ſcio.Habeo Domine,vas cor meum,& corpus meum,quod ad obſequium tuum mortificatione frangam. Habeo & vnguentum per miſericordiam tuam affectuum humilitatis & charitatis quod effundam. Vngam primùm pedes tuos,& peccata mea innumera ante te proſtratus deflebo. Vngam poſtea caput tuum, & ex memoria beneficiorum tuorum præ amore & gratitudine exultabo. Tu benignus es,& meum obſequium acceptum feres; & ſi ad effuſionem vnguenti Mariæ domus tota odore repleta eſt, ad deſiderium meum eos pro quibus oro donorum tuorum odore perfundes.

B

C

2. Non defuit,ô piiſſime Ieſu, huic pietatis & deuotionis operi,quod commune eſt omnibus ſanctis operibus,vt haberet, qui obmurmurationibus aduersùs illud inſurgeret,cœpit detractionem peſſimus Iudas, mulierem hanc ſanctam prodigalitatis & indiſcretionis inſimulãs,& vnctionem tuam ſuperfluam vnguenti effuſionem iudicans, quod venditum poſſet egenis erogari. Cùm tamen ipſi cura de egenis nulla eſſet,ſed furtum ex pretio vnguenti, quod ſibi vendendum traderetur, facere conſtituiſſet. Diſcipuli autem detractionem non extinxerunt,ſed proſequuti ſunt,dicentes:Vt quid perditio hæc; potuit enim iſtud venundari multo, & dari pauperibus.] Facile enim eſt etiam bonis, malorum exemplum ſequi,& prætextu pietatis bona ab ipſis ignorata damnare. Sed ô quoties, Domine, ſimiles huic detractiones audimus eorũ qui tempus cultui tuo impenſum, perditionem inclamant. Qui otioſos iudicant & deſides, quos non externa aliqua adminiſtratio aut occupatio tenet, ſed ſtudium contemplationis tecum ac exercitatio amoris deuincit. Da vt ad huiuſmodi latratus ne attendamus quidem, ſed ac ſi nihil de nobis diceretur, intentè ac feruidè tibi vacemus.

D

3. Non latuit te, ô Ieſu ſcrutator cordium & renum, Iudæ & aliorum diſcipulorum muſſitatio, & poſuiſti cor tuum fidelitatis ac charitatis plenum,vt famulam tuam fidelem,& contemplatiuorum imaginem à linguis maledicis liberares.Quid, inquis, moleſti eſtis huic mulieri? Quid opus eius iudicatis temerariè quod non intelligitis? Numquam deerunt pauperes, quibus ſubueniatis: ego autem citò diſcedam à vobis, cui ſimilia obſequia pietatis exhibere non valebitis. Interdum conuenientius eſt pauperes fugere,& à proximorum miniſteriis vacare,meis verò myſteriis conſiderandis, & affectibus deuotionis intendere. Ego ad mortem vado, hæc autem ab ſpiritu meo docta corpus meum quaſi ad ſepulturam vnxit.Vos eam roditis:

E

Magdalena Chriſti verba audiebat.

Chriſtũ vnxit & pedes eius oſculata eſt.

Quomodo Magdalena opus amoris plenum imitari poſſimus.

Peſſimi Iudæ detractio.

Matth. 26. 8. Facile boni malorum exẽpla ſectari.

Qui deſides ab aliquibus immeritò iudicantur.

Chriſtus Mariæ opus à calumnia defendit.

ego in vniuerſo mundo laudabo: & vbicumque prædicabitur Euangelium, dicetur quòd hæc fecit in memoriam eius. Bonus es Domine ſperantibus in te, animæ quærenti te. Tibi meipſum & vniuerſa ad me pertinentia confidam, qui tuos non deſeris, immo & à maledicis liberans præmiis cumulariſſimis imples.

Thren. 3. 25.

4. Hæc benigna increpatio tua, ô mitiſſime Ieſu, & ſapiens admonitio tua vndecim Apoſtolos correxit, & pœnitudine ac compunctione repleuit; Iudam verò hominem perditiſſimum proteruiorem reddidit, & ad flagitium maximum prouocauit. Hoc eſt enim reproborum ingenium, vt increpationis medicamento ſalutari peiores fiant. Hic princeps perditorum apud ſeipſum conſtituit te vendere hoſtibus tuis ne crumenam ſuam, quæ ipſum in gehennam demerſit, pretio vnguenti effuſi fraudaret. Abiit ergo ad principes Sacerdotes, & inito pacto iniquitatis ipſe data occaſione te vendidit, & filium Dei vt vile mancipium principibus Sacerdotum ſe traditurum eſſe promiſit, & triginta argenteorum pollicitationem accepit, & lupus rapaciſſimus ad agnos repedauit vt paſtorem diſcerperet. O in vno facinore quanta ſunt crimina; & quàm verum quòd nemo poteſt corrigere quem tu deſpexeris. Ne me deſpicias bone Domine, ſed ſi cecidero ſubleua me, ne à te ſeparatus, & durior factus, in æternum peream.

Reproborum conditio increpationis medicamento deteriores fieri.

Iudas Chriſtũ vendidit.

Nemo corrigit à Deo deſpectũ.

5. Sed non licet, ô manſuetiſſime Domine Ieſu, tam celeriter ab huius immanis flagitij conſideratione diſcedere. Tu venderis, ô fili Dei, cuius pretium eſt inæſtimabile, cuius ſanguis pretium eſt omnium noſtrûm, quo à ſeruitute dæmonum liberamur, & pluſquam decem millia talenta noſtrorum peccatorum exoluimus: vt vile mancipium venderis, vt meam ſtultitiam qua me diabolo vendidi ipſe deleres, & pro me ad ſummam miſeriam mancipiorum, ſcilicet vt pro pecunia commutentur venires. Ab amico, à diſcipulo, ab Apoſtolo venderis, quem columnam Eccleſiæ, fidelium patrem miraculorum patratorem feceras. Hunc auaritia decepit, amor pecuniæ deiecit, & in odium tui ac proditionem impulit. Diabolo inſtigante venderis, qui cor Iudæ poſſedit, cupiditatem accendit, & ſummam iniquitatem vt leuem aut certè vt non adeò grauem, & facile remedium habituram propoſuit. Quibus venderis? non matri quæ tuam innocentiam nouerat, non amicis qui tuam doctrinam imbiberant; non ſaltem extraneis qui de moribus ſerui à ſe emti experimentum caperent; ſed hoſtibus immaniſſimis qui tuum ſanguinem ſitiebant, qui te implacabili odio proſequebãtur. Apud quos vas illud perditionis multa effutiuit, quibus bonam opinionem de te conceptam eleuaret, vt ſuum flagitiũ aliquo prætextu contegeret. Quanti venderis? Triginta argenteis, pretio viliſſimo, quo communiter diſtrahebantur mancipia: & hoc non tam à venditore extorto, nam ipſe tamquam ſi rem nullius valoris offerret pretium voluntati ementium taxandum reliquit, quàm ab ipſis emtoribus oblatum. Ad quid tandem venderis? Non vt emtoribus ſeruias, ſed vt ab illis morti tradaris. Iudas occaſionem proditionis quærit, cœtus Iudæorum ſponſionis ſibi factæ exolutionem expectat. Tu verò agne manſuete Iudam manſuetudine ſuſtines, charitate complecteris, eius bonum nomen apud alios tueris, & mihi occaſionem præbes te deflendi, & exemplum inimicos diligendi, & tuam excellentiſſimam charitatem imitandi.

Sanguis Chriſti pretium omnium noſtrum.

Iudam auaritia decepit.

Chriſtus quibus vẽditus.

Quanti vẽditus.

Ad quid vẽditus.

Chriſti manſuetudo & charitas in Iudã.

A

B

C

D

E

MEDITATIO III.

De vltima cœna Chriſti legali.

1. PVnctum. Poſt cœnam hanc Bethaniæ factam, ô humillime Domine Ieſu, poſt celebrem illum ingreſſum, quo Hieroſolymam cum tanto applauſu exceptus es, poſt longas per tres ſequentes dies cum Iudæis diſputationes habitas, ac mirabilia patrata, poſt ingratitudinem eorum expertam, mutabilitatémque ſæculi declaratam, quia tam ſolemniter exceptus ab omnibus ſtatim relictus es, & à nullo inuitatus, ac Bethaniam hoſpitij & refectionis gratia redire cõpulſus, inſtabat dies paſſionis tuæ, quam obedientiæ & multarum virtutum operibus præueniſti. Quinta namque die à ſolemni illo ingreſſu tuo ad veſperam lex erat agnum comedendi, ac Paſcha celebrandi: quod in tanto diſcrimine compos tui exiſtens, & legis cuſtodiam omnibus anteponens voluiſti ſolemni ritu peragere. Pauper eras, ô fons omnium bonorum noſtrorum, nec apparatum neceſſarium ad Paſcha celebrandum habebas, quare opus fuit ab alio aliquo poſtulare. Vocaſti ergo Petrum & Ioannem, quibus iniunxiſti vt ingreſſi ciuitatem neceſſaria pararent. Optimi præcurſores tui Petrus & Ioannes, fides & gratia: hæ namque virtutes gratum tibi hoſpitium parant. Sed an putabimus quæ hîc contigerunt multiplici myſterio vacare? Nullo modo. Introeuntibus vobis in ciuitatem, ais, occurret vobis homo amphoram aquæ portans. In eam igitur domum vis hoſpitio recipi, in quam ad munditiem & ad compunctionem lacrymarũ aqua portatur. Sequimini illum: hunc namque puritatis & compunctionis portatorem, conſequens eſt vt fides charitate formata & gratia ſequatur. Patri autem familias, quem ego elegi, quem nuntiis meis per gratiam meam obſequentem præuidi, dicite: Tempus meum, mihi præ omnibus deſideratum patiendi propè eſt: apud te facio Paſcha cum diſcipulis meis. Ipſe ô Domine, ſtatim obediuit, cœnaculum grande ſtratum obtulit, te libenti animo excepit, & liberaliter neceſſaria ad eſum agni miniſtrauit. Fac vt huius hominis me imitatorem exhibeam, qui auditis inſpirationibus tuis cor meum tibi offeram, & lætus te hoſpitem ſalutarem excipiam.

Matth. 26. à 17. vſq; 25. Marci 14. 10. vſq; 22. Luc. 22. 3. vſque 13.

Chriſtus Solymis exceptus ſolemniter ſtatim ab omnibus deſeritur.

Lex comedendi agnum.

Chriſti paupertas.

Petrus & Ioannes, fides & gratia.

Mittuntur ad parãdum Chriſto hoſpitiũ.

Quæ domus apta Dominico hoſpitio.

2. Præmiſſis diſcipulis cœnam paraturis, ô bone Ieſu, priuſquam eos ſequereris, & à Bethania egredereris, valedixiſti matri. Quis enim credat hoſpitibus inſalutatis, & matre piiſſima tuorum ſecretorum conſcia abſque ſalutatione relicta tè tam longum iter à terra ad cœlum inchoaſſe. Matrem itaque Virginem ſeorſum aduocaſti, eíque patefeciſti quòd ipſa coniectura ſuſpicabatur, adueniſſe iam tempus, in quo eras pro humano genere moriturus, & à mundo ad Patrem tranſiturus. Narraſti ei forſitan ſigillatim quot iniuriæ & contumeliæ, quot itinera ex vno iudice in alium, quot alapæ & colaphi, & flagella & vulnera, & quàm terribilis & acerba mors tè manebat. Quæ ipſa audiens gladio immenſi doloris ſaucia te vnicum bonum ſuum voluntate promtiſſima Patri obtulit, & eius decreto ſe ſubiecit, & naturam matris tuam vitam impensè cupientis immenſa charitate ſuperauit. Da Domine huic ſeruulo matris tuæ vt ſciat ei condolere, & pro tua voluntate in rebus etiam arduis & naturæ repugnantibus propiam voluntatem exuere. Ab illa tandem diſcedens audiſti dicentem & imprecantem: Exaudiat te Dominus &

Chriſtus ad mortẽ iturus virgines priùs alloquitur.

Virginis immẽſus dolor.

Pſal. 19. 2.

Verba Virginis ad filium discedentem.

Pater tuus, ô fili mi, in die hac tribulationis tuæ; protegat te nomen Dei Iacob. Mittat tibi auxiliũ de sancto: & de Sion tueatur te. Memor sit omnis sacrificij tui; & holocaustum tuum pinguefiat. Tribuat tibi secundùm cor tuum: & omne consilium tuum confirmet.]

Christi seruatoris comites.

3. Profectus es ergo, ô Iesu superdulcissime, à domo illorum qui diligebant te, vt ad eos ires qui te volebant occidere. Ibas gaudens quia redemtionem nostram à tua morte emanaturam propinquã videbas. Ibat & tecum perditus Iudas, cuius consortium tu agnus mansuetus nõ exhorrebas. Ibant & tecum alij discipuli nimia tristitia affecti, quia tibi mortem imminere formidabant, quorum corda suauissimis verbis, & dulci alloquio mulcebas. Ingressus es ciuitatem ac domum illius fœlicis hospitis tui, quem aduocasti, cui ob hospitium gratias egisti, & postea innumeris beneficiis cumulasti. Si enim qui dederit potum vni ex minimis calicem aquæ frigidæ in nomine discipuli, siue quia discipulus tuus est, non perdet mercedem suam, quanto minus is illam perdidit, qui tibi omnium electorum parenti optimo, quia omnium eras Dominus, hospitium præbuit, & omnia necessaria ad cœnam affatim suppeditauit. Postea omnibus de more paratis ad mẽsam sedisti cum discipulis tuis. Et aperiens os tuum dixisti illis: Desiderio desideraui hoc Pascha manducare vobiscum antequam patiar.] Et quare, ô Domine, magno desiderio desiderasti paschalem agnum apud illos & cum illis manducare? Profectò quia in cœna illa corpus tuum in Eucharistia eras mihi præbiturus, & post illam ad necem pro me sustinendam iturus. O si ego desiderarem occasiones patiendi, & grata obsequia tibi præstandi!

Christi gratitudo. Matth. 10. 42.

Sedet ad mensam & suos alloquitur. Luc. 22. 15.

Cur Dominus agnũ manducare desideraverit.

4. Stans igitur ad mensam, ô Iesu obedientissime, accinctus renes, & baculum in manu habens, vt legis scita compleres, & tuam strenuitatem & promtitudinem ad sustinendam crucem demonstrares, cœnam quietus expectabas. Ministratus est tibi agnus assus figura tui, & commota sunt omnia viscera tua, quia quidquid postero die super te vẽturum erat cõtemplatus es. Tu, ô agne mitissime, agnum in frusta concidis, & non fractis ossibus eius vt esses tamquam minister inter discumbentes diuidis: & simul cum illis adiunctis lactucis agrestibus festinanter, modestè tamen comedis: & cuncta quæ significabantur aduertis. Festinantia comedendi tuę passionis celeritatem portendebat; agnus assus te charitate possessum, & in cruce clauis confossum: amaræ lactucæ amaritudinem dolorum tuorum, & diuisio agni in partes tui sancti corporis discissionem præsignabat. Hæc recordatio occupet ô Domine animam meam cùm corpus reficio: hi dolores tui occupent memoriam meam cùm carni necessaria ministro, qui & superflua ciborum resecent, & cor meum gladio compassionis vulnerent.

Christus in edendo agno ritus obseruat. Agnus assus Saluatoris typus.

Quare festinanter, etsi modestè agnũ comederit.

Ciborum superflua resecãda.

Meditatio IV.

De lotione pedum discipulorum.

Ioan. 13. à 1. vsque 15.

1. PVnctum. Peracta cœna, ô superamantissime Domine Iesu Christe, opus stupendæ humilitatis operatus es quo proximus morti viam humilitatis nos verbo & exemplo doceres, & ad sacramentum corporis & sanguinis tui sub speciebus panis & vini accipiendum præmunires. Sciebas optimè horam tuam imminere, à te scilicet summe desideratam, in qua eras ab hoc mundo ad Patrem iturus. Diligebas tuos, nimirum Apostolos & electos tuos, quia tui erant, & eos à Patre diligendos accepisti. Et quomodo diligebas? Certè in finem, id est, feruentissimè, tenerrimè, perseueranter, & vt ipsi finem suum in hac vita familiaritatem tuam, & in futura æternam fœlicitatem acciperent. Hic amor, ô Princeps clarissime, te ad obeundum obsequium vilissimorum seruorũ impulit. Sciebas optimè te esse filium Dei non adoptione, sed natura, te esse sapientissimum quem nihil latere potuit, nec proditionem Iudæ: te esse potissimum, cui Pater omnem dedit potestatem in cœlo & in terra: te proximum esse vt ad Patrem redires, & ad dexteram eius sederes. Hæc, inquam, optimè noueras; at amor qui maiestatem nescit, qui quantum potest æqualitatem efficit, te cum seruis seruum esse decreuit. Surgis itaque à cœna illis sedentibus, & in sua quiete manentibus, ponis vestimenta tua, pallium scilicet externum quod operi faciendo aliquod impedimentum præstaret, & vt commodiùs seruires, & sordes pedum discipulorum elueres linteo præcinxisti te. O si ego tibi obsequuturus à mea ignauia consurgerem! ô si omnia creata à corde affectu deponerem! ô si me vera abnegatione præcingerem! Fac ô piissime Domine, vt hinc non discedam, donec ista dono tuæ liberalitatis acquiram.

Qualis Christi amor erga suos.

Christus non filius adoptiuus. Christus sapientissimus, potentissimus.

Amor maiestatis nescius æqualitatis amicus.

Christus surgens à cœna ponit vestimenta sua.

2. Persequutus es, ô humillime Domine Iesu Christe, opus tuum. Tu per teipsum, & sine adiutorio alterius aduexisti aquam (nam quis alius posset aquam puritatis ad nos mundandos afferre) & misisti eam in peluim, & ad Petrum accedẽs, quem dignitas illi promissa, & ordo domus tuæ primo loco sedere fecerant, antéque eius pedes procumbens, eum lauare volebas. Quid Petrus faceret, quídve sentiret, cùm te ante se genuflexum vidit? Obstupuit ille ad tãtam humilitatem tuã, & apud te prostratus exclamauit, dicens: Domine, tu mihi lauas pedes? Tu quem verè filium Dei viui confessus sum, quem æqualem Patri, regem & sacerdotem magnum, Angelorum & hominum caput esse cognosco, mihi homuncioni miserrimo non iam manus, sed pedes sordidos lauare constituis? At tu, Domine, quid? Quod ego facio, ô Petre, inquis, tu nescis modò, scies autem postea. Ne ante tempus cordis mei consilia discutias, ne indiscreto feruore tuam munditiam impedias: decet me omnem iustitiã implere: decet & te mihi in omnibus obedire, & si ego ita disposuero, insolita & vix ab hominibus audita, ex mea liberalitate dona percipere. Reluctatur adhuc Petrus, ô magister bone, nescius quid diceret, nescius quid faceret. Non lauabis, ait, mihi pedes in æternum. Sic cine Petre resistis? vis adhuc post gratiam acceptam in sordibus imperfectionum hærere? renuis ab eo qui author sanctitatis est perfectè mundari? Facile est ab immunditia parua, quã sponte retinemus, & eluere nolumus, ad magnam prosilire. Ideo forsitan audis: Si non lauero te, non habebis partem mecum: nec meum discipulũ reputabo, nec in schola mea, neque inter meos discipulos sustinebo. Magnum malum est inobedientia, ô Rex meus, præsertim si ei pertinaciæ vitium accedat. Satius est obedire tibi ac prælatis à te constitutis, quàm boni prætextu discrimen gratiæ amittendæ subire. Nouit hoc opportunè Petrus: nam ad tam terribile verbum expauit, & timore correptus subintulit: Si ita se res habet, lauda Domine non tantùm pedes, sed & manus & caput. Sed tu, ô bone Iesu, iam huius

Christus affert aquã ad pedum lotionem.

Petri admiratio visa Saluatoris humilitate,

Christi verba ad Petrum.

Petrus Domino pedes lauaturo resistit.

Inobedientia magnũ malum.

Petrus Christi paret voluntati.

mysterij aliquid pandis. Qui lotus est & per gratiam & pœnitentiam à crimmibus mundus, non indiget nisi vt à leuioribus culpis se mundet,& vt pedes affectuum lauet. Eluisti ergo pedes Petri,sed quanta humilitate,quanta modestia,quanta gratia. Linteo quo præcingebaris,tersisti,tenerrimè pedibus oscula fixisti,& discipulum illum lacrymis resolutum,& amore inflammatum, ac mira consolatione repletum à sordibus corporis animæque mundasti. Munda me Domine & mundabor, sana me & sanabor, salua me & saluus ero, quoniam laus mea tu es.]

Christus eluit Petri pedes, abstergit, osculatur.

Ierem. 17. 14.

3. A Petro, ô constantissime Iesu, ad alios discipulos transiuisti, eósque eadem humilitate & comitate lauisti,donec ad miserum Iudam veniens ad eius etiam pedes te humillimè & admirabili mititate prostrasti. O quis sciret duo hæc corda tuum & illius inter se conferre. Iudæ cor erat fœdissimum, tuum sanctissimum: illud saxo durius, hoc miseratione blandius; illud odio, hoc amore possessum: illud resistens, hoc instinctus salutares immittens. Eluebas illum maiori affectu, tuis lacrymis aquam miscebas, illisque pedes rigabas. Loquebaris potenter in corde illius, peccati iam cœpti & post paullulum perficiendi enormitatem obiiciebas, ad veniam & pristinam amicitiam inuitabas. Ille verò duritiæ suæ murum opposuit, ne ad salutem vinceretur,& in suo peccato perseuerare disposuit. O animæ irreuerenti & infrunitæ ne tradas me Domine. Simul accipiam qualiter debeam inimicos diligere,bonum pro malo reddere, & eos non maleuolentia,sed beneficiis superare.

Christus ablutis caterorũ pedibus ad Iudã accedit. Cordium Christi & Iudæ comparatio.

Iudæ sũma duritia. Eccli. 23. 6.

Qualiter erga inimicos gerere nos debeamus.

4. Lotionis opere ad extremum perducto, ô Patris sapientia bone Iesu,linteum posuisti,vestem accepisti,& inter discipulos sedens facti tui rationem declarasti. Hæc sunt verba tua dulciora super mel & fauum tota deuotione cogitãda.Scitis quid fecerim vobis: nam multi postea legent,immo & interpretabuntur,& nescient. Vos vocatis me Magister & Domine,& bene dicitis. Sum etenim: verus omnium Magister qui viam salutis doceo, qui ad vitam æternam erudio,qui auxilia ad exequendum confero. Sum & Dominus omnium diues in omnes qui inuocãt me,qui supra actiones & corpora & animas potestatem habeo. Si igitur ego tantus Magister & Dominus laui pedes vestros, quanto magis vos debetis ad inuicem opera humilitatis & charitatis exhibere. Hæc feci vt vos me imitemini, & ex me exemplum capiatis. Non sufficiet hæc scire nisi opus scientiam sequatur, quod hominem efficit studiosum atque beatum. O dulcis Iesu,te magistrum sapientissimum audio, te Dominum omnipotentem sequor,humilitati & charitati vacare constituo.

Christus peracta lotione, facti rationem aperit.

Christus verus omnium magister.

Opera humilitatis ex Christi imitatione exercẽda.

MEDITATIO V.

De institutione Eucharistiæ.

Matth. 26. à 26. vsq; 29. Marc. 14. à 22. vsque 25. Luc. 22. à 19. vsque 21.

1. PVnctum. Antequam ad mortem exires, ô benignissime ac dulcissime redemtor Iesu,in Ecclesia tua inæstimabilem thesaurum condidisti, quod euidens argumentum esset,tuæ erga nos benignissimæ charitatis. Thesaurus iste est venerabile sacramentum,& immaculatum sacrificium corporis & sanguinis tui,quo verè te ad vitam æternam comedimus; & Patrem æternum ob peccata nostra ad iram prouocatum placamus. Instituisti hoc sacramentum post cœnam legalem, vt hanc typum illius fuisse,ob memoriamque liberationis nostræ à peccato,& ingratitudinem tanti beneficij celebrandum esse intelligamus. Et prope passionem tuam, quando Iudæi aduersùm te crucem & spinas & tanta mala præparabant,vt tuum immensum amorem tantis iniuriis numquam superatum cognoscamus. Et bene lotis & instructis à te discipulis,vt nos ad tuam mensam accessuri à leuissimis quibusque defectibus compunctionis aqua lauemus. Huic aquæ nunc immergar, ô Domine,eáque ab omnibus meis maculis lauer, vt quoquomodo dignus fiam consideratione huic mysterio mysteriorum assistere,& opus hoc benignissimæ largitatis tuæ ad fructum animæ meditari.

Typus legalis sacramenti.

Quando sacramẽtum institutũ. Ad sacrã mensam cum puritate accedẽdum.

2. Recumbens igitur cum discipulis tuis iterum, ô fidelissime amator Iesu, miraculum miraculorũ prætasti,quo non aliud quàm temetipsum nobis in cibum & potum dares. Accepisti è mensa vnum panem manibus tuis, quibus imples omne animal benedictione. Extulisti in cœlũ oculos,vt donum illud cœleste ostenderes. Egisti Patri gratias,vt nomine omnium nostrûm quorum es caput pro tali ac tanto thesauro gratus existeres. Benedixisti panem,dicens: Hoc est corpus meum, vt his verbis illum in melius commutares. Verbum enim tuum, ô Redemtor potentissime,quod operatorium est, quod vniuersum mundum ex nihilo fecit,transubstantiationem hanc mirabilem molitus est, & panem illum in tuũ sacrosanctum corpus verè conuertit. Ita scilicet vt post prolationem illorũ verborum sub illis accidentibus panis subsantia non esset,sed corpus tuum integrum, & per concomitantiam ad illud sanguis,& anima,& diuinitas tua, & quidquid inerat tibiipsi lateret. O igitur admirabilis sapientia tua, Domine, talem cibum inueniens,quo vitam animę supernaturalem gratiæ augeret & in æternum protelaret. O inæstimabilis bonitas tua hunc thesaurum thesaurorum impertiens quo non iam bona tua, sed teipsum Deum meum nobis communicares. O infinita potentia tua tale opus momento & faciliter peragens,quod opus ipsum creationis æquaret,immo & fructibus in immensum excelleret. O immensa charitas tua, qua reliquisti nobis pretiosissimam hæreditatem: non regnum,non opes,non honores,non scientiã, non dignitatem perituram,non aquã de petra,non manna de media aëris regione cadens, non Angelum,nõ demum aliquid simile, sed teipsum Deum & hominem,ac verum panem de cœlo descendentem. O ineffabilis largitas tua, qua dedisti te nobis non tantùm in regem,in dominum,in patrem, in fratrem, in sponsum,in sodalem,in magistrum, in aduocatum,sed in cibum,quem manibus tractaremus,ore & dentibus ruminaremus,in viscera nostris reconderemus,cui intimè coniungeremur, & à quo in se conuerteremur,ac in vitam spiritualem & diuinam, seu deiformem transformaremur. Hunc panem tu fregisti, ô bone Iesu, quo ad externam illã speciem, corpore tuo in qualibet particula etiam minima integro permanente. Ad eum suscipiendum discipulos firma fide, intima reuerentia,& ardentissima charitate præparasti. Et tandem eos ac teipsum quoque hoc viuifico alimento cibasti: illos quidem vt gratia repleres,& roborares,te verò ipsum vt eos & nos ad sumendum animares,& exemplum huic cœlesti pani communicandi præberes.

Circumstãtiæ in diuini sacramenti institutione. Verbum Christi operatorium. Sub accidentibus in Eucharistia nulla panis substantia. Christi sapientia mirabilis. Inæstimabilis bonitas. Infinita potentia. Immensa charitas.

Largitas ineffabilis.

Cœlestis panis quo ad externam frangitur specie Christi corpore indiuiso.

Effectus sacramẽti respicere, roborare. Eucharistia cœna magna.

3. Tu, ô Iesu amator hominum ardentissime, es Rex ille supremus qui fecisti cœnam magnam, ad quam discipuli tui primùm, deinde vniuersæ gentes & populi vocati sunt. Cœna autem magna,

& conuiuium opiparum cibo ac potu constare debet. Dic ergo nunc quæso qui corpus tuum in cibum præbes, quémnã potum huic cibo congruentem administras? Accepisti e mensa calicem vnum in quo erat vinum, & illis verbis: Hic est sanguis meus, præmissa sicut in pane gratiarum actione, in tuum sanguinem conuertisti. Iam sub illis accidentibus vini, substantia vini non erat, sed verè & realiter sanguis tuus, non quidem à corpore separatus, sed in corporis venis inclusus. Hoc pretioso sanguine tuo potasti eos, & pactum cum Ecclesia tua, quam illi repræsentabant, pepigisti, tẽstamentúmque edidisti sanguine confirmatũ, quo omnium tuorum bonorum hæres instituta est. Hic sanguis, ais, non guttatim instillabitur, sed abundantissimè post paululum effundetur pro omnibus quidem sufficienter & pro multis, scilicet pro electis efficaciter in remissionem peccatorum. Nullum est peccatũ à quo tuus iste sanguis non abluat, nulla iniquitas, quam non deleat. Biberunt illi pari fide, reuerentia & amore sanguinem tuum: oculos enim mentis eorum illuminasti, & cor miris affectibus amoris repleuisti, vt tamquam primitiæ fruentium hoc cibo, essent exemplum fidelibus qui ab eo die vsque ad finem mundi communicaturi sunt. Iam frumento & vino stabiliuisti nos Domine; frumento, quod nos electos facit; vino quod nos castos & mundos efficit. Ita hunc panem & hoc vinum sumamus, vt nullis tentationibus à te separemur.

Vini substantia in Christi sanguinem transit.

Christi sanguis pro omnibus sufficiẽter, pro electis efficaciter fusus in peccatorum remissionẽ. Sanguis Christi omnia scelera abluit. Gen. 27. 37. Frumento & vino stabiliuit nos Christus.

4. Facto hoc maximo miraculo, ô Iesu dulcissime, & sacramento tui corporis & sanguinis instituto, potestatem illud conficiendi reliquisti Apostolis tuis, & omnibus Ecclesiæ tuæ sacerdotibus, illis verbis: Hoc facite in meam commemorationem. Dedisti ergo non Angelis, sed nobis pusillis hominibus hanc admirandam potestatem super corpus & sanguinem tuum: vt scilicet tuam personam agamus, & ac si essemus quidam Christi in terra, dicamus: Non, hoc est corpus Christi, sed: Hoc est corpus meum, & hic est sanguis meus: & hæc dicentes tuum corpus & sanguinem sub speciebus panis & vini consecremus. Miramur, ô Domine, quòd ad imperiũ Iosue stetit sol in loco suo, vt dux ille vlciscereturde inimicis suis. Sed multo magis miremur, quòd sacerdos te Iustitiæ solem ad suas manus aduehat, & vno verbo panem ac vinum in tuum corpus & sanguinem vertat. Et solem quidem vnus Iosue detinuit, & vnus Isaias rotrogredi fecit. At te conditorem Solis non vnus sed innumerabiles sacerdotes per Ecclesiam sparsi ad suas manus vocant, & quasi retroagi & ad nos iterum venire te potentibus verbis à te institutis efficiunt.

Iosue 10. 13.

Quàm sit mirabile hoc sacramentum. Isaiæ 38. 8.

5. Consecrant igitur sacerdotes, ô dulcissime Iesu, hoc Eucharistiæ sacramentum continens corpus & sanguinem tuum, non solùm vt sibi hanc bonam gratiam, immo fontem gratiarum sumant, & dent cæteris, sed vt illam tam pro viuis quàm pro defunctis æterno Patri offerant. Hic enim panis non tantùm sacramentum est, verùm & sacrificium ac holocaustũ omnium sanctissimum, quod eliminatis sacrificiis veteris legis, ad obtinendam remissionem peccatorum, & ad gratias pro beneficiis agendas, & ad noua dona impetranda iugiter immolamus. Non repellet nos Pater; quia te repræsentãtes hoc immaculatum sacrificium offerimus: immo tu es præcipuus Dei cultor qui manibus nostris teipsum offers. Verè sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedech. Neque oblationem nostram reiiciet, quam filium suum dilectissimum, in quo sibi bene complacuit, esse cognoscit. Neq; nos vacuos à se dimittet, quos filium suum, in quo omnia nobis donabit, in manibus portare animaduertit.

Finis cõsecrationũ sacerdotum.

Panis cœlestis sacrificium omnium optimũ.

Christus se per manus sacerdotũ offert. Ps. 109. 4.

Matth. 4. 17.

6. Vis omnino, ô amator ardentissime Iesu, vt nõ lateat nos quam ob causam hoc sacramentum & sacrificium instituerís, nempe vt tuis opibus ac thesauris frueremur. Id etiam significãt illa verba: Hoc facite in meam commemorationem. Meorum, ait, beneficiorum ne obliuiscamini, hoc sacramento, quod non solùm veritas est, verùm & sacrificij mei cruenti, quod in cruce oblaturus sum, repręsentatio, meæ passionis recordamini. Hæc quotiescumque feceritis ad memoriam reuocate, quomodo pro vobis homo factus sim, quid ad vestram salutem fecerim, quanta mala sustinuerim, quámque multiplicium virtutum viam vobis ostenderim. Pro hoc aduentu meo, quod hoc sacramento cõmemoratur, diligite me. Pro operibus vitæ meæ adorate & magnificate me. Pro doloribus & passionibus & morte mea condolete mihi. Virtutes meas hîc non tam delineatas quàm expressas, præsertim humilitatem, obedientiam, puritatem imitamini, vt fructum abundantem vitæ æternæ feratis. Ita Domine fiat, hoc sit studium nostrum, tibi gratias agere semper, & vitam tuam in tabella nostræ conuersationis exprimere.

Causa institutionis sacramẽti. Christi exhortatio ad fideles.

Virtutes quæ in sacramẽto maximè luceant.

7. In hac etiam mensa tua, ô sanctissime saluator Iesu, euidenter apparuit, quàm sanctè hæc mysteria tua tractanda sunt, & quàm terribilis pœna maneat eos qui ea indignè & irreuerenter assumserint. Iudas infœlix indignè hoc sacramentum acceperat. Tu verò turbaris spiritu lupum istum inter agnos videns, & tantam eius impietatem exhorrens. Proditorem tibi notum esse illis verbis aperuisti: Amen dico vobis, quia vnus vestrûm me traditurus est: tum vt tuam diuinitatem cuncta secreta rimantem patefaceres, tum vt illum cui terribiliter comminatus es ad pœnitentiam reduceres. Et quidem Apostoli de proditione cõtristati sunt, & timore correpti. Nam in vera humilitate stabiliti, licèt nullius sceleris conscij formidarunt singuli ne à Deo derelicti in tam immane flagitium inciderent. Iudas verò qui indignè sacramentũ sumens iudicium sibi & damnationem manducauerat, & biberat, durior factus & panem in condimento intinctum à te datum inuerecundè accepit, & protinus ad te tradendum exiuit. Verè tunc clarificatus es, quia & schola illa tua à tam perdito homine purgata est, & passio tua quæ initium erat claritatis tuæ ad inchoationem adducta. Insere Domine in cordibus nostris tui amoris & timoris affectum, vt dignè & reuerenter te suscipere curemus, & ab indigna sumtione tui pluſquam ab ipsa gehenna caueamus.

Christus turbatur spiritu.

Omnia secreta rimatur.

Discipulorũ Domini timor.

Iudæ indignum facinus.

MEDITATIO VI.

De exitu Christi in hortum, & mœstitia & oratione eius.

1. PVnctum. His omnibus mysteriis ritè expletis, ô mitissime Domine Iesu Christe, & sermone mellifluo post cœnam habito, ac hymno in gratiarum actionem dicto, egressus es è cœnaculo cum discipulis tuis, vt vniuersus mundus tuum erga Patrem amorem & obedientiam intelligeret. Ibas inter illos vt dulcissimus Pater inter filios, iam omnes in cõmune de rebus cœlestibus suauissimè alloquens, iam illũ, postea verò alium tuo sermone

Matth. 26. à 36. vsq; 46. Marci 14. à 32. vsq; 42. Luc. 22. 40. vsque 46. Ioan. 18. v. 1.

Quare Christus petierit hortum.

deliniens. Ibas ad hortum, vt vbi cœpit mors humani generis, inchoaret & vita. Ibas, & à domo tui hospitis discedebas, ne ille in tua comprehensione aliquid mali aut detrimenti sustineret. Ibas ad orationis locum, quia semper solebas noctes insomnes in oratione traducere. Nec animus ille constans & integer tuus passus est consuetis horis, loco orationis cedere, nec ob timorem imminentium iniuriarum abscondi. Ibas tandem in locum proditori satis notum, ex quo datur intelligi te sponte & amore nostro inflammatum ad passionem properare.

Christi summa constantia.

2. Iter igitur faciens, ô clementissime redemtor Iesu, venisti in villam quæ dicebatur Gethsemani, octóque discipulis iniunxisti, vt expectarent, vt vigilarent, vt orarent: assumtisque tecum Petro, Iacobo & Ioanne, eos ad notitiam maiorum

Non omnes ad æqualem gratiam vocamur. Deo subditi esse debemus.

mysteriorum vocasti. Neque enim omnes ad æqualem gratiam, nec ad æqualia dona vocamur. Et quidem illi nequaquam indignati sũt, nec istri ob maiorem fauorem in superbiam elati. Ex quo discam Domine, me tuæ voluntati committere, & postquam fideliter egero quod in me est, quibuscumque donis etiam minoribus contentus esse. Nullius rei es mihi debitor, & qui ob peccata mea gehennam mereor, in quocumque dono satis supérque supra meam dignitatem accipio.

Christus tristitiã patitur omni lætitia deposita. Saluatoris timor.

3. Dimissis octo discipulis, & tribus adiunctis cœpisti, ô amabilissime Domine Iesu, pauere & tædere, contristari, & mœstus esse. Nam vt passio tua esset acerbior, omnem lætitiam procul abiecisti, & affectus tribulationis & afflictionis aduocasti. Excitatus est in te timor maximus vsque ad pauorem & tremorem, malorum iam imminentium, nempe iniuriarum, contumeliarum, irrisionum, subsannationum, flagellorum, spinarum, clauorum, ac terribilissimæ mortis, quam eras sequenti die passurus.

Christi tadium.

Suscitatum est tædium ac horror omnium rerum huius mundi, nihílque tuæ naturæ humanæ placebat, illúmque hominum ingratitudo, quam præsentem videbas, & supina oscitantia eorum qui

Causſa mœroris in Christo.

non compatiuntur tibi, abundè generabat. Surrexit inconsolabilis tristitia de iniquitatibus nostris concepta, quibus Patrem tuum videbas offensum, & de afflictionibus cœtus omnium iustorum quibus erat opprimendus, & de casu & vastatione illius populi à te dilecti, quem ob necem tuam videbas omni calamitati adiudicatum.

Causſa angoris.

Ac tandem comprehendit te mœstitia, & eximius angor animi ortus ex scandalo à te præscito discipulorum tuorum, de perditione Iudæ, & præcipuè ex compassione piissimæ matris tuæ, quam videbas, ineffabilibus doloribus & anxietatibus tribulandam. Hæc omnia licèt sic ad expositionem distincta simul concurrebant, & pauorem, tædium, tristitiam & mœstitudinem excitabant.

Psal. 54. 5.

Vox enim tua est: Cor meum conturbatum est in me, & formido mortis cecidit super me. Timor & tremor Venerunt super me, & contexerunt me afflictionum tenebræ. Verè intrauerunt

Psal. 68. 2.

aquæ vsque ad animam tuam. Venisti in altitudinem maris, & tempestas demersit te. Sed si desideras, Domine, & vehementer desideras passionem tuam, quomodo eam times? Desiderabas quidem ex amore nimio occupante cor tuum. Timebas tamen ex infirmitate naturæ assumtæ, cui voluntariè

Timor Christi ex infirmitate humanæ naturæ.

suos affectus relinquebas vt pro nobis amplius patereris, & timore tuo nos in tribulationibus & in mortis angustia roborares.

4. Hanc tristitiam & mœrorem tuum, ô solatium desolatorum Iesu, nequaquam à tribus illis discipulis abscondisti. Immo manifestasti eis, dicens: Tristis est anima mea vsque ad mortem. Vt ipsi qui transfigurationis gloriam viderant, magnitudinem anxietatum pro hominibus assumtarum aduerterent. Vt omnes te verum hominem affectus humanos habentem intelligerent, & pro tanta tristitia pro ipsis admissa gratias referrent. Certè Domine hæc tristitia vsque ad mortem fuit, quæ absque vlla intermissione vsque ad mortem durauit: quæ angustias mortis secum attulit, quæ sufficiens esset mortem inferre. Compassionem, & quodammodo consolationem à discipulis poscis, dum ais: Sustinete hîc, & vigilate mecum. Ac si diceres: Vel hoc sit mihi solatium, si vos mecum vigiletis, & pro vestra salute in orationem incumbatis. Et hoc

Christi mœror vsque ad mortem durauit.

sanè dixisti non propter te, sed propter nos, vt ostendas tibi gratissimum esse, si tibi compatiamur, & in oratione perseueremus.

Quare Christus suum tristitiam patefecerit.

Qualis esse debeat oratio.

5. Hoc dicto, ô piissime Domine Iesu, auulsus es ab his tribus discipulis tuis, vt orationem funderes, & eam solitariam esse debere, & non solùm ab hominibus, verùm & ab omnibus curis & desideriis temporalibus sequestratam esse doceres. In loco autem orationis constitutus eximia cum reuerentia genua coram Patre flexisti, & procidens in faciem tuam, ipsi terræ eam affixisti, & ex imo pectore suspiria trahens ac non sine lacrymis ita orationem inchoasti: Pater mi, si possibile est, transeat à me calix iste; verumtamen non sicut ego volo, sed sicut tu. Pater mi, ô rex gloriæ, verbum confidentiæ & amoris est. Quem enim filius nisi Patrem sanctissimum diligat, & in quo nisi in amantissimo Patre confidat? Si possibile est, vel secundùm tuam ordinatam voluntatem factibile, verbum iustitiæ est, quæ solùm decentia postulare contendit. Transeat à me calix, verbum naturæ tuæ est, quæ mundo super vniuersas hominum & Angelorum vitas vtilissima naturaliter mortem nimis metuebat, & ab iniuriis & cõtumeliis quæ nullo modo promeruerat, se orationis scuto liberabat. Verumtamen nõ sicut ego volo, sed sicut tu, verbum perfectissimæ abnegationis & resignationis est, quo voluntas tua se diuinæ voluntati subiecit, & si ita erat diuinum beneplacitũ præ iucunda vita acerbissimam mortem elegit. Hæc ergo oratio tua nostræ orationis est forma, quæ si grata tibi futura est, & nobis vtilis, reuerentiam, attentionem, fiduciam & amorem comites habebit, licita & tibi placita petet, & ex corde resignato necessaria postulabit.

Christo modus in orando seruatus.

Qualis naturæ vox.

Christi perfectissima resignatio.

Christi oratio nostræ forma.

6. Post hanc orationem longam satis atque prolixam, ô bone Iesu, cuius substantiam sacer scriptor retulit, & verba ac affectus piis animabus considerandos reliquit, discipulorum curam gerens, & prælatis atque pastoribus, & reliquis munus aliquod obeuntibus sui officij curam iniiciens ad ipsos tres discipulos regressus es, vt vigilares super gregem tuum, & in eo studium orationis accenderes. Placet tibi maximè hæc vicissitudo orationis & actionis, & vt tui iam ad te se recipiant, iam exeant & animabus lucrandis intendant. Inuenisti autem discipulos non orantes, non vigilantes, sed dormientes. Tunc officium boni & soliciti pastoris assumens excitasti eos, & primùm Simonem, cui ob pastorale munus maior cura vigilandi & orandi incumbebat, deinde alios benignè satis increpasti. Quid & post benignam increpationem tu, qui optime agnoscis figmentum nostrum, illos excusatione pia erigis. Scio, inquis, quia spiritus vester promtus est: at caro vestra satis infirma. Ideo non miror quòd dormieritis, sed nunc iterum aduigilate,

Christi exẽplum pastoribus imitandum. Actionis & orationis vicissitudo Christo gratissima.

Christi admonitio.

& ſpiritus promtitudine & feruore carnis infirmitatem vincite. Hæc admonitio tua, ô Deus meus, ad omnes nos pertinet. Da obſecro vt orationi intendamus, & feruore ſpiritus carnis imbecillitatem ſuperemus.

Christi ad Patrē oratio.

7. Excitatis diſcipulis, ô clementiſſime Ieſu, iterum ad orationem redis, iterum ardentiùs & prolixiùs oras, & apud Patrem vt libereris ſuam omnipotentiam commemoras. Abba Pater, omnia tibi poſſibilia ſunt, transfer calicem hunc à me. Et forſitan hæc in iſto quoque ſenſu dixiſti, vt fructus paſſionis tuæ in te non ſe contineret, ſed ad nos omnes abundanter tranſiret. Finita autem hac oratione ſecundò ad diſcipulos viſitandos regrederis, & eos altiùs dormientes inueniens, vel amanter excitaſti, ne nimis contriſtarentur, quia non habebant quid tibi reſponderent: vel præ compaſſione eos ſomno deditos reliquiſti, vt tu Domine pro omnibus vigilares, & nos ad compaſſionem infirmorum & puſillorum impelleres. Tertiò tandem eamdem orationem repetis, & factus in agonia, auctóque mœrore prolixiùs oras, & ad perſeuerantiam inſtigas. Oportet ergo vt nos in oratione perſeueremus, & ſi hodie non accipimus, cras & ſemper quoadusque audiamur, poſtulemus. Iſtáque eſt miſeriarum & afflictionum noſtrarum præſentiſſima medicina, perſeuerans oratio: quia conſolationem ex creaturis quærere animum diſtrahit, tibi autem per orationem adhærere lætitia & ſpe aſſequendi bonum quod cupimus, replet.

In oratione perſeuerare oportet.

8. Nequaquam paſſus eſt Pater tuus, ô Ieſu dulciſſime fili Dei, vt hæc oratio tua tam perſeuerans, & tam omnibus numeris abſoluta abique viſibili reſponſione permaneret. Ideo miſit Angelum Gabrielem, qui in aſſumto corpore tibi apparuit, & verbis prudentiſſimis te anguſtia fractum & deſolatum erexit. Sed ille, ô rex meus, quid dixit tibi? Profectò genuflexus, & luminibus præ reuerentia in terram demiſſis, ea dixit quæ poſſent animam tuam mœſtiſſimam ad nonnullam lenitatem reuocare. Expoſuit ille firmam voluntatem Patris eſſe, vt patereris, hanc paſſionem & mortem tuam ad redemtionem mundi eſſe neceſſariam aſſeruit, ex ea peccatorum veniam, iuſtorum ſalutem, ſedium cœleſtium reſtaurationem pendere proclamauit & calicem licèt amariſſimum celerrimè eſſe tranſiturum, & in infinitam gloriam corporis deſiturum dixit; & vt te ad mortem accingeres nomine omnium Angelorum & hominum enixè popoſcit.

Angelus Gabriel Chriſto Domino apparet & deſolatum erigit.

Verba Angeli ad Chriſtum.

Christi ſcientia.

Sciebas tu Domine vniuerſa quæ ille dicebat, at humiliter & libenter ſeruum loquentem audiebas, & me in tribulatione poſitum ad admittendum conſilium & conſolationem ex ore cuiuſque etiam inferioris incitabas.

9. Sed quò tandem deuenit hæc Angeli ſermocinatio, ô dilectiſſime animarum ſponſe Ieſu? Quid poſt diſceſſum illius ſequutum eſt? Protelaſti maximo cum feruore orationem tuam. Auxiſti imminentium malorum & afflictionum timorem, ac ſimul erexiſti cor tuum ad ſuperandum timorem illum ex zelo honoris Patris tui, & ex amore generis noſtri. In hac autem lucta tam pæne incredibilis fuit tribulatio tua, vt ſudor tuus & omnium puriſſimorum membrorum tuorum factus fuerit ſicut guttæ ſanguinis abundantiſſimè decurrentis in terram. O Deus meus verè ſponſus ſanguinum tu mihi es, qui hoc ſudore ex peccatorum meorum onere proueniente ſatis perſpicuè indicas, quo fletu & quo lacrymarum fonte plorare debeam die ac nocte meipſum & interfectos filiæ populi

Christi ſudor sāguineus.

Christus ſanguinū ſponſus.

A mei. Tu ex dolore læſæ maieſtatis Patris tui à nobis, ex compaſſione iuſtorum Eccleſiæ, quibus tantæ afflictiones reſeruatæ erant, & ex nimio deſiderio patiendi pro me ſanguinem ſudas. Ego autem hæc recogitans pudore ſuffundor; quia neque zelum honoris tui habeo, nec miſerorum compaſſione tangor, neque libenter pro te laborare ſuſtineo.

Cauſa ſudoris ſanguinei.

MEDITATIO VII.

De comprehenſione Chriſti.

Matth. 26. à 46. vſque 56. Marci 14. à 42. vſque 52. Luce 22. à 47. vſque 53. Ioan. 14. 3. vſque 11.

1. PVnctum. Iam, ô piiſſime Ieſu, à loco orationis recedis, corpore quidem ex agonia & ſanguinis ſudore debilitatus, ſed animo ad patiendum robuſtiſſimus. Hic enim eſt orationis fructus animam ad ſuſtinendum roborare, & inſuperabilem reddere. Veniſti ad diſcipulos tuos, & eos dormientes inueniens dixiſti: Dormite iam, & requieſcite. Compaſſio namque & amoris teneritudo ſic affecit cor tuum, vt eos quieſcere volueris, tibi verò vigilias & triſtitias laboréſque ſeruaueris. At veniente iam proditore Iuda, & Iudæorum acie appropinquante, voce lacrymabili excitaſti eos, dicens: Surgite, venit iam hora captiuitatis meæ, in qua ego agnus ſine macula dentibus luporum tradendus ſum: ecce appropinquauit Iudas qui me tradet. Et illi quidem tres & alij octo, qui non longè aberant, ſurrexerunt, & ad te venerunt pauore correpti vt in tegmine alarum tuarum ſperarent, & ſe ab agmine irruente protegerent. Tu verò eos præcedis, & quaſi ſcutum operis, vt notum ſit nobis, quia ſponte pateris, & vltro ad hoſtes excipiendos vadis.

Orationis fructus animam roborare.

Christi paſſio voluntaria.

2. Sed quid aſpicio, ô ſanctiſſime Ieſu, cuius iudicia inſcrutabilia ſunt ſuper filios hominum? Aſpicio Iudam nuper Apoſtolum tuum, nunc verò inimicorum tuorum ducem, qui venit cum illis, vt te Magiſtrum ſuum, à quo tanta bona acceperat, tradat. Quin & vt ab illis cognoſcaris (multis namque illorum non eras notus ex facie) ſignum inſignis inuerecundiæ & temerariæ audaciæ præbet. Quemcumque, ait, oſculatus fuero, ipſe eſt, tenete eum. O quis non timebit, ô quis non parua peccata fugiet, ex quibus hic infœlix in tantam iniquitem proditionis filij Dei, & tandem in æternam damnationem cecidit. Auſus eſt igitur ille quod animo conceperat in opus producere, & accedens ad te Domine ore polluto oſculatus eſt te: & inſuper ſalutationem oſculo adiecit, dicens: Aue Rabbi; & hac eſca hamum proditionis operuit. Sed gratias immenſas tibi ago, ô Deus meus, pro ineffabili manſuetudine tua. Faciem ſanctiſſimā tuam non auertis, oſculum hominis omnium flagitioſiſſimi non exhorres, immo manſuetiſſimè ſuſtines. Amicum, diſſimulans, vocás, (Amice ad quid veniſti,) quem immaniſſimum hoſtem agnoſcis: quia amicitia non per te, ſed per illum abrumpitur. Benigniſſima demum tanti criminis abiectione corripis. Iuda, oſculo filium hominis tradis? vt ſi voluerit, etiam poſt patratam proditionem, & poſt ſequutam mortem tuam ad te per pœnitentiam redire, minimè vereatur.

Parua peccata fugienda ne ad maiora deueniamus.

Christi mānſuetudo ſumma.

Christi blanda correptio.

3. Oſculo à Iuda accepto, ô benigniſſime Ieſu, & eo relicto, qui paullulum cohortem præceſſerat, in occurſum hoſtium tuorum procedis, vt te ſecundùm naturam quidem formidare mortem, at ſecundùm voluntatē oppetere & deſiderare monſtrares. Ab illis autem qui ad te capiendum venerant, integra voce, ſed humili, ſed modeſta inter-

Christi interrogatio.

rogas, quémnam quærant? Non quia nescias, qui omnia noscis, sed vt ex verbis illorum occasionem tuæ manifestationis elicias. Illisque respõdentibus, Iesum Nazarenum, te esse, quem illi quærebant, profiteris, dicens: Ego sum. Sed ô vox maiestatis & potentiæ plena, quam illi minimè sustinere valentes ceciderunt retrorsum, & omni sensu priuati, omnibúsque viribus destituti aliquantulum temporis supini manserunt. O infœlices, qui te & tuos ad iniuriam quærunt: nam ab omni bono excidunt! O fœlices qui te ad obsequium & amorem quærunt, quia ad æternam salutem resurgunt! Sic prorsus desidero quærere te. Dic obsecro animæ meæ: Salus tua ego sum. Et interim dic in corde meo hostibus tuis, peccatis & imperfectionibus meis: Ego sum. Et potenti voce tua fac vt cadant, & in æternum numquã resurgant. Infunde in mente mea castum timorem tui. Nam si: Ego sum, infirmitatis tuę peccator non sustinet; Ego sum, potentię & maiestatis tuæ sustinere quis poterit?

Christi admirãda potentia.

Quid Christus confusis hostibus sua faciebat.

4. Sed quid fecisti, ô potentissime Domine Iesu, toto illo tempore, quo illi supini, & sensui ac motus expertes iacuerunt? Orabasne Patrem pro illis, vt tandem ad bonam mentẽ redirent? An bona impensius tuæ Ecclesiæ postulabas, & denuo pro illa tuam vitam sanctissimam offerebas? At misertus illorum hostium tuorum, misertus & Iudæ, qui vt iniquorum antesignanus primus ceciderat, illis sensum & motum & vires ad surgendum restituisti. Quid enim faceres, ô summa bonitas, nisi bona etiam malis suppeditare, non vt omnia patrarent, sed vt capaces liberi arbitrij suo arbitratu viuerẽt? Iterum igitur quem quærant, interrogas, te namque ex osculo proditoris non nouerant, quo nihil aduersùm te valere hominum conatus intelligant. Ipsi autẽ nihilo meliores effecti (quia nemo potest corrigere quem tu despexeris) Iesum Nazarenum se quærere affirmant. Tu verò: Ego sum, inquis, non vt iterum eos prosternas, sed vt te capi & vinciri permittas. Addidistique: Si ergo me quæritis, sinite hos abire. Noluisti sanè vt tui mali aliquid paterentur, quos ad propagandam fidem elegeras, & commodiori tempore, vt pro te paterentur, reseruabas. Hinc etiã intelligo te murum esse in circuitu nostro, qui voluisti globos igneos iniuriarum & dolorum excipere, vt nos ab vltione satis peccatis nostris commerita liberares.

Nemo corrigit quẽ Dominus despicit.

Christi erga suos cura.

Zach. 2. 5. Christus murus.

5. At quid faciunt discipuli tui, ô mansuetissime Domine Iesu, satis suam ignorantiam patefaciunt. Te ab hostibus tuis gladiis defendere volunt, & à te facultatem percutiendi expectant illis verbis: Domine, si percutimus in gladio. Sed & Petrus feruentior gladium exemit, & non expectato responso seruum Pontificis grauiter vulnerauit, & auriculam eius dexteram abscidit. Tu verò qui rex pacificus vocaris & es, eos à contentione prohibes, & Petrum tribus perstrictis rationibus à dimicatione compescis. Qui occiderit gladio, ais, dignus est vt gladio cadat. Ne igitur tu qui vt persona priuata alium gladio cedis, te morte dignum efficias. Ne etiam me à potu pretiosi calicis, quẽ Pater misit, id est, à sustinentia passionis impedias. Possem & ego orare Patrẽ, qui missis multis Angelorum millibus, si oporteret, & non vili piscatorũ turba me defenderet. Sed hoc tempus, ô Petre, patiendi est, & Scripturas implendi, nõ pro tuenda temporali vita certandi. His dictis infami seruo qui tibi iniuriã illaturus venerat, aurem restituis, vt te inimicos diligere, & cõpassione miserorum tãgi profitereris. Iam mihi Domine aurem interiorem prębe, qua instinctus tuos audiam, & manus exere, vt illis obediam.

Petrus seruum Pontificis percutit.

Christus Petrum corripit.

Christus bonis mala compensat.

7. Patrato hoc miraculo misericordiæ tuæ, ô suauissime amator hominum Iesu, ad Principes sacerdotum, & magistratus templi, & seniores, & promiscuam multitudinẽ te ad mortem quærentes breuiter loqueris, & illis facultatem te comprehẽdendi, quam nisi tu dedisses, non haberent, libenter facis. Tamquam ad latronem, ais, egressi estis cum gladiis, & fustibus, & lignis comprehendere me, cùm tamen ego longè sim ab hoc crimine, qui sum dominus omnium, qui non vestra tollo, sed mea & meipsum vobis tribuo. Quottidie eram apud vos in templo docens; & metuentes populum me suspicientem non me tenuistis. Nunc autem pro cœlestis doctrinę beneficio hanc mercedẽ rependitis. Sed hæc est hora vestra, & potestas tenebrarum. Permittitur vobis vt me teneatis, vt in me quidquid volueritis, & quicquid dæmones suggesserint faciatis, neque vitam meam reseruetis. Tu Domine pro me, teipsum ad vincula, & iniurias, & mortem tradis; cur ego non me tibi & libertatem & gloriam & vitam tradam? Hæc enim certissimè consequar, si tuæ voluntati me totum committam.

Christi verba ad satellites.

Quid gratuitò petat.

8. Accepta potestate, ô innocentissime agne Iesu, à te, quam permittendo concessisti, irruunt impuri illi nebulones in venerandam maiestatẽ tuam, & primo impetu te Dominum omnium in terram deturbant, & venerandam faciem tuam, in quam desiderant Angeli prospicere, ac totũ corpus tuum irreuerentissimè & iratè conculcant. Tu humillimè pedibus hominum iniquorum calcari sustines, qui sedes super Cherubin, qui ambulas super pennas ventorum. Sed vt Patrem ad miserationem erga nos habendam inflectas, vt caput hominum intus in corde clamas: Miserere mei Deus, quoniam conculcauit me homo, tota die impugnans tribulauit me. Conculcauerunt me inimici mei tota die; quoniam multi bellantes aduersùm me.] Postea subleuatus vt amplius deiiciaris, & humilieris, contumelias audis, truces vultus intueris, pugnis & alapis angustaris, funibus ligaris, & catena aut fune oblongo ad collum iniecto teneris, & vt homuncio vilissimus vinctus duceris. Circumdederunt te vituli multi, tauri pingues obsederunt te. Aperuerunt super te os suum sicut leo rapiens & rugiens. His autem vallatus patientissimè siles, & sicut ouis ad occisionem ductus, non aperis os tuum. Immo & præ ardore amoris, vincula tua si non exteriùs, at interiùs corde & animo oscularis, quia illis absolutionem meam factam vides. Doleo super te (nescio an audebo dicere) fater mi, & saluator mi piissime, quia funes peccatorum meorum circumplexi sunt te. Vt ego legem tuam non sim oblitus. Circumplectantur me obsecro funes amoris tui. In funiculis Adã trahe me, in vinculis charitatis; da vt pro te conculcari ab omnibus cupiã, & abnegationis funibus ligatus, quò tu vis, à spiritu tuo ducar.

Christus captus à militibus malè tractatur.

Psal. 55. 1.

Christi hostes quibus comparentur.

Psal. 21. 13.

Isaiæ 53. 7.

Psal. 118. 61.

Osea 11. 4.

9. His omnibus malis, quæ venerunt super te, ô amator noster Iesu, tristitia magna afficiebaris, sed ex casu omnium discipulorum tuorum maior dolor venit super te. Percussus es, ô pastor bone, & dispersæ sunt oues, relictóque te, huc illuc fugerũt. Longè facti sunt noti tui à te: posuerunt te abominationem sibi. Traditus es, & non egrediebaris à cœtu illorum qui comprehenderant te: & oculi tui languerunt præ discipulorum inopia. O quantus erat mœror cordis tui, cùm videres, pedes sacris tuis manibus lotos turpi metu coinquinatos, corda illa tuo sacro corpore & sanguine roborata pusillanimitate deiecta, fidem illam tot signis

Psal. 87. 9.

Christi mœror.

&

Christi dolor.

& miraculis confirmatam si non corruptam omnino, at satis obscuratam atque conuulsam. Augebatur dolor quia illi ceciderant, qui tam magnificis verbis promiserant se tecum permansuros, & vsque ad mortem & supplicium ituros. Casus & metus eorum, ô Domine, longè sit à me, in mediis tribulationibus sequar te, & licèt responsum mortis habeam, non discedam à te. Et per hanc comprehensionem tuam rogo vt vinculis amoris tui me tecum astringas, & ab eo quod cœpi, excidere nequaquam permittas. Amen.

MEDITATIO VIII.

De deductione Christi ad Annam.

Ioan. 18. à 19. vsque 27.

1. PVnctum. Vinctus, ô suauissime Iesu, & bene ligatus, & impurissimis illis satellitibus circumdatus ad vrbem non tam duceris quàm traheris atque raptaris. Maximus erat dolor tuus, quoniam funes nimis constringebant sanctissimas manus tuas, & impulsus ac verbera, vt festinares, te cruciabant. Incredibilis ignominia tua, quia in modum malefici colligatum te hostes tui non iam recta via sed per loca aspera huc illúcque trahebant. Sed mirabilis patientia tua: nam ignominias & dolores æquo animo tolerabas, & Patri pro salute hominum offerebas. Voluisti quidem tam violenter ad mortem trahi, vt ego ad vitam suauiter saltem me duci sinerem, & tuos instinctus ac voces sequerer. Sic lassus & fatigatus, & sudore madidus venisti in domum Annæ soceri Caiphæ Pontificis, & præsidis illius concilij cuius erat de doctrina, quæ prædicabatur, agnoscere, vt de doctrina tua cœlesti & diuina impuri homines iudicium ferrent, & secundùm ignorantiam suam, quod non nouerant blasphemarent.

Christi ignominia summa.

Christi patientia mirabilis.

Ad Annam de doctrina cognoscere spectabat.

2. In domum Annæ, ô mansuetissime Iesu, scribæ Iudæorum seniorésque conuenerant, vt tuam doctrinam ab æterno Patre toties probatam damnarent. Sedebant illi implicabili odio corrupti, & cæca superbia tumidi, tu verò demissis in terram oculis, & manibus colligatis, ac si esses malefactor coram illis stabas, & irrisiones ac sannas humiliter audiebas. Ecce, dicebant, nouum Doctorem, qui de suo cerebro confinxit, quibus sanctissimæ legi Moysi, cui loquutus est Deus, contradiceret. Ecce homuncionem arrogantissimum, qui ausus est de vita nostra immaculata detrahere, & populum aduersùs Pontificem & iudices concitare. Hæc & alia multa proferebant, Domine, aduersùm te, interim tamen siluerunt, dum voluit te Annas princeps interrogare. Rogauit ergo de discipulis tuis ac de doctrina tua. De discipulis, quinam & quot essent numero, vbi essent, & quo pacto illos decepisses. De doctrina verò, quid doceres, & à quo & vbi eam didicisses? Sic magister bone contemneris, sic damnatis discipulis tuis, & irrisa doctrina tua seductor & maleficus reputaris, & taces: vt nos contemti & irrisi taceamus, & non ab hominibus sed à te probari curemus.

Verba scribarũ & seniorum in Christũ.

Anna interrogatio qualis.

3. Duo à te rogata sunt, ô sapientissime Iesu; alterum de discipulis tuis, alterum de doctrina tua. Discipulos taciturnitate præteriisti, quos pusillanimes & minus fideles factos tunc laudare non poteras, & damnare nolebas. Hoc enim est documentum perfectionis, nemini obloqui, & si aliquem laudare non possimus in silentio nos continere. Sed doctrinam tuam magna cum libertate defendis. Nam eras non minus afflictionibus quàm

Perfectionis documentum.

A hostibus cinctus, sed in media calamitate illa, magna securitate & fortitudine ex vitę sanctitate proueniente dotatus. Respondisti ergo: Ego non in angulis, sed palàm, & corã omnibus loquutus sum mundo. Et quotiescumque se occasio obtulit docui in Synagogis & in templo, vbi omnes indifferenter conueniunt. Et in occulto loquutus sum nihil, ita vt meam doctrinam proferre vetuerim. Eáque est tam integra & pura, vt vel hostes meos, qui me non semel audierunt, in testes meæ veritatis vocare possim, à quibus rogare poteris quid dixerim ego. Hæ sunt, Domine, qualitates veræ doctrinæ, quæ non angulos amat, quæ à nemine audiri metuit, quæ in Ecclesia resonat, quæ ab hoB stibus iure damnari non potest. Da vt hanc semper teneã, & non solùm assensu sed actione cõplectar.

Christi responsum de sua doctrina.

Vera doctrinæ qualitates.

4. Retribuerunt tibi mala pro bonis, ô dulcissime Iesu: nam pro sapientissima & modestissima responsione iniuriam accepisti, ad quam cœlum exhorruit, terra contremuit, & cœtus Angelorum obstupuit. Vnus enim assistens ministrorum armata manu ac totis viribus alapam impegit tibi, qua venerãdam faciem tuam tumefecit, & rubore perfudit, ac os sacrosanctum, quod semper verba vitæ protulit, sanguine cruentauit. Percuteris Dominus à seruo nequissimo, creator à creatura abiectissima, Deus vniuersorum à vermiculo omnium vilissimo. Percuteris crudeliter ab eo qui non tam ira quàm furore excandescebat. Iniustè, quoniam pro C bono responso, & ab eo qui puniendi facultatem non habebat. Contumeliosè, & corã multis astantibus, quoniam te imprudentiæ & audaciæ notabat, dicens: Sic respondes Pontifici? Ac tandem vulneraris plausu & consensione omnium astantium, qui colaphum ratum habentes, manu illius nebulonis alapam suo consensu impegerunt. Vnde posses multo iustius quàm Iob illa proferre verba: Aperuerunt super me ora sua, & exprobrantes percusserunt maxillam meam.] Quis Domine videns te ita percussum & humiliatum non se pedibus omnium obuoluat, & quamcumque contumeliam lætè sustineat.

Christus alapa caditur.

Iob 16. 10.

5. Inauditam iniuriam, & numquam visam audaciam, ô mitis Iesu, patientissima & mollissima responsione repensas. Si malè locutus sum, inquis, testimonium perhibe de malo. Apud iudicem sumus, in cuius conspectu posses me accusare, vt punires, si autem bene & modestè & verè responsi, quid me cædis? Sed dic mihi quæso, Domine, quare in hac iniuria, sicut in aliis non taces? præter consuetudinem quare respondes? Certè vt in verbis tuis tamquam in speculo animę tuæ quies & mansuetudo resplendeat, quam ego iniuria aliqua lęsus teneam, & vt in hac occasione tua patiendi voluntas appareat. Eras enim paratus animo iuxta verbum tuum aliam maxillam percutienti præbere, concors Prophetæ dicenti: Dabit percutienti se maxillam, saturabitur opprobriis.] Vt demum satisfactio tua illum infœlicem corrigat, cupiebas enim illum, qui te tam insigni iniuria affecerat, visceribus tuis amplecti, & ad tuam gratiam admittere. Hæc est disciplinæ Christianæ lex tuis operibus promulgata, vt inimicos diligamus, & mala bonis rępensemus.

Christi mollis & plena patientiæ responsio.

Cur Christus accepto colaphо non tacuerit.

Thren. 3. 30.

Lex disciplinæ Christianæ.

MEDITATIO IX.

De profectione Christi ex Anna ad Caipham.

Matth. 26. à 57. vsque 69.

1. PVnctum. Iam saturatus opprobriis, ô clementissime Domine Iesu, duceris ligatus ab

Marci 14. à 53. vsque 65. Luce 22. à 54. vsque 71. Ioan. 18. 24.

Anna ad Caipham Pontificem, vt non tantùm sapientum iudicio, verùm & Pontificia authoritate damneris. Ligatus vadis non tam funibus quàm amore & desiderio patiendi. Ligatus vadis, sed frustrà, quia non fugies ab eis pro quibus pateris. Ligatus vadis vt ego vbicumque perrexero vinculis charitatis ligatus vadam. In hoc autem itinere nouæ iniuriæ venerunt super te. Aucta est infamia, quia in transitu per mediam ciuitatem sparsa est apud multos, qui strepitum audierunt, & se militibus associarunt tuæ captiuitatis notitia. Pro hac infamia, & pro recentibus ignominiis gratias ago, & immensis laudibus tuam patientiam celebro.

2. Sedebat Caiphas, ô Princeps Angelorum & hominum Iesu, sedebant & alij Principes Sacerdotum, & primores ciuitatis, tu verò vt reus & malefactor ligatus stabas. Illi vt te damnent, & ad mortem pertrahant, formam aliquam iudicij seruare constituunt. Vocant ergo testes, qui aliquid criminis aduersùm te proferant. Sed quos testes? Illos sanè, quos sicut & ipsos iudices, odium & maleuolentia corruperat. Hi licèt ira perciti, licèt odio commoti, licèt à diabolo incitati, nihil quod opponant inueniunt: tanta enim erat lux innocentiæ tuæ, vt nullum falsum crimen obiectum posset ei tenebras sinistræ opinionis offundere. Nisi fortè illorum duorum testium aliqua ratio habenda sit qui affirmabant te dixisse: Possum destruere templum Dei, & post triduum reædificare illud. Tu verò hoc de corpore tuo dixeras, à quo illi vitam erepturi erant, & tu illud suscitaturus. Sed quid si de templo dixisses? An hoc crimen dignum morte fuisset? Profectò, Domine, nemo arguit te de peccato, & diabolus quod tibi imponat non inuenit. Venit ad te princeps mundi huius, & in te non habet quicquam. At tu ab his calumniis non te purgas, non te defendis, sed taces. Sed nihil dicis. Qui inquirebant mala tibi, loquuti sunt vanitates, & dolos tota die meditabantur. Tu verò tamquam surdus non audiebas, & sicut mutus non aperiens os suum. Sic & ego falsò accusatus silentium teneam, & tutamen veritatis tibi relinquam.

3. Pontifex ille iniquus, ô potentissime Iesu, & nomine Pontificis prorsus indignus, nollet te tam profundè silere, sed excusationibus vti, ex quibus te amplius accusandi, & saltē impatientię arguendi ansam arriperet. Vtque verbum aliquod extorqueret, adiurauit te per Deum viuum, vt diceres an tu esses Christus Messias in lege promissus. Hoc autem non vt te crederet, sed vt blasphemiæ & impietatis argueret. Tu verò Domine, qui nomen Patris tui, per quod adiuratus fueras, summa reuerentia prosequebaris, statim abrupto silentio respondisti te esse Christum, tunc quidem, satis humiliatum, post paullulum tamen (quia mille anni ante oculos tuos tamquam dies hesterna, quæ præteriit) ad vniuersos homines iudicandos venturum. Verè credo te esse Christum filium Dei, & de hoc ex totis viscеribus meis tibi gratulor. Fac vt in illo die tuo, quo nos iudicaturus es, misericordiam consequar, & absolutus abscedam. Amen.

4. Obsequium recipis, ô dulcis Iesu, ob veritatem istam quam illis hominibus aperuisti, dignum sanè eorum ingratitudine. Nam Caiphas ac si aliquid contra reuerentiam diuinæ maiestatis audiisset, zelum & tristitiam fingens vestem suam cum magna indignatione conscidit, téque blasphemasse pronuntiauit. Sed quàm difficulter odium absconditur! statim enim exultauit, & præ lætitia occasionis te damnandi (vt sibi videbatur) inuentæ gestiuit, dicens: Quid adhuc egemus testibus, vt iste damnetur? Postea verò personam iudicis exuens, & accusatoris assumens, dixit: Ecce nunc audistis blasphemiam, quid vobis videtur, & sic sententiam mortis tuæ ab illis tamquam à iudicibus extorquere voluit. Non tamen extorsit, sed sponte oblatam audiuit. Illi namque à diabolo in furorem acti vno ore clamauerunt te esse reum mortis. O Deus meus, blasphemus diceris, quasi meram veritatem annuncians aliquid aduersùm teipsum protuleris. Dignus morte iudicaris, cùm tamen vitam nobis daturus veneris. Hę sunt opiniones hominu, quarum nemo prudens vllam rationem habebit.

5. Sed quis posset, ô Rex regum Domine Iesu, cogitatione assequi, quæ & quanta post hos clamores passus es. Tu filius Dei dominus maiestatis, Angelorum & hominum princeps à vilissimis & impurissimis homuncionibus in faciem conspueris, & præ multitudine sputorum & excreationum pæne suffocaris. Deinde velarunt ipsi faciem tuam venerandam, & oculos texerunt, quorum pulchritudine & grauitate ab iniuriis inferendis impediebantur: nam impij nolunt à te videri. Postea colaphis te ceciderunt, id est, pugno, seu clausa manu caput, collum, dorsum, aliasque corporis partes, verberarunt: & alapas in tuam faciem impegerunt, seu fustibus aut bacillis, aut crepidis indignè pulsarunt. Præterea capillos barbámque euulserunt. Tu namque dixisti: Corpus meum dedi percutientibus, & genas meas vellentibus: faciem meam non auerti ab increpantibus & conspuentibus in me.] Tandem verbis irridebant te, dicentes: Prophetiza nobis Christe, quis est qui te percussit, & alia multa nostræ considerationis relicta blasphemantes in te iactabant. O Christe redemtor, quare hæc non supprimuntur silentio? Quare tam sigillatim narrantur? Vt intelligamus quanti tibi constitimus, & vt sciamus ad gloriam tuam pertinere te pro nobis talia passum fuisse, gloriámque nostram esse iniurias & afflictiones pro tuo honore perpeti. Tu qui pro me conspútus es, faciem meam in die discussionis à pudore libera. Tu qui in facie obuelatus es, reuela oculos meos, vt considerem mirabilia de lege tua. Tu, qui pugnis & alapis percussus es, pœnas multiplices pro peccatis meritas à me submoue. Tu qui ornatu capillorum & barbæ spoliatus es, sanctarum cogitationum & piorum affectuum decore me cinge. Tu demum qui tot contumeliis & irrisionibus vexatus es, me seruum fidelem voca, & inter eos qui tibi fideliter seruierunt benignè colloca. Amen.

6. Homicidæ, immo & deicidæ illi nequissimi, si non animo & desiderio, at corpore in tuis iniuriis & contumeliis lassati sunt, ô exemplar omnis patientiæ Iesu, vnde ad quiescendum & dormiendum singuli in suas domos properarunt, te verò quod supererat noctis vel in atrio vel in aula aliqua ligatum ad columnam, & crudelissimis militibus traditum reliquerunt. Illi autem quid non fecerunt, vt te amplius affligerent, & tuam patiētiam exercerent? Impleuerunt te iniuriis & contumeliis, colaphis & alapis, sicut à senioribus didicerant, ceciderūt, & nec ad modicum te quiescere passi sunt. Tu verò, Domine, factus vermis, & non homo, opprobrium hominum, & abiectio plebis, omnia hæc pro me æquanimiter sustinebas, & in satisfactionē mearum deliciarum æterno Patri persoluebas, & absque vlla intermissione pro humano genere orabas. Hoc enim est afflictionū leuamē orationē fundere, & cor ad te cōuenientibus affectibus eleuare.

Christi silentiū inter calumnias imitandum.

Caiphas Christū adiurat.

Christi ad Caipham responsio. Psal. 99. 4.

Christus à Pontifice blasphemus dicitur.

Sententia de Christo lata.

Testes in Christū citantur.

Quanta Christus in domo Caiphæ passus.

Christi corpus templū.

Isaiæ 50. 6.

Ioan. 14. 30.

Quare Christo passa sigillatim narrentur.

Psal. 118. 18.

Quæ Christus passus a militibus in domo Caiphæ.

MEDITATIO X.

De trina negatione Petri.

Matth. 26. 69. vsq; 75. Marci 14. à 66. vsq; 72. Luc. 22. à 55. vsque 62. Ioan. 18. à 15. vsque 8. Qua Petri negationem præcesserint.

1. PVnctum. Hæ afflictiones & mœrores tui, ô piissime Iesu, casu Petri columnæ Ecclesiæ aucti sunt, vt ab omnibus, etiam à discipulis patereris, & dolorem supra dolorem haberes. Petrus, qui priùs cum aliis fugerat, ad semetipsum rediens voluit iterum sequi te. Miserè autem cecidit, non quia te sequebatur, sed quia non vt oportuit te sequebatur. Intepuerat amor eius, & creuerat timor, tepidè & à longè venit post te, oblitus est verborum tuorum, quibus illum te negaturum prædixeras, sibi ipse fidens domum Pontificis ingressus est, ad ministros iniquitatis vana loquentes accessit, inter ipsos sedit, vt ad ignem calefieret. Quid mirum si dum calorem carnis quærit, animæ gratiam & vitam amittat? Accessit ad eum ancilla, & eum ex tuis esse discipulis nouit (elucebat enim in vultu eius modestia, quæ scholam tuam spectabilem faciebat) & agnitus, an esset tuus discipulus interrogauit. Ille verò timore correptus respondit: Mulier, non noui illum. Videbas tu Domine Petrum, & audiebas illum, & dolebas supra quàm dici potest, quòd à capite Apostolorum, quem principem Ecclesiæ feceras, negabaris. Ego autem condoleo tibi, & ne in simile malum cadam, nec mihi fidere, neque per socordiam à longè te sequi, neque malis me associare, neque in occasionibus peccatorum stare constituo.

Petrus timidus 1. Dominũ negat.

2. Exiuit Petrus post negationem istam, ô bone Iesu, foras ante atrium, dicens forsitan intra se: Odiui Ecclesiam malignãtium, & cum impiis non sedebo. Vtinam autem in hoc proposito perstitisset, ne crimen admissum iteralset. At instabilitate victus iterum intrauit, iterum sedit, & à circumsedentibus iterum interrogatus est, an esset ex discipulis tuis. Cùm verò vnus illorum vehementiùs instaret, & se certissimè scire, quia ex illis esset, diceret: ausus est Petrus adhibito iuramento te negare, & quia te numquã nouerat, nec viderat, constanter asserere. O imbecillitas cordis humani! Paulo antè constãtissimè profitebatur Petrus, quia esset tecum, Domine, moriturus; nunc verò pollicitationis oblitus, & inani timore superatus ne aliquid temporalis mali patiatur, animam suam immanis criminis gladio confodit. Hæc imbecillitas non illius tantùm, sed mea est, pone me iuxta te, ne aliquando victus tentationi succumbam.

Petri 2. negatio adiuncto iuramẽto. Cor humanum quã imbecillum.

3. Adhuc Petrus, ô amantissime Domine Iesu, in loco iniquitatis manet, adhuc in palatio principum sponte sedet: nam post vnius horæ spatium ad hac secunda negatione, ibi inuentus est. Astantes iterum rogant, an sit ex tuis discipulis, téque sequutus sit. Quidam illorum ex loquela illum agnoscit, & quia Galilæus esset. Alius affirmat, quia in horto illum tecum vidisset. Hîc iterum Petrus angustatur, & timore cõprimitur, & cœpit se anathematizare, & sibi mala imprecari si nouisset te. Tam iniquus es & pestilens, ô amator innocentiæ & author sanctitatis, quia Petrus discipulus tuus, cuius pedes lauisti, quem corpore tuo cibasti, & caput Ecclesiæ elegisti, crimen existimet nouisse te? O quàm stultum est principiis non obsistere! Nam ex modico casu in profundum malorum sæpe cadimus, & ibi iacentes nostram calamitatem contemnimus. Aperiantur oculi nostri, vt humanam infirmitatem agnoscentes tempestiuè de medio Babylonis fugiamus.

3. Petri negatio cum imprecatione. Principiis obstandum.

4. Respexisti Petrum, ô misericordissime Domine Iesu, non quidem oculis corporis, quia tu intus in conclaui eras, & ille foris, sed oculis cordis, & respectu clementiæ, & immissione gratiæ ad resipiscendum. Monuisti etiam eum galli cantu, antequam ipsum negaturum prædixeras. Illuminasti eum, ô sol iustitiæ, radiis beneuolentiæ tuæ, vt suum miserabilem casum aspiceret. Roborasti eum calore amoris tui, vt è cœno consurgeret. Instimulasti eum zelo honoris tui, & desiderio emendationis suæ, vt occasionem peccati declinaret. Ille autem sic à te tactus & adiutus egressus est foras, domum iniquitatis fugit, in solitudinem se recepit, & fleuit amarè. Respice igitur in me Domine, & miserere mei; tolle à me quicquid ad peccata & imperfectiones trahit, & spiritu compunctionis comple, & da vt in quamcumque miseriam deturbatus numquam de tua misericordia desperem. Amen.

Qualiter Petrus ad pœnitentiam ductus.

Peccandi occasio vitanda.

MEDITATIO XI.

De missione Christi ad Pilatum.

Matth. 27. à 1. vsq; 14. Marc. 15. à 1. vsque 6. Luc. 23. à 1. vsq; ad 6. Ioan. 18. à 2. que

1. PVnctum. Sinamus Petrum, ô patientissime Iesu, crimen suum lugentem, & redeamus ad te dolore casus eius saucium, & tot iniuriis & blasphemiis illius noctis supra modum afflictum. Transacta nocte luxit dies ardentissimè à te desiderata, in qua eras nostram redemtionem perfecturus. Iterum ergo Principibus & senioribus Iudæorum congregatis, iterum an sis Christus interrogaris, iterúmque veritatem, vt auxilia ad resipiscendum præbeas, respondis. Illi verò obturauerunt aures suas ne audirent verum, & obduruerunt cordibus suis ne recordarentur iudiciorum iustorum. Putantésque se iam habere vnde te apud Pilatum præsidem accusarent, in eius domum te deduxerunt. Volebant enim te nõ quocumque mortis genere, sed morte crucis turpissima (quam ipsi prohibentibus Romanis dare non poterant) è viuis auferre. Ideo te ad gentilem præsidem ducunt: tu verò ita disponis, vt à Iudæis simul & gentibus, pro quibus passurus eras, crudeli morte damneris. Hæc est enim infinita bonitas tua, vt ab omnibus mala recipiens in omnes bonum redemtionis effundas. Ducebaris autem præpropere, violenter, irreuerenter, & per vicos & compita iniquus & hypocrita prædicabaris. Audiebas tu contumelias istas, & vt gemmas pretiosas conseruabas in mitissimo corde tuo, vt eas Patri in remissionem nostrarum iniquitatum, & præsertim irreuerentiarum offerres.

Iudæorũ impium desiderium.

Christi bonitas infinita.

2. Sed antequam ad alia transeamus, ô agne mitissime Iesu, quis non obstupescat in consideratione euentus, lupi illius (Iudam proditorem significo) qui immaniter te discerpsit. Agnouit ille te Iudæorum cõsilio ad mortem fuisse damnatum; & qui à diabolo seductus grauissimum crimen admisit, de eo malè pœnituit. Facinoris sui dolorem quidem concepit, sed apud Sacerdotes impios qui eum reiecerunt ac contemserunt, propalauit; & partim ex duritia illorum, partim ex malæ conscientiæ verme, & partim ex possessione pretij pro te accepti (quod malè amauerat, & quo vehementer tortus est) in desperationem actus argentum à quo torquebatur, proiecit, & abiens laqueo se suspendit. Impletáque est in illo prædictio S. Iob: Reuelabunt cœli iniquitatem eius, & terra consurget aduersùs eum. Apertum erit germen domus illius

Iudæ proditoris exitus.

Iob 20. 28. Iobi vaticinium de Iuda.

illius (ac omnibus patebit ex quanta iniquitate pecunias corrasit) detrahetur in die furoris Dei. Hæc est pars huius hominis impij à Deo,& hæreditas verborum eius à Domino.] Sed quid,ô Domine, ex pretio sanguinis tui proiecto à Iuda in templo factum est? Certè impiis sacerdotibus vtile non fuit, qui beneficio passionis tuæ vti noluerunt, sed in sepulturam pro requie peregrinorum emtam conuersum. Quia videlicet sanguine tuo pretioso emta est æterna requies eorum qui aduenæ & peregrini sunt super terram. O vtinam vt peregrinus sim ego, & ab amore omnium visibilium elongatus,vt in loco æternæ fœlicitatis à te emto quiescam, & pretio tui sanguinis fruar. Sed iam iniquo isto relicto ad te, ô Domine,redeamus.

Quid de pretio Christi factum.

3. Venerunt illi principes & seniores & reliqui, qui te ducebant, ô innocentissime agne Iesu, in prætorium, seu Pilati præsidis domum, & præ foribus substiterunt, ne ingressu domus Ethnici hominis, quam immundam putabant, aliquam immunditiam contraherent, ne possent Pascha celebrare. Timent illi (quod multis nunc euenit) ne modica immunditia inquinentur,& minimè timẽt ne morte iusti turpentur: duces cæci, excolantes culicem, camelum autem glutientes. Exiuit ergo Pilatus ad eos,& videns te vinctum, pallidũ, barba & capillis incomtum,luto ac puluere aspersum, despexit te,& indignabundus interrogauit:Quam accusationem affertis aduersùs hominem istum? Licèt enim satis appareat ex miseria eius,ex grauitate vestra,& ex solemni die, in quo eum comprehendistis,eum esse nequissimum,tamen ius exigit vt accusationem audiam, vt iuxta delicti qualitatem sit & plagarum modus. Quid illi dicunt, ô Domine? Vnde accusationem ordiuntur? Immo accusare nolunt, sed in re tam graui suæ authoritati credi volunt. Si non,inquiunt,esset hic malefactor (& signabant te) non tibi, ô Pilate, tradidissemus eum. Adeò quidem iusti sumus, vt credendum sit hunc hominem non adducturos nisi multa digna morte patrasset.Excæcauit eos odium & furor, ita vt veræ legis Doctores fuerint ab Ethnico homine corrigendi. Si hic, inquit,ex sententia vestra malefactor est,accipite eum,& secundùm legem vestram iudicate,& damnate eum. Nos enim non consueuimus contra inauditam partem sententiam ferre. Qua responsione coacti sunt te sigillatim accusare.

Pharisæorum & Scribarũ mores. Matth. 23.24.

Pilati interrogatio.

Verba Iudæorum ad Pilatum.

4. Sed de quibus te accusarunt,ô Iesu princeps pacis? Hunc, inquiunt, inuenimus subuertentem gentem nostram,& prohibentem tributa dari Cæsari,& dicentem se Christum regem esse. Tria tibi crimina imponunt. Primum quòd rempublicam turbes: cùm tamen omnibus notum esset,te nihil omnino de ratione status illius reipublicæ fuisse loquutum, sed homines ad pœnitentiam, ad vitæ sanctitatem quærendam,& cõcordiam seruandam fuisse exhortatum. Secundum quòd tributa pendi prohibeas. Et tamen audierant te dicentem, quia oportebat dari Cæsari quod erat Cęsaris. Tertium, quòd te regem facias:at multitudo multorum millium hominum testificari poterat, quoniam expetitus ad regnum fugeris,& regem fieri & acclamari detractaueris. Hęc falsa testimonia audis,& mansuetissimè taces, quia tunc erat tempus tacendi & patiendi, & vt me tacere in obmurmurationibus & pati doceres. Tu,ô Princeps pacis, qui omnia ad pacem componis, pacifica me. Tu,ô author iustitiæ,qui venisti non iniuriam facere, sed omnem iustitiam implere, iustifica me. Tu,ô magister humilitatis,qui fastum sæculi huius respuisti, ab ambitione mundi,& desiderio vani honoris auoca me.

Tria Christo crimina imposita.

Christus interfalsa testimonia tacet.

5. Post hanc accusationem, ô supreme Princeps Iesu, à Pilato in locum iudicij introduceris, & vt reus delatorum criminum examinaris. Relictis autem duobus primis aut tamquam leuioribus, aut velut de quorum falsitate constabat, de tertio interrogaris, quod ad præsidem Romanorum maximè pertinebat,an rex esses,& ad regnum illius reipublicæ ius aliquod haberes. Tu verò Domine, qui in tanta afflictione constitutus cor regium, & animum Dei filio dignum non deposueras,mira respondes. Primum:A temetipso,inquis, hoc dicis,an alij tibi dixerunt de me. Ac si diceres: An in tanta humilitate,& vestium ac morum modestia,vides aliquid, ô Pilate,quod Principum huius sæculi superbiam redoleat? Nihil certè in te erat, ô bone Iesu, quod elationem & fastum saperet; vt tui in quocumque statu etiam sublimi collocati magis ad modestiam & signa humilitatis accedant. Deinde cùm ille diceret,se ab aliis audiuisse, secundum adiungis, Regnum videlicet tuum non esse de hoc mundo, id est,non esse caducum, temporale & fragile,sed esse regnum æternũ,quod nulla potest aduersitate mutari. Et quia mundani homines hoc regnum nesciunt, & te regem non habent, ideo non pugnant pro te si hoc ita est, in hoc mundanorum regno nihil expecto,in illo autem cœlesti regno tuo misericordiam à te postulo, & vt seruus tuus pro gloria tua laborare & decertare constituo. Pilato autem colligente te alicuius regni regem esse, tertium asserit, nimirum te esse regem. Assentior Domine, verè Rex es tu,Rex regum,& Dominus dominantium. Et regnum tuum in æternum non dissipabitur, & alteri populo non tradetur. Comminuet autem, & consumet vniuersa regna,& ipsum stabit in æternum. Quartum proponis, te in hoc natum esse,& ad hoc venisse, vt testimonium perhiberes veritati, id est,vt veritatem absque vlla admixtione falsitatis doceres, & eam verissimis miraculis confirmares. Quintò tandem concludis, omnes amatores veritatis audire vocem tuam, ac secundùm quod tu præcipis vitam instituere. Non erat Pilatus ex veritate, & ideo proposita quæstione, quidnam esset veritas, responsionem fastidiens, & discere nolens te Dominum reliquit, & ad Iudæos expectantes exiuit. Ego autem qui amator veritatis esse volo, ad pedes tuos humiliter sedeo, & notitiam veritatis sitiens expecto: veritatis illius, quam tu doces,quæ animam meam saluet,& omni impuritate liberet.

Pilatus Christũ interrogat.

Nihil in Christo elationẽ sapiebat.

Christi regnum æternũ.

Dan. 2. 44. Christus Rex regum.

Christus ad veritatem docendam venit. Christũ audiunt, qui veritatem amant.

6. Tanta fuit, ô sanctissime Iesu, sapientia, & modestia, & simplicitas responsionis tuæ,vt ex ea Pilatus tuam innocentiã animaduerterit, & eguerit sus ad accusatores tuos eam palàm edixerit. Nullam (ait) inuenio caussam in homine isto propter quam eum iure damnare debeam. Quid facerent Iudæi audientes tam illustre testimonium innocentiæ tuæ,& videntes iudicem in aduocatum ac patronum commutatum? In multis te accusabant, & grauissima flagitia tibi imponebant. E contra Pilatus te ad iustam defensionem prouocabat, dicens: Non respondes quicquam? Vide in quantis te accusant? cupiens sine dubio te liberare.At tu siles Domine, & omnino taces, ita vt miraretur preces vehementer.Et meritò profectò miratus es. Nam de rebus magni momenti accusabaris à personis magnæ authoritatis, eo fine vt ad mortem damnareris. Tu verò silentium eligis, vt honoris contemtorem te ostendas, & vitam pro nostra salute

Pilatus Christi innocentiam agnoscit.

Pilatus Christũ liberare volebat. Christi filẽtium Pilato admirationem parit.

lute profundas. Hoc ſilentium eligo ad imitationem tui, volóque non me excuſare, ſed bonam opinionem, & alia quæ in bonis computantur, tuæ prouidentiæ committere.

MEDITATIO XII.

De tranſmiſsione Chriſti à Pilato ad Herodem.

1. PVnctum. Iam, ô colendiſſime Domine Ieſu, alia tibi grauior & acerbior paratur iniuria. Tranſieras tu à Galilæa in Iudæam benefaciendo & ſanando omnes oppreſſos à diabolo; ſed prædicationem tuam & miracula tua Iudæi in malum interpretantes, accuſant te quòd à Galilæa vſque ad Iudæam gentem commoueris, atque turbaueris. Audiens autem Pilatus Galilæam, putánſque te de ditione Herodis eſſe, illius Prouincię tetrarchæ, qui & illis diebus Hieroſolymis erat, miſit te ad illum, ne manus ſuas innocentiſſimo ſanguine tuo fœdaret, & ſe moleſtia Iudæorum eximeret. A barbaris ergo militibus per mediam vrbem raptaris, & coram omni populo, qui ad negotia ſua ad vicos & plateas exierat, nouis iniuriis & opprobriis afficeris, & noua infamia, & ſordibus ſiniſtræ de te conceptæ opinionis aſpergeris. Imitarer ego te, & pro meo modulo huic tuæ afflictioni reſpóderem, ſi me à prælatis huc illúcque nunc ad abiecta, nunc ad laborioſa miniſteria duci ſinerem.

Act. 10. 38. Luc. 23. à 6. vſque 12. Matth. 27. à v. 11. vſque 15. Marc. 15. à 1. vſque 8. Ioan. 18. à 28. vſque 38. Chriſtus multis iniuriis afficitur.

2. Gauiſus eſt admodum Herodes cùm te præſentem videret in conſpectu ſuo, ô dulciſſime Ieſu, non quia te diligebat, aut ſuſpiciebat, ſed quia ex vana curioſitate aliqua ſigna à te apud ſe facta videre cupiebat. Forſitan te vt incantatorem aut Magiæ profeſſorem excepit, & ſine dubio multis te ſermonibus interrogauit, vt aliquid mirum & inſolitum aſpiceret. Interim principes Sacerdotũ, quorum erat miſeros tueri, conſtanter accuſabant te, & grauiſſimorum criminum patratorem aſtruebant. Tu verò Domine omnino ſiluiſti, neque Herodi aliquod verbum reſpondiſti, nèque te ab obiectis excuſaſti. Illum impurum regem non alloqueris, quoniam cum ſimplicibus & mundis, non cum adulteris & impudicis ſermocinatio tua. Illi non reſpõdes, quia non ad curioſa & ſubtilia quærentes, ſed ad humiles voluntem tuam vt eam impleant ſcire cupientes reuelatio tua. Non te excuſas, quia mori pro nobis voluiſti, & ſuſtinentiam docere ſtatuiſti, vt ſectatores tui etiam cùm accuſamur, taciturnitatem profiteamur, niſi in aliquo euentu lex tua & gloria tua aliud à nobis requirat.

Lætatur Herodes viſo Chriſto.

Quare Chriſtus coràm Herode ſiluerit.

3. Hæc taciturnitas tua, ô patientiſſime Ieſu, potens erat oculos iniqui regis aperire, vt non ſolùm tuam innocentiam, ſed etiam tuam dignitatem & maieſtatem ex parte cognoſceret. E contra verò accidit ob malitiam eius: nam tanta luce cæcatus eſt. Putauit te eſſe ſtultum, & emotæ mentis hominem, qui te nullo verbo defenderis, qui aliquo ſigno eius auxilium non imploraueris, qui ex inſipientia, & non ex ambitione rex acclamari volueris. Vt autem tibi illuderet, veſtem candidam induit, Imperatorum inſigne; & ſic veſtitum ad Pilatum remiſit. Antequam domum eius egrederis, multipliciter illuſus es ab aulicis & exercitu eius. Per vicos & plateas irriſiones & ſannæ ab his qui te vinctum ducebant, & à prætereuntibus & obuiam venientibus continuatæ ſunt, & poſt aduentum ad domum Pilati à militibus eius non omiſſæ. Pater quidem æternus in hac veſte candida innocentiam tuam ſignificare diſpoſuit. At ſatellites illi non intelligentes ſtultum reputarũt te verbum Patris, & ſapientiæ ipſi irreuerenter illuſerũt. Quid iudicia hominum formidamus, quid honorem diligimus, quid contemni & ſtulti haberi ab ſtultis pertimeſcimus? Satius eſſet ad tuas partes tranſire Domine, & pro ſtultiſſimis vulgi opinionibus, in nullo à tua voluntate diſcedere.

Chriſtus veſte cãdida indutus.

Veſtis candida Chriſti innocentiam figurabat. Hominũ iudicia temnenda.

4. Tandem huius vrbanitatis cauſſa, qua Pilatus te, ô bone Ieſu, ad Herodem miſit, ambo facti ſunt amici, cùm antea inimici eſſent ab inuicem. Aſtiterunt enim reges, & principes conuenerunt in vnum aduerſùs Dominũ, & aduerſùs Chriſtum eius. Illi conueniunt vt tibi iniurias inferant, téque perdant: cur non conſpirabunt ſerui tui aduerſùs diabolum, vt tuam gloriam quærant, & totũ mundum tibi ſubiiciant.

Pſal. 2. 2 Pilatus & Herodes ad amicitiã redeunt.

MEDITATIO XIII.

De reditu Chriſti ad Pilatum, & prælatione Barabbæ.

1. PVnctum. Regreſſus es, ô puriſſime Ieſu, ab Herode ad Pilatum, qui in ſua ſententia perſiſtens appoſuit cor ſuum vt liberaret te. Iterum ergo innocentiam tuam coram Iudæis profeſſus eſt. Ecce, inquit, ego coram vobis interrogãs nullam cauſſam inueni in homine iſto, ex his in quibus eum accuſatis. Quin & Herodis iudicio idem omnino ſentientis ſuam ſententiã confirmat. Nam remiſi, inquit, vos ad illum: & ecce nihil dignum morte actum eſt ei. Si in ore duorum aut trium teſtium ſtat omne verbum, duo teſtes omni exceptione maiores ego & Herodes ſatis ſimus vobis, vt hunc tamquam innocentem dimitti patiamini. Quòd ſi in aliquo exceſſit, emendatus & punitus dimittendus eſt. Verè iuſtus es Domine: nam cùm à tot iudicibus ſit in tuam vitam inquiſitum, nihil in te inuentum eſt quod mortem aut vincula mereretur. Ego autem membrum tuum ſum, ne quæſo permittas diſcordare à te, ſed ita viuam, vt hoſtes mei nihil in me morte dignum inueniant. Sed iam huius iniqui iudicis Pilati iniuſtitia ſe prodit. Si enim nihil omnino culpæ in te inuenit, quid corripere & emendare decernit? Sed inſpiciebat te Dominum meum vt hominem deſpicabilem. Voluítque cum aliqua iniuria tua, cuius ſatisfactionem nullus petiturus erat, ora canum illorum latrantium obturare.

Matth. 27. 15. vſque 22. Marc. 15. 7. vſque 12. Luc. 23. 17. vſque 24. Ioan. 18. 30. vſque 40. Verba Pilati ad Chriſti accuſatores.

Pilati iniuſtitia.

2. Poſt hoc Pilati conſilium corripiendi te, ô mitiſſime Ieſu, ſubit animam eius ſalubrior cogitatio ſine aliqua correctione dimittendi te. Cúmque eſſet conſuetudo illius gentis Romanorũ decreto firmata, vt præſes ad poſtulationem plebis vnum flagitioſum ex vinctis in Paſcha dimitteret, hanc occaſionem nactus latronem inſignem nomine Barabbam, qui in ſeditione homicidium fecerat, omnibus formidabilem & exoſum, ac te in medium protulit, dicens: Quem vultis dimittam vobis, Barabbam, an Ieſum, qui dicitur Chriſtus? Itaque iam cum homine omnium flagitioſiſſimo & reipublicæ exitioſiſſimo in certamen adduceris, & illi in delictis genti illatis coæquaris; quæ maior ignominia poteſt excogitari? Et in tantam pro me deueniſti calamitatem, vt hæc collatio lucis & tenebrarum, Chriſti & Belial, apta ad te liberandum videretur. Sed in hoc facto aliqua iam ſpes ſalutis Iudæorum elucet. Appoſuit eis Pilatus aquam & ignem, vt ad quod voluerint porrigerent

Populi Iudaici mos.

Chriſtus Barabbæ comparatur.

manus

manus suas. Ante eos vita & mors, bonum & malum, quod placuerit eis dabitur illis. Quis dubitaret quia te aquam mundissimam, vitam & bonum essent præelecturi, & ignem illum impurissimi hominis sua omnia votantis & mortem & malum essent procul ablegaturi?

3. Populus ille licèt nequissimus, ô fons omnis sanctitatis Iesu, citra dubium te nunc de damnatione mortis eriperet, si liberè suffragium tulisset. At sacerdotes & primores Iudæorum in multitudinem effusi tanta flagitia de te sparserunt, tanta dixerunt, vt eam aduersùs innocentiam tuam grauissimè concitarent. Est enim potentissimus improbus homo, si aliis præficiatur, ad decipiendum & perdendum illos. Populus ergo à capitibus quæ eum erant docturi deceptus, & in rabiem actus mortem vitæ prætulit, & nebulonem nequissimum tibi suo redemtori præposuit, valentérque clamauit: Tolle hunc, & dimitte nobis Barabbam. O agne sanctissime, qui tollis peccata mundi, nequior nequissimo existimaris, in hac petitione tu sapientia ab stultitia superaris, & nocentior latrone & seditioso & homicida censeris. Quis iam hominum iudicia tam stulta non irrideat? Quis non mundum hunc ita delirantem contemnat? Habet plurimos Barabbas, qui ipsum tueantur, tu neminem habes, qui te defendat. Magna est humiliatio tua, quam pro me sustines, incomparabilis afflictio tua. Sed hæc consolabitur me in humiliatione & afflictione mea. Æquum enim est vt non sit discipulus super magistrum, & vt æquo animo se contemni, & infimis quoque postponi sustineat.

4. Hic, ô piissime Domine Iesu, bonum animum Pilati quamuis imperfectum liberandi te, miro quodam euentu suffulcis. Vxor enim huius præsidis nocte illa à bono Angelo, aut ab ipso dæmone in somniis & apparitionibus territa, nuntium misit ad eum qui diceret: Ne te immisceas negotiis iusti huius, nam multa sum passa hodie per visum propter eum. Ab omnibus iustus vocaris, & ab omnibus vt iniustus morte dãnaris: quia vltio iniquitatum mearum venit super te. Fortè nuntius his excitauit Pilatum, vt vehementiùs conaretur pro tua Domine liberatione certare? Cùm ergo Iudæi Barabbam elegissent, ô clementissime Iesu, dixit Pilatus: Quid ergo faciam de Iesu, qui dicitur Christus? O stulte! Populum odio concitatum in consilium aduocas, aut iudicem facis? Dicam ego tibi, quid facies de Iesu. Procumbe ad pedes illius, & adora eum. Salus hominum est, remissionem iniquitatum tuarum pete ab eo. Vnctus Patris est, vnctionem gratiæ efflagita ab eo. Rex Iudæorum est vt te beatum faciat, confitere eum. At tu populum stultum consiliariũ adhibes? Quid audies? Clamat populus: Crucifige, crucifige eum. O gens iniqua omni folio leuior, omni vento mutabilior, nónne paucis antè diebus regem illum acclamastis? nónne Saluatorem prædicastis? nónne vt Messiam vestrum tantis sæculis desideratum excepistis? Quomodo nunc ad crucem mortémque deposcitis? Verè digni estis, qui ab homine sapiento rideamini. Iterum ô Domine à præside innocens diceris. Quid, inquit, hic mali fecit? At gens tua vehementiùs clamat vt crucifigaris. Hæ voces affligebant & angustabant te;
pro quibus gratum habeo vt
in æternum lauderis.
Amen.

Populi Iudaici stulta petitio.

Nuncius Pilato ab vxore mittitur.

Pilati stultitia.

Iudæorũ leuitas summa.

MEDITATIO XIV.

De flagellatione Christi.

1. PVnctum. His clamoribus populi, ô omni reuerentia dignissime Domine Iesu, victus est Pilatus, téque si non cruci affigere, at verberare constituit, vt sic saltem ex parte furori populi satisfaceret. Sententiam ergo tulit vt flagris crudeliter cædereris; sic enim necessarium ei visum est ad concitatam aduersùs te plebem quoquomodò placandam. Quis autem huius sententiæ iniquitatem ponderare valeat? Supplicium nocentibus, nõ innocentibus & iustis infertur. Tu autem ore omnium, & opinione ipsius præsidis iustus vocatus, ad supplicium destinaris. Deinde crimina etiam æqualia in disparibus hominibus non eodem supplicio mulctantur. Aliæ enim sunt pœnæ seruorum, aliæ verò ingenuorum hominum iure ipso decretæ. Tu autem Rex æterne secũdùm naturam humanam ab illustrissimis regibus & viris primoribus genitus, & natus ex clara stirpe Dauid vilissimorum mancipiorum verberationi subiiceris. Tandem apud imperitum vulgus magnam incurris infamiam: nam videns te nunc quidem Barabbę postpositum, & statim flagris adiudicatum, te nequiorem grassatore, & nocentiorem reputabunt. Non latuit te iniquitas manifesta sententiæ, at nec appellasti Cæsarem, neque aliquod verbum querimoniæ protulisti, immo eam eximio amore complexus es, dicens ad Patrem: Quoniam ego in flagella paratus sum, & dolor meus hic quem passurus sum, vt res mihi gratissima in conspectu meo semper.]

Matth. 27. 26. Marc. 15. 15.

Quàm iniqua P. lati sententia de Christo flagellando.

Aliæ pœnæ nobilitũ, aliæ ignobilium.

Quãtam Christus infamiã subierit.

Psal. 37. 18.

2. Iudicij huius iniquissimi exequutio, ô amantissime Domine Iesu, non differtur. Sed statim à prætorianis militibus in aulam fortè ad verberationem facinorosorum destinatam duceris. Ibi, ô Virgo purissime, & iuuenis pudicissime, coram multitudine astante nudaris, & aspectui oculorum impurissimorum exponeris. Nudatus brachiis in altum erectis ad columnam ligaris, vt absque vllo impedimento toto corpore vulnereris. O quantus fuit pudor tuus, & cõfusio tua in oculis omnium te nudum apparere! O quantus dolor manibus & pedibus ad petram ligari! Et quidem superflua erant vincula funium, quando arctiùs vinciebant catenæ amorum nostrorum. Nudaris tamen vt ego te nudum aspiciens veterem hominem exuam, & stolam gratiæ, hac nuditate à te comparatam induam. Ligaris ad palum, vt ego à vinculis peccatorum expediar, & abnegationis catena deuinciar. Ita nudus & vestitus, ligatus & expeditus fructu huius tuæ infamiæ & doloris afficiar.

Christus nudatur à carnificibus.

Quantus Christi pudor & dolor.

Cur Christus nudetur, alligetur.

3. Nudus & ad columnam ligatus, ô sponse suauissime animarum Iesu, toto corpore primùm virgis, deinde nodosis funibus, tandem ferreis catenulis flagellaris. Sed in quem modum flagellaris? Lege sanè cautum erat, ne alicui vltra quadraginta verbera infligerentur, ne fœdè, inquit, laceratus ante oculos tuos abeat frater tuus. At prætorij milites hac lege minimè tenebantur, quare vt voluntati præsidis satisfieret, qui flagris tuis, & afflictione tua populum ad commiserationem flecti volebat, sine vlla mensura dilacerarunt sacrũ corpus tuum. Quibusdam enim animabus piis cœlitus reuelatum esse dicitur, te ad quinque millia quadringenta quadraginta sex verbera suscepisse. Nec mirum hoc mihi est de charitate tua, & de crudelitate hostium tuorum. Satisfaciebas namque pro

Quibus instrumẽtis Christus cæsus.

Deut. 25. 3.

Numerus verberum Christi.

in numera multitudine peccatorum noſtrorum: & à legione militum, quorum ſinguli ſaltem ſemel damnatum cædebant, pro eorum libitu vulnera ſuſtinebas: ad id quoque cædebaris vt cruci ſuffixus omni ex parte dilaniatus ſpectantium oculis appareres. Quomodo ergo cogitabo te, quī à Dauide dictus es ſpecioſus forma præ filiis hominū? Non quidem ſpecioſum, ſed liuidum, ſed cute ipſa nudatum, ſed dilaceratum, ſed ſanguine madidum, ſed in ſummo angore & afflictione conſtitutum. Vidimus te, & non erat aſpectus, & deſiderauimus te, vt ſcilicet ex aſpectu & decore deſideraremus te. Vidimus te deſpectum, & nouiſſimum virorum, virum dolorum, & ſcientem infirmitatem, & quaſi abſconditus vultus tuus & deſpectus, vnde nec reputauimus te. Sed quid mirum? Nam verè languores noſtros ipſe tuliſti, & dolores noſtros ipſe portaſti; & nos putauimus te quaſi leproſum & percuſſum à Deo, & humiliatum. Ipſe vulneratus es propter iniquitates noſtras, & attritus propter ſcelera noſtra: diſciplina pacis noſtræ ſuper te & liuore tuo ſanati ſumus. Pro hac ſanitate animarum noſtrarum à tuis vulneribus & ſanguine profluente laudo millies & benedico te; ſed præ pudore non audeo faciem leuare ad te. Non enim tam milites quàm peccata mea & flagitia te cædunt; non tam flagella quàm delitiæ à me contra tuam legem admiſſæ tuam carnem dilacerant; non tam ſenſibilis dolor ex verberibus procedens quàm triſtitia ex mea duritie & ingratitudine proueniens te diſcruciat. Iam de cætero meos exceſſus deſeram, & vitæ meæ emendationem aſſumam, vt fructus huius immenſæ afflictionis tuæ particeps fiam.

4. Illud autem vehementer cupio, ô manſuetiſſime Ieſu, vt mihi daretur facultas ingrediendi ad inſpiciendum cor tuū. Quinam erant affectus eius, cùm tam immaniter cædebaris. Dediſti non ſolùm corpus, ſed etiam cor ſanctiſſimum tuum vt adamantem & ſilicem ad ſuſtinendū. Nullus motus, nullus geſtus oris fuit in te, quod ſanctam maieſtatem tuam, & inuictam fortitudinem tuam minus deceret. Nulla vox, nulla querimonia, nullus vlulatus vmquam inſonuit. Cor amoris plenum ictus illos terribiles amanter ſuſcepit; Patri non tantùm pro peccatis omnium generaliter, ſed pro quibuſque ſigillatim, & pro meis, quæ tibi præſentiſſima erant, obtulit, numquam verberibus ſatiatum eſt, ſed plura ac terribiliora concupiuit. Defecerunt tortorum vires, & laſſatæ ſunt, tibi tamen cor ad patiendum non defuit, vt iuſtitia ſuperabundantiſſimè ſatisfacta pro criminibus meis, vlterius meam damnationem non requirat.

5. Diriſſimè flagellato corpore tuo, ô dulciſſime Ieſu, à columna ſolutus es, & præ imbecillitate prolapſus in terram. Nam ita eras fractus & exhauſtus præ multitudine verberum, & effuſione ſanguinis, & acerbitate doloris, vt pedibus inſiſtere minimè poſſes. Contemplantur te animæ iuſtæ in pauimento reptantem, ſanguinem corpore ipſo verrentem, & ſparſas veſtes hincinde colligentem. Multi aderant, qui te reſpicerent, qui te deſpicerent, qui nulla erga te miſericordia mouerentur, nemo tamen qui te iuuaret. Te nunc iuuat ille, ô Domine, qui ſeipſum membrum vtique tuum virtutibus induit, qui ex doloribus tuis compaſſione tangitur, & proximos ſuos verbo & exemplo ad tui imitationem adducit.

Pſal. 44. 3. *Qualiter Chriſtus meditandus.* *Iſaiæ 53. 2.*

Chriſtus lāguores noſtros ſuſtinuit.

Quā Chriſtū cædebāt, flagellabant.

Qualiter ſe Chriſtus, dum caderetur, geſſerit.

Chriſtus in terrā cadit.

Piarum animarū meditatio.

MEDITATIO XV.

De coronatione Chriſti.

1. PVnctum. Nunc, ô omni amore digniſſime Domine Ieſu, meditabor in omnibus operibus tuis, vel in reliquis paſſionibus tuis, quibus in domo Pilati afflictus es, & adinuentionibus tuis exercebor. Nam quæ ſequuntur licèt inſtinctu diaboli à militibus inuenta ſunt, vt tibi illuderent, à te tamen acceptata ſunt, vt nouis adinuentionibus dolorum & ignominiarum ſubiicereris. Milites ergo qui flagellauerunt te, interim dum Pilatus aliis intendit, voluerūt oblectari ſeipſos cum ignominia & afflictione tua. Conuocauerúntque totā cohortem, vt omnes ſimul aduersùs te tamquam aduersùs hominem miſerū & derelictum & omni pœna dignum conſpirarent. Quod enim faciunt iniqui modò in membra tua, vt ea perſequutionibus frangant, ab eo tempore iniceperit, quo hi ſimul conuenerunt, vt nouis doloribus & ignominiis te replerent. Vtinam Domine in honorem tuum, atque in odium iniquitatis iſtorū, ad virtutem tuendam atque ſectandam iuſti conſpirent.

2. Congregatis omnibus, ô venerande Ieſu, in locum prætorij ſuis conatibus aptum, eas iniurias paſſus es, quarum tu ſolus es cognitor, quáſque Euangeliſtæ tui generatim expoſuerunt: gratias igitur immenſas tibi ago pro ſecunda & noua nudatione tua. Nam milites, veſtibus tuis, quas paulo antè poſt flagellationem indueras, nudauerunt te. Quomodo autem nudauerunt? Non minus quidem irreuerenter quàm priùs, nec minus præpropere & crudeliter, ita vt ſimul cum tunica inconſutili vulneribus adhærente cutem detraherent, & plagas ac effuſionem ſanguinis renouarent. Apparuiſti itaque iterum oculis omnium ſpectātium nudus, immo ſanguine & plagis indutus, & quaſi leproſus factus, vt lepram meorum peccatorū ſanares. Per hanc nuditatem tuā, ſpolia me ab omni eo, quod tibi diſplicet, aufer à me amorem ſæculi, & medicamento ſanguinis tui remedium adhibe iniquitatibus meis.

3. Gratias immenſas iterum & millies tibi ago, ô ſponſe animarum Ieſu ſanctiſſime, quia poſt hāc nuditatē, chlamydem coccineam ſiue purpuream, veſtem vtique regiam milites circumdederunt te. Chlamydem, inquam, ob vetuſtatem abiectam, detritam, ſordidam, diſciſſam. Non enim ea induebaris, vt honorareris, & rex verus adorareris, ſed vt rex falſus irridereris, & ludibrio ab omnibus habereris. O Rex verè purpura charitatis indute, per hoc ludibrium quod paſſus es, da mihi te verum Dominum & Regem omnium agnoſcere, & inſignibus tui amoris circumdari. A domo Herodis candida veſte indutus veniſti, nunc rubeo veſtimento circumdaris, vt intelligam te eſſe ſponſum animæ de quo dictum eſt: Quia candidus es & rubicundus, electus ex millibus. Tu innocentiam & feruorem tribue mihi, vt te ſuper omnia amore proſequar, & me ad aliquid pro te patiendum accingam.

4. Gratias immenſas tibi ago, ô Rex æterne Ieſu, quia veſte purpurea circumdatus in tribunali, quod erat in atrio prætorij ſedere iuſſus es, vt hoc nouo irriſionis genere illudereris, & quaſi rex per iocum à pueris factus prædicareris. Sic etiam in ſede collocatus aptior inueniebaris, vt factas deinceps contumelias ſuſtineres. Sedebo ego pro amore tui in puluere, &. in honorem huius illuſionis

Pſal. 76. 13. Matth. 27. à 2. vſq; 32. Marc. 15. à 16. vſque 19. Ioan. 19. à 1. vſque ad 3.

Milites in Chriſtum conſpirant.

Chriſtus ſecundò veſtibus exuitur. Crudelitas militum.

Qualis Chriſtus apparuit.

Chriſtus ad ludibriū veſte purpurea indutus.

Chriſtus ſponſus candidus & rubicundus.

Chriſtus in tribunali ſedere iuſſus.

tionis tuæ in infimo loco (quoad potero) me collocabo, & dignitates huius sæculi contemtui habebo.

5. Gratias immensas tibi ago, ô imperator hominum & Angelorum Iesu, quia corona non ex auro & gemmis affabre facta, sed ex iuncis spinas non digito breuiores habentibus coronatus es. Hanc coronam hastarum ictibus sacro capiti tuo infigunt, quæ aculeis suis, frontem & tempora & cranium lancinauit, & venerandam faciem tuam ac totam cæsariem sanguine fœdauit. O quantus dolor caput membrum præcipuum & delicatissimum septuaginta duabus spinis perforare! Sed ô quanta ignominia! Nam si corona est deorum, & regum & imperatorum de hostibus triumphantiũ insigne, indicare voluerũt illi te falsum esse Deum, & fictum regem, & triumphum, quo in die Palmarum Hierosolymam ingressus es, fuisse ridiculum. Spinæ istæ, ô amator Iesu, peccata mea sunt quæ venerandum tuum caput penetrant atque cruentant, ex toto corde meo illa detestor. His spinis coronam gloriæ & exultationis merearis mihi; spinas igitur tribulationũ & dolorũ sponte complector. Non facile amoueri potest à capite tuo corona hæc ex quo regnum tuum non mutabile perinde ac regna mundi, sed æternum esse profiteor. Egredimini, ô animæ sanctæ à vobismetipsis, & à cura omnium rerum humanarum, & videte filiæ Sion regem vestrum Salomonem pacificum, in diademate quo coronauit illum mater sua Synagoga, in die desponsationis illius qua vos in sponsas accepit, & in die lætitiæ cordis eius, qua exultauit, quia pro vobis tot mala pertulit. Videte, inquam, illum, & cõsiderate in hac gloria regis vestri, quam gloriam in hoc mundo debeatis amare.

6. Gratias immensas ago tibi, ô Princeps in æternum regnature Iesu, qui à militibus illis arũdinem vacuam loco sceptri suscepisti, vt sic denotarent tuum regnum esse vanum & instabile, nullámque veritatis firmitatem habere. Ita sæculum istud nequam de tuo regno & doctrina & prædicatione iudicat, eam vanam & inutilem existimat. Dicítque: Vanus est qui seruit Deo, & quod emolumentum, quia custodiuimus præcepta eius. At ego è contra Domine sceptra aurea & gemmea huius mundi vacua & instabilia intueor, & tibi seruire plenum æternæ mercedis esse profiteor.

7. Gratias immensas tibi ago, ô venerandissime Domine Iesu, ob patientiam inuictam tuam qua tot iniurias vnam post aliam sustinuisti. Nam impuri illi nebulones genu flexo ante te, illudebãt tibi, atque ludibrij caussa dicebant: Aue Rex Iudæorum; te superbiæ insimulantes, quòd volueris tuæ gentis rex esse & nominari. Hi salutabant te spiritu blasphemiæ & irrisionis, ego autem eisdem verbis saluto te in spiritu veritatis. Aue ô rex Iudæorum, & confitentium nomini tuo. Te laudibus semper extollunt Angeli, fac me cœtibus eorum associari, & hominum plausus & laudes vanas contemnere.

8. Gratias immensas tibi ago, ô perseuerantissime, in patiendo Domine Iesu, propter iniurias operum, quas simul cum contumeliis verborum passus es. Quidam enim militum te arundine percutiebant, alij alapas & colaphos impingebant, alij in faciem irreuerentissimè conspuebant. Illi fatigati sunt, & præ lassitudine à tuis irrisionibus & contumeliis abstracti: tu verò corpore quidem exhaustus animo tamen persistebas semper inuictus. Da mihi obsecro in bona faciendo, & mala pro te patiendo vsque ad mortem persistere. Amen.

Christus quali diademate coronatus.

Malach. 3. 14. Mundi sceptra vacua, instabilia.

Qualiter milites Christũ salutarent.

Varia in Christũ congesta iniuria.

MEDITATIO XVI.

De productione Christi ad populum, & damnatione.

1. PVnctum. O patientissime Iesu, quàm est hæc sanctissima passio tua doloribus ignominiisque referta. Dolores ignominiæ sequuntur, post ignominias dolores succedunt, dolores simul & ignominiæ in eodem tempore in tuam venerandam maiestatem irruunt, vt vndique miseriis cinctus Patrem vehementiùs ad misericordiam inflectas. Ingressus est iterum in prætoriũ Pilatus postquam se ab aliis negotiis expedierat, & videns te tam miserabiliter laceratum compassus est tibi, & putans se corda illa ferrea Iudæorum tuo aspectu victurum, iussit te in locum eminentem deduci, ex quo ab omnibus posses videri. Præcedénsque te aliquantulum, dixit ad populum: Ecce adduco vobis eum foras, vt vel ex hoc cognoscatis nullam in eo esse noxam, ob quam sit morte plectendus. Si enim hominem mea opinione iustum, vt vobis satisfacerem, ita (vt nunc videbitis) malè tractaui; quid fecissem in eo si crimen morte dignum inueniissem. Egredere iam, ô agne innocentissime, egredere: aspiciamus in te quod viscera nostra commoueat, & nos ad miserationem inflectat.

Ioan. 19 à 4. vsq; ad 16.

Pilatus Christo compatitur.

Verba Pilati ad populum.

2. Venisti, ô obedientissime Iesu, in editiorem locum, spinis coronatus, purpuráque irrisionis indutus. Et ostendit te Pilatus populo, dicens: Ecce homo. Ecce, inquam, hominem ô Iudæi, quem vos affectati regni & proditionis accusatis, tam laceratum, & doloribus, verberibus, plagis, & ignominiis oppletum, vt iam non homo, sed portentum aliquod esse videatur. Et tamen homo est, similis vobis conditione naturæ; locum igitur iam in visceribus vestris miserationi concedite, & à mortis eius desiderio cessate. Egrederis, ô caput Angelorum & hominum, vt videamus te: permitte me indignissimum peccatorem contemplari te. Verè tu es homo, miseriarum receptaculum. Nam si non esses verus homo, tot dolores & plagæ, & ignominiæ, & calamitates non venissent super te. Homo es, sed ob flagitia mea, quæ in te puniuntur, factus es minus quàm homo, & tamquam vermis contemtus, & abiectio plebis. Homo es, sed plusquam homo filius Dei naturalis, princeps vniuersorũ, mundi redemtor. Homo es, sed præceptor hominum, qui hoc miserabili aspectu, qui exteriùs apparet, & humilitate & patientia mirabili, quæ in corde latet, proponis nobis, quam asperitatem corporis & virtutem mentis debeamus æmulari. Homo es propositus omnibus vt videaris. Respiciant te homines ad compassionem, & imitationem. Respiciant te Angeli ad admirationem & laudem. Aspiciat te Pater ad nostri commiserationem. O protector noster, aspice Deus, & respice in faciem Christi tui. Aspice, inquam, nos in illo vt misericordiam consequamur, & à tua indignatione liberemur.

Christus foras educitur, vt videatur.

Christus caput hominũ & Angelorum.

Verus homo. Psal. 21. 7.

Christus homo & plusquã homo.

Christus omnibus videndus proponitur.

Psal. 83. 10.

3. Visus es à Iudæis, ô puriſſime Iesu, ab illis, in quos tanta bona contuleras, & visus es ob nimiam rabiem Pontificum, qui illos incitauerant, & ob ingratitudinem & stupiditatem ipsorum non ad misericordiam, sed ad cumulum sæuitiæ perficiendum. Clamauerunt namque magnis & incompositis vocibus: Crucifige, crucifige eum. De fla-

Sũma Iudæorũ crudelitas & sæuitia.

gellis

gellis & ſpinea corona, & illuſionibus, quas relatione intrantium & exeuntium ſciebant, lætati ſunt, ſed de verbo dimiſſionis triſtati & indignati, quare clamant vt nullus ſit terminus nec modus doloris tui, ſed vſque ad mortem crucis affligaris.

Pilatus iterũ liberare tẽtat Saluatorem.

Iam Pilatus iterum quærit liberare te, & ad iram prouocatus illis tantum ſcelus patrandum relinquit. Accipite eum vos, inquit, & crucifigite; ego enim cauſſam mortis inferendæ non inuenio. Iam illi vehementiùs inſtant, & ſecundùm legem te reum mortis affirmant, quia filium Dei te feciſti.

Timor Pilati.

Et ſummam miſerationem tuam erga genus humanum, nempe reuelationem diuinitatis tuæ, blaſphemiam & crimen in Deum admiſſum exiſtimant. Timuit Pilatus audiens te filium Dei eſſe, & meritò timuit. Licèt enim non rectè de diuinitate ſentiret, videbat tamen in ſapientia & patientia tua multa diuinitatis inſignia.

Pilatus iterum Chriſtũ interrogat, ille tacet.

Ingreſſus eſt ergo iterum tecum in prætorium, & interrogauit te, vndénam eſſes? Tacuiſti Domine, & nihil omnino ad tuam defenſionem dixiſti, quia non erat tempus loquendi, ſed tacendi, atque patiendi. Iraſcitur iudex in taciturnitate tua, & de ſua poteſtate ad ſupplicium crucis tibi infligendum ſuperbè ſe iactat. Tu è contra eius elationem comprimis, dum poteſtatem illam à Patre deſcendiſſe commemoras. Et tam amanter & prudenter comprimis, vt iterum apud ſe ſtatuat de manibus Iudæorum eripere te. At è veſtigio amore principatus & beneuolentiæ principis puſillanimiter victus eſt.

Dominãdi cupido omnia violat.

Cùm enim audiſſet: Si hunc dimittis, non es amicus Cæſaris; ne hanc amicitiam quoquomodo perderet, omnia iura diuina & humana violare conſtituit. Tandem tandem Domine in corde iniquorum iuſtitia cadit, & vt malum temporale vitetur, iudicium ſubuertitur. Fac me amicitiam tuam ſuper omnia æſtimare, & omni huius mundi gloriæ præferre.

4. Pilatus his auditis, ô auctor omnis innocentiæ Ieſu, ſe ad tuam maieſtatem damnandam accingit. Sedit pro tribunali, lauat manus, non ſolùm verbo, ſed hac lotione tuam innocentiam proteſtans, & vltionem ſanguinis tui in Iudæos poſtulantes reiiciens. Sed illi adeò erant cæci vt conditionem admiſerint.

Verba Iudæorum cæcutientium.

Non habemus, inquiunt, regem niſi Cæſarem: ſanguis eius veniat ſuper nos, & ſuper filios noſtros. Ita ſit, ô homines perditi. Sit rex veſter Cæſar, qui vos perdat, & vltionem ſanguinis veri regis veſtri ſuper vos & filios veſtros adducat.

Chriſtus damnatur ad mortem.

Tu tandem Domine ad mortẽ crucis damnaris, & voluntati hoſtium tam immanium traderis. Sententiam audis, & in illam ſponte conſentis. Illa namque vt à Pilato prolata iniuſtiſſima fuit, & penitus deteſtanda. At vt à Patre ad ſalutem noſtri generis ordinata iuſtitiæ & miſericordiæ plena, & hac ratione complectenda. Accipis calicem quem dedit tibi Pater; ad ſequelam autem tuam volo & decerno calicem abnegationis & cuiuſcunque à te immiſſæ tribulationis accipere.

MEDITATIO XVII.

De baiulatione Crucis.

Matth. 27.31. Marci 15.21. Luc. 23. 26. Ioan. 19. 17.

1. PVnctum. Audita à te, ô redemtor noſter Ieſu, & acceptata damnationis ſententia, milites exuerunt te purpura, & propriis veſtimentis induerunt, vt in itinere ad ſupplicij locum omnibus ad ignominiam cognitus eſſes. Deinde aduehunt magnum & terribile crucis lignum quindecim pedum, & ſatis craſſum ad corpus tuum ſuſtinendum, cuius pondere velut racemus, ex quo ſalus noſtra exprimenda erat, in torculari premereris.

Lignum crucis quindecĩ pedum.

Poſtremò duos latrones homines flagitioſiſſimos è carcere educunt, quos comites habens, & in medio illorum incedens maximus latro & peſſimus omnium hominum habereris. Tu libenter aliena veſtimenta deponis, & propria reſumis, quia torcular calcaſti ſolus, & non alieno fultus auxilio, ſed propriis tuis viribus & meritis nos redimis.

Chriſto duo latrones addũtur comites.

Benignis oculis crucem reſpicis, quoniam vexillum militum tuorum, quod ipſi ſequuturi ſunt in vita, patenter agnoſcis.

Crux Chriſti vexillũ.

Societatem latronum non exhorres: nam tu es rex ad quem conuenturi erant omnes in anguſtia conſtituti, & oppreſſi ære alieno, & amaro animo, vt fieres eorum princeps.

1. Reg. 22. 2.

2. Omnibus ergo paratis, ô ſupreme rex noſter Ieſu, grauiſſimum illud lignum humeris tuæ maieſtatis imponitur, & ſic oneratus è domo Præſidis egrederis, & viam carpis vt crucifigaris. O quantum dedecus, Prophetam illum magnum, prædicatorem eximium mundi redemtorem ac Dei filium in forma & habitu iniqui hominis tot hominum aſpectibus præſentari? O quantus dolor imbecillia membra, & delicata, & ex præcedentibus doloribus fatigata tam importabile onus ſuſtinere! Verè onus importabile, ô Domine: nam in illo ligno, quod tu portabas, omnium peccatorum noſtrorum pondera ſuſtinebas.

Chriſtus humeris crucem impoſitã fert.

Gen. 22. 6.

Nunc te in obedientiſſimo Iſaac præſignatum intueor, ſuper quem ligna holocauſti Pater impoſuit, vt eum in monte ad Dei præceptum immolaret. Nunc noua ratione te verum Meſſiam eſſe profiteor. Nam principatus tuus, ſeu ſceptrum regni tui ſuper humerum tuum: quod nullus niſi Dei humerus portare poſſet.

Iſaac ſaluatoris typus.

Iſaiæ 9. 6.

Tibi quidem ignominioſum fuit crucem ferre, mihi autem honorificum erit, crucem mortificationis & afflictionum huius vitæ portare, & tuis ſemper veſtigiis inhærere.

Chriſtus Meſſias.

3. In hoc itinere, ô patientiſſime Ieſu, quidam ex tuis piè contemplantur, beatam Virginem matrem tuam de damnatione certiorem factam tibi occurriſſe, mutuóque aſpectu fuiſſe dolorem vtriuſque mirum in modum auctum: téque præ laſſitudine & oneris magnitudine quod portabas in terram miſerabiliter dilapſum.

Pia aliquorum contemplatio.

Illi autem homines feris immanibus crudeliores, non vt tibi leuamen afferrent, ſed ne ante ſupplicium crucis mortuum aſpicerent, hominem prætereuntem coëgerunt crucem tuam portare poſt te. Nemo te iuuabat, ô Deus meus, non Iudæus, quia crucem vt maledictionem reſpuebat, non Gentilis, quia cruci ſubiici contemtui habebat, non amicus aut diſcipulus, quia agnoſci metuebat, & tamen omnino vis ab alio iuuari.

Chriſtũ laborantẽ iuuabat nemo.

Non quidem gratia leuaminis, ſed myſterij, quia ad ſalutem noſtram cupis vt quottidie tollamus ad ſimilitudinem crucis tuæ crucem noſtram, & ſequamur te. Omnes horremus crucem, & omnes aut inuiti aut libentes tollimus, quia in valle lacrymarum viuimus. Hoc tantum eſt diſcrimen, quòd inuiti ſine merito, libentes cum merito & mercede portamus. Sed quis ô Domine, crucem portat poſt te? Certè Simon obediens, qui tuæ & prælatorum voluntati ſe accommodat.

Quis crucem ferat poſt Chriſtũ

Cyrenæus hæres qui futurus eſt hæres regni cœlorum. Peregrinus, qui tamquam aduena & peregrinus abſtinet à carnalibus deſideriis. Huius nomen nunquam deletur,

ſed ipſi & filij operum eius in æternum apud Dominum memorantur.

Chriſtus piis fœminis, quid debeant lugere, aperit.

4. In his preſſuris, ô ſupreme omnium Domine Ieſu, nec tuæ authoritatis, nec noſtræ neceſſitatis oblitus es. Audiens namque pias mulieres poſt te lugentes, & præ compaſſione gementes, conuerſus ad illas præcipis, non quidem vt omnino ſuper te non lugeant (pium namque eſt etiam nunc tuam acerbiſſimam paſſionem lugere) ſed magis, vt ſuperuenturam ſibi & omni illi populo calamitatem defleant. Nos autẽ videntes te tanta & tam immania pati, lugeamus peccata noſtra, quia ſi in te viridi ligno & pulchro & vberrimo hæc fiunt, quia fideiuſſor noſter factus eſt, in nobis lignis aridis, & infrugiferis, ſi non emendemur, quid fiet?

Peccata lugenda.

MEDITATIO XVIII.

De Chriſti crucifixione.

Matth. 27.35. Marci 15.21. Luc. 23. 26. Ioan. 19. 17.

1. PVnctum. Finis huius itineris tui, ô amator ardentiſſime hominum Ieſu, fuit Caluariæ mons, ita vocatus, quoniam caluariis & oſſibus mortuorum ob grauia crimina interfectorum plenus erat, & tetro cadauerum odore fœtebat. In hoc monte vis mori oculis innumerabilium hominum aſtantium expoſitus, vt maiores ſint ignominiæ, vt vniuerſis nota ſit paſſio tua, & multiplex virtus tua, vtque nemo à dolorum tuorum conſideratione ſe eximat, & quiſque te ſanctitatis magiſtrum, quem imitaturus eſt, in ipſo meridie atque in clariſſima luce conſpiciat. Ibi veſtibus omnibus crudeliſſimè nudatus es, & plagæ tuæ violenta tunicæ abſtractione denuo renouatæ ſunt, & magno coram omnibus pudore ſuffuſus. Ibi etiam vino myrrhato, aut cum felle miſto, potatus es, quod, ne ex eo aliquid vigoris acciperes, guſtaſti quidem, ſed bibere noluiſti. Guſtaſti profectò vt guſtu fellis eſum protoplaſti, & noſtram gulam & ingluuiem exolueres. Non tamen traieciſti, vt te immunem ab omni felle iniquitatis oſtenderes, vtque ad fortiter patiendum, qui vino charitatis inebriatus eras, potu vini te non indigere monſtrares. Adoro te Domine ob hæc admiranda conſilia tua, ſed vehementer dolere, & inconſolabiliter lugere deſidero, quia tibi non ſemel ſed ſæpiſſime vinum felle miſtum ad bibendum propino. Quid enim ſunt bona opera tot imperfectionibus & irreuerentiis fœdata, niſi vina felle & abſinthio permiſta? Fac quæſo vt vinum purum & optimum perfectorum operum tibi offeram, quod libenter bibas in regno Patris tui.

Crux lectulus ſaluatoris.

Remedium contra laſciuiæ mollitiẽ.

Bona opera imperfecta, vina felle permiſta.

Chriſto vulnera renouata.

Chriſtus myrrhatum vinũ libat, nõ bibit.

2. Nudus igitur, ô innocentiſſime agne Ieſu, ac omnibus indumentis ſpoliatus, cùm iam crux parata eſſet, à tortoribus illis raptus es, & ſuper illam irreuerenter proiectus. Sufficeret abſque dubio ſimplex iuſſio cuiuſſibet illorum, vt te ipſe ſuper crucem extenderes, cùm tanta auiditate illam horam expectaueris. At illi nihilo reuerentiùs nec mitiùs, immo crudeliter te tractantes quàm alios malefactores, violenter conati ſunt te ad crucem applicare. Cubaſti itaque in illo lecto duriſſimo, quem non flores ornabant, ſed rigor natiuitatis parem ſpinis & tribulis faciebat, vt hoc tormentum tuum eſſet noſtrarum laſciuiarum pretium, & noſtræ mollitiei aptiſſimum præſentiſſimúmque remedium. Statim extendiſti beneficas iſtas manus, & ſpecioſiſſimos pedes tuos, nec horruiſti ferreos clauos, quos amor fortior ferro, immo & ipſa morte, ac durior inferno cùm in zelum tranſit, in ſua fornace confecerat. Accipiunt tortores illi nequiſſimi primùm dexteram manum tuam, ô rex meus, non vt ei oſculum venerationis infigerent, ſed vt eam clauo perforarent, & applicito in vola duriſſimo clauo eam mallei frequentibus ictibus validiſſimè terebrarunt. Veniunt mox ad ſiniſtram, quæ cùm ob contractionem neruorum ex manus dexteræ perforatione profecta cerebrum non attingeret, iniecta fune vſque ad foramen tenſa eſt, & ſimiliter clauo transfoſſa. Tandem pedes duobus clauis transfixi ſunt, & crudeliter perforati. Foderunt illi manus tuas, & pedes tuos, & cum funibus tenderent; dinumerauerunt oſſa tua. Non eſt dolor ſicut dolor tuus. Hunc autem dolorem non ſolùm æquanimiter ſuſtinuiſti, verùm & auidiſſimè complexus es. Crux enim eſt ſponſa tua, Domine, quam in hac vita tibi elegiſti, affixio verò ad illam eſt amplexus ipſius, quem ad oſtenſionem amoris tui erga Patrem & erga nos auidiſſimè deſideraſti. Et quia non tam ex violentia tortorum quàm ex deſiderio patiendi hæc tua crucifixio dimanauit, meritò dixit Propheta tuus, quoniam cornua, id eſt, latera crucis in manibus tuis, & ibi abſcondita eſt fortitudo tua.

Dextera Chriſti primùm cruci affigitur.

Deinde ſiniſtra.

Tandem pedes.

Crux ſpõſa ſaluatoris.

3. Poſtquam ergo, ô holocauſtum Patri gratiſſimum Domine Ieſu, crucifixio peracta eſt, milites te in altum ſuſtulerunt, & in cauea ad id parata crucis extremitatem bene firmarunt, ô mediator Dei & hominum Chriſte Ieſu, iam non ſolùm munus, ſed & locum mediatoris aſſumis. Pendes namque inter cœlum & terram, vt Deum hominibus, terreſtria cœleſtibus reconcilies. O quanta fuit ignominia tua, cùm oculis tantæ multitudinis nudus & in altum ſublatus appareres! O quàm copioſa effuſio ſacri cruoris, qui ex quatuor vulneribus manuum & pedum, ſicut ex quatuor ſaluatoris fontibus emanauit! O quanta vociferatio hoſtium, quàm incõſolabilis fletus piarum mulierum, qui cor ſanctiſſimum tuum nouo dolore confodit! Verè ſicut aqua effuſus es, & diſperſa ſunt omnia oſſa tua. Factum eſt cor tuum vt cera liqueſcens in medio ventris tui. Effundatur iam amor meus ad te, & commoueantur viſcera mea, & ſiquidem membrum tuum ſum amore & dolore langueam, & tibi per imitationem inhæream.

Chriſtus mediator Dei & hominũ.

Qualis manſerit Chriſtus crucifixus.

4. Nunc, ô Magiſter bone Ieſu, te in cathedra crucis ſedentem aſpicio, vt doctrinam perfectionis edoceas. Nunc ore quidem taces paulo pòſt pauca loquuturus, at omnia vulnera tua non verbis ſed effuſione ſanguinis, ô quantâ & quàm mihi neceſſaria loquuntur! Nudus pendes, & nuditate tua non hanc paupertatem meam fictam, qua nullis ferè rebus indigeo, ſed veriſſimam omnium creaturarum nuditatem edoces. Manibus ac pedibus fixus in cruce manes, & me ad amorem ſpiritualis crucis, ſcilicet abnegationis, & ad confixionem omnium membrorum & ſenſuum meorum accendis. Ita vt dicere poſſim: Chriſto confixus ſum cruci: in ſummo corporis dolore & animi angore perſiſtis, vt corpori meo quoad fieri poſſit ſine corruptione naturæ ſuauia denegem, & ab animo meo omnem vanam & de rebus mundanis conceptam lætitiam elongem. Suſpenſus in aere nec cœlum nec terram attingis, vt ſuſpendium eligat anima mea, & mortem oſſa mea; & vt conſolationem mundi non quæram, & ob purum amorem, non verò propter delicias ſpiritus tamquam propter finem tibi ſeruiam. In te, ô Chriſte crucifixe, oculos mentis intendo; in hoc corpore tuo tantis plagis affecto

Crux Chriſti cathedra.

Quid Chriſti nuditas doceat.

Quid fixa manus & pedes.

Quid in aere ſuſpenſio.

graui

Vide grauitas peccatorum innotescat.

grauitatem meorum peccatorum aſpicio, in mente ſanctiſſima tua in tantis preſſuris & angoribus tam mirabilibus virtutibus præſertim humilitatis, obedientiæ, patientiæ & charitatis exornata, qualis eſſe debeam in nocte aduerſitatis, & in die proſperitatis, intueor. Fac me dignum imitatione tua, vt per crucem mortificationis ad gloriam tranſeam, & ſiue in cruce ſiue in gloria à tua ſimilitudine non diſcedam. Amen.

MEDITATIO XIX.

De ignominiis Chriſti in cruce.

Thren. 3. 30. Pſal. 68. 10. Matth. 27. à 35. vſq; 34. Marci 15. à 26. vſq; 37. Luc. 23. à 35. vſque 40. Ioan. 19. à 18. vſque 24.

1. PVnctum. Prædictum erat de te, ô ſuperuenerandiſſime Domine Ieſu, quia ſaturandus eras opprobriis. Hoc autem ſi in aliquo loco, in cruce maximè impletum eſt; ſecũdùm illud vaticinium Dauidis: Et opprobia exprobrantium tibi cecidерũt ſuper me. Primum opprobrium fuit titulus crucis tuæ quo affectati regni reus publicaris. Scripſit enim Pilatus titulum Hebraicè, Græcè, & Latinè, & crucis ſummitati iuſſit affigi, quo hæc verba continebantur: IESVS NAZARENVS REX IVDÆORVM. Ac ſi ſcripſiſſet: Hic homo ideo ſic punitus & morti adiudicatus eſt, quia contra Romanorum imperium, & contra fas & ius voluit vſurpare ſibi regnum Iudæorum. Quia verò Iudæis non videbatur apertus hic ſenſus, conati ſunt obtinere à Pilato vt titulus deleretur, aliúſque apertior ſubſtitueretur, qui iſta contineret: Hic dixit: Rex ſum Iudæorum. At Pilatus à te Domine conſtantior factus noluit inſcriptionem immutare, ſed dixit: Quod ſcripſi ſcripſi, & ratum firmúmque permanebit. Ad quid hoc niſi vt alio ſenſu ab æterno Patre intenta, non falſa crimina à Iudæis conficta, ſed tuæ crucifixionis veræ cauſſæ pateſcerent. In crucem namque actus es: quia Ieſus & mundi ſaluator, cuius morte nos viueremus. Quia Nazaræus & omnibus virtutibus floridus, quas in cruce oſtenſas imitaremur. Quia rex qui à ligno regnare incipiens nos vocaſti, vt in tuos aſciſceremur. Quia tandem rex Iudæorum ſpiritualium, id eſt, confitentium culpas ſuas, & per veram pœnitentiam ad te redeuntium & laudantium perfectiones tuas, in quorum numero computaremur.

1. Opprobrium tuum.

Chriſtus in crucẽ actus quia Ieſus erat.

Iudæi ſpirituales qui.

2. Secundum opprobrium tuum, ô Saluator noſter Ieſu, fuit ſocietas tibi adiuncta latronum. Crucifixus namque es cum latronibus vt non innocens mundi ſaluator, ſed iniquus latro ab omnibus habereris: & medius inter duos latrones, vt princeps latronum & omnium eorum perditiſſimus reputareris. Sed nos cùm te è patibulo pendentem & latronibus aſſociatum videmus, noſtram liberationem executioni mandatam aſpicimus. Moreris namque inter latrones, quia omnium peccatorum delicta perſoluis, quia neminem quantumuis exitioſum ab ſpe ſalutis excludis; quia vniuerſorum, tum bonorum, tum malorum iudex exiſtis: quia nos ad conuerſationem cum peccatoribus, vt eos à peccatis auertamus, animare cõſtituis. Cum ſceleratis reputatus es, vt peccata ſceleratorum auferres, & conſtitutus in medio eorum pro ipſis tranſgreſſoribus rogares.

2. Opprobriũ latrõnum ſocietas.

Quare Chriſtus inter latrones moritur.

Iſaiæ 53. 12.

3. Poſt hoc ſequitur tertium opprobrium tuum, ô omni adoratione digne Ieſu, quòd quatuor milites, quibus tuæ crucifixionis exequutio demandata erat, veſtem tuam exteriorem in quatuor partes diuiſerũt, & ſinguli partem vnam in ſuum vſum vindicarunt. Vidiſti indumenta tua irreuerenter diſciſſa, & à viliſſimis nebulonibus poſſeſſa, & à te tam quam ab eo, qui ſtatim moriturus veſtibus non indigebat, in perpetuum ſubtracta. Vidiſti, inquam, & voluiſti, vt in ſumma paupertate ex hac vita decederes; vt veſtes etiam inter peccatores ex immenſa charitate diſtribueres: vt omnes homines ex quatuor partibus mundi ad te venientes tui ſanguinis, quo veſtes illæ madidæ erant, hæredes faceres: vtque virtutibus tuis illos gloriosè circumdares. Mihi veſtes poſt corpus & ſanguinem & vitam donas, tibi crucem, & clauos, & tormenta reſeruas. O ſi me totum tibi darem, & nihil mihi relinquerem, vt huic amori tuo quoquomodo reſponderem!

3. Veſtium diſtributio Chriſto volita.

Tunica inconſutilis Chriſti humanitatem & Eccleſiã repræſentabat.

4. Deinde quartum opprobrium fuit, ô amantiſſime Ieſu, quòd tunica interior tua Virginis Matris tuæ opera & labore contexta, manibus illorum nequiſſimorum hominum contrectata eſt, & ſorte vni eorum applicita. Noluerunt milites illam ſcindere, quia cùm eſſet inconſutilis, & deſuper contexta per totum, nulli vſui eſſet ſi ſcinderetur. At tu Domine noluiſti eam diuidi, quia ſacram humanitatem tuam referebat, quam non ex parte, ſed ex toto per veram imitationem induere debemus: & Eccleſiam repræſentabat, quam per charitatem vnitam ſeruemus oportet, & per diſcordiam & ſchiſma nequaquam ſcindamus. Indue me obſecro charitatis affectu, quam à me exquiris, vt proximos meos diligam, & omne commodum ac meipſum deſeram, ne vmquam concordiam congregationis ſcindam.

4. Opprobrium de ferenda tunica ſortes.

Pſal. 21. 8.

5. Inſuper quintum opprobrium tuum fuit, ô lux animæ noſtræ Ieſu, quòd milites cuſtodiebant te, aſtantes autem ſpectabant te. Illi quidem te cuſtodiebant, ne quiſquam te de cruce deponeret, néve aliquod refrigerium præberet. Iſti verò te ſpectabant, non vt aliqua commiſeratione mouerentur, ſed vt te irriderent, ac nouis ignominiis afficerent. Omnes videntes me, inquis, deriſerunt me: loquuti ſunt labiis, & mouerunt caput. Vtinam Domine, ego ſpectarem te, vt tuam patientiam admirarer; vt te perfectiſſimo amore proſequerer; vt à te diſciplinam omnis virtutis acciperem.

5. Opprobriũ redemtoris.

Contumeliæ in Chriſtũ emiſſæ.

6. Sed quid, ô dulciſſime Ieſu, omnia opprobria tua, quæ in cruce pertuliſti, ſigillatim commemorare volo, quæ innumerabilia eſſe conſidero. Omnes inſultabant tibi, & verbis, ac geſtibus, & ſibilis, & manuum plauſibus, & aliis modis tuam inuictam patientiam exercebant. Prætereuntes non caſu, ſed ſtudiosè circa te ambulantes, vt contumelias in te iactarent, mouebant capita ſua atque dicebant: Vah, qui deſtruis templum Dei, & in tribus diebus reædificas illud, ſaluum fac temetipſum, ſi filius Dei es, deſcende de cruce. Nondum tempus aduenit huius domus ſanctiſſimæ ædificandæ, necdum tres dies à morte tua ſunt exacti; fruſtrà ergo & ſine cauſſa iſti te ante tempus vt impotentem irrident. Quod autem attinet ad deſcenſionem è cruce, in hoc oſtendis te filium eſſe Dei, quòd à cruce non deſcendis, ſed factus es nobis conſtantiæ & ſtabilitatis exemplum.

Chriſto illudunt ſacerdotes & ſcribæ.

7. Sacerdotes etiam & ſcribæ & ſeniores populi nihilo meliores nec manſuetiores gladiis linguarum ſuarum cõfodiebant, Domine, cor tuum. Alios, dicebant, ſaluos facit, ſeipſum non poteſt ſaluum facere. Si Chriſtus & rex Iſrael eſt, deſcendat nunc de cruce, vt credamus ei. Confidit in Deo, liberet eum nunc ſi vult. Dixit enim, quia filius Dei ſum. Eſt ac ſi dicerent: Inanis eſt potentia tua, quia teipſum ſaluare non potes. Vanum regnum tuum,

quia à patibulo descendere nequis. Fallax spes tua, quia à Deo nequaquam liberaberis. Ficta dignitas tua, quia filium suum Deus ita affligi à nobis nullo modo permitteret. Hæc etiam audis & taces. Citò enim apparebit te Saluatorem nostrum ac regem esse, te verum filium Dei, meritò in Patre tuo omnem spem ac fiduciam collocasse.

Milites Christũ subsãnabant.

8. Si Principes Iudæorum, ô suauissime Iesu, & reliquus populus subsannabant te, quid mirum, si milites procaciores idipsum efficerent. Illi ergo qui custodes erant, etiam illusores se præbebant. Dicebántque: Si tu es rex Iudæorum, saluũ te fac, vel ex hoc certò scimus te regem Iudæorum non esse, quòd nec è mãibus eorum te eripere potuisti, nec nunc te à cruce saluare possis. Putarunt illi nullam nisi salutem corporis esse, at tu vulneribus corporis tui salutem animæ attulisti nobis, & peccatorum nostrorum ægrotationes sanasti.

Latrones saluatori improperant. Isaiæ 57. 4.

9. Tandem & ipsi latrones tecum crucifixi, ô bone Iesu, quasi dolorum suorum obliuiscebantur, vt improperarent tibi, & in tuam ignominiam conspirarent. Super quem lusistis, ô homines? Super quem dilatastis os, & eiecistis linguam? Numquid non vos filij sceleste, semen mendax? Omnes igitur tunc, ô Domine, illudebant tibi. Omnes nunc laudibus extollant te, & omnes discant qua patientia & silentio debeant iniurias perferre, & qua dulcedine cordis suos hostes & persequutores spectare.

MEDITATIO XX.

De verbis Christi in cruce.

Psal. 37. 14.

1. PVnctum. Hucusque, ô amator ardentissime hominum Iesu, ad nostrum exemplum siluisti, factus es sicut homo non audiens, & non habens in ore tuo redargutiones. Ac si esses surdus non audis, & sicut mutus non aperuisti os tuum. Iam loquere, obsecro, quia audit seruus tuus. Sonet vox tua in auribus meis: quia vox tua dulcis, immo & ipsa dulcedo, septem verba pendens in cruce loquutus es, quæ omnem perfectionẽ continẽt: quæque vehementer cupio intellectu apprehendere, & volũtate complecti. Primum ergo verbum tuum perfectæ charitatis est, quo pro tuis hostibus Patrem orasti. Pater, ais, ignosce illis, non enim sciunt quid faciũt. E duro illo patibulo crucis pendebas, doloribus intolerabilibus angustabaris, iniuriis, cõtumeliis & irrisionibus replebaris: quãdo homines perfectum satis existimarent tacere, & æquanimiter tanta mala perferre, & vindictam non concupiscere. At tu qui non solùm virtutem nostram, verùm & cogitationem & captum supergrederis, non taces sed oras, & non pro vltione, sed pro misericordia clamas. Pater, cuius est misereri semper & parcere, qui me filium agnoscis & diligis, & semper me audis, audi nunc etiam cum clamore valido & lacrymis pro hominibus, quorum me caput fecisti, supplicantem. Sacerdos sum, meipsum in holocaustum pro ipsis offero, quod ad me attinet peperci delictis eorum; dimitte quoque tu illis delicta sua: aliquam excusationem habent, quia ignorant quid faciunt. Si enim cognouissent, numquam me authorem glorię crucifixissent. Audiuit Pater, ô bone Domine, hanc orationem tuam. Si enim humilium & mansuetorum semper illi placuit deprecatio, quanto acceptior fuit hæc oratio tua, quam magister omnium humilium protulit, & exemplar mititatis effudit. Propter eam multi Iudæorum ibi astantium veniam meruerunt. Eam ad me deriuari cupio, & pro virtute illius veniam peto.

Luc. 23. 34.

1. Christi verbum in Cruce charitatis plenum.

Oratio redemtoris ad Patrem

Iudith 9. 16.

2. Secundum verbum tuum, ô miserator & misericors Iesu, fuit infinitæ misericordiæ. Pendebas inter duos latrones, qui cùm essent vilissimi, & propter grauia crimina ad mortem damnati, irridebant, & magna molestia afficiebant te. Sed ô inscrutabilia iudicia tua, & ô incõprehensibilis erga electos tuos misericordia tua! reiecto eo qui erat à sinistris in eo qui erat à dextris tuam immensam bonitatem ostendere dignatus es. Tetigisti eum interiùs manu benignitatis tuæ, & ad hunc tactum quam sequuta est admiranda mutatio. Repentè nãque credidit in te, ac filium Dei & regem agnouit, spem de indulgentia assequenda concepit, te ardentissimè amauit, peccata sua intensissima cõtritione defleuit. Deinde suam & alterius latronis impietatem detestatus eum de blasphemia reprehendit. Neque tu times Deum, ait, quo tempore timere deberes, cùm ad ianuam mortis peruenires, & in eadem damnatione sis. Postea sua peccata, & tuam Domine innocentiam confitetur. Et nos quidem iustè: nam digna factis recipimus, hic verò nihil mali gessit. Tandẽ ad te conuersus mira oratione pectus tuum piissimum pulsauit, dicens: Domine, quem licèt ab omnibus his despectum, Dominum tamen ac regem cœli profiteor, memento mei dum veneris in regnum tuum. Non enim recordaris, & deseris, quare si mei memineris, nequaquam absque salute derelinques. O efficaciam piæ orationis, ô immensum pretium passionis tuæ, ô largitatem miserationum tuarum! Quid namque latroni oranti respondes? Amen dico tibi, hodie mecum eris in paradiso. Regnum cœlorum, consortium tuum, & æternam fœlicitatem illi promittis, non in longum tempus dilatandam, sed eodem die tribuendam. Huius latronis iam conuersi me discipulum facio, & eius vocem vsurpo. Memento mei siquidem es in regno tuo. E regno tuo auxilia tua efficacia mitte, vt te purè veréque confitear, vt bonam & sanctam conuersationem arripiam, & vt tuum regnum apprehendam. Amen.

Luc. 23. 42.

2. Christi verbum plenum misericordiæ.

Latronis boni repentina mutatio.

Latronis boni petitio.

Christi responsũ.

Ioan. 19. 25.

3. Tertium verbum tuum, ô piissime Iesu, est verbum perfectæ pietatis. Erat iuxta crucem mater tua, non iacens, non sedens, nec exanimis facta, sed stans, & licèt nimio dolore vulnerata, tamen per fortitudinem animi, & resignationem erecta. Stabat etiam Ioannes dilectus discipulus, quem ardentissimus amor reliquis discipulis animosiorem reddiderat. Stabant & aliæ piæ mulieres, quibus facile fuit, talem ductricem nempe virginem sequi, & in vmbra illius ad crucem accedere, & sua constantia aliorum discipulorum pusillanimitatem increpare. Aspiciebat ergo virgo te, & lacrymis resoluta inconsolabiliter de multiplici tormento tuo ac proxima morte lugebat. Aspiciebas & tu illam, & filij pietate motus eam de sedulo obsequio prouidebas. Nam dixisti illi: Mulier, ecce filius tuus. Non te matrem, sed mulierem voco, ne nuncupatione tam tenera cor tuum nouo gladio configam, néve me, dum opera Patris perficio, erga carnem & sanguinem affectum ostendam. Ioanni virgini virginem te commendo. Eum in filium accipe, & non tantùm illum, verùm & omnes sectatores meos materno amore complectere. Deinde conuersus Domine ad discipulum dixisti ei: Ecce mater tua. Magnum beneficium, ô Ioannes, tibi factum aduerte. Spiritum filij erga virginẽ tibi imprimo, & eumdem suo modo omnibus

3. Christi verbum pietatis plenum.

Mutuus Christi & Mariæ aspectus.

Christus virginẽ mulierẽ appellat.

Virgo Ioãni virgini commendatur.

Ioanni Virgo cedit in matrem.

electis

electis communico, vt eamdem mecum matrem habeatis,ô Ieſu amantiſſime,licèt ex vna parte matri conſulas, ex altera doloris gladio confodis. Quid enim illa ſenſit, cùm loco filij Dei purum hominem in filium accepit? Ioannes autem ſtatim eam in ſua obſequia & officia ſuſcepit,vt tamquam matri & dominæ illi perpetuò ſeruiret.

Matth. 27.46. Marci 15.35. 4. Chriſti verbum veritatis plenum. Sol obſcuratur.

4. Quartum verbum tuum,ô Magiſter veritatis Ieſu, fuit perfectæ veritatis,in cuius commemoratione mentio tenebrarum fit, vt triſtitiæ tuæ magnitudinem quam vt verus homo patiebaris intelligamus. A ſexta igitur hora, in qua crucifixus es, factæ ſunt tenebræ ſuper vniuerſam terram vſque ad horam nonam,vt ſol in tanto hominum facinore erubeſceret,& in morte ſui Domini triſtitiæ indumento ſe operiret, & ſubtrahens radios lucis ſuæ, nos ad quietiùs contemplandum incitaret. In hac autem caligine conſtitutus clamaſti, ô Domine,ad Patrem, & dixiſti: Deus meus, Deus meus, vt quid dereliquiſti me?Veniſti in altitudinem maris tantorum dolorum, & tempeſtas demerſit te. Nullum refrigerium, nullam requiem habebas. Si velles caput reclinare, ſpinis ampliùs compungebaris.Si manibus aliquod leuamen dare, pedum fixura cruciabaris. Si pedibus aliquod refrigerium afferre,manuum vulneribus torquebaris.Ab omnibus derelictus, à populo tuo dilecto contemtus id ſolum ſentis, quòd Pater ſenſibile auxilium ſubſtraxerit, & naturam tuam humanam in dolorum illorum mare reliquerit.Hæc enim ſubtractio faciebat, vt reliqua te intolerabiliter torquerent, & aquis triſtitiarum obruerent. Et milites quidem Romani tam miſerum te putarunt, vt cùm Eli,Eli diceres, id eſt,Deus meus, Deus meus,te Eliam ad auxilium afferendum vocare exiſtimarent. Per hanc derelictionem tuam oro, ne me derelinquas, & fac vt omnia terrena deſeram, & tibi ſoli totis viribus mei cordis adhæream.

Christi de cruce pendentis angores.

Saluator ab omnibus derelictus.

Ioan.19. 29. 5.Verbũ humilitatis plenum.

5. Quintum verbum tuum, ô humillime Ieſu, fuit perfectæ humilitatis. Siti incredibili, & æſtu terribili premebaris, quia à præterita nocte vſque ad nonam horam ſequentis diei,nihil biberas;quia multa itinera feſtinanter confeceras;quia innumera mala ſuſtinueras, quia pæne totum ſanguinem fuderas. Erãt ergo præ ſiti & ardore conſumta viſcera tua, adeò, vt diceres: Aruit tamqnam teſta virtus mea, & lingua mea adhæſit faucibus meis. Hanc tuam neceſſitatem quam vt homo afflictus patiebaris,magna humilitate patefacis,dicẽs:Sitio. Homines autem in hac ſiti non aquam ſed acetum ſpongia hyſſopo circumpoſita arundini tibi propinant.Adeò auari ſunt erga te,vt hauſtum aquæ negent,cùm pro illis totum ſanguinem fundis.In hac autem ſiti corporali & vera,aliam ſitim animæ tuæ ſpiritualem conſidero. Sitis hæc obediendi vſque ad potum aceti,quod à Prophetis prædictum erat, & amplius patiendi, & ſalutis animarum noſtrarum erat. Huic ego aceto & felli obſiſto,cùm obedire & pati detrecto,& ſalutem animarum non curo. Per hanc ſitim tuam fac me Domine iuſtitiam ſitire,& per hanc ſitim ad abundantiam perfectionis properare.

Psal.21. 16. Saluatoris ſitis nimia.

Hominũ auaritia.

Sitis interna & ſpiritualis.

Ioan.19. 30. 6.Verbũ obedientiæ plenum.

6. Sextum verbum, ô obedientiſſime Ieſu, fuit perfectæ obedientiæ. Nam guſtato aceto, dixiſti: Conſummatũ eſt.Feci omnia quæ Pater mihi præcepit: quæ de me prophetata erant,& finem cuius gratia in mundũ veni, fœliciter obtinui. Hoc verbum tuum non iactantiæ, ſed gratitudinis & obedientię fuit.Gratitudinis,quia Patri,à quo accepiſti vt omnia compleres, gratũ demonſtraſti,obedientiæ verò quoniam in omnibus à te factis,tamquam in his quæ voluntatis Dei erant, ſummè complacuiſti.Da mihi obſecro vt omnia mihi imperata ritè perficiam,vt peccata deteſter, ſæculum vincam, virtutes conſequar, ad perfectionem perueniam; vt poſſim dicere:Bonum certamen certaui, curſum conſummaui, fidem ſeruaui:& vt poſita gratia tua, poſſim ſperare coronam iuſtitiæ.

Saluatoris gratitudo erga Patrem.

7. Septimum verbum tuum,ô ſanctiſſime Ieſu, perfectæ reſignationis fuit.Clamaſti namque voce magna, dicens: Pater, in manus tuas commendo ſpiritum meum. Clamaſti vt naturalem dolorem animæ in diſceſſu à tali támque amabili corpore indicares.Vt te mortis Dominum ſponte illam accerſentem demonſtrares. Vt patres in lymbo (quò enim illa vox tua non penetraret) exhilararet, & dæmones in inferno perterrefaceres. Vt Patrem ad miſerationem hominum, & homines ad pœnitentiam inflecteres. Vtque te diaboli ac peccati victorem oſtenderes. Sed quid Domine clamaſti? Pater quem vnicè diligo, in quo ſolo omnẽ ſpem meam & fiduciam collocaui?In manus tuas(neque manibus alterius committi poteſt gemna omnium pretioſiſſima) commendo, non opes,quas non habeo, non honorem, cuius nunc curam minimè gero, non corpus,quod libenter morti trado, ſed ſpiritũ meum. Nec non & ſpiritum omnium electorum meorum, quem ſpiritui meo per dilectionem adiungo. Hæc charitas tua,hæc fiducia tua, hæc mirabilis poſtulatio tua,mihi in hora mortis proſint, méque extremum ſpiritum agentem comitentur. Amen.

Luca 23. 48. 7.Verbũ reſignationis plenum.

Quorsũ Chriſti clamor.

Patri Chriſtus ſpiritum commendat.

MEDITATIO XXI.

De morte Chriſti, ac ſignis mortem eius ſequutis.

1. PVnctum. Poſt hoc ſeptimum verbum,ô vnica & amabilis vita noſtra Ieſu, inclinato capite tradidiſti ſpiritum.Caput quidem inclinaſti in ſignum obedientiæ: in indicium paupertatis, quia non habebas vbi caput reclinares.Inſuper vt votis noſtris annueres,& quantum ſit onus iniquitatum mearum,quod te curuabat,notum efficeres.Tradidiſti autem ſpiritum & mortuus es, non fictè, ſed verè.Nam profuſo ſanguine, & deficientibus viribus prę acerbitate dolorum,naturaliter anima corpus deſerere compulſa eſt.In hac tremenda hora,ô ſponſe animarum noſtrarum, pallore ſuffunderis, ſenſuum functione priuaris,immobilis perinde atque alij defuncti in cruce manes, & vt bonus Paſtor animam tuam pro nobis tradis.

Matth. 28. à 50. vſq; 56. Marci 15.38. Luca 23. 46. Ioan.19. 31. Quare Chriſtus inclinato capite moritur.

2. Iam,ô Magiſter omnis perfectionis Ieſu, te cruci affixum,& mortuum aſpicio,& in te perfectę virtutis formam,quam ſequor, manifeſtè contemplor. Nudus manes; pro amore tui omnia terrena per veram paupertatem abiicio. Clauis affixus es cruci caſtitati, & timore tui omnia membra mea, & vniuerſos affectus à deliciis auerto, ac planè ad tui ſequelam crucifigo. Miſericordiæ, pietatis, ac omnis tui muneris non es oblitus, & ego muneri mihi à te & à prælatis demandato pro mea poſſibilitate ſatisfacio.Huic muneri perfunctus in orationem incumbis:quod reliquum eſt temporis,prout imbecillitas corporis tulerit, orationi me trado. Tandem verè mortuus in cruce donec deponaris, perſiſtis.Ego quoque in ſtatu meo,& in cruce mortificationis mundo mortuus perſeuero. Moriar Domine, hac morte iuſtorum,vt poſt hanc mortalem vitam tecum in æternum viuam.

Quomodo Chriſtus cruci affixus imitandus.

Signa Saluatoris mortem subsequuta.

3. Post mortem tuam, ô supreme rex sæculi & terræ Iesu, signa sequuntur, quæ malitiam illius rebellis populi, & gloriam tuam, ac effectus tuæ passionis ostendant. Velum templi medium scinditur, quia in morte tua omnia mysteria in sacra Scriptura obuelata patefiunt. Terra tremit, & quasi ad aspectum tantæ iniquitatis obstupescit. Petræ scinduntur, vt corda hominum ad dolorem & compunctionem prouocentur. Sepulchra aperiuntur, vt corda hominum à morte peccati euasura sciantur.

Lignum.

4. Tandem, ô lignum vitæ Iesu, statim fructus tuorum laborum vides. Centurio tuam inuictam patientiam considerans, & signa contemplans Patrem gloria affecit, & te iustum ac filium Dei confitetur. Qui cum eo erant, metu & reuerentia tanguntur. Alij videntes quæ fiebant, pectora sua præ dolore percutiunt, & ad vrbem se recipiunt. In hac hora mortis tuæ, ô Domine, omnia commouentur, omnia dolore & tristitia complentur, vniuersa quasi ad considerationem colliguntur. Ne solus ego extra distractus maneam, sed in silentio & mœrore quiescam.

Centurionis cõfessio. Aliquorũ dolor.

MEDITATIO XXII.

De apertione sacri lateris.

Ioan. 19. 33.

1. PVnctum. Sufficerent, ô dulcissime Domine Iesu, tormenta à te ante mortem atque in morte perpessa, nisi hostes tui tam implacabili odio tenerentur, vt post mortem quoque vellent, & curarent tibi iniurias inferre. Petierunt illi à Pilato, vt frangerentur crucifixorum crura, & de cruce tollerentur. Ad quid hoc? Certè vt ex confractione crurium tuorum tibi si adhuc viueres nouum tormentum, si verò mortuus esses nouam iniuriam adiicerent. Vtque tollentes te à cruce caussam à populo eius, quam viderant, compunctionis & conuersionis auferrent. At tu Domine consilia impiorum eludis. Confractis enim duorum latronum cruribus, iusti ad augmentum gloriæ, & iniqui ad initium pœnæ, tu integer manes, & quo tempore conueniens erat sublatus à cruce in memoria tuorũ ad virtutis augmẽtum inspiceris ac si in cruce penderes. Integer, inquam, manes, quia terribilis passio tua numquam tuam fortitudinem ac charitatem labefactauit. Et quia in te vim non habuit illa lex: Maledictus omnis qui pendet in ligno, in recordatione nostra adhuc in cruce pendes, vt nos inspicientes & imitantes te, benedictione multiplices.

Petitio Iudæorũ.

Duobus latronibus crura franguntur.

Christus integer / mansit.

Christo latus aperitur.

2. Licèt autem, ô amantissime Iesu, crura tua confracta non fuerint, tamen vnus militum lancea tuum latus aperuit, non ob aliud, nisi vt in te iniurioſus esset, vt suam crudelitatem exerceret, & cor piissimæ matris tuæ illa apertione vulneraret. Sed quia nihil nisi te ordinante aut permittente accidit, aliud fuit in perpessione huius vulneris lateris consilium tuum. Voluisti namque latus tuum aperiri, vt non solùm operum, verùm & cordium nostrorum iniquitates deleres. Vt tantillum sanguinis quod remanserat pro nobis effunderes. Vt amoris signum in pectore tuo exteriùs insculperes. Vt ostium nobis ad ingrediendum in intima tua, & ad tuam charitatem considerandam aperires. Vt ex sacro latere tuo sponsam tuam Ecclesiam educeres, sanguine tingeres, & aqua lauares. O si nosse commorari in foraminibus petræ, & habitare in hac cauerna maceriæ, ac huic amori tuo, donatione totius cordis mei, & sponsæ fidelitate respondere!

Cur sibi latus aperiri saluator voluerit.

In foraminibus petræ cõmorandum.

A

B

C

D

E

3. Exiuit ergo, ô largissime Iesu, ex latere tuo percusso sanguis & aqua. Sanguis quidem ad feruorem & amorem Ecclesiæ tuæ, aqua verò ad puritatem. Sanguis, vt nos liberales erga tuam maiestatem faceret: aqua, vt prauas nostras cupiditates extingueret. Sanguis, vt eo nos in sacramento altaris potares; aqua, vt nos ad fletum pro nostris peccatis accenderes. Iam impleatur Domine, illud Prophetę tui: Aspicient in me, quem confixerunt. Et siquidem nos cor tuum peccatis transfiximus, te viua fide charitate formata videamus. Lugeamus te planctu quasi super vnigenitum: & doleamus super te, vt doleri solet in morte primogeniti: & in hoc fonte lateris tui, qui patet domui Dauid, & omnibus habitantibus in spirituali Ierusalem Ecclesia tua, nostras iniquitates demergamus.

Quare sanguis & aqua ex Christi latere exierit.

Zachar. 12. 10.

Qualiter saluator lugẽdus.

MEDITATIO XXIII.

De depositione Christi de cruce.

Matth. 27. 57. Marci 15. 42. Luc. 23. 50. Ioan. 19. 38.

1. PVnctum. In cruce & passione tua, ô sanctissime Domine Iesu, omnium virtutum illustrissima exempla tribuisti, sed in hoc postremo mysterio electos tuos ad perseuerantiam excitasti. Perseuerasti in cruce vsque ad ipsam mortem, & post mortem in ea immobiliter permansisti, donec ordinatione Patris per viros pios depositus es, & à cruce sublatus. Sed quàm specialis & amabilis in hoc facto prouidentia æterni Patris elucet. Ipse enim ita tuam sepulturam dispossuit, vt ab ipsa cruce in qua cumulus ignominiarum excreuerat, tui honores inchoarent. Elegit quidem Ioseph̃um virum nobilem ac prædiuitem, nec non iustum ac pium, & eum antea pusillanimem confortauit, & animosiorem reddidit, vt ad Præsidem ingrederetur, vt audacter corpus tuum ad sepeliendum postularet, simúlque cor iudicis emolliuit, vt statim votis eius annueret. Cor non solùm regis, sed cuiusque hominis in manu tua Domine. Hic autem vnum infirmum roboras, aliud durum liquefacis. O si hęc duo in cordo meo faceres, vt blandum se ad tuos instinctus suscipiendos præstaret, & fortiter omni impedimento perfectionis obsisteret.

Patris æterni erga Christum prouidentia.

Cor omnium in manu Dei.

2. Huic viro, ô bone Iesu, alium pariter nobilem & iustum ad tui depositionem adiungis. Sed consideratione dignum est quos ad hoc opus summæ pietatis eligis. Nam si quod de vno illorum dicitur, de vtroque par est credere, eos elegisti, qui actibus impiorum non consensserant, & eorum consortia vitauerant. Qui ad regnum cœleste consequendum anhelabant. Qui audacter & constanter opus Dei perficiebant. Qui sindone munda, & mixtura copiosa myrrhæ & aloes ad te vngendum & inuoluendum instructi veniebant. Qui his affectibus ad tibi obsequendum accedit, & exteriùs quod potest exhibet, huius obsequium non repellis, sed gratissima voluntate admittis.

Quales viri electi ad Christi depositionem è cruce.

3. Hi duo viri, ô humillime Domine Iesu, petita à B. Virgine & obtenta facultate, è cruce te deposuerunt, clauos manuum & pedum reuerenter euulserunt, coronam spineam abstulerunt, totum corpus tuum, cui ô verbum Patris eras vnitum, ne caderet, sustinuerunt brachiis, & complexu suo, ac in gremio sacræ Virginis collocarunt. Hîc Ioannis & Magdalenæ & mulierum ac reliquorum astantium lacrymæ, hîc singultus & vlulatus, numquam iniustiori caussa profusi. Ioannes pectus tenebat, in quo secreta cœlestia viderat. Magdalena pedes, ad quos procumbens peccatorum remissio-

Piorum hominũ & fœminarum sanctarũ in Christum officia.

nem

B. Virginis affectus.

nem consequuta fuerat. At Virgo beata, Domine, quis poterit cogitare, quanta te reuerentia suspiciebat, quo amore oscula figebat, qua luce mysterium redemtionis nostræ, & Deum ita humiliatum & planè mortuum videbat, qua subiectione se in Patris voluntate resignabat. Placent tibi in hac consideratione simplicium & humilium lacrymæ, placet affectus compassionis mansuetorum. Da vt me comitem his tuis dilectis exhibeam, & cum illis tuam mortem defleam.

MEDITATIO XXIV.

De sepultura Christi Domini.

Matth. 27. 60. Marc. 15. 46. Luc. 23. 53. Ioan. 19. 40.

1. PVnctum. Tempus est, ô dulcissime Domine Iesu, vt corpus tuum sepeliatur: vt granum frumenti quod multum fructum est allaturum, terræ mandetur. Corpus ergo hoc sacrum de more à sordibus & cruore lauerunt, centum libras myrrhæ & aloes in eo vngendo insumserunt, corpus sindone & caput sudario circumdederunt, & linteis siue institis ligauerunt. Hoc Domine quod corpori tuo ad sepulturam reseruasti spiritualiter intellectum ad nos, qui corpus tuum mysticum sumus, absque dubio pertinet. Vt scilicet ab omni sorde peccati lauemur, vt myrrha & aloë mortificationis infundamur, vt sindone munda gratiæ & puritatis inuoluamur, vt fratribus nostris bonus odor in vitam simus.

Quid Christi lotio, vnctio, & sindon mysticè doceant.

2. Fiunt exequiæ, ô bone Iesu, corpus tuum ad sepulchrum effertur, non sine honorabilissimo comitatu. Nam virgo Regina cœli, Ioannes dilectus tuus, Magdalena & aliæ piæ mulieres, duo illi nobiles viri, & vt credibile est Angelorũ chori procedebant, & corpus tuum in sepulchrum deportabant. Vis enim omnino sepeliri, vt nihil quod ad homines pertinet prætermittas, & vt nos ad exemplum tuum sepeliamur mundo & concupiscentiis eius.

In Saluatoris funere comitatus.

3. Venitur, ô piissime Iesu, ad sepulchrum, sed ad quod sepulchrum? Certè ad sepulchrum nouum, in quo nemo positus fuerat, & nouum hominem & nos renouantem exciperet. Ad sepulchrum in horto collocatum: vt sicut in horto perditio nostra cœpit, ita in horto finem accipiat. Ad sepulchrum in petra excisum, vt lapis petram viuam & fundamentum Ecclesiæ reconderet. Ibi Domine, sepeliris, & qui sedes super omnes cœlos sub terram collocaris, vt vilis homuncio humilitatem diligat, & in omnibus se deiiciat.

Sepulchrum Christi, & locus eius.

4. Tandem, ô sanctissime Domine Iesu, à principibus Sacerdotum apud Pilatum, seductor vocaris, custodes postulantur, & obtinentur, ne à discipulis furto surripiaris, munierunt sepulchrum, & signauerunt lapidem cum custodibus, ne viuens aliquando à tuis prædiceris. Sed quid proficit tantum nefas, quid noua crimina Iudæos iuuant? Hæ nouæ ignominiæ ad gloriam tuam profecerunt, & impietatem illorum manifestarunt. Per hanc passionem & mortem & sepulturam tuam rogo te, vt me tuo amore repleas, tua imitatione decores, & tui similem per sustinentiam passionum efficias. Amen.

Christi sepulchrum, signatur, custoditur.

De resurrectione & ascensione Iesu Saluatoris.

CAP. IV.

SALVATOR noster in Canticis animã spiritualem ad considerandam resurrectionem suam, & ex ea lætitiam concipiendam his verbis inuitat: Surge, propera amica mea, columba mea, formosa mea, & veni. Iam enim hiems transiit, imber abiit, & recessit. Flores apparuerunt in terra nostra.] Hiems est consideratio passionis, in quo imber sanguinis Domini corda virorum spiritualium emolliuit. Ver autem est meditatio resurrectionis, in quo flores sanctorum affectuum gaudij & amoris apparent. Tantisper ergo imber transeat, post paullulum rediturus, & ver resurrectionis adueniat, vt anima, quæ de sui Domini doloribus fleuit, de ipsius gloria & pulchritudine & immortalitate vehementer exultet. Placet illi maximè huius duplicis considerationis vicissitudo, qua & dominicæ passionis fructus carpimus, & resurrectionis suaueolentes flores colligimus, quibus cordis lectulum exornemus. Quare de hac duplici meditatione hæc Bernardus ait: Gaudet sponsus cœlestis talibus odoramentis, & cordis thalamum frequenter libentérque ingreditur, quòd istiusmodi refertum fructibus floribúsque respersum inuenerit. Vbi suæ videlicet aut passionis gratiam aut resurrectionis gloriam sedula inspicit cogitatione versari, ibi profectò adest sedulus, adest libens. Monimenta siquidẽ passionis, fructus agnosce quasi anni præteriti, omnium vtique retro temporum sub peccati mortísque imperio decursorum, tandem in plenitudine temporis apparentes. Porrò autem resurrectionis insignia, nouos aduerte flores sequentis temporis, en nouam sub gratia reuirescentis ætatem, quorum fructum generalis futura resurrectio in fine parturiet sine fine mansurum. Iam, inquit, hiems transiit, imber abiit, & recessit, flores apparuerunt in terra nostra: æstiuum tempus adueniſſe cum illo significans, qui de mortis gelu in vernalem quamdam vitæ nouæ temperiem resolutus. Ecce, ait, noua facio omnia cuius caro seminata est in morte, refloruit in resurrectione. Ad cuius mox odorem in campo conuallis nostræ reuirescunt arida, recalescunt frigida, mortua reuiuiscunt. Horum ergo nouitate florum ac fructuum, & plenitudine agri suauissimum spirantis odorem, ipse quoque Pater in filio innouante omnia delectatur, ita vt dicat: Ecce odor filij mei sicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus.] Bene pleni, de cuius plenitudine omnes accepimus. Sponsa tamẽ familiariùs ex eo sibi cùm vult flores legit, & carpit poma, quibus propriæ aspergat intima bona conscientiæ, & intranti sponso cordis lectulus suaue redoleat. Oportet enim nos, si crebrum volumus habere hospitem Christum, corda nostra semper habere munita fidelibus testimoniis, tam de misericordia scilicet morientis, quàm de potentia resurgentis. Quomodo Dauid aiebat: Duo hæc audiui quia potestas Dei est, & tibi Domine misericordia. Siquidem vtriusque rei testimonia credibilia facta sunt nimis. Christo vtique moriente propter delicta nostra, & resurgente propter iustificationem nostram, & ascendente ad protectionẽ nostram, & mittente spiritum ad consolationem nostrã, & quandoque redituro ad consummationẽ nostram. Nempe in morte misericordiam, potentiam in resurrectione, vtramque in singulis exhibuit reliquorum.] Hæc omnia Bernardus. Huius meditationis duplex præcipuè fructus colligendus est, alter amoris, alter desiderij. Amoris quidẽ quo Christum ardenter diligamus, eiúsque gloriæ &

Cant. 2. 11. Hiems cõsideratio passionis. Ver meditatio resurrectionis.

Bernard. de diligendo Deo.

Gen. 27. 27.

Duplex fructus ex meditatione resurrectionis dominicæ.

maiestati complaceamus. Desiderij verò, quo vitæ illius immortalis nonnullam similitudinem appetamus, & ita viuere, vt ad eam tandem post huius mortalitatis labores venire curemus. In hac meditatione crescat fides, qua illum qui propria virtute surrexit, verum Deum esse credamus, qui sicut ex nostra infirmitate occubuit, ita ex sua virtute surrexit. Augeatur spes, quoniã membra eius non sunt aliena ab eo splendore & gloria, quam pro illis satisfaciendo caput accepit. Redundet & charitas Dei & proximorum: nam dignus est amore ille, qui labores tanta mercede coronat, & hi quos tam charos habuit, vt pro illis filium in mortem tradiderit. Exeat anima postquam hæc meditata fuerit non solùm exultatione perfusa, verùm & tanti boni expectatione tranquilla. Et ita per huius vitæ mutabilitates & afflictiones incedat, vt eas ad meritum sentiat, sed ad pusillanimitatem & perturbationem animi non percipiat. Hæc igitur de resurrectione Domini meditabitur.

Augenda fides.

Augenda spes.

Augẽda charitas.

Qualiter ab hac meditatione anima exire debeat.

MEDITATIO I.

De glorioso descensu Christi ad inferos.

1. PVnctum. Anima tua carne soluta, ô Saluator noster Iesu, omnibus etiam fuit doloribus & tristitiis exemta, & absque vlla molestia ex carne mortali procedẽte in mare fœlicitatis, quam ab initio suæ creationis habuerat, & in pelagus exultationis absorpta. Statimque à corpore quidem seiuncta, sed tuæ diuinæ personæ ac ipsi diuinitati vnita ad eam partem inferni descendit, quæ lymbus dicitur, vbi iusti omnes vsque ad ascensionem tuam vincti tenebantur. Descendisti igitur non vt reus, sed vt iudex, non vt in eo loco tenereris, sed vt vinctos & compeditos dissolueres. O quàm inæstimabilis charitas, per teipsum in illum tetrum locum descendere, cùm per Angelos posses iustos illos educere! O quanta humilitas, carcerem non exhorrere, sed in illo radios primùm tui splendoris spargere. O quàm appositè dixit Paulus: Quod autem ascendit, quid est nisi quia & descendit primùm in inferiores partes terræ.] Æquũ enim est, vt qui ad infima descendisti, ad suprema conscendas. Descendam & ego Domine per humilitatem, vt tandem postea in domo fœlicitatis exalter.

Limbos sanctorũ Patrum locus.

Saluatoris amor.

Saluatoris humilitas. Ephes. 4. 9.

2. Sed qualis descendit anima sancta tua, ô purissime Domine Iesu? Pulchrior luna, splendidior sole, Angelorum exercitibus comitata. Potentia sua contriuit portas æreas, & vectes ferreos confregit, & obstacula carceris expediuit. In medio autem captiuorum liberatrix apparuit, vt eos ab antiqua miseria liberaret. O quàm facile est tibi vincula meorum affectuum abrumpere, vt ad cœlestia possim desideriis euolare.

Descẽsus animæ Christi. Ps. 106. 16.

3. Tu ergo, ô verissime sol iustitiæ Iesu, tenebras illius ergastuli dispulisti, animas illas iustorũ lumine gloriæ illuminasti, ac tuæ deitatis visionẽ possessionémque cõmunicans eas beatas effecisti. Iam impletur à te quod in Ecclesiastico dixeras: Penetrabo omnes inferiores partes terræ, & inspiciam omnes dormientes, & illumin.abo omnes sperantes in Domino.] Locus ille supplicij, aula gaudij, & paradisus delitiarum factus est. Animæ illæ antea miseræ momento temporis fœlices factæ sunt, & rupto sacco paupertatis stola gloriæ decoratæ, ô quàm eximia earum lætitia, quàm plena iubilo gratiarum actio! Hîc te Patriarchæ ibi detenti omnium Patrem agnoscunt; Prophetæ suorum vaticiniorum impletorem verissimum confitentur: summi Sacerdotes & Leuitæ sacerdotem summum venerantur: iudices iudicem, duces ducem, reges supremum regem, & martyres illius legis antiquæ martyrem prædicãt, & Ioannem præcursorem sequentes te caput vniuersorum hominum & Angelorum inclamant. Ego quoque illis meas voces adiungo, & ouans cano: Dignus es Domine Deus noster accipere gloriam, & honorem, & virtutem, quia tu creasti omnia, & peccato collapsa, mirabiliter refecisti. Pro eo quòd laborauit anima tua, vides, & saturaris: in scientia tua iustificasti multos, & iniquitates eorum ipse portasti.

Christus SS. Patrũ animas beatus effecit. Eccli. 24. 45.

SS. Patres Christum gratulabundi laudant.

Apoc. 4. 11.

Isaiæ 53. 11.

4. Mansit sanctissima anima tua, ô fidelissime Iesu, in illo loco pœnarum, qui factus iam à te erat locus delitiarũ vsque ad tempus resurrectionis tuæ. Ibi sanctum latronem post paucas horas aduenientem excepisti, eúmque beatum faciens visione diuinitatis tuæ, iuxta pollicitationem tuam in paradiso collocasti, ab eóque coram omnibus tuæ misericordiæ erga ipsum narratæ sunt, & tu ab illo cœtu Sanctorum hac noua occasione laudatus. Ex eo etiam loco credibile est te illis tribus diebus purgatorium spoliasse, & animas ibi detentas celeriùs purgatas ad consortium aliarum beatarum adduxisse. Damnati verò quibus nulla erat parata redemtio, in sua miseria relicti sunt, & dæmones ex ruptione carcerum suorum nouis doloribus castigati. Expoliasti namque principatus, & potestates traduxisti, id est, victas ostendisti confidenter, palàm triumphans illos in temetipso.

Bonus latro beatus efficitur.

Christus purgatorium spoliat.

Coloss. 2. 15.

MEDITATIO II.

De resurrectione Christi.

1. PVnctum. Aduenerat illa dies, ô glorioſissime Domine Iesu, omnibus diebus clarior atque fœlicior, in qua eras deuicta morte resurrecturus. Summo ergo mane illius tertiæ diei post diem mortis tuæ (vt citissimè salua veritate dictorum tuorum, Apostolis subuenires, & vniuersum mundum exultatione perfunderes) è lymbo siue ex illo nouo paradiso egressus es, vt corpus tuum ad vitam reuocares. Præibant exultantes Angeli, & animæ sanctæ lætissimæ sequebantur, aut mixtæ Angelis procedebant, & triumphum victoriæ tuæ solemni pompa celebrabant. Quis dubitet eos post mare tantarum calamitatum pertransitum, iustiùs ac lætiùs decantasse. Cantemus Domino; gloriosè enim magnificatus est, equum & ascensorem deiecit in mare. Fortitudo nostra & laus nostra Dominus, & factus est nobis in salutem. Iste Deus noster, & glorificabimus eum: Deus patrum nostrorum, & exaltabimus eum. At anima tua ex affectu gratitudinis immensa gloria repleta dicebat: In baculo crucis meæ solus transiui Iordanem sæculi huius: nunc autem cum duabus turmis iustorũ legis naturalis & scriptæ regredior. Quis non congratuletur tibi, ô Rex noster, & in tuo triumpho non lætitia perfundatur?

Christi è lymbo egressus. Christi comitatus.

Exod. 15. 1. Cãticum SS. Patrum.

Gen. 32. 10.

2. Accessit ad sepulchrum, ô inuictissime Rex Iesu, glorioſus ille comitatus. Vidit corpus exanime flagellis & spinis & clauis laceratum, & prò tantis doloribus & anguſtiis à te perpessis denuo gratias egit. Postea collecto sanguine quem effuderas è diuersis locis, in quibus contemtus iacebat, aut sola potestate tua, aut etiam Angelorum ministerio, venísque illo repletis, anima sancta tua

Sanguis Christi effusus colligitur.

corpus virgineum ingreſſa eſt, illique vt forma vera corporis vnita. Quid autem in illo fecit? Sed quid non fecit? quid minus perfectum reliquit? Ligaturas diſſoluit, lintea funebria abſtulit; myrrhæ & aloës vnctioné abſterſit, ſordes ſi quæ poſt lotionem remanſerant, emundauit. Quid ampliùs? Vitam immortalem corpori tribuit, immenſa claritate veſtiuit, impaſſibilitate circumdedit, agilitate ornauit, ſubtilitate decorauit, & ſine vlla menſura ſole pulchriorem effecit. Intueat ego te fidei & ſapientiæ oculis, ô Rex gloriæ Chriſte, & tuæ claritati & gloriæ congaudeam, & quid in animabus noſtris, quando eas ingrederis, efficias intelligam, vt tuum in me ingreſſum concupiſcam.

Quæ Chriſti corpori iacenti collata dona.

3. Myſterio reſurrectionis ita peracto, ô potentiſſime Domine Ieſu, à clauſo ſepulchro per donum ſubtilitatis egreſſus es: & ſine ablatione lapidis, quem poſtea Angelus amouit, oſtendiſti te mundo. Nihil enim erat quod tuam potẽtiam impediret. Egrederis clauſo & obſignato ſepulchro abſque amotione lapidis, & fractione ſignaculi tuipſe, qui paulo pòſt ingreſſus es ad diſcipulos ianuis clauſis, & qui ortus es ſine vlla læſione pudoris de vtero Virginis. Appares alter ſol nõ creatus, ſed creans, vt vniuerſum mundum illumines, & iuſtitiæ radiis viuifices. Deſcendunt Angeli è ſupernis ſedibus vt adorent te. Nam cùm introducit Pater filium iterum in orbem terrarum, dicit: Et adorent eum omnes Angeli Dei. Animæ etiam Sanctorum, quas ab inferis eripuiſti, te iam ſuſcitatum adorant, & de magnitudine tuæ gloriæ & maieſtatis exultant. Tu verò oculos in cœlum attollis, ac iunctis manibus Patri gratias agis, dicens: Conuerſiſti planctum meum in gaudium mihi: conſcidiſti ſaccum meum, & circumdediſti me lætitia. Vt cantet tibi gloria mea, & non compungar.

Immoto lapide Chriſtus è ſepulchro egreditur.

Chriſtus ſol non creatus ſed creãs. Heb. 1. 6. Angeli & ſancti Chriſtũ adorant. Pſal. 29. 12.

Chriſtus Patri gratias agit.

4. Verbum eſt ſerui tui Iob, ô largiſſime Domine Ieſu: Si comedi buccellam meã ſolus, & non comedit pupillus ex ea.] Sed multo melius quadrat in te, qui hanc glorię buccellam non comediſti ſolus, ſed eam aliis quoque communicaſti. In eodem namque momento reſurrectionis tuæ multa Sanctorum corpora ſurrexerũt numquam poſtea moritura, vt genus humanum non in poſterum tantùm, ſed & in præſens: non in capite tantùm, ſed in aliquibus membris arrham ſuæ reſurrectionis acciperet. Surrexerunt igitur multi, vt tua charitas, largitas, & potentia pateſceret; vt minimè multiplex tuæ reſurrectionis teſtis deficeret: vtque tua voluntas ac tuum deſiderium ſe nobis aperiret. Hoc autem eſt, vt ſtatim ſpiritu reſurgamus, & in nouitate vitæ ambulemus. Iam ergo, ô Rex meus, affectuum meorum lintea funebria depono, & ſancti feruoris vitam reſumo. Hanc integritas virtutum exornet, claritas cognitionis rerum cœleſtium illuminet, ſtabilitas roboret, ſolicitudo vrgeat, & elongatio ab omni deſiderio rerum terreſtriũ abducat, vt qui generalem reſurrectionem expecto, eius ſimilitudine nunc renouari procurem.

Iob 31. 17.

Multa ſanctorũ corpora non rurſus moritura reſurgunt.

Rom. 6. 4.

MEDITATIÒ III.

De apparitione Chriſti facta beatæ Virgini.

1. PVnctum. Poſt reſurrectionem tuam, ô dulciſſime Ieſu, aſcenſurus eſſes ad Patrem, niſi te charitas impuliſſet per quadraginta dies nobiſcum manere, vt oues tuas diſperſas colligeres, & non ſolùm per apparitionem illorum qui tecum reſurrexerant, & per apparitiones Angelorum, verùm & per temetipſum, eos in fide tuæ reſurrectionis ſolidares. Primò autem viſus es à ſanctiſſima matre tua, quod licèt textus ſacer non dicat, conſenſus tamen totius Eccleſiæ proclamat. Sepeliuit illa tecum cor ſuum, ſepeliuit omnem lætitiam ſuam. Erat in conclaui clauſa, doloribus obruta, triſtitiæ & mœrori ſubmerſa. Quæ tametſi de reſurrectione tua minimè dubitaret, at dolores & ignominias tuas deflebat, & mortem tuam acerbiſſimam, ac ſolitudinem & viduitatem ſuam inconſolabiliter deplorabat. At illuceſcente tertio die, in quo te reſurrecturum ſciẽbat, cœpit altiſſima contemplatione ſuſpendi, & pro reditu tuo Patrem gemitibus & precibus exorare. Leæna fortitudine & generoſitate erat: téque leonem de tribu Iuda, gemitu ac rugitu ſuſcitabat. Vox eius erat: Exurge gloria mea, exurge pſalterium & cithara.] Tu dixiſti: Exurgam diluculo; ecce diluculum. Ne aduentum tuum protrahas, ne te amplius in ſepulchro contineas. Exurge in præcepto quod mandaſti: Honora patrem tuum, & gemitus matris tuæ ne obliuiſcaris: & mecum Synagoga populorum circumdabit te.

Chriſtus 1. virgini apparet.

Mariæ dolor & lacrymæ.

Virgo leæna comparatur.

Pſal. 56. 9.

Verba matris ad filiũ.

Eccli. 7. 29.

2. Adfuiſti, ô benigniſſime Ieſu, & ſubitò tribus exercitibus Angelorum, animarum ſanctarum, & corporum glorificatorum cinctus matri apparuiſti, & mœrores ac triſtitias ex piiſſimo eius corde fugaſti. Intellectus Virginis noua luce perfuſus eſt, vt tuam immenſam gloriam contemplaretur, & diuinitatem aut clarè, aut modo inſolito intueretur. Oculi confortati ſunt, vt corporis tui ſplendorem aſpicerent. Vt Deum verum te adorauit, vt filium ſanctiſſimum & amabiliſſimum brachiis aſtrinxit, & tecum cœleſtia ac ineffabilia colloquia miſcuit. Vulnera tua non iam cruenta, ſed pulchritudine & gloria referta oſculata eſt, & nouo experimento didicit, quàm bonum ſit pro te perſecutionibus & triſtitiis affligi.

Chriſti magnus comitatus.

Intellectus Virginis noua luce perfuſus. Oculi cõfortati.

Virgo Chriſtũ adorat, amplectitur, oſculatur.

3. Voluiſti etiam, ô ſuauiſſime Ieſu, ſtans ad dexteram matris, vt inſignis ille comitatus eam veneraretur. Acceſſerunt Angeli diſtincti in choris ſuis, & congratulabantur ei. Sequuti ſunt ſancti è carcere educti, & in libertatem aſſerti, & eam ſui Domini ac liberatoris matrem agnoſcunt, magna veneratione proſequuntur, & laudibus attollunt. Tũ, inquiunt, gloria Ieruſalem, tu lætitia Iſraël, tu honorificentia populi noſtri.

Chriſti comites Virginem laudant.

Iudith 15. 10.

4. Sciebat Virgo intemerata, ô puriſſime Domine Ieſu, quia ſecretum regis abſcondere bonum eſt. Ideo de reſurrectione tua omnino tunc ſiluit, & gloriam tuam quam viderat ſilentio ſuppreſſit, donec tu teipſum aliis manifeſtares, & reſurrectionem non per matrem, ſed quaſi per teſtes extraneos aperires. Da mihi quæ tacenda ſunt tacere, & quæ dicenda manifeſtare. Vtque tempus tacendi & loquendi cognoſcam, & in vtroque metas diſcretionis non excedam.

Virginis ſilẽtium.

MEDITATIO IV.

De apparitione Angelorum facta mulieribus.

1. PVnctum. Non ſolam matrem, ſed omnes piè & verè te quærentes conſolaris, ô bone Ieſu. Maria enim Magdalene, & aliæ mulieres poſt quietem Sabbati, quam ex obedientia legis religioſè cuſtodierant, Solis ortum præuenerunt, & emtis aromatibus properarunt ad monumentum vt vngerent corpus tuum. Ignorabant reſurrectionem tuã, & ex ardentiſſimo amore erga te corpori

Matth. 28. à 1. vſque 8. Marc. 16. à 1. vſque 8. Luc. 24. à 1. vſq; ad 8.

Piarum fœminarum cura in obsequium Christi.

SS. mulierũ obediẽtia & solicitudo.

Fortitudo & fiducia.

Qui sperãt in Domino non confunduntur.

Angelus veste cãdida indutus sepulchri lapidem amouet.

Verba Angeli ad mulieres.

Mulieres monumẽtum ingrediuntur.

Mulieres Angeli benignè increpãt.

Mulieres ad enunciandum Apostolis visa festinant.

sancto tuo nouæ & copiosioris vnctionis obsequium exhibere voluerunt. O quanta imitatione digna ad inueniendum te in mulieribus istis aspicio. Primò obedientiam, qua post custoditum Sabbatum egressæ sunt. Deinde solicitudinem, nam pausatione relicta lucem diei præuenerunt. Item impigram fortitudinem, qua noctis tenebras non formidarunt. Ad hæc virtutum copiam, quas aromatibus indicarunt. Tandem fiduciam: scientes namque ad sepulchri ostium lapidem magnum fuisse aduolutum, nihilominus ibant, & dicebant: Quis reuoluet nobis lapidem ab ostio monumenti? Si his virtutibus, ô Domine, ornatus te quærerem, absque dubio te inuenirem.

2. Nullus in te sperauit, ô fidelissime Iesu, & confusus est. Mulieres istæ auxilium à te sperabãt, & statim præstò fuit illis. Nam cùm ipsæ propè accederent, terræmotus factus est magnus, qui & custodes monumenti, & ipsas mulieres ad attentionem eorum quæ fiebant, & ad reuerentiam incitaret. Statim autem apparuit Angelus vultu vt fulgor splendidus, & veste ipsa niue candidior, vt ipso habitu lætitiam præseferret, & vt quid in nobis tua resurrectione feceris (nam lucẽ cognitionis, & candorem puritatis aduexisti) habitu demonstraret. Ipse amouit lapidem sepulchri, & super eum sedit, & militibus primò ad examinationem & fugam, quia aspectu rerum cœlestium erant indigni, deinde mulieribus ad venerationem timoris affectum incussit. At statim, ô Domine, timorem dispulit, dicens: Nolite timere vos, ô piæ fœminæ; cùm enim Iesum Nazarenum crucifixum ad obsequium quæratis (de cruce enim ac de virtutum floribus in ipsa ostensis gloriatur) non est cur ad meum aspectũ formidetis. Ipse iam surrexit, quod vt compertum habeatis, venite & videte locum, vbi positus erat Dominus. Sic, ô suauissime Iesu, istarum mulierum incredulitatem paulatim superabas, eásque ad tuam apparitionem disponebas.

3. In ore duorum vel trium testium, ô splendidissime Iesu, stabit omne verbum. Huic Angelo tuæ resurrectionis testi, duo alij accedant, qui mulieres istas ad te videndum disponãt. Ingressæ sunt monumentum, & non inuento corpore tuo, cùm anxiæ essent, & dubitabundæ de eo quod factum fuerat (neque enim adhuc credebant te surrexisse) apparuerunt illis duo Angeli, à quibus benignè increpitæ, & de tua resurrectione doctæ sunt. Quid, inquiunt, quæritis viuentem cum mortuis? Non est hîc, sed surrexit. Non nos tantùm, sed ipsum quem vnicè diligitis, huius veritatis doctorem habeatis. Ipse enim vobis audientibus dixit, quia tradendus erat in manus peccatorum, & crucifigendus, & quòd tertia die erat resurrecturus. Sic Domine perseueranter erudis, sic amplioribus donis ad te trahis.

4. Audierant mulieres à primo illo Angelo, ô dulcissime Iesu: Ite, & dicite discipulis eius & Petro, quia præcedet vos in Galilæam. Ibi eum videbitis: & factæ iam à te Apostolæ Apostolorũ obedierunt, & ad nuntiandum quod viderant & audierant Apostolis, festinarunt. Non credunt illi, nec credunt illæ, & tamen tam illi quàm illæ (nam Petrus & Ioannes cucurrerunt) ad monumentum veniunt. Æquum est enim, vt quod in nobis est faciamus, vt à te tandem Domine illuminemur.

Et beatus qui ad te quærendum venit, quia non vacuus, sed bonorum plenus redibit.

A B C D E

MEDITATIO V.

De secunda apparitione Christi facta Magdalenæ.

Matth. 28. 1. Marc. 16. 5. Luc. 24. 4. Ioan. 20. à 12. vsque ad 18.

1. PVnctum. Post dilectissimam matrem, ô fidelissime Iesu, primùm Mariam antea peccatricem tua præsentia consolaris: quæ ab Apostolis regressa & iuxta sepulchrum perseuerans te authorem salutis videre meruit. Non auersaris eam quæ antea dæmonum habitatio fuerat, & innumeris peccatis sorduerat, quia diligentiùs te quæsiuit, ardentiùs dilexit, & constantiùs in tui desiderio & inquisitione perseuerauit. Ita te quæram, ita te diligam. Nam qui de luce vigilauerit ad te, non laborauit, sed assidentem foribus suis inueniet.

Magdalena Christum ardentius quæsiuit. Sap. 6. 13.

2. Multa autem, ô dilectissime Iesu, in hac fœmina sancta conspicio, quæ si imiter, te meum consolatorem inueniam. Erat illa iuxta sepulchrum, non sedens, sed stans, & ipso habitu corporis præseferens impigram solicitudinem. Plorabat ex æstu amoris qui cor eius animámque possederat. Inclinabat se ex nimio desiderio iterum & iterum, & prospiciebat in monumentum si fortè quod prima vice non inuenit saltem secunda & tertia inueniret. Vidit Angelos in albis sedentes, & quia solum Angelorum Dominum quærebat, eorum nullam rationem habet. Interrogata cur fleret causam iustissimam planctus reddit, quia corpus Domini ad quod vngendum venerat, erat à monumẽto sublatum. Ex vero igitur amore desideranter & fortiter quærendus es, Domine, & solus sine consortio creaturarum desiderandus, quia tu solus cor nostrum satias. Qui ita te quæsierit, non frustrabitur voto suo.

Quæ in Magdalena imitãda nobis vt Christũ inueniamus.

3. Dimissis Angelis, ô amabilissime Iesu, qui suo desiderio minimè satisfaciebant, conuersa est retrorsum, & vidit te totum bonum suum, non tamen te cognouit. Interrogas eam quid quærat, & cur ploret, cùm tamen tu optimè scias, quia te solùm quærit dilectum suum, & propter absentiam tuam plorat. Ignorabat illa quis esses, & existimãs te olitorem esse, magno affectu dixit: Domine, si tu sustulisti eum, dicito mihi vbi posuisti eum, & ego eum tollam. O Maria quàm sapiẽter despis, quàm sublimiter te humilias, quàm fortiter tuam imbecillitatem nõ aduertis, & quàm verè te amatricem charitate victam ostendis. Eum vocas, quem hortulanus nec ipso fortassis nomine agnoscet. Vilem hominem tu fœmina nobilis Dominum appellas, vt eum ad restituendum corpus defuncti suadeas, quod incredibile erat hominem voluisse è monumento auferre, & in suam domum deportare. Te ad ferendum corpus offers, quod erat satis graue, cùm tamen delicatissima sis, & vires ad ferendum non habeas. O Christe Iesu sic diligam te. Semper ita te cogitem, vt omnes nihil aliud cogitare putem. Semper ita te desiderem, vt pro amore tui coram omnibus me humiliem. Semper ita tibi seruiam, vt saltem voluntate & desiderio, ea quæ supra meas vires sunt audere præsumam.

Christus Magdalenam, quid quærat, interrogat.

Magdalena prudens & sapida insipientia.

4. Vides, ô consolator omnium Iesu, desideria & lacrymas huius ancillæ tuæ. Inspicis quia iam ex parte beata est, iuxta verbum tuum: Beati qui lugent. Quid superest nisi vt eam consoleris, & impleas quod de lugentibus dixisti: Quoniam ipsi consolabuntur. Aperuisti ergo os tuum in quo omnis gratia diffusa est, & dixisti: Maria. Et hac sola voce affabiliter & benignè prolata quid fecisti?

Matth. 5. 5.

Aperti ſunt oculi huius ancillæ tuæ, vt te, quem mortuum quærebat, viuum agnoſceret, & reperiret. Illuminatus eſt intellectus eius vt te Meſſiam in lege promiſſum,& verum Dei filium ac mundi Saluatorem,& mortis victorem crederet. Inflammatum eſt cor eius vt te nouo & inſolito amore diligeret. O quàm potens eſt verbum tuum! Audiam & ego illum, quo cor meum erigas,& in meliora commutes. Et quidem Maria vnam vocem audiuit,& alteram tantùm reſpondit, dicens:Rabbi, aut Magiſter. Affectus enim amoris linguam impediuit, ne in plura verba prorumperet.At vnica hac voce ſatis dixit. Dixit enim quod tunc experiebatur. Te munus præceptoris tunc in eius corde ſuſcepiſſe, eámque ad te cognoſcendum illuminaſſe.

Quid Christi vox in Magdalena effecerit.

Magdalena reſponſum.

5. Voluit illa, ô ſapientiſſime amator Ieſu, oſculis ſanctiſſimorum pedum tuorum vocis defectum ſupplere. Non tamen permiſiſti,dicens:Noli me tangere, nondũ enim aſcendi ad Patrem meũ. Vt & cordi eius reuerentiæ affectum imprimeres, & non iam tam familiariter agendum tecum eſſe doceres:& vt imbecillitatem fidei illius (quia necdum perfectè credebat te glorioſum ad Patrem eſſe aſcenſurum) increpares. Sed qui hoc donum tantiſper differre,aliud ſtatim non minoris pretij confers, dum eam Apoſtolorum magiſtram facis. Sed vade, inquis, dic fratribus meis: Aſcendo ad Patrem meum,& Patrem veſtrum,Deum meum,& Deum veſtrum. O miram & venerandam ac diligendam benignitatem tuam, qua ita te deiicis, vt Deum noſtrum tuum Deum fatearis, & ita nos extollis, vt Patrem tuum, Patrem noſtrum, à quo per merita tua adoptati ſumus, appelles.

Cur pedum oſcula Magdalena prohibita.

Magdalena Apoſtolorum fit magiſtra.

Meditatio VI.

De tertia apparitione facta mulieribus.

Matth. 28. 9.

1. PVnctum. O quàm ſapienter, benigniſſime Ieſu,inſtauras teſtes tuos,nõ contra, ſed pro me. Iam Magdalenam in teſtem protuliſti,& nunc aliis mulieribus teipſum oſtendis, vt tuæ reſurrectionis teſtes eſſe poſſint. Poſtquam Maria vidit te, à monumento diſceſſit, alias mulieres quæ priùs abierant,& eam ſolam reliquerant, inſequuta eſt: quibus & ſe vidiſſe te non mortuum,ſed viuentem dixit,& magnum te videndi deſiderium iniecit. In his deſideriis & ſermonibus occupatas non deſpicis,immo eas tua præſentia dignaris, & apparens illis dicis:Auete. Et hoc eodem verbo ſalutem fidei viuæ illis affers,& omnem triſtitiam & dubietatem depellis.

Magdalena aliis mulieribus quæ viderat, narrat.

Chriſtus apparens mulieribus, illas ſalutat.

2. Fœminæ autem iſtæ tam lætæ ſui Magiſtri & Saluatoris apparitione cumulatæ, ô bone Ieſu, adorauerunt te, & petita ac obtenta facultate oſculatæ ſunt pedes tuos.Aucta eſt in Magdalena reuerentia, & in aliis excitata, & ideo dignæ factæ ſunt,non tantùm te adoratione colere,verùm & ad oſcula pedũ admitti. Accedam & ego ſpiritu meo, & adorabo te,& pedibus tuis amoris oſcula figam. Poſtulabóque vt cum his mulieribus oleo exultationis vngar,& ad te diligendum,& proximis manifeſtandum robuſtior efficiar.

Pia mulieres Chriſti pedes deoſculantur.

3. Satisfecerunt illæ, ô dulcis Ieſu, deſiderio ſuo in amplexibus & oſculis pedum tuorum. Quia tamen gaudium earum non erat adhuc purum,ſed nimio timore mixtum (nam imbecillitas humana conſtringitur ad præſentiam rerum cœleſtium, ac præſertim tantæ maieſtatis tuæ) ideo timorem depellis,dicens:Nolite timere, quo verbo ſerenam & tranquillam earum mentem reddidiſti. Quin & in tua benignitate & affabilitate perſeuerans ſubiicis: Ite, nuntiate fratribus meis, vt eant in Galilæam: ibi me videbunt. Galilæa tranſmigratio interpretatur. Illi ergo, ô Domine, quietè te videant, qui à vetere vita ad nouam tranſeunt,& ab ignauia ad feruorem, ex curis perturbãtibus ad quietem contemplationis tranſmigrant.

Chriſtus timorem mulieribus adimit.

Mulieres ad Apoſtolos miſſæ.

Meditatio VII.

De quarta apparitione facta Petro.

Luc. 24. 34. Ioan. 20. à 3. vſque 11. 4. Reg. 7. 9.

1. PVnctum. Sanctæ illæ mulieres, ô clementiſſime Ieſu, accepto tanto dono apparitionis tuæ,quídnam dicebant? Fortè illud quod in libris Regum inuenimus ſcriptum:Hæc dies boni nuntij eſt. Si tacuerimus,& noluerimus nuntiare, ſceleris arguemur. Vénite, eamus, & annuntiemus in aula regis. Venerunt ergo, & annuntiauerunt in aula regis:in domo Apoſtolorum, quæ ab Angelis audierant,& oculis ſuis viderant.Viſa autem ſunt ante Apoſtolos ſicut deliramenta verba iſta,nimirum quòd tu Rex meus à mortuis reſurrexeris, & immortalis viueres. Fides donum tuum eſt,tibi acceptum fero. Hoc donum in corde meo ſemper cuſtodi & auge,vt verba & myſteria tua,non vt deliramenta (quod Apoſtoli necdum confirmati tunc fecerunt) ſed vt veriſſima amoris incitamenta ſuſcipiam.

Mulieres Apoſtolis viſa narrant.

Fides donũ Dei.

2. Diſcipulorum autem erant feruentiſſimi, ô amator fideliſſime Ieſu, Petrus & Ioannes. Hi, auditis mulieribus noluerunt aures obturare, nec omnino aſſenſum negare dictis earum, ſed ire decreuerunt, & oculis ſuis monumentum vacuum videre. In hoc ſe feruidos & fortes exhibuerunt. Feruidos, quia ſuper hac re tam ad ſuam ſalutem neceſſaria diligenter inquirunt: fortes,quia perſequutionem Iudæorum,& milites tuum corpus cuſtodientes ſpernunt. Præcucurrit Ioannes quia vegetior,expectauit tamen venientem Petrum,vt ſeniori deferret,& vt audientes hæc ad reuerentiam maiorum excitaret. Introierunt ambo, & non viderunt Angelos, quia vt fortes & ſapientes, qui Scripturas nouerant,tractandi erant, ſed linteamina ſola poſita,& ſudarium ſeorſum in aliũ locum inuolutum inuenerunt. His ac recordatione verborum tuorum moti ſunt ad credendum,quia iam ſurrexeras, & ſic ad te videndum paratiores & aptiores facti ſunt. Tu Domine aptum me fac, vt donis tuis aliquando implear, & ad te videndum fide & charitate diſponar.

Petrus & Ioannes feruidi & fortes.

Quæ inuenerint in monumento.

Petrus & Ioannes reſurrectionem Saluatoris credunt.

3. Regreſſi ſunt Petrus & Ioannes in domum ſuam, ô ſanctiſſime Ieſu,& cùm Petrus ſolus eſſet, & ruminaret ac admiraretur quæ facta fuerant,dignatus es apparere illi; ſic conſolaris peccatores verè conuerſos, quia non eos deſpicis, ſed iuxta menſuram maioris compunctionis,& maioris feruoris & charitatis,ſupra innocentes interdum amplioribus donis dignaris. Aſpexit te Petrus magiſtrum ſuum, procidit ad pedes tuos, peccatũ ſuum amariſſimis lacrymis fleuit, veniam humiliter poſtulauit. Tu verò Domine qui in domo Caiphæ aſpexiſti eum ad conuerſionem, aſpicis nunc ad indulgentiæ certitudinem. Lætificaſti cor eius,inflammaſti amorem eius,& vt fratres cõfirmaret,iniunxiſti. Paruit ille,& ita eorum corda commouit, vt dicerent:Quia ſurrexit Dominus verè, & apparuit Simoni. Hi ſunt fructus viſitationis tuæ,quos

Petro ſoli Chriſtus apparet.

Petrum Chriſtus lætificat, & inflãmat.

vt percipiam, visitationes tuas auidissimè sitio, & supra omnes mundi delicias exopto.

MEDITATIO VIII.

De quinta apparitione facta discipulis euntibus in Emauntem.

Luc. 24. à 13. vsque 35.

1. PVnctum. Eadem die sanctæ Resurrectionis tuæ, ô misericordissime Domine Iesu, ibant duo ex discipulis tuis in Emaus, vt pericula Hierosolymæ fugerent, & post tantos timores atque tristitias aliquod animo suo leuamen afferrent. Gregem ouium tuarum, cœtum scilicet Apostolorum reliquerant, desolati ac tristes incedebant, & de his quæ circa te acciderant verba faciebant. Tu verò bonus pastor adiunxisti te illis in specie peregrini, & iter faciebas cum illis, vt oues errantes reduceres, in sua tribulatione consolareris, & sermones de te ac de rebus cœlestibus tua præsentia cohonestares. Ibas cum illis, nec agnoscebant te, quia qualem te putauerant à vita sublatũ, talem teipsis exhibebas. Et vt indices nobis te licèt non sentiamus, afflictis ac tribulatis adesse.

Christus peregrini formam assumit.

Comitatur in Emaus euntes.

2. Interrogas illos, ô prudentissime Iesu, quid inter se loquantur, non quia ignoras, sed vt ipsi ad verba sancta protelanda prouocentur, & simul vulnus infidelitatis aperiant. Stupent illi, quòd in illa ciuitate nuper gesta non noueris. Tu verò adhuc instas & rogas, quænam acciderint, ac si nescires aut oblitus esses, vt innotescat magnitudo gloriæ tuæ, quæ quasi obliuisci te fecit omnium laborum tuorum.

Christus duos discipulos interrogat.

3. Illi autem, ô altissime Iesu, ita respondent, vt quàm magna de te conceperint, manifestè patefaciant. Loquimur, inquiunt, de Iesu Nazareno, qui fuit vir animo forti ac planè virili conspicuus, Propheta, quia omnia occulta vsque ad cordium cogitationes nouerat, potens in opere, nam omnia creata sua potestate mutabat, & sermone, quo homines perditos ad bonam frugem reuocabat, & ignorantes erudiebat: coram Deo, cuius indignationem placabat, & coram hominibus, quibus admirationi & stupori erat. Hunc Iudæi hisce diebus in crucem egerunt. Nos autem sperabamus quòd esset surrecturus & redempturus Israël ab hac oppressione Romanorum quam patitur. Sed spes nostra fefellit nos, cùm etiam in hac tertia die à nece eius, eum mortuum ac sepultum sciamus. Et quamuis mulieres quædam ex nostris terruerint nos, dicentes se ad monumentum iuisse, & eius corpus minimè reperisse, Angelósque audiuisse dicentes, eum viuere. Et licèt quidam viri, quibus maior fides adhibenda est, profecti ad sepulchrum corpus eius non inuenerint, nos tamen adhuc hæsitamus, & spem nostram delusam esse coniicimus. Hæ sunt, Domine, cogitationes hominum, hæ dubietates eorum de rebus tuis, quamdiu tu eos sapientiæ tuæ luce non illuminas.

Discipulorum responsum.

Discipulorũ hæsitantia.

4. Audisti iam ignorantiam istorum, ô Magister veritatis Iesu, aperi nunc os tuum fontem aquæ viuæ, & venam veræ sapientiæ, qua insipientiæ eorum succurras, & maculas cordium ipsorum abstergas. O stulti, ais, & tardi corde ad credendum. Stulti qui mea verba, quibus meam mortem & resurrectionem prædixeram, sæpius audistis, & numquam intellexistis. Tardi ad credendum qui nunc tam manifestis indiciis non acquiescitis. Nónne oportuit Christum pati, & ita intrare in gloriam suam. Vt & vaticinia quæ de ipso erant implerentur, & omnes intelligerent, quia oportet membra ac electos eius per tribulationes in gloriam ingredi. Deinde quanta gratia, quanta sapientia interpretatus es Scripturas, & manifestasti eis ea omnia quæ acciderant signa esse veri Messiæ, qui per sanguinem suum erat genus humanum liberaturus, & cœlum hominibus clausum aperturus. Loquebaris Domine, & ab audientium cordibus ignorantiæ tenebras expellebas, & ea igne amoris flammabas. Nam & ipsi postea fatebãtur: Nónne cor nostrum ardens erat in nobis dum loqueretur in via, & aperiret nobis Scripturas? Loquere obsecro, en audio, & voce tua erudi me, & cor meum igne charitatis accende.

Christus aperit scripturarũ arcana.

Verbis corda accendit.

5. In hac dulcissima confabulatione, ô suauissime Iesu, appropinquasti cum illis castello quò ibant. Et ita te exteriùs exhibuisti ac si destinasses longiùs abire, vt postea cognoscerent discipuli in opinione eorum, quàm longè eras ab illis, quippe qui vita functus putabaris. At ipsi precibus compulerunt te, vt cum ipsis ad castellum diuerteres, vis enim à nobis orationibus, ieiuniis, gemitibus, & aliis huiusmodi quasi vim pati. Mane, inquiunt, nobiscum Domine, quoniam aduesperascit, & inclinata est iam dies. Idem omnino postulo, vt quãdoquidem iam est inclinata dies vitæ meæ, in tempore senectutis, mecum ad augmentum feruoris maneas, & ne derelinquas me.

Christus quodammodo sibi vim inferri, vt maneat, desiderat.

6. Acquieuisti precibus eorum, ô benignissime Iesu, qui audis in veritate inuocantes te. Cum illis hospitium ingressus es. Accubuisti ad mensam, & ibi non verbis, sed factis illis te manifestasti, vt hospitalitatem probares, & modestiam vultus ac cætera opera tua efficacissima esse ad te manifestandum ostenderes. Accepisti ergo panem, fregisti more solito, & consecrasti illud in corpus tuum, & porrexisti illis. Hic autem panis vitæ & intellectus aperuit eorum oculos vt te viuum & recumbentem agnoscerent. Statim autem subtraxisti te ab eis exultantibus & stupentibus; sic enim te habes cum electis tuis, vt visites eos diluculo, & subitò probes illos. Abscondis te, vt ipsi te non abscondant. Quod & hîc factum est. Nam beati hi discipuli statim regressi sunt Hierosolymam, vt tuam resurrectionem discipulis aperirent. Ad hoc enim ostendis te nobis, vt alios ad te doctrina & exemplo adducamus, & tuam benignitatem erga tibi seruientes manifestemus.

Christus se innocantes audit.

Christus panẽ consecrat.

Iob 7. 8.

Ad quid se nobis Christus ostendat.

MEDITATIO IX.

De sexta apparitione facta discipulis in vnum congregatis.

Luc. 24. à v. 36. vsq; 47. Ioan. 20. 19.

1. PVnctum. Ad vesperam igitur illius sacræ diei resurrectionis tuæ, ô gloriossime Iesu, erant discipuli congregati in vnum de his, quę aliqui eorum viderant, loquentes, & ianuis clausis & obseratis protecti propter metum Iudęorum. Tunc autem, quando duriores eorum erant bene dispositi, & feruentiores patientia probati, & omnes in vniuersum ardentissimo desiderio tuę apparitionis accensi, ingressus es ad eos ianuis clausis manentibus. Nihil enim impedire poterat subtilitatem gloriosæ humanitatis tuæ, nec potentiam diuinitatis tuæ quominus ad consolandum nos venires, & tenebras cordis nostri discuteres. Secretum amas Domine, secretum amas, & illos consolatione tua visitas, quos visibilia fugiẽtes, & solitudinem cordis amantes reperis.

Christus ianuis clausis discipulos inuisit.

Secretum Dominus amat.

2. Ingreſſus, ô dulcedo animarum Ieſu, ſtetiſti in medio diſcipulorum tuorum. Hic namque locus præcipuus tibi ſummo regi debebatur, ex quo vt ſplendidiſſimus ſol illos illuminares, vt Magiſter doceres, vt princeps gubernares, vt ſequeſter pacificares, & vt protector defenderes. Ibi autem poſitus, dixiſti: Pax vobis, ego ſum, nolite timere. Et quia tuum dicere facere eſt, his verbis veram pacem eorum cordibus indidiſti, tui cognitionem, ſcilicet quòd eſſes Deus & frater, magiſter & protector eorum, infudiſti, & nimium timorē hoſtium ſuorū tum viſibilium, tum inuiſibilium ab eis procul amandaſti. O ſi vox hæc tua: Pax tecum, in animo meo intus inſonaret, quanta tranquillitate, & luce, & ſecuritate perfruerer?

Christo medius locus debetur.

Domini dicere, facere eſt.

Quid ſuis verbis Chriſtus diſcipulis communicauit.

3. Nondum effectus huius viſionis conſequutus es, ô benigniſſime Ieſu, diſcipuli namque adhuc timent, adhuc turbantur, adhuc dubitant an te, an verò ſpiritum aliquem in aſſumto aëreo corpore videant. Innoua igitur ſigna, immuta mirabilia, vt in te credamus. Sic profectò feciſti. Primū enim illos benignè carpis illis verbis: Quid turbati eſtis, & cogitationes dubietatis locum inueniūt in cordibus veſtris. Deinde oſtendis illis manus & pedes & latus, & non ſolùm te videndum, ſed etiam palpandum tradis: & hac viſione & attrectatione fidem tuæ reſurrectionis, amorem & exultationem immittis.

Diſcipulorum timor.

Sua vulnera diſcipulis ſaluator oſtendit.

4. Aliqui eorum, ô patientiſſime Ieſu, adhuc non quieſcunt, nec firmiter credunt; vnde oportet vt te amplius humilies. Petiiſti ergo ab eis aliquid, quod manducaretur, & offerentibus illis partem piſcis aſſi, & fauum mellis, manducaſti coram eis, & reliquias inter eos diſtribuiſti, vt tecum etiam & ipſi comederent. Ac poſtea aperuiſti eis ſenſum vt Scripturas intelligerent, & te docentem ſic audirent vt intellectum Moſis & Prophetarum & Pſalmorum caperent. Hi ſunt Domine effectus viſitationis tuæ, quos ego totis præcordiis concupiſco, vt nempe me de rebus cœleſtibus erudias, & affectum meum guſtu piſcis aſſi, ſcilicet humanitatis tuæ, & fauo diuinitatis paſcas.

Chriſtus manducat coram diſcipulis.

Effectus viſitationis Chriſti.

5. Hæc dona non videntur nobis parua, ô donorum affluentiſſime largitor Ieſu, ſed adhuc addis alia maiora. Iterum dicis illis: Pax vobis, vt pacem augeas, qua illi non ſolùm in ſe pacati ſint, ſed alios poſſint ad pacem componere. Deinde mittis illos ad prædicandum. Sicut miſit me Pater & ego mitto vos, vt ſicut ego miſſus ſum veritatis ac virtutis doctor, ita & vos à me magiſtri orbis conſtituti eadem doceatis. Poſtea vt bene inſtructi incedant inſufflaſti in eos, vt Spiritum ſanctum tuum illis tribueres. Meritò verò flatu ſpiritum tribuis, vt intelligamus ipſum à te procedere, ſicut flatus ab ore, vt eo flatu ſicut & primo homini vitam nobis impertires, & puluerem vitiorum ac imperfectionum diſpergeres. Tandem poteſtatem ampliſſimam remittendi peccata dediſti eis. Hanc tu habes vt Deus verus, cuius eſt ſuas offenſas condonare, illi vt miniſtri tui qui poteſtate à te accepta habent eadem peccata remittere. Laudo te Domine, & millies glorifico, quia ita extuliſti miſerum hominem in dignitate ſacerdotali conſtitutum, vt poſſit omnibus hominibus, omnia peccata etiamſi arenas maris excederent, & grauiſſima quoque & diabolica flagitia condonare.

* * *

Chriſtus ſuos mittit ad prædicādum diſcipulos.

Spiritus ſanctus à Chriſto procedit vt Deo. Chriſtus diſcipulis poteſtatē remittēdi peccata concedit.

MEDITATIO X.

De ſeptima apparitione facta diſcipulis, præſente Thoma.

1. PVnctum. O quanta eſt miſericordia tua, ô fideliſſime Ieſu, qui vnam ouem perditam nō deſeruiſti, ſed pro ea inuenienda te tam inſigniter humiliaſti. Non erat Thomas cum aliis Apoſtolis in die reſurrectionis tuæ ad veſperam, quando apparuiſti eis. Reliquerat ille cœtum illorum, neſcio qua ex cauſſa, & ea pœna mulctatus eſt, qua ſolent puniri qui ſeparantur à congregatione bonorum. Nam te ſuſcitatum minimè aſpexit, nec verba tua audiuit, nec reliquias piſcis aſſi, nec faui mellis comedit. Rediuit poſtea à conuerſatione ſæcularium ad cœtum iuſtorum, & rediuit incredulus; audiens enim quòd ſurrexiſſes, per infidelitatem non credidit; per duritiam tot teſtibus & rationibus ſe oppoſuit, & in incredulitate permanſit: per curioſitatem ſigna petiuit, dicens: Niſi videro in manibus eius fixuram clauorum, & mittam digitum meum in locum clauorum, & mittam manum meam in manus eius, non credam. In hac proteruia per octo dies perſeuerauit, & hucuſque perſeueraſſet, & perditus eſſet, niſi tu Domine eius miſertus tantam cæcitatem abſterſiſſes.

Ioan. 20. à 26. vſque 31.

Qua pœna mulctatus Thomas abſens.

Incredulitas Thomæ.

2. At tu, benigniſſime Ieſu, à quo conuerſio noſtra inchoare dignoſcitur, & progredi, ac finem tenere certiſſimè creditur, poſt dies octo iterum ingreſſus es ianuis clauſis ad diſcipulos, præſente Thoma, & impertitus es pacem illis. Ac poſtea conuerſus ad Thomam dixiſti es: Aſpice me, ô Thoma, vt credas, & tange me. Infer digitum tuum in locum clauorum, & attentè conſidera manus meas, & affer manum tuam, & mitte in latus meum, & noli eſſe incredulus, ſed fidelis. O ſumma dignatio tua, Domine Ieſu, vulnera manuum & pedum, & lateris non cruenta ſed glorioſa in tua carne ſeruaſti, vt diſcipulos in fide ſtabilires, vt veſtigia victoriæ tuæ in perpetuum oſtenderes, vt quanti tibi conſtitiſſemus velut ad memoriam reuocares, vt hæc ſtigmata indignationi Patris opponeres, vt amorem noſtrum accenderes, & in extremo die reproborum ingratitudinem incuſares. O immenſa charitas tua; qui iterum appares, & quaſi ad examen te offers, vt vnum lucreris. O mira affabilitas tua, qua tam ſuauiter loqueris, & manus & pedes & latus ſanctum tuum, ab incredulo & duro diſcipulo contrectare non exhorres. Propter hæc ardenter te diligam, & quamuis miſer peccator & tepidus ſemper de tua miſeratione confidam.

Verba Chriſti ad Thomam pro teruum.

Summa Chriſti dignatio.

Immenſa charitas.

Mira affabilitas.

3. Hæc viſitatio tua, ô ſanctiſſime Domine Ieſu, Thomæ remedium attulit. Illuſtratus enim fide viua poſt aſpectum & contactum tui (quem tamen præ reuerentia recuſauit, & ex obedientia (nam tu tangi voluiſti) tandem admiſit, in te credidit, & egregia confeſſione ſuam fidem patefecit, dicens: Dominus meus, & Deus meus. Probaſti quidem confeſſionem diſcipuli increduli, non tamen laudaſti eum, quia ſerò & poſt tot experimenta aſſentitus eſt. Laudaſti tamen nos qui non te vidimus, & in te credimus, dicens: Beati qui non viderunt & crediderunt. Hoc eſt initium beatitudinis, ô Domine, vera fides, quam obſecro in me ſemper cuſtodias & augeas, & vſque ad tuam claram viſionem promoueas, Amen.

Thomas fide illuſtratur.

Thomæ illuſtris confeſſio.

Vera fides Beatitudinis initium.

MEDITATIO XI.

De octaua apparitione facta discipulis ad mare Tyberiadis.

Matth. 28. à 16. vsque 20. Ioan. 21. à 1. vsque ad 23.

1. PVnctum. Cùm tuos diligas, ô amator perseuerantissime Iesu, eos quærere, ipsisque te manifestare non cessas. Cùm enim essent simul Petrus, & alij quinque ex discipulis, & piscatui vellent intendere, tum vt haberent vnde se reficerent, tum vt otiositatem fugerent, ita res dispositæ sunt vt tui recordarentur, te desiderarent, & desiderando reperirent. Petrus alios ad hoc opus sibi familiare vocauit, illi verò concordes assenserunt, & obedientes paruerunt. Per totam autem noctem laborantes nihil omnino piscati sunt: quid enim in nocte ignorantiæ positi & à te dissiti homines piscarentur? Nox naturæ quia quietem habet, apta est piscibus apprehendendis: at nox ignorantiæ & culpæ, cùm inquieta sit non est apta donis cœlestibus assequendis. Illi ergo diligenter laborabant, & cùm nihil caperent, patienter sustinebant, & tuam præsentiam Domine sitiebant. Quid autem aliud ego faciam, cùm affligor, cùm sine fructu laboro, nisi te desiderare; qui & prouentum laborum affers, & animam consolaris?

Piscatui intenti.

Nox naturæ. Nox ignorantiæ.

Discipulorũ patientia & desiderium.

2. Cùm ergo discipuli fatigati essent, ô remedium nostrarum indigentiarum Iesu, appares illis, non in naui, non ambulans super vndas maris, sed in littore, vt te vitam habere immortalem & stabilem demonstrares. Rogas an pulmentarium habeant, non quia nescis, sed vt eos ad suam indigentiam manifestandam prouoces. Nam semper humilitas tibi placuit, & dona tua abundanter acquisiuit. Illis dicentibus, se nihil cœpisse, vt ad dexteram nauigij rete iaciant præcipis, & pisces illos capturos polliceris. Meritò quidem ad dexteram, quia quod tu præcipis semper dextrum est, quia semper prosperum & proficuum est. Obedierunt illi tibi, quem nondum nouerant, & statim fructum obedientiæ copiosissimum piscium iactum ceperunt. Nemo quippe potest rectè tibi ac prælatis obedire, & fructu sui laboris frustrari.

Homilitas Christo sẽper grata.

Obedientia fructuosa semper.

3. Statim Ioannes, ô pulchritudo animarum Iesu, nouit te, & Petro ac aliis quod nouerat patefecit. Erat ille typus virginum, & imago contemplatiuorum, qui in cognitione tui ferè semper excellunt: nec inutiliter noscunt, sed aliis te doctrina sua efficaciùs manifestant. Petrus verò nauim & pisces, & socios relinquit, & præ reuerentia tui vestem assumit, & natans ad littus exit, vt celeriùs ad te veniat. Hoc enim est ingenium feruidorũ vniuersa deserere, & se diligentissimè indumentis virtutum amiciri, & non reptando sed volando ad te suum bonum properare. Alij non ita celeriter, sed diligenter egrediuntur, & rete trahunt absque vlla ruptione plenum magnis piscibus, qui cœtum prædestinatorum significant. Hi apud te in æternis sedibus omnes erunt sanctitate magni, & nullo schismate aut discordia diuisi.

Ioannes typus virginũ & contẽplatiuorum.

Quale feruidorum ingenium.

Pisces à Petro capti figura prædestinatorũ.

4. Venerunt omnes illi sancti piscatores ad te, ô amantissime Iesu, & inuenerunt prunas à te miraculosè factas, & piscem & panem per miraculum præparatos. Ad præceptum autem tuum manducauerunt, & saturati sunt, & à lassitudine liberati. Quando tui in ministerio animarum vel in aliquo alio laborant pro amore tui, ô verè Pater, tu eis cibum consolationis præparas, & prunas amoris & sanctorum affectuum, quibus calefiant, accendis. Immo quamdiu in hac vita fructuosè laborant, tu cœlestem mensam ad præmium eorum instruis, in qua diuinitatis tuæ pane, & humanitatis pisce recreentur, & sine fine pascantur.

Quibus Christus cõsolationis cibum præparet.

Diuinitatis panis humanitatis piscis.

5. In hac apparitione decreueras, ô fidelissime & liberalissime Iesu, verbum tuum implere, quo Petro claues regni cœlorum, & primatum totius Ecclesiæ promiseras. Facturus itaque eum Ecclesiæ principem ob illustrissimam confessionem, qua te Dei filium confessus est, primum illum examinas, & an aptus sit ad pastorale officium expendis, ter ab eo interrogans: Simon Ioannis, diligis me plus his? Quibus verbis qualitates prælatorum designas. Simon enim interpretatur obediens, & Ioannes gratia. Quid ergo est Simonem filium Ioannis robustum fide de amore interrogare nisi indicare prælatos esse debere fide plenos, obedientia promtos, Spiritus sancti gratia perfectos, & amore conspicuos? Sed cur non semel tantùm, non bis, sed ter eamdem quæstionem amoris proponis? An vt Petrus trina responsione crimen trinæ negationis elueret? An vt se fore in amore perfectum intelligeret? An vt verbo & exemplo & oratione sibi subiectos pasceret? Ita sanè. Ille verò licèt amore feruidus præ humilitate se amare te absolutè affirmare non audet. Ideo respondit: Domine, tu scis quia amo te. Et tu omnia nosti, & tu scis quia amo te. Huic tot virtutibus ornato iure optimo Ecclesiæ principatum committis, & ex ore tuo audit: Pasce agnos meos, & pasce oues meas, vt & tam agnis, id est, communibus fidelibus, quàm ouibus agnorum matribus, id est, prælatis minoribus præficiatur, & illi non esse dominum ouium, sed tuum vicariũ intimetur.

Prælatorũ qualitates.

Quare ter Petrũ Christus interrogauerit.

Petri humilitas.

6. Petrus, princeps Ecclesiæ factus, ô sanctissime Iesu, reliquis in potioribus donis præponatur: & ex tuo ore audiat, qua morte sit ad meliorẽ vitam transiturus. Cùm eras iunior, ô Petre, ais, cingebas te, & ambulabas, vbi volebas, id est, opera mortificationis, & virtutum quibus Deo seruires pro tuo arbitratu disponebas, at factus senior & virtute grandæuus, alius te cinget, & persecutionibus & cruce atteret (quod multo perfectius est) & ducet quò tu non vis. Hac sententia Domine, indicabas quo mortis genere esset te clarificaturus: quia cùm iusti pro te patiuntur, tu apud omnes clares & glorioſus ostenderis.

Christus Petro mortis modum prædicit.

7. Nec solùm verbis, verùm & signis ostendis, ô Domine Iesu, quàm proximus futurus tibi esset Petrus. Nam incipiens ambulare illi soli dixisti: Sequere me, quo intelligeretur Petrum te sequuturum, & in vitæ Apostolicæ perfectione, & in Pontificij muneris functione, & in glorioſissima morte crucis Ioannes, sed non iussus te quoque sequutus est, quia solus amor tui ad sequelam impulit, non gratia capitis super omnes data, nec prædictio mortis crucis hanc te sequendi concupiscentiam iniecit. Interrogat Petrus quid de Ioanne futurum sit, & illius curiositatem compescis, quia in Ecclesiæ prælatis vel minimi defectus tollendi sunt & corripiendi, vt qui præ cæteris dignitate eminent, etiam puritate conuersationis excellant.

Petri excellentia inter alios.

Saluator Petri curiositatẽ compescit.

MEDITATIO XII.

De nona apparitione facta omnibus discipulis in monte Galilææ.

Marci 16. à 24. vsque 18.

1. PVnctum. Imples tandem, ô fidelissime Iesu, quod in die tuæ resurrectionis promiseras,

& glorioſus appares tum Apoſtolis,tum aliis multis diſcipulis in quodam monte Galilææ. Profecti ſunt illi in Galilæam,vt tibi præcipienti obedirent, & te magis ex profeſſo viderent. Charitate autem inflammati omnes quos poterant ex diſcipulis conuocarunt vt tuo conſpectu fruerentur, adeò vt conuenirent pluſquam quingenti fratres. His omnibus te manifeſtas, & teſtes efficis reſurrectionis tuæ. Sed eorum nónulli minus prouecti adhuc de tua immortalitate dubitarunt, reliqui verò abſque vlla hæſitatione te magna cum reuerentia adorauerunt. Cum his, ô Domine, tuam maieſtatem adoro,& te mortis & inferni & peccati deſtructorem agnoſco.

Apoſtolorum charitas.

Ex diſcipulis aliqui immortalitatem Chriſti non credebant.

2. Sed quàm dulcia ſunt verba tua, ô ſuauiſſime Ieſu, quæ in hac apparitione coram omnibus protuliſti, dulciora ſuper mel & fauum. Data eſt mihi,ais,omnis poteſtas in cœlo,& in terra.In cœlo quidem,vt illud hominibus aperires,& ſedes illas æternas diſtribuetes, & ad eorũ bonum Angelos mitteres,& rex & dominus vniuerſis cœlitibus imperares.In terra verò,vt peccata remitteres,corda ſubiiceres,& donis innumeris cumulares.Hanc ſupremam poteſtatem, vt Deus ſemper habuiſti, ſed vt homo (licèt tibi multis titulis debita eſſet)eam tuis meritis comparaſti. Tibi ex totis præcordiis de hac tibi data poteſtate congratulor,& ab ea, & æternam ſalutem, & media ad eam conſequendam ſpero.

Poteſtas data Chriſto in cœlo. Data etiam in terra.

Chriſtus ſuis meritis ſupremam poteſtatẽ comparauit.

3. Statim hac poteſtate vſus es, ô amantiſſime Ieſu, & miſiſti Apoſtolos tuos, vt docerent omnes gentes,& prædicarent Euangelium Græcis ac barbaris, & cuiuſcumque ſtatus ac conditionis hominibus. Item vt baptizarent omnes in nomine Patris & Filij & Spiritus ſancti.Quo legem acerbam circumciſionis abrogaſti, & in legem ſuauiſſimam Baptiſmatis commutaſti, & baptizatos Patris æterni filios, filij fratres, Spiritus ſancti ſponſas, ac totius Trinitatis templa feciſti. Tandem vt docerent baptizatos ſeruare omnia mandata tua,& fidem bonis operibus profiteri. Non credentes à te in æternum reiicis, credentibus fide viua vitam æternam promittis. Eccleſiam etiam tuam dono miraculorum faciendorum exornas, & Sacerdotes vt eadem ſpiritualiter faciant ſupernaturali poteſtate condecoras, & cuilibet fideli, vt hæc in ſe faciat, facultatem attribuis. Da igitur mihi qui in te credidi, vt per veram contritionem à me dæmonia & peccata eiiciam, vt expulſis vitiis veteris Adæ linguis nouis gratiarum actionis loquar, ſerpentes,id eſt,occaſiones peccandi tollam,ſi ſuggeſtionem peccati ſenſero, mihi per conſenſum nocumentum non inferat, & adhibita ſolicitudinis manu infirmitatibus ſeu affectibus meis inordinatis ſalutem adhibeam.

Ad quid miſſi Apoſtoli à Chriſto.

Chriſtus à ſe infideles reiicit. Donum faciendi miracula.

4. Magna ſunt hæc,ô potentiſſime Ieſu,ad quæ tuos diſcipulos mittis; difficilia quæ fidelibus vniuerſis iniungis, ſed roborat & confortat nos admiranda promiſſio: Ecce ego vobiſcum ſum vſque ad conſummationem ſæculi.Non Angelus,ſed tu ipſe nobiſcum egrederis; per aſſiduam protectionem, & auxiliorum exhibitionem, & per realem præſentiam in Euchariſtia nobiſcum manes: & non in diem, ſed vſque ad finem ſæculi nobiſcum perſiſtis. Sentiam te Dominum meum mihi ſemper eſſe præſentem, & hæc conſideratio præſentiæ tuæ me ab omni imperfectione cohibeat, ſolicitudinem in actionibus ſtudioſis iniiciat, & firmam ſpem conſequendi perfectionem conferat.Amen.

Chriſtus nobiſcum ſemper manet.

MEDITATIO XIII.

De aſcenſione Domini.

1. PVnctum. O ſumme Rex omnium regum Ieſu,exiuiſti à Patre,& veniſti in mundum,iam perfectis omnibus, quæ ad redemtionem noſtram expectant, tempus eſt vt relinquas mundum, & vadas ad Patrem.Hanc profectionem tuam ita diſpoſuiſti,vt ante eam eodem die aſcenſionis in cœlis Apoſtolis appareres,eiſque te profecturum manifeſtares. Erant Apoſtoli Hieroſolymis in cœnaculo congregati, tu verò læta facie, & benigniſſimo aſpectu præſentem te exhibuiſti in medio eorum:manducaſti cum eis,& Spiritũ ſanctum tuum illis promiſiſti,ne prę triſtitia & deſolatione,quam afferebat profectio tua,animum deſponderent.Sedete,ais, in ciuitate donec induamini virtute ex alto. Quieſcite, inquam, quia ad dona cœleſtia capienda quiete corporis & animi opus eſt,& vt patienter & longanimiter ſuſtineatis. Expectate etiam non in ſolitudine, ſed in ciuitate,vt vocati ad conuertendos populos, ab ipſis cœleſti ſpiritu ditati videamini. Non vobis ſolitudo corporis, ſed ſolitudo cordis neceſſaria eſt,hac præparate vos vt donum donorum recipiatis. Eſtis nudi, inermes, imbecilles. Veniet cœleſtis virtus ſpiritus mei à Patre & à me procedens,quæ vos induat, armet,& roboret, temerarium autem eſſet ad bellum contra inuiſibiles hoſtes exire, donec hac virtute protegamini.

Ioan.16. 18.

Chriſtus de ſuo in cœlos aſcenſu diſcipulos certiores facit. Verba Chriſti ad Apoſtolos.

Spiritus ſanctus donũ donorum.

2. Poſt hoc colloquium dulciſſimum, ô benigniſſime Ieſu, eduxiſti diſcipulos in Bethaniam in montem oliuarum, & te ducem itineris præbuiſti, vt ibi ab illis aſcendens videreris. O fœlix iter diſcipulorum in montem,ſiquidem te habuit ducem & comitem,& aſcenſus adiutorem. Ad Bethaniam egrederis, & à monte oliuarum aſcendis, vt vnde cœpit paſſionis ignominia,inde incipiat exaltationis gloria. Et obedientia te efferat, quæ in paſſionem mortémque deiecit. Aderat igitur in illo mõte Virgo mater, aderant & omnes diſcipuli,& cùm iam hora aſcendendi appropinquaret,auxiſti decorem corpori tuo, & ſplendorem vulneribus tuis, ita vt omnes aſtantes præ reuerentia & tremore apud te procciderent, & cultu intimioris adorationis afficerent. Tunc permiſiſti à Matre ac diſcipulis manus tuas & pedes oſculari,& eos in tuos amplexus amantiſſimè ruere. In hócque digreſſu tuo nihil cordibus omnium diſcipulorũ defuit, quod ad inflammandum amorem ipſorum, & accendendum rerum cœleſtium deſiderium adhiberi oporteret.

Chriſtus diſcipulos ad montem oliuarũ ducit.

3. Eleuaſti tunc manus, ô glorioſiſſime Domine Ieſu, quas in patibulo crucis extenderas, vt intelligeremus dona à te mittenda deſurſum eſſe, & planè cœleſtia, & in ore miſericordiæ, ac abundantiſſimè quaſi duabus manibus danda. Deinde verbis bona precatus es eis, ac fortè dixiſti: Benedicat vobis Dominus, & cuſtodiat vos. Oſtendat Dominus faciem ſuam vobis, & miſereatur veſtri. Conuertat Dominus vultum ſuum ad vos, & det vobis pacem. Poſtea cœpiſti in cœlum aſcendere non curru ſicut Elias raptus in cœlum, ſed diuinitatis tuæ virtute ſublatus. O quanta Virginis & diſcipulorum admiratio, cùm hominem viderent nullo externo adminiculo in cœlum aſcendere! O quanta lætitia, cùm te Patrem ſuum, currum Iſrael & aurigam eius aſpicerent tanta maieſtate diſcedere! O quantum deſiderium

Chriſtus diſcedurus ſeſe oſculari permittit.

Quorſũ Chriſtus aſcenſurus eleuet manus. Num.6. 24.

Chriſtus aſcendit non vt Elias, ſed propria virtute.

Christū ascēdentē SS. anima prædebāt.

sequendi, cùm thesaurum cordium suorum intuerentur per alta leuari! Ascendisti sic aliquantulum, ô Princeps cœli & terræ, quem animæ è lymbo eductæ, & iusti qui resurrexerant, & Angeli præcedebant, donec nubes lucidissima atque pulcherrima supposuit se pedibus tuis. Tu enim es, qui ponis nubem ascensum tuum, qui ambulas super pennas ventorum: quæ nubes tandem abstulit te ab oculis eorum, & ne mortales oculi immortalia viderent, tuam gloriosam humanitatem contexit.

Duo Angeli discipulis apparent.

4. Stabant discipuli, ô spes vnica nostra Iesu, quasi in extasim rapti, te quidem iam nō videntes, sed in cœlum, quò iueras, suspicientes. Sed ne contemplationis otium ab animarum cultoribus acciperetur absque mensura, apparuerunt eis duo Angeli in specie virorum amictu candido se ostendentium, à quibus audierunt: Viri Galilęi, cùm iam tempus sit regrediendi ad propria, & vobis iniuncta disponendi, quid hîc statis aspicientes in cœlum? Reddite ergo, & scitote, quia quemadmodum Dominus cum gloria ascendit sedem Regni occupaturus, ita tempore quo mortales ignorabunt, veniet rationem gestorum exacturus. Illi, Domine, qui obedientes erant cum magno gaudio regressi sunt, quod firma fides, certa spes, & ardens in te mor excitarunt.

Verba Angelorum.

Psal. 67. 18. Qualis Christi triumphantis currus.

5. Sed quis poterit cogitare, ô rex gloriæ Domine virtutum Iesu, quàm solemni triumpho, & immensa gloria in cœlum ingrederis? Currus tuus, quo veheris, non ad necessitatem, sed ad maiestatem, decem millibus multiplex, millia lætantium. Ascendisti in altum, cepisti captiuitatem, & animas iustorum, quæ in lymbo captiuè tenebantur, tecum detulisti, nobisque hominibus hîc manentibus, pretiosa dona dedisti. Angeli & Sancti qui tecum ascendunt glorioſissimum, ad quem nullus mortalis admittitur, comitatum efficiunt. Occurrūt illis alij cœlestes spiritus, & nō ex ignorantia, sed ex magnitudine admirationis inquirunt. Quis est iste, qui venit de Edom, de terra. Quis est iste, qui venit tinctis sanguine vestibus de Bosra, de Hierosolyma? Iste formosus in stola humanitatis suæ, gradiens in multitudine fortitudinis suæ? Respondetur autem illis ab ascendentibus tecum: Attollite portas principes vestras, & eleuamini portæ æternales, & introibit rex gloriæ. Inquirentibus adhuc: Quis est iste rex gloriæ? Iterum dicitur: Dominus fortis & potens, Dominus potens in prælio. Dominus virtutum ipse est rex gloriæ. Quin & tu ipse ais: Ego qui loquor iustitiam & protector sum ad saluandum. His & aliis huiusmodi confabulationibus cœlos penetras, ad supremum empyrei cœli peruenis, & ad thronū æterni Patris accedis. Omnia hæc, quæ ibi contigerunt, ineffabilia sunt, & captum humanum atque Angelicum excedentia; cogito tamē te sic ad Patrem dicentem: Pater, manifestaui nomen tuum hominibus, quos dedisti mihi de mundo. Ego clarificaui te super terram, opus consummaui, quod dedisti mihi vt faciam. Et nunc clarifica me tu Pater apud temetipsum claritate, quam habui priusquam mundus esset apud te.

Qualis comitatus.

Isaiæ 63. 1. Descendētiū Angelorum & ascendentium colloquia. Psal. 23. 7.

Ioan. 17. 4. Christi verba ad Patrem.

Christus ad Patris dexterā sedit.

6. Tunc, ô caput Angelorum omnium & hominum Iesu, sedisti ad dexteram Patris, id est, possedisti potiora bona eius. Nam habes cum Patre eamdem diuinitatis maiestatem, eamdem gloriæ beatitudinem, & eamdem iudiciariam potestatem. Sedes autem quia hæc immutabiliter possides. Tunc autem sedes animabus, quæ tecum ascenderunt, inter Angelos trium hierarchiarum distributi, & munus aduocati ostendens Patri vulnera sacra tua pro nobis obire cœpisti, & dona admiranda ad Ecclesiam tunc paruulam misisti. Pro his omnibus adoro & laudo te, à cuius largitate bonorum omnium largitionem expecto.

Munus aduocati exercuit.

MEDITATIO XIV.

De aduentu Spiritus sancti.

Virtutes quibus Apostoli præparati.

1. PVnctum. Missurus ad Apostolos Spiritum sanctum tuum, ô fons omnium bonorum Iesu, eos pulcherrimis virtutibus præparasti, & idoneos ad tam pretiosum munus accipiendum fecisti. Reuersi namque sunt Hierosolymam, & erant perseuerantes vnanimiter in oratione cum Maria matre tua. Prima igitur virtus eorum fuit à curis huius mundi seuocatio, & à creaturis secessio. Altera feruentissima oratio, & eiusdem spiritus postulatio. Tertia charitas, & mutua concordia. Quarta, perseuerantia. Quinta, longanimitas: nam decem diebus expectarunt, ampliusque expectarent, quousque tu velles eos tanto munere cumulare. His eisdem virtutibus ornabo me, dono tuo, vt spiritus tui habitaculum efficiar.

Pater spiritum ob quæ dederit.

2. Die ergo Pentecostes, quæ Iudæis ob memoriam legis latæ in monte Sina, celeberrima erat, spiritus tuus, ô dulcissime Iesu, in beatam Virginem matrem tuam & omnes Apostolos, & multos ex discipulis venit, vt ad scribendam legem gratiæ non in tabulis lapideis, sed in tabulis cordium carnalibus se venire significaret. Sed quomodo venit? Erant omnes in eodem cœnaculo (quod catholicam Ecclesiam repræsentabat) non solùm corpore, sed multo magis mente, & orationis instantia, & vnanimitate congregati. Hanc orationem tota Trinitas audiuit, & adiunctam, ô Domine, petitioni tuæ, fœliciſſimum effectum sortiri voluit. Pater enim voluit Spiritum sanctum Ecclesiæ dare, ob merita tua, ob suam nimiam charitatem, & summam nostram miseriam & necessitatem. Tu etiam dedisti, ô Christe Iesu, vt verbum tuum impleres, & per tuum spiritum quod in nobis feciſti perficeres. Spiritus etiam sanctus se dedit, vt infinitus amor seipsum communicaret, & dona sua in nos filios adoptionis effunderet.

Qua Spiritus sācti aduētum præcesserūt.

3. Sed quanta contigerunt, ô Iesu amabiliſſime, in hoc aduētu Spiritus sancti tui, quæ eius maiestatem aperiant. Factus est repentè de cœlo sonus tamquā spiritus vehementis, & repleuit totam domum, vbi discipuli erant sedentes. Repentè fit sonus, quoniam spiritus, quando & vbi vult spirat, & semper spectandus est, semper gemitibus postulandus. De cœlo venit, quoniam donum cœleste est, quod non terra sed Deus mittit. Sonus aëris insonuit, quoniam similes effectus atque aër in nobis spiritualiter efficit. Hic enim spiritus tuus vitam gratiæ tribuit & seruat, ardorem concupiscentiæ temperat, & nos à multiplici imperfectione purificat, & ad omnem virtutem potenter impellit. Vehementer impulit, quia spiritus tuus feruorem immittit, & tarda molimina nescit. Cum sonitu venit: nam Spiritu sancto donati exemplo vitæ, & efficacia doctrinæ Ecclesiam ædificant. Domum implet, quia in quocumque statu & modo viuendi sit homo, modò sit in Ecclesia, ad omne virtutis opus Spiritum sanctum, si per ipsum non steterit, abundanter recipiet.

Spiritus sanctus in ignis specie venit.

4. Hæc omnia præcesserunt aduentum spiritus tui, ô Domine Iesu, ipse autem in specie ignis venit. Apparuerunt namque dispertitæ linguæ tam-

quam ignis,sedítque supra singulos eorum. Venit in linguis, vt facultatem tribueret prædicandi. In linguis dispertitis, vt dona sua pro Ecclesiæ necessitate & ornatu distribueret. In linguis igneis, vt tam Apostolos quàm eorum doctrinam audientes illuminaret, accenderet, sursum ferret, in se transformaret, & in vnum colligeret. Et sedit supra singulos, quoniam quod ad se pertinet, stabiliter & perseueranter venit.

5. Ad hanc autem visibilem apparitionem ignis, ô dulcissime Domine Iesu, repleti sunt omnes, quotquot ibi aderant Spiritu sancto. O ineffabile donum, quod non aliquod creatum, sed ipse Deus,& tertia persona Trinitatis est. Ibi quidem aderat, sed cœpit adesse nouo modo, nimirum multitudine, & multiplicitate donorum. Verè repleti sunt omnes Spiritu sancto; quia memoriam eorum notitia Scripturarum, intellectum maxima luce voluntatem lege charitatis repleuit, & linguas vt omnibus idiomatibus loquerentur, expediuit. O sanctissime spiritus, ô fons omnium bonorum, veni obsecro ad cor meum, & illud imple donis tuis. Sol es, illumina me. Ignis es,accende me. Aer refrigera me. Præceptor doce me. Fortitudo robora me. Thesaurus dita me. Et Deus meus, posside me, vt à te mouear,à te ad opera virtutum implear, à te ab imperfectionibus subtrahar, & ad te per veram sanctitatem tandem perueniam. Et tu, ô Domine Iesu, da mihi spiritum tuum, vt me doceat omnia, & suggerat mihi omnia, quæcumque dixisti mihi,vt hæc quæ de tua sanctissima vita scripsi imitatione & actione complens,non minimus in ingressu regni cœlorum inueniar. Amen.

Varia Spiritus sancti attributa.

De Regina Ecclesiæ Maria, & primò de eius ingressu in mundum.

CAPVT V.

ITA Domini Saluatoris,& mira ac sancta opera eius, sunt quasi panis quottidianus,quo quæque anima spiritualis in statu proficientium collocata reficitur: gesta verò & mores Sanctorum sunt velut epulæ exraordinariæ,quibus interim ad augmentum suauitatis pascitur. Sicut enim diuites huius sæculi præter communes epulas quibus quottidie vescuntur,solent solemnioribus diebus exquisitio res cibos conuiuiis adiicere, quorum si non maior suauitas, at nouitas lautitiæ & magnificentiæ conuiuij deseruiat: ita spirituales viri ad refectionem animæ præter vitam Domini Saluatoris sanctorum virtutes & dona in diebus festis eorum meditanda suscipiunt, vt hac adhibita materiæ considerandæ nouitate auidiùs reficiantur. Est autem hoc ipsorum consilium apprimè vtile, quoniam à meditatione Christi non discedunt,sed certa quadam ratione sibi accommodatiorem efficiunt. Nam facilius interdum eloquentiam ex mediocri,qui primum ac præcipuum imitatur, quàm ex præcipuo oratore discimus, & radium Solis in splendida nube, quàm in ipso sole à quo oculi opprimuntur intuemur, & lacte quia pusilli sumus, quàm solido cibo sustentamur. Sic loquelam cœlestem,id est, exercitationem virtutum, & Christi splendorem,& sanctitatem eius veluti ad naturam lactis redactam ex consideratione vitę Sanctorum accipimus. Quòd si vitæ Sanctorum meditatio vtilis est, quanto magis erit meditatio vitæ Reginæ omnium Sanctorum, quam Deus perfectissimum exemplar omnis sanctitatis proposuit, & in immensum supra omnes Sanctos mirabiliùs & exquisitiùs expoliuit. Hanc considerationem commendans Dionysius Richelius ita scribit:Eluceſcit ergo nos hanc Dei amantissimam & superexaltatam Virginem sacrosanctam Mariam post Deum debere venerari sublimiùs, amare ardentiùs, contemplari syncériùs, sempérque reminisci atque complecti tenaciùs. Neque enim est post Deum aliquid tam magnum, tam bonum, tam sanctum, tam necessarium vt ipsa. Vehementer itaque clementissimo Deo regratiari tenemur,qui talem nobis prouidit mediatricem, & matrem tam misericordissimam atque mitissimam, dulcissimam,affectuosissimam, diligentissimam, fidelissimam, sapientissimam, potentissimam,& item in omnibus tam inæstimabiliter efficacem.] Sic ille. Meditationes ergo vitæ sanctissimæ Dominæ Mariæ ita disponemus, vt primò de ingressu eius in mundum, deinde de progressu eius in mundo, ac tandem de eius egressu è mundo dicamus. In eis autem deipara Virgo semper concipienda est, vt persona Ecclesię post Christum omnium sanctissima, vt exemplar vniuersarum virtutum nobis propositum,quod imitemur, & in quo virtutes Saluatoris delineatas meditemur, & à quo ad ipsius etiam Christi imitationem assurgamus. Iam,ô Virgo beatissima, ô Regina benignissima, ô vera & misericors mater nostra permitte me, laudare te. Neque enim ego fœditatibus meis te inquinabo; sed tu me tuæ puritatis cõsideratione & amore mundabis. Et quia clementissima es,spero quia hoc exiguum & vile obsequiũ, ad honorẽ tuum & vtilitatem legentiũ elaboratum non ingratũ habebis.

Sanctorũ mores epulæ animis.

Meditatio vitæ Sancto-

rum, & B. Virginis vtilissima. Dion. lib. 2. de vita, & fine solit. ar. 7.

Virgo omnium virtutiũ exempar.

MEDITATIO I.

De æterna electione Dei,qua elegit Mariam virginem.

1. PVnctùm. Illud inprimis sese offert de te cogitandum, ô Maria, sanctissima omnium viuentium mater,quòd ab æterno ante omnem creaturam à Deo præuisa, dilecta, & ad summum bonum creatum electa es. Ita sentit pia mater Ecclesia, quæ tibi illud de filio tuo à Salomone dictum accommodat: Dominus possedit me in initio viarum suarum, antequam quidquam faceret à principio ab æterno ordinata sum,& ex antiquis antequam terra fieret. Nondum erant abyssi,& ego iam cõcepta eram necdum fontes aquarum eruperant: necdum montes graui mole constiterant: ante omnes colles ego parturiebar. Prorsus ita est: hæc omnia non solùm dignitate, sed etiam Dei inspectione & quasi intentione præcedis. Ipse enim ad manifestationem suæ sapientiæ,& bonitatis,& potentiæ mundum in initio temporis conditurus, primum in caput ac principem huius operis, ne cognosceretur acephalum, nempe in vnigenitum filium suum hominem factum oculos suę benignitatis intendit, & quia ex fœmina nasciturum præuidit atque præuoluit, te ante omnia alia, vt esses filij sui mater dulcissimè aspexit,prælegit & prædestinauit. Itaque in æternitate Dei omnia corporea visa sunt,vt supplex domus Christi capitis nostri, Angeli & homines vt serui, Christus vt filius & princeps, tu verò,vt Dei sponsa pulcherrima,& filij sui dignissima mater. Congratulor tibi, ô Virgo beata, de hac mira dignitate tua,& per eam te rogo, te obsecro, vt seruum saltem desiderio fidelem oculis benignis aspicias.

Prou. 8. 23.

Virgo præelecta, & prædestinata.

Matris Dei dignitas.

2. Electa es itaque, ô Maria amabiliſſima, mater viuentium, vt eſſes mater Dei, qua dignitate nihil eſt excellentius atque ſublimius. In regno namque terreno ſuprema dignitas poſt regem eſt ſponſæ regis, cui multum accedit, ſi ex rege filium habeat, qui hæres regni futurus ſit. Idem omnino ſentiendum eſt de regno cœleſti, in quo dignitas ſponſæ Dei eminet, quæ filium vnigenitum Dei, & hæredem regni, non gratia, ſed natura, & planè verum Deum ſit paritura, & vera Dei ipſius mater, futura. Ad hanc tu ô Regina noſtra dignitatem eligeris, & cùm primùm a Deo in ſua æternitate viſa es, pulcherrima ei, vt ſponſa & mater appares. Tunc profectò ſexaginta erant reginæ, & octoginta concubinæ, & adoleſcentularum non erat numerus. Erant, inquam, coram Deo quædam animæ incipientes viam virtutis ingredi, vt adoleſcentulæ; quædam proficientes vt ſecundatiæ vxores; quædam perfectæ vt chariſſimæ ſponſæ. At tu eras vna columba, & vna perfecta Dei, quæ cæteris omnibus eminebas. Hæc dignitas tua quodammodo infinita eſt: quoniam ſi iure maius reputatur, quòd vna fœmina mater ſit ducis, quàm comitis, aut quòd ſit mater regis, quàm ducis, quàm in immenſum augetur dignitas, cùm aſſumitur in matrem ipſius Dei. Per hanc dignitatem es omnibus Angelis & Sanctis Deo coniunctior atque propinquior, cuius propinquitas ad Deum, ſuppoſita electionis gratia naturalis eſt, quia propinquitas matris eſt. Per eam etiam ſpeciale ius habes ad omnia bona filij, vt vniuerſas eius opes theſauróſque poſſideas. Dignitas verbi Dei ſuper omnes Angelos à ſeruo tuo Paulo illis verbis effertur. Cui enim dixit aliquando Angelorum: Filius meus es tu, ego hodie genui te. Et rurſum: Ego ero illi in Patrem, & ipſe erit mihi in filium. Liceat mihi, ô Domina, eadem verba ad tuam dignitatem exponendam aliquantulum immutare. Cui namque dixit Deus aliquando fœminarum: Mater mea es tu, ego in matrem elegi te. Et rurſum: Ipſa erit mihi in matrem, & ego ero illi in filium. Nemo præter te in creaturis tale verbum audiuit; & ideo nulla præter te ad tantam dignitatem aſcendit.

Cant.6. 7.

Dignitas matris Dei quodãmodo infinita.

Hebr.1. 5.

3. Non ſolùm electa es, ô Maria Virgo ſanctiſſima, vt eſſes mater Dei, verumetiam vt omnibus illis donis & chariſmatibus ornareris, quæ tantam dignitatem & maieſtatem decebant. Elegit ergo te Deus, vt eſſes ipſi omnium hominum & Angelorum gratiſſima, immo vt multi ſerui tui non inferioris ſcientiæ piè opinantur, vt tu ſola maiorem gratiam & ſanctitatem quàm eſt gratia ſimul accepta cunctorum Sanctorum, haberes. Vt ſicut decreuit Deus facere vnum corpus, nempe cœlum empyreum, quod omnia alia corpora quaſi in vnum collecta magnitudine excederet, ita conderet vnum ſpiritum puræ creaturæ, ſcilicet animam tuam, qui omnem cunctorum ſanctitatem gratia & puritate ſuperaret. Multæ filiæ congregauerunt diuitias, tu ſupergreſſa es vniuerſas. Nam ſi naturæ Angelicæ & Sanctorum animæ vt filiæ Dei gratia eius & ſanctitate ſunt diuites, tu ceu ſponſa Dei gratior & ſanctior inueniris. Sol cunctis aſtris eſt ſplendidior, & ignis omnibus calidis calidior, & mare omnibus ſtagnis & fluminibus abundantius. Tu verò electa vt ſol, & igne veræ charitatis ardentior, & gratiarum mare vaſtiſſimum vniuerſis Angelis & hominibus es ſanctior & purior. Et ſicut electa es, vt gratia & ſanctitate omnibus eſſes abundantior, ita vt cunctis virtutibus & donis ſupra omnem puram creaturam ornareris. O diues cœleſtium opum, ô mater miſericordiæ, in miſeriam meam reſpice, & gratiam mihi à Deo tua oratione conquire.

Pia opinio de gratia Virginis ſuper omnes Sãctos collectiuè.

Prou.31. 29.

Cant.6. 8. Virgo ſol, ignis, mare.

4. Tandem electa es à Deo, ô Maria Virgo puriſſima, vt eſſes Domina Angelorum, regina hominum, & refugium miſerorum, vt in te haberet natura quod ſuſpiceret, gratia quod impleret, Deus quod amaret; vt eſſes imperatrix totius orbis, ex qua omnia creata decorem aliquem & ornatum acciperent. Vidit ſe Deus in ſua æternitate regem, & te ex ſua gratia reginam, ſedentem à dextris eius in veſtitu gratiæ deaurato circumdatam omnium donorum varietate. Aſpexit te inter omnes creaturas ſibi coniunctiorem, Angelis puriorem, aſtris pulchriorem, hominibus ſanctiorem, & dilexit te, & in cooperatricem noſtræ exaltationis elegit. Vt ſicut per vnum hominem Chriſtum vita intrauit in orbem terrarum, ita per vnam fœminam (& tu ipſa es) ipſe homo Chriſtus ad nos exaltandos redimendóſque deſcenderit. Fac me, ô Regina, vnum ex ſeruis tuis, vt tibi ac filio tuo perpetuum obſequium impendam. Amen.

Ad quid virgo diuinitus electa.

Pſal.44. 10.

MEDITATIO II.

De temporali prædictione Mariæ Virginis.

1. PVnctum. Hæc ita à Deo diſpoſita & ordinata ſunt erga te ante omnia ſæcula, ô Maria Virgo clariſſima, at ab ipſo temporis & orbis exordio manifeſtauit & delineauit te, vt decus & deliciæ cœleſtium, atque terreſtrium, Angelis & hominibus innoteſceres. Statim poſt peccatum Adæ medicamentum aptum tanto malo promiſit, & te quoque conficiendi medicaminis officinam. Nam illa prima mulier noſtræ perditionis initium de te ſalutis exordio ſic Deum loquentem ad ſerpentem audiuit: Inimicitias ponam inter te, & mulierem, & ſemen tuum, & ſemen illius; ipſa conteret caput tuum.] Iam ergo ab illo primo die creationis hominis totus mundus expectabat te vt diaboli victricem, & interemtricem peccatorum. Angeli nouerunt te, vt eam quæ editura eras Saluatorem, per quem ſedes eorum ab his, qui cum Lucifero ceciderant vacuæ, erant reſtaurandæ. Homines habuerunt notitiam tui, & de te frequenter loquebantur, tamquã de ea quæ eras caput diaboli contritura, & ſemen vitæ paritura. Vniuerſa natura ſuo modo ſuſpirabat te, quia non volens vanitati ſubiecta, à filio tuo iuſtorum patre, quibus volens & libens obedit, erat fœliciter liberanda. Immitte obſecro mihi, ô Domina, notionem magnitudinis tuæ, vt te cognoſcens reuerear, & diligam, & in deſiderio puritatis, tui recordatione ſuccendar.

Gen.3.15.

Maria quibus cognita & expectata à mundi cunabulis.

2. Hæ prædictiones, ô Maria Virgo puriſſima, vſque ad tuum aduentum per ſequentia ſæcula continuatæ ſunt, nunc quidem palàm, nunc verò per varias figuras & ænigmata. Prædictiones manifeſtæ ſunt in Prophetis. Ecce Virgo concipiet, & pariet filium. Egredietur virga de radice Ieſſe, & flos de radice eius aſcendet. Acceſſi ad Prophetiſſam, & cõcepit & peperit filium. Nouum fecit Dominus ſuper terram, fœmina circumdabit virum.] Virgo vocaris, quoniam & corpore & mente integerrima eras futura. Et mater prædicaris, quia ſine læſione pudoris filium Dei eras conceptura

Iſaiæ 7. 14. Iſaiæ 11. 1. Iſaiæ 8.3. Ier.31. 22. Varia Mariæ nomina.

ceptura & paritura. Et virga, quia florem Christum editura, & caput diaboli confractura. Et Prophetissa, quoniam magnalia de te in tuo cantico prædictura. Et fœmina, vt te cogitaremus, licèt magnam, licèt excellentem, at nostræ humanæ naturæ participem. Fœmina igitur es, & à nobis naturæ cognatione minimè aliena, te obsecro habeamus semper apud Deum aduocatam, téque sentiamus propitiam.

Fœminæ Mariam præfigurantes.

3. Multis etiam fœminis per omnes ætates, ô Maria Virgo sublimissima, præsignata fuisti, vt in ancillis ex parte tua dignitas & sublimitas possit agnosci. Eua viuentium Mater appellata, imago tua fuit, in hoc scilicet, quod ex latere Christi in cruce, dormientis omnium formosissima prodiisti, & omnes viuentes, id est, omnes iustos Christum Patrem iustorum generans generasti. Deinde Maria soror Mosis, & ipsa Prophetissa, & tympanistria, quæ mulierum choros duxit. Sic & tu Virgo integerrima, Christi simul soror & mater, quæ mira prædixisti, & Dei laudes illustrissimo cantico celebrasti, & vt virginum antesignana earum choros perpetuò duxisti. Ac tandem Rebecca, Iahel, Iudith, & Esther, quæ aliquid tuæ virtutis & pulchritudinis adumbrarùt. Tu es vera Rebecca, adolescentula abscondita, viro incognita, eximiè pulchra, inter omnes electa, à Deo cõquisita, vt Christum mundi lætitiam ac risum pareres, & ipsi indissolubili amoris vinculo copulareris. Tu Iahel, vocata vt hostem nostrum singulari prudentia falleres, & eius tempora perforares. Tu Iudith, missa vt populo Dei summam calamitatem sustinenti certissimam salutem afferres. Tu Esther ob incredibilem pulchritudinem super omnes fœminas adamata, ad regale solium exaltata, & caussa nostræ liberationis effecta. Intercessione tua à peccatis nos libera, & decore omnium virtutum exorna.

Maria figura in veteri Testamento. Exod. 3. 2. Num. 17. 5. Deuter. 10. 3. Isaiæ 11. 2. Ezech. 44. 1. Numer. 24. 17. 3. Reg. 8. Gen. 28.

4. Demum, ô Maria Virgo integerrima, te Spiritus sanctus sponsus tuus multis ac variis simulacris ac imaginibus figurauit. Tu enim es rubus ille qui in incendio amoris immensi non periit. Tu virga Aaron, quæ sine radice floruit. Tu Gedeonis vellus, quod in medio areæ siccæ maduit. Tu arca testimonij ex lignis imputribilibus fabricata. Tu virga Iesse semper erecta. Tu Ezechielis porta per integritatem perpetuò clausa. Tu stella ex Iacob ad illustrandum mundum exorta. Tu aureum propitiatorium per quod infensum sceleribus nostris diuinum Numen placamus. Tu scala mystica per quam in cœlum ascendimus. Tu thronus veri Salomonis sub cuius vmbra requiescimus. In his imaginibus contempler te, & in his inuolucris inspiciam te: intelligámque quàm supra omnem captum humanum eris, quæ tot modis reuelaris, & tam admirandis figuris detegeris.

MEDITATIO III.

De conceptione Mariæ.

1. PVnctum. Aderat tempus, ô Maria Virgo illustrissima, in quo summus Deus nostrum genus erat redemturus, & vniuersum mundum renouaturus. Hoc autem opus suum in medio annorum ita disposuit, vt sicut per vnam fœminã mors in mundum ingressa est, ita per alteram fœminam, nimirum per te vita ingredi inchoaret. Elegit ergo Ioachimum & Annam, qui essent parentes tui. Sed quia non mediocris gloria filiorum ex parentibus prouenit, dic tu nobis quales sunt hi, ex quibus secundùm carnem originem ducis? Fuerunt illi quidem nobilissimi, à Patriarchis antiquis, à regibus illustrissimis, & à ducibus populi & nobilissimis viris exorti, & ex prosapia regia & sacerdotali procreati. Fuerunt mediocriter diuites, quibus illa benedictio à Salomone postulata, concessa est: Diuitias & paupertatem ne dederis mihi. Ne scilicet egestate pressi aliquid minus decens facerent, aut ob nimias diuitias elati superbirent. Fuerunt iusti, & non minus quàm parentes Ioannis Baptistæ incedentes in mandatis & iustificationibus Domini sine querela. Fuerunt steriles, vt partus & generatio præter naturam Dei beneficio concessa, aliquid singulare, & excelsum in me filia nascitura portenderent. Fuerunt tandem senes atque grandæui, vt non tam aliquis concupiscentiæ ardor, quàm iussio Dei (siquidem de hoc reuelationem habuerãt) ad opus generationis incitaret. Bellè satis, ô Virgo sacra, à talibus parentibus, auis & proauis procrearis. Mater omnium à Patriarchis, Regina à regibus, Virginum antesignana à populi ducibus. Patres nobiles filiam ingenio nobilissimam, diuites opum contemtricem, iusti iustitiæ genitricem, steriles perpetuò integram, & senes ab ipsa infantia cor senile ac maturum habentem effuderunt, & nos ad gaudiũ de tua clara progenie prouocarunt.

Quales fuerint Mariæ parentes.

Prou. 30. 8.

Luc. 1. 6.

2. Si autem virtus, ô Maria Virgo beatissima, naturam exornat, æquum fuit, vt ad tuæ dignitatis augmentum parentes tui ad te generandam disponerentur, operibus virtutis insignibus. Illi certè (Deo sic inspirante) ita redditus suos distribuebant, vt partem templo & diuino cultui consecrarent, partem inter egenos diuiderent, partem in vsus necessarios assumerent, & sic in Deum pios, in proximos misericordes, & in seipsos temperatos se præberent. Sobriè, & iustè, & piè vixerunt, quia futuri erãt parentes tui, quàm mira sobrietas semper dilexit, iustitia possedit, & pietas exornauit. Deinde assiduæ orationi vacabãt Deum obsecrantes, vt ipse ab eis sterilitatis opprobrium amoueret. Vnde & tu, ô imperatrix nostra, non tam filia carnis quàm orationis, quid mirum si semper orationem amoueris, & ab hac genitrice tua numquã discesseris. Ara suspirauit, & gemitibus ac suspiriis à patre Caleb irriguum superius & inferius obtinuit. Et Anna pariter ingemuit, ac gemitu & oratione te Matrem donorum quæ in cœlis & in terra assequimur, impetrauit. Ac tandem quia tribulatio iustorum animas ad purum excoquit, permisit, immo & ordinauit Deus vt non minima tribulatio, antequam concipereris, pios illos coniuges purgaret. Nam Ioachimus oblationem suam in templo offerens à sacerdote repulsus in detestationem sterilitatis, & cum Anna huius rei conscia hanc ignominiam passus vterque tribulationis purificatione non caruit. Hanc ego, ô Virgo, aduentantem læto vultu suscipiam, & ianuam tranquillitatis, & donorum cœlestium esse cognoscam.

Parentũ Mariæ virtutes.

Iudic. 1. 15.

3. Hos coniuges elegit Deus, ô Virgo sponsa Dei, ex quibus in mundum nascereris. Ex illis corpus tuum sacrosanctum assumtum est: quod ante animationem & organizationem Deus Angelorum ministerio in vtero Annæ ab omni impura qualitate mundauit. Nam ex noxiis qualitatibus huius materiæ, ex qua corpora nostra coagulantur, prouenire solet, vt quidam pusillanimes, alij indignabũdi, alij ad alia vitia fœdiora proni nascamur. Ne itaque in te propensio ad aliquod malum ex carne manaret, corpus illud tuum Deus antequam anima formaretur, purificare disposuit. Et meritò:

Corpus Virginis ante animationẽ ab omni impura qualitate mundatum.

3. Reg. 6. 7. si enim domus Dei cùm ædificaretur, de lapidibus dolatis atque perfectis ædificata est: & malleus,& securis, & omne ferramentum non sunt audita in ea: quanto æquius tu, ô perfectius templum Dei, ex corpore & animo perfectissimis & purissimis fabricata es, vt nihil esset in te quod malleus contritionis comminueret, aut mortificationis lima poliret. Purifica, ó Virgo beata,& robora corpora nostra, ne imbecillitatibus & noxiis propensionibus suis opus nostræ perfectionis impediant.

4. Sed quis capiat, ô Virgo veneranda, qua benignitate, qua dulcedine, quàm suauissimis oculis aspexit Deus illud sanctum corpus tuum. Dilexit certè illud supra omnia corpora creata & creanda, excepto corpore Iesu Christi Domini nostri, & filij tui. Si enim diligere aliquem, est velle bonum illi,cogitemus quæ bona voluit Deus corpori tuo, vt ex illis erga ipsum amoris magnitudinem eliciamus. Dilexit quidem Dominus corpora à se creata, quia illis esse & conuenientem perfectionem præbuit,& ad aliqua munera destinauit. Fecit solem vt præesset diei:lunam vt præesset nocti:stellas vt lucerent in firmamento,& influxu suo mortalium vitæ proficerent. Fecit cœlum vt nos tegeret, terram vt nos sustineret, reliqua elementa & mixta,& viuentia,& animalia,vt nobis seruirent. At corpus tuum, ô Deipara, ad quàm ineffabilia bona electum est! Fecit illud, vt esset animæ tuæ omnium hominum & Angelorum sanctissimæ habitaculum:vt esset sole & luna,& stellis, & vniuersis corporibus pulchrius & illustrius:vt esset omnibus cœlis,& omnibus Angelorum choris sede sublimius: vt esset domus, in qua verè & realiter per spatium nouem mensium habitaret filius Dei carne velatus:vbera huius corporis lactauerunt Deū, vlnæ sustinuerunt, manus fasciis circumdederunt, & sæpissimè tetigerunt,brachia amplexata sunt.Ex hoc corpore assumsit Dei filius quòd sibi hypostaticè vniret, quòd numquam dimitteret, quòd ad dexteram Patris collocaret.Si nemo vmquam carnem suam odio habuit, sed nutrit & fouet eam, quomodo Deus hanc tuam carnem non diligeret, ex qua sua caro erat assumenda, & super omnem creaturam exaltanda? Impetra, ô mater, vt Dominus corpus meum diligat, & animæ sibi gratæ & puræ domicilium efficiat.

5. Dispositio iam perfectè corpore tuo, ô Maria Virgo admirabilis,creauit Deus ex nihilo animam tuam omnium animarū post animam Christi natura perfectissimam, & corpori vniuit, sed in eodem momento creationis & infusionis abundantissima gratia vestiuit. Adiuuit te Deus mane diluculo; festinauit vt in primo illo esse tuo te gratiæ indumēto circumdaret, quo peccato originali obstitit (quod priuatio gratiæ est) ne te nec ad momentum macularet. In Angelis quidem, ac in animabus primorum parentum erat Deus simul condens naturam & largiens gratiam similiter, & in te Angelorum hera, & primorum parentum Domina naturam animæ creauit, & gratia circumdedit. Non solùm creauit Deus in eodem momento solem & lucem, verùm & lunam è regione Solis effecit,atque adeò plenam,& luce clarissima ornatam emisit.Sic prorsus Christum iustitiæ solem ex debito infinita gratia vestitum in mundum venire fecit, te verò quasi Ecclesiæ lunam ipsius Christi beneficio plenitudine gratiæ amiciuit. Semper ergo te vidit sanctam, puram, immaculatam; numquam fœdam, numquam inuisam: contemplatus est te pulchram in calceamentis,quia in primo ingressu tuo,quo ingressa es in orbem terrarum,singularis te pulchritudo possedit. Catelli edunt de micis,quæ cadunt de mensa dominorum suorum. Tu autem domina mea es,reficiar quæso & ego,ex reliquiis gratiæ tuæ.

6. At quanta fuit hæc gratia, ô Maria Virgo purissima, qua in primo instanti conceptionis tuæ ornata es? Certè maior quàm gratia supremi Seraphini,quem iam ab initio superasti, vt hæc aucta in fine vitæ tuæ omnium simul spirituum cœlestium gratiam excederet. Fundamenta tua, ô noua Ierusalem, in montibus sanctis: diligit Dominus portas tuas, id est, exordia tua super omnia tabernacula Iacob. Ædificaris vt ciuitas,& prima sanctitatis tuæ fundamina,quanta sis futura proclamant. Conciperis nō paupercula,sed regina, non ancilla, sed sponsa, & ideo vniuersos Angelos & Sanctos, vt seruos post te relinquis. Ex hac autem abundantissima gratia alia ineffabilia in te bona promanarunt, aut eam vt sanctior & purior esses circumdederunt. Primùm enim ab illo conceptionis momento fomes peccati, id est, propensio ad peccandum à te sublata est. Nam de habitaculo filij tui erat scriptum: In pace factus est locus eius. Quare in te numquam spiritus aduersùs carnem, nec caro aduersùs spiritum concupiuit, sed fœderatus carni cum summa tranquillitate quieuit. Deinde in gratia & sanctitate ita singulariter confirmata es, vt nullum posses peccatum nec graue, nec leue, immo nec minimam imperfectionē admittere. Demum omnibus donis Spiritus sancti & vniuersis virtutibus abundantissimè cumulata es, & omnibus donis & gratiis affecta, vt reliquorum Sanctorum in te diuitias colligeres. Omnia flumina intrant in mare,& mare nō redundat,& omnes gratiæ intrauerunt in te, ô mare ac pelagus bonorum, & numquam per elationem redundasti, sed per humilitatem te in tuo loco continuisti. Mancipium tuum sum, orna me virtutis insignibus.

7. Aliud autem, ô Virgo beatissima, in tua purissima conceptione contigit, quod præ admirabilitate omnem humanam cogitationem excedit. In Ioanne Baptista sexto mense conceptionis eius vsus rationis acceleratus est. Exultauit enim in vtero: & non potuit carere intelligendi sensu, qui exultandi habebat affectum. At tibi ab ipso momento conceptionis vsus est rationis concessus. Tunc Deum tuū fide & sapientia cognouisti; tunc te creaturam eius tot insignibus donis sine vllis præuiis meritis ornatam vidisti: tunc illam summam bonitatem propter se amore dignissimam, à quo tam admiranda dona acceperas,dilexisti:tunc ei pleno & sincero corde te in ancillam obtulisti: tunc denique aliis virtutum actibus eius cor piissimum ad tuum amorem inclinasti:cùm autem hic vsus rationis à te numquam sublatus fuerit, quoniam sine pœnitentia sunt dona Dei, ab illo momento conceptionis cœpit cursus meriti tui, quo sine intermissione ita vsque ad postremum spiritum cucurristi,vt omnium Angelorum & hominum merita excesseris,vt ad dexteram filij pura columba volaueris,& quidquid Deus non est, post te reliqueris. Impetra mihi, vt qui serò Dei antiquam pulchritudinem noui, feruore spiritus tardum adhientum restaurem. Amen.

Aliquem diligere quid sit.

Gen. 1. 16.

Ad quæ bona Mariæ corpus electum.

Ephes. 5. 29.

Psal. 45. 6.

Virgo sine originali culpa concepta.

Virgo luna Ecclesiæ.

Matth. 15. 27.

Qualis Mariæ gratia in primo cō. ceptionis instanti. Psal. 86. 1. Psal. 121. 3.

Peccati fomes à Virgine ablatus. Psal. 73. 3.

Eccli. 1. 7.

Luca 1. 41.

Virgini rationis vsus à cōceptionis exordio concessus.

MEDITATIO IV.

De natiuitate Mariæ.

Natalis Virginis communis cum aliis.

1. PVnctum. Natiuitas tua, ô Dei genitrix Virgo, quoad exteſnam quidem ſpeciem nihil habuit, in quo à natali aliarum fœminarum diſcordaret: vt eo eſſet magis admirabilis, quo Deus fœlicitatem & gaudium te naſcente mundo allatum velamine humilitatis occultiore cõtexit. Poſſes & tu ad tuam humilitatem exponendã æquiori iure, quàm vnus ex regibus illum ſermonẽm ad te transferre, Sum & ego mortalis fœmina, ſimilis omnibus, & ex genere terreni illius, qui prior factus eſt, & in ventre matris figurata ſum caro. Et ego nata accepi communem aërem, & in ſimiliter factam decidi terram. Sed in hoc communi modo naſcendi plurima ſunt, quæ hunc tuum natalem ſupra dies natalitios vniuerſorum hominum illuſtrarunt. In quo illud documentum accipio, externorum ſignorum virtutis non multam rationem habere, ſed ad ſubſtantiam eius, & ad id quod Domino placitum fuerit, quamuis non ſit coram hominibus ſpecioſum anhelare.

Sap. 7.1.

2. Dies ille natalis tuus, ô Maria Virgo, clariſſima, mihi videtur multo fœlicior primo illo die, qui diebus & temporibus dedit initium. In illo enim dixit Deus: Fiat lux, & facta eſt lux. Sed quæ lux? Hæc profectò corporea, quam tam beſtiæ, quàm homines oculis ſpectamus: qua ex iniquitate noſtra, non ſolùm ad bona, ſed ad flagitia iuuamur: qua corporea iſta & ſenſibus ſubiecta percipimus. At in illo die natalis tui orta es, ô aurora pulcherrima, cuius progreſſus ſolem iuſtitiæ mundo attulit, & numquam in tenebras noctémque deſiuit. Hanc lucem iuſti cognoſcunt: & quo ſanctiores & puriores, eo clariùs emicantem intelligunt. Hæc adiumentum eſt, vt opera iuſtitiæ & ſanctitatis præſtemus. Hac cœleſtia & ſupra ſenſum & naturam exiſtentia contemplamur. De die illa, in qua natus eſt Iob, hæc ait: Pereat dies in qua natus ſum, & nox in qua dictum eſt: Conceptus eſt homo.] Dies ille vertatur in tenebras, nõ requirat eam Deus deſuper, & nõ illuſtretur lumine.] At tu, Deipara, de die natalis tui, quid ais? Maneat dies, in qua nata ſum, in memoria Angelorum, & hominum, & vt fœlix inter fœliciſſimos cum applauſu & exultatione numeretur. Et nox ſimiliter diebus hominum clarior & illuſtrior, qua ſum ſine vlla labe concepta. Ab illa die quàm longiſſimè fugiant triſtitiæ aut infœlicitatis tenebræ; eam requirat & acceptet Deus, vt feſtiuam & lætam, & ſibi conſecratam: & laudes Angelorum & hominum illam illuſtrent. Ita ſit, ô Domina, & huius diei fœlicitas, dum in ſpem diei æternitatis erigimur, ad nos abundè proueniat.

Gen. 1.4.

Dies natalis Virginis qualis.

Iob 3.2.

3. Ortus etiam tuus, ô Maria Virgo illuſtriſſima, vèrè fuit ortu ſeu productione primorum parentum admirabilior. Mirum ſanè fuit, Adamum repentè à Deo viuificatum, non more aliorum hominum ſine ſenſuum vſu prodire, ſed ſtatim non tantùm ſe, & Deum, ſed opera Dei quoque contèmplari cœpiſſe. At mirabilius fuit te infantulam puſillam, & non adultæ ætatis in momento ortus tui pro vſura, rerum viſibilium immẽſas Deo gratias egiſſe, & beneficium Dei in hoc quod te in lucem edidit, & tanta ad vitam hanc tranſigendam conceſſit, interioribus mentis oculis ſpectaſſe. Mirum fuit Euam è latere Adæ formatam, & nimio amore dilectam, ſtatim à ſuo compari diſceſſiſſe, vt diaboli pateret inſidiis, & nos in tanta macula coniiceret, ſed mirabilius fuit te nec ad momentum à Dei contemplatione & amore fuiſſe ſeiunctam, & vt remedium malorum noſtrorum pareres, ab eius obedientia numquam eſſe ſeparatam. Ortus illorum fuit noſtri caſus, tuus verò noſtræ reſurrectionis initium: ille nos perculit, tuus nos ſanauit: ille nos in infernum truſit, hic in cœlum extulit. Te igitur noſtrorum bonorum exordium fateamur.

Ortus Virginis primorũ parẽtum productione admirabilior.

4. Ortus etiam tuus, ô Maria Virgo ab omnibus prædicanda, fuit ortu Iſaac patris tui ſine vlla comparatione lætior atque iucundior. Ille vocatus eſt Iſaac, id eſt, riſus, quoniam lætitiam attulit Patri, exultationem Matri, & ſterilitatem depulit, & totam domum illam gaudio & iucunditate compleuit. Dixítque Sara: Riſum fecit mihi Deus, quicumque audierit corridebit mihi. At tu Deipara ortu tuo non vni domui aut familiæ, ſed gaudium annunciaſti vniuerſo mundo, immo & authori mundi gaudium attuliſti. Gauiſus eſt Pater æternus, quia nata eſt illi chariſſima filia; lætatus eſt filius, quia orta eſt illi futura digniſſima mater. Exultauit Spiritus ſanctus, quia iam mundo apparuit eius ſpecioſiſſima ſponſa. Iucundata eſt Eccleſia à primo iuſto Abel initium ſumẽs, quoniam illi initium ſalutis annunciatum eſt. Ac tam pretioſa gemma cumulata in eam vocem erupit: Riſum fecit mihi Deus: & quicumque audierit corridebit mihi. Immenſo gaudio repleta eſt patria cœleſtis, & omnes Angelici ciues in aduẽtu reginę, quę eam erat mirum in modum nobilitatura, & ſedes eius ex caſu malorum Angelorum dirutas inſtauratura. Genus humanum præ exultatione ſubſiluit in ortu Dominæ ſuæ, & auroræ ſuæ, quæ erat ſolem iuſtitiæ peccatorum tenebras diſſicientis paritura. Lymbus & locus Purgatorij gaudio non caruit in appulſu pulcherrimæ nauis, quæ pretium ad redimendos vinctos erat productura. Hic fuit dies exultationis & laudis in tabernaculis omnium iuſtorum & peccatorum. Quoniam in ortu tuo illi vocabantur ad gratiam, & iſti inuitabantur ad veniam. Riſum fecit nobis Deus: nam in ortu iſto matris & propugnatricis noſtræ diabolum irridemus, cuius caput ipſa contriuit; in poſſeſſione gratiæ & donorum gaudemus quæ ipſa impetrauit: & ex ſpe æternæ vitæ hilareſcimus, cuius authorem ipſa in mundum ingrediens promiſit. Quicumque audierit corridebit, & gratulabitur nobis, quia in te, & per te, ô Virgo, vitam & ſalutem, & opes, & honorem habemus.

Natalis Mariæ latior Iſaac ortu. Gen. 21. 6.

Qui lætati in Virginis natalitiis.

5. Natiuitas tandem hæc tua, ô Maria bonorum noſtrorum parens, fuit omnium natalitium dierum, poſt Chriſti natalem vtiliſſima. Nata ſiquidem eſt nobis mater, quæ nos non peccato mortuos, ſed Deo & gratiæ viuentes pariat. Nata eſt magiſtra quæ nos credere, ſperare, & amare doceat. Nata eſt vrbs fortitudinis quæ nos protegat. Stella, quæ viam in ſalutem oſtendat: porta cœli, quæ nos in fœlicitatem inducat. Nata eſt domus Dei in qua habitemus: hortus in quo lætemur: ſcala paradiſi per quam aſcendamus. Propitiatorium in quo exaudiamur. Per hanc natiuitatem tuam oro te Domina, vt ita in mundo conuerſemur, quòd poſt mortalitatem iſtam ad vitam æternam naſci mereamur. Amen.

Dies natalis Mariæ vtiliſſima.

MEDITATIO V.

De præsentatione Mariæ.

1. PVnctum. Post natale tuum, ô Maria Virgo sacrata, non in vlnis alicuius nutricis extraneæ proiecta es, sed lacte propriæ matris enutrita. Si enim ad alimentum principum recens natorum tanta sollicitudine nutrix lactis optimi quæritur, pro alimento reginæ regum, cur nō saluberrimum & purum lac in vberibus sanctissimæ matris præparatum credatur. Licet autem ab initio (vt diximus) à Deo ipso interius eruditeris, tamen quia hoc occultum erat, primis illis ætatis tuæ tyrocinijs exactis cœperunt erudire te patres tui. Nam si parentes Susannæ erudierunt eam secundùm legem Moysi, credendum nō est parentes tuos adeò fuisse tuæ educationis oblitos, vt vnicæ filiæ & talis filiæ institutionem prætermiserint Tu autem audiebas eos humiliter, quæ dicebantur capiebas sapienter, & ad diuina afficiebaris mirabiliter. Discam & ego de te quomodo debeam alios me docentes libenter audire.

Virgo à parentibus erudita. Dan. 13. 3.

2. Aderat tempus, ô Maria, holocaustum sanctitatis purissimum, quo secundùm votum parentum tuorum eras Domino offerēda. Illi autem memores verborum Salomonis: Si quid vouisti Deo, ne moreris reddere, non cunctati sunt te in templum deducere, & Domino rem à se promissam offerre. Erant illi sanctissimi, & ideo mente promtissima ad suam oblationem reddendam festinarūt. Erant senes & ætate grandæui, & spe alterius posteritatis destituti. Te lacrymis & orationibus crebris obtinuerant, & amore tenerrimo diligebant. Has tamen omnes difficultates amore & religione superant, & seipsos te vnico solatio suo libenter spoliant, & quod sanctum est non sibi retinent, sed Sancto Sanctorum offerre constituunt. Respexit Dominus ad Abel, & ad munera eius, & promta voluntas eius grata fuit, quoniam obtulit de primogenitis gregis sui, & de adipibus eorum. Quanto magis grata fuit bona voluntas parentum tuorum, qua vnigenitam filiam, & illam, quæ erat veluti adeps gratiæ & sanctitatis, Domino consecrarunt. Et hi quidem, ô Domina, meam summam auaritiam reprehendunt, qui nec minima pro Domino relinquere audeo, & si quæ relinquo, tam tepidè & imperfectè offerre non erubesco.

Eccli. 5. 3.

Parentū Virginis religio. Gen. 4. 4.

3. Deserunt igitur, ô Maria Virgo pretiosissima, illi sancti coniuges proprios lares, & te in templum offerendam deportant. Ibant non tristes, sed alacres: non repugnātes, sed libentes, vt Deo quod melius habebant, immo quod pretiosissimum & sanctissimum in cœlis & in terris erat, offerrent. Comitabantur illos copiæ Angelorum occursum talis sponsæ, & talis sponsi videre cupientium. Si enim cum puella Regi desponsata primùm ad eius conspectum ingreditur, aulici stant quasi attoniti, & stupefacti, omnia notantes, vt videant tam nobiles sponsi quid dicant, & quid faciant. Quidni Angeli desiderarent videre, quanta reuerentia & amoris ardore tu, ô Virgo sacra, Deo teipsam offerres, & quāta benignitate ab eo in suam domum excipereris. Cùm munus aliquod patrifamilias gratissimum in domum infertur, solent serui illud comitari, vt vultum heri sui hilariorem aspiciant, & lætitiæ ipsius participes fiant. Sciebant Spiritus cœlestes quàm gratum in te munus Deo deportabatur. Meritò ergo præeunt & sequuntur parentes tuos te deferentes, vt & ipsis ex hac oblatione noua causa exultationis accrescat. Assistat mihi, ô Virgo, Angelus Domini, qui meam socordiam depellat, & ad sacrificium mei Deo offerendum alliciat.

Angeli parentes Virginis comitabantur dum illā in templum offerēdam portarent.

4. Ad templum ventum est, & tu, ô Virgo trimula, à Deo roborata, & supernaturalibus auxiliis adiuta, subitò ab vtroque parente discedis, & eos animosè relinquis, & ac si esses adultior sola ab hominibus, sed non sola à Deo quindecim templi gradus ascendis, & in loco conueniente te constituis. Ibi humillimè prostrata ante Dominum, facultatem loquendi petis, te prorsus indignam, vt in ancillam illius sanctæ domus admittaris, corde profiteris, in perpetuum Domini obsequium te offers, & admitti ardentissimè cōcupiscis. Taceant iam, ô Domina, omnia illa legis antiquæ sacrificia, quia hæc tua oblatio sola, vniuersa illa in infinitum excessit, & gratior Deo ac acceptior fuit. Sileat nunc Salomonis promta voluntas, qua in dedicatione templi obtulit oues & boues absque æstimatione & numero, quia voluntas tua, qua te ouem immaculatam obtulisti, illam in immensum superauit. Hæc præsentatio tua omnium & singulorum sacrificiorum illius legis rationem habuit. Fuit sacrificium pro peccato, quia si quæ erant leuiores culpæ aut imperfectiones parentum tuorum, hac oblatione dignissima deletæ sunt. Fuit hostia pacifica, quoniam & in gratiarum actionem acceptorum beneficiorum te obtulisti, & noua beneficia consequuta es. Fuit holocaustum. Nam te totam, corpus & animam, & quidquid in te erat, Domino consecratum est. Id precor, ô Domina, vt gratiam habeam, qua syncerè me totum Deo offeram, & in odorem suauitatis suscipiar.

Quales Virginis oblatio, & quomodo illa omnium sacrificiorum rationem habuit. 3. Reg. 8. 5.

5. In primo ingressu sponsæ in domum sponsi, ô Maria Virgo semper benedicta, benigniùs & dulciùs ab sponso tractatur, & diuitiarum eius domina efficitur. In his ergo primis diebus habitationis tuæ in domo Dei & sponsi tui, quis cogitet quàm mira dulcedine, & suauitate, & benignitate tecum actum est. O quanta arcana sunt tibi reuelata! ô quàm magna dona tributa! ô quàm immensi spiritus thesauri prærogati! Sonabat in corde tuo illa vox Domini Dei tui: Audi filia, & vide, & inclina aurem tuam; & obliuiscere populum tuum, & domum patris tui. Et concupiscet Rex decorem tuū.] Tu verò intentissimè audiebas, instinctus eius; contemplabaris mirabilia eius; obediebas præceptis eius & consiliis parentum & cognatorum, & omnium rerum mundi oblita es. Ideo adamauit te Rex cœli super omnes mulieres, habuistique gratiam & misericordiam coram eo super omnes mulieres, & statuit ponere diadema regni in capite tuo. Nec minus æquo iure tibi dicebatur: Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea. Electa enim es, vt communia cum Deo ossa, communémque carnem haberes, quia Deum hominem factum eras paritura, & tuæ carnis indumentum illi datura. Iam, ô Virgo, domum Dei non obligatione tantùm, sed puritate conuersationis ingrediar, vt cor illi gratum & donis eius refertum accipiam. Amen.

Qualiter cum Maria recēs præsentata actū fuerit. Psal. 44. 11.

Esther 2. 17.

Gen. 2. 23.

MEDITATIO VI.

De corporali perfectione, & pulchritudine Mariæ.

1. PVnctum. In hac statula tua, ô Maria Virgo desiderabilissima, meditanda est incredibilis

perfe

perfectio ac pulchritudo corporis tui,& immensa sanctitas animæ tuæ,vt quoties postea te adultiorem cogitauerimus, pulchriorem quoque & sanctiorem inspiciamus. Crescebas namque non solùm ætate, & sapientia,& gratia, sed etiam pulchritudine apud Deum, & homines. Quod attinet ad purissimum corpus tuum, illud fuit secundùm naturam optimè constitutum,& supra omnia corpora humana fœminarum, & purorum hominum maximè perfectum. Adeò vt propter optimam complexionem, cum eximia animæ moderatione ac tranquillitate coniunctam, numquam in morbum incideris. Sic enim decuit, vt corpus, ex quo filij Dei corpus erat assumẽdum, optimam constitutionem haberet. Decuit etiam vt tu, & filius tuus essetis corporum perfectione simillimi, vt mater filio congrueret,& hæc similitudo complexionis & affectuum, maiorem inter vos amorem & beneuolentiam conciliaret. Gratulor tibi, ô mater nostra de hac perfectione tua. Fac quæso, vt saccus hic vermium, quem gesto, me à tuis & filij tui laudibus non impediat.

Corporis Mariæ pulchra constitutio.

2. Erat quoque corpus tuum, ô Maria Virgo excellentissima, omnium corporum purè humanorum pulcherrimum,tamquam illud,ex quo proditurus erat speciosus forma præ filiis hominum. Nam si erat optimè constitutum, ac perfectissimè attemperatum,& ex membris decentissimam proportionem habentibus compactũ, sequitur ipsum fuisse venustissimum, atque pulcherrimum. Ideo ab ipso sponso,qui optimè te nouerat,vocaris pulcherrima inter mulieres. Et pulcherrima mulierũ. Et pulchra & decora,& suauis sicut Hierusalem.Vt sicut illa ciuitas in populo Domini cæteris eminebat,ita intelligamus te omnes fœminas decore superasse.Ideo etiam mulieribus pulcherrimis Iudith & Esther in Scripturis præsignaris. De illa quippe dictum est : Non est talis mulier super terram in aspectu, in pulchritudine, & in sensu verborum.] De hac verò : Erat formosa valde, & incredibili pulchritudine, omnium oculis amabilis,& gratiosa videbatur:] omnis pulchritudo sæculi, ô Domina, mihi sordeat, vt tuam pulchritudinem contemplari valeam.

Psal.44. 3.

Cant.1. 8. Cant.5. 17.

Corporis Mariæ venustas & decor. Iudith 11. 19. Esther 2. 15.

3. In vultu tuo, ô Maria Virgo splendidissima, non solùm pulchritudo suum domicilium elegerat,verùm & supernaturalis quidam splendor emicabat. Vidimus quidem nonnullos viros spirituales à contemplatione & consortio Domini reuertentes,decorem quemdam velut cœlestem in facie prætulisse. Legimus item de Mose quòd regressus à Domino in populum facies eius splendore radiabat. Cur ergo idem tu multo perfectius nõ haberes, cuius sublimior erat contemplatio, & ad Deum authorem luminis maior adhæsio. Hinc proueniebat, vt intuentes te numquam ad sinistram aliquam cogitationem,aut minus decentem motum, sed ad castitatem & puritatem incitares. Da mihi seruo tuo,vt ita circumspectè viuã quòd meis actionibus facem alijs modestiæ præferam.

In Mariæ vultu quidam supernaturalis splendor.

Exod.34. 29.

4. Eras tandem, ô Maria Virgo, verè candida & rubicunda, atque electa ex millibus, vt ex antiquis historiis colligimus,statura plusquam mediocri, & ideo in Canticis comparata es palmæ. In omnibus honesta & grauis, pauca admodum, eáque necessaria loquens, ad audiendum facilis & perquam affabilis : honorem suum & venerationẽ omnibus exhibens ; decenti dicendi libertate aduersùs homines vsa, sine risu, sine perturbatione, sine iracundia. Colore frumentum referebas, capillo flauo, oculis acribus, subflauas, & tamquam oleæ colore pupillas habentibus. Supercilia tua inflexa & decenter nigra:nasus longior, labia florida, & verborum suauitate plena. Facies non rotunda & acuta,sed aliquanto longior,manus & digiti longiores. Eras, ô Virgo, fastus omnis expers, simplex,miniméque vultum fingens,nihil mollitiei tecum trahens,sed humilitatem præcellentem colens. Ex his illud repeto, quòd eras ad audiendum facilis & affabilis, audi quæso nos deprecantes, vt tuam simplicitatem & honestatem imitemur. Amen.

Maria candida & rubicunda. Cant.7. 6.

Descriptio pulchritudinis Mariæ.

MEDITATIO VII.

De sanctitate animæ Mariæ.

1. PVnctum. Tota pulchra & sine macula diceris, ô Maria Virgo nobilissima ; quare pulchritudo tua non tantùm in corpore elucet, sed multo magis in anima præcipua parte tui quasi infinitè resplendet. Hæc animæ pulchritudo sanctitas est & dicitur, quæ ex gratia & omnibus virtutibus, quasi ex partibus decentissimè dispositis coagmentatur. In te autem tanta est, vt nec Angelus nec homo illã capiat, sed solus Deus te maior & excelsior comprehendat. Tu in genere sanctitatis & puritatis præcipuum opus es Dei, quo neque in cœlis, neque in terris vllum maius inuenitur. Habent in te quod imitentur vniuersi homines sancti quotquot fuerunt, & sunt, & futuri sunt. Habent quod discant cœlestes spiritus, qui tuam puritatem intuentes præ stupore quasi velant facies suas,& tibi primas partes deferunt. In te gratia omnis viæ & veritatis, in te omnis spes vitæ,& virtutis. Transeamus ad te, ô Virgo, per amorem & imitationem omnes qui te diligimus, & à generationibus & fructibus tuæ sanctitatis adimplebimur. Tua enim sanctitas est via perfectionis, veritas puritatis,spes æternæ vitæ & assequendæ virtutis. Quia nemo imitari te potest, qui non firmam spem nunc veræ virtutis,& postea futuræ salutis possideat.

Pulchritudo animæ Virginis soli Deo plenè explorata, cognita.

Eccli. 24. 25.

2. Sed iam partes sanctitatis tuæ, ô Virgo fœliciſſima,quasi per partes delibemus.Substantia ac essentia animæ tuæ vestita erat gratia. Sed qua gratia ? Ea profectò,quæ decebat Reginam omniũ Sanctorum,& veram matrem summi Dei. Ea,quæ non minus quàm sol parua sidera, aut mare flumina omnium Sanctorum gratiam excederet. Tu es mulier amicta sole, & luna sub pedibus tuis, & in capite tuo corona stellarum duodecim.Amicta,inquam,illa gratia,quæ soli comparetur,cùm tamen alij Angeli & sancti ea gratia amicti sint quæ ad præsentiam tuam cum stellis conferatur. Amicta illa gratia, quæ lunam, id est, omnem instabilitatem proterat, & stellis, id est, virtutum pulcherrimo choro caput cingat. Tu es mare omnis gratiæ, de quo per mysterium intelligi potest illud Dauidis:Congregans sicut in vtre (vel vt dicunt Hebræa) sicut in aceruo aquas maris ponens in thesauris abyssos. In te namque tamquam in aceruo omnem gratiam Sanctorum collegit, & velut in theca & in repositorio omnem sanctitatem congregauit. Eleuauerunt flumina vocem suam dum sancti magni puritate & gratia apparuerunt. Admirabiles elationes maris,nempe huius gratiæ tuæ quæ vocem fluminum,id est, magnificentiam Sanctorum excedit. Dixit Deus:Congregentur aquæ in locum vnum,& appareat arida.] Apparuit tunc

Apoc.12. 1.

Qua gratia Mariæ anima induta.

Psal.32. 7.

Psal.92. 3.

Gen.1.9.

terra

terra herbis & floribus destituta. Quandoquidem Deus congregauit omnes aquas gratiæ in te, ô Domina, appareat quæso anima mea arida coram te, vt eam tua intercessione ad virorem deuotionis adducas.

3. Ex hac abundantissima gratia, ô Maria Virgo ditissima, omnes virtutes manabant, quas longum esset recensere. Sed bona cum venia tua duodecim tantùm breuiter attingam, ex quibus sertum venerandi capitis tui texitur. In intellectu illuminatissimo tuo erat fides atque prudentia. Fides quæ montes sæpe transtulit, & illos cœlestes spiritus, qui sunt quasi montes cœli, è supernis sedibus ad tuam cellam aduexit. Quæ montem montium filium Dei è sinu Patris ad tuum vterum aduocauit. Beata enim quæ credidisti: quoniam perfecta sunt in te ea quæ dicta sunt tibi à Domino. Prudentia qua proposito tibi fine gloriæ Dei, semper meliorem partem elegisti, & numquam ab eo quod optimum esset deuiasti. Da vt semper per fidem efficaciter credam, & per prudentiam absque intermissione per viam salutis incedam.

Duodecim Mariæ virtutes.

Luc. 1. 45.

Luc. 10.

4. In voluntate tua, ô Maria Virgo ditissima, erat charitas & misericordia. Charitas quidem, qua præceptum amoris, ex toto corde, ex tota anima supra omnes Sanctos à te impletum est, & quæ te supra omnes Angelos extulit. Cuius gratia caput tuum, id est, mens tua dicta est, vt Carmelus. Nam si Carmelus est idem ac coccineus, meritò charitas tua punicea, siue coccinea dicitur, propter tuum admirandum diligendi feruorem. At misericordiam tuam non ego solus, sed vniuersi mortales prædicemus, quis enim est in miseris, qui non à te ad suam miseriam subleuandam auxilium acceperit. Per te obtinent ignari vtilium notitiam, ægroti salutem, tristes gaudium, pauperes remediũ, peccatores veniam, iusti gratiam. O Mater misericordiæ, respice in multiplices miserias meas, vt qui te fontem misericordiarum prædico, quottidie nouis donis à te acceptis exultem.

Charitas & misericordia Mariæ.

Cant. 7. 5.

5. In sensu interiori, siue in imaginatione tua, ô Virgo desideratissima, erat cogitationum puritas & vnitas. Puritas, quia nihil vmquam cogitasti, quod sanctum & cœleste non esset, quod ad virtutem & sanctitatem non pertineret; quod si videretur non omnes summè ædificaret. Hi sunt capilli tui, de quibus in Canticis dicitur, quòd sint sicut greges tonsarum, quæ ascenderunt de monte Galaad. Harum pili aut nigri erant, aut subrufi; ita cogitationes tuæ, erant per sublimitatem nigræ, id est, nobis incomprehensibiles, & subrufæ, quia amore Dei, & proximi aureæ, & nobis ineffabiles. Vnitas autem cogitationum in hoc sita erat, quòd semper in Deum tendebant, & nihil nisi pro Dei gloria cogitabas. Quare dicuntur comæ capitis tui, id est, cogitationes hæ sicut purpura regis vincta canalibus. Adeò enim purpuræ Regis, id est, diuinæ pulchritudini adhærebãt, vt propemodum ab ea minimè secerni viderentur. Impetra & hoc mihi, ô sancta Mater, vt semper pura cogitem, & in Dei gloriam omnia mea cogitata conuertam.

Cogitationum puritas & vnitas.

Cant. 4. 1.

Cant. 7. 5.

6. In irascibili tua, ô Maria Virgo præclarissima, erat magnanimitas & mansuetudo. Illa vniuersa terrena tamquam vilia & nullius momenti contemsisti; vt te magis idoneam faceres, ad hoc quòd semper in magna & excelsa tenderes, & solum Deũ & cœlestia diligeres. Hic est nasus tuus, vt turris Libani, quæ respicit contra Damascum. Hac enim magnanimitate tua, qua veluti quod diligendum aut despiciendum est subodoramus, in candore (hoc enim sonat Libanus) subsistis verticem in cœlum, & in superna effers, & aduersario nostro resistis. Hac verò scilicet mansuetudine, nostras irreuerentias, nostras puerilitates sustines, immo in vita tua, quieta & tranquilla inter tot aduersa permansisti. Verè decora sicut Hierusalem, & terribilis sicut castrorum acies ordinata. Decora, inquam, sicut Ierosolyma, quæ visio pacis interpretatur, quia irruentibus persequutionibus numquam pacem amittebas; & terribilis vt castrorum acies, quia omnia aduersa mititate superabas. Fac me, ô pia Mater, huius mundi pusilla despicere, & nulla molesta formidare.

Magnanimitas & mansuetudo.

Cant. 7. 4.

Cant. 6. 3.

7. In concupiscibili tua, ô Virgo sublimissima, erat virginitas & humilitas. Humilitate placuisti, virginitate ad te Dei filium aduocasti. Virginitas tua fuit omnibus Angelis purior, & hominibus vniuersis fœlicior. Angelis purior, quoniam in terris posita, & carne circumdata, ac in cœlis constituta degebas. Atque de te dictum est: Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias. Hominibus fœlicior, quia hæc virginitas tua non fuit sterilis, sed fructu vteri plena, & mirabili fœcũditate præcipua. Hæc sunt duo vbera tua, humilitas & fœcunditas, sicut duo hinnuli capreæ gemelli, qui pascuntur in liliis, quoniam mundo lætitiam attulerunt, & ad puritatem incitarunt. Humilitate exaltata es. Quia enim respexit Dominus humilitatem tuam, ideo beatam te dicunt omnes generationes. Hanc, ô Virgo, humilitatem sequar, vt is qui humilia respicit, in me sibiipsi complaceat.

Virginitas & humilitas.

Cant. 2. 1.

Cant. 4. 5.

Luc. 1. 48.

8. In sensibus tandem externis, & in corpore tuo, ô Maria sanctissima, eluxit modestia & verecundia. Modestia ita motus tuos regebat, vt te intuentes semper ad Dei laudem prouocares, & illis aliquid cœleste & supra captum humanum appareres. Verecundia te circumspectam reddebat, vt semper secretum diligeres, & ad viri ingressum & affatum non præ inani timore, sed præ sancto pudore trepidares. Sicut fragmen mali punici, ita genuæ tuæ. Fragmen namque rubet, & plusquam integrum malum redolet. Sic & tua verecundia singularis est, & optimum semper odorem spargit. His duodecim stellis, ô Virgo beata, coronaris, & adeò pura & sancta existis, vt sanctior vniuersis prædiceris. Illud obtine nobis vt semper ad veram sanctitatem curramus. Amen.

Modestia & verecundia.

Cant. 4. 3.

MEDITATIO VIII.

De vita Mariæ in templo.

1. PVnctum. Ex harum & aliarum virtutum actionibus, ô Maria Virgo beatissima, contexta fuit vita tua, quam in templo instituisti. Cùm enim iuxta templum essent fœminarum, & præcipuè Virginũ habitacula, in quibus in timore Domini erudiebantur, & cultui diuino ac obsequiis domus Dei vacabant; tu vnum istorum habitaculum ingressa mirum est quantum reliquas virgines excelluerit, & quàm intentè omnium oculos in te conuerteris. Ineffabilis fuit conuersatio tua, sed pro nostra ruditate dicamus quod de ea sumus meditati. Erga Deum maximum quemdam timorem habebas, non ancillæ, sed chariſſimæ filiæ. Incredibili quadam reuerentia erga ipsum & omnia diuina afficiebaris. Ei cogitatione semper aderas, & peruigili circumspectione animaduertebas, nequid interiùs aut exteriùs in te esset quod diuinis oculis displiceret. Firmissimè credebas omnia, quæ

Qualis Virgo erga Deum in templo.

in sactis Scripturis erant reuelata, quasi scientia infusa diuinitus apertissimè intelligebas. Sperabas complenda esse omnia promissa Dei populo Israelitico facta, et præcipuè quæ ad filij Dei Messiæ aduentum spectabant, ob cuius merita te æternam beatitudinem consequuturam confidebas. Amabas Deum charitate purissima, liberrima, & à creaturis expedita, solicitissima, efficacissima, fortissima, dulcissima, perseuerantissima, ac perfectissimè sine vllo medio Deo copulabaris. Ardebas zelo gloriæ Dei, & animas ad ipsum trahere vehementer cupiebas. Grata eras iugiter beneficiis eius, & omnia tua ac teipsam in eius prouidentiam securè iactabas. Perpetuum studium tuum erat oratio, in qua admiranda dona recipiebas, & occultissima tibi reuelabantur, & Angelorum aspectibus fruebaris, & licèt corpore in terra viueres, mentem tamen habebas semper suspensam in cœlis. Fac, ô Virgo, vt ita ad Deum me habeam, quòd vnus ex tuis seruis & imitatoribus dici merear.

2. Erga proximos ita te habuisti, ô Virgo prudentissima, vt statum maiorum æqualium, & minorum optimè distingueres. Maiores erant, Pontifices, Parentes, & gubernatrix illius domus virginum in qua habitabas. Maiores, inquam, non vita sed munere, non puritate sed cura. His tribuebas amorem filiæ, reuerentiam ancillæ, obedientiam subiectæ. Æquales vita ædificabas, humilitate honorabas, mansuetudine sustinebas, industria iuuabas, affabilitate fouebas, ita tamen vt nihil maturitatis amitteres. Minores docebas in suis ignorantiis, prouidebas in necessitatibus, solabaris in afflictionibus. Nemo ex ore tuo nisi verbum salutis audiuit, & omnibus eras vtilis tum orationis efficacia, tum conuersationis exemplo. Fac vt ita erga alios me habeam, quòd æquitatis iura custodiam.

3. At erga teipsam, ô Maria Virgo beatissima, quòd tu constitueris, quis intelligat. Fecisti teipsam viuum & sanctum holocaustum summi Dei: animámque tuam fecisti templum in quo ipse habitaret. Memoria sacram Scripturam retinebas; intellectu mysteria eius ac omnia diuina die ac nocte contemplabaris; voluntatem ab omnibus creatis auertebas, vt celeriùs in Deum intenderet. In sensibus & affectibus tuis insederant moderatio, puritas, & pax. Corpus autem tuum perpetuæ Virginitatis voto Deo consecrasti, abstinentia, sobrietate & honestis laboribus exercuisti, moderata asperitate sine vlla indigentia castigasti. Eras secreti amans, silentij tenax, & breuiter perfectissimum omnium virtutum exemplar. O igitur sanctitatis decus, ô perfectionis thesaure, ô spiritualis conuersationis magistra, cuius ope viuo, cuius intercessione sustineor, sentiam sentiam nouis donis auxilium benignitatis tuæ. Et te qui (audebo ita loqui) matrem agnosco ita meam conuersationem instituam, vt de me non erubescas, nec à numero tuorum seruulorum abiicias. Amen.

Qualis erga proximos.

Qualis erga seipsam.

De progressu Mariæ virginis in mundo.

CAPVT VI.

Cant. 6. 9.

QVÆ est ista, quæ progreditur, quasi aurora consurgens, pulchra vt luna, electa vt sol, terribilis vt castrorum acies ordinata.] Verba ista in primo & litterali sensu de sancta Ecclesia dicta, ad beatam Virginem Deiparam à sanctis Patribus applicata sunt. Eaque tres status Virginis in quibus totam eius vitam diuisam aspicimus, euidenter aperiunt. In natiuitate sua comparatur Auroræ, quia silenter & quasi occultè in mundum venit. Post natalitium diem quasi in ipso ingressu, quo infantiam intelligimus, fuit pulchra vt luna, quia votum Virginitatis edidit, & ad solem iustitiæ contemplandum se conuertit. In progressu suo fuit electa vt sol quam ipse diuinus sol irradiauit, & suo splendore vestiuit. In egressu tandem fuit terribilis vt castrorum acies ordinata, quæ Ecclesiam protexit, & omnes hæreses superauit. Si ergo in meditatione ingressus Mariæ, quando erat pulchra vt luna, profecimus, multo magis in consideratione progressus eius, quando vt sol electa dicitur, proficiemus. Enimuero hæc meditatio multiplicem parit vtilitatem, quam Thomas à Campis auctor piissimus, in quodam sermone patefecit. Almæ virginis Mariæ exempla, inquit, summo tibi desiderio sunt recolenda. Ipsa enim vt myrrha electa fructum obtulit odoriferum in patientia: & abundantiori diuinæ dulcedinis solatio iucundissimè est refecta. Fortissimum inuenies & tu solatium, si Mariæ nomen gustaueris cordi tuo insertum. Habebis etenim multa bona, si bene fueris cum Maria. Dilectio sanctæ Mariæ expellit omnem æstum carnalis concupiscentiæ, & donat refrigerium castimoniæ. Dilectio sanctæ Mariæ facit mundum contemnere, & Christo in humilitate seruire. Dilectio sanctæ Mariæ ab omni mala societate conseruat, ad religiosæ conuersationis puritatem informat. Dilige ergo sanctam Mariam, & percipies specialem gratiam. Inuoca Mariam, & obtinebis victoriam. Honora Mariam, & habebis mercedem perpetuam. Duo confert præcipuè bona, sancta conuersatio Mariæ ad memoriam sæpe reducta. In prosperis docet te Deum ex intimo corde laudare, & in aduersis patientem permanere.] Sic ille. Iure autem hoc tribuit vitæ beatæ Virginis ad memoriam reuocatæ, quoniam omnis ista meditatio ad amorem & imitationem eius refertur. Amor virtutes ipsius diligere facit, & imitatio in mores meditantium transfundit. Iam itaque anima mea, quæ prima sacræ puellæ vestigia inspexisti, sequentia opera maioris virtutis intuere vt cogitatione prouecta etiam in amorem amplioris sanctitatis procedas, & tibi exempla sequendi Christum obiicias.

Quando Virgo aurora, luna, sol, & castrorũ acies, dicatur.

Thom. à Camp. serm...

Meditatio virtutũ Mariæ vtilissima.

MEDITATIO I.

De desponsatione Virginis.

1. PVnctum. In hac vitæ conuersatione, ô Maria Virgo purissima, quam vtcumque descripsimus, annum quatuordecimum attigisti. In quo cùm ob proceritatem corporis nubilis appareres, de sponso tibi quærendo Sacerdotes cogitarunt. Dicitúrque tibi ex cognatorum assensu atque cõsilio vt ad nuptias te præpares. Quid tu ad hæc respondes. Profectò debita cum submissione, sed magna cum libertate & constantia (quia necdum consilium Dei erat tibi compertum) torum viri detrectas. Et necessitate compulsa virginitatis votum à te emissum patefacis, & te in perpetuum diuino cultui consecratam asseris. Hoc primum Virginum cum cognatis & tutoribus certamen est, qui volunt bono prætextu puritatem eripere. Sed

De Mariæ nuptiis sacerdotes cogitant.

ipſæ à te inſtructæ, ſi ſapiunt, propoſito melioris vitæ ſe protegunt. Habemus autem omnes quod imitemur. Nam ſi ad vitæ laxitatem quis prouocetur, licet & decet propoſitum auſterioris vitæ & vſum eius non ad inanem iactantiam, ſed ad Dei gloriam & propriæ animæ ſalutem aperire.

2. Audita à Sacerdotibus re noua, & inſolita, ô Virgo beatiſſima, vt fœmina illius gentis ſine viro eſſe vellet, ad Deum accedunt, conſulturi quid de te, quæ ipſi conſecrata eras, eſſet agendum. Reſponſum eſt illis, vt viro ſponſa tradaris; non quia votum à te emiſſum Deo inuiſum eſſet, ſed vt illud tamquam ſibi gratiſſimum integerrimi viri teſtimonio confirmaret. Decebat, vt tu, quæ filium eras habitura, virum etiam haberes, non à quo filium ſuſciperes, ſed cuius connubio tuam famam cuſtodires. In illo dedit tibi Deus, comitem in laboribus, ſocium in peregrinationibus, refrigerium in aduerſitatibus. Ab eo neceſſaria ad victum & veſtitum adminiſtrabantur, & futurum in te incarnationis myſterium ſponſi præſentia celabatur. Emicabátque ſpecialis erga ſuos prouidentia Dei, & quàm bonus eſt rectis corde, qui vnde impedimentum propoſiti tui videbatur emergere, inde nouit pudori tuo conſulere, & omne obſtaculum ſubmouere. Confidam & ego, ô Virgo ſancta, in hac Domini prouidentia, & omnia ad me pertinentia illi committam, à qua ſæpiſſime experimento comperi ea non minus vtiliter quàm benignè diſponi.

Ad quid Virgini ſponſus datur.

3. Poſtquam ſacerdotes diuinum oraculum exceperunt, ô Virgo immaculata, deſponſatione tua, illud tibi intimandum curarunt. Cognita autem à te Dei voluntate ſtatim aſſentiris, certiſſimè ſciens tuam integritatem ex conſortio viri nullum periculum ſubituram. O magnam fidem tuam; qua credidiſti te in incendio & in toro viri illæſam eſſe ſeruandam. Laudatur fides Abrahæ, qui credidit ſe in ſenectute generaturum filium, nec conſiderauit corpus ſuum emortuum, cùm iam ferè centum eſſet annorum; & emortuâ vuluam Saræ. Sed multo magis fides tua laudibus extollatur, quæ cum quatuordecim tantùm eſſes annorum, credidiſti in conſortio perpetuo viri poſſe Dei ope abſque vlla oppreſſione integritatẽ cuſtodire. O magnam obedientiam tuam! quæ non ſolùm in re tam difficili & à tuo deſiderio aliena paruiſti, verùm & coniugem cui ſeruires, & cui obedires, & cuius nutu regereris libens acceptaſti. Eras verè humilis, & probè ſciebas obedientiam humilitatis ſororem germanam eſſe. Ideo gauiſa es, te inueniſſe viam qua virginitati & humilitati obedientiam adiungeres. Hanc & ego, ô Virgo beata ſemper diligam, & ſubiici quàm propriam voluntatem facere vtilius ducam.

Fides Mariæ maior fide Abrahæ.

4. Coniugium ergo, ô puriſſima Virgo, conſuetis ritibus inter te & Ioſeph contractum eſt, cõiugium, inquam, fideribus purius, & ipſis corporibus cœleſtibus incorruptibilius. In quo nihil cogitatum eſt, nihil dictum, quod integritatem labefactaret; multa verò, quæ ipſam pulchriorem & admirabiliorem efficerent. Vocata namque tu ad primum cum ſponſo colloquium ita crederis eloquuta. Eſt ſecretum, ô caſte Ioſeph, quod tibi volo dicere. Deum ipſum habeo cuſtodem corporis mei, & amatorem integritatis meæ, qui me tibi deſpondit, vt meæ puritatis particeps fieres. Ego me voto perpetuæ virginitatis obſtrinxi, & à Deo per reuelationem accepi, te perſuaſione mea idem votum eſſe facturum. Iam ergo tempus eſt, vt cõnubio mecum inito propoſitum caſtitatis, quod hucuſque ſeruaſti, & ipſe voto confirmes. Annuit ille, & ex tuo conſortio purior & caſtior effectus integritatem ſuam voto roborauit. Eſt ergo doctrina & ſuaſio tua, quæ in die nuptiarum tuarum incepit, & per omnes ætates protrahitur mentis & carnis integritas, quam tu, ô pia mater, mihi à filio tuo, tuis orationibus impetrabis.

Verba Mariæ ad Ioſeph.

5. In hoc ſtatu poſita, ô Maria Virgo ſacra, vt non ſolùm virginibus, ſed & coniugatis norma vitæ & virtutis exiſteres, perfectiſſimè matrimonij iura ſeruabas, & vna carnis communione ſepoſita, in aliis omnibus vt ſponſa caſtiſſimo coniugi ſeruiebas. Diligebas eum tenerrimè, & amorem tuum non diuidebas, quia illum non propter ſe, nec propter te, ſed propter Deum amore complectebaris. Et licèt nupta, quia tamen Virgo cogitabas quæ Domini ſunt, vt eſſes ſancta corpore & ſpiritu. Reuerentiam magnam habebas ad illum, ſciebas namque eſſe caput tuum: & illum ſic in tota Eccleſia dignum maxima veneratione feciſti. Quis enim non veneretur illum quem Regina mundi, & mater Dei reuerentia proſequebatur. Eras illi in omnibus obedientiſſima, & nec latum vnguem ab eius voluntate diſcedebas. Hoc accipiam ex te meis ſuperioribus cum reuerentia obedire, & eos fideliter vt parentes amare. Amen.

Virgo cõiugatorũ norma.

1. Cor. 7. 34.

MEDITATIO II.

De annuntiatione Mariæ.

1. PVnctum. Vita tua, ô Virgo immaculata, & omnium creaturarum ſanctiſſima, tam erat pura, perfecta, & omnibus numeris abſoluta, vt eſſet valida vox in cœlum clamãs, à Deo mundi remedium efflagitans, & verbum diuinũ ad aſſumendam ex te noſtram carnem inuitans. Meritò Theologi aſſerunt te meritò congrui (vt vocant) filij Dei incarnationem meruiſſe. Quoniam ſuppoſito decreto Dei de remedio generis humani per Verbi incarnationem futuro, congruentiſſimum fuit vt hoc myſterium executioni mandaretur, quo tempore tu in terris degebas, qua nulla fœmina purior & dignior quæ eſſet mater Dei vmquam erat ſurrectura. Humilitas tua, obedientia tua, puritas & charitas tua, & reliquæ virtutes tuæ perfectiſſimæ voces & clamores erant, quæ filium Dei ad tuum gremium inclinabant, & ipſum ad terram trahebant. Caſtiſſimæ cogitationes tuæ, ardentiſſima deſideria, ſanctiſſima opera, & immaculatiſſimi mores illum ad feſtinandum incitabant. Ipſe ſe fatetur in vno iſtorum vulneratum. Vulneraſti, ait, vel cor mihi abſtuliſti, vt Septuaginta interpretantur, ſoror mea ſponſa, vulneraſti cor meum in vno oculorum tuorum, & in vno crine colli tui ſorores propter humanæ naturæ contubernium, ſponſa propter fidelitatem, & in amore conſtantiam. Si ergo illũ Samſonem fortiſſimum & verè filium Dei in vno contemplationis aſpectu vulneraſti, & in vno affectu tui puriſſimi cordis ligaſti, quid mirum ſi tot cogitationibus & affectibus caſtiſſimis, tot actibus & moribus immaculatis eũ ad te traxeris, in tuiſque viſceribus incluſeris. Vtinã, ô Virgo, & ipſe à me impuritatem mearum cogitationum & affectuum auferat, vt cor meum per intimam familiaritatem poſſideat.

Maria de congruo incarnationem meruit.

Cant. 4. 9.

1. Noueras optime, ô Virgo sapientissima, vt in rebus diuinis & sacris Scripturis satis instructa Messiam esse venturum, qui mundum à miseria diabolicæ captiuitatis eriperet. Sciebas quoque Danielis hebdomadas esse completas, & ex Prophetarum vaticiniis elici tempus aduenisse, in quo erat ipse in mundo appariturus. Nec ignorabas dispositiones Dei ab æterno efficaciter volitas mediis iustorum orationibus executioni mandari. Orabas itaque Deum, & summis precibus & gemitibus & lacrymis contendebas, vt Deus iam nostri misertus filium suum mitteret, & opportuno tempore suam pollicitationem impleret. Quin & ipsum Dei filium exorabas, ne cunctaretur venire. O quàm vberrimis lacrymarum riuulis, quàm accensis cordis affectibus ipsa clamabas: Veni Domine, noli tardare; relaxa facinora plebis tuæ Israel. Ostende faciem, & salui erimus. Vtinam disrumperes cœlos, & descenderes, à facie tua montes defluerunt. Quin & æstu amoris succensa dicebas: Quis mihi det te fratrem meum factum, sugentem vbera matris meæ synagogæ, vt inueniam te foris extra sinum Patris, & deosculer te, & iam me nemo despiciat. His orationibus & desideriis obtinuisti, vt filius Dei acceleraret, & quàm citissimè ad nos visitandos veniret. O si scirem orare, si scirem desiderare, absque dubio postulata & desiderata perciperem.

Desideria & preces Mariæ pro Messiæ aduentu.

Isaiæ 64. 1.

Cant. 8. 1.

3. Audiuit te Deus, ô sacra Virgo, & tuis precibus, tuisque sanctissimis moribus illectus statuit ex te, & per te filium suum vnigenitum ad liberationem mundi destinare. Mulierem fortem iam inuenit, quæ redderet ei, & toti mundo bonum & non malum, & hanc occasionem nactus eam elabi non siuit. Noluit tamen hoc mysterium perficere quousque tu de illo instruereris, & consensum ad filium Dei suscipiendum tribueres. Te ancillam esse illius beatæ fœminæ, quæ Messiam erat paritura, sæpe desideraueras, si in ætate tua venturus esset: at quòd tu futura esses illa mulier, vt verè humilis numquam cogitaueras, neque in animum induxeras. Decuit igitur vt de hoc mysterio informareris, vt de tuo consensu interrogareris, vt cùm libertate & merito in augustissimam domum vteri tui filium Dei descendentem exciperes. Decuit vt tu interrogata, & à Dei nuntio persuasa sanguinem tuum offerres, ex quo corpus filij Dei coagularetur: viscera tua & sanctum vterum tuum in quo reconderetur, vbera tua, & lac tuum quo reficeretur; manus & brachia & gremium tuum, quo sustineretur, & omnem industriam & laborem tuum quo illi seruiretur, vt sic esses cooperatrix operis redemtionis. Sciam obsecro, ô Mater, ad imitationem tuam me totum filio tuo offerre, & omnia mea illi consecrare.

Prou. 34. 10.

4. Præstituto itaque tempore, ô Virgo fœlicissima, in quo iam eras viro tradita, & omnis de te malè suspicandi occasio submota, cùm tecum esses in conclaui, Deo & cœlestibus vacans, & forsitan summis precibus Messiæ aduentum efflagitans, ingressus est Angelus Gabriel in specie adolescentis honestissimi, à Deo missus vt tibi bonam legationem afferret, & læta ac fausta nuntiaret. Qui in sanctitatem ac modestiam tuam oculos suos spirituales intendens, ac tantam magnitudinem demiratus solo prosternitur, & luminibus illius assumti corporis in terram demissis, magna cum reuerentia te ad gaudium inuitat, te gratia plenam vocat, Deum in mente tua ac tecum esse affirmat, benedictionem præ omnibus mulieribus te accepisse firmiter affeuerat. Tu ad insolitum salutandi modum ex humilitate turbaris, ex pudore taces, ex prudentia qualitatē salutationis euoluis. Postea ab ipso Angelo à turbatione liberaris, de mysterio incarnationis filij Dei quod in te Deus facturus erat edoceris, exemplo Elizabethæ, quæ cùm esset sterilis ex miraculo conceperat, confirmaris, & in dignitatē matris præstito consensu fœliciter eueneris. Nam protegente & obumbrante te Deo, & Spiritu sancto operante verbum Dei concipis, & absque detrimento pudoris te grauidam sentis. O mater summi regis, quandoquidem filius qui ex te nascetur, seruos est habiturus me in seruum illius recipe, & mores seruorum eius habere concede.

Angelus ad Mariam ingressus.

5. Sed quis intelliget, ô Maria Virgo sanctissima, quam in te mutationem, cùm concepisti, Deus operatus est? Moyses ex consortio Domini ita facie resplendet, vt filij Israel ipsum intueri non possent. Saul electus in regem, se alterum sentit, & cor eius à Deo immutatum est. Tu ergo iam regina totius orbis effecta, & non ad quodcumque consortium, sed ad Dei maternitatem exaltata, quis capiat quantam copiam donorum acceperis. Qua supernaturali luce ab eo die Deum aspexisti, quo amore dilexisti, quibus virtutum actionibus perfectissimis, & plusquam Angelicis ei placuisti, qua mentis & corporis puritate supracœlesti eos quibuscum conuersabaris illuminasti. Exultabas de gloria Dei, de animarum remedio, de restauratione sedium cœlestium, & de tua admirabili dignitate lætabaris, quatenus ea Deus nouo modo suam immensam largitatem & bonitatem aperuit. Veniat obsecro in me spiritus filij, à quo mentis puritate & rectitudine immuter. Amen.

Exod. 34. 30. 1. Reg. 10. 6.

Causa exultationis Mariæ.

MEDITATIO III.

De visitatione Mariæ facta Elizabethæ.

1. PVnctum. Numquid potest, ô Maria vera Dei mater, homo abscondere ignem in sinu suo, vt vestimenta illius non ardeant? Certè si hoc impossibile est, pariter fieri non potuit, vt tu quæ filium Dei ignem illum increatum & diuinum in præcordiis absconderas, & vtero clauseras, intus & extra non arseris, & in opera celsissimarum virtutum tum interiora tum exteriora non incubueris. Concepto hoc igne intus immutata es, & quasi ardore charitatis absumta. Tunc genuflexo vel solo prostrata Deum iam sponsum tuum feruentissimè dilexisti, & pro exaltatione tua, & redemtione generis humani iam cœpta, & pro curia cœlesti instaurata gratias egisti, ac de misericordia Dei, quæ iam sine mensura effundebatur, & de tantis bonis tibi collatis vehementer exultasti. Exteriùs verò profecta es ad inuisendam & salutandam Elizabeth cognatam tuam, vt vno hoc opere multiplicium & admirabilium virtutum functiones obires. Neque enim curiositas te incitauit, vt iter hoc laboriosum susciperes, sed humilitas, sed charitas, sed laudationum Dei desiderium impulit. Humilitas quidem qua tu Domina, & hera, & regina ad ancillam iuisti. Charitas verò, qua ei gratulari, & obsequi, & beneficia conferre voluisti. Ac tandem desiderium laudis diuinæ, quia ob illud insigne miraculum, quo sterilis conceperat, & vetula vterum gestabat, ad gratias agendas, & Deum laudandum festinasti. Hunc ignem, ô

Luc. 1. à v. 39. vsque 56.

Causa accepti itineris in Mariam.

Virgo amabilis, ego concipiam, qui meas multiplices sordes absumat.

2. Surrexisti igitur statim, ô sacra Virgo, id est, post paucos dies à conceptione filij: nam ille ignis, qui intus in te ardebat, ad surrectionem accendit, ad opus solicitauit. Abiisti in montana in vrbem in montibus sitam, ad quam accessus non erat facilis, quia charitas tua erga proximos omnia obstacula superauit ac vicit. Iter autem fecisti cum festinatione: quia filio quem in vtero gestabas, nullo modo à progressu impediebaris. Immo ipse te agilem & alacrem fecit, vt faciliùs & celeriùs in locum destinatum progredereris. Anima corpus non grauat, sed alleuat, vt ambulet, quid mirum si verbum illud à te conceptum, quod vita est, & in ipso omnia vita sunt, te non grauaret, sed celeriorem efficeret. Ibas modestissima, quæ se obiiciebant sensibus minimè hauriens, neque oblectamenta verum terrenarum requirens. Ibas diuinis semper intenta, in consideratione filij occupata, & affectibus sanctis oppleta. Te è domo tua diuina voluntas eduxit, tibi eius beneplacitum in itinere se comitem præbuit, te desiderium gloriæ eius ad domum cognatæ perduxit. Hoc sit initium, ô Domina, gressuum meorum, hic scopus totius vitæ meæ, vt postquam gloriam eius quæsiero, ad gloriam obtinendam assurgam.

Qualiter iter faciebat Maria.

3. Ingressa es, ô Maria Virgo bonorum fons, in domum Zachariæ, & vt verè humilis prior salutasti Elizabeth. Sed hac salutatione tua Deus meus & filius tuus, quis cogitare sufficiat quanta patrauit. Verbo Domini cœli firmati sũt, & spiritu oris eius omnis virtus eorum. Similiter & hoc verbo tuo, quæ mater Domini es, Deo illud assumente vt instrumentem, multorum animi lætificati sunt, & spiritu illi indito omnis ornatus eorũ. Nam Deus hac voce tua Ioannem vtero clausum à peccato originali mundauit, gratia sanctificauit, virtutibus exornauit, Spiritu sancto cumulauit, rationis vsu dotauit, notitia mysterij incarnationis illuminauit, & tanta exultatione repleuit, vt in illo ergastulo subsiliret. Insuper & Elizabetham Spiritu sancto, & dono prophetiæ extulit, vt paucis verbis admiranda explicaret. Primò enim te ac filium à te conceptum laudauit, dicens: Benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui, à quo omnes benedictiones tuæ aliorúmque procedunt. Deinde se profundè humiliauit, & te dominam ac reginam agnouit. Dixit enim: Et vnde hoc mihi vt veniat mater Domini mei ad me. Postea dona ad tuum ingressum accepta patefecit. Vnde subiunxit: Ecce vt facta est vox salutationis tuæ in auribus meis, exultauit infans in vtero meo. Tandem quid de te sibi reuelatum fuerit aperuit. Beata, inquit, quæ credidisti, quoniam perficientur ea quæ dicta sunt tibi à Domino. Nec solùm in Elizabetha & in Ioanne multiplex donum se continuit, sed & totam illam familiam affecit. Nam si ingressa arca in domum Obededom, benedixit Dominus eum, & omnem domum eius, quare ad ingressum tuum, ô vera arca fœderis, non benediceret Zachariam, & omnem familiam eius donis multiplicaret. Eia, ô mater, accede ad me protectione tua, vt de manu Domini noua semper bona recipiam.

Psal. 32. 6.

Effectus salutationis Mariæ.

2. Reg. 6. 11.

4. Quid tu, ô humilis Virgo, ad hæc tam sublimia de te prolata respondes? Non ad homines loqueris, cum quibus semper fuisti parca verborum, sed Deum affaris, & ex affectu amoris & gratitudinis, in eum laudes retorques. Deum non solùm voce, vérùm multo magis anima & affectibus magnificas, & laudas: & in ipso Saluatore tuo & omnium, non verò in teipsa, neque in donis acceptis, si ab eius gloria & laude separantur, exultas. Quare autem Deum sic magnificas? quare in illo sic exultas? Primò quidẽ quia respexit humilitatem tuam, & in te sibi complacuit, cuius benignus aspectus omnium est bonorum exordium. Secundò, quia eo ita disponente, beatam te dicunt omnes generationes. Tertiò, quia ille qui verè potens est, fecit in te magna, dum te Virginem & Dei matrẽ consecrauit. Quartò, quia te & omnes nationes timentium eum miris & magnis beneficiis affecit. Quintò, quia opera stupenda vt creationis, gubernationis mundi, & alia similia solus virtute sua, & sine auxilio aliorum præstitit. Sextò, quoniam superbos disperdidit. Septimò, quoniam deposuit elatos de sedibus & dignitatibus suis, quia sibiipsis confidebant, & loco illorũ subrogauit humiles. Octauò, quoniam pauperes repleuit bonis, & diuites impios dimisit inanes. Nonò, quia memor misericordiæ suæ Israelem in seruum suscepit, & sub alas suæ prouidentiæ protexit. Ac decimò, quia fidelissimè suas promissiones impleuit, ob hæc ô Virgo semper & ego Dominum laudibus efferam, & nomen eius benedicam.

Causa exultationis in Maria.

5. Non sunt breues, ô Virgo amabilissima, misericordiæ tuæ, sed in longum tempus protractæ. Mansisti namque cum cognata tua quasi tribus mensibus. Toto hoc tempore omnẽ domum illam verbis sanctis exhilarasti, exemplis ædificasti, obsequiis deliniuisti. Iacob domui Laba multiplex bonum attulit. Elias & Elisæus domibus earum mulierum apud quas diuertebant, magna bona reddiderunt. Quid tu, quæ his es tum dignitate, tum sanctitate superior. Meam igitur mentem, apud quam hospes est iugis recordatio tui, obsecro vt bene dicas, & luce tuorum exemplorum edoceas. Amen.

Misericordia Mariæ diuturna.

Gen. 30. 3. 3. Reg. 17. 4. Reg. 4. 17.

MEDITATIO IV.

De suspicione Ioseph circa puritatem Mariæ.

1. PVnctum. Reuertis, ô Virgo, ipsis cœlis & stellis purior à domo Elizabethæ post tres menses in domum sponsi tui Ioseph, & reuerteris grauida. Grauida quidem ab Spiritu sancto profecta fueras, sed quia paucis diebus antè conceperas, nondum te concepisse apparebat. At post tres menses vtero intumescente te fœtum in ventre gestare sponsus castissimus, qui te numquam tetigerat, deprehendit. O quàm magna tristitia impleuit cor eius! O quàm amaris cogitationibus & hæsitationibus pulsatus est animus eius, dum ex vna parte præteritam tuam sanctitatem, & præsentem simplicitatem & innocentiam aspiceret, & ex alia te ab adulterij crimine excusare nesciret. O efficacissima consolatio iustorum quando etiam à bonis iniqui putantur, cùm vident te matrem omnium iustorum sanctissimam, ab ipso sponso qui tenerrimè te diligebat adulterij damnari. Simus aliquid, ô Virgo apud te, & apud filium tuum: nam id reuera sumus, hominum autem, qui ita falluntur, opiniones contemnamus.

Matth. 1. à 18. vsque 25.

2. In hac autẽ tribulatione magna tua & sponsi tui, ô Maria, ab omni macula alieniſſima, quanta vtriusque virtus ostenditur. Ille patientissimus extitit, qui tantam aduersitatem æquo animo sustinuit. Mansuetissimus, qui ad iudices, vt te lapidibus obruerent, non recurrit; qui parentibus & cogna-

Ioſephi pietas, mansuetudo, prudentia.

tis tuis de te querimonias non obtulit: qui te occidere aut vexare aut verbis amarulentis increpare minimè ſtatuit. Prudentiſſimus, qui medium fugiendi, aut te, dato libello repudij, relinquendi, ad tuendam famam tuam, & ad non conſentiendum peccato ſapienter excogitauit, & non ſtatim ſed poſt maturum conſilium præſtare conſtituit. Tu verò, ô ſponſa Dei omnium fideliſſima, de crimine infami ſine cauſſa notata, quam ſublimibus virtutum actibus ſplenduiſti. Vt verè humilis myſteria in te facta non aperis, vt taciturnitatis amatrix de hac re cum ſponſo tuo, & cum aliis omnino ſiles: vt fiduciam habens in Domino huius procellæ euaſionem illi committis: & vt ex toto orationi dedita te & tua ſuſpiriis & gemitibus coram illo profundis. Eia, ô mater, diſcam, etiam ſine culpa notatus non me excuſare, & in Domini prouidentia confidere.

Maria humilitas.

3. Non defuit Deus, ô Virgo beata, qui nemini deficit, huic afflictioni tuæ. Ipſe miſit Angelum ſuum, qui Ioſeph ſponſum tuam innocentiam & ſanctitatem edoceret. Illi triſtis & ſuſpicionibus perturbatus dormitum iuit. Apparuit autem ei nuntius cœleſtis, & in ſomnis ſic illum eſt allocutus: Ioſeph fili Dauid, ex cuius progenie mundi Saluator eſt naſciturus, ne timeas crimen aliquod ſi cum Maria tibi deſponſata conuiuas. Concepit illa profectò, & grauida eſt, non tamen ab homine, ſed cùm ſit Virgo puriſſima ab Spiritu ſancto impleta eſt. Conuenienti tempore filium pariet, quem nominabis Ieſum, quoniam aſſerturus eſt populum in libertatem à peccatis eorum. Ecce Virgo tu tacuiſti, & Angelus pro te loquutus eſt: tu ſuſtinuiſti, & Dominus tuam ſanctitatem reuelauit, & ab omni malo protexit. Beati omnes qui confidunt in eo: quoniam non eſt confuſio confidentibus in illo.

Ioſepho Angelus apparet.

Pſal. 2. 13. Dan. 3. 40.

4. Sic, ô Virgo puriſſima, caligo hæc ſuſpicionum diſiecta eſt, & ſerenitas ac lætitia reducta. Sic caſtiſſimus ſponſus tuus liber ab omni ſiniſtra cogitatione de te concepta, & gratiſſimus Deo, & cautus ad non iudicandum permanſit: tu verò & læta de bono illius & in ſpe de diuina prouidentia ſatis confirmata perſtitiſti. Accepit te ille in domum ſuam, ſed quo amore, qua æſtimatione tui, qua humilitate, ſentiens ſe conſortio talis Virginis prorſus indignum. Vixiſtis, ô Virgo, tu & ſponſus tuus quoad puritatem corporum & vnitatem animorum ſicut Angeli Dei in cœlo. Ille te, vt pignus chariſſimum, & pretioſiſſimum ſibi commendatum diligebat. Tu illi ſicut coniugi & capiti domus obediebas, & myſteria, quæ Deus in te operatus eſt, aperiebas, & cauſſas innumeras Dei laudis & admirationis præſtabas. Quæram & ego in congregatione concordiam vt Deo ſubiectus & fratribus concors factus merear ad ciuitatem veræ pacis transferri. Amen.

MEDITATIO V.

De expectatione partus Mariæ.

1. PVnctum. Volabat tempus, ô Maria Virgo ſacrata, intumeſcebat vterus Deo plenus, & nox illa ſole clarior appropinquabat, in qua paritura eras filium Dei. Solicitabat te Spiritus ſanctus vt te ad lætiſſimum & puriſſimum partum præpararet, & ad infantem fouendum, & operiendum neceſſaria præuenires. Dignum eſt autem meditari, quid tu proximis illis ad partum diebus cogitatione volueres, quid affectu concupiſceres, & quid exteriùs ad excipiendum Dei filium efficeres. Seriò ac iugiter cogitabas perfectiones multiplices illius filij tui, quem eras editura. Nimirum quòd ipſe eſſet verus filius Dei, caput Angelorum & hominũ, rex totius vniuerſi, Pontifex ſummus, cuius oblatio pro peccatis omniũ erat ſatisfactura; mente ſapientiſſimus & ſanctiſſimus, immo fons omnis ſapientiæ, & ſanctitatis, corpore pulchertimus, & ſedes omnis pulchritudinis. Hæc verò cogitans in amorem eius abripiebaris, téque humiliabas, & indignam cenſebas, quæ talem ac tantum Dominum ad mundi ſalutem effunderes. Deinde redibas ad cor tuũ, & ſolertiſſimè diſcutiebas, an eſſet in cogitationibus & affectibus, in viribus & in moribus tuis, aliquid quod tu poſſes amplius purificare, ornare & perficere; & cùm videres te omni ex parte pulchram atque perfectã, & omni ſanctitate exornatam, nec poſſe te amplius quàm actu præſtabas, cooperari gratiæ Dei, immenſas Domino gratias agebas, quòd talem te fecerit, & in ſuum domicilium elegerit. Redeam & ego ad me, ô mater, & meipſum inſpiciam, & defleam, & multa quæ filio tuo diſplicere reperiam lacrymis & contritione diluam.

Maria cogitationes ante partum.

2. Ex hac clariſſima contemplatione & perfectiſſima cognitione maieſtatis filij tui, ô Virgo beatiſſima, orieb atur ingens deſiderium horæ fœlicis illius, in qua erat ille tantus Dominus ex te proditurus. Deſiderabas videre oculis tuis pulchertimam faciem filij Dei, illum adorare, & brachiis aſtringere, & vberum tuorum calore fouere. Offerebas tu illi vires tuas, corpus tuum, & induſtriam tuam, vt illum ad egreſſum alliceres. Aperiebas illi oratione feruenti deſideria tua, ac mundi ſummam indigentiã proponebas, & pacis oſculum poſtulabas, vt celerem eius aduentum obtineres. Nullus ibi erat dolorum timor, nullus abortionis metus, abſque vlla namque hæſitatione ſperabas te ſine detrimento integritatis parituram, & filium ſpecioſum forma præ filiis hominum nobis daturam. Accende obſecro, ô Domina, in me deſiderium Dei, vt ſolus ille mihi ſapiat, & omnia terrena deſipiant.

Deſideria feruentiſſima Mariæ.

3. Exteriùs verò, ô Maria Virgo prudentiſſima, pannos præparabas, mundos quidem ſed tenues, quibus filium recèns natum obuolueres. Eóſque præ dulcedine lacrymis irrigabas, piè recogitans, quomodo anguſtabatur maieſtas Dei, quomodo exinaniebatur magnitudo illius domini, cuius eſt omnia creare, & decore veſtire. Velles quidem, ſi deceret, panniculos illos & faſcias omnibus mundi gemmis inſtruere, at ſciebas ei, qui ad docẽdam paupertatem & humilitatem naſcebatur, non niſi pannos nullius ferè pretij conuenire. Cogitationes tuæ, ô ſacra puella, me docent, affectus inflammant, oblatio inuitat; oratio perſuader, & curæ alliciunt, vt me totum Deo offeram, & ad eum excipiendum diſponam. Ita fiat, vt vitam meam iuxta ipſius voluntatem inſtituam. Amen.

Virgo neceſſaria ad partũ præparat.

MEDITATIO VI.

De ſedulitate Mariæ erga Chriſtum infantem.

1. PVnctum. Hæc ſancta expectatio tua, ô Maria Virgo dulciſſima, fœlici partu vnigeniti filij tui completa eſt, & in poſſeſſionem conuerſa. Vidiſti quem expectabas oculis tuis, recondiſti in ſinu tuo. Sed quis capiat, quis exponat quomodo te habuiſti

habuisti erga hûc filium, quem Spiritu sancto fatore cõceperas. Diligebas illum amore naturali vt filium, & vt filium vnicum, quia manifestè sciebas te numquam alium parituram, & vt eum quem noueras esse omnibus simul hominibus pulchriorem & amabiliorem & pretiosiorem. Non habuisti etiam coniugem ex cuius commercio cõciperes, vnde in vnum cor tuum amor matris patrísque confluxerat. Diligebas etiam eum amore supernaturali quo non solùm post adultam ætatem, verùm & in puncto conceptionis tuæ supremos spiritus cœlestes excesseras. Hic tantus amor, ô bone Deus, ad quantam te obsequendi sedulitatem accendit. Aliæ matres filios effundunt, sed doloribus fractæ aliis fœminis leuandos & fasciis constringendos committunt. Tu verò quæ sine dolore pepereras, quæ integra robustáque permanseras, tuum filium manibus accepisti, & sole mundiorem panniculis inuoluisti, & post amplexus & oscula in præsepio collocasti. Multæ aliarum fœminarum liberos suos aliis nutricibus lactandos & educandos tradunt. Tu filium tuum proprio lacte nutriuisti, nec passa es ab alia fœmina suis vberibus applicari. Omnes etiam quos pariunt ancillulis sustinendos & portandos tradunt, vel certè in terra, aut in strato ad tempus relinquunt: tu nec aliis tradebas, nec ad momẽtum ab eo patiebaris auelli. Eras mater & nutrix & ancilla, & ita illi obsequebaris, vt semper præstò haberet quæ suæ necessitati & imbecillitati succurrerent. Quæ ego per meipsum, ô mater, in eius obsequium præstare possim, nequaquam obsecro aliis facienda relinquam.

Amor Mariæ duplex erga filiũ.

2. Venit tempus circumcisionis filij tui, ô Maria Virgo solertissima, & omnia facere conata es, quæ eius dolorem lenirẽt. Priùs illum amplexibus & osculis & blandissimis verbis deliniuisti: deinde post factam circumcisionem diligentissimè vulnus obligasti, & lacrymas tuas cum eius sanguine miscuisti. Admirabaris videns summum Deum paruulum factum, vagientem, signo peccatoris notatum, vt suo vulnere nos sanaret, & nostra peccata deleret. Collegisti sanguinem eius, quem in initium solutionis effuderat, absterfisti lacrymas eius, vbera tua admouisti purissimis labiis eius, vt dulcedine lactis tui sensum doloris opprimeres. Culter ille lapadeus carnem pusionis vulnerauit, sed cor tuum animámque transfixit. Oblita verò doloris tui, illum tantùm sentiebas, qui carnem illam sacram afflixerat. Ne ego igitur meas iniurias sentiam, sed offensas eius à me & à fratribus admissas lacrymis & mœrore diluam.

Officia Mariæ erga natũ sibi filiũ.

3. Iam post tredecim dies, ô Virgo illustrissima, tres reges ex regionibus Orientis filium tuum ac Dominum meum adoraturi conueniunt. Tu de hoc mysterio ab Spiritu sãcto interiùs edocta paruulum collocasti, & sedere fecisti in vlnis tuis, vt esses thronus eius in quo adoraretur, ipsis cœlis glorioſior atque sublimior. Lætabaris maximè in maiestate & magnitudine eius, reges offerebant ei aurum, tu amorem; illi thus, tu orationem: illi myrrham, tu compassionem; immo quidquid erat in te sensuum & affectuum ipsi fidelissimè consecrabas. Excepisti hospites illos nobilissimos humiliter & benignè, vt matrem Dei decebat. Aperuisti illis mysterium regni Dei, & pro donis oblatis filio gratias egisti, & cùm digrederentur modestissimè bona imprecata es, illis autem profectis, tu adorationis non oblitiscereris, sed eam prosequeris tanto sinceriori affectu & maiori charitate, quanto maior erat puritas tua.

Qualiter Virgo Reges excepit.

A Dona verò illa statim pauperibus distribuis, opes possidere non sustinens; quia ille paruulus Deus non auro sibi seruiri volebat, sed manibus tuis: non thuris odore, nec myrrhæ vnctione, sed virtutum tuarum fragrantia lætabatur, & suauitate tui purissimi cordis vngebatur, & donum sibi placitum erat, amor tuus. Nouerim, ô mater, ad imitationem tuam adorare illum, & ipsi mea ac me totum offerre.

4. Deinde quadragesimo die à natali filij tui, ô Virgo obedientissima, in templum proficiscereris; vt legem purificationis impleres. Lege namque cautum erat, vt mulier quæ susceptо semine pareret masculum, quadraginta diebus haberetur immunda, & se domi contineret, & sancta non tangeret, & templum non ingrederetur. Expletis autem purificationis diebus oblatura erat ad ostium tabernaculi, aut templi, si esset ditior agnum quidem in holocaustum, & pullum columbæ siue turturem pro peccato: si autem pauper, duos turtures aut duos pullos columbarum. Tu, ô Virgo, stellis purior hanc legem te manifestè eximentem (quia nequaquam semine susceptо conceperas) implere constituis. Vt amatrix silentij & solitudinis domi te contines, vt puritatis auida ad maiorem puritatem contendis: vt obediens sapientissima quadam simplicitate legi te subiicis: vt humilis inter alias puerperas sedes, & accedendi occasionem expectas, vt pauper non agnum, sed duos turtures offers: vt deuota reuerenter ad oblationẽ perficiendam in conspectu sacerdotis assistis. Postea vt nulli rei desis, filium patri ad bonum totius generis humani præsentas: quinque siclis redimis: magna ac mirabilia de filio tuo ac de te dicta à Simeone & Anna audis & credis, & domum reuersa nihil aliud quàm Deo & tibi vacare concupiscis. Existam & ego harum omnium virtutum tuarum imitator, & nihil præter Deum concupiscam.

Leu. 12. 2.

Mariæ virtutes in purificatione elucẽtes.

5. Postea audito filij tui discrimine (nam ab Herode ad necem quærebatur) ô Virgo sanctissima, diligentissimè surgis, omnia quæ possidebas relinquis, & in Agyptum vt eum liberes fugis. Ibi labore & industria tua de necessariis prouides; gẽtes illas splendore vitæ tuæ in admirationẽ rapis, & à peccatis retrahis: & vt obedientissima, & filij tui præsentia & conuersatione contenta de reditu nihil inquiris. Post aliquot annos ad iussũ Angeli reuerteris in terram Israel, & in Nazareth cum dilectissimo filio diuertis, vt illũ ab insidiis liberes. Habebas thesaurum istum quem summè diligebas, & vt eum custodires, gnauiter omnia possibilia præstabas. A te igitur solicitudinis donum exquiro, vt hoc vnum cogitem, hoc vnum desiderem, hoc vnum meis laboribus quæram, Dominum in meo corde custodire.

6. Tandem, cùm deuota & religiosa in templum ad adorandum ires, ô Maria Virgo purissima, sine vlla culpa tua filium sponte in templo manere volentem amittis. Illum abesse sentiens cum tristitia magna surgis, & circuis ciuitatem per vicos, & plateas, quærísque quem diligit anima tua. Reuerteris in templum, in domum Patris eius, & ibi eum inuenis doctorẽ inter doctores sedentem, & cum illis disputantem. Sol ille fulgentissimus inter stellas sapientũ residens à corde tuo caliginem tristitiæ dispulit, lætitiæ claritatem immisit, & pulchritudine tua, ac puritate & amore inuitatus tecum in domum rediit, & tibi subditus & obediens extitit. Per hæc magna mysteria rogo te Domina, vt tibi addictissimus seruus existam. Amen.

Virgo amissum filium cũ dolore quærit.

MEDITATIO VII.

De subiectione Mariæ ad Christum prædicantem.

1. PVnctum. Quomodo autem te habueris, ô Virgo præclarissima, erga filium postquam in adultiorem ætatem peruenit, iam nostra meditatio vestiget. Sciebas optimum hunc filium tibi fuisse à Patre commendatum, vt ipsi in omnibus necessariis ministrares, & ideo nulli, quod ad hoc opus esset, officio deeras. Inprimis diligentissimè quid esset ei placitum obseruabas, & id semper magna cura exequebaris. Deinde ad omnia quæ specialiter requirebantur, per teipsam descendebas. Tuum erat cibum parare, & illi recumbenti apponere: vestimenta consuere, lectum sternere, & quæque alia sacræ illi humanitati opportuna præbere. Seruiebas illi amanter te matrem reputans, humiliter te ancillam existimans, prudenter minimam etiam incuriam fugiens, solicitè nihil ipsi deesse sustinens. Hoc sit, ô Mater, studium meum filio tuo humiliter, amanter, prudenter & solicitè famulari.

Virginis munia in Christū.

2. Hæc fuit fœlicitas tua, ô Maria Virgo Dei mater, quòd habuisti filium hominem Deum. Huic igitur præcipuè studebas, vt oculos mentis & corporis in eius verba & actiones, & mores intenderes. Singula intuebaris, singula admirabaris, multa imitabaris, pro omnibus amore & gratitudine Deum prosequebaris. Nunc secus pedes eius multo tranquillius ac quietius quàm Magdalena audiebas verbum illius; nunc cor tuum ad pedes eius relinquens, vel potiùs à corde eius abire non sustinens ad curandas res domus secedebas: nunc cum filio diebus festis ad Synagogam cultus Dei caussa pergebas, nunc domi solicitè etiam cum eo operi manuum instabas. Particeps eras incommoditatum eius, caloris, & frigoris, & penuriæ multarum rerum, quam nostri caussa patiebatur, particeps & consolationum eius, quibus cum Patre loquens & diuinis intendens oblectabatur. Ille erat speculum tuum in quo teipsam aspiciebas, ad cuius claritatem tuos mores componebas, cuius pulchritudine illecta semper ad perfectiora aspirabas. In hoc speculo, ô pia Mater, vitā meam suspiciam, vt multiplices maculas eius spiritu compunctionis abstergam.

Christus Mariæ speculū.

3. Ex hoc conuictu cum filio, ô Virgo prudentissima, perspectum tibi erat eius ingenium, cognita summa potestas, & hominibus opitulandi voluntas. Hinc humiliter & fiducialiter ad illum accurrebas, quotiescumque aliqua postulandæ nostræ salutis se obtulisset occasio. In Cana Galilææ ad nuptias inuitata simul cum filio, tua & illius præsentia eas cohonestare non refugis. Pauperum autem illorum indigentia inspecta, qui sufficiens vinum ad conuiuium non habebant, prudentissimè, modestissimè, & magna cum fiducia filio proponis, dicens: Vinum nō habent. Scis optimè quam verum sit quòd ego vinum consolationis cœlestis non habeam, meam summam indigentiam illi, cuius oculi pulchriores sunt vino, quæso proponas. Responsum prima quidem specie ab eius ore duriusculum audis: Quid mihi & tibi est mulier, nondum venit hora mea. Sed probè intelligis illud nō animo te confundendi prolatum esse, sed diuinam potestatem, in qua à te non pendebat, manifestandi. Ministros aduocas, vt quidquid filius præcepe-

Ioan. 2. 3.

Gen. 49. 12.

rit faciant, suades, & illustre miraculum, quo aqua in optimum vinum conuertitur, tua postulatione consequeris. Eia Mater, faciam & ego quidquid filius tuus præcipit mihi, & absque dubio aqua tepiditatis meæ, in vinum feruoris conuertetur, & anima mea amore inebriabitur.

1. Christi miraculum in Cana Galilææ.

4. Tandem, ô Virgo solicitissima, filium prædicantem assectaris, ac post illum ad diuersa loca progrederis. Non sanè propter aliquam commoditatem corporalis sustentationis, non ex affectu alicuius humanæ gloriæ, quæ ex tali filio tibi obueniret, non ex concupiscentia alicuius curiositatis, sed vt illi laboranti famulareris, vt cognatos tuos & notos, qui te comitabantur, ad eius notitiam & omnem virtutem adduceres, & præcipuè vt cœlestem eius doctrinam audires, eam in opus produceres, & corde custodires. Audiebas illum prædicantem intentissimè, humillimè, cum omni modestia & pietate. Conseruabas omnia verba eius, & conferebas ea in corde tuo. Vt terra bona & optima proferebas fructum centuplum. Dupliciter profectò beata. Primò quidem quia filium Dei in vtero portasti, & vberibus tuis lac dedisti. Secundò verò quia perfectissimè supra omnes audisti verbum eius, & custodisti illud. Fac me intelligere doctrinam eius, & diligenter audire, & solicitè exequi, vt beati nomen obtineam. Amen.

Qualiter Christū prædicātem Virgo audiret. Luc. 11. 27.

MEDITATIO VIII.

De compassione Mariæ cum filio patiente.

1. PVnctum. Satis nota erat tibi, ô Maria Virgo sapientissima, futura mors & passio filij tui. Hanc ex diuinis Scripturis noueras, hanc etiā ab ore eius sæpe tecum loquentis audieras. Recogitabas ergo frequenter dolores & necem Domini mei, & ex afflictionibus eius fasciculū myrrhæ componebas, qui inter vbera intellectus & affectus tui commoraretur. At instante passionis tempore, cùm Dominus tibi valediceret, & se ad passionem ire manifestaret, quis intelligat sanctissimos affectus cordis tui. Terribilis dolor in sinu tuo excitatus est, quem tristitia vultus, & copiosæ lacrymæ in purissimas genas defluentes satis prodebant. Habebas tu, ô Virgo, in Christo Domino nostro filium, parentem sponsum, refugium, & breuiter omne bonum: iccirco quasi dolor ex omnibus doloribus coaceruatus erat dolor tuus. At hic dolor concordiam cum æterni Patris voluntate non abstulit, sed illam secum omnino retinuit. Dolebas itaque de morte vnigeniti tui, & tamen eam volebas; & quasi vera filia Abrahæ ad illam te resignabas, vt vera mater necem tam amabilis filij horrebas, & vt sancta & planè Deo subiecta illam non recusabas. Paratum cor tuum, ô Dominæ, paratum cor tuum. Paratum ad dolendum, paratum ad volendum, vt nec dolor concordiam voluntatis tolleret, nec voluntas dolorem subtraheret. Diligebas etiam homines, pro quibus mors illa Domini erat præordinata, & patri pro illis vitam illam Domini pretiosissimam offerebas, & te quoque si necesse fuisset, pro illis morituram protestabaris. Fac me ita in miseriis huius mortalitatis affligi, vt veram resignationem numquam relinquam.

Christus Mariæ omne bonum.

2. Abiit ergo filius tuus, ac Dominus noster & Rex, ô Virgo beatissima, & cum eo abiit sol qui te illuminabat: exultatio quę te lætificabat: thesaurus qui te ditabat. Eo verò abeunte nihil minus decorum dixisti, nullum nec minimum signum

impatientiæ dedisti, nihil non virile aut indignum sanctitate tua operata es. Sed dolore saucia, ac mœstitia vulnerata, in locum secretum, & sine arbitris discedēs totam illam noctem & partem diei sequentis cōsiderationi passionum & afflictionum filij dulcissimi, quas ex Scripturis, & ex eius relatione noueras, piè & intentè vacasti. Ibi quid singulis horis ageret, quídve pateretur considerabas, ad illum & ad Patrem miris te virtutum actibus afficiebas, & ad absentiam & mortem illius qui totum tuum bonum erat, te resignabas. Sciam & ego, ô Mater, passionem Domini mei humiliter meditari, & cor meum ad vniuersas eius virtutes afficere.

3. Cognita à te, ô Virgo veneranda, sententia mortis, à Ioanne & ab aliis discipulis, quam Pilatus protulerat in filium tuum ab Spiritu sancto acta, secreta deseris, & ad illum videndum, & illi assistendum accurris. Subsistis in loco, ex quo Dominum transeuntem & crucem baiulantem videre posses. Ibi autem quàm acerbus fuit dolor animæ tuæ, cùm videres turbam præcurrentem, milites procedentes, duos latrones comites supplicij Domini præeuntes, & ipsum filium tuum principem Sanctorum, latronum ducem deputatum eos sequentem. Id sanè nec lingua carnis eloqui, nec mens arida cogitare sufficit. Homines illos maledictos de dolore & infamia Domini exultantes, aspexisti: ipsius casum & oppressionem sub cruce, & quàm immaniter raperetur, & surgere compelleretur, contemplata es. Omnia hæc ad gladium pertinent quem Simeon in templo prædixerat, qui toties cor tuum piissimum denuo transfigebat, quoties nouum aliquid aut doloris, aut infamiæ ingrata gens in filium tuum procaciter actitabat. Prosequuta es illum cum aliis mulieribus doloris & angustiæ plena, donec peruentum est ad Caluariæ montem, in quo pro nobis erat mortem obiturus. O Mater benignissima, si crucem meam tollerem, & Christum meum sequerer, ad quanta bona peruenirem.

Acerbitas doloris in Maria ex multis nata.

4. Nihil in illo monte myrrhæ ac monte doloris erga filium tuum dilectissimum ac Dominum meum factum est, quod non cor tuum sanctissimū gladio mœroris ac tristitiæ transfigeret. In oculis tuis Dominus nudatus est, & vulnera eius renouata, & cruci durissimis clauis affixus, & in altum vt ab omnibus videri posset elatus. Vidisti vulnera eius copiosum sanguinem manantia, & totum corpus pallidum, liuidum, & flagellis ac tensionibus laceratum. Audisti ex vna parte verba multiplicis contumeliæ, quæ aduersùs eum à sacerdotibus, à millitibus, à turba, & à prætereuntibus dicebantur: & ex alia sermones pietatis & misericordiæ ab illo probatos, quibus & peccatoribus veniam, & iustis gratiam, & tibi subsidium, & sibi auxilium à Patre postulabat, atque hæc audiens & conferens amore & dolore complebaris. Tandem intuita es vitam morientem, solem præ erubescentia te tenebris operientem, terram trementem, & ibi stantes, & in propria reuertentes se ad pœnitentiam & lacrymas prouocantes. Substitisti iuxta crucem gentibus abeuntibus donec venirent pij homines qui corpus Domini è cruce deponerent, & in gremio tuo contemplandum, adorandum, & aromatibus condiendum collocarent. Adorasti & osculata es ipsum, ac imbre lacrymarum aromata emolliuisti. Postea ad sepulturam Dominum sequuta es, & cum corpore eius cor tuum sepultum reliquisti, & ad propria ex instinctu Domini remeasti. Pro his omnibus doloribus tuis rogo te Domina, vt filio tuo condolere sciam, & clauis abnegationis in cruce spiritualis vitæ configi merear.

Causſa plurima doloris & tristitiæ Virginis.

5. Antequam ex Caluario discederes, ô Maria Virgo religiosissima, prima omnium hominū crucem adoras, & astantes ac omnes fideles postea futuros ad eius adorationem prouocas, & quàm piè & reuerenter ob figuram Domini crucifixi, & ob contactum corporis eius sit adoranda manifestas. Per viam cum Ioanne & piis mulieribus, & viris illis iustis, qui Dominum deposuerant, & sepelierant, desolata & tristis incedis: verba eorum consolatoria humiliter audis, cùm oportet taces & luges, & cùm oportet prudentissimè respondes. Domum ingressa comitibus valedicis, & pro obsequio corpori Domini impenso, & pro beneficio tibi exhibito gratias agis, & in abditum locum secedis. Ibi lacrymis & singultibus & mœrori habenas laxas ad cor tuum quod in sepulchro reliqueras, & ad corpus filij sepultum redis, & ad animam in Limbo animas iustorum dissoluentem descendis. Veniunt ad te postea Ecclesiæ proceres, veniunt discipuli, & ad illos viriliter egrederis, & benignè excipis, & indigens consolatione ipsos consolaris, & ad perseuerantiam & fiduciam concipiendam accendis. Eras mater quæ illos protegebas, & tua præsentia & verbis roborabas. Protege me, ô Domina, in die defunctionis, ne tunc hostium meorum fallaciis seducar. Amen.

Virgo mœrētes Apostolos consolatur, animat.

MEDITATIO IX.

De exultatione Mariæ cum Christo resurgente, & in cælos ascendente.

1. PVnctum. Secundùm magnitudinem dolorum tuorum in corde tuo, ô Maria Virgo glorioſissima, consolationes Domini lætificauerunt animam tuam. Filius sanctissimus tuus post mortem pro nobis acceptam immortalis resurrexit: glorioſus, pulcher, & mortis ac diaboli tibi triumphator apparuit. Tanta autē lætitia & exultatione compleuit, vt eam nullus hominum valeat exponere. Non semel, sed sæpius ante ascensionem suam visus est tibi, & te de rebus Ecclesiæ vt magistram Apostolorum futuram docuit, & quid tibi ad bonum fidelium agendum intimauit. Tu in his apparitionibus filij supra omnem captum nostrum exultabas. Si enim tanta erat priùs exultatio tua, quando cum illo conuersabaris paulo pòst morituro, quæ & quanta erat, quando illum videbas & audiebas non solùm in æternum victurum, sed & cœlo, & terræ, & omni creaturæ perenni iure dominaturum. Per hanc lætitiam tuam, ô Mater, obtine, vt internis visitationibus frequenter ad me veniat, & de ratione implendæ suæ voluntatis erudiat.

Maria exultatio excitato filio.

2. Gauisa es vehementer, ô Virgo regina nostra, in resurrectione dulcissimi filij tui, sed hoc gaudium in eius ascensione mirum in modum auctum est, & quasi flumen quoddam lætitię ex aluei angustiis erupit. Bonæ matres solent in hoc mundo gaudio maximo exhilarari, cùm vident filios suos terrenis honoribus & dignitatibus regum, aut principum efferri. Tu autem mater optima cur non lætareris, videns vnigenitum filium tuum omnes cœlos dominandi iure penetrare, & in Dei Patris omnipotentis consessum ascendendo pertingere. Ascendit ille in cœlum humanitate sua, & tu ascendisti amore & affectu cordis tui. Erigatur,

ô Domina, desiderium meum in cœlum, vt nihil terrenum quæram, nihil extra Deum cócupiscam.

Maria gaudium aduentu S. spiritus auctum.

3. Auctum est gaudium, ô Virgo purissima, in aduentu Spiritus sancti; quia ille spiritus Dei spónsus tuus, sicut te supra omnes alios repleuit donis & gratia, ita maiori lætitia cumulauit. Vidisti discipulos filij tui hoc dulci hospite fortes effectos, vt supra omnem potestatem humanam in magno culmine sublimatos. Vidisti agmina copiosa credentium, quæ ad eorum prædicationem conuertebantur, & sagenam Ecclesiæ replebant Vidisti & gauisa es. Nam quidni gauderes de exaltatione filij naturalis, quem vnicè diligebas, & de conuersione filiorum adoptiuorum quos tenerrimè amabas. Eia Virgo augmentum fidelium, & prosperitatem Ecclesiæ videamus, & de eius exultatione lætemur.

Gaudiũ Mariæ in cœlo, terra, & creaturis.

4. Gaudium itaque, ô Maria Virgo, mater dulcissima, erat tibi in cœlo, gaudium in terra, & gaudium in omni creatura. Gaudium in cœlo, quia benedictus fructus ventris tui iam in cœlo regnabat, & cunctis cœlestis curiæ agminibus inæstimabili magnificentia præsidebat. Gaudium in terra, quia eos pro quorũ salute matrem Dei te factam sciebas, abiecto iugo diaboli, à quo captiui tenebantur, liberos in ipsam salutem currere conspiciebas. Gaudium tandem in omni creatura, quoniam eam à pristina oppressione, qua inimicis Dei seruiebat, erui vidisti, & ad illum statum bonum transire, in quo filiis Dei famulabatur, & ad gloriam assequendam adiuuabat. Talis efficiar ego, ô Mater nostra studio & amore virtutis, vt tu etiam in me gaudeas, & qui me viderint de me spem salutis concipiant. Amen.

De egressu Mariæ Virginis ex mundo.

CAP. VII.

AD extrema vitæ Virginis matris contemplanda procedamus, in quibus non minor est quàm in reliquis conuersationi nostræ profectus. Inspiciemus namque multa, ob quæ matrem hanc nostram ardentissimè diligamus, plurima etiam quæ imitemur. Sunt hîc exempla nobis proposita ad sanctè conuersandum, & perfectissima documẽta ad aliis proficiendum. Nos sanctè conuersabimur, si virginis puritatem, despicientiam rerum omnium, & desideria cœlestia sequamur: aliis quoque vtilissimi existemus, si zelum animarum eius, qui in hac parte vitæ ipsius præcipuè eluxit, ad nostra opera transferre curemus. Virgo post ascensionem Domini, & aduẽtum Spiritus sancti fuit, vt castrorum acies ordinata, quæ Ecclesiam exemplo, & doctrina, & intercessione, & Apostolorũ directione protexit. Quare alio loco Canticorum de ea dicitur: Equitatui meo in curribus Pharaonis assimilaui te amica mea.] Equitatus Dei ex sententia Ruperti, virga fuit Moysi & Aaron, quæ eleuata super mare operuit aquis currus & equites vniuersi exercitus Pharaonis. Huic equitatui, seu huic virgæ in subuertendis curribus Pharaonis assimilatur Virgo beatissima, quia per eam Dominus vniuersam hæreticam prauitatem interemit, & omnem diaboli superbiam deiecit. Optima sanè protectrix, quæ non solùm nos ab hostibus, verùm & à Domini, qua dignî sumus, indignatione defendit. Vnde Anselmus ait: Nihil vtilius post Deum memoria matris eius, nihil salubrius meditatione pij amoris, quo feruebat in memoria & contemplatione filij tui: nihil iucundius sapore pertractati gaudij eius, quo multipliciter pascebatur in eodem & per eumdem filium suum. Sæpe quippe vidimus & audiuimus plurimos hominũ in suis periculis recordari horum, & omnis periculi malum illico euasisse. Velociórque est nonnumquam salus memorato nomine eius, quàm inuocato nomine Iesu vnigeniti filij sui. Cùm enim ipse sit iudex, si inuocatus statim non exaudiat, iustè facit. At inuocato nomine Mariæ propter merita eius nobis indignis ex miseratione sua, bona postulata impertit.] Hæc ille in sensu. Huius igitur protectricis nostræ fœliciſſimum exitum meditemur, gloriam & maiestatem contemplemur, vt contemtis terrenis rebus, ad cœlestia, quò illa petiit, toto mentis affectu tendamus.

Anſel. de excellẽt. Virg. c. 6.

MEDITATIO I.

De conuersatione Mariæ ab ascensione Domini vsque ad eius dormitionem.

1. PVnctum. Post ascensionem Domini, ô Maria Virgo pia mater Ecclesiæ, quindecim annis, vsque ad annum videlicet sexagesimum tertium vitæ tuæ superstes fuisti, propter bonum cœli, & propter bonum terræ, & propter bonum tui. Propter bonum cœli, vt plurimos exemplo & doctrina tua saluandos in cœlum præmitteres. Propter bonum terræ, vt pusillos Ecclesiæ greges tua præsentia protegeres. Propter bonum tui, vt vsque ad summum tua merita cumulares. Noluit Dominus filius tuus te in ascensu suo secum deferre, ne triumphus quasi diuisus inter regem & reginam minor fieret, sed omnis curia cœlestis, & ipse quoque Dominus postquam sedem tibi præparauit, ad te excipiendam cum solemni pompa prodiret. Statuit te apud nos manere, vt esses omnibus in mœrore solatium, in doctrina lumen, in certamine robur, & in omni tribulatione præsidiũ singulare. Vt esses magistra Apostolorum, confortatrix martyrum, doctrix confessorum, clarissimũ speculum Virginum, consolatrix viduarum, coniugatorum saluberrima monitrix, & Ecclesiæ nascentis perfectissima roboratrix. Esto nunc, ô Domina, fortitudo mea, quia licèt præsentia corporali non adsis, at virtutis efficacitate non deficis.

Quare Virgo post filij asce. sum vita & superstes relinquitur.

Virgo quando vt castrorũ acies ordinata. Cant. 1. 9. Rupert.

2. Qualis autem fuerit toto hoc tempore vita tua, ô Virgo Deipara, notum est Deo, cui omne cor patet; notum Gabrieli Archangelo tui cubilis deputato custodi; notum cœlestibus spiritibus te frequenter inuisentibus; notum demum Ioanni, cui vt cœlestis thesaurus fuisti concredita, nobis autem omnino incompertum. Sed vt aliquid de tua sanctissima vita inuestigemus, certissimè credo eam ad similitudinẽ vitæ dulcissimi filij tui fuisse ex actiua & contemplatiua compositam, vt omnes status Ecclesiæ erudires, & vniuersis hominibus ac mulieribus vitæ exemplo præluceres. Habent in te solitarij quod admirentur, Episcopi & Sacerdotes quod sequantur, & reliqui fideles quod imitentur. Fuisti omnis virtutis & sanctitatis, & omnis modi perfectionis exemplar, vt nemo te recogitaret, qui in tua purissima vita normam viuendi non haberet. Reuertere ergo, reuertere Sulamitis reuertere, reuertere, vt intueamur te, & discamus à te quo

Vita Maria actiuam & contemplatiuam amplectebatur.

Cant. 6. 12.

pacto

pacto iuxta cuiusque statum nobis sit conuersandum, vt sicut tu placuisti Deo, ita & nos pro nostro modulo placeamus.

3. Tu, ô Virgo sanctissima, vt vitam actiuam sectareris, inprimis raræ humilitatis eras amatrix. Vidua sanctissima inter viduas illas spectatæ vitæ, quæ erant in primordiis Ecclesiæ tuam conuersationem instituebas, & quotiescumque ad diuina mysteria conueniebant, in extremo loco sedebas. *Exempla virtutũ in Maria. Actor. 1. 14.* Quod Lucas tuus nõ obscurè indicat, sic scribens: Hi omnes erant perseuerantes vnanimiter in oratione, cum mulieribus, & Maria matre Iesu.] Paupertatem colebas, & cum aliis viduis ex communibus eleemosynis sustentabaris; nihilque omnino possidens, quod tibi erogabatur, cum magna simplicitate & gratiarum actione recipiebas. Te exemplum omnis castitatis viduis ac virginibus præbebas, vtque te mundissimam exhiberes, & alias fœminas, quomodo castitatem custodirent, doceres, modestiam, taciturnitatem, abstinentiam, sobrietatem, vigilias quia ad meram necessitatem dormiebas, & cordis singularem custodiam amabas. Obedientia erat cibus tuus, erat & delectatio tua, quia omnibus præceptis & consiliis euangelicis paruisti, decretis Petri & Apostolorum, quæ tunc promulgabantur, te subiecisti, & omnem libertatem ablegasti. Breuiter vniuersarum virtutum eras speculum, & laudis diuinæ incitamentum, vt omnes qui te viderent, aut tua audirent, in admirationem raperes, & ad desiderium perfectionis attraheres.

4. Tu etiam, ô Virgo prudentissima, contemplatiuæ vitæ optimam partem elegeras, & in ea vniuersos mortales excedebas. Si Paulus de se, & de aliis Apostolis dicit: Nostra conuersatio in cœlis est, tu, quæ non tantùm eras ancilla, sed sponsa regis cœlestis, vbinam nisi in cœlis perpetuã conuersationem haberes? Si Magdalena peccatrix septies in die ad audiendam melodiam angelicam efferebatur, tu agna innocentissima, & innocentium mater, quomodo non ad cœlestia intuenda frequentissime euehereris? Mens tua absque vlla interruptione sapientiæ oculis, & lucis diuinæ radiis Deum contemplabatur, quam contemplationem nec vlla actio aut cura emergens impediebat, nec ipse somnus interpellabat. *Mariæ cõtemplatio nec somno ipso interrupta.* Affectus tuus per amorem plusquã extaticum Deo erat vnitus, adeò vt omnia silentia, omnes quietes, & omnes vniones, & omnes extases & raptus, & reuelationes & suauitates contemplatiuorum comparatione eius, quod tu iugiter experiebaris, essent rudia quædam orationis initia. Planè spiritu Dei agebaris, diuina patiebaris, in Deum in dies magis ac magis transformabaris, ab eo ad singula, speciali instinctu mouebaris, adeò vt miraculum fuerit, quòd tantis diuini Spiritus splendoribus irradiata, tot charitatis iaculis vulnerata, tamdiu vitam retinere potueris. Nec tamen ob hæc admiranda ab exteriori cultu Dei te subtrahebas. Immo loca sancta, in quibus Dominus passus fuerat, visitabas; Ecclesiam frequentabas, voce cum aliis orabas, Missæ sacrificio assistebas, & quotidie sacram Eucharistiam accipiebas. Quæso, ô Mater, doce me considerationi vacare, & functiones contemplatiuæ vitæ diligenter colere.

5. At alia vita sublimior atque perfectior, quæ ista superiora non deserens conuersioni animarum vacat, ô Virgo perfectissima, tibi non defuit. *Mariæ preces pro omnibus.* Pro omnibus orabas, pro Apostolis vt vtiliter prædicarent, pro Martyribus vt stabiles in fide persisterent, pro Sanctis ac iustis vt crescerent, pro infidelibus & peccatoribus vt se conuerterent: omnibus viã salutis exemplo aperiebas, & vt oliua fructifera in domo Domini, quot ad inspectionẽ tuæ vitæ proficiebant, tot suauissimos fructus ferebas. Verbis & doctrina tua Apostolos docuisti, labentes erexisti, stantes confirmasti, humi iacentes sustulisti, contritos curasti, torpentes animasti, ægrotis opem tulisti, omnibus omnia facta es, vt omnes faceres saluos. Nec semper domi te continuisti, sed ex zelo honoris Dei, & animarum salutis, Antiochiam & Ephesum, & in alias regiones profecta es, vt non solùm absens, verùm & præsens illis gentibus lucem Euangelij præberes. *Indicia charitatis Mariæ.* Cum infirmantibus infirmabaris, cum lætis lætabaris, cum his qui nutabant, aut deficiebant, & scandalizabantur, præ amore ipsorum vrebaris: Filij matris tuæ impij Iudæi pugnauerunt contra te, & persequuti sunt te. Tu verò & patienter sustinebas, & vt columna firmissima pro fide stabas, & Ecclesiam protegebas. Da mihi, ô Domina, zelo animarum feruere, & eas exemplo & verbo iuuare. Amen.

MEDITATIO II.

De desiderio Mariæ, quo cupiebat à carne dissolui.

1. PVnctum. Pomum maturum, & bene coctũ, ô Maria Virgo cœlestis, ab arbore absque vlla violentia disiungitur; & anima tua summè perfecta & aptissima ad sedes cœlestes ardentissimis desideriis ab hoc mundo separabatur. Iam ætate grandæua, meritis referta, dissolui cupiebas, & esse cum Christo, ac horam mortis nõ aliter quàm suauissimas epulas desiderabas. Non quidem hoc desiderium oriebatur ex tædio huius vitæ mortalis, neque ex horrore laborum, sed ex ardentissimo amore Dei, & ex abundantia puritatis dimanabat. Amor absentiam ab amato non sustinet, sed illi semper adhæret, & vnum cum ipso fieri cõtendit. *Effectus clarus amoris.* Ideo tu super omnes Sanctos & Angelos vera amatrix Dei parietem huius mortalitatis transire cupiebas, vt Dei amplexibus foueretis. Puritas verò oculos mentis aperit, vt miseriam huius temporis, & fœlicitatem æternitatis videat, & hoc abiecto ad illam ire concupiscat. Puritas ergo animæ tuæ desiderium inflammabat, vt nos relinquere, & ab hoc corpore peregrinari, & ad Dominum proficisci percuperes. Idem etiam erat desiderium ciuium cœlestium, qui reginam suam ad curiam illam supernam ascendere, & sua præsentia eam nobilitare suspirabant. His duabus gemmis, ô Mater sanctissima, amore Dei & puritate ego imbuar, vt horam mortis immoderatè non pertimescam.

2. Ex his desideriis, ô Virgo dulcissima, orationes ardentissimæ procedebant, quibus & hinc emigrare, & ad Dominum ire postulabatur. Orabas tu & ab Spiritu sancto inspirata duo enixè petebas. Alterum vt animam tuam à vinculis carnis dissolueret, & ad se in cœlum vocaret. *Duplex Mariæ postulatio.* Alterum ne corpus tuum, quod Deum hominem factum genuerat, & nouem mensibus vtero continuerat, & vberibus enutrierat, amplexibúsque constrinxerat, alicui corruptioni subiiceret, immo post paululum temporis animæ vniret, & dono resurrectionis afficeret. Angeli quoque eadem omnino petebant, dicebántque illud Dauidicum: Exurge Domine in requiem tuam; tu & arca sanctificationis tuæ.] *Psal. 131. 8.* Hæc, inquam, & tu orabas, & illi postulabant,

quoniam certissimè noueratis, Deum velle hæc à vobis precibus efflagitari.

2. Annuit Deus, ô Virgo fœlicissima, votis tuis, assensit orationibus tuis. Voluit vt morereris, voluit ne vllam corruptionem incurreres. Voluit quidem vt morti subiicereris: quia filia eras Adæ natura, licèt non participatione peccati, & æquum erat ne communem naturæ conditionem detrectares, & filium morientem non solùm vitæ puritate, sed mortis etiam admissione imitareris. Sic etiam merita tua cumulabantur, quæ mortis spontanea perpessione succrescunt; sic & Deus maximè glorificabatur, qui mortem de se amarissimam nouit in te suauissimam facere, & omnem ab ea dolorem ac insuauitatem adimere. Voluit deinde, ne aliquam corruptionem incurreres, vt tanquam aliquid corporis filij, de quo scriptum erat: Non dabis sanctum tuum videre corruptionem, hoc tu quoque priuilegio lætareris. Et quia non decebat, vt quæ nec in peccatum originale incidisti, aliquod peccati indicium haberes. In cuius pœnam audiuit primus parens: Puluis es, & in puluerem reuerteris. Venit ergo ad te Angelus Gabriel, qui te exauditam esse nuntiaret, qui te nomine omniũ ciuium cœlestium ad patriam inuitaret, & eorum expectationem aperiret.

Mors Mariæ Deo volita.

Virgo nullius corruptionis expers. Psal. 15. 10.

Gen. 3. 19.

4. Audito hoc nuntio lætissimo, ô Virgo beatissima, pro exauditione tua Domino immensas gratias egisti, ac te verissimè ad mortem resignasti. Hîc tu iterum inculcas coram Angelo vocem illam amicam tuam: Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundùm verbum tuum. Et ad Dominum conuersa sic illum precata es: In manus tuas, Fili, commendo spiritum meum: suscipe tibi charam animam, quam conseruasti alienam ab omni reprehensione. Meum corpus tibi trado, & non terræ. Custodi saluum quod tibi placuit habitare, & cùm natus esses, conseruasti virginem. Tu me ad te transfer, vt vbi tu es fœtus meorum viscerum, ego quoque tecum degam. Post hanc autem orationem quæ semper perfectissimè parata eras, iam denuò ad mortem te paras, & ardentissimis amoris affectibus, ac pulchritudine bonorum operum ex hac intentione factorum ad emigrandum te disponis. Responsum mortis, ô Mater, lætus excipiam, pro eo gratias agam, & sanctitate vitæ ac feruore bonorum operum ad illud me præparem. Amen.

Oratio Mariæ ad filiũ.

MEDITATIO III.

De fœliciſsima dormitione Mariæ.

1. PVnctum. Honore affecit Dominus valde nimis, ô Maria Virgo Dei genitrix, transitum tuum. Primò quidem omnium Apostolorum, & multorum discipulorum ac aliorum Sanctorum præsentia, quorum aliqui interno Dei instinctu, alij verò angelico ministerio ad assistendum dormitioni tuæ adducti sunt. An non eximius honor Reginæ esset si dum esset ex vna domo in aliam transitura, omnes proceres regni ad eam videndam & comitandam conuenirent? Et quid fuit, ô Regina pulcherrima, mors tua nisi exitus quidam de domo terrestri ad domum cœlestem, nisi transitus de hoc mundo ad Patrem? Deus autẽ, vt proceres Ecclesiæ te exire & transire videant, Hierosolymam, vbi extremum clausisti diem, & in sanctam domum tuam paulo ante discessum tuum illos adduxit. Assistebant illi tibi, vt tibi valedicerent, vt se & sua communi matri commendarent.

Quid fuerit Mariæ mors.

A Hymnis diuinam Maiestatem celebrabant, & ex oculis eorum copiosæ lacrymæ defluebant, dum viderent se matre, & solatio, & exemplo omnis virtutis orbari. Adstent Sancti, ô Mater, saltem intercessionibus suis morti meæ, vt tali fultus auxilio è potestate aduersariorum eripiar.

2. Non defuit Christus filius tuus, ô Virgo integerrima, huic profectioni tuæ. Immo ille qui dixit Apostolis: Si abiero, & præparauero vobis locum, iterum venio, & accipiam vos ad meipsum, hanc eamdem promissionem æquiore iure cum matre compleuit. Venit ipse & Angeli eius cum eo, qui animam purissimã tuam in cœlestes mansiones deportarent. Quis autem comprehendat, quibus ille verbis te ad exitum inuitabat. Forsitan B dixit: Surge, propera amica mea, columba mea, formosa mea, & veni. Iam enim hiems mortalitatis transiit, imber tribulationum abiit, & recessit. Flores, indicia resurrectionis apparuerunt in terra nostra, tempus putationis, quo à mortalibus succidaris, aduenit. Veni de Libano, veni coronaberis, de capite Amana, de triumpho quem à diabolo reportasti; de vertice Sanir & Hermon, quia principes huius sæculi sanctitate tua, ad tui veneration nem inclinasti, de cubilibus Leonum, & de montibus pardorum, quia peccatores à suis sordibus auocasti. Quid tu ad hæc verba tam dulcia & tam suauia responderes? Certè, in manus tuas, ô Deus meus, & filius meus, commendo spiritum meum; commendo & corpus meũ, vt vtrumque ceu gemmas pretiosas tuas in repositorio æternarum deliciarum conserues. Audiam quoque ego in decessu C meo, ô Mater benedicta, auribus mentis vocem filij tui, qui ex immensa miseratione sua me ad salutem inuitet.

Ioan. 14. 13.

Cant. 2. 10. Verba Christi ad matrem.

Cant. 4. 8.

3. Discessit ergo sanctissima anima tua, ô sacra Virgo, à virgineo corpore tuo, sine timore, sine anguſtia, sine dolore. Exiuit ea securitate, qua spõsa in sponsi dilecti amplexus incumbit: ea suauitate, qua pomum satis maturum ab arbore succiditur: ea dulcedine & voluptate, qua quisque à carcere separatur. Obiisti mortem non sanè alicuius ægritudinis molestia confecta, sed incomprehensibilis amoris ardore superata. Verbum tuum erat: D Fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore langueo. Et vulnerata charitate ego sum. Si ergo ægritudo & vulnus fuit amor, ipsius amoris virtute anima tua à corpore succisa est, qui iuxta illud: Fortis est vt mors dilectio, non minus quàm mors animam à carne seiungit. Hic amor ita te absorbuit, vt te tormentum mortis non tangeret, nec aliquis metus aut tristitia contingeret. Astiterunt statim innumera & pulcherrima opera tua, quæ te vndique cingerent, & supra omnem creaturam ineffabili pondere gloriæ & exultationis ornarent. Obtine, ô Virgo, vt vis amoris, qui in corde meo ardeat, in hora mortis meæ omnem immoderantiam timoris amoueat.

Discessus animæ Virginis à corpore.

Cant. 2. 5.

Cant. 8. 6.

4. Post hanc mortem, ô Virgo sanctitatis prodigium, verè pretiosam in conspectu Domini, & in E conspectu hominũ anima tua in eodem momento incomprehensibili gloria absorpta est: corpus verò pulchrius, adhuc & splendidius factum est ita vt iam & gloriæ animæ & futuræ post tres dies resurrectionis indicia præseferret. In tumulo autem cum celeberrima & planè cœlesti pompa collocatum est. Præibant Apostoli & discipuli, Psalmos hymnósque canentes, sequebantur Angeli laudibus tuam gloriam celebrantes. Non defuerunt miracula, quæ sepulchrum tuum glorioſum & vene-

Funus Mariæ Virginis.

randum

randum facerent,nec maximæ exultationis pignora in cordibus omnium fidelium, quæ tuam ipſis beatitudinem manifeſtarent. Per hanc ſanctiſſimã mortem tuam rogo te mater,vt mihi poſt ſanctam vitam,ſanctam etiam mortem obtineas. Amen.

MEDITATIO IV.

De glorioſa aſſumtione beatæ Mariæ.

1. PVnctum. Decuit profectò,ô Maria Regina glorioſiſsima, non ſolùm vt corpore incorrupta maneres,verùm & vt tertia die immortalis & glorioſa reſurgeres, illud fuit conſonum integritati virginali corporis tui, & ſanctitati animæ tuæ, & honori filij Dei, nolentis permittere corruptionem in illo corpore ex quo noſtram carnem aſſumſit. Iſtud verò tibi etiam conceſſum eſt, vt non tantùm filius tuus animæ tuæ capacitatem, verùm & naturale deſiderium aſſumendi corpus expleret; vt nobis in ſe patre noſtro,& in te quoque matre noſtra ſpem reſurgendi tribueret, & vt Eccleſia militans & triumphans matre Dei, quæ non ſolam animam, nec ſolum corpus, ſed perſonam humanam importat,numquam careret. Arca illa teſtamenti ex lignis imputribilibus facta,typus fuit tuæ magnitudinis,quæ ex anima ab omni peccato libera, & ex corpore incorrupto conſtas, & nos ad incorruptionem morum inuitas. Hanc,ô ſancta Mater, ego ſemper habere curem,vt ſeruus tuis inſignibus ornatus incedam.

Decens Mariæ reſurrectio ob multa.

2. Tertia ergo die,ô Virgo clariſsima, anima iſta ſanctiſsima tua multis Angelorum millibus cincta è cœlis, ad quæ in momento mortis aſcenderat,in monumentum deſcendit, amabile & ſanctum corpus iterum viuificauit; & claritate, incorruptibilitate,impaſsibilitate, agilitate,& ſubtilitate veſtiuit. Egreſſa es planè vt Regina cœli, vt imperatrix mundi,vt Domina vniuerſæ creaturæ. Alij Sancti reſurgent quidem, ſed in ea gloriæ menſura,quæ ſeruos Dei fideliſsimos decet;tu verò in ea incõprehenſibili maieſtate,& in eo ſplendore,quem mater Dei vera requirit. Viderunt te Angeli & Sancti, & beatiſsimam prædicauerunt, filius tuus,& laudauit te. Et ego te laudo, ô Domina, & in tua reſurrectione vehementer exulto. Da quæſo in ſinu meo viuam,& efficacem reſurrectionis ſpem,vt vniuerſa viſibilia contemnam.

Maria anima rurſus corpori vnita.

3. Inchoat iam aſcenſio tua, ô humillima Virgo, vt ponatur humilis in ſublimi, & quæ infra omnes ſe deiecit, ſupra vniuerſas creaturas exaltetur. Præcedunt Angeli exultantes,& laudes Deo canentes,qui humanos labores talibus prẽmiis cumulat,& virginẽ natura inferiorem propter abundantiam gratiæ,& magnitudinem ſanctitatis,ciuibus cœli anteponit. Sequebaris & tu Cherubinis & Seraphinis ſubuecta, incomprehenſibili lætitia perfuſa,amoris & gratitudinis affectibus abſorpta. Cùm verò cœlis appropinquas,Angeli qui remanſerant,& Chriſtus ipſe filius tuus tibi obuiam veniunt: illéque cœli Rex & Dominus te,vt veram matrem iuxta ſe ponit, vt omnes admirentur, & dicant:Quæ eſt iſta quæ aſcendit de deſerto, deliciis affluens,innixa ſuper dilectum ſuum.Cum hoc honore & gloria omnes orbes cœleſtes penetras, & in eminentiorem cœli empyrei locum ſubueheris, & æterno Patri præſentaris, à quo vt filia chariſsima excepta incogitabile eſt,quid audieris, & quam abundantiam donorum acceperis. Habitet quæſo tandem,ô Domina,ſeruus tuus in domo filij tui,& audiat ab eo:Euge ſerue bone & fidelis, quia ſuper pauca fuiſti fidelis, ſupra multa te conſtituam, intra in gaudium Domini tui.

Maria glorioſus aſcenſus, comitatus.

4. Hîc iam, ô Virgo, decus & honor noſter, Regina cœli & terræ coronaris,& inſignibus tantæ dignitatis circumdaris. Poſuit Pater æternus lunam ſub pedibus tuis, quia omnem creaturam tibi ſubiecit. Veſtiuit te Filius ſole, quia omnem gloriam & ſplẽdorem ſuum in te redundare fecit. At Spiritus ſanctus te corona ſtellarum duodecim coronauit, & ſacrum caput omnium Sanctorum priuilegiis circumcinxit. Te quidem ornat omnis benedictio Patriarcharum; omne priuilegiũ Prophetarum; omnis charitas Apoſtolorum, omnis fortitudo martyrum,omnis ſanctitas Pontificum, omnis ſapientia Doctorum, omnis laus confeſſorum, omnes diuitiæ promiſſæ ſtatui Anachoritarum,omnis voluntatis impletio data cœtui cœnobitarum,omnis puritas virginum, omnis reuerentia debita multitudini viduarum,& fructus in infinitum excellens omnem fructum coniugatorum. His inſignibus veſtita, & hoc diademate coronata ad dexteram filij ſediſti, vt impleretur illud in te cuiuſdam progenitoris tui: Aſtitit regina à dextris tuis in veſtitu deaurato, circumdata varietate, & ibi totius orbis regina es ab omnibus Sanctis & Angelis prædicata. Eia Domina, miſericordes oculos tuos ad nos conuerte, vt in eorum protectione viuamus. Amen.

Maria à diuinis perſonis coronatur.

Pſal.44. 10.

MEDITATIO V.

De gloria Mariæ, quam habet in cœlo.

1. PVnctum. Nunc, ô Maria Virgo ſanctiſſima, Regina noſtra, recogitemus quàm immenſa gloria perfruaris. Gloria quidem & beatitudo animæ tuæ omnium ſanctorum Angelorum & hominum beatitudinem ſuperare dignoſcitur. Huius enim magnitudo eſt ſecundùm magnitudinẽ charitatis,& meritorum,& laborum, quibus anima in decurſu huius mortalitatis ornatur.Si ergo tu gratiæ & charitatis magnitudine & meritorum perfectione ac multitudine omnes beatos ſuperas, quídni & magnitudine fœlicitatis excedas. Incõparabile eſt vel illud tantùm meritum tuum quo intrante Domino in caſtellum huius mundi, excepiſti illum in domo vteri tui. Si huic ſoli merito incomprehenſibilis gloria reſpõdet, omnibus meritis tuis qualis gloria reſpondebit? Menſura bona & conferta,& coagitata, & ſuperfluens data eſt in ſinum tuum,qualem nullus alius accepit. Menſura qua tu Domino ſeruiiſti, fuit abſque omni menſura. Fuit bona omni genere bonitatis, conferta omni bonorum plenitudine, coagitata magna copia dolorum, & tribulationum, & ſupereffluens fructu multiplici ex proximorum conuerſione decerpto. Huic menſuræ alia menſura decreta eſt, bona omni genere gloriæ, conferta omni Sanctorum congratulatione. Denique tu plus Dei quàm omnes poſſides, ampliùs vides, perfectiùs diligis, abundantiùs eo frueris, & fœlicitate Dei matris ſuper omnes ſeruos multiplicaris. Per interceſſionem tuam, ô Domina,ad aliquam partem huius fœlicitatis admittar.

Maria beatitudo omniũ maxima.

Luca 6. 38.

2. Gloria etiam ſanctiſſimi corporis tui,ô Virgo ſacra, omnem pulchritudinem Solis & lunæ & ſtellarum,& cœlorum & corporũ beatorum longè poſt ſe relinquit. Corpus tuum ſine vlla menſura ſplendidius ſole, impaſſibilius cœlo, agilius

Gloria Virginei corporis.

ventis & corporibus glorificatis tum in his, tum in ſubtilitate perfectius, corpus tuum candidius corporibus omnium virginum, quia Virgo virginum es: pulchrius corporibus martyrum, quia martyr martyrum es: illuſtrius corporibus doctorum, quia magiſtra doctorum es. Breuiter gloria corporis & animæ proportionem habet. Sicut ergo gloria animæ tuæ eſt ſingularis, ita & gloria corporis tui nullam aliam, quæ ipſi comparetur agnoſcit. Fiat ô Virgo corpus meum immaculatum vt in die diſtributionis gloriæ non cõfundar.

3. Tandem immenſa eſt gloria perſonæ tuæ, ô Virgo ſublimis. Tu ſicut regina ſedem ſeorſum habes, ad dexterámque filij thronum obtines, & nihil præter Deum ſuſpicis. Ibi vt omnium Domina & imperatrix cunctas Eccleſiæ neceſſitates agnoſcis, & vniuerſorum ad te confugientium orationes exaudis. Ibi ex bonitate tua, omnibus te inuocantibus opem affers. Ibi ad ſubueniendum nobis omnem poteſtatem habes. Venerantur te Angeli tribus hierarchiis & nouem ordinibus diſtincti. Reuerentur te Sanctī in ſuis gradibus collocati. Diligit te Deus pluſquam omnes, & vt ab vniuerſis regina ac Domina agnoſcaris iubet. Te igitur Dominam meam profiteor, ſublimiore quam omnes Sanctos veneratione adoro, & tuum humiliter auxilium imploro.

Mariæ thronus ad Filij dexterã.

MEDITATIO VI.

De veneratione Mariæ quam habet in terra.

1. PVnctum. Omnis Eccleſia, ô Maria verè magna & beata, multis nominibus colit te, & ſe totam in tui amorem & venerationem impendit. Tu enim es ſuper omnes creaturas amata à Deo, & proxima Deo, ac mater ipſius Dei. Tu etiam es mater noſtra, regina & Domina totius orbis, virtutibus omnibus inſtructa, cœleſtibus donis referta, & noſtri profectus ſolicitiſſima. Tu collum Eccleſiæ, per quod à capite Chriſto omnia bona nobis deſcendunt: tu murus, quo omnia diaboli tentamenta propulſantur: tu honor, quo natura noſtra in magnam dignitatem effertur. Meritò ergo ipſa mater Eccleſia te maiori adoratione quàm omnes Sanctos & Angelos colit, in tui honorem templa ac ſacella, in quibus Deo gratiæ pro tuis bonis agantur, piè erigit, & ſtatis diebus feſtis tui venerationem & memoriam facit. Hic honor tuus, ô Virgo, ſemper in Eccleſia creſcat, vt ipſa etiam per tuam interceſſionem virtutibus & donis augeatur cœleſtibus.

Varia Mariæ nomina.

2. Hanc piam matrem, ô Virgo virginum præclara, filiæ, id eſt, particulares Eccleſiæ imitatæ ſunt, quarum nulla eſt, quæ non peculiaribus modis te colat. Omnes congregationes fidelium, præſertim religioſæ te ſuam matrem habent, & in tua protectione militant, & tuo fauore regularem diſciplinam obſeruant. Memor eſto, ô Domina, huius minimæ congregationis tuæ, quam poſſediſti ab initio; quam nunc mirabiliter promoues, quam in poſterum conſeruabis. Tu verè eam cepiſti, famulo tuo Ignatio adhuc ſæculo militanti deſiderium melioris vitæ & propoſitum caſtitatis iniiciens. Nos omnes vt clientulos tuos reſpice; paupertate, caſtitate, obedientia, humilitate, zelo animarum & ſpiritu orationis conſpicuos ſacito, & ab omni malo præſertim relaxationis defende.

Maria cultus à fidelibus tributus.

3. Nec ſolùm omnes congregationes te venerantur, ô Virgo Maria, omni veneratione digniſſima, verùm nullus eſt homo quantumuis iniquus & impurus, nulla mulier quantumlibet inuerecunda, & impudica, quæ te non colat, & ad tuam venerationem non propendeat. Venerantur te iuſti vt ſanctiores fiant, venerantur te peccatores & peccatrices (& à Deo ad id incitantur) vt interceſſione tua à peccatis & iniquitatibus exeant. Dum te colunt incipientes proficiunt: dum te venerantur proficientes perficiuntur: dum tibi cultum impendunt, perfecti ad maiorem perfectionem aſcendunt. Tu ſalus infirmorum, tu refugium peccatorum, tu conſolatrix afflictorum, tu refugium Chriſtianorũm. Ego igitur à tui veneratione & cultu nequaquam me eximo, immo modis quot poſſum tibi Dominæ & reginæ & matri meæ venerationem exhibeo. Infirmus ſum animo & moribus pluſquam ſatis, per te ſaner, peccator ſum & miſer, per te iram Domini & vltionem effugiã: afflictus ſum ſæpiſſime ex conſideratione inueteratæ tepiditatis meæ, per te in ſpem emendationis erigar: ſed beneficio Domini Chriſtianus ſum, & religioſus, per te quæſo auxilium ad conſequendam æternam ſalutem obtineam. Amen.

Peccatores etiã Mariam colunt, venerantur.

De ſelectioribus Eccleſiæ membris, ſcilicet de Sanctis.

CAPVT VIII.

POst hæc aliquid de Sanctis attingendum eſt, quod præcipuè in ſolemnitatibus eorum in meditationem adducatur. Non enim mediocriter ad virtutem ac mentis puritatem inflammat, recogitare vitam & mores illorum, qui cùm eſſent natura & affectibus, & tentationibus, & peccandi occaſionibus ſimiles nobis, tantam fidelitatem erga Deum ſeruauerunt, & tanta ſolicitudine à peccatis ſe elongarunt, & in aſſequendis virtutibus incubuerunt, vt apud Deum & totam Eccleſiam magnates exiſterent, & præmium æternum in immenſum ſupra præmium communium iuſtorum multiplicatum obtinerent. Ad hoc hortatur nos Paulus, dicens: Mementote præpoſitorum veſtrorum, id eſt, Apoſtolorum & aliorum Sanctorum, qui vobis verbo & exemplo locuti ſunt verbũ Dei; quorum intuẽtes exitum conuerſationis, id eſt, quomodo exierunt de conuerſatione huius mundi, imitamini fidem. Quam fidem viuam illorum & virtutibus ornatam ſi volueritis imitari, Domini adiutorium vobis aderit. Ieſus Chriſtus enim heri & hodie; ipſe & in ſæcula. Qui, inquam, heri, id eſt, in præteritis temporibus fuit cum patribus veſtris ad adiuuandum eos, ipſe hodie, id eſt, in præſenti tempore erit vobiſcum, & in futuris temporibus cum ſucceſſoribus veſtris, vt vos & illos pariter iuuet. Hic eſt ergo fructus meditationis vitæ Sanctorum, imitatio ipſorum. Quæ bipartita eſt. Aut enim poſſumus meditari aliquid de Sanctis in communi, aut de ſingulis ordinibus in particulari. Ad primum genus meditationis conferent ea quæ toto quarto libro de vita ſpirituali, eiúſque perfectione ſcripſimus, ex quibus facillimum erit iuxta numerum capitum octo ſupra triginta illius libri totidem meditationes colligere. Pro ſecundo verò genere nunc breues meditationes ſubiiciemus. Faciendum ergo nobis eſt quod monet Bernardus: Circuite & vos chariſſimi cum pietatis & deuo-

Hebr. 13. 7.

Hebr. 13. 8.

Fructus meditationis vitæ Sanctorum, imitatio.

Bernard. ſer. 4. de...

tionis hostia, visitantes animo sedes supernas, & multas quæ in domo Patris sunt mansiones, humiliter prosternentes corda vestra ante thronum Dei & agni cum reuerentia, supplicantes singulis ordinibus Angelorum, Patriarcharum numerum, cuneos Prophetarum, & Senatum Apostolicum salutantes, coronas Martyrum suspicientes, purpureis rutilantes floribus, redolentes liliis, choros Virginum admirantes, atque ad mellifluum noui cantici sonum quantum prævalet infirmitas cordis erigentes auditum.] Id igitur faciamus, quod sanè, & Deo acceptum, & ipsis Angelis & Sanctis gratum, & nobis inuenietur proficuum.

MEDITATIO I.

De sanctis Angelis.

1. PVnctum. Vna est columba tua, vna perfecta tua Ecclesia sancta, ô Domine Deus meus, ex Angelis & hominibus constituta, quoad homines partim cum spiritibus cœlestibus triumphans in cœlis, partim militans in terris, quam tu tenerrimè diligis, & in eam semper infinitam copiam bonorum effundis. Huius illa pars, quæ in cœlis triumphat, & gaudet, nunc mihi consideranda est, vt eius desiderio succensus vitam meam, ita vt in eam ingrediar, instituam. Primò autem occurrunt mihi angelici cœtus, quos ab initio mundi conditos, aulicos tuæ regalis curiæ fecisti. Digni quidem illi, qui tibi semper assistant, & in rerum gubernatione ministrent. Sunt namque illi substantia spirituales, & ab omni vilitate carnis alieni. Nam fecisti Angelos tuos spiritus, & ministros tuos efficacia operandi ignem vrentem. Sunt natura incorruptibiles, quibus nulla mors, nullúsque defectus potest accidere. Hos condidisti Domine, intelligentia sapientissimos, qui omnia naturalia simplici intuitu, & absque vlla admixtione ignorantiæ cognoscunt. Voluntate rectissimos, quos post semel adeptum bonum, nullam impulsionem ad malum sentiunt, nulla suasione à virtute dimouentur. Potentia robustissimos, qui nutu suo cœlos ipsos mouent, & vniuersis corporibus imperant. Motu velocissimos, qui in ictu oculi è cœlis ad nos veniunt, vt sua virtute protegant. Numero pæne infinitos. Vnde Scriptura de te ait: Numquid est numerus militum eius? Et currus Dei decem millibus multiplex, millia lætantium. Et: Millia millium ministrabant ei, & decies millies centena millia assistebant ei. Pro his nobilissimis creaturis laudo & benedico te, & vt eorum consortio fruar ab omni amore carnis & sanguinis auelli percupio.

Psal. 103. 4. Angelorum proprietates.

Iob 25.3. Psal. 67. 18. Dan. 7. 10.

2. Huic naturæ tam pulchræ tam perfectæ, tu Domine Deus largissimè gratiam & gloriam addidisti: eras tu in illis angelicis spiritibus condens naturam, & simul largiens abundantissimam gratiam: semper fuerunt sancti, magni, diuites, amicissimi tui. Data illis à te gratia, & virtutibus vniuersis toto conatu virium suarum conuersi sunt ad te, & motu fidei, & spei, & charitatis, & aliarum virtutum, eam gloriam quam nunc possident, meruerunt. Statimque gloria & beatitudine immensa donati sunt, ita vt nihil durationis, inter meritum ac præmium intercederet. Tunc igitur lumine gloriæ perfusi clarè viderunt, & perfectè possederunt te summum bonum, & amore castissimo & incessabili dilexerunt te, & fruitione ac voluptate ineffabili lætati sunt in te. Hi sunt, ô Deus meus, filij dilecti, qui semper contemplantur faciem tuam. Hi candida & pura lilia inter quę pasceris. Hi montes aromatum, in quibus ambulare, & te recreare dignosceris. Exquirat te facies mea, & quam illi vident faciem tuam Domine requiram.

Inter meritum & præmiū Angelorū nulla duratio.

Matth. 18. 10.

Cant. 2. 16. Cant. 8. 14.

3. Quamuis autem tot sint numero angelici spiritus, ô Deus sapientissime, qui numerus ordinem solet inuertere, summus tamen ordo in ipsis inuenitur. Si enim ad te comparentur, omnes te colunt, & reuerentur vt principem, diligunt, & amplectuntur, & imitantur vt patrem; adorant & possident, vt Deum & summum bonum suum. Si autem inter se conferantur, in tres hierarchias siue sacrorum administrationes & nouem ordines sunt aptè distincti. In prima sũt Seraphim, Cherubin, & Throni. Seraphim amore tui ardent, & alios in tui amore promouent; quorum imitator ero, si vera charitate tui arsero; & alios qui ad me appropinquauerint verbo & exemplo ad tui amorem inflammauero. Cherubin sapientiæ plenitudine fulgent, & inferiores Angelos abscondita mysteriorum edocent: hos autem sequar si à te lucem contemplationis obtineam, & proximis contemplata tradam. Throni iustitia & humilitate tibi Deo subsunt in quibus tu diuina maiestas resides, & ex illis tamquam ex sede supremus gubernator cuncta disponis. Et his similis ero si per iustitiam & humilitatem tibi subiiciar. In secunda hierachia sunt dominationes, potestates, & virtutes. Dominationes inferioribus Angelis imperant, & ad suauem rerum sublunarium gubernationem informant. His imitatione adiungar, si cordis mei Dominus factus vitia eius extirpauero, & ab omni malo cogitationis & operis continuero. Virtutes fortiter & immutabiliter tibi Deo & omni virtuti adhærere faciunt, quarum particeps ero si immotus & constans in virtute permansero. Potestates diabolicas phalanges coërcent, ne tantum noceant, quãtum desiderant. Harum formam induam, si fortiter omni tentationi resistam. In tertia Hierarchia sunt Principatus, Archangeli, & Angeli. Principatus reuerẽtiam tibi Domino Deo meo exhibent, & ad reuerentiam tibi & superioribus exhibendam mouent. Ab horũ merito alienus nõ ero, si erga te & maiores debitam reuerentiam habeam, & alios ad honorem superioribus exhibendum inducam. Archangeli magna & sublimia nuntiant, & ad puritatem inclinant: quorum similitudine induam, si mentis & corporis puritatem amauero. Angeli denique nos fidelissimè diligunt, & custodiunt: quibus similis ero, si per opera misericordiæ aliis proficuus extitero. Et quidem Domine esse in aula tua hanc angelicorum spirituum distinctionem scimus; quomodo autem distinguantur, & quibus ministeriis destinentur, penitus ignoramus. Sufficiat tamen nobis te pro hac innumera Angelorum numerositate & perfectione laudare, quorum sanctitatem, & erga te obedientiam si sequamur, aliquando eorum magnitudinem & pulchritudinem cognoscemus.

Ordo inter Angelos seruatus.

Tres Angelorum hierarchiæ & nominũ expositio.

4. Per hos autem cœlestes spiritus, ô Deus benignissime, plurima bona nobis tribuis. Ipsi namque orbes cœlestes mouent, & medio hoc motu & influxu cœlorum omnia hæc inferiora conseruant. Regnis & prouinciis & vrbibus præsident, & augmento specierum rerum corruptibiliũ consulunt: pro nobis apud te intercedunt, nos vndique sua protectione cingunt, & à malis eripiunt, & in bono vt perseueremus custodiunt. Ipsi nos ab omni ignorantia purgant, cognitione veritatis il-

Bona ministerio Angelorũ nobis collata.

luminant, & in omni virtute perficiunt, vt & tibi placeamus,& ipsorum gloriæ consortes simus. Æternas laudes tibi refero, ô Domine,pro perfectione naturali, & pro gratia & gloria horum Angelorum tuorum; & pro bonis eorum intercessione & ministerio nobis exhibitis : rogóque te vt ipsos intimè reuerear, coram ipsis semper modestus & circumspectus assistam,eos vitæ puritate & feruore tibi ministrandi sequar, & socius ipsorum in tui perpetua fruitione efficiar. Amen.

MEDITATIO II.

De sanctis Patriarchis & Prophetis.

1. PVnctum. Ex Angelis, ô dulcissime Domine Deus meus,ad Patriarchas & Prophetas, & alios Sanctos antiquæ legis aciem mentis conuerto, in quibus non pauca, ex quibus profectum capiam,aspicio. In illa caligine infidelitatis & idololatriæ,quæ vniuersum pæne orbem peruaserat, ipsi fidem puram & illibatam seruarunt, & in tuo populo custodierunt, & posteris absque vlla falsitatis admixtione reliquerunt. Verus cultus & adoratio tui,ô summe Deus,eorum corda possedit; multósque illorum dignos censuisti, quibus arcana tua manifestares, & per eos ad nos veritatis notionem transmitteres. Erant illi in mediis opibus & diuitiis (quod satis difficile est) spiritu pauperes, & eleemosynarum largitione conspicui. Erant inter curas temporalium rerum sancto timore pleni, & cum coniugibus castitate non vacui, & in populis honorum & laudum inanium despicientia clarissimi. Vt erubescamus & nos qui ab his occasionibus alieni vix nouimus cor mundum ab affectu rerum visibilium tenere.

Virtutes aliquot SS. legis antiquæ.

2. Illud autem maximè, ô Deus fidelissime, in ipsis eminuit desiderium vehemens aduentus filij tui : quem sibi reuelatum humani generis redemtorem,& totius orbis instauratorem, vnicè dilexerunt, & eum videre & adorare ardentissimè cupiuerunt.Vnde & ipse filius tuus ac Dominus noster postmodum veniens de illis protestatus est, Apostolos alloquens : Beati oculi qui vident, quæ vos videtis. Dico enim vobis quòd multi Prophetæ & reges voluerunt videre, quæ vos videtis, & non viderunt : & audire,quæ auditis,& non audierunt. Tempus ergo acceptabile gratiæ quo nos fruimur cupiebant, & supernam illam ciuitatem, licèt tam longè esset eius aditus (quia Dominus noster sua morte & resurrectione erat illam aperturus) suspirabant. De quibus seruus tuus Paulus dixit : Iuxta fidem defuncti sunt omnes isti, non acceptis repromissionibus,à longè eas aspicientes, & salutantes, & confitentes, quia peregrini & hospites sunt super terram. O quanta confusio nostra! ô quanta caussa pudoris! Nos filium tuum iam venisse credimus, & salutem istam propinquam habemus,& ita viuere vt eam consequamur, & ipsam ardenter desiderare non nouimus.

Desideria veterum Patrum de Christi aduentu.
Luc. 10. 23.
Hebr. 11. 13.

3. Si autem virtus in infirmitate & tentatione perficitur,ô Deus sanctissime,id est,perfecta ostenditur, non defuerunt illis tentationes & afflictiones multiplices, quarum perpessione suam virtutem perfectam esse manifestarent. Quare & ipse Paulus expositis multis mirabilibus, quæ in obsequium tuum fecerant,subinfert. Alij autem distenti sunt (vt Machabæi) non suscipientes redemtionem (à tantis malis)vt meliorem inuenirent resurrectionem. Alij verò (vt Ieremias) ludibria & verbera experti, insuper & vincula & carceres(vt Michæas) lapidati sunt vt Zacharias, secti sunt vt Isaias, tentati sunt voluptatum suasionibus vt Ioseph : & in occisione gladij mortui sunt vt octoginta quinque Sacerdotes quos impius Saul trucidauit. Accipiam ergo ex his,Domine,non solùm quomodo debeam rectè viuere, & te desiderare, verùm & quàm constanter debeam pro iustitia & veritate persequutiones sustinere.

Veteres Patres in multis experti.
Hebr. 11. 35. 2. Mach. 7.
Ierem. 28. 3. Reg. 22. 2. Paral. 24. Gen. 39. 1. Reg. 22.

MEDITATIO III.

De sanctis Apostolis.

1. PVnctum. O quàm appositè dictum est de te, ô Deus potentissime, quòd quæ stulta sunt mundi elegisti vt confunderes sapientes : & infirma mundi vt confunderes fortia : & ignobilia & contemtibilia, & ea quæ non sunt, vt ea quæ sunt destrueres! Nam si Apostolos in sua natura considero, ipsi sunt ignari,infirmi,ignobiles, & cõtemtibiles, quibus tamen vniuersum mundum subiugasti. Horum pusillorum futura sublimitas multis modis in sacra Scriptura tua, præfigurata est. Illos enim qui duodecimum numerum non excesserunt, significabant duodecim fontes inuentæ in deserto Helim, & duodecim lapides pretiosi rationalis, & duodecim panes propositionis, & duodecim petræ ex quibus extructum erat altare, duodecim boues sustinentes mare æneum, duodecim leones throni Salomonis, ac duodecim fundamenta sanctæ ciuitatis. Verè fontes qui cœlestem doctrinam scaturierunt;gemmæ quæ Ecclesiam sua sanctitate ornarunt : panes qui corda nostra veritate refecerunt : altaria quæ Christum adorandum exhibuerunt : boues qui terram infidelium aratro fidei ad fructum ferendum prosciderunt : leones qui fortitudine sua nos protexerunt : & fundamenta quæ ædificationem hanc cœlestem inchoarunt. His Domine semper innitamur, eorum doctrinam ac vitam semper sequamur, vt in perpetuum tecum regnemus.

1. Cor. 1. 27.
Apostolorum figuræ.

2. Sed qui & quales erant hi, ô Deus benignissime, & quales à te facti sunt? Erant quidem statu ac conditione humiles,censu pauperes, doctrina rudes,eloquẽtia barbari,& omni eo,quod homines attraheret, aut admiraretur, destituti. Scis enim tu Pharaonem muscis & culicibus, Holofernem, vnius fœminæ imbecillitate, & Madianitas lagenarum fragilium sonitu, & vniuersum orbẽ duodecim homuncionibus superare.Id quidem vt non glorietur omnis caro in cõspectu meo. Vt mundi conuersio non opus humanum sed diuinum sciretur. Vt non meritò hominum sed gratia tuas eos fuisse vocatos cognosceretur. Vt curis temporalibus exuti ad prædicandum promtiores redderentur. Vt paupertatis euangelicæ doctores efficerentur. Vtque experientia propriæ fragilitatis & rudi. tatis discerent aliorum infirmitatibus compati, & nostras miserias tolerare. Hæc nos, qui vitam Apostoliçam sequimur, probè sciamus Domine, de nobismetipsis, vt siquid boni ex laboribus nostris obuenerit, non in brachio nostro sed in te gloriemur.

Quales Apostoli à Domino facti.

3. Istos pusillos & fragiles, ô Domine verè magne & admirabilis, ad quam sublimem dignitatem elegisti! Ipsi aduenientem Christum filium tuum loco totius humani generis exceperunt, & illi se libentissimè associarunt, & humillimè seruierunt. Feciſti eos Ecclesiæ fundamenta, ministros noui

Dignitas magna Apostolorum.

Testamenti,& cœlestium mysteriorum dispensatores. Beneficio tuo sunt donis gratiæ omnibus hominibus maiores: reges regum, principes principum, pastores pastorum, doctoréque doctorum. Sunt sal terræ; lux mundi, ciuitates refugij, cœli quorum protectione tegimur, arietes quos sequimur, montes ex quibus cœlestia intuemur. Dedimi eis vt corpus & sanguinem filij tui in Eucharistia consecrarent, & offerrent, & alios ad idem munus sacerdotes ordinarent. Vt peccata remitterent, oues rationales pascerent, Ecclesiam regerent, nouam legem promulgarent, miraculis confirmarent, & Patres omnium fidelium existerent. Pro hac summa dignitate hominibus collata laudo te Deus meus, & intercessione tantorum principum, vitam filio ipsorum dignam me facturum esse confido.

Fructus sanctorũ Apostolorum.

4. Huic dignitati eis collatæ,ô Deus benignissime, fructus ipsorum par fuit, quia gratia tua in illis vacua non fuit.Isti namque sancti Apostoli laborantes, & pro te passiones & mortem sustinentes,falsorum Deorum cultum exciderunt, oraculis dæmoniorum ora clauserunt, fidem seminarunt, radices peccatorum euulserunt, virtutes inseruerunt, igne spiritus sui, & amore tui corda hominum accenderunt. Nihil boni est in Ecclesia quod non ab ipsis prouenerit. Ab his profecta est constantia Martyrum, solicitudo Pontificum, zelus Doctorum,sanctitas Sacerdotum,rigor Monachorum, iustitia confessorum, puritas virginum, & fidelitas omnium iustorum. Hi edunt & bibunt in mensa Christi filij tui,& venturi sunt cum illo iudicare duodecim tribus Israel. Obsecro Domine ipsorum charitatem imitemur, vt pacis & gaudij, & serenitatis conscientiæ eorum participes simus, & tecum in societate ipsorum in perpetuum regnemus. Amen.

MEDITATIO IV.

De sanctis Martyribus.

Martyres milites & duces.

1. PVnctum. Post sanctos Apostolos, ô Deus fortissime,Ecclesia ab Spiritu tuo edocta,iudicat Martyres omni veneratione dignissimos, quos perfecta charitas in magnum fastigium sanctitatis extollit. Si enim maiorem charitatem nemo habet, quàm vt animam suam ponat quis pro amicis suis;quam charitatem illi habebunt,qui vitam suam pro te Domino profuderunt, & pro hostibus suis, à quibus occidebantur, summis te precibus exoratunt. Martyres sunt duces & milites exercitus tui:duces quidem, quia nos ad laborum tolerantiam prouocant. Nam passiones martyrum exhortationes martyriorum sunt, vt imitari nõ pigeat,quos admirari & laudare delectat.Milites verò,quoniam ipsi pro fide sub vexillo crucis pugnarunt, & vitam omnibus rebus chariorem, ne te perderent, perdiderunt. Ita sis, ô Domine, mihi charus, vt nec à te abstrahar, cuncta libenter amittam.

Martyrũ victoria gloriosa quoad fructum & substãtiam.

2. Horum fortissimorum militum,ô Deus sanctissime, illustris & glorioſa victoria est, siue fructum eius,siue substantiam consideremus. Fructus huius victoriæ est fidei defensio atque custodia: nam quam Apostoli plantauerunt, Martyres effusione proprij cruoris ab interitu vindicarunt. Eisdem cautis res gignitur & in esse seruatur: vnde sicut fides sanguine vnigeniti filij tui in Ecclesia genita est,ita etiam sanguine membrorum eius, id est,martyrum ab interitu custoditur. Quos tu Domine muros Ecclesiæ fecisti, quorum corpora crudelitas dilacerauit, ne in fidem mentium diabolus desæuiret. At substantia huius operis est admirabilis. Martyrium enim est opus perfectissimæ charitatis, quo Martyres te, ac veritatem tuam propriæ vitæ præposuerunt. Opus inuictæ fortitudinis, quo horrenda tormenta, & acerbissimam mortem æquo animo sustinuerunt. Opus patientiæ, quo summam aduersitatem, & omnium bonorum iacturam pertulerunt. Opus denique religionis, quia seipsos corpora & animas in holocausta consecrarunt. Sunt hi Iesu filio tuo quàm simillimi. Nam sicut rubrum est indumentum eius,& sicut calcantium intorculari, ita horum indumenta seu corpora rubra & proprio sanguine madida sunt inuenta. Eorum ô Deus meus merita diligam, & sequelam concupiscam, vt licèt tortor vitam non auferat, participationem tamen meriti non amittam. *Isaiæ 63. 2.*

Iudic. 5. 8.

3. De Martyrum certaminibus,ô Deus inuictissime, dicere possumus: Noua bella elegit Dominus, & portas hostium ipse subuertit: quoniam noua & inusitata ratione ipsi hostes fidei prostrauerunt. Milites huius mundi gladio & armis, at milites tui aduersarios in primo conflictu solo sermone superant. Quamobrem dictum est illis à filio tuo: Cùm tradent vos, nolite cogitare quo modo, aut quid loquamini: dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini; non enim vos estis qui loquimini, sed spiritus Patris vestri qui loquitur in vobis. Verbum ergo tuum quod penetrabilius est omni gladio ancipiti, eorum sermonibus inuolutum principes & reges huius mundi in hoc prælio subiecit. Milites sæculi vincunt, si sint viribus corporis fortiores; milites tui vincunt,quamuis sint corpore imbecilliores. Illi si mortem obeant superantur, isti etiamsi flammis comburantur, victores efficiuntur. Illi morte pereunt, hi in morte viuere incipiunt. Dictúmque est illis: Et capillus de capite vestro non peribit: in patientia vestra possidebitis animas vestras. Illi si vulnerentur tristantur:hi ex doloribus & plagis lætantur,immo & sæpe propter vim amoris,& te facientem,dolorem non sentiunt. Hic amor, ô Deus, in corde meo ardeat, vt aduersitates pro te suauiter perferam. *Matth. 10.19. Discrimẽ inter Christi milites & mũdi.*

MEDITATIO V.

De sanctis Pontificibus.

1. PVnctum. Pro patribus tuis nati sunt tibi filij,dictum est Ecclesiæ tuæ, Domine Deus, constitues eos principes super omnem terram, Patres sunt Apostoli: filij principes constituti sunt Pontifices & Episcopi. Hi in locum Apostolorum successerunt, fidem mirum in modum propagarunt, greges tuos doctrina & exemplo pauerunt. Possidebant illi quidem diuitias, non vt reconderent, sed vt in pauperes & mendicos dispergerent. Erant in supremo gradu honoris & dignitatis: non vt ei adhærerent, sed vt eam instrumentum lucrandarum animarum efficerent. Habitabant corpore cum ouibus suis vt eas docerent, à malis defenderẽt,& in omni virtute proueherent, sed cor habebant erectum in cœlis, factum ciuem Sanctorum, & domesticum Dei. Qui eos ministeriis iuuamus, ô Domine, cor cœlis semper inferre curemus. *Psal.44. 17.*

Quales facti à Domino SS. Pontifices.

2. Facti sunt à te, ô sanctissime Deus, sancti Pontifices, actione soliciti, & contemplatione præcipui. Ita rebus disponendis & animabus lucrandis vacabant, vt à tuo conspectu non discederent, nec contemplationem relinquerent. Ita in contemplationem incumbebant, vt nullo modo ad pias actiones & sanctos labores torperent. Vxores ducebant simul Liam & Rachelem, vt ex illa plurimos filios tibi generarent Deo, & ex ista lucem & robur & dexteritatem ad laborandum acciperent. Vtraque manu vtebantur pro dextera, & ita plenè tibi & proximis intendebant, ac si vnum tantùm istorum ad ipsos pertineret. Hæc sit, ô Deus, vita nostra, nec prætextu contemplationis desides esse, nec occasione actionis distractionem & rerum diuinarum obliuionem admittere.

SS. Pontificum virtutes.

3. Erant denique illi sancti, ô Deus purissime, id est, tibi consecrati, & à moribus & desideriis sæcularium penitus vita discreti. Non fastu & phaleris, & ambitione sæculi lætabantur; non cibis & potibus delicatis ingurgitabantur, non consanguineos ex pauperum substantia ditabant, sed à carne & sanguine auulsi bona ecclesiastica egenis distribuebant. Erant iuxta sermonem Pauli irreprehensibiles: erant hospitales, benigni, sobrij, iusti, sancti, continentes, amplectentes eum, qui secundùm doctrinam est, fidelem sermonem, vt potentes essent exhortari in doctrina sana, & eos qui contradicunt arguere. Eos Domine vt seruos fideles constituisti super bona tua, & qui eos licèt non dignitate, at ministerio & labore sectati fuerunt à te super eadem bona absque dubio constituentur.

1. Tim. 3. 2. Tit. 1. 8.

MEDITATIO VI.

De sanctis Doctoribus.

1. PVnctum. Occurrit nunc, ô Deus suprema lux Angelorum, & hominum, cœtus sacer Doctorum: in quibus nescio an scientiam primùm, an acquirendi eam modum ac rationem admirer. Fuerunt illi sanè scientia & sapientia, & omnium rerum, tum cœlestium, tum terrestrium doctrina pleniſſimi, qui diuinæ Scripturæ arcana penetrarunt, & fidei mysteria optime intellexerunt. Hanc sapientiam non tam indefesso studio (licèt huic diligentissimè incubuerunt) quàm assidua oratione, & vitæ puritate & humilitate cõpararunt; oratione quidem qua à te Deo scientiarum Domino scientiam suppliciter postulabant, vitæ verò puritate, qua se specula mundissima ad suscipiendum tuæ diuinæ lucis radium aptos reddebant. Humilitate demum qua se vnus alij, & omnes sanctæ Ecclesiæ sensibus & diffinitionibus subiiciebant. Huic obsecro columnæ veritatis semper subiiciar, ne veritatis tramitem vmquam deseram.

Quomodo SS. Doctores sapientiam assequuti.

2. Nitebantur sancti Doctores, ô Deus summum bonum nostrum, scientiam acquirere, non vt scirent, quod est vana curiositas: non vt scirentur, quod est ridicula vanitas: non vt aliquid lucrarentur, quod est turpis quæstus. Sed primò vt suæ æternæ saluti consulerent, deinde vt proximos ad virtutem iuuarent; insuper vt fidem propagarent, & Ecclesiam defenderent. Demum vt in his omnibus tuam gloriam quærerent, inde euaserunt non curiosi, non vani, non opibus perituris diuites, sed Dei & proximi charitate conspicui. Qui adiicientes scientiam addebant & dolorem: tum ex eo quòd ad votum suum non proficiebant, tum quia proximorum emendationem iuxta desiderium non promouebant, nec Dei gloriam ita longe latéque ac cupiebant dilatabant. Seminabant in lacrymis, & nunc in exultatione metunt. Quorum rectissimam intentionem in studiis literarum vtinam scirem æmulari.

Finis Doctorũ in adquirendis scientiis.

3. Scientia horum Sanctorum, ô Domine, & aliis & ipsis vtilissima fuit. Aliis quidem, quoniam suis sermonibus & scriptis tuam Ecclesiam illustrauerunt, sacros Scripturæ sensus aperuerunt, fidei mysteria declarauerunt, ignorantiam expulerunt, diabolum & errores eius prostrauerunt, infideles ad fidem adduxerunt, peccatores ad bonam frugem conuerterunt, iustos in bono prouexerunt, errores hæreticorum conuulserunt, & veritatem tutati sunt. Sibi verò meripsis: Quoniam qui docti fuerunt, fulgent apud te quasi splendor firmamenti; & qui ad iustitiam erudierunt multos, sunt quasi stellæ in perpetuas æternitates. Ab his discamus, ô Deus, quomodo aliis & nobis vtiles simus.

Doctorũ sapientia sibi & aliis vtilis.

Dan. 12. 3.

MEDITATIO VII.

De sanctis Confessoribus.

1. PVnctum. Confessorum nomine, ô mitissime Deus, primùm illos intelligimus, qui in iudicio fidem palàm confessi sunt, & post exilia, vincula, tormenta, aut carceres pro hac causa perpessas non violenta morte sublati sunt, sed in pace vita perfuncti. Deinde omnes alij, qui nec martyrum nec Pontificum nec Doctorum dignitate aut munere decorati in omni sanctitate vixerunt, siue illi fuerint Sacerdotes, aut ad clerum pertinentes, siue religiosi cœnobitæ, aut anachoritæ, siue sæculares qui à perfectione excluſi non sunt. Meritò autem confessores vocantur, quia te confitentur corde, in te credendo, te adorando & diligendo: ore te assiduè laudando, & benedicendo, & gratias pro beneficiis agendo: & opere diuinis mandatis & consiliis parendo, & bonis operibus insudando. Confitear te ego Deus meus corde & ore & opere, & tribuam tibi gloriam confitendo peccata mea. Hoc enim quoddam genus glorificationis tuæ est (iuxta illud: Fili mi, da gloriam Domino Deo Israel, & confitere, atque indica mihi quid feceris) propria peccata ad confusionem nostram & ostensionem tuæ misericordiæ propalare.

Quare sancti confessores dicãtur.

Ioſue 7. 19.

2. In sanctis confessoribus, ô suauissime Domine, elucet maximè cordis puritas & rectitudo. Neque enim contenti fuerunt exteriùs mandata seruare, & consiliorum operibus studere, sed interiùs in corde rectificando, & mundando vehementer insudarunt. Horum est cogitationes componere, affectus moderari, sensus cohibere, propriam voluntatem proterere, iudicium abnegare, & ex corporis afflictatione per ieiunia & vigilias & alia hunc fructum cordis munditiæ decerpere. Ad hoc orationi & meditationi vacabant, & vitam à curis rerum visibilium segregatam colebant, vt his præsidiis cor mundum tibi & ordinatum offerrent. Hoc igitur sit studium meum bonis operibus exterioribus minimè contentum esse, sed ad mortificationem cordis aspirare.

SS. Confessorum exercitia.

3. Hi autem, ô Domine, licèt rudes sint, non sunt Ecclesiæ & cœtibus proximorum inutiles, immo inueniuntur vtilissimi. Quoniam vitæ suæ puritate tuam indignationem placant, & si non verbo, at exemplo efficacissimè prædicant, & viam perfectionis & cœli satis peruiam, & cum tua gratia facilem manifestant. Confitentur illi te coram hominibus conuersatione sua, & tu confiteberis

Matth. 10. 32.

illos coram Angelis tuis. Faciet filius tuus illos discumbere, & transiens ministrabit illis. Rogo te per eundem filium tuum vt ab eius cœlesti mensa non excludar.

MEDITATIO VIII.

De sanctis virginibus, & viduis, & coniugatis.

1. PVnctum. Virgines, ô purissime Domine Deus, sunt tibi gratissimæ. Quæ corporis integritatem & mentis puritatem seruant, & velut initia desideriorum, & primos ingressus cogitationum, quæ impudicitiam suboleant, solerter amandant. Meritò autem eas diligis, quoniam puritatem è cœlo delapsam possident, qua fiunt similes Angelis, & eorum obsequium imitantur in terris. Ad hoc enim in puritate se continent, vt tibi vacent, & tuum vultum contemplentur. Hæ ita sunt integritatis amatrices, vt nec præmiis, nec minis, nec suppliciis, nec ipsa morte ab ea potuerint auocari: quam non ad breue tempus, sed vsque ad finem vitæ, & multæ earum vsque ad satis prouectam ætatem nouerunt custodire. Munditiem earum diligamus, ô Domine, & vel minima, quæ castitati officiunt, vehementer formidemus.

Castitatis gemma qualiter custodiēda.

2. Hanc autem gemmam, ô Deus meus sanctissime, non sine multis laboribus & curis possederunt. Caro enim non potest ad vitam cœlestem efferri, & Angelorum puritatem æmulari, nisi ieiuniis, vigiliis & asperitate vestium atteratur, nisi sensus cohibeantur, & magna circumspectio in affectibus præsertim amoris ad alios, & in visu & in tactu seruetur. Caro concupiscit aduersùs spiritum, vnde spiritus validior debet concupiscere aduersùs carnem, vt eam ad se trahat, & à desiderio impuræ delectationis auertat. Sint mihi curæ, ô Domine, puritatis comites, sine quibus illam omnino possidere non potero.

Præmia virginitatis.

3. At tantus labor, ô largissime Deus, maximo præmio non caret. Præmium est purissima & iucundissima obtentio munditiæ, & spurcitiis carnis carere, & passionibus appetitus effrænatis nequaquam raptari. Præmium est quòd virgines sunt sponsæ Christi filij tui, ipsi & eius matri conformes, in locum Angelorum. Vt illi obsequantur in terris suffectæ. Hæ sunt quæ fructum centesimum ferunt, quæ sequuntur agnum quocunque ierit, quæ cogitant quæ tua sunt, quæ martyribus pares existimantur, quoniam virginitas martyrium est, si corporis occasione mitius, sed laboris diuturnitate molestius. Da hoc multiplici præmio illici, & ad puritatem amandam incitari.

SS. Viduarum pictura.

1. Tim. 5. 10.

4. Sanctæ autem viduæ, ô benignissime Domine, tibi etiam charæ sunt. Illæ scilicet, quæ orbitatē & solitudinem suam patienter sustinent, quę corpus macerant, orationi vacant, castitatem seruant, mundi fastum contemnunt. Quę, vt ait seruus tuus Paulus, in bonis operibus testimonium habent, filios educant, hospitio recipiunt, Sanctorum pedes lauant, tribulationem patientibus subministrant, & omne opus bonum subsequutæ sunt. Nec deest suum coniugibus meritum, qui sibi fidelitatem seruarunt, & castitatem in suo genere seruarunt, & filiorum ac familiæ curam habuerunt, & se in pietatis operibus occuparunt. Horum omnium tu Domine, qui neminem despicis, merita diligis, & magno præmio afficis, & qui fructu centesimo delectaris, sexagesimum & tricesimum minimè respuis, vt pusilli consolemur, & iuxta tenuitatem nostram, vel modicum quod possumus offeramus.

MEDITATIO IX.

De pulchritudine Ecclesiæ quæ ex his omnibus constituitur.

Ecclesiæ caput & membra.

1. PVnctum. Iam hinc elucet, ô Domine Deus, quàm pulchra & perfecta sit Ecclesia non solùm illa cœlestis, quæ his omnibus cœlestibus constat, sed hæc etiam in terris degens & militans, quæ eumdem principem habet, & ex similibus membris constituitur. Caput eius est Christus filius vnigenitus tuus, collum Regina totius orbis Maria, membra selectiora viri Apostoli, martyrium pro fide appetentes, Pontifices, & Doctores qui in dignitate non seipsos, sed tuam gloriam quærunt, & in sapientia humilitatem custodiunt, confessores, & Religiosi, & alij iusti, & sanctæ fœminæ: qui omnes illos qui iam tecum regnant, imitantur, & ad eorum præmium aspirant. Et licèt Ecclesia habeat peccatores fideles, quæ eius membra esse noscuntur, tamen suam puritatem non perdit, quoniam illos vt iustos & sanctos faciat, misericorditer sustinet. Est profectò ipsa nigra & formosa; nigra propter fideles malos, formosa propter innocentes & sanctos. Sed veniet tempus quando nigredo euanesceț, impiis ad sanctitatem conuersis, vel ab hac congregatione tua separatis, & in ignem coniectis.

Quibus donis Ecclesia multiplicatur.

2. Hanc familiam tuam, ô dulcissime Domine, tu multis ac pretiosis donis multiplicas. Primò doctrinæ veritate, qua de te altissimè sentimus & cœlestia mysteria cognoscimus. Secundò legis Euangelicæ puritate, qua ab omni peccato auocamur, & ad omne bonum impellimur. Tertiò sacramentorum virtute, quibus gratiam abundantissimam, & auxilia ad animæ sanitatem accepimus. Quartò sacrificiorum valore; nam ipsum filium tuum infiniti pretij ad omne bonum obtinendum offerimus. Quintò orationum efficacitate, qua quidquid cupimus impetramus. Sextò ministeriorum varietate, qua optimè gubernamur & in omnibus ordinatè procedimus.

Psal. 79. 11. Ecclesia in totum orbē diffusa.

3. Ecclesiam etiam longè latéque diffusam, ô Deus omnipotens, adhuc toto orbe dilatare & propagare non cessas. Operuit montes vmbra eius, & arbusta eius cedros Dei. Extendit palmites suos vsque ad mare, & vsque ad flumen propagines eius. Iam in noua regna penetrauit, & nationes barbaras & immanes complexa est, quas legis tuæ prædicatione mansuefecit. Neminem nec Æthiopem, nec rudem, nec vilem excludit. Immo per ministros suos ad imperium tuum egreditur in exitus viarum, & pauperes & debiles introducit ad se, vt cibo cœlesti pascantur, & ex pauperibus diuites, ex debilibus fortes, ex cæcis videntes, ex claudis ceruis velociores fiant. Non es Domine acceptor personarum, sed omnes homines vis saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire.

4. Eam tandem, ô Deus fidelissime, in æternum custodies. Hucusque in eam insurrexit diabolus cum satellitibus suis, & mundus cum regibus suis, & ipsa vicit. Si deinceps portæ inferi insurgant, superabit, & non præualebunt aduersùs eam. Si descendat pluuia, & veniant flumina, & perflent venti, & irruant in domum istam, non cadet, quia fundata est super petram vnigenitum filium tuum, cui tecum & cum Spiritu sancto sit honor & gloria in sæcula sæculorum. Amen.

ORATIO.

DOmine Deus meus,author ſanctitatis,& origo omnis virtutis, qui vnigenitum filium tuum in mundum miſiſti,vt ex eo ſanctitatem diſceremus, & beatam Virginem Mariam, Sanctóſque omnes qui tecum in cœlo regnant nos præire feciſti,vt quánam ratione eadem ſanctitas Chriſti Domini noſtri imitanda eſſet, ab eorum vita acciperemus, quos ſequentes mundum proterimus,& ſuper affectus noſtros regnamus:obſecro te per infinitam benignitatem tuam,vt geſta eiuſdem Chriſti filij tui Saluatoris noſtri, & Sanctorum omnium,ac Reginæ Sanctorum vitam vtiliter meditari nos facias,& huius conſiderationis præſidio ardens ſtudium perfectionis accendas. Ex illo ſole ſplendidiſſimo non creato, ſed creatore Solis,& ex illa luna pulcherrima,quæ omnem defectum neſcit,& ex illis ſtellis lucidiſſimis lumen ſapientiæ & influxus virtutis nobis obueniat, vt multiplici virtute præparati digni reddamur ad contemplationem efferri,& amore tui ardentiſſimo ſaturari. Amen.

PARS TERTIA

De materia Orationis mentalis ad perfectos.

INTRODVCTIO.

PERFECTI dicuntur, non qui ampliùs ſpiritu perfici non poſſunt, quod eſt proprium Sanctorum cum Chriſto regnantium,ſed qui virtutibus moralibus in optimo gradu adquiſitis,& magna puritate mentis adepta idonei ſunt ad oſculum oris,& ad magnam ſponſi familiaritatem admitti. Horum inſtitutum vocatur via vnitiua,quoniam tum in oratione,tum in aliis, quæcumque operantur, ad illud præcipuè aſpirant,vt ad puriſſimam Dei contemplationem, & ad perfectam cum ipſo vnionem amoris aſcendant. Ad hunc autem ſcopum licèt quæcumque conſiderent vtilia ſint,illud tamen apprimè conducit, vt in conſideratione Deitatis & diuinæ bonitatis & largitatis occupentur. Ad hos præcipuè illud Dauidis pertinet:Vacate & videte quoniam ego ſum Deus.] Vacate,inquam, ab inutilibus cogitationibus,vacate ab affectibus, & deſideriis terrenis,vacate à cogitationibus rerum viſibilium,& videte oculis cordis ab omni imperfectione purgatis, quoniam ego ſum Deus:quoniam ſolus omnibus emineo, & lucem habito inacceſſibilem. Tunc exaltabor in gentibus, & exaltabor in terra. Propter me terram & omnes qui terrã habitant,deſpicietis, & me dignum ſummo amore cognoſcetis. Materia ergo orationis horum ſunt beneficia diuina,& perfectiones, ſiue mores Dei. Illic amor accenditur, dum anima videt quantis muneribus à Deo ſine ſuis meritis augeatur. Et compellitur diſcere illud ſancti Dauidis: Quis ego ſum Domine Deus,& quæ domus mea,vt præſtares mihi talia?] His verò amor accenſus mirum in modum perficitur, dum anima perſpicit, ille à quo tanta bona recepit, quàm eſt magnus & per ſe dignus amari. Primò conſideranda ſunt beneficia Dei, poſtea perfectiones illius. Quamuis autem hoc ita ſit,viſum eſt nobis primo loco de perfectionibus Dei agere,quæ multa de beneficiis inuoluunt, vt beneficia ipſa preſſiùs & breuiùs exponamus. In perfectionibus autem diuinis explicandis non me ſubtilitatum theologicarum expoſitorem, ſed virorum ſpiritualium adiutorem exhibebo. Nec tam diſtinctionem harum perfectionum ſecundùm rationem, à Theologis admiſſam ſequar, quàm diſtincta nomina,quibus ipſæ in diuina Scriptura explicantur, inquiram. Quæ ſi fuerint plura licèt eamdem perfectionem ſignificent, diſtinctas meditationes occupabunt, vt mens ſpiritualis latàm materiam habeat,vt cum iucunditate & vtilitate diſcurrat. Tu Domine Deus magnus & excelſus, da vt de te digna concipiam,digna loquar,& cor meum & corda legentium & contemplantium ad tui amorem accendam.

Pſal. 45. 11.

Materia orationis perfectorũ. 1. Paral. 17. 16.

De perfectionibus diuinis.

DECAS I.

LEVIT hanc tractationem in decades distribuere, vt ad finem decem considerationum animus habeat, vbi quiescat; & si aliquantulum intepuerit, à sequente decade quasi à principio noui itineris ardentiùs incipiat. Singulas etiam sectiones cuiusque decadis non iam meditationes, sed contemplationes vocabimus, non quia hæc à non habentibus donum contemplationis meditari non possint, sed quia in his potiùs perfecti ad actũ contemplationis euehuntur, & ipsæ sunt aptissima contemplari. Primò ergo anima contempletur, quòd Deus est. 2. Quòd est spiritus. 3. Quòd est simplex. 4. Quòd est immortalis. 5. Quòd est perfectus. 6. Quòd est infinitus. 7. Quòd est immensus. 8. Quòd est immutabilis. 9. Quòd est æternus. 10. Quòd est vnus.

CONTEMPLATIO I.

De esse Dei.

Ego sum qui sum: sic dices filiis Israel: Qui est, misit me ad vos. Exod. 3. 14.

1. PVnctum. Hoc breue verbum: Deus est, ô summe ac infinite Deus meus, est vnica consolatio iustorum, & maxima lætitia cordis eorum. Audiunt enim atque cognoscunt in hac rerũ vniuersitate esse vnum primum principium, primam causſam, primúmque motorem, à quo vniuersa dependent: & hic tu ipse es. Hoc profectò vniuersæ creaturæ clamant, quæ inter se optimè dispositæ, & in vno eodémque orbe cõnexæ, & ad vnum finem ordinatæ dicunt: Ipse fecit nos, & non ipsæ nos.] Hoc ipse mundus ex his omnibus coagmentatus prædicat, qui suæ pulchritudinis & varietatis rerum contemplatorem docet his verbis: Quis ignorat quòd omnia hæc manus Domini fecerit.] Hoc & ego ipse manifestò ex tot partibus, sensibus, viribus, venis, arteriis, ossibus, neruis membrísque compositus, & non tantùm, ex corpore, verùm & ex spiritu tẽporis momento per omnia vagante, & liberi arbitrij capace constitutus, quibus testor esse aliquem principem atque factorem, à quo hæc omnia recipio. Hoc denique (ne omnia attingamus) mundi perturbationes & hominum calamitates affirmant, esse scilicet aliquem cuius sit his omnibus posse remedium afferre. In quibus hoc solum habemus residui, vt oculos nostros leuemus ad te. Hoc ergo, Domine, euidens & lumine ipso naturali apertum est, te esse, & omnino impossibile esse, ac repugnantiam inuoluere te non esse. Quia sublata prima causſa, à qua omnia dependẽt, nihil esset; vnde res essent & non essent simul, quod subsistere non potest. Habeo ergo causſam primã, à qua dependeo: Deum quem adoro: Dominum cui seruio, & nihil mihi curæ est de aliis, dummodo tibi placeam, & tuam in meis operibus voluntatem perficiam.

2. Certum ergo, & manifestum est, ô magne Deus, te esse, sed obscurum & occultum valde quídnam sis. Obscurum, inquam, nobis tudibus & pusillis, cùm tamen per se clarissimum sit. Nihil clarius sole, oculis autem caligantibus nihil obscurius. Ita prorsus nihil notius tua essentia & natura, nobis verò ignorantibus nihil ignotius. Habemus tamen verba tua, ex quibus noscamus te. Tu enim dixisti: Ego sum qui sum. Tu itaque es qui es. Quid breuius: Sum, es; sed quid longius, quid plenius, quid mirabilius? Tu namq; es ipsummet esse, seu ipsum ens, non coarctatum, non limitatum, non circumscriptum, omne esse continens, & omne non esse, ac nihil excludens. Sicut enim omnino nihil habet de esse, sed est mera negatio essentiæ & existentiæ, ita è contra tu qui es ipsum esse, nihil penitus habes de nõ esse. Nihil, inquam, habes de non esse, nec actu, nec potentia; nec secundùm veritatem, nec secundùm nostram apprehensionem. Quia sicut impossibile est cogitare, quòd lux sit tenebra, iam enim non cogitaremus lucem; sic impossibile est cogitare quòd tu, qui es omne esse & ipsum esse, non sis.

Deus est ipsum ens.

3. Es igitur, ô Domine Deus meus, ipsum esse purissimum, & simplicissimum, & actualissimum. Esse omnimodè primum, & à nullo acceptũ, quod de nihilo nec ab alio esse potes. Nam quid rogo esset per se, si tu qui es ipsum esse, non esses per te, & à te. Es ipsum esse carens omnino non esse, ac proinde numquam incipiens, numquam desinens esse. Es esse nihil in se habens nisi quod est esse, ac proinde cum nullo compositum, sed simplicissimũ. Es esse nihil habens possibilitatis, quia sic haberes aliquid de non esse, atque adeò es summè actualissimum. Es esse nihil participans defectus aut diuersitatis, & ideo ens perfectissimum & vnum.

Ex Bonau. in itinerar. cap. 5.

4. Non solùm ob generalitatem essendi, ô Deus sanctissime, & qui es omne ens, vocaris ipsum esse, & dicis: Ego sum qui sum. Verùm ob independentiam essendi: quia nimirum à nullo esse habes, omnia verò habent esse à te. Quare Iob de te ait: Ipse enim solus est, & nemo potest auertere cogitationem eius; & anima, id est, voluntas eius, quodcumque voluit, hoc fecit.] Numquid Domine non sunt cœlum & terra, & homines & cuncta animantia? Numquid non Sapiens dicit: Creauit vt essent omnia?] Quomodo igitur tu solus es qui es? Sed aliud est esse, aliud principaliter esse: aliud mutabiliter, aliud immutabiliter esse. Hæc quidem omnia sunt, sed principaliter nó sunt, quia à semetipsis non esse habent, & nisi à te esse acciperent, & conseruarentur, esse non possent.

Deus esse à nullo habet, omnia ab illo. Iob 23. 13.

Sap. 1. 14.

5. Tu etiam, ô Deus perfectissime, es ipsum esse ob perfectionem essendi. Si enim cœlo terra comparata est instar puncti, & quasi nihil est: ita omnis creatura si tecum conferatur nihil est, & suum esse est non esse. Si tibi coniungamur, sumus, viuimus, sapimus. Si tibi comparemur, nec sapimus, nec viuimus, nec omnino sumus. Nostrum enim esse à te acceptum exiliſſimum est: tuum autem esse omne esse est. Tuum esse est vna actualissima vita, sapientia infinita, incircumscriptibilis pulchritudo, deliciosissima beatitudo, immensa dulcedo, omnipotens virtus, interminata iucunditas, supermundissima sanctitas, superopulentissima bonitas, inuiolabilis veritas, amor immensus, lux illimitata, & quidquid desiderabilitatis, amabilitatis, & amænitatis cogitari potest, cum infinita plenitudine reperitur in te, siue tu ipse es.

Ex Greg. 16. mor. c. 16.

Ex Dionys. 1. de cõtempl. c. 40.

6. Denique, Domine, vt de eo esse quod nullum habet finem loqui finiam, tu es quasi mare, & abyssus & pelagus essendi, vt sicut à mari manant omnes aquæ, & ab illo pendent, & in ipsum reuertuntur; ita & tu es pelagus totius esse. A te inuisibilia & visibilia, magna & parua effluunt, à te dependent, & in te refluunt: & eatenus sunt, qua-

Deus essendi abyssus.

Mundus & quæ in eo sunt vnã primã cãussam prædicant. Psal. 99. 3. Iob 12. 9.

2. Paral. 20. 12.

tenus aliquid tui esse participant. Si exigui riuuli, & in tua cõparatione nullius momenti tales sunt, ô Deus meus, pelagus omnis essentiæ & existentiæ,& bonitatis & perfectionis, tu qualis quantúsque eris? Certè ego nihil sum, me igitur despiciam: tu autem es ipsum esse; te ergo in summo pretio habeam & diligam. Omnia nihil sunt, ab eis tamquam à locis sterilibus fugiam: tu es pelagus omnis entitatis & bonitatis; tibi ergo adhærere decernam.

Contemplatio II.

De spiritalitate Dei.

Spiritus est Deus; & eos, qui adorant eum, in spiritu & veritate oportet adorare. Ioan. 4. 24.

1. PVnctum. O Deus superamandissime, tu es spiritus,id est, immaterialis,& incorporeus. Non habes carnis vilitatem, nec corporis humilitatem,sed es spiritualis quædam substantia ab omni corporum imperfectione seiuncta. Diceris omne ens, seu id quod est:non quia sis quasi coaceruatio omnium entium (quis enim nisi insanus id cogitaret) sed quia es ens perfectissimum, & caussa omnium entium, vniuersam eorum perfectionem habens,& omnem imperfectionem excludens. Hinc manifestè constat te esse immaterialem. Quoniam entium immaterialia seu corporea sunt omnium imperfectissima,immaterialia autem perfectiora. Cùm verò tu sis ens omnium entium nobilissimum, sequitur quòd vilitate materiæ careas, & omnibus corporibus & spiritibus à te creatis eminentior existas. Nos rudes & imperiti vix nisi corporea cogitamus, at si animum ad altiora tollimus,apertè videbimus res, quo corpulentiores, eo esse imperfectiores & imbecillio-

Deus immaterialis omnino.

res;& quo subtiliores & spiritualiores,eo esse perfectiores & robustiores:vt patet in fulmine, quo nihil in substantiis corporeis subtilius, nihil terribilius.Tu ergo qui & perfectissimus & fortissimus es,etiam immaterialissimus es,& planè spiritus super omnia amandus, & omni veneratione colendus.

2. Si spiritus es,ô Deus supercolendissime,non possùm te aut oculis corporalibus aspicere,aut auditu audire,aut alio sensu corporis percipere:quoniam sensus sola materialia & corporea sentiunt: at possum te oculis mentis contemplari, & aure cordis audire,& brachiis puriſſimi amoris amplexari. Materialia non sunt in te Deus meus. Non enim speciem corporis, non decus temporis, non candorem lucis,non colorem, non dulcium melodiarum cantus,& quæcumque dulcesonantia, non florum & vnguentorum,vel aromatum odores,nõ mella & manna gustui delectabilia, non cætera ad tangendum & amplexandum amabilia,nec omnia alia sensibus his subiecta quæro, cùm te Deum meum quæro. Et tamen cùm te quæro, quæro nihilominus quamdam lucem super omnem lucem, quam non capit oculus: quamdam vocem super omnem vocem, quam non capit auris: quemdam odorem super omnem odorem, quem non capit naris: quemdam dulcorem super omnem dulcorem,quem non capit gustus:quemdam amplexum super omnem amplexum, quem non capit tactus. Ista tua lux fulget, ô Domine,vbi locus non capit: ista vox sonat,vbi ventus non rapit:odor iste redolet,vbi flatus non spargit:sapor iste sapit, vbi non est edacitas:amplexus iste tangitur, vbi non diuellitur. Sensus ergo corporis,qui te non percipiunt, cohibeam:& animi quibus perciperis,exacuam.

3. Nec me mouet, ô Deus suauissime, quòd scriptura tua tibi corporum proprietates, & membra,& actiones corporales attribuit. Id enim facit vt nobis materialibus per materialia, tua spiritualia demonstret. Diceris enim excelsior cœlo propter eminentiam tuæ Deitatis:profundior inferno propter perfectionẽ sapientiæ; longior terra, propter durationẽ æternitatis: & latior mari propter latitudinem charitatis. Oculi tui sunt intellectus ad videndum, aures miseratio ad subueniendum: odoratus facultas ad discernendum, gustus virtus, ad bonum amplectendum; manus potentia ad operandum. Stas propter fortitudinem, sedes propter immobilitatẽ. Hæc omnia in te spiritus sunt: fac me, ô Deus meus,virum spiritualem,qui spiritualia cogitem,& in illa affectibus ferar. Da mihi vt te adorem in spiritu & veritate:non vt actus latriæ exteriores despiciam, sed vt illis actus interiores adiungam,& te verum Deum semper agnoscam. Amen.

Quare Deo corporũ proprietates tribuantur. Iob 11. 8.

Contemplatio III.

De simplicitate Dei.

Est enim in illa spiritus intelligentiæ sanctus, vnicus, multiplex. Sapient. 7. 22.

1. PVnctum. Vocaris, ô Domine Deus meus, à sanctis tuis Doctoribus simplex. Qua voce notatur naturam tuam esse omnis compositionis & multiplicitatis expertem. Quod enim ex aliquibus componitur, ea præsupponit, & caussam habet, quæ ea diuersa vniat,& in vnum coalescere faciat. Tu autem es primum ens,& omnium prima caussa; quomodo ergo poteris esse cõpositus? In te ergo nõ sunt partes ex quibus integer euadas, quoniam hoc est proprium corporum in quorum vnoquoque diuersæ partes signantur. Tu autem non es corpus (vt vidimus) sed puriſſimus spiritus. In te non est corpus & anima, aut materia & forma,quia cùm in te nihil sit imperfectum,quale est corpus, qualis est materia, totus (vt ita dicam) es animus, totus es forma. In te denique non sunt accidentia sicut in nobis. Homo enim per se est homo, per aliud verò quod sibi accidit,est sapiens, aut bonus, vnde potest sine sapientia & bonitate & aliis huiusmodi subsistere,aut sine illis cogitari. At tu per ipsum esse tuum es sapiens & bonus, iustus & misericors, & reliquæ perfectiones tuæ. Non tui aliquid optimum habes, sed vnum optimum totus. Et qui te aut iniustum, aut immisericordem cogitat, te proculdubio nõ cogitat,quia ipsa iustitia & misericordia tua est ipsa substantia tua, ac ipsum esse tuum.

Augustin. legit, simplex,multiplex. epist. 102.

Deus totius compositionis expers.

2. In te, ô Domine,non sunt duo Deus & Deitas, ex quibus constituaris; sed idem Deus quod Deitas:idem Deitas quod Deus. Quare meritò diceris non solùm verus & viuens,sed etiam ipsa via, veritas,& vita. Nec sunt duo substantia tua & esse tuum,sed idem omnino sunt in te essentia, & esse, quia tua essentia est ipsummet esse tuum,quo actu es. Itaque es non solùm vnus,vt homo est vnus,& Angelus est vnus, sed etiam es simplex, cùm nullam partium aut perfectionũ compositionem admittas. Res enim quo perfectiores, eo ampliùs à multiplicitate elongantur,& simpliciores existunt:

Deus & Deitas idem in diuinis. Ioan. 14. 6.

Angelus namque est simpliciior homine,& Archãgelus Angelo, & sic ascendendo semper ad maiorem simplicitatem peruenimus.Cùm igitur tu Domine sis omnium perfectissimus,infertur quòd sis actualissimus & simplicissimus. Immo hoc adeò singulariter tibi competit, vt nulla res creata inueniatur omnino simplex,& quæ omnem compositionem excludat.

Deus substantia simplex, non pauper.

3. Contemplor itaque te Domine,vt substantiam simplicem, sed non pauperem : nam per esse tuum tibi & omnibus sufficiens es,vt substantiam incompositam, sed non indigam; quia tu es tibi omnia, & extra te nullo opus habes. Nam hoc quod dico incompositum non est carentia aut negatio alicuius perfectionis (licèt à nobis aliter explicari non possit) sed est perfectio, quæ à te imperfectionem & indigentiam rerum compositarum tollit. Si daretur vna gemma purissima,atque pulcherrima, quæ simul esset adamas,& carbunculus,& smaragdus, & sapphyrus, & topazius, & cætera quæ in opibus computantur, quàm pretiosa esset & admiranda. O igitur substantia simplicissima, quæ omnia es,quàm nobis diligenda & super omnia æstimanda existis. Tu es sapientia, tu bonitas, tu iustitia, tu omnis alia vera perfectio. Tu es purus,integer, perfectus, constans tibi:nihil de temporibus, nihil de locis, nihil de rebus trahens,nihil ex te deponens ex eis,non habens quod ad numerum diuidas, non quæ colligas ad vnum. Vnus quippe es, sed nõ vnitus. Non partibus constas vt corpus; non affectibus distas vt anima:non formis substas vt omne quod factum est. Ego autem Domine hanc tuam simplicitatem æmulor,& intentione simplex & pius esse cupio,vt in omnibus cogitationibus & desideriis & operibus meis nihil nisi te solum quæram,te solum sitiam.Amen.

CONTEMPLATIO IV.

De immortalitate Dei.

Qui solus habet immortalitatem, & lucem inhabitat inaccessibilem. 1.*Tim.*6.16.

1. PVnctum. O Deus meus simplicissime, immortalis es,& mori non potes. Reges huius sæculi moriuntur, & famulos suos in ipsis sperantes vacuos & sua spe frustratos relinquunt.Omnis enim potentatus breuis vita. Breuem languorem præcidit medicus; sic & Rex hodie est, & cras morietur. At tu Rex noster numquã nos deseres, quia mori non poteris. Quid mors? An non separatio animæ à corpore? Sed tu simplicissima substantia es, nec corpore & anima constas. Ergo natura tua immortalis es. Quòd si nomine mortis intelligamus defectum essendi, qua ratione animæ nostræ & Angeli, & cœli mortales dici queunt, quoniam à te possunt in nihilum redigi. Nec sic mortalis es, quoniam immutabilis es: & desinere non potest quod non potest mutari, cùm desinere, mutari sit. Tu ergo naturaliter & essentialiter es immortalis; alia autem eatenus immortalia sunt, quatenus à te conseruantur,& numquam ne deficiant, deseruntur.

Eccli.10. 11. Mors separatio animæ à corpore.

2. Solus etiam, ô Domine,immortalis vocaris, & meritò, quoniam cætera omnia quantumuis incorruptibilia nonnullam mortem subeunt, quatenus ex vno in aliud mutantur. Si enim anima fiat sapiens,in ea moritur stultitia,& si iterum ad obliuionem eorum, quæ didicit, redeat,in ea moritur sapientia. Sic in Angelis & in corporibus cœlestibus aliquas mutationes, & consequenter aliquas mortes reperiemus eorum quæ mutatione decedunt. At tibi substantiæ simplicissimæ Deo meo nihil potest accedere,& ab eo quod est in re nihil potest decedere; & ideo mortem atque interitum nescis.

Mors peccati omnium pessima. Ezech. 18. 20. Psal.6.6. Ierem.9. 21.

3. Mors autem omnium horribilissima,ô Deus vita mea,est mors peccati. De qua dictum est:Anima enim quæ peccauerit, ipsa morietur.] Et non est in morte qui memor sit tui.] Et intrauit mors per fenestras nostras.] Huic morti tam homines quàm Angeli subsunt. Homines quottidie peccamus,& dicimus:Dimitte nobis peccata nostra.Angeli mali peccauerunt:& boni peccare potuerunt. Tu autem solus es impeccabilis,cuius voluntas est regula bonitatis, cuius opus exemplar sanctitatis. Hæc igitur mors longè etiam est à te. Per immortalitatem tuam oro te Domine, vt ego morte iustorum solùm moriar,& à morte peccati semper eripiar.

CONTEMPLATIO V.

De perfectione Dei.

*Estote ergo & vos perfecti, sicut & Pater vester cœlestis perfectus est. Matth.*5.48.

1. PVnctum. O Deus meus immortalis, tu es perfectissimus, & omnis perfectionis rerum origo.Quídnam est perfectum? Illud certè cui nihil deest. Sicut autem rerum, ita etiam sunt perfectionum gradus. Nam aliquis est perfectus discipulus,cui nihil deest ingenij & solicitudinis vt discat. Sed longè maior est perfectio magistri,cui nihil deest,vt discipulos erudiat:& adhuc multo potior esset perfectio Doctoris, cui nihil deesset, vt ipsos magistros doceret. Similiter magna est perfectio eius cui nihil deest prudentiæ,& zeli & charitatis & misericordiæ,& cæterorum vt sit Episcopus:in immensum tamen maior est perfectio eius, cui nihil deest,vt sit summus totius Ecclesiæ Pontifex. Et idem in dignitatibus reipublicæ sæcularis considerari potest. Quàm immensa ergo & incomprehensibilis erit, Domine, perfectio tua, cui nihil deest vt sis Deus, Rex regum, & Dominus dominantium, & Creator vniuersi, & innumerabilium mundorum,quos posses creare.

Qua dicantur perfectiones simpliciter.

2. Sed ita es perfectus, ô Deus meus,vt omnes perfectiones, siue existentes siue possibiles in te contineas. Nam perfectionum quædam vocantur simpliciter perfectiones,quæ nihil habent imperfectionis admixtũ, & melius est ipsas esse in vnoquoque quàm non esse. Hæ autem omnes secundùm essentiam sunt in te. Vnde verè & essentialiter es sapiens, bonus, potens,iustus,& misericors, sanctus & purus,& quidquid aliud imperfectionibus numeratur. Hæc autem omnia non sunt in te diuisa,sed vno esse tuo,& vna perfectione contenta. Illud enim esse tuum est sapientia & bonitas tua,& omne quod in te est,seu quod tu es.Has ergo perfectiones tamquam ab abysso illarum,& à fonte ipsarum emendicare constituo:vt tu sapientia erudias me,& bonitas sanctifices me.

Quæ per fectiones admixtã habent imperfectionem.

3. Aliæ sunt perfectiones, ô Domine,non simpliciter tales, quæ admixtam habent imperfectionem,vt ratiocinari,& discursu & labore veritatem eruere, & alia quæ in nobis sunt & in rebus corporeis. Hæ autem etiam sunt in te eminentiori

modo,& tamquam in cauſſa omnium,qui eo quòd aliis communicas,carere non potes. Sunt,inquam, hæ in te ſine vlla imperfectione, non modo corruptibili & creato, ſed modo incorruptibili & increato : non diſtinctæ, ſed in vna virtute tuæ potentiæ vnitæ:non mortuæ,ſed viuæ. Quare Euangeliſta tuus ait : In ipſó vita erat.] Et per alium quemdam à te afflatum dixiſti : Et pulchritudo agri mecum eſt.] Et Moſi dixiſti : Ego oſtendam omne bonum tibi.] Quoniam qui te viderit, omnem perfectionem videbit. Sim & ego perfectus, ſicut & tu Pater cœleſtis perfectus es. Vt ſcilicet ad ſimilitudinem tuã enitar, vt nihil mihi deſit ad hoc quòd tibi placeam, & ſecundùm meã vocationem ſanctè viuam. Amen.

Ioan. 1. 4. Pſal. 49. 11. Exod. 33. 19.

CONTEMPLATIO VI.

De infinitate Dei.

Et magnitudinis eius non eſt finis. Pſal. 144.3.

1. PVnctum. O Deus perfectiſſime, magnitudo tua natura tua eſt & perfectio tua : neque vno Deus,& alio magnus es,ſed eadem natura ac Deitate es Deus & magnus.Si ergo magnitudo tua eſt infinita, pariter & natura & Deitas tua eſt infinita. Non quidem infinita,quaſi non conſummata. Sicut dicimus domum ſemifactam nondum eſſe finitam,ſed infinita quaſi nullum terminum perfectionis & pulchritudinis & amabilitatis habens, ſed quamcumque perfectionẽ & pulchritudinem à nobis conſideratam in infinitum excedens. Verè magnus es, & non habes finem, nec quis poterit aliquid perfectionis contemplari,quod tu non includas,& in infinitum poſt te relinquas.Nam tu es ipſum eſſe in nullo receptum,ſed per te ſubſiſtens, immixtum & purum. Eſſe autem quod in nullo recipitur, conſequens eſt vt ex nulla parte limitetur.

Baruch 3. 25.

2. Nec ſolùm, ô Domine, eſſentia tua, verùm & multiplici perfectione tua infinitus es. Perfectiones enim tuæ nec ſunt à tua diuina natura diſcretæ,nec aliqua inæqualitate diſtinctæ. Sed tanta eſt ſapientia, quanta eſt natura:tanta pulchritudo, quanta ſapientia ; tanta bonitas, quanta pulchritudo. Si omnia in te paria ſunt,omnia quoque infinita ſunt. Es ergo ſapientia infinitus,bonitate infinitus, iuſtitia & miſericordia infinitus. Es mare quoddam eſſentiæ & perfectionis, in quo ſunt omnia bona, nullum terminum habens, à quo licèt bona & bona, & miſericordias & miſericordias conſequamur,certum eſt,quia numquam tuam infinitam perfectionem exhauriemus.

Rom. 11. 33. Deus mare eſſentiæ & perfectionis.

3. Hoc autem quod eſt, te eſſe infinitum, proprium, ô Deus meus, eſt perfectionis tuæ.Res aliæ omnes finitæ ſunt : & ſicut magnitudinis tuæ non eſt finis,ita paruitatis earum non eſt finis, quia de ſe nullum eſſe habent, de quo glorientur. Creaturæ illæ magnæ & mirabiles (ſpiritus cœleſtes dico) in negotio perfectionis naturæ ſuæ,finitæ ſunt. Supremus Seraphim quamuis adeò gradibus perfectionis emineat,audit quod dictum eſt mari: Vſque huc venies, & non procedes amplius, & hîc confringes omnes fluctus tuos.] Omnia circumdediſti terminis tuis, omnibus poſuiſti vectes & oſtia, ab ipſa creaturarum natura requiſita, ne vltrà perfectione prodirent. Tu ſolus nullum terminum habes. Es, ô Domine,quaſi orbis infinitus,in cuius centro totus mundus eſt,circumferentia autem nuſquam eſt. Totus,inquam, mundus viſibilis & inuiſibilis ad te collatus eſt inſtar puncti. Ecce gentes quaſi ſtilla ſitulæ, & quaſi momentum ſateræ reputatæ ſunt. Ecce inſulæ quaſi puluis exiguus. Omnes gentes quaſi non ſint,ſic ſunt coram te : & quaſi nihilum reputatæ ſunt. Tuam itaque infinitatem adoro, & abſque vllo limite (ſi fieri poſſet) te amare cupio.

Iſai. 40. 15.

Deus quaſi orbis infinitus.

CONTEMPLATIO VII.

De immenſitate Dei.

Numquid non cœlum & terram ego impleo, dicit Dominus. Ierem. 23.24.

1. PVnctum. O Deus infinite, tu immenſus es, quia in omnibus es rebus,& in omnibus locis,non ab illis incluſus,ſed ea omnia tua maieſtate & magnitudine includens. Si aſcendero in cœlum,tu illic es:ſi deſcendero in infernum, ades. Si ſumſero pennas meas diluculo, & habitauero in extremis maris : etenim illuc manus tua deducet me, & tenebit me dextera tua.] Cœlum tibi ſedes eſt, terra autem ſcabellum pedum tuorum.] In te vno viuimus, mouemur,& ſumus.] Tu cauſſa omnium es, non tantùm vt ſint, ſed etiam vt conſeruentur,& in eſſe permaneant : vnde ea tua virtute contingis & penetras. Cùm autem virtus tua idem omnino ſit quod ſubſtantia tua,& eſſe tuum. Si virtus tua in omnibus rebus eſt, tu quoque omnibus ades,& dummodo ſint, à te longè eſſe non poſſunt.

Pſal.138. 8.

Iſai. 66. 1. Act. 17. 28.

2. Potiùs dicerem, ô Domine, quòd omnes creaturæ, & omnia loca ſunt in te. Quoniam omnem creaturam contines, omni creaturæ ades, & extra illã in infinitis ſpatiis, ſi illa imaginemur, exiſtis.Non quidem quaſi in illis ſpatiis extra mundum ſint aliæ res,aut alij mundi in quibus ſis, ſed quia datis illis ſpatiis in temetipſo es:& nihil poſſumus cogitatione apprehendere, cui non præſentiſſimus adſis. Conſtituo ergo in conſpectu ſpiritus mei vniuerſam creaturam ; & facio vnam maſſam grandem diſtinctam generibus ſanè finitam: te autem Domine ex omni parte ambientem eam & penetrantem,ſed vſquequaque infinitum & immenſum. Tamquam ſi mare eſſet vbique, & vndique per immenſa ſpatia infinitum ſolum mare: & haberet intra ſe ſpongiam quamlibet magnam, ſed finitam tamen:plena eſſet ſpongia illa ex omni parte ſua immenſo mari. Sic creaturam tuam puſillam te infinito plenam,& intra te incluſam conſidero,& exclamo : Ecce Deus,& ecce quæ creauit Deus,& ecce quomodo ambit,& implet ea. Es ergo, ô Deus meus, immenſus, quia vbique es,& in omnibus rebus, & in omnibus locis, & extra omnes res,& extra omnia loca es. Si ad Orientem iero,ait Iob,non appares,& ſi ad Occidentem,non intelligam te. Si ad ſiniſtram,quid agam ? non apprehendam te. Si me vertam ad dexteram, non videbo te.] Tu quippe creator meus in parte non es, quia vbique es. Et tunc minus inueniris, quando qui vbique es,in parte quæreris. Incircumſcriptus es, & omnia intra temetipſum habes : quæ tamen implendo circumdas, & circumdando imples, & tranſcendendo ſuſtines, & ſuſtinendo tranſcendis.

Iob 23 8. Ex Greg. 26. mor. c.25.

Deus vbique præſens per eſſentiã, præſentiã & potentiam.

3. Sed quomodo, ô Deus meus immenſe, vbique es ? Certè per eſſentiam,præſentiam,& potentiam. Per eſſentiam quidem, quia tua diuina ſubſtantia ac natura ſecundùm ſeipſam, & ſecundùm ſe totam omnibus rebus adeſt,multo verius & in-

Iob 38. 11.

timius,

Isai. 6.3. timius,quam ipſæ ſunt in ſe.Plena eſt omnis terra, immo & omne cœlum,& quidquid eſt gloria tua.] Gloria autem tua non eſt aliud quàm natura, & ſubſtantia tua. Hæc igitur omnia continet, omnia replet. Itaque ſicut anima eſt in toto corpore tota, & in qualibet corporis parte tota, multo intimius quàm ipſum corpus eſt in ſe. Sic & tu Domine totus es in toto vniuerſo, & totus in quolibet loco, & parte illius; non quòd ſis anima vniuerſi, cui vt forma vniaris, ſed quia ſis author vniuerſi, cui per teipſum omnem perfectionem tribuis.Per præſentiam verò es in omnibus,quia omnia proſpicis,omnia intueris,nihil eſt tam obſcurũ, quod tuum aſpectum prætereat,nihil tam occultũ,quod *Prou. 15. 2.* tuos oculos fugiat. In omni enim loco oculi tui contemplantur bonos & malos. Per potentiã tandem, quia cuncta ſuſtines, omnia tueris, vniuerſis rebus prouides,& quidquid eſt, à te,& per te, atque in te ſubſiſtit.

Ex Bernard. homil.3.ſu. per Miſſus eſt. Quomodo Deus ſit in rationabilibus creaturis. Ioan. 14. 23. 4. In animabus autem noſtris, ô dulciſſime Deus, præter hos modos aliter etiam es. Nam in irrationabilibus creaturis ita es, vt non capiaris ab eis. A rationabilibus autem omnibus capi potes per cognitionem; à bonis verò etiam caperis per amorem. Es itaque in illis infundendo gratiã, efficiendo virtutes & dona. Es in illis immittendo lucem, adiiciendo feruorem, excitando deuotionem, impellendo ad magna & ſublimia virtutis opera. Vnde vnigenitus tuus dixit:Qui diligit me, ſermonem meum ſeruabit, & Pater meus diliget eum,& ad eum veniemus,& mãſionem apud eum faciemus.] Es in illis ita, vt etiam ſis cum ipſis propter concordiam voluntatum. Nam dum illi ſuas voluntates ita iuſtitiæ ſubdunt,vt te non dedeceat velle,quod ipſi volunt,per hoc quòd à tua voluntate non diſſentiunt, te ſibi ſpecialiter iungunt. Angeli ſanè quodammodo ſunt in nobis. *Zach.1. 9.* Nam vt quidam ex tuis Prophetis ait: Angelus qui loquebatur in me:at non ſicut tu illabuntur nobis. Ineſt Angelus ſuggerens bona, non ingerens; ineſt hortans ad bonum,non bonum creans. *Diſcrimẽ eſſendi in nobis inter Deũ & Angelum.* At tu, ô Deus,ſic ines,vt afficias, vt infundas, vel potiùs vt infundaris, & participeris, ita vt vnum proinde cum noſtro ſpiritum eſſe dicere quis non timuerit, etſi non vnam perſonam vnámve ſubſtantiam. Nam qui adhæret tibi, vnus ſpiritus eſt. *1.Cor.6. 17.* Angelus eſt cum anima, tu in anima. Ille vt contubernalis animæ ineſt,tu vt vita. Itaque ſicut anima videt in oculis, audit in auribus,odorat in naribus, in faucibus guſtat, tangit in toto reliquo corpore:ſic & tu diuerſa in diuerſis ſpiritibus operaris: & in aliis amantem, in aliis cognoſcentem, & in aliis mira operantem te exhibes.

Iſaiæ 7. 14. 5. Adhuc tandem, ô ſuauiſſime Deus, duobus aliis modis es in nobis. Nam quia Verbum tuum carnem noſtram induit, Deus nobiſcum eſſe dicitur:& homo ille vocatus eſt Emmanuel,id eſt,nobiſcum Deus. Et quia cibus noſter factus eſt, in Euchariſtia etiam eſt in nobis, nos paſcens, atque in ſe conuertens. Et audit Eccleſia ab ore eius qui *Matth. 28.20.* vtique natura non diſcrepat à te:Ecce ego vobiſcum ſum vſque ad conſummationem ſæculi.]Hæc cùm ita ſint, iam deinceps, ô Deus immenſe, oculos meos creaturis claudam, & te in omnibus illis intuear, immo & non longè abibo, ſed te intra meipſum ſemper agnoſcam.

* * *

CONTEMPLATIO VIII.

De immutabilitate Dei.

Ego enim Dominus,& non mutor. Malach.3.6.

1. PVnctum. O Deus immenſe, immutabilis es; ſemper idem permanes, & apud te non eſt tranſmutatio, nec viciſſitudinis obumbratio. Quæ mutantur aut tranſeunt de eſſe ad non eſſe, *Iac. 1.17.* aut de non eſſe ad eſſe.Sicut cùm de nouo in ligno ignis accenditur,& poſtea extinguitur. Hæc autem mutatio longè eſt à te:qui & es ipſummet eſſe,cui omnino repugnat aut aliquando non futurũ eſſe, aut aliquando non fuiſſe. Et de te ſcriptum eſt: *Varia mutationum genera quorum nihil in Deo.* Quoniam tu Domine idem ipſe es,& anni tui non deficient. Aut ex magnis fiunt parua,vel ex paruis magna. Tu autem ſemper es maximus, & abſque omni mole corporea, neque creſcis, neque decreſcis. Aut ex qualibus fiunt alia: vt ſi homo ex ſapiente fiat ſtultus, aut ex impio bonus. Quæ mutatio in te non cadit: nam tua ſapientia tua bonitas,& quidquid apud nos qualitas vocatur, tuum idem eſſe eſt. Quod cùm mutationem non ſubeat, nec ſapientia, aut bonitas,aut aliquid cæterorum mutationem ſubit. Aut tandem ex loco in locum tranſmigrant. Tu verò quo pacto emigrabis, qui immenſus es, & nuſquam dees,& omnia loca imples. Eſt igitur immutabilis natura tua, quæ ſemper eadem,& in eodem,vt ita dicam, tenore ſubſiſtit.

2. Es etiam, ô Domine, immutabilis in operando. Cùm enim operaris, non mutaris,non manum aut pedem moues, cùm ex his partibus (vt iam dictum eſt) non conſtituaris,ſed ea quæ facis abſque tua mutatione immutas. Ignis abſque mutatione ſua aquam ſibi applicatã calore tepefacit. *Deus immutabilis in operando.* Quídni tu immotus moueas,& ſola voluntate tua res quaſi ad te accedentes immutes.Non es profectò vt homo,vt mentiaris; neque vt filius hominis,vt muteris. *Num.23. 19.* Immo & ipſa opera tua eam,cuius ſunt capaces, immutabilitatem habent. Nam ſecundùm eſſentiam numquam mutantur, & poſt nouiſſimum diem, in quo facies cœlum nouum, & terram nouam, immutabilia permanebunt.

3. Nec ſolùm natura,& operatione, verùm cõſilio atque ſententia immutabilis es, ô Deus, & *Deus immutabilis ſententia.* quod ſemel voluiſti, quod ſemel decreuiſti, fixum immotúmque perſiſtit. Nullus te ad mutandam ſententiam compellet, quia,vt ait Iob,nemo auertere poteſt cogitationem tuam, ne præualet reſiſtere iudiciis tuis. *Iob 23. 13.* Nullus te, precibus & orationibus flectit. Nam etſi fuerint quidam qui deprecationibus ſuis ſententiam tuam auertiſſe videantur, non ita eſt. Ea enim fuit tua interna & æterna cogitatio vt ſententiam tuam vitare potuiſſent, & à te quod deprecãtur,acciperent. Si homo agat pœnitentiam à peccato ſuo, agis & tu pœnitentiam à pœna quam eras illaturus. Non quidem quia mutaris, ſed quia peccator mutatur: & tu decreuiſti ab æterno eius pœnitentiam ſuſcipere, & ab eo vltionem auertere.Nec tandem ex volubilitate voluntatis conſilium mutes,cùm tua voluntas inuertibilis ſit,& nihil nunc videas quod antea non videris, ad cuius conſiderationem muteris. Præceptum ergo ponis,& non præteribit. Et cœlum & terra tranſibunt, verba autem tua non præteribũt. *Pſ. 148. 6. Luc. 21. 23.* Studeamus ergo, ô Domine, hanc tuam immutabilitatem æmulari,vt nec aduerſis fracti, nec proſperis illecti à via rectitudinis deflectamur. Di-

cátque vnuſquiſque quod ſeruus tuus Iob: Iuſtificationem, quam cœpi tenere, non deſeram.

CONTEMPLATIO IX.

De æternitate Dei.

A ſæculo, & vſque in ſæculum tu es Deus. Pſal. 89.2.

1. PVnctum. O Deus meus immutabilis, tu es æternus, principium durationis & finem neſciens, ſempérque inuariabilis permanens. *Quid ſit æternitas.* Æternitas dicitur interminabilis vitæ tota ſimul & perfecta poſſeſſio. Quare vt aliquid ſit æternum, tria ſunt neceſſaria. Alterum, vt principium non habeat; alterum vt fine quoque careat. Tertium vt in ſuo eſſe nullam ſucceſſionem nec ſubſtantiæ, nec operationis admittat, ſed inuariabile perſeueret. Hæc autem Domine perfectiſſimè reperiuntur in te. Nullum eſt initium durationis tuæ: ſed ſimilia ſæcula recogitem, & millia millium ſæculorum, & decies millies centena millia, & quidquid amplius durationis ſit cogitabile, ante omne illud tu es, & in infinitum duratione præcedis. *Dan. 7.9.* Ideo vocaris antiquus dierum; non quia diebus, menſibus, & annis menſureris, ſed vt duratione infinita ſupra omnes dies antiquior cognoſcaris. Neque etiam eſt finis durationis tuæ: nam quantumuis futura tempora, & venturos annos multiplicemus, tu illis exactis, quaſi de nouo prodibis, vel (vt aliquid minus malè dicam) idem per infinitam poſt illos durationem exiſtes. *Pſal. 101. 25.* In generationem & generationem erunt anni tui. Immo & mille anni, & infiniti anni ante oculos tuos tamquam dies heſterna quæ præteriit, verè es Deus magnus, vincens ſcientiam noſtram, & numerus annorum tuorum inæſtimabilis. *Iob 36. 26.* Neque demum eſt aliqua variabilitas in te, ſed ſemper idem ipſe es, & anni tui non deficient. *Pſal. 101. 28.* Nequaquam tua operatio tempori aut mutationi ſubiicitur, ſed indiuiſibilis & impartibilis & tota ſimul ſemper exiſtit. In qua non poteſt aſſignari fuit vel erit, ſed ſemper eſt. Omnia igitur in te concurrunt, vt æternus ſis & dicaris.

Deus eſt ſua æternitas.

2. Nec ſolùm, Domine, es æternus, ſed es quoque tuamet æternitas, ſicut es tua bonitas & ſapientia. *Dan. 7.9. Cant. 5. 11.* Quoniam æternitas nihil aliud eſt, quàm tuum eſſe, carens principio & fine, vniforme, inuariabile, ſemper exiſtens. Capilli capitis tui iam dicuntur albi ſicut lana munda; iam ſicut elatæ palmarum, nigri quaſi coruus. Quare albi? Vt eſſe tuum ante omne tempus eſſe ſignificetur? Quare nigri? vt naturæ tuæ inuariabilitas indicetur. Quæ numquam ſeneſcit, numquam laſſeſcit, ſed in eodem (vt ita dicam) vigore ſubſiſtit. Turris firmiſſima ad ripam fluminis ædificata immobilis perſeuerat, licèt aquæ ſemper decurrant. Ita tempora decurrunt, atque procedunt, & quaſi iuxta te tranſeunt, tu autem non tranſis, ſed immotus exiſtis.

Deus aliquid æternitatis rebus communicat. Ecc. 1.4. Pſal. 75. 5.

3. Licèt autem, ô Deus meus, eſſe æternum verè & eſſentialiter tibi ſoli conueniat. At tu multis rebus nonnullam vmbram æternitatis communicas, inquantum poſtquam illas feciſti numquam deſtrues, ſed perpetuò manere facies. Sic terra in æternum ſtabit; & Eccleſiam à montibus æternis, id eſt, ab Angelis illuminabis; & cœlos atque elementa poſt diem iudicij inuariabilia conſeruabis, & animas noſtras (quæ immortales ſunt) iuxta exigentiam meritorum aut æternæ gloriæ, aut æternis ſuppliciis addices. Deſpiciamus ergo temporalia, quæ in ictu oculi & breuiùs diſparebunt, & diligamus bona æterna, quæ ſemper tecum perdurabunt.

CONTEMPLATIO X.

De vnitate Dei.

Audi Iſrael: Deus Deus tuus, Deus vnus eſt. Deuter. 6.4.

1. PVnctum. O Deus æterne & indeficiens, tu es vnus, & non eſt alius Deus præter te. Omnes Dij gentium dæmonia, tu ſolus verus Deus & Dominus, à quo cœli & omnia facta ſunt. Es ô Domine infinitè bonus atque perfectus, & nulla excogitare poteſt perfectio, quam tu non habeas. Si autem alius eſſet Deus, neceſſariò aliquam perfectionem haberet, qua tu careres, quam deſiderares, & ab illo emendicares. Vnde eſſes Deus non beatus, non diues, ſed miſer & mendicus; atque adeò non eſſes Deus. Si autè hoc eſt impoſſibile, pariter non cogitari poteſt quòd ſit alius Deus extra te. *Deus ſupremus dominus, legiſlator, & iudex.* Et quidem tu es ſupremus Dominus, cui nemo poteſt reſiſtere, ſummus legiſlator, cuius legē nemo poteſt abrogare, ſupremus iudex, ad quem ſpectat præmia & pœnas decernere; vltimus finis qui potens es nos beatos facere. Si verò eſſet alius Deus, ille forſitan tibi repugnaret, aliam legem tuæ contrariam conderet, iniquos à te ſuppliciis adiudicatos à pœnis eximeret, & nos à te alienos ſua poſſeſſione bearet. Hæc omnia deliria ſunt. Quare delirium eſt alium Deum cogitare, ſapientiæ autem plenum aduersùs falſam Deitatem tota mentis contentione conſurgere; & te ſolum quem mundi vnitas & ordo vnum prædicant, toto corde diligere, & colere, & ſolum verum Deum confiteri.

Ex Bern. s. de conſid. c. 7.

2. Nec ſolùm, Domine, es vnus, verùm & es maximè vnus, & ſi ita dici poteſt, vniſſimus. Res aliæ quoquo modo ſunt vnæ. Eſt vnitas collectiua, vt cùm multi lapides faciunt aceruum vnum. Eſt vnitas conſtitutiua, cùm multa membra, vel multæ partes quodcumque corpus conſtituunt. *Varij vnitatum modi.* Eſt vnitas coniugatiua qua fit vt duo iam non ſint duo, ſed vna caro. Eſt natiua, qua anima & caro vnus naſcitur homo. Eſt creatiua, qua natura angelica, verbi gratia, ad Gabrielem contracta vnus creatur Angelus. Eſt & poteſtatiua; qua quis virtutis non inſtabilis, non diſſimilis, ſed vnus ſibimet ſemper nititur inueniri. Eſt conſentanea, cùm per charitatem multorum hominum eſt cor vnum, & anima vna. Eſt & votiua, cùm anima votis omnibus adhærens Deo vnus ſpiritus eſt. Eſt & dignatiua, qua limus noſter à verbo tuo in vnam aſumtus eſt perſonam. Verùm hæc omnia quid ad te ſummum atque vnicè vnum vbi vnitatem maxima entitas ac ſimplicitas facit? Huic vni quodlibet illorum ſi aſſimilemus, erit aliquomodo vnum, ſi comparemus nullo. Tu enim cùm ſis ſummè ens, & ſummè ſimplex, etiam es ſummè vnus. Et ſicut reliqua entitate, & ſimplicitate, ita & vnitate præcedis.

Ex Ber. ſupr.

3. At quo pacto ô Domine, tam vnus es, ſi Trinitas es? An cùm confiteamur in te Trimitatem, deſtruimus vnitatem? Non, ſed ſtatuimus. Dicimus te Patrem, dicimus Filium, dicimus Spiritum ſanctum, non tamen tres Deos, ſed vnum.

Quid ergo sibi vult iste absque numero numerus? Si tria, quomodo non numerus? Si vnum, vbi numerus? Sed habeo, Deus meus, quod numerem, & quod non numerem. Substantia vna est, personæ tres sunt. Quid mirum? Quid vel obscurum in hoc? Nihil, si personæ seorsum à substantia cogitentur. Nunc verò cùm tres personæ vna tua substantia sint, & tua substantia tres personæ, quis numerum neget? Nam verè tres sunt. Quis numeret tamen? Nam verè vnum sunt. Quid igitur numero cùm dico tres? Naturas? vna est. Essentias? vna est. Substantias? vna est. Deitates? vna est. Non hæc, sed personas numero. Quæ licèt inter se distinctæ sint, tamen cum tua substantia vnum sunt. Vnum inquam, tam simplex, vt aliquid magis vnum dari non possit. Si hoc intellectus necdum plenè capit, fides credit; & voluntas capit omnia desideria sua in hoc vnum colligere, & nihil præter illud velle, & omnes homines, siquidem te vnum habemus Deum, vt consortes eiusdem finis diligere.

De perfectionibus diuinis.

DECAS II.

POSTQVAM mens aliquantulum in Dei sui vnitate pausauerit, & in hac quiete sua quieuerit, tranquillitatem non deferens, ad alia attributa Domini consideranda procedat. Occurrunt autem statim alia decem. 1. Quòd Deus est inuisibilis. 2. Quòd est incomprehensibilis. 3. Quòd est ineffabilis. 4. Quòd est verus. 5. Quòd est verax. 6. Quòd est fidelis. 7. Quòd est bonus. 8. Quòd est pulcher. 9. Quòd est admirabilis. 10. Quòd est viuens.

CONTEMPLATIO XI.

De inuisibilitate Dei.

Regi sæculorum immortali, inuisibili, soli Deo, honor & gloria. 1. *Tim.* 1. 17.

1. PVnctum. O Deus meus vne & Trine, tu es inuisibilis nobis, nisi supernaturali dono adiuues nos. Primò enim corporalibus oculis te videre non possumus, qui non vident nisi corpora splendore huius lucis, aut coloribus affecta. In te autem non est corpus, cùm sis purissimus spiritus, nec afficeris coloribus, nec corruptibili hac luce perfunderis. Quare dicunt Apostoli tui: Deum nemo vidit vnquam. Et quem nullus hominum vidit, sed nec videre potest. Deinde cogitatione seu vi imaginatiua non possumus te videre: nam illa sola corporalia cogitat, & spiritualia non vt in se sunt, sed ad imaginem corporalium effingit. Ac tandem intellectus noster in hac vita nudus & absque supernaturali dono te cernere nequit, quia per sensus non ingrederis, & ille nisi quod obiicitur sensibus nequaquam intelligit. Immo neque ipse intellectus à corpore separatus, aut intellectus angelicus clarè videre te potest. Est enim tanta tuæ naturæ sublimitas, vt ad eam finita mentis acies non possit accedere. Planè ascendisti super Cherubim, volasti super pennas ventorum. Posuisti tenebras latibulum tuum. Et ad lucem tuam inaccessibilem, quæ nobis ob infirmitatem nostram est velut caligo densissima, nemo suis viribus peruenire poterit.

Ioan. 4. 12, 1. Tim. 6. 16.

Psal. 17. 11.

2. Quod verò natura non possumus, ô Domine, gratia valemus. Infundes enim in illa domo tua in Ierosolyma illa cœlesti, intellectibus nostris donum tuum, quo te non iam per speculum in ænigmate, sed facie ad faciem videamus. Hoc donum lumen gloriæ vocatum est, quoniam est virtus quædam supernaturalis hominis & Angeli intelligentiæ indita, qua ad te videndum confortatur, & potens efficitur. Est quasi oculus menti adiectus vt te valeat intueri. Sicut enim homini præter oculum corporis, qui est illi animalibúsque communis, datus est alius oculus intellectualis, quo potens est cognoscere naturales veritates: ita beatis præter oculum intellectualem illis & aliis hominibus communem datur hic oculus gloriæ & fœlicitatis, quo videat primam summam & supernaturalem veritatem. Cùm per hoc lumen apparueris nobis, tunc similes tibi erimus per participationem æternę fœlicitatis, & videbimus te sicuti es. O fœlices nos cùm hanc visionem assequemur. Ostendes namque nobis faciem tuam, & salui erimus, & tecum sine fine regnabimus.

Lumen gloriæ quid sit.

1. Ioan. 3. 12.

3. Hoc tuo lumine donati quid videbimus, Domine Deus meus? Videbimus te summum bonum nostrum, non quidem æqualiter, sed ita tamen vt singulos saties. Vasculum enim paruulum aquæ, & amphora magna si aqua repleantur, & appetitum haberent, amplius aquæ non concupiscerent, licèt non æqualem aquæ copiam continerent. Sic & animæ beatorum, quę per gratiam, & charitatem, & gloriæ lumen fiunt capaces tui, nihil amplius desiderant, quàm iuxta mensuram horum donorum, & capacitatem eorum tua visione repleri, quo adepto consequens est, eos sine tædio satiari. Videbimus diuinam substantiam tuam, & tres diuinas personas tuas. Et mysterium hoc quod nobis in hac vita tam difficile est ad intelligendum, ita perspicuè intuebimur, vt euidens sit nobis omnino necessarium esse, vt in tribus personis subsisteres. Videbimus omnes perfectiones tuas, vt sapientiam, bonitatem, potentiam, iustitiam, misericordiam & reliquas, quibus pulcherrimus apparebis. Videbimus tandem in te tamquam in prima caussa, & speculo ideali naturas omnium rerum tum visibilium, tum inuisibilium. Ex singularibus verò quæ ad nostrum statum pertinebunt, quæ iuxta mensuram gloriæ æquum est nos videre, ita vt nihil maneat quod velimus desiderare. Tunc verò Domine, verè sapientes erimus, & res multo perfectius in te quàm in seipsis cognoscemus. Iam ergo amorem quæramus quo ad hanc sapientiam peruenitur, & modum desiderio scientiarum naturalium imponamus.

Quid medio gloriæ lumine visuri beati.

CONTEMPLATIO XII.

De incomprehensibilitate Dei.

Magnus es consilio, & incomprehensibilis cogitatu. Ieremiæ 32. 19.

1. PVnctum. O Deus meus inuisibilis, tu es incomprehensibilis. Nam licèt beati dono luminis tui te facie ad faciem intueantur, attamen nullo modo te comprehendunt. Quid est comprehendere? nónne cognoscere rem quantum cognoscibilis est; & per cognitionem ad finem essentiæ eius & perfectionis venire? Sed tu finem non habes, omnino perfectione infinitus es, & infinitè cognoscibilis. Non ergo poteris ab intellectu creato & finito comprehendi, & ei vsque ad vltimum (quod non est) tuæ perfectionis patefieri.

Quid sit comprehensio.

Ego quidem in arena positus oculis meis mare clarè video, non tamen comprehendo, quia adhuc supereſt amplius & amplius quod poſſem videre & non video. Ita beatus clarè & perſpicuè te videt, & amplius & amplius perfectionis & pulchritudinis eſt quod non videt. Meritò dixit ille ad quemdam amicum tuum de te: Forſitan veſtigia Dei comprehendes, & vſque ad perfectum omnipotentem reperies?] Quaſi diceret: nullo modo. Verè enim nemo poterit rationes prouidentiæ tuæ ad plenũ inueſtigare, & omne quod habes inuenire.

Iob 11.7.

Ex Richard.4. de contem.c.17.

2. Multa de te affirmamus, ô Domine, quæ planè incomprehenſibilia perſpicimus. Te credimus verè ſimplicem, & ſummè vnum, & in hoc ſimplici & vno bono, quod tu es eſſe omne bonũ. Quantum ad eſſentiam nihil te ſimplicius, quantum ad efficaciam nihil te multiplicius. Nihil ergo incomprehenſibilius. Te fatemur immenſum & infinitum, & ſimul vnum ac ſimpliciſſimũ, quoniam compoſitum eſt partibile, & ex conſequenti commutabile. Tu autem ſummè bonus incommutabilis es, vnde & ſimpliciſſimus es. Si autem nihil te ſimplicius, nihil ergo eſt te ſubtilius, & quo nihil ſubtilius, nihil profundius: & profundiſſimo nihil inſcrutabilius, atque adeò nihil incomprehenſibilius. Si omne bonum in te eſt, & quidquid in te eſt ſummè bonũ eſt. Igitur in te ſumma ſapientia, ſumma poteſtas, ſumma bonitas, ſumma fœlicitas. Vbi verò ſumma ſimplicitas eſt, totum quod eſt, vnum idémque ipſum eſt. Vnum itaque eſt tibi eſſe, & viuere, & intelligere, & poſſe, & bonum ac beatum eſſe. Hoc autem quàm incomprehenſibile. Tu Domine omnia potes, & vbique potes. Potentialiter ergo vbique es vbi locus eſt, & vbi locus non eſt. Si verò potentialiter, & eſſentialiter, quia in te non eſt aliud potentia, & aliud eſſentia. Eſſentialiter ergo es intra omnia, extra omnia, infra omnia, & ſupra omnia. Si intra omnia, nihil ſecretius; ſi extra omnia, nihil te remotius; ſi infra omnia, nihil te occultius; ſi ſupra omnia, nihil te ſublimius. Quid ergo te incomprehenſibilius, quo nihil intimius, nihil remotius, nihil occultius, nihil ſublimius. Item ſi in omni loco es, nihil te præſentius: ſi extra omnem locum, nihil te abſentius. Sed ſi abſentiſſimo nihil eſt præſentius, & præſẽtiſſimo nihil eſt abſentius. Quid te mirabilius, quid incõprehenſibilius? Quidquid ergo de te dicamus, id totum omnino incomprehenſibile reperiemus.

Deus ſeipſum cõprehẽdit.

3. Tamen tu Domine, qui incomprehenſibilis es à temetipſo comprehenderis. Non quidem ac ſi aliquo à te diſtincto capias teipſum, aut finem aliquem tuæ perfectionis attingas. Sed quia te totum & omnino cognoſcis quantum cognoſcibilis es. Nam virtus tua intelligendi æqualis eſt eſſentiæ & perfectioni tuæ. Nihil ergo eſt in te, quod non clarè videas, & quantum cognoſci poteſt non cognoſcas. Hæc autem eſt vera comprehenſio, non quaſi ad finem infiniti perueniens, ſed quaſi nihil infiniti abſconditum relinquens. Ob hanc incomprehenſibilitatem tuam à te comprehenſam benedico te Domine, & te quem in exigua menſura cognoſco, ſine menſura amare concupiſco.

CONTEMPLATIO XIII.

De ineffabilitate Dei.

Quod nomen eius, & quod nomen filij eius, ſi noſti? Prouerb. 30.4.

1. PVnctum. O Deus meus incomprehenſibilis, tu etiam es ineffabilis, ac nullo nomine perfectè explicabilis. Res enim ita nominamus, ſicut eas cognoſcimus atque concipimus. Te autem non poſſumus plenè & perfectè cognoſcere, quia infinitus es, nos verò finiti. Ergo nec poſſumus nomine aliquo, immo nec infinitis nominibus circumſcribere. Te decet, ô Domine, hymnus in Sion, vel tibi ſilet hymnus in Sion: quia quantumlibet laudationes excreſcant, quia numquam tuam maieſtatem exequant, immo in infinitũ exceduntur, pro rudi ſilentio reputantur. Multa quidem nomina inuenimus, quibus te nominaremus, at illis prolatis, & vi ac ſignificatione eorum probè cognita, ſemper ineffabilis manes, quoniam adhuc inexplicatus exiſtis. Sicut enim non poſſumus te perfectè concipere, ita neque penitus explicare.

Pſal.64. 1.

2. Quamuis autem, ô Domine, ſis ineffabilis ac innominabilis, voluiſti tamen à nobis, aliquibus nominibus nominari, quibus vel noſtras imperfectiones à te remoueremus, vel perfectiones tuas, prout eas concipimus, apponeremus, vel effectus tuos & opera explicaremus. Sic vocaris ſimplex, id eſt, non compoſitus; infinitus, id eſt, nullo fine perfectionis clauſus, immenſus, id eſt, nulla magnitudine circumſcriptus. Sic vocaris ſapiens, bonus, potens, quia in te verè & eſſentialiter eſt ſapientia, bonitas, & potentia, & alia huiuſmodi, maiori tamen perfectione quàm in nobis, nec diſtincta à tua diuina ſubſtantia. Sic vocaris Dominus, creator & iuſtificator: quia nos ex nihilo condidiſti, quia nobis imperas, nóſque ſanctificas. In hoc autem maximè elucet benignitas tua, & aperitur nobis magna occaſio laudationis tuæ, quia, vt te agnoſcamus, & te ad bonum noſtrum colamus, nõ exhorres veſte arctiſſima, & ſeruorum propria, nimirum nominis appellatione circumdari. Nomen enim quaſi indumentum eſt creaturæ quo cognoſcitur, & vna ab alia diſtinguitur. Hoc verò indumento inter nos amictus incedis, & illud propter noſtram vtilitatem admittis.

Varia Dei nomina.

3. Omnium autem nominum tuorum, ô Domine, communiſſimũ ac vulgatiſſimum eſt Deus: quo te regem ac gubernatorem agnoſcimus, ad tẽ que in noſtris miſeriis confugimus, vt tuum auxilium imploremus. Vocaris Deus, à videndo; quia omnia etiam interiora arcana cordis inſpicis: à currendo, quia vt nobis prouideas, & opem feras, quaſi diligenter ſolicitéque diſcurris: ab ardendo, quia amore noſtri, & perfectiſſima dilectione ardes. O magnam lętitiam cordis noſtri! Habemus in te noſtrarum indigentiarum ſolertiſſimum cognitorem; noſtræ imbecillitatis amatorem, & in omnibus proſperis & aduerſis rectorem. Te ergo Deum inuocamus, ante te Deum reuerenter procumbimus, vt in vita & in morte ſubſidium neceſſarium imploremus.

Vnde Deus dicatur.

CONTEMPLATIO XIV.

De veritate Dei.

Dominus autem Deus verus eſt, ipſe Deus viuens, & rex ſempiternus. Ieremiæ 10.10.

1. PVnctum. O Deus ineffabilis, tu es Deus verus, quæ vt primum ac ſupremum numen, ac vniuerſarum rerum principem & ſatorem veneramur, & colimus. Dij gentium falſi Dei ſunt,

& vera dæmonia, aut lapides,& ligná, & res creatæ, quæ oculos habent fictos nimirum, & non videbunt,& os habent, & non loquentur. At tu solus es verus Deus,& naturam habes veri Dei,quod ex Dei veri attributis manifeste colligimus. Deum verum omnes communi consensu putamus,factorem omnium rerum, vbique præsentem, omnia operantem,omnia conseruantem, & gubernantem, qui omnia sua perfectione contineat, qui semper sit, & de nouo nihil adquirat, & summam sapientiam & bonitatem, & potentiam habet. Qui vnus sit, sed non solus propter diuinarum personarum consortium: qui gratiam & gloriam dare possit, & creaturas omnes præter consuetum ordinem, si voluerit immutare. Hæc autem vniuersa in te solam primam causſam quadrant, quam dicimus Deum, & præter te nulli alij conueniunt. Ergo tu es verus Deus, & Dominus, & non est alius amplius. Et extra te non est Deus. Tu formans lucem, & creans tenebras, faciens pacem, & creans malum siue bellum. Tu Domine faciens omnia hæc.

Dei veritas ex attributis colligitur.

Isaiæ 45. 6.

2. Sed quid est verum, Domine,vt videamus te esse verum Deum? Verum dico sine præiudicio alterius meliùs sentientis, quod ita est, quale secundùm naturam esse debet, qualéque ab intellectu non errante iudicatur esse debere, vt verus homo est, qui habet naturam, & essentiam hominis, & quia non errante æstimatore iudicatur homo. Vnde homo pictus, aut per sculpturæ artem effectus est falsus homo, quia nec habet naturam hominis, nec ab eo qui rectè æstimat iudicatur verus homo. Tu autem Domine habes naturam Dei:nam es substantia increata, simplicissima,perfectissima,optima,omne esse & bonum includens, immo & omne esse existens. Talis es qualis tuus diuinus intellectus, qui omnino errare non potest, iudicat esse Deum: immo & talis, qualem intellectus omnium sapientium de rebus bene æstimantium sentiunt Deum esse debere. Es igitur verus Deus cui soli vera latriæ adoratio debeatur.

Quid sit verum, explicatur.

Deus prima & sũma veritas.

3. Nec solùm, ô Deus meus,tu es verus, sed es prima & summa veritas: non solùm quia es causſa & origo omnis veritatis creatæ,verùm etiam quia tuæ diuinæ essentiæ conuenit,quidquid de veritate Philosophi sapienter censuerunt. Veritas,aiunt,est conformitas intellectus ad rem. Intellectus autem tuus,& cognitio tua est infinitè conformis tuæ diuinæ naturæ, & cæteris rebus, sentítque de illa atque de his quod sentiendum est.Hæc igitur cognitio est maxima,& æterna veritas. Cognitio autem tua non est aliud quàm essentia tua, & quàm tu ipse. Es igitur sicut prima & sũma vnitas,ita prima & summa veritas. Tu es virtus magna, & fortior præ omnibus. Omnis terra te veritatem inuocat, cœlum etiam ipsum benedicit, & omnia opera mouentur, & tremunt te, & non est tecum quidquam iniquum. Da obsecro vt semper veritatem amemus,in veritate ambulemus,& secundùm eam vitam instituamus.Amen.

3.Esdræ 4.35.

Contemplatio XV.

De veracitate Dei.

Est autem Deus verax, omnis autem homo mendax.Rom.3.4.

1. PVnctum. O Deus verissime atque sanctissime,tu non solùm es verus in esse naturæ tuæ, & in cognitione intellectus tui, sed etiam verax in sermonibus tuis. Quidquid de te dixisti, quidquid de rebus cœlestibus aut terrestribus, quidquid de his quæ sub terra sunt, verissimum est, & ita à te nobis patefactum est sicut in se est.Non inuenitur in verbis tuis falsitas, in quibus inuenitur summa simplicitas. Es summè sapiens,& ideo non falleris; es summè bonus, & ideo neminem decipis. Ergo quidquid dicis, veraciter dicis. Vocaris misericors & miserator: patiens,& multæ misericordiæ & verax:quoniam quod nobis de te aut de rebus creatis verè patefecisti,ad hoc tendit,vt misericordiam consequamur.

Psal.85. 15.

2. Es verax, ô Domine,quia verum semper loqueris, & quia falsum proferre non potes. Cùm enim verbum tuum verum sit ipsum esse tuum,tic, ut impossibile est te non esse, ita impossibile est te mendacium loqui.Voluntas tua regula est omnis veritatis; quare sicut non vales à tua voluntate discedere, ita neque à voluntate separari. Fidelis semper permanes: negare teipsum non potes. Te autem ipsum negares,& tibi contrarius existeres, si aliquando mendacium loquereris. Commutas interdum labia veracium dum eos errare permittis & suo arbitrio malè vti, at non es author mendacij, quod tu non profers, cùm alios suæ naturæ & conditioni relinquis.

Deus falsum proferre nequit.

2.Tim.2. 13.

Iob 12. 20.

3. Tu verax,ô Domine, nos autem mendaces; quare Dauid in excessu suo,& quando lumine tuo illustrabatur dixit: Omnis homo mendax. Non mendax, quia semper mentiatur; sæpe enim à te adiutus, & gratia tua fultus, & à te doctus verum dicit: sed quia suapte natura ad malum procliuis, sæpe mentitur. Fallitur homo quia ignorans est, fallit quia peccator est,dissimulat se esse,quod non est, quia hypocrita est; vnum dicit, & aliud facit, quia inobediens est. In te autem Domine, nihil est quod fucum aut duplicitatem redoleat,nihil quod ad falsitatem vel fallaciam vergat;nullum verbum quod tramitem veritatis deserat. Si autem homini veraci assentiendum est,quanto magis tibi authori omnis veritatis? Hoc est fundamentum fidei nostræ, quòd tu verax es:eam in nobis adauge. Et siquidem te summum bonum, & infinitè amabile dicis, fac vt ita tuam bonitatem cognoscamus, quòd eam fidelissimè amemus.Amen.

Psal.115. 11, Homo quare mendax dicatur.

Contemplatio XVI.

De fidelitate Dei.

Fidelis Dominus in omnibus verbis suis. Psal. 144.13.

1. PVnctum. O Deus verax, tu etiam es fidelis, quoniam omnia, quæ nobis pollicitus es, sine vllo defectu verissimè imples. Promisisti nobis in Scripturis tuis aduentum & incarnationem filij tui vnigeniti, natiuitatem & vitam eius, passionem & mortem, resurrectionem & ascensionem, & Spiritus sancti missionem, & hæc omnia hactenus verissimè compleuisti. Et quidquid hactenus impletum non est, absque dubio præstituto tempore implebitur. Non tardas promissiones tuas, sed patienter agis propter nos, & res ita ab æterno disponis, vt & verbum tuum vacuum non abeat, & nostra salus effectum sortiatur. Siquidem ergo promisisti sedes Apostolis, & sectatoribus eorum,ita complebis. Et sedebunt super sedes duodecim,iudicãtes tribus Israel. Promisisti per os

Deus fidelis in promissis.

2.Petri 3.9.

Matth. 9.28. Matth.5. 3.

filij

filij tui pauperibus ſpiritu diuitias cœli, mitibus poſſeſſionem tertæ viuentium, lugentibus lætitiam, eſurientibus & ſitientibus iuſtitiam, iuſtitiæ ſaturitatem, miſericordibus miſericordiam, mundis corde viſionem tui, & cætera. Sic igitur facies, & promiſſa affatim ſuppeditabis. Alacriter ergo laboremus pro te Domine, quia mercedem laborum accipiemus, cùm fidelis ſis & ſanctus in omnibus operibus tuis.

Deus fidelis in ſuppliciis inferendis. Gen. 7. 10. Ier. 48. 45.

2. Quemadmodum, ô Deus meus, fidelis es in elargiendis beneficiis, & tribuendis præmiis, ita & fidelis es in inferendis ſuppliciis. Non cadet aliquod verbum tuum ſuper terram ex his quæ aduersùs impios & peccatores prolata ſunt. Minatus eras olim te aquis diluuij vniuerſum mundum propter peccata perditurum. Sic impleuiſti, & tandem venit diluuium & omnia ſubuertit. Cõminatus fueras te vrbem Ieroſolymam & templũ flammis traditurum, & Iudæos gladio aut fame perituros; & reipſa ita impletum eſt; ſic omnino & pœnæ in impios & tranſgreſſores legis tuæ decretæ, niſi emendentur, in eos venient: vt timeamus te, & ſi peccauerimus, de ventura vltione minimè dubitemus.

Erga quos Dei fidelitas maximè eluceat. Pſal. 21. 5. 1. Mach. 2. 61.

3. Maximè autem elucet fidelitas tua, ô Domine Deus meus, erga eos qui in neceſſitatibus & tribulationibus ſuis ſpem ſuam collocant in te. In te ſperauerunt Patres noſtri; in te ſperauerunt & liberaſti eos. Ad te clamauerunt, & ſalui facti ſunt. In te ſperauerunt & non ſunt confuſi. Et ſi cogitemus per generationem & generationem, videbimus quia omnes qui ſperant in te non infirmantur. Sancti tui, & fideles ſerui, ô quanta patrarunt, quanta impedimenta vicerunt, quàm admiranda opera & ſuæ virtutis indicia reliquerunt. Id quidem quoniam ſibiipſis diffidentes omnem ſpem ſuam in te collocarunt; & tu iuxta ſpem ſuam feciſti cum eis, ô Deus fideliſſime, omnem fiduciam meã in te conſtituã, & in his quę obſequij tui ſunt, murum difficultatis in te tranſgrediar. Amen.

Contemplatio XVII.

De bonitate Dei.

Ego oſtendam omne bonum tibi. Exodi 33. 19.

1. PVnctum. O Domine Deus fidelis, tu es naturaliter bonus, & (vt nunc bonitatem morum ſeu ſanctitatem in alium locum reiiciamus) omne bonum. Nam bonum naturaliter eſt, quod habet omnem perfectionem ſibi neceſſariã, quódque aliis eſt conueniens. Tibi autem nihil omnino deeſt, neque deeſſe poteſt, vt ſis ſummus & infinitus Deus. Eſque omnibus rebus factis & poſſibilibus ſummè cõueniens, quia es cauſſa vniuerſorum ea creans atque conſeruans, & in proprium eorum finem deducens. Es igitur ſummum bonum. Pater eſt bonus filio à quo educatur. Tu pluſquam Pater qui rebus omnibus cuncta neceſſaria ſuppeditas. Cibus eſt bonus eſurienti, & potus ſitienti, & veſtis algido, & theſaurus egeno, & ſalus ægroto, & vita defuncto. Tu es omnibus pluſquam cibus, pluſquam potus, pluſquam veſtis, & theſaurus, & ſalus, & vita, quia in te viuunt quæ viuunt, & mouentur, & ſunt: & ſine te dante & cõſeruante & fouente & amplectente nullum omnino eſſe habere poſſunt. Et in tantum ſunt, & habent aliquid perfectionis & bonitatis, in quantum eam participant à te. Et illud eſt melius quod magis ad te appropinquat, illud imperfectius, quod magis elongatur à te: ſi igitur tibi & aliis ſummè conueniens es, conſequitur manifeſtè quòd ſummum bonum es.

Deus nobis multipliciter bonus.

2. Es Domine nõ tantùm ſummũ bonum, ſed omne bonũ, quia in te comprehẽdis omnia bona, & omnem gradum bonitatis, & impoſſibile eſt vt tibi aliquid bonitatis accedat. Tu bonus, & mũdus à te factus bonus: vidiſti enim omnia, quæ feceras, & erãt valde bona. At non maius bonum quàm tu ſolus. Et ſi infiniti mundi meliores & perfectiores crearentur, & quaſi tibi adiecti cogitarẽtur, adhuc non eſſent maius bonum. Quoniam omnis eorum bonitas eminentius & perfectius quàm in ipſis eſt in te: & eatenus eſt bonitas quatenus eſt à te, & per te, & in te. Hæc autem tua bonitas non eſt aliunde tibi adiecta, ſed eſſentialis & propria: quia tu ipſe es. Et ſicut tu es ipſum eſſe, ita es & ipſum bonum eſſe. Alia Domine ſicut à te participant quòd ſint, ita & quòd bona ſint. Et tibi cõparata tam exigua bona ſunt, vt quaſi omnino non ſint. Quare dixit filius tuus, ſecundùm eam naturam quam aſſumſit: Quid me dicis bonum, nemo bonus, niſi ſolus Deus. Nam & eſt à te bonus, & ſecũdùm eſſentiam bonus, & infinitè bonus, & omne bonum. Quid ergo quærimus alia bona prẽter te? Quid diuitias, quid delitias, quid honores, cùm omnia in immenſum abundantiùs habeamus in te? Quid derelinquimus te, ô omne bonum, ô fontem aquæ viuæ, & effodimus nobis ciſternas, ciſternas diſſipatas, quæ continere non valent aquas. Iam ſi bonum appetimus negligamus omnia, & conuertamur ad te.

Bonitas Deo eſſentialis.

Gen. 1. 31.

Luc. 18. 19.

Ier. 2. 13.

3. Es quoque, ô Deus amantiſſime, omne bonum, quoniam in te perfectiſſimè inuenitur omnis ratio boni. Bonum ex ſapientium iudicio, aliud honeſtum, aliud vtile, aliud delectabile. Es quidem bonum honeſtum, id eſt, per te deſiderabile, quia es finis vltimus ſatians nos, & implens deſiderium noſtrum: & ideo propter teipſum, & non alterius gratia debemus te appetere atque diligere. Quin & cùm in infinitum ſuperes omnia bona, es ſuper omnia diligendus. Es bonum vtile ſublatis imperfectionibus, quia in te habemus remiſſionem peccatorum, adeptionem virtutum, infuſionem gratiæ & omnia temporalia, & quidquid nobis neceſſarium eſt, vt teipſum conſequamur. Es tandem bonum delectabile, quia plenus es infinitæ voluptatis; & omnia extra te cum infinito gaudio & voluptate operaris: & nobiſcum iucundiſſimè conuerſaris, & cauſſa es omnis gaudij in creaturis exiſtentis. Sed præcipuè, quia in te mens noſtra vt in molliſſimo ſtratu quieſcit, & verè extra te, nullam requiem, nullum gaudium inuenit. Stultus eſt ergo, qui extra te qui omne bonum es, aliquod ſolidum bonum quærit.

Deus eſt omne bonum.

4. Bonum dicitur diffuſiuum ſui, quod ipſum experimentum oſtendit. Cùm autem, ô Domine, ſis ſummè & infinitè bonus, ſummè etiam teipſum & tua in nos effundis. Communicas te nobis, non vi, non neceſſitate compulſus, ſed ſpontaneè, & liberè; & à propria bonitate incitatus. Non ſpe lucri aut intuitu vtilitatis illectus, qui bonorum noſtrorum non eges, ſed vt nobis benefacias, & tua dona communices. Non ad tempus, ſed ſẽper & abſque vlla intermiſſione, ita vt non ſit momẽtum in quo non bona largiaris. Non auarè, ſed liberaliter, immo & abſque vlla menſura; quia nõ eſt modus communicationis à tua prouidentia diſpoſitus, quem non in tua operatione retineas. Omnes res

Deus ſe ſummè liberè tamen nobis communicat. Pſal. 15. 1.

creatas iuxta ſuam capacitatem bonis imples. Quibuſdam tribuis eſſe corporeum; vt elementis, & cœlis, & ex illis abſque vita compoſitis, & hoc non vnum, ſed in varias naturas ſpeciéſque diuiſum. Aliis eſſe vitale, vt arboribus & plantis, floribus, & fructibus. Aliis eſſe ſenſile, vt animalibus, & piſcibus & auibus. Aliis eſſe intellectuale in innumerabiles ſpecies diſtributum, vt cœleſtibus ſpiritibus. Hæc autem omnia in vno homine comprehendis: cui eſſe & viuere, & ſentire, & loco moueri, & intelligere tribuiſti. Et ſi hæc parua fortè videntur, adiecíſti multo maiora. Nam homini & Angelo gratiam, virtutes & dona ſupernaturalia largiris, & gloria ac beatitudine reples. Soli verò homini, in quo quaſi in compendio omnia continentur, tuum proprium eſſe cómunicaſti, & ad vnionem in perſona Verbi aſſumſiſti. Quin & verbum tuum iam naturæ noſtræ in Chriſto vnitum, in Euchariſtiæ ſacramento omnibus fidelibus donas, vt nemo eorum ſit, qui aliquomodo non tuum eſſe participet. Quid amplius debuiſti facere huic vineæ tuæ animæ meæ vt te perfectè diligeret, & in nullo alio ſuum amorem collocaret.

5. Iam ergo hinc colligam, ô Deus meus, quàm in infinitum ſis appetibilis. Bonum eſt enim idem quod amabile & appetibile, & quod omnia appetunt, & eatenus appetitur, quatenus bonum eſt. Si ergo tu es ſummum bonum, & omne bonum, relinquitur te eſſe infinitè amabilem. Teipſum infinitè diligis, & ſi non eſſet infinitus amor tuus, meritò bonitas conquerer etur, quòd non tantum quantum debuit amari, diligitur. Nullum tamen deſiderium amoris habes in te, quin tantus eſt amor tuus erga te, quanta eſt ineffabilis bonitas tua. Angeli intelligentes hanc immenſam bonitatem tuam, te omnibus ſuis viribus naturalibus & ſupernaturalibus perpetuò diligunt. Nos verò debemus illos imitari, & vt ſummum bonum noſtrum te ſuper omnia & ſupra noſipſos, & ex toto corde, & tota anima, & tota mente diligere. O Bonitas ſumma, da vt huic muneri ſatis faciamus, & ſi non quantum amabilis es (hoc namque eſt impoſſibile) at quantum poſſumus, à tuo amore numquam ceſſemus. Amen.

Deus infinitè amabilis, quia infinitè bonus.

CONTEMPLATIO XVIII.

De pulchritudine Dei.

Confeſſionem, & decorem induiſti. Pſal. 103.2.

1. PVnctum. O Deus meus, & ſummum bonum meum, tu es pulcherrimus, & fons omnis pulchritudinis & decoris. Pulchrum eſt quod viſum placet, quod integrum eſt, quod proportionatis partibus conſonum, & conuenienti luce aut ſplendore circumfuſum. Abſurdum autem eſſet putare, quòd corpora tantùm pulchra ſunt, & non magis in rebus ſpiritualibus inſit pulchritudo; quæ per analogiam quamdam eadem habent quæ in corpore pulchro cernuntur. Tu igitur Domine, qui puriſſimus ſpiritus es, pulcherrimus es: nam & clarè viſus adeò places, vt te intuentes beatos & omnis mali & doloris expertes efficias: & licèt obſcurè per donum ſapientiæ in cõtemplatione viſus adeò formoſus appares, vt contemplanti te omnia huius mundi pulchra, ſordida & deformia videantur. Integer es, nihílque in te eſt quod aut diminutum aut minus perfectum exiſtat. Omnia in te conſona ſunt, cùm pari greſſu vniuerſæ tuæ perfectiones currant, & vſque ad infinitam naturæ tuæ perfectionem procedant. Nec cares luce, immo ipſa lux increata es, & tenebræ in te non ſunt vllæ. Es ergo non ſolùm pulcher & decorus, ſed ipſemet decor ac pulchritudo, quam vtinam aliquando conſpiciam.

Quid dicatur pulchrũ.

2. Reuela tamen, ô Domine, nobis ſeruis tuis ſitientibus te quanta ſit hæc pulchritudo tua? Illa quidem infinita eſt, & ſine vllo limite omnium rerum creatarum pulchritudinem ſuperans. Adeò vt ſicut vnus ſol ſplendidior eſt omnibus lucidis, etiamſi in vnum iungantur: & vnus ignis calidior eſt omnibus calidis: & vnum mare vaſtior eſt omnibus lacunis & ſtagnis; ita & vna pulchritudo tua in immenſum magis quàm hæc vniuerſas omnium rerum, tum viſibilium tum inuiſibilium pulchritudines ſuperet. Hæc ſicut & natura tua, à qua minimè diſtinguitur, æterna eſt, principium & finem neſciens; immutabilis eſt, numquam ætate flacceſcens: generalis eſt, in omnibus perfectionibus, quæ de te conſiderentur, apparens: vbique locorum & in quocumque tempore ſplendens: non ab aliquo participata, ſed eſſentialiter eſſe pulchritudinis habens. Hæc ergo ſola eſt vera pulchritudo propter quam debeant omnia contemni.

Dei pulchritudo infinita.

3. Eſt etiam hæc pulchritudo tua, ô Deus ſuperamandiſſime, fons omnium pulchritudinum, quæ in omnibus creaturis reperiuntur, & abyſſus earum: à qua omnes illæ & infinitæ aliæ, quæ creari poſſunt, obruuntur. Iam cogitatio mea per omnes pulchritudines elementorum, & cœlorum, & mixtorum, & animalium, & hominum, abſque vlla tamen adhæſione diſcurrat. Hinc ad pulchritudines Angelorum, quarum vna maior eſt alia, & nullo numero ab hominibus cogitato comprehenduntur, aſcendat. Alias etiam necdum creatas, quæ tamen in futurum ante mundi finem creabuntur, & alias in infinitum numquam creandas aſpiciat. Hæ omnes vna tua pulchritudine continentur; & comparatione ad reliquam pulchritudinem infinitam, quæ ſupra illas in te eſt, ſunt, velut comparatione maris gutta roris exigua. Si ergo forma vnius iſtarum rerum eſt tam amabilis, vt propter eam fruendam aliquando homines ſenſum & rationis vſum amittant, quid propter te faciendum eſſet, ô ſumme Deus, quomodo eſſes diligendus, & vſque ad deſpicientiam omnium viſibilium & ſuſtinentiam pro te omnium tribulationum adamandus.

Dei pulchritudo omnium fons pulchritudinum.

4. Denique tam admiranda eſt pulchritudo tua, ô Domine Deus meus, vt in viſione & fruitione ipſius, omnium Sanctorum beatitudo conſiſtat. Nulla eſt in rebus creatis pulchritudo, quæ ſi aſſiduè inſpiciatur, non in noſtra conſideratione vileſcat. At te Domine per æternitatem videbimus, & ſpero quia videbo te, & numquam minus formoſus apparebis, numquam res communis, atque vſu videndi ordinaria videberis, ſed ſemper ad te omnia deſideria noſtra raptabis. O quanta pulchritudo, à qua numquam æternis annis mens beatorum amouebitur, & ſemper res noua & mirabilis, & in infinitum amabilis iudicabitur. Quin & tu ipſe, ô Deus, huius tuæ pulchritudinis, & viſione & fruitione beatus. Quæ talis ac tanta eſt, vt non ſolùm creaturam, ſed & te Deum noſtrum ſui copia fœlicem efficiat. Tolle à me quæſo ſtultitiam cordis mei, reuoca me ad ſanam mẽtem,

In quo beatitudo conſiſtat.

vt pro hac tua pulchritudine fruenda omnes huius mundi labores minus quàm momentanei mihi videantur. Amen.

CONTEMPLATIO XIX.

De admirabilitate Dei.

Mirabilis in altis Dominus. Psal.92.4.

1. PVnctum. O Deus meus pulcherrime, verè admirabilis es,& cunctos te & tua considerantes in admirationem rapis, quam non potest aliqua inuestigatio submouere. Admirabilis es in te,admirabilis in operibus tuis, & admirabilis in Sanctis tuis. Admirabilis quidem in te. Quoniam admirabile illud est cuius ratio latet, quod vsitatum non est, quia singulare ac rarum est. Causa autem tui esse, omnes immo & teipsum latet,quia causam non habes, sed omnium causa & principium existis. Et quis etiam rationem tuorum decretorum assequatur,siquidem incomprehensibilia sunt iudicia tua, & inuestigabiles viæ tuæ. Singularis etiam es. Quoniam quis in nubibus æquabitur Domino:similis erit Deo in filiis Dei.Domine Deus virtutum, quis similis tibi? Potens es, & veritas tua in circuitu tuo. Nihil te magis vsitatum (vt ita dicam) quia in te viuimus, mouemur & sumus, & sine te nihil agimus. Nihil te minus vsitatum, quia nemo te clarè cognoscit,& non videbit te homo,& viuet.Nihil te magis commune, cùm numquam à tuo conspectu discedamus.Nihil etiam magis rarum, quia numquam te per sensus experimur. Ergo nihil te mirabilius inuenitur. Altitudini tui esse,quòd nos sustineas,non officit:puritatem tuam,licet vbique sis præsens,immunditia nostra non inficit;si à te discedamus,& à tua amicitia separemur,nihil tibi deficit.

August. epist.191. ad Euodi.

Quid admirabile dicatur.

Psal. 88. 7.9.

Ex Aug. lib. medit.c.12.

2. Verè Domine Deus meus tu es in tuo esse mirabilis,qui es in personis trinus,& in substantia vnus verus Deus omnipotens, vnius simplicis & incorporeæ,inuisibilis & incircumscriptæ naturæ, nihil te superius aut inferius maiúsve aliquid habens, sed per omnem modũ sine deformitate perfectus, sine quantitate magnus, sine qualitate bonus,sine tempore sempiternus,sine morte vita,sine infirmitate fortis,sine mẽdacio verus,sine situ vbique præsens, sine extensione omnia implens, sine contradictione vbique occurrẽs, sine motu omnia transcendens, sine statu intra omnia manens, sine indigentia omnia creans, sine labore omnia regẽs, sine tui initio omnibus initia tribuens,sine tui mutatione omnia mutabilia faciens: in magnitudine infinitus,in virtute omnipotens, in bonitate summus,in sapientia inæstimabilis,in consiliis terribilis,in iudiciis iustus,in cogitationib⁹ secretissimus, in verbis verax, in operibus sanctus, in misericordiis copiosus:erga delinquentes patientissimus,erga pœnitentes piissimus:semper idem,ipse æternus ac sempiternus, immortalis atque incommutabilis:quem nec spatia dilatant, nec breuitas locorum angustat, nec receptacula vlla coarctant, nec voluntas variat,nec necessitudo corrumpit, nec mœsta perturbant, nec læta demulcent. Cui nec obliuio tollit,nec memoria reddit,nec præterita transeunt,nec futura succedunt.Cui nec origo initium, nec tempora incrementum, nec casus finem dabit, sed ante sæcula,& in sæculis & per sæcula in æternum viuis. Hæc omnia te admirabilem satis ostendunt.

3. Es denique Domine admirabilis in operibus tuis. Qui tanta & tam admiranda non ex aliqua, præiacente materia, sed ex nihilo produxisti. Cœlum & terram, diem ac noctem, naturam angelicam & humanam, volatilem, natatilem, gressibilem,& vegetabilem.Tuum velle posse est:tuum dicere facere est. Non indiges duratione temporis, vt aliqua producas, nec ministris & cæmentariis, vt tua opera facias. Nulla cura faciendi solicitaris, sed sine labore,sine distractione, sine mutabilitate omnia perficis.

Deus mirabilis in suis operibus.

4. Licèt autem in omnibus, ô Deus meus, sis mirabilis,& multo magis admirabilis in altis, siue in sanctis tuis. Nam quis non miretur, si attentè consideret, quomodo magnificas eos, & apponis erga eos cor tuum? Quomodo eos diligis,illuminas,inflammas,virtutibus & donis cumulas? Quomodo visitas eos diluculo consolationibus tuis,& subitò probas illos desolationibus, & aduersitatibus immissis. Ipsi sunt infirmi,& imbecilles,& per tam infirma & debilia instrumenta, ô quanta perfecisti.Nam per illos sæpe infirmos sanas,mortuos suscitas,naturã immutas,impios reducis, infideles conuertis,conuersis constantiã in aduersis tribuis, & illos tandẽ sanctos efficis.Tu igitur es Deus admirabilis. Qui facis mirabilia magna solus. Te intellectus meus rerum nouarum amator semper consideret, te voluntas mea diligat,& pro hoc admirabili reliqua vt communia & vilia reiiciat. Amen.

Psal. 67. 36. Iob 7.17. Deus admirabilis in sanctis suis.

Psal.135. 4.

CONTEMPLATIO XX.

De vita Dei.

Cor meum & caro mea occultauerunt in Deum viuum. Psal.83.3.

1. PVnctum. O Deus admirabilissime, tu es Deus viuens,immo & perfectissimus omniũ viuentium.Quare per antonomasiam in Scripturis vocaris viuens. Nam & vigintiquatuor seniores ceciderunt in facies suas,& adorauerunt viuentem in sæcula sæculorum. Et Angelus stans super mare & terram iurauit per viuentem in sæcula sæculorum. Quis est viuens ex communi omnium consensu? Nónne ille qui à semetipso mouetur & operatur? Vnde & calamus hic non viuit,quia nisi ego illum moueo,immotus manet? Ego autem viuo,quia à meipso operor. Et quis perfectissimè viuit? An non ille qui perfectiores actiones vitales habet? Quare perfectius viuit animal quàm planta,quoniam à seipso habet non solùm augeri, sed & sentire,& loco moueri. Et perfectius viuit homo,quàm brutum,quia præter sensum & motum, habet intelligere,& libero arbitrio vti. Tu autem, Domine,à teipso intelligis, à teipso vis quæcumque vis,& à teipso liberè omnia operaris. Non es ergo vt Dij gentium,qui Dij vocantur, & mortui sunt. Sed es Deus perfectissimè viuens, nullum finem extra te quærens,& nihil ab aliquo extraneo ad operandum accipiens. Horrendum est incidere in manus Dei viuentis ad vindictam, sed valde amabile est incidere in manus Dei viuentis ad misericordiam. Quia cùm sis, ô Rex meus,semper viuens, seruis tuis fidelibus semper misericordiam prærogabis.

Apoc.5. 14. Apoc.10. 6.

Quis viuens dicatur.

Deus à seipso intelligit, vult, operatur.

Hebr.10. 31.

2. Nec solùm, ô Deus sanctissime, es viuens, verùm & ipsa vita. In homine anima quidem est vita; corpus verò viuit per animam, sed non est vita:vnde recedente anima cadit. At tu qui simplicissimus

Deus ipſa vita, totius origo vitæ.

cissimus es, es ipſa vita. Vita quæ eſſentialiter viuis. Vita, quæ non ab alio, ſicut anima, & Angelus eſſe habes, ſed à teipſo, & ideo non potes deſtrui, nec cum ipſo eſſe vitam amittere. Vita ſimplex ac pura, quæ totaliter viuis, nec eſt in te aliquid quod non viuat. Vita iucunda & beata, & ab omnibus miſeriis aliena. Vita in cuius participatione poſita eſt omnis viuentium vita. Vita tandem, quæ eſt origo omnis vitæ. Nam apud te eſt fons vitæ, & à te procedit vita naturæ, vita gratiæ, & vita gloriæ. A tua vita virtutes illæ cœleſtes ſuſcipiunt immortalem & glorioſam vitam.

Omnia ſunt in Deo, vt in cauſſa operante & cognoſcente.

3. In tantum, ô Domine, verum eſt, quòd tu es ipſa vita, quòd omnia in te ſunt vita. Quamobrem dixit Apoſtolus & Euangeliſta tuus: Quod factum eſt in ipſo, vita erat. Sunt enim res in te vt in cauſſa non tantùm operante, ſed etiam cognoſcente. Sunt igitur in cognitione tua, ſicut in exemplari omniũ creaturarum; nec ſunt à tua cognitione diſtincta. Cognitio autẽ tua eſt ipſa vita tua. Sunt ergo in te vita, vita increata, vita perpetua. Et perfectiora ac pulchriora ſunt in te, quàm in eſſe ſuo. Meritò itaque diceris Deus non mortuorum, ſed viuentium: quia tibi omnia viuunt, & in te omnia non ſolùm eſſe, ſed vitam habent: nam ſicut in mente ſupremi artificis, non mortua, ſed viua ſicut in exemplari ſuæ perfectionis exiſtunt. O igitur vita vera, vita ſancta, & pura, vita immortalis, & perpetua, tibi vitam meam conſecro, & ex te, per te, & in te in æternum fœliciter me victurum expecto.

De perfectionibus diuinis.

DECAS III.

BONVM eſt nos hîc eſſe, & in contemplatione huius increatæ vitæ manere, & ad hunc fontem vitę accedere, vt in eius lumine lumen eius inacceſſibile videamus. In hoc hoſpitio vitæ manendum nobis eſt, in quo numquam moriemur: & in eo ac per gratiam ipſius decem alias perfectiones huius vitæ ac Dei noſtri conſiderabimus. Primò ergo anima mea meditaberis quòd Deus eſt ſapiens. 2. Quòd eſt omnium artifex. 3. Quòd eſt conſiliarius. 4. Quòd eſt lux. 5. Quòd eſt illuminans. 6. Quòd eſt reuelans profunda. 7. Quòd eſt amator. 8. Quòd eſt zelator. 9. Quòd eſt pacificus. 10. Quòd eſt princeps pacis.

CONTEMPLATIO XXI.

De ſapientia Dei.

A ſæculo vſque in ſæculum reſpicit, & nihil eſt mirabile in conſpectu eius. Eccli. 39. 25.

1. PVnctum. O Domine Deus viuens, & vita animæ meæ, tu es ſapientiſſimus, & Deus ſcientiarum Dominus, & nihil eſt abſconditum ab oculis tuis. Cognoſcis clarè & perſpicuè, immo & comprehendis teipſum: eſſentiam ac ſubſtantiam ſanctiſſimam tuam: bonitatem, potentiam, & vniuerſas perfectiones tuas; perſonas tuas, & quòd es Pater, Filius, & Spiritus ſanctus: conſilia prouidẽtiæ tuæ, cogitationes, decreta & ſtatuta, & quidquid ordinari & ſtatui per totam æternitatem potuit à te. Hæc ſumma pulchritudo, & ſumma veritas, quę tu ipſe es, ſemper obuerſatur ante oculos tuos, ac tu ſolus eam plenè cognoſcis. Quare dixit Apoſtolus tuus: Quæ ſunt Dei nemo nouit, niſi ſpiritus Dei.] Huic contemplationi tuæ iucundiſſimè ſemper intendis, & ea beatus exiſtis. Ex quo homines per gratiam filij tui diſcent, in quo debeant iugiter occupari. *1. Cor. 2. 11.*

Deus ſeipſum cõprehẽdit.

Quæ Deus aperta cognoſcit.

2. Cognoſcis etiam, Domine, apertiſſimè & clariſſimè, & comprehendis omnia genera & ſpecies rerum creatarum, tum viſibilium tum inuiſibilium, in aliquo tempore vel duratione factarum, aut futurarum aut poſſibilium, & quæ numquam eſſe accipient. Omnia hæc nuda & aperta ſunt oculis tuis. Nihilque eſt in eis vel naturæ, vel potentiæ, vel actionis, quod tu non manifeſtè cognoſcas. Vides modum, ſpeciem, & ordinem earum. Modum, quia terminos cauſſarum, & limites rerum cales: ſpeciem, quia earum naturam inſpicis; ordinem, quia ipſarum pondus & propenſionem ad ſuos fines intueris. Iccirco liber Sapientiæ de te ait: Omnia in numero, pondere & menſura, diſpoſuiſti.] Numerus enim ad ſpeciem, & menſura ad modum ſpectat. Ex omnibus his ſapientes huius mundi poſt multos labores & lucubrationes vix aliquid apprehendũt, & cognitis accidentibus vel proprietatibus pauciſſimarum rerum ſubſtantiam attingunt. At tu ad intima cuiuſque ſubſtantiæ penetras, & pertingis vſque ad diuiſionem animæ & ſpiritus, cõpagum quoque & medullarum, & diſcretor es cogitationum & intentionum cordis, & non eſt vlla creatura inuiſibilis in conſpectu tuo. *Hebr. 4. 13.* *Sap. 11. 21.* *Hebr. 4. 12.*

Deus indiuidua cuiuſcũque naturæ cognoſcit.

3. Non ſolùm, ô ſapientiſſime Deus, omnes naturas rerum, verùm & ſingularia ſub quaque natura & ſpecie cognoſcis, tam præterita quàm præſentia, & futura, & poſſibilia. Itaque tu ſcis numerum innumerabilem Angelorum, & ſingulos eorum probè ceu filios agnoſcis, & cogitationes ac affectus eorum, qui in tota æternitate erunt, manifeſtiſſimè comprehendis. Noſcis quot fuerunt, & quot futuræ ſunt circulationes cœlorum, & quæ erit poſtrema quando concentum & harmoniam eorũ dormire facies. Numeras multitudinem ſtellarum, & omnibus eis nomina vocas. Perſpectus eſt tibi numerus fulminum, coruſcationum, & tonitruorum, & cometarum, & grandinum, & particularum niuis, & guttarum pluuiæ, & aliarum impreſſionum quæ generantur in aëre; & non te latet quo tempore hæc producentur, & quibus diei ac noctis temporibus venti ſpirabunt. Nota eſt tibi menſura maris & numerus guttarum aquæ eius, & grana arenæ, & lapillos ac glebas terræ dinumeras. Qui menſus es pugillo aquas, & cœlos palmo põderaſti, & appendis tribus digitis mollem terræ, & liberaſti in pondere montes, & colles in ſtatera. Scis etiam Domine numerum cunctorum hominum à primo Adamo vſque ad vltimum qui naſciturus eſt, & cuiuſlibet in ſpeciali notitiam habes. Quod ſit nomen eius, qui parentes & progenitores, quæ & quanta opera bona, & mala, & cogitationes eius, qui ſtatus, quæ conditio, quod ingenium, & iudicium, & vires, & propenſio eius. Quo die & hora natus eſt, quo die ex hac vita, & qua hora, & momento, & quo genere mortis decedet. Numerum oſſium & neruorum, & medullarum, immo & capillorum capitis cuiuſque dinumeraſti. Breuiter opera omnis carnis, immo & omnis ſpiritus coram te, & non eſt quidquam abſconditum ab oculis tuis. Vtinam noſcas me ex nomine, id eſt, inueniam gratiam coram te, vt me cognitum, & *Iob 38. 37.* *Iſaiæ 40. 12.* *Eccli. 39. 24.* *Exod. 33. 12.*

tuæ prouidentiæ ſubiectum noſcens, omnes in te meas curas proiiciam.

Pſal.138. 6. Dei ſapientia maximè in homine ſplendet. Eccli.23. 28.

4. In hominibus autem, ô Deus ſanctiſſime, oſtenditur maximè inſcrutabilis ſapientia tua. Mirabilis ſanè facta eſt ſcientia tua ex me: confortata eſt, & non potero ad eam. Inueniſti modum ſine labore quo omnia ſuperiora & inferiora in homine comprehenderes, & eum ex corpore & ſpiritu conſtitutum omniũ tuorum operum ſummam manifeſtares. Intueris merita & demerita vniuerſorum hominum, & auxilia hactenus illis data, & vſque ad finem mũdi danda ante oculos habes. Nam oculi tui multo plus lucidiorés ſunt ſuper ſolem circumſpicientes omnes vias hominum, & profundum abyſſi, & hominum corda intuentes in abſconditas partes. Tu à ſapientia gratiam & dona in hac vita, & in futura gradus gloriæ communicandos diſponis. Ac tandem omnia in ſapientia facis, & effundis eam ſuper omnia opera tua, & ſuper omnem carnẽ ſecundùm datum tuum, & præbes eam diligentibus te. Nequaquam illam tibi reſeruas, ſed Angelis & hominibus abunde communicas. A te enim didicerunt admiranda cunctarum artium, ſubtilia ſcientiarum, virtutes medicamentorum: & quidquid homines in genere cognitionis rerum ſupernarum ſeu infernarum didicerunt, à te ſine dubio compararunt.

Pſal.103. 24. Eccli. 1. 10.

In Deo idem ſapientia & eſſentia.

5. Hæc ſapientia tua, ô Domine, non eſt à rebus ſcitis accepta, ſed ex tuamet eſſentia habita. In te namque idem omnino ſunt eſſentia & ſapientia. Non aliunde habes eſſe, & aliunde ſapere, ſed ſicut eſſentialiter es, ita & eſſentialiter ſapiens es. Non habuiſti magiſtrum, nec conſiliarium, nec librum, nec exemplar vnde diſceres. Quis enim adiuuit ſpiritum tuum, aut quis conſiliarius tuus fuit, & oſtendit tibi? Cum quo iniiſti conſilium, & inſtruxit te, & docuit ſemitam iuſtitiæ, & erudiuit ſcientiam, & viam prudẽtiæ oſtendit tibi? Certè nullus. Cùm igitur tua ſapientia non ſit à tua natura diſtincta, ſequitur eam eſſe æternam, immutabilem, profundiſſimam, euidentiſſimam, totam ſimul. Nullius rei quantumlibet antiquæ obliuiſceris, nullius de nouo incipientis nouam, ſed æternam notitiam habes. Non ad hæc nunc, & poſtea ad alia attendis, ſed vniuerſa ſimul perſpicis, tum quæ in aliquo tempore eſſe habent, tum poſſibilia, & cuncta quæ geruntur in mundo, & quæ præceſſerunt, & ſequentur, vides, & ſecreta omnium cordium ſcrutaris. In teipſo vt in ſpeculo clariſſimo omnia quæ ſub tuam potentiam cadunt tranquillè cognoſcis, & non tam ſine labore ego calamum iſtum, quàm tu omnia vides, ordinas, & diſponis.

Isaiæ 40. 13.

Rom. 11. 33.

O igitur altitudo diuitiarum ſapientiæ & ſcientiæ tuæ, quàm incomprehenſibilia ſunt iudicia tua, & inueſtigabiles viæ tuæ. Eia vehementer admiror, & omnia mea tuæ mirabili ſapientiæ & diſpoſitioni committo.

CONTEMPLATIO XXII.

Quòd Deus eſt omnium artifex.

Omnium enim artifex docuit me ſapientia. Sapient.7.21.

1. PVnctum. O Deus ſapientiſſime, tu non ſolùm es omnia ſciens, ſed omnium artifex & inuentor. Tecum enim ſapientia tua, quæ nouit opera tua, quæ & affuit tunc, cùm orbem terrarum faceres. Artifex dicitur ille, qui in mente ſua habet imagines aut exemplaria rerum, ad quorum ſimilitudinem extra ſe opus aliquod effingit. Hic autem modus operandi perfectiſſimus eſt, quo quis priùs intra ſe opus faciendum exprimit, & poſtea iuxta illud quod mente concepit, non coactus, ſed libens extrà producit. Ita ergo tu Domine operaris, cùm ſis omnium perfectiſſima cauſſa, & intra te omnium rerum creatarum exemplaria præhabes. Quare dixit Apoſtolus tuus: Fide credimus aptata eſſe, ſiue aptè diſpoſita, ſæcula, aut ea quæ aliquo tempore fiunt, verbo Dei, vt ex inuiſibilibus rationibus rerum apud te exiſtentibus, tamquam ex exemplaribus viſibilia fierent. Es velut ſpeculum lucidiſſimum, in quo abſque vlla imperfectione vniuerſa repræſentantur. Es vt centrum, in quo omnes creaturæ tamquam lineæ copulantur. Es vt imago pulcherrima, ex qua omnia creata aliquid referunt.

Ex Dion. c.5. de diui. nom.

Opes diuini intellectus.

2. Iam hinc liquet quantæ ſint opes intellectus tui, in quo, ô Domine, omnium rationes continentur. In te ſunt nitidi cœli, ſunt æthera celſa, immenſique maris diſtantia, ſidera vaſta, oceanúſque ingens, depreſsáque tartara terræ. Aquarum curſus & cætera cuncta, quæ fuerunt, quæ ſunt, & quæ poſtea ſequentur, & illud quod in te eſt, vtcumque imitantur. Si theatrum mundi eſt admiratione digniſſimum, in quo orbis partes, imperia, prouincias, & regna, maria & littora, delineata conſpicimus, quàm admirabilis eſt diuina natura tua, in qua ſine errore, ſine confuſione, abſque imperfectione & multiplicitate rerum ſpecies, & ſingularia etiã, prout tibi placuerit, intuebimur. Es tu, ô Deus amantiſſime, quæcumque videmus, quæcumque contemplamur. Non quia ſis quaſi congeries vniuerſarum rerum, ſed quia vnus & ſimplex exiſtens eorum omnium rationes habes. In libro memoriæ tuæ omnes ſcribentur. Dies formabuntur, & ſubducẽtur, & nemo in eis. Nam ibi ſunt omnes dies, & omnia tempora, non diuiſa, ſed vna æternitate contenta.

Pſal.138. 16.

3. Hæ demum rerum rationes, quæ in te ſunt, ô Creator meus, idem omnino ſunt cum tua diuina natura. Non ſunt mortuæ aut corruptibiles, ſed viuentes & increatæ. Omnia enim, quæ in te ſunt, vita ſunt. Non ſunt imperfectæ, ſed perfectiſſimæ, adeò vt creaturarum perfectiſſima rationi ſiue ideæ ſuæ in te exiſtenti cõparata res picta comparatione rei viuentis & veræ eſſe videatur. Sicut enim rudis diſcipulus non poteſt ex toto formam à magiſtro ſibi propoſitam imitari, ita nec creatura poteſt tuam pulchritudinem, niſi valde imperfectè referre. Te ergo, vt ſummum artificem vniuerſorum laudo & diligo, & rationem viri perfecti in te exiſtentem, in me delineare beneficio tuæ gratiæ concupiſco.

Quales ſint rerũ, quæ in Deo ſunt rationes.

CONTEMPLATIO XXIII.

Quòd Deus eſt conſiliarius.

Numquid rex non eſt tibi, aut conſiliarius tuus periit, quia comprehendit te dolor. Mich.4.9.

1. PVnctum. O Deus meus, omnium artifex, idem ipſe qui apud te omnium ideas & rationes habes, hominum quos ad tuam imaginem condis, te fideliſſimum conſiliarium exhibes. In te vno inuenio quidquid in optimo conſiliario deſideratur. Ille namque debet eſſe ſapiens, qui non erret, iuſtus, qui prauis affectibus oculos mentis

Sap.9.9. Quis artifex dicatur.

Optimi cõſiliarij proprietates.

excæcan

excæcantibus minimè subsit: integer, qui liberè & audacter veritatem pandat: potens, qui ad consilium exequendum adiuuet: præsens, quem consilio egens facilè interroget. Hæc omnia perfectè solùm reperiemus in te: quare meritò præ omnibus consiliarius vocaris. Es enim sapientissimus, quem nihil latet, cui aperta sunt omnia, quæ licent & decent. Es iustissimus, & ab effectibus nostris amoris, vel odij, qui te ad minus rectum iudicandum inflectant, prorsus alienus. Es integerrimus, qui neminem metuis, nullius vultum vereris, nec à vero & bono ingerendo retardaris. Es potentissimus, & quod faciendum esse suades, facillimè in nobis facis. Es tandem præsentissimus qui corda nostra inhabitas, & quotiescumque volumus intra nos intrare, te interrogare & audire valemus. Mille ergo pacifici sint mihi, consiliarius verò tu sis vnus de mille.

Eccli. 6. 6.

2. Sed mirum est, ô Deus altissime & verè magne, quàm diligenter huic muneri consiliatoris satisfacias. Omnibus iustis & seruis tuis magnis & pusillis, sapientibus & ignorantibus, perfectis & imperfectis, semper & vbique te consiliarium præbes. Si te interrogent, & ad te pro consilio accedant, interna inspiratione benignè respondes, aut ad Ecclesiam & prælatos vices tui gerentes mittis. Si non interrogent, & interrogare oportebat, tu interiùs animam consilio pulsas, & inspirationibus tuis opportuna suades. In magnis negotiis cõsilium ingeris, & in minimis atque in rebus parui momenti interrogari & suadere non erubescis. Si te aliquando non audiamus, non irritaris, sed ex amore erga nos, iterum & iterum ad consulendum & ad excitandum nos, inspiratione redis. Si te audiamus, gratum habes, & obedientiam nostram præmio afficis, & consilio tuo nos frequentiùs & libentiùs erudis. Loquere igitur Domine, quia audio ego seruus tuus, & tibi in omnibus parere desidero.

Deus se omnibus consiliariũ præbet.

3. Non in bonis & iustis, ô Domine, salutares tuas suasiones contines, sed ad malos & impios illas extendis. Verbum tuum est: Expandi manus meas tota die ad populum incredulum, qui ambulat in via non bona, post cogitationes suas.] Et alio loco: Vocaui, & renuistis; extendi manum meam, & non fuit qui aspiceret. Despexistis omne consilium meum, & increpationes meas neglexistis.] Quamuis autem isti tibi cõtradicant, & consilia tua negligant, illos tamen vocare, & ipsis suadere non cessas. Et in vniuersum omnes ad varia virtutis opera secundùm diuersam vocationem eorum, & iuxta dispositionem prouidentiæ tuæ, consiliis & inspirationibus inuitas. Consiliarius nobis non periit, sed in æternum manet, cui si obedierimus, omnis dolor à nobis abscedet.

Deus etiam malis contulit. Isaiæ 65. 2. Prouerb. 1. 24.

CONTEMPLATIO XXIV.

Quòd Deus est lux.

Deus est lux, & tenebræ in eo non sunt vllæ. 1. Ioan. 1. 5.

Deus lux increata. Gen. 1. 3.

1. PVnctum, O Deus meus & cõsiliarius meus, tu es lux vera, non quidem hæc creata, quæ oculis corporeis cernitur, sed lux increata, quæ oculis mentis à te illuminatis, videtur. Luce hac corporea nihil in corporibus priùs (nam prima die facta est lux) nihil mundius, nihil pulchrius, nihil subtilius, nihil communius, nihil celerius, nihil efficacius inuenitur. Hæc omnia, ô Creator meus, habes lucis propria. Es namque simpliciter primus, quia prima causa & origo omnium creaturarum. Es mundissimus, in quo nihil omnino imperfectionis reperitur, cuius substantia licèt in rebus abiectissimis, immo & in ipsis impiis sit, nullam tamen ex illis immunditiam contrahis, sed omnino purus euadis. Es pulcherrimus, & si delectabile est oculis videre solem, multo delectabilius est te inaccessibilem lucem aspicere. Tu subtilissimus, quia penitus simplex: communissimus, quia omnibus ad esse & auxilium præsens: velocissimus, quia sine mora succurris: efficacissimus, quia potenter ab omni malo eripis. Lux est spiritualis intellectus humanus, siue angelicus, quia omnia cognoscibilia manifestat, quanto magis tu eris lux qui totus es intellectus omnia comprehendens, & vsque ad intima penetrans, & maxima perspicuitate vniuersa cognoscens.

Eccli. 12. 7.

2. Totus, Domine, es lux absque vlla admixtione tenebrarum. In rebus creatis aliquid est caliginis, quia nonnihil est in illis imperfectionis, aut potentialitatis: at in te nihil obscurum, quia nihil imperfectum, nihil potentiæ ad aliquid recipiendum reperitur. Tu Pater es lux, qui lucem habitas inaccessibilem. Tu, ô fili, es lux, quia eras lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Tu, ô Spiritus sancte, es lux, quoniam lumen cordium, & lux beatissima, quæ reples cordis intima tuorum fidelium. Es ô Domine vt splendidissimus sol, vt splendor ex sole prodiens, vt calor fulgidus ex sole & splendore procedens. Ponis quidem tenebras latibulum tuum, sed in te tenebræ non sunt vllæ. Quia hæc caligo non est aliud quàm infinita tua lux nobis inuisibilis propter eximiam & supereminentem substantiæ claritatem: tum inaccessibilis propter immensam splendoris copiam. Totus ergo es lux, licèt ab oculis caligantibus propter eorum imperfectionem non videaris.

Deus lux sine vlla caligine.

1. Tim. 6. 16. Ioan. 1. 9.

Psal. 17. 12. Ex Dion. epist. 5.

3. Res, Domine, à te productæ, quantumlibet sint perfectæ & eximiæ, quia finitæ sunt & limitatæ, lucent quidem, sed non sunt lux. Quare de illo præcursore filij tui, quo inter natos mulierum non surrexit maior, dicitur. Non erat ille lux. Sed ad ostensionem amoris erga genus humanum, hoc nomen lucis quibusdam ex tuis largè communicas. Quibus dictum est: Vos estis lux mundi. Quia videlicet eos elegisti, vt ex cordibus tenebras ignorantiæ disiiciant, & splendorem veritatis effundant, & non solùm verbo sed exemplo aliis præluceant. Et nos beneficio & vocatione tua ex istis sumus, quia illorum munus obimus. Eramus aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino: vt filij ergo lucis ambulemus, & fructum lucis qui est in omni bonitate, & iustitia, & veritate, feramus. Amen.

Matth. 5. 14.

Ephes. 5. 9.

CONTEMPLATIO XXV.

Quòd Deus est illuminator.

Pauper & creditor obuiauerunt sibi, vtriusque illuminator est Dominus. Prouer. 29. 13.

Lucis proprietates.

1. PVnctum. O Deus meus, & lux mirabilis mea, lucem tuam nequaquam in te contines, sed vt sol iustitiæ & sanctitatis eam in omnes lucis capaces abundè diffundis. Sol illuminat inferiora & superiora, & in orbem suum splendorem extendit.

Tu ſimiliter quãuis nihil habeas te ſuperius, quoniam ſupremus creator es omnium, tamen quia à te creata ordinata ſunt, ſuperiora, id eſt, ſpiritus cœleſtes, & inferiora, id eſt, homines mortales illuſtras. Primò itaque illuminas montes æternos, id eſt, Angelos ſanctos,& radio luminis gloriæ roboras intellectus eorum,vt te clarè videant, vt ſe inuicem clarè cognoſcant, vtque ad noſtras miſerias attendant. Quòd ſi illos nullus numerus à nobis excogitatus comprehendit, quis poterit inueſtigare,quàm liberaliter in cœlis munus illuminatoris obeas,& lucis radios impertiaris. Ciuitas illa non eget ſole, neque luna vt luceant in ea: nam claritas tua illuminabit eam, & lucerna eius eſt agnus, vnigenitus filius tuus.

Angeli, montes æterni.

Apoc. 21. 23.

2. Semper etiam illuminator es hominum, ô Deus ſanctiſſime. Nam ante ſcriptam legem, illos ſplendore legis naturalis illuminaſti: quam numquam aufers, ſed perficis: cùm ſignatum ſit ſuper nos lumen vultus tui. In lege ſcripta illuminabas eos per documenta legis illius, per columnàm nubis,& ignis; per oracula Prophetarum, per typos, vmbras, figuras,& ſacrificia:& per continua ſigna, quæ tuæ maieſtatis præſentiam atteſtabãtur. Nunc verò in lege gratiæ, nos per præcepta & conſilia euangelica illuminas, & per vnigenitum filium tuum Ieſum Chriſtũ,quem veritatis & perfectionis magiſtrum accepimus, te dicente: Hic eſt filius meus dilectus,in quo mihi bene complacui: ipſum audite. Ac tandem in omni tempore minoribus per maiores illuxiſti. Nam ſi pauper & creditor occurrant ſibi (pauper eſt ſubditus, qui doctrina eget, & reuerentiam ac obedientiam debet, creditor verò prælatus, qui doctrinã prærogat) vtriuſque tu es illuminator. Hunc illuminas vt recta doceat, & illum per os iſtius, vt quod eſt tibi placitum intelligat.

Deus hominũ illuminator ſemper.

Pſal. 4. 7.

Matth. 17. 5.

Prou. 29. 13.

3. Illud verò, ô Deus, noſtrum captum excedit,quod per teipſum viros ac mulieres in Eccleſia tua virtute conſpicuos, docere & illuminare dignaris. In quibus perfectiſſimè illud impletum eſt: Dabo vniuerſos filios tuos doctos à Domino.] Hoc igitur tu interiùs loqueris, vt ſupra communes homines intelligant mirabilia de lege tua, & perfectiſſima, de præceptis & conſiliis tuis. Illuminans tu mirabiliter à montibus æternis, à ſanctis tuis,turbati ſunt omnes inſipiẽtes corde. Quia cùm illos de rebus diuinis & de doctrina virtutum ſublimia loquentes audiunt,cùm dicta eorum non aſſequantur,eos delirare putant. Sic loquentibus Apoſtolis dicebãt quidam: Muſto pleni ſunt iſti.] Et cùm eos ſanctiſſimè operari conſiderant, & iuxta inſtinctus tuos conuerſari, illuſos & imprudentia dementatos exiſtimant. Non quia imprudentes ſint, ſed quia ſupra humanam prudentiam caput attollunt. Pro hac luce Sanctorum qua illos prouocas non ad impoſſibilia, ſed ad perfecta, gratias tibi ago, & vt infantiam virtutis prætergrediar humiliter poſtulo.

Quòd Deus per ſeipſum illuminari dignetur.

Iſaiæ 54. 13.

Pſal. 75. 4.

Actor. 2. 13.

CONTEMPLATIO XXVI.

Quòd Deus eſt reuelans profunda.

Ipſe reuelat profunda, & abſcondita, & nouit in tenebris conſtituta. Daniel. 2. 22.

1. PVnctum. O Deus meus, lux mea,& illuminator meus, tu es (vt ita dicam, & quæ de tua ſapientia cogitaui concludam) reuelator profundorum. Qui reuelas & eruis profunda de tenebris,& producis in lucem vmbram mortis. Profunda dicuntur myſteria diuinitatis tuæ, & arcana operum tuorum. Vt quòd es in perſonis trinus, & in eſſentia vnus: quòd verbum tuum carne operuiſti,& hominem feciſti: quòd in Euchariſtia non in figura,ſed in veritate eum hominem Deum occultaſti. Hæc & alia profunda tua abſcondita erant in puteo & in horreo Scripturarum. Sicut autem Iacob lapidem ex ore putei amouit, vt greges biberent, & Ioſeph horrea aperuit, vt tempore famis populo frumẽta miniſtraret: ita & per vnigenitum filium tuum ſacras litteras explicuiſti,vt nos cibares pane vitæ & intellectus, atque aqua ſapientiæ potares,& ſcientia tua terram repleres. Id vt in te crederemus, vt te diligeremus, vt tanti maieſtati cognitæ & amatæ ſeruiremus. Hic ergo ſit finis perſcrutationis profundorum tuorum,te ardenter diligere, & fideliter tibi famulari.

Iob 12. 22. Quæ profunda myſteria dicãtur.

Gen. 29. 10. Gen. 41. 56.

Eccli. 15. 3.

2. Reuelas etiam, ô Deus, abſcondita,id eſt,occulta cogitationum & intentionum cordium noſtrorum. Hæc multo magis, quàm ſi in luce meridiana eſſent,manifeſta ſunt tibi. Qui ſcrutaris renes & corda, & das vnicuique iuxta viam ſuam,& iuxta fructum adinuentionum ſuarum. Hæc verò quæ optimè noſti, nunc aliquando ad laudem bonorum,& vituperium malorum,reuelas: lucernam inquam,à te ſapientia & virtute accenſam,licèt reluctantem ſuper candelabrum ponis,& zelum gloriæ tuæ ac deſiderium honoris tui latitantem detegis,vt luceat omnibus, qui in domo ſunt, & ingredientes lumen videant, & qua ſinceritate quærendus ſis diſcant. Econtra verò hypocritas virtutem ſimulantes traducis,& reiicis, & vt deprehendantur facis. De quibus dixiſti: Fumus erunt in furore meo, ignis ardens tota die.] At in nouiſſimo die hæc omnia abſcondita reuelabis, quando ſcilicet illuminabis abſcondita tenebrarum, & manifeſtabis conſilia cordium,& tunc laus erit vnicuique à te. Pone igitur nunc me ante me, vt abſcondita mei cordis agnoſcam, & quod diſtortum eſt dirigam.

Omnes cogitationes Deo reſeratæ. Ier. 17. 10.

Iſaiæ 65. 5. 1. Cor. 4. 5.

3. Denique reuelare ſoles, ô Domine, in tenebris conſtituta,id eſt,futura à ſolo libero arbitrio pendentia, quæ futura contingentia vocãtur. Hæc quoque tu clariſſimè vides antequam fiant,quia ea tua æternitate aſſequeris, & comprehendis, & vt præſentia habes: qui finxiſti ſigillatim corda noſtra,& intelligis omnia opera noſtra. Iſta autẽ tam incertitudinis tenebris inuoluta,tu amicis tuis aliquando reuelas, vt eos tibi amicos & familiares oſtendas. Si enim terrenus rex ſecreta quæ nouit amicis pandit in ſignum amoris,quid cogitandum eſt de te, qui homines in maximam tuam amicitiam extollis. Aliquando etiam pro bono Eccleſiæ,& amicorum tuorum hæc non amicis detegis: qui in nomine filij tui prophetant, & dices illis: Non noui vos. Huiuſmodi igitur abſcondita, ô Domine, ſint apud te, & apud eos quos volueris Mihi ſufficiat pro hac bonitate tua diligere te, & tuam voluntatem in præceptis & conſiliis tuis reuelatam agnoſcere,vt illam ſtrenuè perficiam.

Deus futura contingentia præuidet. Pſal. 32. 15.

CONTEMPLATIO XXVII.

De amore Dei.

Diligis omnia quæ ſunt, & nihil odiſti eorum quæ feciſti. Sapient. 11. 25.

1. PVnctum. O Deus ſapientiſſime, & profundorum reuelator, oſtende mihi obſecro magnitudinem amoris tui, vt eo cognito vehementer admirer, & ſecundùm exiguitatem meam tantæ dignationi vicem rependere curem. Amas Domine teipſum ardentiſſima & iucundiſſima & infinita dilectione ob immenſam bonitatem & pulchritudinem tuam: & quia dignus es infinito amore. Et ſicut tua bonitas tua eſſentia eſt, ita & tuus amor nō eſt aliud quàm tua bonitas & natura. Hoc amore in tua ſubſtantia, ac in tuis perfectionibus complaces tibi, vt in ſapientia, potentia, bonitate. Hoc amore infinitè gaudes, & iucundaris de bonis tuis. Hoc amore omnia extra te propter temetipſum facis, & in te tamquam in finem conuertis, & non aliud quàm teipſum quæris. Hic autem amor tuus ſanctiſſimus eſt, & à peruerſitate illius amoris, quem proprium vocamus, alieniſſimus: quoniam cùm ſis ſummum bonum, & vltimus finis omnium, & cùm omnia ex eo quòd ad te ordinentur, ſuam perfectionem acquirant, debitum eſt vt ea ad te conuertas, & propter temetipſum illa diligas.

Deus ſe diligit amore charitatis & amicitiæ. Ex Dion. Richel. lib. 1. de contemp. art. 74.

2. Hic amor tuus, ô Deus dulciſſime, quo teipſum diligis, amor eſt charitatis & amicitię. Quoniam in te vno Deo ſunt tres diuinæ perſonæ, quæ mutuo amore ſe complectuntur, ſtringunt, intuentur & diligunt. In eiſque omnis ratio veri amoris & amicitiæ reperitur. Nam primò quælibet diuina perſona tua eſt bonitas pura, perfecta, immenſa ac proinde infinitè amabilis. Secundò ſunt tres perſonæ tuæ, ſummè ac planè ſimiles, paris pulchritudinis, ſapientiæ, pietatis, potentiæ, beatitudinis, & in omnibus ſunt æquales, & ſolùm in hoc quòd vna procedit ab alia diſtinctæ. Tertiò ſe inuicem cognoſcunt, & comprehendunt, & quàm intimè & ſummè vna aliam diligat intuentur. Quartò eſt in eis plena bonorum omnium communio, ſuperiucunda diffuſio, & ſempiterna communicatio. Quintò eſt quoque earum ſumma propinquitas: nam omnes idem ſunt eſſentialiter, & filius à Patre, ac Spiritus ſanctus ab vtroque procedit. Sextò habent ſummam concordiam voluntatum, immo trium eſt vna ſola voluntas. Septimò ac tandem hic mutuus amor non heri incepit, ſed æternus eſt, & initium ac finem neſcit. Eſt ergo intra te perfecta charitas, & amicitia iucunda, & grata ſocietas, qua nullo extra te indiges, quem ames, aut à quo diligaris, quia teipſum, quantum es amabilis, diligis.

Deus propter nos irrationabilia diligit.

3. Hoc amore quem erga te habes, ô amator ardentiſſime, excitaris, & ſolicitaris, vt omnes res creatas diligas. Et quidem eas, quæ non ſunt rationis, neque liberi arbitrij capaces, quales ſunt cœli & elementa, & ex illis compoſita, non propter te, qui nullius indiges, nec propter eas, quæ redamare non poſſunt, ſed propter nos homines diligis. Sicut enim pater vnicam habens filiam ſibi chariſſimam, diligit mundum muliebrem eius propter illam, & fœminis amabilia quærit, & emit propter eam: ita & tu hæc omnia creaſti, & dilexiſti (nam tuum diligere benefacere eſt) vt noſtræ indigentiæ ſuccurreres. Quid eſt homo, ô Deus meus, quia memor es eius? Quàm verum eſt quia ipſe debet pro omnibus rebus te diligere, & eas incitamenta amoris facere, & quaſi earum nomine in tui amore exardeſcere, quas eius cauſſa feciſti in ſua natura perfectas.

4. Sed quis capiat, ô benigniſſime Domine, quanto & quali amore ipſum hominem ames? Profectò illum diligis amore amicitiæ in bonorū ſupernaturalium communione fundato. Diligis eum vt imaginem tuam, pluſquam omnia viſibilia, cuius gratia creata ſunt. Diligis nos vt Pater, & pluſquam Pater; quia hic vilem materiam ad formationem corporis miniſtrauit, at tu & corpus, & animā, & quidquid eſt in nobis perfeciſti. Vnde vnigenitus tuus, & per aſſumtionem carnis maior frater noſter dicit nobis: Et patrem nolite vobis vocare ſuper terram, vnus eſt enim Pater veſter qui in cœlis eſt.] Diligis vt mater, & pluſquam mater, quia maioribus doloribus, quàm ſunt dolores matris, in carne Verbi tui perpeſſis tibi conſtitimus. Nam & ais: Numquid obliuiſci poteſt mulier infantem ſuum, vt non miſereatur filio vteri ſui? & ſi illa oblita fuerit, ego tamen non obliuiſcar tui.] Diligis vt ſponſus, & pluſquam ſponſus, quoniam arctiori vinculo gratiæ & donorum noſtras animas tibi aſtringis. Verbúmque tuum eſt ad ſanctam & fidelem animam: Sponſabo te mihi in ſempiternum. Et ſponſabo te mihi in iuſtitia & iudicio, & in miſericordia, & in miſerationibus. Et ſponſabo te mihi in fide. Diligamus ergo te vt filij, & filiæ, & ſponſæ, & omnem noſtrum armorem in te vno collocemus.

Qualiter Deus hominē diligat.

Matth. 23. 9.

Iſai. 49. 15.

Oſea 2. 19.

5. Adhuc multa occurrunt, ô Pater ſuauiſſime, quæ de tuo erga nos amore conſiderem. Nam amas nos infinito amore, eodem nimirum quo teipſum diligis. Non eſt in te actuum multitudo, ſed ſicut vnica cognitione te & alia intelligis, ita vnico amore, qui tu ipſe es, te & omnia, ac inter ea præſertim Angelos & homines diligis. Amor hic tuus æternus eſt: nam ſicut tu ab æterno es, ita & ab æterno nos amas. In charitate, ais, perpetua dilexi te, & ſicut ab æterno teipſum diligis, ita ex æternitate, & antequam mundus fieret, me amore complecteris, & in æternum ab hoc amore non diſcedes. Hæc itaque amicitia, non à me, ſed à te incepit. Et in hoc eſt charitas, non quaſi nos dilexerimus te, ſed quoniam tu prior dilexiſti nos. Amor hic beneficus eſt, nec enim bonum, quod in nobis ames, vides, ſed vt ames præſtas, & amando facis: & eo amas, quia amore bona communicas. Amor hic ſpontaneus eſt. Diligam, inquis, eos. Spontaneè, neque aliquo ad diligendum compelleris, ſed liberè ex bonitatis tuæ immenſitate nos diligis. Diligam te libenter fortitudo mea, & voluntariè meipſum in holocauſtum offeram tibi, quoniam bonum eſt:

Qualitates diuini amoris erga nos. Ier. 31. 3.

1. Ioan. 4. 10.

Oſea 14. 5.

6. Ab hoc amore tuo, ô amabiliſſime Deus, nullum excludis. Omnes (quod ad te pertinet) homines diligis, quot fuerunt, & ſunt, & futuri ſunt. Vis namque omnes ſaluos fieri, & ad cognitionem veritatis venire. Paratúſque es quantumlibet iniquum ad pœnitentiam admittere, & vt verus Pater cum ſtola prima tuæ gratiæ veſtire. Sed ita amore ad omnes extenderis, vt ſingulos non minus quàm ſi ſoli eſſent ames. Ad hoc ſufficit infinitus amor tuus. Meum autem (quia exiguus eſt) à rebus creatis tollam, vt totum in te meum ſummum bonum impendam. Hoc amore ad magna nos effers. Sic enim dilexiſti nos, vt filium tuum nobis vnigenitum dares, vt ſpiritum tuum in nos effunderes; vt ad dignitatem filiorum extolleres. Videte, ait, quidam ex tuis, qualem charitatem dedit nobis Deus, vt filij Dei nominemur & ſimus. Vt nos immenſis gratiæ & gloriæ donis cumulares; vt omnia etiam aduerſa, immo & ipſa peccata, vt cooperarētur nobis in bonum faceres: vtque pro nōbis filium tuum in tanta pro ſalute noſtra

Dei amor omnes amplectitur. 1. Tim. 2. 4.

Ioan. 3. 16.

1. Ioan. 3. 1. Rom. 8. 28.

humilia

humilia deiiceres. Et quia amator vult amari, hoc impensè desideras, vt amemus te cuius caussa nobis præceptum amoris imponis, diligite me ex toto corde,& ex tota anima:& pro hoc amore vitam æternam polliceris,pro neglectu verò eius æternis suppliciis iniquos addicis.

Matth. 22.32.

7. Sed tandem in eo quod cœpimus dicere,Domine Deus, nunc tantisper immoremur. Dilectio tua erga nos vera amicitia est, in qua ea reperiuntur,quę vera amicitia requirit.Hęc accipit ęquales, aut facit, & si interdum non omnino, quia id fieri non potest,tamen proportione quadã perfecit.Hoc autem in tuo erga nos amore contemplor. Descendis enim, & ad nos te demittis,quia nostra curas, & humilia respicis, & nos Deos vocas, & ad participationem tuæ diuinitatis per bonorũ supernaturalium communicationem extollis. Amicitia bona vult amico, & si potest tribuit. Tu verò qui amator potens es,esse & vitam & gaudium,& vniuersa bona naturalia & supernaturalia nobis impertiris. Si quid verò nos tibi offerimus tuum est. Tua enim sunt omnia, & quæ de manu tua accepimus dedimus tibi.Amicitia etiam ex duobus vnum cor,vnam animam efficit.Nos sic tecum vnum spiritum facis, vt pupillam oculi diligis, iucũdissimè nobiscum conuersaris,& post hanc vitam in domo tua nos semper habebis.Huic ego,ô Domine,amori respondeam, & contemtis omnibus rebus, fac obsecro vt perfectè te diligam.

Signa bone & vere amicitiæ.

1.Paral. 29.14.

Contemplatio XXVIII.

De zelo Dei.

Dominus zelotes nomen eius: Deus æmulator. Exodi 34.14.

1. PVnctum. O Deus meus,amator ardẽtissime, quia amor tuus maximus est ad te, & ad nos, ideo transit in zelum, quo illum actum intelligimus, quo aliquis ab eo, quem vnicè amat, omne malum propulsare contendit. Diligis te, & amas gloriam tuam, & ideo magna cura zelas pro ea. Gloriam tuam alteri non dabis, & honorem tuum sculptilibus. Immo vt eam tuearis,falsa simulachra & delubra ipsorum non solùm manu tua, sed & seruorum tuorum virtute demoliris. Homines verò qui hæc statuere & conseruare volunt, destruis, & sibi quod tuum est arrogantes, irrides & in nihilum redigis.Huius zeli plenæ sunt scripturæ tuæ, sufficiat tamen nunc commemorare Nabuchodosoris exemplum,qui cùm sibi ædificationem Babylonis, & regnum Chaldæorum tribuisset, in belluam mutatus est, vt cognosceret quòd dominaris tu excelsus in regno hominum, & cuicumque volueris, donas illud. Ad hoc superbis resistis, & humilibus das gratiam : illos de sede deponis, & hos exaltas, & tibi fidentes non derelinquis,vt pro honore ac gloria tua contra aduersarios pugnes. Hic zelus tuæ gloriæ me comedat, & ad eam propagandam impellat.

Zelus Dei pro gloria propria.

Dan.4. 29. 1.Petri 5.5. Lucæ 1. 25.

2. At ad zelum transeamus, quem geris de animabus illis, quas ad tuam familiaritatem admittis. Custodis eas,& abscondis in abscondito faciei tuę à conturbatione hominum, nequid mali ab illis sustineant. Siquis eas tangit, tangit pupillam oculi tui,nec eum impunitum abire permittis.Quod vel in Maria sorore Mosis videamus aduersùs fratrem murmurãte,quam & verbis & flagello percussisti. Quare, inquis, non timuisti detrahere seruo meo Moysi.Et post amaram increpationem ecce flagelli ictum.Nam apparuit candens lepra quasi nix.Hunc zelum tuum agnoscentes clamant tui: Custodi me Domine,vt pupillam oculi,sub vmbra alarum tuarum protege me. Tu audis & assentiris, circumdũcis eos, & doces & custodis quasi pupillam oculi tui. Iste autem zelus quid à me petit, nisi vt in te confidam,vt tuo obsequio & amori tantum intendam,& penitus obliuiscar mei.

Psal.16. 8. Deut.32. 10.

3. Illud autem, quod maximè proprium est zeli,ô amator ardentissime,velle scilicet sine consortio alterius amari, verissimè in te reperitur. Vis omnino vt perfectissimè & diligentissimè amemus te, & nihil præter te diligamus. Vis vt sponsus zelotypus,ne anima aliquid nisi te, aut propter te,respiciat,ne aliud cogitet,ne vel verbum otiosũ loquatur, & vel minimæ leuitatis in cogitatione, in opere,aut in sermone rationem exigis, & eam absque increpatione & pœna non relinquis. Sæpe, ne anima in alio amorem suum collocet, eam talentis naturalibus nudas, & ab ea dona supernaturelia celas, & in infimo aut certè obscuro loco ponis,sic vt maritus qui zelo vxoris tactus, ab ea vestes pretiosas aufert, & domo exire non sinit. Frequenter etiam pro bono eius, & animarum salute, eam aliis præficis, & in edito loco vt ab omnibus videatur,constituis : sed tu ipse eam comitaris, & tuam præsentiam illi aperis, ne aut in aduersitate cadat,aut in prosperitate superbiat, & te pro aliquo alio derelinquat. Petiuit Moses à te vt ipsum populúmque præcederes, & cum illis ambulares. Respondistique : Et verbum istud quod locutus es faciam : inuenisti enim gratiam coram me.] Sed idem cum anima te non deprecante facis,& eam vt tibi custodias, præcedis,comitaris, & sequeris, & igne zeli tui deuoras, quidquid illi potest officere. Ex his omnibus tantum vis amari. Diligam ergo te, Domine,quæram voluntatem tuam, & faciem tuam semper requiram.

Zeli princeps propietas.

Exodi 33. 17.

Contemplatio XXIX.

De pace Dei.

Tu autem Dominator virtutis cum tranquillitate iudicas: & cum magna reuerentia disponis nos.Sap.12.18.

1. PVnctum. O Domine Deus meus, & zelator omnis boni mei,zelus in te non est admixtus imperfectioni sicut in me.Zelus enim noster animi perturbationem secum affert, in te verò omnem pacem & tranquillitatem habet. Subest tibi cùm volueris posse,& nihil omnino nisi te volente aut permittente accidit,& quod factum est in momento potes destruere. Ideo non turbaris, si aduersùm te,aut aduersùs tuos aliqui insurgant, sed quoad congruit,hominum audacias tranquillus expectas. Cùm autem tempus est obsistendi, & medelam tuis afferendi, & iniquos puniendi, ita resistis & punis exteriùs, vt in summa pace maneas, & interiùs nullo motu, à quo longissimè abes, indignationis efferueas. Catellus aduersùs leonem oblatrat, hic verò quietus transit, quia prorsus nullum malum ab eo sibi inferri timet, & cùm oportet, manum leuat, & quasi nihil agens illum discerpit. Sic vniuersi hostes tui & seruorum tuorum nullius momenti catelli sunt, quos velut irridens,eos absque vlla perturbatione compescis. Respicis terram,& facis eam tremere;tangis montes, & fumigant.

Zelus Dei sine perturbatione. Sap.12. 18.

Psal.103. 33.

Zelus Dei pro iustit.

Psal.30. 21. Zach.2. 8. Num.12. 8.

Ier.7.19. gant.Et per Ieremiam ais:Numquid me ad iracundiam prouocant? Quasi dicas:Non,sed semetipsos in confusione vultus sui.

2. Zelus quoque, quo solus amari vis, & à nobis diligi exquiris,non te inquietat, neque perturbat,sed cum magna pace ad nostram correctionem & custodiam inclinat. Sponsus si ab sponsa non ametur, zelo turbatur, quia non est in sua potestate cor eius emollire,& ad amorem & fidelitatem impellere. At cor nostrum in manu tua, & quocumque volueris, vertes illud: vnde si non diligamus te,i d fit vt libertatem, quam dedisti, custodias, sed cùm volueris mutabis nos,& sine vlla violentia ad tui amorem inclinabis. Sponsa nunc tibi pulsanti *Cant.5. 4.* non aperit,& statim surgit & aperit. Quare? Quia misisti manum inspirationis tuæ per foramen intellectus,& venter affectus eius è vestigio mutatus est, & intremuit ad tactum tuum. Si tam facile animam ad te trahis, etiamsi esses turbationis capax, ex eius abalienatione à te nequaquam turbareris.

Deus omnia cũ summa pace operatur. 3. Vniuersa etiam quæ facis, ô Domine,sine vlla occupatione, & inquietudine, & cum summa pace & tranquillitate operaris. Tua enim capacitas est immensa, tua potestas infinita, vnde non est mihi tam facile os aperire, aut digitum mouere, quàm tibi vniuersa gubernare. Si igitur ego pacem non amitto,cùm oculos aperio aut claudo,cur *Sap.12. 18.* tu perdes,qui in ictu oculi cuncta producis. Quia verò in vindicta solet esse turbatio,ideo de te dicitur,quòd cum magna reuerentia disponis nos.Sicut enim cùm pædagogus filium regis & hæredem regni castigat, cum reuerentia & tranquillitate illud munus exercet;ita & tu quasi reuerenter nos *2.Reg.7. 14.* punis, quia vt filios tuos aspicis, & in virga virorum arguis, atque in plagis filiorum hominum; misericordiámque tuam à nobis non tollis.Ad imitationem tuam (nam in hoc imitari te possumus) *Ex D. Th. opus 62.de moribus diuinis.* pace impleamur, & omnem turbationem in agendo vitemus,quia modica,aut nulla gratia in anima perturbata quiescere potest.

CONTEMPLATIO XXX.

Quòd Deus est author pacis.

Non enim est dissensionis Deus, sed pacis. 1. *Corinth.*14.33.

1. PVnctum.O Deus meus, qui in te summa pace perfrueris,in omnibus à te creatis,author es pacis, ab eisque omnem discordiam submoues, & ea in pace & tranquillitate disponis. Regia tua, cœlestis Ierosolyma, domus est pacis. De qua tuus *Psal. 147.3.* cecinit Psaltes:Qui posuit fines tuos pacem,& adipe frumenti satiat te.] Non solùm ab ea,verùm & à finibus eius bellum relegas, & ciues eius quamuis *Ciues Hierosolyma cælestis summa pace gaudent.* distinctos meritis & præmiis summa animorum consensione concordas. Esurierunt illi in hoc sæculo frumentum veræ iustitiæ, & nunc ad possessionem pacis adipe frumenti, iustitia scilicet absque omni imperfectione satias illos. Quia autem pleni sunt, & nullo bono desiderato carent, quod alij possideant,ideo non est cur inter se aliqua contentione iurgentur. Sunt ibi innumerabilium Angelorum chori, sanctorum Patriarcharum, Prophetarum,Apostolorum,Martyrum,Confessorum, & virginum cœtus summa pace fœderati. Quia tu princeps pacis ita illos charitate deuincis, & in *3.Reg.6. 8.* vnum templum tuæ Maiestatis cogis, vt nec sonitus mallei, aut securis, alicuius dissidij, audiatur in eis.

2. Si autem ex hac domo gloriæ tuæ, ad domum nostræ habitationi destinatam contemplandam descendo,in ea quoque te authorem pacis intueor. Ita enim mundum hunc constituisti, vt ex *Deus author pacis in mundo.* partibus contrariis coagmentatus in summa pace ac quiete subsistat. Terra, & aer, aqua & ignis ob qualitates, ex quibus constant, contraria sunt, sed ita disposita, vt pacem habeant, se mutuò iuuent, & vnam eamdémque domum componant. Mixta ex his quatuor simplicibus corporibus composita pace non carent. Regna quarumdam rerum fecisti indiga, aliarum feracia, vt mutuis commerciis in pace conuenirent. Temporum successiones pacem prædicant, & breuiter vniuersa ad pacem propendunt:quæ cùm sint vestigia tua, ex quibus vtcumque cognosceris, satis indicant te in omnibus pacem amare.

3. Sed in Ecclesia tua, ô Domine, te maximè principem pacis ostendis.Fundasti eam in pulchritudine pacis, in tabernaculis fiduciæ, & in requie opulenta. Misisti Filium vnigenitum tuum vt eam pacificaret per effusionem sanguinis sui, & pacem illi ex testamento relinqueret. Facis in ea, vt habitet lupus cum agno, versutus cum simplici, & pardus cum hædo accubet,& vt vitulus,& leo,& ouis simul commorentur, & homines diuersi status & conditionis cordium amore iungantur. Hucusque hanc pacem antiquis temporibus à te datam legimus, & in præsenti tempore videmus, & in futurum à te custodiendam confidimus. Seruabis enim *Isaia 26. 3.* pacem: pacem,quia in te sperauimus. Sed tandem in perfectis viris, quos tu specialiùs regis, & diligis,tuam præcipuè pacem effudis.His tribuis non *Ex Ambros.2.de Iacob.c. 6.* facilè mundanis moueri, non turbari metu, non exagitari suspicione, non terrore concuti, non dolore vexari, sed quasi in littore tutissimo aduersùs insurgentes sæcularium fluctus procellarum mentem immobilem fida statione placidare. Hoc firmamentum sanctis mentibus Filius tuus Christus inuexit,pacem internam inuehens animis probatorum, vt non turbetur cor nostrum, neque animus exagitetur.Ex his omnibus colligimus te esse principem pacis, & quòd omnis bona pax à te est, & omnis discordia à diabolo est. Da ergo mihi vt sub principe pacis,& in regno pacis pacem amem, & quòd ad me attinet eam cum omnibus habere curem.Amen.

De perfectionibus diuinis.

DECAS IV.

ANIMA per contemplationem pacem inquirens bene in pace Dei,& in vmbra principis pacis ad quiescendum sedet, cuius fructus erit dulcis gutturi suo. Quid enim dulcius pace, & gaudio eius, in quo Dei regnum & beatitudo consistit? Sed postquam Dei tranquillitatem, & amorem eius ad pacem cõsideraverit, & se desiderio pacis imbuerit,alium denarium diuinarum perfectionũ recogitet. Nam Deus 1. est longanimis.2. Misericors.3. Consolator.4. Protector.5. Iustus.6. Loquens iustitiam.7. Rectus.8. Iudex.9. Vltor.10. Terribilis. Et hæc amorem reuerentia & timore ornatum excitabunt.

CONTEMPLATIO XXXI.

De longanimitate Dei.

Domini nostri longanimitatem, salutem arbitremini. 2. Petri 3. 15.

1. PVnctum. O Domine Deus meus, princeps & amator pacis, tu es in longanimitate præcipuus. Hac omnes peccatores magnos, & paruos, diuites, & pauperes, etiamsi immania peccata perpetrent, ad longum tempus expectas. Istâque perfectio est vnum ex vberibus tuis præstantioribus vino, quæ dicuntur longanimitas in expectando, & in donando facilitas. Cùm tantam tranquillitatem habeas, & numquam ex aliquo euentu turberis, nõ statim stomacharis si transgrediamur legem tuam; nõ statim flagellum leuas, vt nos delinquentes percutias; sed patienter sustines, & inuitas nos, vt reuertamur ad te. Das metuentibus te significationẽ, vt fugiant à facie arcus, vt liberentur dilecti tui. Minas intentas. Si acuero vt fulgur gladium meum, & arripuerit iudicium manus mea: reddam vltionem hostibus meis, & his qui oderunt me, retribuam: vt homines auditis his verbis ad tuam misericordiam confugiant. Opibus tuæ misericordiæ & longanimitatis veteris, quibus nos ad pœnitentiam adducis. Et meritò opes vocantur: quoniam sicut dum quis renuit aliquid facere, solet oblatis magnis diuitiis ad faciendum inclinari, ita nos peccantes, & à te fugientes diuturni temporis expectatione reuocas, & licèt serò reuertamur, nos excipis.

Cant. 1. Ex Bern. in Cant. serm. 9. Vnum ex Dei vberibus lõganimitas.

Psal. 59. 6. Deut. 32. 41.

Rom. 2. 4.

2. Quodammodo, ô amator hominum Deus, hæc tua longanimitas magis elucet in expectandis amicis tuis. De iustis namque scriptum est, quòd septies, id est, multoties in die cadunt, & resurgũt: nemóque illorum est, qui non aliquos defectus habeat: multi verò qui defectibus & culpis leuibus quamplurimis sordent. Hi per multos annos quotidie in ferè eadem peccata impingunt, quottidie semel, aut bis, aut pluries ad te pro indulgentia veniunt. Tu verò numquam eis ianuam occludis, numquam cum indignatione repellis, sed compunctione deliniris, in spem erigis, benignè corripis, & per longam vitam sustines, si fortè tandem ad aliquam emendationem redeant. Eos, qui exerrant, partibus, id est, paulatim & sensim corripis, & de quibus peccãt admones, & alloqueris, vt relicta malitia credant in te. Misereris igitur omnium tam peccatorum, quàm iustorum, quia omnia potes, & omnia sunt opera potentiæ tuæ: & dissimulas peccata hominum propter, vel ad pœnitentiam. Parcis omnibus, quoniam tua sunt Domine, & parcis operi tuo, qui amas animas.

Vbi Dei longanimitas eluceat maximè.

Sap. 12. 2.

Sap. 11. 24.

Sap. 11. 27.

3. In quo alio, ô Deus sanctissime, te longanimem reperimus? Profectò in expectandis his obsequiis, quæ non ad emolumentum tuum, sed ad vtilitatem nostram à nobis exquiris. Hortaris nos vt quæcumque iusta, quæcumque sancta & amabilia ad nostram perfectionem arripiamus. Pulsas inspirationibus, inuitas præmiis, prouocas aliorum exemplis. Ego, inquis, sto ad ostium, & pulso. Clamas quasi deforis, cùm intus sis: Aperi mihi soror mea, amica mea, columba mea, immaculata mea. Sæpe dissimulamus, sæpe in aliud tempus responsum differimus, & aliquando omnino resistimus, & dicimus: Absit à nobis, vt ita nos cohibeamus, vt ita à licitis temperemus. Non fornicamur, nec sumus viro; id est, non à te per criminis admissionem auertimur, nec tamen tibi per opera perfectionis adhæremus. Tu autem expectas nos, si quando tuæ vocationi respondeamus. Discam ego ex te, sustinere te quando vocatus statim non ades. Sed illud præcipuè contendam Domine, vt tuæ longanimitati gratus existam, & non ea malè vtar, sed vocationi tuæ, qua me ad vitæ puritatem inuitas, lætus obediam.

Quæ Dei longanimitatem ostendãt.

Apoc. 3. 20. Cant. 5. 2.

Osea 3. 3.

CONTEMPLATIO XXXII.

De misericordia Dei.

Miserator, & misericors Dominus: patiens, & multum misericors. Psal. 144. 8.

1. PVnctum. O Domine Deus longanimis, ita tibi inest misericordia, vt de ea magis, quàm de aliis perfectionibus glorieris. Hæc est pretiosissima gemma, quę te nimis amabilem & laudabilem facit, & tibi soli perfectissimè conuenit. Alij enim misericordiam quidem exercent, sed aliquam miseriam habent. In te autem nulla est miseria, sed infinita fœlicitas, & non hanc tantùm, aut illam, sed omnem prorsus miseriã depellere potes. Omnium igitur creaturarum misereris, & ab omnibus & singulis earum perpetuò aliquam miseriam, vel naturalem, vel voluntariam, id est, propria volũtate contractam submoues. Vnde sicut mũdus est theatrum quoddam omnis miseriæ, quia cuncta in eo ex se ad non esse tendunt, & multa aliquem defectum patiuntur: ita etiam est theatrum quoddam infinitæ misericordiæ tuæ, qua vniuersa in esse conseruas, & à multiplici miseria liberas. Hoc autem dupliciter, vel præueniendo creaturas ne in miseriam cadant, vel postquam ceciderint, eas subleuando, ne in miseria permaneant. Est, inquam, hæc misericordia infinita, quia æqualis omnipotentię tuę. Duo enim hæc audiui, quia potestas Dei est, & tibi Domine misericordia. Hæc omnipotens est, quia omnibus subuenit, & illa misericordissima, quia nulla creatura est, cui subuenire non velit.

Mundus theatrũ totius miseriæ & diuinæ misericordiæ.

Psal. 61. 13.

2. Hanc misericordiam tuam, ô Domine, quasi per partes cernamus. Ea omnem miseriam naturalem vniuersarum creaturarum, siue rationis capacium, siue rationis expertium depellis, & pronus es vt omnium miserearis. Rebus creatis, sensu & vita carentibus quasi eleemosynam elargiris, quia eas in esse conseruas, & iuxta suam naturam perfectionibus imples. Ideo vocaris pluuiæ pater, & guttarum roris genitor, quia eas à ianua tuæ miserationis vacuas non reiicis. Rebus viuentibus, vt arboribus, & plantis, vitæ & alimenti stipem impertiris. Et melior est misericordia tua super vitas: quia postquam vitam omnibus viuentibus præbuerit, in infinitum quod effundat habet. Animalium nõ obliuisceris, qui das iumentis escam ipsorum, & pullis coruorum inuocantibus te: & parcis Niniuæ ciuitati grandi, quia sunt in ea multi homines, & iumenta: & homines & iumenta saluabis, quemadmodũ multiplicasti misericordiam tuam. Hominibus autem quàm benignè succurris, eos à periculis liberando, eorum ægrotationibus medendo, & quo reficiantur, & induantur, & protegantur affatim præbendo. In hoc miserator es, & misericors. Miserator, quia eos clamantes exaudis: misericors, quia bona postulata elargiris. Omnes ergo mendici tui sumus, ad ianuam tuam aliquid expectantes stamus, coram te prosternimur, nec frustrà; quoniam quæ opus sunt nobis ad miserias

Dei misericordia erga corporalia.

Iob 38. 28.

Psal. 62. 4.

Ps. 146. 9.

Ionæ 4. 11. Psal. 35. 8.

noſtras depellendas accipimus.

Dei miſericordia erga animas. Pſal.50. 1.

3. In ſubleuandis verò miſeriis animarum noſtrarum, ô Domine, appares non iam miſericors, & miſerator, ſed plane multum miſericors. Miſereris noſtri ſecundùm magnam miſericordiam tuam, & ſecundùm multitudinem miſerationum tuarum deles iniquitates noſtras. Tu nos peccaris ſordentes ad egrediendum è captiuitate dæmonis inuitas, & vocas. Niſi enim tu inchoares, & manum de álto mitteres, quis poſſet miſeriam peccati relinquere. Contritionem & odium peccatorum præbes, gratiam & virtutem infundis, tentationes vincis, ad perſeuerantiam accendis. Obliuiſceris iniquitatum noſtrarum, & citò anticipant nos miſericordiæ tuæ, quia pauperes facti ſumus nimis. Aufers iniquitatem, & tranſis peccatum reliquiarum hæreditatis tuæ; non immittes vltrà furorẽ tuum, quoniam volens miſericordiam es. Reuerteris, & miſereberis noſtri: depones iniquitates noſtras; & proiicies in profundum omnes iniquitates noſtras. In hoc certè es multum miſericors, quia à nobis peccatũ, sũmam ſcilicet miſeriã tollis.

Pſal.78. 8.

Michæa 7.18.

Dei miſericordia erga iuſtos, Rom. 9. 23.

4. Quis tamen non obſtupeſcat, ô Deus meus, ſi tuam erga iuſtos miſericordiam conſideret. Hanc iam non magnam, ſed maximam & ineffabilẽ appellabimus. Eos enim feciſti vaſa plena miſericordiæ, ſeu inſtrumenta ad declarandas tuas miſerationes, quæ tua bonitas præparauit in gloriam. Miſericordia tua erga iuſtos & ſanctos æterna eſt. Ideo cecinit Dauid: Miſericordia Domini ab æterno vſque in æternum ſuper timentes eum.] Ex quo enim tu es Deus, decreuiſti cum eis miſericordiam facere, & per totam æternitatem protelare. Continua eſt. Nam ab eo momento, in quo eos creas, ſemper bona, quibus eorum miſeriæ ſubleuentur, erogas. Vocas eos vt iuſtifices: iuſtificas vt magnifices: magnificas vt in æternum glorifices. Si aliquid boni faciant, præuenis, comitaris, & ſubſequeris eos. Charitate perpetua dilexiſti illos, ideo attrahis ipſos ad te miſertus illorum. Tandem abundantiſſima & altiſſima eſt, qua non ſolùm à ſumma miſeria illos extrahis, ſed in ſummam gratiæ & gloriæ dignitatẽ extollis. Verè magna eſt ſuper cœlos miſericordia tua, quia ibi ita opera miſerationum tuarum exerces, vt nihil miſeriæ relinquas in tuis. An non magna & maxima, cuius gratia filium vnigenitum tuum exinaniri voluiſti? Certè ille carnem noſtram induit, vt non ſolùm quoad opus, ſed etiam quoad affectum noſtri miſereretur. Denique debuit fratribus aſſimilari, vt miſericors fieret. Hæc miſericordia impulit eum pro nobis pati, pro nobis mori, pro nobis eſcam hominum fieri, pro nobis munus præceptoris, medici, & redemtoris obire.

Pſal.102. 17.

Rom.8. 30.

Ierem.31. 3.

Pſal.107. 5.

Hebr.2. 17.

Dei miſericordia ſuper omnia eius opera. Iacobi 2. 13.

5. Tandem hanc miſericordiam tuam, ô Domine, effundis ſuper omnia opera tua. Adeò vt & ipſa iuſtitia, & vltio iniquitatum non ſit operibus tuæ miſericordiæ vacua. Miſericordia hæc ſuperexaltat iudicium. Nam & iuſtitiam præcedit, quia antequam in peccatores animaduertas, eos tuis miſerationibus ad emendationem inuitas. Et eam comitatur, quoniam adhuc in ipſo inferno citra condignum punis. Et eam ſubſequitur, nam iniquos percutis, vel vt ipſi corrigantur, vel alij timeant, & emendentur. Et ſuſtines vaſa iræ in multa patientia, vt oſtendas diuitias gloriæ in vaſa miſericordiæ. Non ſolùm igitur te ob hanc miſericordiam diligamus, ſed in miſeros ſecundùm modulum noſtrum miſericordes ſimus, qui tantam à te quottidie miſericordiam recipimus.

Rom.9. 23.

CONTEMPLATIO XXXIII.

Quòd Deus eſt conſolator.

Idcirco ego plorans, & oculus meus deducens aquas: quia longè factus eſt à me conſolator, conuertens animam meam. Thren. 1. 16.

Duplex modus cõſolãdi aliquem.

1. PVnctum. O Domine Deus miſerator, & miſericors, tu es verus animarum conſolator, qui eas refocillas atque ſuſtentas. Conſolatur aliquis mœrentem, tum ſilentio, tum verbis. Silentio quidem, illi ſe aſſocians, illi aſſidens, & coram illo affectum compaſſionis induens. Sic conſolati ſunt Iob primò amici ſui. Qui ſederunt cum eo in terra ſeptem diebus, & ſeptem noctibus, & nemo loquebatur ei verbum. Verbis verò, cùm leniter & ſuauiter loquens, quaſi oleo vlcera mentis perungit, & ſaltem ex parte dolorem auertit. Vtroque autem modo te mœrentis animæ conſolatorem exhibes. Aſſiſtis illi blandiſſimè, & abdito quodam modo te præſentẽ, & benignis oculis eius triſtitiam & cauſſas aſpicientem oſtendis. Appropinquauerunt perſequentes me iniquitati: à lege autem tua longè facti ſunt. At propè es tu Domine vt mihi ſubſidio ſis, & vt me tua præſentia conſoleris. Sicut enim puſio ſola matris, aut nutricis preſentia lacrymas & ſingultus ponit; ita & anima viuida apprehenſione præſentiæ tuæ, qui es plus quàm mater, & nutrix, omnem mœrorem reiicit. Interdum in intimo ſpiritus verba quædam proloqueris, quibus tenebras & caliginem triſtitiæ deſtruis. Dicis animę meæ: Salus tua ego ſum. Cur fles, & quamobrem affligitur cor tuum? Numquid non ego melior tibi ſum quàm decem filij, & quàm omne id, quod concupiſcis? His aut ſimilibus verbis opportunè dictis ita nouiſti animam conſolari vt momento temporis eam in magna tranquillitate conſtituas.

Pſ.118. 150.

Pſal.34. 3. 1.Reg.1. 8.

Quis imperfectus, quis perfectus cõſolator.

2. Imperfectus tamen conſolator eſt, ô Domine, qui compaſſione ſolùm, & verbis ſolatur: ille verò conſolator eſt verus, atque perfectus, qui mala & aduerſa mœrorem inferentia tollit, & deſiderata concedit. Id tu ſolus & facere potes, & facis, qui deſideria affligentia imples, & malum omne depellis. Diſcruciat nos peccatorum multitudo? Sed ea poſt lacrymas & gemitus noſtros immiſſa hilaritate, & mentis tranquillitate à te dimiſſa eſſe teſtaris. Conſolare, ais, conſolare, ô populę meus, quoniam completa eſt, & finem habuit malitia tua, dimiſſa eſt iniquitas tua. Affligit ruina ex peccato relicta? Hanc tu ſubmoues. Et conſolaris populum tuum, ac pauperum tuorum miſereris; & cõſolaris omnes ruinas eius; & ponis deſertum eius, quaſi delicias, & ſolitudinem eius quaſi hortum Domini; quia quæ peccatum deſtruxit in ſanctis tuis centuplicata reſtituis, facíſque eos ſępe poſt caſum feruidiores, & ſanctiores. Contriſtant huius mortalitatis ærumnæ, & corporis cui inuiti ſeruimus dura neceſſitas? Iſtam quoque, vt oportet, relegas, & facis vt caro paucis & communibus reficiatur. Et in conuertendo hanc captiuitatem Sion animæ noſtræ, quam corporis ſeruitus conficit, facti ſumus ſicut conſolati. Vt magnitudinem conſolationis, quam ex libertate experimur, vix credibilem cenſeamus. Tandem dolorem affert exilium huius vitæ, à qua ad patriam irę cupimus? Sed hic ſpe aſſequendi regni cœleſtis eluditur? Quando iterum filius tuus veniet, & aſſumet nos ad ſeipſum, & gaudebit cor noſtrum, & gaudium noſtrum nemo

Iſaiæ 40. 1.

Iſaiæ 49. 13.

Iſaiæ 51. 3.

Pſ.125. 1.

Ioan.16. 22.

tollet à nobis. Itaque tu, qui mala dolorem afferentia tollis, es qui verè & perfectè animam cõsolaris.

3. Hæc, ô Deus benignissime, communia sunt omnibus accurrentibus ad te. At animas sanctas ita consolationibus imples, vt totus in consolandis & fouendis illis positus esse videaris. Introducis eas in cellam vinariam contemplationis magnitudinis tuæ, & ordinas in eis charitatem, vel sub vexillo charitatis statuis, vt nihil nisi dulcedinem amoris sapiant, nihil nisi huius vini suauitatem concupiscant. Inebriantur ab vbertate domus tuæ, & torrente voluptatis potas eas. Adeò vt non tantùm illæ, verùm & infirma caro exultet in Deum viuum. Es ergo in illis fons suauitatis, & origo dulcedinis, quas lacte consolationis tuæ ab omni cõsolatione terrena abalienare dignaris. Declinas super eas, quasi fluuium pacis, & quasi torrentem inundantem gloriam gentium quam sugunt. Ad vbera portantur à te, & super genua blandiris illis. Quomodo si cui mater blandiatur, ita & tu consolaris illas. Meritò itaque consolator diceris, & planè desipit, qui extra te veram consolationem quærit.

Qualiter Deus sãctas animas consoletur. Cant. 2. 4.

Psal. 35. 9.

Psal. 83. 3.

Isaiæ 66. 12.

CONTEMPLATIO XXXIV.

Quòd Deus est Protector.

Protector est omnibus exquirentibus se in veritate. Eccli. 2. 13.

1. PVnctum. O Deus meus, & consolator meus, nos qui tot aduersariis tum visibilibus, tum inuisibilibus cingimur, protectore ad euadendum indigemus. Hoc autem munus nulli demandasti, sed tu ipse protector noster esse voluisti. Nemo est ex his qui in te confidunt, qui intra se non audiat te loquentem: Ego protector tuus sum, & merces tua magna nimis: vt si ad tantam mercedem obtinendam non sufficis, à meipso, qui merces sum, ab obsistentibus protegaris. Super omnem gloriam, ideſt, super omnes viros glorioſos, protectio tua. Immo ideo viri iusti & sancti glorioſi sunt, quia tu eos tegmine tuæ protectionis obumbras, ne in vilia & ignobilia degenerent. Hæc protectio est illis in vmbraculum diei ab æstu: nam ea in die fœlicitatis à superbia defenduntur. Et in securitatem & absconsionem à turbine, & à pluuia, id est, à tentatione, & aduersitate, quæ in hac vita solet insurgere. Nisi enim tuos protegeres, nec à malo & miseria possent egredi, nec in bono cœpto stare, nec ad brauium per perseuerantiam in bono peruenire.

Gen. 15. 1.

Isaiæ 4. 5.

Dei protectio vmbraculum ab æstu.

2. Sed vbi, ô Deus meus, nos protegis? In omni loco, vbique laquei sunt, vbique decipulæ, in quas minus cogitantes impingeremus, nisi eas tua protectio interdum detegeret, interdum verò nescientibus nobis præcideret. Et quando nos defendis? In omni tempore: semper namque diabolus, vt leo rugiens circuit quærens quem deuoret. Aquo absque dubio vigilantes, aut dormientes discerperemur, nisi tu, ô refugium nostrum, nos vndequaque circumdares. Et à quibus malis tueris? Ab omnibus tum mentis, tum corporis: nullúmque (nisi te faciente) peccatum, nullum morbum, aut aduersitatem euadimus. Sed quo protegimur? Certè respectu benignitatis tuæ. Nam vt rex potentissimus nos quasi in tuum cubiculum recipis, & ante oculos habes, vt à malis imminentibus tuearis. Abscondis nos in abscondito faciei tuę, id est, respectu oculorum tuorum, qui vicem habet loci tutissimi, à conturbatione hominum. Abscondis nos in tabernaculo tuo (nam si nos respicis ad misericordiam, quasi in adytis templi sumus, licèt in mediis hostibus demoremur) & in die malorum protegis nos, quasi in abscondito tabernaculi tui. Esque nobis in Deum protectorem, & quasi in locum refugij vt saluos nos facias. Verè vita nostra abscondita est cum Christo in te: quam veluti in sinu tuo gestas, ne ab aliquo irrumpente lædatur. Et quo alio protegis nos: Profectò armis gratiæ tuæ, & gladio, quo pugnamus lucis tuæ & donorum tuorum. Creas super omnem locum mõtis Sion, id est, Ecclesiæ tuæ, qui sumus nos, vbi inuocatus es, nubem gratię per diem, & fumum, & splendorem ignis per noctem (splendor enim sine fumo seruatus est in diem æternitatis) vt nullum sit tempus, in quo tua nos protectio amabilis derelinquat.

Deus nos semper & vbique protegit.

Psal. 30. 21.

Psal. 26. 5.

Psal. 30. 3.

Col. 3. 3.

Isaiæ 4. 5.

3. Soles etiam, Domine, res abiectas, & infirmas, instrumenta tuæ protectionis facere, & illis nos à magnis miseriis protegere. Populum tuum per Dauidem adolescentulum liberasti, qui vno lapide Philisthæum in fronte percussit, & interemit, & vniuersos hostes tuos in fugam dedit. Ipsum Dauidem, quem Saul ad necem insequebatur, aranearum telis abscondisti. Qui cecinit: Clamabo ad Deum altissimum: Deum, qui benefecit mihi. Quâ tamen arte benefeceris, Chaldæus sic expressit: Ad Deum, qui præcepit araneæ, vt conficeret in ore spelunce telam ad defensionem meam. O telam omni muro firmiorem, quia ea voluisti etiam iterum Fœlicem Nolanum ab aduersariis defendi. Ioam industria Iosabæ infirmę mulieris, Susannam voce Danielis pueri iunioris, & alios similibus mediis voluisti à nece liberare. Cùm enim omnipotens sis, eque facile est tibi saluare nos siue in multis, siue in paucis. Sub tegmine igitur alarum tuarum speremus, & te protectorem nostrum aspicientes amore tuo ardere, & tibi placere curemus, nostri autem (siquidem tibi cura est de nobis) penitus obliuiscamur.

1. Regum 17. 49.

Psal. 56. 4.

4. Reg. 11. 2. Dan. 13. 45.

CONTEMPLATIO XXXV.

De Iustitia Dei.

Iustus Dominus, & iustitias dilexit, æquitatem vidit vultus eius. Psal. 10. 8.

1. PVnctum. O Deus meus, & amabilissime protector meus, iustitia tua sicut montes Dei; nihil est tam altum, quò ipsa non ascendat; nihil tam profundum, quò non se demittat, vt omnia in æquitate disponat. Habent creaturæ tuæ certam naturam à te acceptam, & conuenientes vires, ac potentias à te donatas, quibus vt conseruentur, & vt operationes eliciant, certus concursus, & influxus tuus necessarius est, immo supposita ordinatione & pacto tuo debitus, sine quo nihil omnino queunt efficere. Hunc tu perpetuò omnibus impertiris, ita vt nulla sit creatura, neque in cœlo, neque in terra, neque infra terram, cui hoc totum subsidium vmquam defuerit. Quòd si rarò alicui creaturæ hunc concursum negas, vt cùm ignis in fornace Babylonis adolescentes illos non tetigit, aut sol ad victoriam Iosue in cœlo per nonnullas horas immotus stetit, defectus iustitiæ non fuit. Tunc enim concursum abstulisti, vt creatura non operans melius, quàm operans tibi suo dominatori seruiret. Aliquæ etiam res sæpe minus perfectè, aut planè imperfectè operantur: id tamen est non ex defectu concursus tui, sed instrumenti sui, quòd cùm læsum sit, rectam actionem impedit. Immo in hoc iustitiã tuã manifestas, quòd vnicuique iuxta

Psal. 37. 10.

Iustitia Dei omnia in æquitate disponit.

Dan. 3. 51. Iosue 10. 13.

exigentiam tuam concurſum elargiris.

Meritorũ retributio Dei iuſtitiam manifeſtat.

2. Hanc etiam iuſtitiam tuam, o Domine, in retributione meritorum manifeſtas. Tu enim, qui vt pius Pater gratiam ad rectè operandum infundis, vt æquiſſimus iudex pro bonis operibus mercedem retribuis. Ideo Paulus Apoſtolus tuus ſuppoſita gratia, quam à te ad bonum certamen certandum, & curſum conſummandum, & ad fidem ſeruandam accepit; à te quoque expectabat coronam iuſtitiæ. Et in domo tua manſiones multæ ſunt, & in æquali claritate fulgentes, vt iuſti pro exigentia meritorum condigno præmio donentur. Et qui quinque talentis acceptis lucratus eſt alia quinque, conſtituitur ſuper quinque ciuitates, & qui duobus duo, duabus tantùm præficitur, vt præmiorum ad merita cognoſcatur iuſta proportio. Reges quidem ſæculi aut quia iniqui, aut quia minus potentes ſæpe exhibita ſibi obſequia non æqua lance repenſant. At tu, qui iuſtus ſimul, & potens es omnibus, quidquid pro te faciant, ſiue magnum, ſiue paruum, mercedem iuſtè perſoluis, adeò vt nec qui pro te dederit potum aquæ frigidæ, quo nil vilius, amittat mercedem ſuam. Prodeat nunc in medium Petrus, prodeat Paulus, exeant cœlites vniuerſi, & dicant, an poſſint de te ſuper aliquo querulari. Quòd ſi omnes fatentur ſe condigna & ſuperabundantia meritis recepiſſe, te vt retributorem iuſtiſſimum diligamus.

Matth. 25. 20.

Deus vniuersũ cum æquitate magna gubernat.

3. Vniuerſum quoque mundum, ô author iuſtitiæ, cum magna æquitate gubernas, ita particularibus proſpiciens, vt vniuerſale bonum ſemper promoueas, & tamquam totum & generale bonum ſingulis creaturis, quaſi minutis partibus præferas. Eas ſecundùm propriam earum naturam agere & pati finis, & quaſdam generari, quaſdam interitui ſubiici præcipis, & illas his ſuccedere facis, vt mundus hic inferior naturaliter corruptibilis, modo ſuo, ſcilicet corruptibiliter perſeueret. Ipſámque corruptionem noſtram, tu, qui potentiſſimus es, in incorruptionis ſeminarium conuertis. Res liberi arbitrij expertes neceſſariò in ſuos fines ducis, liberi arbitrij tamen capaces abſque vlla læſione voluntatis ſuæ ad te ſummum finem effers. Et interdum nos in peccata labi permittis, ne volũtati vim inferas; interdum gratia tua moues, & adiuuas, & præuenis, ita tamen, vt nos liberos, & quaſi in noſtro iure relinquas. Cùm ergo ſis iuſtus, iuſtè omnia diſponis, & vniuerſa opera tua plena ſunt iuſtitiæ, & æquitatis. Pro hac iuſtitia millies te laudo, & adoro, & pro imitatione tua nullum lædere, & ſingulis quibuſque quod ſuum eſt tribuere geſtio.

Sap. 12. 15.

CONTEMPLATIO XXXVI.

Quòd Deus eſt loquens iuſtitias.

Ego Dominus loquens iuſtitiam, annuncians recta. Iſaiæ 45. 19.

Verba Dei iuſtitiam docent.

1. PVnctum. O Deus meus, qui iuſtus es, & amator æquitatis, verba tua ſecundùm nomen tuum. Omnia illa ſunt verba iuſtitiæ: numquam enim inania loqueris, ſed verbis tuis nos ad iuſtitiam inducis. Doces nos intus in animo iura ſeruare, tibi, & proximis, & nobiſmetipſis debita dare, omnia peccata vitare, & in opera ſanctificationis incumbere. Annuncias quod rectum eſt, vt illud ſequamur; detegis, quod diſtortum & iniuſtum eſt, & tibi diſplicere fateris, vt illud vitemus. Denique ſemel, id eſt, immutabiliter loquutus es: & duo hæc audiui, quia poteſtas tibi eſt, qua flagitia punis, & tibi Domine miſericordia, qua præmia iuſtis impertis.

Pſal. 61. 12.

2. Non ergo ſolùm iuſtitiam loqueris, quia ſemper iuſta doces, & præcipis; ſed etiam quia tibi ſeruientibus & obtemperantibus mercedem iuſtè promittis. Ideo præmiſeras: Non dixi ſemini Iacob: Fruſtrà quærite me, id eſt, ſine præmio & mercede obtemperate mihi. Immo ſæpiſſime præceptis & adhortationibus tuis præmij pollicitationem apponis. Quærite me, ais, & viuetis. Et quęrite Dominum, & viuet anima veſtra. Et Pſaltes tuus: Lætentur in te omnes qui quærunt nomen tuum. Et quærite Dominum, & confirmamini: verè gloriabuntur in te omnes, qui diligunt nomen tuum; quoniam tu benedices iuſto. Domine, vt ſcuto bonæ voluntatis tuæ coronaſti nos. Hoc ideo facis, quia iuſtus es, & vis iuſtitiam tuam, qua obſequia retribuis, ab omnibus ad incitamẽtum virtutis agnoſci.

Iſaiæ 45. 19.

Amos 5. 4.

Pſal. 68. 33.

Pſal. 69. 5.

Pſal. 104. 4.

Pſal. 5. 13.

3. Melius quidem eſt, Domine, atque perfectius nõ præmij ſpe, ſed puro amore tibi ſeruire, & tuum beneplacitum, & honorem, non vtilitatem noſtram ex obſequio quærere. At quia ſoli perfecti hoc idioma ſublimis charitatis intelligunt, quo nullo modo præmium perdunt, ſed mirum in modum auctum recipiunt, ideo pro aliis imperfectioribus iuſtitiam loqueris, & impiis pœnas intentas, bonis autem præmia promittis, vt illi auertantur à malis ſuis timore eius, qui poteſt perdere in gehennam; & iſti inclinent cor ſuum ad faciendas iuſtificationes tuas propter retributionẽ. Omnibus ergo iuſtitiam loqueris, quia æquum eſt, vt iniqui ſententiam punitionis ferant, & iuſti ſententiam retributionis audiant, & ſancti atque perfecti ſe ex eo quòd non propter mercedem ſeruiunt, cumulatiorem mercedem ſe recepturos agnoſcant. Nunc ex te diſcam iuſtitiam loqui, id eſt, verba tibi placita & vtilia depromere.

Quid perfectorum propriũ.

Pſal. 118. 112.

CONTEMPLATIO XXXVII.

De rectitudine Dei.

Quoniam rectus Dominus Deus noſter, & non eſt iniquitas in eo. Pſal. 91. 16.

Deus rectè operari naturaliter habet.

1. PVnctum. O Domine, Deus meus, tu qui iuſtus es, & iuſtitiam loqueris, ex conſequenti in omnibus operibus tuis rectitudinem tenes, quia ab anguſto tramite ſanctitatis, nec ad dexteram, nec ad ſiniſtram inflecteris. Non eſt tibi difficile rectitudinem ſeruare in operibus, quia rectè operari naturaliter habes. Es enim ipſamet rectitudo, ipſáque virtutis regula, cui quæ conſonant, recta ſunt, quæ diſſonant eo ipſo praua & diſtorta ſunt. Rectum verbum tuum, quoniam quod enuntiat implet. Rectum opus tuum, quoniam ab exemplari ſuo, quod in te eſt, non diſſentit. Rectus es tu, quia natura diuina tua nihil obliquum, nihil diſſonum, aut minus pulchrum & decorum admittit.

Pſal. 32. 4.

Omnia quæ in Deo, recta ſunt.

2. Ita rectus es naturaliter, Domine, vt tecum aliqua obliquitate minimè cogitare valeamus. Intellectus tuus rectus eſt, qui ſemper teipſum veram vtique ſanctitatem, & quidquid bonum eſt ad approbationem intuetur: voluntas tua recta eſt, quia omnem rectitudinem virtutis in nobis amplectitur. Poteſtas tua recta eſt, quia numquam ob affectum amoris, vel odij metas æquitatis prætergreditur. Iuſtitiæ tuæ, ac præcepta tua recta ſunt, quorum obſeruatione corda noſtra lætitia cumulan-

Pſal. 18. 9.

tur.

Psal.118. 137.

Psf.145. 8. Cant.1. 4.

Eccl.7. 30.

Psal. 50. 12.

Quomodo recti erimus.

tur. Ac tandem quicquid à te procedit rectum est; quoniam iustus es,& rectum iudicium tuum. Vt rectus tui similes, scilicet rectos, diligis: nam & scriptum est: Dominus diligit iustos. Recti etiam, & iustitiam amantes diligunt te. Vel ipsæmet rectitudines omnium rerum te diligunt, quia te authorem,& rectitudinem fontalem agnoscunt.

3. Feciſti tu, Domine Deus meus, hominem rectum, & ipse infinitis se miscuit quæstionibus. Amoue à me quæso quęstiones,& prauitates istas, & spiritum rectum innoua in visceribus meis. Rectus ero, & similis tui, si non alius intus fuero, & alius foris apparuero: si bonitatem corde amauero,& actione præstitero: si omnia secundùm tuam rectissimam voluntatem direxero. Corpus mihi rectum à te, Deo meo, datum est, vt mecum semper admonitionem rectitudinis deferam,& in corpore recto animam curuam amore terrenorum,& obliquam iniquitatibus gestare erubescam. Iam deinceps rectitudinem amabo, & quia hanc præ omnibus affert amor tui, huius amoris studio semper intendam.

Contemplatio XXXVIII.

Quòd Deus est Iudex.

Et annunciabunt cœli iustitiam eius; quoniam Deus iudex est. Psal.49.6.

Qualis debeat esse iudex.

1. PVnctum. O Deus meus rectissime, vehementer gaudeo, & exulto, quia tu iudex noster es optimus, & integerrimus, à cuius iudicio omnis peruersitas & obliquitas procul abest. In te omnia, quæ in iudice desiderari possunt, perfectissimè, immo & naturaliter insunt. Iudex namque esse debet virtute præditus, qui pro bonitate decertet: nobilitate conspicuus, qui reipublicæ splendorem amet: diuitiis abundans, qui pro pretio ab æquo non deuiet: sapiens qui errori non pateat: ab affectibus immoderatis alienus, quibus tamquam nebula in cæcitatem non incurrat. Quis autem te sanctior, ô Domine, qui omnis virtutis es pelagus? Quis te nobilior, qui es omnis nobilitatis origo? Quis ditior, cuius sunt vniuersa? Quis sapientior, qui doces omnes? Quis tranquillior, quem nullus affectus inquietat. Te impius metuat, quia tuam rectitudinem corrumpere, aut emollire non poterit: te iustus diligat, à quo pro meritis & benefactis præmia recipiet.

2. Iudex ergo cùm sis, ô Domine, semper iustissimè iudicas, numquam à rectitudinis tramite exorbitas, immo omnia optimi iudicij propria perfectissimè seruas. Priusquam iudices, causas hominum noscis,& non per scripta, aut per allegata, & probata, nec per delationem aliorum, qui fallere & exaggerare possunt, sed propriis oculis crimina euidenter inueris. Ideo ais: Ego sum Iudex, & testis. Et tacui, semper silui, patiens fui: sicut parturiẽs loquar. Quia quod apud te quasi in vtero patiens toleras, in vltione quandoque iudicij, quasi parturiens cum dolore manifestas. Et aliquando more hominum dixisti: Descendam, & videbo, vtrùm clamorẽ qui venit ad me, opere compleuerint, quasi ante causæ cognitionẽ haudquaquam velis sententiam ferre. Deinde reum conuincis, & ab eo criminis confessionem extorques, immo conscientiam peccatoris delicti accusatricem facis. Tandem cognita causa non præceps pœnam infers, sed cum magno iudicio, & æquitate, quin & pia clementia sententiam pronuncias, & si homo ante mortem velit resipiscere, veniam concedis. Prorsus iustitia plena est dextera tua, & potentia tua per dexteram significata, licèt summa sit, numquã æquitatem relinquit. Numquam supplantas iudicium, aut à recto remoues, nec licèt sis omnipotens subuertis quod iustum est. At postquam vltimam sententiam tuleris, neque ab Oriente, neque ab Occidente, neque à desertis montibus erit euasio, quoniam tu Deus iudex es, cuius potens iudicium nemo potest eludere.

Deus iudex in præmiãdis iustis.

3. Nec solùm, ô Domine, iudicis partes agis, cùm impios ad debitam pœnam destinas, sed cùm bonos æternis præmiis cumulas, cùm in hac vita nonnumquam mercedem pro bonis operibus reddere inchoas, cùm pro eis teterrimum hostem molestiam ipsis afferentem compescendo castigas. Iudicas nocentem me, expugnas impugnantem me. Ponis circulum in naribus eius, & armilla perforas maxillam eius, quia protectionis tuæ fortitudine retines eum ne contra nostram infirmitatem prævaleat, & misericordia tua facis, vt quos iam deglutiuit, amittat. Da ergo, ô misericordissime Pater, veram sanctitatem, qua tibi placeam, & postquam dederis, ô æquissime iudex, iudica me secundùm iustitiam meam, & secundùm innocentiam meam super me.

Contemplatio XXXIX.

Quòd Deus est vltor.

Quia fortis vltor Dominus, reddens retribuet. Ierem.51.56.

Eccli.5. 7. Psal.93. 1.

1. PVnctum. O Deus meus iudex æquissime, meritò in Scripturis tuis vltor prædicaris, quoniam à te misericordia,& ira citò proximant, & sicut in iustos misericordia, ita in peccatores respicit ira tuiipsius. Deus vltionum etiam diceris, quia liberè agis,& prout libet,& iustum est, ac nemine prohibente peccata punis. Nullum peccatum impunitum præteris, neque magnum, neque paruum, neque in malis, neque in bonis, adeò, vt & in amicissimis tuis, quos ad magnam sanctitatem extollis, & admirandis donis, & cœlestibus illustrationibus dignaris, nec verbum otiosum sine pœna relinquas,& minimæ superfluæ cogitationis seueram rationem exigas, & ei condignam castigationem retribuas. Quare de Moyse & Aaron, & Samuele dilectis tuis, inquit Propheta tuus; Domine Deus noster tu exaudiebas eos: Deus tu propitius fuisti eis, etsi vlciscens in omnes adinuentiones eorum. Quòd si cum amicis tuis ita seuerè agis, quomodo de peccatis criminalibus iniquorum vlciscris. Dissimulas quidem peccata hominũ propter pœnitentiam, & parcis illis, non tamen sine aliqua vltione parcis; quia pœnitẽtia & compunctio pro vltione est. Quæ si ad mensuram peccati eius magnitudo non accedat, pœnam aliquam infers, vt defectum detestationis suppleat.

Deus nullum peccatũ impunitum præterit.

Psal. 98. 10.

Sap.11. 24.

2. Hæc autem vltio tua, ô Domine, non semper futuram vitam expectat, sed frequenter in vita præsenti in peccatores animaduertit. Est autem in hac vita duplex; altera mitior, altera longè seuerior, atque rigidior. Vel vt ego contemplor, non iam duobus tantùm modis, sed tribus (vt seueriorem in duos partiar) peccata punis. Nonnumquam enim infirmitatibus,& doloribus,& infamiis,& rerum penuria, & aliis miseriis corporalibus de his

Triplex modus pœnæ, & vltionis.

Ier. 29. 23. Isai.42. 14. Greg.9. moral. c. 17.

Qualiter se Deus gerat in iudicando.

qui delinquunt etiam leuiter, vltionem sumis. Et hæc est pœna mitior, qua arguis eos in virga virorum, & in plagis filiorum hominũ: misericordiam autem tuam non aufers ab eis. Aliquando subtractione lucis, & consolationis tuæ, & immissis ariditatibus, ac desolationibus mentis, & tẽtationum perturbationúmque molestia tuos segniter se gerentes feris. Hæc autem est vltio seuerior, qua animá ignorãs seipsam egreditur, & abit post vestigia gregum suorum. Meritò dicta seuerior, quoniam mens in vltionem suorum peccatorum sibi relicta, in salebra ignauiæ hæret, & ferè nihil in perfectione crescit. Sed seueríssima & formidabilíssima pœna est, qua aliquos in punitionem suorum peccatorum in alia grauiora peccata labi permittis. Tradis illos in reprobum sensum, vt faciant, quæ non conueniunt, & quia frigidi sunt gratiæ ablatione magis ac magis induras. Domine, ne in hoc furore tuo arguas me, neque in hac ira tua corripias me. Ita oro me punias, vt tamen in grauia peccata non cadam, & à tua gratia non excidam.

2. Reg. 7. 14.

Cant. 1. 8.

Rom. 1. 28.

Psal. 6. 2.

3. At in futura vita, ô Deus meus, mirum profectò est, quàm seuerè, iustè tamen in peccata desæuias. Iustos namque qui pro peccatis suis non plenè satisfecerũt igne purgatorij rigidíssimè torques; & ex eo loco non exeunt vsquequo vltimũ quadrantem persoluant. Pueros qui sine Baptismo decesserunt, in perpetuum ob peccatum originale à tua visione & fruitione repellis. Impios verò gehennalibus tormentis, damni, & sensus in omnem æternitatem castigas. Ibi tuæ summæ æquitati omnis prauitas illisa conturbatur. In eam rectitudinem tuam omnis tumiditas & superbia impingens conquassatur. A tua iustitia omnis iniquitas abiecta discerpitur. Ibi miseri de quibus vlciscéris in eam miseriam incurrent, vt semper velint quod numquam erit; semper nolint, quod numquam non erit. In æternum non obtinebunt quod volunt, & in æternum quod nolunt, nihilominus sustinebunt. Eorum prauitas tuæ rectitudini occurrens absque tuæ læsione lædetur: ipsorúmque caligo in tuæ lucis conspectu confundetur: atque vermis conscientiæ eorum ad mortem miserorum sine morte seruabitur. Sicut ergo in æternum bonos præmio afficies, ita in æternum malorum vltor existes. Libera me à peccatis meis, vt ab vltione tua immunis euadam, & à tua misericordia mercedem accipiam.

Deus seuerè & iustè in peccata desæuit.

Ex Bern. 5. de consider. cap. 12.

Contemplatio XL.

Quòd Deus est terribilis.

Vouete, & reddite omnes, qui in circuitu eius affertis munera. Terribili, & ei qui aufert spiritum principum. Psal. 75. 12.

1. Punctum. O Domine Deus meus, si ita de omnibus peccatis etiam minimis vltionem sumis, verè terribilis es. Quis non timebit te, ô Rex gentiũ, & quis non pauebit ante faciem tuam? Terribilis sanè es in operibus tuis: quia non tantùm omnia simul considerata, sed singula per se sumta tantæ admirabilitatis & maiestatis sunt, vt contemplantibus ea, magnam erga te reuerentiam excúscitent, & incredibilem timorem incutiant. O quàm terribilia sunt opera tua Domine; in multitudine virtutis tuæ mentientur tibi inimici tui. Quia cùm se, exempli gratia, tempestate aliqua pæne obrutos, tonitruis & fulminibus, vel repentinis aliorum mortibus perterrefactos vident, amicos se simulant, ne malis similibus consumantur. Si ergo Rex potentissimus qui magnifica ædificia extruxerit, qui pusillos ad magnam nobilitatem erexerit, qui multa regna optimè administrauerit, qui seueríssimè iniquos punierit, terrori est malis, & reuerentiæ bonis. Adeò vt cùm in publicum procedit cum Iob valeat dicere: Videbant me iuuenes, & abscondebantur: & senes assurgentes stabant. Principes cessabant loqui, & digitum superponebant ori suo. Vocem suam cohibebant duces, & lingua eorũ gutturi suo adhærebat. Si, inquam, terrenũ regem sui tanto timore & reuerentia prosequuntur; quanto magis tu dignus es timeri, cuius opera tam sunt admiratione & stupore digna.

Deus terribilis in suis operibus.

Psal. 65. 2.

Iob 29. 8.

2. Terribilis etiam es, Domine, in suppliciis, quę infers. Nam & omnes reges terræ etiam iniqui, cùm aliquid tuæ maiestatis subodorantur, tibi munera offerunt, non tam religionis officio, quàm timore subacti. Tu aufers spiritum eorum, id est, audaciam deprimis, frænas, & cohibes, & tandem ac si herbulam vilem demeteres, eorum animas tollis. Aufers itaque spiritum eorum, quo viuunt, & deficiunt, & in puluerem suum reuertuntur. Baltheum regum dissoluis, & præcingis fune renes eorum. Ducis sacerdotes inglorios & optimates supplantas. Certè, qui à te propter iniquitates illata supplicia intuetur, mirum erit, si non præ terrore deficiat. Moyses & Aaron, quia ad petram, è qua fluentum scaturiuit, dubitarunt, audierunt à te: Quia non credidistis mihi, nõ introducetis hos populos in terram, quam dabo eis. Dathan & Abiron, quia erga ducem à te positum irreuerenter se gesserunt, cum filiis & vxoribus à dehiscente terra sunt miserè deuorati. Quid commemorem supplicia Sodomorum & Gomorrhæorum? Quid generale mundi diluuium? Quid pœnarum originali peccato destinatum, quæ (quandoquidem morimur, & tantas miserias patimur) nondum finitæ sunt? Timeamus te, Domine, timeamus te, qui tam rigidè peccata castigas.

Deus terribilis in suppliciis.

Psal. 75. 12.

Iob 12. 18.

Num. 20. 12. Num. 16. 31.

3. Sed licèt in his duobus, ô Deus meus, sis terribilis, tamen multo magis terribilis in consiliis super filios hominum. Quis enim non obstupescat, & præ timore succumbat, cùm tua consilia occulta & admirabilia recogitat. Antequam homines quicquam boni, aut mali egissent, vnum ad gloriam eligis, alium in sua miseria manere permittis, & tandem propter peccata repellis. Hunc præuenis, & quasi curru vectum, vel potiùs alis sublatum mira pernicitate ad perfectionem effers, alium nitentem & laborantem multis impedimentis emergentibus cinctum in communi, & non admodum perfecta vita hærere finis. Vnum per magnas consolationes, & illustrationes interdum reluctantem quæris, & lactas; alterum te desiderantem & quærentem in perpetua ariditate & desolatione relinquis. Huic corporis firmam valetudinem, illi ægrotationes, & morbos: huic diuitias, illi penuriam; huic nominis claritatem, illi infamiam; huic lætitiam, illi perpetuam tristitiam impertis. Istum per longam ætatem sustines, illum subitò, & cùm minus putabatur, extinguis. Existimabam vt cognoscerem hoc, labor est ante me donec intrem in sanctuarium tuum. Et tunc cognoscam, quàm sancta semper fuerint iudicia tua, quàm iusta consilia tua, quàm æquæ dispositiones tuæ. Interim verò casto & filiali timore timebo te, & quia erga me tuam maiestatem amabilem experior, ex totis præcordiis diligam te.

Deus terribilis in consiliis.

Psal. 65. 3.

Psal. 72. 10.

De perfectionibus diuinis.

DECAS V.

HÆc, quæ proximè de Domino noſtro Deo diximus, potius ad timorem, quàm ad amorem impellunt. Sed in animabus iuſtis etiam affectum amoris exuſcitant: tum quia vnicum bonum ſuum tam mirabile eſſe gaudent, vt cum ſumma lenitate ſummam æquitatem habeat: tum etiam, quia accepto iuſtificationis pignore, quod ſe habere coniiciunt, eum iudicem benignum, & amabilem præmiorum datorem expectant. Iam ergo ex his ad alia tranſeant, & decem his attributis, quæ ſequuntur conſiderandis inſiſtant. 1. Quòd Deus eſt pius. 2. Quòd eſt beneficus. 3. Quòd eſt affabilis. 4. Quòd eſt liberalis. 5. Quòd eſt fortis. 6. Quòd eſt magnificus. 7. Quòd eſt patiens. 8. Quòd eſt benignus. 9. Quòd eſt clemens. 10. Quòd eſt mitis. Quæ affectum filiorum erga bonum Patrem excitabunt.

CONTEMPLATIO XLI.

De pietate Dei.

Quis non timebit te Domine, & magnificabit nomen tuum? quia ſolus pius es. Apoc. 15.4.

1. PVnctum. O Domine Deus ſupercolendiſſime, & ſuperamantiſſime, tu Pater noſter es; quis autem in optimo parente eſſe pietatem erga filios addubitet? Hac immenſa pietate tua, nos licèt imperfectos, & valde tibi diſſimiles, tamen filios agnoſcis. Cùm per iuſtificationem filij eſſe inchoamus, nos officiis pietatis amplecteris. Paras nobis lac doctrinæ tuæ, qua reficiamur, & rudiori intelligentia præceptorum, quia ſubtilioris capaces non ſumus, ceu paruulos imbuis. Hanc non ab alio, quàm ab ſponſa tua, & matre noſtra Eccleſia ſugimus; & à filiis tuis maioribus, prælatis noſtris, qui munus pædagogorũ obeunt, erudimur. Vt impleatur illud: Mammilla regum lactaberis.] Et erũt reges nutritij tui.] Stola filiorum tuorum, gratia nos induis, etſi eam vt inſipientes per peccatum ſcindamus, nouam per pœnitentiam tribuis: ex quo perſpicimus, quia cor pium habes, & omnino vis vt ſimus filij tui.

Iſaiæ 60. 16. *Iſaiæ 49. 23.*

Quæ pietatis propria.

2. Si autem pietatis eſt, filios poſtquam adoleuerint conuenientibus exercitationibus occupare, ne otio torpeant, & modum adminiſtrandi rempublicam, ſi ſint nobiles, edocere, & dum delinquunt, benignè & paternè corripere, quis non in his magnitudinem tuæ pietatis aſpiciat? Nam iuſtos filios tuos, ad ſtudium omnium virtutum impellis: vt cor ſuum, & affectus ſuos nouerint gubernare doces; & eorum erratis malagma compunctionis, & temporalibus preſſuris mederis. Iudith certè hanc tuam inſignem pietatem conſiderans pro ſuo populo à te patris flagellationem expoſcit: Quia pius es, inquit, miſerere noſtri; aut in tuo flagello vindica iniquitates noſtras, & noli tradere cõfitentes te populo, qui ignorat te.] Ideóque virga tua, & baculus tuus conſolatur nos, quia non ad internecionem percutis, ſed ad miſericordiam affligis.

Iudith 7. 20. *Pſal. 22. 4.*

Quæ pietas parentũ erga filios.

3. Pietatis tandem parentum erga filios eſt, eos hæredes ſuorum bonorum conſtituere, in quo tua pietas eorum amorem mirum in modum ſuperat. Nam illi quamdiu viuunt bona ſibi retinent, & cùm ex hac vita decedunt, filios hæredes faciunt. Tu verò quia æternus es, & numquam deficis, viuens tuæ hæreditatis filios conſortes efficis. Generas nos in ſpem viuam per reſurrectionem Ieſu Chriſti ex mortuis, in hæreditatem incorruptibilem, & incontaminatam, & inmarceſcibilem, conſeruatam in cœlis, in nobis, ſeu gratia noſtri. Denique vt tibi fidamus, quantum tua pietas omnium parentum pietatem excedat, per Iſaiam explicas, dicens: Numquid obliuiſci poteſt mulier infantem ſuum, vt non miſereatur filio vteri ſui? & ſi illa oblita fuerit, ego tamen non obliuiſcar tui. Ecce in manibus ſapientiæ & bonitatis meæ deſcripſi te: muri tui (& protectio mea eſt) in oculis meis ſunt.] Si tu, ô piiſſime Pater, mei, qui rebellis ſum, non obliuiſceris, fac vt ego per verum amorem numquam obliuiſcar tui.

1. Pet. 1. 4. *Iſaiæ 49. 14.*

CONTEMPLATIO XLII.

De beneficentia Dei.

Non ſine teſtimonio ſemetipſum reliquit, benefaciens de cœlo, dans pluuias, &c. Act. 14. 16.

1. PVnctum. O Deus meus piiſſime, qui erga iuſtos præcipuè tuam pietatem exeris, erga omnes beneficus, id eſt, non tantùm amator, ſed & beneficiorum elargitor inueniris. Tu beneficia diffundis è cœlis ſanctis tuis, vbi eſt glorioſa habitatio tua. Facis oriri ſolem ſuper bonos, & malos: pluis ſuper iuſtos, & iniuſtos. Das tempora fructifera, & pro diuerſis temporibus anni terram herbis & floribus veſtis, & fructices ac arbores ad noſtram vtilitatem germinare facis. Cibos affatim ſubminiſtras, & corda noſtra lætitia & exultatione reples. Et ſi hæc minoris momenti non pateris deſiderari, vtique quæ ſunt neceſſaria ſaluti nequaquam denegabis.

Matth. 5. 45. *Ex Athanaſ. orat. contra idola.*

Quæ Dei beneficentiam magnificent.

2. Sunt autem multa, ô Domine, quæ hanc tuam beneficentiam magnificant. Neque enim beneficia impertiris ſolùm amicis, & ſeruis; ſed & inimicis & hoſtibus tuis. Non ſolùm magnatibus & nobilibus; ſed humilibus & abiectis. Non tantùm poſtulantibus, ſed prorſus nihil curantibus & exigentibus. At illi, qui tamquam ſues ſub quercu numquam ad te caput conſiderationis attollunt, innumera beneficia recipiunt. Pro beneficiis nullam à nobis recompenſationem exquiris. Quòd ſi à nobis gratitudinem & obſequium exigis, non eſt quia his indigeas, ſed quia nobis omnino neceſſarium eſt vt ſeruemur, tibi gratos & obſequentes exiſtere.

Summũ beneficentiæ opus.

3. Quòd ſi ſummum beneficentiæ eſt, pro beneficio alteri præſtando aliquid mali ſuſtinere, hoc tibi Domine, prout potuit fieri, non defuit. Nam cùm eſſes impaſſibilis, voluiſti in ſecunda perſona tua, fieri paſſibilis, vt per mortem Dei nos viuificares; per infirmitatem roborares; per paupertatem ditares; & per multiplicia mala, quæ filius tuus pertulit, omnibus bonis impleres. Omnia ergo quæ eſſe habent beneficia mea ſunt; vniuerſa vndique mihi dicunt, vt te amem, quia à te ea ad mei corporis, & meæ animæ vtilitatem accipio. Terra hæc animæ meæ tot beneficiorum imbribus irrigata ſaltem fructum, ô Domine, gratitudinis ferat, & corde & opere te in æternum benedicat.

CONTEMPLATIO XLIII.

De affabilitate Dei.

Delitiæ meæ esse cum filiis hominum. Prou. 8. 31.

1. PVnctum. O Domine Deus meus,& author bonorum meorum,tu nos capaces tuæ amicitiæ efficis,& vero amore amicitiæ diligis, & omnia iura perfectæ amicitiæ custodis. Hæc amicitia tui ad nos in gratia gratum faciente fundatur, qua nos tui similes, tuæ sanctitatis participes, & tuo amore dignos reddis. Est amor perseuerans, quem numquam nisi nos priùs abrumpamus, abrumpis. Amor mutuus,quo à nobis te diligi facis, & diligentes te diligis. Amor ingenuus,quo nobis tua bona dare constituis, & ex nobis nullu lucrum quæris. Amor non tibi solùm, sed mihi quoque notus, quem tot beneficiis patefacis. Amor quo nobis omne bonum conueniens vis, & præstas; amor,qui nos quodammodo æquales facit,quia dij vocati sumus, & ad tuæ naturæ participationem effert. Amor quo quemque nostrum,ac si solus esset,amplecteris. Amor tandem,quo nos tecum vnũ spiritum facis. Nam qui adhæret tibi,vnus spiritus est. Ergo qui Deus noster es, etiam amicus es, nec nomen hoc abiicis,quo tuam infinitam bonitatem ostendis.

Qualis amor Dei erga nos sit.

1. Cor. 6. 17.

2. Iam de tali ac tanto amico admodum credibile est quòd cum amicis dilectis comiter & affabiliter se habeat; & verè, ô Domine,hominibus præsertim sanctis te supra omne cogitatũ nostrum affabilem exhibes. Rex magnates curiæ suæ amicos haber,sed solet cum quodam nobili inferioris notæ amicabiliùs & affabiliùs conuersari, & ei sua arcana detegere. Ita omnino cœlestes spiritus aulæ tuæ magnates amicos habes, sed cum homine inferioris naturæ mirum est quàm comiter & amanter conuerseris. Planè delitiæ tuæ esse cum filiis hominum,& quasi sepositis curis,cum illis lætitiæ colloquia miscere. Olim loquebaris cum Moyse sicut solet homo loqui ad amicum suum. Sed numquid cum solo Moyse? Non sanè,sed cum multis aliis Ecclesiæ tuæ ita affabiliter te geris, & dulciter sermones instituis, vt non tam summus Dominus,quàm veluti æqualis videaris. Sciunt hoc probè qui Sanctorum gesta legerunt, in quibus admiranda scribuntur; sed sciunt multo meliùs animæ puræ ad donum contemplationis admissæ, quæ te experiuntur veluti ardentissimum amatorem,nihil aliud quàm sanctissimæ dilectionis colloquia spirantem. Immo quod plus est etiam peccatoribus te affabilem exhibes,qui in filio tuo postquam nostram humanitatem induit, publicanorum & peccatorum amicus diceris. Planè affabilis es, cuius verbum non est transitorium, sed æternum, quod vt caperetur,Verbum caro factum est,& habitauit in nobis.

Exod. 33. 11.

Ex S. Thoma opusc. 61. c. 12. ad finem.

Ioan. 1. 14.

3. Ad hanc eamdem affabilitatem tuam pertinet, ô suauissime Domine,quòd animas istas quasi tibi vicem rependere,& comiter tecum conuersari permittis. Recordabor nunc apud te colloquij serui tui Moysis,quod tecum habuit,vt ipsum considerans adorem,& miris laudibus extollam te,qui ita cum homuncionibus verba miscere dignaris. Dixit ille:Præcipis vt educam populum istum; & non indicas mihi, quem missurus es mecum, præsertim cùm dixeris:Noui te ex nomine,& inueneristi gratiam coram me. Si ergo inueni gratiam in conspectu tuo, ostende mihi faciem tuam,vt sciam te, & inueniam gratiam ante oculos tuos:respice populum tuum, gentem hanc.] Et tu Domine: Facies mea præcedet te, & requiem dabo tibi.] Ille verò:Si non tuipse præcedas nos,ne educas nos de loco isto. In quo enim scire poterimus ego,& populus tuus inuenisse nos gratiam in cõspectu tuo, nisi ambulaueris nobiscum, vt glorificemur ab omnibus populis, qui habitant super terram.] Tu autem: Et verbum istud, quod locutus es faciam: inueneristi enim gratiam coram me,& teipsum noui ex nomine.] Sic ille loquitur, & tu respondes, & quasi ex professo sermonem protrahis, quia cum hominibus esse gaudes,nec solùm Moysem (vt dixi) sed animas puras verbis ita demulces. Vel ex hoc tantùm puritatem cordis, ô Domine, diligere deberemus,vt tanta dignatione fruamur.

Exod. 33. 12. 13. Colloquia inter Moysen & Deum.

Vers. 14. Vers. 15. & 16.

Vers. 17.

CONTEMPLATIO XLIV.

De liberalitate Dei.

Si quis indiget sapientia, postulet à Deo,qui dat omnibus affluenter, & non improperat, & dabitur ei. Iacob. 1. 5.

1. PVnctum. O Domine Deus affabilissime, tu verè liberalis es. Nam de te Propheta cecinit: Quia aperis tu manum tuam,& imples omne animal benedictione.] Non solùm indigentiis nostris,& miseriis subuenis, quod est misericordiæ: nec solùm petitionibus respondes beneficiis, quod est beneficentiæ; verùm (quod ad liberalitatem pertinet) multa bona,sine quibus vitam transigere possemus, nobis nec petentibus, nec cogitantibus affatim elargiris. Hanc tuam largitatem prædicant homines sapientissimi, homines ditissimi, homines naturalibus aliis donis vt pulchritudinis, roboris, & similibus ornatissimi, homines denique sanctissimi. Hæc enim superabundantia donorum qua sibi & proximis abundant,vnde nisi ex tua liberalitate promanat. Ita bona tum corporalia,tum spiritualia profundis,vt secũdùm ingenium tuum generosum (vt ita dicam) tuis bonis in vtilitatem aliorum vtaris. Cum his,quos elegisti, parcus es in puniendo,largus in dando. Ad punctum,inquis, in modico dereliqui te, & in miserationibus magnis congregabo te. In momento indignationis abscondi faciem meam parumper à te, & in misericordia sempiterna misertus sum tui.]

Ps. 144. 16.

Qui Dei liberalitatẽ prædicent.

Isaiæ 54. 7.

2. Peccatis & iniquitatibus nostris, ô Deus meus, à largitate non retraheris, immo nos ad te reuocare donis niteris. Vox tua est:Et saluauit mihi brachium meum,& indignatio mea ipsa auxiliata est mihi:] vt quemadmodum ignis frigore compressus fortior redditur,& flamma eius velocior erumpit,ita largitas tua nostris defectibus & miseriis excitata ad abundantiùs largiendum prouocatur. In funiculis Adam trahis nos, in vinculis charitatis. Donis scilicet nos expugnas, & corda nostra licèt lapidea conteris, vt non ad bonum tuum (quia nullius indiges) tibi vicem rependamus. O quoties dicis nobis illa verba, quæ ex te per os Prophetæ audiuit Dauid:Si parua sunt ista, quæ dedi tibi, ne à me discedas adiiciam tibi multo maiora. Licèt ergo ne à te discedamus sæpe timore agas,tamen magis donis nos prouocas,vt ex amore tibi seruiamus,& sic abundantius præmium æternæ gloriæ lucremur.

Peccata Deum à largiendo non retrahunt.

Isaiæ 63. 5.

Osea 1. 4.

2. Reg. 12. 9.

3. Et tu, ô Domine, qui cum sancto sanctus es, & cum innocente benignus, si quos inuenias

Psal. 17. 26.

tibi fideliter obſequentes,& ſe ac ſua tibi liberaliter impendentes, mirum valde eſt, quàm profusè & liberaliter in eos te tuáque bona conferas. Citò ipſorum orationes exaudis; ſi petere cunctemur, aut obliuiſcamur, ad poſtulandum impellis; ſæpe orationes ac deſideria noſtra præuenis:& ineffabilium donorum abundantes nos facis. Dabo ergo tibi, ô Deus, me & omnia mea, & quicquid à me exquiris, obſeruationem præceptorum, cuſtodiam conſiliorum, obedientiam inſpirationum, & per meam anguſtam largitatem non dubitabo profuſam tuam liberalitatem mercari.

CONTEMPLATIO XLV.

De fortitudine Dei.

Si fortitudo quæritur, robuſtiſſimus eſt. Iob 9.19.

1. PVnctum. O Domine Deus meus, qui largiſſimus es in tribuendo, etiam fortiſſimus es in ſaluando. Hoſtes tuos ad tempus vt corrigantur ex benignitate ſuſtines, ſed niſi mentem mutent ex fortitudine repentè conteris, & eorũ vniuerſa ſubuertis. Satis ſit ad exemplum quomodo innumerabiles Ægyptios cum Pharaone in mare merſiſti; & exercitum Sennacherib breui tempore à deuaſtante Angelo occiſum proſtrauiſti,& rebellem populum Sodomorum & Gomorrhæorum igne miſſo de cœlo concremaſti. Quod de his dictum eſt, facilè de aliis tuis hoſtibus conſideratur. Qui das ſecretorum ſcrutatores quaſi non ſint,iudices terræ velut inane facis. Et quidem neque plantatus, neque radicatus,in terra truncus eorum (id eſt,quaſi non eſſet radicatus,nec ſatus) repentè flaſti in eos,& aruerunt,& turbo quaſi ſtipulam auferet eos. Eſt vniuerſus orbis comparatione fortitudinis tuæ quaſi non ſit; non poterit reſiſtere poteſtati tuæ,ſed ſi volueris aliquem perdere,cunctis obſiſtentibus perdes; & ſi volueris ſaluare, omnibus aduersùs eum inſurgentibus liberabis.

Exempla diuinæ fortitudinis. Exod.15. 4. 4. Reg. 19.35. Gen.19. 24. Iſaiæ 40. 23.

2. Hoſtes igitur comminuis,ſed amicos,ô Deus meus, fortiter ſeruas, & à dextris eorum aſſiſtens ab omni nocumento liberas. Si tu velis, peccatum non comprehendet nos,ſed veluti turbine iactus aufugiet. Tentatio non accedet ad nos, neque vt ab ea lædamur, inueniet. Nullus affectus turbabit nos,ſed te faciente cordis tranquillitatem nõ ſubtrahet:quoniam à dextris es mihi ne commouear.

Deus amicos fortiter ſeruat.

Pſal. 15. 8. Pſal.22. 4. Pſal. 55. 5. Pſal.26. 2.

Certè non timebo mala, quoniam tu mecum es. Et non timebo quid faciat mihi homo. Et ſi tu protector vitæ meæ, à quo trepidabo? Si etiam velis,quamuis caro deprimat,quamuis mundus alliciat, & dæmon exterreat,& ſe ſuis technis opponat,omnem virtutem conſequemur,omnem perfectionem poſſidebimus, ad regnum fœlicitatis intrabimus. Et iuras animæ,quam exaltandam ſuſcipis in dextera tua, & in brachio fortitudinis tuæ, dicens: Si dedero triticum tuum vltra cibum inimicis tuis:& ſi biberint filij alieni vinum tuum, in quo laboraſti. Non,inquam,dabo,ſed quæ hæc merita congregaſti comedes, & laudabis Dominum: & qui comportant illud vinum compunctionis, bibent illud factum vinum conſolationis in atriis ſanctis meis. Fortis igitur es, qui tuos fortiter à malis tueris,& arcibus cœleſtibus infers.

Iſaiæ 62. 8.

Deus ſuos virtute confirmat. Rom. 8. 35.

3. Nec ſolùm, ô Domine, tuos per fortitudinem liberas,& exaltas, ſed eos (qui natura infirmi ſunt) tua virtute fortificas. Audent in te,& dicũt: Omnia poſſumus in eo,qui nos confortat. Omnes creaturas ad certamen prouocant. Quis,inquiunt, nos ſeparabit à charitate Chriſti? Tribulatio? an anguſtia? an fames? an nuditas? an periculum? an perſecutio? an gladius?] In hoc certamine victoriam ſibi pollicentur. Quare ſequitur: Certi ſumus, quia neque mors, neque vita, neque Angeli, neque principatus,neque virtutes,neque inſtantia, neque futura,neque fortitudo,neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos ſeparare à charitate Dei.] Das ergo laſſo virtutem, & his qui non ſunt fortitudinem, & robur multiplicas. Deficient impij ſibiipſis fidentes. Qui autẽ ſperant in te mutabunt fortitudinem, aſſument pennas ſicut aquilæ, current, & non laborabunt, ambulabunt,& non deficient. In te Deo ſuo tranſgredientur murum:omnes difficultates ſuperabũt, & opera admiranda (quod quottidie videmus) in effectum producent. O ergo Deus fortis, & potens, vide infirmitatem meam, & laborem meum, & me potenter robora, vt à te iuſſa & ordinata perficiam.

Iſaiæ 40. 29. Iſaiæ 40. 31.

CONTEMPLATIO XLVI.

De magnificentia Dei.

Admirabilis magnificentia eius. Eccli.43.32.

1. PVnctum. O Domine Deus fortiſſime, tu magnificus es, & mirabilis eſt magnificentia tua. Nam ſi nomen ipſum inſpiciamus,magnificus eſt magna faciens. Tu autem es,qui facis magna, & inſcrutabilia, & mirabilia abſque numero. Magna quidem mole,& perfectione:inſcrutabilia, ſeu noſtræ occulta inueſtigationi:& mirabilia,quæ magnam ingerunt admirationem. Magna opera tua exquiſita, ac promta, ac parata ad exequendas omnes voluntates tuas. Confeſſio & magnificentia opus tuum,quia dignum eſt omni laude,& veneratione; & iuſtitia tua, qua vniuerſa decenter exequeris, manet in ſæculum ſæculi. Magnificentia tua fecit magna in eſſe naturæ. Quis enim intueatur cœlorum immenſitatem,aſtrorum vaſtitatem, elementorum magnitudinem, & aliarum rerum homini datarum abundantiſſimam ſupellectilem, qui non clamet te eſſe magnificum,ſeu magna facientem. Es qui facis mirabilia magna ſolus. Feciſti cœlos in intellectu, ſeu magno artificio, & ſapientia. Qui firmaſti terram ſuper aquas. Qui feciſti luminaria magna, ſolem in poteſtatem diei; lunam & ſtellas in poteſtatem noctis. Nullum eſt opus tuum etiam in rebus exiguis,quod non miris perfectionibus ornatum ſit, & te erga omnia eſſe magnificum prædicet.

Iob 5.9.

Pſal.110. 2.

Quæ Dei magnificentiam declarent in eſſe naturæ.

Pſal.135. 4.

2. Si verò gratiæ opera conſideremus tunc clamabimus: Quis ſimilis tui in fortibus Domine? Quis ſimilis tui? magnificus in ſanctitate. In hoc namque genere ſanctitatis & gratiæ feciſti opera magna,& verè mirabilia. Magnum immo maximũ opus tuum in puris creaturis Maria, quæ, vt cœlum Empyreum corpora,ita & ipſa Sanctos & Angelos ſuperat. Magna opera tua Apoſtoli, Martyres, Doctores, Virgines. Magnum opus tuum Benedictus, Bernardus,Dominicus,Franciſcus, Ignatius,& alij ſanctarum religionum fundatores. Hæc magna opera,veluti ſumtuoſa templa,immenſa palatia,admiranda ædificia,quæ dignatus es extruere, vt in eis habitares, & tuam magnificentiam patefaceres. Vniuerſi hæc videntes magnificentiam gloriæ ſanctitatis tuæ loquentur,& mirabilia tua narrabunt. Et virtutem terribilium tuorum dicent, &

Exod. 15 11. Dei magnificentia in fortibus gratiæ.

Pſ.144. 5.

magni

magnitudinem tuam narrabunt. Quòd si magnificentia in operibus suis magnos sumtus facit, his operibus tuis perfectio hæc suo modo non deficit. Dona enim gratiæ non paruo tibi constiterunt. *1. Pet. 1. 18.* Quia non corruptibilibus auro, vel argento redemti sumus de vana nostra conuersatione paternæ traditionis, sed pretioso sanguine quasi agni immaculati Christi, & incontaminati filij tui. Si magnificus est, qui magnam auri copiam in ædificiis insumsit, nõ erit magnificus qui talem ac tam pretiosum sanguinem in sanctis purificandis effudit?

Esther 1. 3. Dei magnificentia in operibus gloriæ. Isaiæ 33. 20. 3. At in operibus gloriæ, ô Deus, absque omni æstimatione magnificus inueniris. Ibi facis grande conuiuium cunctis principibus, & pueris tuis, vt ostendas diuitias gloriæ regni tui, ac magnitudinem potentiæ tuæ. Immo tota illa cœlestis vrbs est superba quædam magnificentia. Respice, ô anima mea, ciuitatem solemnitatis nostræ; oculi tui videbunt Ierusalem ciuitatem illam cœlestem, habitationem opulentam, tabernaculum æternum, ac immutabile, quod nequaquam transferri poterit: nec auferentur claui eius in sempiternum, & omnes funiculi eius non rumpentur. Quia solummodo ibi magnificus es, Domine Deus noster. Ibi diuitias inæstimabiles erogas, quia temetipsum electis tribuis. *Psal. 8. 2. Ps. 145. 6.* Verè eleuata est magnificentia tua super cœlos. Confessio & pulchritudo in conspectu tuo: sanctimonia & magnificentia in sanctificatione tua. Hanc domum tuam (quæ sanctificatio dicitur) ingredi expecto, & me ibi, per merita filij tui vnigeniti, opus magnificentiæ tuæ fore confido.

CONTEMPLATIO XLVII.

De patientia Dei.

Propter hoc patiens est Deus in illis, & effundit super eos misericordiam suam. Eccli. 18. 9.

Variæ peccandi rationes. 1. PVnctum. O Deus magnificentissime, laudo & extollo patientiam tuam, qua non quidem te comprimis, aut iram frænas, qui nullo affectu moueris, sed nos peccantes, vt emendemur, & ad te reuertamur, sustines. Quidam ex ignorãtia peccant, ex ea scilicet qua ignorant, quæ scire tenentur: & ideo quod perperam faciunt illis imputatur. Alij ex fragilitate, quia prauis affectibus & occasionibus ad peccandum trahuntur. Alij ex malitia, qui ex habitu, & praua consuetudine, & sæpe absque voluptate, aut emolumento aliquo in peccata præcipites eunt. Hos omnes sustines Domine, & vt eorum tandem miserearis, in eos tuam patientiam exerces. *Eccli. 18. 8.* Numerus dierum hominum breuissimus est, vt multum centum anni: quasi guttæ aquæ maris deputati sunt: & sicut calculus arenæ respectu arenæ innumerabilis, sic exigui anni in die æui. Hæc vitæ breuitas sicut nos ad humilitatem, ita & te ad patientiam prouocat; ne si statim supplicia irrogares, & vitam nostram breuiorem redderes, & nos quos diligis, à te reiectos in perpetuum amitteres.

2. Magna est profectò, ô Domine, patientia tua super nos. Omnes enim toleras, non solùm magnates, & nobiles, sed & pusillos, & viles. Quãuis si æqui æstimatores simus, vniuersi sint pusilli, & nullius momenti coram te. Sustines eos qui numquam nouerunt te, vt infideles, & eos, qui ab infantia tui notitiam imbiberunt. Patienter agis cum eis, qui ab initio peccatores fuerunt, & cum illis, qui post magnam sanctitatem, & multa dona à te accepta interdum se criminibus sordidarunt. Nemini ansa desperationis relicta est. Quia miserator & misericors es, patiens & multum misericors. Et suauis vniuersis, & miserationes tuæ super omnia opera tua. Et quia omnes opera tua sumus, patientiæ & miserationis tuæ diuitiis toleramur. *Ps. 144. 8.*

Deus per patientiã suam potentiam, & misericordiã ostendit. Rom. 9. 22. Ex Ambrosio ibidem. 3. Patientia tandem vteris, ô Domine, vt per eam tuam potentiam patefacias in malis, & tuam misericordiam in bonis. Vnde tuus Apostolus ait: Quòd si Deus volens ostendere iram, & notam facere potentiam suam, sustinuit in multa patientia vasa iræ apta in interitum; vt ostenderet diuitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ, quæ præparauit in gloriam.] Itaque illos sustines, vt quia patientia tua non profecerunt, & se criminibus ad interitum aptarunt, seueriùs punias, & tuam potentiam in illis puniendis ostendas; & vt iustificeris in sermonibus tuis, & vincas, cum nimij rigoris argueris, & iudicaris. Et in istos patienter ages, vt tua potentia conuersi & compuncti pœnas euadant, & ad maiorem virtutem & gloriam prouehantur. Tu es patientia mea, Domine, & author patientiæ meæ: tu spes mea à iuuentute mea. Da vt per patientiam eorum, quæ sustineo, ad palmam veniam, & vt tua patientia, qua mea delicta tam multiplicia sustines, non abutar. *Psal. 50. 6.* *Psal. 70. 5.*

CONTEMPLATIO XLVIII.

De benignitate Dei.

Ignoras, quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit. Rom. 2. 4.

Deus benignitas peccãtes ad cõuersionem in uitat. Ier. 8. 1. 1. PVnctum. O Domine Deus meus, patiens quidem es, dum nos errantes & peccantes sustines, benignus verò, dum nos ad te reuertentes beneuolè & amicè suscipis. In hoc est posita benignitas tua, quòd à peccatoribus te quærentibus non durus, & implacabilis, sed blandus & facilis inueniris. Hæc autem benignitas nos ad pœnitentiam adducit. Mancipia namque postquam in heros deliquerunt, aliquando ad eos reuerterentur, nisi truces vultus, & amaras increpationes, & crudeles plagas pertimescerent. Hos autem contra ad cõuersionem & pœnitentiam inducit, quòd nos benignissimè suscipis, & vt reuertamur dulcissimis verbis suades. Si dimiserit, ais, vir vxorem suam, & recedens ab eo duxerit vîrum alterũ: numquid reuertatur ad eam vltrà? numquid non polluta & contaminata erit mulier illa? Tu autem fornicata es cum amatoribus multis; tamen reuertere ad me, & ego suscipiam te.] Nos itaque redeuntes oculis blandissimis intueris, immenso amore complecteris, & in dilectissimos filios iterum suscipis. Benigna est sanè misericordia tua, & misericors benignitas tua: en ad te reuertor, secundùm multitudinem misericordiarũ tuarũ respice in me. *Psal. 68. 17.*

2. Vnigenitus filius tuus Dominus noster Iesus Christus hanc tuam in peccatores benignitatem, ô Deus meus, parabola perditi adolescentioris detexit. Hunc post consumtam luxuriis substantiam suam ad domum paternam redeuntem Pater de longè prospexit. Et accurrens cecidit super collum eius, & osculatus est eum. Stolam primam afferri iussit, & sic ad seruos loquutus est. Induite illum, & date annulum in manu eius, & calceamenta in pedes, & adducite vitulum saginatum, & occidite: *Luc. 15. 20. Exemplũ benignitatis diuinæ erga peccatores.*

&

& manducemus, & epulemur; quia hic filius meus mortuus erat, & reuixit; perierat, & inuentus est. O miram & inæstimabilem benignitatem! Quis filius perditus, nisi ego, qui tot flagitiis tuam maiestatem offendi? Quis verò Pater, nisi tu, qui erga me viscera paterna habes! Gratia & inspiratione tua me ad pœnitentiam inuitas; & si reuertar, blandissimè aspicis, non seruum nequam, sed filium vocas, brachiis charitatis amplecteris, & osculo pacis dignaris. Insuper me stola gratiæ induis, annulo, id est, imitatione filij tui vnigeniti perficis, calceamentis tuæ protectionis munis, consolatione cœlesti pascis, & Angelos in mea conuersione diem festum agentes inducis. Verè benignus & misericors es, patiens & multæ misericordiæ, & præstabilis super malitia. Non est quare moras texam, & cuncter venire ad te.

Ioelis 2. 13.

3. Adhuc protenditur, Domine, benignitas tua, quia me post conuersionem à querimoniis superborũ clementer excusas. Si enim qui multis annis seruierũt, mihi inuideant, & quare peccatorem & spiritu tyronem tuis consolationibus repleas, inquirant. Respondes me iam filium tuum esse, de regionéque lõginqua venisse, in meóque aduentu lætitiam indicari oportere. Téque nulli iniuriam facere, si ex eo quod tuum est, velis & mihi, sicut & cæteris, denarium tuæ dignationis impertiri. Iam ergo apparet quomodo sis benignus super ingratos, & malos, qui mihi peccatori bona communia, & multa specialia non negasti, & cùm ad te conuersus sum donis cœlestibus imbuisti.

Matth. 20.14. Luca 3. 35.

CONTEMPLATIO XLIX.

De clementia Dei.

Scio, quia tu Deus clemens, & misericors es, patiens, & multæ miserationis. Ionæ 4.2.

1. PVnctum. O Domine Deus benignissime, licèt peccatores per patientiam toleres, & per benignitatem blandè suscipias, æquum est vt tuam iustitiam tuearis, & ab his, qui deliquerunt, debitas pœnas accipias. Hîc locum habet clementia tua, quæ pœnas istas moderatur, vindictam lenit, & fluuium indignationis mititate concludit. Et tu, qui largus es in præmiando, semper clemens es in puniendo. Mensus es pugillo tribulationum aquas, & cœlos, vel cœlestes consolationes palmo ponderasti. Dies vltionis in corde tuo, qui vix exprimitur, & annus retributionis tuæ venit, & cum abundantia dilatatur. Visitas iniquitatem patrum in filios, in tertiam & quartam generationem eorum, qui oderunt te: & facis misericordiam in millia iis, qui diligunt te, & custodiunt præcepta tua. Bonitas ergo tua dona & præmia protrahit; sed clementia vltionem temperat. Cibas nos pane lacrymarum, & potum das nobis in lacrymis in mensura, vt scilicet erudiamur, & castigemur pœna, non opprimamur vindicta.

Deus clemens in puniendo. Isaiæ 40. 12. Isaiæ 63. 4. Exo. 20. 4.

Psal. 79. 6. Augustin. ibid. Ex D. Thoma opusc. 62. de diui. Deus nihil vltra vires à peccatore requirit. Isaiæ 38. 5. Lucæ 23. 42. Matth. 27.44.

2. A nemine, ô Domine, pro admissis peccatis ex clementia vltra vires requiris. Si quis posset in ieiuniis & orationibus, vigiliis & eleemosynis, & aliis similibus pro delictis satisfacere, gratum & acceptum habes. Si non possit, lacrymas ex corde, manantes accipis. Sic enim Ezechiæ & Petri fletum non respuisti. Si non valeat lacrymas fundere, verbo veræ compunctionis placaris. Sicut cùm Latro dixit ad filium in cruce pendentem: Domine memento mei, dum veneris in regnum tuum. Si vsu linguæ priuetur, gemitum cordis non repellis. Nam in quacumque hora ingemuerit peccator, ais, iniquitatum eius non recordabor. Si tandem homo præ debilitate gemere non posset bonam eius voluntatem haudquaquam respueres. Perditio ergo nostra ex nobis est, quandoquidem Dominum tam clementem habemus.

Osea 13. 19.

3. Clementiæ etiam tuæ est, ô Deus meus, quòd has easdem pœnas, quas pro peccatis exigis, per gratiam tuam tolerabiles & faciles efficis, adeò vt pœnitens superabundet gaudio, in omni tribulatione sua. Item, quòd postquam semel remiseris, si homo ad peccatum non redeat, numquam damnas vlciscendo, nec improperas confundendo, nec minus diligis imputando, neque alienaris à nobis familiaritatem subtrahendo. Clemens ergo es supra modum, ô Domine Deus noster, & non auertes faciem tuam à nobis, si reuersi fuerimus ad te.

2. Paral. 30.9.

CONTEMPLATIO L.

De mansuetudine Dei.

Ne confundas nos, sed fac nobiscum secundùm mansuetudinem tuam. Daniel. 3.42.

1. PVnctum. O Domine Deus clementissime, mansuetus etiam prædicaris, & meritò. Quoniam si (vt quidam dixit) mitis est qui iniurias fert sine læsione doloris: in te hoc maximè quadrat; quia (cùm humani affectus non sint in te) si homines tuam legem transgrediantur, nulla affectione doloris moueris. At mansuetudinem tuam in eodem effectu mansuetudinis filij tui euidenter cognosco; ille enim dixit: Tollite iugum meum super vos, & in eo discetis me esse mitem, & humilem corde, qui iugum suaue, & onus leue vobis imposui. Iugum legis ab ipso impositũ, à te quoque impositum est, nec alio iugo Christus, alio verò nos tu Deus Trinitas premis. Iugum autem, & onus hoc non est crudelis Domini, sed benignissimi, & mitissimi Patris. Præcipis nobis quod lex naturalis fieri iubet, vt omnia quæcumque volumus vt faciant nobis homines, nos faciamus illis. Ad præcepta autem supernaturalia auxiliis abundantissimis supernaturalibus roboras, vt non minus facilia quàm naturalia experiamur. Ex hac lege discimus te lenissimum & mitissimum esse, qui nobis vt filiis tuis suauia præceperis, & ad ea implenda potenter iuuaueris.

Guilier. Paris. tract. & de virt. c.17. Quis sit dicendus mitis.

Matth. 11.29.

Matth. 7.12.

2. In hoc deinde apparet, ô Domine, mansuetudo tua, quòd si esurit inimicus tuus iniquus peccator, cibas illum: si sitit, potum das illi, & carbones ignis, id est, beneficia magna congeris super caput eius, vt erga te affectu dilectionis ardeat. Numquam vinceris malo tu, qui insuperabilis es, sed vincis in bono malum. Verè tu Domine suauis, & mitis, & multæ misericordiæ omnibus inuocantibus te. Immo & erga non inuocantes mitis es. Nam inuentus es à non quærentibus te; apparuisti eis, qui te non interrogabant. Expandisti manus tuas ad populum non credentem, & contradicentem tibi.

Exempla diuinæ mansuetudinis.

Psal. 85. 5.

Rom. 10. 20.

3. Insuper mansuetudinis tuæ est, ô Domine, quòd præmias etiam parua dona, & dissimulas mala. De præmio exiguorum bonorum, ô quàm multa sciunt iusti tui; quorum paruam abnegationem statim præmio consolationis in oratione cumulas, & eam modicam oblationem te non despexisse manifestas. Dissimulationem autem malorum quis

Deus præmiis afficit parua dona.

non expertus est?Nobis enim peccantibus quotidie, ac si nō delinqueremus plurima bona concedis. Dissimulas verò, vt homo seipsum puniat,qui leniter se percutiet,& tua gratia adiutus contritione & operibus satisfactoriis peccatum suum perimat. Si autem ipse obliuiscatur,tu illum benignè corrigis. Vnde dixit Dauid:Quoniam superueniet mansuetudo tua, & corripiemur.] Corripe ergo me Domine, verumtamen in iudicio misericordiæ & mansuetudinis tuæ,& non in furore tuo,ne fortè ad nihilum redigas me.

Psal.89. 10. Ier. 10. 24.

De perfectionibus diuinis.

DECAS VI.

ANIMA diligens Deum suum, numquam de eo audire, numquam eius magnalia considerare prolixum, aut superfluum censet. Proponamus ergo ei alia decem, quæ de Domino ad meditationem afferre possit. Huiusmodi sunt. 1. Quòd Deus est suauis. 2. Quòd est dulcis. 3. Quòd est Sanctus. 4. Quòd est purus. 5. Quòd est creator. 6. Quòd est conseruator. 7. Quòd est Prouisor. 8. Quòd est Gubernator. 9. Quòd est Custos. 10. Quòd est Dominus. Et hæc tamquam ligna de nouo adiecta flammas amoris augebunt.

CONTEMPLATIO LI.

De suauitate Dei.

*Memoriam abundantiæ suauitatis tuæ eructabunt. Psal.*144.7.

1. PVnctum. O Domine Deus meus clementissime, atque mitissime, iam ad tuam suauitatem contemplandam accedamus. Optimi quidem gubernatoris est ita suum regimen moderati, vt nec efficacia eius in asperitatem transeat, neque suauitas vsque ad laxitatem procedat. Cùm autem sis princeps sapientissimus, & gubernatorum exemplar,hæc duo ita sunt in te perfecta,vt simul fortissimè atque suauissimè quidquid volueris consequaris. Attingis à fine vsque ad finē fortiter, & disponis omnia suauiter. In hoc posita est fortitudo tua, quòd quidquid efficaciter vis in effectum absque mora producis, & nemo valet resistere voluntati tuæ. Si volueris saluare nos,continuò liberabimur;& si damnare,quis perditionem euadet?In hoc verò suauitas tua,quòd naturis rerum te accommodas,& ad propensiones earum tuum concursum attemperas. Cum necessariis necessariò, cum contingentibus contingenter, & cum liberis liberè concurris. Sic omnia administras,quæ creasti,vt etiam ipsa proprios exercere & agere motus sinas. Sic nos efficaciter ad te vocas, vt tamen in manu proprij consilij relinquas. Trahis nos, sed amando trahimur, sine læsione, aut violentia trahimur, cordis vinculo trahimur:&ita nos gubernas,vt ad id quod destinasti mētis propensione & voluptate feramur.

2. Hæc etiam mira suauitas manifestè conspicitur in præceptis iniungendis. Nihil enim impossibile nobis præcipis, licèt præcipias perfecta, sed quæ nobis prona sint,& facilia:nam tu ad illa exequenda gratiam sufficientem,immo & sæpe naturalem propensionem attribuis. Ideo legem promulgans sic incipis:Ego sum Dominus Deus tuus. Ac si diceres, ego præcipio, qui ad faciendum opem ferre possum. Vires nostras particulatim expendis, & nō pateris nos tentari supra id quod possumus; neque aliquid exigis supra id quod valemus. Verbis blandissimis mones: Venite filij,audite me;timorem Domini docebo vos. Fili præbe mihi cor tuum,& aliis similibus. Si non obediamus statim, prudenter dissimulas,paulo efficaciùs moues,seueriùs vrges, & tandem vsquequo conuertamur expectas. Non eodem tenore omnia exigis, sed grauiora strictiùs, & sub interminatione æternæ pœnæ: leuiora indulgentiùs, & sub pœna temporali iubes. Imbecillibus compateris donis,& spe maiorum præmiorum allicis, & iuxta status & qualitates singulorum res faciendas, aut omittendas iniungis. O diligite iustitiam, & vt qui eam diligitis blandè vt rem magni pretij in thecis cordium subditorum recondite, qui iudicatis terram. Discite suauitatē in gubernādo ab eo, qui suauis est vniuersis,& miserationes eius super omnia opera eius.

Sap.8.1. *Esth.13. 9. In quo Dei suauitas eluceat.* *Aug.7.de ciuit.c. 30.* *Signum aliud suauitatis diuinæ. Exod.20. 2.* *Sap.1.1.* *Ps.144. 9.*

3. Si autem erremus, & delinquamus, ô piissime Domine,nos suauiter corrigis. Nam nos in nosipsos vindices facis, & quasi punitionem peccati in nostra voluntate & optione relinquis. Misisti enim Prophetam ad Dauid,qui diceret ei:Trium tibi datur optio(ad punitionem scilicet delicti)elige vnū,quòd volueris,ex his vt faciam tibi. Interdum postquam pœnam taxauimus, tu eam per internas inspirationes,aut per consilium prælatorum diminuis. Corda nostra spe indulgentiæ erigis, & immissis consolationibus cum peccatoribus ad te cōuersis paternè agis. Laudemus ergo te, ô Domine, quoniam bonus es;& Psal.lamus nomini tuo,quoniam suaue est. Oleum effusum nomen tuum,quod animo acceptum nos ad omnem lenitatem inducit,& suaues ac blandos erga proximos effiicit.

Deus nos suauiter corrigit. 4. Reg. 24.12. *Ps.134.3.*

CONTEMPLATIO LII.

De dulcedine Dei.

*Quàm magna multitudo dulcedinis tuæ Domine, quam abscondisti timentibus te. Psal.*30.20.

1. PVnctum. O Domine Deus suauissime,palato animæ nostræ dulcissimus es, immo ipsa omnimoda ac perfecta dulcedo. Dulcia gustus percipit, & qui non gustat, neque vmquam gustauit, nec verbis, nec signis explicare scit. At dicamus dulce esse quod inter gustabilia maximè gustum allicit,siue demulcet,& ideo tu dulcissimus es, qui te vel leniter gustantes in tui desiderium vehementer accendis. Dulce est,quo gustato reliqua quę paulo pòst accipiuntur desipiunt;sic cùm te gustamus,omnis caro desipit,omnia creata desipiunt, & cum nausea proiiciuntur. Cuique proprius panis, aut proprius cibus dulcis est quem auidè & delicatè sumit. At tu Domine panis noster es, quem subinde petimus, dicentes: Panem nostrum quottidianum da nobis hodie. Ergo in te est omnis nostra dulcedo. Heu me! Nam aruit tamquam testa virtus mea, quia oblitus sum comedere te panem meum. Timeam te amore filiorum, & gustabo te, quia hanc dulcedinem absconditam, seu custoditam habes timentibus te.

2. Parum dicimus,Domine,si te dulcem prædicamus,quia omnium dulcium dulcissimus & delectabilissimus es. Alia delectāt particulariter,sapida gustum, sonora auditum, & sic de cæteris. At tu dulcis es generaliter, quia omnium virium nostra-

Quæ dulcia dicātur. *Matth. 6.11.* *Psal.21. 16.* *Ex S.Th. opusc.61. c.4. Deus generaliter dulcissimus est.*

rum

rum bonum es. Es memoriæ dulcedo,quæ propter te vniuersorum obliuiscitur. Et dulcedo intellectus,qui si tantillum appareas,ad te rapitur.Et dulcedo voluntatis:nam in te solo quietem & iucunditatem experitur.Es denique dulcedo aliarum virium nostrarum,quia dulcedinis earum caussa.Alia dulcia sunt quasi extrinsecus, quia non admodum intrà sentiuntur. Sed tu intimè dulcis es,quia substantiam animæ penetras, ideóque medullitus delectas.Ingreditur anima,ô Deus meus,in te, & intrat in gaudium Domini sui. Ibi dulcedine absorbetur,& obruitur,& quidquid in eà est doloris,aut tristitiæ suffocatur. Alia denique dulcia sunt ad tempus,quia cùm ipsa transeant,& dulcedo eorum citò cum tempore transit.Tu autem es dulcis in æternum, quia numquam deficis, numquam discedis, nisi dimittamus te. O igitur vera & summa dulcedo,renuat consolari in his inferioribus anima mea, vt purissimam dulcedinem experiatur in te.

3. Nihil est in te, ô Deus amabilissime, quod dulce non sit.Sed quid mirum?quia quidquid est in te,tu ipse es.Substantia tua est ipsa animæ dulcedo. Nam parasti in dulcedine tua, nimirum in teipso, pauperi Deus. Eloquia tua dulcia, quod expertus est, qui dicebat: Quàm dulcia faucibus meis eloquia tua, super mel ori meo. Præcepta & iudicia tua dulcia. Desiderabilia super aurum, & lapidem pretiosum multu, & dulciora super mel & fauum. Protectio tua dulcis : Quia sub vmbra illius quem desideraueram sedi, & fructus eius dulcis gutturi meo. Contemplatio tuæ voluntatis dulcis. Nihil enim melius quàm timor Dei, & nihil dulcius quàm respicere in mandatis Domini. Spiritus tuus dulcis,& hæreditas tua super mel & fauum.Ac tandem hæc est interpretatio problematis : De comedente exiuit cibus, & de forti egressa est dulcedo. Nam tu qui nos ad te conuertis, nos pascis, & qui fortitudine tua tueris, dulcedine allicis. Hanc immensam dulcedinem tuam sitio, & pro ea omnia huius mundi dulcia despicio.

Psal.67. 11. Psal.118. 103.

Psal.18. 11. Cant.2. 3.

Eccli.23. 37. Eccli.24. 27.

Iudic.14. 14.

Contemplatio. LIII.

De sanctitate Dei.

Clamabant alter ad alterum, & dicebat:Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus exercituum. Isaiæ 6.3.

1. PVnctum. O Domine Deus dulcissime, sanctitas tua ineffabilis est:de qua quodammodo magis quàm de aliis perfectionibus gloriaris. Seraphin vt te collaudent, ter sanctum te vocant, non tantùm vt personarum Trinitatem indicent, sed vt te omnino sanctum, & pelagus sanctitatis insinuent. Quatuor etiam illa sacra animalia à Ioanne conspecta requiem non habebant die ac nocte,dicentia : Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus omnipotens. Et tu ipse ais : Sancti estote, quoniam ego sanctus sum. Hæc sanctitas tua (vt modo humano & puerili loquar) est virtus immensa tua, quæ vna & simplex existens, cumulus est vniuersarum virtutum. Illæ virtutes, quæ nullam in se imperfectionem habent, verè & propriè, ac secundùm infinitum modum in te sunt. Quare in te adoro infinitam sapientiam, infinitam iustitiam,infinitam misericordiam,infinitam liberalitatem,& alias virtutes suas. Quarum comparatione omnis virtus,& omnis sanctitas creaturarum nulla est.Vnde Ecclesia canit : Quoniam tu solus sanctus. Et pia illa mulier à te afflata cecinit : Non est sanctus vt est Dominus:neque enim est alius extra te,& non est fortis sicut Deus noster.] O fortissime Deus, qui per potentiam neminem iniustè opprimis,sed per sanctitatem extollis, ex abundantia sanctitatis tuæ aliquam stillam mihi concede.

Apoc.4. 8.

Leuit.11. 44.

Nostra virtus & sanctitas diuinæ comparata nulla.

1.Reg.2. 2.

2. Sanctitas hæc tua,ô Deus colendissime, non est otiosa, sed absque vlla intermissione sancta & perfecta operatur. Intra te cognitio tua,& filij generatio sancta est. Ideo ais:In splendoribus sanctorum,seu sanctitatis, ex vtero ante Luciferum genui te. Dilectio etiam tua, qua diligis, & spiras,est sancta:vnde & persona procedens Spiritus sanctus est. Omnia opera tua extra te facta sancta & perfecta sunt. Quare diceris fidelis in verbis tuis,& sanctus in omnibus operibus tuis. Et sanctum est templum tuum, mirabile in æquitate. Et omnia opera tua misericordia, & veritas. Illique tibi placent, qui iuxta talentum virtutis sibi datum opera virtutis præstare contendunt.

Dei sanctitas nũquam otiosa est.

Ps.144. 13. Psal.110. 6.

3. Est etiam sanctitas tua, Domine, omnis hominum & Angelorum sanctitatis exemplar. Nam licèt ipsa infinita sit, ita se accommodat, vt omnes ex illa sanctitatem addiscant. Incipientes à longè te sequuntur, proficientes propiùs accedunt, perfecti te perfectiùs imitantur.Omnes audiunt:Estote perfecti sicut & Pater vester cœlestis perfectus est. Et vniuersi quantumcumque crescant,nihilominus infinitè à te distant. Es enim quasi sol sanctitatis, alij quasi lucernæ supra modum exiguæ. Es quasi mare;alij quasi guttæ paruissimæ. Es verè Dominus omnium virtutum. Has quarum dominium habes cordibus nostris infunde. Et siquidem domum tuam decet sanctitudo, nos qui domus tua sumus diuitiis sanctitatis exorna. Qui tangit picem inquinabitur ab ea : sed multo magis, qui tangit te,sanctificabitur à te:quem decet impetium.Amen.

Dei sanctitas totius virtutis exemplar. Matth.5. 48.

Contemplatio LIV.

De puritate Dei.

Mundi sunt oculi tui ne videas malum, & respicere ad iniquitatem non poteris. Habac.1.13.

1. PVnctum. O Deus sanctissime, & perfectissime,in te infinitam puritatem agnosco, & ex omnibus viribus meis laudo. Sanctitas hominum quamdiu in hac vita degunt pura non est, sed aliquibus peccatis saltem leuibus, vel imperfectionibus mixta.De omnibus quippe scriptum est:Non est homo qui non peccet. Quòd si sanctitas beatæ Mariæ in hac vita,& cunctorum Beatorum nullam imperfectionem habet,id est, ex priuilegio tuo,aut ex ratione status beatitudinis, non ex natura voluntatis eorum. Sanctitas autem tua naturaliter purissima est, quia tam naturale est tibi non peccare, quàm Deum esse. In te nullum potest esse vitium nec minimum, nullum peccatum, nullus defectus,nulla imperfectio,sed omnia opera tua perfectissima sunt. Quare cecinit ille qui in domo tua fidelissimus fuit:Dei perfecta sunt opera,& omnes viæ eius iudicia : Deus fidelis, & absque vlla iniquitate, iustus, & rectus.] In te non potest esse peccatum ignorantiæ, quia omnia scis:neque obliuionis,quia omnium recordaris:neque impotentiæ,quia omnia potes:neque passionis,quia passioni non subiiceris:neque timoris, quia neminem times : neque malitiæ,quia summè bonus es. Quod

Hominũ sanctitas in hac vita nõ careret imperfectionibus.

Deut.32. 4.

Pſal.36. 27.

præcepiſti facis: Declina à malo,& fac bonum. Et cùm in te nullum poſſit eſſe mendacium, nullus dolus,nulla præcipitatio,nulla infidelitas,& breuiter nulla imperfectio,puriſſimus es, & omnia perfectiſſimè exequeris.

2. Ad hanc tuam puritatem ſpectat, ô amantiſſime Domine, quòd reſpicere ad iniquitatem nō poteris, ita ſcilicet vt eam approbes, aut in perpetuum diſſimules. Adeò vt ſi in homine,aut Angelo omnium ſanctiſſimo,& tibi præ omnibus dilectiſſimo peccatum, aut defectum aliquem inuenires, eum inultū abire numquam in animum induceres. Nos miſeri in his quos tenerrimè diligimus facile peccata diſſimulamus, aut ſine debita animaduerſione relinquimus. Tu verò qui fidelis es, & negare teipſum non potes, abſque dubio in hanc imbecillitatem non cades. Tu intentator malorum es,ipſe autem neminem tentas:& quia regula bonitatis & virtutis es,ad peccandum neminem prouocas.

Deus iniquitates non approbat.

Quidquid Deus præcipit,bonū, æquum. Deuter. 18.13.

3. Quidquid ergo tu præcipis, aut ſuades, Domine,eo ipſo bonum & æquum eſt, & tuæ puritati ac munditiæ conſonum: nihílque à nobis niſi veram mentis & corporis puritatem,& ab omni peccatò elongationem exquiris. Vnde ais ad me:Perfectus eris,& abſque macula cum Domino Deo tuo. Ad hoc niti & aſpirare vehementer cupio. Da vt hanc puritatem conſecter,vt omne peccatum deteſter,vt non de aliqua re mundi,ſed in te de tuę puritatis imitatione glorier. Quia verò hæc in vita mortali perfecta,& abſque culpa omnino eſſe non poteſt,expectatione futuræ vitæ cōſolabor me,inqua exhibebis ipſe tibi gloriosā Eccleſiam non habentem maculā,aut rugam,aut aliquid huiuſmodi.

Epheſ.5. 27.

CONTEMPLATIO LV.

Quòd Deus eſt Creator.

Qui viuit in æternum creauit omnia ſimul. Eccli. 18.1.

1. PVnctum. O Domine Deus ſanctiſſime,atque puriſſime, te omnium creatorem eſſe confiteor. Æternus es,& per æternitatem beatiſſimus ſine mundo fuiſti. At cùm tibi placuit dediſti initium tempori, & in eo durationis initio tu feciſti cœlum,& terram, & quidquid cœli ambitu continetur. Feciſti,inquā,omnes orbes cœleſtes;ſed præcipuè cœlum Empyreum regiam tuam,quod angelicis ſpiritibus,qui vrbem illam conderent,repleſti: & terram ac alia elementa,ex quibus in ſex primis mūdi diebus reliqua corruptibilia,quæ oculis corporeis cernimus,coagmentaſti. Sed dic nobis Domine, quódnam fuit in creatione mundi conſilium tuum? An opus erant tibi creaturæ tuæ? Non ſanè, quia nullius eges, & ſine vlla creatura tua ſemper fœlix & beatus exiſteres. An propter obſequia earum? Nequaquam, quoniam nihil tibi accedit ex noſtris obſequiis. An creaturarum pulchritudine illectus? Minimè,quia hęc exigua ſatis eſt,& te ſummam pulchritudinem incitare non potuit. Feciſti ergo res creatas,quia sūmè bonus es; meritóq; quidam ex tuis ſeruis dixit: Quia Deus bonus eſt, ſumus. Creaſti omnia, vt tuam infinitam perfectionem communicares,vt diuitias tuas in Angelos & homines tui capaces effunderes, vtque tuam gloriam & maieſtatem oſtenderes.

Eſther, 13.10.

Deus omnia creauit quia bonus erat. Auguſt.

2. Sed videamus, ô ſumme Deus, quandoquidem te omnium factorem agnoſcimus tum inuiſibilium, tum viſibilium, ex quibus lapicidinis hanc magnam mundi molem eduxiſti? ex qua materia iſtam domum admirandam fabricaſti? An fuit aliquid coæuum tibi,ex quo tuum opus efficeres? nam homines ex aliquo præexiſtenti ſua opera faciunt, & circa aliquid,quod ipſi non fecerunt,operantur: Haudquaquam ita fuit; ſed cùm ante orbem conditum nihil præter te omnino eſſet,cuncta ex nihilo creaſti. Quare illa ſapiens & fortis mater dixit ad filium ſuum:Peto,nate, vt aſpicias ad cœlum,& terram, & ad omnia, quæ in eis ſunt: & intelligas quia ex nihilo fecit illa Deus, & hominum genus. Quanta eſt igitur potentia tua, ô Domine, qui ipſum nihilum ſubigis,& ex illo ac ſi idonea materia eſſet, res tam pulchras,tam magnas,tam perfectas educis? Quis quantumuis nihil ſit, fiduciam non habebit in te, quod eum ſi volueris,ad magnam perfectionem exaltare poteris?

2. Mach. 7.28.

3. Et quibus machinis, vel inſtrumentis, aut quibus miniſtris aut adiutoribus tantū opus perfectum eſt? Nam Salomon ille regum potentiſſimus, habebat ſeptuaginta millia latomorum in monte, abſque præpoſitis qui præerant ſingulis operibus, numero trium millium, & trecentorum, vt templum illud, comparatione tui, minus quàm hirundinis nidum extrueret? Nemo fuit qui te adiuuaret, nullum inſtrumentum,quod ad perficiendum opus concurreret. Solùm adfuit imperium ſanctiſſimæ voluntatis tuæ. Vnde quidam Propheta tuus ait: Quis adiuuit Spiritum Domini? aut quis conſiliarius eius fuit,& oſtendit illi? Ac ſi diceret, nullus. Et alius: Ipſe dixit, & facta ſunt:ipſe mandauit,& creata ſunt.] Extendiſti, Domine,ſicut nihilum cœlos,id eſt, tanta facilitate,ac ſi nihil ageres, & expandiſti eos ſicut tabernaculū ad inhabitandum. Tibi ſeruiat omnis creatura, quia dixiſti, & facta ſunt: miſiſti ſpiritum tuum, & creata ſunt:& non eſt qui reſiſtat voci tuæ.

3. Reg.5. 15.

Iſaiæ 40. 13. Pſal.32. 9. Iſaiæ 40. 22. Iudith. 16.17.

4. Quamuis autem, ô potentiſſime Deus,vniuerſum orbem quoad præcipuas partes vno momento produxeris, tamen ſex diebus eum quaſi in partes cōgruè diſtinxiſti,& variis creaturis exornaſti. Non quidē quia non poſſes omnia repētè creare, ornare atque diſtinguere, ſed vt nos puſilli & exiguæ capacitatis opus hoc tuum meliùs intelligeremus,pro eo ſigillatim gratias ageremus,& neceſſitatem rerum intueremur,& modū operis iuſtificationis quod paulatim vſque ad perfectionē procedit,animaduerteremus. Primo ergo die creaſti lucem hanc pulcherrimam,quæ cēu facula ad res inſpiciēdas nobis ſubſeruit. Secūdò perfeciſti omnia illa, quæ inter terram & cœlum empyreū condita ſunt,quæ nomen firmamenti acceperunt, & aquas craſſiores à ſubtilioribus in ſupremā aëris regionē ſublatis,& in nubes coagmentatis diuiſiſti. Tertiò, aquas craſſiores terram operientes in vnum locum collegiſti,quod vocatū eſtmare,& terram mométo arefactam floribus, herbis, virgultis, & arboribus exornaſti. Quartò produxiſti duo luminaria magna ſolem,& lunam,quæ noctē diémque diſtinguerēt, & ſtellas,quæ in firmamento collocatæ his inferioribus influxu ſuo magnam vtilitatem adferunt. Quintò facti ſunt piſces & aues ex aquis, quorum illis mare, iſtis verò aër ad habitandum conceſſum eſt. Sextò feciſti animalia,ac poſtremò hominē dominū omnium ad imaginē & ſimilitudinem tuam, in cuius obſequium & adiumentū reliqua condita ſunt. Pro hac magna domo, & pro omnibus his creaturis mihi datis,gratias immenſas tibi ago, & te potentiſſimum ex toto corde amare conſtituo.

Quo ordine res creatæ à Deo.

Contemplatio LVI.

Quòd Deus est conseruator.

Portans omnia verbo virtutis suæ.

1. PVnctum. O Deus verissime ac potentissime omnium creator,non es tu vt artifices huius mũdi,qui semel opus suum perficiunt; postea verò tamquam à se non dependens omnino dimittunt. Sed conseruator huius artificij tui, & vniuersarum partium eius es;quas in esse retines, quia actionem illam primam,qua eas creasti,continuas.Itaque sicut lux Solis perpetuò à sole dependet, & statim atque abscedit,in interitum abit; ita omnis creatura ex tuo concursu & actione suspẽsa est,quam si subtraheres,statim in nihilum desineret.Appendis tribus sapientiæ,bonitatis,& potentiæ digitis molem terræ,& libras in pondere, montes & colles in statera.Cùm delinquo,ô Domine,corripe me,verumtamen in iudicio,& non in furore tuo, ne fortè ad nihilum redigas me. Et diligam te ex toto corde meo,à quo portor, & in æternum portabor, & in cuius vlnis misericordiæ sustentor. In téque fiduciam meam collocem, qui potes omnes hostes meos,& vniuersum mundum vno nutu delere.

Omnis creatura ex Dei cõcursu dependet. Isaiæ 40. 12. Ier.10. 24.

2.Mach. 8.18.

2. Non tantùm,ô Deus meus, vniuersæ creaturæ à te in esse, verùm in omni operatione dependent.Nec quicquam possent aut incipere, aut persequi, aut ad finem perducere, nisi concursu tuo perpetuo illas iuuares,& per illas quasi per instrumenta tua,opera faceres.Ideo Isaias ait: Omnia opera nostra operatus est nobis.] Et filius tuus vnigenitus dixit:Pater meus operatur, & ego operor.] Et quidam ex Prophetis vidit te stantem super murum litum adhuc liniens illũ. Quòd si ponas trullam cæmentarij, quam in manu habes, id est, concursum, quo nobiscum operaris,& non adiicias vltrà superinducere eum, murus dissipabitur, ac destruetur.Nec non,& capilli capitis tui,qui Sanctos significãt, visi sunt sicut lana munda:quoniam sicut capilli capite, ita & ipsi, & omnis eorum puritas,& quidquid habent à te sustinetur. Quanta est ergo magnitudo potentiæ tuæ, qui cum vniuersis Angelis,& hominibus,& reliquis creaturis in toto mundo perpetuò operaris, & nemini vmquam deficis, sed infallibiliter ei ad agendum assistis, & tamen non fatigaris,non solicitaris,sed infinita tranquillitate & iucũditate perfrueris.Fateor,Domine, meũ est esse semper à te recipere,& in operibus naturalibus & supernaturalibus à te pendere:cognoscam ergo actu,quod ex te,& per te,& in te operor, & numquam à tua præsentia excidam, sempérque tibi gratus existam.

Creatura in operando à Deo dependent.

Isaiæ 26. 12. Ioan.5. 17. Amos 7. 7.

Daniel. 7.9. Ex Rich. r. in Apoc.c. 4.

3. Ita omnia conseruas, vt nullam creaturam,ô Deus meus,ex his quas condidisti vmquam ad nihilum redigas. Aliquas quidem pro exigentia suæ naturæ corrumpis,sed ita vt loco earum alias substituas,& aliquid earum, nempe materiam, ex qua sequens creatura fit, perpetuò custodias. Quin & homines quamuis insigniter peccantes in esse conseruas,& patienter expectas. Quomodo enim posset aliquid permanere,nisi tu voluisses? aut quod à te vocatum non esset,conseruaretur?Si peccare volunt,concursum tuum non denegas,sed vt stes promissis tuis,cum peccantibus,quod in peccato naturale est,operaris:malitiam autem nõ facis,quæ priuatio rectitudinis est,à sola mala hominis voluntate profecta, quem,quoniã ita postulat natura eius, in manu consilij sui relinquis. Ne simus obsecro tam iniqui vt tuis beneficiis abutamur, & adiutorium tuum nequiter assumentes in te peccemus.

Sap.11. 26.

Deus est caussa entitatis peccati non verò malitiæ.

Contemplatio LVII.

De prouidentia Dei.

Tua autem,Pater,prouidentia gubernat. Sapient. 14.3.

1. PVnctum. O Domine Deus fidelissime conseruator omnium,ea quæ creasti non tantùm conseruas,verùm & eorum perfectissimam prouidentiam habes.Nam si prouidẽtia est ordinatio rerum in suos fines per conuenientia media, tu Domine omnia à te creata ordinasti in præstantissimũ finem manifestationis gloriæ tuæ, cùm scriptum sit: Omnia propter semetipsum operatus est Dominus. Insuper cuncta in suos proprios fines ordinasti huic vniuersali fini subiectos, sed præcipuè hominem, & Angelum, quos ad finem supernaturalem & diuinũ extulisti,vt scilicet te possiderent, tuáque infinita bonitate fruerentur.Visis autem,ac perspectis à te infinitis rationibus, ac mediis, quibus tum creaturæ tui capaces,tum aliæ rationis expertes in suos fines possent peruenire,ea elegisti,ac cuique creaturæ assignasti pro voluntate tua, quæ possent eam conuenientiùs ad suum finem consequendum iuuare. Hæc ergo prouidentia tua est omnium bonorum fons, quæ nobis & vniuersis rebus creatis proueniunt,& omnium malorum, quæ non patimur, remedium præsentissimum. Hæc est mater mea,quæ me genuit: nutrix quæ alit:magistra docens, regina gubernans:est protectrix in tribulationibus, consolatrix in afflictionibus. Per hanc sum & viuo,& ad vltimum finem meum,scilicet ad te fruendum tendo.

Quid sit prouidẽtia.

2. Habes itaque,Deus sapientissime, prouidentiam totius mundi,& eum per sapientissima media ad suum finem,scilicet ad teipsum conuertis, & ad tuam gloriam perducis.Habes etiam prouidentiam omnium partium eius, & omnium naturarum,seu specierum, ex quibus vniuersus orbis constituitur. Habes denique curam & prouidentiam cunctorũ singularium sub quacumque specie contentorum, etiam vilissimorum, adeò vt nec vnus ex passeribus cadat super terram sine te,& capilli capitis nostri omnes à te numerati sũt. O ergo perfectissima & mirabilissima prouidentia tua, quæ ita magnis intendit,vt minima non despiciat:ita minimis prospicit,vt maioribus nõ deficiat.Non eges Domine, cura erga teipsũ, & res tuas, sicut nos miseri, quia naturaliter es omne bonum, es ditissimus ac tibiipsi sufficientissimus,& ideo omnem curam & prouidentiam collocas in nobis.Omnibus quidem rebus, & vilissimis quoque vermiculis per teipsum immediatè prouides, quia rebus conseruantibus aut iuuantibus assistis, sed cùm infinitus sis & sapientissimus,& (vt ita dicam) capacissimus tot rebus simul intendens non anxiaris,non lassaris, non tædio afficeris,sed vniuersa facilius,quàm ego hunc calamum moueo, regis,& vitam tranquillissimam & beatissimam ducis.

Dei prouidentia erga mũdum & eius partes. Matth. 10.29.

Deo nulla sui ipsius cura.

3. Sed in hac consideratione, quæ suauissima est, aliquantulum immoremur. Tu Domine Deus meus specialem habes curam singulorum hominũ. Pusillum enim & magnum ipse fecisti, & æqualiter cura est tibi de omnibus. Exerces iudicium, & super gentem, & super omnes homines. Sic enim intendis singulis, ac si vaces à cunctis: & sic simul

Sap.6. 8. Iob 34. 19.

Ex Gre. 25.mora. c.13.

intendis omnibus,ac si vaces a singulis.Omnia administrando imples,regis implendo: nec vniuersis dees,cùm disponis vnum, nec vni dees cũ disponis vniuersa:cuncta naturæ tuæ potentia quietus operaris. Habes quasi vnum respicere multos,& quasi multos vnum. Nec ad multitudinem multus eris, nec ad paucitatem rarus, nec ad diuersitatem diuisus, nec restrictus ad vnum, nec anxius ad curas, nec perturbatus ad solicitudines.Sic sanè vni intẽtus vt non detentus;sic pluribus vt non distentus. Mei ergo curam habes, ac si nullius haberes, quid ergo anxior?quid solicitor?quare cogitatum meum in te non iacto? Certè tu dilectus meus intendis mihi,iam de cætero solùm intẽdam tibi, & omnes meas curas in hoc collocabo,vt te solum diligam, & tua iussa diligenter perficiam.

Ex Ber. ser.69.in Cant.

Cant.2. 9.

4. Est & aliud, ô superuenerandissime Deus, quod in hac tua prouidentia vehementer admirer. Nam ipsa licèt sit infallibilis,& suos fines efficacissimè consequatur, res tamen iuxta exigentiam naturæ cuiusque agere sinit, & rebus liberis nullam necessitatem imponit. Digladientur Theologi in componenda infallibilitate prouidentiæ tuæ cum nostri arbitrij libertate,& bona intentione,ac non sine vtilitate diuersas vias ingrediantur. Sed ego hoc vnum scio, quia maior est Deus homine: & quia per infinitam sapientiam tuam scis quomodo dispositiones tuæ infallibiliter proueniant, & dum nos interiùs rationibus suades, & desideria boni excitas,nostram libertatem non lædant.Multa quidem si scopum,quem præfixit sibi mens humana,inspiciamus,casu nobis accidunt,at casus nihil est, & fortuna nihil est comparatione tui. Nam sapientia cuncta cognoscis, & futura præuides, prouidentia præuenis, & sancta voluntate tua aut prædefinis, aut facienda permittis.Bonum enim omne prædefinis faciendum, malum tamen præscis, & vt inde elicias bonum ad effectum venire permittis.

Iob 33. 12.

Respectu Dei non est casus aut fortuna.

5. Denique licèt hæc prouidẽtia tua,ô suauissime Domine,circa omnia & singula specialis sit,tamen erga bonos specialissima est, & dulcissima, ac admiranda erga Sanctos atque perfectos.His te nõ tantùm Dominum, sed amantissimũ Patrem exhibes,his amantissimus sponsus appares,zelator boni sponsæ suæ.Hos assidue illuminas,inflãmas,prouehis,& à malo defendis, adeò vt casus & defectus eis cooperentur in bonum. Hanc specialem erga me prouidentiam cupiam,& vitę puritate promerear.

Rom.8. 28.

CONTEMPLATIO LVIII.

Quòd Deus est Gubernator.

Hic est Deus noster in sæculum sæculi, ipse reget nos in sæcula.Psal.47.5.

1. PVnctum. O Deus meus sapientissimè omniũ prouisor,non satis tibi est nostri prouidentiam habere, sed etiã voluisti nos, & omnia nostra per temetipsum gubernare. Quem enim constituisti alium super terram;aut quem posuisti super orbem,quem fabricatus es? Certè nullũ, qui primus ac supremus sit gubernator, sed hoc munus tibi ipsi ex amore & misericordia reseruasti.Et quid melius, quàm quòd tu orbis creator sis quoque eius gubernator, & rector, qui eum vt proprium peculium,ac vt opus manuum tuarũ respicis, & vt perfectũ efficeres ad suum finem perducis?Et quid vtilius quàm quod tu Domine sis supremus rector,& gubernator,à quo cæteri pẽdeant,à quo super alios potestatẽ accipiant?Sic enim omnia in officio continebis,pacem & concordiam creaturarũ seruabis,

Iob 34. 13.

& omnia etiam minima & contemptibilia,quę absque dubio tuæ gubernationi subsunt, non solùm ad fines proprios diriges,verùm in finem & bonũ totius vniuersi reuocabis.O eximiam cordis nostri lætitiam, quòd te rectorem habemus, ad quem in nostris miseriis recurramus.

2. Ita tamen,ô infinite Deus,omnium es gubernator, vt creaturas tuas non despicias, sed multas earum,vt Angelos,& multos ex hominibus,in partem huius tuæ gubernationis assumas. Id quidem facis, non quia adiutorio creaturarũ indigeas, qui es infinitè sapiens,& potens,sed vt eas honore prosequaris, ne otio torpere patiaris, & vt omni eas perfectione compleres.Hinc prouenit rerũ ordo,& quòd quædam superiores sint,quædã subditæ,istæ alias moueant,& istę ab illis moueantur,in qua inęqualitate magna splendet ęqualitas,& magna prouenit ex hac concatenatione tum superiorũ, tum inferiorum vtilitas. In omnibus ergo,à quibus aliquid boni accipimus, es diligendus, quia tu es in illis primus ac præcipuus bonorum donator.

Vnde rerum ordo proueniat.

3. Sicut autem,ô Deus meus,es initium gubernationis omnium,ita quoque es finis eiusdẽ. Nam omnia te faciente in hoc tendunt,vt secundùm capacitatem suam tibi assimilẽtur,tuámque gloriam, & multiplicem perfectionẽ manifestent. Agnoscis cunctarum rerum proprietates, virtutes,operationes,& singulorum multiplices rationes,& causas. Hæc verò vniuersa sic præordinas, & moues,quasi naturaliter fieri videantur. Et quamuis naturaliter fiant, ita tamen librata sunt in tua prouidentia, vt numquam excedant dispositionũ tuarum limites, & semper cedant in bonum manifestationis glorię tuæ, ac nostræ vtilitatis. Hunc igitur finem quem intendis, ego exquiram, & ad tuam maiorem gloriam omnia dirigam.

Ex Bon. 7.proces. religio. cap.7.

4. Sed propter effectus mirabiles huius gubernationis tuæ,ô Domine,nimis laudabilis es. Reges namque huius sęculi bona sua ex gubernatione cõsequi cupiunt. Et ideo Samuel dixit ad populum: Hoc erit ius regis,qui imperaturus est vobis:Filios vestros tollet, & ponet in curribus suis, & cætera quæ sequuntur. At tu, ô optime gubernator,bonũ tuarum creaturarum exquiris. Primò scilicet, vt omnes creaturæ tibi summo bono aliquomodo assimilẽtur,aliquídque tuæ perfectionis participent. Secundò vt creaturæ in se bonæ sint,& in aliis alicuius bonitatis sint caussæ.Tertiò denique vt quælibet res in suo genere proprium & specialem finẽ consequatur. Ita ergo me tuæ gubernationi obsequentem præbebo,si tibi assimilari, & sanctitatem consequi,& alios ad virtutem incitare curauero.

1.Reg.8. 11. Deus suarum creaturarũ bonũ quærit. Ex D. Th.1.p.q. 103.art. 4.

5. Est denique,ô dulcissime Deus,perfectissima ratio gubernationis tuæ. Est enim suauis ac planè paterna, qua omnibus ad suos fines consequendos propensionem tribuis,& non violenter,sed connaturaliter, ac spõtaneè ad id quod expedit perducis. Et quia homo post peccatum secundùm sensum in malũ tendit, gratia tua hanc propensionẽ cohibes, & amorẽ virtutis adauges.Est efficax,qua infallibiliter fit,quidquid vis fieri,& nos absque læsione liberi arbitrij ad id moues,& vt idem velimus facis. Est iusta,quia vnicuique creaturę,quod secũdùm naturã conuenit impertiris, & nos præmiis ad virtutem allicis,& minis à malis retrahis.Est tandem vtilissima, quoniam in hoc tendit, vt quãlibet creaturam ad suam perfectionem perducat.Laudo te,ô Deus amabilissime,quia regis me;absque dubio nihil mihi deerit, & tua prouidentia in loco pascuæ æternæ gloriæ(vt spero)tandem me collocabit.

Propietates diuinæ gubernationis.

Psal.21. 1.

CONTEMPLATIO LIX.

Quòd Deus est custos.

Custodiens paruulos Dominus humiliatus sum, & liberauit me. Psal.114.6.

1. PVnctum. O Domine Deus meus gubernator optime, & prouidentissime, opus huius gubernationis tuæ est nos in aduersitatibus custodire,& à malis seruare.Ideo seruus tuus Iob te nostrum custodem vocat,dicens:Quid faciam tibi, ô custos hominum.] In hoc mundo non solùm mala culpæ permittis fieri,verùm & mala pœnæ ordinas,& immittis,vt ex illis per tuam infinitam bonitatem atque potentiam bona multa effici consequaris. Vnde Amos ait:Si est malum in ciuitate, quod Dominus non fecerit ?] Quia videlicet nulla est pœna , quæ non te ordinante proueniat. Sapientissimè quidem ita disponis, tum vt in auferendis,aut moderandis his afflictionibus tuam potentiam,sapientiam, & bonitatem patefacias, tum vt ipsum mũdum generationum & corruptionum vicissitudine pro sua ipsius exigẽtia custodias;tum denique vt homines malorum sustinẽtia perficias. Sed placeat tibi vt considerẽ quàm benignè in his malis emergentibus te nostrũ custodem exhibeas.

Iob 7.20.

Amos 3. 6.

2. Tentationes aduersa sunt quæ patimur, quibus te permittẽte nos dæmon affligit. Te,inquam, permittente, quoniam ad nos non accedere auderet,nisi per te illi licuisset. Vnde sanctum Iob aggredi desiderans dixit ad te: Extende paululum manum tuam,& tange cuncta quæ possidet, scilicet permittendo , vt illum percutiã,nisi in faciem benedixerit tibi.] Et iterum petiuit à Domino nostro vnigenito filio tuo , vt mitteret eum in gregem porcorum , quasi non possit sine concessione tua nec minima,ac vilissima nostra contingere,sed in tentationibus à te permissis custos noster es:ita enim illas cum nostris viribus, & mensura gratiæ à te datæ metiris,vt possimus illas facile superare, & exercendo virtutes contrarias spiritu proficere, & ampliorem gloriã promereri. Quod Apostolus his verbis profitetur.Fidelis Deus est,qui nõ patietur vos tẽtari supra id quod potestis,sed faciet etiã cum tentatione prouentum,vt possitis sustinere.

Homines Deo permittente tentamur.

Iob 1.11.

Matth. 8.32.

1. Cor. 10. 13.

3. Persecutiones, quas à tyrannis, ab hostibus reipublicæ, à publicis inimicis,& falsis amicis patimur,inter aduersa computantur. Sed in his, quis te non est fidelissimum custodem expertus ? Permittis illas vt peccata inimicorum sunt,& ordinas ea ratione qua sunt pœnæ nostræ,vt his benignissimè nostra delicta punias, vt nos probes , vt tunsionibus nos pollias,atque perficias,vt similes vnigenito tuo facias. Et dum his malis ab hostibus opprimimur,à te ipsâ oppressione mirabiliter exaltamur,& in ipsos hostes benefici sumus.Nouit hoc Patriarcha Ioseph,qui à fratribus venditus vt periret,& à te Princeps Ægyptiorum effectus,dixit ad venditores suos veniam postulantes & misericordiam:Vos cogitastis de me malum,sed Deus vertit illud in bonum,vt exaltaret me,sicut in præsentiarum cernitis , & saluos faceret multos populos.] O igitur custos mi suauissime,cùm persecutionem patior,custodi me vt pupillã oculi,sub vmbra alarum tuarum protege me. Experiar & illud quod pollicitus es tuis : Qui tetigerit vos,tangit pupillam oculi mei.]

Deus custos in persecutionibus.

Gen. 50. 20.

Psal.16. 8.

Zach. 2. 8.

4. Ægritudines corporis, quas specialiter sustineo,aut fames,& pestes,& inclementiæ cœli,quas cum aliis perfero , non parum me cruciant atque molestant, sed in his te custodem meum animaduerto. Ab his namque frequẽter me eripis,& sicut Loth & suos à Sodomis;ita à procella maris, & à periculis terræ tumentis eduõis. Ægritudines autem & molestias corporis,quæ non sine voluntate tua,nec sine signata à te mensura proueniunt, mirum est quomodo aliquando penitus auferas , interdum lenias,interdum in eodem statu relinquas, aut augeas,vt me à maioribus malis custodias. Nã si virtus in infirmitate perficitur, etiã à detrimento liberatur. O quàm sæpe his molestiis corporis excoquis ad purum scoriam meam,& aufers omne stannum meum,vt vocer ciuitas iusti , vrbs fidelis. Vt glorier in infirmitatibus meis,quibus compungor & emendor , vt habitet in me virtus Christi. Sed cùm me ægritudines è viuis auferẽt,numquid à custodia desistes ? Nullo modo. Immo tunc solicitiùs custodies. Cùm cecidero non collidar, quia tu Domine suppones manum tuam.Corpus meum vsque ad diem resurrectionis in terra custodies, & spero de benignitate tua quòd animam meã quam creasti, & filij tui sanguine redemisti, in fasciculo viuentium seruabis.

Deus custos in corporis laboribus & ærumnis custos.

Isaiæ 1. 26.

1. Cor. 12. 6.

Psal.36. 24.

5. Ac tandem in miseriis animæ meæ, ô Deus meus, te fidelissimum custodem inuenio. Sæpissime cado,& delictis me inficio ? Sed ex illis me misericorditer per pœnitẽtiam eripis,& humiliorem & cautiorem efficis. Passionibus & turba inanium cogitationum inquietor ? Sed auxilia tribuis , vt affectus superem,vt cordis dispersiones cohibeam, & ambulem super leonem & draconem. Quin & post tempestatem tranquillum facis, & me in admiranda quadam mentis pace constituis. Hinc ergo elucet , quoniam tu es custos paruulorum. Ac proinde me paruulum & humilem faciam, vt tuæ sanctissimæ custodiæ beneficio perfruar.

Deus custos in miseriis animæ.

CONTEMPLATIO LX.

De dominio Dei.

Domine , Domine Rex omnipotens , in ditione tua cuncta sunt posita. Esth.13.9.

1. PVnctum. O Domine Deus meus , & custos meus fidelissime, tu dominator meus es, ac omnium eorum , qui mihi molestiam afferre possunt,vt sciam quia in voluntate tua est illos compescere,& me ab eorum insidiis liberare. Magnum quid maiestatis & authoritatis in hoc tuo dominio super creaturas elucet. Homines quidem domini sunt (te donante dominium) paucarum rerum, & nemo est,qui omnium habeat dominatum. At tua est terra,& plenitudo eius, orbis terrarum & vniuersi qui habitant in eo. Tuum est cœlum,& cœlum cœli,& terra,& omnia quæ in ea sunt. Dominus vniuersorum es tam Angelorum,quàm hominum. Ordinatione tua perseuerat dies , quoniam omnia seruiunt tibi. Tuum est aurum,& tuum est argentum. Denique tua sunt omnia,& cõparatione tui nullus est dignus, qui Dominus appelletur. Adeò vt in hoc sensu illud Domini nostri Iesu Christi filij tui possimus accipere : Nemo potest duobus dominis seruire ; quia cùm vnus tantùm sit omnium Dominus,non datur secundus vniuersalis dominus, cui possimus obtemperare.

Deuter. 10. 15.

Psal.21. 1.

Psal.118. 91.

Aggæi 2. 9.

Lucæ 16. 13.

Ex Ambros. lib. 7. super Lucam.

2. Dominium hominum erga illas res,quarum dominium habent,tuũ dominium, ô Deus potentissime,non excludit:nam tu illorum qui possidẽt, & illarũ quæ possidentur,vniuersalis es Dominus. Insuper & nostrum dominium valde exiguum est.

Diſcrimẽ inter Dei dominiũ & noſtrum.

Nam ſi referatur ad ſeruos, actionũ quidem ipſorum ſumus domini, in quantum eos iure poſſumus in noſtris obſequiis occupare, circa corpus verò, & animam nullã poteſtatem habemus. Similiter animalium & aliarum rerum, ita ſumus domini, vt ea debeamus in bonos vſus inſumere, & non poſſimus ſine vitio aliquo vt libet prodigere. At comparatione tui vniuerſa omnino quoad actiones, & vires, & ſubſtantiam tua ſunt, quia à te habent totum quod habent, & expectant totum quod expectant, & habitura ſunt. Vnde potes ea ſine vlla iniuria vel immutare, vel corrũpere, vel in nihilum vertere. Si repentè interroges, & ex mundo auferas, quis reſpondebit tibi, aut quis poteſt tibi dicere, cur ita facis?

Ex S. Thoma opuſc. 61. p. 1. c. 5.

3. Et quidem, ô Domine Deus, ita ſupremus es Dominus vt ſemper hoc tam ſuperabundanti dominio in bonum creaturarum vtaris, & hominem tibi nullo interiecto medio ſubdideris, & ipſum maximi dominij participem feceris. Minuiſti eum paulominus ab Angelis: gloria & honore coronaſti eum, & conſtituiſti eum ſuper opera manuum tuarum Omnia ſubieciſti ſub pedibus eius, oues, & boues vniuerſas; inſuper & pecora campi. Volucres cœli, & piſces maris, qui perambulant ſemitas maris. Homines audierũt à te: Replete terram, & ſubiicite eam, & dominamini piſcibus maris, & volatilibus cœli, & vniuerſis animãtibus, quæ mouentur ſuper terram. Auxiſti dona: nam eos dominos omnium amicos tuos eſſe voluiſti, & vt te diligerent amore charitatis, vt à te eodem diligerentur præcepit. Studeamus igitur amici eſſe tibi, à quo amamur, & ſerui eſſe tibi, cui tantis beneficiis obligamur. Amen.

Pſal. 8. 6.

Gen. 2. 28.

De perfectionibus diuinis.

DECAS VII.

QVAM honorificum eſt huic ſupremo Domino ſubdi, huic potẽtiſſimo Imperatori famulari. Qui obſequium non propter ſe (cùm nullius indigeat) ſed pro me petit, & dum illi ſeruio, in magnam me dignitatẽ extollit. Ne igitur tam perfunctoriè tranſeamus ab hoc dominio Dei, ſed aliquid adhuc de illo dicamus, & decem alia ad amorem noſtrũ inflammandũ conſideremus. 1. Quòd Deus eſt Dominus exercituum. 2. Quòd eſt poſſeſſor cœli. 3. Quòd eſt Rex. 4. Quòd eſt magnus. 5. Quòd eſt ſublimis. 6. Quòd eſt excelſus. 7. Quòd eſt amabilis. 8. Quòd eſt deſiderabilis. 9. Quòd eſt laudabilis. 10. Quòd eſt incomparabilis. Et hæc etiam ſocordiam cordis noſtri depellent.

CONTEMPLATIO LXI.

Quòd Deus eſt Dominus exercituum.

Niſi Dominus exercituum reliquiſſet nobis ſemen, quaſi Sodoma fuiſſemus. Iſai. 1. 9.

1. PVnctum. O Deus meus, verè ac ſupremè dominator omnium, ſi omniũ dominaris, non dubium quin exercituum cœleſtiũ Dominus exiſtis. Quia verò cœli nomine tria ſolemus intelligere: vel cœlum Empyreum in quo habitas: nam cœlum tibi ſedes eſt; vel cœlũ ſidereum, in quo ſtellas collocas, de eóque dixiſti ad Abraham: Suſpice cœlum, & numera ſtellas, ſi potes;] vel Eccleſiam, in qua nos ſeruas, quæ theſauro abſcõdito in agro ſimilis dicitur; quaſi trium exercituũ te Dominũ ac imperatorem agnoſco. Hos mirabili ratione regis, eis perfectiſſimè dominaris, eorúmque inuictã fortitudinem in bonum noſtrũ vtilitatémque conuertis. Propter hanc autem dominationem tuam cupio te ex toto corde laudare.

Cœli nomen trifariã accipitur. Gen. 15. 5.

2. In cœleſti Hieruſalem ciuitate ſancta tua nouem habes exercitus Angelorũ, qui (vt ſecundùm morem humanum loquar) diuinam maieſtatem tuam cingant, & tibi in omnibus vt ſummo regi deſeruiant. Hi ſunt natura nobiliſſimi, rerum notitia ſapientiſſimi, ſanctitate perfectiſſimi, virtute robuſtiſſimi, ſplendore pulcherrimi. Nullus autẽ numerus à nobis excogitandus eos comprehendit. Nam in Iob legimus: Numquid eſt numerus militum eius?] quaſi numerum nõ eſſe ſignificet. Horum ordinem, munera, impigrámque obſequendi ſedulitatem nemo valet exponere; cuique conceditur admirari, & exclamãdo dicere: Beati ſerui tui, qui ſtant coram te ſemper, & audiunt ſapientiam tuam.] Ne tamẽ omnia prætereamus, hæc tua cœleſtis militia in duos ordines diuiſa eſt: quidam enim eorum aſſiſtunt tibi, quidam verò miniſtrant. Millia millium, ait, miniſtrabãt ei, & decies millies centena millia aſſiſtebant ei.] Aſſiſtunt innumerabiles, vt perpetuò te laudent, & benedicant, & diligant, & beato tuo conſpectu paſcantur. Miniſtrant autem etiam innumeri, vt tua iuſſa perficientes inferiora rectè adminiſtrentur.

Dei nouẽ exercitus.

Iob 25. 3.

3. Reg. 10. 8.

Dan. 7. 10.

3. His Angelis miniſtrantibus tu, Domine magne, & potens, mundũ hunc inferiorem gubernas. Ex illis ſunt qui orbes cœleſtes mouent, qui elementa ad pacem iuuant, qui augmento ſpecierum rerum corruptibilium deſeruiunt: qui regnis, rebus publicis, vrbibus, & minoribus oppidis, & religioſorum, & virginũ cœnobiis, & Eccleſiis præficiuntur, & omnium rerum bono conſulunt. Quiſque profectò vehementer ſtupebit, qui hanc tuorum militum diſtributionem per totum orbem mente perſpexerit. Sed quis cuſtodes Angelos ab hac narratione diſiunget, quos in ſignum magni erga nos amoris tui, & in ſubſidium infirmitatis noſtræ, & in fugam dæmonum præparaſti. Hi ergo quia tu præcipis, & quia nos diligunt, & quia ſedes a malis angelis perditas impleri impensè cupiunt, omnes homines etiam viliſſimos diligenter cuſtodiunt. Verbum enim eſt filij tui: Videte ne contemnatis vnum ex his puſillis, quia Angeli eorũ ſemper vident faciem Patris mei.] Et cuique noſtrùm dicit Dauid: Angelis ſuis mandauit de te, vt cuſtodiant te in omnibus viis tuis.] Iſtorum miniſterio ab erroribus peccatíſque purgamur, virtutũ cognitione & exercitatione illuminamur; orationis, contemplationis, & amoris ſtudio perficimur; à periculis corporis liberamur; & ex bonorum noſtrorũ temporalium, & honoris, ac famæ, reliquorúmque augmento gaudemus. In vita nos erudiunt, in morte protegũt, & tibi depoſitum animarum noſtrarum lætantes reſtituunt. Pro hoc inſigni beneficio impensè te laudo, & Angelum cuſtodem meum honore proſequi, & ipſi obedire conſtituo.

Mundus inferior Angelorum miniſterio gubernatur.

Angeli cuſtodis munia. Matth. 18. 6. Pſal. 90. 13.

4. In corporibus cœleſtibus, ô Deus magne, & terribilis, habes exercitum innumerabilem ſtellarum, quas Moſes & Sophonias, & alij ſcriptores ſacri militiã cœli vocarunt. Hi milites tui nullo poſſunt à nobis numero comprehendi, vtque id oſtenderes dixiſti ad Abraham ſeruum tuũ: Suſpice cœlum, & numera ſtellas, ſi potes; ſic erit ſemen tuũ.] Tibíq; ſoli numerus earum cognitus eſt. Tu namq; numeras multitudinem ſtellarum, & omnibus eis nomina vocas. Dux ſupremus huius militiæ, quem

Deuter. 17. 3. Soph. 1. 5. Gen. 15. 5. Pſ. 146. 4.

creaſti,

creasti,& ei præfeciſti,eſt ſol luce ſplendidus,facie decorus,virtute robuſtus. Anteſignanus ſeu ſignifer eſt luna vexillũ claritatis præferens. Stellæ verò vt acies ordinatiſſima,optimè ſunt inter ſe diſpoſitæ. Quottidie ordinatè prodeunt, & hæc corruptibilia circumeunt, & ſuo circuitu ac motu cuſtodiunt,& à multis malis defendunt.Cùm cœlum ſuſpicio, & hanc copioſam militiam ad vitæ naturalis conſeruationem paratam intueor, certè clamare compellor: Quoniam magnus es tu; & faciens mirabilia: tu es Deus ſolus.]

Stellarũ dux ſol, luna ſignifer.

Pſal.85. 10.

5. At in hoc cœlo, ſitu quidẽ inferiori,ſed deſideriis ſublimiori,quod eſt Eccleſia,quiſnam eſt,ô Deus meus, exercitus tuus? An cœtus multiplex Eccleſiaſticorum,& religioſorum,in quorũ habitu & conuerſatione apparet,quia ſunt milites tui? Ita ſanè; de illis namque dixiſti: Super muros tuos Hieruſalem conſtitui cuſtodes,tota die & nocte in perpetuum non tacebũt.] Horum exemplo populos ædificas,oratione ſuſtines, doctrina erudis, labore defendis, lupos hæreticorum arces, & hanc domum tuam ab omni malo cuſtodis. Hanc militiam tuam, ô Domine Deus exercituum,tu virtute & ſanctitate robora, vt oratione & vita quaſi tibi vim faciant, & illud quod Iſaias ſubiungit adimpleant:Qui reminiſcimini Domini ne taceatis,& ne detis ſilentium ei,donec ſtabiliat, & donec ponat Hieruſalem laudem in terra.]

Dei exercitus in Eccleſia. Iſaiæ 62. 6.

Iſaiæ 62. 7.

Contemplatio LXII.

Quòd Deus eſt poſſeſſor cœli.

Leuo manum meam ad Dominum Deum excelſum poſſeſſorem cœli,& terræ. Gen.14.22.

1. PVnctum. O ſumme Deus Domine exercituum,meritò etiam diceris poſſeſſor cœli & terræ: quoniam vtrumque nimia dilectione complecteris.Hominum nonnulli alicuius rei dominiũ habent,ſed quia nõ poſſunt,aut quia nolunt illam non poſſident. Non poſſunt interdum, quia à potentiore pellũtur,& ſpoliantur. Nolunt verò,quia rem vt contemptibilem & inutilem derelinquunt. Neutro ex his modis à poſſeſſione cœli & terræ deiiceris.Nemo enim eſt te potẽtior,qui te ſpoliet, & tua violenter diripiat.Diligis quoque cœlum & terram,& de eorum poſſeſſione gloriaris,dum ais: Nónne cœlum & terram ego impleo.] Vnde Angelis & hominibus vtenda tradis, dominium verò perfectum, & poſſeſſionem omnimodam tibi retines, & cõtinua & indirupta apprehenſione eorum (quia ſi ea non apprehenderes,in nihilum redigerentur) te poſſeſſorem ipſorum conſtituis.

Ier. 23. 24.

Deus cœli & terræ poſſeſſor ex multiplici iure.

2. Multis autem rationibus,ô Domine,cœlum & terram poſſides,& vt res tuas apprehendis. Nimirum ex iure creationis,quia ea ad tuam gloriam condidiſti. Ex iure emtionis, quia quottidie quaſi nouum pretium perſoluis, quatenus actuali concurſu,ne iſta in nihilum vertãtur,cuſtodis. Ex iure donationis; quoniam cœlũ & terra ſponte ſe tibi donant,& ad te tendunt,nam ſine te ſubſiſtere nequeunt. Et tandem ex iure præſcriptionis, cùm à momento creationis ea poſſederis.Quòd ſi ad modum noſtrum de poſſeſſione loquamur,& aliquam apprehenſionem ad illam requiramus,quis dubitat cœlum ſedem tuam eſſe,in qua actualiter ſedes, & terram ſcabellum pedum tuorum? Cœlos palmo concludis, & terram tribus digitis appendis; certum eſt ergo,quòd cœlum & terram poſſides.

Iſaiæ 40. 12.

3. Si verò nomine cœli accipiamus corda iuſtorum,corda cœleſtia,& nomine terræ corda peccatorum,corda terreſtria:horum etiam poſſeſſores. Corda terrena poſſides,quæ facillimè dono gratiæ tuæ ad bonam frugem conuertis. Corda cœleſtia tenes, quæ indies ad maiorem virtutẽ promoues. Lux poſſeſſio tua eſt,qua & peccatores illuminas, & iuſtos iam illuſtratos maiori lumine comples. Rogo te Domine,vt cor meum poſſideas,& manu benignitatis tuæ iugiter teneas,ne ab eo quod tibi placet vmquam deflectat.

Iob 39. 33.

Contemplatio LXIII.

Quòd Deus eſt Rex.

Intende voci orationis meæ, Rex meus,& Deus meus. Pſal.5.3.

1. PVnctum. O Domine Deus meus, poſſeſſor cœli & terræ, dominium tuum regium eſt, quod à nullo alio depẽdet,nullúmque ſuperiorem agnoſcit. Rex es regum,& Dominus dominãtium. Qui cùm oportet,baltheum regũ diſſoluis,& præcingis fune renes eorum. Ducis ſacerdotes inglorios, & optimates ſupplantas. In hilaritate vultus tui omnium vita,& clementia tua gratiſſima,quaſi imber ſerotinus. Hoc regnum tuũ nullis limitibus circumſcribitur,ſed ad omnia quæ ſunt tum viſibilia,tum inuiſibilia,& vno verbo ad orbem vniuerſum extenditur. Domini enim eſt regnum, & ipſe dominabitur gentium. Nullis etiam temporibus coanguſtatur,ſed per omnem æternitatem durabit. Regnum tuum, regnum omnium ſæculorum; & dominatio tua in omni generatione & generationem. Nec ſolùm finem nõ habebit,verùm & numquam mutationem ſentiet, ſed ſemper in eodem ſplendore & gloria conſiſtet. Regna huius mundi regna rotunda,quæ ad modum rotæ voluuntur,& ad decrementum,ac tandem ad non eſſe properãt. At regia tua,in qua habitas,& regni tui imago pulcherrima in quadro poſita eſt; & longitudo eius tanta eſt,quãta & latitudo. In eam nulla cadit mutatio,nulla magnitudinis,aut ſplẽdoris imminutio.

Iob 12. 18.

Prou.16. 15.

Pſal. 21. 29.

Pſ. 144. 13.

Apoc.22. 16.

2. Nemo autem valet cõprehendere, ô Domine,quàm ſapienter & iuſtè hoc regnum tuum gubernes,& regas. Ipſum in magna pace & tranquillitate conſeruas;quòd ſi aliqua huic paci repugnare videantur, occulta quadam ratione facis,vt redundent in pacis augmentum. Delicta iuſtè punis, obſequia cumulatiſſimis præmiis afficis, & vt magnificentiſſimus rex amicos fideles tuos ad ingentes ſpiritus opes prouehis.Ita omnia diſpoſita ſunt in ditione tua, vt manifeſtè appareat ſapientiſſimi & potentiſſimi regis prouidentia gubernari.

Deus quàm ſapienter ſuum regnũ gubernet.

Regũ eſt ſubditorũ preces audire. Pſal. 120 4.

3. Quia autem valde proprium regum eſt petitiones ſubiectorum audire,& eorum negotia benignè ac breuiter expedire; mirum profectò eſt in hac re quantum emineas. Ecce, ô anima mea,non dormitabit, neque dormiet,qui cuſtodit Iſraël, ſed ſemper attentus,ſemper expeditus ad te auſcultandum,& tuas poſtulationes excipiendas exiſtet.Aduocas omnes,Domine,tum iuſtos,tum etiam peccatores,vt ad te accurrant, vt ſuas miſerias & indigentias aperiant. Neminem deſpicis, neminem repellis,neminem,ſi debitè petat, vacuum & deſolatum abire permittis.Si quod poſtulatur expediat, benignè concedis,& aut ſtatim,aut opportuno tẽpore (neque enim omnia ſtatim dari conuenit) in effectum producis. Ais enim: In tempore placito exaudiui te,& in die ſalutis auxiliatus ſum tui.] Si autem quod oramus minimè nobis conueniat, tu qui rex ſapientiſſimus es, aliud conducibilius do-

Iſaiæ 49. 8.

nas, & quod inutile esset, aut petenti noxium, in aliud vtile & proficuum commutas.

Regũ est reipublicæ munera & officia partiri.

4. Si etiam ad reges pertinet reipublicæ munera & officia partiri, hoc etiam tu Domine Rex nosster sapientissime exequeris. Regna & dignitates tum sæculares, tum sacras distribuis, & licet aliqui ex regibus vel gubernatoribus, aut prælatis nõ satisfaciant, haudquaquam erras, quia propter peccata populi hypocritam regnare permittis. Tu hominibus propensionem ad diuersa studia tribuis, quoniam gubernatio tua suauissima est, & nulla est occupatio, quamuis laboriosa, quamuis vilis, ad quam aliquos non applices ne hominibus aliquid ad vitam necessarium desit. Ad res autem altioris ordinis, vt (exempli gratia) ad religiosum statum, quem natura non appetit, propensionem supernaturalem immittis. Ita demum vniuersum orbem, sed præcipuè tuam Ecclesiã disponis, vt ex ordine rerum, & distributione munerum apertissimè constet, te supremũ esse regem, qui vniuersa gubernas.

Contemplatio LXIV.

De magnitudine Dei.

Quoniam Deus magnus Dominus, & Rex magnus super omnes Deos. Psal. 94. 3.

1. PVnctum. O Domine Deus meus, Rex Sanctorum, verè magnus es, & laudabilis nimis, & magnitudinis tuæ non est finis. Magnus quidem non mole corporis, quia spiritus es purissimus, sed perfectione virtutis. Quia verò aliquid duob⁹ modis dicitur magnum, vel secundùm se, vel comparatione ad aliud; vtroque modo maximus es. Relatiuè quidem, quoniam vniuersus orbis si tecum conferatur, nihil omnino est coram te. Id denotant illa verba Isaiæ: Ecce gentes quasi stilla situlæ, & quasi momentum stateræ reputatæ sunt; ecce insulæ quasi puluis exiguus.] Omnes gentes quasi non sint, sic sunt coram eo, & quasi nihilum, & inane reputatæ sunt ei. Absolutè verò etiã maximus es. Nam tu Domine es immẽsæ capacitatis cuncta continentis: de quo nõ insulsè aliquis dixit, te esse circulum incircumscriptibilem, cuius centrũ vbique est, circumferẽtia autem nusquam. Es immensæ altitudinis cunctis præeminentis, & verè terribilis, & rex magnus super omnem terram. Es immensæ profunditatis, cuius inscrutabilia iudicia à nemine comprehenduntur: quare diceris magnus vincens scientiam nostram. Es immensæ longitudinis, quia æternitate omnia præcedis. Magnus es in æternum, & in omnia sæcula regnum tuum. Si ergo excelsior cœlo es, & profundior inferno, longior terra, & latior mari, non dubium, quin meritò prædiceris magnus.

Deus dupliciter magnus.

Isaiæ 40. 15.

Iob 3. 6.

Tob. 13. 1.

Iob 11. 8.

2. Nihil in te, ô Deus meus, est paruum, sed omnia magna. Quare de te canit Dauid: Magnus Dominus, & magna virtus eius, & sapientiæ eius non est numerus.] Magnus es dominatione, quia omnibus imperas. Magnus virtute, quia omnia potes. Magnus sapientia, quia omnia cognoscis. Magnus misericordia, quæ sanè magna est super me, & eruisti me de inferno inferiori. Magnus denique in omnibus perfectionibus tuis. O fortissime, magne, potens, Dominus exercituum nomen tibi. Magnus consilio, & incomprehensibilis cogitatu. Si res quo melior est, eo est maior, tu qui in omni sanctitate & virtute optimus es, meritò Deus maximus prædicaris. Magnus es, & laudabilis nimis, & magnitudinis tuæ non est finis.

Pſ. 146. 5. Omnia quæ in Deo, sunt magna.

Ier. 32. 19.

Pſ. 144. 3.

3. Apud nos, ô Domine, aliqua magna sunt quadam participatione tui, sed quæ ad se accedentes magnos non faciunt. Sæpe enim ad montem magnum, vel ad principem magnum accessi, & pusillus sicut antè permansi. At tu ita magnus es, vt vniuersos ad te accedentes magnos & illustres facias. Accedunt sancti, & perfecti ad te non passibus corporis, sed affectibus cordis. Et statim, ô bone Domine, quàm magni fiunt! Magni gratia, quia efficiuntur principes, & filij tui. Magni virtute, qua terrena proterunt, visibilia despiciunt, & in sola cœlestia, quæ verè sunt magna, oculos mentis intendunt. Magni opinione, quos reges huius sæculi metuunt, venerãtur, & colunt. Constituis eos principes super omnem terram, vt eam pro suo arbitratu disponant. Vtinam, ô Deus magne, & omne bonum meum, ad te accedam, vt illuminer, & magnus efficiar.

Deus ad se accedẽtes efficit magnos.

Pſal. 44. 17.

Contemplatio LXV.

De sublimitate Dei.

Hæc dicit excelsus, & sublimis, habitans æternitatem. Isai. 57. 15.

1. PVnctum. O Domine Deus meus, hæc magnitudo tua aliis duobus nominibus, quibus sublimis & excelsus nominaris, amplius elucet. Sublimitas ad terrena refertur: dicitur enim sublimis, quasi super limum; celsitudo verò ad omnia etiam cœlestia reuocatur. Es ergo sublimis, quia omnem altitudinem terrenam sub pedibus habes. Cœlum, inquis, sedes mea, terra autem scabellum pedum meorum.] Terra, id est, omnia terrena scabellum tuum, quoniam ex illis parum tui innotescit. Terra, id est, Ecclesia militãs scabellum tuum, quia nunc pedes tuos, id est, parum de te cognoscit, donec videat facie ad faciem. Terra tandem, id est, humanitas filij tui scabellum tuum, illud scilicet, de quo alio loco dictum est: Adorate scabellum pedum eius, quoniam sanctum est,] quia illa plenè subiecta tibi est, iuxta illud: Tunc & ipse filius subiectus erit ei, qui subiecit sibi omnia.] Valde itaque sublimis es, qui omnem terram subteris, etiam illam, quam in persona filij tibi coniungis.

Deus sublimis super altitudinem terræ. Iſaiæ 66. 1.

Pſal. 98. 5. 1. Cor. 15. 28.

2. Sublimitatem hanc tuam, Domine, & altitudinem doctrinæ tuæ in vilitate nostra abscondere non vereris, in quo eam admirabiliorẽ ostendis. Quare Isaias postquam te sublimem & habitantem æternitatem appellauit, ista subiũgit: Sanctum nomen eius in excelso, & in sancto habitãs, & cum contrito & humili spiritu; vt viuificet spiritum humilium, & viuificet cor contritorum.] De doctrina autẽ tua ait Paulus: Habemus thesaurum istum in vasis fictilibus, vt sublimitas, operum nimirum, quæ te donante facimus, sit virtutis tuæ, & non ex nobis.] Quanta ergo sublimitas tua, quæ ad nos descendens nõ deiicitur, immo ea nos exaltamur, & in vasis testeis asseruata, in hominibus corruptibilibus nulli periculo interitus exponitur.

Isaiæ 57. 15.

2. Cor. 4. 7.

3. Comparatione tandem alterius terræ sublimis es, nimirum comparatione iniquorum, quos tuis pedibus calcas. Qui pedes tui nisi Sancti tui? De quibus Dauid: Adorabimus in loco, vbi steterunt pedes eius.] His pedibus peccatores si in peccatis perseuerent proteris. Ciuitatem namque sublimem humiliabis. Conculcabit eam pes, pedes pauperum gressus egenorum. Si ad te redeant, doces. Nam qui appropinquant pedibus tuis, accipient de doctrina tua. Quare si hi pedes tui, nimi-

Terra dicuntur iniqui. Pſal. 131. 7.

Iſaiæ 26. 6.

Deuter. 33. 3.

rum

rum humiles,& infirmi ſublimati ſunt ſuper omnẽ terram, quàm in immenſum amplius tu ſublimaberis,& omnem terræ altitudinem tibi ſubiicies.

CONTEMPLATIO LXVI.

De celſitudine Dei.

*Excelſus Dominus, & humilia reſpicit, & alta à longè cognoſcit. Pſal.*137.6.

1. PVnctum. O Domine Deus meus,qui ex eo quòd viſibilia ſuperas ſublimis diceris,ex eo etiam quòd inuiſibilia & cœleſtia excellis, excelſus prædicaris. Celſitudo tua ſuper omnes ſpiritus cœleſtes,infinita eſt.Illi namque ſunt facturæ tuæ, tu factor:illi potentiæ, & ſanctitatis limitatæ, tu nullis terminis circumcluſæ: illi natura ſerui, tu natura Dominus, cui obedire ſumma eſt illorum fœlicitas. Excelſus non tantùm ſuper omnes gentes Dominus,ſed & ſuper omnes cœlos gloria eius. Quia nimirum cœleſtes ſpiritus tibi ſubiicis,& eorum celſitudinem tui comparatione rem humilem facis. Et probamus,quia excelſo excelſior eſt alius, & ſuper hos quoque eminentiores ſunt alij,& inſuper vniuerſæ terræ Rex imperat ſeruienti.Ponis, Domine, nubem aſcenſum tuum, qui ambulas ſuper pennas ventorũ. Quia videlicet omni Sanctorum puritati ſuperemines. Excelſus es ergo cui omnia ſubduntur,quem omnia creata, & creanda, & poſſibilia venerantur.

*Pſal.*112. 4.

*Eccli.*43. 11.

*Pſal.*103. 3.

2. Excelſa, & nimium ſupra nos eleuata videre non poſſumus, niſi acies oculorum noſtrorum inſolita luce & virtute roboretur.Ex hoc autem elucet, ô ſumme Deus,tua immenſa celſitudo; quòd nec animæ ſanctæ iam carne ſolutæ, nec Angeli, nec ſuprema Seraphim te poſſunt intueri, & oculos mentis ad te leuare,niſi eos ſupernaturali virtute robores,& lumine gloriæ circumdes.Pulchritudinem candoris tui admirabitur oculus illorum ſpirituum cœleſtium,& cùm te vident amicum lumine ſicut veſtimento, planè fatentur te ſolum altiſſimum eſſe, quem vniuerſa creata debeant admirari.

Ex quo Dei celſitudo innoteſcat.

*Eccli.*43. 8.

3. Illud autem,ô Deus meus, ſtuporem ingerit, quòd cùm excelſus ſis,non excelſa, ſed humilia & abiecta benignè reſpicis; alta verò atque ſuperba cum indignatione cognoſcis.Humiles benignè reſpicis, cùm donis tuis impleas,& tua gratia excelſos facias. Viſus es ſedens ſuper ſolium excelſum, & eleuatum,ſuper naturam nimirum angelicã natura excelſam,& gratia eleuatam, & ea quæ ſub te erant replebant templum.Humiles,qui ſub te ſunt replent templum,& domum tuam ſuis diuitiis ornant; qui verò ſuperbi ſunt non ornant, ſed vacuant. Hos repellis, & de ſede deponis, & meritò, quoniam tu ſolus excelſus es,& ideo qui cùm viliſſimi ſint,ſe altiores reputãt,merentur contemni. Ab omni ergo ſuperbia me euacua, vt celſitudinem tui amoris accipiam.

Deus excelſus humilia reſpicit.

Iſai. 6.1.

CONTEMPLATIO LXVII.

De amabilitate Dei.

*Patribus tuis conglutinatus eſt Dominus, & amauit eos. Deuter.*10.15.

1. PVnctum. O Domine Deus meus ſublimis, & excelſe, alta & ſublimia apud nos facile ſuſpiciuntur,atque timentur,non tamen facilè impenſo amore diliguntur; at in te non ita eſt:nam ſi ob altitudinem es dignus timeri, ob eamdem quoque es dignus amari. Quis non videat amabilem eſſe celſitudinem, quæ meam extremam vilitatem non deſpicit, quæ ad meam paruitatem ſe demiſit, quæ me ad ſuam celſitudinem & maieſtatem extulit.O igitur ſumma celſitudo Dei mei,admodum amabilis es.Me enim vidiſti cœno peccati ſubmerſum,& à te auerſum, & non me cõtemſiſti. Immo maieſtas tua deſcendit ad me,& per aſſumtionem carnis in perſona filij ad ſummam humilitatem ſe deiecit. Quin & me in illa humanitate aſſumta ad ſuam dexteram collocauit. Conglutinatus es,ô Domine,charitate nimia mihi,ac patribus meis,vt amor tuus meũ amorem accendat, & celſitudo tua tam benigna,tam in me miſericors ſcintillas ex duro lapide cordis mei dilectionis eliciat.

1. Cauſſa amabilitatis Dei.

2. Amabile quidem bonum, vnicuique autem proprium: tu autem Deus altiſſime ſummè bonus es in te,& ſummè bonus mihi,vnde meritò amabiliſſimus reperiris. Tua celſitudo eſt celſitudo bonitatis, & perfectionis; quia perfectione, & pulchritudine,& bonitate omnia perfecta, pulchra,& bona in infinitum excedis. Si ergo hæc ob limitatam & paruam bonitatem ſunt amabilia, quanto magis excelſa & ſupereminens bonitas tua erit omni amore digniſſima. Tua quoque celſitudo eſt optima mihi,eſt namque celſitudo potentiæ protegentis,ſapientiæ docentis,& bonitatis ſanctificantis me.Eſt celſitudo vitæ,quæ me viuificat; ſalutis, quæ me ſanat; honoris, quæ me nobilitat; voluptatis,quæ me delectat; opum,quæ me bonis replet. Eſt tandem celſitudo, quæ me deſpicabilem & puſillum non repellit,ſed ad ſe donis,& beneficiis, & inſtinctibus trahit; quæ me benignè amplexatur, & ineffabili amore proſequitur. Tanta eſt ergo amabilitas tua, quanta eſt celſitudo tua: quæ profectò ſi te non diligam, non me excuſat, ſed magis accuſat,quòd in bonorũ origine meum amorem non colloco,& illum ad vilia deflecto.

2. Ratio amabilitatis Dei.

3. Quòd ſi amabile eſt illud, quo ſumus, quo viuimus,quo bonis implemur,tu certè amabilis es, à quo ſolo omnia bona ſuſcipimus, & ſine quo omnibus bonis orbamur. Dante te illis, ſcilicet creaturis,colligent, aperiente te manum tuam omnia implebuntur bonitate. Auertente autem te faciem turbabuntur:auferes ſpiritum eorũ,& deficient, & in puluerem ſuum reuertentur. Emittes ſpiritum tuum,& creabuntur:& renouabis faciem terræ. Quis non experiatur amabilem eſſe à quo omne bonum procedit? Diligam ergo te Domine fortitudo mea,& firmamentum meum, ſine quo nullum bonum habebo.

*3. Cauſſa amabilitatis Dei. Pſal.*103. 28.

CONTEMPLATIO LXVIII.

Quòd Deus eſt deſiderabilis.

*Guttur illius ſuauiſſimum,& totus deſiderabilis. Cant.*5.16.

1. PVnctum. O Domine Deus meus amabiliſſime, totus amabilis es, & totus deſiderabilis. Quid enim deſideramus niſi bona & amabilia, quæ nondum poſſidemus, & habere poſſumus, & quibus maximè indigemus. Te autem infinitum bonum, & ſummum amabile nouimus; à te heu abſentes ſumus,& videmus te tantùm per ſpeculũ, & in ænigmate,non autem facie ad faciem:& certum nobis eſt,quia te cõſequi poſſumus,quia merces noſtra es. Cur ergo non te vehementer cupiamus. Sicut deſiderat ceruus ad fontes aquarum,ita

Quæ ſub deſiderio cadant.

*Pſal.*41. 2.

deſide

desiderat anima mea ad te Deus. Sitiat anima mea ad Deum fortem viuum,& dicat:Quando veniam, & apparebo ante faciem Dei?

Cant.5. 12.

2. O quàm desiderabilis es Domine, cuius caput,id est,natura diuina,quæ omnium tuarum perfectionum quasi origo cõsideratur,vt aurum optimum est, omnia pulchra & amabilia in infinitum excedens. Cuius comæ,scilicet cogitationes,super filios hominum nigræ,id est, abscõditæ & incomprehensibiles sunt. Cuius oculi sapientiæ sicut columbæ mundissimi, nihil impurum approbando conspiciunt. Cuius genæ puritatis, sicut areolæ aromatum odore suo, seu meditatione earum nos ad omnem sanctimoniam prouocant. Cuius labia legis nobis ad custodiam propositæ sicut lilia distillantia myrrham omnis affectus terreni abscissionem exigunt. Cuius manus potentiæ quasi tornatiles aureæ plenæ hyacinthis pulchra,& mira in cœlis & in terris operantur. Cuius venter misericordiæ, quo nos gestas, eburneus, quo custoditi non periclitabimur. Cuius crura fortitudinis, vt columnæ marmoreæ numquam excident. Cuius aspectus iucundissimus vt Libani,& in beatis, qui te frũuntur perpetuus vt cedri. Profectò,ô dilecte animarum nostrarum totus es desiderabilis, & extra te nihil est desiderabile,nisi quod ad tibi obsequendum & te fruendum conducit.

3. Creata desiderare, nec obtinere,magna miseria & afflictio est, obtinere autem non semel est damnationis initium.Te autem in hac vita desiderare fœlicitas, & consolatio animæ est, & præter naturam desiderij animus nescio quomodo in hoc desiderio quiescit. Multa in hac vita desideramus, & numquam assequimur; qui te autem vt oportet concupiuerit,absque dubio consequetur. Tu ergo solus, ô amabilissime Deus,desiderabilis es,qui in hac vita tui desiderio nos beas; & si te perseueranter & efficaciter desiderauerimus,in futura vita tui possessione ac fruitione replebis. Tu itaque sis amor meus, & desiderium meum, & hoc sit studium animæ meæ desiderabilem desiderare, & ab omnibus creatis auerti.

Deũ desiderare fœlicitas anima.

CONTEMPLATIO LXIX.

Quòd Deus est laudabilis.

*Magnus Dominus,& laudabilis nimis, terribilis est super omnes Deos. Psal.*45.4.

1. PVnctum. O Domine Deus meus summè amabilis, & totus desirabilis, dignus profectò es, qui in perpetuum ab omni creatura tua benedicaris, atque lauderis. Tria sunt,quæ summo iure laudem & exaltationem extorquent:perfectio naturæ,magnitudo operum,largitas beneficiorum. Natura tua in infinitum perfecta, & pulchra, & suprema est, qua superexcedis omnia. Substantia mea, & omnium rerum creatarum tamquam nihilum ante te. Opera tua sunt cœlum, & terra, & quidquid eis continetur. Mirabilia opera tua,& anima mea cognoscit nimis. Et quàm magnificata sunt opera tua Domine,omnia in sapientia fecisti. Beneficia tua nullo sunt numero comprehensa. Nam omne datum optimum,& omne donum perfectum desursum est,descendens à te Patre luminum. Dignus es itaque quòd semper lauderis, & tripliciter exalteris, magnificeris, & benedicaris, & glorificeris, quia tua perfectio infinita est, quia opus tuum mirabile est, quia largitas tua in donando nullis terminis inclusa est.

Tria laude dignã putãtur. Psal.38. 6. Psal.101. 26. Psal.138. 14. Iacob.1. 17.

2 Omnis creatura secundùm capacitatem suã te Domine,debet laudare. Opus affabre factum seipso laudat artificem suum. Ideo omnis creatura bona in suo esse, atque perfecta inuiolabili lege obseruans quæ præcepisti ei, semper laudat te factorem suum.Quod aspiciens Dauid,cecinit:Cœli enarrant gloriam Dei; & opera manuum eius annunciat firmamentum.] Impotens beneficium recipiens à potentiori laudat datorem, & protectorem suum.Illa ergo creatura à tua laude se eximat, quæ nõ a te beneficia recepit.Quòd si omnis creatura cuncta bona habet à te, omnis etiam laudet te. Immo,si aliquod est momentum in quo omnia bona quæ habet à te non accipiat,in perpetuum à tua laude se subtrahat. Si autem singulis momentis quidquid habemus à te recipimus, singulis etiã momentis ad tuas laudes respiremus. Meritò ergo omnes creaturæ ad tuam laudem inuitantur,& audiunt: Benedicite omnia opera Domini Domino; laudate,& superexaltate eum in sæcula.] Quoniam hoc bonum illis est,& debitum tibi, summam bonitatem tuam semper laudibus celebrare.

Psal. 18. 2.

Deus assiduè laudandus, quia continuus benefactor. Dan. 3. 57.

3. Si autem ad maiorem laudem persoluendam tenetur, qui plura & maiora bona recepit, homo super omnes creaturas, ô Deus meus, & maiori laude te laudet, siquidem pluribus & maioribus bonis ditatus est. Aliis creaturis tua, homini verò tua & temetipsum dedisti,& eum ad esse Dei exaltasti,& in Christo ad tuam dexteram collocasti. Is qui plus laudis debet, ex peccato minus aptus est debitum laudis persoluere. Quia tamen tu summè bonus es, ab hoc impotente & paupere debitore, non propter te,sed propter illum, & bonum illius laudes vel exiles,quas referre potest,exigis: Sacrificium,ais,laudis honorificabit me.Et immola Deo sacrificium laudis.In perpetuum igitur propter temetipsum,& propter opera tua & propter beneficia nobis exhibita te laudemus,& de te magnificè sentiamus.

Homo ante alias creaturas Deũ laudare debet.

Psal. 49. 14.

CONTEMPLATIO LXX.

Quòd Deus est incomparabilis.

*Quis in nubibus æquabitur Domino: similis erit Deo in filiis Dei. Psal.*88.7.

1. PVnctum. O Domine Deus meus laudabilissime, hoc etiam in tua maiestate contemplor, quòd nihil ex rebus creatis potest tibi comparari. Es profectò incomparabilis in natura tua. Nam cætera ab alio,nempe à te,esse acceperunt,tu à nemine esse habes,sed à teipso subsistis. Alia habent durationis initium, tu ab æterno, & in æternum es Deus. Alia sunt ex variis perfectionibus cõposita; tu verò es simplicissimus,& purus actus omnem cogitabilem perfectionem in hac simplicitate summa comprehendens. Domine Deus virtutum,quis similis tibi? Potens es Domine, & veritas tua in circuitu tuo. Ipsa veritate, & ipso esse vestiris,cùm tamen nos,si quod ex nobis habemus spectetur, non esse circumdemur, quare in nullo tibi comparabiles sumus.

Deus incõparabilis in natura.

2. Tria autem sunt, ô Domine, in quibus præcipuè Scriptura sancta te incomparabilem facit. Primò quidem in sapientia. Omnis namque sapientia humana, vel angelica vestigabilis est, ar

Isaiæ 40. 28.

non

Eccli.3. 1. non est inuestigatio sapientiæ tuæ. Per sapientiam tuam terra fundata est,cœli constabiliti sunt,abyssi quoque eruperunt, & nubes rore concrescunt. Deinde es incomparabilis in potentia. Tu enim dominaris maris potestati;motum autem fluctuum eius tu mitigas.Tu humiliasti sicut vulneratum superbum, in brachio virtutis tuæ dispersisti inimicos tuos.Et tuum brachium cum potentia,cùm tamen cæterorum brachium sit prorsus impotens.Ac es incomparabilis in sanctitate. Non enim est sanctus,vt est Dominus,neque enim est alius extra te, & non est fortis sicut Deus noster. Et quis similis tui in fortibus Domine? quis similis tui? magnificus in sanctitate, terribilis, atque laudabilis, & faciens mirabilia. Quia verò omnes perfectiones tuæ æquales sunt, sicut in his tribus, ita & in reliquis omnibus nemo potest tecum conferri.

Psal.88. 10. Deus in tribus præcipuè incomparabilis.

1.Reg.2. 2. Exod.15. 11.

3. Homo ergo, ô Deus meus, non se tibi comparet,quia ab omni iustitia excidet, sed tibi se per omnia & in omnibus subdat. Verè scio quòd ita sit, & quòd non iustificetur homo compositus Deo. Si voluerit contendere cum eo, non poterit ei respondere vnum pro mille. Absit à me; tecum nullo modo contendam; nequaquam me tibi coæquabo, sed corpus, & animam, & quidquid in me est,libentissimè tibi subiicio.

Iob 9.2.

De perfectionibus diuinis.

DECAS VIII.

HIs omnibus considerationibus hoc quærimus, non componi per superbiam, sed per humilitatem & amorem subiici Deo, & desiderium eius vnionis inflammari. Alia autem adhuc suppetunt, quæ huic fini perfectionis assequendæ deseruiant; ideoque sequentia decem nomina de Deo consideremus. 1. Quòd Deus est Diues.2.Quòd est Legislator.3.Quòd est Omnipotens.4. Quòd est Beatus.5. Quòd est Saluator.6.Quòd est Merces.7. Quòd est Glorificator animarum. 8. Quòd est suscitator corporum. 9. Quòd est primus,& nouissimus.10. Quòd est vltimus finis. Quæ ad vnitatem quoque diuinitatis pertinent.

CONTEMPLATIO LXXI.

Quòd Deus est diues.

*Idem Dominus omnium, diues in omnes,qui inuocant illum.Rom.*10.12.

1. PVnctum. O Domine Deus meus potentissime atque sanctissime, magnæ & inexplicabiles sunt diuitiæ tuæ. Diues est qui nullius eget, qui sibi sufficit:ditior, qui præter hoc, & aliorum indigentias subleuare potest:ditissimus, qui sibi,& omnibus quod necessarium & iucundum est, habet.Omnes hinc cóstat comparatione tui esse pauperes,quoniam ope aliorum egent,te autem solum esse ditissimum, qui nullius indiges, & omnibus sufficis.Opes tuæ quibus tibi sufficis,& à nullo aliquid petis,sunt infinitæ perfectiones naturæ tuæ. His adeò plenus bonorum es, vt sine creaturis per æternitatem fœlix ac beatus extiteris;quas condidisti in ipsarum bonum, & emolumentum,non in alicuius indigentiæ tuæ aut imbecillitatis subsidiũ. Planè in hoc cognosco,quia Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges. Tu tibi cibus, tu tibi potus,tu tibi splendida vestis,nã decorem indutus es.Tu tibi domus,& prædium,& regnum,& ampla atque infinita possessio. Et vt te tibi sufficientem esse demõstres,per Dauidem ais:Non accipiam de domo tua vitulos, neque de gregibus tuis hircos. Si esuriero non dicam tibi, meus est enim orbis terræ, & plenitudo eius.] Diuitiæ tuæ veræ & solidæ sunt,quas nec fur surripit,nec tinea corrodit, & quia à tua deitate ac perfectione non secernuntur,decrementum sentire non possunt.

Quis dives, ditior, ditissimus sit.

Psal.15. 1.

Psal.93. 1. Psal.49. 9.& 12.

2. Omnibus etiam creaturis diues es, Domine, tu solus illis sufficis;immo tum cœlestes substãtiæ, tum terrestres à te quottidie stipem essendi,& perfectionis,& virium, & operationũ accipiunt. Sunt tibi diuitiæ sapientiæ,de quibus Paulus:O altitudo diuitiarum sapientiæ, & scientiæ Dei, quibus nos illuminas. Sunt tibi diuitiæ bonitatis;& de his idẽ Apostolus:An diuitias bonitatis eius,& patientiæ, & longanimitatis cõtemnis,] quibus nostra innumera & magna flagitia sustines. Sunt tibi diuitiæ gratiæ,quæ superabundauit in nobis. Sunt tibi diuitiæ gloriæ quas in vasis misericordiæ, nimirum in prædestinatis ostendis.Diues es in misericordia, qua nobis salutem affers. Diues in omnibus spiritualibus bonis, quibus in nos diuitias confers. Et benedictio tua diuites facit,nec sociabitur eis afflictio.Si ergo amici diuitum multi,cur ô ditissime tibi non adhæremus? cur tuam amicitiam non ambimus?

Deus suis creaturis dives est.

Rom.11. 33. Rom.2. 4.

Eph.1.7.

3. Si autem ad opes temporales oculos conuerto,omnes diuitiæ tuæ sunt.Tui sunt cœli,& tua est terra,orbem terræ, & plenitudinem eius tu fundasti;aquilonem & mare tu creasti. Tua sunt omnia, & quæ de manu tua accepimus, reddimus tibi.Diuites huius sæculi de micis, quæ cadunt è mensa tua,repleti sunt. Tu illos ditas, & donis abundare facis, quæ apud te nullius momenti sunt:nam ea non semel in peccatores,& te ignorantes effundis, & ab his, qui tibi obsequuntur, ipsarum contemtum exigis. Ex his tamen opibus vnum tantùm, quod maximè mirabile est, præterire non possum. Quomodo scilicet vniuersis hominibus,& animalibus per omnes ætates alimenta abundantissimè præbes. Oculi omnium in te sperant Domine, & tu das illis escam in tempore opportuno :aperis tu manum tuam, & imples omne animal benedictione.] Sed vt bruta animalia mittam,quis poterit numerare,quot mensuras frumenti, vini,& olei,quot animalia, & aues, quantam abundantiam fructuum, & olerum, & leguminum quottidie in hominibus reficiendis insumis. Ex penu tuo singulis diebus extrahitur,quod in mensis Regum,& principum, & nobilium, & cunctorum mortalium apponitur,& tamen numquam exhauritur,numquam minuitur. O igitur diues, respice hunc pauperem coram te iacentem, & da illi vmbratiles diuitias contemnere,& te verum thesaurum amare.

Rom.9. 23. Eph.2.4. Prou.10. 22. Prou.14. 20. Psal.88. 12. Opes Dei temporales.

Psal.144. 15.

CONTEMPLATIO LXXII.

Quòd Deus est Legislator.

Ecce Deus excelsus in fortitudine, & nullus ei similis in legislatoribus.Iob 36.22.

1. PVnctum. O Domine Deus ditissime, non tantùm (vt ita loquar) tibi curæ est diuitiis tuis increatis frui,& diuitias creatas hominibus & reliquis rebus communicare, sed omnibus etiam

leges ferre, vt in hoc regno tuo nihilminus ordinatum existat. Non est similis tui in legislatoribus. Hi enim potestate à te accepta, immo & à rebus publicis, quibus imperant, paucis hominibus leges ferunt. Per me, inquis, legum conditores iusta decernunt. Tu verò à temetipso leges condis, & omni creaturæ quid sibi agendum sit immutabili lege præscribis. Leges istæ tuæ rerum naturis impressæ iustissimæ sunt, quæ ad gloriam tuam prouchendam, & orbis à te conditi cõseruationem tendunt. Sunt etiam suauissimæ, quæ naturæ & propensioni rerum conueniunt. Imposuisti leges cœlis vt mouerentur: terræ vt fructus proferret; & cæteris rebus vt otio ablegato, suos effectus producerent. Vnde Iob ait: Quando ponebat pluuiis legem, & viam procellis sonantibus.] Et alius quidã: Quando certa lege & gyro vallabat abyssos, & legem ponebat aquis, ne transirent fines suos. Quòd si hæc tam fortuita tuæ legi subduntur, quãto magis alia maiora & stabiliora tua lege gubernantur. Nihil est ergo in rebus inanimis & rationis expertibus, cui non legem, quam custodiret, indideris. Omniáque perfectissimè legibus à te latis obediunt. Nam statuisti ea in sæculum sæculi, præceptum posuisti, & non præteribit. Et ipsi venti & mare obediunt tibi.

Prou. 8. 15.

Leges Dei naturis impressæ iustissimæ.

Iob 28. 26. Prou. 8. 27.

Ps. 148. 6.

2. Sed præcipuam legem, ô Domine, Angelis & hominibus posuisti. Illis quidem vt tibi assisterent, & perpetuò ministrarent. Ab hac lege ipsi neque latũ vnguem discedunt. Semper, inquit Author veritatis, vident faciẽ Patris. Et vbi eras cùm me laudarent astra matutina, & iubilarẽt omnes filij Dei. Istos verò lege duplici, naturali & supernaturali, ligasti, vt non secundùm rationem tantùm viuerent, sed etiam per custodiam præceptorũ supernaturalium, tui conspectum, & suam beatitudinem obtinerent. Hanc duplicem legem non in membranis, sed in cordibus insculpsisti, ne eam emergens aliqua occasio deleret. Signatum est enim super nos lumen vultus tui Domine. Et dabo, ais, legem meã in visceribus eorum, & in corde eorum scribam eam. Ad eam custodiendam vires tum naturales, tum supernaturales dedisti. Quare verbum tuum est: Mandatum hoc, quòd ego præcipio tibi hodie, non supra te est, neque procul positum, neque in cœlo situm. Sed iuxtate est sermo valde, in ore tuo, & in corde tuo, vt facias illum. Nullus ergo poterit de legis à te latæ difficultate caussari.

Leges Angelis & hominibus posita.

Iob 38. 7.

Psal. 4. 7. Ier. 31. 33.

Deu. 30. 11.

3. Hanc legem homines transgrediuntur non quidem Domine ex impotentia, sed ex permissione tua. Maluisti enim tuæ legis fractionem sustinere quàm hominem absque iure sui arbitrij & libertatis relinquere. Ab initio constituisti hominem, & reliquisti illum in manu consilij sui. At propositis præmiis, & intentatis pœnis ad legis custodiam excitasti. Adiecisti mandata, & præcepta, atque dixisti: Si volueris mandata seruare, conseruabunt te. Apposui tibi aquam, & ignem, ad quodcumque volueris porrige manum. Sciat ergo homo, quia vnus est legislator, & iudex qui potest perdere, & liberare, & primò ob timorem pœnæ, deinde ob spem præmij, & tandem ex puro amore tuis legibus obsequatur.

Dei permissio in legis trãsgressione. Eccli. 15. 14.

Iacobi 4. 12.

CONTEMPLATIO LXXIII.

De omnipotentia Dei.

Non est alius Deus omnipotens præter eum? Tob. 13. 4.

1. PVnctum. O Domine Deus legislator sapientissime, nullus est terminus potentiæ tuæ, ac proinde meritò vocaris omnipotens. Nam & potes facere quidquid tua infinita sapientia videt possibile fieri. Fecisti omnia, quę hactenus facta sũt. Facis vniuersa, quæ nunc fiunt, & in esse conseruas. Facies & conseruabis cuncta, quæ futura sunt. Hæc eadem, si volueris, poteris inuertere, immutare, prouehere, imminuere, vel in nihilum vertere. Potes & alia in infinitum facere, quæ numquam fient, & nullam contradictionẽ, aut repugnantiam inuoluunt. Subest tibi cùm volueris posse; & nemo est qui resistat voluntati tuæ. Non est impossibile apud te omne verbum. Immo nec tibi quicquam est difficile. Gaude, ô anima mea, quoniam Deum habes, qui omnia quæcumque voluit fecit. Omnia prorsus quęcumque voluit, fecit Dominus in cœlo, & in terra, in mari, & in omnibus abyssis.

Sap. 12. 18. Luc. 1. 37. Gen. 18. 14. Psal. 113. 3. Ps. 134. 6.

2. Hæc autem potentia tua, ô summe atque immense Deus, non in aliquo extrinseco posita est, sed in solo tuo verbo & iussione constituta. Non eges instrumentis, nec ministris, nec artificibus, nec materia, vt tuum opus perficias; non militibus, & equis, & variis armorum generibus, vt hostes tuos proteras: non ipsis angelicis spiritibus, vt aliquid præstes. Sed ante hæc omnia omnipotens existens solo verbo fecisti quidquid tibi collibitũ fuit. Verbo tuo cœli firmati sunt, & spiritu oris tui omnis virtus eorũ. Dixisti, & facta sunt, mandasti, & creata sunt. Vocas ea quæ non sunt tamquam ea, quæ sunt. Et si rebus non existentibus dicas: Exite, è vestigio prodeunt, & subsistunt, & dicunt: Adsumus. Nostra infirma & impotente potentia nos ex nihilo nihil facimus, materia, adiutorio, longo temporis spacio, & non modica fatigatione ad aliquid perficiendum indigemus. At omnipotens virtus tua sine vlla præiacente materia, sine vllo adiutorio, in momento, & breuius quàm in ictu oculi, quasi ludens, & nihil agens mundum vniuersum antea fecisti, & modò sustines: & si voluisses, innumerabiles orbes perfectiores fecisses.

Dei potẽtia in illius verbo constituta.

3. Aliud etiam est indicium huius omnipotentiæ tuæ, quòd omnes creaturæ non tantùm in esse, verùm in operari à te dependent, & simul cum illis operantibus operaris. Et verbum tui verbi est: Pater meus vsque modò operatur, & ego operor.] Vniuersos motus rerum se mouentium facis, augmenta segetum & fructuum arborum, & fœtus animalium pæne infinitorum, quæ in qualibet hora generantur, educis. Et obstetricante manu tua eductus est coluber tortuosus. Singulis momentis innumeras animas rationales creas secundùm exigentiam corporum ad animationem dispositorum, natalibus tot nascentium ades: in tot partibus mundi, vbi incruentum sacrificium celebratur, panem & vinum in corpus & sanguinem Christi filij tui conuertis. Et in his omnibus, & aliis infinitis, quæ breuitatis caussa prætereo, non turbatus, non solicitus, sed summè quietus, & tranquillus inueniris. O summè potens, & infinitè misericors, adiua quæso infirmitatem meam, robora impotentiam meam, vt tibi possim famulari.

Deus cũ caussis secundis operatur. Ioan. 5. 17.

Iob 26. 13.

CONTEMPLATIO LXXIV.

De beatitudine Dei.

Vsque in aduentum Domini Iesu Christi, quem suis temporibus, ostendet beatus, & solus potens Rex regum. 1. Timoth. 6. 15.

1. PVnctum. O Domine Deus omnipotens, tu semper es beatus,ac fœlix, nullâque miseriæ aut tristitiæ vmbra ad tuam maiestatem potuit accedere. Discamus argumentum ex te,ô infinita sapientia,quo tuam beatitudinem concludamus. Per Isaiam ais: Nũquid ego,qui alios parere facio,ipse non pariam? Si ego qui generationem cæteris tribuo,sterilis ero?] Numquid igitur qui alios beatos facis,ipse non eris beatus?Num tu gloria,& fœlicitas nostra eris infœlix? Absit hoc à cogitatione omnium.Prorsus beatus es,nõ quasi ab alio extra te beatitudinem emendicans, sed teipso,& visione & possessione tuiipsius,& amore & fruitione tui beatitudinem & fœlicitatem habens. Nam si ab alio beatitudinem acciperes,illud ipsum esset Deus melior te,qui Deum posset beare,& eo ipso tu non esses Deus. Sicut autem impossibile est te Deum non esse, ita impossibile est ab alio te beatitudinem mutuare.

Isaiæ 66. 9.

Deus se ipso beatus existit.

2. Es, Domine, infinitè beatus atque gloriosus. Alij enim sãcti homines, & Angeli,quos tu beatos efficis,fœlicitatem habent finitam,eam scilicet,qua formaliter (vt dicitur) sunt beati,sicut & ipsi finiti sunt. Quamuis namque infinitum bonum possideant,nempe te,qui beatitudo nostra obiectalis es, tamen non infinitè, sed finitè possident, nimirum actione finita. At tu Domine infinitè te comprehendis, & possides,& infinitè tua summa bonitate frueris,& in te delectaris.Quare & infinitam fœlicitatem habes.Tua fœlicitas tuum ipsum esse gloriosum & magnificum est. Quare essentialiter es beatus,& fœlix. Et sicut ab æterno, & vsque in æternum es Deus,ita semper per æternitatem es beatus;nec aduenit tibi post multos labores fœlicitas sicut & nobis, sed naturaliter, & sine labore fœliciſſimus,beatissimus,ac gloriosissimus es.

Creaturarũ beatitudo, qua formaliter beati, finita est.

3. Nec tantùm, ô suauissime Deus, hac vera & infinita beatitudine beatus es, verùm & perfectissimè habes quidquid apud homines pro fœlicitate computatur.Si de diuitiis agitur, tecum sunt diuitiæ,& gloria,opes superbæ,& iustitia.Si de delitiis, delectationes in dextera tua vsque in finem. Si de honoribus, te laudant astra matutina, & iubilant omnes filij Dei, ac vniuersæ creaturæ miris honoribus prosequuntur.Si beatitudo actiua admittenda est, quam aliqui in regimine aliorum & imperio constituunt.Tu omnia gubernas, omnibus imperas, vniuersa sine solicitudine iucundissimè moderaris,sine contradictione vlla, quod tibi videtur perficis, & ab hominibus, & Angelis, & reliquis creaturis supremus Dominus agnoscеris, & vt Rex regum adoraris, & coleris. Habeas, habeas tantam fœlicitatem. Hæc autem sit mea fœlicitas, tibi in omnibus placere, & tuam fœlicitatem gloriosam exquirere.Amen.

Deus habet quidquid sub fœlicitatem cadit.

CONTEMPLATIO LXXV.

Quòd Deus est Saluator.

Deum absque me nescies, & Saluator non est præter me.Oseæ 13.4.

1. PVnctum. O Domine Deus beatissime,parum visum est tibi quòd creasti nos, nisi etiam perditos redimeres,atque saluares. Cùm enim primus parens noster Adam,qui pro se, & pro nobis gratiæ & iustitiæ donum acceperat, transgrediendo mandatum tuum, in te rebellis extitisset, & se, ac nos hostes tuos, & filios iræ ac gehennæ reddidisset, maluisti non ob aliquam indigentiam,sed ob meram bonitatem & misericordiam tuam nostrum seruatorẽ ac liberatorem esse, quàm te seuerum & implacabilem iudicem, sicut feceras in Apostaticos angelos, demonstrare. Cogitasti super nos cogitationes pacis,& nõ afflictionis.Non enim cogitationes tuæ sicut cogitationes nostræ,qui læsi statim vltionẽ meditamur;neque viæ tuę,sicut viæ nostræ,qui pro malo malum rependimus.Sed mala nostra tua bonitate superasti, & nos decreuisti à cœno,in quod sponte cecideramus,extrahere.Millies, & plusquam decem millies laudo & benedico te, quoniam non in perpetuum iratus es, neque in æternum comminatus es nobis. Non secundùm peccata nostra fecisti nobis, neque secundùm iniquitates nostras retribuisti nobis. Sed quantum distat ortus ab occidente, longè fecisti à nobis iniquitates nostras.

Dei erga nos misericordia.

Ier.29. 11.

Isaia 55. 8.

Psal.102. 9.

2. Poteras quidem, ô Deus amabilissime,si voluisses,nos impunitos relinquere (quod opus esset summæ benignitatis)& absque vltione pœnę sensibilis nos vt vilissimos à tuo consortio seiungere. Non tamen hoc solum placitum fuit ante te, sed statuit ineffabilis iustitia, & in æstimabilis misericordia tua nos in pristinũ statum gratiæ restituere, vt vbi abundauit delictum, superabundaret & gratia.Tui ergo sumus,quia creasti nos,tui etiam quia postquã nos perdidimus,saluasti nos. Tu ipse opus dirutum refecisti, ouem perditam quæsiuisti,gemmam cœno iniquitatis obrutam sustulisti, & tua omnipotentia mundasti.Nam si impossibile est hominem pedibus terræ subnixum capite cœlum pertingere, multo magis impossibile est seipsum postquã cecidit,reparare. Est enim homo,caro,spiritus vadens,& non rediens: qui potest seipsum interimere,non verò ad vitam redire Quare salus nostra opus tuum est,tibique eam acceptam referimus.

Dei sumus ex duplici titulo.

Psal.77. 39.

3. Sed quia admodum difficile videbatur, ô omnipotens Deus,iustitiæ cum misericordia conuenire, & viam ac rationem ostendere, qua nos sine læsione rectitudinis tuæ à peccatis erueremur, & ad gratiam reuocaremur, erexit se media sapientia tua,quæ hanc concertationem dirimeret.Et decretum eius fuit, vt verbum tuum carnem indueret, & homo factus pro nobis satisfaceret,vt sic iustitia haberet in quẽ vtiliter pro nostris peccatis sæuiret, & à quo condignam satisfactionem acciperet, & misericordia opus,in quo se gloriosã & admirabilem ostenderet.In hac vna liberatione nostra te sapientem,te iustum, & misericordem,te bonum & omnipotentem declarasti. Ego autem confitebor tibi,quoniam si iratus es mihi, conuersus est furor tuus, & consolatus es me. Ecce tu Deus saluator meus,iam fiducialiter agam,& non timebo. Quoniam tu fortitudo mea, & laus mea Domine,& factus es mihi in salutem.

Dei attributa maximè in nostra libertate elucẽtia. Isaiæ 12. 1.

CONTEMPLATIO LXXVI.

Quòd Deus est merces.

Ego protector tuus, & merces tua magna nimis. Genes.15.1.

1. PVnctum. O Domine Deus saluator noster benignissime, omnium quidem hominum, quod ad te pertinet, saluator es:qui vis omnes homines saluos fieri,& ad agnitionem veritatis venire. Sed non omnes saluantur, quia gratiæ tuæ desunt,& se peccatis inficiunt,& æternam damnationem sibi conscisсunt.Illi autem, qui per tuam gratiam salui fiunt, teipsum mercedem accipiunt.

Ioan.17.3. Hæc est enim vita æterna, vt cognoscant te Deum verũ, & quem misisti Iesum Christum. In quo mirum in modum elucet magnitudo bonitatis & largitatis tuæ. Non visum est tibi sufficere nobis, si Deus noster, & pater esses; non si nobis te mero & liberali dono dares, sed vt nostra merces existeres. *Merces sequitur meritũ.* Merces iustitiam inclamitat, se ob aliquem laborẽ, & ob aliquod meritum debitam prædicat. Et verè ita est. Talẽ valorem operibus nostris ex gratia tua factis indidisti, vt non alio præmio, quàm teipso, quod merẽtur, sibi soluatur. Vnde vnigenitus tuus ait: *Apocal. 22.12.* Ecce venio citò, & merces mea mecum est, reddere vnicuique secundùm opera sua.] Quis non lætetur, quis non vehementer exultet, se talem mercedem expectare, quam infinitas summi boni commendat, & nulla mensura paruitatis angustat. Merces es nostra, quia voluisti te esse mercedem, & sic nostra exigua obsequia extollere, vt ad te obtinendum nos aspirare possemus.

Deus qualis merces. 2. O igitur merces nostra magna profectò nimis. Es enim, ô sũme Deus, merces increata, merces infinita, merces nihil cordium nostrorum vacuum relinquens, sed omnes nos implens, & postquam impleueris, in immensum superexcedens. Vocaris mensura, non quia in te aliquã mensuram boni habeas, ô bonũ immensurabile, sed quia non æqualiter te beatis communicas, sed meritis correspõdes. Itaque tu ô merces nostra sine vlla mensura es, at cõmunicatio, seu possessio tui, quæ est actio creata nostra, iuxta exigentiam operum maior vel minor est. At quomodocumque appelleris mẽsura, qualis mensura es? Certè mensura bona, & conferta, & coagitata, & supereffluens, quam, quia ipse te das, dabis in sinum nostrum. Bona, id est, iusta; quoniam nihil nec minimam cogitationem bonam, sine prẽmio relinques. Conferta, quia vt te capiamus vtcumque, dono gratiæ, & luminis gloriæ nostrã capacitatem extendes. Coagitata; quia vltra condignum imperties. Supereffluens; quoniam vt fieri potest, in carnem redundabis.

Deus regnũ appellatur. 3. Vt intelligamus te esse mercedem magnam nimis, vocaris regnum. Et dicet Filius tuus his, qui à dextris erunt: Venite benedicti Patris mei, percipite regnum. Nam sicut regnum opulentissimum omnia habet, quæ in terra possunt desiderari, vel in eo producta, vel ex lõginquis regionibus asportata; sic in te sunt omnia, quæ mens hominis potest cupere, aut cogitatione concipere. Immo nec oculus vidit, nec auris audiuit, neque incor hominis ascendit, quanta in te præparasti timentibus & diligentibus te. *Psal. 141.6.* Tu Domine spes mea: portio mea in terra viuentium. Portio non à toto diuisa, sed totum ipsum complectens. Quia ergo in vita illa beata, quam spero, tu es portio mea, & merces mea, quæ me omnino satiabit, & beatificabit, in hac vita portio mea Domine, dixi custodire legem tuam. *Psal.118. 57.* Nam si legem amoris seruauero, prouldubio possessione tui, qui merces mea es, beatus ero.

CONTEMPLATIO LXXVII.

Quòd Deus est Glorificator.

Quicumque glorificauerit me, glorificabo eum. 1. Reg.2.30.

1. PVnctum. O Domine Deus noster, merces nostra, & vnicum bonum nostrum, quàm tibi curæ est seruos tuos fideles in honoris & gloriæ fastigium extollere. Eis, qui te glorificant, id est, vero cultu & honore afficiunt, vicem gloriæ repẽdis. Mihi quidem nimis honorati sunt amici tui Deus: nimis confortatus & stabilitus est principatus eorum. *Psal.138. 17.* Quos non hominum opinio fallax & mutabilis honore cumulat, sed potestas tua nulli mutationi subiecta perseueranter exaltat. Primò ergo tuos glorificas in hac vita, dũ eos amicos & familiares tuos esse demonstras. *Qualiter Deus suos in hac vita glorificet.* Hos plusquam dynastas, plusquam reges & imperatores suspicimus, ipsorũ orationibus & intercessionibus apud te nos commendamus, eorum vitam & conuersationẽ admiramur, eos beatos & fœlices præ omnibus diuitibus esse censemus. Eorum virtutem verus honor, & solida gloria sequitur, quam non ambitio, non hypocrisis peperit, sed tua benignitas seruos tuos honorans infundit. *Rom.8. 30.* Proculdubio, quos iustificas, hos & glorificas, non tantùm in futura vita præmia donans, de quibus postea, verùm & in ista vita magnificãs. Ita vt pauperes, & seminudi, & bonis huius sæculi destituti, eo solo qui à te diligunt, in corde nostro cunctis huius sæculi magnatibus præferantur.

2. Gloria hæc vera, & solida, sicut & bona opera eos morientes, te Domine ita ordinante, sequetur. Horum enim mortem omnes prædicant, & nõ ore solùm, sed multo magis corde, & desiderio dicunt: Moriatur anima nostra morte iustorum, & fiant nouissima nostra horum similia.] Sed præcipuè in nouissimo tempore iustos tuos in magnam gloriam & honorẽ adduces. *Gloria iustorum in aduẽtu Christi.* Nam quæ gloria erit illis, cùm filius tuus ad iudiciũ veniens eos ad suam dexteram collocabit, cùm in illa frequentissima cõcione laudabit, cùm eorum bona gesta, & fœlicitatem seruatam prædicabit, cùm eos ad regnũ, & ad te mercedem suam possidẽdum vocabit, cùm contemtis iniquis in conspectu ipsorum, illos secum in supernas sedes inferet. Hæc omnia à te glorificatore proueniunt, qui famam seruorum tuorum tueris, & eos apud vniuersum mundum glorioſos facere, atque honoratos constituis.

3. In illa autem patria cœlesti, ô Domine verè misericors, & bone, te plenissimè glorificatorem ostendes. Nam tuos hîc pauperes & humiles reges cœlorum facies, vt te singuli regnum suum plenè possideant; & ac si soli essent, quod attinet ad perfectam possessionẽ tui, te animę suæ viribus teneant. Ibi erunt dominatores terræ, non huius quã modò calcamus, quæ est terra morientiũ, sed illius, quam beati habitant, quæ est terra viuentium. *Qualiter sancti in cœlo glorificandi.* Ibi abundantia consolationis inebriabuntur, & absterges omnem lacrymam ab oculis eorum, & iam non supererit luctus, nec clamor, nec gemitus. Ibi nõ carnalibus cibis, qui nauseam prouocant, sed gloria tua & vera iustitia satiabuntur. Ibi eam misericordiam, quæ omnẽ miseriam depellat, consequentur. Videbunt te, Domine, non per speculum, & in ænigmate, sed facie ad faciem, & erunt & vocabuntur filij tui. Hæc omnia manifestè indicant, te esse tuorum seruorum glorificatorem. Illúdque esse ingenium tuum (vt ita loquar) ac propensionem tuam, homines in altum attollere, ac tuæ dignitatis participes facere. Habent principes huius sæculi, ô Deus meus, plurimos qui illis obsequantur, quoniam magna præmia ab illis expectant. O vtinam vniuersi tuam largitatem erga tuos agnoscamus, vt saltem propter gloriæ retributionem, tibi adhærere, tibíque seruire curemus.

*

CONTEMPLATIO LXXVIII.

Quòd Deus est suscitator.

Vt non simus fidentes in nobis, sed in eo, qui suscitat mortuos. 2. Corinth. 1. 6.

1. PVnctum. O Domine Deus meus, tuorum glorificator seruorum, in hoc etiam tuam omnipotentiam & largitatẽ exeris, quòd non solùm eam partem iustorum, quæ cum cœlestibus cognationẽ habet (animã dico) gloria afficis, sed partẽ quoque terrenam ac brutis vilitate cõiunctam bonis innumerabilibus reples. Sanctorum tuorũ corpora adhuc mortalia ita honoras, vt per illa admirãda perficias. Corpus Elisei mortuũ, ô mira res, corpus cuiusdam mortui in sepulchrum suum illati, tactu suscitat. De quo Ecclesiasticus: Et mortuũ prophetauit corpus eius. In vita sua fecit mõstra, & in morte mirabilia operatus est. Vmbra corporis Petri ægrotos sanat; & sudaria, & semicinctia corporis Pauli similiter languores à corporibus relegãt. Nónne hic honos est, & gloria corporibus Sanctorum à te delata? Quæ etiam post mortem ita honorari vis, vt Ecclesiam tuam doceas ossa eorũ, & cineres argenteis & aureis thecis includere, & ad præsentiã ipsorum sanitates subitas filiorum suorum non semel, aut bis, sed infinities in omni ætate oculis spectare. Sicut ergo adolescens ardens amore sponsæ non tãtùm eam ipsam, sed & vestes & gemmas illius, & quidquid ad cultum eius pertinet in magno pretio habet, ita & tu quasi nostri amore captus, etiam cineres nostros æstimare, & honore dignos habere non desinis.

Deus iustorum corpora honore afficit. 4. Reg. 13. 21. Eccli. 48. 14. Actorum 5. 14. Actorum 19. 11.

2. Summus autem honor corporum, & magna potentiæ tuæ ostensio est, quòd tẽpore à te statuto, ea ô Domine suscitabis, & immortalitate circũdabis. Tunc dabit mare mortuos suos qui in eo erunt, & infernus & mors dabunt mortuos suos, qui in ipsis erunt; & vniuersi ad vitam resurgent. Quanta itaque potentia tua, breuissimo tempore corpora omnium hominum in cinerem versa, & in loca diuersa atque distantissima sparsa, & in alia cõmutata fine defectu, aut amissione vnius pili ad veritatem naturæ cuiusque pertinẽtis colligere, & restaurare, & animabus informantibus ad vitam immortalem adducere. Vniuersorum quidem corpora, ô Domine, ad potentiam & iustitiam suscitabis, vt in corpore prout gesserunt recipiant. At Sanctorum corpora præter hæc ad gloriam & honorẽ ipsorum eriges. Quod enim seminatum fuit in corruptione, surget in incorruptione; seminatũ in ignobilitate, surget in gloria; seminatum in infirmitate, surget in virtute. Et planè corpus animale surget corpus spiritale. Surget pulchrius luna, & sideribus, splendidius sole, & ipsis cœlis incorruptibilius. Quis posset hoc facere, nisi potentia tua? & quis faceret nisi benignitas tua? quæ pergit humilia & abiecta hominum sublimare.

Apocal. 20. 13.

Diuina omnipotẽtia signũ maximum.

1. Cor. 15. 42.

Corporũ beatorũ glorificatio. Ioan. 14. 2.

3. Supremum autem huius sublimitatis est, ô Deus meus, quòd hæc corpora suscitata in cœlum Empyreum efferes, & in æternis sedibus collocabis vt participent gloriã domus tuæ, quæ pro te in hac mortalitate labores sustinuerint. In domo tua mãsiones multæ sunt, non animabus tãtùm à corpore seiunctis, sed & corporibus, ac toti homini destinatæ, in quibus in perpetuum habitent, & gloria æterna perfruãtur. Calcaturi sumus pedibus his nostris fastigia cœlorum, & super astra ambulaturi, quod de fortitudine humana sperare ingens demẽtia est, at de tua potentia & bonitate confidere magna est, & vera sapientia. Scio prorsus, quòd redemtor meus filius tuus viuit, & in nouissimo die de terra surrecturus sum. Et rursum circũdabor pelle mea, & in carne mea videbo Deum. Quem visurus sũ ego ipse, & non alius substitutus pro me, & oculi mei conspecturi sunt. Seruiant ergo tibi nostra corpora, ô summe Deus, propter te mortificentur tota die, & huius mundi oblectamenta despiciant, vt illam gloriam, quam illis ab æterno præparasti, consequantur. Amen.

Iob 19. 25.

CONTEMPLATIO LXXIX.

Quòd Deus est primus, & nouissimus.

Ego Dominus, primus & nouissimus ego sum. Isaiæ 41. 4.

1. PVnctum. O Domine Deus meus, quàm apositè primus & nouissimus appellatus es, nõ solùm quia æternus es, & sine principio, & fine, sed etiam quoniam tuos vndique circũdas, & protegis. Securus esset, atque trãquillus ille, qui ante se exercitum fortissimum protegentẽ, & post se aciem validissimam defendentem haberet. Sic nos in tentationibus, & in bellis te præcedẽtem habemus, ne in primo occursu vincamur, & te sequentẽ ne pertinacia hostium numquam cessantium superemur. An nõ tu ipse dixisti: Facies mea præcedet te, & requiem dabo tibi?] Et oranti Mosi: Si nõ tu ipse præcedas, ne educas nos de loco isto; respondisti: Et verbum istud, quod locutus es, faciam.] Et seruus tuus Dauid ad te loquens ait: Et misericordia tua subsequetur me omnibus diebus vitæ meæ.] Si ergo nos præcedis, atque subsequeris, profectò primus ac nouissimus inueniris.

Deum in tentationibus præcedentem & subsequentem habemus. Exodi 33. 14. Psal. 22. 6.

2. Es quoque Domine primus atque nouissimus, quoniam quæ primus, & omniũ creator feceras nouissimus, & eorum conseruator defensórque restauras. Oritur sol, & occidit, & in circulos suos reuertitur. Ad loca vnde exeunt flumina reuertuntur, vt iterũ fluant. Generatio præterit, & generatio aduenit. Et ita in hoc inferiori mũdo omnia transeunt, vt iterum in specie reparentur. Idem & in electis tuis efficis. Primus illos creas, nouissimus recreas. Primus vocas, & iustificas, nouissimus magnificas, & glorificas. Primus corpora nostra mortalia producis, nouissimus immortalia erigis. Homo ergo primus, id est, viuere incipiens te laudet, & nouissimus, id est, ad finem vergens, te semper magnificet. Vt qui semper beneficia accipit, numquam iura gratitudinis violet.

Quomodo Deus dicatur primus & nouissimus. Eccli. 1. 4.

3. At sancti tui, quos tu Deus suauissime contẽplationis dono delinire constituis, satis intelligũt, quomodo erga illos sis primus, atque nouissimus. Primus, quia illis non cogitantibus sæpissime ipsos ad cœlestia rapis. Nouissimus, quia postquam soporati sunt, ne ab aliquo interpellentur, ianuã illorum tu ipse custodis. Primus quidem es, cùm præoccupas, qui te concupiscunt, vt illis te prior ostendas. Qui de luce vigilauerit ad te, & non laborabit; assidentem enim te foribus suis inueniet. Nouissimus verò, cùm licèt intus sis, animã amplexibus charitatis astringens, foris etiam manes obstacula contẽplationis & amoris impediens. Verba nouissimi sunt: Adiuro vos filiæ Ierusalẽ per capreas ceruósque camporum, ne suscitetis, neq; euigilare faciatis dilectam, quousque ipsa velit.] O vtinam numquã ad terrena vigilare vellet, sed dicens cũ Petro: Bonũ est nos hîc esse, ita proximis, aut obligationibus status vacaret, vt simul tecum iugiter permaneret.

Deus erga sanctos primus & nouissimus. Sap. 6. 14.

Cant. 2. 7.

Matth. 17. 4.

CONTEMPLATIO LXXX.

Quòd Deus est vltimus finis.

Vniuersa propter semetipsum operatus est Dominus. Prou.16.4.

1. PVnctum. O Domine Deus sanctissime,tu es vltimus finis omnium rerum, & vniuersa creata nihil quærunt, vt finem vltimum præter te. Nam omnia tua potentia creasti non propter aliquam indigentiam tuam,sed vt ipsa tuam infinitam perfectionem pro suo modulo participarent. Eorũ ergo finis est ad te tendere,aliqua ratione tui similitudinem induere, tibíque creatori appropinquare. Et quidem creaturæ rationis expertes ipsa natura impellente ad te tamquã ad finem tendunt,quatenus suum proprium bonum quærunt,quod participatio est tuæ bonitatis. Solus miser homo non semel à te peccando separatur, & ad vilitatem creaturæ conuertitur. Sed tu qui non finis vtcumque, sed quasi magnes cordis nostri es, nos ad te trahe, & viam rectitudinis intrare compelle.

Finis creaturarum.

2. Res vniuersæ in suo fine quiescunt,& ab illo seiunctæ moueri nõ cessant quousque ad illum suo modo pertingãt. Tu ergo,Domine,quies nostra es; & verè fecisti nos ad te,& inquietũ est cor nostrum donec perueniamus ad te. Tua sola maiestas cor nostrum potest implere, tua bonitas & dulcedo satiare. Hanc capacitatem nostrã nec dignitates, nec diuitiæ,nec voluptates,neque vniuersa bona creata replent,sed vnum tantùm bonum infinitum, & increatum,quod tu ipse es, replere potest,& fœlicem efficere. Tu Domine es ciuitas, in quam tendimus; portus in quem nauigamus; lectus,in quo quiescimus; baculus, quo sustentamur. Hedera arborem, qua sustentatur, & in altum erigitur, mille ramis, quasi brachiis adstringit, quia suam ab illa perfectionem & erectionem accipit. Ego igitur omni amore,quo possum,te amplecti volo, quoniam sine te nec ad momentum subsisto.

Deus solus nostri animi quies

3. Cùm igitur te meum vltimum finem possedero,tũc beatus ero. Repatriasse erit hoc,exisse de exilio corporum in regionẽ spirituum. Ipsa patria tu es Deus noster,maximus spiritus,maxima mansio spirituum beatorum. Vbi totũ veritas est,sapientia est,virtus, æternitas,summũ bonum est. Dum à te absumus,& hîc sumus,vallis est lacrymarum, in qua sensualitas regnat,& cõsideratio exulat. In qua liberè quidem se exerit sẽsus corporeus, sed intricatus caligat oculus spiritualis. Enitamur igitur,ô Deus,ab hoc exilio egredi,saltẽ desideriis,& sanctis affectibus, & in te summo bono nostro commorari. Amen.

Ex Bern. s. de Cõsider. c. 1.

De perfectionibus diuinis.

DECAS IX.

PRÆDICTA diuina nomina,super quibus meditationes formatę sunt,ad Deum vt vnum pertinent. Ipse enim licèt non cõcipiatur vt tribus personis distinctus, est qui est, & est spiritus,simplex, immortalis,perfectus,& cætera quæ sequuntur. Nunc aliquid cõsiderandũ est de Domino Deo,vt est Trinus,in qua consideratione, qui de contemplatione scripserũt, supremum gradum eius ponunt. Licèt autẽ multa nomina sint trium diuinarũ personarum propria, aut illis attributa,decem solùm in medium adducẽda sunt,quæ hanc tractationem perficiant. Cõsiderabis ergo. 1. Quòd Deus est Trinitas. 2. Quòd Deus est Pater. 3. Quòd Deus ingenitus. 4. Quòd est à quo omnis paternitas in cœlis & in terra nominatur. 5. Quòd est Filius. 6. Quòd est verbum. 7. Quòd est imago. 8. Quòd est Spiritus sanctus. 9. Quòd est Amor. 10. Quòd est Donum. Hæc namque validissimè ad reuerentiam diuinæ maiestatis, & ad amorem prouocant.

In quo supremus gradus contẽplationis.

CONTEMPLATIO LXXXI.

Quòd Deus est Trinitas.

Docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus S. Matth.23.19.

1. PVnctum. O Domine Deus meus,ô maiestas incomprehẽsibilis,ô gloria inperscrutabilis, nos homunculi abiectissimi vermiculorum instar in terra reptitantes, & oculos vix in cœlum attollere valentes,nulla naturali ratione comprehendere possumus abditissimum mysterium sanctæ ac indiuiduæ Trinitatis tuæ. At luce tua docti, & gratia tua fulti firmissimè credimus quòd in veteribus paginis adumbratum & occultè propositum, in nouo autem Testamẽto manifestè expressum est. Nempe te esse vnam simplicissimam &(si ita dici potest)vnissimam substantiam,in tribus tamen personis distinctam. Te esse vnum Deum ac trinum, Patrẽ, Filium,& Spiritum sanctum. Ita scilicet,vt nec sũmæ vnitas auferat Trinitatem, nec vera Trinitas tollat vnitatem. Tu Pater es Deus,tu Fili es Deus,tu Spiritus sancte es Deus:& tamen non estis tres dij,sed vnus Deus,nõ tres domini,nec tres sancti, nec tres omnipotentes, sed vnus Dominus,vnus sanctus,& vnus omnipotens. Quia in tribus hypostasibus siue personis vna tãtùm est substantia, vna essentia, atque vna subsistens natura. In te,ô vnitrine Deus, nulla est prioritas, nulla inæqualitas, sed totæ tres personæ tuæ coęternæ sũt,& coęquales. Et licèt sit ordo originis,nã Filius à Patre, & Spiritus sanctus ab vtroque procedit, nulla tamen in te successio, nulla mutatio,nulla minoritas inuenitur. Hoc igitur,quod intellectus humanus non capit,& tamẽ à te reuelatum est,firmissimè credo,hoc libentissimè confiteor, & in hac fide me ex hac vita migraturum,& æternam salutem consequuturum spero.

Trinitatis mysterium solo naturæ lumine nequit cognosci.

2. Et quidem,ô summa Trias, ac suprema Maiestas,cùm sis Deus suauissimus, non reliquisti nos sine aliquo testimonio, ex quo ad hoc mysterium cognoscendum possimus assurgere. Exigit enim omnino quòd sis vnus & trinus natura bonitatis tuæ. Nam bonum naturaliter est diffusiuum sui,& quo magis bonum magis diffusiuum: vnde tu Domine qui summum, & infinitum, & perfectissimum bonum es,consequenter es summè, infinitè, ac perfectissimè diffusiuus tui. Non tamen infinitè, aut perfectissimè te communicas cùm aliquid extra te producis; quia omnia creata & creabilia extra te sunt instar puncti, & minus quàm obolus comparatione potentissimi regis. Quare sicut si rex solùm obolum daret nihil daret, ita & tu si sola creata, & creabilia produceres, quasi nihil communicares. Oportet ergo, ô summa bonitas,quòd sit intra teipsam aliqua communicatio (nam hæc processio quæ in producente manet, & extrà non exit,perfectior est)qua summum aliquid, & infinitum,& omni modo,quo potest communicari communices. Nihil autem est summum & infinitum nisi substantia tua. Hanc ergo intra te communicas

Ex Bon. in itinere c. 4.

per

per proceſſionem intellectus,& proceſſionem voluntatis. Quod verò ab aliquo procedit,diſtinctum eſt ab eo, à quo procedit. Vnde ſi in te eſt producens,& procedens per intellectum, & procedens per voluntatem, tres perſonæ ſunt in te,vel potius tu es tres perſonæ, in quibus eſt vna & indiuidua ſubſtãtia.Ex ſumma ergo bonitate colligitur ſumma communicabilitas; ex ſumma communicabilitate ſumma conſubſtantialitas (quia ſi aliam naturam à tua propria communicas, non ſummè te communicas:) ex ſumma conſubſtantialitate ſumma ſimilitudo,& æqualitas,& coæternitas,& cointimitas, qua vna perſona in alia eſt, & operationis vnitas,qua omnia ad extra indiuiſibiliter operaris. Sic vermiculus reptãdo nititur ad tuã maieſtatem contemplãdam aſcendere,vt inde ſciat te adorare.

In rebus creatis eſt aliquod Trinitatis veſtigiũ.

3. In omnibus quoque rebus creatis, ô Deus ſupreme,aliquod eſt ſignum huius Trinitatis tuæ: nam omnes quodammodo ſunt vnum,& quodammodo ſunt tria. Caput orbis Chriſtus vnigenitus filius tuus hoc ipſum præſefert. Eſt enim vnus Chriſtus, ac vna perſona maieſtatis tuæ nempe ſecunda, quæ dicitur filius. In quo ſunt etiam hæc tria, diuinitas, qua Deus eſt, anima qua rationalis eſt, caro, qua corporalis eſt. Creatio ipſius orbis vna eſt,ſed tribus operationibus diſtincta: productione,qua res productę ſunt:diſtinctione qua ſunt locis & naturis ſeparatæ,ornatu quo ſunt aptè cõpoſitæ. Orbis ipſe vnus eſt, ſed tribus generibus rerum diſtinctus,vnum purè ſpirituale, continens Angelos; alterum purè corporale, continens ſenſibilia rationis expertia: tertium mixtum nos homines partim ſpirituales,& partim corporeos cõprehendens. Harum rerum quælibet vna eſt, ſed facta in pondere, numero, & menſura; in modo, ſpecie,& ordine; & conſtans ſubſtantia, potentia, & operatione. Homo tandem ipſe imago tua eſt, ô Domine,cuius anima vna ſimplex ſubſtantia eſt, tres tamen vires, memoria, intellectus, atque voluntas. Qui & ad ſimilitudinem tui ſeipſum intelligens intra ſe imaginem ſui format, & ſe amans ſui amorem ſpirat. Licèt in hoc deficiat,quòd huic imagini & amori ſuo non propriam ſubſtantiam communicat. Ex his & ſimilibus aliquid huius tui myſterij coniectamur.Sed reuera,poſuiſti tenebras latibulum tuum. Et attenuati ſunt oculi mei ſuſpiciẽtes in excelſum.Claudantur ergo oculi,& affectus diſſoluatur,& totus amor & conatus cordis mei ad te ſummum & æternum bonum raptetur.

Pſal. 17. 12. Iſaiæ 38. 14.

Contemplatio LXXXII.

Quòd Deus eſt Pater.

Vt honorificetis Deum,& Patrem Domini noſtri Ieſu Chriſti. Rom.15.6.

1. PVnctum. O Domine Deus ſempiterne, te verum Patrem vnigeniti filij tui confitemur, & veneramur,quem ex teipſo æternaliter generas, & tuam ei diuinam naturam atque ſubſtantiam ſine vlla diuiſione, aut imperfectione communicas. Sic autem te eſſe patrem intelligimus. Quòd tu Deus incomprehenſibilis ab æterno teipſum tuámque infinitam perfectionem, potentiam, & pulchritudinem, & quidquid extra te efficere potes, euidentiſſimè & perfectiſſimè intelligis,& per hãc cognitionem, conceptum tui clariſſimum perfectiſſimúmque producis. Huic conceptui non naturam aliquam alienam,ſed tuam propriam naturam, & ſubſtantiam communicas. Quoniam conceptus ab intellectu productus,quo ab intellectione perfectiori procedit, eo perfectior eſt, & quo perfectior,eo habet eſſe perfectius. Vnde hic conceptus tuus infinitè perfecta cognitione dimanans neceſſariò eſt infinitè perfectus,habétque naturam infinitè perfectã. Hæc verò cùm non ſit alia quàm natura diuina, hanc vtique in illum confers. Ideóque hic cõceptus eſt vnigenitus filius tuus, ad quẽ reſpiciens Pater es,& diceris: Pater enim eſt, qui habet filium,& hunc reſpectum ad filium à generatione conſurgit. Illa autem cognitio qua te intelligis & comprehendis,generatio eſt,nempe origo & proceſſio viuentis à viuente in ſimilitudinẽ eiuſdẽ naturæ. Nam à te ille puriſſimus conceptus exoritur,viuens quia naturam diuinam habens; & ex vi proceſſionis illius, ſimilis tui in ipſa natura, quoniam te perfectiſſimè repræſentans; adeò vt qui vidit illum,videat & te Patrem.Cùm ergo cognitione illa perfectiſſimè generes,profectò veriſſimus Pater es.

Verbi proceſſio ex cognitione creaturarũ.

Diſcrimẽ inter generationẽ diuinam, & creaturarũ.

2. Sed ô quàm admirabilis eſt,ô Pater æterne,iſta tua generatio, & quàm à creaturarum generatione diuerſa. Iſtæ non ſtatim ac ſunt,ſed poſt multum tempus à generatione ſua,ſibi ſimile generant. Vt qui hodie naſcitur mundo infans, non hoc ipſo die alterius infantis Pater erit, ſed poſt multos annos quibus ad eſſe perfectum hominis peruenit. Non ſic tu Pater, qui numquã fuiſti non Pater,neque ex non Patre factus es Pater:ſed ſicut ab æterno Deus & perfectiſſimus es,ita & ab æterno Pater es.Vt ſicut ſol eodem momento quo eſſe cœpit luce ſua illuminauit, ita & maieſtas tua ab æterno filiũ genuit. Homo & alia quælibet creatura mutatione & factione generat:tua verò generatio Domine,nec factio,nec mutatio eſt,ſed æterna & ſincera filij emanatio,qui non factus, ſed genitus eſt. Nam cùm ſit tibi coæternus, numquam non fuit,ſed ſemper fuit. Inſuper & homo ex ſemine ſuo filium generat, non tamen illi totã ſuam donat ſubſtantiam,ita vt idem homo ſingularis ſit genitor,& genitus. Confert quidem ſpeciei ſimilitudinem, ſed naturæ non communicat vnitatem. At tu Pater non ſimilem ſpecie gignis filium, ſed tibi conſubſtantialem, non tantùm ei ſpeciei ſimilitudinem,ſed totam tuam eſſentiam communicas, ita vt verè idem ſit tuus genitus,quod tu gignens, & tu gignens quod ille genitus.Homo tandem,cuius eſt magna & prævalida fœcunditas, filium colore,figura,lineamentis corporis, quantitate, proportione membrorum,ac aliis ſimilibus accidentibus ſimilem gignit. Tu verò non accidentibus ſimilem,ſed eſſentia eumdem omnino filium generas, quem nec loco,nec natura, nec perfectione à te ſeparas.

Deus vnico filio cõtentus & fœcũdus.

3. Non indiges, ô Pater ſanctiſſime, aliis filiis, quia in hoc vnigenito filio tuo generando omni tuæ infinitæ fœcunditati ſatisfacis. Nec ita illum genuiſti vt nunc non generes, ſed ſemper, & per omnem æternitatem ipſum actualiter generas, & in eius conceptione ſemper puriſſimè ac ſanctiſſimè & infinitè delectaris. Et tu ipſe, qui dixiſti in ſplendoribus Sanctorum, ſeu ſanctitatis, ex vtero ante luciferum genui te. Alio loco ais:Filius meus es tu; ego hodie genui te.] In hoc,inquam,hodie æternitatis,quod numquam præterit,quod ſemper immutabile ſtat,ipſum filium tuum ita generas,vt illum generare & concipere numquam omittas. Per hunc filium naturalem qui homo factus nos admiſit in fratres, & multos filios adoptatos in gloriam adduxit, rogo te Pater, vt mè participem eius gloriæ, quam ipſe mihi promeruit, efficias.

Pſal.109. 3.

Pſal.2.7.

Hebr. 2. 10.

CONTEMPLATIO LXXXIII.

Quòd Deus est ingenitus.

Ante me non est formatus Deus, & post me non erit. Isai.43.10.

1. PVnctum. O Pater æterne,& sancte,id etiam tibi soli competit, quòd ingenitus sis, siue innascibilis, siue à nullo nec generatione,nec spiratione,nec aliqua alia ratione procedens.Creaturæ omnes sunt à te creatione. Spiritus sanctus est à te,& à filio,vt ab vno principio spiratione. Filius es à te solo generatione,& iccirco vocatur principium à principio. Ipséque interrogatus quis esset, respondit : Principium, qui & loquor vobis.] Tu verò es principiũ simpliciter primum,nec creatione,nec spiratione, nec generatione ab alio procedens. Nemo te præcessit aut duratione, aut natura,qui te produceret. Et si præcessisset,non esses Deus, sed ab illo factus, & ipse potius nomen Dei sibi vendicaret. Nemo etiam origine, aut ordine prius nominatur quàm tu,quia sic non esses Pater, nec prima Trinitatis persona. Vnde rectissimè ingenitus & innascibilis nominaris, & per hoc nomen nobis innotescis.

Patris notio innascibilitas seu ingenerabilitas. Ioan. 8. 25.

2. Hoc autem nomen, ô Pater, quo ingenitus diceris,magnam quamdam authoritatem & dignitatem inuoluit. Te scilicet esse fontem omnis existentiæ,& principium primum ac generale omnis entitatis. Tu ingenitus,& omnino primus, ita vt à nullo procedas, & ita vt omnium quæ esse habent principium existas. Adoro & laudo te, ô fons bonitatis,& de hac summa authoritate tibi gratulor, & sicut te simpliciter primum, ita & me omnium hominum infimum habere constituo.

3. Ex hac authoritate magna, & tibi propria oritur, ô summe Deus,vt à Doctoribus tuis, quos tu ipse docuisti,origo Deitatis seu principium diuinitatis dicaris. Non quidem quia diuinitatem tuam producas: (est quippe improducibilis,atque innascibilis,& penitus à nullo procedens) sed quia eam omnimodo, quo potest communicari, communicas. Diuinitas tua est communicabilis per emanationem intellectus, & sic communicas eam filio:& per processionem volũtatis,& sic communicas eam Spiritui sancto.Hæc Deitas tua me totũ repleat,& suum templum,in quo adoretur,efficiat.

Aug. 4. de Trin. c. 2. siue Dionys. 3.de diui. Pater Deitatis origo in quo sensu.

CONTEMPLATIO LXXXIV.

Quòd Deus est à quo omnis paternitas.

Flecto genua mea ad Patrem Domini nostri Iesu Christi, ex quo omnis paternitas in cœlis & in terra nominatur. Ephes.3.4.

1. PVnctum. O Domine Deus meus, Pater ingenite, licèt verus & naturalis sis Pater solius vnigeniti filij tui,omnium autem rerum extra te existentium creator,& factor:tamen earumdem creaturarum tuarum Pater vocari dignaris, quia eas plusquam paterno amore complecteris. Vnde per Iob ais:Quis est pluuiæ Pater ? vel quis genuit stillas roris ? De cuius vtero egressa est glacies ? & gelu de cœlo quis genuit ?] Tu igitur omnium creaturarum pater diceris,quoniam eis non solùm esse,sed & quamdam tui similitudinem impertiris. Immo & mater (nam & vterus ad matrem pertinet) quia eas ceu indulgentissima mater foues, & earum singularem prouidentiam habes, & earum aspectu quasi filiorum tenerrimè delectaris. Et hæ quidem res rationis expertes quæ hoc beneficium à te recipiunt,te tamen minime agnoscũt. Sed ego pro eo te ex totis præcordiis laudo, & illud in his rebus tamquam in seruis me recepisse profiteor.

Deus creaturarum Pater. Iob 38. 28.

2. Præcipuè tamen, ô Pater sancte,Angelorum & hominum pater appellaris. Tam enim Angelos quàm homines ad tuam imaginem condidisti, & eos capaces tuæ gratiæ & gloriæ fecisti.Eósque nisi peccatis obicem ponant,nó aliter quàm filios charissimos diligis, & in eis complaces tibi. Profectò Angelos filios vocas,cùm ais ad Iob:Vbi eras cùm me laudarent astra matutina, & iubilarent omnes filij Dei.] Nos autem homines filius tuus sic orare docuit:Pater noster qui es in cœlis.] Laudo & horifico te, ô Pater æterne, qui cùm sis Dominus & herus noster,nos autem mancipia tua vilissima,Pater noster dici non refugis. Immo & paternam erga nos prouidentiam habes, & ad hæreditatem filiorum admittis. Fac per immensam benignitatem tuam,vt filij tui imitatione ac vitæ puritate simus, & te propter teipsum, amore scilicet filiorum perfectissimè diligamus.

Deus Pater præcipuè Angelorum, & hominum.

Iob 38. 7.

Matth. 6.9.

3. Adeò autem verè & principaliter, ô Domine Deus meus, tu Pater es, vt omnis paternitas siue in cœlis,siue in terris ad tui similitudinem nominetur. In cœlis superiores Angeli dicuntur patres inferiorum,non quòd illos generent,sed quia illis præsunt,& eos de rebus absconditis & à te reuelatis erudiunt. In terris etiam prælati dicuntur patres,quia subditos pio moderamine gubernant.Ac tandem Patres naturaliter sunt, qui consueto naturæ modo filios gignunt. His omnibus eatenus patris nomen conceditur, quatenus tuum modum generandi aliqua ratione saltem à longè imitãtur, & quatenus prouidentia & amore suos vel filios, vel subditos,vel inferiores complectuntur. At verus & principalis pater tu solus es, comparatione cuius pater meus,& mater mea dereliquerunt me, & quasi nonnouerunt me. Te ergo solum patrem agnoscam,& vt vnicum præsidium meum omnibus præferam.

Qui Patres dicãtur & qualiter.

CONTEMPLATIO LXXXV.

Quòd Deus est filius.

Hæc dicit filius Dei : Qui habet oculos tamquam flammam ignis. Apocal.2.18.

1. PVnctum. O Domine Deus meus, te etiam confitemur, & adoramus filium Dei. Nunc enim quasi oculos conuertens ad te conceptum, quem Pater se intelligẽs produxit,cuíque suã substantiam ac naturam communicauit, te filium Dei esse constantissimè credo. Es, inquam,filius æterni Patris,nõ quasi per artem,vt opus artificis, factus, nec vt creatura, creatione conditus, nec vt viuẽtia corporalia ex seminis effusione genitus,sed vt verbum in corde Patris sui cõprehensione próductus. Hæc comprehensio ac cognitio,qua Pater seipsum cõprehensiuè intelligit,& dicit,generatio est,quoniam verbi viuentis,& sibi in natura omnino similis productio. Vnde & tu Domine per illam prolatus,filius es. Filius quidem non posterior Patre, quia sicut Pater ab æterno est, & ab æterno se intelligit,ita ab æterno te filium produxit. Filius in nullo Patri dissimilis,nec inæqualis, quia eamdem cum illo sapientiam,& bonitatem,& potentiam,& reliquas perfectiones habes,sicut eamdem numero diuinitatẽ ab eo absque vlla imperfectione recipis.

Filius æqualis suo principio.

2. Es,ô Fili Dei, vnicus & vnigenitus Patris tui, qualis nullus alius extitit, nec existere potest.

Alij patres vnicum tantùm filium generãt, ſed expectata naturę poſſibilitate alios generare poſſent. At impoſſibile eſt quòd in Deo ſit alius filius præter te, quem Pater ſemper generat, cui totam ſuam naturam & perfectionem communicat, in quo generando omnem ſui diuini intellectus efficacitatẽ collocat. Vnigenitus hominis ita à Patre eſt, vt etiã à matre ſit, & ideo eſt quaſi inter duos parentes diuiſus. Tu verò à ſolo Patre es, ſine matre ab eo gigneris, ab eo abſque vlla imperfectione aut poſſibilitate conciperis. Filius etiam hominis vnigenitus, vt patris hæreditatem accipiat, eius ex hac vita deceſſum expectat: tu ex æternitate ſimul cum Patre abſque vlla diuiſione tota hæreditate perfrueris, & omnes eius diuitias, omnem ſcilicet eius diuinitatem & perfectionem poſſides. Ac tandem vnigenitus in creatis à Patre ſeiungitur, tu verò numquam è ſinu Patris egrederis, nec ab eo cum quo vnus es Deus, ſepararis. Vnigenitus, ais, filius, qui eſt in ſinu Patris, ipſe enarrauit.] Vtinam Domine verus ſeruus tuus eſſem, vt pro modulo meo in ſinu Patris admitterer. Nam promiſſio tua eſt: Vbi ego ſum, illic & miniſter meus erit.]

In diuinis vnicus tantùm filius.

Ioan.1. 18.

Ioan.12. 26.

3. In ſinu autem Patris manens, ô fili Dei, non ociaris, ſed ſimul cum Patre Spiritum ſanctum, tertiam Trinitatis perſonam ſpiratione producis. Pater videns te Deum de Deo, lumen de lumine, Deũ verum de Deo vero, vidẽs, inquam, te ſibi omnino ſimilem & æqualem, & totius ſuæ naturæ diuinitatiſque cõſortem, infinito amore diligit te. Viciſſim & tu vidẽs Patrem ſummum & æternum bonum, à quo ſine vlla imperfectione genitus es, diuinam naturam & omnia quæ habes accepiſti, infinito amore diligis illum. Hic amor mutuus, & vnus eſt. Mutuus, quia & diligis Patrem, & à Patre diligeris. Vnus verò quia ſicut Patris & filij non eſt duplex, ſed vna natura, ita non eſt niſi vnus amor, quo vos infinitè diligitis. Sicut autem cognitio Patris fœcunda eſt, & te filium generans, ita hic amor quo diligeris à Patre, & diligis Patrem, fœcundus eſt, Spiritum ſanctum ſpirans. Cui æternus Pater & tu filius totam veſtram ſubſtantiam & naturam illa dilectione ſpiratiua, ſeu ſpiratione amatiua communicatis, & ideo in veſtra diuinitate verum Deũ diſtinctum quidem perſona à vobis, ſed eumdem in natura producitis. Ita credo, ô Domine Deus, ita ſentio, ad iuſtitiam, ita & ore confiteor ad ſalutem; & Spiritum ſanctum, quem Deum à Patre, & à te procedentem credo, ad obtentum gloriæ me accepturum eſſe confido.

Amor mutuus inter Patrem & filium.

Contemplatio LXXXVI.

Quòd Deus eſt verbum.

In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum. Ioan.1.1.

1. PVnctum. O Domine Deus meus, vnigenite Fili Dei, ad te quoque propriiſſimè pertinet, quòd ſis & dicaris verbum Dei: quod nomen tibi dedit Ioannes Apoſtolus à teipſo doctus, ſic ſcribens: Et Deus erat verbum.] Et alio loco: Vocabatur nomen eius verbum Dei.] Vox namque, quam exteriùs ore proferimus, verbũ minus principaliter dicitur ex eo quòd ſignificat mentis conceptum. Vnde ipſe interior mentis conceptus maximè propriè ac principaliter eſt verbum. Tu autẽ es conceptus vnicus æterni Patris, quem intra ſeipſum format, quem ſua interna loquutione profert, quo ſeipſum & omnia effabilia dicit. Es igitur verbum Patris, ad cuius ſimilitudinem conceptus noſtræ mentis in nobis verba dicuntur. Hæc verba in nobis accidentia ſunt, res quas mente concipimus repræſentantia, non tamen eamdem naturam rerum repræſentatarum habentia. At tu verbũ Dei ſubſtantia es, & ſubſtantia diuina: nam ſi Deus te producens ſeipſum dicit, tibi ſuammet naturam quam dicit cõmunicat. Verba noſtra perpetua non ſunt, quia ſi mens à cogitatione ceſſet, verbum ſtatim euaneſcit. At tu verbum Dei manes in æternum, quod Pater ſemper dicit, à cuius dictione deſiſtere nequit. Nam ſicut eſſentiale eſt illi eſſe, ita neceſſarium eſt illi ſeipſum actualiter intelligendo te dicere, & verbum habere.

Ioan.1.1. Apoc.19. 13.

Verbum diuinum vnicus Patris cõceptus.

2. Es tu Domine verbum ſapientiſſimũ: quoniam te vno dicit, & exprimit æternus Pater quidquid intelligit, quidquid ſapit, & comprehendit. Semel loquitur Deus intra ſeipſum, & te verbum ſuum ſolum loquitur. Te autem ſolo exprimit omne quod ipſe eſt, & omni modo quo expreſſibile eſt. Exprimit omne quod habet, & omne quod poteſt, & te vno omnes etiam creaturæ ſecundùm quod ſunt poſſibiles expreſſę ſunt. In te igitur ſunt omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ Dei abſconditi. Tu es vera & perfecta ſapientia, quæ ex ore Altiſſimi prodiiſti primogenita ante omnem creaturam. Primogenita, inquam, non quidem quia eodem modo à Patre prodieris. Nam creaturæ à Patre, & à te, & ab Spiritu ſancto vt ab vno creatore in tempore factæ ſunt, tu verò à ſolo Patre ex æternitate genita es. Sed quia ante omnia in Patre ſubſtiteris, numquam in eo incipiens, ſed cum illo ſemper permanens. O igitur verbum ſapiens doce me, non aliud quàm facere voluntatem tuam, quoniam Deus meus es tu.

Verbum Dei quã ſit ſapiẽtiſſimũ.

Eccli.24. 5.

Pſal.142. 10.

3. Es denique Domine, verbum potens. Omnia enim per te, non ſolùm tamquam per cauſſam exemplarem, ſed etiam tamquam per cauſſam effectricem, & per manum tuam facta ſunt. In te, & à te condita ſunt vniuerſa in cœlis & in terra, viſibilia & inuiſibilia, ſiue throni, ſiue dominationes, ſiue principatus, ſiue poteſtates, omnia per te, & in te creata ſunt. Te conſtituit Pater hæredem vniuerſorum, per quem fecit & ſæcula. Quæcumque fecit Pater, & tu ſimiliter facis ab Angelo ſupremo vſque ad viliſſimum vermiculum, à ſubſtantia vſque ad accidens. Quando Pater præparabat cœlos, aderas, quando certa lege & gyro vallabat abyſſos, & quãdo reliqua efficiebat, tu ſemper eras cum eo, cuncta cõponens. Ideo vocaris virtus Dei, & dextera ac brachium Dei: vt Scriptura te potentiſſimum eſſe demonſtret. O igitur virtus omnipotens robora infirmitatem meam. O dextera & brachiũ Altiſſimi, ita diſpone res meas, vt ad tuam gloriam propagandam, & meã ſalutem efficiendã conferãt.

Ioan.1.3. Diuini verbi potentia. Coloſſ.1. 16.

Heb.1.2.

Ioan.5. 21. Prou.8. 27.

Contemplatio LXXXVII.

Quòd Deus eſt imago.

Qui eſt imago Dei inuiſibilis, primogenitus omnis creaturæ. Coloſſ.1.15.

1. PVnctum. O Domine Deus meus, ô Fili Dei, ô verbum Patris, tu es imago Dei inuiſibilis, non quidem ex ligno, aut ex argento, aut auro facta, ſed ex ipſamet Patris ſubſtantia atque natura genita. Imago non ſicut figura regis impreſſa in nummo aureo, quæ ſolùm lineamenta externa regis deſignat, ſed ſicut figura eiuſdem regis in filio, quæ etiam regis naturam manifeſtat. Immo in immenſum perfectior: quoniã filius regis diſtinctam

Verbum diuinum qualiter ſit imago.

naturam ſingularem habet, tu verò eamdem numero naturam Patris retines. Imago etiam Dei inuiſibilis, vt ſicut ipſe oculo corporeo videri nequit,& oculo etiã intellectuali, niſi lumine gloriæ roboretur, videri non poteſt; ita pariter & te nec oculus corporeus videt,neque intellectus ſine eodem gloriæ lumine intuitiuè perſpicit. Ita tandem es imago,vt naturam & omnem perfectionem Patris perfectiſſimè referas. Non enim per aliam naturam diſtinctam, ſed per eamdemmet naturam Patris tibi communicatam ipſum repræſentas.

2. Hæc autem ratio imaginis, ô Fili Dei, quæ in te eſt, ſeu quæ tu ipſe es,aliis etiam nominibus ſolet exprimi, vt manifeſtiùs innoteſcas. Vocaris namque ſplendor gloriæ, & figura ſubſtantiæ Patris, portánſque omnia verbo virtutis tuæ. Inſuper & candor lucis æternæ, & ſpeculum ſine macula,& imago bonitatis illius. Diceris ſplendor, ô imago ſancta & pura, vt tua æterna proceſſio ſignificetur. Non enim es vt imago ab æterno artifice facta,ſed ab ipſomet Patre,quem refers genita ſiue producta.Vt ſicut ex eo puncto ex quo ſol eſt, radium mittit coæuum,& in claritate æqualem,& inſeparabilem ſibi, ſine mutatione, & ſine labore, ita & tu ex æternitate vt radius increatus Solis increati ab æterno inſeparabiliter & æqualiter abſque vlla mutatione & labore generaris. Diceris figura ſiue character ſubſtantiæ Patris vt te perſonã eſſe diſtinctam à Patre & ſubſiſtentem explicetur. Nam ſicut character eſt aliquid præter primũ exẽplar,illi tamen ſimile,quod per ſe ſubſiſtit,vt verbi gratia ſigillũ expreſſum in cera; ita & tu es alius à Patre per te ſubſiſtens,& omnem eius ſubſtantiam & pulchritudinem exprimens. Diceris candor lucis æternæ,vt te eſſe Patri æqualem indicetur.Nam tanta eſt refulgẽtia,ſiue ſplendeſcentia lucis,quanta & ipſa lux à qua procedit: & tanta eſt maieſtas & gloria tua,quanta & Patris à qua dimanas.Diceris ſpeculum ſine macula,vt tua immenſa pulchritudo & inoperatio cũ Patre deſignetur. Nam ſicut imago ſpeculi nitidiſſimi non ſolùm omnem venuſtatem,ſed & omnes motus ſe aſpicientis repręſentat,ita & tu non ſolùm omnem Patris pulchritudinem habes, verùm & omnia quæ ipſe operatur facis. Tandem diceris imago bonitatis vt tua ſanctitas innuatur. A Patre enim naturam & ſanctitatem,ac omnem perfectionem recipis.

3. Et quidem,tu imago Dei inuiſibilis, carnem induiſti vt nobis eſſes,vilibilis, & vt qui viderent te,viderent & Patrem.Facies quidem hominis apparet in ſpeculo, & in parua pupilla oculi repræſentatur magnitudo cœli. Sic in humanitate à te aſſumta omnis virtus ac ſanctitas tua repræſentata eſt,vt qui Dei ſolius bonitatem,& miſericordiam, & reliquas virtutes intueri non poteramus,eaſdem in Deo homine cerneremus. Obſecro te Domine, vt qui me ad imaginem tuam creaſti, gratiæ ſimilitudine induas, & hanc nouis augmentis ſemper expolias. Amen.

Hebr.1.3. Sap.7.26. Varia diuini Verbi nomina.

CONTEMPLATIO LXXXVIII.

Quòd Deus eſt Spiritus ſanctus.

Accipite Spiritum ſanctum,quorum remiſeritis peccata,remittuntur eis. Ioan.20.21.

1. PVnctum. O Domine Deus, te etiam confitemur Spiritum ſanctum,cùm ſis tres perſonæ,& vnus Deus. Nunc ergo tecum loquar, ô Spiritus ſanctiſſime,quem tertiam perſonam Trinitatis adoro. Tertiam profectò nec tempore, nec dignitate:nam coæuus es,& æqualis Patri & filio,ſed numeratione,& ordinis proceſſione.Tu non à Patre ſolo, non à filio ſolo, ſed à Patre & filio, vt ab vno principio, & vno ſpiratore procedis. Cùm enim in ſancta Trinitate omnia ſint vnum,vbi non obuiat relationis oppoſitio, & cùm Pater & Filius comparatione tui,non ad ſeipſos, ſed ad te ſolùm referantur, ſequitur quòd te vt vnum principium producunt. Tibi ſuam diuinam naturam cõmunicãt:quare verus Deus es,in nullo minor quàm Pater & Filius.Nam cuius eſt eadẽ cum Patre & Filio diuinitas, eadẽ eſſe debet dignitas, atque maieſtas.

Spiritus ſanctus à Patre & Filio, vt ab vno principio eſt.

2. Sed quare Domine hoc vocaris nomine? quare Spiritus ſanctus nominaris? Ideo ſanè, quia cõmunis es duabus perſonis, vnde quod ipſis eſt cõmune ſortiris. Pater eſt Spiritus,& Filius eſt ſpiritus.Pater eſt ſanctus,& Filius eſt ſanctus:ac proinde tu vtriuſque nexus vocaris Spiritꝰ ſanctus. Ideo etiam,quia ſpiritus impulſionem in aliquem denotat:ſanctũ verò eſt omne illud quod in Deum ordinatur. At tu Deus meus es quaſi impulſio quædam dilectionis Patris in Filium,& Filij in Patrem, es etiam impulſus in Deum, quoniam Pater eſt Deus, & Filius eſt Deus. Meritò ergo diceris Spiritus ſanctus.

Quare tertia perſona dicatur Spiritus ſanctus.

3. O ſanctiſſime Spiritus, tu es ſpiritus Patris, à quo accipis ſuam Deitatem & omnipotentiam. Tu es ſpiritus Filij, à quo accipis eamdem diuinitatem & ſapientiã. Tu es Spiritus vtriuſque à quo accipis amorem,quo duæ diuinæ perſonæ ſe amãt, & eodem amore illas redamas. Es ſpiritus omnia creans,omnia conſeruans,omnia viuificans. Spiritus qui non ad menſuram repleuiſti Dominũ noſtrum Ieſum Chriſtum. Spiritus adoptionis filiorum, in quo clamamus, Abba Pater. Quo diſtinguuntur filij lucis à filiis tenebrarum,qui te habere non poſſunt. Tu adiuuas infirmitatem noſtram, & doces omnem veritatem,& erudis vnctione tua ſancta de omnibus. Et poſtulas pro nobis gemitibus inenarrabilibus,& diffundis charitatẽ in cordibus noſtris. O ſpiritus bone deduc me in terram rectam, & propter nomen tuum ardore charitatis viuifica me.

Ioan.3.34. Rom.8.26. Ioan.16.13. Rom.8.27. Pſ.142.10.

CONTEMPLATIO LXXXIX.

Quòd Deus eſt amor.

Diligamus nos inuicem,quia charitas ex Deo eſt. 1.Ioan.4.7.

1. PVnctum. O Domine Deus meus, Spiritus ſanctiſſime,tu amor es. Amor,inquam,à Patre Filióque mutua ſui ipſorum dilectione productus.Amor æternus,quia ſemper Pater & Filius atque æternaliter ſe amauerunt, & ideo æternaliter te ſpirauerunt.Amor infinitus,quoniam ipſa natura, & perfectio diuina tibi communicata eſt, & te Pater & Filius infinita bona ſua ſibi volunt, & infinitè gaudent,& cõplacent ſibi.Tuum principium amor eſt producẽs ſeu ſpirans; quia Deus charitas eſt,tua proceſſio amor eſt;quia dilectio mutua Patris & Filij eſt, & tu es amor hac dilectione ſpiratus, quia illud quod dilectione emanat, non aliud quàm amor eſt.Pater eſt quaſi increatus & ingenitus ſol, Filius quaſi increatus, ſed genitus Solis radius, tu verò quaſi Solis & radij non creatus, nec genitus,ſed ſpiratus ardor amoris.Quòd ſi nihil ſuauius, nihil dulcius, nihil amabilius amore, de te quid ſentiemus,niſi quòd es ipſa dulcedo atque ſuauitas,quam ex toto conatu mentis noſtræ debemus ſuſpirare.

Auguſt. interpretatur de Spiritu ſancto, 15.de Trinit.c.17.

Principiũ Spiritus ſancti amor.

Spiritus sanctus nexus Patris & Filij.

2. Hinc prouenit, ô amor ſanctiſſime atque dulciſſime, quòd dicaris vnio, nexus ac vinculum Patris & Filij. Nam qui ſe mutuò amant, non alio vinculo, quàm amore nectuntur. Amor eſt quaſi dulcis amantium amplexus, ne ſe adinuicem ſeparentur. Vnde cùm Pater & Filius ſe diligant, te Spiritu ſancto non mirum ſi amborum vinculum appelleris. O dulciſſimum vinculum, quod incorruptibile eſt, & Patris ac Filij eamdem immortalitatem habentium, quod nulla diſcordia, nulla mors vmquam diuellet. O arctiſſimum vinculũ, & quo arctius, eo ſuauius & delicioſius, quod Patrem & Filium non in vnam tantùm voluntatem, ſed in vnam quoque naturam & deitatem deuincit. O ſanctiſſimum vinculum, vtinam me tibi & Patri & Filio indeſinenter aſtringas, vt à te nec intellectu nec affectu diuellar, & per immiſſionem veræ puritatis ſanctus efficiar.

Spiritus ſanctus initium omnis amoris creati. Rom. 5.5.

3. Et quidem, ô amor ſanctiſſime, cùm ſis charitas increata, initium es omnis charitatis creatæ, & cùm ſis primus amor, etiam es magiſter amoris. Ideo Paulus ait: Charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum, qui datus eſt nobis.] Hanc ſcientiam amandi te, qua mundamur, qua perficimur, qua ſanctificamur, tu ſolus doces. Diffunde ergo in corde meo amorem tuum. Ipſe me impleat, ipſe me regat, ipſe me poſſideat. Nihil aliud ſciam, nec cupiam niſi amare te, & quidquid cogitauero, quidquid fecero ex amore, & cum amore præſtare, & in amorẽ conuertere. Vt te nunc perſeueranter diligens, aliquando tandem teipſum meam gloriam obtineam.

Contemplatio XC.

Quòd Deus eſt donum.

Pecunia tua tecum ſit in perditionem, quia donum Dei exiſtimaſti pecunia poſſideri. Actor. 8.20.

Quid dicatur donum.

1. PVnctum. O Spiritus ſanctiſſime, & amor ſuauiſſime, eo ipſo ab æterno donum es, omnium quidem donorum præſtantiſſimũ. Donum enim vocatur non tantùm quod actu dõnatur, ſed quod natura ſua aptum ac deputatum eſt dari. Primum autẽ quod alicui damus, aut dare poſſumus, amor eſt, quia non ei bonum daremus, niſi ipſi bonum vellemus. Cùm ergo tu, ô ſancte Spiritus, amor ſis Patris & Filij, eo ipſo primum ac præcipuum es donum, quòd ex æternitate à Patre Filióque procedis, & ſemper deputatus fuiſti vt nobis donareris. Nec ſolum Pater & filius te donant, ſed & tuipſe nobis te donas, cùm eamdem cum ipſis habeas operationem & voluntatem. Sponſus donum eſt ſponſæ, & ipſe ſponte & libenter ſe donat. Sic & tu Eccleſiæ, & animabus ſanctis te donas, & eas teipſo ſummo bono multiplicas.

Spiritus ſanctus quale ſit donum.

2. Sed intelligam ego, ô Domine, ſaltem ex parte quantum donum ſis. Quod enim Pater & Filius largiuntur, & quod tu ipſe largiris, & amicis datur, & ad fœlicitatem comparandam datur, non poteſt eſſe paruum donum. Es donum quòd in anima, vt in templo habitas, & eam per donum gratiæ gratum facientis, tibi & Patri & Filio gratam, & hæredem regni efficis. Es ignis qui omnia peccata & vitia abſumis, & per infuſionem charitatis facis corda noſtra flammantia. Es fons aquæ viuæ qui manas in nobis doctrinam veritatis. Es dator munerum à quo accipimus donum ſapientiæ & intellectus, donum cõſilij & fortitudinis, donum ſcientiæ & pietatis, & replemur dono timoris. Es oleum lætitiæ, quo ad verum & perpetuum gaudium iungimur. Es Doctor loquens per os Prophetarum, quo docemur, ventus ſecundus & proſper quo nauigamus, & ſine te numquam in aliquod bonum, quod proficiat ad ſalutem, appellimus. Breuiter tu es primum donum & author omnium donorum à quo omnia bona habemus, & ſine quo nihil accipimus.

3. Præcipuè autem in hac vita, ô ſuauiſſime Spiritus, nobis donaris, vt vera nos & ſolida conſolatione conſoleris. Ideo Filius à quo procedis de te dixit: Ego rogabo Patrem (certè vt homo, nam vt Deus nõ rogat, ſed donat) & alium paraclitum dabit vobis, vt maneat vobiſcũ in æternum, id eſt, quamdiu Eccleſia in terris militauerit. Ipſe Chriſtus etiam conſolator eſt, qui nos conſolabatur, qui nos docebat, qui nos protegebat. Eo autem in cœlos abeunte, tu vt paraclitus nobiſcum manſiſti vt noſtram deſolationem ableges, vt eius abſentiam lenias, vt nos doceas, atque defendas. O igitur pater pauperum, ô dator munerum, ô lumen cordiũ, veni ad me. O donum ſuperans omne donum reple me, & inflamma tui amore cor meum, vt te ſolum quæram & vniuerſa humana deſpiciam. Amẽ. *Ioan. 14. 16.*

De beneficiis diuinis.

DECAS X.

EX diuinis perfectionibus, quas ſuprà tetigimus, facilè eſſet puncta colligere ad diuina beneficia meditanda. Quia tamen aliqua occurrunt, quæ non ſunt in ſuperioribus tacta, & ne animam cupientem beneficia à Domino ſibi exhibita meditari, labore quærendi grauemus, viſum eſt ſeorſum de beneficiis agere. Quæ licèt alio loco ad maiorem numerum retulerimus, hîc tamen pro ratione decadum ad denarium contrahimus. 1. Ergo beneficium eſt prædeſtinationis. 2. Creationis. 3. Conſeruationis. 4. Redemtionis. 5. Vocationis ad fidem. 6. Vocationis ad religionem. 7. Iuſtificationis. 8. Perſeuerantiæ. 9. Gloriæ. 10. Multiplicis doni ſpecialis, quod quiſque experietur ſe accipere.

Contemplatio XCI.

De beneficio prædeſtinationis.

Elegit nos in Chriſto ante mundi conſtitutionem vt eſſemus ſancti & immaculati, &c. Epheſ. 1.4.

1. PVnctum. O ſancta Trinitas, ô Pater, ô Fili, ô Spiritus ſancte, ô Domine Deus meus, quàm immenſas gratiarũ actiones tibi debeo propter infinita beneficia, quæ ex ineffabili largitate tua hactenus recepi, & modò recipio, & vſque ad finem vitæ, & per totam æternitatem accepturus ſum. Certè facilius eſſet aquæ guttas & arenam maris, quàm omnia hęc beneficia numerare. At quę ſigillatim enumerare non poſſumus, ſaltem ſub quadam generalitate ad memoriam reducamus. Ac primum occurrit quòd tu Domine Deus meus ab æterno cognouiſti me, & in pectore tuo ſanctiſſimo mihi locum dediſti, nec meam vilitatem exhorruiſti. Vniuerſa quidem tum poſſibilia, tum aliquando futura ex æternitate contemplatus es: & ſicut nullum eſt principium maieſtatis tuæ, ita nullum eſt initium huius cognitionis tuæ. At beneficium meum eſt, quòd me, ad tot bona, quæ poſtea referam, donanda, vidiſti. Et qui dicis ad

Psal.109. 1.

Isai. 49. 26.

filium naturalē:In ſplendoribus Sanctorū ex vtero ante luciferum genui te;] dicis ad me filiū adoptatum(vt de tua bonitate cōfido) ex æternitate noui te. Eccē in manibus potentiæ meæ deſcripſi te, & muri tui, id eſt, protectio, qua te defendo, coram oculis meis ſemper.] O ſi huic beneficio reſpōderem Domine,& ſemper te oculis menti aſpicerem.

2. Reſpexiſti me, ô Deus meus, in illa æternitate tua,& non ſicut eas creaturas, quæ numquam futuræ ſunt, quas aut non diligis, cùm nullum eis bonum velis,aut ſi diligis amore quodam neceſſario diligis,quatenus in earū poſſibilitate tibi complaces. At me amore ſpontaneo & libero complexus es, volens efficaciter in tempore me creare, & plurima bona tum naturalia, tum ſupernaturalia mihi tribuere. Quare in corde meo vox tua inſonat dulcior ſuper mel & fauum; charitate perpetua dilexi te. Sed qua charitate me dilexiſti? Certè eadem, ex parte tui, qua temetipſum diligis. Nec enim in te ſunt duo amores, quibus diligas te, & tua,ſed eodem amore diligis te,& tua.Ex parte verò effectuum quos amore tuo ponis in me, ſatis magno & pretioſo amore me diligis,quia maximis & pretioſis donis cumulas me. Amor amore perſoluitur,gratias ergo referam,quia me amas,& pro hoc amore,quantum poſſim diligam te.

Deus quos amore dilexit.

3. Ignoro Domine,dum in hac mortalitate dego, an me efficaciter ad tuam gloriam elegeris. Nam ſicut nullus abſque ſpeciali reuelatione tua nouit,an odio, an amore dignus ſit, ita nec agnoſcit,an in æternum diligendus ſit. At tu præcipis, vt ſpem habeam, quòd ſum ex electis tuis,& quòd ſum conſequuturus gloriam, de tua infinita bonitate confidam. Repoſita igitur eſt hæc ſpes mea in ſinu meo:quam confirmat aliqualis timor peccandi,& aliquale deſiderium tibi placendi. Cogito itaque quòd hoc ita eſt,& ad iſtud ſummum bonum aſſequendum omni conatu aſpirare decerno. Sed quàm magnum,quàm excellens eſt hoc beneficiorum beneficium. Vidiſti in æternitate tua, ô Deus meus, omnes filios Adam coram te peccato originali ſordentes, & æternæ damnationi propter illud peccatum adiudicatos. Horum autem pæne infinitis reiectis (quia infinitus eſt ſtultorum numerus) aliquos efficaciter ſine vllis eorum meritis elegiſti, in quos tuæ miſericordiæ diuitias effunderes, & per merita vnigeniti Filij tui Ieſu Chriſti Domini noſtri, ad gloriæ ſublimitatem eucheres. Iſtorum electorū (permitte obſecro vt ſic loquar, ne me reiicias, ne me contemnas propter peccata mea,ſed propter crucem,& mortem Filij ſuſcipias) vnus ſum ego. Elegiſti me antequam mundus fieret,apud te,vt eſſem vas miſericordiæ, vas præparatum in honorem,vt in æternum te hæreditatem meam poſſiderem, & in tuum gaudiū ingrederer. Deſignaſti ſedem,quam in cœlis eſſem occupaturus gradum gloriæ,quem eſſem accepturus:præparaſti ſtolam immortalitatis,& exultationis,qua eſſem pulcher & decorus apud te apparitur[9]. Si hæc ſpecto, ſi ad tantum bonū me venturū perſuadeo, ô quàm ſtultus ſum,quàm vilis,quàm magna pœna dignus,ſi nō omnia huius mūdi bona pedibus protero,& ſi te non nudè & purè ac feruēter diligo.

Ecel.9. 1.

Quàm magnum hoc beneficium.

4. Si me ſic elegiſti, ô ſuperdulciſſime Deus meus, etiam prædeſtinaſti me.Id eſt, ſuppoſita illa efficaci electione mea à te ſine meritis meis prę-uiſis & per merita Domini mei Ieſu Chriſti facta, vniuerſa media diſpoſuiſti,quibus aliquādo tandē fœlicitatem aſſequerer.Hæc autē ſunt illa tria præcipua,vocatio,iuſtificatio, magnificatio, de quibus Paulus:Quos autē prædeſtinauit,hos & vocauit;& quos vocauit,hos & iuſtificauit; quos autē iuſtificauit,illos & glorificauit.] Inſuper media ſunt,ſtatus,miniſteriū,ſalus,ægritudo,euentus omnes proſperi,& aduerſi,opera bona,immo & permiſſio peccatorum. Hæc namque permittis in electis tuis,vt humiliores ſint,& feruentiores reſurgant,vt à peſſimo vitio ſuperbiæ immunes euadant. Quare ait Paulus nihil excludens:Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum.] Sciam Domine per miſericordiam tuā hoc ſummum beneficiū ponderare, pro eo immēſas gratias referre, & per bona opera, & vitæ puritatem meā electionē certiorem facere.

Rom. 8. 30.

Rom. 8. 28.

Electio ad gloriam ſine prouiſione meritorum.

CONTEMPLATIO XCII.

De beneficio creationis.

Manus tuæ fecerunt me,& plaſmauerunt me totum in circuitu. Iob 10.8.

1. PVnctum. In eodem tēpore,& in eadē huius orbis ætate, ô Deus ſuperamandiſſime, quo ſtatueras creare me,in eadē me cōdidiſti, neque in abyſſo nihileitatis me reliquiſti,ſed ad bonū meum recordatus es mei.Feciſti me non lapidē,non plantam,non belluam,ſed hominem tui capacem; vt te poſſiderem,& te in æternū perfruerer:vt in perpetuum domū cœleſtem inhabitarē, ad tuā menſam gloriæ ſederem,& veſtē immortalitatis induerem. Feciſti me vt in hac vita omnibus rebus ſenſibilibus dominarer, vt illis ad meum arbitrium iuxta menſuram neceſſitatis vſque ad conſumtionem earum,& occiſionem animaliū vterer,atque paulo minor Angelis eſſem.

Homo ad quid creatus.

2. Non eſt tamen æquum, ô conditor meus, vt tam generaliter per hoc beneficiū pertranſeā, quo alia innumera cōtinentur. Manus ergo tuæ potentiæ & bonitatis plaſmauerunt ex vili materia corpus meū in vtero matris meæ.Illud autem non vtcumque,ſed vt opus tibi gratiſſimū expoliuiſti, & ſicut lac in humoribus mulſiſti, & ſicut caſeum in partibus ſolidis coagulaſti.Pelle & carnibus veſtiſti me, oſſibus & neruis cōpegiſti me. Omnia membra integra & ſolida perfeciſti, organis & ſenſibus & potentiis inſtruxiſti,figura recta,quæ me patriæ cœleſtis admoneret,& pulchritudine & vi ad motum & ad vſum rerū exornaſti.Ita demum fabricatus es illud vt eſſet dignum habitaculum ac domicilium animæ rationalis. Quælibet ergo pars mei corporis,quodlibet membrum,aut organum, quiuis ſenſus aut artus nouum & ſpeciale beneficium eſt, pro quo debeo ſigillatim gratias agere, & ipſum,ô Domine,in tuum obſequium conſecrare.

Qualiter corpus à Deo formatum. Iob 10. 11.

3. Eædem etiā manus tuæ,ô factor meus,multo aliter quàm corpus,fecerunt animā meam.Corpus enim meū ex præexiſtēte materia à te factū eſt, & non ſine parētibus meis cōcurrentibus & efficientibus generatū. Animā verò tu ſolus ſine cōſortio aliorum ex nihilo creaſti,eam ſpiritū immortalem tui capacem condidiſti,& imagine tua inſigniuiſti, & ad gratiam tuam habendā,& virtutes aſſequendas,& beatitudinem obtinendam præparaſti.

Qualiter anima creata.

4. Eodem tandem momento, quo anima à te creata eſt, ô Domine,corpori meo immerſa eſt, ac manibus tuis factus ſum homo ex animo corporéque compoſitus, ad vitam æternam legis tuæ obſeruatione quærendam fabricatus.Manus tuę fecerunt me,& plaſmauerunt me:da igitur mihi intellectum,& diſcā mandata tua.Quis plantat vineam, & de fructu eius non edit?Vinea autem tua, ô Domine Sabaoth,anima mea eſt; ſint,quæſo,tales fru-

Psal.118. 73. 1.Cor. 9. 7.

ctus eius,vt ad tuam mensam destinẽtur: Si imago ab sculptore facta intellectũ haberet,ad ipsum pro sua perfectione recurreret.Imago tua sum,nõdum meam perfectionem assequuta.Ad te igitur desideriis & affectibus vadam,& instanter postulabo, vt quod cœpisti,tu ipse perficias.

CONTEMPLATIO XCIII.

De beneficio conseruationis.

Quomodo posset aliquid permanere nisi tu voluisses? aut quod à te vocatum non esset conseruaretur. Sap. 11.26.

1. PVnctum.Creasti me, ô Deus & factor meus, nõ tamẽ statim reliquisti, sicut artifex discedit ab opere à se facto, quia sic statim in nihilũ reciderem, sed perpetuò conseruas me, & per totam ęternitatem custodies.Moriar quidem,& viam vniuersæ carnis ingrediar;at tunc non deseres me, sed corpus meum quasi pretiosum depositum seruabis in terra,vt illud cõmutes in melius,& animã meam custodies in fasciculo viuentiũ,donec ad corpus(te faciẽte)reuertatur.Post resurrectionem verò generalem omnium semper me apud te tenebis. Beneficiũ hoc perpetuũ est. Portas me, & portabis semper virtutis tuę verbo, & quasi onus à te sustẽtatũ, vel potiùs vt infans,qui præ teneritudine se sustentare nõ valet,numquã ex brachiis tuæ misericordię & dilectionis dimittis.Magnum etiam,& inęstimabile beneficium est,quoniã vniuersa alia bona à tua largitate in me effusa conseruationem supponunt: & quia toties deseri,& in nihilũ redigi merui,quoties in tuam sanctam legem deliqui.Qui absque interruptione à te seruor,à te custodior,absque interruptione te præsentem aspiciam,tęque diligam.

Hebr. 1. 3. *Conseruationis beneficiũ perpetuum.*

2. Hoc conseruationis beneficio omnia illa cõtinentur,sine quibus nequaquã subsisterem,vt sunt innumerabiliũ periculorum ac discriminum depulsiones,quibus benignissimè liberasti me. Nam primò in vtero matris me nouẽ mensibus aluisti,illaq; omnia submouisti,quibus potui ab ipsis parentibus suffocari & perimi, & sine baptismo decedens in ęternũ perire.Deinde in ipso partu matris & egressu meo ad habitãdam hanc domum orbis,quã mei gratia antea praueras(in quo quanti infantes periclitantur,& aliquo mẽbro,aut sensu orbati,vel certè non tam homines quàm monstra nascuntur)me à periculis eripuisti,& omnibus sensibus & mẽbris instructum,ac decenti dispositione ornatũ eduxisti. In decursu autem vitę quot ęgritudines, quot pericula submersionis in mari,& fluminibus,quot discrimina ignis,& terrę motuum,& aëris pestilentis, & quot infortunia,& casus infestos euasi?Tot certè,quot alij homines sustinẽt,quibus natura & imbecillitate cõmunico.Eorum ergo immaturæ mortes,infamiæ,captiuitates morbi,bonorum amissiones, & si quæ aliæ in malis numerantur, beneficia mea sunt, quia eorũdem obnoxius sum. Incumbit ergo mihi,Domine,tibi gratias referre pro periculis multis mihi notis,à quib⁹ hucusq; liberasti me,& pro innumerabilib⁹ aliis mihi prorsus ignotis,quibus hacten⁹ eripuisti,& vsq; ad finẽ vitę eripies me.

Qua sub beneficio cõseruationis cõtineãtur.

3. Ad conseruationem etiam pertinent,ô Deus magnificentissime, vniuersa illa, quibus in esse & vita custodior. Feci sti mecũ quod rex potẽtissimus cum filio vnigenito facere disponeret. Nam hunc orbem cõdidisti magnum certè, pulchrũ,& opibus immensis instructũ, in quo vt in domo principe & filio regis digna cõmorarer.Nec huius doni aliquid mihi deperit,ex eo quòd nõ mihi soli,sed omnibus hominibus in cõmune datum est,immo ex eo ipso maius & augustius apparet. Nam tam mihi seruit, quam si ipsum solus possiderem:quin,& hoc modo melius iucundiúsque possideo.An nõ plurima sunt in mundo, quibus solus vti non possem? Ita sanè. Quomodo enim metalla solus effoderem, terram colerem,instrumenta ad innumeras artes haberem, & maria nauigatione tranarem. An nõ animal sum sociabile,de quo dictũ est:Non est bonũ,hominem esse solum?Et quidem qui solitudine contristor,& societate delector.Non ergo minus mihi beneficiũ est mũdus, quia simul cum aliis eum ad habitationem accipio,sed multo maiùs, quia ex aliorum cõsortio ipsius rebus pleniùs & abundantiùs fruor.

Aliæ quæ ad cõseruationẽ pertinẽt.

4. In hoc autem vno dono, ô largissime Deus, quis cõprehẽdere valeat quę mihi à te donata sunt? Profectò nullus, sed ad gratitudinẽ aliqua enumerabo. Dedisti mihi cœlum vt tectum, vel vt tentorium,quo tegerer:solem,lunam,& stellas,vt instrumenta vitę,quibus illuminarer,fouerer,& viuificarer:terram, & alia elementa,vt partes amplissimas huius domus, in qua vsque ad transmigrationẽ ad sedes æternas habitarem:aurum, & argentũ,& alia metalla, & mixta perfecta & imperfecta, vt opes quas possideré: arbores,& plantas,& tot virgultorum genera bene consita, vt hortos,& pomaria, in quibus animi remissionem acciperem:& animalia, & pisces,& aues,vt famulos qui mihi seruirẽt: homines, vt fratres quorum ministerio iuuarer & societate iucundarer. Hæc qui non beneficia reputat ad suã conseruationem necessaria, insipiens est:qui non gratitudine,vt potest,soluit, ingratissimus est.

Beneficia sub cõseruationis dono collata.

5. Silentio tamen non præteribo, ô dulcissime Deus,quinq; rerum genera, quibus tuum amorem erga me testatum facis. Quædam sunt ad sustentationem,& hæc tot sunt numero, vt non possint ab aliquo numerari,& tam suauia, & salubria, vt non queant verbis exprimi.In his sunt olera,poma,carnes,pisces,aues,& cibi plurimi ex his compositi,& mille condimentis præparati, vt corpora nostra se reficiant,& medicamẽta vt ægritudines pellant aut se in incolumitate custodiant.Quædam sunt ad ornatum,& honestatem,& iniurias frigoris & caloris propulsandas, & ad carnis imbecillitatem fulciendam.Huic negotio seruiunt lintea ex lino byssóque compacta; vestes ex lana & serico, immo & ex argẽto & auro in tenuissima fila deductis, & ex molliss imis ac pulcherrimis pellibus animalium, quæ viros primores amiciunt: animalia quæ iumenta nuncupantur,vt equi & muli,& currus, & rhedæ, quæ nos & nostra in longum spatiũ vehunt. Quædam sunt ad oblectationẽ,vt colores & pulchritudines rerum,voces & harmoniæ & concentus suauissimi tibiarum:odorum & saporum suauitates,& alia innumera,quæ sensus nostros demulcẽt.Quædam sunt ad eruditionem, vt formicæ populus infirmus,qui præparat in messe cibum sibi: lepusculus plebs inualida,qui collocat in petra cubile suũ: locusta incitamentum concordiæ, quæ sine rege ordinatim egreditur vniuersa per turmas suas:Stellio feruoris insigne,qui manibus nititur,& sic moratur in ędibus regis.Quędã tandem ad benignam correptionem, & ad iectionem casti timoris, vt sunt muscæ,culices,& alia animalcula,quæ me puniunt,& ex alia parte leones, & aliæ feræ, & tonitrua,fulgura, & fulmina, terræmotus ac tempestates quæ me deterrent.In his omnibus,ô amantissime Deus,te Patrem agnosco;quid enim aliud à benignissimo Patre ad filij conseruationem & educationem exigi potest, quàm vt abundè ad necessita-

5. Signa amoris Dei erga nos.

Prou. 30. 26.

tem, vtilitatem, & oblectationem in omnibus illi prouideat, & de rebus ad virtutem pertinentibus illum documẽtis & promiſſis & minis admoneat.

Totus mundus noſtra cõſeruationi deſeruit,

6. Totus denique mundus, ô Domine, in perpetuo motu eſt, vt me conſeruet, & ad meũ obſequiũ laboret. Propter hoc cœlum mouetur, elemẽta cõmutantur, ex illis compoſita generãtur, & corrumpũtur. Propter hoc terra iugiter culturæ ſubiicitur, & pluuia ex nubibus cadente rigatur, frigore & gelu cõprimitur, & calore ac æſtu diſſoluitur. Propter hoc homines multis curis artium exercendarum deſtinentur, vt omnia ad vitam neceſſaria & vtilia mihi ſuppeditent, & nihil quod ad hunc finẽ optare poſſem mihi deficiat. Pro tot beneficiis hoc vno contentis, non ſolùm affectu cordis, ſed etiam recto vſu iſtorum & fidelitate in tuis mandatis obſeruandis gratias agam.

CONTEMPLATIO XCIV.

De beneficio redemtionis.

Sic Deus dilexit mundum, vt filium ſuum vnigenitum daret, vt omnis qui credit in eum non pereat, ſed habeat vitam æternam. Ioan. 3. 16.

1. PVnctum. O Domine Deus meus, Pater miſericordiarũ, & Deus totius conſolationis, laudo, benedico, & adoro te, quia genus noſtrum humanum peccatis irretitũ, diabolo ſubiectum, à poſſeſſione regni cœleſtis eiectum, & pœnis gehennæ æternis adiudicatum voluiſti ſponte, & abſq; vllo emolumento, ex ſola immenſa bonitate tua, à tam miſera captiuitate redimere, & per vnigenitum filium tuum ad vitæ innocentiam, ad veram libertatem, ad euaſionem pœnarum, & ad eius cœleſtis regni reuocare. Ad hanc redemtionem abundè & ex rigore iuſtitiæ præſtãdam miſiſti verbum tuum in mundum, vt carnem humanam induens verus homo & frater noſter fieret, & vt ad genus noſtrũ pertinens debita noſtra infinita perſolueret. Impoſſibile erat nobis, tibi pro offenſis admiſſis ſatisfacere; quoniam offenſa ex vilitate perſonæ offendentis, & ex dignitate perſonæ offenſæ & iniuria affectæ, grauitatem malitiæ deſumit. Vnde cùm nos in legem tuam rebelles, ſimus ſupra modum viliſſimi, & planè nihil: tu autem ſis Deus infinitæ maieſtatis & gloriæ, non magis certè omnium noſtrùm mortes & pœnæ, quàm mors vilis vermiculi, ad tibi ſatisfaciendum ſufficerent. Venit ergo Filius tuus, & homo factus eſt, & ſua merita & paſſiones pro nobis tibi obtulit, vt hæc à perſona infinitæ & æqualis tecum dignitatis prodeuntia, non ſolùm pro delictis noſtris ad æqualitatem ſatisfacerent, verùm & ſuperabundanter noſtra flagitia delerent. Nam vbi abundauit delictum, ſuperabundauit gratia Domini noſtri Ieſu Chriſti, quæ nobis ſalutem & gloriam afferret.

Rom. 5. 20.

2. Redemtor itaque noſter, ô Pater ſanctiſſime, non alius quàm Deus eſt. Vnigenitus nempe filius tuus. Et hoc opus redemtionis noſtrę ab eo factum præſtantiſſimum eſt, & inæſtimabilia per illud bona recipimus. In creatione homo factus eſt ad imaginem Dei, in redemtione Deus factus eſt ad imaginem hominis. In illa dedit nobis bona ſua, in hac ſuſcepit pro nobis mala noſtra. In illa eduxit hominẽ de terra, & poſuit in paradiſo terreſtri, in hac extraxit de gehenna, & in patria cœleſti collocauit. In illa dedit homini ſua, in hac autem non tantùm dat ſua, ſed ſe. Poſt creationem, ô Deus, indui in carne mea maledictionem imbecillitatis & pronitatis ad malum ſicut veſtimentũ, & intrauit ſicut aqua & in interiora affectuum meorum, & ſicut oleum in oſſibus virium ſpiritus mei. In redemtione autem copioſa gratiæ benedictio corpus meum texit, affectus compoſuit, & in ipſam mentem penetrauit. Suſcepi Filium tuum in redemtorem, qui factus eſt mihi ſapientia, ignorantiam meam erudiens, iuſtitia pro me ſatisfaciens, ſanctificatio omnem virtutem tribuens & augens, & redemtio à ſeruitute diaboli & à peccatis eripiẽs. Hæc autem non voluntate ſola, ſicut quando mundum creauit, ſed multiplici paſſione, & labore, & morte perfecit. Venit ille paſſibilis, vt patiens pro nobis moleſta & dura nos à pœnis commeritis liberaret, venit mortalis vt ad immortalitatem eueheret, venit pauper, & humilis, vt viam in cœlum ſatis trãquillam, paupertatem, & humilitatem oſtenderet.

1. Cor. 1. 30.

A quibus malis per redemtionem erepti.

3. Gratias tibi ago, Domine, quia per hanc redemtionẽ ab omnibus malis ſumus erepti. A peccatis, quæ filius tuus ſuo pretioſo ſanguine expiauit. A ſeruitute diaboli, quam nos liberando diſiecit. Ab igne æterno, pro quo ius ad gloriam impertiuit. Si naſcimur peccato originali ſordentes per Chriſtum mũdamur, & ampliorem gratiam, quàm in ſtatu innocentiæ recipimus. Si rebellionem paſſionum ſentimus, per gratiam Chriſti, eam ad maius meritum ſuperamus. Si morimur, per Chriſtum ad ampliorem gloriam reſurgimus, & miſerias huius vitæ in exercitationem virtutum vertimus. Per ipſum, ô Pater, facti ſumus filij tui, hæredes regni, participes gratiæ & amicitiæ tuæ, ſi peccauerimus per pœnitẽtiam capaces remedij. Habemus panem cœleſtem, corpus eius, quod manducemus, potum viuificum ſanguinem eius, quem bibamus, ſacrificium infiniti valoris, quod offeramus, cuius virtute apud te, quidquid petierim⁹, impetremus. Nouerim ego Domine te diligere tantorũ bonorũ datorem, & redemtus redemtionem non perdere. Amen.

Verbum diuinum mittitur vt ex rigore iuſtitiæ ſatisfaceret.

Pulchra creationis & redẽtionis comparatio. Pſal. 108 18.

CONTEMPLATIO XCV.

De beneficio vocationis ad fidem.

Obſecro vos, vt dignè ambuletis, vocatione, qua vocati eſtis. Epheſ. 4. 1.

1. PVnctum. O Domine Deus meus colendiſſime, & amantiſſime, redemtio tua ſi non me ad Eccleſiã & fidem vocaſſes, generi humano vtilis quidem eſſet, mihi verò nihil omnino profuiſſet. Quia ergo voluiſti (vt de tua bonitate cõfido) quòd redemtio & mors vnigeniti tui efficaciter mihi prodeſſet, ideo me ad Eccleſiam tuam, & veram fidem & religionem vocare dignatus es. Multa autem habet hoc beneficium, ſicut & reliqua propter quæ tibi grates referre debeo. Nam potui ego ſicut & innumerabiles alij qui hodie viuũt, in terris infidelium, & à parentibus Turcis aut Mauris, Ethnicis, aut Iudæis, aut hæreticis natus eſſe. Non tamen ita factũ eſt, ſed dono tuo in ditione Chriſtianorum, & in medio Eccleſiæ tuæ natus ſum, & ſimul cum hac luce gratiæ vitam in lauacro regenerationis, & cum ratione doctrinã fidei, & in ipſa infantia notitiã legis tuæ, & amorẽ virtutis, quibus me parentes mei imbuerunt, ſuſcepi. Vnde non tam ad fidem vocatus ſum (nimirum ſicut illi qui adulti conuertuntur) quàm in ipſa fide natus, (ſiquidem octo diebus poſt natiuitatem ablutus ſum) & mammilla regum enutritus.

2. Serui, ô Pater dulciſſime, naſcuntur in villis, & in domibus alienis, filius verò in domo paterna & ab vxore legitima. In hoc autem mecum te ceu Patrem habuiſti, & me vt filium dilectũ honoraſti,

quòd

Domus Dei Ecclesia. Baruch 3.24. Prou.9.1.

quòd in domo tua natus sum & ab sponsa tua,gratia cœlesti in Baptismo renatus. Natus sum,inquã, in domo tua, in Ecclesia sancta,de cuius magnitudine dictum est : O Israël quam magna est domus Dei , & ingens locus possessionis eius.] De cuius pulchritudine alibi dicitur:Sapientia ædificauit sibi domum,excidit columnas septem.] In ea domo, quam tu Domine ad gloriam tuã & habitationem tuorum extruxisti, in qua remedia efficacissima ad destructionem peccati , & adeptionem omnis virtutis,posuisti : in qua tuos opibus amplissimis fide vera , lege pura , religionis cultu sancto,medicina sacramẽtorum efficacissima,virtutũ exercitatione, promissione futuræ vitæ certissima , & sacræ Scripturæ doctrina cumulasti. Huius aulæ tuæ extra quam,proculdubio,non est salus, factus sum habitator ab infantia mea. Nullámque aliam domum nisi Patris mei cœlestis noui , nullam aliam legem nisi Domini & Dei mei suscepi , nullam aliam doctrinam præter doctrinam veritatis , nisi forte ad irrisionem & confutationem audiui.

3. Sed quomodo, ô suauissime Pater,gratia spõsa tua me statim filiũ agnouit? Ita sanè. Quod post pauciſſimos dies(vt dixi) ab eo quo in hunc mundum effusus sum, me in sacramento Baptismi concepit,& tibi peperit.In pueritia sacramento Cõfirmationis ad tuẽdam fidem & propulsandas tentationes instruxit.Ab ipsa tenera ætate frequẽtissimè sacramento pœnitentiæ mũdare cœpit. Cibo salutari Eucharistiæ infinities aluit.Arma extremæ vnctionis ad pugnandum in hora mortis præparauit. Ordine me insigniuit, & ministros , qui me erudirent,extulit.Et sacramento coniugij me sine crimine parentum meorum nasci voluit.Hæc sit,Domine, semper mater mea , quæ semper in gremio suo habeat,& ad sedes gloriæ perducat.

CONTEMPLATIO XCVI.

De beneficio iustificationis.

Iustificati gratis per gratiam ipsius,per redemtionem quæ est in Christo Iesu.Rom.3.24.

1. PVnctum.Hic,amantissime Deus meus,priusquam pro susceptо beneficio gratias agam, pro magnitudine miseriæ & calamitatis meę incõsolabiliter defleam. Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lacrymarum, & plorabo die ac nocte mortẽ animæ meæ.Mortuus quidẽ quoad animã natus sum,peccato scilicet originali possessus .Tu verò Domine misertus mei, sanguine vnigeniti filij tui me mũdasti in lauacro Ecclesiæ tuæ, & ad gratię vitam adduxisti.Sed heu postquã vsum rationis attigi,quasi tã amabilis vitæ pertæsus,eam meis criminibus abieci,mortem aduocaui , gratiæ candidã stolam discidi.Quis me posset ab hac morte liberare , & vitæ restituere , nisi tu Domine ? de quo dilectus filius dixit : Nemo potest venire ad me,nisi Pater qui misit me,traxerit eum.]Lazarum quatriduanum mortuum sola tua diuina potentia suscitauit,& me per graue peccatum vita gratię orbatum , sola eadem potentia ac misericordia tua, per merita & sanguinem Domini mei Iesu Christi, ad vitam reduxit.

Ioan. 6. 44.

2. Postquam cecidi,& meipsum stultissimè perdidi,ô benignissime Deus,non despexisti me,sed accinxisti te vt iterum me ad vitam reuocares,& animam meam à te creatam,& à filio tuo redemtam è cœno iniquitatis erigeres.Hoc autem quia non semel factum est(eiulãs dico,& rubore suffusus) multis modis in me completũ aspicio. Nunc enim ter-

Iudicia diuini amoris.

A

roribus me cohibuisti, nunc promissis & donis me traxisti,nunc proposita fœditate peccati,& virtutis pulchritudine,& filiorum tuorum dignitate me ad gratiam inuitasti.O quoties sepiuisti vias meas tribulationum spinis , vt semitas peccati non inuenirem.O quoties in funiculis Adã,& in vinculis charitatis impulisti,vt ad te redirẽ. O quoties præmatura amicorum morte,metu iudicij & gehennæ,ac tormento malę cõscientiæ meę ad caulas gregis tui sum benignissimè reuocatus?Hęc feci sti,ac si ex cõuersione mea aliquod tibi emolumẽtũ accresceret.

3. His,ô vere Pater,me vocabas,his me & tuba doctrinæ tuæ in Ecclesia propositæ,& exẽplis aliorum, & mille aliis modis ad cõuersionem parabas. Sed hæc quomodo facta est?Ex mera gratia tua tetigisti cor meum sancta illustratione tua , cùm in meis peccatis & stultitiis iacerẽ. Excitasti me sõno iniquitatis oppressũ,vt miseriã status illius,ac periculum æternæ damnationis aduerterem. Adiuuisti me vt fide te Dominum meum , & æterna conspicerem,vt spem de tua infinita misericordia conciperẽ,vt timore casto pœnas ętternas extimescerem. Deinde contritione ac dolore attriuisti cor meum, charitate emolliuisti,gratia viuificasti. Per obediẽtiam ad sacerdotem peccata mea cõfessurus accessi, per humilitatem detexi , ex compunctione coram illo lacrymis fleui , ex desiderio tibi seruiendi ad peccata numquam redire proposui,ex zelo iustitiæ pœnam mihi impositam, vt aliquos fructus pœnitentiæ facerem,acceptaui.Hæc omnia feci ex dono gratiæ tuæ sequens te , sed tu per Christum filium tuum(nam per eius merita hæc mihi sunt data)primò ac principaliter misertus pusillitatis meæ, fecisti in me,& ad iustitiam reuocasti.Pro hac immensa largitate tua gratias tibi refero , & miserationes tuas erga me in æternum cantabo.

B

C

Qualiter fiat diuina vocatio.

CONTEMPLATIO XCVII.

De beneficio status religiosi.

Cùm placuit ei , qui me segregauit ex vtero matris meæ,& vocauit per gratiam suam , vt reuelaret filium suum in me , vt euangelizarem illum in gentibus: continuò non acquieui carni & sanguini.Gal.1.15.

1. PVnctum, ô Pater dulcissime, ô amator benignissime,in hoc beneficio status mei commemorando,vellem certè non loqui sed amore tui ardere,non vtcumq; gratias agere, sed cœlestia simul & terrestria ad grates pro me referendas excitare. Eram quidem in sæculo vt vnus ex multis,qui nũc cadunt,nunc verò resurgũt; qui claudicant in duas partes,& nunc Baal,nunc verò te Dominũ sequuntur.Vocabas me,& vile mancipium , vt esset filius, ex nimio amore ad tuam gratiam reducebas. Ego verò iterum fugiebam à te,pro siliquis rerum mũdi epulas spiritus despiciebam,& semel ac iterum à te lotus in cœno peccatorum & iniquitatũ volutabar. Cùm autem sępe in hoc luctuoso ludo delectãrer,& nunc per vocationem & gratiam tuam ad te redirẽ,nũc verò per culpã & inuerecundiã meam à te fugerẽ,placuit tibi,ô vere Pater,segregare me ex vtero vanitatis meę,in quo erã occlusus,vel potiùs ex tumulo iniquitatũ mearũ,in quo eram sepultus, vt iam à te non discederẽ, sed tecum fideliter permanerẽ.Intonuisti ergo de cœlo,Domine,& altissimè dedisti vocẽ tuã:vocem,inquam,illam grãdem, efficacem,atque potentem,qua euulsisti me de deserto sæculi , & ad paradisum transtulisti me. Au-

D

E

diui vocem illam de qua ſanctus Zitharista cantauit: Vox Domini concutientis desertum,& cómouebit Dominus desertum Cades.] Ego desertum eram vel ab omni virtute & bonitate desertus:sed desertu Cades(quod interpretatur ſanctitas:) nam me ad ſtatũ perfectionis & ſanctitatis vocare diſpoſueras. Vox ergo tua,& inſpiratio tua,me timore concuſſit,& melioris vitæ deſiderio commouit: & ita commouit , vt efficaciter omnia relinquerem,& ad te ex toto corde conuerterer.

Pſal. 28. 7.

2. Cæterùm,quánam ratione,ô ſuauiſſime Domine,exponam virtutem huius vocis tuæ,& maxima bona quæ mihi ex illa prouenerunt ? Succurrit mihi ſomnium Mardochæi quo hanc tuam miſericordiam,& meã fœlicitatem declarẽ. Nec ineptè ſomno exponitur ea gloria ſtatus mei, quæ ab inexpertis inſtar ſomnij reputatur , cùm tamen à me, qui experior,non ſomniũ aut vanitas,ſed meta veritas attrectetur.Paruus fons,dixit ille,creuit in fluuiũ, & in lucem ſolémq; conuerſus eſt,& in aquas plurimas redundauit.Principio quídnam fuit hoc maximum beneficiũ vocationis meæ?Paruus fons. Quídnam minus,quídnam ſubtilius illa prima cogitatione quam mihi puerulo in cor inieciſti,vt te in ſtatu perfectionis ſequerer , & à domo paterna, & à conſortio mundanorũ egrederer.Mardocheus recordatus eſt ſui ſomnij, quod viderat,ego autem huius primæ illuſtrationis tuæ,quãdo ſcilicet eam habui,& quo fine aſſenſum præbui,omnino recordari non potui. Forſitan pium aliquẽ librum euoluebam, aut concionem audiebam,aut aliquem virum pium de bonis rebus loquentem auſcultabam. Fortè mortis timore , aut præmij ſpe , aut virtutis deſiderio ſum tactus,aut(quod vanum eſſet) concupiſcentia ſcientię & nominis celebrioris illectus Paulus ait:Et cùm eſſem aſtutus , dolo vos cepi.] Quid ſi tu,ô Deus meus,cùm ſis ſapiẽtiſſimus,ſancto dolo me cepiſti,& ſciẽtiarum deſiderio(in quibus hanc religionem meam in hac ætate eminere certum eſt)quáſque ego poſtquam dulcedinẽ tuam aliquantulum expertus ſum , comparatione virtutis pro nihilo duxi,ad ſtatum religioſum animaſti. Hæc ergo prima inſpiratio tua , non aliter quàm fons paruus,parua fuit.

Somniũ Mardochæi de vocatione ad religionem explicatum.

2.Cor.12. 16.

3. Sed fons iſte paruus beneficio tuo,ô Domine Deus,creuit in fluuium:granum hoc ſinapis, quod minimum eſt omnium ſeminum;factum eſt arbor, in cuius vmbra quieui. Lapis iſte ſine manibus induſtriæ meæ abſciſſus è mõte miſericordiæ tuę ſtatuam vanitatis contriuit,& conuerſus in montem magnum vniuerſam terram mei cordis oppleuit. Deniq; inſpiratio hæc tua,quę principio tam exilis videbatur , inſtar fluminis inundantis omnia deſideria terrena diripuit , & quaſi in mare demerſit; cùm flumen vi & multitudine aquarum extra alueum ſuũ effundit ſe latiſſimè,non tantùm ſegetes & hortos aluit,verùm homines & iumẽta ſubmergit ; & domos & ædificia diſiicit atque prouoluit. Sic hæc ſancta cogitatio à te immiſſa,viribus aucta parentes,fratres,cognatos,& amicos , quos habui, opes,honores,dignitates,delicias,quas fortè habere potui, aut ſtultè me habiturum putaui,potenter obruit , & à me ſeparauit,méque deſideriis rerum mũdanarum nudum, & quaſi è naufragio in littus eiectum ad pedes prælati religioſæ huius familiæ proiecit. Hîc vidi impletum in me illud ſancti Dauidis : Flumẽ Dei repletum eſt aquis,paraſti cibum illorum,quoniam ità eſt præparatio eius.] Flumen hoc tuum, & vehemens inſpiratio tua me quoque rapuit(vt dixi)rapuit à mundo,diabolo,& carne,& me prælati pedibus aduolutũ religioſum habitum poſtulare fecit. Ille(vt moris eſt) difficultates prætendere,vitæ aſperitatem & humilitatẽ opponere: ego econtra omnes illas ſuperare verbis,& propoſito cœpi. Potéſne(dicebat ille)parentes & cognatos,& omnia huius ſæculi oblectamenta relinquere?Ego verò dicebam:Poſſum. Potes corpuſculum aſpectu tenerum ieiuniis,vigiliis, & multis aſperitatibus domare?Poſſum.Potes perpetuæ obediẽtiæ colla ſubmittere,& ſi visũ nobis fuerit , in exteras nationes abire,& ad Indos properare? Poſſum. Et poteris non ſolùm tuæ ſaluti & conuerſioni conſulere, verùm & ſaluti,& perfectioni proximorum impẽsè vacare?Poſſum.Quod fuit hoc,Domine?An nõ præparare cibũ afflictionũ corporis,& contẽtus ſęculi,& virtutũ animę, quo nũc vtcumq; ſuſtẽtor?

Mos ſocietatis Ieſu.

4. Paruus ille fons tuus, ô ſuauiſſime Deus , in diſceſſu à ſęculo,& aduentu ad religioſum ſtatum, creuit in fluuiũ,at poſt ingreſſum meum, in lucem ſolémque cõuerſus eſt.Primò in lucem.Nam inueni me in quodam ſtatu lucis , & claritatis , in quo opera tenebrarũ abiicio,& arma lucis, virtutes induo,& ſicut in die & in media luce honeſtè ambulo. Erã profectò aliquãdo tenebra, nunc autẽ dono tuo,lux in Domino. Nunc ab ipſa ſtatus ſanctitate vt filius lucis ambulare compellor in omni bonitate, & iuſtitia, & veritate, probans quid ſit beneplacitum tibi.In bonitate quidem,quoniam religio non niſi bona virtutis amplectitur.In iuſtitia, quia in ea nemini iniuria verbo,aut opere irrogatur. In veritate,quia omnem ſimulationem & hypocriſim odio proſequitur.Probat quid ſit beneplacitũ tibi, quoniam propter hoc cunctas actiones examinat, vt tuam voluntatem ad exequutionem exquirat.In ſæculo eram in tenebris & in vmbra mortis,vbi & cæcus timebam,quæ timenda non eſſent , nuditatem,corporis afflictationem,& ignominiam;minimè verò timebã quę valde timenda eſſent,peccata, & occaſiones peccatorum , quorũ illa bibebam vt aquam,has lætabundus quæritabam.At in hoc fœlici ſtatu lux orta eſt mihi , in quo iſta vera mala quæ pertimeſcenda ſunt timeo,illa autem quæ pro tuo amore ſuſcipienda ſunt,ſi non gratanter, quia adhuc imperfectus ſum,at nõ admodũ triſti vultu ſuſcipio.Fons cõuerſus eſt in ſtatu lucis, in quo res mũdi,& bona cœleſtia video vt ſunt,& iſta diligere,illas cõtemnere doceor.In quo,ſi volo,viuo puriùs , cado rariùs , ſurgo velociùs , incedo cautiùs, quieſco ſecuriùs , irroror crebriùs , purgor citiùs, moriar cõfidẽtiùs,& remunerabor copioſiùs. Viuo puriùs,ô Domine, quia vtcumque caſtitatẽ mentis & corporis ſeruo.Cado rariùs,quia ab occaſionib⁹ ſequeſtratus faciliùs peccata vito. Surgo velociùs, quia prælatorum correctionibus,& fratrum exemplis ac orationibus ſubleuor. Incedo cautiùs, quia in regula vt in nauicularia ſyrtes & pericula video. Quieſco ſecuriùs , quia curas mundi & rerum terrenarum abiicio.Irroror crebriùs,quia in oratione & exercitationibus ſpiritualibus nõnullam ſaltem cõſolationẽ experior. Purgor citiùs, quia nõ ſemel quottidie ad conſcientię examen & ad opera ſatisfactionis vocor. Moriar confidentiùs,quia pro his bonis tuis in me collatis ampliora bona expecto.Et remunerabor copioſi⁹,quia ſi perſeuerauero,&meę vocationi reſpõdero,trib⁹ Iſraël iudicatur⁹ ſedebo.

Rom. 13. 12.

Epheſ. 5. 6.

Status religioſi ſanctitas.

5. Sed & ille fons paruus in ſolem etiam conuerſus eſt,in eum ſcilicet ſtatum, ô Domine Deus, in quo ſecundùm aliquam mediocritatem bonorum deſideriorum ex dono gratiæ tuæ permaneo vt ſol , & ipſum non deſerens non ſum vt ſtultus

Bona ſtatus religioſi.

Dei efficax vocatio torrenti ſimilis.

Pſal. 64. 10.

qui vt luna mutatur. In quo mille incitamentis ad fulgendum vt ſol in hoc regno Patris mei, & ad illuminandum verbis & exemplis inuitor. In quo cura mihi imitandi ſolem iuſtitiæ Chriſtum, quaſi ſingulis horis indicitur, & ipſe ſtatus ſtabilitate & puritate, & Eccleſiæ vtilitate ipſum ſolem imitatur. In quo vt in ſole video lucem ſcientiæ, & ardorem charitatis, quæ ſi non habeo, mea culpa eſt: nã ex efficacitate fontis illius, & gratiæ tuæ me vocantis, & adiuuantis, in lucẽ ſolémque conuertor.

6. Tandem exiguus ille fons in aquas plurimas redundauit. Nam ad illum ſtatum me vocaſti, ô bone Domine, in quo ſecundùm contemptibilem exiguitatem meam aliis prodeſſe cupio. Et ſi aliquo modo licet, aut decet in domo tua, quod in rebus publicis huius mundi frequens eſt, labores parentum & fratrum meorum, qui in aquas plurimas redundarunt, mihi arrogo. O quàm ſanctiſſimis vitæ exemplis illi Eccleſiam illuſtrarunt! O quanta centena millia peccatorum doctrina ad bonam frugem adduxerunt! O quàm innumerabiles Idololatras ad fidem conuerterunt! O quàm multas hæreticorum acies confutarunt, & hæc eadem nunc præſtare non deſinunt! Si hæc quia familiæ meæ ſunt quodammodo mea ſunt, certè fons ille vocationis meæ in aquas plurimas redundauit, & participem me multorum bonorum fecit. Pro quibus millies & decies millies te laudo, & ſemper me tanti boni æſtimatorem eſſe profiteor.

Contemplatio XCVIII.

De beneficiis peculiaribus.

Et ſi parua ſunt iſta, adiiciam tibi multo maiora. 2. Reg. 12. 8.

1. PVnctum. Iſta beneficia ſtatu vitæ religioſæ contenta, ô ſupercolendiſſime Deus, parua non ſunt, nec ingratitudine, aut obliuione delenda. Sed adieciſti alia certa quadam ratione maiora, quibus vocationis gratia inchoatur, atque perficitur. Hæc autem ad tria genera reduci poſſunt, ſcilicet ad beneficia naturæ, vel fortunæ, vel gratiæ. *Beneficia naturæ.* Naturæ ſunt, ſi à piis & te timentibus parentibus natus ſum, ſi bonam animam, & docile ingenium ſortitus, ſi ad bona ſtudia & exercitia propenſus, ſi non in peſſimis moribus educatus, ſi bonos ſocios adeptus, ſi ab optimis præceptoribus inſtitutus, ſi à vitæ diſcriminibus, vel ex graui morbo, vel ex aliis ſucceſſibus liberatus. Naturalia iſta bona videntur, quibus tamen non parum gratię ac ſpecialis prouidentiæ tuæ admixtum eſt, me ad maiora vocantis, meámq; ſalutem benigniſſimè diſponentis.

Bona fortunæ. 2. Bona fortunæ ſunt, ſi neceſſaria ad victum & veſtitũ, & ad medicamina corporis, & ad alia ſimilia, numquam defuerunt. Si in ea menſura adminiſtrata ſunt, quæ abundè ſufficerent, & ex defectu alicuius quietem mentis non ſubtraherent, & tamen corpus ob nimiam abundantiam non laſciuiret. Si res meæ ita à te Domine, diſpoſitæ ſunt, vt inter homines non infimæ notæ vitam agerem, vt non vilibus actionibus occuparer, ſed his quibus ab ipſa pueritia ad vitam ſpiritualem, & ad altiora tuæ Eccleſiæ miniſteria diſponerer. In his etiam bonis, tametſi fortunæ dicantur, non quia fortuitò accidant, ſed vt à prioribus ſecernãtur, multum eſt gratiæ, dum omnia ad bonum animæ ordinas.

Bona gratiæ. 3. Bona tamen gratiæ à tua bonitate mihi elargita, ô dulciſſime Deus, enumerare quis poterit? Horum nonnullæ ſunt hæc. Si in ipſo exordio vitæ me ad tuum obſequiũ vocaſti, ſi dum aliquo tempore à te aberraui, patienter diſſimulaſti, ſi peccata mea condonaſti; ſi eorum non ſolùm amorem, verùm & memoriam in corde meo deleuiſti. Si nonnihil fortè in aliqua virtute profeci, ſi deſiderium orationis, & ſanctæ tuæ familiaritatis imbibi, ſi in eius ſtudiũ incubui, ſi optimos adiutores ad viam ſpiritus peragendam, & ſancta virtutum exempla, & libros ſpirituales, quorũ lectione inſtruerer, affatim habui. Si aut ipſo ſtatu iubente, aut tua inſpiratione ſuadente frequenter ad ſacramẽta confeſſionis & communionis acceſſi, ſi occaſiones corpus domandi, & meipſum cohibendi, & virtutes exercendi nõ præteriui. Si fidei meæ aliqua Eccleſiæ tuæ munera credidiſti, in quibus animas ad te adducerem, & ſimul cum aliis æternã ſalutem lucrarer. Si in his bonum euentum tribuiſti, & meos errores ex imperitia & imprudẽtia manantes emẽdaſti. Si tandem corporis valetudo ad hæc omnia præſtanda adiuuit, vel inualetudo & morbus talis fuit qui animam humilians & deprimens honeſtos tamen labores non impediuit. Hæc vel alia ſimilia ſinguli in nobis animaduertimus, quibus amore & gratitudine reſpondere oportet, ne cęci & agreſtes & planè ingratiſſimi reputemur.

Contemplatio XCIX.

De beneficio perſeuerantiæ.

Tenuiſti manum dexteram meam, & in voluntate tua deduxiſti me, & cum gloria ſuſcepiſti me. Pſal. 72. 24.

1. PVnctum. Pari greſſu, ô benigniſſime Deus meus, creatio in eſſe naturæ & regeneratio in eſſe gratię currunt, vt ſicut conſeruatio rei creatæ creationem ſequitur, ſine qua creatura ſtatim in nihilum rediret, ita perſeuerantia in gratia, aut conſeruatio gratiæ iuſtificationem ſequitur, ſine qua homo iuſtificatus ſibi relictus ad iniquitatem repedaret. Si ergo poſtquam me ad tuam gratiam & obſequiũ adduxiſti, in eo perſeuero, ingens beneficium tuum eſt, ſine quo in meas priſtinas miſerias & cæcitates reciderem. Vt fœlix iumentũ factus ſum apud te, qui domini mei præſepe cognoſco, & ego ſemper tecum. *Pſal. 72. 24.* Quare? Quia gratia tua tenuiſti dexteram meam, ne iterum in peccata caderem. *Iſaiæ 1. 3.* Quia voluntate tua præeunte per viam mandatorũ tuorum deduxiſti me. Quia ſpe gloriæ tuæ ſubſequente ſuſcepiſti me. Niſi tu ædificaueris domum iuſtitiæ in me, in vanum laborauerunt qui ædificant eam. *Pſal. 126 1.* Et ſi poſt ædificatam domũ iuſtitiæ, tu non cuſtodieris ciuitatem animæ meæ, fruſtrà vigilant qui cuſtodiũt eam. Vtrumq; tuum eſt, & gratiam ad iuſtitiam infundere, & eamdem conſeruare, ac donum perſeuerantiæ tribuere. Ac proinde ſi hactenus in tuo obſequio perſeuero, & ſi vſque ad finem vitæ perſeuerauero, à te Domine vt ingens beneficium acceptum refero.

In beneficio perſeuerantiæ quæ contineãtur. 2. Hæc autem ſtabilitas & perſeuerantia, ô Pater amantiſſime, quanta bona comprehendit? Omnia certè illa, quibus in virtute ſuſtentor. Non poſſum cogitare aliquod bonum ex me, quaſi ex me, ſed omnis ſufficientia ex te eſt. Quòd ſi primam cogitationem boni ſine gratia tua habere nõ valeo, multo minus deſiderium boni, aut ipſum opus bonum ex meipſo habere poſſum. Dona igitur tua ſunt, quorum refectione me in virtute conſeruas, omnes cogitationes bonę & ſanctæ, omnia deſideria bona, & vniuerſa opera bona, quæ quotidie & per totam vitam accipio. Si bonam inſpira-

tionem sentio, gratiæ tuæ est. Si tentationem aliquam supero, si iudicium & voluntatem, & affectus & sensus cohibeo, si corpus in seruitutem redigo, gratiæ tuæ est. Si ab iniquitatibus eripior, gratiæ tuæ est. Nullum peccatum facit homo quod non possit facere alius homo. Ergo omnia peccata cunctorum hominum quodammodo beneficia tua sunt, quia miseratione tua his fœdatus non sum. Auertisti, ô Domine Deus meus, aduersarium meum, ne tentaret me. Si oportuit vt tentaret, moderatus es tentationem iuxta vires mihi datas, ne opprimeret me. Positus eram aliquando in mediis occasionibus peccandi, & cinctus flammis Babyloniæ, & misisti gratiam tuam quasi ventum roris flantem, & illæsum eripuisti me. Quamobrem cantare libet: Impulsus euersus sum vt caderem, & Dominus suscepit me. Fortitudo mea & laus mea Dominus, & factus est mihi in salutem.] Si dicebam: Motus est pes meus, & iaiam dilabor, & propinquus sum ad casum, tu audiebas vocem meam, & misericordia tua adiuuabat me.

Psl.117. 13.

Psal.93. 18.

Dei benignitas donum perseuerantiæ auget.

3. Denique huius beneficij magnitudinem exaggerat, ô dulcissime Deus, benignitas tua, qua patienter me sustines. O quoties merui à te derelinqui, & tua gratia priuari, immo & ab hoc statu vitæ spiritualis deiici. Vel ob superbiam meam, qua bona mihi arrogaui, vel laudes humanas concupiui, vel ob inobedientiam meam, qua contemtis seniorum documentis meipsum regere volui: vel ob ingratitudinem meam, qua dona tua quasi iure hæreditario debita, sine gratiarum actione recepi: vel ob ociositatem & desidiam meam, qua talenta tua in sudario pigritiæ ligaui: vel demum ob temeritatem meam, qua pericula distractionum, & inutilium familiaritatum non timui, sed inuerecundus in illa me conieci. Et tamen tu misericors Domine & patiens benigna quadam dissimulatione vtens me amanter admonuisti, & blandè corripuisti, nec passus es me à cœpto bono excidere, & à tua amicitia separari. Laudent te omnes creaturæ tuæ, & de cætero ita ab his vitiis & caussis derelictionis fugiam, vt in perpetuum tecum viuam. Amen.

CONTEMPLATIO C.

De beneficio glorificationis.

Gaudete, & exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cœlis. Matth.5.12.

1. PVnctum. His omnibus beneficiis, & aliis innumeris, ô amabilissime Deus meus, ad postremum beneficium gloriæ præparor, quod nondum quidem accipio, sed de tua immensa bonitate me illud accepturum expecto. Quàm magna verò sit illa gloria, ad quam me creasti, quàm copiosa illa merces, quam te mihi daturum prædestinasti, quis aut lingua exponere, aut mente cogitare sufficiat? Certè nullus. Oculus enim non vidit Deus absque te quæ præparasti expectantibus te. Hæc est ciuitas illa sancta habens claritatem Dei; cuius fundamenta lapidibus pretiosis ornantur, cuius muri altissimi & latissimi ex lapide Iaspide fabricantur, cuius portæ duodecim ex duodecim margaritis conficiuntur. Cuius platea aurum mundum simile vitro mundo; cuius templum Deus, cuius lumen Agnus, cuius incola nec minima imperfectione contaminatus est. Hoc

Isaiæ 64. 4. Apoc.21. 11. Gloria ciuitati comparatur.

A est conuiuium pinguium, conuiuium vindemiæ, conuiuium medullatorum, vindemiæ defecatæ, à quo mors & luctus eiicietur in sempiternũ. Hæc est cœna magna ad quam soli electi & Deo gratissimi admittuntur. Hæ nuptiæ agni, cui animę sanctæ copulantur, ad quarum conuiuium solùm fœlicitatem adepti vocati sunt. Hæc est aggregatio omnium bonorum, cui omnia bona huius mundi comparata nullius momenti reputantur. Est tandem vera vita (nam hæc in qua nunc sumus potius mors dicenda est, quàm vita) quæ creditur sempiternè beata, & beatè sempiterna, vbi est certa securitas, & secura tranquillitas, & tranquilla iucunditas, & fœlix æternitas, & æterna fœlicitas. Vbi est amor perfectus, timor nullus, dies æternus, alacer motus, & vnus omnium Spiritus de contemplatione tui, ô Deus, ac de sua tecum permansione securus. Vbi ipsa ciuitas, quæ est Angelorum sanctorum & hominum congregatio beata meritis fulgentibus micat, & æterna salus exuberat, veritas regnat: vbi nec fallit quisque, nec fallitur: vnde nullus eiicitur beatus, quo nullus miser admittitur.

Isaiæ 35. 6.

Luca 14. 16. Apoc.19. 9.

Ex Prosp. de vita cont.c.2.

B

2. Aliqua tamen, ô misericordissime Deus, sigillatim consideremus, ex quorum excellentia gloriæ nobis præparatæ maiestatem eliciamus. Ac primò occurrit locus vbi nos beare & tecum ipso sociare constituis. Is locus est cœlum empyreum, quod aliquando tandem sumus pedibus calcaturi, cœlum, inquam, empyreum omnia corpora continens, & super omnes cœlos collocatum, cuius fundamenta sunt in montibus sanctis: magnitudine immensum, in cuius comparatione globus terræ est instar puncti, & stellæ aliquæ pluribus partibus maiores terræ, satis noscuntur exiguæ. Pulchritudine eximium: nam si hic exilij locus tanta pulchritudine fulget, domus ista tua non ad supplicium peccatorum, sed ad gloriam Sanctorum præparata quanto decore & pulchritudine ornata erit. Non sunt ibi terræ motus, non tonitrua, non fulgura, & fulmina quæ nos exterreant: non pluuiæ & turbines, & æstus, & frigora quæ nos affligant: non pestes, non ægritudines, non fames, & sitis, & rerum penuria, nec tristitiarum occasiones, quæ nos discrucient. Ibi nullus perit amicus, quo nullus admittitur inimicus, nullus moritur, quia nullus oritur: nullus infirmatur, quia incorrupta salute lætatur. Non ibi dormiemus, quia non laborabimus. Nulla cuiuslibet rei necessaria erit refectio, vbi nulla est defectio. Denique in illo loco, ô Domine, conseruasti omne bonum, & procul ab illo abiecisti omne malum.

Locus Beat orũ cælum empyreũ.

C

Ex August. lib.1.

D

3. Deinde occurrit, ô superdulcissime Deus, Sanctorum beata societas. Omnes illius ciuitatis habitatores sunt nobilissimi, quia filij tui: omnes sapientissimi, quia cognitores tui: omnes ditissimi, quia possessores tui. Omnes se mutuò cognoscẽt, & mentium arcana perspicient. Et ita patebunt singulorum singulis mentes, sicut corporalibus oculis subiacent facies corporales: quia humanorum pectorum tanta ibi erit, & tam perfecta mundicia, vt habeant vnde mundatori suo gratias agant, non vnde offensi aliquibus peccatorum sordibus erubescant. Omnes erunt in summa pace & tranquillitate concordes: quia cùm Deo sint perfectè vniti & colligati, nihil omnino nisi quod ille vult concupiscere possunt. Vniuersi intimo amore & perfecto se adinuicem diligunt, & non minus singuli de bono aliorum quàm de proprio gaudent, vnde infinitum est cuiuslibet illorum gaudium, quod ex

Sanctorũ beata societas.

Ex Prosp. 1. de vita contem.c.4.

E

tot tantísque occasionibus sumit augmentũ. Sunt illi innumerabiles. Nam & Ioannes vidit turbam magnam, quã dinumerari nemo poterat ex omnibus gentibus, & tribubus, & populis, & linguis, stantes ante thronum tuum, & in conspectu agni tui, amicti stolis albis, & palmæ in manibus eorũ. Nec tam numerosa multitudo aliquam confusionem parit, sed omnes sunt à te ordinatissima dispositione distincti. Ibi suum proprium locum habẽt Patriarchæ, suum Prophetæ, suas proprias sedes Apostoli, Martyres, Pontifices, Doctores, Confessorẽs, & Virgines. Ibi Angeli tribus hierarchiis, & nouem ordinibus dispositi conspiciuntur. His autem omnibus in regia sede Virgo virginum vt Regina præsidet: & homo ille verus filius tuus Christus Iesus vt rex supremus imperitat, & optimè vniuersa gubernat. Nec tamen quia tam nobiles & magni sunt ciues, ab eorum consortio ego pusillus excludar. Quia in domo tua mansiones multæ sunt. Et paruus & magnus ibi sunt, & seruus liber à Domino suo. Paruulus cum magnis admittar, & nunc seruus peccati ibi ab omni peccato liber existam.

Apoc. 7. 9.

Ioan. 14. 2.

Iob 3. 19.

4. In hoc loco, & in hac societate tolerabile esset, Domine Deus meus, aliquam incommoditatem, aliquam penuriam pati: at nihil omnino aduersi est quod sustineamus, quia quidquid ibi inuenitur tale est vt eius possessione lætemur. Ibi ergo in tali sede collocatus & inter Angelorum & Sanctorum agmina constitutus videbo te facie ad faciem Deum meum & summum bonum meum, & possidebo te vnicum thesaurum meum, & iam nihil aliud desiderabo, quia satiabor cùm apparuerit gloria tua. Tunc sitim mei intellectus tui inspectione, & in te omnium scientiarum & rerum ad me pertinentium cognitione satiabis. Tunc capacitatem infinitam meæ voluntatis tui amore & fruitione replebis. Tunc dicet memoria mea: Periit fuga à me, quia eam tecùm perfectè colligatam tenebis. Ibi dolus aduersarij mei in suam desperationem vertetur; quia reuera ero sicut tu Deus meus, quia ero similis tui, sciens bonum & malum. Optimè enim cognoscam bona quæ possideo, & mala quibus penitus careo. Ibi impetus lucis & voluptatis lætificabit me, & aggregatio omnis suauitatis, & abundantia vniuersorum bonorum absorbebit me. Et quia te fontem & mare & pelagus boni habebo, nihil penitus concupiscam.

In cœlo nullus labor, vel egestas.

5. Nec solam animam meam, ô Deus amator largissime, verùm & corpus meum, immensa gloria circumdabis. Illud rupto mortalitatis sacco immortalitate vesties, & claritate, impossibilitate, agilitate, & subtilitate exornabis. Fulgebit profectò sicut sol in regno Patris mei, & non solùm cor meum, sed & caro mea exultabit in Deum viuum. Ero sicut Angelus Dei, & foribus clausis in quæque adyta penetrabo. Sensus omnes suam propriam voluptatem accipient. Nam visus corporum beatorum pulchritudinem videbit, auditus concentum suauissimum audiet, odoratus, gustus, & tactus, te faciente, aliquid quod ipsos nimis oblectet percipient. Sensibus internis & affectibus cordis, nihil quod perturbet, aut inquietet vmquam occurret.

Dotes corporis glorioſi.

6. In eo tandem regno tuo, ô amantissime Pater, illa quatuordecim bona possidebimus, quæ quidam ex tuis in vnum collegit. Erit enim in nobis pulchritudo sine deformitate, agilitas sine tarditate, fortitudo sine imbecillitate, libertas sine seruitute, sanctitas sine infirmitate, voluptas sine dolore, longæuitas sine breuitate, sapientia sine ignorantia, amicitia sine simultate, concordia sine discordia, honor sine ignominia, potestas sine impotentia securitas sine timore, gaudium sine tristitia. Hæc omnia supradicta possidebo, & quia numquam sim amissurus, certus ero, & tecum in æternum regnabo. Regnabis enim Domine cum Sanctis tuis in æternum, & vltrà: & in regno tuo, quod est regnum omnium sæculorum, tecum fœlix permanebo.

Bona quatuordecim in regno Dei.

Pſ. 144. 10.

PERORATIO.

HÆc, ô Deus sanctissime, ex parte dicta sunt, viarum tuarum, & cùm vix paruam stillam tuorum sermonum audierimus, si eam non capimus, si non intelligimus, si tantillum intelligentes obstupescimus, quis poterit tonitruum tuæ magnitudinis intueri? Sed vt ea quæ de te cogitauimus, & ad laudem & gloriam tuam, & vtilitatem seruorum tuorum scribimus, ad pauciora verba reuocemus; tu es Domine, quod ad vniuersum spectat, finis; quod ad electionem, salus. Quod ad te, quisnam præter te nouit? Tu es voluntas omnipotens, virtus beneuolentissima, lumen æternum, incommutabilis ratio, summa beatitudo. Tu es creans mentes ad te participandum, viuificans ad sentiendum, efficiens ad appetendum, dilatans ad capiendum, iustificans ad promerendum, accendens ad zelum, fœcundans ad fructum, dirigens ad æquitatem, formans ad beneuolentiam, moderans ad sapientiam, roborans ad virtutem, visitans ad consolationem, illuminans ad cognitionem, perpetuans ad immortalitatem, implens ad fœlicitatem, circumdans ad securitatem. Tu es Deus summus, optimus, omnipotens, misericordissimus, iustissimus, secretissimus, præsentissimus, pulcherrimus, & fortissimus. Tu es stabilis, incomprehensibilis, inuisibilis, omnia videns, immutabilis omnia mutans, immortalis, illocalis, interminus, incircumscriptus, nusquam finitus, inæstimabilis, ineffabilis, inscrutabilis. Tu es immotus omnia mouens, inuestigiabilis, indicibilis, metuendus atque terribilis, honorandus atque timendus, venerandus atque reuerendus: numquam nouus, numquam vetus innouas omnia, & in vetustatem perducens superbos, & nesciunt. Tu es semper agens, semper quietus, colligens & non egens, omnia portans sine onere, omnia implens sine inclusione, omnia creans, protegens, nutriens, & perficiens. Quæris cùm nihil tibi desit; amas, nec æstuas: zelas, & securus es; pœnitet te, & non doles: irasceris, & tranquillus es: opera mutas, sed non consilium. Recipis quod non inuenis, & numquam amisisti, numquam inops, & gaudes lucris, numquam auarus, & vsuras exigis, supererogatur tibi, vt debeas, & quis habet quidquam non tuum? Reddis debita nulli debens, donas debita nihil perdens. Tu es solus qui viuificas omnia, qui creasti omnia; qui vbique es, & vbique totus; qui sentiri potes, & videri non potes, qui nusquam dees, & tamen ab iniquorum cogitationibus longè es. Qui nec ibi dees vbi longè es, quia vbi non es per gratiam, ades per vindictam. Qui omnia tangis, nec tamen omnia tangis æqualiter. Quædam enim tangis vt sint, non tamen vt viuant: quædam verò tangis vt sint & viuant, non tamen vt sentiant: quædam verò tangis, vt sint, viuant,

Iob 26. 14.

Ex Bern. 5. de consid. c. 11.

Ex Auguſt. 2. medit. c. 26.

& ſentiant,non tamen vt diſcernant: quædam verò tangis,vt ſint,viuant,ſentiant,& diſcernant: & cùm tibimetipſi numquam diſſimilis ſis,diſſimiliter tamen tangis diſſimilia; qui vbique ſemper præſens es, & inueniri vix potes: quem ſtantem ſequimur, & apprehendere non valemus. Tu es qui tenes omnia, imples omnia, circumplecteris omnia,ſuperexcedis omnia,ſuſtines omnia. Neque ex alia parte ſuſtines,atque ex alia ſuperaris,neque ex alia parte imples,& ex alia circumplecteris, ſuſtinendo ſuperexcedis, & ſuperexcedendo ſuſtines. Tu es qui doces corda fidelium ſine ſtrepitu verborum. Qui attingis, à fine vſque ad finem fortiter, & diſponis omnia ſuauiter. Qui locis non diſtenderis, nec temporibus variaris. Neque habes acceſſus, & receſſus, ſed habitas lucem inacceſſibilem, quam nullus hominum vidit, nec videre poteſt. In te manens quietus vbique circumis totum, vbique prorſus totus. Non enim ſcindi vel diuidi poteris, quia verè vnus es, nec in partes efficeris, quia totus totum tenes, totum imples, totum illuſtras & poſſides. Huius videlicet myſterij immenſam profunditatem mens humana concipere non poteſt, nec oratoria lingua enarrare, neque diffuſi ſermones,nec bibliothecarum volumina queunt explicare. Si totum mundum libri repleant, tua ſcientia inenarrabilis explicari non poteſt, quoniam verè indicibilis es,nullo modo ſcribi potes, neque includi, qui es fons lucis diuinæ, & ſol claritatis æternæ.Magnus es ſine quantitate, & ideo immenſus:bonus ſine qualitate,& ideo verè & ſummè bonus, & nemo bonus niſi tu ſolus, cuius voluntas eſt opus, cuius velle poſſe eſt. Qui omnia de nihilo creaſti,quæ ſola voluntate tua feciſti. Qui omnem creaturam tuam abſque indigentia aliqua poſſides, & ſine labore gubernas, & abſque tædio regis, & nihil eſt quod perturbet ordinem imperij tui, vel in ſummis vel in imis. Qui in omnibus locis ſine loco haberis, & omnia contines ſine ambitu,& vbique præſens,& ſine ſitu & motu. Qui nec mali author es, quod facere non potes, qui nihil non potes,neque vmquam te aliquid feciſſe pœnituit, nec vllius commotionis animi tui tempeſtate turbaris, nec totius terræ pericula damnum tuum eſt. Nulla flagitia vel ſcelera probas aut imperas.Numquam mentiris,quia veritas æterna es. Cuius vnius bonitate facti ſumus,& iuſtitia pœnas luimus, & clementia liberamur. Nihil cœleſte, nihil igneum,nihil terrenum,nihilque quod corporis ſenſus attingat,aut etiam ipſos fugiat pro te colendum eſt, qui verè es quod es,& non mutaris. Cui maximè conuenit quod Græci dicunt τὸ ὄν, Latinè quod eſt. Nam ſemper idem ipſe es, & anni tui non deficient. Tu tandem Domine qui vnus es, etiam Trinus es. Vnus quidem natura, vnus eſſentia, vnus ſubſtantia, ſed Trinus perſonis, Pater, Filius, & Spiritus ſanctus. Vnitas es diuinitatis, perſonarum pluralitate multiplex. Numerabiliter es innumerabilis, ac iccirco menſurabiliter immenſurabilis, & ponderabiliter imponderabilis. Iam multa alia ſcio quæ dicam de te, & neſcio quid dicam de te, libet tamen antequam ad portum ſilentij me recipiam voce cuiuſdam adoleſcentis ex noſtris cantare de te.

Sap. 8. 1.

1. Timoth. 6. 16.

AD SANCTAM TRINITATEM.

HVc DEVS omnipotens, pietatis amator & æqui,
Perſonis Trinus re tamen vnus ades:
Materiæ immunis, totius originis expers,
Fons ſine principio, fons ſine fine boni,
Lumen inaccenſum, caligine liber & vmbris,
Nulli viſe palàm funeris ante diem;
Fortis es, Æternus, Sapiens, Immobilis, Inſons,
Reddis & aſpectu corda beata tuo.
Numine cuncta reples, per te bene cuncta mouentur,
Viuere das rebus, viuere poſſe negas.
Quem licet immenſum nulli comprendere menti,
Nec capit amplexu mundus vterque ſuo.
Eſſe DEI nam ſolus habes, cui conuenit vni
Figere iura Polo, figere iura ſolo.
Abdita ſenſa vides, latebras rimaris opertas,
Omnia luminibus ſunt reſerata tuis.
Te mihi da totis ardenter amare medullis,
Noſcere da terris, cernere & aſtra ſuper.

AD DEVM PATREM.

TE Pater alme cano, nullo qui cingeris æuo,
Et rerum primum credimus eſſe caput.

Diceris ingenitus Genitor, Deitatis origo,
A quo principium Filius vnus habet.
Hunc ſolum generas ſemper, dum mente capaci
Te & quæcumque potes condere aperta vides.
Naturam bibit ille tuam, ſimiliſque per omne
Editur, & tecum cuncta gubernat idem.
Hoc Nato fœcundus ades, Patrijque vocaris
Nominis exemplar, qui ſine Patre viges.
Hoc pariter ſocio diuinum flamen amoris (∴)
Æternum ſpiras; & colis aſtra DEVS.
Te ſimul angelicæ Patrem ſine fine cohortes,
Et genus humanum prædicat eſſe ſuum.
Ex nihilo vaſtum formaſti conditor orbem,
Cui cuncta vt fierent, ſat voluiſſe fuit.
Ergo tuos mores, legémque ſequutus amicam,
Filius efficiar tempora cuncta tuus.

AD DEVM FILIVM.

VNigena, immenſi ſoboles æquæua Parentis,
Gignere quem nullo deſinet ille die.
Clara DEI ſine matre aliqua, ſine ſemine proles,
Poſterior numquam vel genitore minor.
Labe carens ſpeculum, ſummæ bonitatis imago
Inclyta; diuini flaminis alme dator. (∴)
Candor es æternæ lucis, ſplendórque beatus:
Eſſe Patris referens vera figura, tui.
Sol de ſole oriens, numen de numine: verbum
Quo loquitur Genitor, dicere quidquid habet.
Rex regum, bellóque potens, Dominúſque fidelis,
Et vigor, & virtus, dextraque firma DEI.
Temporis antiquis maior ſapientia ſæclis
Quæ facis, & ſocio cum Patre cuncta moues.
Verus homo pariter natus de Virgine caſta,
Vt ſcelera ablueres ſanguine noſtra pio.
Fons igitur vitæ, mundi lux, cordis aſylum
Me rege; ne ſtygio lædar ab hoſte miſer.

AD SANCTVM SPIRITVM.

TErtia diuinæ TRIADOS Perſona, coæuum
Cum Genito numen, cum Genitore DEVS.
Quem Pater æternum, Genitus quem ſpirat, & halat,
Naturam pariter cui dat vterque ſuam.
Amborum communis amor, nexúſque beate
Temporis immenſas præteriture moras.
Conceſſum miſeris donum venerabile terris

Omnigenis cumulans pectora noſtra bonis.
Quo tribuente homines cœleſtia munera viſunt,
Funditur & charitas cordibus alma D E I.
Conſilium tecum, ratio, ſapientia, virtus,
Et Domini veniunt cum pietate timor.
Igne tuo maculas adimis, pia viſcera aduris,
Imbre rigas, afflas lumine, voce leuas.
Te reſerant vates myſteria operta magiſtro
Anchora, Fons, Oleum, Vita, Columba, Salus.
Ergo tuo, Princeps flamen, me numine comple,
Dita opibus, facibus luſtra, & amore foue.

OIgitur beata Trinitas, & ſumma vnitas, Domine Deus meus, hæc ſit vnica cura mea, hoc ſtudium indefeſſum mentis meæ, iſta & alia multa de te cogitare, & ex hac conſideratione iucundiſſima, ad ardentiſſimum tui amorem aſſurgere, & ex hoc amore, ad omnium virtutum amorem & exercitationem prouehi, & ad perfectam obſeruantiam tuæ ſanctiſſimæ legis excitari. Ita fiet vt te ſummum bonum meum aſſiduè cogitãs, te purè diligens, & in virtutes incumbens, & legem perfectè cuſtodiens, te tandem poſt hos labores in æternum perfruar. Ita de tua immenſa bonitate confido per merita vnigeniti filij tui Domini noſtri Ieſu Chriſti, & ita fiat. Amen.

ORATIO.

DOmine Deus meus, & vnica ſalus animæ meæ, laudo & benedico te, qui tot ſuauiſſima & ſaluberrima fercula animabus virorum ſpiritualium in menſa intentæ meditationis apponis, quibus ſpiritu ſaginentur, & veræ iuſtitiæ deſideriis impleantur. Confirma hoc quod operatus es in nobis, rogamus ſupplices; & da hæc ita à cordibus noſtris cogitari, & meditatione inueſtigari, vt veram deuotionem accendant, & mandatis tuis grauiter exequendis proficiant. Sciamus, ô amantiſſime Deus, cùm incipimus meditationibus caſtum timorem incutientibus à peccatis vitiiſque purgari, cùm proficimus, conſiderationibus vitæ & paſſionis & mortis Ieſu Chriſti filij tui, nécnon & virtutum beatæ Virginis ac Sanctorum omnium, ſtudium vniuerſarum virtutum arripere; & cùm propius ad perfectionem tendimus, contemplatione diuinitatis tuæ ac beneficiorum nobis exhibitorum, æſtu perfectiſſimi tui amoris accendi. Da etiam vt ſi voluntatis tuæ fuerit, vt aliqua alia meditemur, & vel Scripturarum ſanctarum pia ſcrutatione paſcamur, vel ex creaturis ad te contemplandum feramur, in his nihil aliud niſi veram virtutem, & omnimodam noſtri abnegationem, & perfectum tui amorem, & diligentiſſimam cordis puritatem, ac tuæ legis ſanctiſſimæ cuſtodiam ſectemur. Amen.

FINIS LIBRI TERTII.

DE AFFECTIBVS ORATIONIS MENTALIS,

LIBER QVARTVS.

PROOEMIVM.

SVperior tractatio escas cœlestes intellectui viri spiritualis apposuit, & eum in rebus meditandis erudiuit: hæc verò, quam Deo auspice inchoamus, voluptati suauiores & salubriores cibos, quibus adolescat, & ad perfectionem prouehatur, apponet, & pro sanctis affectibus eliciendis nonnullam institutionem exhibebit. Iure autem affectibus vtilitas & suauitas maior adscribitur, quia non in cognitione perfectio, sed in affectione & in opere esse probatur. Ille enim bonus & studiosus est, non qui bonum cognoscit (cùm pessimi dæmones bona cognoscant) sed qui ad bonum afficitur, qui opus virtutis exequitur, & qui diuinæ legis iura violari nõ patitur. Affectio verò boni non tantùm affectio est, verùm & actio bona, opúsque virtutis quæ primò voluntatem ipsam ad bonum amandum suauiter mouet, & deinde si adsit occasio, manus ad opus externum præstandum impellit. Cognitio quoque ad affectionem ordinatur. Cognoscimus enim malum, vt illud detestemur, & fugiamus, & cognoscimus bonum, vt illud amemus, & amplectamur. Ad sapientiam autem & bonitatem diuinam pertinebat maiorem suauitatem & præstantiam amplexui finis, quàm applicationi eius quod est ad finem, impertiri. Amor itaque & affectio boni pars virtutis est, non verò arida cognitio, & ieiuna meditatio, si ad affectum boni excitandum, & ad opus bonum exequendum non reuocetur. In quam rem non alium testem quàm ipsam summam veritatem producimus, sic dicentem: Non omnis qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum cœlorum: sed qui facit voluntatem Patris mei, qui in cœlis est, ipse intrabit in regnum cœlorum. Dicit, Domine, Domine, non tantùm ille, qui sæpe hoc nomen inculcat, verùm & ille qui cœlestia credit, & consideratione voluit, ea verò nec affectu diligit, nec actione complet. At voluntatem Dei facit, qui, ea cognita ad eam afficitur, & totis viribus implere conatur. Huic in futura vita regnum cœlorum paratum est, in hac verò obtentio vniuersæ virtutis quæ propriis affectibus & actibus mediante gratia Dei conseruari & augeri cognoscitur. Cùm ergo in affectibus præcipua pars mentalis orationis sit posita, operæpretium duximus antequam ad tractandos in speciali affectus accingamur, aliqua de illis generaliter tradere, quæ minus eruditos doceant, & doctis ad recordationem proficiant.

Perfectio nõ in cognitione sed in affectu, & opere.

Matth. 7.21.

Bona Dei voluntatem implentis.

A

B

C

D

1. *Quid sint affectus.*

AFfectus est appetentis partis animæ ad aliquid inclinatio. Seu: Est motus appetentis partis animæ, quo aliquid prosequimur, vel fugimus. Cùm autem in nobis sit duplex pars appetens, altera rationalis, quæ sequitur cognitionem intellectus, & dicitur voluntas: altera sensualis, quæ sequitur apprehensionem sensuum, & vocatur appetitus. Hinc est quòd duplex est affectus in nobis, alter voluntatis, & alter appetitus. Affectus voluntatis est motus seu propensio eius ad aliquid, vel etiam auersio & refutatio alicuius quod intellectus iudicauit conueniens vel inconueniens: qui cùm actus spiritualis sit, & à potentia spirituali profluens, in eáque receptus absque vlla immutatione corporali perficitur. Affectus appetitus est propensio eius ad aliquid, vel auersio ab aliquo, quod sensu conueniens, vel inconueniens iudicatum est. Hic autem cùm corporalis sit, in cordéque residens, non sine aliqua immutatione corporali fit, qua corpus accenditur, aut obrigescit, & cor constringitur, aut dilatatur. Ideo vocatur passio, quia corpus commouet, & perturbatio, quia animam in considerãdo & agendo perturbat. Est quidem quasi funiculus, quo ad aliquid trahor, est igniculus, quo inflammor, stimulus quo pungor, ventus quo exagitor: clauus quo configor, nubes qua obscuror: & ventus quo ad aliquid amplectendum vel detestandum impellor.

Affectus descriptio.

Affectus duplex.

Varij affectus appetitus nomina.

2. *Quotuplices sunt affectus.*

AFfectus autem appetitus notiores & familiariores nobis sunt affectibus voluntatis, quia illos quotidie millies experimur, & ab ipsis non sine molestia raptamur: quare ex numero illorum facile erit affectiones voluntatis venari. In assignando autem numero affectuum siue passionum magna fuit apud antiquos concertatio: sed iam ea

senten

Affectuũ sedes, numerus, nomina.

sententia prævaluit affectus vndecim esse, sex in appetitu concupiscibili amorem & odium, desiderium & fugam, delectationem & tristitiam: quinque in appetitu irascibili, spem & desperationem, timorem & audaciam, atque iram, quos alio loco numerauimus. Totidé ergo sunt affectus, seu actus in voluntate, & non plures, nec pauciores, & si qui alij considerantur, nullo negocio ad istos vndecim rediguntur. Voluntas enim absque vlla perturbatione in bono sibi complacet, & est amor; aut appetit bonum absens, & est desiderium: aut in bono adepto quiescit, & est delectatio. Circa malum verò, vel displicet ei, & est odium: vel illud sibi adhærere renuit, & est fuga: vel si præsens sit inuita sustinet, & est tristitia. Similiter bonum appetit, quod in sua potestate nõ est, vnde & sibi difficile est, & hoc desiderium & spes: vel ad illud consequendum per conuenientia media se erigit, & est audacia. Desperatio de bono & malo est quãdo illud non possumus consequi, nec illud euadere. Item & timor quando imminet nobis vt bonum amittamus, vel in malum incurramus. Ac tandem ira cùm aduersùs bona auferentem, aut mala inferentem insurgimus. Has ergo affectiones esse in voluntate absque aliqua immutatione cordis,

D. Tho. in addit. q. 70. art. 2. ad 5.

Thomas Aquinas princeps Theologorum scholasticorum perspicuè docet ponens eas in anima separata. Idem omnino scribit Gerson variis locis, &

Gerson tract. de canticis simpsalma. 1. in principio.

in quodam eorum sic ait: Nos sequentes Augustinum cum cæteris Theologis ponimus omnia nomina passionum, nedum in ratione humana, nedum in eius mente & spiritu, nedum in Angelis & Beatis, sed in Deo etiam ipso glorioso, omni tamen imperfectione secluſa. Dicimus enim Deum delectari, & gaudere, sicut & beatum esse.] Et alio

Gerson tract. de passion. cõsid. 12.

loco exponit quomodo hæ affectiones sint in anima circa bonum, sic scribens: Transferamus nomina passionum animalium, de quibus Philosophi tractauerunt, ad affectiones spirituales, quales habet anima dum contemplatur Deum, amat ipsum, vt totũ amabilem, concupiscit ipsum vt totum desiderabilem. Fruitur, & delectatur, & quietatur in eo, vt in toto bono vtcumque iam adepto. Odit verò quidquid ab hoc toto amabili, toto desiderabili, toto delectabili separare potest. Hinc illud sibi vehementissimum odium ad peccata, horror, & abominatio, & fuga, & detestatio, si videantur instare, dolor autem acerbissimus, & inquietudo molesta, si forsan affuerint. Hinc præterea spes ingens, dum considerat magnificentissimam Dei liberalitatem repromittentem æterna. Audacia rursus in aggrediendo grandia propter Deum. Zelus quoque (& est ira secundùm eumdem) diuini cultus & honoris. Desperatio autem de viribus propriis, & ex consideratione tantorum criminum, & diuinorum iudiciorum inscrutabilium metus ingens.] Sic ille. Non esse autem alios actus in voluntate præter istos, aut qui ad illos reduci non possint, facile intelliget qui eorum quæ à Theologis circa actus humanos dicuntur, aliquam peritiam habuerit. Nam intentio est amor finis, & electio amor eorum quibus consequimur finem, & fruitio est delectatio, seu quies in fine, & consensus est amor quo voluntas se applicat ad media iam electa, siue illa amplectitur, & vsus est amor quo voluntas applicat alias vires animæ ad exequutionem operis quod diligit. Et omnes actus virtutum & vitiorum interiores sunt volitiones aut nolitiones, amores, vel odia, & proposita faciendi, vel amplectẽdi hoc aut illud, vel non faciendi, aut fugiendi hoc aut illud, quæ ab his affectionibus secerni non possunt.

In volũtate non esse alios actus distinctos à numeratis.

3. *Quod sit discrimen inter affectus voluntatis, & appetitus.*

Discrimen inter affectus voluntatis & appetitus multiplex.

MVltiplex autem est discrimen inter affectus voluntatis & appetitus. Primum quòd affectus voluntatis sequuntur considerationem rationis seu intellectus, affectus verò appetitus sequuntur apprehensionem imaginationis, & sensus. Et quia quando intellectus aliquid considerat, verbi gratia, prohibitionem Dei, imaginatio cooperatur aliquid cogitans de Deo suam capacitatem non excedens, hinc est quòd in huiusmodi consideratione non solùm amor spiritualis, & affectio spiritus, verùm & amor sensibilis, & passio appetitus interdum excitatur. Secundum discrimen est quòd affectus voluntatis tendit in bonum honestum, vel in malum inhonestum; interdum quidem illud amando, & istud fugiendo: interdum verò istud amplectendo, non quia inhonestum, sed quia vtile vel delectabile, & illud refutando, nõ quia bonum, sed quia videtur molestum, & amarum. Affectus verò appetitus tendit per se in commodum, vel incommodum. Per se, inquam, & ex natura sua. Nam in nobis propter coniunctionem ad rationem solet ab ipsa ad honestum efferri. Vnde & Dauid ait:

Psal. 83. 3

Cor meum & caro mea exultauerunt in Deum viuum.] Et idcirco appetitus tam irascibilis, quàm concupiscibilis est capax virtutũ & vitiorum, quia potest per liberum arbitrium cui coniunctus est, ad iustum & iniustum ordinari. Tertium discrimen est quòd affectus voluntatis faciliùs mouetur, quia pẽdet à libero arbitrio cuius est opus. Atq; adeò cùm volum⁹ amamus, & cũ volumus odio habemus, desideramus aliquid, aut fugimus, placet aut displicet nobis, secundùm quod illud voluimus vt bonu nostrum aut malũ apprehendere, vnde & lætamur vel tristamur. At affectus appetitus qui nostræ volũtati non subest ad nutum sicut membra exteriora, difficiliùs excitatur. Hinc est quòd interdum volumus peccata fiere, & non flemus, sed saxo duriores sumus: volumus in aliqua solemnitate lætari, & non lætamur, sed tristes & gemebundi permanemus. Quia videlicet illud quod obiicitur non facile sensu vt causſàm tristitiæ, aut lætitiæ apprehendimus, & corpus indispositum ad motionem illius affectus secundùm illum affectum immutare non possumus. Ex quo manifestè constat multa quæ viris spiritualibus in oratione contingunt posse esse naturalia, ab eísque nequaquam pendere mentis profectum. Nam quidam illorum interdum resoluuntur in lacrymas, & gemitibus compunguntur, non quia deuotiores, sed quia corde molliores: è contra verò alij qui satis efficaciter voluntate bonum diligunt, & malum detestantur, has lacrymas, & gemitus, & suspiria non habent, non quia indeuotiores, sed quia corde duriores, & corpore ad hæc minus dispositi. Dixi autem multa, sed non omnia: nam aliquando Deus gratia sua cor ipsum emollit, & suauitate mirabili ac his affectibus replet. Quantum tandem in hac re animaduertendum est quòd hi duo affectus tripliciter possunt comparari. Primò quidem ita vt in vnum idémque cõsentiant: vt si appetitus in rem pulchram sibi propositam feratur, & voluntas vt bos ductus ad victimam sponte in eamdem inclinetur. Vel cùm voluntas in rem honestam tendit, & appetitus iam morigeratus obsequitur, & in eamdem consentit. Tunc impletur illud: Tu homo vnanimis dux

Multa quæ in oratione cõtingũt possunt esse naturalia.

Triplex affectuũ comparatio.

Psal. 54. 14.

meus,

meus, & notus meus, qui dulces mecum capiebas cibos: in domo Dei ambulauimus cum consensu.] Secundò ita vt vnus appetitus in aliquid tendat, alter verò alio occupatus, vel minus dispositus nec consentiat, nec dissentiat. Sic sensualitas aliquando in aliquid ineptum tendit, & voluntas aliis intenta illam rebellionem contemnit. Sic etiam voluntas bonum diligit, & appetitus minus dispositus, aut per sensum imaginationis minus sufficienter excitatus in illud amore non tendit. Et hinc oritur status ille ariditatis supra tractatus, in quo quis voluntate est ad bonum diligendum, & malum fugiendum satis promptus, & appetitu, qui non potest excitari, minus deuotus. Tertiò demum ita vt vnus appetitus aliquid cupiat, & alter constanter repugnet. Vt si sensualitas malum appetat, quia est delectabile, & voluntas vehementer contradicat: vel si voluntas bonum abnegationis velit, & appetitus quia est minus suaue illud pertinaciter fugiat. Hoc autem est illud plus quàm ciuile bellum inter carnem & spiritum, aut inter appetitum carnis, & voluntatem spiritus, de quo Paulus: Non quod volo bonum, hoc facio, sed quod nolo malum, hoc ago. Et: Inuenio legem, volenti mihi facere bonum, quoniam mihi malum adiacet. Et, condelector legi Dei secundùm interiorem hominẽ, video autem aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captiuantem me in lege peccati.] Quæ omnia, & alia quæ eo loco scribit Apostolus, hanc repugnantiam duorum appetituum & affectionum spiritualium ac sensualium designant.

Rom. 7. 19. 21. 22. & 23.

4. *Vtrosque affectus esse medios, posséque verti in bonum, & malum.*

Licèt prædicti affectus in supradictis dissentiant, in vno tamen conueniunt, quòd sua natura sunt medij, id est, indifferentes, vt possint fieri boni vel mali, secundùm ea circa quæ versantur. Vt diligere affectio est, & quoddam (vt ita dicam) naturale opus, quod nec virtutem nec vitium importat. At diligere Deum, bonum est, & opus virtutis: diligere verò aliquid illicitum, & vetitum, malum est & opus vitij. Vnde de illa dilectione dicitur: Diliges Dominum Deum tuum.] De ista autem: Nolite diligere mundum, nec illa quæ in eo sunt.] Et irasci aduersùs peccata bonum est, iuxta illud: Irascimini, & nolite peccare;] irasci verò aduersùs fratrem, malum est, secundùm illud: Qui irascitur fratri suo, reus erit iudicio.] Et delectari in Domino bonum est. Delectare in Domino, & dabit tibi petitiones cordis tui.] At delectari in deliciis carnis malum. Quantum glorificauit se in deliciis, tantum date ei tormentum & luctum.] Atque idem aliorum affectuum esto iudicium. Verum est quòd affectiones voluntatis magis propendunt in bonum, quoniam sequuntur apprehensionem rationis, quę suapte natura approbat bonũ. Affectus verò appetitus post peccatum primorum parentum magis propendunt in malum, quoniam sequuntur apprehensionem sensuum, quorum est suum commodum & voluptatem quęrere, tametsi rationi repugnet. Cùm ergo affectus ex natura sua sint medij, & in singulari boni vel mali, oportet eorum causas perscrutari.

Affectus sunt indifferentes.

Matth. 22. 37. 1. Ioan. 2. 15. Psal. 4. 5. Matth. 5. 22. Psal. 36. 4. Apoc. 18. 7.

Affectus voluntatis ad bonum magis proni, cõtra appetitus.

5. *De causis affectuum.*

Gerson doctus pariter & deuotus Doctor, & in rebus spiritualibus satis exercitatus, decem causas affectuum siue passionum enumerat. Prima, Deus, qui cùm sit prima & generalissima omnium rerum causa, manifestum est, quia potest per seipsum, & nullo medio interiecto, vel voluntatem, vel appetitum ad affectus excitare & mouere. Ipse inducit mentem virtute ex alto, ipse inspirat, inclinat, allicit, illuminat, stabilit: & ideo sanctis affectibus, immo & omnibus quatenus sunt actiones quædam hominis à se creati, & à se in esse & operari pendentis, non solùm initium, sed & progressum, & perseuerantiam, quam habent, præbent. Secunda, Angelus. Nam licèt non illabatur in spiritum nostrum (quod proprium est solius diuinæ naturæ) tamen ex gratuita dispensatione Dei potest substantiam suam applicare ad animam, & ei se præsentem facere. Cùm autem Angelus sit purissimus, luminosissimus, ac benignissimus, anima ex eius præsentia ad sanctam delectationem, & pura desideria, & ad suauem quietem excitatur, sicut infans ex sola præsentia matris vel nutricis quiescit, & hilarescit. Similiter potest immutare sensus tam interiores, quàm exteriores, ex quorum diuersa dispositione & apprehensione varij affectus emergunt. Tertia, diabolus. Potest enim ex dispensatione diuina se animæ præsentem exhibere, quæ ad præsentiam sæuissimi hostis timore concutitur, & non aliter quàm ouis ad præsentiam lupi, & columba ad sensum accipitris tristitia doloris impletur. Item & potest simili ratione ac bonus Angelus species ac similitudines imaginationis ac aliorum sensuum variis modis mouere, & miscere, ex quibus appetitus ad varios affectus se sentit incitari. Quarta, cœlum: quod motu suo, & vario astrorum influxu varias qualitates inducit in corpus humanum, ex quibus excitantur affectus lætitiæ, vel tristitiæ, vel cupiditatis sensualis in corde: hi autem spiritum ad similes affectus solent pertrahere. Quinta, complexio, seu constitutio naturalis corporis, quod cùm sit instrumentum animæ, secundùm variam compositionem, quam habet, & secundùm variam mistionem humorum, & qualitatem spirituum vitalium, & animalium, ad varias passiones appetitus adiuuat, eo modo quo diuersa instrumenta artis diuersas operationes inducunt, eas verò in multis sequuntur motus voluntatis. Hinc qui habent sanguinem subtilem & clarum in substantia, & temperatum in qualitatibus, sunt proni ad gaudium: qui habent sanguinem subtilem & clarum, sed nimis calidum, sunt procliues ad velociſſimam iram, sed facile placabilem: qui habent sanguinem subtilem, sed subfrigidum, inclinantur ad timorem, & pusillanimitatem; & sic de aliis qualitatibus corporis, quæ solent ad tristitiam, ad pertinaciam, vel ad alios affectus inclinare. Sexta, actio qualitatum primarum caloris, & frigoris, humiditatis & siccitatis: hæ namq; sanguinem & alios humores immutant, & spiritus animales variè temperant, ex qua immutatione, aut tẽperie sequitur diuersa ad hunc vel illũ affectũ propẽsio. Septima, opus imaginationis: nam experimẽto singulis momẽtis constat quàm valida sit imaginatio ad cupiditatem, vel iram, vel tristitiã, vel aliam passionem inducendam. Spiritus quidem animales species seu similitudines rerũ deferũt, quę actus imaginandi, & æstimãdi simul cũ ipsa imaginatiua, & ęstimatiua efficiũt, ad quos passiones natę sunt sequi. Octaua, meditatio rationis, siue intellectus, quæ nõ solùm voluntatem absq; immutatione corporali ad affectus proprios mouet, verũ & sẽsus interiores post se trahẽs, passiones appetitus infert.

10. Affectuum causa Deus.

Angelus.

Diabolus.

Cœlum.

Complexio.

Actio primarum qualitatum.

Imaginatio.

Meditatio intellectus.

Gerson tract. de passion.

Habitus acquisitus vel infusus.

Nona, habitus acquisiti, vel etiam infusi, qui facilem reddunt vim animæ ad affectus eliciendos. Decima tandem, diuersa combinatio omnium harum caussarum naturalium. Sicut enim plures voces diuersimodè dispositæ diuersam harmoniam edunt, & variæ elementorum mistiones diuersa mista efficiunt, ita varius concursus harum caussarum diuersum affectum inducunt. His igitur omnibus ad affectus inclinamur, non cogimur; mouemur, sed non impellimur, quia cùm simus liberi arbitrij compotes, in nostra potestate est passiones comprimere, aut sequi, earum motibus consentire, aut eos constanter refutare.

6. *De caussis bonitatis & malitiæ affectuum.*

HActenus caussas affectuum in esse naturæ (vt aiunt) assignauimus. Nunc eorumdem caussas vt boni sunt, aut mali, studiosi, vel vitiosi perquestigemus. Caussa bonorum affectuum est Deus & gratia eius excitans nos, & adiuuans, vt bonum velimus, vt malum odio habeamus, vt virtutis actus interiùs faciamus, & actus vitiorum vitemus. Sub gratia autem continentur sanctorum Angelorum inspirationes, prædicatorum & præceptorum spiritualium suasiones, & euentus varij, tum prosperi, tum aduersi, & alia multa a benigna Domini miseratione amabiliter disposita, vt in nobis bonas & sanctas affectiones excitent. Caussa verò affectuum malorum est libertas nostri arbitrij, quæ voces diaboli suadentis audit, & motus in appetitu surgentes non comprimit, sed ipsis, etiamsi in illicitum & vetitum tendant, inepte consentit. Nam quantumuis ex constitutione corporis, vel ex influxu syderum, vel ex aliis caussis supradictis, ad aliquid, cui coniunctum est peccatum, inclinemur, non imputabitur nobis, nisi in illud voluntate consentiente, aut illicitum motum non compescente feramur. Istud non tantùm fide cognoscere, sed quasi per experientiam sentire est, secundùm Richardum Victorinum, viuentes scire quòd Excelsus dominetur in regno hominum. Affectus in nobis (inquit) secundùm Deum viuunt, dum in bono fortes sunt, & ad virtutum opera conualescunt, dum gratiam cooperantem habent, & in studiis spiritualibus se exercere valent. Tunc proculdubio moriuntur, cùm eis gratia cooperatrix subtrahitur. Subtrahitur autem, cùm de suis bonis, & diuinis donis mens improba superbit, & sua sibi merita adscribit. Subtracta gratia affectus boni deficiunt, & ad omne bonum langueſcunt, & sic de viuentibus mortui fiunt.] Et post pauca: Quid igitur est supernæ maiestatis dominium & principatum in regno hominum viuentes agnoscere, nisi vnumquemque eo etiam tempore, dum adhuc in bonis operibus viuit, infirmitatem suam attendere, & nihil sibi, nihil suis meritis adscribere, & inter quælibet virtutum exercitia humilitatis custodiam non deserere, sed veraciter, & absque simulatione quidquid mali sibi ipsi, & quidquid boni diuinæ gratiæ adscribere.] Augustinus verò loquens de primis radicibus omnium affectionum charitate, & cupiditate, sic ait: Istæ duæ radices in duobus agris à duobus plantantur agricolis. Vnam in cordibus bonorum plãtat Christus, aliam in cordibus malorum plantat diabolus. Nec de charitatis radice nascetur aliquid mali, nec de radice cupiditatis aliquid boni. Non enim mentitur Veritas, quæ in Euangelio cùm de istis duabus radicibus loqueretur, definiuit, dicens: Non potest arbor bona fructus malos facere, nec arbor mala fructus bonos facere.] Itaque auxilium gratiæ affectus studiosos in voluntate excitat, & ad eosdem per similes motus appetitum inclinat: hominis verò malitia & imbecillitas prauos affectus voluntatis producit, & similes in appetitu aut elicit, aut excitatos non compescit.

Caussa bonorum affectuũ Deus & eius gratia.

Caussa malorum affectuũ libertas arbitrij nostri.

Daniel 4.14.

Richard. lib. 2. de erud. inte. hom. c.31.

August. ser.44. de tempore.

Matth 7.

7. *De fructibus affectuum.*

FRuctus, siue effectus bonarum & malarum affectionum nunc explicemus, & ex illis facile erit effectus earumdem in esse naturæ comprehendere. His affectionibus generantur & augentur in nobis habitus boni & mali virtutum atque vitiorum. Nam virtutes & vitia producuntur, & augmentum sumunt propriis actibus, vt quis adquirit humilitatem seipsum deiiciendo & contemnendo, superbiam verò seipsum extollendo, & magni supra meritum æstimando. Hi autem actus voluntatis, & similes appetitus affectiones sunt, & vocantur. Certè summus ille Philosophus Aristoteles sic ait: Sicut ædificando ædificatores, cithara canendo citharœdi efficiuntur; ita quoque iusta agendo iusti, temperantia temperantes, fortia fortes euadimus.] Hæ quoque affectiones principia sunt bonorum, vel malorum operum exteriorum. Communiter, immo & semper ille bene exteriùs operatur, qui interiùs efficaciter afficitur bene: & ille iniquè operatur, qui interiùs efficaciter afficitur malè. De bonis affectionibus est illud: Anima mea desiderauit te in nocte, sed & spiritu meo in præcordiis meis de mane vigilabo ad te.] Affectus, inquam, desiderij, quo te concupisco, ô Domine, facit me tempestiuè ad te vigilare, & ad te quærendum assurgere. Item & illud: Sitiuit in te anima mea, quàm multipliciter tibi caro mea;] vbi affectus duplex erga Deum tum voluntatis, tum appetitus exprimitur. Ex hoc autem quid sequutum est? In terra deserta, inuia, & inaquosa: sic in sancto apparui tibi, sic coram te steti, ac si in sanctuario tuo versarer, vt viderem & contemplarer virtutem tuam, & gloriam tuam.] Rursus & illud: Det vobis cor omnibus vt colatis eum, & faciatis eius voluntatem.] Nam si cor, id est, affectum bene faciendi dederit, & quod iusserit, facietis. De malis verò affectionibus est illud: Ecce parturiit iniustitiam mala cogitatione, concepit dolorem praua affectione, & peperit iniquitatem.] Atque illud: De corde exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, & alia quæ sequuntur. Ac tandem illud: Concupiscentia cùm conceperit, parit peccatum.] Exinde alius fructus affectionum sequitur, quòd ipsæ, si bonæ sint, nos faciunt bonos, & studiosos: si verò malæ, faciunt nos malos & iniquos. De bonis enim affectibus est illud: Si iustitiam quis diligit, labores eius magnas habent virtutes.] De malis autem quod legimus in Osea: Abominabiles facti sunt, sicut ea, quæ dilexerunt.] Et Gerson ait: Quemadmodum summa vitiorum est transisse in affectum malitiæ, ità vt ipsum iam vitium ex intimo sensu placeat, sit culmen virtutis est transisse in affectum iustitiæ.] Et sicut corpora opacitate tenebrosa fiunt, subtilitate verò & transparentia apta redduntur ad suscipiendam lucem, sic animus prauis affectibus à luce sapientiæ & virtutis suscipienda impeditur, & bonis, tamquam subtilioribus & planè cœlestibus ad eam suscipiendam aptè disponitur.

Affectus principia bonorum aut malorũ operum. Isaiæ 26. 9.

Psal. 62. 3.

Ibid. v. 3.

2. Mach. 1. 3.

Psal. 7. 15.

Matth. 7. 19.

Iacobi 1. 15.

Sap. 8. 7.

Osee 8. 10

Gerson tract. de passion. princip.

8. *Magnam partem ſpiritualis vitæ in corrigẽdis prauis affectibus, & bonis augendis eſſe poſitã.*

IAm ex his liquet ſpiritualem & Chriſtianam vitam in hoc maxime verſari, vt prauos affectus cohibeat, & quantum poſſibile fuerit, eliminet: item vt bonos affectus eliciat, & genitos promoueat, atque perficiat. Virtus enim non eſt affectibus carere, ſed prauos comprimere, & naturales in bono collocare. Vnde Proſper Aquitanicus Stoicorum opinionem taxãs ſic ſcribit: Proinde omnes iuſti, & tota morum ſanctitate perfecti ſuperflua timent, & cauent, volunt & cupiunt, lætantur & gaudent, contriſtantur & dolent. Sed intereſt multum quid timeant, aut caueant, velint, aut cupiant, vnde lætentur, aut gaudeant, contriſtentur, aut doleant. Metuunt hæreditatem regni cœleſtis amittere, cupiunt ad cœleſtem patriam peruenire. Dolent tentari, gaudent de tentationibus liberari, ac per hoc recta mens rectos habet affectus, peruerſos peruerſa.] Et poſtea: Sed idcirco affectus huic neceſſarios vitæ ſentimus, quia in hac mortalitate ſine eis omnino recte non viuimus. Quando ſi non timeat quiſque vel caueat, ne aut ipſe quando mortaliter viuit, aut alius quem in Chriſto diligit, fide ſua deficiat, ſi nec de ſuo, nec de proximi ſui peccato contriſtetur, nec doleat, de profectu lætetur, aut gaudeat, ſi nihil boni velit, aut cupiat, non ſolùm rectè non viuit, ſed etiam ſenſum ipſius humanitatis amittit.] Affectus itaque accepimus vt illis rectè viueremus, atque eos in profectum animæ & virtutum aſſequutionem verteremus. Si verò quiſque ſecus facit, & eos in ſuum malum perniciémque conuertit, culpa quidem eſt hominis inſtrumentis conceſſis ad bene viuendum abutentis, non tamen defectus conditoris. Non ergo ſi dixerimus, ait Ioannes Caſſianus, hos motus à creatore nobis inſertos, ex eo culpabilis ille videbitur, ſi nequiter his abuſi maluerimus eos ad noxia potiùs miniſteria detorquere: & velimus pro infructuoſis & ſæcularibus lucris, nõ pro ſalutari pœnitentia, & vitiorum correctione triſtari; vel certè, ſi nõ nobiſmetipſis vtiliter, ſed contra interdictum Domini noſtris fratribus iraſcamur. Velut ſi ferrũ quis ad neceſſarium & vtile miniſterium contributum, ad necem voluerit inſontium retorquere, non ex hoc infamabit materię conditorem, ſi quod ille ad vſum bene vtẽdi aptum ad neceſſarium præſtitit, iſte hoc vſus eſt ad nocendum.] Sic ille. Profectò in hoc conatus noſtri cordis debet incumbere, vt affectus noſtros peccatis ac vitiis eripiamus, virtuti verò & perfectioni comparandæ conſecremus. Tunc implebitur in nobis illud Michææ: Concident gladios ſuos in vomeres, & haſtas ſuas in ligones: non ſumet gens adùersùs gentem gladium, & non diſcent vltrà belligerare.] Nam inſtrumenta quibus ſeipſos concidebant homines, nimirum proprij affectus in adiumenta ſeipſos emolliendi, & ſemina virtutum ſuſcipiendi conuerſi ſunt. Fítque & illud eiuſdem Prophetæ: Et paſcent terram Aſſur in gladio, & terram Nemrod in lanceis ſuis.] Quínam paſcent? Illi ſanè quos priùs nominauerat, paſtores, & primates homines: qui ſeipſos virtute paſcunt, & ſanctè gubernant. HI carnem ſuam gladio ipſius carnis, & ſenſus ſuos, & appetitus lanceis ipſorum appetituum paſcunt, id eſt, propriis affectibus in bonum conuerſis, & ab omni malo abſtractis in omni virtute conualeſcũt. Illos igitur virtute & mentis puritate conſpicuos inuenies, qui prauos affectus inſurgentes cohibent, & bonos elicere, & augere, & vſque ad opera ſanctitatis protelare contendunt. Illi verò ſunt vitiis ſordidi, & omni nequitia contaminati, qui prauis affectibus ex carne naſcentibus non repugnant, & ſeipſo ad inordinatas affectiones incitare non ceſſant. Ac proinde veriſſimum eſt vitam ſpiritualem, immo & vitam Chriſtiano homine dignam eſſe vniuerſos prauos affectus præcidere, & bonis ac ſanctis affectibus inſudare.

Proſper 3. de vita cont. c. 31.

c. 32.

Quorsũ accipiãtur affectus.

Caſſian. lib. 7. de ſpirit. Philarg. c. 4.

Quid nobis maximè curandum ſit. Mich. 4. 3.

Mich. 5. 6.

9. *Meditationem cœleſtium ad prauos affectus corrigendos, & bonos eliciendos ordinari.*

ORationem mentalem duobus contineri iam diximus, conſiderationibus intellectus, & affectibus voluntatis, omnémque functionem intellectus ad excitandos affectus debere reuocari. Idipſum hoc loco in memoriam reducendum eſt, & ampliùs inculcandum, ex quo deſumitur huius quarti voluminis argumentum. Hæc ergo oratio non in multis conceptibus intellectus, ſed in multis deſideriis & affectibus conſtituta putatur. Nec ille meliùs orat qui ſubtiliùs cogitat, ſed qui ardentiùs & ſanctiùs amat, atque deſiderat. In quo ſanè libet & licet exclamare: Confiteor tibi Pater Domine cœli & terræ, quia abſcondiſti hæc à ſapientibus & prudentibus, & reuelaſti ea paruulis. Ita Pater, quoniam ſic fuit placitum ante te.] Verè enim ſapientes & prudentes huius ſæculi iſtud ignorant, aut ſi ſpeculatione ſciunt, actione neſciunt. Paruuli verò & humiles cum ſapore & experientia intelligunt diuinam familiaritatem, non intellectus acumine, ſed affectuum ſanctitate & ardore comparari. Quare Gerſon in hoc negotio orationis ſimplices ſapientibus præfert, & aptiores ad contemplationem cenſet: quia cùm parum intellectui tribuant, poſſunt voluntati vehementiùs affici. Ex eius ſententia ſapientes habent viſum & auditum ſpirituales acutos, guſtum verò & tactum obtuſos: ſimplices contrà his literatos vincunt, quamuis illis prioribus ſenſibus ſuperentur. Certũ eſt autem guſtum & tactum non ſolùm corporis, ſed etiam ſpiritus maiori voluptate perfrui, & ſaporis perfectæ virtutis capaciores exiſtere.

Ad hoc itaque intellectu fidei veritates perſcrutamur, vt odium mali, amorem boni, & alios pios & ſanctos affectus excitemus. Regina Saba audiuit ſapientiam Salomonis, vidit magnificentiam & ordinem domus eius, & ad tantæ maieſtatis conſiderationem obſtupuit. His autem incitata eſt vt ei aurum multum nimis, & aromata, & gemmas pretioſas offerret. Ita anima cognitis myſteriis cœleſtibus non ſe debet continere quin in affectus amotis, & deuotionis, & in actus virtutum erumpat. Affectus efficaciùs & propinquiùs bonas actiones pariunt, nec exequimur bona opera, niſi præcedant ſancta deſideria. Quæ quidem in bonis operibus computantur, quando deeſt operãdi facultas. Nam ſi videns mulierem ad concupiſcendum eam, iam mœchatus eſt eam in corde ſuo, eodem modo qui viderit peccatorem animo ac deſiderio conuertendi eum, iam reduxit eum in corde ſuo. Nulli paruus eſt cenſus, inquit Leo Papa, cui magnus eſt animus, nec de rei familiaris modo menſura miſerationis pendet, ac pietatis. Numquam merito caret etiam in tenui facultate bonæ voluntatis opulentia.] Voluntas hæc opulentiſſima eſt, quæ à poſſibilitate non pendet, ſed egiſſe putatur, quidquid efficaciter cupit. Hac pauperes largas eleemoſynas erogant, imbecilles ſeipſos minimè tangentes,

Quis melius erare putandus eſt. Matth. 11. 25.

Gerſon de elucidatione myſticæ Theol. cõſid. 9. Conſid. 11.

Finis orationis.

3. Reg. 10. 3.

Matth. 5. 28.

Leo ſer. 2. Quadrag.

quia præ infirmitate non valent, multis corporis afflictionibus macerant, indocti doctrinam euangelicam per vniuersum orbem prædicant: quia pro operibus, quæ præstare non possumus,abunde substituitur, efficax bonæ voluntatis affectus. Et vnusquisque vnus cùm sit sola voluntate fit multiplex, quia ea poterit multorum labores & ministeria complecti. In cubiculo tuo sedens,ô vir Dei, & in oratione positus vales omnia tua peccata conterere, vniuersos tuos defectus absumere,cunctas virtutes exercere, amore flammari, Dei tui desideriis accendi, plurimis eum Sanctorum obsequiis delinire, quia ad hæc omnia valent affectus voluntatis per Dei gratiam,nemini deficientem, & tuam cooperationem eliciti.

Vnusquisque sola voluntate fit multiplex.

Nec solùm affectus nos quottidie studiosiores & perfectiores efficiunt, verùm & ipsam rerum diuinarum considerationem exacuunt: dum scilicet ipsi & ad maiorem attentionem impellunt, & maiorem gratiam ad intelligendum merentur.Qui timetis Deum, ait Scriptura, diligite illum, & illuminabuntur corda vestra.] Quoniam videlicet dilectio attentionem mentis affert, & gratiam quærit,vnde & maiorem cognitionem parit.Audi Gersonem de hac re loquentem: Quemadmodum lux & calor mutuò se fortificãt, quod in productione ignis facile est aduertere, vbi calor flammam, & flamma calorem ingenerat. Non aliter existimandum est virtutibus istis cognitiuis & affectiuis, quin ex mutuo concursu ordinato adinuicem fiat operatio.] Et Richardus de sancto Victore: Perfectionis gratiam quanto meliùs agnoscimus, tanto ardentiùs concupiscimus; & quo ampliùs accendimur ad amorem, eo perfectiùs illuminamur ad cognitionem.]Fit homo virtutum affectibus quottidie sapientior,non solùm quia affectus eas gustat, sed quia ipse affectus quasi ad intima virtutis penetrans intellectum ad notitiam illuminat.Cognitio sola externam speciem virtutis agnoscit,cognitio verò affectu adiuta naturam eius & suauitatem introspicit, & nihil obscurum, nihil incognitum relinquit.

Affectuũ vtilitas.

Eccli. 2. 10.

Gerson de Theol. mystic. spec. consid. 17.

Richard. de extermin.mali, tract. 2.c.9.

Affectus denique multo efficacius quàm cogitationes, & verba etiam interiora, quod desideramus, consequuntur. Affectus enim est oratio seu postulatio valida, quam Dominus vacuam abire non sinit. Desiderium pauperum exaudiuit Dominus; præparationem cordis eorum audiuit auris tua.] Licèt nihil petas, si tamen coram Deo bonum cupias, si pro eo gemas,ac si petiuisses, exaudieris. Licèt nihil omnino postules,si tamen cordis præparationem, id est, propositum alicuius boni faciendi habeas,non tibi, sed Domino fidens,propositum hoc pro postulatione accipiet, & auxilium ad bonum illud præstandum concedet. Quid quòd affectus ardentissimas orationes promunt, & illud ex corde aut nobis dari, aut à nobis amoueri postulamus, quod verè desideramus, aut fugimus. Repellimur tamen, si tepidè desideramus, quod postulandum esse censuimus. Optimè enim ait Bernardus: Meritò non exauditur qui clamare dissimulat, aut omnino non postulans, aut tepidè postulans,& remissè. Siquidem in Dei auribus desiderium vehemens,clamor magnus: è regione autem remissa intentio,vox submissa. Quomodo illa penetrabit nubes? Quomodo audietur in cœlis. Nempe vt clamandum sibi nouerit homo, inter primordia suæ orationis ipsum quem oraturus est Patrem in cœlis esse protinus admonetur,quod videlicet impetu quodam spiritus, illò sibi iaculandam esse meminerit orationem. Spiritus est Deus, & in spiritu clamet necesse est, quisquis clamorem suum ad eum desiderat peruenire. Sicut enim non faciem hominis respicit tamquam homo, sed magis intuetur cor: sic ad cordis potius vocem,quàm corporis aures eius;cui meritò dicitur:Deus cordis mei.Hinc est quòd Moyses foris tacens intus auditur,dicente Domino: Quid clamas ad me?Non ergo minori, immo maiori solicitudine ratio afficiendi nos est in oratione quærenda, quàm materia meditationis præparanda:quia sæpe(vt suo loco dicemus)sine aliqua meditatione afficimur,& tunc perfectissimè oramus: at si affectibus careamus, quamuis multa intellectu consideremus,aut nihil, aut parum proficimus.

Affectus postulatio valida est. Psal.9. 17.

Bernard. ser.16. in Ps. Qui habitat.

10. *Materiam congruam ad affectus quos volumus eliciendos esse præueniendam.*

SEd vt sciamus nos in oratione ad bonum afficere, & à malo retrahere, illa iterum legenda sunt quæ suprà de affectibus excitandis scripsimus. Cùm autem multiplices sint affectus (vt vidimus) & quisque illorum plures alios sub se contineat,& cum alio oppositionem habeat,vt amor,& odium, delectatio,& tristitia, opportunum erit congruam materiam intellectui considerandam apponere, quæ considerata voluntatem ad optatum affectum exsuscitet. Verum quidem est ex quacumque materia,si eam ad nostrum propositum applicemus,& quasi aquam per riuulum conuenientem ducamus, posse quemlibet affectum excitari. Vt si malitiam peccati mediteris, poteris te ad odium peccati, ad salutarem tristitiam, ad iustam iram & indignationem aduersùs teipsum,ad desperationem, quia viribus tuis ab eo malo liberari non poteris, ad timorem pœnæ mouere; item ad amorem Dei, qui te tam patienter sustinuit, ad desiderium euadendi, ad spem diuinę misericordiæ,& ad similes affectus excitare. Eadem pluuia terram irrigans pro qualitate partium terræ diuersas herbas & flores parturit: sic eadem res ad meditationem adducta pro diuerso statu meditantium varios affectus progignit. Quod in illo verbo sancti Iob Gregorius intellexit: Qui dat pluuiam super faciem terræ, & irrigat aquis vniuersa. Alius, ait, elatione erigitur, alius pondere timoris inclinatur, alius libidine æstuat, alius auaritia anhelat, alius remissione se deiicit, alius ira feruescit. Sed per doctrinam sacri eloquij, dum superbo humilitas tribuitur, timido confidentia præbetur, luxuriosus per castitatis studium ab immunditia tergitur, auarus per continentiam ab ambitionis æstu temperatur, remissus zeli rectitudine erigitur, iracundus à præcipitationis suæ excitatione refrenatur, vniuersa Deus aquis irrigat: quia vim sui sermonis in singulis iuxta morum diuersitatem format, vt hoc eius eloquio quisque inueniat, per quod virtutis necessariæ germen ferat. Vnde per quemdam Sapientem de mannæ dulcedine dicitur: Paratum panem de cœlo præstitisti illis sine labore, omne delectamentum in se habentem, atque omnis saporis suauitatem. Manna quippe omne delectamentum atque omnis saporis suauitatem in se habuit, quod videlicet in ore iuxta voluntatem edentium saporem dedit; quia diuinus sermo, & omnibus congruens, & à semetipso non discrepans qualitati audientium condescendit. quem dum electus quisque vtiliter, iuxta modum suum intelligit, quasi acceptum manna

Lib. 2.p. 2.c.12.

Quomodo ex quacumque materia affectus excitentur.

Iob 5. 10. Gregor. 6.mor. c. 9.

Sap.16. 20.

in voluntarium ſaporem vertit.] Sic ille. Quamuis autem hæc ita ſint, tamen non dubium eſt, quin aliquæ conſiderationes aptiores ſunt ad vnum, quàm ad alium affectum excitandum. Qui ex huius rei meditatione proximè,& nullo medio interiecto conſurgit, & quaſi ſponte ſe offert, cùm tamen ad alios permouendos conſideratio illa debeat adiumentis aliquibus trahi. Conuenientes ergo meditationes accipiamus, ex quibus concupitos affectus excitemus.

11. *Affectus ſolidarum virtutum inprimis eſſe ſectandos.*

ACcepta conſiderationis materia, quam præcedens tractatio copiosè adminiſtrauit, & ea per attentam & piam & humilem intellectus meditationem inſpecta, tunc ad affectus voluntatis procedendum eſt, qui ſi non emergant, per aſpirationes ad Dominum, & per ardentia colloquia interiùs prolata excutiendi ſunt, & diligenter excitandi. Priùs ergo meditatio intellectus adhibeatur neceſſe eſt. Vt enim Richardus Victorinus ait: Scimus autem quia intimè & deuotè numquam mens orat, quàm ſe ad deuotionem ſtudioſis præmeditationibus priùs non excitat. Hi ſunt enim verè deuotionis ſocij inſeparabiles, circumſpectæ, diſcretæ, & prouidæ cogitationes. Sine huiuſmodi enim ſociis, & cooperatoribus quęlibet noſtra deuotio non nouit, vel valet orare quomodo oportet. Et ad idem Henricus Herpius ait: Ad vitam contemplatiuam duo nobis ſunt neceſſaria, vt perfectè ambulemus viam vitæ huius, hoc eſt, duos habere oportet pedes ſpirituales, qui ſunt intellectus, & amoroſus affectus, quos pariter coambulare neceſſe eſt, vt illa ſecreta contemplationis itinera attingere valeant; alioquin intellectus ſine amoroſo affectu claudus eſt, nec poteſt progredi. Affectus etiam ſine intellectu cæcus eſt, & viam ignorat, ſcilicet errat in ea. Itaque neceſſe eſt vt intellectus affectui viam demonſtret, & affectus intellectum (impetu ſuo) per viam deportet.] In his autem affectibus nonnulla obſeruanda ſunt, vt mens illorum exercitatione proficiat.

Richard. de erudit. interioris hõ. lib. 1. c. 7.

Herpius in direct. 2. part. de præpar. vitæ contem.

Vnum eſt, vt non tam affectuum teneritudinem quàm ſoliditatem inquirat. Sunt enim quidam affectus teneri, & blandi, qui ſuauitate: alij robuſti & firmi, qui ſoliditate & vtilitate præcellunt. Hi autem ſtudioſiùs quærendi ſunt quorum comparatione alij in longè inferiori gradu ſubſiſtunt. His robuſtioribus affectibus veræ, ſolidæ virtutes generantur, genitæ verò ad magnum augmentum prouehuntur, ita vt anima poſtquam huiuſmodi affectionibus non ſegniter per aliquod tempus intenderit, ſe ſentiat immutatam, & ad perceptibilem profectum ſubleuatam. Bernardus ſanè hos affectus ſuaues & efficaces inter ſe conferens ſic ſcribit: An tibi æquè, & vno modo affecti videntur, is quidem qui Chriſto paſſo piè compatitur, compungitur, & mouetur facile ad memoriam horum quæ pertulit, atque iſtius deuotionis ſuauitate paſcitur, & confortatur ad quæque ſalubria, honeſta, pia: itémque ille qui iuſtitiæ zelo ſemper eſt accenſus, qui veritatem vbique zelat, qui ſapientię feruet ſtudiis, cui amica ſanctitas vitæ, & morum diſciplina, cuius mores erubeſcunt iactantiam, abhorrent detractionem, inuidiam neſciunt, ſuperbiam deteſtantur, omnem humanam gloriam non ſolùm fugiunt, ſed & faſtidiunt, & contemnunt, omnem in ſe carnis & cordis impuritatem vehementiſſimè abominantur, & perſequuntur, omne deniq; tamquam naturaliter & malum reſpuunt, & quod bonum eſt amplectuntur? Nónne ſi compares vtriuſque affectiones conſtat quodammodo illum ſuperiorem reſpectu quidem huius amare quaſi carnaliter. Bonus tamen amor iſte carnalis, per quem vita carnalis excluditur, contemnitur, & vincitur mundus. Proficitur autem in eo, cùm fit & rationalis, perficitur cùm efficitur etiam ſpiritualis.] Sic ille. Dummodo ergo his affectibus ſolidioribus humilitatis, charitatis, patientię, deteſtationis peccati, & propriæ abnegationis inhæreamus, non multum curandum eſt, ſi ſuauitas adſit, ſi cor etiam ſenſibiliter emolliatur, ſi deuotione (quam cum aliis ſenſibilem vocauimus) ſaginetur. Nam ita grato animo & humili corde admittenda eſt, vt tamen, ſi defuerit, non putemus nos oleum & operam perdidiſſe affectibus firmioribus occupatos, quibus hauddubiè multo magis creſcimus, & ſpiritu vegetiores & meliores efficimur.

Alterum eſt vt eiuſdem affectus varios actus exerceamus, quorum nouitate ſpiritus feruor excreſcit, & virtus firmior & perfectior euadit. Bonum quidem & proficuum eſt eumdem actum voluntatis ſæpius iterare, & quaſi nouo mallei ictu in intima cordis infigere. At iucundius eſt animæ quaſi varios modos eiuſdem affectus aſſumere, & ſplendidum ſibi ſpiritale conuiuium ciborum varietate parare. Eadem caro, exempli gratia, & idem piſcis nunc coctus, nunc aſſus, nunc alio modo conditus diſtinctum cibum facit, & faſtidium ſemper idem comedendi tollit. Similiter idem affectus veluti diuerſo modo conditur, cùm variis actibus, & diuerſis modis exercetur. Vt ſi velis affectum ſpei producere, iam æternam gloriam de diuina miſericordia accipiędam ſperabis, iam partes eiuſdem gloriæ quaſi integrales, viſionem, dilectionem, & fruitionem, iam effectus gloriæ in corpus manantes, vt impaſſibilitatem, claritatem, & cæteros. Iam media, quæ ſunt ſingulæ auxilia gratiæ expectanda ſuſcipies. Si cupias affectu humilitatis paſci, nunc tuam extremam vilitatem agnoſces, nunc teipſum contemnes, nunc deſpici & conculcari appetes, nunc aliis etiam minimis te ſubmittes. Hac autem actuum varietate eundem affectum multo tempore non ſine magna iucunditate protelabis, & te in eadem virtute perficies.

Eiuſdem affectus varij actus exercendi.

Eiuſdem affectus variatio.

Poſt hæc ſequitur tertium vt in affectibus quiſque propria ſui ſtatus & conditionis aſſumat, & ad quæque ſpecialia deſcendat. Aliter namque ſe afficit ſubditus, atque aliter prælatus: ille vt obediat, iſte vt humiliter iubeat, vt poſtquam prælationem depoſuerit, ad obediendum ſe præparet, & vt præfecturæ non adhæreat, ſed magis illam deſpiciat, & ſubeſſe percupiat. Aliter ſe afficit incipiens, aliter proficiens, ſiue perfectus. Nam ſi aliquis, omiſſis ſuo ſtatui neceſſariis affectibus, alios altiores & minus ſibi conuenientes produxerit, quaſi abſque fundamento ædificans, ruinę, vel ſaltem exiguæ vtilitati ſuum omnem laborem exponet. Cúmque eadem ſit ratio affectuum & operum, ſicut non omnia opera cunctis conueniunt, ita nec omnes affectus in quocumque tempore omnibus congruunt. Vnde dixit ille vir piſſimus: Nó poſſunt omnes habere vnum exercitium; ſed aliud iſti, aliud illi magis deſeruit. Etiam pro temporis congruentia diuerſa placent exercitia: quia alia in feſtis, alia in feriatis magis ſapiunt diebus. Aliis indigemus tempore tentationis,

Qualiter affectibus vtẽdum.

De imitat. Chriſti lib. 1. c. 19.

Soliditas affectuũ quærenda.

Bernar. ſer. 20. in Cant.

& aliis tempore pacis, & quietis. Alia cùm tristamur, libet cogitare, & alia cũ læti in Domino fuerimus.] Si affectus cum cogitationibus, seu meditationibus proportionem habent, manifestũ est, quia sicut meditationis pro temporum aut statuum varietate mutantur, ita & affectus mutandi sunt.

In affectibus ad specialia descendẽdum.

Similiter quisque non contentus affectibus in generali, ad specialia descendat necesse est. Desideria enim & proposita generalia minus sunt efficacia, si non ad euentus speciales applicentur, in quibus debemus aut vitium fugere, aut sectari virtutem. Qui etiam affectibus solùm generalibus pascitur, postea in singularibus operibus, quæ nó paucæ spinæ difficultatem cingunt, se imparatum & planè rudẽ ad pugnandum experietur. Videat ergo quæ aspera, quæ contemtibilia, quæ aduersa sibi euenire possunt, quæ occasiones bene agendi, aut mala patiendi possunt insurgere, & in his præuisis, ac præmeditatis affectu se exerceat, ne postea in

Iob 3.25.

ipso conflictu succumbat. Sic faciebat sanctus Iob: Quia timor, ait, quem timebam, euenit mihi, & quod verebar, accidit.] Ideo tot mala patienter sustinuit. Nam, vt inquit Gregorius: Minus iacula feriunt, quæ præuidentur, & nos tolerabiliùs mundi mala suscipimus, si contra hæc per præscientiæ clypeum munimur. Maximi quidem momenti est hæc euentuum præmeditatio & prœuolitio faciendi, aut patiendi hoc, aut illud, vt in occasione strenuè nos

Gregor. hom. 35. in Euãg.

Cassian. coll. 19. c. 16.

geramus, atque vincamus. Quod & monet Cassianus his verbis: Ob quod etiam in solitudine consistentes, cùm irritationum fomes atque materia ab hominibus non possit exurgere, tamen earumdem incitamenta debemus etiam de industria retractare, vt aduersùs ea iugi cogitationum colluctatione pugnantibus nobis medela promtior conferatur.] Hæc sanè est non tantùm abundantissima orationis mentalis seges, verùm & efficacissimum instrumentum ad cor nostrum moderãdum, & omnem virtutem addiscendam, si bona in singulari affectibus complectamur, & mala auersemur, atque toto corde fugiamus.

Affectus in oratione miscẽdi.

Postremum ad hanc rem pertinens est, quòd affectus sunt sæpe in oratione miscendi, vt quasi ad quamdam mediocritatem redacti sanitatem efficiant. Vt enim ex multis ac distinctis vocibus inter se permixtis suauissima harmonia consurgit, ita ex variis affectibus insimul acceptis purissima & dulcissima oratio profunditur, & vox est quæ de multa dulcedine ipsius sponsi ore laudatur. Hoc

Prou. 9.2

facit diuina sapientia in corde iustorum. Immolauit victimas suas, miscuit vinum, & proposuit mensam suam.] Multas victimas immolare est plures affectus seueriores cum suauioribus temperare. Et alio loco idem docuit, dicens: Messui myrrham meam cum aromatibus meis, comedi fauum

Cant. 5.2

cum melle meo, bibi vinum meum cum lacte meo.] Ne scilicet vnus affectus sine alio menti orantis officiat. Pulchrè Bernardus in duobus pedibus Domini hanc mixtionem affectuum intelligit, quia videlicet non licet vni eorum osculum infigere, & alterum sine osculo pertransire. Eius verba sunt: Pedes isti sunt misericordia, &

Bernar. ser. de Magdal.

iudicium, quorum alterum sine altero osculari, vel temeraria securitas est, vel desperatio fugienda. Quis enim Dei misericordiam indesinentur attendens, non statim tepidioris vitæ quietem exoptet? Cùm enim recogitat vniuersitatis Dominum formam serui pro seruis suscipere, triginta & tribus annis operari salutem nostram in medio terræ hujus; capi, ligari, lanceari, crucifigi, & hoc totum

A

B

C

D

E

pati pro filiis hominum, statim deceptoria spe sibi blanditur, & alludit, gaudet obseruari in misericordia, & miserationibus, iudicium nescit, ignorat iustitiam, & punienda æstimat non puniri. Fallitur qui sic osculatur misericordiæ pedem, vt pedem iudicij non attendat: qui totum de misericordiæ pede præsumit, hoc solum ad salutem sufficere credens quod credit. Rursus cùm abducit os, & iudicij pedem crebrioribus osculis intertangit, subcutitur carnis animæq; substantia, & vtriusque hominis statum vehementior aura percellit. Horrendum enim est incidere in manus Dei viuentis, offendere creatorem, nescire Dominum, recalcitrare dominantis imperio, qui habet potestatem corpus & animam ponere in gehennam. Terribilis certè (sicut ait Apostolus) quædam expectatio iudicij, quando ignis in conspectu eius ardescet, & virtutes cœlorum mouebuntur, & vacillantibus conscientiis latitudinem mundi validissimus ignis aduret. Nihil prorsus terribilius quàm videre latronis officinam plenam sanguine, cumulatam opprobriis, tormentis vndantem. Quis hæc diutius cogitans non statim contremiscat, & in desperationis rotetur abyssum? Non est igitur huic pedi morosiùs incumbendum, ne pietatis intuitum ferocia iudicantis excludat. Vtrumque igitur iniungat pedem animę pœnitentis affectus, & nunc misericordiam amplectens, nunc iudiciũ deosculans contribulati spiritus offerat holocaustum.] Hactenus ille. Quod verò de affectibus spei & timoris dixit, ad aliorũ affectus extendendũ est, qui se inuicem temperantes ita animam ornant, vt nihil virtutis, nihil bonitatis prætereant; ita ad trãquillitatem componũt, vt nullus euentus eã ab optimo statu diuellat.

Hebr. 10. 31.

Ibidem.

12. *Vitam affectibus similem quos in oratione protulimus, esse inprimis arripiendam.*

Vita & affectus mutuò conuenire debẽt.

HOc iam ad fructũ orationis spectat, quo ipsa indies perfectior & purior euadet. Vt conuersatio nostra, & opera nostra affectúsque cõsentiant. Si in oratione constituti peccata odio habuimus, extra orationem multo magis opere detestemur. Si sæculum & omnia visibilia despeximus, postea actione efficaciùs despiciamus. Si humilitatem, si obedientiam, si mansuetudinem, si reliquas virtutes concupiuimus, & exercuimus, multo vigilantiùs & solicitiùs vita sectemur. Si labores & afflictiones pro Domino nostro Iesu Christo orantes amplexi sumus, fortiùs in nostra conuersatione sustineamus. Hunc esse meditationis affectus vtique continentis fructum Seneca etiam lumine naturali ductus agnouit. Illi, ait, scilicet sapientes, me iusserunt stare assiduè velut in præsidio positũ, & omnes conatus fortunæ, & omnes impetus prospicere multo antequam incurrant. Illis grauis ipsa fortuna est, quibus est repentina. Facile eam sustinere potest qui semper expectat. Nam & hostium aduẽtus eos prosternit, quos inopinatè occupauit. At qui futuro se bello ante bellum parauerunt, compositi & adaptati primum, qui tumultuosissimus est, ictũ facile excipiunt.] Bonus homo de bono thesauro

Seneca lib. vnico de consolatione ad Albinam.

Matth. 12.35.

profert bona; & malus homo de malo thesauro profert mala.] Locus huius thesauri cor est. Nam & ipse Dominus antea dixerat: Ex abundantia enim cordis os loquitur.] Thesaurus autem est aceruus cogitationum & affectionum reconditus in corde, ex quo verba & opera promuntur. Si ergo impij ex thesauro suo mala verba & opera proferunt, quid sequitur, nisi vt boni & iusti de thesauro bo-

Matth. 12.34.

narum

narum cogitationum & ſanctorum affectuum opera & verba ſancta producant. Quòd ſi actiones non ſint piæ & ſanctæ, ſignum eſt aut bonos affectus meditationi defuiſſe, aut eos minus efficaces extitiſſe, quibus homo bonum quidem concepit, ſed illud per actionem parere, & in lucem proferre non potuit. In hoc igitur incumbamus, vt affectus noſtri in oratione concepti viriles ſint, & fortes, qui nos faciant mala, quæ deteſtati ſumus, fugere, & bona, quæ amplexi ſumus, operari. Sic ipſo bono opere bona affectio creſcet, quæ ſicut opus iuuat, ita ab ipſo inuicem iuuatur. Oratio quoque noſtra erit purior, atque perfectior, quam non ſubtilitas cogitationum perficit, ſed humilis pietas, & abundantia ſanctarum & efficacium affectionum in magnam ſublimitatem extollit.

Opera affectuũ indicia ſunt.

13. *Quánam ratione ſint affectus à nobis tractandi.*

DE his affectibus quos pia mens in oratione depromit, quibúſque ſe ad vitæ ſanctitatem allicit, multa nobis toto hoc tractatu dicenda ſunt. Euenit enim viro ſpirituali idẽ in affectibus quod ſuprà de meditationibus diximus. Qui ſicut cùm extraordinaria luce caret, parata materia indiget, variis conſiderationibus diſtincta, quæ intellectum occupet, & voluntatem ad ſancta deſideria excitet: ita cùm extraordinariæ deuotionis eſt expers, ſpeciali affectuum doctrina eget, & eorum notione clariſſima, quam ſequens valeat quaſi per diuerſos gradus eiuſdem affectus aſſurgere, & ad Deum magis ac magis propinquare. Et ſicut hi duo libri tertius & quartus illis neceſſarij nõ ſunt, qui donum contemplationis habent, & ad ſupernaturalia ſubleuantur (quos vt ſe intelligant, ad quintum librum remittimus) ita illis qui necdum ad hæc altiora promouentur, ſatis erunt opportuni, vt intellectui & voluntati congruam occupationem attribuant. Dixi autem de illis vt ſemetipſos intelligant. Quoniam multi eorum (Domino ita diſponente) ſublimia recipiunt, & tamen, quò ſint in ſtudio orationis progreſſi penitus neſciunt. Et Dominus qui per ſeipſum illos mirabiliter effert, non per ſeipſum, ſed per magiſtrum, aut per librum quid illis donauerit, patefacit. Hanc autem tractationem, quam nunc inchoamus, vtiliorem cenſemus, quia de affectibus in ſingulari paucos ex profeſſo tractantes legimus, qui eos quaſi ad nonnullam methodum reuocauerint. Affectus autem non more Theologico, aut Philoſophico à nobis ſcribendi ſunt, qui non cognitioni eorum, ſed exercitationi viam aperire geſtimus; immo ita explicandi, vt vno atque eodem affectu ſæpius vtamur ad diuerſam materiam applicato, & eos inuicem miſceamus, & prout in praxi euenire ſolet, variis modis excitemus.

Sapientibus & inſipientibus debitor ſum, ait Paulus, quia nimirum qui alios inſtruit, doctrinam quam profert, iuxta omnium captum temperare debet. Sanctum ergo Apoſtolum vt imitemur, doctrinam hanc affectuum, tum ſapientioribus, tum rudioribus accommodare conſtituimus. Illis quidem ſatis eſſe puncta affectuum breuiſſimè delibare, iſtis verò forſitan tanta breuitas non ſufficeret. Poſt breuiſſimam ergo affectus cuiuſque ſummam illum ad practicam reducemus, & quomodo ad Deum aſpirando, & cum eo colloquendo excitandus ſit, clarè & dilucidè explicabimus. Non ſanè vt quis ex libro legat, quod non tantæ vtilitatis eſſet, ſed vt ex his quæ ſcribimus, ſimilia, & meliora apud ſe tractare conſueſcat. Meliora, inquam, quoniam Dominus animarum ſanctarum magiſter multa eas in oratione proferre docet tam ſuauia, tam dulcia, tam tenera, vt non doceat ea imperfectioribus propalare. Qui (vt nonnumquam vidi) cùm hæc legunt (qui ſimilem amoris & feruoris affectum non habent) in deſideriis & affectibus perfectorum ſcandalizantur. Ac proinde ea nobis hîc ſcribenda ſunt quæ noſtrę mediocritati conſona, quíſque etiam minus feruidus legat: reliqua verò ſublimiora ex Spiritu ſancto ſuggerente, & non ex nobis, qui paruulos inſtruimus, diſcat. Hos tandem affectus exercitia nuncupare decreuimus, quoniam in eis nõ iam virtutem cogitamus, ſed eam in actum producimus, & interiùs exercemus. Tu Domine qui viſcerum meorum es cognitor, qui cordis mei frigiditatem intelligis, & deſideria primùm emendandi meipſum optimè noſcis, verbis hiſce meis calorem tui amoris infunde, vt quæ oculi carnis legerint, mens capiat, cor exerceat, & ad maiora, quæ dare conſueuiſti, aliquando tandem per tuam gratiam aſſurgat. Amen.

PARS PRIMA

De affectibus ad expulſionem mali pro incipientibus.

INTRODVCTIO.

INCIPIENTES ſicut proprias meditationes, ita & proprios affectus habent, quibus peccata purgantur, vitia extinguuntur, & omnia minus ordinata ad nonnullum ordinem rediguntur. In hos affectus ipſo exordio ſpiritualis vitæ oportet diligenter incumbere, qui non tantùm animam mundam efficiunt, ſed & aditum ad perfectiores affectus aperiunt. Eorúmque is erit vſus, vt poſtquam aliquid ad tui cognitionem, & malitiæ peccati, aut breuitatis vitæ, aut horroris iudicij, & terribilitatis gehennæ notitiam conſideraueris, ad aliquod horum affectuum conueniens exercitium

Vſus affectuum in incipientibus.

transeas, & ex meditatione & affectu (quorum illa sit breuior, iste productior) vnam & eamdem seriem orationis componas. Quia verò primo loco posita sunt meditationes de vltimo fine hominis, cuius gratia creatus est, inde in affectibus scribendis inchoandum est.

Vt appetas Deum vltimum finem.

EXERCITIVM I.

Finis, cuius gratia creati sumus meditandus.

CVM abiecta veteri conuersatione, ô homo Dei, exordia vitæ spiritualis ingrederis, & orationi ac familiaritati cum Deo vacare constituis, attentè considera finem cuius gratia conditus es: qui non est alius, quam vt beatitudinem consequaris, & Deum in æternum possideas. Quo die tam sanctum propositum concepisti, illud Deuteronomij tibi dictum existima: Dominum elegisti hodie, vt sit tibi Deus, & ambules in viis eius, & custodias cæremonias illius, & mandata, atque iudicia, & obedias eius imperio.] Tu autem nequaquam illum eligeres, nisi priùs ipse te dilexisset, & elegisset, & gratiam ad deserenda peccata, & vitam nouam secundùm mandata sua instituendam donasset. Dominus certè elegit te hodie vt sis ei vnus ex populo peculiari iustorum sibi dilecto, vt custodias præcepta illius, & faciat te excelsiorem cunctis gentibus, quas ob culpam earum in suis peccatis reliquit, nec secum familiaritate coniunxit. Vt ergo ad hunc præstantissimum finem teipsum afficias, ita procedes. 1. Gratias immensas Deo ages quòd te ad finem tam sublimem obtinendum creauit. 2. Gratias etiam referes quia tibi vitam homine Christiano dignam, ne à tuo fine excideres, inspirauit. 3. Solum Deum quærere & salutem animæ tuæ operari firmiter statues. 4. Quæ tuæ saluti impedimento sunt abominari constitues. 5. In ea, quibus hunc finem tuum adepturus es, incumbere, constanter propones. 6. Reliqua omnia quatenus huic fini adipiscendo prosunt, dumtaxat assumes. 7. Auxilia gratiæ ad hæc præstanda enixè postulabis. Ita aliquantulum in oratione exercitatis abundè sufficerent, sed pro minus instructis, praxim (quod in omnibus faciam) & vsum subiicio.

Deut. 26. 17.

Nō quæreret tuū finem, nisi Deus te priùs vocasset. Deut. 26. 18.

Summa huius affectus.

PRAXIS.

1. Gratias agis quia Deus te ad se creauit.

O Superglorioſissime Deus meus, & vita animæ meæ, quis sum ego, & quæ domus Patris mei, vt præstares mihi talia. Ego puluis, & cinis ad miserias natus, & in peccatis iniquitatibusque cōceptus. Domus patris mei spelunca latronum, cœtus perduellionum, quia cum illo protoplasto omnes à te defecimus, & honorem ac gloriam tuam surripere peccando tentauimus. Cùm verò tam vilis & contemptibilis essem, non despexisti me, nec à te in æternum abiecisti, quin potiùs mei misertus, ac me tenerrimè diligens, ad eum finem, cuius gratia Angelos condidisti, nempe ad te per omnem æternitatem possidendum & fruendum creasti. Mille laudibus te extollo, Domine, & immensas gratias tibi refero, quia fecisti me, non quidem vt in his terrenis hærerem, quæ velut spinæ & tribuli me pungunt, & lacerant, sed vt te summum bonum, vt meam hæreditatem possiderem, te delicias vniuersarum creaturarum perfruerer, & in te lecto cordis mei mollissimo ac suauissimo conquiescerem. O Angeli sancti, ô principes curiæ cœlestis, ô tu Maria regina optima cœli, genitrix Dei, & adiutrix mea, ô Sancti, & electi omnes, prosternite vos ante thronum Domini mei, & ei æternas gratias rependite, quoniam me ita nobilitauit, ita sublimauit, & erexit, vt ad vestrum conseruitium, & ipsius fruitionem crearet. Itaque bone & benigne Deus à te, & ad te creatus sum. Tu centrum animæ meæ, tu quies cordis mei, tu hæreditas & abundantia mea. Et ego quidem miser & infœlix ad tantam lucem inspiciendam cæcus, & tam immensi boni mihi parati oblitus, alia bona vilia & caduca mihi quæsiui, & post creaturas abij, quibus ignorans putabam me posse sitim mei cordis extinguere. Tu verò qui misericors es super filios hominum, & verè benignissimus super me, pæne infinities vocasti hanc ouem perditam tuam, & nunc terroribus, nunc minis, nunc promissionibus, nunc blanditiis inuitasti hanc vilissimam creaturam tuam, vt ad te redirem, & pedem à perditionis itinere reuocarem. Sed præcipuè laudo & benedico te ex totis præcordiis meis, quia in hac hora me vocas, & blandissimis verbis inuitas. Audio vocem dulcissimam tuam intus in corde meo clamantem: Tu fornicata es cum amatoribus multis: tamen reuertere ad me, & ego suscipiam te.] O infinita bonitas, ô summa miseratio tua Domine, immundum vocas, vt mundes; pauperem vt dites, inquietum vt tranquilles; inimicum vt gratifices, miserum vt bees. Iam ergo stultus esse desino, iam quod mihi vtile & glorioſum est, animaduerto, iam te solum vnicum bonum meum quærere & suspirare constituo. Abite, abite diuitiæ, quia extrema paupertas in vobis est. Discedite deliciæ ac voluptates, quia supra modum me torquetis. Fugite honores, & dignitates, & quidquid in mundo lucet, & splendet, quia dum me à meo Domino separatis, sempiterna ignominia afficitis. Ego verò ab his catenis & vinculis solutus ad te propero Domine, ad te curro, te solum thesaurum incomparabilem, delectationem purissimam, dignitatem veram & solidam obtinere concupisco. Relinquo mundum, quoniam immundus est, & deinceps ad necessitatem corpore in eo habito, sed ea quibus me à te, ô Deus meus, auertit, constanter reiicio. Obturo aures cordis mei, ne audiant aduersarij consilia quibus me ad inania vocat, ad noxia saluti meę sectāda solicitat. Excutio quantum possum carnem meam, inseparabilem inimicam meam, & si eam, quia non valeo, penitus non exuo, tamen ab ipsius blanditiis & mellitis verbis aufugio. Sed dic mihi, ô creator & saluator meus, quibus itineribus meum finem consequuturus sum, & ad te meam fœlicitatem peruenturus. Respondes certè, quia cognitione tui, timore, reuerentia, & amore tui, & obedientia, qua homo tuis mandatis ac præceptis subiicitur. Volo igitur cognoscere te, viua fide credere, & in operibus ac perfectionibus tuis die ac nocte meditari. Volo timere te, & summum malum reputare à tua gratia excidere, & à tua amicitia diuelli. Volo reuereri te, & diligentissimè, humillimè, sinceriſsimè omnem cultum & honorem, tum exteriùs, tum interiùs tibi exhibere. Volo diligere te, toto corde, tota anima, tota mente, &

2. Quia te vocat, gratus existis.

Ier. 3. 1.

3. Solum Deum quærere statuis.

4. Impedimenta reiicis.

5. Itinere ad Deū ambulare proponis.

nihil creatum immoderato amore complecti. Volo obedire tibi, & fidelissimè omnia tua præcepta seruare. Nunc cœpi, nunc viuere incipio: nam hucusque in meis peccatis mortuus eram. Nunc vitæ vias & semitas ingredior. Non in virtute mea, neque in robore mentis meæ, quia hæc mutatio, hæc voluntas, hoc propositum dexteræ Excelsi. Iam intellectum meum à vanis huius mundi rebus cogitandis abduco, & ad hoc applico, vt te Deum meum semper inquiram. Iam voluntatem meam à falsis & fucatis bonis auerto, & ad te timendum & amandum, & tibi obediendum inclino. Nónne deinceps tibi subiecta erit anima mea? Vtique, quoniam à te salutare meum. Tu ab hac hora, Deus meus, & salutaris meus, & susceptor meus: & ab hoc proposito cum gratia tua non mouebor ampliùs. Te igitur cupio, te quæro Domine, in háscque vias vitæ, quibus ad te peruenitur, incumbo, reliqua vt ad tibi seruiendum conducunt, admitto. Hoc mihi firmum propositum est, ex rebus creatis illas admittere, quarum vsu ad te accedo, & tibi placeo: illas verò quæ mihi impedimento salutis & perfectionis esse possunt, constanter respuere. Sed ad hæc præstanda, sine te quis idoneus? Nemo profectò. Tu ergo, ô summe & æterne Deus, in quo confido, qui me hoc tempore placito ad te vocas, qui desideria emendationis instillas, da obsecro, vt quod te inspirante & adiuuante statuo, perficiam. Confirma hoc quod operatus es in me. Concede vt ab hoc momento te meum vltimum finem sapida scientia & efficaci cognoscam: ad te per itinera sancti timoris, amoris, & obedientiæ vadam, & omnia impedimenta huius cursus abrumpam. Amen.

Psal. 76. 10.

Psal. 61. 1.

6. Reliqua vt huic fini prosunt, assumis.

7. Auxilia gratia postulas.

Vt omnia tum spiritualia, tum temporalia propter Deum tuum finem requiras.

EXERCITIVM II.

POstquam ita ad Dominum Deum tuum affectus fueris, attentè considerabis, quæ & quanta bona ipse dedit tibi, vt ad eius obtentionem, atq; adeò ad beatitudinem peruenires. Horũ quædam sunt supernaturalia, quædam naturalia. Supernaturalium quędam sunt intra te, quæ nimirũ ipso donante tibi insunt: vt gratia, virtutes infusę, dona Spiritus sancti, auxilia diuina, vt cum merito opereris, & alia huiusmodi. Alia sunt extra te, vt Christus quem redemtorem accepisti, Angeli, & Sancti, quos patronos & custodes habuisti, iusti, quorum sancta exempla vidisti, verbum Dei, siue sacra Scriptura, qua ad vitam illuminatus es. Naturalium bonorum similiter quædam sunt intra te, vita, salus, vires, ingenium, iudicium, potentiæ tum animæ, tum corporis, & alia huius generis. Insuper alia sunt extra te, vt honor, diuitiæ, cœli, elementa, & reliqua omnia quibus ad vitam iuuaris. Vt hæc omnia in assecutionem tui vltimi finis, atque in Dei obsequium conuertas. 1. Gratias ages, quia hæc vniuersa bona de manu Domini ad tuam salutem operandam accepisti. 2. Dolebis quòd gratiam, & virtutes, & dona perdidisti, & otiosa tenuisti, & non auxisti. Et apud te statues ea seruare, & augere. 3. Dolebis quòd redemtorem tuum contemsisti, Sanctorum intercessionem tibi inutilem reddidisti, & Scripturæ ac Euangelio non obaudisti. Propones oppositum facere, & id à Domino postulabis. 4. Dolebis quòd vita & cæteris abusus es, & in tuum damnum detorsisti, & instrumenta facere diuini obsequij constitues. 5. Dolorem concipies quòd datori omnium bonorum, quæ sunt in hoc mundo, ingratus extitisti, quòd in illis tuum amorem immoderatè collocasti, quòd arma iniquitatis fecisti. Decernésque ex his tuum amorem auertere, & in Dei obsequium referre.

Quàm multa bona dederit nobis Deus ad nostrum finem assequendum.

Summa affectus.

PRAXIS.

VErbum tuum est, ô clementissime & benignissime Deus meus, quod super ingratitudine illius plebis tuæ Israëliticæ pronuntiasti: Quid est quod debui vltrà facere vineæ meæ, & non feci ei. Quod improperium in animam quoque meam, & vineam tuam quadrat. Nam postquam eam in Ecclesia tua, in loco edito & vberi plantasti, & protectione tua, ac Angelorum custodia sepiuisti, & impedimenta proficiendi abstulisti, & turrem fidei, & torcular sanguinis filij tui ad ipsius salutem ędificasti, dum expectares vt faceret vuas bonorum operum, fecit iniquitatum labrusca. Sed iam, ô Deus meus, consilium meum est, à te vtique iniectum, vitam mutare, ad te ex toto corde redire, & beneficiis tuis non ad exitium animæ meæ (quod hactenus feci) sed ad salutem, & tuum obsequium vti. Immensas igitur gratias tibi ago, & millies te laudo, quia gratia & amicitia tua in sacramento Baptismi me induisti, virtutibus circumdedisti, Spiritus tui donis affecisti, & postquam adoleui, tot ac tantis auxiliis ad bene operandum excitasti, & adiuuasti. Gratias tibi ago, quia sanguine Christi vnigeniti filij tui redemisti me, Angelorum & Sanctorũ tutamine & intercessione custodisti me, iustorum exemplis ad virtutem allexisti me, verbo tuo ac doctrina fidei illuminasti me, & instinctibus tuis, multísque aliis mediis ad iustitiam me prouocasti. Gratias tibi ago quia vitam, corporis incolumitatem, vires, sensus, ingenium, & cor non indocile tribuisti mihi, quibus te possem agnoscere, diligere, ac tibi seruire. Gratias tibi ago, quoniam cœlos, elementa, & vniuersa huius mundi bona ita disposuisti, vt mihi adiumento essent, quo tibi obsecundans meam salutem operarer. Sed heu me miserum atque infœlicem, quia his omnibus bonis abusus sum. Postquam ad annos discretionis accessi, & vsus rationis mihi illuxit, gratiam tuam, vitam animæ meæ, vt pestem, vt mortem per transgressionem tuæ sanctissimæ legis excussi, virtutes abieci, dona Spiritus sancti dilapidaui, auxilia contemsi, & meipsum his omnibus bonis spoliaui, multísque vulneribus & plagis affeci. O opus sempiterna ignominia dignum, & perpetua gehennæ damnatione multandum. Tu verò Domine, qui misericors Pater es, non me reiecisti, non in infernum detrusisti, sed per pœnitentiam ad gratiam tuam, & ad reliqua quæ perdideram reuocasti. Quæ tamen ego (si habeo) otiosa, & in sudario tepiditatis inuoluta seruo, & vti debeo, non augeo, nec me ad quærendam mentis puritatem accingo. Cesset iam insipientia mea, abeat & discedat hæc ignauia mea. Ab hoc die ista erit solicitudo mea, gratiam & virtutes vt gemmas omnium pretiosissimas vniuersis rebus visibilibus anteponere, & auxiliis tuis sedulò ac diligenter bonis operibus inhærere. Imple tu Domine hoc propositum meum, serua & robora hanc voluntatem meam,

Isaiæ 5. 4

1. Gratias agis pro bonis receptis.

2. Doles quia gratiam amisisti.

meam, conforta me vt vel ad sextam, vel nonam, vel vndecimam horam veniens diligenter restaurem quæ per negligentiam amisi. Multa tamen est mihi, ô Pater æterne, causa doloris, quòd Dominum meum Iesum Christum filium tuum conculcaui, & sanguinem testamenti eius, sanguinem, inquam, ipsius pollutum duxi. Quid enim aliud est à te auerti nisi Christum proterere, & aspernari? Quid est merito sanguinis eius nolle frui, nisi facto ipso illum pretiosum sanguinem, tamquam minus efficacem abiicere. Habebam ego protectionem Angelorum qua ab aduersariis defenderer, intercessionem Sanctorum, vt gratiam ad vincẽdum obtinerem, exempla iustorum quibus ad virtutem accenderer, Scripturæ doctrinam, qua de omnibus ad malum fugiendum, & bonum agendum erudirer. Sed ô incredibilem stoliditatem meam, hæc omnia in meum exitium conuerti, dum ea inutilia mihi esse sustinui. Iam Angelos & Sanctos inuocabo, iam auxiliis intercessione illorum obtentis exemplа iustorum imitabor: iam lucerna erit verbum tuum pedibus meis, & lumen semitis meis. Ita fiat, ô Domine, ne quæso permittas me hæc pretiosa bona perdere, & inter epulas auxiliorum tuorum misera fame deficere. Et ego quidem non solùm bonis supernaturalibus, sed & bonis naturalibus abusus sum. Vitam protelaui, vt te optimũ parentem offenderem, qui antequam peccassem, vtinam consumtus essem, ne oculus me videret. Et fuissem quasi non essem de vtero translatus ad tumulum. Corporis sanitatem, & vires, ingenium, & iudicium, & reliqua instrumenta iniquitatis feci. Elementa, & vniuersa visibilia mihi ad deficiẽdum & rebellandum asciui. Pœnitet me, ô Deus, huius stultitiæ, & ingratitudinis meæ, & quia in his amorem collocaui, quem debueram ad te referre. Iam de cætero volo & statuo membra mea & omnia visibilia, quæ feci arma iniquitatis peccato, arma facere iustitiæ in sanctificationem.

3. Quia redẽtionem spreuisti. Hebr. 10. 29.

Psal. 118. 104.

4. Quia bonis naturalibus abusus es.

Iob 10. 18.

Rom. 6. 13.

Vt peccata odio habeas.

EXERCITIVM III.

Bona cõtritionis.

IN ERTIÒ iam, ô homo Dei, exercebis te in verissima contritione, odio, & detestatione omnium peccatorum tuorum. Hæc est aqua munda qua à maculis animæ, sordibúsque mundaberis; hæc lima, qua rubiginem iniquitatis auferes; hæc ianua per quam ad Dominum ingrediens gratiam & misericordiam consequeris. Ad hunc contritionis affectum vocat nos Dominus per Isaiam, dicens: Lauamini, mũdi estote, auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis.] Fructum verò huius lotionis subinfert. Si fuerint peccata vestra vt coccinum, quasi nix dealbabuntur, & si fuerint rubra quasi vermiculus, velut lana alba erunt.] Nec solùm munditiam, verùm & lætitiam contritio generat. Nam scriptum est: Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur.] Vt ergo à peccatis tuis purgeris, & munditiam, ac lætitiam, & fiduciam accedendi ad Dominum obtineas, peccati infinitam malitiam & iniquitatem considerabis; quis tu sis, qui diuinam maiestatem offendisti; quis Deus quem ad iram prouocasti; quas pœnas commeruisti, & quæ bona perdidisti, attenta & luctuosa mente recogitabis. Deinde illud odium concipere, ac eam detestationem conaberis, quæ vt possibile fuerit, peccatorum tuorum iniquitatem adæquet. Vide frater, quia scriptum est in Deuteronomio: Non habebis in sacculo diuersa pondera, maius, & minus; nec erit in domo tua modius maior & minor: pondus habebis iustum & verum, & modius æqualis & verus erit tibi.] Quare si in magna mensura & multitudine fuit magnitudo peccatorum tuorum, in magna etiam mensura & pondere sit magnitudo contritionis ac doloris tui. Vt ergo ad hunc sanctum & necessarium affectum exciteris, 1. Odio habere curabis peccata tua, quia sunt offensa summi Dei. 2. Dolebis de peccatis tuis. 3. Pudebit te ea commisisse. 4. Admiraberis quòd creaturæ te sustinuerint. 5. Desiderabis te numquam peccasse. 6. Statues firmiter te in posterum à peccatis abstinere. 7. Veniam & misericordiam petes. 8. Pro venia Dominum obsecrabis. 9. B. Virginem, Angelos, & Sanctos inuocabis. 10. Pro remissione peccatorum, quam speras, gratias referes.

Deut. 25. 13.

Isaia 1. 16.

Vocamur à Deo ad contritionem & eius fructus.

Ibid. 18.

Matth. 5. 5.

Malitia peccati considerãda, vt contritionem habeamus.

Summa affectus.

PRAXIS.

O Domine Iesu Christe, Rex amande, iudex tremende, testis renum meorum, & scrutator cordis mei, ego vilissimus & iniquissimus peccator, homo flagitiosissimus, & sordibus innumerabilium delictorum plenus, coram te apparere, & aliquid loqui penitus erubesco. Sed animant me publicani, meretrices, & latrones, quos diaboli faucibus ereptos, finibus excipi video benigni pastoris. Hos, quorum præposteram conuersationem peccans sequutus sum, nunc pœnitentiam agens sequor, & pedibus tuis, vt mei miserearis, aduoluor. Peccaui, ô redemtor benignissime, super numerum arenæ maris, multiplicatæ sunt iniquitates meæ, & non sum dignus intueri & aspicere altitudinem cœli præ multitudine iniquitatis meæ. Irritaui iram tuam, læsi (quod in me fuit) maiestatem tuam, & procaciter tot mala coram te feci. Odio habeo, detestor, & abominor vniuersa peccata mea, non quidem quia immensas pœnas & cruciatus commeritus sum: nam cuilibet pœnæ à te inferendæ libens subiicior: non quia sempiterna ignominia & infamia dignus factus sum, cui etiam, si volueris, sponte submittor. Sed quia te Deũ meum sanctissimum, Patrem piissimum, redemtorem benignissimum offendi: quia te, quem nunc vnice diligo, & reuereor, contemsi, quia grauissimè tibi displicui, & tuam indignationem prouocaui. Doleo, & angor vehementer propter peccata mea. Hæ sunt plagæ fœtidissimæ pus emanantes, quæ me conficiunt: hæc vulnera, quæ me confodiunt; hi morbi, & ægrotationes, quibus sine vlla intermissione discrucior. Extremam paupertatem, infamiam, & mortem exhorreo, & inconsolabiliter doleo, si his me subiacere contingat. Heu mihi, quia peccando omnia bona supernaturalia, & vera bona, præter fidem & spem perdidi; in incredibilem infamiam & ignominiam incurri, mortem animæ cõparaui. Pudore suffundor, ô iudex æquissime, quia coram te & Angelis tuis, his compedibus ac vinculis obstrictus appareo. Ego infœlix, qui priusquam peccarem, lætus eram, & ingenuus in innocentia mea; in hanc ignominiam memet ipsum conieci. Ego me diaboli seruum feci, & in eius potestatem tradidi: ego me his perduellionis insignibus amiciui. Puderet me sanè coram ciuibus meis nudus, aut veste aliena ab statu meo alicuius nebulonis amictus apparere. Quomodo non verecundabor coram te, & sanctis Angelis nudus

1. Odium peccatorum.

2. Dolor.

3. Pudor.

stare,

4. Admiratio.

ſtare, & hac ſordidiſſima veſte peccatorum circumdari? Mirum valde eſt quomodo creaturæ fideles pediſſequæ tuæ me ſuſtinuerint, & qua ratione, quæ ſemper erga te fideliſſimæ extiterunt, vt me interficerent, & diſcerperent, non properarunt. Dignus factus ſum iniquitatibus meis quem dehiſcens terra ſubrueret, aqua demergeret, ignis conſumeret, & aër mihi ſpirationis beneficium denegaret. Æquum eſſet vt in me flagitioſiſſimum homuncionem, veluti in communem hoſtem cœli fulmina iacerent, Sol, & Luna, & ſydera inſurgerent, Angeli, & Sancti ſuam indignationem exercerent. Iuſtum, vt cùm per vias publicas & compita incedo, omnes tum pueri, tum adulti me irriderent, lapidibus & luto vt inſanum impeterent, qui in inſaniam criminum incidens te ſummum bonum perdidi, & contumeliis ac ſannis inſultarent. O ſi numquam, ô Pater amantiſſime, præcepta tua tranſgreſſus eſſem! O ſi numquam in tantam miſeriam & calamitatẽ incidiſſem! O ſi numquam peccaſſem! O fœlices illi qui non perdiderunt innocentiam, qui gratiam cuſtodierunt, quam in lauacro regenerationis acceperant, qui licèt præ huius vitæ fragilitate in leues culpas impegerint, numquam tamen crimen graue patrarunt. O ſi mihi daretur, vt his (quorum nonnullos noui) quaſi mancipium famularer, & eorum pedibus oſcula figerem, & inter illos habitarem, vt ipſorum puritas, & vitę munditia meam ex aliqua parte immunditiam operiret. Si ad hanc iſtorum fœlicitatem non accedo (ſicut verè non accedo) at innocentiam (prout potero) humilitate compenſabo, & ab hoc momento ipſorum imitatorem me præbebo. Statuo, ô ſumme Deus, in poſterum non peccare, firmiſſimè propono tua ſanctiſſima præcepta non tranſgredi, verè & ex corde decerno cum adiutorio gratiæ tuæ, quòd mihi ad non peccandum prę-ſtò eſt, vniuerſam legem implere. Si in vno aliquo peccato mihi coaceruarentur omnes diuitiæ huius ſæculi, & omnes honores, & cunctæ deliciæ, ac voluptates, quæ ab initio mundi vſque adhuc, & vſque in diem iudicij futuræ ſunt. Si certus redderer quòd numquam me conſcientiæ morſu torquebis, nec reprehenſione corripies, neque aliquam de me in hoc ſæculo, neque in futuro vltionem accipies. Si mihi euidens eſſet, quòd per centum, aut mille, aut plures annos meam vitam protelares, vt cum ſumma iucunditate in meis deſideriis hærerem, & pòſt dulciſſima morte ſopires, & immenſa gloria me ſupra omnes Sanctos cumulares (quæ tamen omnia impoſſibilia ſunt) nihilominus non peccabo. Si ſimiliter omnes ignominiæ, & dolores, & mortes, & vniuerſa tormenta excogitata hactenus, & excogitãda mihi obuentura eſſent, niſi tuam legem tranſgrederer, nihilominus gratia tua ſuffultus, ne tibi diſpliceam, ea æquo animo ſuſtinebo.

5. Deſiderium.

7. Petitio venia.

Hæc eſt, ô dulciſſime Pater, voluntas mea, hoc firmum propoſitum cordis mei, quod vtinam numquam abiiciam. Iam ergo non ſine magno tremore & metu, non ſine gemitu, & dolore, ſed non ſine magna ſpe de tua infinita clementia & bonitate concepta, ad te veniam & miſericordiam petiturus accedo. Miſerere mei Domine, miſerere mei,

Pſal. 56. 2.

quoniam in te confidit anima mea. Et in vmbra alarum tuarum ſperabo, donec tranſeat à me peccatorum meorum iniquitas. Magna eſt iniquitas

Pſal. 50. 1.

mea: miſerere mei ſecundùm magnam miſericordiam tuam: & ſecundùm multitudinem miſerationum tuarum obſecro dele eam. Tibi proprium eſt miſereri ſemper & parcere, pronus es ad condonandum, nihil peto quod infinities non feceris. Quis vmquam ad te pœnitens & contritus acceſſit, & abiectus eſt? Nemo ſanè: ne permittas me cunctorum peccatorum infœliciſſimum eſſe, qui ab oculis benignitatis tuæ abſque indulgentia diſcedam. Procubuit Maria ſecus pedes tuos, fleuit peccatrix illa, & veniam conſecuta eſt, auribúſque ſuis illud verbum miſericordiæ plenum audiuit: Remittuntur tibi peccata tua. Ego quoque proſternor ante pedes tuos, etſi non ſimili dolore peccatorum, ſi non ſimili amore tui, ſi non ſimilibus gemitibus, ac lacrymis, at contritione, & amore, & fletu, quo poſſum, indulgentiam poſtulo, ne obſecro, repellas, ne abiicias me. Remitte mihi peccata mea, ô miſericordiſſime Domine, vt refrigerer miſeratione gratiæ tuæ, priuſquam abeam. Id peto per ſanctitatem puriſſimæ humanitatis tuæ, quam ad meam redemtionem induiſti. Per humilia & abiecta infantiæ tuæ quæ pro me ſuſtinuiſti. Per labores & mirabiles actiones vitæ tuæ, quæ mei gratia perfeciſti. Per paſſionem & mortem acerbiſſimam tuam, cui te, vt mihi remedium afferres, ſubieciſti. Per gloriam diuinitatis tuæ, quam tuis fidelibus in te credentibus patefeciſti. Per interceſſionem Sanctorum, & Angelorum omnium, quos apud te multum poſſe, & magna nobis impetrare voluiſti. Per hæc, inquam, omnia obſecro te, vt mihi miſerearis, vt peccatorum meorum obliuiſcaris, vt ea penitus deleas, & in ignem ſanctiſſimi amoris tui conſumenda proiicias. Iam, ô curia cœleſtis, in conſpectu Domini mei oculos meos ad te cum pudore conuerto, quia ad te loqui erubeſco, quam conuerſatione non imitor. At neceſſitate compulſus loquor, & ad tuorum ciuium pietatem confugio. O ſacra virgo Maria, peccatorum & miſerorum aſylum, quæ apud Filium omnia potes, intercede pro me. O Spiritus cœleſtes nobiles Domus Dei, tribus hierarchiis, & nouem ordinibus aptè diſpoſiti, rogate quæ ad pacem & miſericordiam ſunt mihi. O ſancti Patriarchæ & Prophetæ, Apoſtoli & Martyres, Confeſſores & Virgines, & omnes ciues patriæ viuentium, accedite ad pium iudicem, apud quem miſericordiam inueniſtis, & obſecrate pro me. Veſtrûm eſt, ô Principes nobiliſſimi, miſerorum non obliuiſci, afflictorum compaſſione tangi, & pauperum ac inopum recordari. Coram vobis eſt miſerorum miſerrimus, pauperum pauperrimus, iniquorum iniquiſſimus, ne quæſo deſpiciatis me, ne abſque indulgentia me abire permittatis. Tantorum principum interceſſione ſuffultus, ô dulciſſime Domine, & quod caput eſt, tuis meritis redemtus, & notitia tuæ pietatis roboratus, qua noui te nolle mortem peccatoris, ſed vt conuertatur, & viuat, me à tua pietate miſericordiam & indulgentiam conſequuturum eſſe confido. Gratias igitur tibi ago, laudo, & benedico te, quoniam hac ſpe remiſſionis animam meam lætificas. Maiores autem gratias refero, & ampliùs extollo & magnifico te, ſi iam me admiſiſti in gratiam tuam, ſi iam remiſiſti iniquitates meas, & deleuiſti maculas meas. Da, ſupplex oro, vt tam eximium donum non perdam, & ad volutabrum luti non reuertar.

Amen.

8. Obſecratio.

9. Inuocatio.

10. Gratiarum actio.

Vt iterum de peccato doleas.

EXERCITIVM IV.

ALIO nunc modo ad dolorem peccatorum, & ad fletum & planctum, ô homo, te excitabis. Peccatis tuis te adcò summo & incommutabili bono auertisti, quod ingens diuinæ maiestatis contemtus est. Deinde ad bonum commutabile & periturum te conuertisti, quod summa peruersitas est. Hæc, quæ ædificasti, vt destruas, & dissipes, debes teipsum contemnere, & diuinam bonitatem extollere. Insuper debes te accusare, & per oppositam voluntatem à bono commutabili auerti, & sponte pro tanto malo iustas pœnas sustinere. Sic igitur in hoc affectu procedes. 1. Teipsum despicies, ac vilipendes. 2. Dominum Deum tuum magnificabis. 3. De peccatis ac excessibus tuis te generaliter accusabis. 4. Odium illorum ac dolorem concipies. 5. Merita Domini Iesu ad indulgentiam impetrandam allegabis. 6. Beneficia accepta commemorabis. 7. Gratiam emendationis petes.

Quid mali per peccatũ lucratus est homo.

Summa affectus.

PRAXIS.

1. Tui vilipensio.

O Redemtor hominum Christe Iesu, ô gloria Angelorum, gaudium Sanctorum, & decus omnium rerum creatarum. Ecce ego sum seruus ille nequissimus, debitor decem millium talentorum, id est, innumerabilium peccatorum, quibus tuam maiestatem offendi. Ego peccator ingratissimus, qui pro tot beneficiis à te susceptis, offensas & iniurias reddidi, & ea actu recipiens pro bonis mala retribui. Ego homo stultissimus qui ipsissimet instrumentis salutis meipsum perdidi, & viribus ad virtutem concessis in scopulos vitiorum impegi. Ego denique omni bono indignissimus,

2. Dei magnificatio.

quem terra deberet excutere, & omnis creatura à se reiicere, ne eam meis flagitiis & iniquitatibus contaminarem. Ego, inquam, infœlix tuam infinitam maiestatem omni amore, honore, & obedientia dignissimam iniuria affeci. Tuam ineffabilem sapientiam vniuersa intuentem inhonorani. Tuam immensam bonitatem & sanctitatem omnis puritatis fontem pro nihilo duxi. Tuam inæstimabilem potentiam, cuius nutu sustentor, vilipendi. Te, cui Angeli seruiunt, cui venti & mare & cunctæ creaturæ ad nutum obediunt, quem astra, & Sol, & Luna mirantur, meis peccatis ad iracundiam

3. Peccatorũ accusatio.

prouocaui. Confiteor tibi Domine vniuersa peccata mea, quæ tu optimè nosti, quæque præ multitudine sua me fugiunt, & ea numerare non possum. Confiteor tibi cogitationes meas stultas, amentes, insanas. Desideria mea inania, effrænata, peruersa, loquutiones meas mordaces, noxias, mendaces. Opera mea iniusta, flagitiosa, iniqua. Confiteor tibi quæ in omni ætate & loco, & statu aduersùs tuam sanctissimam legem patraui; quæcumque per ignorãtiam, per concupiscentiam, per malitiam contra tuam voluntatem admisi. Hæc sunt, ô liberator meus, de gentibus iracundis, hæc sunt quibus cum vixi à die natiuitatis meæ, quibus studui, quibus & fidem seruaui. Ipsa me quæ dilexeram studia, damnant; quæ laudaueram, vituperant. Hi sunt, quibus acquieui amici, quibus parui magistri, quibus seruiui Domini; consules quibus credidi, ciues quibus cohabitaui, domestici quibus cõsensi. Abo-

4. Dolor de peccatis.

A minor igitur ô Deus meus, atque detestor super omne malum vniuersa delicta, & peccata mea. Nimis doleo, & supra modum contristor, quia te summum & vnicum meum bonum perdidi, quin tuam gratiam & amicitiam amisi; quia tua speciali prouidentia, quam erga iustos habes, me priuaui. Doleo nimis, quia virtutes infusas & dona Spiritus sancti peccando destruxi, quia bona opera ex tua gratia facta pessumdedi; quia Sanctorum & electorum tuorum meritis & commercio indignum me reddidi. Angor, quòd odium & indignationem tuam, & æterni Patris, & Spiritus sancti, & omnium Angelorum & beatorum incurri: quòd fructuum vitæ & passionis tuæ sanctissimæ expertem me feci; quòd in captiuitatem &

B seruitutem diaboli redij, & ex filio tuo me in mancipium diaboli commutaui. Doleo tandem, quia peccando mentis cæcitatem, voluntatis peruersitatem, cordis duritiam, bene agendi infirmitatem, resistendi impotentiam, ad inchoandam salutem meam, & ad prosequendum & perficiendum impossibilitatem, & ad grauiora mala pronitatem mihi in comites accersiui. Propter hæc doleo, & peccata mea, istorum malorum fontes odio semper habere constituo. Dicit tamen mihi vulnerata peccatis conscientia mea, ô Domine mi: Quomodo indulgentiam postulare audes ab eo, qui iustus est, & iustitiam dilexit, & æquitatem vidit vultus eius.

5. Meritorũ Christi allegatio.

Ego autem illi respondeo: Quia tu Deus etiam misericors & clemens es, qui voluntatem habes saluandi me, & peccata mea remittendi. Audio quidem te dicentem: Ego sum, ego sum ipse qui deleo iniquitates tuas propter me, & peccatorum tuorum non recordabor.] Reduc me in memoriam (vel habe memoriam mei) & iudicemur simul: narra si quid habes, vt iustificeris. O summam clementiam! ô summam pietatem! cum bona venia tua, ô misericordissime Iesu, habeo aliqua vnde iustificer. Habeo namque merita tua, quæ mihi à te concessa sunt, & virtute sacramentorum non semel ad me applicata, vt eorum efficacitate iustificer. Habeo & verba tua, quæ non licet præteriri: [Qui abscõdit scelera sua, non dirigetur; qui autem confessus fuerit, & reliquerit ea, misericordiam consequetur.] Ego verò scelera mea non abscondi, sed patefacio, & confiteor ea, & à me abiicio, vnde & misericordiam spero. Habeo & hanc confessionem meam (vt confido) ex gratia tua factam, cui tu per Dauidem remissionem pollicitus es. Nam ille ait: [Dixi: Confiteor aduersùm me iniustitiam meam Domino, & tu remisisti impietatem peccati mei.]

Isaiæ 43. 25.

Prou. 28. 13.

Psal. 31. 5

Habeo & hoc iudicium meum, quo me iudico & dignum æterna morte cognosco, quod tamen tu pro iudicio misericordię non respuis, dicente Apostolo tuo: [Si nosmetipsos diiudicaremus, nõ vtique iudicaremur.] Habeo denique iustitiam tuam. Cùm hic dolor, hæc accusatio, hæc testificatio peccatorum meorum iustitiæ à te datæ opus sit. Ne ergo despicias, quem tua iustitia non despicit, quem tua misericordia libenter admittit. Ne permittas, ô dulcissime Saluator meus, vt collata in me beneficia damnando me, in hac creatura tua inutilia permaneant. Tu me ex nihilo produxisti, beatitudinis capacem fecisti, corpus & animam, vires, ingenium, & talenta naturalia donasti. Ex vtero matris custodisti me; pretioso sanguine tuo in Baptismo luisti me, enormiter peccantem ad pœnitentiam expectasti me. Tu, vt me saluum faceres, dignatus es homo fieri, cum hominibus conuersari, & in omni paupertate

1. Cor. 11. 31.

6. Beneficiorum commemoratio.

ac tribulatione viuere, & acerbissimam mortem subire. Pro me angustiatus, & afflictus, & maxima tristitia affectus es; sanguineo sudore perfusus, captus, ligatus, alapis cæsus, consputus, oculis velatus, contemtus, irrisus, blasphematus, alba veste, ac purpureo vestimento illusus, flagellis lacceratus, spinis coronatus, arundine percussus, morti adiudicatus, crucem baiulans, ad locum supplicij ductus, manibus ac pedibus atrocissimè perforatus, cum iniquis deputatus, ac inter latrones suspensus, aceto ac felle potatus, lancea confixus, & terribili morte peremtus. Vniuersa hæc in me sine fructu non maneant. Manebunt autem si mihi non parcis, si peccatis meis misericorditer non indulges. Iam ergo respice in me oculis misericordiæ tuæ, dele præterita peccata mea, & da, quatenus vt canis reuersus ad vomitum, ad illa iterum non reuertar. Concede mihi per bonitatem tuam, emendationis gratiam, quatenus quottidie de cætero magis ac magis deuotus gratúsque efficiar, neque à te vmquam separari in animum inducam. Amen.

7. Gratiæ petitio.

Vt maiorem dolorem de peccatis concipias.

EXERCITIVM V.

PAVPER atque mendicus non semel tantùm sed sæpius & per multos dies ad domum diuitis accedit, & eleemosynam petit, donec sufficientibus bonis conquisitis mendicitatem à se depellat. Ægrotus quoque multoties medicum accersit, & ei suas plagas & vulnera detegit, quousque conuenientibus medicaminibus sentiat sanitatem sibi restitui. O homo, qui mandata Dei transgressus es, qui in barathrum grauium peccatorũ incidisti, si cognouisses paupertatem tuam, si inspexisses ægrotationes tuas, non tibi molestum esset ad Christum solum diuitem, atque potentem, ad redemtorem tuum, animarum medicum pro remedio tuæ extremæ indigentiæ, & lethalis infirmitatis subinde properare. O quanto dolore & anxietate diceres illud Ieremiæ, & tibi accommodares: Væ mihi super contritione mea, pessima plaga mea.] Tabernaculum meum vastatum est, omnes funiculi mei dirupti sunt, filij mei exierunt à me, & non subsistunt: non est qui extendat vltrà tentorium meum, & erigat pelles meas. O quàm ægrotus es, qui per peccatum contritus & dissipatus es, & plaga tua non iam mala per consensum, nec peior per opus, sed per iterationem, immo & per assuetudinẽ pessima est. O quàm indigus, atque mendicus, cuius animus vastatus, cuius vires diruptæ sunt, cuius bona opera antea facta relegata, in exilium pulsa, immo & destructa sunt. O quàm impotens, qui non vales teipsum erigere, neque ad aliquam vmbram pristini status reuocare. Semel ergo, & iterum, & tertiò, & sæpissime ad pedes Domini accurre, & coram eo prosternere, qui potens est tuas multiplices miserias subleuare. Sic itaque nunc alio modo affectum doloris, & odij peccatorum excitabis. 1. Gratias age Domino, quia te vult saluare, quia ad pœnitentiam vocat, & tibi pœnitentiæ tempus indulget. 2. Compungere de ignauia tua, quia hactenus occasiones pœnitendi despexisti. 3. Accusa te de multiplicibus peccatis tuis. 4. Dole, quia in Deum & omnia creata peccasti. 5. Erubesce, quoniam Dominum pro rebus tam vilibus reliquisti. 6. Despice te, quia tam insipiens negotiator fuisti. 7. Admirare duritiæ & insensibilitatis tuæ. 8. Pete misericordiam, & indulgentiam à Domino Deo tuo.

Peccator pauper & morbidus.

Ier. 10. 19.

Peccator impotẽs.

Summa affectus.

PRAXIS.

O Christe Iesu, amator hominum, & saluator piissime animarum nostrarum, quem vnigenitum filium Dei, & vnum substantia cum Patre & Spiritu sancto credo, atque confiteor: gratias tibi refero secundùm desiderium meum absque vllo numero, atque mensura, quia me æterna damnatione dignissimum saluare vis, & ad æternam beatitudinem sublimare constituis. Tu quidem ex immensa bonitate tua diligis animas, cuius verbum est per Ezechielem: Numquid voluntatis meæ est mors impij, & non vt conuertatur à viis suis, & viuat?] Certè vis vt viuamus, vt saluemur, vt tecum in regno Patris tui in æternum regnemus. Ideo me ad pœnitentiam vocas, sine qua post tot & tam immania peccata ab æterna morte liberari non possum. Quod enim semel quibusdam dixisti: Nisi pœnitentiam egeritis, omnes similiter peribitis.] non illis tantùm, sed mihi & omnibus peccatoribus dictum est. Nec solùm vocas, sed & gratiam & opportunitatem, & tempus ad pœnitendum indulges. O Domine, quot hactenus fuerunt ante conuersionem subitanea morte sublati, vel à sensibus alienati, vel acerbissimis ægritudinum doloribus vexati, adeò vt de pœnitentia cogitare non possent. Adoro igitur te, quia hæc à me impedimenta submouisti, & statum sanitatis tranquillum, & sensus integros concessisti, & spatium temporis satis longum, & gratiæ auxilia dedisti, vt animæ meæ saluti consulerem, & ad te qui refugium meũ es, per pœnitentiam peruenirem. O quanta fuit hactenus ignauia mea, quàm intoleranda oscitantia mea, tempus datum àte mihi ad agendam pœnitentiam perdidi, gratiam, & auxilia reieci, vocibus tuis, quibus me vocabas, & inuitabas, obsurdui. Pulsabas tu ad ostium cordis mei instinctibus tuis, & ego miser dissimulabam; vocibus dulcissimis excitabas, ego verò cõsultò dormiebam: sequebaris me, at ego fugiebam: horam mortis velocissimè ad me currentem ostendebas, ego autem stultus prolixa ad stultitias meas tempora meditabar. Eia anima mea, redeamus ad nos, prospiciamus saluti nostræ, ne abutamur longanimitate Domini, sed vitæ emendationem à pœnitentiæ fructibus exordiamur. Confiteor tibi benignissime Domine, quòd multo annorum numero peccare, & flagitia perpetrare non destiti. Mala non committenda sæpe sæpius admisi: bona non omittenda infinities omisi: in commissionis & omissionis peccatis perseueraui, & ad te conuerti de die in diem per multum temporis spatium desidiosè protraxi. O quod est malum, quod flagitium, quod ego non fecerim, aut opere, aut voluntate, aut ita vt quoquomodo mihi possit imputari. Innumera peccata & delicta perpetraui per memetipsum, plurima etiam per alios. Vel quia peccatis eorum consensi, vel quia eos delinquentes laudaui, vel quia ipsos, cùm possẽ, & deberem, non increpui, vel quia aut verbo, aut exemplo, cùm facile mihi esset, à præpostera vitæ conuersatione eripere non curaui. O quod est bonum quod in me non extinxi, vel in alio persequutus non sum? Quibusdam bonis operibus obstiti, impediendo ne fierent, vel detrahendo his, à quibus exercebantur, vel enitendo vt in illis non perseuerarent. O Domine misericordiæ quot bona perierũt,

1. Gratiarũ actio, quia Deus vult te saluare.

Ezech. 18. 23.

Luc. 13. 3.

2. Cõpunctio ex ignauia pœnitendi.

3. Accusatio peccatorum.

vel me procurante,vt non essent : vel non iuuante vt essent : vel submouente auxilium, aut non nutriente,ne perirēt.Denique quis poterit enumerare peccata mea,quis intelliget delicta mea,nisi tu,cui omnia sunt nuda & aperta Domine Deus meus.

4 Dolor peccatorum.

Doleo, & contristor vehementer, quia peccaui, & peccando non solùm tibi iniuriam irrogaui,verùm & omnia creata contumelia affeci.Iniuriosus fui in omnes Angelos, & vniuersam curiam cœlestem, cuius consortium habere contemsi;in omnes creaturas corporeas,quarum obsequium in tuam offensam detorsi.Peccaui in fidem,& rationem naturalē, quarum dictamina fregi, in gratiam, virtutes & dona Spiritus sancti, quæ destruxi, & in animam meam & corpus meum : nam istud infeci,& ab illa vitam supernaturalem eripui,& vtrumque cruciatibus æternis,nisi tu mei miserearis,addixi.Sed doloris caussam in immensum auget, ô Deus meus, quòd tibi soli peccaui,& malum corā te feci. Tibi, inquam,soli peccaui, quia omnis offensa creaturarum in te redundat:cuius iniuria ita offensam creaturarum superat, vt hæc in comparatione illius omnino non appareat. Aduersùm te peccaui, ô Fili Dei,qui sanguine tuo pretioso redemisti me:aduersùs Patrem, qui creauit me, & aduersùs Spiritum sanctum, qui sanctificauit me, & contra totam sanctam Trinitatem quæ in domicilium suum elegit me.Offendi tuam bonitatem,quæ tot bona mihi communicauit : tuam charitatem, quæ me dilexit : tuam misericordiam, quæ mihi subuenit: tuam omnipotentiam, quæ me adiuuit; & omnes tuas perfectiones, à quibus tot ac tanta dona recepi. Peccaui in te Patrem meum, atque vnicum redemtorem ac saluatorem meum. Peccaui denique coram te,quoniam tu præsens eras,& oculi tui super me,quando ego legem tuam transgrediebar, & in cæno iniquitatum mearum volutabar.Erubesco, ô Domine,& confundor valde, quoniam amisi te, & pro rebus vilissimis possidere contemsi. Hæc enim quorum caussa peccaui, nónne caduca sunt, quæ in momento fugiunt, & citius quàm cogitari possunt euanescunt? Nónne fallacia sunt,quæ famem & esuriem ingerunt, dum satietatem promittunt? Nónne somnia sunt, quæ cùm in extremo die euigilauerimus nos vacuos relinquent.Heu mihi, quia pro temporalibus æterna,pro inanibus plena,pro fallacibus vera commutaui,& pro phantasmatibus somniantium subst̄atiam boni deserui.

Psal.50. 5.

5. Pudor.

6. Despicientia sui.

O Domine quàm infœlix & insipiens negotiator fui:qui tanto dispendio meo inania & vilia pretio bonorum sempiternorum & pretiosissimorum coëmi. Quanta fuit cæcitas mea,quæ tales fraudes videre non siuit. Quanta surditas aurium internarum mearum, quæ tubam illam inspirationum tuarum audire præpediuit.Quàm profunda lethargia mentis meæ, quæ me ad fugam tantorum malorum euigilare prohibuit. Quàm dura iniquitas cordis mei me operiens, circumdans, & armans, siquidem eam desiderium boni à te immissum penetrare non potuit. Verè contemtibilis sum,ac despicabilis, qui non tam impulsus, quàm sciens & volens in tam magnam calamitatem me conieci.

7. Admiratio propriæ duritiæ.

O rem nescio an maiore admiratione & stupore, quàm dolore dignissimam! longè eram à te Deus meus, & inter me ac te chaos magnum iniquitatum firmatum erat, & ego ridebam. Mihi ac tibi perditus eram, & ac si nihil perdidissem, aliis rebus curandis & lucrandis intendebam. Complebat me summa miseria, & in ea quasi in fœlicitate mihi placebam. Habitabam in sentibus & tribulis peccatorum, eos verò delicias computabam. Vrebar concupiscentiarum ardoribus, lacerabar affectuum meorum distensionibus, & curis ac solicitudinibus vulnerabar, & hæc gaudia somniabam, & pacem nuncupabam. Vermes peccatorum erant operimentum meum, & torsiones malæ conscientiæ culcitra mea : & in his, ac si nihil triste mihi accidisset, lætus alacérque viuebam. Hæc miseria factura tuæ, creator piissime, clementiam postulat, hæc calamitas misericordiam clamat. Dele, obsecro, iniquitates meas, & auerte oculos tuos à peccatis meis. Respice in me quod tu feciſti,quod pulchrum est,& destrue quod ego feci,& quo pulchritudinem à te factam infeci, quod fœdum est. Largire veniam culparum mearum quas commisi; remitte pœnas intolerabiles gehennæ,quas merui. Da iterum gratiam tuam,& virtutes vniuersas,quibus tibi placeam,& reforma in me imaginem & similitudinem tuam. Contere, & dissipa in me quidquid perperam per peccatum adiectum conspicis; subuerte quod malè ædificatum cernis; auelle quod ex originali corruptione, vel ex malitia mea succreuisse animaduertis. Fac me tibi seruum acceptabilem in omnibus, & per omnia tibi placentem. Concede perseuerantiam in bono, vt qui per gratiam tuam peccata abominatus sum,per malitiam & ingratitudinem meam ad ea iterum non reuertar.Amen.

8. Postulatio misericordiæ.

Vt adhuc vehementiùs à peccatis abhorreas.

EXERCITIVM VI.

Peccatū valde deforme.

Eorvm quæ in nobis affectum contritionis excitant, validissimum & efficacissimum est attenta inspectio peccati. Est enim peccatum tam horribile, & tam deforme, vt illud aspicientes ad sui odium & aspernationem inclinet. Hic autem intuitus odio coniunctus multum potest apud Dominum,vt nobis peccata remittat.Quare sanctus Dauid ad obtinendam suorum peccatorum veniam hanc caussam allegat. Amplius, inquit,laua me ab iniquitate mea, & à peccato meo munda me. Quoniam iniquitatem meam ego cognosco: & peccatum meum contra me est semper.] Quandoquidem,inquam,ego per gratiam tuam peccatum meum,ejúsque malitiā diligenter inspicio,& non aliter,quàm hostem teterrimum è regione mihi aduersantem odio habeo,rogo te, vt ab eo amplius me laues, & ab iniquitate mea mundes me. Tu ergo, ô vir Dei, qui iter securum pœnitentiæ ingressus es, peccata tua attentè cognosce,& diligenter intuere,decémque mala in quocumque peccato reperies, propter quæ est summè detestabile.Peccatum enim lethale, quodlibet illud sit, pœnam æternam tibi affert,inimicum est animæ tuæ, vulnus illius, damnum ac dispendium maximum, iniuria est æterni Dei, ac contumelia nobilitatis tuæ, venenum mortiferum, actus turpissimus, res spurca & fœda, opus prophanum, ac tandem hominis intolerabilis maledictio. Ex decem malis decem affectus ad odium peccati spectantes elicies. 1. Timoris ex eo quod pœnale est. 2. Odij ex eo quod inimicum est. 3. Doloris ex eo quod vulnus est. 4. Tristitiæ ex eo quod damnum est. 5. Iræ & indignationis, ex eo quod iniuria est.6. Horroris

Psal.50. 3.

Odium peccati obtinet remissionē eius.

Summa affectus.

quia

quia venenum est.7. Pudoris,quia turpitudo est.8. Abominationis,quia spurcitia est.9. Execrationis, quia prophanum est.10.Tandem detestationis,quoniam maledictum est.

PRAXIS.

O Rex gloriæ, ô gaudium & lætitia Angelorum Christe Iesu, redde mihi, oro, lætitiam salutaris tui, gaudium remissionis peccatorum meorum, vt à peccatorum morte liberatus confitear nomini tuo, quoniam non est in morte qui memor sit tui. Hanc autem lætitiam dabis, hoc gaudium immittes, si priùs ego tuæ gratiæ auxiliis roboratus multiplicia mea peccata contritione deleuero, & impensè detestatus fuero. Adiuua ergo, quæso, magnam infirmitatem meam, vt abominer hæc signa superbiæ, peccata mea, quibus, heu mihi, aduersùm te meum Dominum ac factorem surrexi. *1.Timor.* Peccaui, ô mi Rex potentissime, te, à quo abscondi non valeo,meis flagitiis vehementer irritaui, & æternos cruciatus gehennæ commerui. Iamiam imminet vltio seuera, iamiam inferus aperit, vt deuoret me, fauces suas, iamiam aduersarij mei me comprehendunt, vt in tartara detrudant, à quibus, nisi tu parcas, & gratiam infundas, solo pariete carnis infirmæ seiungor. Vbi me abscondam? quò fugiam? qua ratione horrendum malum vltionis euadam? Ad te Domine clamabo; *Psal. 29. 9.* ad te Deum meum deprecabor. Quæ vtilitas in sanguine meo, ac in morte mea, dum descendo in corruptionem? Nulla profectò vtilitas tibi prouenit, immo vnum ex redemtis tuis à debito laudis, & gratiarum actionis excludes. Numquid enim confitebitur tibi puluis, in foueam inferni coniectus, aut annuntiabit veritatem tuam? Non sanè. Vt ergo te laudem,ab hac vltione terribili eripe me. *2. Odiū.* Et quidem tu,qui misericors es, & miserator,liberare me vis, & in me tuam bonitatem & charitatem declarare. Sed peccata mea ad infernum me trahunt, ipsa me, vt in ignem æternum cadam, impellunt. Ipsa ergo sunt hostes mei, hostes nequissimi, qui non mortem temporalem tantùm, sed mortem æternam mihi machinantur. Odio ergo habeo hostes istos infestissimos, malum destructionis & corruptionis ipsis volo, & cum eis nullum mihi esse commercium, nullam pacem acquiesco. *Psal.118. 113.* Istos iniquos odio habui,ô Deus, & mandata tua dilexi. Adiutor, & susceptor meus es tu contra illos, & in verbum tuum supersperaui. Declinate igitur à me maligni, separamini à me, quibus non consentio, quos toto corde fugio, & deinceps scrutabor mandata Dei mei, vt ea *3. Dolor.* intelligens amore & actione consecter. Nec solùm peccata sunt hostes mei, quatenus in meam necem perditionémque conspirant, sed & plagæ, quibus plagata est anima mea, & vulnera quæ cor meum transfigunt, mentémque confodiunt. Hæc autem vulnera ô Domine Deus, salus animæ meæ, quis enumerare sufficiat? Tot sunt, vt ea recensere non possim. O quoties cucurri post vulnera, dedignans incolumis præuidere iacula! O quoties neglexi prospicere tela, adeò vt modò soliciter de morte vicina. O quoties vulnera vulneribus inflixi, quia scelera sceleribus addere non timui. Recenti sæpe cicatrices labe respersi, quia prisca flagitia nouis iniquitatibus reciprocaui, & quæ tua solidauerat medicina, mea resoluit prurigo phrenetica. Et cutis quæ superducta vulneribus morbum celauerat, sanie erumpente putruit: quia iterata iniquitas concessam misericordiam exinaniuit. Si ergo ex vno vulnere corporis tanto dolore afficior, ex tot vulneribus animæ quem dolorem concipere & sentire debeo. Si ex vna plaga carnis clamo, cur ex tantis & tam putridis plagis mentis non flere & clamare compellor. Abstulerunt à me iniquitates meæ bona tua, rapuerunt gratiam, atque virtutem, & sine te qui es omne bonum meum, reliquerunt: quídni de tanto dispendio ac damno contrister? Enimuero te possidere summum bonum est, & caussa immensæ lætitiæ: ergo te perdere maximum damnum, ac caussa esse deberet immensæ tristitiæ. O cor meum lapide durius, saxo insensibilius, an non aliquando contristatum es, quia bonum temporale aut honorem, & bonam opinionem amisisti? quia amicum,aut consanguineum,aut patrem perdidisti. At per peccatum vita, & salus, & dignitas animæ amissa est, thesaurus incomparabilis perditus, verus Pater & Deus tuus à corde reiectus, & non tristitiam concipis, nec mœrore consumeris? Miser ille qui idolum amiserat, flebat, & eiulabat. A te verò non idolum lapideum, aut ex metallo conflatum, sed verus Deus ablatus est. Defle igitur infœlicitatem tuam, vt malum tam immensum lugendo fugias, & ad bonum tuum redire contendas. O Deus piissime, ô Rex & *5.Ira.* Deus potentissime, quis se à te elongauit? Ego. Quis te iniuria affecit? Ego. Quis me bonis supernaturalibus gratiæ spoliauit? Ego. Quis me occidit spiritali morte, & cruciatibus æternis addixit? Miser ego.Certè mihi non parcam,& de me iniquissimo te Dominum meum ac memetipsum vlciscar. Apostolus tuus dixit: Si nosmetipsos diiudicaremus, non vtique iudicaremur.] *1.Corin. 11.31.* Volo me iudicare, volo contra meipsum insurgere, volo mihi indignari, & irasci, vt fulmen tuæ indignationis effugiam. Mundus me fallacibus suis bonis allexit. Fateor. Diabolus inescare tentauit,& caro blandita est. Non diffiteor. At hi hostes nihil in me possent, nisi ego volens in meum excidium consentirem. Illis irascor, quia mihi iniquitatem suadere conati sunt. Sed multo magis aduersùm me indignabor, quia eorum suasiones audire non timui,& mortem ab ipsis propinatam, vt meæ voluntati satisfacerem, subire contemsi. *6.Horror.* Meritò autem dixi, quia mortem mihi propinarunt, quoniam peccatum mors est, cibus veneno infectus, aut potiùs venenum mortiferum. O Domine, rogo te per benignitatem tuam, aperi oculos meos, vt hoc pestiferum venenum intuear, & ipsum horream, & ab illo tamquam ab esca mortifera resiliam. Numquid poterit comedi *Iob 6.6.* insulsum, quod non est sale conditum? sed peccatum non tantùm insulsum est, quod miseram animam meam insulsitate complet, verùm & mortiferum est, quod hîc vitam gratiæ eripit, & nisi per pœnitentiam vomatur, mortem æternæ damnationis impertit. Quasi à facie ergo colubri fugio illud, quasi halitum serpentis horreo illud, velut à veneno mortifero resilio ab illo, ne postquam me semel occidit, æternæ morti damnationis inuoluat. *7.Pudor.* Pudet me, ô clementissime Redemtor, peccatum admisisse. Quid enim sunt peccata? An non turpitudines erubescendæ, fœditates viliſſimæ, quibus dehonestatus sum, & turpis effectus? Imple animam meam sancto pudore, ita vt præ erubescentia

oculos ad te leuare non audeam, ſed in imo vilitatis meæ fixos teneam. Ne quæſo poſt tantum malum in aliud peius incurrã, quòd abiecti pudoris arguar, dicatúrque mihi: Frons mulieris meretricis facta eſt tibi, noluiſti erubeſcere. Inueniárque cum illis quibus imputatum eſt, quòd peccatũ ſuum ſicut Sodoma prædicauerunt, nec abſconderunt. Enitar ergo peccata mea confeſſione abſcondere (nam ipſa eorũ in confeſſione detectio, abſconſio eſt) & contritione operire. Quotieſcũque verò eorum meminero, tantæ turpitudinis & fœditatis cauſſa, pudore ſuffundar. O quanta eſt eorũ ſpurcitia & fœculentia! Certè, Domine, nihil in rebus corporalibus tam ſpurcum eſt, quod non in immenſum à peccato immunditia ſuperetur. Multa in his rebus inueni adeò abominabilia, quòd ea ſtomacho ingerere nequaquam potui. Quanto magis debeo peccata non tam ſpurca, quàm ipſam ſpurcitiam abominari, & cum nauſea & horrore repellere. Iniquitatem igitur meam odio habui, & abominatus ſum, & nunc inpræſẽtiarum abominor, & ſordes iſtas meas, ac immunditias meas, ne ampliùs turper, ex corde faſtidio. Hæc peccata mea prophana ſunt, cultui tibi, Domine, debito, & omni pietati ac religioni contraria. Ipſis ſiquidem inhonoraui te, & templum tuum, ſpiritum meum pollui, & ad tibi ſacrificium laudis offerendum ineptum effeci. Ea proinde execror, & vt ſacrilega & impia tangere recuſo. Tanguntur peccata nõ ſolùm opere, non ſolùm conſenſu, & deſiderio, verùm & cogitatione. Quare in poſterũ nec velle illa nec cogitare ſuſtineo. Peccatori, ô Chriſte Ieſu, execratio cultura Dei. Heu mihi, quia aliquando cultum tibi debitum execratus ſum. Nunc autem execratio mihi omne peccatum: tuum autem cultum diligo, & omnibus modis amplector. Æquum denique eſt vt peccatum odio habeam, quoniam maledictio eſt, & anathema, cui qui ſe ſubiiciunt maledicti & anathematizati ſpiritualiter ſunt, id eſt, à te ſeparati, atque ſeiuncti. Eccleſia quidem mater pia non omnes peccatores anathemate percutit, aut à communione repellit: ſed ipſi ſe à bonis & iuſtis per peccatum ſeparant, & à bono tuæ benedictionis elongant. Quare tu præcepiſti vt peccator malediceretur, & vt pronuntiarent Leuitæ: Maledictus qui non permanet in ſermonibus legis huius, nec eos opere perficit. Et vt omnis populus reſponderet: Amen. Hoc ergo maledictum, id eſt, peccatum toto corde deteſtor, & ne maledictus ſim cauſſa illius, ipſum à me repello, & ab illo me ſeparo. Iam, ô mitiſſime Domine, omnibus modis, quos noui, peccata mea abominatus ſum, & à me repuli, atque reieci. Tuum eſt me iuuare, cor meum contritione confringere, luctu & mœrore complere, & in propoſito emendationis roborare. Tuum eſt his & aliis ſimilibus me ita diſponere, vt mei miſertus peccata mea deleas, & in profundum maris tuæ miſericordiæ proiicias. Eia, humillimè quantum poſſum obſecro, ita fac. Laua me à peccatis meis, libera me à vinculo iſto ferreo prauæ conſuetudinis, quo ligatus ſum, vt deinceps tibi ſeruiam, & in tuo amore ac gratia perſiſtam. Amen.

Ier. 3. 3. Iſai. 3. 9.

8. Abominatio.

Pſal. 118. 163.

9. Execratio.

Eccli. 1. 32.

10. Deteſtatio.

Deut. 27. 26.

Vt confitearis coram Domino peccata tua.

EXERCITIVM VII.

A

CONCEPTO acerbiſſimo peccatorum dolore, iam quartò exercebis te in veriſſima eorum confeſſione. Nunc autem non loquor de ea confeſſione, quæ ſacerdoti fit, ſed de ea qua in conſpectu Domini per feruentiſſimam orationem peccata noſtra pandimus, non quidem vt ipſe illa cognoſcat, cuius oculis omnia ſunt perſpicua, & manifeſta, ſed vt nos ad maiorem deſpicientiam noſtram, & ad feruentiorem contritionem excitemus. Illa poſt peccata mortalia diuinitus nobis præcepta eſt, & ſemel eorumdem peccatorum ad eam tenemur, in qua omnia & ſingula peccata, & circumſtantias ea grauiora facientes confitemur. Hæc autem à viris ſpiritualibus ad maiorem contritionem ex ſilice cordis eliciendam, & ad puritatis augmentum aſſumta eſt, qua poſt conuerſionem non ſemel, ſed ſæpius peccata etiam non ampliùs iterata, Domino aperiunt, vt abundantiorem miſericordiam cõſequantur. Sciunt enim ſcriptum eſſe: Qui abſcondit ſcelera ſua, non dirigetur: qui autem confeſſus fuerit, & reliquerit ea, miſericordiam conſequetur.] Quòd ſi ſemel, vt debet, confitens ſacerdoti locum Dei tenenti miſericordiam & indulgentiam adipiſcitur, ſæpe Deo ex humilitate & amore confitens ampliorem indulgentiam impetrabit. Poſtquam ergo aliquid de enormitate tuorum peccatorum cogitaueris, ſtatues te coram iuſtiſſimo Dei vultu, & lamentabiliter accuſabis te de tranſgreſſione legum ſuarum. 1. Quia peccaſti contra duo præcepta charitatis. 2. Quia contra decem præcepta Decalogi. 3. Contra præcepta Eccleſiæ. 4. Contra vota, ſeu ſtatuta ordinis, ſtatus, & vocationis tuæ. 5. Quia peccaſti in ſeptem peccatis capitalibus. 6. In nouem peccatis alienis. 7. In omiſſione operum miſericordiæ tam corporalium, quàm ſpiritualium. 8. In vſu Sacramentorum. 9. In prauo vſu virium animæ, & ſenſuum corporis tui. 10. In perditione temporis, & contemtu diuinarum inſpirationum. 11. Accuſabis te quòd omnem creaturam ac teipſum offendiſti. 12. Quòd omnibus Dei donis abuſus es. Sic ergo vt ſequitur vel aliis verbis, vt placuerit, non ore, ſed corde, cum magno mœrore & afflictione innumera peccata tua ad indulgentiam obtinendam manifeſtabis, & ſecundùm vitam, quam hactenus inſtituiſti (quod hîc explicare non poſſumus) ad particularia deſcendes.

B

C

D

E

Peccata in oratione Domino confitenda.

Summa affectus.

1. Accuſatio peccatorum contra præcepta charit.

PRAXIS.

O Domine Ieſu Chriſte, ô Fili Dei, qui es ſacerdos magnus, & ſummus Pontifex ſecundùm ordinem Melchiſedech, qui habes primam & ſummam poteſtatem dimittendi peccata, & nobis dolentibus & confitentibus flagitia noſtra indulgentiſſimè ſoles dimittere. En ego puluis, & cinis, peccator viliſſimus, & cruciatibus gehennæ digniſſimus, poſtquam ex præcepto tuo coram ſacerdote confeſſus ſum, venio ad te vt proſtratus ante pedes tuos cum fletu & lacrymis mea grauiſſima & enormiſſima peccata cõfitear. Quod eſt Domine præceptum quod ego non fregerim? quod peccatũ, quod non perpetrauerim? quod flagitium, quod non admiſerim? Quid nunc faciam niſi pœnitere, dolere, flere, eiulare, & mea vulnera manifeſtare, vt ſic apud te miſericordiam obtineam. Dolens igitur & mœrens confiteor tibi, ô Sacerdos ſancte, & immaculate, quia præcepta duo charitatis minimè cuſtodiui. Non dilexi te ex toto corde, ex tota anima,

& ex omnibus viribus meis, immo amorem meum in rebus viliſſimis & tuæ legi contrariis collocaui, & cogitationes ac deſideria mea à te ſummo bono impudenter auerti. Nec dilexi ſancto amore proximos meos, quorum aliquos planè odio habui, & malum illis concupiui; alios verò amore carnali & immoderato complexus ſum. Quæ mihi non volui, ſæpe illis feci, & quæ volo vt faciant mihi homines, illis præſtare nolui. Pœnitet me extra leges & iura charitatis vixiſſe: ea deinceps toto corde cuſtodiam, & gratia tua, quam vtique non ſubtrahis, te Dominum meum ac proximos diligam. Dolens cõfiteor tibi, ô Pontifex ſumme, quia multoties vniuerſa Decalogi præcepta præteriui. Ego infœlix tibi debitum cultum non exhibui, immo quodammodo ad ligna & lapides tranſtuli, quatenus per grauia peccata mea tibi excelſo Deo creaturam prætuli, & eam meum finem conſtitui. Nomen tuum in vanum aſſumſi, inuerecundè tractaui, ac te ſummam veritatem in teſtem falſitatis, aut vanitatis adhibui; & vota ac promiſſa numquam, aut ſerò reddidi. Dies tibi ſacros violaui, dum ſeruilia & vetita opera præſtiti, aut præſtari feci, & tempora orationi & verbo Dei audiendo dicata in ludis & comeſſationibus vanè conſumſi. Parentibus & ſuperioribus non obediui; eos non honorauì, ſed aliquando contemſi, & ore cum aliis loquens, aut corde mecum cogitans ipſos irriſi, & eorum iudicia atque ſententias imprudentes ac ſtultas exiſtimaui. Proximos percuſſi, aut læſi, & damnum illis, vt vlciſcerer, irrogare decreui. In corpus meum peccaui, & templum hoc tuum minus honeſtè tractaui, nec ipſum ac ſenſus meos limitibus caſtitatis continui. Aliena rapui, aut inuitis dominis eorum inutilia reddidi, nec quod debui, tempeſtiuè reſtitui. De proximis detraxi, eorum famam & bonam exiſtimationem abſtuli, dolos, mendacia, pernitioſa, adulatoria & ſimulatoria dilexi. Turpes cogitationes, impura deſideria, minùs honeſtas amicitias & delectationes admiſi. Bona aliena inordinatè appetiui. Doleo, & mœreo, quia hęc peccata & multa alia perpetraui, quia his ac aliis modis hæc tua ſancta præcepta fregi, & iuſtitiæ tramitem dereliqui. De cætero conſtanter mala fugiam, atque imperata cuſtodiam. Dolens & mœrens confiteor, ô Redemtor benigniſſime, quòd præcepta ſanctæ Eccleſiæ ſponſæ tuæ, ac matris meæ procaciter tranſgreſſus ſum. Sacroſancto Miſſæ ſacrificio, in quo tu verè Patri immolaris, diebus feſtis non aſtiti, aut in tempus minus opportunum Miſſæ auditionem diſtuli, aut diſtractè, & irreuerenter, & ſolo corpore, animo interim per inania vagante, tanto myſterio adfui. Indicta ieiunia non obſeruaui, aut ſaltem ſi quoad ſubſtantiam obſeruaui, in cibis tunc non vetitis lautitias, & delicias, non verò corporis caſtigationem quæſiui. Ad ſacramentum Pœnitentiæ aut non acceſſi ſtatis temporibus, aut ſine debito dolore, ſine ſolerti examinatione conſcientiæ, & ſine firmo emendationis propoſito illud ſuſcepi. Sacram Euchariſtiam, aut non ſumſi, aut tepidè, & frigidè, & ſine viuida fide comedi. Primitias vitæ meæ, & ſaltem decimas temporis mihi conceſſi nequaquam tibi ſummo ſacerdoti perſolui. Contriſtor, & angor, quia inobediens tibi & ſanctæ Eccleſiæ eſſe non timui, ac deinceps ei me ſincerè ſubmittam. Dolens & mœrens confiteor tibi, ô Paſtor benigniſſime, quia poſt arreptum melioris vitæ propoſitum nihilo melior factus conſuetudinem delinquendi non dimiſi, ſed eam mecum detuli, & quaſi ad aliam materiam tranſtuli. Ego poſt votum paupertatis non vilia, ſed pretioſa, non ſimplicia, ſed curioſa, non neceſſaria, ſed ſuperflua habere volui. De rebus ad vſum conceſſis pro libito, ac ſi eſſem earum dominus inſipienter diſpoſui; illis amore immoderato adhæſi, & impatienter ipſarum ſubtractionem tuli. Poſt votum caſtitatis perfectam mentis & corporis puritatem non tenui, hominum familiaritates nimias non abieci, ex quibus aliquid minus caſtum oriri poterat, & corpus meum ſeuerè & duriter non cohibui. Poſt votum obedientiæ mei iuris eſſe præſumſi, imperata imperfectiſſimè feci, voluntate & iudicio repuguaui, & ſuperioribus meis reuerẽter, ſimpliciter, & fideliter non me ſubmiſi. Statuta ordinis mei tanta conſideratione & prudentia ſancita minoris momenti putaui, & ex leuiſſima cauſſa eorum obſeruationem reliqui. Deteſtor hæc multiplicia peccata mea, & ex amore tui ab illis abſtinere conſtituo. Nunc autem ad priſtinam meam conuerſationem redeo, quoniam in his quæ ſequuntur vna ferè illius, atque iſtius, quam nunc habeo, ratio fœditatis eſt. Dolénſque confiteor tibi, ô Pater amantiſſime, quòd in omnibus peccatis, quæ capitalia dicuntur, multoties deliqui. Heu mihi, quia tumui ſuperbia, coanguſtatus ſum auaritia, infectus luxuria, conſumtus inuidia, dehoneſtatus gula, laceratus ira, & vinctus ac ligatus acidia. Hæc me à bonis operibus amouit, ira diſcerpſit, gula depreſſit, inuidia fefellit, luxuria excæcauit, auaritia coarctauit, & ſuperbia ſimilem dæmonibus reddidit. Et quaſi mihi propria peccata non ſufficerent, aliena ad meam damnationem accerſiui. Quia nimirum ab aliis peccata fieri iuſſi, vel verbo ſuaſi, vel quia ad ea conſenſu illexi, irritatione roboraui, laudatione, ſeu adulatione animaui. Item quia aliena peccata reticui, & abſcondi, conniuentia diſſimulaui, atque permiſi, rei per peccatum ablatæ quoquomodo participem me feci, & peccatores contra ius & fas defendere & tueri non timui. Nec ſolùm commiſſione, verùm & omiſſione ſæpius deliqui, & operibus miſericordiæ vacare contemſi. Nam eſurientes, cùm poſſem, non paui, ſitientes non potaui, nudos non operui; captiuos ſaltem peccatorum vinculis, non redemi: ægrotos non inuiſi, peregrinos, aut alios ad me diuertentes non ſuſcepi, & ſepulturæ defunctorum piè ac flebiliter non adfui. Inſuper peccantes non correxi, ignaros non docui, dubitantibus non rectè conſului, pro aliis ſubſidio indigentibus non oraui, mœſtos conſolatione non foui, iniurias non tuli, & offenſas non remiſi.

Sacramentis præcipuè Pœnitẽtię & Euchariſtię vtiliter, vt debui, non ſum vſus. Immo illud veluti ex conſuetudine, & non ex vero puritatis deſiderio frequentaui, nec prauæ vitæ meæ emendationem exquiſiui: vnde & eadem multis annis abſque vlla mutatione morum meorum ad confeſſionem adduxi, iſtud verò corde arido, diſtracto, & irreuerẽti ferè ſemper ſuſcepi. Ad te Dominum meum in hoc ſacramento ſumendum non me diligenter præparaui. Poſt communionem debitas gratias non retuli; & ac ſi ad te non acceſſiſſem, meos defectus repetiui. Quid dicam Domine? Quódnam beneficium tuum in tuam iniuriam non detorſi? Memoriam vanis & inutilibus cogitationibus aut recordationibus oppleui; intellectum ad noxia intelligenda deieci, voluntatem amore terrenorum irretiui. Viſum vanitatibus, auditũ curioſitatibus,

2. Cõtra præcepta Decalogi.

3. Cõtra præcepta Eccleſiæ.

4. Cõtra vota & ſtatuta.

5. In ſeptem peccatis capitalibus.

6. In nouem peccatis alienis.

7. In omiſſione oper. miſericordiæ.

8. In vſu ſacramẽtorum.

9. In prauo vſu virium, & ſenſuum.

odoratum superfluitatibus, gustum exquisitis lautitiis, & tactum impuritatibus, & omnes hos sensus aliis nullo numero comprehensis delictis & peccatis fœdaui. Tempus ad tibi seruiendum, & salutem meam operandum inutiliter, & non sine magno animæ meæ dispendio consumsi. Instinctus & vocationes contemsi, aut ad ea quæ iniungebas obsurdui. His omnibus, & aliis peccatis meis, quæ prę multitudine recensere non valeo, tibi sublimissimo Domino, ac amantissimo Patri iniuriâ intuli, Angelis & Sanctis contumeliam irrogaui, iustos ad mœrorẽ compuli, amicos prauo exemplo læsi, omnes creaturas ad indignationem accendi, animâ meam interemi, corpus pœnis æternis subdidi, & tui, ô beatitudo mea, & gloria mea, iacturam feci. Tandem, vt hodie flendi finem faciam, qui peccandi finem non facio, nullum est donum tuum à te mihi benignè donatum, quod non in instrumentum iniquitatis conuerterim. Tu vitam protelabas, & ego peccata protelabam, salutem custodiebas, ego verò prauitatem meæ voluntatis mordicus tenebam. Aduersitate obmurmuraui, prosperitate superbiui, in paupertate impatiens, in abundantia profusus, in beneficiis ingratus, in flagellis durus, & in vsu omnium bonorum stultus fui. Hæc est mea culpa, Domine, mea culpa, mea multiplex & maxima culpa. Non tam culpa sæculi me solicitantis, aut dæmonis mihi suadentis, aut carnis inuitantis, quàm mea culpa, quia absque dubio non peccassem, si sponte & liberè consensum in peccatum non præbuissem. Mea igitur est culpa cogitationis, mea est culpa loquutionis, & mea culpa prauæ actionis, quibus heu heu in obediens fui. Sed tu, ô Redemptor meus, benignus & misericors es, ignosce mihi, ignosce mihi, ignosce mihi, & miserationes tuas in hoc mare peccatorum & flagitiorum ostende. Non intres in iudicium cum seruo tuo, quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuẽs. Certè, Domine, si me solum aspicerem, desperarem. At quia te Redemtorem habeo viscera Patris habentem, nullo modo despero, sed in tua misericordia confido, & in tua benignitate respiro, in tuæ mansuetudinis abyssum me proiicio, atque ab ira tua me in tuis vulneribus ac plagis abscondo, & propter omnia, quę mei caussa egisti, & sustinuisti, salutem & indulgentiam consequi obsecro. Quam tu mihi dabis Rex regum, Domine dominantium, qui cum Patre & Spiritu sancto viuis, & regnas. Amen.

10. In perditione temporis.

11. Deum & creaturas offendi.

12. In abusu donorum Dei.

A

B

C

D

E

Vt statuas non peccare & ad satisfactionem te offeras.

EXERCITIVM VIII.

EXACTA modo prædicto omnium peccatorum confessione, sequitur vt propositum stabile ac firmum non peccandi concipias, & ad satisfactionem, & ad faciendos fructus dignos pœnitentiæ te offeras. Contritio enim vera non erit, quæ huiusmodi propositum emendationis adiunctum non habet. Et exiguitatem doloris nostri, vt adhibitis cõuenientibus pœnis, suppleatur iustitia, requirit. Ad veram pœnitentiam necessarium esse emendationis propositum Dominus per Ezechielem testatus est. Si impius, inquit, egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis, quæ operatus est, & custodierit omnia præcepta mea, & fecerit iudicium, & iustitiam, vita viuet, & non morietur. Satisfactioni quoque insistendum esse Ioannes Baptista proclamauit illis verbis: Facite fructus dignos pœnitentiæ.] Qui enim sunt fructus digni pœnitentiæ, nisi externa satisfactionis opera, quibus testamur nos peccatum animo reliquisse, & vitam in melius commutasse. Vt igitur hunc affectum in oratione habeas. 1. Breuiter dolorem peccatorum resumes. 2. Vitæ pristinæ renuntiabis. 3. Propositum emendationis concipies. 4. Te omni pœna dignum duces. 5. Ad omnem pœnam paratum te exhibebis. 6. Corpus tuum, & animam ad obsequium diuinum offeres. 7. Multa ad satisfaciendum desiderabis. 8. Specialibus pœnis sustinendis te subiicies. 9. Decernes satisfacere à te læsis. 10. Ignosces his, qui te quoquomodo læserunt. 11. Iterum veniam postulabis. 12. Gratias ages, & redamare Dominum te suscipientem propones.

Contritio propositũ nõ peccãdi inuoluit.

Ezech. 18. 21.

Luc. 3. 8. Est etiã satisfactio necessaria. Summa affectus.

PRAXIS.

ORex gloriæ Christe Iesu, Domine virtutum, ecce hodie iterum venio ad te, vt in cõspectu tuo peccata mea defleam, & à te misericordiam & indulgentiam requiram. Ego in gratissimus, infidelissimus, & iniustissimus peccator coram tua altissima maiestate astans me totum tibi prosterno, & ad pedes tuæ misericordiæ ac iustitiæ prostratus agnosco me in omnibus supradictis, & multis aliis, quæ me prorsus latent, tuam infinitam bonitatem offendisse, & tuæ magnitudini innumerabiles iniurias irrogasse. Eas omnes ex corde detestor, & execror: pœniter me quòd tuam legem abiecerim, præcepta contemserim, voluntati contradixerim. Doleo, & eiulo, quia in rebus tam grauibus & enormibus tibi displicui, tuam indignationem promerui, meipsum perdidi, & in ignem æternum properaui. Iam nunc, ô patientissime Deus, omnes meas iniquitates & flagitia defero, vitæ meæ perperam actæ renuntio, & à prauis ac distortis meis moribus quantum possum auerto. Huius rei gratia à te hactenus expectatus sum. Ad hoc me quottidie vocas, inspirationibus, vocibus, & exemplis bonorum frequenter inuitas. En iam pareo, iam post longam oscitantiam, & insensibilitatem cordis mei tandem obedio. Viam mandatorum tuorum ingredior, & vias iniquitatis complanatas lapidibus & scopulis, ad quos offendam, tua gratia adiutus derelinquo. Quia tamen prorsus infirmus & impotens sum, mihiipsi diffidens, & de tua infinita misericordia, fidelitate, & bonitate confidens, statuo integra & plena voluntate ampliùs non peccare, & in nullum peccatum sciens & volens consentire. Propono Domine quolibet potiùs bono priuari, & quodlibet malum etiam mortis ignominiosissimæ perpeti, quàm à te sũmo & vnico bono auerti, quàm tuæ rectissimæ voluntati cõtraire, quàm à tua, quam summè exopto, & omnibus creatis præfero, gratia & amicitia excidere, & tuam inimicitiam ac indignationem incurrere. Et quidem Domine, secundùm mandatum tuum iam integrè & apertè (quantum mea fragilitas potuit) idoneo sacerdoti omnia & singula peccata mea confessus sum. Si verò hoc minus sufficienter præstiti, paratus existo iterum & millies (si oportuerit) confiteri, & non vni tantùm sacerdoti, sed omnibus hominibus (si tu voluisses, quod tamen non vis) vniuersa mea flagitia, ad meam confusionem & humilitatem propalare. Si quę autem

1. Dolor peccatorum.

2. Abiectio pristinæ vitæ.

3. Propositum emendationis.

tem mihi occulta & incognita aut oblita ſunt, quotieſcumque mihi in memoriam venerint, ea expreſsè clauibus Eccleſiæ ſubiiciam. Certè, ô Pater amantiſſime, iniquiſſimus extiti. Quis vmquam fuit, qui tot ac tanta beneficia receperit, & illis tam infideliter ac malè reſpóderit, atque ego? Profectò nullus. Sum igitur omni pœna, & irriſione, & contumelia huius mundi & inferni digniſſimus. Non poſſum conqueri, ſi omnes creaturæ cœli & terræ ad me puniendum & cruciandum inſurgant; ſi me omnes vilipendant; ſi à me tamquam à communi peſte, & ab hoſte omnium iuſtorum abhorreant: ſi in me omnes cruciatus, omniáque tormẽta malefactorum deſcendant. Quid namque ſunt hæc ad tormentum meum, ſi cum meis flagitiis & miſeriis conferantur. Paratus ſum, ô iudex æquiſſime, quidquid volueris, ſuſtinere, modò tuam gratiam & amicitiam non amittam. Si vis, vt omnibus bonis temporalibus etiam ad vitam ſuſtentandam neceſſariis caream: ecce ego. Si tibi libuerit, vt omnis lætitia & gaudium me relinquant: ecce ego. Si placitum tibi fuerit, vt omnem iniuriã, contumeliam, irriſionem, improperium & vilipenſionem patiar, quam omnes creaturæ mihi inferre voluerint, aut potuerint: ecce ego. Si æquum putaueris me pœnis ſenſibilibus inferni punire, modò à tua gratia nõ excidam: ecce ego. Paratus ſum hæc omnia perpeti, ſi opportuna ſunt ſecundùm diſpoſitionem tuam, vt à peccatis meis liberer, & pro illis vtcumque ſatisfaciam. Infœlix ego corpus & animam meam omni flagitio & iniquitati ſubieci. Sed iam ab hoc puncto temporis ſtatuo ea tuo, ô Domine, obſequio & amori conſecrare. Nolo quidquã geſtare in memoria mea, niſi te Deum meam originem, & quod me ad tuam gratiam perduxerit. Nolo aliud intelligere, niſi te primam & ſimpliciſſimã veritatem, & creaturas in te, & propter te. Nolo aliud voluntate deſiderare, aut appetere, niſi te ſummam bonitatem, & tuorum mãdatorum exequutionem. In corpore meo tuæ paſſionis imitationem portare volo, eíque neceſſaria parcè tribuere, non alio fine, niſi vt onus pœnitentiæ ferat, & me à tuis obſequiis non impediat. Quin & ſi tibi placitum eſſet, omnibus neceſſariis volo ſpoliari, & nudus inueniri, vt tibi pauperi & nudo pro me facto conformer. Et quidem, ô Domine Deus, iudex & factor animæ meæ, ſi iuxta deſiderium meum, & ſecundùm deteſtationem, quam de peccatis habeo, pœna mihi eſſet imponenda, nõ facilè mihi ſatisfaceret. Centies enim me crucifigi permitterem ad vltionem peccatorum meorum. In quolibet articulo corporis mei ſpecialem pœnam ſentire vellem ad honorem nominis tui. Nihil eſt tam durum, tam aſperum, tam ſenſui meo & voluntati contrarium, quod non ſubire vellem, vt damna mihi à memetipſo per peccatum illata reſarcirem. At infirmus ſum, Domine, carnem fragilem geſto, vires corporis impares ſunt deſiderio: iccirco non quod vellem, ſed quod poſſum pœnæ & doloris ad ſatisfactionem aſſumam. Iam pœnitentiam à ſacerdote miniſtro tuo mihi iniunctam ſecundùm meam paruitatem impleui; quæ ſtatus & vocatio mea ad corporis caſtigationem preſcribit, & quæ prælati iniunxerunt vtcumque præſtiti, & deinceps præſtabo. Inſuper & his ieiuniis, his flagellationibus, & ciliciis, his demum vigiliis, & corporeis afflictionibus ſecundùm conſilium ac directionem Patris ſpiritualis caſtigabo meipſum, vt vel his ſaltem, quæ viribus meis ferre poſſum, vtcumque teſter me peccata deteſtari, ac ſatisfactionis exhibitionem percipere. Nec ſolùm erga te Dominum ac Deum meum, verùm & erga proximos ac fratres meos me compenſationis amatorem exhibere deſidero. Quapropter hîc coram te paratum me offero, ab omnibus quos aliquo modo offendi, læſi, vel irritaui, veniã petere, & coram illis me deiicere, & ſi bonam opinionem, vel aliquid iniuſtè abſtuli, plenè illis ac integrè reſtituere. Tu doce me quibus, & quando, & qualiter debeam reconciliari, & in quo teneor illis ſatisfacere, vt id ſecundùm beneplacitum tuæ voluntatis adimpleam. Quia verò tu, Magiſter bone, ita nos orare docuiſti: Dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris; vt peccata mihi à te dimittantur, volo dimittere. Propter amorem itaque & reuerentiam tui ignoſco verè, & ex corde omnibus & ſingulis, qui me vmquam quouis modo læſerunt, offenderunt, irritauerunt; vel nunc offendunt, lædunt, aut odio proſequuntur, vel in poſterũ offendent, aut perſequentur. Omnes hos & ſingulos amore complector, vt benefactores meos, qui multas occaſiones meritorum mihi dederunt. Eis bona opto, pro eorum incolumitate, & veris bonis ſupplex obſecro. Ipſíſque nec dulce verbum, nec benignum aſpectum denegabo, & quidquid boni potero in corpore & anima, fideliter præſtare conſtituo. Fiat, ô Deus fideliſſime, verbum tuum, & qui inimicos diligo, filius Patris cœleſtis efficiar, & qui malum mihi inferentibus ignoſco, à te clementer ignoſcar. Remitte, obſecro, mihi multiplicia peccata mea. Patientiam habe in me, & per gratiam & merita tua, vt potero, omnia reddam tibi. In tuam deſiderabilem amicitiam me recipe, & mihi in omnibus miſericorditer & benignè ſuccurre. Ne permittas me triſtem ac deſolatum exire à te, qui ſaluas & conſolaris reuertentes ad te. Confido igitur, quòd peccata mea deles, quòd miſericordia tua mea flagitia dimittis, quòd ampliùs eorum non recordaberis, quòd me in tuam gratiam recipis, & quidquid in me tibi diſplicet, tui amoris igne cõſumis. Ac propterea quas poſſum gratias tibi refero, & beatiſſimã virginem matrem tuam, ac omnes Sanctos, ſed præcipuè Angelum cuſtodem meum, & hos ſanctos Aduocatos meos ſupplex obſecro, vt ex parte mei tibi gratias agant, & pro hac benignitate tua, qua peccatores recipis, te miris laudibus extollant. Iam deinceps te diligere, tibi ſeruire, tibi in omnibus obedire volo, te amantem me redamare, te ſuſcipientem amplecti, te adiuuantem & excitantem ſequi, & vitam imitatore tuo dignam inchoare conſtituo. Ita fiat. Amen.

4. *Omni pœna me dignum duco.*

5. *Ad omnẽ pœnam me paratum exhibeo.*

6. *Ad diuinũ obſequium me offero.*

7. *Multa ad pœnã acceptare deſidero.*

8. *Specialem pœnam aſſumo.*

9. *Læſis à me ſatisfacio.*

10. *Eis qui me læſerunt ignoſco.*

11. *Veniã peto.*

12. *Gratias ago.*

Vt impugnes gulam.

EXERCITIVM IX.

POSTQVAM non paucis diebus ad modum expoſitum tua peccata defleueris, & ex toto corde fueris deteſtatus, in ipſa oratione peccatorum ſemina, id eſt, monſtra vitiorum extirpare curabis. Meditatio tua in attenta malitiæ vitiorum cognitione verſabitur, quam ex his quæ in primo libro de exterminatione mali, & promotione boni ſunt dicta, cognoſces. Affectus autem in hoc occupabitur, vt vitia ipſa interiùs deteſtãdo & proponendo ex tuis præcordiis euellas. Primò ergo bellum ſuſcipies contra gulam. Hæc autem eſt appetitus, ſeu concupiſcentia

Lib. 1. p. 1. à c. 3. vſque ad finem. Quid gula & actus eius.

Summa affectus.

ſcentia inordinata cibi & potus. In qua quinque modis potuiſti peccare. 1. Si horam conſuetam edendi abſque neceſſitate præueniſti. 2. Si cibos exquiſitiores quæſiuiſti. 3. Si quoſlibet cibos accuratiùs præparari expetiſti. 4. Si debitam cibi quantitatem exceſſiſti. 5. Si magno æſtu, & immodeſtè comediſti. In quolibet autem horum actuum ita procedes. 1. In conſpectu Domini peccata admiſſa confiteberis. 2. Ea odio habebis, & de ipſis dolebis,atque triſtaberis. 3. Ab illis fugies. 4. Emendationem propones, & oppoſitam virtutem deſiderando exercebis. 5. Gratiam ad exequendum poſtulabis.

PRAXIS.

B

O Chriſte Ieſu aduerſariorum noſtrorũ triumphator fortiſſime, iam peccata mea multa & grauia generaliter fleui, & odio concepto aduersùs ea,miſericordiam à te,& indulgentiam poſtulaui. Nunc vt tibi placeam, vtque me à peccatis magis auocem,& à vitiorum catenis liberem, volo in conſpectu tuo me quaſi vmbratili pugna exercere,& à te adiutorium gratiæ petere, vt poſtmodum ſciam opere & conuerſatione ipſa contra eadem vitia pugnare. Principio autem erubeſco valde,ac pudore ſuffundor, quia gulæ vitium puerile me ſæpe deiecit, immo & nunc vinctum ac compeditum tenet, & ad cœleſtia cogitanda ineptum reddit. Confiteor tibi, ô Domine,omnis moderationis amator, & abſtinentiæ ac ſobrietatis exemplar,quia non ſemel horam conſuetam mãducandi abſque neceſſitate præueni. Sic aut ieiuniũ fregi,aut in aliis diebus ab onere abſtinentiæ eccleſiaſticæ liberis non ſemel tantùm,aut bis,ſed ſæpe comedens me belluis,quoties ſe offert occaſio,comedentibus,ſimilem feci. Abominor tam vile peccatum, quo pecudum deſideriis ſubiacui, & quàm facile ab aliis vitiis grauioribus ſuperarer, oſtendi. Nam qui in modico iniquus fui, teſtificatus ſum, quoniam in maiori iniquus eram. O egregiam fidelitatem meã,quæ pomo, aut alio ſimili victa eſt, & concupiſcentiam viliſſimarum rerum quas interdum noxias experiebar, aſpernari non potuit! Fugio delicias guſtus, per quas in primos parentes meos amaritudo mortis intrauit, & non tantùm illos, verùm & nos omnes ipſorũ poſteros interemit. Auerſor delicias mihi beſtiiſque communes, quarum cauſſa deliciis Angelorum ſpolior. Conſolationes enim carnis quærens conſolationes ſpiritus guſtare non poteſt. Poſthac Domine, ab hac anticipata cibi ſumtione me vinci non ſinam. Semel aut bis conſuetis horis in quibus alij fratres comedunt,me reficiam. Extra hæc tempora omnino nil ſumam. Satis ſit mihi bis in die ad hæc abiecta me demittere, & libertatem ſpiritus neceſſitate carnis non voluptate temperare. Da omnium bonorum dator,vt ita faciam. Ne quæſo vnus in oratione,alius in conuerſatione,vnus verbis,alius operibus exiſtam. Sed quod hîc apud te ſtatuo, gratia tua complere ſtudeam. Confiteor inſuper tibi, ô Domine Deus meus,quia in hoc etiã gulæ & ventris mancipium me feci,quòd alimenta communia faſtidiui, & reſpui quibus cum aliis me cibare potui, & cibos delicatiores & ſuauiores exquiſiui. Id autem non vt corporis incolumitati conſulerem,quod cõmuniter ſimplicibus & communibus ſolet eſſe vegetius,ſed vt palati voluptati ſeruirem. O magnam ſtultitiam meam,caro me interemit, & illam immoderatè foueo. Caro mihi toties abſinthium peccati propinauit, & ipſi dulcia quæro? Illa me à ſuauitate ſpiritus auertit, ego verò illi quaſi veneficiis irretitus ſuauitates paro. Quis hæc vincula non abrumpat? Quis à tam manifeſta inſania non declinet? Quis hoſti infeſtiſſimo delectabilia offerri ſuſtinebit? Incraſſatus eſt dilectus homo exterior meus,& recalcitrauit, incraſſatus, impinguatus, dilatatus: & dereliquit te Deum factorem ſuum,& receſſit à te Deo ſalutari ſuo. Subtraham profectò ab eo, quæ ipſum impinguant,atque dilatant. Suauia illi & exquiſitiora negabo. Non tantùm hæc non quæram, verùm & propter amorem tuum oblata ab aliis, ſiue maioribus, ſiue æqualibus abſconditè intacta dimittam. Scio Domine ad hoc mihi opus eſſe adiutorium tuũ,ſine quo nõ dico iam acerrimo hoſti,verùm & eſcæ viliſſimæ in patella appoſitæ ridiculus ero,ac meum propoſitum non implebo. Confiteor tibi, ô benigniſſime Domine, quòd ſi alimenta communia accepi, ea non communiter præparari, ſed parata accuratiùs & exquiſitiùs expetiui. Miſerrimus ego in cibis animæ meæ,nimirum in oratione & lectione non multam præparationem deſideraui, quin potiùs hæc ſancta & tibi placentia negligenter ſatis, & oſcitanter peregi: at in cibis carnis morituræ, maiorem, quàm par erat, apparatum concupiui. Nec veritus ſum oneri eſſe fratribus meis, qui vt mihi ſingularia miniſtrarent, duos labores ſuſceperunt, vnum vt omnibus in communi, alterum vt mihi in ſpeciali ſeruirent. Hanc meam immortificationem auerſor, & non ſolùm communibus me contentum futurum, verùm & cõmuniter præparatis ſatis mihi fore conſtituo. Fac tu, Domine, vt de his abiectis rebus omnino taceam,vt nihil petam,nec verbo, nec ſigno,vt quod mihi miniſtratum fuerit,quocumque modo ſit præparatum,humiliter & cum gratiarum actione ſuſcipiam. Confiteor etiam Domine Deus, quia tum delicatioribus, tum communioribus cibis me vltra menſuram ingurgitaui, & naturam ipſam pauciora poſcentem,vt voluptati ſatisfacerem,cum detrimẽto ſanitatis oppreſſi. Heu me qui quo tempore debui ſpiritualibus ſtudiis & taciturnitati vacare, compulſus ſum præ nimietate ciborum loquacitati,& otioſitati,& ſomno inſipienter intendere. Eſcas vltra neceſſitatem accepi; vnde & tempore ſacrarum vigiliarum obdormiui, & in oratione mentem vacillantem & nutabundam inueni, quin & corpus meum omni puritate ſpoliatum habui. Hi ſunt ingluuiei fructus,quos iam cõſtanter fugio,& auerſor, & me vltra neceſſitatem nihil accepturum decerno. Aperi Domine oculos meos,vt quid mihi eſcarum ſufficiat,clarè cognoſcam,& omni nimietate reiecta,id ſolum cum ſimplicitate cordis accipiã. Confiteor tandem, ô Domine,non ſine dolore,& pudore,quòd mihi ad refectionem appoſita magno æſtu voraui, præcipitanter ſumſi, & modeſtam libertatem præteriui. Quamobrem me reficiens, & te præſentem non animaduerti, & Angelum cuſtodem meũ ad iram prouocaui,& quæ ad refectionem animæ legebantur, non intellexi, & accumbentes offendi, & in alios gulæ defectus impegi. Hæc omnia Domine odio habeo,& ab hac hora me declinaturum ſtatuo. Da obſecro vt in cura corporis mei debitam menſuram teneam, & aliquid mihi ſubtraham,vt pro meis peccatis ſatisfaciam. Amen.

* * *

1. Horam præueni. Confeſſio.

Odium.

Fuga.

Propoſitum.

Poſtulatio.

2. Cibos delicatiores quæſiui.

Deuter. 32. 15.

3. Cibos accuratiùs præparatos expetiui.

4. In quãtitate exceſſi.

5. Magno æſtu comedi.

Vt impugnes luxuriam.

EXERCITIVM X.

Quid sit. In huius considera tione non immorãdum.

VM luxuria tibi secundum certamen est, quæ definitur inordinatus impuræ voluptatis appetitus. A qua cloaca consideratione auertes, & solo dolore aduersùs eam, & pudore & contritione pugnabis. Hoc enim vitium tam pestilens est, vt eius sola cogitatio puritati mentis officiat. Animam in vilitatem bestiarum deiicit, corpus ab optima dispositione dimouet, famam & bonam opinionem corrodit. Omne vitium fœtidum est, sed luxuria fœtidius, quòd non solùm casti & puri, verùm & luxurioſi atque impuri tetrum eius odorem quo delectantur, exhorrent. In detestationem luxuriæ, sicut & in odio & impugnatione gulæ procedendum est. Vt verò faciliùs & vehementiùs ab illo resilias, ita te geres. 1. Omnium peccatorum ad ipsum pertinentiũ simul te accusabis. 2. Ea omnia detestaberis, & contritione delebis. 3. Ab illis fugies, téque nõ in ea incidisse desiderabis. 4. Emendationem propones, & oppositam virtutem desideriis exercebis. 5. Gratiam ad castè viuendum petes.

Est vitium impurissimum. Summa affectus.

PRAXIS.

O Domine Iesu Christe, Virgo purissime, Virginis filius, virginum sponsus, & virginitatis magister, & dux qui puritatem Angelorum sponsam, & cœlestis patriæ ciuem tuo sacro aduentu in terram aduexisti, & animabus suæ carni vim inferentibus copulasti, non audeo tibi assistere, nec ad te faciem meam leuare ob multitudinem spurcitiarum mearũ, & ob fœditatem immunditiæ meæ, qua spiritum ad te diligendum & amplectendum creatum carni & turpissimæ voluptati subieci. Sed obsecro te per immensas ac multas miserationes tuas, ne repellas neque auerseris me, sed permitte mihi loqui ad te, & flere calamitatem meã in conspectu tuo, vt eam, quæ ita me inquinat, lacrymis compunctionis diluam. Sol iustitiæ diceris, & bene, ac bene diceris, es etenim. Sol autem in cœnũ, seu cloacam sua luce descendens non inficitur, immo locus immundus illius splendore & calore mundatur. Ita licèt tangas me, qui peccator sum, & dissimules, si pedes misericordiæ tuæ lacrymis lauero, absque dubio nullas sordes contrahes, sed sordes animæ meæ tactu tuæ puritatis absterges. Agnosco, ô Domine Deus, & dolens ac erubescens confiteor, quia plurima admisi, quibus hoc templum animæ meæ turpiter profanaui. Cogitationes impuras non repuli, sed eas quasi furtiuè audiens in sinu concupiscentiæ ignem abscondi. In expulsione earum non solùm negligenter me habui, verùm & sciens & volens eas in corde manere permisi. Interdum etiam in scelus palàm manifestéque consensi. Verba minus casta protuli, aut audire non timui, & cantilenas ignem concupiscentiæ spirantes auribus libenter excepi. Corpori meo vt insolesceret, supra necessitatem indulsi, & molliſſimis indumentis ab statu meo & professione vetitis, amiciui, & oculis minus pudicis conspexi. Hos feci internuntios turpitudinis, & alienam pulchritudinem videre suasi, & cor in amorem formæ propositæ exardescens timore tuo frænare destiti. Nimiis familiaritatibus & amicitiis intendi, & cor meum amore impuro maculaui, & non vt sponsam tuam decebat, custodiui, sed in cor adulteræ meretricisque conuerti. Opera autem mea quid in medium proferam? quæ omnis pudor & sanctitas huius loci, in quo coram te asto, proferri vetat. Agnoscis Domine miserias meas, vides leuitates meas, quas nunc erubesco animo cogitare, & eas generaliter tibi confitens non libet aliud nisi flere. Abominor, atque detestor, ô Redemtor purissime, hæc impurissima scelera mea, quibus templum tuum violaui, in corpus meum peccaui, vas meum ac si te ignorarem, in passione desiderij possedi. Pudet me, quia tuam verè paternam benedictionem perdidi, miserrimæ seruituti me subieci, ex homine brutum feci, & à cœlesti patria, in quam nihil immundum ingreditur, relegaui. O quàm mihi dolent hæ putridæ & putidæ cicatrices meæ, ô quàm animam meam hæ plagæ ignominiosæ discruciãt! Dulcis videbatur cibus in ore meo, nunc autem vehementer amaricatus est venter meus, quia sub doloso melle fel mortis intrauit, quod me à vita gratiæ in vermes & corruptionem deiecit. O si numquam gustassem quod gustatum affert mortem. O si numquam ignem admisissem, qui vsque ad perditionem deuorat, & omnia eradicat virtutum genimina. O si numquam iram tuam prouocassem, dum Spiritum sanctum tuum qui aufert se ab impuris cogitationibus & desideriis à meipso exire coëgi. Fugio Domine pessimum vitiũ, quod corpus inquinat, animam maculat, intellectum obnubilat, voluntatem indurat, & ardore fœdissimo meam substantiam inflammat. Ab eo me separo ac diuello, per quod polluitur terra, tremunt elementa, denigrantur sidera, cœlum indignatione repletur, & quidquid decoris & honestatis est in humana specie, quidquid rationis, & meriti, quidquid virtutis & religionis, euertitur. Quid non turpitudinem fugiam cuius iniquam sobolem horret animus nominare. Ab ea enim prodit in me cæcitas mentis, inconsideratio mortis, cogitationum & desideriorum inconstantia, inordinatus amor mei, præcipitatio operis, affectio nimia ad præsens sæculum, auersio à te vnico bono meo, & desperatio assequendæ vitæ futuræ. Firmiter propono coram te, ô Pater amantissime, posthac tam infami vitio numquam fœdari, & carnem meam tibi consecratam ab opere nefario subducere. Iam sensus meos cohibebo, ne aliquid immundum percipiant; corpus affligam, ne molliter tractatum lasciuiat: cogitationem frænabo, ne in id quod non decet, intendat. Immoderatas familiaritates auersabor, ne amor minus purus inualescat. Volo omnino cor meum ad res cœlestes considerandas efferre, vt à terrenis auulsum faciliùs possit omnem obscœnitatem detestari. Descendat, ô Domine Deus, ros gratiæ tuæ super me, qui concupiscentiæ ardorem extinguat. Reprime sensus meos, ne in impudica ferantur: cohibe cogitationes meas, ne quoquo modo polluantur: munda & purifica cor meum, vt purum tibi & immaculatum offeratur. Fac me labendi occasiones fugere, vt corpus meum & anima mea tibi absque corruptione seruentur. Da denique castitatis spiritum qui faciat me suauiter tibi authori puritatis inhærere, & omnem amorem sæculi declinare. Amen.

1. Accusatio.

2. Dolor.

3. Fuga.

4. Propositum.

5. Postulatio.

Vt pugnes contra auaritiam.

EXERCITIVM XI.

Quid auaritia.

Quãtum eius malum.

Nõ semper mortalis.

Summa affectus.

Hebr.12. 16.

1. Accusatio.

2. Odiũ.

3. Desiderium.

4. Propositum.

5. Postulatio.

DOMITA praua carnis concupiſcentia, pugnabis contra auaritiam,quę bona temporalia minimè neceſſaria naturæ,nec ſtatui appetit,aut neceſſaria inordinatè concupiſcit. Vnde hoc vitio ſordidaris non tantùm cum aliena indebito modo ſurripis, verùm & cùm propria ſuperuacua non abiicis, aut vtilia cum nimia adhæſione poſſides. Nec putandum eſt hoc vitium leue eſſe, quod animam compeditam tenet, ne in ſpiritualia & vera bona tendat, & repletam rebus viliſſimis cœleſti theſauro diſpoliat. Eo munditiam cordis amittimus, quoniam rebus inferioribus amore miſcemur, ianuam multis peccatis aperimus, quia omnium malorum radix cupiditas plantata in cordibus noſtris non poteſt non multa, quibus nos perdat, germinare. Et eo ipſo quòd mammonæ ſeruimus peſſimo domino,ab obſequio Domini ſeparamur. Nec refert quòd auaritia vſque ad graue peccatum aliquando non procedat:nam in ea menſura,qua animam inficit, perfectioni quam deſideras, impedimentum apponit. Ex minoribus quoque ad maiora procedimus,& dum minus putamus, cor Deo vacuum, & mundo plenum inuenimus. Ergo aduersùs hoc vitium. 1. Admiſſa peccata confiteberis. 2.Ea odio proſequeris. 3. Te non deliquiſſe deſiderabis. 4. Emendationem propones. 5. Tandem gratiam poſtulabis.

PRAXIS.

O Chriſte Ieſu, ô vnigenite Fili Dei,ô Domine qui es theſaurus meus, & vnicum bonum meum, ingens profectò eſt ſtultitia mea, qui ac ſi tu mihi non ſufficeres,res perituras amaui, & domicilium cordis mei, iis quæ me non ſatiare, ſed fœdare poſſent, impleui. Amaui caduca, & amiſi perpetua,amaui terrena,& abieci cœleſtia, poſſedi creata,& te bonum increatum & meam hæreditatem perdere non curaui. Profanus fuit Eſau, qui propter vnam eſcam vendidit primogenita ſua:ſed ego magis profanus qui pro amore & poſſeſſione terrenorum cœleſtem hæreditatem contemſi, & mihi æterni regni ianuam occluſi. Iam nunc cum dolore & pudore confiteor tibi peccata mea, quibus ab auaritia ſuperatus peccaui. Antequam ſæculum, ô Domine,te vocante deſererem, more inſipientium hominũ qui theſaurizant in terris, vbi tinea & ærugo demolitur,& vbi fures effodiunt,& furantur, opes mundi habere concupiui. Ad hoc labores meos, & ſtudiorum initia dirigebam, vt pinguem aliquam Eccleſiæ adminiſtrationem obtinerem,qua non pauperes alerem (quod debitum eſt) ſed meipſum pecuniis ditarem. Et hæc quidem tunc, in futurum appetebantur: ſed pro illa ætate veſtes pretioſiores deſiderabam, quibus filij nobilium & diuitum fulgebant; itémque argentum & aurum,quo gulæ ſatisfacerem,& ea quibus pueri delectantur,coëmerem. Cruciatus mihi erat iſtis carere, & coætaneos meos hæc habentes fœlices putabam. Citò tamen, ô Pater amantiſſime, affulſit mihi lux tua, qua harum rerum vilitatem aſpicerem, & periculoſa initia fugerem, ad téque melioris vitæ aſſumtione conuerterer. Sed vtinam cum mutatione ſtatus, cordis mei cupiditates mutaſſem. At non abieci concupiſcentiam oculorum, ſed mecum detuli, & non affectum, ſed res quas amarem mutaui:immò (quod peius eſt) viliora & minora appetens,viliorem & abiectiorem me feci. Quid refert quòd cupidus non ſum numorum, ſi cupidus maneo librorum,& aliorum minimorum, quæ non neceſſitati, ſed prauæ cupiditati ſeruiũt. Deſideraui habere ſuperflua; neceſſariis immoderatè adhæſi, & in eis curioſitatem & ſuperfluitatẽ concupiui:omnia vt abundanter ſuppeterent,& vt nihil omnino deeſſet, ac penuriam à me ablegare volui. Vnde ſtatum paupertatis non ad meritum, ſed ad cumulum delictorum aſſumſi. Deteſtor, ô Redemtor dulciſſime, hæc vincula cupiditatum mearum,quibus à te liberatus,memetipſum illigaui. Odio habeo auaritiam cordis mei,qua me à tua imitatione,quam profeſſus ſum, exortem reddidi. Tu filius Dei temetipſum exinaniſti, formam ſerui accipiens propter me:ego è contra rebus temporalibus impleo & impinguo, & verè cœleſtibus bonis euacuo. Tu indigentiam ac penuriam amplexus es,vt pro amore tui aliquid indigentiæ ſuſtinerem: ego verò omnem indigentiam hactenus declinaui,ita vt me non imitatorem tui,ſed mundi,& eorum quæ in eo ſunt,amatorem oſtẽderem. Reliqui mea, conſilium euangelicæ paupertatis amplectens,& furatus ſum aliena, conſilium idem paupertatis iam per votum in rem obligatoriam tranſlatum euertens. Quoddam enim furti genus eſt, quæ aliis fratribus vſui eſſe poſſent, ſuperfluè poſſidere, eóſque rebus ſibi ad vſum aſſignandis priuare. Puderet me furti apud iudicem,vel prælatum accuſari:quídni erubeſcam apud te qui iudex & Dominus meus es, de non cuſtodita paupertate, & de eorum, quæ reliqueram, amore conuinci. O ſi numquam animam meã amore terrenorum infeciſſem! ô ſi curioſa & ſuperflua minimè quæſiuiſſem! ô ſi neceſſariis tam immoderatè non adhæſiſſem! ô ſi me liberum ab his catenis auaritiæ ad te cogitandum & diligendum ſeruaſſem! Vocabas me ad nuptias ſpirituales, ad cœleſte conuiuium. Ego autem cum illis miſeris reſpondebam: Iuga boum emi quinque,& eo probare illa, rogo te,habe me excuſatum. Perfectionis delicias amiſi, dum me pro terrenis poſſidendis ab obedientia tuæ vocationis excuſo. Sed iam fugio ab his temporalibus, ſeparo me ab exterioribus vt ad interiora conuertar, & non rebus inutilibus, ſed tibi amatori ſanctitatis intendam. Intelligam, ô lux mea, ô præceptor animarum,auaritiæ germina, & ea animosè ſuccidam. Hæc & hæc apud me ſuperflua eſſe video,ea nunc corde in conſpectu tuo, & poſt modicum,quæſita opportunitate,etiam actione relinquo. Agnoſco quia his & his neceſſariis nimis adhæreo,& ſiquidem illa opere ablegare nõ poſſum,nec id eſt ſecundùm voluntatẽ tuam; cordis tamen nimiam adhæſionem extirpo. In his de cætero curioſitatem non quæro, ſi defuerint, aut minus commoda fuerint, non conqueror, ſed in ſimplicitate cordis ad liberum vſum aſſumo. Firmiter ſtatuo cor meum ab amore terrenorum abſtrahere,& paucis ac ſolis neceſſariis eſſe contentum. O igitur, tu Domine, qui es omne bonum meum,& infinitus theſaurus animæ meæ,da obſecro mihi, vt te ſolum quæram, & præter tè, nihil concupiſcam. Sciam per gratiam tuam qui propter te maiora quæ habui,aut habere potui,reliqui,etiã minora, quibus nunc adhæreo, & viliora contemnere. Ne quæſo tam inſipiens ſim, vt ea congeram quæ me non ſatiant,vt ea quæram, quibus fortè numquam fruar: vt ibi congregem, vbi certum eſt quòd congregata poſt paululum amittam: vt ea cupiam quibus me ſeruum cupiditatum faciam,& me vinculis curarum deuinciam. Abrumpe compedes cupiditatis meæ, diſſolue vincula

colli mei, tolle à me amorem sæculi, & desiderium possidendi terrena, vt te Deum meum & cœlestia possideam. Amen.

Vt pugnes contra iram.

EXERCITIVM XII.

Quid sit ira. Animus leniẽdus.

POst pugnam contra auaritiam, bellum institues contra iram, quam definiuimus immoderatum appetitum vindictæ. Conaberísque non solùm peccata indignationis & excandescentiæ deplorare, verùm & animum tuum lenire, & ad pacem & tranquillitatem componere. Memineris te indulgentiam peccatorum multorum à Domino postulasse, & adhuc postulare, quam absque dubio non consequeris nisi fratri ex corde dimiseris. Immo te increpabit, dicens: Serue nequam, nónne oportuit te misereri conserui tui, sicut & ego tui misertus sum.] Quottidie dicis orans Dominum: Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.] Vnde teipsum damnas, si vindictam aduersùs fratrem in corde custodias. Nec tibi complaceas cogitans, quia fratribus magna mala non infers, aut ingentia damna nequaquam desideras. In hoc enim quodãmodo magis elucet prauitas tua: quia si minora condonare non sufficis, nec te ad hæc remittenda cogis, quomodo maiora condonabis? Flebis ergo siue proximum grauiter, siue leuiter læseris. Si grauiter, quia crimen admisisti, & te indignum Dei misericordia fecisti. Si leuiter, quia cùm te in minima iniuria condonanda non viceris, testimonium præbes, quia maiorem, si incidisset, non remisisses. Affectum itaque aduersùs iracundiam 1. ex humili confessione. 2. vehementi dolore. 3. intimo desiderio. 4. firmo proposito. 5. ac tandem postulatione complebis.

Matth. 18.33. Matth. 6.12.

Modica ira etiã deploranda.

Summa affectus.

PRAXIS.

OIesu piissime, ô Rex patientissime, ô agne mitissime, qui coram tondente te obmutuisti, & aduersùs iniuria afficientem te non aperuisti os tuum. Qui cùm patereris, non comminabaris, & non tantùm non comminabaris, verùm & pro persecutoribus moriebaris, nũc mansuetudine tua vtere, vt audias me. Meritò autem postulo, vt in audienda confessione mea mansuetudine vtaris, quoniam si humano modo loquamur, non sustinet agnus mansuetus tigridem iracundum, & leonem immanem apud se confabulari. At tu Domine, qui ita agnus es, vt neminem timeas, & vt feras immanes in agnos conuertas, non dedignaberis dolore oppressum suscipere, & emendationem vitæ statuentem audire. Loquar iam in amaritudine animæ meæ: dimittam aduersùm me eloquium meum, proferam in cõspectu tuo nequitiã meam, qua dum alios lædere volui, memetipsum interemi. Confiteor tibi, ô Deus meus, cum magno dolore cordis mei, quòd antequam sæculo renunciarem eos à quibus quoquomodo læsus sum, vel iniuria affectus, aut actione læsi, & vulneraui, & percussi, aut si non ita feci, tamen efficaci voluntate præstare volui, & non timor transgressionis legis tuæ, nec alius bonus affectus, sed sola impotentia me à retalianda iniuria cohibuit. Sæpe iniurias operum, quas irrogare non potui, verbis suppleui, & in proximos meos cõtumelias iactaui. Post conuersionem meam haudquaquam vitium iræ deposui, sed in corde me stimulum perditionis meæ ad vindictam custodiui. Sæpe alios ex leui caussa duriter & insulsè & irreuerẽter sum alloquutus, adeò vt prælatis & superioribus meis non pepercerim, sed eos indignatione & irreuerẽtia mea cum aliorum scandalo contristauerim. Heu quoties amarissimis querimoniis & temerariis detractionibus, vlciscerer, maiores & æquales iniuria affeci. Heu quoties tristitia vultus, & inepto silentio cordis mei maleuolẽtiam ostendi. Heu quoties falsa quadam leuitate, & risu, aut potiùs irrisione, & quasi contemtu fratris in me, & in illo iracundiæ scintillas excussi? Nec in his se continuit indignatio mea, verùm & aliquando præ furore à consortio fratrum meorum me sequestraui, & à communi oratione me subtraxi, communi fratrum labori non adfui, immo cibũ sumere (vt ieiunarem diabolo) prætermisi. Ira autem mea non citò efferbuit, sed ad longum tempus in corde auersio erga aliquos, & amaritudo seruata fuit. Quin etsi aliquando prælationis onus subij, in quo loco præcipuè mansuetudinem tuam imitari debui, in cogitatione mea velut taurus me extuli, & subditos meos per amaritudinem meam peiores feci, & nõ ad emendationem, sed ad desperationem adduxi. Pœnitet me, ô Saluator meus, in tot ac tanta peccata iræ & furoris incidisse. Detestor satis iteratam indignationem meam, qua meæ vilitatis oblitus in alios meliores insurrexi, & qua (quod peius est) humanæ dignitatis ignarus meipsum turpiter fœdaui. Nam vir iracundus, turpis est. Erubesco, quia in conspectu tuo & Angelorum, & cum scandalo fratrum meorum debitam mei cordis, & corporis præ æstu furoris, tranquillitatem amisi. Cor irę stimulis incitatum palpitabat, corpus tremebat, lingua verba præcidẽs, & quasi balbutiens seipsam præpediebat. Trucibus oculis fratrem aspexi, faciem quasi igne turbaui, linguam ad ea proferenda, quæ nesciebam dissolui, & fœdis motibus insaniui. Sed præcipuè doleo, quia per iracundiam tibi displicui, legem tuam præteriui, non solùm iudicio, & concilio, verùm & gehenna ignis dignum me feci, & tuæ misericordiæ, qui non parcentibus minimè parcis, ianuam occlusi. Vellem quidem, ô Domine, iracundiæ peccata non admisisse, vellem numquã fratres meos irritasse, vellem pacem cum omnibus & concordiam tenuisse. Depono onus furoris mei grauius saxo, & onerosius arena, quo animam meam oneraui, atque depressi. Fugio ab ira, quæ non solùm iustitiam non operatur, verùm & iniustitiæ ac iniquitatum fons est: quæ nullam habet misericordiam, & de rebus proximi durè iudicat: quæ me apud astantes stultum reddidit, & clamores ac perturbationes suscitauit. Statuo firmiter apud te, ô Redemtor mansuetudinis ac lenitatis exemplar, iram meam frænare, & me ad omnem pacem & tranquillitatem componere. Iam illa custodiam, quibus iracundiam comprimam, & omnem motum indignationis cohibebo. Iniurias mihi illatas in pœnam meorum peccatorum, & vt medicamina meæ superbiæ & vanitatis accipiam, non tam ab homine profectas, quàm à te ad bonum meum ordinatas agnoscam: iratus aut nihil loquar, aut si loquendum sit, ad verba blanda & lenia proferenda me adigam. Sol non occidet super iracundiam meam, & beneficiis ac bonis operibus inimicos, aut à me alienatos ad pacem inflectam. Ita volo, ita desidero. Sed tu Domine, qui dolorem conceptæ iracundiæ immittis, qui voluntatem

1. Confessio.

2. Odiũ.

3. Desiderium.

4. Propositum.

5. Petitio.

tatem frænandæ iræ tribuis,da obsecro exequendi facultatem. Iam me vtcumque cognosco,iam scio quàm facile proposita bona frãgo:iam noui quàm longè distet sæpe ab actione voluntas. Expertus sum me facile statuere, & bona desideria concipere,quia paruo constant,& satis difficulter operari. Triblie mihi, oro, per lenitatem tuam cor mite, animum pacatum, spiritum tranquillum. Da oculos quibus pulchritudinem mititatis aspiciam, & affectum, quo eam diligam, & impensè cupiam. Da vt lapsus in iram non desperem,de emendatione non diffidam,sed iterum à peccato resurgam,vt emendatus tandem mitis euadam, & te donante viuentium terram possideam.

Vt dimices aduersùs inuidiam.

EXERCITIVM XIII.

Quid inuidia. Vitium pessimũ.

VINTVM bellum suscipies aduersùs inuidiam,quæ est tristitia de bonis proximi, quatenus illorum possessione nos superat,siue excedit. Vitium pessimum, & execrabile, quod reginam virtutum charitatem oppugnat, quod Deo maximo contrarium est, qui non hunc,aut illum dumtaxat, sed omnes in vniuersum suorum bonorum participes efficit:quódque Angelis inuisum agnoscitur,qui de bonis tum iustorum, tum etiam peccatorum (quod amplius est) valde lætantur. Inuidia indicium est animi pusilli, & amore rerum terrenarum superati, & à desiderio æternę hæreditatis alieni,qui ex eo quòd istam non appetit,& illas concupiscit, si proximus habeat,liuore tabescit. Non poteris, nisi inuidiam prosternas, ad aliquam saltem mediocritatem virtutis accedere. Quoniam hanc omnino præit rerũ visibilium contemtus. Qui enim terrena nimis æstimat,& amat,nõ potest amare cœlestia. Si autem inuidus fueris, satis manifestè attestaris, quia ad visibilia & caduca inhias,cœlestia autem nihil curas. Putredo ossium inuidia dicitur,nõ solùm quia corpus ipsum exedit, verùm quia ossa animæ, virtutes nempe consumit. Si cum inuidia tabescente iter non habebis, quoniam talis homo non erit particeps sapientiæ, quanto minus eam in corde gestabis quæ te stultum & Deo odibilem faciet,& mentis robur euertet. Igitur 1. peccata inuidiæ confiteberis. 2. Ad dolorem illorum te excitabis. 3. Desiderium emendationis elicies. 4. Proposita contra huiusmodi vitium concipies.Et 5. gratiam & amorem postulabis.

Indicium pusillanimitatis.

Prou.14. 30. Sap. 6. 25.

Summa affectus.

PRAXIS.

O Christe Iesu, ô vnigenite fili Dei,qui ex ineffabili charitate tua nos in fratres accepisti, & ab æterno Patre adoptari voluisti,vt nos ad veram fœlicitatem extolleres, & veram erga fratres charitatem doceres, longè factus sum ab imitatione tua, & alienus à benignitate tua, quia fratribus meis bona non volo, sed potiùs inuidia tabesco. Oculus meus malus est,quia tu misericors & benignus existis.Quæ enim proximi bona habent, à te authore bonorum processerunt, & quia illos bonis cumulas,ego contristor. O summam meam insipientiam! Si fratres diligerem,& eis bona vellem, eorum particeps fierem : quia tamen inuidia me tenet,egenus & nudus persisto.Nunc effundam cor meum in conspectu tuo, & nequitiam eius

1. Accusatio.

aperiam, vt tu magnus animarum medicus vlceri meo conueniens medicamentum apponas,& sanitati restituas. Fateor,Domine,miser fui,quia inuidus fui. Nam quid miserius,quàm bonis carere,& ex aliorum fœlicitate tristari.Sæpe tristitia ac mœrore contabui ex bonis fratrum meorum ; & quia illi meritò laudabantur,& honorabantur,ego æstu furoris exarsi. Mihi ablatum quasi per iniuriam putabam quidquid illis ex virtute laudis & honoris accedebat. Eorum gloriam meam existimabam iniuriam.Econtra verò si quid mali,si quid aduersi illis accidisset,si quid minus honorificum de ipsorum scientia,aut prudentia, aut ingenio, aut aliis similibus dictum esset,latenter gaudebam,& ac si sinistra de illis concepta opinio mea gloria esset, mihiipsi gratulabar. Fratrum bona & virtutes taciturnitate suppressi, vitia verò, & casus reuelaui, immo & virtutes illorũ vitia esse per calumniam edixi. Atque liuore infectus eousque processi, vt bona opera,quæ ego præstare non poteram,in aliis fratribus quomodo poteram detractionibus impedirem. Hæ sunt, ô Pater dulcissime, amaræ soboles inuidiæ meæ, quas vehementer quantum possum,execror,atque detestor.Doleo,quia in corde meo hanc radicem malorum seui,hunc fontem cladium aperui, istud seminarium delictorum effodi. Vehementer cõtristor,quia cùm inuidia diaboli mors introisset in orbem terrarum, imitatus sum illum per inuidiam, mortem animæ in cor meum inuehẽs,& factus sum ex parte illius.Quídni illa peccata detester,ex quibus nulla mihi vtilitas prouenit.Nam ex aliis peccatis (secundùm hominem loquor) fortè aliquam vtilitatem accepi, quatenus aut bona temporalia, aut voluptatẽ, aut honorem promoui, propter quæ tamen non debui tibi displicere. At ex inuidia quid mihi vtilitatis accreuit? quæ animum meum discruciauit, cor mœrore confecit,corpori maciem & pallorem attulit. At præcipuè ob hanc caussam abhorreo ab inuidia,quia tuæ est,Domine,charitati & benignitati contraria. Tu enim de bonis hominum, quæ in illis facis,lætaris : ego econtra de eisdem bonis, ac si à me surriperentur, tristitia afficior:vnde tibi quasi ex diametro aduersor. Hæc igitur est præcipua caussa doloris mei;quia per inuidiam tibi displiceo,& à te alienus inuenior. O si numquam in tam immane scelus incidissem! ô si tanta peccata ipsi meæ naturæ contraria non admisissem! Fugio ab illis,quibus fratres meos,quos vt propria viscera debuissem diligere,vacuos bonorum, & pauperes esse concupiui. Derelinquo illa, quæ sunt maligni animi indicia manifesta. Quid enim malignius,quàm de fœlicitate aliena tristari, ac de miseria proximorum lætari. Planè dæmoniacum hoc vitium abiicio, quod superbia peperit, quódque odia,susurrationes, detractiones,pessimam exultationem in malis aliorum,& peiorem afflictionem ex prosperis eorum progignit. O si me viderem à tam noxiis peccatis immunem, quæ me, dum alij lætantur,tristem faciunt,& cùm alij tristantur,malignè lætum reddunt ; vt numquã didicerim (quod charitas postulat) gaudere cum gaudentibus, flere cum flentibus,sed quod diabolus suadet,flere cum gaudentibus,& cum flentibus exultare.Iam,ô Saluator animarum amantissime,ab inuidentia declinare constituo. Mihi postmodum vim faciam vt de bonis proximorum gaudeam, ac de aduersis dolore discrucier. Bona fratribus imprecabor, & cùm ea assecuti fuerint, ac si mihi data essent (& mihi in corpore, cuius ego membrum sum, data

2. Odiũ.

Sap. 2. 26.

3. Desiderium.

4. Propositum.

sunt

sunt lætitia,& gratiarum actione complebor. Desideria perfectionis, rerúmque cœlestium cõcipiam, & temporalia contemnam, vt ea non appetens, si mihi non affuerint, minimè de illorum absentia, aut de aliorum affluentia contrister. Propono mihi vim inferre,& ad lætitiam ex prosperis fratrum,& ad mœrorem ex aduersis adigere, donec à corde meo inuidentiæ pestem excutiam. O Domine Deus, ô suauissime Pater vitæ meæ, euelle quæso à corde meo pessimam radicem inuidentiæ, & malignitatem quam hausi ex diaboli imitatione potenter exscinde. Indue me stola charitatis,qua mihi in fratribus bona sapiant, mala verò, & aduersa desipiant. Da vt bona illorum,ac mala,non aliena, sed propria reputem, & sicut de bonis, aut malis propriis,ita de alienis læter,atque contrister. Protege me virtute humilitatis, qua inferior videri, & ab aliis in scientia, aut in prudentia, aut in reliquis superari non dedigner. Hæc sit mea solicitudo, hoc meum desiderium, ciues cœlestes (quorum consortium cupio) diligentes æmulari, vt scilicet mihi gaudium ex prosperitate aliorum proueniat, sicut & ipsis fœlicitate aliorum beatorum accrescit. Amen.

Vt dimices aduersùs acediam.

EXERCITIVM XIV.

Quid acedia.

DEINDE post inuidiam deuictam prælium instituas aduersùs acediam,quæ est tristitia de bonis spiritualibus, quatenus scilicet quis ea difficilia & insuauia æstimans, ab eorum operatione resilit. Hæc pestis est virorum spiritualium, qua plurimi eorum, si non pereunt,at in frequentes & magnas imperfectiones incidunt, & spiritualis vitæ professione retenta, conuersationem habent suo statu prorsus indignam. Hæc ad opera bona præstanda vinculis tepiditatis manus ligat: in oratione torporem, in horis canonicis, & sacrificio Missæ distractionem,in conscientiæ examinatione duritiem cordis, & in omni exercitatione spirituali fastidium generat. Hæc facit homines silentij, & obseruantiæ, & discretæ carnis castigationis osores, loquacitatis verò,& relaxationis, & deliciarum amatores. Breuiter acedia nullum non malum infert, & omnia bona spiritualia peruertit. Expendes ergo seriò vtrùm antè conuersionem tuam hoc vitio perieris, & præ tædio bonorum operum, aliquod illorum,ad quod præcepto obligatus esses, prætermiseris. Insuper post conuersionem tuam, attentè perspiciens, quàm miserè & luctuosè te peccatis ignauiæ fœdaueris,quanta facienda omiseris,quanta non facienda præsumseris, quàm irreuerenter & oscitanter exercitationes spirituales impleueris, quantum fratres scandalizaueris,quantæ pœnarum debita contraxeris, quantáque merita ac præmia perdideris. Horum omnium, & aliorum similium te accusabis.2.Deillis dolebis.3.Te non fecisse desiderabis.4.Vitæ mutationem propones.5.Gratiámque ad emendationem petes.

Pestis virorum spiritualium.

Quæ eius mala.

Summa affectus.

PRAXIS.

OIesu Redemtor sanctissime, & amator hominum ardentissime, qui præ abundantia dilectionis, & præ magnitudine feruoris exultasti vt gigas ad currendam meæ redemtionis viam, quàm pessimè ego vilissimus peccator tuo amori respondi, & quam indignè tuo in mea salute quærenda feruori gratũ me præbui.Tu sitibundo corde me quærebas:ego si non fugiebam,at corde tepido ac dissoluto ad te accedebam,aut accedere dissimulabam.Tu me ardentissimè diligebas:ego è contra, si non auersabar, at quasi externa specie tibi adhærebam. Accedo nunc ad te, vt acediam & ignauiam meam defleam, vtque de conuersatione mea tam irrisione dignissima flebiliter erubescam. Confiteor tibi Domine,cum magna contritione & mœrore cordis mei, quia tota vita mea non fuit aliud,quàm quædã ignauia,ac tepiditas continuata. Priusquam ad te cõuerterer,multa forsitan, ad quæ tenebar, ex tædio reliqui. At postquam vocasti me, postquam ad tuum obsequium adduxisti, quàm ridiculè tibi seruiui,quis exponat? Testes sunt sensus mei per inania vagantes, testes affectus mei numquam domiti, testis cogitatio mea, quæ ridicula, & vana semper euoluit. Sæcularia cogitaui, prophana desideraui, sicut in domibus regum delicatè & molliter vixi.Confiteor dolens,& lugens,quia tẽpus meditationis somno oppressus,aut in inania distractus sæpe transegi, sacras preces irreuerenter & festinanter recitaui, corpus & sanguinem tuum saxo durior & insensibilior accepi,peccata mea sine compunctione discussi,sine confusione & pœnitudine sacerdoti patefeci:sacra lectio desipuit,exhortatio spiritualis tædium prouocauit, disciplina regularis ex mea maxima malitia & superbia,onerosa & intolerabilis extitit, viros spirituales temere iudicaui, eorũ feruorem irrisi, & vitæ imitationem non aliter quàm virus abieci. Heu mihi, quoniam dum spiritualia amarescebant, carnalia sapuerunt. Effusus sum instar aquæ in hæc exteriora,in occupationibus sæcularibus solatia quæsiui,in victu, & vestitu,& reliquis superfluitatem & delicias amaui, vitam otiosam & inertem sum affectatus,& nescio quo imbecillitatis,aut infirmitatũ prætextu iugum est à me obedientiæ diruptũ.Ministeria vtiliora,seu viliora contẽsi,in altiora,& splendidiora, & minus vtilia superbia deceptus,licèt supra vires essent,incubui,& maiorum exhortationes,quibus me corrigebant,& ad sanam mentem vocabant,non audiui. Fuit tandem conuersatio mea veluti delictorum & imperfectionum catena, cuius quælibet actio, ceu quidam annulus,multas alias culpas secũ traxit. O miseram & infœlicem vitam meam,Domine Deus, perpetuis lacrymis & gemitibus deplorandam. O tepidam & segnem conuersationem meam, qua non gloriam,& merita, sed cõfusionem & pœnam mihi paraui.O annos & tempora malè & sine fructu consumta, de quibus optimè dici potest: Anni peregrinationis meæ pauci & mali. Pauci quidem, quia licèt post conuersionem meam multi fuerint numero, merito tamen, & animi profectu, & virtutum adeptione sunt nulli. Mali verò, quia non in feruore spiritus, sed in pigritia transacti. O actiones sanctæ, puræ,illibatæ,quas pro ratione status exercui, quàm æquum est vt me auersemini, siquidem vobis tam irreuerenter & negligenter incubui, & tam multis sordibus imperfectionum infeci. O merita quæ alij fratres mei (me vidente)lucrati sunt,& ego perdidi! O vitia quæ illi gnauiter superarunt,& ego non vici!O gradus perfectionis,& gratiæ, quos illi violenti rapuerunt,& ego nec à limine salutaui. Dimitte obsecro,ô Deus misericordissime, vt paucis diebus circumeã mõtes,

1. Accusatio.

2. Odiũ.

& ad Sanctos accedam, & plangam ſterilitatem meam, qui ad portas ſenectutis poſitus, filiis ſpiritualibus, bonis operibus careo, & à pueris, qui heri vitam ſpiritualem cœperunt, à tergo relinquor. Cupio, o Domine, ab hoc cæno egredi, ab iſta ſalebra exire, ab his inextricabilibus ſocordiæ vinculis liberari. O vtinam acediam deponerem, ignauiam abiicerem, pigritiam expellerem. Fugio protinus ab illa, cuius laqueis, ſiquid boni habeo, poſſum perdere, & in maiora mala procliuis ſum, cadere, & à plurimis imperfectionibus nō poſſum emergere. Fugio ab illa, quæ me facit imperfectorum ſocium, & feruidorum inimicum: qua pane conſolationis non fruor, & abſinthio deſolationis ſuſtentor, quáque moleſtias tantùm ſtatus mei, & non ſuauitates experior. O ſi iam quod intellectu concipio, quod affectu deſidero, operatione perficerem. O ſi more ſerui fidelis, qui non regi terreno, ſed cœleſti famulatur, tibi feruidè miniſtrarem. O ſi ſummum pondus ac momētum perfectionis agnoſcerem, vt eam ſolicitè ſupra omnes huius mundi theſauros inquirerem. Saltem, ô Domine Deus meus, poſtmodum Apoſtoli tui mandatum implere ſatagam: ſicut exhibuiſtis membra veſtra ſeruire iniuſtitiæ & iniquitati ad iniquitatem, ita exhibete membra veſtra ſeruire iuſtitiæ in ſanctificationem. Mundo diligenter ſeruiui, & tibi, ô Rex regum, oſcitanter ſeruiam? Ad meam perditionem ſolicitè properaui, & ad meam ſalutem lentis paſſibus gradiar? Ego qui cœleſtia quæro, vigilantia mundanorum hominum terrena quærentium me vinci ſinam? Nullo modo, ſed meipſum vrgebo, mihiipſi vim inferam, vt à compedibus & vinculis pigritiæ diſſoluar. Nunc incipiam in huius vitæ breuitate longum iter virtutis, quod ſupereſt, feſtinanter percurrere, aduersùs imperfectiones meas ſtrenuè militare, opera bona ſolerter exercere. Nunc incipiam res ſpirituales magni reputare, vt æſtimatio valoris earum me inſtimulet, & ad ſanctum feruorem inflammet. O Deus amantiſſime, qui agilitate facis Angelos tuos ſpiritus, & efficacitate miniſtros tuos ignem vrentem. En vocaſti me, vt eſſem miniſter tuus, vt eſſem nuntius tuus. Ne ſim obſecro ſeruus malus, & piger, ne ſim nuntius, qui numquam ad Dominum reuertatur. Da mihi agilitatem ſpiritus, vt ſolicitè viuam: da efficacitatem ignis vt feruidè in tua domo conuerſer. Dilata cor meum amore tuo, vt viam mandatorum tuorum curram. Vel ſaltem confige nunc timore tuo carnes meas vt timore mortis & gehennæ commotus ſolicitè meam ſalutem operari exordiar, & ex affectu timoris ad amorem adducar. Amen.

3. Deſiderium.

4. Propoſitum.

5. Petitio.

Vt euertas inanem gloriam.

EXERCITIVM XV.

PRÆTEREA exercebis te in euerſione inanis gloriæ, quæ eſt immoderatus appetitus laudis humanæ. Quo profectò appetitu chariſſimam Dei ſponſam, nimirum gloriam eius (quod in nobis eſt) iniquè ſurripimus, & nobis copulare conamur. Oculum vitæ noſtræ, ſcilicet intentionem excæcamus, & corpus operum bonorum tenebroſum reddimus. Mercedem æternæ retributionis amittimus, & præmio auræ popularis (quo nihil ſtultius, nihil inſtabilius) contenti ſumus. Scias te in laboribus, in bonis operibus oleum & operam perdere, niſi

Quid ſit.

Quæ damna afferat.

A noxiam hanc radicem excindas. Quæ forſitan in corde tuo à principio ſata, & bene radicata eſt, dum proprio amore impellente, vniuerſa quæ agis, in tuum commodum & honorem conuertis. Ac proinde teipſum attente diſcuties, & non tantùm opera corrigere, verùm multo vehementiùs intentionem emendare ſtudebis. Statue apud teipſum non mundo, nec hominibus, ſed ſoli Deo tuo viuere. Te ſeruum eius tantùm animaduerte, & ab eo, & non ab alio præmium exquire. Ipſe autem præmio afficit illum, non qui bene operatur, ſed qui propter ipſum bene operatur. Nam quod propter eum non fit licèt ex genere bonum ſit, ad ſe pertinere non cenſet. Videns ergo anteactam vitam tuam vanitate ſordentem, humiliter peccata tua ex inani gloria profecta confiteberis. 2. Ea deteſtaberis. 3. Oppoſitis deſideriis ad eorum euerſionem te diſpones. 4. Propoſitis euertes. 5. Emendationem poſtulabis.

Summa affectus.

B

PRAXIS.

O Chriſte Ieſu, ô dilectiſſime Fili Dei, qui non quæſiuiſti gloriam tuam, ſed eius qui miſit te Patris: en hodie appareo coram te peccator ſuperbiſſimus, qui numquam ſecutus ſum te. Fuiſti ſemper Patri fidelis, ad cuius honorem mira & magna operatus es: ego verò à principio hac fidelitate carui, qui non Dei honorem, ſed memetipſum in omnibus quæſiui. Multum, ô Domine, per inanem gloriam peccaui, & opera mea deformitate huius prauæ intentionis affeci: quā oportet in conſpectu tuo lacrymis pœnitentię diluere. Tēpus fuit, in quo annumerabar illis de quibus ſcriptū eſt: Qui lætantur, cùm malefecerint, & exultāt in rebus peſſimis: qui ex flagitiis, quorum cauſſa erubeſcere debuerā, apud ſtultos mei ſimiles laudem & gloriam captabam. Peccatum meum quaſi Sodoma prędicaui, nec abſcondi, & quia malus eram, & inuerecundus, laudem mihi deferri volui. Quin & eò amentiæ proceſſi, vt peccata quæ numquam feci, me feciſſe fingerem, vt ex illis quaſi ex rectè factis aliquid ineptę laudis acquirerem. Aliquando tandem per tuam gratiam hæc tam peſſima miſſa feci, at inanem gloriam ex operibus bonis non reieci. Peſtis hæc in cor meum latenter intrauit, & ſub prætextu proficiendi aliis, & gloriam tuam quærendi, quam putabam mea bona opinione prouehi, arcē meæ vōlūtatis ſubdidit: deinde palàm ſe prodidit, & abſque vllo fuco me ſtudio quærēdæ apud homines glorię vanæ ſubiecit. Bona opera orationis, & mortificationis, & erga proximos pietatis ad meum honorē augendū, & inanem gloriam captandam direxi, aut ſaltem non propter te ſolùm, ſed propter meipſum, & vanitatis alicuius cauſſa perfeci. In muneribus mihi à prælatis iniunctis, aliqua præſtiti, quibus meam exiſtimationem procurarem, ex quibus humiliora triſtis ſubiui, ſplendidiora, quia ad vanam laudem aptiora lætus admiſi. Et quia hominibus placere ſtudui, omnia bona perdidi, & non ſeruus tuus, ſed mancipium vanitatis fui. Doleo, ô Deus ſanctiſſime, ſtultitiam meam, valde contriſtor ob inſipientiam meam, qui pretioſas bonorum operum gemmas tam vili pretio diſtraxi. Quid vilius gloria vana? Omnis caro fœnum, & omnis gloria eius tamquam flos agri. Quid cōtemtibilius laude ab humano ore profecta, à qua ſæpe cor diſſentit, aut ſæpe fallitur, quando cōſentit. Mercator ſine mercibus & diuitiis ſuis ad littus ſęua tēpeſtate iactatus ſuam paupertatē deplorare non ceſſat.

1. Accuſatio.

2. Dolor.

Iſaiæ 40. 6.

C

D

E

Quàm maior cauſſa mihi fletus incumbit, qui non iam occaſione, in qua fortes & prudentes ſua inuiti perdunt, ſed ſciens & volens falſa dulcedine illectus, ceu puer inſenſatus opes meritorum amiſi. Cupiebam placere hominibus, & diſplicebam tibi. Ab eis laudes vento vaniores expectabam, & præmio cœleſti me indignum reddebam. Meorum laborum auram popularem recepi mercedem, non eſt quod eis in cœlis præmium expectem. O peſſimam commutationem, qua opera virtutum dedi, & ea inani gloria contaminans, & in peccata conuertens (quia ex præpoſtero fine fiebant) in manibus meis pro mercede nihil, aut ventum inueni. O vtinam tam inſipiens non fuiſſem, nec me propter gloriam hominum Dei laude & mercede expoliaſſem. O ſi id non quæſiſſem, cuius cauſſa à te Domino omnipotente contemnor, ſcriptum enim eſt: Deus diſſipauit oſſa eorũ qui hominibus placent: cõfuſi ſunt, quoniam Deus ſpreuit eos.] O ſi in gloriam vanam non incurriſſem; quę labores meos deprædata eſt, quæ fraude ſua in manu mea pellẽ deauratam inanis fauoris poſuit, & aurum verum meritorum, quę habere poteram, dolore ſurripuit. Statuo igitur Domine Deus meus apud te, & firmiter propono hoc exitioſum vitium inanis gloriæ impugnare. Ab omni opere malo abſtinere curabo. Si verò in aliquod incidero, ex quo homines ſtulti, & tui timoris vacui ſolent ſibi placere (vt cùm verbis alios laceſſunt, & vltionem de iniuria ſibi irrogata accipiunt) ex illo nullo modo laudem quæram, ſed potiùs pudore, & dolore peccati confundar. Recta opera propter te incipiã, propter te proſequar, propter te perficiam, non ab hominibus laudari, ſed tibi ſoli placere quæram, & abſque vllo reſpectu mei tuam gloriam ſemper inquiram. Siquid ſupererogationis fecero, quod in me fuerit, ita præſtabo, vt neſciat ſiniſtra mea, quid faciat dextera mea. Et in miniſteriis quibus intendere poſſum, ſi cætera ſint paria, pro fuga vanæ gloriæ contemtibiliora, & in oculis hominum minus ſplendidiora ſuſcipiam. Da obſecro, Domine, vt ita faciam. Concede, rogo ſupplex, vt te in omnibus, & ſuper omnia appretiem, æſtimem, & præeligam, vt in cunctis cogitationibus, deſideriis, verbis, & operibus meis tibi ſoli placere deſiderem. Non mihi curæ ſit, ſi homines me laudant, aut vituperant, ſi mea magna, aut parua ducunt, ſed ſolicitudo mea ſit à te commendari, & in oculis tuis tua gratia dignus inueniri. Illuſtra mentem meam, vt vanitatem vanitatis intelligam, vt plauſum hominum irrideam, vt ab eis laudari, aut vituperari nihil reputem, vtque intentione rectiſſima vniuerſa ad te per rectiſſimam intentionem actualiter dirigam.

3. Deſiderium.

Pſal. 52. 6.

4. Propoſitum.

5. Petitio.

A

B

C

D

quia eorum conatus ad aſcendendum euertit, verùm quia, ſi quæ habent deſideria virtutis, eludit. Scit quidem ille, quoniam dicturi ſunt; poſtquam virtutem aut eius vmbram acquiſierint: Manus noſtra excelſa, & non Dominus, fecit hæc omnia.] Et miſericorditer illos vacuos relinquit, ne ſi bona ſibi arrogauerint, ex altiori loco cadant, & miſeriùs elidantur. Quamuis autem hoc vitium in omnibus peſſimum ſit, in incipientibus tamen, qualis tu es, quodammodo peius eſt, & deteſtabilius inuenitur. Odit namque Dominus pauperem ſuperbum. Quis verò te pauperior, qui tot & tantis peccatis ſordes, qui tantis vitiis illigatus teneris, qui necdum primum gradum virtutum habes. Ingredere ergo cor tuum & admoue manum tuam tumori ſuperbiæ tuæ, vt illam comprimas, & flendo ac gemendo ſaniem elationis ac præſumtionis excludas. Poſtquam ergo te examinaueris, quinque prædictis punctis confeſſionis, doloris, deſiderij, propoſiti, & petitionis affectum contra ſuperbiam produces.

Deut. 32. 27.

Miſericordia eſt bona à ſuperbis tollere.

Summa affectus.

PRAXIS.

O Domine Ieſu Chriſte, ô ſummum bonum meũ, ô humilitatis præceptor, qui paruulus & egenus in hunc mundum veniſti, vt meam ſuperbiam reprimeres, & ad modeſtiam, & mei deſpicientiam incitares, nunc proſternor in cõſpectu tuo, vt meam maximam ſuperbiam deplorem, & à tanto malo eripi poſtulem. Scio me per ſuperbiam & arrogantiam valde tibi diſplicuiſſe, & tuis donis aditum præcluſiſſe, & adhuc præcludere. Quare enim tam pauper donorum tuorum, & tam ignarus rerum ſpiritualium ſum, niſi quia ſuperbus ſum? Quare ad aliquem, vel primum gradum virtutis non aſcendo, niſi quia meipſum ignoro, & meam extremam vilitatem non agnoſco? Nunc ergo gratia tua adiutus, volo à me ſuperbiam expellere, & elationem, arrogantiam, & præſumtionem meam inconſolabilibus lacrymis deplorare. Confiteor Domine, cum omni dolore & contritione cordis mei, quia ſuperbiſſimus & arrogantiſſimus ſum. Ego ſi quæ bona habeo, quaſi à meipſo habere præſumo: nam ea non ad nutum tuum, nec ad præceptum prælatorum, ſed ad libitum meum, quaſi propria, & à meipſo profecta, in quibus volo, occupo, & exerceo. Si autem bona à te habere cognoſco, ſicut re vera habeo, tamen quaſi meis meritis ea comparaſſem, ita pro illis gratias non refero, & per ingratitudinem valori meorum meritorum adſcribo. Puto me diuitem eſſe, & locupletatum, & nullius egentem, cùm teſtimonio tuo ſim miſer, & miſerabilis pauper, & cæcus, & nudus. Ideo meipſum effero, & alios multo me meliores, quibus obtẽperare fœlicitas mihi eſſe deberet, negligo, atque deſpicio. Si aliquando malũ non ago, peccatores cõtemno, & illis me præfero, & à malis declinaſſe, licèt bona non operer, magnũ putô. Peccata mea ſæpius negaui, aut defendi, & correctionẽ ſubire nolui. Bona mea laudaui, talenta inaniter oſtẽtaui, virtutẽ, cuius ſum expers, prædicaui, quod non intelligo, nec expertus ſum, docui. Multa ſupra capacitatem meam, & ſupra vires præſumſi. Primas ſedes, cùm ſim extremus omnium, ambiui, aut concupiui, & ſi mihi negatæ ſunt, triſtitia contabui. Denique nullum eſt ſuperbiæ peccatum, in quod non inciderim. Deteſtor, ô Deus meus, hæc magna peccata mea, eo deteſtabiliora, quo homini cæco eorũ iniquitas eſt minus cognita. De illis vehementer doleo, & ſi non doleo quantum

1. Confeſſio.

Apoc. 3. 17.

2. Dolor.

Vt euertas ſuperbiam.

EXERCITIVM XVI.

Quid ſit.

POSTREMVM vitium eſt ſuperbia, appetitus ſcilicet immoderatus excellentiæ, ſeu altioris gradus, quàm alicui debeatur. Contra quem tibi pugnandum eſt, vt non ſis Deo odibilis, qui deteſtatur ſuperbiam, & arrogantiam; & vt poſſis in virtute aliquem progreſſum facere. Cùm enim ſit initium omnis peccati ſuperbia, non valet ſuperbus, quamdiu à ſe hanc malam radicem non euellit, aut peccatis ex ea pullulantibus obſiſtere, aut virtutibus oppoſitis imbui. Deus ſuperbis reſiſtit, non tantùm

Prou. 8. 13. Fons omnis mali.

E

vellem, & æquum esset, de mea duritie & insensibilitate contristor. Quidni dolore afficiar, & mœstitia, cùm videā me humana vitia prætergressum, & diabolica vitia imitatum. Superbia enim diabolicum vitium est: quod tu Domine in Lucifero, & satellitibus suis miserabili è cœlis casu mulctasti? Quidni detester peccatum illud quod tanta mihi mala intulit, tanta bona profligauit? Hoc enim aduersùm te Deum se erigit, omnes virtutes destruit, & sicut pestifer morbus vniuersa tua dona corrúpit. Quis mē excæcauit? Nónne superbia, qua aliorum bona omni honore digna, quasi nullius pretij despicio, & mea bona sine vlla comparatione minora & contemtibiliora magni æstimo? Quis affectū meum euertit? nónne superbia, cuius ductu de aduersis casibus, & de infamia proximorum lætor, de gloria verò, & honore illorum, quasi à me per iniuriam ablatus esset, dolore conficior. Quis corpus meum deformauit? Nónne superbia, quæ elato oculorum intuitu, immoderato incessu, & vocis clamore se prodit, & motibus insuetis, quàm cæca sit & vana, aliis ostendit? Sentiam, sentiam saltem hæc mala mea, & ne ita à superbia dementer, vt etiam de malis meis sensum doloris amittam. *3. Desiderium.* Potui quidem, ô Redemtor benignissime, humilis esse, & in hæc mala non incidisse. O si ita fecissem! O si arrogantiam, & iactantiam, & elationem, & præsumtionem vitassem! O si à te per imitationem diaboli non defecissem! Cupio sanè à vinculis superbiæ me expedire, opto eam à meo corde euellere, desidero tantum malum non fouere, sed potiùs discretis cogitationibus, & mei despiciētia penitus extinguere. Fugio, fugio hanc pestem me consumentem, furem spoliantem, hostem bona diripientem. Discedo ab illa, quam si non desero, regnum cœlorum intrare non possum. *4. Propositum.* Firmiter propono apud te, Domine, iam deinceps omnē superbiam vitare. Ea considerabo, quibus meam summam vilitatem agnoscam, & meipsum despiciam. Si quæ bona in me videro, tibi tribuam, & me vt vas perditum, & confractum, & omni bono indignum contemnam. Defectus meos libenter detegam, virtutes abscondam, hoc solo contentus ero, quòd tibi patescant. Locum excelsum, honores, & dignitates fugiam, & in loco humili, ac sub pedibus aliorum manere eligam. Volo omnino hîc humiliari, vt à te in æternum exalter. Volo hîc apud homines nihil esse, vt apud te aliquid sim: volo, vt mei nulla ratio habeatur, quatenus à mortalibus oblitus, à te non separer, neque obliuiscaris mei. Tristabitur natura, quæ suopte ingenio honorem diliget, at roborauit, & exhilarauit eam promta tibi placendi voluntas. Ita facere statuo, & gratiæ tuæ innixus omne quod superbiam sapit à me reiicio. *5. Petitio.* Oro te, ô benignissime Domine, siquidem tuum est mutare corda mortaliū, vt cor meum in bonum mutes. Tibi in omnibus, & per omnia placere cupio, superbiā, quam detestaris, destrue. *Psal. 35. 11.* Non veniat, quæso, mihi pes superbiæ, & manus peccatoris non moueat me. Ne permittas me affectu superbiæ calcari, & manu ac potestate dæmonis de superbia tentantis à loco tutissimo tuæ protectionis eiici. Eos enim qui se efferunt, & in se confidunt, deseris. Si verò deiiciant seipsos, & non sibi, sed tibi fidant, non derelinquis. Fac vt me humiliem, & deprimam. Da vt non in brachio imbecillitatis meæ, sed in te omnem spem meam collocem, vt à te suscipiar, & protegar, & à peccatis eripiar, qui non derelinquis sperantes in te.

Vt quinque sensus mortifices.

EXERCITIVM XVII.

PEccatis per veram contritionem abiectis, & vitiis (vt dictum est) superatis, curabis, ô homo Dei, quinque sensus tuos, visum, auditum, odoratum, gustum, & tactum cohibere, & ab omni excessu & immortificatione mundare. Nam si æquus sis æstimator tui, & non ignauus tuorum vitiorum palpator, intelliges magnam esse peruersitatem harum quinque portarum animæ tuæ, per quas sæpe mors ingressa est, & omnis quies & puritas interior ablata: effusus es sicut aqua per foramina sensuum in ista exteriora, ideo non crescis spiritu, ideo virtutum soliditatem non habes, ideo voces Domini intus clamantes non audis, nec in platea huius mundi ludis occupatus, thesauros luminis & amoris, qui tibi interiùs darentur, intelligis. *Magna sensuum peruersitas.* Aliquando ergo cùm enormitatem peccati meditaris, vel horrorem mortis, vel terribilitatem extremi iudicij, vel acerbitatem gehennæ in consideration adducis, ad hoc affectum tuum excita; vt velis sensus tuos cohibere. Aspice eos vt origines peccatorum, quæ luges, & detestaris, & illos mortificare decernes. Animaduerte quoniam in morte, te quoque nolente, claudētur: & disce nunc mori, vt postea saltem æquanimiter, & in Domino moriaris. *Quæ ad eorum mortificationem valeant.* Expende, quia minimorum etiam excessuum horum sensuum es rationem redditurus, & illos igne purgante luiturus, & timore iudicis & vltionis eos à te submouere constitue. Ergo sic in hoc affectu procedes. 1. De peccatis & excessibus tuorum sensuum cum magno dolore te generaliter accusabis. 2. Illos cohibere, & ab omni vanitate & superfluitate auferre propones. 3. Vsum eorum modestum & quietum habere statues. 4. Ita ad actiones sensuum te comparabis, vt permissum, aut licentiam Domini ad eas frequenter petas. 5. Vt actuali intentione ad Deum referas. 6. Vt in vnione operum Christi offeras. 7. Vt quando cessandum sit, prudenter aduertas. 8. Vt te, ac sensus tuos in Christo custodias. 9. Vt intro respicere & audire assuescas. 10. Ad hæc omnia extra orationem præstanda gratiam postulabis. *Summa affectus.*

PRAXIS.

O Domine Iesu Christe, ô fons vitæ, & origo omnis bonitatis, miserere mei. Ego miserrimus nō tantùm innumeris peccatis sordeo, verùm & præter vitia mea multiplicia, quinque fótes peccatorū habeo; ex quibus in me quamplurima peccata procedunt. Hi sunt sensus exteriores mei, à te sanè ad naturæ necessitatem & ad merita dati, à me verò ad omnem vanitatem, & ad peccatorum augmenta præsumti. Vehementer cupio eos reformare, & cohibere, & ad similitudinem tuorū sanctissimorum sensuum perficere. Hîc autem tecum conferam, qualiter extra orationem eos reprimam, ipsíque vtar, & ad id præstandum, à te, qui es cunctorum bonorū principium, gratiæ auxilia efficacia petam. Ac primò confiteor in conspectu tuo cū dolore & gemitu, ô Deus meus, quia sensuum meorū functionibus mirum in modum tuam maiestatem offendi, & memetipsum multis modis pollui. *1. Confessio.* Ipsis heu multa noxia, plura mala, plurima superflua percepi. Oculi mei in pulchritudines corporū,

in gestus & motus membrorum, in chorcas & ludos, immo fortè in res obscœnas inspiciendas effusi sunt. Aures meæ detractionibus, adulationibus, vanis laudibus, mendaciis, scurrilitatibus, & vanitatibus delinitæ. Odoratus meus superuacua oblectamenta quæsiuit. Lingua delicata, & suauia sine vlla necessitate gustauit, & vniuersitas iniquitatis, omnis generis peccatorũ sermones effudit. Tactus blanda & mollia, immo & minus munda attrectauit. Per hósque sensus nihil aliud volui, nisi meis impuris desideriis satisfacere, & in ludibrium tuum, cum rebus creatis & sensibilibus quasi adulterium admittere. Indulge mihi Domine quidquid peccaui per visum, quidquid peccaui per auditum, quidquid peccaui per odoratum & gustum, & tactum, & me gratia remissionis inunge, quia de præteritis meis delictis doleo, & in futurũ me firmiter emendare decerno. Nunc volo, & statuo posthac sensus meos cohibere, nunc propono ante te eos ab omni vanitate, & superfluitate, & ab omni labe abstrahere. Oculi mei ad necessitatem, ad charitatem, ad compassionẽ proximorum videbunt, curiosa, inania, distrahentia vitabunt. Aures meæ laudes tuas, & doctrinam tuam, & necessaria ad vitam transigendam in obsequio tuo, & ad ministerium meum explendum audient, reliqua impertinentia reiicient. Odoratus suffitus, & vnguenta ad oblectamentum non quæret. Gustus omnibus deliciis spretis, communibus, simplicibus, & insipidis assuescet; & lingua à vanis loquutionibus abstinebit. Tactus denique mollia respuet, & se flagellis, & aliis huiusmodi castigabit. Nolo iam seruire sensibus meis, sed eos vt seruos habebo, quibus ad mortificationem, & ad animæ salutem adiuuer, & merita augere curem. Propono etiam Domine, non ex nimio desiderio, nec ex immoderata concupiscentia vti sensibus meis, sed potius his affectibus cohibitis, cũ quiete & tranquillitate cordis videre necessaria, aut audire, aut alicuius alterius sensus functionem exercere. Ita vt in omnibus motibus meis modestus & compositus existam, vt dum aliquid dico, vel ago, vel percipio, quasi vno oculo ad te respiciam, nec penitus me in exteriora diffundam. Et quoniam tu, ô Redemtor amantissime, Dominus & herus meus es, ego autem seruus tuus, & quia in vsu sensuum meorum, atque in omnibus aliis tibi impensè seruire cupio, ideo nollem oculos ad videndum aperire, nec aures aut aliud organum sensus ad opus applicare, nisi petita à te, & obtenta operandi facultate. Ita nimirum, vt si conscientia seipsam non quærens attestaretur te velle, vt aspicerem, aut audirem, aut manducarem, tunc demum opus perficerem, & absque tuo permissu nihil inciperem. Quia tamen fragilitas carnis meæ, & imperfectio cordis mei hanc tam exquisitam attentionem non sustinet, at nunc ad vsum sensuum meorum à te facultatem postulo, & quottidie saltem cùm è lecto surgo, & in præcipuis operibus me petiturum esse profiteor. Immo & nunc etiam omnes actiones sensuum meorum ad gloriã tuam refero, & quottidie referre statuo. Et in videndo, in audiendo, & in aliquid operando non meam vtilitatem, aut iucunditatem, sed tuum honorem & beneplacitum curare volo. Síque tu Domine finis, & scopus non tantùm vitæ meæ in generali, sed etiam singulorum operum meorum. Videò quia tu vis, vt videam. Audio, quia tu vis, vt audiam. Loquor, aut aliquid facio, quia tu vis, vt loquar, aut aliquid faciam, & in omnibus non meipsum, sed te vnicum bonũ meum, & tuam gloriam exquiro. Hos etiam actus meos, ô colendissime Domine, ad aliqualem valorem, & vt tibi (quem summe placare, & cui placere desidero) gratiores appareant, in vnione sanctissimorum operum tuorum tibi offero. Aspectum meum iungo benignissimo & purissimo aspectui tuo; auditum meum copulo modestissimo auditui tuo, actiones alias infirmitatis meæ consecro tibi in vnione humilitatis & amoris tui, quo in assumta humanitate similibus actionibus, vt comedendi, bibendi, dormiendi, & ambulandi subiacere dignatus es. Talésque volo, & cupio vt sint hi motus mei, tam puri scilicet, tam quieti, & morigerati, vt aliqualiter valeant in vnione tuorum operum offerri, & tibi ad tuum honorem, & laudem consecrari. Item & propono Domine coram te hos actus simplici quadam & quieta attentione præstare, ita vt tantum eos continuem, quantum ad vitam & ad virtutem & placitum tuũ necessarium est, & statim ab eis absque vlla retractione cessem. Cùm enim pro gloria tua inchoentur, & protelentur, æquum est, vt cùm ad hunc finem non est opus, relinquantur. Vellem quidẽ tanta luce spiritali perfundi, vt ita facerem; quia tamen præ ignorantia in actibus sensuum multoties excedo, tu excessum meum clementer indulge. Et quoniam tu Domine secundùm diuinitatem tuam vbique es, & non solùm intra me manes, verùm & me vndequaque cingis, cupio intra te viuere, & meipsum, ac sensus meos intra te custodire. Nollẽ videre aliquid nisi in te, nec audire, aut olfacere, aut gustare, aut tangere nisi in te, & propter te: & non meipsum, aut aliquid exteriùs in his actionibus quærere, sed intra te omnia operari, & ad te vniuersa dirigere. Conabórque Domine, quandoquidem manes intra me sensus meos ita cohibere, vt quantum mihi possibile fuerit intrò percipiam. Tu summa pulchritudo es, clausis ergo oculis huic creatæ rerum pulchritudini, te inspiciam. Tu magister sapientissimus. Fugiam itaque consortia, & alloquia hominum, quantum meus status tulerit, vt te audiam. Odor tuus, sicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus, & sapor tuus super mel, & fauũ, & amplexus tuus purissimus omni suauitate iucundior. His igitur quæ odorantur, quæ gustantur, quæ tanguntur, parum attendam, vt tua suauitate fruar. Obsecro te, ô Domine Deus meus sanctissime, per temetipsum, & per omnes perfectiones tuas, & per quinque sensus sanctissimæ humanitatis tuæ, vt des mihi abundantissimam gratiam ad hoc, vt sicut desidero, & propono, ita faciam. Sanctifica sensus meos, ne sit in eis aliquid à quo vultum tuæ benignitatis auertas. Absorbe eos, & intra te include, vt nihil extra te percipiant. Curiosus est aspectus meus, cohibe illum ne in inania tendat. Nouitatum amator auditus meus est: refræna illum, ne non audienda audiat. Immoderatè auidus olfactus meus, & gustus meus; impone illis moderationis & sobrietatis frænum, ne superflua cupiant. Indomita lingua mea: constringe illam loris taciturnitatis, ne illicita proferat. Mollis & effœminatus tactus meus, comprime illum timore tuo, ne aliquando lasciuiat. Guberna me in his, vt quantum tibi placuerit, à sensibus abstrahar, & vitam spiritualem arripiam. Amen.

2. Propositum.

3. Aliud propositum.

4. Ad vsum sẽsuum licentiam petes.

5. Ad Deum referes.

6. In vnione operũ Christi offero.

7. Quando cessandum aduerto.

8. Vt sensus in Christo custodias.

9. Introsentire.

10. Postulatio.

Vt passiones cohibeas.

EXERCITIVM XVIII.

MORTIFICATIONEM ſenſuum ſequitur cohibitio paſſionum, quarum motus immoderati vitam ſpiritualem euertunt. Paſſiones, vt alio loco diximus,& notum eſt, denarium numerum vnitate ſuperant. Sex ſunt appetitus concupiſcibilis, amor, & odium, deſiderium & fuga, delectatio, & triſtitia. Quinque appetitus irascibilis, ſpes, & deſperatio, timor, & audacia, & ira. Hæ ſunt initia multorum peccatorum, quare odium peccati ad eas cohibendas impellit. Ipſæ in morte nos turbant, & ſcrupulos iniiciunt: vnde deſiderium tranquillæ mortis earum mortificationem expoſcit. Diſtrictus iudex de immoderatis his motibus rationem exiget, & eos ſeuerè puniet. Atque ipſe timor iudicij & inferni ipſorum compreſſionem requirit. Solicitè ergo curabis hos affectus componere. Ad quod etiam deſiderio orationis, & diuinæ familiaritatis incitaris. Hæc enim (vt dictum eſt) magis affectu, quàm intellectu perficitur. Affectus autem terrenis immerſi ad cœleſtia & diuina difficulter aſſurgent. At has paſſiones ſiue affectus affectibus moderamur, dum ſcilicet affectus appetitus immoderatos affectibus voluntatis reprimimus, vel in contrarium nitimur, & oppoſitos affectus elicimus, vel à Domino poſtulamus. Affectus ſeu paſſiones animæ ægritudines vocatæ ſunt, & ad modum ægritudinum contrariorum adhibitione curandæ ſunt. Ergo, fili, in tua infirmitate ne deſpicias teipſum; ſed ora Dominum; & ipſe curabit te. Auerte à delicto, & dirige manus, & ab omni delicto munda cor tuum.] Hic affectus bonus ad curandum prauum expreſſus eſt. Auertis te à delicto per confeſſionem eius, dirigis manus per deſideria boni affectus, mundas te à peccato per propoſitum fugiendi illud. Sic itaque cum tuis paſſionibus pugnabis. 1. Exceſſum eorum Domino confiteberis. 2. Emendationem cupies. 3. Propones eam, ſiue ſtatues. 4. Omnia poſtulatione cõplebis, quę vt præcipua & efficaciſſima ad corporalem & ſpiritalem ſanitatẽ, primo loco ab Eccleſiaſtico poſita eſt.

Paſſionũ numerus.

Sunt initia peccatorum.

Quomodo eas moderamur.

Eccli. 38. 9.

Summa affectus.

PRAXIS.

O Suauiſſime & quietiſſime Domine Ieſu, immenſas gratias tibi refero, quia naturalibus affectibus dotaſti me, quibus & natura perfectus exiſterem, & neceſſaria ad ſuſtentationem quærerem, & meipſum tuerer, & inſtrumenta apta ad tuum obſequium haberem. Sancti tui bono vſu affectuum ſuorum tibi placuerunt, & virtutes ac merita cumularunt. Quis enim neſciat amore & deſiderio boni, & odio & fuga mali virtutem ac meritum augeri? Ego verò iniquorum veſtigia ſequens his affectibus meis malè vſus ſum; vnde & tibi diſplicui, & vitiis ac demeritis me ſubieci. At nunc ex amore tuo volo coram te pugnare cum affectibus prauis meis, & illos pœnitudine abiicere, & mentem meam ad pacem & tranquillitatem componere. Confiteor ergo tibi, ô Domine Deus, quòd amore à te diſceſſi, ad creaturas me curbaui, & animam meam rebus viliſſimis ſordidaui, & liquorem pretioſum ſpiritus mei aqua turbida rerum viſibilium permiſcui. Aliquos proximos meos cordis mei dominos feci, & eos nimio & mundano amore, cum aliorum etiam offenſione dilexi, & alias res immoderatè vſque ad contemtũ tui, vel ſaltem vſque ad animæ meæ perturbationem & diſtractionem amaui. Verè cupio, & propono me emendare, hunc amorem cohibere, omnem nimiam familiaritatem vitare, in quadam diſcreta cordis ſolitudine me conſtituere; affectum ad res creatas ad vitam & ſtatum non neceſſarias abiicere, & ad res neceſſarias moderari, & in te, ac propter te ſolùm libero quodam & expedito vſu complecti. Da obſecro per ſanctiſſimum amorem cordis tui, vt ſicut volo, & propono, ita faciam. Aufer à me amorem creaturarum, & fac vt ſine illis viuere velim; & vt ſciam, cor meum viliſſimis rebus innexum expedire, & ab eis raptatum cohibere, & in te ſolo meum amorem collocare. Confiteor tibi, ô Saluator amantiſſime, quia odio & maleuolentia dæmones ſum imitatus. Fratribus meis ſine cauſſa malum volui, & imprecatus ſum. Nulla enim poteſt ſubeſſe cauſſa (licèt ipſi mala mihi intulerint) propter quam iure poſſem illos odiſſe. Et tamen non iniquos, ſed bonos odio habui, legem autem tuam non dilexi. Ex maleuolentia autem illorum famam, & bonum nomen læſi, illis iniurias intuli, contumelias irrogaui, & ipſis, aut amicis eorum, aut bonis malum irrogare non timui. Cupio ex animo, & ſtatuo tam turpem affectum fugere, & omnes tum amicos, tum inimicos, moderato, & ſecundùm legem charitatis amore complecti. Deinceps nulli malum inferam, nec opere, nec deſiderio, & impatientiam meam comprimam, cùm læſus fuero, ne me ad odium impellat. Poſſide tu Domine, cor meum, ne vmquam in odium fratris procedat. Illumina intellectum, vt aduerſa quæ mihi accidunt, bona & ſaluti conuenientia cognoſcam. Et elimina maleuolentiam à me, ne remiſſione peccatorum meorum indignus fiam. Confiteor tibi, ô Deus benigniſſime, quia deſiderio non parum deliqui. O quanta vana & ſuperuacua deſideraui! O quanta inutilia & noxia concupiui! O quàm nimiè & ardenter minima & puerilia, quæ non contingebant, volui! His vanis rerum viſibilium deſideriis cœleſtia deſideria aut penitus extinxi, aut magna ex parte tepefeci. His orationem & cultum tuum maculis aſperſi, dum vana deſideria ſimiles cogitationes excitarunt, quibus à tua præſentia in terrena dilaberer. His teſtatum feci me cor terrenum habere, quia rebus terrenis illud, id eſt, meum deſiderium immerſi. Firmiter apud te conſtituo inania deſideria vitare, & nihil ex mundo, aut in mundo cõcupiſcere. Conabor, vt mihi ſæculi commoda amareſcant, quæ adepta abſque dubio me non ſatiabunt, ſed ardentiorem ſitim excitabunt. Abite inania deſideria, dimittite me. Cur me ita in varia diſtrahitis, cùm vix ad ſalutem æternam meam deſiderandam ſufficiam. Porrò vnum eſt neceſſarium. Et tu ipſe es, ô vnicum bonum meum. Fac ergo vt te ſolum cupiam, & ſi quid aliud deſiderauero, vt medium ad te, & tui gratia concupiſcam. Diſſolue rogo vincula inanium deſideriorum meorum, quibus vt iumentum ſtolidum ad præſepe huius mundi ligatus ſum, & ad tui amorem properare non poſſum. Confiteor tibi cum dolore animæ meæ, ô Redemtor ſanctiſſime, quia auerſione & fuga non modicum exceſſi. Bonorum conſortia auerſatus ſum, quia eorum exemplis flagellabar, & eorum ſermonibus ad vitæ emendationem vrgebar. Fugiebat natura mea in malum propenſa illa omnia, quibus ad virtutem iuuabar. Quid dicam? Horrebam ad conſpectum ieiunij, & taciturnitatis, & vigiliarum, & ſimilium, quorum præſidio meam petulantiam ſuperarem. Quia verò hanc auerſionẽ boni non reiicio, idcirco victoriam de meis prauis moribus non reporto.

1. Mortificatio amoris.

2. Odij.

3. Deſiderij.

4. Fugæ.

O si iam non essem puer sensibus! O si iam hanc molestiam non ex virtute, sed ex mea mala propensione natam abiicerem! O si iam mihiipsi vim facerem! Certè posthac enitar meipsum ad virtutis actiones cogere, licèt aliqua acerbitate cingantur. Rogo te Domine, vt hoc in me facias, vt auersionem boni à me tollas, vt vires spiritus ad mei victoriam assequẽdam tribuas. Non sit, quæso, per gratiam tuam regula actuum meorum, si mihi placeant aut displiceant. Sed sit regula tua voluntas. Ita scilicet, vt amara tibi grata amplecter, & dulcia tibi non grata reiiciam. Confiteor tibi, ô verum gaudium meum, quoniam impura delectatione me fœdaui. Nam si impura voluptas est omnis illa, quæ in rebus creatis propter se quæritur, & non propter tuam gloriam accipitur, satis supérque hoc affectu sordidatus sum, qui in cibo, in potu, in somno, in loquela, & in reliquis meam voluptatem quæsiui, & sæpe eam finem actionis feci. Creaturis frui volui, & non vti tantùm, quod summa est mentis humanæ peruersitas. Iam de cætero sensibilem voluptatem aspernabor. Opera bona vel media, siue indifferentia non voluptatis gratia, sed tibi placendi causa perficiam. Quòd si delectatio, quam tu ad suauitatem gubernationis operibus indidisti, & à nobis sentiri voluisti, se operationi miscuerit, cum simplicitate cordis, & non vt eam experiar, sed vt tibi placeam, sensu aut appetitu percipiã. Tribue obsecro Domine, me huius mundi voluptatem non quærere, & diem hominis non desiderare, & à delectatione carnis auulsum, tibi solum vt fonti voluptatis inhærere. Confiteor tibi, ô Deus meus, & refugium meum, quod sæpe inutili & immoderata tristitia contabui. Hæc si moderata sit in rebus aduersis, vt in amissione charorum, tibi non displicet. Neque enim fortitudo lapidum fortitudo mea, neque caro mea ænea est. At de rebus nihili multoties vsque ad inquietudinem animi contristatus sum, & supra modum afflictus. Et sicut infantulus, cui gladius negatur à matre, quo posset seipsum vulnerare, aërem vagitibus & clamoribus implet: ita ego pueriliter fleui, & tristitiam admisi, quia inutilia, aut noxia, quibus inflarer, & superbirem, negata aut ablata sunt. Deinceps tristitiam assumam de magnis & multiplicibus peccatis meis. Contristabor ad pœnitẽtiam, ea tristitia quæ secundùm te est, quæ salutem stabilem operatur: sæculi autem tristitiam respuam, quę mortem operatur. Rogo te Domine per sanctam tristitiam quam pro me suscepisti, vt sancta tristitia & compunctione me repleas, & inanem tristitiam de rebus mundi immoderatè conceptam auferas à me. Tandem claudo hodie, ô amantissime Deus, hanc confessionem meam, confitens, & me de delictis accusans, quæ per immoderantiam aliarum passionum patraui. Nam vanis spebus rerum temporalium me paui, & in bello suscepto aduersùs vitia mea de tua benignitate & adiutorio, vt par erat, non confidi. Timui vana, & quæ timenda non erant, & infantium erubescentia obrutus, functiones sacras in cõspectu aliorum non ritè perfeci. Interdum temeraria audacia plurima supra vires præsumsi. Iram non repressi, sed ex leui caussa extra limites rectæ rationis excandui. Tu Domine, qui cor meum possidere vis, has passiones moderare. Da quæso, ne vanæ spes me dementent, rerum, quas cum possidero, me satiare non valent. Ne aliqua desperatio inepta me teneat, sed mihi diffidens, in te, ac in tua gratia confidam. Da denique vt inter timorem & audaciã imperturbatus incedam, & aduersùs peccatorum meorum turbam irascar, in aliis autem iram cohibeam. Amen.

5. Delectationis.

6. Tristitia.

Iob 4. 12.

7. Aliarum.

Vt mandata, & legem obserues.

EXERCITIVM XIX.

NON satis est mala non agere nisi & quisque studeat bonis operibus insudare. Vnde ad tyronem vitæ spiritualis pertinet, postquam peccata fleuit, aduersùs vitia pugnauit, & in mortificationem sensuum & passionum incubuit, desideria in se custodiendæ diuinæ legis accendere. Hæc desideria ex consideratione etiam enormitatis peccatorum, & nouissimorum, ô vir tuæ perfectionis cupide, nec non ex meditatione mundanæ vanitatis elicies. Quid enim iustius, quàm bonis operibus peccata redimere, ad tempus nouissimum opera quæ nos sequantur præparare, & vitæ veritate vanitatem eludere? Conaberisque huiusmodi desideria ita augere & radicare in corde tuo, vt custodia legis Dei, & exequutione voluntatis eius nihil pretiosius habeas, & eam omni lucro, & honori, & voluptati præponas. Adeò vt sicut facillimè relinquis obolum, ne amittas pretiosum thesaurum, ita vniuersa creata perdere, & vitam profundere priusquam legem transgrediaris apud te constituas. Et in capite libri, ac in initio spiritualis vitæ scriptum sit de te, vt facias voluntatem Domini, & legem eius habeas in medio cordis tui. Hæc est vna pars pœnitentiæ Christianæ, quæ tum à malis abstinet, tum etiam bonis intendit. Vt autem hoc vita & conuersatione præstes, in oratione æstuantibus desideriis cupies, & postulabis. Et hac ratione affectum exercebis. 1. A communioribus incipiens, iustitiæ partes generales implere statues, quæ sunt declinare à malo, & facere bonum. 2. Idem circa communissima legis naturalis præcepta perficies. Huiusmodi sunt: Quod tibi non vis, nec alteri facias. Et quod vis vt faciant tibi homines, idem facito illis. 3. Idipsum circa præcepta legis. 4. Circa præcepta Ecclesiæ. 5. Circa instituta status, officij, seu ordinis tui. 6. Circa mandata prælati. 7. Circa diuinas inspirationes implebis.

Oportet etiã bonum agere.

Nihil legis custodia pretiosius.

Summa affectus.

PRAXIS.

O Saluator hominum Iesu Christe, Rex admirandæ potestatis laudo & magnifico omnipotentem benignitatem tuam, & benignissimam potentiam tuam propter ea admiranda, & stupenda quæ operaris in me. Ex quo enim cœpi tecum conuersari, & in conspectu tuo humilis apparere, inter has tristitias & luctus, inter has amaras querimonias & accusationes peccatorũ meorum, nescio qua ratione serenitate conscientiæ gaudeo, & quadam inenarrabili hilaritate perfundor. Corripis me, & corripiendo viuificas me; & ecce in pace amaritudo mea amarissima. O dulcis lacryma! ô compunctio suauissima, quam spes remissionis non deserit, quam oleum immissæ deuotionis impinguat. Si ergo ita lætor, & erigor, cùm peccata detestor, cùm me ad mortificationem accingo, quanto magis in legis obseruatione lætabor. Sanè fructus iste legis sanctæ tuæ dulcis erit gutturi meo. Quid enim dulcius veritate, virtute, sanctitate, quam posthac volo summis conatibus quærere. Iustus es Domine, & iustitias diligis, & æqui-

Isaiæ 38. 17.

1. Declinas à malo, & eligis bonũ.

tatem vidit vultus tuus. Ego autem (vt de tua misericordia confido) in seruum tuum admissus, quid nisi quod tu diligis, diliga m? Iustitiam ergo cupio, æquitatem diligo, rectitudinẽ omnis virtutis amplector. Quia verò te docente noui iustitiæ huius, quam tu diligis, partes esse, fugere malum, & facere bonum, his duobus semper vacare constituo. Attentus ero quid cogito, quid loquor, quid facio, & quotiescumque horum aliquid deprehendero, malum esse, & tuæ legi quoquomodo contrarium, fugiam illud, & aspernabor, & à me separabo. Si autem nouero bonum esse, & tuæ legi consonum, faciam illud, & exequar prout expedire putauero. Hæc voluntas à te est, ô Deus amantissime, non à me, qui sum vas iniquitatis. Et similiter opus à te, & à tua gratia, non à meis viribus esse potest. Per omnes miserationes tuas rogo te, vt miserearis imbecillitatis meæ, & des vt ita, sicut cogito, & volo, faciam, & limites iustitiæ non deseram. Tu quoque Saluator rectissime, qui nulla lege teneris, legem seruas, nullique malum infers, & siue nos prosperitate delinias, siue aduersitate & pœnis affligas, iustitiæ & misericordiæ iura non præteris. O si in hoc vtiliter vellem esse vt Deus, & tuam similitudinem concupiscerem! Cupio certè, cupio, & volo iuxta modulum imbecillitatis meæ ita viuere, vt tuam in hoc similitudinem quæram. Quod mihi nolo, alteri ne faciam. Nolo despici, nolo iniuriis lacessiri, nolo detractionibus lacerari, nolo aliqua ratione à proximo lædi! Eodem modo erga ipsum me habebo. Non illum in corde meo contemnam, nec temerario iudicio percutiam. Non illum verbis, aut operibus aliqua iniuria, vel malo afficiam. Item & quod volo, vt faciant mihi homines, hoc faciam illis. Volo excusari in defectibus meis, volo honorari, volo laudari, volo in pressuris consolari, in necessitatibus adiuuari, comiter & benignè tractari, & si molestus fuero, sustineri. Idem omnino erga proximum volo facere, & statuo corde excusare, verbis & signis honorare, & ope illi succurrere. Tu, ô Domine, qui das, vt velim, dabis vt præstem. Ita postulo, & coram te prostratus, vt ita exequar, suppliciter oro. Hæc duo, ô Domine Deus meus, & Rex meus, quadam etiam ratione erga te seruare debeo, & quod debeo, efficaciter volo: te scilicet non offendere, & tibi in omnibus obsequi. Et ideo propono gratia tua in præceptorum tuorum custodiam incumbere. Te primam veritatem, & omnia à te ad credendum proposita credo. In te, qui fidelis es, spem meam colloco. Te infinitam bonitatem ex toto corde, & ex tota anima diligo. Te colere, adorare, & inuocare volo, & omnem vanum & superfluum cultum ac superstitionem vitare. Volo tuo sancto nomini nullam irreuerentiam inferre, nec illud in vanum assumere. Volo diebus festis, prout à te per Ecclesiam explicatum est, tibi vacare, & ab operibus prohibitis abstinere. Similiter erga proximos meos faciam quod tu præcipis. Parentibus & maioribus, vt sunt prælati, & magistratus Reipublicæ, propter te vnicuique in suo ordine, reuerentiam & obedientiam & opem præstabo. Nemini opere aut verbo, aut desiderio, aut odio, & rancore iniuriam inferam. Corporis & animæ fœlicitatem pro posse fugiam. A nullo aliena iniustè tollam. Nec testimonium falsum, nec verbum inordinatum proferam. O Domine, si ita facerem! ô si præcepta hæc fideliter implerem! ô si non tantùm in re graui, verùm nec in leuissima illis contra irem! Concede obsecro, vt in hoc fidelis seruus inueniar. Verbum autem tuum est, ô Pater fidelissime (liceat mihi iam obsecro tali te nomine compellare) verbum, inquam, tuum est: Audi, fili mi, disciplinam Patris tui, & ne dimittas legem matris tuæ.] Audio & obedio. Sponsæ tuæ, & sanctissimæ matri meæ Ecclesiæ Catholicæ obedire volo. Quidquid ipsa prohibet, nequaquam attingam, quidquid iubet exequar, quidquid proposuerit, cum omni humilitate & pietate suscipiam. Vt bonus filius eius meam venerabilem matrem diligam, de eius prosperitate lætabor, de ipsius aduersitatibus tristabor, hostes eius hæreticos & schismaticos auersabor, & vt omnes homines per susceptionem veræ fidei in sè admittat, desiderabo. Dedisti mihi etiam hoc donum, ô liberalissime Domine, vt à vita prophana educerer, vtque hoc institutum religiosum ac spirituale arriperem, nec infimum gradum sanctæ Ecclesiæ tenerem. Consuetudinibus ergo bonis huius status mei, quia ita tibi placitum est, me accommodare propono. Leges eius ac mandata seruabo, officij mihi demandati obligationes non præteribo. Scio enim quòd licèt multæ & variæ sint viæ veniendi ad te, mihi tamen hanc vitæ rationem, & has regulas tribuisti, quarum obseruatione venirem ad te. Quia verò ad prælatos dixisti: Qui vos audit, me audit: & qui vos spernit, me spernit. Et quia ego summis votis cupio audire, & reuereri, & amare te, ideo volo me prælatis meis obedientem & morigerum exhibere. Pœnitet me, quoniam illos mea duritia & irreuerentia contristaui, & mandatis eorum non obediui & diligentia & voluntate qua debui. Postmodum me emendabo, & quidquid præceperint, in quo manifestum peccatum non sit, humiliter & hilariter exequar. Et quidem tu amator verè animæ meæ non solùm per Ecclesiam, & per Scripturas, & per Doctores, & prelatos me doces, & ad bonum impellis, sed etiam inuisibiliter per Angelorum ministerium, & per temetipsum docere & mouere non desinis. Audiam igitur instinctus & inspirationes tuas Ecclesiæ & Scripturis in nullo contrarias, & per obedientiam eorum quæ à me exegeris, ad maiora capienda, & à te audienda disponar. Placeat tibi rogo, vt hæc omnia quæ coram te statui, exequutioni mandem. Concedéque mihi obsecro per benignitatem tuã, abundantissimam gratiam, qua obseruationi tuæ legis & præceptorum intentus, quod hactenus malè viuendo perdidi, vtcumque resarciam, & ad te per bonorum operum iter perueniam. Amen.

2. Communia naturæ præcepta seruare vis.

3. Mandata legis custodire proponis.

4. Mandata Ecclesia. Prouerb. 1.8.

5. Statuta.

6. Iussa prælatorum.

7. Inspirationes.

Vt cordis puritatem diligas.

EXERCITIVM XX.

LEGIS custodia ad mentis puritatem & munditiam ordinatur. Quare postquam te videris custodiæ legis cupidum, & quod in aliquo saltem graui maximè times Deum offendere, debes iam ad cordis & mentis puritatem aspirare. Mentis puritas omnium virtutum acquisitione, & assidua diuini amoris exercitatione conquiritur, de quibus statim dicemus. At ab ipso conuersionis exordio oportet eam concupiscere, tamquam finem & scopum ad quam omnes labores dirigimus. Hoc autem puritatis desiderium optimè ex meditationibus incipientium elicitur. Nam qui se immundum peccatis aspicit, quid mirum si sordes abiicere, & mundus esse desideret?

In quo sit mentis puritas.

sideret ? Qui nouit se ad nuptias supremi regis in morte vocandum, & de defectu vestis nuptialis, scilicet puritatis, rationem in iudicio redditurum, & si eam non habeat, pœnas in inferno luiturum, quidni puritatis desideria concipiat ? Hanc ergo puritatem ardenter desidera, & humiliter postula, sicut faciebat ille, qui tristis & mœrore oppletus dicebat : Amplius laua me ab iniquitate mea, & à peccato meo munda me. Asperges me Domine hyssopo,& mundabor ; lauabis me,& super niuem dealbabor.] Statues ergo in conspectu Domini, cùm ex meditatione incalueris. 1. Omne graue peccatum penitus vitare. 2. Peccata leuia pro tua possibilitate cauere. 3. Imperfectiones fugere. 4. Radices vitiorum euellere. 5. Ab occasionibus peccatorum & imperfectionum declinare. 6. In omnibus operibus tuis attentè & circumspectè te agere. 7. Ad gloriam Domini expulsa omni sinistra intentione cuncta præstare.

Ardëtur desiderãda.

Psal. 50. 3.

Summa affectus.

PRAXIS.

O Princeps sanctissime Angelorum & hominum Christe Iesu, ô munditiæ animorum fons, & puritatis origo, quò pro aqua munditiæ vadam nisi ad fontem aquæ viuæ,& à quo nisi ab origine puritatis puritatem petam ? Itaque ad te venio,vt meas sordes laues, meorum peccatorum & vitiorum immunditias abstergas. Ego quidem lepra peccatorum scateo, & vt leprosus à consortio hominum mundorum exulo. Scio tamen Domine,quoniam si vis, potes me mundare. Ita credo,ita confiteor. Secundùm fidem meam fiat mihi. Dic:Volo,mundare,& è vestigio mũdabor. Vestem nuptialem sanctitatis exopto,ne nunc à conuiuio contemplationis excludar,& postea à cõuiuio gloriæ cum indignatione reiiciar. Munditiam cordis cupio, vt hîc per sapientiam, & postmodum facie ad faciem te videam. Hoc opus tuum est. Quis enim potest remittere peccata, nisi solus Deus ? & quis potest facere mundum de immundo conceptum semine ? Certè tu qui solus es. Sed licèt hoc ita sit,vis tamen, vt ego,quod tu facturus es, cupiam,vt quod daturus es,petam,vt tua gratia præuentus,& adiutus,quod in me est,faciam, & puritatem sectari constituam. Id nunc in tuo conspectu præstabo. Volo ergo, ô sanctitatis author, ad solum nomen grauis peccati contremiscere, & ab eo quasi à facie colubri fugere, & penitus omne tale peccatum vitare. Placeat tibi vt priùs mihi vita corporalis hæc, quàm spiritualis deficiat, vt priùs in omne malum pœnæ incurram, quàm in malum lethalis culpæ cadam. Hoc est propositum meum,quod vt fundamentum vitæ spiritualis ieci, quod ab ipsa infantia, parentibus me docentibus imbibi, priùs moriendum esse quàm peccandum. Hoc ipsum quod olim didici ab hoc momento propono seruare, & numquam in re graui tua mandata præterire. Vellem etiam, ô benignissime Iesu,ab omnibus culpis leuibus abstinere. Sed tanta est fragilitas mea,vt licèt hoc & illud vitare possim, omnia tamen simul vitare non possim. Si enim de iustis comparatione horum leuium peccatorum dictum est : Septies in die cadit iustus, & resurgit. Ego vilis peccator quàm supra septuagies septies in hæc peccata singulis diebus incido. At pro amore tui conabor ea strenuè vitare, & cùm in ea incidero,citò lacrymis & compunctione tergere. Sigillatim autem statuo nullum peccatum leue à consilio,ac sciens & volens admittere. Insuper & ab his, & illis,vt loquacitatis, & tepiditatis declinare, in quæ frequentiùs soleo incidere. Et quidẽ Domine in his defectibus aliqui sunt adeò minuti (secundùm hominem dico,nam quod perfectionem impedit,minutum reputari non debet) vt non tam peccata, quàm imperfectiones vocentur. Has etiam propono fugere, quantum in me fuerit. Istarum nonnullæ ex ipsa carnis infirmitate, aliæ verò ex incuria, aliæ ex praua consuetudine procedunt. Naturæ itaque & corporis infirmitatem feruore erigam, prauas consuetudines conatu in contrarium vincam, & omnem incuriam à me reiiciam. Tuum autem est, ô Rex fortissime,meam fragilitatem roborare, & harum imperfectionum me victorẽ reddere. Quia verò peccata & imperfectiones istæ ex inueteratis habitibus vitiorũ procedunt, quos à tenera ætate foui, & roboraui, conabor Domine illos euellere, & sigillatim contra illos, vnum post alium pugnare, & à tam misera seruitute me expedire. Præcipuè autem aduersùs superbiam & inanem gloriam & pigritiam bellum instituam,vel aliud speciale vitium à quo superor, donec illud per tuam gratiã omnino prosternam. Illud autem deprehendi, ô Domine Deus, plurima delicta mea non tam ex vitiis insitis, quàm ex occasionibus extrinsecus aduenientibus exoriri. Has igitur occasiones,quæ & quales sint,attentiùs considerabo,vt illas,ne in culpas incidam,cautè declinem. Et quoniam in me nimiæ familiaritates cum aliis,non necessaria colloquia, sciendi noua curiositas,& alia huius generis sunt occasiones peccandi,da mihi obsecro,vt ab eis me circumspectè submoueam, & solus esse (seruata tamen ratione instituti mei, & non reiectis operibus charitatis) quàm hominibus associatus esse curem. Præcipuũ autem instrumentum puritatis est intentionis rectitudo,quam ô Deus amantissime, totis viribus habere curabo. Vnde in operibus meis meipsum non quæram,nõ aliquid huius mundi,sed tibi placere, tuam voluntatem facere, & tuum honorem & gloriam inquiram. Tu non quærebas gloriam tuam,sed eius,qui misit te Patris. Te igitur imitabor,& pro gloria tua, quæ eadem est cum gloria Patris,vniuersa præstabo,ac cum libertate Spiritus sine respectu hominum cuncta perficiam. Ac tandem non parum ad puritatem conducit mentis attentio, qua quis discretè respicit, & discutit opera sua,ne in aliquo excedat,aut deficiat. Hanc Domine in operibus meis teneam. Non dissolutus, non distractus, non præcipitatione raptatus, sed attentus, sed quietus, sed feruidus in actiones incumbam,vt omnem excessum,aut defectum in illis fugiam. Hæc omnia, ô Redemtor sanctissime,te donante cupio,& statuo. Obsecro te per miserationes tuas, vt hæc opereris in me. Munda animam meam ab omni peccato, retrahe me ab omni occasione,qua possum cordis puritatem, aut trãquillitatem amittere. Fac me in operibus attendere ad te,& purè pro tua gloria laborare,& ita me gerere vt à te quottidie ampliorem gratiam & mentis munditiam obtineam. Amen.

1. Proponis peccata grauia vitare.

2. Venialia.

3. Imperfectiones.

4. Vitia.

5. Occasiones.

6. Rectitudo intentionis.

7. Attentio.

Vt te in Dei timore contineas.

EXERCITIVM XXI.

A timore inchoandum, & in eo perseuerandum.

Eccli. 2. 6.

POSTREMVM affectum huius status incipientiũ ponamus timorem Dei, quo scilicet retrahimur ab eius offensa, primò ne in pœnas impiis & peccatoribus destinatas incurramus; secundò ne per culpam ab eius gratia separemur. Ab hoc timore tibi incipiendum est, & in illo vsque ad extremum spiritum perseuerandum, secundùm illud Ecclesiastici: Serua timorem illius,& in illo veterasce.] Incipies à timore Dei, ne in pœnas, quibus peccata punit, incidas:& hic dicitur timor seruilis. Inde procedes ad timorem Dei,ne in pœnam & in culpam cadas: & hic dicitur timor initialis. Consummabis tandem in timore Dei sine respectu aliquo ad pœnã, fugiens culpam solùm, quia est offensa Domini,& illi displicet,& in hoc veterasces,& vsque ad finem perseuerabis. Assuesces ergo respicere offensam Dei vt maximum malum, plusquam mortem, aut ignominiam, aut ipsam gehennam. Et conaberis ad peccati memoriam expauescere, & exhorrere, atque erga Dominum,vt erga ipsam maiestatem & potentiam in corde tuo magnam reuerẽtiam concipere. Hunc autem affectum sic excitabis. 1. Intellectu Dei seueritatem, & in puniendo rigorem expendes. 2. Vitæ malè consumtæ, ne in pœnam incurras, & propter Dei offensam, pœnitebis. 3. Quidquid Domino displicet fugere statues. 4. Aduersùs tentationes confortaberis. 5. Magna reuerentia te Deo submittes, & tuam vilitatem confiteberis.

Summa affectus.

PRAXIS.

1. Diuinæ seueritatis recordaris.

O Christe Iesu, ô Domine Deus omnipotens, in cuius ditione cuncta sunt posita, & non est, qui possit resistere voluntati tuæ, quàm veneranda sunt iudicia tua,& extimescendæ dispositiones prouidentiæ tuæ. Cùm sis summè sanctus & bonus,immo ipsa sanctitas & puritas, peccata hominum immenso odio prosequeris & auersaris, & vt illa destruas, & in nihilum redigas, homines, quibus peccatum adiacet,seueriſſime punis. Hinc Angelos peccatores è supernis sedibus deiecisti,& in infernum per æternitatem puniendos detrusisti. Hinc primos parentes, statim atque mandatum transgressi sunt gratia nudos, & donis supernaturalibus vacuos, & morti adiudicatos cum omni posteritate è paradiso relegasti. Hinc (quod caput est) filium vnigenitum tuum, qui peccatum non fecit,nec inuentus est dolus in ore eius,quia voluit pro nobis fideiubere, dirissima morte sustulisti, & eo tantis laboribus ac doloribus subiecto, tuam indignationem satiasti. Hinc per omnes ætates in peccatores sæuire non desinis,& eos maximis cladibus,& sæpe repentina morte mulctare. Quis non timebit te Rex gentium? Quis non timebit te, & magnificabit nomen tuum, qui ita terribiliter in peccatores animaduertis, & iudicia tua manifesta sunt. Timeo, ô Domine magne & terribilis, immensam seueritatem tuam. Ac solo prostratus cum gemitibus & lacrymis confiteor tibi vniuersa peccata mea. Vitam à te mihi datam malè & vitiosè consumsi,in scopulos omnium peccatorum impegi,sordibus vniuersarum iniquitatum me fœdaui, diaboli seruum me feci, & aduersùm me tuam indignationem irritaui. Pœnitet me Domine ita vixisse, pœnitet me tuis sanctissimis legibus inobedientem extitisse. Doleo, & lugeo, & eiulo, quia tam innumera mala perpetraui. Ad memoriã iudicij, ex quo, nisi tu mihi parcas, damnatus exibo, paueo. Ad recordationem ignis æterni quo sum dignus, contremisco. Sed quod præcipuè me contristat & angustat, & hoc vinculum peccati, quo premor, seu tot catenæ iniquitatum mearum, & offensarum tuarum, quibus constringor. Dimitte me,vt plangam paululum dolorem meum,si fortè misertus compunctionis meæ cõuertaris, & ignoscas mihi, & relinquas post me benedictionem. Spero de infinita bonitate tua,quia mihi parcis, & peccatorum meorum obliuisceris. Ne autem iterum in similis,aut etiam maioris pœnæ reatum incurram, & præcipuè ne summum malum peccati & offensæ contraham,statuo,ô Rex meus,& Deus meus,omnia peccata grauia vitare, leuia pro posse fugere,imperfectiones cauere, membra, & sensus, & linguam ab omni illicito cohibere. Item constituo, ne gratiam amittam, tua & Ecclesiæ mandata custodire,& iussa tua hominum voluntatibus anteponere. Adiuua,obsecro, infirmitatem meam, vt sicut cupio,& propono,ita faciam,& vt timore pœnæ,sed multo magis timore culpæ & offensæ à peccatis auertar. Hactenus, ô Deus meus, & virtus animæ meæ diabolum mala & impura suggerentem audiui, ei me vinctum tradidi, & in tentationes consensi. Iam deinceps,ne à gratia excidam, & ne tuam indignationem promerear,omnem aduersariorum suasionem abiiciam. In primo ingressu tentationis scutum sancti timoris opponã, quo non tantùm à graui casu,verùm & ab odore ignis, scilicet peccati,omnia vorantis eripiar. Virtutibus tamquam armis me muniam, ne superer; & assiduæ orationi insistam, vt à te gratiam ad intelligendos aduersarij dolos, & ad vincendum consequar. Adiuua me Domine Deus meus, saluum me fac propter misericordiam tuam, quia in te solo omnem spem meam collocaui, & nisi tu manum mittas de alto,& adiuues, perij. Te ergo, ô Domine,summum & immensum Deum agnosco, æternam maiestatem omnis boni originem ac principium confiteor. Me vilissimam creaturam, & planè nihil tibi submitto, & corpore prostratus, teipsum adoro,& cultum latriæ tibi soli debitum,te omnium authorem cognoscens attribuo. Meam irreuerentiam & stoliditatem hactenus in conspectu tuo habitam detestor. Et apud te trementem & pauentem stare,sicut coram summo regum Rege constituo. Et sicut aulici regis terreni, omnia immo & propriam salutem postponunt, vt regi suo placeant. Ita & ego seruus tuus omnia irrideo & desero,& hominum nullam rationem habeo,& vitam meam profundere volo, ne à gratia tua excidam,quin,& ne in minimo tibi displiceam:Confige, ô Domine, timore tuo carnes meas; à iudiciis enim tuis timui. Da vt iniquitatem timeam, vt iudicium exhorream, vt gehennam pertimescam. Da vt solicitudo mea sit tibi obsequi, & à te pendere, à quo solum possum à malis liberari. Amen.

Ierem. 10. 7. Apoc. 15. 4.

2. Peccatorũ pœnites.

3. Peccata vitare statuis.

Iob 10. 20.

4. Aduersùs tentationes roboror.

5. Deum reuereris.

Psal. 118. 120.

ORATIO.

OMnipotens ſempiterne Deus, qui res hominum ita diſponis, vt eos non reſiſtentes, ſed obſequentes inſpirationi tuæ, à ſuis peccatis eripias, & ad gratiam & ſanctitatem efferas, faciens illos ex immenſa bonitate tua, Ieſu Chriſto vnigenito filio tuo ſimiles, & tuæ puritatis conſortes. En ego, qui aliquando reſtiti tibi, iam non reſiſto, & qui mandatis tuis contradixi, iam tibi obſequi in omnibus cupio. Suſcipe me, obſecro, per immenſas miſerationes tuas, & natura ac redemtione, & mille aliis titulis ſeruum tuum, opere ſeruum tuum facito, & ouem perditam ad te reuertentem, ad remedium & indulgentiam agnoſce. Concede mihi quæſo his exercitiis non verbo, nec intellectu tantùm, ſed affectu vti, & quòd hæc verba inculta ſonant, efficere. Da peccata mea magna & multiplicia me cognoſcere, cognoſcendo deplorare, deplorando ab illis auerti, & auerſum à malo, in bono proficere. Da etiam mihi vitia mea peccatorum radices euellere, ſenſus mortificare, paſſiones cohibere, mandata tua cuſtodire, ad mentis puritatem aſpirare, tuo timore concuti, & omnia munia hominis vitam ſpiritualem incipientis obire, vt audiens te dicentem per inſtinctum tuum, ſeu per vocem Magiſtri me docentis: Aſcende ſuperiùs, viam ſequentem proficientum aggrediar ad gloriam nominis tui. Qui cum Patre & Spiritu ſancto viuis & regnas in ſæcula ſæculorum. Amen.

PARS SECVNDA

De affectibus ad promotionem boni pro proficientibus.

INTRODVCTIO.

QVI prædictis affectibus aſſueuerint (quibus peccata & vitia deteſtamur, & mandata Domini cuſtodire geſtimus;) quique vitam ſuam ad eorumdem affectuum normam compoſuerint, hi poſſunt perfectiorem & ſuauiorem viam proficientium ingredi, & eius exercitia & affectus fœliciter vſurpare. His qui iam veterem hominem exuerunt, dictum eſt: Induite nouum hominem, qui ſecundùm Deum creatus eſt in iuſtitia, & ſanctitate veritatis.] Et rurſus: Induimini Dominum Ieſum Chriſtum.] Non enim ſatis eſt vt ingrediamur in ſupremi Regis palatium, veſtem immundam deponere, niſi etiam nouum & ſplendidum imitationis Chriſti veſtimentum induamus. Hæc ergo ſit proficientium cura Chriſtum imitari, eius ſanctiſſimæ vitæ & conuerſationi aſſimilari, atque ipſius virtutibus amiciri. Huiuſmodi autem imitatione iſta continentur: vt vires animæ noſtræ à peccato mundati ad ſimilitudinem virium Domini noſtri Ieſu Chriſti reformemus, vt multiplices virtutes ipſius deſideremus, poſtulemus, & exerceamus, vt in opera ſimilia operibus eius incumbamus, atque vt in ipſum Dominum affectu & ſimilitudine transformemur. Ad hunc finem vitam Domini Saluatoris, & eius paſſionem, mortem, & reſurrectionem ad meditationem accerſent, & in geſtis beatiſſimæ Virginis, & Sanctorum Chriſtum ipſum, quaſi ſolem in luna & ſtellis ſplendentem aſpicient. Et ex hac meditatione ad ſubiiciendos affectus procedent. Nec tamen in hiſce ſanctis affectibus ſiſtent, ſed ad ſimilem affectibus vitam aſpirabunt, ita vt vita & conuerſatio affectibus deſideriiſque conſentiat.

Qui poſſint ad proficiẽtiũ exercitia trãſire. Epheſ. 4. 24. Rom. 13. 14.

Quæ à proficiẽte meditanda, & qui eius affectus.

Qualiter ad exemplum Ieſu Chriſti Domini noſtri tres vires animæ reformabis.

EXERCITIVM I.

Vires animæ per peccatũ læſæ.

INITIVM huius viæ ſumendum eſt à reformatione mentis in tribus viribus animæ tuæ, memoria, intellectu, & voluntate. Hę per peccatum protoparentum nimis læſæ & corruptę ſunt, & per propria peccata actualia ampliùs adhuc infirmæ & debilitatæ, & à Deo abalienatæ. Memoriæ ægritudo eſt diſtractio, & vanitas: intellectus ignorantia & cæcitas: voluntatis ad creaturas adhæſio, & amoris peruerſitas. Intendes ergo oculos interiores, ô homo, in ſanctiſſimam animam Domini Ieſu, & puritatem virium eius attentè conſiderabis, vt ad earum ſimilitudinem tuas vires reformes. Videbis memoriam illam Domini ab omnibus extraneis cogitationibus mundam, & ſanctis meditationibus ornatã: intellectum illum ab omni obſcuritate alieniſſimum, & omni ſcientia ac ſapientia illuminatum: voluntatem

Vires animæ Chriſti conſiderandæ.

illam ab omni corrupto amore ſeparatam, & infinito æterni Patris amore repletam. Itaque ad imitationem huius Domini tui. 1. Deſiderabis,& petes memoriam tuam inanibus cogitationibus vacuari,& ſanctis ac mundis repleri. 2. Intellectum ab omni cæcitate,& ignorantia, & errore purgari, & Dei cognitione,& mandatorum eius,& luce ad contemplandum perfici. 3. Voluntatem vt ab omni inordinato amore auertat,& per veram charitatem in ſe conuertat: ita ſcilicet vt ipſum ex toto corde diligas,& alia in Deo,& propter Deum. 4. Vt eamdem voluntatem ipſius Domini voluntati conformes. 5. Vt in his viribus eidem Deo tuo thalamum & lectum pares,& ab hoc deſiderio numquam deſiſtas,donec concupitam virium tuarum reformationem obtineas.

Summa affectus.

PRAXIS.

O Domine Ieſu Chriſte, ô Magiſter bone, ô vniuerſarum virtutum & omnis ſanctitatis exemplar. Non tantùm verbo nos doces, ſed vita & exemplo erudis, ita vt tota ſubſtantia ſpiritualis,& ſanctæ conuerſationis ſit te reſpicere,& mores noſtros tum interiùs, tum exteriùs ad tui ſimilitudinẽ efformare. Illumina,obſecro,oculos mentis meæ lumine fidei,lumine ſapientiæ, vt te tamquam exemplum mihi datum ad ſanctè viuendum reſpiciam,& ad imaginem tuam me animo & corpore effingam. Glorifico nunc maieſtatem tuam pro infinita pulchritudine animæ tuæ immenſa gratia & ſanctitate refertæ. De plenitudine tua,inquit dilectus tuus, nos omnes accepimus, & gratiam pro gratia.] Sim & ego vnus iſtorum, qui de plenitudine gratiæ tuæ, de immenſo mari ſanctitatis tuæ aliquid gratiæ recipiam, qua filius tuus non ex ſanguinibus, ſed ex te Deo natus fiam. Induc me,ſupplex oro,hac veſte nuptiali,hac ſtola in ſanguine tuo dealbata,qua Patri,& tibi,& Spiritui ſancto gratus appaream, qua diuinæ naturæ particeps reddar, qua ſemen in me vitæ æternæ, quam ſpero, ſuſcipiam. Eam omnibus rebus creatis præferam,& pretioſiorem reputem,& pro illa conſeruanda vniuerſa, vt ſtercus vile deſpiciam, ita me præſtiturum eſſe conſtituo, & meus conatus erit hunc pretioſum theſaurum, quem te authore, & donatore largiſſimo, me iam habere coniector, in dies magis ac magis augere,& venditis, ſeu ſpretis omnibus, eius augmẽtum comparare. Animam puriſſimam tuam infinita gratia veſtiuit, & quidem ea, quæ ſit omnis noſtræ gratiæ fons, & origo. At vires eiuſdem animæ tuæ, quænam dona, quæ virtutes ornarunt? Memoria tua ſemper erat mundiſſima, quietiſſima,ornatiſſima. Mundiſſima ab omni ſimilitudine rerum inanium,quæ eam nec ad momentum infecit. Quietiſſima,quia numquã aliquam ſimilitudinem rei, quæ te perturbaret,obiecit. Ornatiſſima, quoniam imagines rerum ſanctiſſimarum & cœleſtium depoſitas habuit. O ſi hæc puriſſima memoria tua meam memoriam purificaret,ſedaret,ornaret. O ſi ab ea imagines rerum inanium & ludicrarum abiicerem, quas perpetua diſtractio & incuria mea peperit. O ſi perturbationes eius comprimerem, quas multiplex deſiderium rerum ſæcularium excitauit. O ſi in hoc multum ſolicitudinis ponerem,vt eam ſanctis imaginibus exornarem, immo præſentiſſima effigie tuæ crucifixæ humanitatis imbuerem:Id cupio Domine, id curabo, ad id per tuam gratiam conſequendum me præparabo. Hanc puritatem à te expecto. Fiat mihi, rogo, ſecundùm deſiderium meum: & per virtutem tranquillitatis tuæ vanas & ſuperfluas rerum imagines comprime, & penitus dele, eámque ſanctis cogitationibus imbue. Glorifico te etiam, ô Chriſte Ieſu, ob perfectionem ſanctiſſimi intellectus tui, in quo erãt omnes theſauri ſapientiæ, & ſcientiæ Patris abſconditi. O lux vera, quæ illuminas omnem hominem venientem in hunc mundum, ſi me perfectè illuminares,& luce efficaci,quæ me ad agendum incitaret, perfunderes. In votis mihi eſt, in his quæ ad ſanctè viuendum pertinent,omni errore,omni cæcitate,omni ignorantia carere,& ſcientia Sanctorum & virorum ſpiritualium repleri. Hæc ſcientia eſt,noſſe me,& noſſe te. Da ergo Domine per miſerationes tuas,vt nouerim me,& nouerim te. Da vt cognoſcam, quis ego ſum, & quid habeo,quòd ſcilicet ex me nihil ſum,& nihil habeo. Da vt cognoſcam,quis tu ſis,& quid habeas. Quia nimirum es ſapientiſſimus, optimus, potentiſſimus, perfectiſſimus, pulcherrimus,digniſſimus, vt ab omnibus diligaris, adoreris, & colaris. Et quia data eſt tibi omnis poteſtas in cœlo, & in terra, & omnia Patris tua ſunt, & omnia tua Patris ſunt. Amoue à me omnem eam cæcitatem & ignorantiam, qua poſſum aliquid tibi diſplicens admittere,& aliquid placens refutare. Da deſiderium diſcendi ex Scripturis tuis,ex ſanctis Doctoribus,ex prælatis,& ex optima matre mea Eccleſia tua quid acceptum ſit coram te omni tempore,vt illud ſollicitè conſtantérque perficiam. Deinde glorifico te, ô mi Redemtor ſanctiſſime, propter rectitudinem & ſanctitatem voluntatis tuæ, qua Patrem amore perpetuo, & numquam interrupto, & perfectiſſimo dilexiſti:nihil niſi in ipſo, & propter ipſum voluiſti,& voluntatem tuam volũtati æterni Patris perfectiſſimè conformaſti. Voluiſti promtiſſimè & delicioſiſſimè ei in omnibus obſequi, & voluntatem eius vt rem omnium pretioſiſſimam habuiſti in medio cordis tui. Hic erat cibus ſuauiſſimus tuus, facere voluntatem Patris tui qui in cœlis eſt. O iſtud eſt maximum deſiderium meum, hoc præ omnibus cupio,& deſidero, voluntatem meam in tuam voluntatem transfundere, & meum velle in omnibus tuo beneplacito conformare. Voluntatem meam ab vniuerſis quæ extra te ſunt, auertere, & ſeparare curabo. Te ex toto corde, & tota anima, & tota mente amare conabor. Reliqua in te,& propter te,& ſeruato ordine dilectionis amabo. O Domine ſi ita facerem! ô ſi quemadmodum cogito, & ſtatuo, ita præſtarem! Placeat tibi per bonitatem tuam, vt ſic efficaciter exequar. Immo & concede,vt iam non tam voluntatem habeam, quàm tua rectiſſima voluntate regar. Ipſa me excitet,ipſa me ducat,ipſa me ad finem operis vſque perducat, vt in initio operis, & progreſſu, & in fine à tuo beneplacito non diſcedam. En offero tibi, ô amantiſſime Domine,has vires meas,vt perpetuò tibi vacent,vt tibi iugiter per cognitionem & amorem inhæreant. Vtinam qui non horruiſti vile præſepium, qui tuguriola homuncionum non deſpexiſti,ex his viribus meis thalamum,vbi quieſcas,efficias. Ego (quod in me eſt) roboratus gratia tua ex his tibi thalamum parare enitar. Lectus hic tuus ſpinas inanium cogitationum,& tribulos affectuum terrenorum numquam admittet. Erit lectulus floridus, quem ſanctæ cogitationes, & pij ac deuoti affectus exornent,& circumſpectio cauta circumdet. Volo, ô Domine, vt ita fiat, & ita actione præſtare contendam. Ex nunc tibi me in templum

Ioan. 1. 17.

1. Memoriæ reformationẽ cupis & petis.

2. Intellectus.

Ioan. 1. 9.

3. Voluntatis.

4. Vires istas offers.

templum consecro,& totum tibi me offero,qui viuis & regnas in sæcula. Amen.

Qualiter ad eiusdem similitudinem cordis affectus compones.

EXERCITIVM II.

SECVNDÒ exercebis te in reformatione cordis tui, & abscissione ac mortificatione omnium illorum, quæ tibi impedimento esse possunt, quominus in ipsum amore fluas, & tuo creatori intellectu & affectu adhęreas. Conaberisq; intrare in cor Domini Iesu, ipsúmque considerare quale sit, vt ad ipsius similitudinem cor tuum efformes. Cor istud sanctissimum est via per quam venimus ad æternam mansionẽ,quæ est Christi diuinitas. Quocirca ipse ait:Ego sum via.] Est & ostium per quod ingredimur ad contemplationem diuinitatis. Vnde & iterum inquit:Ego sum ostium,per me si quis introierit,saluabitur.]Vt ergo possis ad contemplationem & amorem diuinitatis ascendere in cor istud Domini omnium cordium sanctissimum, atque mundissimũ, intenta consideratione penetrare curabis, vt simile cor aspirãdo in oratione,& laborando in actione habere coneris. Cùm in ipsum cor Domini oculos mentis intenderis, videbis illud duodecim munditiis purissimũ. Fuit enim mũdum 1.à rerum temporalium amore. 2. ab intentionis obliquitate. 3.à mundana delectatione.4.à placendi hominibus desiderio.5.ab inutili cogitatione.6.à superflua cura.7.à noxia amaritudine.8.ab inani complacentia. 9.ab affectu creatæ consolationis.10.ab stimulis anxietatis. 11. ab inquietudine impatientiæ.12. ab infectione proprię voluntatis.Pro hac multiplici puritate ac mũditia cordis Dominũ tuum Iesum glorificabis,& eamdem ignitis aspirationibus desiderabis,& petes,atq; ipsius puritatis assequutioni vehementer insistes,& sic cor tuum reformabis.

Intrandũ ad cor Iesu.

Ioan. 14. 6.

Ioan. 10. 9.

Duodecim mũditiæ cordis Iesu.

Summa affectus.

PRAXIS.

O Saluator hominum Christe Iesu,cuius opus redemtio nostra est, cuius cognitio initium salutis est, cuius imitatio tota perfectio est: operi mihi, obsecro, sanctissimum cor tuum,ianuam vitæ,& fontem aquæ viuæ,vt per illud ad tui notitiã ingrediar, & aquam veræ virtutis omnem sitim rerum temporalium extinguentem bibam. Tu dixisti: Prauum est cor hominis, & inscrutabile, quis cognoscet illud? Ego Dominus.]Ego autem dico: sanctum & mundum est cor tuum; sed impenetrabile,& quis cognoscet illud? Tu Domine,& ille ex parte,cui volueris illud reuelare. Reuela ergo,& illumina oculos meos, vt sanctissimi cordis tui perfectiones videam, & immortificationes cordis mei abiicere tuarum perfectionum imitatione contendam,vt quod tu non es,non vis,non amas,constanter expellam,& te solum,& quod vis,& amas,& in eo gradu quo iubes aut consulis à me amari, diligenter amplectar. Glorifico te,ô author sanctitatis, ob primam munditiam sanctissimi cordis tui, qua mundũ fuit ab omnium rerum tẽporalium amore. Nulli enim rei temporali amore adhæsisti, sed superfluis abiectis cum magna cordis simplicitate, necessaria sanctissimæ humanitati tuæ parce, & angustè, & ita vt vix ad sustentationem sufficerent,vsurpasti. O si iam discerem temporalia relinquere, vilibilia contemnere, & rebus caducis affectu non adhærere. O si eas quieto corde in tuum beneplacitum resignarem, & siue dederis, siue abstuleris, cum illis, aut sine illis pacatus semper & tranquillus permanerem. Da mihi, obsecro, per sanctissimã nuditatem tuam vt nuditatem omnium rerum visibilium amem, vt omnia superfluè deseram,vt curiosa,nec meo statui consona reiiciam:vt necessaria, sine quibus vita esse non potest, & secundùm meum statum ad singularitatem vitãdam, sine nimio affectu cordis,ad simplicem vsum assumam. Immo & vt hæc cum nausea & tædio suscipere coner,vt tuæ nuditati ampliùs conformari,& ad tuam imitationem perfectiùs euolare queam. Glorifico te, ô Domine, ob secundam munditiam sanctissimi cordis tui qua alieniſſimus fuisti ab omni sinistra intentione. Non quærebas gloriam tuam, sed in operibus tuis, vt filius vnigenitus & dilectissimus gloriam Patris aucupabas. O in hac re quàm longissimè à tua imitatione abfui. Nam in his quæ hactenus desideraui, & egi, meipsum, & non te, meum scilicet honorem, meam vtilitatem, meam consolationem quæsiui,aut pœnam & confusionem euadere curaui. Vix reperio aliquid quod purè propter tuam gloriam fecerim, & in quo non aliqua saltem ratione meipsum intenderim. Da mihi obsecro per mirabilem rectitudinem intentionis tuæ in omnibus quæ cogitauero, quæ concupiuero, quæ egero, intentionem puram habere. Da mihi intentionem rectam, vt ex filiali amore in cunctis tuum honorem, gloriam, & beneplacitum quæram. Et intentionem simplicem, vt omnia ad hoc referam,vt in te semper maneam, & intellectu, atque affectu, fide, spe, & charitate ornato in tuo sinu quiescam. Et intentionem perfectissimam, ita scilicet vt nec spiritualem consolationem quæram, sed etiam in omni desolatione, & derelictione tibi soli adhærere concupiscam. Iam posthac hoc solum intendere, & in meis laboribus comparare desidero. Laudo te, ô superglorioſissime Domine Deus, ob tertiam munditiam nobilissimi cordis tui, qua mundus fuisti ab omni voluptate & delectatione huius sęculi. Nam tu,qui à momento conceptionis tuæ beatus eras & deliciis cœlestibus sine vlla mensura fruebaris,delicias nostras,quas res sensibus perceptæ ingerunt, refutabas. Concede mihi, rogo, per hanc celsitudinem cordis tui, secundùm desiderium,quod,te donante, concepi,omnem sensualem oblectationem respuere. Hucusque sensualiter delectatus sum in cibo, in potu,in somno,in vestibus,in amicitiis humanis,in cõfabulationibus,item in appetitu videdi pulchrè, audiendi noua, habendi curiosa,& fruẽdi sensuum vanitate. In his omnibus volo,& propono me mortificare,& ab illis auerti,vt mihi spiritualia sapiant (quorum sapor gustu terrenorum obtunditur) & vniuersa quæ ad vitam perfectam non conferunt, omnino displiceant. Tu ipse, qui dedisti voluntatem, dabis & opus, quia sine te impotens sum, vt cor meum ad abiecta propensum reprimam atque cohibeam. Laudo te, ô suauissime redemtor Iesu, ob quartam munditiam purissimi cordis tui, qua alienus fuisti ab omni mundana amicitia, & ab omni studio placendi hominibus, & cum sancta libertate ea operatus es, quæ consona erant eximiæ virtuti, & sanctitati tuæ. Admodum desidero habere cor meum in hoc tui cordis puritati cõforme. Concede mihi,rogo,vt hominibus placere non quæram. Ne,vt placeam hominibus,aliquid minus rectum,

Ieremi. 17 9.

1. Abstrahis affectum ab amore temporalium.

2. A prauа intentione. Ioã. 8. 50.

3. A mũdana delectatione.

4. A desiderio placendi.

rectum, minúſque tibi placitum faciam. Néve timore diſplicendi illis aliquid debitum, aut à te iuſſum omittam. Concede etiam vt amicos ordinatè diligam, & amicitiam humanã, licèt moraliter bonam cordi meo, quod tibi conſecraui, dominari non ſinam. Necnon vt conſanguineos in te, & propter te amem, & amorem naturalem in ſpiritualem conuertam. Volo quidem omnes homines, etiam inimicos propter te, ſicut meipſum diligere, eis tui imaginem, gratiam, & virtutes velle, omnium ſalutem ſitire, nullius imperfectionibus, aut vitiis annuere, & abſque vlla inquietudine ab illis mala auertere, & eiſdem bona præſtare. Da vt ita faciam, & vt cor meum illibatum tibi ab omni amore ſæculari cuſtodiam.

§. 1.

1. Ab inutili cogitatione.

MAgnifico te, ô mi Saluator Ieſu Chriſte, ob quintam munditiam ſanctiſſimi cordis tui, quia ſcilicet mundiſſimus fuiſti ab omni affectu inutilis cogitationis. Nulla cogitatio aſcẽdit in cor tuum, quę non eſſet ſancta, illibata, pulchra, admiſſa pro ſalute animarum noſtrarum, & gloria Patris. Neque cogitationes tuæ, ſicut cogitationes noſtræ, neq; viæ tuæ, ſicut viæ noſtræ. Sed ſicut exaltantur cœli à terra, ita ſupra cogitationes mortalium ſanctiſſimę cogitationes tuæ exaltatę ſunt. Circumda, poſtulo per ſanctitatem tuam, cor meũ muro gratiæ tuę, ne in illud aliqua cogitatio minus tibi grata penetrare queat. Magna eſt, Domine, tepiditas mea, & incuria mea: cuius cauſſa mihi cogitationes impuræ & noxiæ incidere ſolent, & cogitationibus inanibus & ſuperfluis inficior, & cogitationibus rerum vilium, ſed cum nimia ſolicitudine admiſſis torqueor, atque diſcrucior. Tolle à me iam cogitationes malas, & pudeat me in conſpectu tuo cogitare quæ coram hominibus loqui aut operari erubeſcerem. Amoue à corde meo cogitationes inanes, & verear illud euoluere in conclaui animæ meæ, vbi tu habitas, quod ſi ad notitiam hominum venturum eſſet, cogitare timerem. Tempera, & cohibe cogitationes neceſſarias, rerum ſcilicet quæ mihi ratione officij, aut ſtatus incumbunt, & fac vt hæc ita in te, & propter te cogitem, quòd à tua preſentia non diuellar. Afficiar ego ad taciturnitatem, ad ſolitudinem cordis, & ad receſſum ab hominibus, quem mea vocatio patiatur. Ita nimirũ, vt non pro vano ſolatio, ſed pro bono charitatis, aut pro onere neceſſitatis meæ, aut ipſorum, cum illis eſſe ſuſtineam. Hæc enim ſunt inſtrumenta, quibus tu ſoles à corde noſtro impuras & vanas cogitationes abiicere. Te & tuas perfectiones, ſed præcipuè infinitam charitatem tuã ſemper cogitem ita vt cogitationes in affectiones tranſeant, & te bonũ meũ aſſiduo amore complectar. Magnifico te, ô Saluator amantiſſime, pro ſexta munditia cordis tui, qua alienus eras ab omni ſuperflua cura, immo vniuerſa cũ admirabili libertate ſpiritus, & tranquillitate operabaris. Nihil erat quod te turbaret, nihil quod à cordis ſimplicitate & quiete diuelleret. Eia Domine, mortifica paſſiones meas, cohibe illas fræno amoris tui, & moderare medicamine præſẽtiæ tuę, ne me inquietent, ſed magis ad id cuius gratia eas dediſti, id eſt, ad bonas operationes iuuent. Libera me à mordacibus curis, fácque, vt ſiue parua, ſiue magna ex me pendeãt, in te cui omnia ſunt puſilla, & facillima, & non in mea virtute confidam. Volo quidem ad id quod mihi incumbit media ordinata, tranquillè ponere, & conſilio prudentum vti, ſed à te bonum euentum expectare. Volo etiam actiones, quas à me poſtulat neceſſitas, abſque multiplicitate & ſolicitudine cordis perficere, & ad te in illis (quantum mihi datum fuerit) intellectum & affectum eleuatum habere. Poſtulo à te, ô author puritatis, vt ita impleam, ne per nimias occupationes, aut nimiè & imprudenter acceptas, meus intellectus obſcuretur, & affectus ad teporem vertatur. Ne mihi temporalia ſapiant, & ſpiritualia deſipiãt, ſed omnia ad virtutis & perfectionis augmentum conuertam. Benedico te, ô ſuauiſſime Domine Ieſu Chriſte, ob ſeptimam munditiam puriſſimi cordis tui, qua plenus eras omni ſuauitate, & dulcedine, & vacuus omni felle amaritudinis. Non clamabas, neque audiebatur vox tua foris, neque eras triſtis, neque turbulentus, ſed ad omnes dulcis, atque benignus. Per hanc dulcedinẽ tuam, rogo te, vt auferas à me omnem cordis amaritudinem. Hanc ego multis cauſſis & modis in cor meum intuli. Orta eſt enim in me ex ſuperbia & preſumtione propriorum meritorum, qua falſa iuſtitia plenus, quæ indignationem habet, non compaſſionem, pronus fui ad temere iudicandum, & aſpernandum cæteros. Item ex deſideriorum immortificatione, qua incitatus ſum ad detrahendum de ſuperioribus, & aliis, qui meis vitiis non acquieuerũt. Inſuper ex rancore & odio, quo dicta & facta eorũ, qui me quoquomodo læſerunt, peruertere, & in malum interpretari volui. Deinde ex inuidia, qua virtutes illorum, quibus præferri, aut æquari non potui, extinguere, aut obſcurare concupiui. Tandem ex tepida & diſtracta conſcientia, qua feruidos, & non mei ſimiles auerſatus ſum. Has omnes cauſſas amaritudinis à me ſubmouere volo, & ſtatuo. Et tu Domine à me ſubmoue, & amoris tui ſuauitate reple, vt omnes propter te diligam, vt boni mihi placeãt, & propter te quæque aduerſa tranquillo corde ſuſtineam. Benedico te, ô dulciſſime Domine Ieſu, ob octauam munditiam ſanctiſſimi cordis tui, ſeu ob magnitudinem eius, qua omnia opera tua, licèt eximia, Patri ſubmittebas, & ei te in omnibus humiliabas. Da mihi per hanc magnitudinem tuam affectum, quo omnem inanem gloriã, & complacẽtiam ſuperem, & mea verba, & opera, & labores paruipendam, & ſi quæ habeo, aliena eſſe cognoſcã. Da etiam vt me reputẽ omnibus hominibus indigniorem, omnibus viliorẽ, propter peccata quæ feci, & propter illa quę facere potui, & propter dona tua, quæ otioſa poſſedi, quæ ſi alius accepiſſet, multo magis & meliùs tibi placuiſſet. Da demũ vt viliſſimus ab omnibus haberi velim, & à te ſolo cognoſci, & amari procurẽ.

7. Ab amaritudine cordis.

§. 2.

9. A creata conſolatione.

LAudibus effero te, ô dilectiſſime Domine Ieſu Chriſte, ob nonam munditiam perfectiſſimi cordis tui, qua nulli adhærebas creatæ cõſolationi, ſed pro me dolores & afflictiones amabas. Anima ſanctiſſima tua beata erat, & infinitis gaudiis immerſa. At ſecũdùm portionem inferiorẽ preſſuram & anguſtiam ſuſtinebat: adeò vt in cruce dixeris te à Patre fuiſſe derelictum, quia ſumma triſtitia afficiebat cor tuũ. Et quidem facile erat, tibi, Domine, retenta externa paupertate, & corporis afflictione, ab anima tua omnem prorſus triſtitiam pellere, & omni exultatione & lætitia circumdare. Sed voluiſti ad tempus, vſque ad mortem triſtis eſſe, & mœrore atque angore teipſum affligere, vt diſcerẽt tui ſerui propter te non ſolùm in corpore dolorem, & penuriam, verùm in animo ariditatem & derelictionem ſuſtinere. Largire ergo mihi cor ab omni deſiderio conſolationis & deuotionis ſenſibilis alienum: ita ſcilicet, vt cùm hæc adfuerit, in ea

6. A ſuperfluis curis.

8. Ab inani gloria.

meipſum

meipsum non quæram, sed purè propter te, & vt instrumentum maioris mortificationis suscipiam. Si verò abfuerit, etiam feruidè viuam,& ad consolationes huius mundi aucupandas non deflectam. Certum est enim quòd vera sanctitas non in subtili rerum cœlestium inuestigatione,nec in sensibili deuotione, sed in vera charitate & humilitate,& in vera & perfecta legis tuę custodia constituta est. Hanc ergo præ omnibus quæram, & inquisitioni intellectus, aut consolationibus non adhærebo.

10. Ab anxietate. Laudibus effero te, ô purissime Iesu, ob decimam puritatem beatissimi cordis tui, seu ob fiducialem securitatem eius, qua omnia ad gloriam Patris, & salutem nostram pertinentia exultanter operabaris.Erat tibi euidens in omnibus beneplacitum Patris tui, ideóque absque vlla ambiguitate, absque vlla anxietate,aut timore,& cum incredibili securitate, & fiducia, non vt seruus, sed vt filius,immo & vt Dominus omnium vniuersa perficiebas. O si in his quæ ago,tuum beneplacitum possem agnoscere! O si addictus legibus tuis omnem scrupulositatem & anxietatem deponerem, & fiducialiter rebus bonis intenderem. Tolle obsecro à corde meo nimium amorem mei, & infunde amorem perfectũ tui. Tolle cor serui pigri, & minus fidelis solam pœnam & flagellum timentis, & da cor filij per sanctam fiduciam in te sperantis:vt securè in te omnes meas curas proiiciam,& sine puerorum terroribus per viam perfectionis incedam.

11. Ab impatiẽtia. Benedico & laudo te, ô patientissime Domine Iesu, ob vndecimam munditiam rectissimi cordis tui, qua mundus eras ab omni impatientiæ & vltionis affectu. Nam pro me mansuetissimo corde omnium sustinuisti contumeliam, irrisionem, & afflictionem. Pertulisti sputa, flagella, & crucis ac mortis tormenta, & tantum abfuit, vt vindictam expeteres, quòd pro ipsis persecutoribus precatus es.Volo Domine à corde meo omnem impatientiam depellere,& infamias,ægritudines,derisiones, contumelias, derelictiones internas,subtractiones sensibilis gratiæ, & omnem aduersitatem æquo animo tolerare. Da mihi,obsecro, ne opere,aut verbo de aduersariis vltionem sumam: ne corde rancorem & impatientiam feram, & vt me omni malo dignũ arbitrans, læto animo cuncta aduersa emergentia sustineam.

12. A propria voluntate. Benedico,& laudo te,ô sanctissime Redemtor Iesu, ob duodecimam munditiam purissimi cordis tui, qua mundus fuisti ab omni propria voluntate. Tua voluntas erat voluntati Patris omnino conformis. Venistique vt Patris voluntatem faceres, vt eius placita in cunctis præstares. Tibi voluntatem meam offero, & liberum arbitrium meum consecro, quo in corde meo nihil pretiosius inuenio. Munda me, rogo, à veneno propriæ voluntatis. Dáque vt in omnibus tuam sanctissimam voluntatem quæram, vt quod tibi gratum fuerit per scripturam, vel per prælatos, vel per internã inspirationem expressum exequar.Immo da vt quasi voluntatẽ non habeam, sed in omnibus tum maioribus, tum minoribus ductu tuæ voluntatis regar. Ex infinita munditia & puritate benedicti cordis tui hos duodecim riuulos munditiæ collegi, quos duodecim cordis tui munditias nominaui. Concede quæsumus, vt has semper petam,semper sitiã,& quod postulo, & cupio,semper actione præferam.Fac vt secundùm hęc meam vitam instituam, vtque cor meum à prauis affectibus mundare contendam.Imprime sanctissimum cor tuum in cor meum,& istud tibi assimila, nec permittas me statum imitatoris tui habere, & cor alienum à tua imitatione portare.

Qualiter operationes ad Christi exemplum perficies.

EXERCITIVM III.

EXERTIVM exercitium tuum sit opera ad exemplum Domini nostri Iesu Christi perficere, & in sanctissima eius vita discere quomodo debeas irreprehensibiliter conuersari. Si enim immaculatam eius vitam in quocumque mysterio considerES, & eum si in vtero virginis clausum, siue nascentem, siue ad tempus se occultantem, siue prædicantem,siue miracula patrantem, siue patientem, siue morientem mediteris,semper illum Patris voluntatem facientem inuenies. Eam autem præstitit, tum vt se filium dilectissimum & obedientissimum Patris exhiberet, tum vt nobis perfectionis exemplum daret. Vt enim ait Gregorius, Redemtor noster per mortale corpus omne quod egit, hoc nobis in exemplum actionis præbuit, vt pro nostrarum virium modulo, eius vestigia sequentes, inoffenso pede operis præsentis carpamus viam.] Ipse ergo Dominus vitam Patris voluntati conformẽ tenuit: opera quoad substantiam à Patre iussa perfecit: in modo agendi se Patris voluntati accommodauit: ea lęto ac feruenti animo est exequutus:nihil aliud nisi gloriam & honorem Patris quæsiuit: ad hanc promouẽdam & nostram salutem curandam, multa supra necessitatem exhibuit:non solùm bona fecit, sed & mala pertulit, & in his vsque ad extremum spiritum perseuerauit. Opera tua perficies, si in his Dominum imiteris. Ac proinde desiderabis & petes. 1. Vitam Christo similem arripere. 2. Quoad substantiam operum ab eius beneplacito non discedere.3. In modo eidem beneplacito conformem esse. 4. Feruenter operibus virtutum insistere. 5. Nil aliud nisi gloriam Domini quærere. 6. Ad consilia & supererogationis opera te extendere. 7. Non tantùm bona facere, verùm & mala pati. 8. In his vsque ad mortem perseuerare. Ad hæc, inquam, orando te afficies vt ea opere diligenter exequaris.

Christus semper fecit voluntatem Patris.

Gregor. 1 Dialog. cap. 9.

Quæ eluceant in operibus Christi.

Summa affectus.

PRAXIS.

O Iesu amantissime, ô Domine virtutum, ô Rex & author gloriæ, tibi laus, tibi honor pro infinita sanctitate vitæ tuæ,qua & Patri tuo,vt filium naturalem decebat, placuisti supra omne id, quod ab hominibus vel Angelis comprehendi potest, & nobis seruis tuis in dignitatem fratrum admissis sanctitatis exempla monstrasti. Quomodocumque te considerem, siue nascentem, siue morientem, siue agentem, siue patientem, normam ac regulam omnis virtutis aspicio, à qua, qui exorbitant, deuiant: cui qui consentiunt, certissimam viam salutis ingrediuntur. Tu Domine passus es pro nobis,& mira egisti pro nobis, nobis relinquens exemplum, vt sequamur vestigia tua. Hoc ergo volo,hoc statuo,te sequi,tibi in omnibus adhærere,vitam tuæ similem arripere,téq; pro mea tenuitate imitari. Cogitationes tuas sanctissimas mearũ cogitationũ regulã habebo, & ea quę seruũ, immo,& quæ membrũ tuũ decent,cogitabo: quas verò cogitationes tuis cõsẽtiẽtes nõ videro,detestabor. Verba tua,verba vitę,verba casta & pura,verba

1. Vitam Domini desideras imitari.

dulciora ſuper mel & fauum, in verborum meorum exemplum aſſumam. Ea loquar, ea dicam, quæ tibi placeant, quæ nemini noceant, quæ ex neceſſitate, aut charitate, aut ex alicuius ſaltem vtilitatis deſiderio procedant. In operibus meis te operantem inſpiciam, eáque ad ſimilitudinem tuorum ſanctiſſimorum operum præſtare contendam. Ita denique conuerſari curabo, vt vita mea à tua puriſſima vita, quam in terris geſſiſti, non diſſentiat, eíque pro mea poſſibilitate ſimilis exiſtat. Imple, quæſo, hoc deſiderium meum, quod à te accepi, conforta me hodie, vt in odorem vnguentorum tuorum, id eſt, virtutum tuarum, curram, & me tui diſcipulum & verum imitatorem exhibere geſtiam. *2. Petis operæ Domino placita facere.* Ea opera, ô Domine animarum amator, volo facere, quæ à te iuſſa ſunt, ea ſcilicet ad quæ, aut præcepto diuino, aut Eccleſiæ, aut prælatorum mandato conſtringor. Ea item quæ conſiliis tuis & ſuaſionibus probata cognoſco. Opera verò media, & in bonum ac malum vertibilia, à quibus vtique pro imbecillitate huius vitæ abſtinere non poſſum, eo fine ac circumſtantiis circumdata exequi conſtituo, vt ex operibus indifferentibus in bona vertantur, & alicuius virtutis pulchritudine & merito decorentur. Eia Domine, fac vt numquam ſol me niſi bona operantem videat, numquam me nox niſi opera lucis facientem aſpiciat, numquam de me tempus conqueratur, quod illud ad meritum, & ad tuum obſequium datum abſque aliqua ſpirituali vtilitate conſumſi. Tempus breue eſt, quod autem mihi itineris conficiendum ſupereſt, valde multum eſt. Non ergo tempus perdam, ſed in bonis operibus ipſum inſumam. *3. Debitū modum tenere.* Nec ſolùm bona opera ſemper facere ſtatuo, verùm & in illis debitum modum ſeruare deſidero. Et quidem ipſa, ô Deus meus, longiſſimè abſunt ab hoc deſiderio, & verè (quod non ſine magno mœrore confiteor) tamquam pannus menſtruatæ vniuerſæ iuſtitiæ meæ. Ferè nullam aſpicio, quando conſcientiæ diſcuſſionem facio, in qua non mille imperfectiones inuenio, quas defleam. Cognitus ac perſpectus eſt tibi ſuper hac re aſſiduus gemitus meus: & quia imperfectiones iſtæ non tam ex voluntate, quàm ex infirmitate procedunt. Adiuua rogo per benignitatem tuam hanc mihi inexplicabilem infirmitatem meam, vt iuſtè quod iuſtum eſt, exequar, & ex bonis operibus, quoniam in eis bonum modum teneo, occaſionem lugendi non incurram. Diſcam iam ex famulis principum huius ſæculi quanta ſedulitate, quanta tranquillitate, quanto feruore & attentione debeam tibi famulari. In rebus præſertim cultus tui, ita totus abſorbear, ita mei & omnium viſibilium obliuiſcar, ac ſi nihil omnino eſſet præter te. Et reuera tu ſolus es, & reliqua tui comparatione non ſunt. Ergo coram te politus tibi intellectu & affectu abſque vlla diſtractione totus intendam. In his autem, atque *4. Feruorem quærere.* in omnibus operibus bonis tepiditas cordis, & ignauia ſpiritus me ſemper impugnant. Et vtinam ſolùm impugnaret, ſed (quod miſerrimum eſt) frequenter expugnat. Ad actionem excors, ad orationem ſomnolentus, ad contemplationem dejectus, & cœno rerum terrenarum immerſus inuenior. O ſi à te acciperem feruorem ſpiritus quo ignauiam meam vincerem, & incuriam ſuperarem. O ſummum bonum diligenter te quæram. Ô immenſa pulchritudo ſolicitè te cupiam. O quies vera animæ meæ non lentis paſſibus ad poſſidendum te, & in te quieſcendum contendam. Ne

A mundani homines velocius in ſuam perditionem, quàm ego in meam ſalutem & perfectionem currant. Aut ſaltem eo conatu, quo exhibui membra mea ſeruire iniquitati ad iniquitatem, nunc exeram membra mea ſeruire iuſtitiæ in ſanctificationem. Sit ſtimulus ad currendum viam mandatorum tuorum amor tuus. Hic ignis me accendat, me cum impetu ad cœleſtia efferat, mihi efficacitatem ad operandum attribuat. *5. Gloriā Domini inquirere.* In bonis autē operibus nihil aliud, ô Deus amabiliſſime, niſi gloriam tuam, ac beneplacitum tuum quærere volo. Hic eſt finis vitæ meæ, hæc meta conuerſationis meæ, hic ſcopus laborum meorum. Non tibi obſequor, vt pœnam euadam, licèt certus ſim, quòd ſi fidelis extitero, illam euadam. Non tibi ſeruio, vt gloriam promerear, quamuis certus ſim, quòd ſi tibi ſeruiero, illam aſſequar. Sed ſeruio & obſequor tibi, vt tuam voluntatem faciam, vt tibi placeam, vtque tuā gloriam & honorem inquiram. Si numquam me eſſes præmio donaturus, ſi me eſſes æternis pœnis ſenſus addicturus, nihilominus tuam legem ſeruabo, & tibi fideliter famulabor, quia cor ſeruorum, aut mercenariorum, vt imperfectum, abiicio, & cor filij, qui amore ducitur, habere geſtio. Da mihi Domine iſtud cor filij, vt omnia ex amore, & cum amore, & propter amorem, ad maiorem gloriam tuam faciam. Certus autem ſum, quia etſi prēmium non aucuper, illud tamen non perdam, ſed multiplicatum recipiam. Hoc deſiderium glorię tuæ det mihi, ô Redemtor dulciſſime, cor magnificum, quo debitis operibus minimè contentus ad opera non debita, vel ſupererogationis extendar. *6. Ad opera ſupererogationis extēdi.* Quid ergo facere, quid deſiderare, quid cogitare poſſum, quod tibi non debeam? Certè nihil. Nam ſi omnia obſequia cunctorum Angelorum & hominum ad tuam gloriam præſtarem, ſi ea cum donis & beneficiis receptis conferam, non reddam tibi vnum pro mille. Immo nec vnicum ex minimis beneficiis, his omnibus obſequiis perſoluā. Fateor ita eſt, & cum magna lętitia cordis mei me impotentem ad minimum beneficium perſoluendum agnoſco. At opera ſupererogationis vocantur, quæ à te præcepta non ſunt, aut à me ratione ſtatus, aut voti non debita. ex his ergo ea agere volo, & ſtatuo, quę iuxta vires mihi datas, & ſecundùm conſilium eius, qui me regit, meæ ſaluti ſpirituali proficua & tibi grata exiſtimauero. Tu docebis me, Domine, in hac parte facere, quod tibi placitum eſt, ita vt ad totum id quod poſſum, me extendam, neque imprudenter onus meis viribus impar aſſumam. Inſuper & pro hac *7. Mala pati.* gloria tua, ô Saluator puriſſime, non tantùm volo bona agere, ſed & mala & aduerſa pati. Tu enim pro me non ſolùm bona abſque numero & menſura egiſti, verùm & grauiſſima mala paſſus es. Non ſolùm ergo debeo pro te bonum agere, ſed etiam dura & aduerſa ſuſtinere. Verumtamen coram te dicam, ô Domine, qui cordium inſpector es, timidus admodum ſum, nihil ad patiendum afficior, niſi fortè ad modicum, aut propè nihil, quod voluntariè ad nonnullam corporis afflictationem accipio. At infamias, contumelias, corporis ægritudines, & alia huiuſmodi, quæ ab externo principio eueniunt, vehementer exhorreo. Da mihi, obſecro, ſpiritum fortitudinis, & ſuſtinentiæ, vt pro te pati velim, atque deſiderem. Si quæ verò acciderint aduerſa, da vt ea pro te libenter & grato animo perferam, & in aduerſitatibus me à te diligi ſciam. Quia verò ſacrificium tibi placitum non eſt, quod ſignum perſeuerantiæ non habet, in his omnibus *8. Perſeuerare.*

volo,

volo, & ſtatuo perſeuerare. Volo, inquam, vſque ad finem vitæ tuam ſanctiſſimam imitationem quærere, bonis operibus inſudare, in illis optimum modum tenere, ad tuam gloriam anhelare, & in aduerſis & proſperis virtutis tramitem non deſerere. Concede mihi hoc ſanctæ perſeuerantiæ donum: nam ſi in his vſque ad finem perſeuerauero, ſaluus ero, & te in æternum fruar, ô immenſum bonum meum, qui viuis & regnas in ſæcula ſæculorum. Amen.

Qualiter te imperfectionibus exues.

EXERCITIVM IV.

QVARTÒ conaberis te magis ac magis purgare, & ab omni imperfectione elongare, vt Spiritus ſancti templum, in quo ipſe operetur, efficiaris. Voluntas enim Domini ſanctificatio tua eſt, non ſolùm ea, qua corpus in omni puritate ſeruatur, ſed multo magis illa, qua mens ab omni imperfectione cuſtoditur. Cum autem huic diuinæ voluntati reſpondes, ad Dei influxum recipiendum te præparas. Ipſéque Dominus intellectum tuum illuſtrabit, vt cœleſtia myſteria intimè agnoſcas, & voluntatem inflammabit, vt ipſum ardentiſſimè diligas. Tunc intelliges illud Iſaiæ: Requiem tibi dabit Dominus ſemper, & implebit ſplendoribus animam tuam, & oſſa tua liberabit. Et eris quaſi hortus irriguus, & ſicut fons aquarum, cuius non deficient aquæ.] Nam & requies, & lux, & ſancta libertas ab animæ munditia profluunt, quam ille ſolus habet, qui omni imperfectione, quantum poteſt ſe exuit. Vt autem ab imperfectionibus libereris, hæc, quæ ſequuntur, à Domino poſtulabis, & in conſpectu eius cupies, & in conuerſatione tua habere ſatages. 1. Fugies omne peccatum, etiam minimum, & ſtatues te ſcientem & volentem numquam illud admiſſurum, etiam pro quocumque damno & tormento vitando. 2. Circumcides omnem recordationem creaturarum, exceptis illis, ad quorum memoriam ex ſtatu, aut officio, aut neceſſitate teneris, quia ſcilicet illis ad vitam carere non potes. 3. Cuſtodies ſenſus tuos ab omni ſuperfluitate, vanitate, & otio. 4. Seruabis corpus tuum in ſimplicitate, ſobrietate, & paupertate. 5. Abiicies omnia quæ impedimento eſſe poſſunt, quominus Deo vniaris. Verbi gratia, inſpicies quæ res te à Deo vel tantillum ſeparant, & eas, ſi non potueris actu, at affectu deſeres: quæ perſonæ te à Deo retrahunt, & illas relinques: quæ propria voluntas te illigat, & eam maioribus ſubiicies. 6. Vigilabis ſuper cor tuum, ſuper os tuum, & ſuper opera tua.

Voluntas Domini, vt imperfectiones exuamus.

Iſaiæ 58. 11.

Summa affectus.

PRAXIS.

O Chriſte Ieſu, ô agne puriſſime, & immaculate, ô amator hominum ſapientiſſime, cuius cor amore non fallitur: & ideo in dilectis tuis imperfectiones & delicta (ſi quæ habeant) vides, & ea probare, aut grata habere non potes: hoc eſt deſiderium meum, hic conatus meus, tibi placere, nihílque quod reprobes, aut damnes, admittere. Fateor, Domine, licèt omnia quæ hactenus deſideraui, dediſſes, & illa aſſecutus fuiſſem, omnino mundus non eſſem, ſed multa adhuc remanerent, & reuera manent compunctione lauanda, & lima mortificationis abradenda. Terra ſum, vnde quo magis cor meum ſcalpo, eo plus immunditiæ & ſtercoris eruo. At effodere non deſiſtam, quouſque omnibus meis immunditiis, quantum potuero, expurgatis, ad te petram viuam in me habitantem perueniam. Deteſtor igitur, ô author totius puritatis, & abominor omnia peccata non ſolùm magna, quæ iam per gratiam tuam (vt confido) odio habui, & contritione deleui, ſed & leuia quæ gratiam & amicitiam non auferunt, quantumuis ſint puſilla, & minima. Fugio illa, quia tibi diſplicent, quia de illis etiam in poſtremo examine rationem exiges, quia licèt gratiam non tollant, at feruorem eius tollunt, & maioribus caſibus aditum aperiunt. Scio, & fateor, quòd ab omni peccato minimo ſemper liber non ero, eſt enim magna, ſupra quàm cogitari poſſit infirmitas mea. Sed illud cupio, illud ſtatuo, quòd numquam ſciens & volens leue peccatum admittam. Peccatum leue nullo modo cum peccato lethali poteſt in malitia conferri, ſed ab iſto, quaſi in infinitum ſuperatur, & vincitur. At maius malum eſt quàm omnia mala pœnæ, ſiue huius vitæ, ſiue futuræ. Malo ergo in hæc incurrere, quàm ex malitia leue peccatum admittere. Da mihi ô Domine Deus meus, cor fidele, cor dignum filio, qui tanta bona recepit, & quottidie recipit. Da vt paratus ſim infamiam, etiam maximam, & dolorem, atque cruciatum, immo & mortem prius ſubire, quam ex profeſſo aliquod delictum, ſeu leue peccatum perpetrare. Hæc autem delicta mea, ô amantiſſime Pater, vnde ſolent exoriri. Nónne ex memoria rerum creatarum, quas non ſincera affectione complector? Quid ergo faciam niſi illas, quantum valuero, à mea recordatione reiicere. Abite ergo creaturæ, diſcedite à me, veſtrarum curarum me expertem relinquite. Ne me impediatis ſalutem animæ meæ, & ea quæ virtutis ſunt cogitare, ne me ab aſſidua Domini memoria interpelletis. Non poſſum Domine ab omni recordatione creaturarum me expedire. Neque enim hucuſque corpus depoſui, neque obedientiæ & charitatis, quas tu diligis, iugum excuſſi. Curas igitur & creaturarum recordationes ſuperfluas reſecabo, curioſitates, & nouitates, ſoli detractioni & iacturæ temporis ſeruientes amputabo, & ab his quæ ad me non attinent, elongatus manebo. Quæ verò mihi ratione ſtatus, & vocationis, & neceſſitatis incumbunt, opportuno tempore, & ita quietè, liberè & ſincerè reſpiciam, vt non cordis puritatem impediant. Sic volo, & opto, & à te omnium bonorum datore poſtulo. Fac obſecro quaſi flagellum de funiculis ſancti timoris tui, & eiice cogitationes inanes de templo cordis mei, & vniuerſas inutiles curas ſubuerte. Quas verò vtiles & neceſſarias vis in me maneant, ita diſpone, vt eas in te, & propter te, id eſt, ad tuum honorem & gloriam, & animæ meæ ſalutem admittam. At creaturæ cor meum fœdantes, & diſtrahentes, quà in illud penetrant? Nónne per ſenſus ingrediuntur? Senſuum ergo portæ mihi cuſtodiendæ ſunt, ne per illas res creatæ abſque neceſſitate, aut vtilitate intrent, & me fructu compunctionis euacuent. Sed quis niſi tu, ô cuſtos hominum, animæ meæ ciuitatē cuſtodiet, quis eius portas, ne hoſtes eas occupent, obſerabit? Cuſtodi per ſanctitatē ſanctiſſimorū ſenſuū tuorū ſenſus meos ab omni vanitate, ne in vana & inania ſe effundant, ab omni ſuperfluitate, ne inutilia percipiāt: ab omni otioſitate,

1. Deteſtaris peccata minima.

2. Circūcidis memoriam creaturarum.

3. Cuſtodis ſenſus.

ne in rebus nihili tempus terant, Imprime ſenſus tuos in ſenſus meos, vt eos ad tuam voluntatem efformes, & in omni puritate conſerues. Præoccupa illos his, quæ tibi placeant, ne ſe in noxia diffundant. Dediſti mihi corpus, ô benigniſſime Pater, vt eſſet inſtrumentum animę, quo multa exerceret virtutis officia. Ita ipſum volo reſpicere, ita conſtituo, ipſum non vt Dominum, ſed vt famulum & inſtrumentum habere, quo meam ſalutem perficiam. Ac proinde ſimplici & pura intentione illi ea miniſtrabo in cibo, & potu, & reliquis, quibus ſeruiat, non quibus aduersùs animam inſoleſcat. Tu verò docebis me, Domine, quomodo iſtud impleam, & neceſſitatis prætextu menſuram ſimplicitatis non excędam. Quin & rogo te vt abſtinentem me facias, & ſobrium, vt ſcilicet parcus ſim erga meipſum, & ex neceſſariis cibi & potus, quod vera virtus & deſiderium perfectionis dictauerit, aliquid demam. Fac me quoque affectu & actione pauperem, vt in veſte, & in libris, & in reliqua ſupellectili vtilitatem diligam, penuriam & indigentiam quæram, & omnem ſuperfluitatem perhorreſcam. Hanc opto veram animæ magnitudinem, in his quæ corporis ſunt, vilibus contentum eſſe, omnia viſibilia contemnere, & ad magna dona ſpiritus anhelare. Certè Domine, amator es animarum, immo & zelator, ſolus vis amari, nec perfectè te amat, qui tecum aliquid amat, quod nõ propter te amat. Nihil ergo in corde meo ad tui amoris conſortium accedat, nihil me à perfectione tui amoris auertat, nihil delectationem erga te habendam tepefaciat. Hæc & hæc, ſiue honorificum miniſterium, ſiue literarum ſtudia, ſiue aliqua huic vitæ mortali commoda immoderatè amaui, minus ſincerè dilexi, non tam propter te, quàm propter memetipſum quæſiui. Iam deinceps quoad effectum, ſi poſſum, & tibi placitum eſt, ſin minus quoad affectum relinquo. Me amore harum rerum exuo, eas ante pedes tuos pono, atq; ipſarum amori renuntio. Erga has perſonas, ſiue ſanguine iunctas, ſiue amicitia copulatas me minus purè habui, quia illas pluſquam oportuit, dilexi, & rerum ad ipſas pertinentium immoderatam curam habui, & cor meum vanis & ſuperfluis recordationibus occupaui. De cætero hunc amorem nimium moderabor, & amore ſpirituali conſanguineos & amicos amare contendam. Propriæ meæ voluntati, aut iudicio nimis fui addictus, hæc duo quantas in meo corde tragœdias excitarunt, quàm multis inquietudinibus repleuerunt. Cohibere ſtatuo illa, & regulæ obedientiæ ſubiicere. Dignare Domine vniuerſa hęc ita ad moderationem adducere, vt veram virtutem non impediant, nec perfectioni tui amoris officiant. Tandem tu, ô Magiſter bone, nos ſæpe ad vigilantiam hortaris, dicēs: Vigilate, quia neſcitis qua hora Dominus veſter venturus ſit. Hanc monitionem tuam tota deuotione ſuſcipio. Vigilabo ſuper opera mea, ne ſcilicet malum faciam, & vt bonum bene & diligenter perficiam. Vigilabo ſuper verba mea, ne in illis quidquam ſit, quod proximum offendat, aut quod tibi minus gratum appareat. Vigilabo ſuper cor meum, vt nihil cogitet, nihil deſideret, quod à limitibus virtutis exorbitet. In his omnibus tu Domine guberna me, abſtrahe me à malis, excita me, & adiuua ad bona, & in his perſeuerantiam tribue. Ne me permittas in ſalebra tepiditatis hærere, & caligine ignorationis obuolui, ſed illumina oculos meos, & exere vires meas, vt ad perfectionem non ſegniter curram.

4. Seruas corpus in ſimplicitate.

5. Viſibilia abiicis.

6. Ad vigilãtiam te inducis. Matth. 24.42.

A B C D E

Quas Chriſti virtutes deſiderabis, & petes.

EXERCITIVM V.

IAM poſt hæc, ô homo Dei, virtutibus deſiderandis & quærendis inſiſtas, & ita auidus earum fies, vt ab hominibus auaris, & pecuniæ cupidis nullo modo ſupereris. Illi in aggregandis auro, & argento, & lapidibus pretioſis nullam menſuram habent: tu in congerendis veris virtutibus, quantumlibet multiplices fuerunt, nullum tibi limitem pones. Immo ſi ſcires ſingulas guttas aquæ maris eſſe virtutes, laborandum tibi foret prò illis omnibus obtinendis. Hæc vitia pellunt, paſſiones ſiue affectus moderantur, viribus animæ tum robur, tum facilitatem ad ſtudioſè operandum iniiciunt, & ipſam animam pulcherrimam, ſpecioſiſſimam, & Deo amabiliſſimam redddunt. Adeò vt anima his monilibus exornata oculos ſponſi capiat, atque ab ore eius audiat: Tota pulchra es amica mea, & macula non eſt in te.] Virtutes diſces præcipuè ex vita & paſſione Chriſti Ieſu, in cuius geſtis, & doloribus nullum eſt, quod non multiplici virtute reluceat. His actionibus & paſſionibus eius ita reſpondebis, ſi vniuerſas virtutes, quas docuit, obtinere enitaris. Vt videlicet, ſicut ipſe pro immenſo amore erga nos habito tot ac tanta egit, & paſſus eſt, ita & tu pro honore & amore eius omni virtute ſplendere ſatagas, & ad eius ſimilitudinem omni mentis decore præfulgeas. Ac primò virtutes ardentiſſimis poſtulationibus & deſideriis inquires, & vt efficacior ſit poſtulatio ad has quinque virtutes, quas modò proponam, cum aliis, quæ annecti poſſunt, deſiderandas & petendas deſcendes. Conſiderabíſque eas in quinque præcipuis vulneribus Chriſti Ieſu, & per illa, ac per amorem, quo ipſa ſuſtinuit, has veras diuitias animæ poſces, hoc modo. 1. Per vulnus ſanctiſſimorum pedum Domini humilitatem deſiderabis & petes, & quia humilitas obedientiam, patientiam, & taciturnitatem generat, has etiam per eadem vulnera poſtulabis. 2. Per vulnus capitis petes ſapientiam, inſuper & timorem Domini, diſcretionem, ac ſimplicitatem, quæ illi poſſunt annecti. 3. Per vulnus cordis & lateris petes charitatem, & illi adiunctas perſeuerantiam, fidem, & ſpem. 4. Per vulnus manus dexteræ Domini petes iuſtitiam, & miſericordiam, veritatem, & gratitudinem ab illa exortas. 5. Per vulnus manus ſiniſtræ petes fortitudinem, & tres alias virtutes illi connexas, caſtitatem, ſobrietatem, & paupertatem.

Hoc exercitium Nicolaus Eſchius, vir admodum ſpiritualis, & magnæ apud Brabantos exiſtimationis, ita diſpoſuit, cuius virtutum connexio, & ordo aſſignatus, licèt diuerſus ab eo, quē Theologi ſcholaſtici docent, & nos alio loco tradidimus, neminem debet offendere. Cùm enim virtutes omnes ſorores ſint, & inter ſe connexæ, non mirum ſi mutuò ſe adiuuent, & quodammodo mutuò ſe generent. Certè verus humilis minimum ſe reputat, & ideo facile paret, dignum pœna & infamia ſe exiſtimat, & ideo facilè ſuſtinet, minus ſapientem ſe cogitat, & ideo facile tacet. Ecce quomodo obedientia, patientia & taciturnitas ab humilitate generantur. Similiter verus ſapiens ſummam ſtultitiam, nempe Dei offenſam timet incurrere, medium in omnibus, & menſuram nouit te-

Quàm magnum ſit oportet deſiderium virtutũ.

Virtutũ multiplex vtilitas.

Cant. 4. 7.

Ex vita Chriſti addiſcenda.

Summa affectus.

Quomodo ordinentur iſta virtutes.

Lib. 3. de exterminatione mali p. 2. c. 2.

nere,

nere, & à multiplicitate fugere, ac vni ſummo bono nititur inhærere. Ecce quomodo à ſapientia timor, diſcretio,& ſimplicitas oriuntur. Ad hæc verus Dei amator ab eo nulla vult ratione ſeiungi, promtè ipſi loquenti credit, à quo ſcit non poſſe decipi, & in ipſo ſperat, à quo nouit non poſſe deſeri, niſi priùs ipſe à nobis deſeratur. Ecce qua ratione à charitate,perſeuerantia,fides & ſpes ortum habeant. Præterea verus iuſtus miſeris ſubſidium non negat, res vt ſunt, aũt vt eſſe putat, explicat, beneficia remunerat.Ecce quomodo ex iuſtitia miſericordia, veritas, & gratitudo procedunt. Tandem verus fortis non ſe ſinit ab impura voluptate proteri,à nimietate cibi & potus vinci, à rerum labentium poſſeſſione calcari. Ecce qua ratione ex fortitudine caſtitas,ſobrietas,paupertáſq; gignuntur. His ergo virtutibus teipſum imprimes in ſanctiſſima membra Ieſu Chriſti crucifixi, & teipſum ad eius ſimilitudinem crucifiges, & quaſi mollis cera ſanctiſſimam ipſius ſuſcipies imaginem. Quia verò hoc exercitium longum eſt, ſic illud in quinque partes,ſeu tempora diſtributum, cuius vnumquodque vnam horam expleat,poteris vſurpare.

His quinque virtutibus crucifigimur.

PRAXIS.

De deſiderio humilitatis & filiarum eius ad pedes Ieſu. §. 1.

O Dulciſſime Domine Ieſu Chriſte, Domine virtutum, & ſupreme rex gloriæ, iam venio ad te virtutes ſanctas tuas petiturus, quibus tu,benigne Pater, & Paſtor, animam meam exornes, & ad amplexum puriſſimæ charitatis me præpares. Vellem quidem pro omni virtute impensè laborare, vniuerſis his gemmis pretioſis animam meam exornari,nullámque licèt minimam prętermittere, vt tibi ampliùs placerem, & ad honorem tuum in conſpectu tuo, & omnium Angelorum & Sanctorũ pulchrior exiſterem. Sed nunc præcipuas quaſdam virtutes coram te cupiam, & petam,vt ad copioſam gratiam me diſponam. Ego petam, ſed tu dabis, ô virtutum benigne dator, & de larga manu tua hæc inſtrumẽta quibus tibi ſeruiam, accipiam. Adoro igitur, laudo,& benedico te, & gratias ago tibi, ô humilis Ieſu, ob inſignem humilitatẽ tuam, qua te pluſquam omnes homines & Angelos deiecisti, & vilis ac abiectus exiſtimari voluiſti,vt me exaltares, & ad conſortium tuæ fœlicitatis eueheres.Volo omnino,& impẽsè gaudeo,quòd tua ſancta humanitas hanc gemmam pretioſam poſſideat. Volo,& cupio tuam ſanctam humilitatem imitari, meipſum in veritate contemnere, & infra cunctos peccatores vt omnium maximum conſtituere.Nũc ergo rogo te pro dolore vulnerum ſanctiſſimorum pedum tuorum, & pro amore quo ea perpeſſus es, vt dimittas mihi omnem meam ſuperbiam, inanem gloriam, iactantiam,& arrogantiam, & concedas mihi perfectam humilitatem qua meæ extremæ vilitatis abyſſum, meúmque nihilum clarè cognoſcam, tuæ infinitæ maieſtati & dignitati me ſubiiciam, omnes homines maiores æſtimem, & me ſolum vt canem fœtidum odiam, atque contemnam, & contemni, ac pro nihilo ab omnibus reputari cupiam,& laudem audire, aut beneficium recipere, tamquam indignus fugiam, & doleam: humilia verba proferã, & multiplices culpas meas planè cognoſcam, & abſque vlla excuſatione ſincerè cõfitear.In hunc pretioſum ſanguinem tuum, ô Redemtor humillime, me totum proiicio, vt meam ſuperbiſſimam elationem abſorbeat, & in humilitate contineat. Adoro, laudo, & benedico te, & gratias ago tibi,ó obediens Ieſu, ob admirabilem obedientiam tuam, qua perfectiſſimè & libentiſſimè obediuiſti æterno Patri tuo vſque ad mortem, mortem autem crucis. Volo, & impensè gaudeo quòd tua ſancta humanitas hanc margaritam ſplendidam & pretioſam poſſideat. Volo omnino, & cupio hanc tuam ſanctam obedientiam imitari,& in omnibus etiam minimis tuam ac prælatorum voluntatem ſequi, & me vliſſimo amictu proprij iudicij & voluntatis exuere. Rogo te pro eodem dolore vulnerum ſanctiſſimorum pedum tuorum,& pro eo immenſo amore, quo ea perpeſſus es,vt remittas mihi omnem inobedientiam,repugnantiam, duritiem iudicij, & amorem propriæ voluntatis, & irreuerentiam,erga te,tuóſque vicarios. Vtique concedas mihi perfectam obedientiam, qua in omnibus & ſingulis tuæ ſanctiſſimæ voluntati me accommodem, carnem ſpiritui ſubdam, præcepta tua & Eccleſiæ tuæ perfectè adimpleam,vt ſuperioribus ac prælatis obediam, immo & omnibus etiam minimis, quantum licuerit, me ſubiiciam. Da quoque vt nihil cum proprietate & adhæſione faciam. Dicam ſemper ex corde:Domine, quid me vis facere,& meam voluntatem amittens, & quaſi ad nihilum redigens in tuam voluntatem transfundam. Adoro, laudo, benedico te,& gratias ago tibi, ô patiens Ieſu, ob inſignem patientiam tuam, qua læto animo, & auido patiendi corde tot ac tanta mala ſuſtinuiſti pro me. Gaudeo,& volo omnino vt tua ſanctiſſima humanitas hanc perfulgidam gemmam patientiæ poſſideat. Volo & impensè cupio tuam ſanctam patientiam imitari,& omnia aduerſa & aſpera pro tuo honore æquanimiter ſuſtinere.Rogo te pro eodem dolore vulnerum ſanctiſſimorum pedum tuorum, & pro immenſo amore, quo illa ferre dignatus es, vt remittas mihi omnem impatientiam,quam in aduerſis hucuſque habui, omnem iracundiam, atq; rancorem. Vtque concedas mihi perfectam patientiam, qua omnem paupertatem, contumeliam, ignominiam, infamiam,pœnam,dolorem, & ægritudinem æquali & grato animo de manu tuæ paternæ prouidentiæ ſuſcipiam, & maioribus malis me digniſſimum agnoſcens grauiora ſemper pati cupiam. Et adeò longanimiter ex deſiderio conformitatis crucifixæ vitæ,& mortis tuæ cuncta aduerſa ſufferam, vt quantum hæc vita fert,nihil in me notetur humanum, dum me abſcondit,& protegit tuum poſſe diuinum. Adoro, laudo, benedico te, & gratias ago tibi, ô manſuete Ieſu, ob ſapientiſſimam taciturnitatem tuam, qua noſcens optimè tempus loquendi, & tempus tacendi,nihil vmquam præter ordinem loquutus es. Volo,& impensè gaudeo quòd tua ſanctiſſima humanitas hanc ſpecioſam gemmam poſſideat. Volo etiam, & ſtatuo ſanctam iſtam tuam taciturnitatem imitari, & ab omni verbo minus neceſſario abſtinere. Rogo te pro eodem dolore vulnerum ſanctiſſimorum pedum tuorum,& pro immenſo amore qui te ea ſuſtinere coëgit, vt remittas mihi loquacitatem, detractionem, irriſiones, & vitia his cognata, nec non & ineptum eorum, quæ loqui debui, ſilentium, & vt des mihi perfectam taciturnitatem, qua intus tua verba diligenter auſculter, foris ab omni noxio, mendaci & otioſo verbo proferendo vel audiẽdo abſtineam; & neceſſaria paucis & humiliter dicam, & debita ſecundùm meum ſtatum & vocationem nullo reſpectu fari præteream: vt-

2. Obedientia.

3. Patientia.

1. Humilitas.

4. Taciturnitas.

que magis bono exemplo, quam verbo docere cupiam. His sanctis virtutibus orna pedes affectuum meorum,& quasi stipiti rectitudinis affige, vt tibi placere possim. Amen.

1. De desiderio sapientiæ & filiarum eius ad caput Iesu. §. 2.

1. Sapientia.

O Dulcissime Iesu Christe, ô Rex sapientissime, ô Doctor Angelorum, & hominum, à quo omnis lux sapientiæ & scientiæ dimanat,adoro, laudo,& benedico te, & gratias ago tibi ob infinitam sapientiam tuam, qui adhuc vt homo es, omnia calles, omnia ponderas, omnia, & singula, quæ,& quanta, & qualia sint sine vlla ambiguitate aut deceptione cognoscis. Gaudeo & exulto de hoc immenso lumine sapientiæ tuæ, quo tu caput meum, & Pater ac præceptor meus ornatus es, eiúsque pro modulo meo participem me esse vehementer cupio. Obsecro te per acerbissimum dolorem vulnerati capitis tui, & per infinitum amorem, qui te illum subire compulit, remitte mihi omnem insipientiam, & omnem proprij sensus,& carnalis prudentiæ pertinaciam, & omnem sensuum abusum, & dissolutionem, & imprime caput meum, in spinis compunctum sanctissimum caput tuum, & exorna illud perfecta sapientia, qua valorem rerum cœlestium & verarum virtutum cognoscam,& diligam;& vilitatem rerum labentium sciam, atque contemnam, vt in omnibus cogitationibus, verbis,actionibus, & afflictionibus meis tuum beneplacitum solum quæram, & cuncta cum debitis circumstantiis, & ex illuminata per te ratione, atque ex interna à te accepta licentia perficiam; vt affectum meum tuæ dilectionis experientia, & tuæ dulcedinis gustu, & insatiabili te honorandi, & me contemnendi desiderio inebriari cupiam: vtque terrena omnia mihi in amaritudinem vertantur, velim, & me cæcum, surdum, & mutum, ad vniuersa quæ tu non es, vel propter te quærenda non sunt, meipsum exhibeam. Adoro, laudo, benedico te, & gratias ago tibi, ô benigne Iesu, ob filialem timorem tuum, quo affatim repletus es. Nam de te dixit Isaias: Et replebit eum spiritus timoris Domini.] Quóque æterno Patri humillime te submisisti, & cum intimo honore ac reuerentia semper es prosequutus. Gaudeo, & exulto de hoc sanctissimo & reuerentissimo timore, quo tu verus homo secundùm hac assumtam naturam cumulatus es: & vt ipse timoi sanctus me repleat,& tibi quàm simillimum faciat, impensè cupio. Oro te per eumdem acerbissimum dolorem venerandi capititis tui, & per nimium illum amorem, qui te illum subire coëgit,vt remittas mihi, & deleas in me omnem vanum timorem hominum, omnem præsumtionem, ac timoris tui neglectum, & orna cor meum casto timore tuo,timore, inquam,seruili (qui bonus est, licèt minus perfectus) quo pœnam æternam exhorream, & timore initiali quo gloriæ amissionem timeam, sed præcipuè timore filiali, quo te, ceu Dominum & Patrem, & Deum reuerear, & culpam ac offensam tuam supra mille gehennas pertimescam.Da etiam mei interioris & exterioris hominis custodiam ex hoc timore perfectam,vt omnem,etiam minimam occasionem peccati fugiam, vt interiori oculo opera mea & verba prægogitam, & ad non displicendum tibi subinde auxilium inuocem,& mox vt aliquid rationi aduersum deprehendero,ab illo nõ aliter,quàm à peste aut veneno abstineam. Adoro, laudo,& benedico te,& gratias ago tibi,ô suauissime Iesu,ob miram discretionem tuam,qua non tãtùm in adulta ætate,verùm & in ipsa infantia,& in vtero materno fulsisti. Nam de te etiam scripsit Propheta,quòd eras butyrum, & mel comesturus, vt scires reprobare malum,& eligere bonum.Gaudeo, & exulto de hac sancta discretione tua qua semper optimum, & Patri gratissimum elegisti, & ea ornari,vt tibi similis efficiar vehementer cupio. Oro ergo te per dolorem vulnerati capitis tui, & per amorem,qui illum te subire coëgit,vt remittas mihi omnem indiscretionem,& tepiditatem,ac negligentiam, necnon & omnem inordinatum teruorem, & orna intellectum meum virtute discretionis, vt omnes laqueos diaboli fugiam,proprias naturæ & voluntatis meæ quæstiones, excessus, & errores vitem,& vniuersa, quæ mihi incumbunt, prudenter aduertam, rectè discernam, & debitis modo & ordine exequar,& inter plus minúsve medium virtutis attingam. Adoro,laudo,& benedico te, & gratias ago tibi,ô mitissime Iesu,ob sanctam simplicitatem tuam, qua sicut ouis ad occisionem ductus omnia illa mala ab hostibus illata quasi de manu Patris sinceriss imè suscepisti, & omnem dolum & duplicitatem auersatus es. Gaudeo & exulto de hac amabili simplicitate tua, & ea ornari impensè cupio. Oro te per dolorem vulnerati capitis tui, & per amorem, qui te ad illum sustinendum adegit,vt remittas mihi omnem dolum,simulationem,hypocrisim, & impuram intentionem.Vtque ornes affectum meum perfecta simplicitate qua superfluam occupationum multiplicitatem, intentionis duplicitatem,& intellectus curiositatem vitem; te solum in omnibus quæram,& tibi summo bono inhæream: omnia tum prospera,tum aduersa de manu tuæ prouidentiæ recipiam, & rursum ad te referam; & in omnibus tuam voluntatem & ordinationem obseruem. Da etiam vt per hanc virtutem cuncta, non cum impetu, sed cum suauitate in te Deo meo tranquillo ac resignato animo faciam,& à te meorum laborum euentum exquiram. Vtque ab omnibus superfluis cogitationibus, curis,& imaginibus denudatus, clausisq; & collectis sensibus meiipsius habitator efficiar, & reuerenter præsentia tua ambulem,& ad necessaria secundùm vocationem meam prudenter egrediar. Vt tandem pro omnibus tibi gratias agam,& ex his quæ mihi acciderint,quid à me velis,intelligam,& diligenter perficiam. His igitur virtutibus cinge caput mentis meæ, & quasi sertum ex quatuor istis gemmis pretiosis compone, & tua spinea corona hanc mihi coronam,qua tibi placeam,obtineat.

4. Simplicitas.

2. Timor Domini.

Isaiæ 11. 3.

3. Discretio.

De desiderio charitatis,& filiarum eius ad cor Iesu. §.3.

1. Charitas.

O Dulcissime Domine Iesu,ô ardẽtissime amator hominum, qui vt nos redimeres, temetipsum morti tradidisti,& vt filios ac fratres amantissimos nos respicis, immo non aliter quàm propria membra diligis: laudo & benedico te,& glorifico te, & gratias ago tibi ob immensam charitatem tuam, qua & Patrem tuum infinitè amas, & nos sinu tuæ plusquam paternæ dilectionis amplecteris. Lætor, & gaudeo de hac ineffabili charitate tua,quæ te nobis amabilissimum facit,& ea imbui, ac repleri & immergi cupio. Obsecro te per ardentissimum diuini cordis tui amorem, & per humanum transfixum cor tuum, & innumeras pressuras eius,vt imprimas cor meũ in transfixum cor tuum, & infundas mihi perfectissimam charitatem, quæ

non

non tantùm odium, maleuolentiam, & rancorem, verùm & omnem amorem priuatum erga me & creaturas funditus reſpuat; & qua te optimum, & ſummum, & vnicum bonum meum toto corde, tota anima, tota mente, omnibus viribus, omni virtute, & omni fortitudine, purè & propter tuam bonitatem abſque intuitu retributionis diligam: propter te magna dimittere, difficilia operari, & nimis aduerſa pati, & in his vſque ad finem perſeuerare valeam: flammigeris deſideriis, & orationibus pro perfecta mei abnegatione, & amoroſa tecum vnione aſſequendis indeſinenter ſuſpirem, clamem, & pulſem: te ſemper cogitem, te loquar, te eſuriã & ſitiam, te quæram, & inueniam, donec totus in te transformatus, vnus tecum ſpiritus fiam, in te perpetuò manens, & tu in me. Da etiã vt omnes proximos ſiue amicos, ſiue inimicos diligam propter te, ſicut meipſum. Pro his omnibus orem, omnibus, quoad potero, benefaciam, cum omnibus pacem habeam, & ſigna veræ dilectionis exhibeam. *2. Fides.* Glorifico, laudo, benedico te, & gratias ago tibi, ô lux vera Ieſu, ob ſciẽtiam beatam tuam, qua ab ipſo conceptionis initio deitatem tuam, & Patrem, & teipſum, & Spiritum ſanctum clariſſima & infinita viſione videns abſque vlla menſura beatus extitiſti; necnon & ob ſcientiam infuſam, qua ab ipſo momento vniuerſa præterita, præſentia, & futura manifeſtè intuitus es. Gaudeo, & exulto de hac infinita ſapientia tua quæ in omnia penetrat, omnia cognoſcit, cuncta comprehendit, & per veram, inconcuſſam, & illuminatã fidem eius particeps eſſe cupio. Obſecro te per ſæuum vulnus lateris ſanctiſſimi tui, & per amorem qui te ad illud ſuſtinendum coëgit, vt infundas, & ſerues, & augeas in me perfectã fidem, quę tollat à me omnem, in quam poſſem incurrere, infidelitatem, errorem, dubietatem. Quáque omnia à te dicta, & à ſancta matre Eccleſia propoſita firmiter credam, & pro hac fide, & confeſſione eius vitam profundere paratus exiſtam. Hæc fides pro amore & honore tuo operetur in me grandia, contemnat viſibilia, & non aliud in laboribus meis, quàm tuam gloriam & beneplacitum in omnibus quęrat. *3. Spes.* Glorifico, laudo, & benedico te, & gratias ago tibi, ô beatiſſime Ieſu, ob fœliciſſimam illam beatitudinem tuam, qua omnia bona tenes, omnia bona poſſides, & nihil habes quod ſperes, quia nullo indiges. Gaudeo, & exulto de hac immenſa gloria & beatitudine tua, cui nihil omnino deeſt, ad quod per ſpem inhiet, & ad participationem eius vera & firma ſpe diſponi percupio. Obſecro te per idem vulnus ſanctiſſimi lateris tui, & per amorem illum immenſum, qui te ad illud ſuſtinendum impulit, vt infundas in me perfectam ſpem, quæ tollat à me omnem temeritatem, deſperationem, & puſillanimitatem. Et ea per merita infinita tua me vitam æternam adepturum, & media in hac vita ad eam conſequendam habiturum ſperem, & meas orationes (prout ad meam ſalutem oportuerit) exaudiendas, & omnia mihi in bonum cooperatura confidam. Hæc ſpes, Domine, deſideria mea ſupra omnium rerum labentium viciſſitudinem erigat, & velut anchora me inter proſpera & aduerſa fluctuare non ſinat, ſed in portu tuæ prouidentiæ alacrem, quietum, & tranquillum teneat. *4. Perſeuerãtia.* Glorifico, laudo, & benedico te, & gratias ago tibi, ô perſeuerantiſſime Ieſu, ob ſtabilem perſeuerantiam tuam, qua omnia ad gloriam Patris, & ſalutem noſtram opportuna conſummaſti, & nihil imperfectum, nihil ſemifactum reliquiſti. Gaudeo, & nimis exulto de hac forti perſeuerãtia tua, quæ victoriam mundi, expugnationem cœli, & ſalutem meam vſque ad finem perduxit, eámque diligentiſſimè imitari cupio. Obſecro te per amorem & vulnus ſanctiſſimi lateris tui, vt perimas in me omnem inſtabilitatem, incuriam, & inconſtantiam, & tribuas mihi perſeuerantiam perfectam, qua à bono cœpto non excidam, pro tuo honore incepta perficiam, & quæ retro ſunt obliuiſcens indefeſſo proficiendi ſtudio ad anteriora me extendam, & ſæpius diſtractus, aut impeditus nouo feruore ad paleſtrã reuertar, & per aquam & ignem vſq; ad mortem, perfectionis gẽmam, & brauium ſupernæ vocationis inquirã. His ſanctis virtutibus robora cor meũ, & transfixione ſanctiſſimi cordis tui illud cõſolida, & redintegra, vt in omni virtute perſiſtat.

De deſiderio Iuſtitiæ, & filiarum eius ad dexterã Ieſu. §. 4.

O Dulciſſime Domine Ieſu Chriſte, author & Doctor iuſtitiæ, qui veniſti vt doceres nos omnẽ iuſtitiam, & hoc cingulo pulcherrimo lumborum tuorũ nos pręcingeres, & fluxa noſtra coarctares. *1. Iuſtitia.* Laudo, glorifico, & exalto te, & gratias ago tibi ob æquiſſimam iuſtitiam tuam, qua pro nobis miſeris & impotẽtibus Patri æterno integrè, immo & ſupereffluenter ſatisfeciſti, & mũdum perditum ad amiſſam rectitudinem reuocaſti. Diligo te quantum poſſum, & gaudeo atque exulto de hac admirabili iuſtitia tua, quę omnia in numero, pondere & menſura cõſtituit, & ea perfici, indui, & ornari percupio. Rogo te per acerbiſſimum dolorem quem ſuſtinuiſti in vulnere manus dexteræ tuæ, & per amorem qui hunc te perferre coëgit. Dele in me omnẽ iniuſtitiam, & omnes iniurias, quas proximis intuli, & concede mihi perfectã iuſtitiam, qua tibi omnem honorem, gloriam, gratiarum actionem in omnibus cogitationibus, verbis, & operibus tribuã, & meis ſuperioribus, æqualibus, & inferioribus debitam ſubiectionem, affabilitatẽ, & ædificationem reddam, neminíque nec minimum malum inferam, & debita quæ ſecũdùm ſtatum ac vocationẽ meam mihi facienda incumbunt, tempore congruo cum ſumma deuotione perſoluam. Da etiam vt ex amore tuo & iuſtitiæ deſiderio prohibita fugiam, pro omnibus peccatis & negligẽtiis meis cõpunctione, & lacrymis, & bonis operibus ſatisfaciam, & in vocatione qua vocatus ſum dignè & diligẽter incedã. *2. Miſericordia.* Glorifico, laudo, & benedico te, & gratias ago tibi, ô miſericordiſſime Ieſu, ob nullo termino comprehenſam miſericordiã tuam; qui miſereris omnium, & nihil odiſti eorum quæ feciſti, qui homines & iumenta ſaluas, cùm in iuſtos & peccatores tuas miſerationes immenſas multiplicas. Amo te Domine, omne bonum meum, & exulto & gaudeo de hac infinita miſericordia tua, à qua neminem, niſi eam reſpuentem, excludis, & ea repleri, ac vndique cingi percupio. Rogo te per venerandum vulnus ſacræ dexteræ tuæ, & per amorem, qui illud te ſuſtinere coëgit, vt aboleas in me omnem immiſericordiam, aſperitatem, & inſenſibilitatem erga mala proximorum, & concedas mihi perfectam miſericordiam, & compaſſionem, benignitatem, & liberalitatem erga proximos meos omnes, vt nemini vmquam iraſcar, ſiue ſuccenſeam, neminẽ iudicem, deſpiciam, contriſtem, aut lædam, ſed potiùs paterno, aut fraterno amore complectar. Vtq; omnibus præſertim tentatis, afflictis, fideliter pro poſſe ſubueniam, ſeruiã, benefaciam, & orationibus, ac quocumque ſubſidio ſuccurram. Da etiam vt omnium ſpiritualem ſalutem ſitiam, & quæram, de ipſorum malis intimè doleam, & de bonis lætar, & conue-

nientibus mediis iuxta ſtatum meum eorum profectum promoueam. Glorifico,laudo, & benedico te, & gratias ago tibi, ô veraciſſime Ieſu, ob ſummam veritatem tuam,qui veritas,via, & vita es, & ſpiritu tuo nos omnem veritatem doces, & omne mendacium odio habes. Diligo te,& gaudeo atque exulto de immutabili veritate tua vitæ, & doctrinæ, & eam exquiſitè imitari cupio. Rogo te per idem vulnus dexteræ tuæ, & per amorem qui te illum ſuſtinere compulit,vt aboleas in me pretioſo ſanguine tuo omnia mendacia,dolos,ſimulationes, falſitates, hypocriſes,& vt concedas mihi perfectã veritatem, qua vera ſentiam, vera loquar, mea & aliorum vitia impugnem, & neminem palpem, & vitam meam,atque opera cum corde & verbis aptè conſentire faciam, & ſanctiſſimæ vitæ tuæ virtutibus vbique conformer. Glorifico,laudo,& benedico te,gratias ago tibi, ô amantiſſime Domine Ieſu, ob dulciſſimam ac largiſſimam gratitudinẽ tuam, quæ eximiis donis, ſupra id quod petimus, aut intelligimus, minima obſequia repenſat. Amo te,& exulto,& gaudeo de hac benigniſſima gratitudine tua, qua nihil boni reſpuitur, nec irremuneratum relinquitur,eámq; imitari,vehemẽter cupio. Rogo te per ſacrum vulnus dexteræ tuæ, ac per amorem qui te illũ ſuſtinere coëgit, vt aboleas in me omnẽ ingratitudinem, & beneficiorũ à te,vel à fratribus mihi factorum obliuionem.Inſuper vt tribuas mihi perfectam gratitudinẽ, qua omnia beneficia abs te, & à creaturis mihi exhibita humiliter recognoſcã, dignè ponderem, & ſumma deuotione pro eis gratias agam. Hæc beneficia,Domine,purè tibi adſcribam, eorum gratia te ſemper laudem, & me ipſorum prorſus indignum reputem. Hæc ſanctiſſima dextera tua, in qua eſt longiturnitas vitæ, me his, quibus vitam promerar, virtutibus impleat.

5. Veritas.

4. Gratitudo.

De deſiderio fortitudinis,& filiarum eius,ad lanã Ieſu.§.5.

O Dulciſſime Domine Ieſu Chriſte,rex fortis, & potens, cui nemo poteſt reſiſtere, à cuius manu tuos nemo poteſt abripere; glorifico,laudo, benedico te, & gratias ago tibi, ob inſuperabilem fortitudinem tuam,qua exaltatus à terra omnia ad te traxiſti, & manibus conclauatis ac ſuſpenſus in cruce,diabolum viciſti,peccata noſtra extinxiſti, & vniuerſum mundum ſubiugaſti. Gaudeo,& exulto, de hac inuicta fortitudine tua,cui nihil non eſt facile,ac pronum, & ea meam inexplicabilem imbecillitatem roborari percupio.Oro & obſecro te per acerbiſſimum dolorem vulneris ſiniſtrę manus tuę, & per amorem qui te ad illud perferendum impulit,vt remittas mihi omnem puſillanimitatem,cordis vilitatẽ atque mollitiem,necnon omnem ignauiam,atq; torporem:& vt des mihi perfectam fortitudinem,qua dominari valeam animo meo,& viribus ac ſenſibus meis, quáque vniuerſa vitia funditus extirpem,atque eradicem, & omnes virtutes adquiram;mundum,diabolum,& carnem vincam, opiniones hominum, quatenus perfectioni aduerſantur,contemnam : nihil timeam, aut verear, ſed inter omnes difficultates confidenter procedam, atque pertranſeam.Glorifico,laudo,benedico te,& gratias ago tibi,ô puriſſime Ieſu,ob virgineam puritatẽ tuam. Nã & ex matre virgine naſci voluiſti, & virgo,ac doctor virginitatis, & ſeminator caſtorum conſiliorum extitiſti. Gaudeo,& lætor de hac immenſa puritate tua,quæ nihil minus purum,minus ſanctum vmquã admiſit, & eam diligentiſſimè imitari cupio.Oro & obſecro te per vulnus ſiniſtrę manus tuæ,& per amorem,quo illud ſuſtinuiſti, vt remittas mihi omnem impuritatem mentis,& corporis; & tribuas mihi perfectam caſtitatem, qua omnem immunditiam carnis & cordis vehemẽter deteſter,vniuerſas cogitationes,& sẽſus meos,præſertim oculos, aures & linguã ab omni impuritate cuſtodiam, & omnem nimiam hominum familiaritatem vitem,& in nõ voluntariis miſeriis corporis ad te forti conuerſione cordis, & integra voluntate recurram. Glorifico,laudo, & benedico te, & gratias ago tibi, ô author noſtræ ſatietatis Ieſu, ob moderatiſſimam abſtinentiam & ſobrietatem tuam,qua ſanctiſſimæ carni tuæ in nullo indulſiſti, & omnem ſuperfluitatem cibi & potus ab ea ſine vlla difficultate reſecaſti. Gaudeo, & lætor de hac gemma pretioſa tua,quæ te hominibus (inter alia) mirabilem fecit, & ea ornari maximè cupio. Oro, & obſecro te per idem vulnus ſiniſtræ manus tuæ, & per amorem,quo illud ſuſtinuiſti,vt remittas mihi omnem guloſitatem,ingluuiem,& ebrietatem,ſi non corporis,at ſpiritus:& concedas mihi perfectã abſtinentiam & ſobrietatem, qua vires affectus & ſenſus ab omni inordinata delectatione & ſuperfluitate reſtringã,& ſola neceſſaria cum magno tui timore moderatè aſſumam, & interim magis Spiritũ ſancta lectione,& pia meditatione, quàm corpus cibis ſuſtentare curem. Glorifico, laudo, & benedico te,& gratias ago tibi,ô theſaure animarum noſtrarum Ieſu,ob parciſſimã paupertatem tuam, quæ cùm eſſes diues pro nobis egenus factus es,& non habuiſti vbi caput reclinares.Gaudeo & lætor de hac ditiſſima & vtiliſſima nobis paupertate tua, qua omnes huius ſæculi diuitias abieciſti, & eam accuratiſſimè imitari cupio.Rogo igitur te per ſæuum vulnus ſiniſtræ manus tuæ,& per amorẽ,quo illud ſuſtinuiſti,vt indulgeas mihi omnem auaritiã, & rerum temporaliũ cupiditatem,& concedas mihi perfectam affectus & operis paupertatem, qua ab omni amore donorum ſpiritualium denuder,& ab omni affectu rerum temporaliũ ſpolier, quáque neceſſaria ſtrictiſſimè accipiam,& inter ſanctiſſima brachia tua nudus ab omni creato,& expeditus requieſcam. His virtutibus ſiniſtra manus tua,in qua ſunt diuitiæ & gloria, me ad hæc obtinenda perficiat. Hæ virtutes crucem meã, quam ſemper baiulem,& in qua tecum crucifigar,aptè componant.In pedibus geſtem humilitatem,in capite ſapientiam, in corde charitatem, in manu dextra iuſtitiam, in ſiniſtra fortitudinem. Eas in meis mẽbris videam, vt dum hæc mẽbra video,ad curas animæ tranſeã, & ad virtutũ exercitationẽ accendar,quibus ſimilis tui factus ad amoris perfectionẽ admittar.Amen.

1. Fortitudo.

2. Caſtitas.

3. Abſtinentia.

4. Paupertas.

Quas virtutes ab Angelis vt eas tibi impetrent, poſces.

EXERCITIVM VI.

ALIO modo te ad virtutum deſiderium inflammabis, ſi tactus humilitatis affectu, te ad conſpectum Domini admitti prorſus indignum reputes, & homines huius ſæculi ad animæ profectum, non verò ad diuitiarum augmentum imiteris. Hi enim cùm aditum ad Regem non inueniunt,aut coram eo apparere erubeſcunt, ſuas petitiones nobilium & procerum interuentu illi manifeſtare conantur. Qui autem ſunt proceres curiæ ſummi Dei, & Regis omniũ regum,niſi Angeli ſancti,quibus eſt ab ipſo

Homines ſæculi in bono imitandi.

Nobiles curiæ cœleſtis Angeli & Sancti.

Domi

Domino poſtulandi & interueniendi pro nobis facta poteſtas? Ad illos ergo interdum accurres,& ad pedes ipſorum proſtratus tua deſideria pandes,vtque tibi virtutes impetrent,enixè poſtulabis. Quia tamen vilis homuncio in domibus etiam nobilium ingreſſum inuenire non ſolet, niſi ab aliquo illius domus ſibi ingrediendi facultas concedatur, ideo ab alloquio cum Angelo cuſtode ſatis tibi noto ac familiari hunc affectum exordieris. Quem Gerſon libro de mendicitate ſpirituali luculenter expoſuit, & in eo ita procedes. 1. Angelum cuſtodem rogabis vt te mente & cogitatione ad patriam cœleſtem deferat, & audientiam tibi apud Angelos proceres illius ſanctæ ciuitatis obtineat. 2. Terrena animo & cogitatione deſerens,ac cœleſtia petens,& quaſi in conſpectu cœlitum ſtans, eis tua deſideria patefacies. Petéſque 1. à Seraphinis ardentiſſimam charitatem. 2. à Cherubinis ſapientiam. 3. à Thronis humilitatem. 4. à Dominationibus corporis & ſenſuum mortificationem. 5. à Poteſtatibus tentationum victoriam. 6. à Virtutibus omnium virtutum profectum. 7. à Principatibus ſubiectionem. 8. ab Archangelis mentis & corporis puritatem. 9. ab Angelis diſciplinæ cuſtodiam.

Ad eos interceſſione Angeli cuſtodis ingreſſus pacatur.

Gerſon lib. de mẽdicit. ſpiri. p. 2. ante med.

Summa affectus.

PRAXIS.

Alloquiũ ad Angelũ cuſtodẽ.

O Glorioſiſſime Angele Dei, ô Princeps inclyte curiæ cœleſtis, ô Spiritus puriſſime, qui in meam cuſtodiam à Domino benigniſſimè ac miſericordiſsimè deputatus es: Tu es dux meus,tu magiſter,pædagogus, & paſtor meus,à quo hactenus eruditionem,& auxilium,& cõſolationem,& piam correctionem,& multa alia bona ſuſcepi, & in futurum vſque ad extremum vitæ diem,& vſquequo me ad conſpectũ Domini deducas,acceptarus ſum. Immenſas gratias tibi ago pro his tam pretioſis donis,ac magnis beneficiis, & pro patientia,qua meã ruditatem perfers, meã inſipientiam & inobedientiam ſuſtines, qua tuis ſanctis & frequentibus impulſibus obſiſto,& meam ingratitudinem tolerare non deſinis. Perge,obſecro,mei miſereri, mihi benefacere, & in me virtutis ac perfectionis deſiderium prouehere. Gloria patris filius ſapiens,& gloria magiſtri diſcipulus progreſſum faciens in diſciplina. Erit ergo gloria tua,quę in gloriam & honorem Domini redundabit,ſi ego,te docente,virtutis diſciplinam capiam,& non ſegniter per ſemitas ſalutis curram. Quia verò magnum eſt ad virtutis adiumentum,interceſſio ſanctorum Angelorum conciuium tuorum, qui potẽtes ſunt apud Dominum, quorum oratio in conſpectu eius plurimũ valet, & multa ac magna bona nobis mortalibus impetrare conſueuit;rogo te infer me miſerum,& virtutẽs ſitientem cogitatione cœleſtibus choris,& ad palatia nobiliſſimorum principum penetrare facito,vt eos alloquar, & mea illis deſideria patefaciam. Ne me ſolum ingredi patiaris, ſed mecũ ingredere,& mihi comes aſſiſte, & pone verba tua in ore meo, vt dignum aliquid dicere,& vtile mihi poſtulare ſciam. Iam tuo auxilio fultus terrena deſero, cogitatione vniuerſa viſibilia tranſcendo, curas rerum temporalium,& huius ſæculi ſolicitudines pono,& cœleſtem domum Domini mei, quam nobiliſſimi illi Principes inhabitant, dona & beneficia petiturus ingredior. O Seraphim beatiſſimi, ô prunæ ſplendidiſſimæ, atque pulcherrimæ, igne charitatis accenſę,ô ſupremi amatores Dei,qui nullum gelu ſocordiæ metuitis,quia perpetuo & immenſo feruore amoris ardetis, miſeremini mei, & ſubuenite huic miſeræ frigiditati meæ, qui poſitus inter tot carbones diuinorum beneficiorum, nec ſaltem ad modicum incaleſco. Impetrate mihi à Domino geminam charitatẽ, induite me duplici veſte amoris Dei,& proximi, vt non timeam à frigoribus niuis. Diligam Dominũ,intercedentibus vobis,quoniam tot ac tanta mala & peccata à me patrata patienter tulit,& quia tam magna dona,& pretioſa beneficia in me contulit,ſed præcipuè quia ob ſuam immenſam bonitatẽ,& ſanctitatẽ,& reliquas perfectiones eſt immẽſo amore digniſſimus. Diligam proximos meos, & tam amicis, quàm inimicis in omnibus benefaciam,vt ſimilis Domino, qui factus eſt mihi magiſter dilectionis,inueniar. Eia Principes nobiliſſimi effundite ſuper me hũc ſuauiſſimum ignem charitatis,qui me Domino gratum faciat,& multitudinem peccatorum meorum operiat. O Cherubim fœliciſſimi,ô clariſſima cœli lumina,ô Doctores illius Academię cœleſtis,in qua non ſolùm honoris inſignibus,verùm immenſa plenitudine ſcientiæ & ſapientiæ fulgetis, mea cæcitas, ignorantia, & ſtoliditas vos ad miſericordiam inflectat. Cæcus ſum qui ſæpe iudico bonum malum,& malum bonum. Ignarus ſum, qui Dei maieſtatem & meã extremam vilitatem ignoro,ſtolidus ſum,qui peccati amaritudinem virtutis dulcedini præfero, & iiter innumera ſalutis pericula lætus & ſecurus exiſto. Obtinete,rogo,mihi à Domino veram ſapientiam, qua Dei noſtri ſummam bonitatem cognoſcam,vt diligam, & meam iniquitatem ſciam, vt me contemnam, & pericula amittendæ ſalutis, in quibus verſor,euadam. Docete me timorem Domini, & ſcientia perfectionis imbuite,& caliginem à me internæ cæcitatis auertite. O Throni ſtabiliſſimi, ô pulchertimæ ſedes Dei,in quibus ob perfectiſſimã humilitatem, & eximiam ad Dominum reuerentiam,ipſe Deus ſedet,ac requieſcit. O diuinę maieſtatis domicilia, in quibus æquiſſimus ille vniuerſorum iudex iudicia ſua exercet, & pœnas ac præmia decernit. Facite, impensè oro,veſtris orationibus,vt verã ego humilitatem cõſequar,vt meipſum viliſſimum eſſe cognoſcam,& quaſi nihilum reputans me omnibus libenter ſubmittam. Inſuper vt Dominum intimè reuerear,honorem, atque glorificem, & coram omnibus hominibus ipſum corde & ore confitear. Odibilis eſt Deo omnis ſuperbia, omnis cordis elatio, & cogitationũ verborúmque iactantia. Diſcam à vobis me deſpicere,atque contemnere, diſcam humiliari ſub potenti manu Dei, vt me exaltet in die viſitationis. Fiam per humilitatem & reuerentiam ſedes Domini,qui requieſcit ſuper humilem,& quietum, & trementem ad ſermones eius. O Dominationes altiſsimæ,ô Spiritus verè liberi,qui nulli niſi Deo,& ſuperioribus ſpiritibus ſponte ſubiacetis, & rebus inferioribus dominamini,eáſque optimè ſecundùm diuinæ prouidentiæ diſpoſitiones gubernatis. Obſecro vos, vt impetretis mihi veram, & ſanctam libertatem qua peccato non ſeruiam,nec corporis mei appetitibus ac ſenſibus ſubdar. Date vt potiùs carni mortificatione imperem, vt affectus meos cohibere, & ſenſus frænare,& in officio continere nõ ceſſem. Obtineat mihi oratio veſtra vt filius Dei,à tyrannide terreni hominis, qui nititur ſpiritum opprimere, me potenter liberet, quoniam ſi ipſe me liberauerit,verè liber ero,& particeps veſtrę Dominationis exiſtam; & meipſum gubernans ad veſtram imitationem aſcendam. O Poteſtates robuſtiſsimæ, ô Principes potentiſsimi, ô Duces inuictiſsimi,quorum eſt dæmones cohibere, eorum impetus &

2. Ad Cherubim.

3. Ad Thronos.

4. Ad Dominationes.

1. Oratio ad Seraphim.

5. Ad Poteſtates.

conatus

conatus confringere, & impedimenta remouere, quibus nobis aditus ad ſalutem occluditur, humiliter vos deprecor, vt me ad vincendum, & hoſtes meos ſuperandos adiuuetis. Habeo (vt optimè noſtis) hoſtes acerrimos,& implacabiles,quorum impetu ignominioſè proſternor. Mundus me allicit, diabolus decipit,caro deuincit,& ligatum in barathrum pertrahit.Eia igitur eſtote mihi à dextris,vt de illis victoriam reportem.Si pręſtò mihi fueritis, mundum irridebo, diabolum conculcabo,carnem, ne me proterat,ſuperabo. Laudibus extollã Dominum,qui ob interceſſionem veſtram dedit mihi victoriam per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum.

6. Ad virtutes. O virtutes ſanctiſſimæ, ô Spiritus mirabilium factores, ac miraculorum patratores fortiſſimi, id obſecro in me faciatis, vt in omni virtute proficiã. Me,ſi adhuc in peccato mortuus ſum,ſuſcitate,infirmum ſanate,cæco viſum reddite, ſurdo auditum reſtituite, ſi quid mortiferum bibero per malã cogitationem, aut prauum conſenſum, facite vt non noceat,& à conſenſu in peccatũ eripite. Flores bonorum deſideriorũ perficite,& vſque ad opus producite, & iam per veſtram virtutem & interceſſionem perfectionis itinera ingredi incipiam.

7. Ad Principatus. O Principatus altiſſimi, qui aliis inferioribus præſidetis, & in gloriã Domini agenda præſcribitis,impetrate mihi perfectam ſubiectionẽ, qua ſuperioribus abſque rebellione,abſque murmure, & detractione in omnibus imperatis obediam. Æmuler ego iſtã veſtram ciuitatẽ, in qua eſt ſumma pax,quia eſt ſummus ordo,& inferiorũ ad ſuperiores perfecta ſubiectio. Animaduertámque quòd in omnibus mihi incumbit obedire, & Domini, ac eorũ qui eius vicem gerunt, ductũ omnia præſtare.

8. Ad Archangelos. O Archangeli nobiliſsimi,ô Principes illuſtriſsimi, ô Duces ſplẽdidiſsimi militiæ Dei, qui magna Dei myſteria nũtiatis, qui mentes noſtras ad intelligentiã aperitis, inſtruite me, vt ſancta myſteria percipiam. Conſequar per orationem veſtrã viuam & efficacẽ fidem, quæ cor meum docendo & impellendo ad bonum ab omni labe purificet.Habeã ego mentem puram, & corpus mundum, & caſtitatem angelicam diligam, & gaudia cœleſtia,quæ fides docet,& ad quæ

9. Ad Angelos. vocat, concupiſcam. O Angeli ſancti, ô miniſtri fideliſſimi ſummi Dei, qui curiam eius impletis,& ad eius mandata celerrimè huc illúcque diſcurritis: obſecro vos, vt me in omnibus diſciplinam ſeruare doceatis, & in peculiaribus euentibus adiuuetis. Quælibet ſingulis diebus & horis cognitu & factu opportuna ſuggerite, in triſtitia conſolationem afferte, in deſolatione confortate, ab errore abducite, cor durum emollite, aridum lacrymis deuotionis rigate, cæcum illuminate.In laudibus Dei comites aſſiſtite, in exceſſu reprimite, in bonis operibus roborate, in bello cum vitiis iuuate. Humiliate me in proſperis, attollite in aduerſis,in paupertate ſubuenite,in ægritudine ſanate,& in hora mortis à malo perditionis eripite.Sed nunc dimiſſis ſeruis ad te redeo, Domine Deus meus,& immenſas gratias ago tibi, quia dilexiſti me, & inſignũ amoris Angelos tuos præfeciſti mihi,quibus mandaſti, vt cuſtodiã me in omnibus viis meis, ne vmquam offendã ad lapidẽ pedem meũ. Per interceſſionẽ eorũ rogo te,Domine,vt has mihi virtutes, quas poſtulaui,cõcedas,vt ardentiſſima omniũ virtutũ deſideria immittas,vt pro illis ſtrenuè laborare facias,& vſque ad perfectionem extollas. Amen.

Quas virtutes à ſanctis poſtulabis.

EXERCITIVM VII.

A IESVM ad Sanctos in cœlo regnantes virtutũ opes petiturus accedes. Affectum autem pauperis ſtipẽ oſtiatim quærentis aſſumes, & ad domicilia Sanctorum,qui vere ſunt diuites, vt eleemoſynam accipias,properabis. Dauid rex potentiſſimus ſe infirmũ, orphanum, & mendicum vocat: Miſerere mei Domine, ait, quoniam infirmus ſum:ſana me Domine, quoniam conturbata ſunt oſſa mea.]Et:Tibi derelictus eſt pauper,orphano tu eris adiutor.] Et rurſus:Ego autem mendicus ſum & pauper,Dominus ſolicitus eſt mei.] Quídni tu pauperem temetipſum ac mendicum appelles, immo & corde & affectu te egenũ exiſtimes. Equidẽ puto, quia vnus ex præcipuis affectibus viri ſpiritualis eſt,vt ſe pauperem æſtimet. B Pauperis enim quaſi propriũ eſt eſurire, ſitire, bona quæ nõ habet deſiderare, mala, quibus premitur, vt ſubſidiũ conſequatur oſtendere. Spiritualis autẽ vir eſurit gratiam,ſitit iuſtitiam,virtutes concupiſcit,vitia, aut imperfectiones quibus ſubiacet, ad remedium poſtulandum aperire non metuit. Te ergo pauperrimum eſſe cognoſce, & vt eleemoſynam ſpiritualem, id eſt, virtutem conquiras,ad diuites & nobiles, ſcilicet ad Sanctos accurre. Nunc coram vno illorum,nunc coram pluribus,nunc coram omnibus te proſterne, & miſericordiã ac donum aliquod clamoribus & gemitibus pete.In hoc autem exercitio poteris cogitare ciuitatem ſanctã Ieruſalem plurimis vicis eſſe diſtinctam, in quibus C Sancti iuxta ſuum ſtatum & ordinem habitent.Per vicos ergo iſtos, & plateas huius ſanctæ ciuitatis diſcurres,quærẽs quẽ diligit anima tua:& ab habitatoribus virtutis quib⁹ Deus inuenitur,hoc ordine poſtulabis.1.A Patriarchis petes fidẽ.2. à Prophetis ſpem.3.ab Apoſtolis charitatẽ.4.à Martyribus fortitudinẽ.5.à Pontificibus ſolicitudinem.6.à Doctoribus ſapientiã.7. à Confeſſoribus obedientiam.8.à Virginib⁹ caſtitatẽ.9. ab omnibus perfectionis deſideriũ, & iuxta diſpoſitionẽ Domini plenitudinẽ.

Qui orat, affectum induat pauperis.

Pſal.6.3.

Pſ.9.34.

Pſal.39.18.

Affectus pauperis viro ſpirituali vtiliſſimus.

PRAXIS.

O Sancti Dei, ô Principes fœliciſſimi, ô ciues ſupernæ illius ciuitatis, cui nullum vmquam malum appropinquauit, & omne bonũ ſedem perpetuam,& domicilium, quod numquam transferri poterit, ac habitationem inuenit. Gaudeo & exulto de veſtra gloria,& fœlicitate,quia cum Deo regnatis, in ſumma pace & tranquillitate viuitis, & de ineffabilibus bonis veſtris mutuo abſque vllo odore inuidiæ gaudetis. Inclinate aures veſtras, & demittite lumina,& exaudite orationem meam. Ad vos clamo pauper, nudus, infirmus, vlceribus plenus,& multorũ peccatorũ nexibus compeditus. Non terrena,ſed cœleſtia poſtulaturus aduenio;nõ viſibilia nullius momẽti,ſed inuiſibilia, & æterna, & omniũ Domino placentia concupiſco. Vos eſtis perfectè miſericordes,qui nullius indigetis,ego miſer,& miſerabilis.Vos diuites, & opulenti,quorum poſſeſſio increata,infinita,& æterna,quorũ hęreditas Deus eſt. Ego pauper,atq; mendicus,cui omnia deſunt ornamenta virtutũ,& omnia premũt tentamenta vitiorũ. Neceſſitas mihi incũbit introeundi in locũ tabernaculi admirabilis, vſq; ad domum & conſpectũ Dei,neq; habeo veſtẽ nuptialẽ,indumẽtũ virtutũ, quo ad præſentiã tanti regis ingrediar. Date mihi eleemoſynã pro amore ipſius Dei,induite me virtutib⁹,cingite me donis, quibus abũdatis, vt ſine rubore ante ſummam maieſtatem admittar. O ſancti Patriarchæ, qui ob eximiam & inconcuſſam fidem teſtimonium & approbationem à Deo conſequuti eſtis, impetrate mihi ab ipſo Domino,

Summa affectus.

1. Fides.

vt

vt in me augeatur & roboretur fides, qua terrena deseram, cœlestia appetam, montes difficultatum iter perfectionis impedientium aliò transferam, & ad ea, quæ per fidem proposita sunt, assequenda gressibus operum bonorum accingar. O sancti Prophetæ à Deo per donum propheticum illuminati, quo clarius, quàm alij aspicientes futura, in ea spe ac desiderio erigebamini, impetrate mihi firmam & tutam spem, quæ instar anchoræ in media tempestate huius sæculi me stabilem teneat, ne scopulis peccatorum elidar. Hac æternum præmium expectans ab his quæ me retardare possunt, auertar. O sancti Apostoli Ecclesiæ principes, & fundamenta primo ac præcipuo tantæ molis fundamẽto, scilicet Christo subnixa, qui perfectissima charitate Dei, & proximorum ardetis; consequar ego orationibus vestris perfectissimam charitatẽ, vt Deum & proximum ardentissimo amore complectar. O si hanc virtutum reginam possiderem! O si eam sororem, cui coniuierem, haberem! O si in pulcherrimam sponsam acciperem! ex ea bonorum operum filios suscipiam, quibus cinctus in cœlestem patriam, vbi Deus meus suis amatoribus manifestatur, ascendam. O sancti Martyres, ô fortissimi milites exercitus Domini, qui non verbo solùm, verùm & effusione proprij cruoris veritati testimonium dedistis, & omnem sæculi huius potentiam superastis, obtinete mihi ab eodem Domino, cui semper extitistis fideles, veram & perfectam fortitudinem, quæ imbecillitatem meam roboret, pusillanimitatem confortet, quæ obstacula virtutis comparandæ vincat, impedimenta submoueat, & ad sustinenda pro Deo nostro dura & ardua stabilem reddat. O sancti Pontifices, ô Apostolorum successores, ô fidelium patres, & Christi vicem gerentes in terris, qui præfuistis in solicitudine, & summa cũ diligentia institistis vestræ & animarũ saluti: orate Dominum vt tribuat mihi spiritum feruoris, & solicitudinis, quo omnem torporem & ignauiam expellam, impensè in meam salutem incumbam, & secundùm vocationem meam, proximorum salutem quæram. Hic feruor desideriis, & operibus meis se associet, vt pulchra & perfecta prodeant, & nihil impolitum, aut imperfectum in diuino obsequio relinquant. O sancti Doctores, ô clarissima Ecclesiæ lumina, ô micantia Patriæ cœlestis sidera qui errores profligastis, veritatem docuistis, & Scripturis sanctis, vt à nobis intelligerentur, tantam lucem attulistis, docete ignorantiam meam, auferte cæcitatem meam, & impetrate mihi veram sapientiam, qua inter malum & bonum discernam, & inter bonum, & melius, & semper pro gloria Domini meliora charismata æmulari concupiscam. O sancti confessores, ô boni & fideles Dei serui, qui quoniam super pauca fuistis fideles, supra multa constituti estis, & introistis in gaudium Domini vestri, & per obedientiam mandatorum & consiliorum tantam gloriam consequuti estis, consequar & ego orationibus vestris perfectam obedientiam, vt non præesse, sed subiici velim, & pro amore Domini omnibus obedire. Nouerim meam voluntatem proterere, & secundùm prælatorum voluntatem omnia fideliter operari. O sanctæ virgines, ô gemmæ purissimæ thesauri cœlestis, ô sponsæ pulcherrimæ Christi Iesu, quæ sequimini agnum quocumque ierit, impetrate mihi perfectissimam castitatem, qua corpus meum & animam in omni munditia & puritate contineam. Hæc immundas cogitationes abiiciat, minus pura desideria procul pellat, & vitam in carne ab omni odore carnis alienam, & similem spiritibus cœlestibus instituat. Iam ad vos omnes, ô beatissimi Principes, aulæ cœlestis reges, ac sacerdotes, orationem meam conuerto, vósque deprecor, vt cordi meo iniiciatis ardentissimum omnium virtutum & perfectionis desiderium, quo incitatus viam Domini celeriter curram, & brauium supernæ vocationis apprehendam. Non sit malorum vita, sanctissima vestra conuersatione potentior. Et siquidem illa quamplurimos post se trahit, & ex vitiorum imitatione in perditionem inducit, hæc me desiderantem virtutem, me cupientem vos sequi, & vestris vestigiis inhærere ad se trahat, & in omnem perfectionem inducat. Induite me vestimentis salutis, & corona iustitiæ circumdate me, his monilibus exornate mentem meam, his armis lucis protegite corpus meum, vt post hanc mortalem vitam, in qua vos sequor, & imitor, ad vestram societatem admittar.

2. Spes.
3. Charitas.
4. Fortitudo.
5. Solicitudo.
6. Sapientia.
7. Obedientia.
8. Castitas.

Quas virtutes à beatissima Virgine, omnium Angelorum & Sanctorum Regina, petes.

EXERCITIVM VIII.

TANDEM ô sanctissima Regina virtutum, virtutes postulabis, quæ cùm sit mater ipsius Dei, & sponsa Spiritus sancti, multo efficacius, quàm serui desiderium tuum exaudiet, & quod petieris impetrabit. Ipsa est mater veri Salomonis, non quidem illius, qui filius fuit Dauid, sed eius qui pater fuit Dauid, & Dominus Salomonis. Quid ergo tam honorabilis & amabilis mater à tali tantóque filio obtinere non poterit. Et si aurum è terræ venis effodimus, & gemmas è profundo maris vbi generantur extrahimus, & quamlibet rem in eo loco in quo nascitur, aut efficitur, quærimus, virtutes vbi nisi in Maria, in officina scilicet virtutum inueniemus. Poteris ergo eam his ornamentis circumamictam considerare, quibus B. Brigitta ornatam aspexit, & ab ea eadem virtutum ornamenta petere, vidit enim illam corona pretiosa coronatam, capillis protensis, & tunica splendenti, ac pallio cœli coloris amictam. Audiuítque Ioannem Baptistam hæc insignia ita explicantem. Audi, inquit, quid hęc notant. Corona designat, quòd Regina est, & Domina, & mater Regis Angelorum. Capilli protensi, quòd virgo est purissima. Palliũ cœli coloris, quòd omnia temporalia erant ei quasi mortua. Tunica aurea, quòd erat diuina charitate ardens, & feruida. Deinde redit ad coronam quam ex septem liliis, & septem lapidibus pretiosis ait fuisse contextam, & hæc ad tuum ornamentum à virgine efflagitabis. 1. Lilium igitur est humilitas. 2. Timor. 3. Obedientia. 4. Patientia. 5. Stabilitas. 6. Mititas. 7. Misericordia. Deinde 1. lapis est virtutum singularitas. 2. Munditia perfectissima. 3. Pulchritudo decentissima. 4. Sapientia lucidissima. 5. Fortitudo robustissima. 6. Claritas splendidissima. 7. Voluptas purissima. Ad hæc ergo te afficies, & ardentissimis petitionibus obtinere curabis.

Quantũ Maria possit apud Filium.

Est officina virtutum.

Brigitt. 1. reuelat. c. 31. Ornamẽta virginis Mariæ.

Summa affectus.

PRAXIS.

O Maria virgo sanctissima, Regina cœli, Domina mundi, mater Dei, & supremi Regis

Angelorum veriſſima,cui Sancti obediunt,cui Angeli ſeruiunt,quam omnis natura mitatur. Te virtutes omnes impensè diligunt,vt ſuam præcipuam fautricem, vt iuſtorum, in quibus ipſæ habitant, protectricem,& vt earum conſeruatricem, & promotricem. Te & ego veneror, & amore complector minimus ſeruulorum tuorum, & ad te pro virtutibus adipiſcendis accurro. Doce me,ô Magiſtra,perfectionis doctrinam virtutum. Dirige me, ô ductrix fideliſſima per vias vitæ, & perduc me in finem harum viarum perfectionem, & ſanctitatem,vt tibi ad gloriam Domini in perpetuum laudes canam, & quidquid in me puritatis fuerit, tibi tamquam impetratrici acceptum referam.Virtutes cupio, vt mea vitia ſuperem, virtutes deſidero, vt ipſis tamquam monilibus meam mentem exornem. Virtutes ſitio,quibus amictus ad conſpectum Domini ingredi poſſim. Has tu mihi dabis, quæ potens es dare: has tu mihi impetrabis, cuius oratio numquam repulſam eſt paſſa, nec egreſſa eſt à principis conſpectu confuſa. Eas tamen à te nunc poſtulare decerno, ex quibus tamquam ex liliis,& gemmis pretioſis ancilla tua Brigitta vidit coronam tuam eſſe contextam, quas ſi dederis, ſi obtinueris, eris mihi ſemper in matrem amabilem, & perpetuas gratiarum actiones reddam tibi. Primum lilium, ô Virgo beata, eſt tua profundiſſima humilitas. Nam cùm eſſes in matrem Dei electa,& ad regnum vniuerſi orbis præordinata, te ancillam Domini nominaſti, & non ſolùm nominaſti, verùm & corde te ancillam eſſe ex magna humilitate ſenſiſti.Indue me,obſecro,humilitate, quæ eſt tuorum ſeruulorum inſigne. Fac vt meam extremam vilitatem agnoſcam, vt me in veritate contemnam & deſpici, calcari, ac nihili ab omnibus reputari cupiam. Secundum lilium tuæ ſplendidæ coronæ fuit timor, ille, inquam, timor filialis, timórque Sanctorum, quo culpa & imperfectio metuitur,& Deo ſumma reuerentia & honor exhibetur. Venio filius aut ſeruus potiùs ſeruorum tuorum audire te, timorem Domini doce me, timorem filiorum, quo omnem culpam etiam leuem pertimeſcam, & Dominum ſummè reuerear. Tertium lilium eſt promtiſſima obedientia ex qua quidquid cogitaſti, aut egiſti, aut loquuta es, ſemper & vbique proceſſit. Quid enim aliud in tua ſanctiſſima vita quæſiuiſti,niſi Deo obtemperare, & eius præceptis & conſiliis & inſtinctibus obedire? O ſi tuam obedientiam imitarer! O ſi non mei iuris eſſe, ſed alterius ductu regi in omnibus vellem. Fac me obedientem, ſacra mater, hoc ſit gaudium meum, hic cibus ſuauiſſimus meus, non facere voluntatem meam,ſed voluntatem eius qui creauit me. Quartum lilium, ô Maria virgo pulcherrima eſt patientia in aduerſis. Tuam ſanctiſſimam animam pertranſiuit ineffabilis doloris gladius, & mucro paſſionis filij dulciſſimi vulnerauit. Impetra mihi, oro, inuictam patientiam, qua aduerſa huius vitæ, quæ multa ſunt,non impatienter, ſed æquanimiter & hilari vultu ſuſcipiam. Ingrediar in ſupernam ciuitatem per communem iuſtorum ianuam, quos per multas tribulationes oportet introire in regnum Dei. Quintum lilium eſt ſtabilitas conſtantiſſima: quia cùm egredimur te per conſiderationem videre, non videmus arundinem vento agitatam, ſed columnam firmiſſimam, cui totum ædificium Eccleſiæ ſubnititur, indumento conſtantiæ veſtitam. Non erat in te eſt & non, ſed ſemper eſt, quia ſemper eadem inueniebaris, & cùm iter perfectionis ambulabas, numquam retrogreſſa es. Tolle à me, ô Virgo beata, omnem cordis leuitatem, & concede perfectam conſtantiam interceſſione tua, vt in cœpto bono perſeuerem, & in eo quod ſemel arripui, ſtabilis conſtánſque perſiſtam. Sextum lilium eſt mititas, qua ruditates & moleſtias noſtras benignè ſuffers,& nobis petentibus poſtulata concedis.Habes cor & ingenium matris, quæ filios diligens viſcera ſua, illis bona dare, illos ornare & excolere laborioſum non putat. O bona mater, & verè bona quæ à tam vili & indigno mancipio non ſolùm Domina, & hera, ſed & mater vocari vis; experiar & ego hanc mititatem tuam in hoc, quòd meam petitionem ſuſcipias, & mititatem mihi, qua fratrum moleſtias ſuſtineam, obtineas. Septimum tandem lilium pulchræ coronæ tuæ eſt miſericordia largiſſima. Miſereris omnium, Domina, & neminem accurrentem ad te deſpicis, neminem in ſuis miſeriis ad te clamantem, & auxilium poſtulantem repellis. Eia ſim ego miſericors erga miſeros, eorum dolori & neceſſitati compatiar, & eis ex tenuitate mea libenter ſubueniam. Et qui decem millia talenta in ſubſidium meæ indigentiæ recepi, centum denarios fratri miſericordium poſtulanti non negem.

Hæc odorifera lilia pretioſæ coronæ tuæ, ô Regina potens Angelorum & hominum ſeptem lapides pretioſi diſtinguunt,non quos terra profert, ſed quos ſancta Trinitas ad tuum ſacrum caput ornandum emiſit. Laudo te quia es virtute ſingularis. Quod enim virtutum atque donorum eſt in aliis Sanctis diſperſum, in te vna Deus id omne collegit. Nihílque boni eſt in aliqua mente creata, quod non ſublimius & excellentius in tua ſanctiſſima mente præfulgeat. Da, oro, vt nulla virtus, quam mea vocatio, & meus ſtatus poſcit, mihi deficiat. Benedico te, quia es munditia & puritate mirabilis. Quia non tantùm ab exordio vitæ tuæ vſque ad momentum diſceſſus tui omni peccato & imperfectione caruiſti, verùm & ſine peccato per originem traducto concepta es, & ſemper ſancta & immaculata perſeueraſti. Impetra mihi quæſo remiſſionem multiplicium peccatorum meorum, & vt deinceps à peccatis abſtineam, & pro admiſſis dignos fructus pœnitentiæ faciam. Glorifico te, ô Virgo beatiſſima, quia es pulchritudine excellens. Eras namque corpore pulchra, eras & mente formoſa: cuius pulchritudinem, parum eſt, ſi ſol & luna mirentur, quam vniuerſi cœleſtes ſpiritus ſuſpiciebant, & ipſe Deus in ea ſeipſum mirificè repræſentabat. Rogo te,habeam & ego pulchritudinem caſtitatis, qua & corpus meum ſit mundum, & animus meus ab omni odore fœditatis alienus. Reuereor te, ô Maria benedicta, quoniam es ſapientia clariſſima. Nam & hæc ſapientia tibi affuit, qua Deum & eius voluntatem perfectiſſimè cognouiſti, & rerum qualitates non ignoraſti, vt vilia deſpiceres, & pretioſa æſtimares. Obſecro te, accipiam ego per interceſſionem tuam veram ſapientiam, qua meam paruitatem, & Domini maieſtatem agnoſcens, ipſum ſupra omnia diligam, & me in veritate contemnam. Extollo te, ô Regina mundi, quia es fortitudine potentiſſima. Omnia potes in cœlo, & in terra quæcumque vis: nam oratione tua cuncta quæ petis ab Omnipotente, conſequeris, & nullus valet reſiſtere voluntati tuæ, neque

1. Humilitas.
2. Timor.
3. Obedientia.
4. Patentia.
5. Stabilitas.
6 Mititas.
7. Miſericordia.
1. Virtutum ſingularitas.
2. Munditia.
3. Pulchritudo.
4 Sapientia.
5. Fortitudo.

eum opprimere quem tu volueris liberare. Eia virgo potens, obtine mihi perfectam fortitudinem vt hostibus meis resistam, & eos superem, & de memetipso victoriam reportem. Exalto te, ô Mater misericordiæ, quia es claritate glorioſissima. A te namque multo perfectius, quàm oculi corporei à sole, oculi spirituales hominum & Angelorum illuminantur, & dæmones tuo splendore deprimuntur. Indue me Domine modestiæ claritate, vt nihil in motibus meis & gestibus sit, quod oculos virorum spiritualium offendat, sed omnia quæcumque egero, decenter & ordine fiant. Laudibus effero te, ô sponsa Dei, deliciis affluens, ob tuam voluptatem purissimam, qua ab vbertate Domus Dei inebriaris, & supra omnes sanctos homines, & Angelos dulcedine fœlicitatis perfrueris. Da mihi omnem corpoream voluptatem respuere, spiritualem non quærere, sed in puro & nudo amore Domini (si ita illi placet) meam salutem operari. His adde Domina, illa duo, quæ tuum pallium & tunica designabant, vt scilicet omnia temporalia contemnam, & filium tuum ardentissima charitate diligam. Has virtutes & omnes alias me desiderare, me sitire, ac me postulare facito, & pro his gemmis assiduè clamare, donec illis ornatus ad exercitium amoris aptus fiam.

6. Claritas.

7. Voluptas.

Quid boni ad tuam perfectionem concupiſces.

EXERCITIVM IX.

Amator perfectionis est vir desideriorũ.

IVSTVS, & perfectionis amator potest ita describi: quòd vir desideriorum sit. Nam ea quæ retro sunt obliuiscens, ad ea, quæ non habet, desideriis extendit seipsum, donec illa ab eo, qui exaudit desiderium pauperum, tandem obtineat. Nihil enim ita vulnerat cor Domini nostri Iesu, ac perseuerantia feruentium desideriorum: quæ est ille oculus sponsæ (authore Ruperto) de quo sponsus in Canticis ait: Vulnerasti cor meum soror mea sponsa, vulnerasti cor meum in vno oculorum tuorum.] Assuesces ergo in oratione multa desiderare, quæ te iustum ac perfectum efficiant. Ad ea te quasi desideriis infinitis extendes, dum ipsa in summo gradu habere cupis. Nihil enim obstat, si opus ex imbecillitate, aut impossibilitate infrà maneat, dummodo mens efficacibus desideriis ad magna & sublimia se virtutis extendat. Cùm Deus qui non tam attendit ad ea, quæ parent, sed præcipuè intuetur cor, efficacia & vera desideria operum loco substituat. Certè mala desideria sola absque opere hominem pessimum faciunt. Nam qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, iam mœchatus est eam in corde suo: & de corde exeunt cogitationes malæ, adulteria, homicidia, & reliqua, quæ coinquinant hominem. Ergo bona desideria, si efficacia sint, hominem optimum reddunt. Desiderabis itaque & petes à Domino feruentissimè, & clamoribus ac gemitibus ea omnia, ex quibus mentis puritas ac perfectio constituitur. Effundes sicut aquam cor tuum ante conspectum Domini; non sicut mel, aut oleum, cuius, postquam effusum est, aliquid in vase remanet: non sicut vinum, quod saltem odorem sui relinquit, sed sicut aquam, quæ omnino vas deserit. De profundis clamabis ad Dominum, id est, ab intimo corde, vt interpretatus est Chrysostomus, & ex mediis visceribus desideria & gemitus exprimes, & sic ab eo, qui scrutator est cordium, exaudieris. Sic desiderabat, sic postulabat Anna Samuelis mater, cuius vultus non sunt ampliùs in diuersa mutati, quoniam ex magna fiducia exauditionis, quam conceperat, vniformem cordis & faciei dispositionem custodiuit, & cor tranquillum effectum faciem quoque ad tranquillitatem reuocauit. Sed iam quæris, quid in hoc exercitio sis desideraturus, & petiturus? Gerson desideranda & petenda in vnum multa congessit. Tu ab eo, & ab aliis doctus hæc cupies & postulabis. 1. Vt Deus te oculis benignis aspiciat, quoniam hic respectus Dei est omnium bonorum exordium, secundùm illud: Respiciam vos, & crescere faciam: multiplicabimini, & firmabo pactum meum vobiscum. 2. Cupies septem virtutes præcipuas. 3. Septem dona Spiritus sancti. 4. Septem petitiones orationis Dominicę. 5. Octo beatitudines. 6. Quidquid gratiæ & auxilij necessarium est ad vniuersam legem obseruandam. Quòd si hoc exercitium longum tibi videatur, in varia exercitia distribues.

Cant. 4. 9. Rupertus lib. 3. in Cãt. non longè à fine. In oratione multa desideranda.

Quid & quomodo desiderandum. Thren. 2. 19.

Psal. 129. 1.

1. Reg. 1. 18.

Gerson de mendicitate. Summa affectus

Leuit. 26. 9.

1. Respectus Dei.

PRAXIS.

O Suauissime Domine Iesu Christe, ô triumphator mortis, & diaboli, qui in cœlum subuectus, & ad Patris dexteram collocatus dedisti dona hominibus, & ea affluenter donare nõ cessas, ex desiderio placendi tibi, & dona quibus perficiar, obtinendi, nunc multa bona postulaturus venio ad te. Scio Domine, quia tibi placuit Salomonis deprecatio, eo quòd non postulauit sibi dies multos, nec diuitias, aut animas inimicorũ suorum, sed petiuit sapientiam ad discernendũ iudicium secũdùm quod ad munus regale necessarium est. Et quidem desideria mea, & postulationes meæ non ad hoc tẽdunt, vt à te diuitias, aut honores, aut aliquid temporale consequar, sed vt spiritualia secundùm voluntatem tuam, & necessaria statui meo, ac perfectioni, quam desidero vitæ spiritualis obtineã. Placeat ergo tibi deprecatio mea, & non redeat ad me vacua, sed prosperetur, & impetret ea, ad quæ misi illam. O Deus meus, ecce ante te est omne desideriũ meum, & gemitus meus à te non est absconditus. Hoc vnum cupio, hoc vnum desidero, hoc vnum peto, vt benignis oculis tuis respicias me. Noui quòd aspectum tuum sequitur miseratio. Respice ergo me, & miserere mei, quoniam vnicus, & pauper sum ego. Aspexisti Matthæum, & traxisti eum ad te: Magdalenam, & à cœno peccatorum eripuisti: Petrum, & fleuit amarè. Quid in me non facies, si me benignè respexeris? Vide obsecro humilitatem, id est, afflictionem meam, & laborem meum, & dimitte vniuersa delicta mea, vide paupertatem, ac nuditatem animæ meæ, & operi me virtutibus, & donis tuis, nec patiaris me à conspectu tuo nudum ac desolatum abire. O sol iustitiæ, en quantum possum, quantum valeo è latebris mearum imperfectionum egredior, & omnia impedimenta tuæ lucis recipiendæ submoueo, & hîc positus radium lucis sapientiæ tuæ, & ardorem tui amoris expecto. Si sol hic visibilis, quem ad meum vsum creasti, me ad eum egredientem illuminet, & fouet, quid tu facies, qui virtute & agendi potestate illum in infinitum vincis: & si non necessitate, at nimia supra quàm cogitare possum charitate ad illuminandum me, & amore fouendum impelleris. Amor iste, quem erga te habeam, omnia in corde meo desideria rerum visibilium

3. Reg. 3. 11.

extinguat, & ardentiſſima virtutum & donorum tuorum deſideria exciter. Quaſi audio ex tuo ore ſanctiſſimo quod dicas mihi: Quid vis vt faciam tibi? Volo o Domine, & vehementer deſidero vt me præcipuis virtutibus ornes. Cupio fidem viuam, & firmam, vt in te quottidie firmiùs & ſtabiliùs credam, & ſecundùm quod ipſa præſcribit, viuam. Cupio ſpem certam, & alacrem, vt efficaciùs meum finem, cuius gratia conditus ſum, ſperem, & propter hoc ſummum bonum vniuerſa bona caduca deſpiciam. Cupio charitatem fidelem, & ardentem, vt te ex toto corde, & ex tota anima diligam, & diligenter tua mandata cuſtodiam. Cupio prudentiam, vt in omnibus meliora & vtiliora ad tuam gloriam eligam: iuſtitiam vt omnibus tum maioribus tum æqualibus, tum minoribus, quod ſuum eſt, tribuam, fortitudinem vt vitiis & peccatis reſiſtam, temperantiam vt in his, quæ ad corpus pertinent, modum teneam. Imple quæſo hæc deſideria mea, & has virtutes, ac earum partes mihi concede, & illis tamquam veſtimeno nuptiali me contege, ne à tuorum ſeruorum conſortio repellar. Hæc ſunt gratia fructus, operum bonorum exordia, Chriſtianitatis inſignia. Horum aſſidua exercitatio teſtimonium præbeat quòd non ore tantùm, ſed opere ſeruus fidelis eſſe cupiam.

2. Virtutes ſeptem.

Aſcendiſti ô Domine in altum, captiuam & vinctam amore tuo duxiſti captiuitatem, dediſti dona hominibus, & adhuc donas, & in larga bonorum effuſione perſeueras. O ſi dares mihi ſeptem dona Spiritus ſancti tui, quæ virtutes perficerent, & me tibi plenè ſubiectum redderent. Deſidero impensè hæc dona tua, non tam quia ſunt bona mea, & perfectiones meæ, quàm quia voluntas tua eſt, vt illa poſſideam. Da igitur mihi, obſecro, donum ſapientiæ, vt diuina certiùs, clariùs, efficaciùs, & ſuauiùs cognoſcam, & cognoſcendo præguſtem. Donum intellectus, vt ad interiora myſteriorum penetrem, & ea quietiùs contempler, & omnem diſtractionem abiiciam: donum conſilij, vt perfectiſſima media ad perfectionem obtinendam eligam, & à te in omnibus agar, mouear, & dirigar. Donum ſcientiæ vt ſectanda & fugienda cognoſcam. Donum fortitudinis, vt pro te magna & multa faciam, & patiar. Donum pietatis, vt te reuerenter colam, & fratribus ſuauem me exhibeam. Donum tandem ſancti timoris tui, qui totum me repleat, qui humillimè apud te me deiiciat, & in conſideratione multiplicium miſeriarum mearum, & infirmitatis meæ, qua te ſummum bonum meum amittere poſſum, ſolicitum in virtutibus faciat. O vtinam his donis animam meam exornes, ſpiritum erigas, vitam inſtituas! O vtinam horum donorum actiones experiar, & me his moueri & duci ſentiam, & ad illum, quem tu Domine in me vis, gradum profectus adducar. His donis cumulatus, ô dulciſſime Pater, vim verborum tuorum intelligam, quibus me orare docuiſti, & ea, quæ poſtulo, optare & deſiderare, & ad ea conari, & pro ipſis laborare diſcam. O Pater amantiſſime, maximè cupio vt ſanctificetur nomen tuum. Hoc eſt deſiderium meum, hoc gaudium, & exultatio mea, vt gloria tua vbique manifeſtetur, & laus maieſtatis tuæ, & honor deitatis tuæ per totum terrarum orbem diffundatur. O Rex potentiſſime, hoc etiam vehementer opto, vt adueniat regnum tuum, vt ſcilicet in me, & in omnibus hominibus expulſis vitiorum hoſtibus per virtutum fragrantiam regnes, & poſt hanc mortalitatem in nobis per tuæ gloriæ communicationem domineris. O ſponſe ſuauiſſime, id quoque deſidero, vt fiat voluntas tua ſicut in cœlo, & in terra; vt nimirum quemadmodum æquiſſima voluntas tua ab Angelis impletur in cœlis, ita & in terris per exactiſſimam tuæ legis cuſtodiam à me & ab omnibus hominibis impleatur. O Domine prouidentiſſime, id etiam mihi in votis eſt, vt panem noſtrum quottidianum des nobis hodie: vt ſcilicet illa omnia quæ opus ſunt ad ſalutem, nobis tribuas, & cibum corporis, & multo magis cibum animæ, lucem, & amorem, & ſacramentum corporis & ſanguinis tui nobis quottidie ſumendum concedas. O iudex benigniſſime, id etiam expeto, vt dimittas nobis debita noſtra. Iam legi & conditioni à te poſitæ ſtamus, & inimicis noſtris ex corde dimittimus, & has & illas iniurias nobis illatas condonamus, quid reſtat niſi vt tu verbum tuum impleas, & nobis peccata dimittas. O liberator fideliſſime, hac deinde cupiditate flagro, vt ſi volueris nos ad animæ vtilitatem tentari, ne permittas nos tentatione vinci, & in aliquod peccatum decidere. Non bellum fugimus, ſed caſum & miſeriam peccatorum formidamus. O cuſtos fortiſſime, id tandem cupio vt liberes nos à malo, vt diabolum compeſcas (hic enim eſt malus) vt eius conatus eludas, & vt me à malis pœnæ, quæ ſaluti ſpirituali non proderunt, clementer eripias. Tu vis vt hæc deſideremus, hæc petamus: hæc eadem deſidero, eadem poſtulo, & per miſericordiam tuam me aſſequuturum fore confido. Sum, ô amabiliſſime Chriſte Ieſu, pauperrimus (tu ſcis) & per tuam miſericordiam bonorum tuorum auidiſſimus, & ideo necdum mihi ſatisfeci, ſed adhuc plura à te obtinere percupio. Ne indigneris mihi, ſi adhuc loquar, & clamem, quia ſum puluis, & cinis, & in amaritudine cordis poſitus ſum, quoties meam nuditatem intueor. Maximè cupio Domine, illa ampliſſima dona tua octonario numero comprehenſa, quæ à te beatitudines vocata ſunt, quoniam nos in hac vita poſſeſſione ſua beatos faciunt, hoc eſt, perfectos, & ſanctos, & ad illam beatitudinem perfectam in cœlis obtinendam perducunt. O Magiſter bone, qui intellectum doces, & poteſtatem ad agendum tribuis, ſede in corde meo, & doce me hanc doctrinam è cœlis allatam, & è ſinu Patris ad nos miſſam, ſimúlque elargire, qua hæc quæ mente concipio, actione perficiam. O dies in miſericordia, da mihi pauperiatem ſpiritus, qua omnia temporalia affectu & effectu deſeram, omnem elationem & vanitatem abiiciam, proprium iudicium & voluntatem deponam, & affectum ad quaſcumque res creatas, & multiplicitatem ſuperfluarum cogitationũ ac meipſum, vt merum nihilum omnino relinquam. O locuples in manſuetudine, da mihi mititatem, qua iniurias ſereno vultu & corde quieto ſuſtineam, inimicis ignoſcam, illis malum inferentibus non reſiſtam, immo in vna maxilla percuſſus, aliam offeram, & pro his qui me lædunt, & vexant, preces fundam. O gaudium vniuerſæ terræ, da mihi ſpiritum luctus, vt ludos & intermiſſiones carnis non quæram, vt mea peccata, quia tibi diſplicent, lugeam, vt hominum peccata, quia tuæ ſunt iniuriæ defleam: & vt ex deſiderio perfectionis, & patriæ cœleſtis, & te videndi fletum aſſumam. O ſatietas animarum noſtrarum, da mihi famem, & ſitim iuſtitiæ, qua perfectè opera vocationis meæ implere geſtiam, virtutum augmentum vehementer cupiam, tibi per veram charitatem vniri,

3. Septem dona Spiritus ſancti.

4. Septem petitiones orationis Dominicæ.

5. Octo beatitudines.

& per ſumtionem corporis tui copulari cupiam, & appetam, & vt in mundo ab omnibus adoreris, & cognoſcaris, ſitiam. O Pater miſericordiarum, & Deus totius conſolationis, da mihi affectum miſericordiæ, qua vniuerſa huius virtutis opera cum omnibus hominibus, quamcumque miſeriam patientibus implere enitar, & eis verè & ex corde compatiar. O ſpeculum ſine macula, ſplendor gloriæ, & candor bonitatis illius, da mihi munditiam cordis, qua cor meum ab omni peccato etiam leui, quantum potero, emundem, conſcientiam meam ſanctis cogitationibus & affectibus, & bonis operibus purificem, & in ſimplicitate cordis coram te & hominibus abſque vlla hyprocriſi & ſimulatione procedam. O Deus pacis, & amator charitatis, da mihi ſpiritum pacis, vt perfectam habeam cum tua voluntate concordiam, vtque inter proximos meos exorta diſſidia tollam, diſcordiam pellam, & eos tum verbis tum exemplis ad vnionem & pacem, ac mutuam charitatẽ, componam. O tandem gubernator æquiſſime, da mihi, vt perſecutiones & moleſtias patiar æquanimiter, nõ propter delicta propria, ſed pro fide, pro religione, pro iuſtitia, & pro fuga, ac increpatione vitiorum, & adeptione & doctrina virtutum. Hæc cupio, ô Deus meus, non tam propter præmium regni cœlorum, quod ſingulis hiſce heroicis operibus, ſub diuerſis nominibus promiſſum eſt, quàm propter amorem tuum, & quia tu vis vt hæc poſtulem, atque deſiderem. Denique cupio, ô Redemtor amantiſſimæ, auxiliis abundantiſſimis à te adiuuari, & efficaciſſima gratia fulciri, vt omnia peccata veriſſimè deteſter, vt affectus meos, & ſenſus cohibeam, vt vniuerſas virtutes aſſequar, vt ad intimam tui familiaritatem aſſurgam, & vnionem ardentiſſimæ charitatis experiar. Non habeo hominem præter te à quo erigar, à quo ſaner, à quo ad perfectionem inſtimuler. Eia igitur illumina cor meum, accende affectum meum, robora manus meas, vt eum gradum virtutis, ad quem deſtinatus ſum, & qui non in compoſitis verbis, ſed in operibus conſtitutus eſt, per tuam miſericordiam adipiſcar.

6. Gratia & auxilia.

A brum capiti vniri, eius gratia viuere, & ius ad hæreditatem filiorum habere? Sed hoc non aſſequeris niſi eius incorruptos mores ſequaris. Hæc ergo cauſſa aduentus eius, hic fructus præcipuus diſpenſationis eius; quare ea nobis oſtendit, & oculis videnda propoſuit, quæ in omni virtutis genere nobis eſſent imitanda, & ea reiecit, quæ nobis eſſent omnimodis fugienda. De quo Auguſtinus pulchrè ait: Satellites voluptatum diuitias perniciosè populi appetebant, pauper eſſe voluit. Honoribus & imperiis inhiabant, rex eſſe noluit. Carnales filios magnum bonum putabant; tale coniugium, prolémque contemſit. Contumelias ſuperbiſſimè horrebant: omne genus contumeliarum ſuſtinuit. Iniurias intolerabiles eſſe arbitrabantur: quæ maior iniuria, quàm iuſtum innocentémque damnari? Dolores corporis execrabantur: flagellatus atque cruciatus eſt. Mori metuebant, morte mulctatus eſt. Ignominioſiſſimum mortis genus crucem putabant: crucifixus eſt. Omnia quæ habere cupientes non rectè viuebamus, carendo vilia fecit. Omnia quæ vitare cupientes à ſtudio deuiabamus veritatis, perpetiendo deiecit. Non enim vllum peccatum committi poteſt, niſi dum appetuntur ea, quæ ille contemſit, aut fugiuntur, quæ ille ſuſtinuit. Tota itaque vita eius in terris per hominem, quem ſuſcipere dignatus eſt, diſciplina morum fuit. Hæc ille non minus ſapienter, quàm piè, & deuotè. Iſte igitur ſit fructus meditationis tuæ, Chriſtum imitari, Chriſtum induere. Ne ſis ſicut qui pulchram imaginem laudat, & numquam ſe ornat. Ne ſicut ille, qui pugiles in theatro aſpicit, & deſes atque otioſus ſedet. Inſpice Dominum tuum, vt ſimilia facias. Lauda illum in corde tuo, vt virtutibus eius te ornes. Hunc autem affectum imitationis primò quidem in generali, deinde verò ſigillatim ad particularia deſcendendo elicies. Ad affectum imitationis Chriſti in generali eliciendum ita procedes. 1. Conſiderabis Dominum tuum, vt exemplar omnium virtutum. 2. Aſpicies te vt cumulum omnium vitiorum & peccatorum. 3. Hæc multiplicia vitia tua odio habebis. 4. Virtutes Domini deſiderabis. 5. Illum ſequi, & ad eius imaginem vitam tuam efformare propones. 6. Media, quæ in praxi exponemus, exequi ſtatues. 7. Hanc imitationem tibi concedi enixè poſtulabis.

Per eum vnimur Chriſto.

Auguſt. lib. de vera relig. c. 16. tom. 1.

Imitationis fructus meditationis.

Summæ affectus.

Qualiter affectum imitationis Chriſti virtutum aſſumes.

EXERCITIVM X.

IRTVTVM deſideriis conceptis, & poſtulationibus in hunc modum fuſis, ad imitationẽ illarum, prout in Chriſto emicuerunt, procedendum eſt, quia virtus non in deſiderio, ſed in actione conſiſtit. Hic affectus imitationis eſt omnium affectuum huius viæ proficientium præcipuus, in quo debes, ô frater, per multum tempus immorari, & eum ſtudio meditationis exquirere, donec Chriſti ſaluatoris tui virtutibus imbuaris. Ille quidem venit in mundum non tantùm vt nos redimeret, ſed vt iuſtitiæ & ſanctitatis exempla præberet. Exemplum, inquit, dedi vobis, vt quemadmodum ego feci vobis, ita & vos faciatis.] & nihil nobis proderit redemtio, niſi ſequatur ſanctiſſimæ conuerſationis eius imitatio. Vnde Ioannes Apoſtolus ait: Qui dicit ſe in ipſo manere, debet, ſicut ille ambulauit, & ipſe ambulare.] Quídnam eſt manere in Chriſto? Nónne ei tamquam palmes viti, & tamquam mem-

Imitationis affectus præcipuus.

Ioan. 13. 15.

1. Ioan. 2. 6.

PRAXIS.

O Chriſte Ieſu, ô fili Dei dilecte, in quo ipſe Pater ſibi complacuit. O Magiſter veritatis, & bonitatis, quem propoſuit nobis, vt ſequeremur, dicens: Ipſum audite. Te audire geſtio, & aures cordis mei libentiſſimè tibi præbeo, & doctrinam cœleſtem, quam è ſinu Patris attuliſti, non tantùm audire, ſed & in mores meos transfundere concupiſco. Interim autem dum loqueris, dum aliquid faciendum iubes, te ſpecioſum forma præ filiis hominum, non ſolùm corpore, verùm multo magis mente, oculis cordis aſpicio. Tu es ager ille plenus & vberrimus, in quo abſconditi ſunt omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ Dei. Tu repoſitorium omnium virtutum. Tu theca omnium donorum. Tu exemplar omnis puritatis, & ſanctitatis. Ecce tu pulcher es, Domine dilecte mi, & decorus. Pulcher quidem ſecundùm diuinitatem tuam, ſed & decorus, & venuſtus, atque concinnus ſecundùm

1. Aſpicis Dominũ vt exemplar virtutum.

Cant. 1. 15.

humanitatem tuam, quia siue in anima siue in corpore videaris, sine vlla macula reprehensionis aspiceris. Memoria tua sanctarum cogitationum plena. Intellectus tuus splendidissima sapientiæ luce refectus, voluntas tua ardentissima & perfectissima charitate formata. Nihil erat in sensibus tuis siue internis, siue externis quod vel minimam imperfectionem oleret, nihil in affectibus tuis, quod vel tantillam maculæ vmbram admitteret, nihil in gestibus, in motibus, in sermonibus, & in actibus tuis, quod non summam sanctitatem haberet, & ad virtutem incitaret. Cogitationes tuæ sanctæ, verba tua pura, fortia ad sanitatem gentium, opera tua perfectissima, fructus suauissimi, quibus recreamur, & pascimur. Denique nihil vmquam fuit in te, quod non sit exemplar probitatis, forma bonitatis, doctrina virtutis. Si verò oculos ad me conuerto, ô quàm tibi dissimilem, quàm ex diametro oppositum meipsum inuenio. Sum etenim instar montium Gelboe, quia nec ros, nec pluuia cœlestium illustrationum, & consolationum veniunt super me, nec sum ager primitiarum, cùm fructus virtutum, ex quibus primitiæ offeruntur, non feram. Quid sum? Nónne aceruus omnium peccatorum, saccus cunctorum vitiorum, arca miseriarum, & iniquitatum. Quid sum? Nónne deformis & fœdus? Deformis animo, quem vitia spiritualia turpant, fœdus carne, quam vitia carnalia commaculant? Quid sum? An non ex omni parte peccator miserrimus? in peccatis conceptus, in peccatis enutritus, peccatis assuetus, & in peccatis & imperfectionibus perseuerans, ac si essem ad peccandum natus, vires meæ vitiis maculatæ, membra mea peccatis infecta sunt. Et nihil est in me quod non peccatum, aut imperfectionem oleat, & me tibi dissimilem, & à te alienum ostendat. Quæ ergo participatio iustitiæ cum iniquitate, ô Domine Deus meus, aut quæ societas lucis ad tenebras? Certè nulla. Et quæ magis luctuosa miseria mihi accidere potuit quàm quòd à te, qui iustitia & lux es, tamquam iniustus & tenebrosus dissitus sim, & à tuæ puritatis imitatione distractus. Odio habeo iniquitates meas, detestor & execror vitia mea, abominor & abiicio sordes impuritatis meæ, quibus à te separor, tua similitudine careo, & à tua sanctitate diuellor. Patres similes habent filios, immo & domini seruos quærunt, qui sibi morum aliqua identitate consentiant. O Pater, qui verè mihi Pater benignissimus es, quem quotidie Patrem voco, quàm dissimilis tibi sum. O Domine, cuius seruum me profiteor, cuius insignia porto, quàm moribus & actibus à tuarum virtutum participatione dissentio. Alij, ô dulcis Iesu, in quibus rebus voluerint, sua desideria collocent, opes, aut honores, aut voluptates desiderent, vanis spebus seipsos oblectent. Ego verò hac spe mœrorem cordis mei lenio, quòd aliquando tandem aliqua me tui similitudine indues, & imitatione perficies. O speculum sanctitatis, si in te oculos mentis intenderem! O imago bonitatis, vel potiùs ipsa infinita bonitas, & sanctitas, si iam tibi in aliquo similis essem! O Magister bone, si virtutem, quam verbo & exemplo docuisti, non ad loquendum, sed ad sanctè viuendum, & bene operandum ediscerem. Hæ sunt opes meæ, quas cupio, te conuersatione sequi, hæc gloriatio mea, tuis vestigiis inhærere, hæc summa delectatio mea, tuæ purissimæ vitæ imitatione formari. Desideria pauperum exaudis Domine; quis me pauperior? quis indigentior? sonet ergo hæc vox desiderij mei in auribus tuis, & secundùm quod desidero fiat mihi, & saner ab infirmitatibus vitiorum meorum, & sanitatem salutémque virtutum consequar in hac hora. Hactenus ô Domine Deus meus vitam quasi in otiositate transegi, ab hoc die opifex esse volo, & artem ex qua victum animæ meæ parem, & officium addiscere. Officium autem est officium pictoris, quo te summam pulchritudinem in memetipso delineem. Inspiciam te, vt in tabula cordis mei te exemplar virtutis exprimam. Virtutes tuas quasi partes sanctitatis tuæ dimetiar, vel potiùs, quia absque vlla mensura perfectionis sunt, earum conceptum, quà mihi datum fuerit, perfectissimum faciam, & ad ipsarum similitudinem meipsum effingam. In hoc oleum & operam collocabo, vt veterem hominem exuam, & te nouum ac cœlestem hominem induam. Huic scientiæ deinceps studebo, scientiæ scientiarum, ac veræ sapientiæ, vt vitia deponam, & sanctam conuersationem tuam æmulari contendam. Sed doce me, ô Magister bone, quibus mediis ac instrumentis hanc artem possim addiscere, quid facturus sum vt tui non segnis imitator euadam? Profectò Domine, hæc erit mihi cura in omnibus verbis & operibus meis, te præsentem habere, & ad hoc conari, vt qualiter te loqui cogito ita loquar, & quomodo te operari considero, ita in actiones bonas incumbam. Nec solùm externam in te speciem intuear, sed multo magis sanctissimæ animæ tuæ affectus & motus considerabo, vt internam tuam puritatem æmuler, & similes affectus amoris & reuerentiæ, & vniuersarum virtutum elicere possim. O igitur animarum amator ardentissime, qui animæ meæ desideria tuæ imitationis instillas, & eo ipso, quòd ego te imiter, te velle demonstras, fiat obsecro hæc tua voluntas in me. Da mihi abundantissimam gratiam, vt in omnibus, quæ interiùs & exteriùs egero, te vt magistrum virtutis aspiciam, & bene ac sanctè operandi modum & rationem hauriam. Sim ego imago quædam tua, in qua virtutum tuarum similitudo expressa videatur. Apostolus tuus dixit: Imitatores mei estote, sicut & ego Christi:] ostendens non esse impossibile quod purus homo te Deum hominem imitetur. Hoc quod possibile est, & tibi placitum peto: hoc quod in me vis, & sicut vis, à te postulo, hoc humiliter efflagito, vt ad gloriam tuam dicat fratribus vita mea: Imitatores mei estote, sicut & ego Christi. Et si qui ex minimis me iam ad senectam properantem imitari voluerint, inueniant aliquid in quo te Sanctum Sanctorum imitentur. Amen.

2. Te vt cumuliũ vitiorũ. 2. Reg. 1. 21.

3. Tua vitia odio habes.

4. Christi virtutes desideras.

5. Imitari proponis.

6. Ad hoc media eligis.

7. Hac petis.

1. Cor. 11. 1.

De imitatione humilitatis Christi.

EXERCITIVM XI.

Imitatio ad particularia descendat.

EX hoc affectu imitationis Christi generali ad affectum imitationis virtutum eius in speciali progredi oportet; qui maiorem vim habet ad animas nostras emundandas. Nam in his quæ ad vitæ reformationem spectant, eo vtiliùs procedimus, quo ad magis particularia descendimus; virtutes ergo Christi Iesu nobis sunt sigillatim imitandæ, & id ex meditatione vitæ & passionis eius hauriendum

est,

Ad quinque Christi virtutes.

est, vt ordinatè virtutum eius non tantùm cognitores, sed multo magis factores efficiamur. Esset autem nimis prolixum omnes hoc loco virtutum affectus inserere: quare quinque præcipuarum virtutum affectus exponemus, & quomodo ex meditatione eliciendi sunt, breuiter enodabimus. Ex quibus (adiunctis his, quæ alio loco de actibus virtutum diximus) facilè erit cuique aliarum in se virtutum affectus excitare. Sed licèt hæ virtutes ex quolibet mysterio vitæ & passionis Christi disci possunt, nos tamen eas ex ipsius Domini cruce discamus, & eam tantùm in exemplum afferamus, quæ est cathedra, ex qua magister cœlestis omnes nos virtutes edocuit. Primò ergo imitemur humilitatem Christi Iesu, cuius se præbuit Doctorem præcipuum, cùm dixit: Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde.] Hanc sanè virtutem docuit in cruce. Vnde Ecclesia Patrem alloquens ita precatur: Omnipotens sempiterne Deus, qui humano generi ad imitãdum humilitatis exemplum, Saluatorem nostrum carnem sumere, & crucem subire fecisti, &c. Ibi sedens in cathedra fuit quasi tenerrimus ligni vermiculus. Ibi pronuncians Psalmum vigesimumprimum, se vermem, opprobrium hominum, & abiectionem plebis nuncupauit. Ibi primas cathedras, & mundi dignitates & honores irrisit. Sic ergo affectũ humilitatis elicies. 1. Christi humilitatem in cruce pendentis considerabis. 2. Quàm longè tu sis ab imitatione huius humilitatis expendes. 3. Tuam superbiam odio habebis. 4. Christi humilitatem desiderabis. 5. Eius actus interiùs exercebis. 6. Media ad humilitatem obtinendam ponere statues. 7. Tandem eam petes.

Lib. 3. de exterminatione mali p. 2. tota. Discẽda sunt ex cruce Christi.

Matth. 11. 29. Christus doctor humilitatis in cruce.

Summa affectus.

PRAXIS.

O Humillimè Domine Iesu Christe, qui in omnibus actionibus & passionibus tuis, sed præcipuè in ara crucis factus es nobis humilitatis exemplar, laudo, & glorifico te propter perfectissimam humilitatem tuam, ad quam seruos tuos in gloria Patris tui tecum exaltandos inuitas. Tu Domine è cruce pendens abscondisti gloriam & maiestatem tuam, infirmitatem verò, & paruitatem naturæ pro nobis assumtæ manifestasti: quod opus est summæ humilitatis. Verè cornua, id est, latera crucis in manibus tuis, & ibi abscondita est fortitudo tua. Despexisti teipsum, adeò vt cum iniquis & latronibus deputari non horrueris, & in medio talium nebulonum mori non erubueris. Voluisti ab hominibus despici, contemni, conculcari, subsannari, & illudi, ac si esses homo vilissimus nudari, & huc illúcque trahi, & in cruce suspendi. Elegisti infimum mundi locum: quid enim vilius monte, in quo malefactores puniebantur? Quid vilius patibulo? O colendissime Domine Deus, quàm dissimilis hactenus fuit vitæ tuæ conuersatio mea, quàm pessima superbia mea. Ego enim meam extremam vilitatem abscondi, & ab oculis hominum subtraxi, & virtutem aut donorum claritatem, quam nõ habui, ad iactantiam & mei laudem manifestare volui. Meipsum magni reputaui, & ex elatione humilium consortia declinaui, & inter magnos & honoratos huius sæculi sedere præsumsi. Contemtum ac humiliationem timui, & ab omnibus honorari, laudari, & in magno pretio haberi concupiui. Locum non iam infimum (quod fortè tolerabile esset) sed medium erubui, & vt alter Lucifer primum & supremum locum appetiui. Amaui primas cathedras in cœnis, & primos accubitus in Synagogis, & salutationes honoratiores in foro, & vocari ab hominibus Rabbi. Confiteor tibi cum lacrymis saltem cordis hos tetros odores superbiæ meæ, quibus meipsum læsi, te amatorem humilium offendi, & proximos ad indignationem, & ad detractiones prouocaui, & hanc elationem meam abominor, atque detestor. Pœnitet me fuisse superbum, & non te datum mihi in magistrum salutis, sed diabolum infestissimum hostem fuisse imitatum, & ei nũc per superbiam esse subiectum. Doleo de his elationis tumoribꝰ, quos sanies meæ cæcitatis impleuit, & quia per hypocrisim obdurauerunt, me quiescere, & lætum esse non sinunt. O Domine si post te currerem! O si disciplinæ, quam me in cruce doces, susceptorem me præberem! O si veram humilitatem assequerer! O gemma pretiosa, humilitas, quando te possidebo, quando animam meam tuo splendore & pulchritudine ornabo, quando tranquillitatem animarum tibi obsequentium habebo. O Christe Iesu, hoc ex corde cupio, hoc eligo, abiectus esse & pusillus in domo tua, magis quàm habitare in tabernaculis peccatorum superborum. Desidero iugum superbiæ ab Adam terreno excutere, & iugo humilitatis, quod tu dilectis tuis imponis, collum submittere. Ab hoc die actibus humilitatis exercendis insistam. Conabor, ô amantissime animarum sanctarũ sponse, meam vilitatem & nihileitatem agnoscere, ne à te repellar, & audiam: Egredere, & abi. Si enim hæc sponsæ dicuntur nolenti se cognoscere, seruo vilissimo non se cognoscenti quid dicetur? Quanto æquius à tuo consortio repelletur? Meipsum coram te despicio, & vilissimum & abiectissimum reputo. Inidoneum ad quæque bona tum magna, tum etiam minima meipsum reputo, ac proinde mihiipsi diffido, & in te mea fortitudine meam fiduciam colloco. Prorsus indignus sum donis tuis, quæ hucusque recepi, ex quorum malo vsu me pœnam subiturum esse formido, & me ineptum atque indispositum ad alia recipienda nunc esse confiteor. Reuera vilissimus sum omnium hominum, nemo me tepidior, nemo me negligentior, nemo nequior. Ab his qui hodie inceperunt rectè conuersari, virtute & fidelitate superor. Immo & magnis peccatoribus sum inferior, quia si illi gratiam & dona, quæ ego à te accepi, recepissent, meliores & feruentiores fuissent. Nolo vt me homines laudent, & honore prosequantur: quia honore & laude indignissimus sum. Immo volo ad gloriam tuam, & ad peccatorum meorum nonnullam satisfactionem despici, conculcari, irrideri, & vilis haberi. Fortè cùm me irrisum, despectum, & vilem reputatum videris, me benignè suscipies, & misereberis mei. Si quis me laudauerit, si quis honorauerit, conabor erubescere, & cõtristari, ex eo quòd video laudem, & honorem inhonorata, & indigno tributa. Peccata mea accusabo, & defectus meos naturales libenter reuelabo, vt propter illos contemnar. Me tibi dominorum Domino in omnibus subdar, immo & propter te, & quia vilitas mea ita exigit, omnibus hominibus, minimis quoque subiiciar. Non primas sedes, nec dignitates ambiã, sed quoad potero sine inani affectatione in infimo loco me collocabo, & abiectiora ministeria complectar. Tandem coram te & hominibus non aliter quàm canem mortuum, & pulicem vnum aspiciam. Hæc, ô Domine Iesu, facilius statuuntur, quàm fiunt, at non despero, sed in tua pietate confido, quia sum aliquando humilitatem adepturus, & superbiam euersurus. Ad id autem ex te obti-

1. Christi humilitas.

Habac. 3. 4.

2. Hominis superbia.

3. Detestatio.

4. Desiderium.

5. Propositum.

6. Mediorum assumtio.

nendum, itinera, quibus ad humilitatem perueni-
tur, ingrediar, & media assequendæ huius virtutis
assumam. An hæc non sunt vt curem meipsum
agnoscere, desideria humilitatis prouehere, actus
interiores huius virtutis frequenter iterare, exte-
riorem apparatum & ostentationem fugere, & mei
humiliationem & deiectionem in omnibus quæ-
rere? Sed his tuo auxilio fretus intendam, in hæc
toto conatu mentis incumbam, & in hac & illa
occasione, quam subinde experior, meipsum vin-
cam, vt tandem ad hãc pretiosam gemmam è ster-
7. Postu- latio. core meæ vilitatis eruendam perueniam. Offero ti-
bi, ô Pater dulcissime Christe Iesu, humilitatem
tuam, offero tibi iniurias, contumelias, irrisiones,
& vno nomine humiliationes tuas, & in vnione
illarum me totum tibi trado, & si quid huius ge-
neris humiliter passus sum, de hoc gaudeo, & in
abyssum amoris tui omnem meam superbiam cõ-
sumendam proiicio. Oróque te per sanctam humi-
litatem tuam, vt me humilem facias, vt quod apud
te statuo, opere me præstare tribuas, & humiliatio-
nis itinera me non segniter intrare concedas. Oro
etiam te vt vniuersos fideles secundùm exigẽtiam
statuum ipsorum humilitate perficias, sed præci-
puè spirituales viros, & specialiter huius tuæ fa-
miliæ alumnos humilitatem doceas, vt omnes te
imitemur, & per humiliationem voluntariè assum-
tam ad exaltationem perueniamus. Amen.

De imitatione paupertatis Christi.

EXERCITIVM XII.

SECVNDÒ discès ex Domino Deo tuo virtutem paupertatis, qua desiderio re-
rum terrenarum te nudes, & opere su-
perfluis spolies. Hanc virtutem ipse etiã
Christus paupertatem docuit in cruce. docuit in cruce, in qua nudus, & omnibus necessa-
riis orbatus apparuit. Vnde Laurentius Iustinianus
Iust. lib. de humilit. c. 21. ait: In ipso fulget paupertatis virtus, quam adeò
constanter in exemplum fidelibus præbuit, vt non
agros, nec domum neque pecunias possideret, quin
potiùs tamquam peregrinus in sæculo, & nudus
viator nasci voluit sub tugurio alieno, in præsepio
reclinari, ac vilibus vagiendo inuolui panniculis.
Mori insuper voluit non in domo propria, non in
molli stratu inter manus discipulorum, sed in cru-
cis asperrimo stipite, in medio duorum latronum,
atque eo defuncto corpus in sindone aliena oper-
tum, etiam in monumentum non suum delatum
Summa affectus. est.] Vt ergo ad paupertatem te per imitationem
afficias. 1. Quam extremam ipse paupertatem ele-
gerit in cruce, commemorabis. 2. Quàm longè tu
sis ab eius nuditate & amore paupertatis aspicies.
3. Omnem superfluitatem in possessione rerum
huius mundi detestaberis. 4. Paupertatis deside-
ria succendes. 5. Eius actus interiùs exercebis. 6.
Media ad paupertatem te amplexurum statues. 7.
Affectum postulatione complebis.

PRAXIS.

OPotentissime Domine Iesu, in cuius ditione
cuncta sunt posita, cuius sunt omnia creata,
& in cuius dextera longiturnitas vitæ, & in sinistra
diuitiæ, & gloria: laudo millies, & benedico te, quia
cùm esses diues, pro nobis egenus factus es, vt in-
1. Inspicis Christi paupertatem. opia tua nos diuites essemus. Paupertas sponsa tua
fuit, quam in hoc mundo nec ad momentum à tuo
A latere diuelli passus es. Non diues huius sæculi,
sed pauper esse voluisti, non curam rerum tempo-
ralium, sed nihil possidere elegisti, & pauperes ad
tuum consortium vocasti, quibus à te hæc cogi-
tatio salutaris iniecta est, vt pauca quæ habebant,
relinquerent, & nihil penitus possiderent. At in
cruce maximè hic tuus amor paupertatis illuxit.
Ibi Domine nec palmum terræ, vbi pedes figeres,
habuisti, nec lapidem quem capiti supponeres, pos-
sedisti, saccus vilis tibi defuit, quo saltem sanctissi-
mum corpus operires, & in media frequentia po-
puli haustus aquę, qua sitim extingueres. Post mor-
tem sindon in eleemosynam ad inuoluendum cor-
pus data est tibi, & sepulchrum alienum, in quo
sepelireris, commodatum. O Magister bone, quàm
B 2. Tuam cupiditatem. dissitus sum à te? Quàm mihi obscura est, & inco-
gnita lectio hæc paupertatis. Nomen pauperis
mihi arrisit, quod in Ecclesia tua, cùm omnia spon-
te relinquuntur, honorificum est, rem autem &
experimentum paupertatis odio habui. Terrena
concupiui, pro minimis adquirendis aut conser-
uandis, aut tuendis quietem animi perdidi, & ser-
uos tuos consimile votum paupertatis habẽtes ad
laxitatem, & ad superflua quærenda meo exemplo
prouocaui. Non deest mihi terra vbi pedes figam
(nec mirum, quia totus terrenus sum) immo sup-
petit mihi ampla & bene instructa cella, in qua si-
ne angustiis viuam. Non deest haustus aquæ, vt
refrigerer, sed redundant vina, quibus si velim,
C inebrier. Vestem necdum laceram pro meliori &
recenti statim commuto, neque in cibo, neque in
aliis aliquam indigentiam sustinere volo, si in ali-
quo quantumuis minimo administrando mei obli-
uiscantur prælati, vel obmurmuro, vel contristor,
3. Odiũ. & ideo falsò nomen pauperis præfero. O me mi-
serum, Domine Iesu, qui dum terrena appeto, à
consolationibus cœlestibus exulo, & dum abun-
dare in sæculo volo, extremam penuriam virtutum
experior. Pœnitet me, quia perfectè promissa non
reddidi, quia paupertatem vt debueram non custo-
diui, quia à tua imitatione discessi, quia cùm pau-
per essem nomine, & professione, nihil minus
quàm paupertatem amaui. Doleo de hac stultitia
D mea, qua vt commoditatem haberem, incommodi-
tatem elegi. Quid enim homini magis incommo-
dum quàm se superfluis onerare, & mancipium re-
rum vilissimarum reddere, & confidentiam, quam
in te vnico præsidio tuorum habere debet, amit-
tere? Nam verè confidentiam deponit, qui sciens
quòd reficis volatilia cœli, & induis decore lilia
agri, hæc abiecta cum nimia solicitudine quærit.
4. Desi- derium. O Domine si iam saperem, si iam ab hac stultitia
me subtraherem! O si scirem paupertatis dulce-
dinem, vt eam in sociam, in sororem, & in sponsam
acciperem. Cupio propter te penuriam & indi-
gentiam amare, cupio nudus te nudum sequi, cu-
pio aliquam incommoditatem experiri. Certè Do-
mine, si possem, si meum statum deceret, si secun-
E dùm beneplacitum tuum esset, nudus & discalcia-
tus incederem, nec domum, nec librum, nec vten-
filia haberem, pane tantùm amaritudinis, & aqua
turbida me alerem, & nihil omnino huius mundi,
5. Propo- situm. neque ad simplicem vsum sumerem. Hæc, ô Deus
meus, opere præstare non possum, quia nec corpo-
ris mei imbecillitas sustineret, nec statui meo sine
singularitate cõuenirent. At faciam quod possum,
vt paupertatem exerceam, & imitatione tuæ nudi-
tatis imbuar. Iam pauca, quæ in mundo habebam,
pro amore tuo reliqui, de quo impensè gaudeo, &
pro gratia à te accepta ad hoc perficiendum gra-

tias ago. Pauca, inquam, & nullius ferè momenti reliqui, ſed verè Domine ſi magna habuiſſem, & regna mundi poſſediſſem, propter te vtique reliquiſſem. Sed hæc non ſufficiunt, vt perfectus pauper ſpiritu exiſtam. Quid ergo faciam? Certè libentiſſimè omnia ſuperflua perſonæ & ſtatui dimittam, & hoc, & illud, quod nunc mihi ſuperfluum occurrit, cum conſilio prælati, aut inſtructoris mei deſeram. Nihil penitus tamquam proprium poſſidebo, ſed dependēter à voluntate prælati vſurpabo. Neceſſariis tantùm ad vitam parcè vtar, his me indignum reputabo, & ſi defuerint, æquanimiter ſuſtinebo. Pro his nec ſanus, nec æger admodum ſolicitabor, ſed in te meam curam & cogitatum proiiciã. Superflua vltro mihi oblata, aut curioſa non accipiam, & indigentiam habere non erubeſcam. Iam, ô Chriſte Ieſu, refugium pauperum, & theſaurus incomparabilis mendicorum, ſtatuo me inſtrumenta aſſequendæ paupertatis actione complere. Si ad aliquam rem huius mundi me immoderatè affectum ſenſero, vt ad veſtem, ad librum, aut aliquid ſimile, eam, ſi fieri poſſit, omnino reiiciam, aut ſi fieri nō poſſit, affectum ſaltem ſuperare, & nimietatem illam relegare tentabo. In omnibus me vt pauper geram, comedam vt pauper cōmunes cibos, induar vt pauper communibus veſtimentis, vtar vt pauper vilibus, & nō multo pretio comparatis vtenſilibus, & abundare & diffluere in aliquo vehementer erubeſcam. Offero tibi, ô Redemtor colendiſſime, paupertatem tuam, famem, ſitim, algorem, calorem, laſſitudinem, & reliqua incommoda ad pauperes pertinentia, quæ pro me perpeſſus es. Rogóque te per hanc eamdem ſanctiſſimam nuditatem tuam, vt tribuas mihi ſpiritum paupertatis, quo viſibilibus renuntiem, terrena contemnam, & deſeram, & neceſſariis in te, & propter te ſine cordis adhæſione ad neceſſitatem vtar. Conſume igne amoris tui omnes cupiditates meas, & da vt regnet in me perfecta charitas, à qua eliminetur terrena cupiditas. Etiam oro vt omnes fideles ſpiritu pauperes efficias, ſed præcipuè eos, qui voto ſe ad paupertatem obſtrinxerunt, in perfecta eius obſeruatione, & in amore nuditatis corrobores. Amen.

6. Media.

7. Poſtulatio.

De imitatione puritatis Chriſti.

EXERCITIVM XIII.

Quomodo imitabimur Chriſti puritatem.

TERTIÒ conaberis, ô homo Dei, imitari Chriſti Domini tui puritatem, cui muneri vtcumque ſatisfacies, ſi caſtitatem ſectatus fueris, animi corporíſque munditia. Ipſe Dominus & creator tuus in aſſumta humanitate mundiſſimus fuit, & in ſuis ſociis omnem carnis immunditiam exhorruit. Ad hanc autem virtutem maximè in cruce nos prouocat: nam carnem puriſſimam ſuam crucifigi permiſit, vt qui eius ſunt, carnem ſuam crucifigant cum vitiis, & concupiſcentiis. Ac proinde Bernardus de eo ait: Vbi ille mulctatur morte, cruce turpatur, quis eorum delicias, ſeu gloriam ſuſtinere queat, nedum audeat quærere? Flagellatus Chriſtus, & ſputis illitus baiulat ſibi crucem, & ludibrio factus irriſoria veſte, arundine, ſceptro, corona ſpinea, foditur clauis, annumeratur ſceleratis, in ligno extenditur, & iam mortuus vulneratur, & hæc intuens qui dicitur Chriſtianus, propriis nihilominus voluptatibus indulgere, & florere velle in ſæculo nullatenus erubeſcit?] In cruce Domini præſentiſſimum remedium habemus ad carnis illecebras ſuperandas. Cùm enim quiſpiam (inquit Leo Papa) obſeruātiæ Chriſtianæ ſe limitem ſentit excedere, & in id cupiditates ſuas tendere, quod eum à recto itinere faciat declinare, recurrat ad crucem Domini, & ligno vitæ motus noxiæ voluntatis affigat, ac voce prophetica ad Dominū clamet: Confige clauis timoris tui carnes meas, à iudiciis enim tuis timui.] Primò ergo Chriſti carnem non deliciis, ſed tormentis cinctam aſpicies. 2. Quàm ſis ei diſſimilis commemorabis. 3. Corporis tui impuritatem deteſtaberis. 4. Perfectam caſtitatem deſiderabis. 5. Eam actibus interioribus exercebis. 6. Media ad caſtitatem amplecti propones. 7. Affectum poſtulatione concludes.

Leo ſerm. 10. de paſſione.

Summa affectus.

In cruce allicit ad eam. Galat. 5. 24. Bern. in declam. poſt med.

PRAXIS.

O Chriſte Ieſu, agne immaculate, qui animabus caſtis & puris hanc gratiam impertiris, vt te quocumque ieris, ſequantur. Glorifico & benedico te ob immaculatiſſimam munditiam animi & corporis tui, quòd tangentes & ſuſcipientes mundamur ab æſtu impuræ voluptatis, & in quadam tranquilla pace conſtituimur. Tu Domine, non ex alia muliere, quàm ex virgine naſci dignatus es, & virgo pulcherrimus virgines amas, & animas caſtas tibi ſemper aſſocias. Noluiſti nec mendaciter de aliqua tuæ ſanctiſſimæ carnis impuritate notari, eam ludibriis, verberibus, ſpinis, & clauis crucifigendam exponis, & à maleuola lingua de aliqua minori circumſpectione notari nequaquam permittis, vt oſtendas quàm indecens ſit Chriſtiano, ſi corpus ſuum, templum Spiritus ſancti tui nō ab huiuſmodi labe cuſtodiat. In cruce tamen factus es mundiſſimæ caſtitatis exemplar. Ibi contemplor cor tuum, non quidem aliqua leuitate, aut ſcurrilitate tactum, ſed mœrore & triſtitia afflictum, & ſeriis cogitationibus & deſideriis noſtræ liberationis affectum. Corpus tuum non deliciis diffluit, ſed ſummos dolores ſuſtinet. Non mollibus veſtimentis indueris, ſed vulneribus, & liuoribus, & plagis pro veſte circumdaris. Omnia membra tua dolore replentur, nullúſque eſt in te ſenſus, cui non proprius dolor tribuatur. Oculi non pulchritudines corporum, ſed truces vultus tortorum aſpiciunt. Aures non cantilenas, & ſymphoniam, & chorum, ſed ſannas & contumelias audiunt. Odoratus nō odoramenta ſuauia, ſed tetrum odorem corporum malefactorum in monte illo occiſorum percipit. Palatum non dulcedines ciborum, ſed fel & abſinthium ſentit. Tactus non veſtimenta mollia, ſed nuditatem, & frigus, & dolorem admittit. O ſpeculum omnis puritatis, quàm à te impuritate ſegregor, quàm à te animi & corporis mei qualitate diuellor. Mitto nunc delicta ea, quæ caſtitati aduerſantur, quæ iam aliquando defleui, & ea nunc non oportet nominare, nec ad memoriã reducere, ne luti fœculenti recordatione contaminer. Expoliaui me tunica mea, & verè mea, ex immunditia compacta, quam meis peccatis effeci; ne permittas, vt iterum per recordationem induar illa; laui pedes affectuum & cogitationum mearū, quomodo inquinabo illos? Tu noſti, quia caſtitatem amo: at quia nec animam nec corpus tibi ſimilia fero, fateor quia caſtus non ſum. Anima mea leuitate diſſoluitur, & non ſemel, velit, nolit, cogitationibus minus puris inficitur. Corpus meum molliter tracto, nec vt ſeruum rebellem ſeruituti

1. Chriſti puritatē inſpicis.

2. Tuam impuritatem.

subiicio. Sensibus suauia non nego,aut si aliquando nego, certissimum est, quia non vt possum, neque vt par esset,comprimo,& ideo cùm minus puto,me ad delicias inuitari persentio. Necdum ergo perfectam mentis & corporis castitatem habeo.

3. Dolor. Dolco, ô Deus meus, infœlicitatem meam, quia nec vitia carnalia, & quæ ab incipientibus proteruntur,superaui: nec virtutem pulchram sanè, sed non in editissimo ioco positam acquisiui. O quàm insipiens fui,qui hostem meum omnium infestissimum,carnem scilicet, roborare non destiti,& sensus meos, à quibus anima mea tanta vulnera accepit, nequaquam mortificatione cohibui. Contristor valde, aut saltem magna tristitia cor meũ impleri vellem, quia non tibi capiti meo imitatione consentio. Tu Agne innocentissime,flagellis fuisti laceratus, spinis punctus,clauis affixus. Ego verò membrum tuum,qui de hoc honore gaudeo, delicias amaui,& dolorem ad domãdam carnem mihi necessarium abieci. O Domine, si iam impensè

4. Desiderium. castitatem amarem! O si munditiam perfectam corporis & animi suspirarem! O si tibi similis in studio puritatis existerem! Virgo pulchra violentia hostis in lutum iniecta,nihil desiderabilius habet,quàm à contractis sordibus mũdari,& vestem mundam induere. O anima mea,quàm hic supremus Dominus vt Virginem diligit,& per exercitium ardentis amoris & vnionis intimæ in sponsam ducet (potens est enim de lapidibus suscitare filios Abrahæ) quod nunc bonum & æquum est vt desideres. Vi carnis impulsa in lutum cecidisti, necdum perfectè mundata es, adhuc tibi sordes deliciarũ & immortificationis sensuum adhærent. Desidera ergo à luto isto fœculento extrahi, &

5. Exercitatio. perfecta munditia vestiri. De cætero, ô amator ardentissime, castitatem perfectam habere curabo. Quid nunc statuam omne opus illicitum me vitaturum, qui ad hoc voto astrictus sum? Quid me numquam in prauum desiderium consensurũ, qui sum promissione ligatus? & ratione status tibi ex toto donatus? Certè Domine, his nunc omissis, tamquam à me alienissimis, desideria insurgentia carnalis voluptatis elidam. Cogitationes impuras non aliter quàm sulphureum ignem repellam. Turpes corporis motus,si cœperint,validè cõprimam, ipsúmque ne lasciuiat,debita castigatione puniam. Sensibus imperabo,ne in minus licita defluant: &

6. Mediorum assumtio. me ita sanctis cogitationibus occupabo, vt carnis vilia incitamenta me relinquant. Sed quid mihi faciendum est, ô Magister bone,vt perfectam castitatem possideam? Ad eam mihi opus est in cibo abstinentia,& in potu sobrietas. Has virtutes exercebo,& semper potius ad parcitatem,quàm ad nimietatem declinabo. Necessaria est sensuum motuúmque corporis mortificatio? Sensus, præcipuè visum, auditum, & tactum cohibebo, & incessum ac reliquos motus corporis mei modestiæ legibus temperabo. Conuenit vt carnem affligam, vt occasiones fugiam, & ab eorum consortio, qui mihi impedimento esse possunt,cautè secedam? Et carnem igitur meam castigabo, & vel minimis occasionibus valedicam, & ab hominibus in hac re

7. Postulatio. minus cautis me subtraham. Offero tibi, ô Domine, puritatem sanctissimæ animæ tuæ, & munditiam pulcherrimi corporis tui,& dolores omnium sensuum tuorum. Rogóque te per amabiles miserationes tuas, vt me perfectè castum efficias, & sensus, & cogitationes, & affectus meos ab omni impuritate & superfluitate amoueas, & ad cœlestia desideria erigas. Da mihi humilitatem, obedientiam, patientiam, & circumspectionem castitatis comites, & fac vt sciam hanc virtutem donum tuum esse, quam meis viribus obtinere non possum. Concede etiam omnibus fidelibus castitatem,vt quisque in gradu suo tantæ virtutis sit particeps, sed præcipuè religiosis ordinibus, vt qui voto puritatis obstringuntur, perfectissimam tum animæ,tum corporis munditiam consequantur.

De imitatione obedientiæ Christi.

EXERCITIVM XIV.

VARTÒ imitanda est tibi obedientia Saluatoris, cuius sequela,non tuam, sed Domini voluntatem sequaris. Parum enim erit illi per castitatem tuum corpus offerre,nisi etiam cures illud quod præcipuum est in te, nempe voluntas, per obedientiam consecrare. Obedientiam perfectissimè docuit Christus in cruce, qui factus est obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis. Quasi hoc fuerit præcipuum eius,& difficillimum obedientiæ opus, tam ignominiosam & acerbam mortem in cruce subire. Obediens factus est,inquit Anselmus, non solùm vsque ad conuitia, & opprobria, sed etiam vsque ad mortem,& non ad qualemcumque mortem, sed vsque ad mortem crucis, quæ contumeliosior & acerbior erat.] Debes ergo in hoc affectu obedientiæ diutiùs immorari,& in hac virtute præstantissima te Christi discipulum exhibere. Quam si ab eo acceperis,cæterarum virtutum particeps eris. Nam aliæ virtutes id in nobis efficiunt, vt Deo in his quæ præcepit, aut suadet, obtemperemus: vnde qui Deo & prælatis obedientiam in omnibus habet, quasi omnes virtutes compendio vnius virtutis adquirit. In hoc itaque affectu 1. expendes quanta fuerit obedientia Christi Iesu. 2. Quanta fuerit tua inobedientia. 3. Hanc detestaberis. 4. Illam desiderabis. 5. Obedientiam interiùs exercebis. 6. Media ad assequendam hanc virtutem te actione perfecturum statues. 7. Tandem postulabis.

Obedientiam docuit Christus in cruce. Philip. 2. 8.

Anselm. ibid.

Qui eam discit omnes virtutes discit.

Summa affectus.

PRAXIS.

OObedientissime Domine Iesu,qui ad hoc in mundum venisti, vt tua perfectissima obedientia nostras inobedientias elueres, & pro hominum transgressionibus Deo Patri satisfaceres: laudo & benedico te, & immensas gratias ago tibi pro omnibus obedientiæ operibus, quibus redemisti nos, & aperuisti viam, per quam in salutem tenderemus. Venisti ad nos, ô Redemtor sanctissime,non facere voluntatem tuam, sed eius qui misit te Patris. Tuus cibus, tuáque voluptas erat facere voluntatem eius qui misit te. A puncto conceptionis tuæ vsque ad momẽtũ mortis nihil operatus es, quod opus obedientiæ non sit, & in quo obedientiæ perfectio nõ eluceat. At in cruce quanta fuit obedientia tua? In ea profectò verbum illud obedientiæ protulisti: Consummatum est,quoad exemplum nostrum te obedientem præstantissimum ostendisti,cùm nihil eorum quæ iussa & ordinata sunt à Patre, à te prætermissum sit. Hîc video obedientiam executionis,quia reuera crucem ascendisti, & in ea terribilia tormenta & mortem durissimam passus es. Video obedientiam voluntatis,quia sponte & volũtariè te,vt alter Samson, vel vt alter Isaac ligari & clauis affigi sustinuisti.

1. Expendis obedientiam Christi.

Ioan. 19. 30.

Immo & æſtuabas deſiderio illius diei, in quo eras hoſtibus tradendus, & in ara crucis immolandus. Video obedientiam iudicij, quia tuam mortem in cruce ab æterno Patre ad noſtram redemtionem diſpoſitam, conuenientiſſimam & ſaluberrimam iudicaſti. Hæc obedientia tua integra fuit, quia nihil agendorum, aut patiendorum omiſſum eſt. Promta fuit, quia in nullo repugnatum eſt. Fortis fuit, quia ad terribilia ſuſtinenda progreſſum eſt. Humilis fuit, quia rebus abiectiſſimis humerus ſubmiſſus eſt. Perſeuerans fuit, quia vſque ad victoriam de omnibus hoſtibus noſtris certatum eſt. Inuitabaris de cruce deſcendere, ſed nequaquam aures tali ſuggeſtioni præbuiſti, quia ad redemtionem noſtram vſque ad oblationem animæ perſeuerandum fuit. O perfectiſſimam obedientiam, quam nō loquendo, ſed agendo & laborando nobis demonſtraſti. Sed ego miſerrimus, ô mitiſſime Domine Ieſu, non te Adamum cœleſtem, ſed primum hominem inobedientem imitatus ſum, & nō tuam obedientiam, ſed eius inobedientiam ſequutus. Tu in omnibus & per omnia obediiſti Patri; ego in plurimis, & nullo numero comprehenſis eius mandatum præteriui, ſcilicet quoties peccaui. Peccata mea numero capitis mei capillos excedūt: atque adeò inobedientiæ meæ. Ita vixi, heu me, ac ſi ad non obediendum, & ad mandata tranſgredienda natus eſſem. Si verò de ea obedientia agitur, qua prælatis parere debui, quis explicet, quàm durus & inobediens fui. Multa quæ mihi iniungebantur, opere nō impleui, ſed vanis prætextibus me excuſaui. In his, quæ ex obedientia feci, ſæpe voluntate repugnaui, & cum triſtitia, & murmure, & querimoniis obediui. Si aliquando voluntatem ſubdidi, at iudicium, & ſententiam meam iudicio prælati non ſubieci. Obedientia mea nec fuit integra, quia vel à principio, vel à fine operis, vel à medio, vel à modo aliquid abſtuli. Nec promta, quia cunctando ad opus proceſſi. Nec fortis, quia à rebus obedientiæ difficilioribus reſiliui. Nec perſeuerans, quia poſt paulum temporis onus deponere curaui. Non ergo tibi exemplari obedientiæ, ſed illi qui iugum legis fregit, ſimilis extiti. Pudet me, ô amantiſſime Pater, ita vixiſſe, pœnitet me iugum obedientiæ ita abieciſſe. O quàm mihi dolent inobedientiæ plagæ, temeritatis liuores, & propriæ voluntatis vulnera, quibus miſera anima mea confoſſa eſt. O me infœlicem, qui dum volui mei iuris eſſe, & meo arbitratu viuere, diaboli ſeruum me feci. Non poteſt homo ad ſeruiendū natus ſeruitutem fugere, ſed vt tibi ſeruiat & obediat, vel vt diabolo & propriæ voluntati ſe ſubiiciat neceſſe eſt. Dum ergo meam voluntatem ſectatus ſum, ingenuæ ſeruitutis, & veræ libertatis, quæ in tibi parendo poſita eſt, extorrem me feci, & in miſeram ſeruitutem incurri. O anima mea, ſi hæc non te ad dolorem prouocant, ſi non te contriſtant, manifeſtè cæca facta es, quæ tantum malum tibi inflictum minimè aduertis. O igitur Domine Deus meus, ſi hanc inobedientiæ peſtem excuterem! O ſi obedientiam amplecterer, ô ſi te obedientiæ Magiſtrum imitarer! Cupio ex corde virtutem hanc, cuius poſſeſſione Angeli in tua amicitia & gratia perſtiterunt, Sancti ad cœleſtes ſedes euolarunt, & iuſti amici tui, qui hodie in terra ſunt, in iuſtitia & ſanctitate perdurant. Deſidero hanc virtutem, cui bona terræ & cœli promiſſa ſunt, qua victoria de hoſtibus refertur, & homo in conſpectu totius mundi fidelis prædicabitur. O anima mea, diſce ab omnibus creaturis Deo & maioribus obedire, ne iugum excutias, nec vincula diſſoluas, quibus omnia in ſuis locis bene diſpoſita & collocata ſunt. O vtinam iam ſaperes, & intelligeres quàm malum & amarum eſt reliquiſſe te mandata Domini Dei tui, & quàm bonum & dulce atque ſuaue eſt ei ſubiici, & prælatis vicem eius gerentibus obtemperare. Propono & ſtatuo, ô ſuauiſſime Domine Ieſu, deinceps obedientiæ ſtudere. Quod in lege tua præcipis, fideliter impleam, inhæreámque veſtigiis illius, qui dixit: Iurauí & ſtatui cuſtodire iudicia iuſtitiæ tuæ.] Quæ prælati mihi iniunxerint, velociter, viriliter, humiliter, & indeſinenter exequar. Si contraria ſenſualitati mandata fuerint, & abiecta, & laborioſa, ea quoque peruictis difficultatibus promto animo faciam. Voluntatem meam abnegabo, & obedientiæ opera libenter aggrediar, & meam voluntatem prælati voluntati ſubiiciam. Iudicium meum cohibere conabor, & illud conuenientibus rationibus ſententiæ Prælati ſubmittam. Superiorum etiã non bonorum, modò mala non iubeant, iuſſa complectar, licèt duriter & inſulsè præcipiant. Non ſolùm ſtrictis præceptis, ſed & monitis, & ſuaſionibus, & ſigno volũtatis prælatorum me ad gloriam tuam accommodabo. Quia tamen, ô Rex amantiſſime, hæc obedientiæ exequutio aliqua prærequirit, ſine quibus difficilis admodum erit, hæc quoque facienda ſuſcipiam. Te Dominum meum in ſuperiore loquentem, & iubentem conſiderabo. Nulli operi, neque ſtudio, neque occupationi, niſi obedientiæ ipſi me ex toto dedicabo. Me indifferentem, & accinctum, & paratum ad quæque iniungenda præſtabo. Prælatum, & obedientiæ opus quod iniungit, & ipſum obedire, non aliter quàm rem pretioſam amare curabo. Ac tandem iudicij mei exilitatem, à quo ſæpe deceptus ſum, & capitis dignitatem in prælato fulgentem, cui membra non ſubiici valde peruerſum eſt, ſæpius meditabor, vt hæc omnia facilem viam obedientiæ efficiant. Offero tibi, Domine, ſanctiſſima & perfectiſſima obedientiæ opera, quibus Patri ſummè placuiſti, & nobis regnum mercatus es. Oro te per hanc obedientiam tuam, vt me perfectum obedientem facias, vt omnem negligentiam meam, omnem propriam voluntatem, & proprium iudicium in me vincas, & tua voluntas in me regnet, & morigerum ac ſubiectum inueniat. Da omnibus fidelibus obedientiam, vt fideliter tuis mandatis pareant, & perfectionem illius, iis qui tibi per vitam religioſam conſecrati ſunt, ne rem pretioſam, ſcilicet voluntatem ſuam ex holocauſto ſurripiant. Amen.

2. Tuam inobediẽtiam.

3. Deteſtatio inobedientiæ.

4. Deſiderium obedientiæ.

5. Exercitatio.

Pſal. 118. 106.

6. Mediorum aſſumtio.

7. Poſtulatio.

De imitatione patientiæ Chriſti.

EXERCITIVM XV.

VINTÒ patientiam Domini Ieſu imitandam ſuſcipies, quæ hoc in te faciet, vt in tribulationibus & aduerſitatibus quietus permaneas, & ad exemplum Domini omnia dura & aduerſa huius vitę æquanimiter & lætè ſuſtineas. Chriſtus in tota vita ſua illuſtriſſima nobis patientiæ documenta dedit, ſed in cruce maximè huius virtutis exempla propoſuit. Paſſus eſt enim pro nobis, relinquens nobis exemplum vt ſequamur veſtigia eius. Ipſe è cruce pendens opere nos docet quod antea ſermone docuerat: vt tollamus crucem noſtram, & ſequamur eum. Quid eſt autem ſequi, ait Proſper, niſi præſtare beneficia

Chriſtus ſemper patientiam docuit. 1. Petr. 2. 21. Proſp. 2. de vita contemp. c. 21.

neficia etiam ingratis, non retribuere ſecundùm merita ſua maleuolis, & orare pro inimicis, amare bonos, miſereri peruerſis, inuitare auerſos, ſuſcipere in charitate conuerſos, & æquanimiter pati ſubdolos ac ſuperbos? Dominus ipſe, inquit Leo Papa, nobis factus eſt via, quia niſi per Chriſtum, non itur ad Chriſtum. Per ipſum autem ad ipſum tendit, qui per ſemitam patientiæ & humilitatis eius incedit, in quo planè itinere neque æſtus deeſt laboris, nec nubes triſtitiæ, nec procella formidinis. Ibi ſunt inſidiæ iniquorum, perſecutiones infidelium, minæ potentium, contumeliæ ſuperborum, quæ Dominus virtutũ, & Rex gloriæ ideo omnia in infirmitatis noſtræ forma, & in carnis peccati ſimilitudine percurrit, vt inter præſentis vitæ pericula non tam optandum ſit nobis, declinando iſta effugere, quàm tolerando ſuperare.] Hunc ergo affectum tanti momenti ad ſanctè conuerſandum excitabis, ſi ſeptem dicta præſtiteris. Si ſcilicet 1. Chriſti patientiam. 2. tuam impatientiam inſpicias. 3. ſi hanc odio habeas. 4. & illam cupias. 5. ſi patientiam proponendo exerceas. 6. & ad media te conuertas. 7. & tandem ardenti poſtulatione perficias.

Leo ſer. 16. de paſſione.

Summa affectus.

PRAXIS.

O Patientiſſime Domine Ieſu Chriſte, cui viuere pro nobis pati fuit, & pro gloria Patris inter tormenta & cruciatus conſummari. Ex totis viſceribus meis laudo, benedico, & glorifico te pro admiranda patientia tua, qua pro me iniquiſſimo peccatore tot ac tanta mala paſſus es. Cùm maledicereris, non maledicebas; cùm patereris, non comminabaris: tradebas autem teipſum ad mortem iudicanti te iniuſtè, vt ipſum iuſtè redimeres, & ab ipſa quoque iniuſtitia, qua in te iniuſtus erat, liberares. O ſtupenda charitas tua, ô mirabilis patientia tua, quæ iniurias in temetipſum illatas in bonum, & ſalutem ipſorum inferentium conuertit! Semper & vbique patiens fuiſti, at in cruce hæc tua inuicta patientia clariùs emicuit. Nam inter contumelias & ſannas hoſtium tuorum in te iactatas, quæ aërem replebãt, vox tua dulciſſima in auribus Patris clariùs reſonabat, non iram & vindictam poſcens, ſed miſericordiam & remiſſionem exigens. Pater, ais, dimitte illis, non enim ſciunt, quid faciunt. Crimini inexcuſabili patientia tua velamen excuſationis inuenit, & ignorantiam, qua leniretur, & veniam conſequeretur, oppoſuit. Triſtitia nimia anguſtabaris, iniuriis & ignominiis impetebaris, doloribus acerbiſſimis cruciabaris. Inter tot tamẽ aduerſa nec verbum vindictæ profers, nec in vultu indignationis ſignum oſtendis, neque in corde aliquam vel minimam commotionem admittis, neque in amore te crucifigentium intepeſcis, ſed corde tranquillo, & ſuauitatis pleno mala illa immenſa pro meo amore complecteris, & ceu agnus manſuetus ſuſtines. O Redemtor benigniſſime, quàm longè ſum à te, & quomodo per viam aduerſam incedo, & nihil pro te ſuſtinere ſcio. Numquam vſque ad ſanguinem reſtiti, neque occaſio ſe obtulit, in qua aliquid magnum, & nimis moleſtum pro te paterer. At ex his minimis, quæ interdum incidunt, quid in aliis maioribus aduerſitatibus facturus eſſem, ſatis manifeſtè coniector. Nam ſi lenis aura me tangat, ſtatim ignem furoris & indignationis ſpiro, & ad vindictam anhelo. O quoties opere me vindicaui. O quoties iniurias & cõtumelias in lædentes me iactaui! O quoties conceptã iram vultus triſtitia prætuli! O quoties corde vltionem me accepturum propoſui. In doloribus triſtis, in moleſtiis turbulentus, & in ægritudinibus impatiens fui, & nihil aduerſum accidit, quod non ſaltem inquieto corde ſuſcipiam. Quis mihi tribuat, vt ex hac teneritudine mea, vel potiùs ex hac inuerecundia mea pudore ſuffundar? Quid enim inuerecundius, quàm poſt tot & tam immania peccata nolle quidquam pati, & quaſi immunem & exemtum à tribulationibus permanere? Pœnitet me Domine, quia nimis impatiens ſum, vnde & ea quæ patior, ſine merito ſuſtineo. Et quid inſipientius quàm moleſtias huius vitæ non euadere, & ex eis, quia impatienter feruntur, nullum meritum reportare? Dolent naturæ tribulationes meæ, ſed multo magis dolent nunc voluntati impatientiæ meæ, nullius meæ compunctionis indicia; quia ſi vt debeo de peccatis compungerer, atque contererer, & ad obtinendam indulgentiam eorum, vel aliquid modicum, quod incidit, æquanimiter ſuſtinerem. Siquidem indignabundus ſum, indignor aduersùs indignationem meam, & iraſcor aduersùs iracundiam meam, & valde contriſtor quòd tuam lenitatem non habeo, nec inuictam patientiã aſſector. Deſidero, ô Agne mitiſſime, tuam patientiam ſequi, & ſiquidem agni membrum ſum, non alienis moribus ab agno fœdari. O ſi iam manſuetudinem diſcerem, ô ſi cordis lenitatem diligerem, ô ſi vitam meam tuæ patientiæ ſanctiſſimæ imitatione formarem. O quàm pulcher es, Domine, in cruce pendens, & in tantis iniuriis cordis manſuetudinem & inuictam patientiam non deſerem. O ſi huius pulchritudinis ſimilitudine nõ carerem, & in cruce ægritudinum & tribulationum poſitus, lenitatem cordis, & patientiæ ſigna proferrem. O quid expecto? Quid moror? Quare in futurum tempus meam emendationem differre non timeo. Quare difficiliorem curationem meæ impatientiæ facio, quæ quottidie nouis occaſionibus ampliùs inualeſcit, & laboriosius remedium admittit. Iam ergo, ô Domine Ieſu, ab hoc die patiens eſſe volo & ſtatuo. Ad imitationem tuam damna rerũ temporalium patienter feram. Iniurias, irriſiones, opprobria, contumelias, detractiones, infamias æquo animo patiar. Dolores, ægritudines, & ipſam mortem, quando me vocabis, ſine impatientia ſuſtinebo. Immo hæc omnia fretus tua gratia ſine querimoniis & triſtitia tolerabo, & cum gaudio & exultatione amplecti conabor. Hæc, inquam, aduerſa, ô Domine, æquo animo ſufferam, ſiue ea meæ iniquitates attulerint, ſiue abſque mea culpa prouenerint, ſiue ob bona geſta ab ingratis illata fuerint, ſiue etiam boni & iuſti ex bona intentione me afflixerint. In his, & ſimilibus non me excuſabo, ſed tacebo, quin & pro gloria tua aliquid pati deſiderabo. Sed quid, ô Deus, in occaſionibus patiendi me ſtabilem faciet, & ad ſuſtinendum animabit? An conſiderare non eſſe malum pœnæ in ciuitate, quod tu non feceris, & quod diſpoſitione tua ad noſtram purgationem, vel emendationem, vel perfectionem non attuleris? Ita ſanè. Quis enim ex benigniſſima manu tua non etiam libenter fuſtibus cædi ſuſcipiat? Et ſi bona ſuſcepimus de manu tua, ex eodem amore mala prouenientia quare non ſuſtineamus? An ſcire, quia in loco patiendi omnes ſumus, & nemo eſt in mortalibus, etiamſi in throno regio ſedeat qui occaſiones multa patiendi non habeat, & cui æquanimiter pati non incumbat? Id ergo

1. Inſpicis Chriſti patientiam.

2. Tuam impatientiam.

3. Dolor.

4. Deſiderium.

5. Exercitatio.

6. Media.

ſcire enitar, vt ab afflictionibus me liberare non curem, ſed magis in eis patienter me habeam. Nam profectò non eſt prudentis hominis, ex his quæ velit, nolit, ſuſtinere debet, ſi poſſit (& patientiam habens poteſt) non aliquod meritum & vtilitatem animę reportare. Offero tibi, ô Domine Deus meus, vniuerſos labores, & afflictiones tuas, & patientiam illam, & æquanimitatem mirabilem, qua tot aduerſa pertuliſti. Rogo te per hanc patientiam tuam, vt me facias imitatorem eius, vt ſciam pro te libenter aduerſa pati, vt nouerim occaſiones patiendi non aliter quàm magna beneficia, ſicut reuera ſunt, recipere. Da etiam omnibus fidelibus virtutem hanc, vt qui multa habent, quæ perferant, illorum ſuſtentatione merita augeant. Sed præcipuè his, qui vitam ſpiritualem arripuerunt, æquo animo patiendi donum tribue, vt ſiue proſperitatem, ſiue aduerſitatem ſentiant, viam quam cœperunt tenere non deſerant. Amen.

7. Poſtulatio.

Ex his facile erit alios affectus formare, quibus Chriſti charitatem, amorem fraternum, miſericordiam, animarum zelum, & alias virtutes imiteris.

Qualiter Chriſto patienti compatieris.

EXERCITIVM XVI.

EX conſideratione vitæ & paſſionis Domini non tantùm affectum imitationis, qui præcipuus eſt, verùm & alios vtiliſſimos affectus elicies. Vnus eorum ſit compaſſio, qua Chriſto patienti compatiaris, & dolorum atque angorum eius particeps efficiaris. Hunc affectum & vera charitas & propria vtilitas exigit. Charitas quidem, cuius eſt gaudere cum gaudentibus, & flere cum flentibus. Propria verò vtilitas, quoniam ſi commortui ſumus, & conuiuemus, ſi ſuſtinebimus, & conregnabimus. Et quidem æquum eſt, vt tanto Domino compatiamur, non tamquam ei, qui nolens aliquam calamitatem pertulerit, ſicut malefactores perferunt, cùm equuleo torquentur, vel in patibulo ſuſpenduntur, ſed tamquam ei, qui volens vt nos redimeret, tantas pœnas & afflictiones ſubierit. Sic dicet anima illud Canticorum: Nigra ſum, ſed formoſa, filiæ Ieruſalem.] Eſt enim nigra, ſeu fuſca per triſtitiam compaſſionis, quæ eam ſalutari & grata ſponſo nigredine decolorat. Eſt autem formoſa multiplici affectu, quem ipſa compaſſio generat. Quæ, vt ait Laurentius Iuſtinianus, nutrit & ſeruat humilitatem, manſuetudinem, patientiam, & longanimitatem, & ad perfectam prouehit iuſtitiam.] Hunc autem affectum in Chriſto, verbi gratia, pro te in horto patiente, ſic excitabis. 1. Si cogitationibus luctuoſis commemores, quis eſt, qui patitur: quia frater tuus primogenitus. Pater benigniſſimus, ſponſus dulciſſimus, caput tuum, cui per gratiam & amorem agglutinaris. 2. Quid patitur, tum exteriùs in corpore, tum interiùs in animo. 3. Quomodo patitur, quàm patienter, quàm ſolitariè, quàm amanter. 4. Si te cauſſam tantarum afflictionum eſſe fatearis. 5. Si particeps pœnarum eius in ipſa oratione aliquomodo fueris.

Quæ affectum cõpaſſionis exigant. Rom. 12. 15. 2. Tim. 2. 11.

Cant. 1. 4.

Laurent. ligno vitæ tract. de char. c. 6.

Summa affectus.

PRAXIS.

O Chriſte Ieſu, ô amator ardentiſſime animæ meæ, ô Pontifex ſancte ſecundùm ordinem Melchiſedech, qui probatus & tentatus es per omnia pro ſimilitudine abſque peccato, vt compatereris infirmitatibus noſtris, & dolores noſtros ipſe portares; volo quidem & cupio compati tibi pro me patienti, vt tecum etiam ad honorem tuum aliquando glorificer. Nam ſcriptum eſt, quòd hæredes ſumus Dei, cohæredes autem tui, ſi tamen compatimur, vt & conglorificemur. Aſpicio te nunc, ô Redemtor ſuauiſſime, genuflexum in horto, ſolo proſtratum, orationi feruentiſſimæ deditum, mœrore confectum, præ triſtitia & agonia ſanguineo ſudore madidum. Quis es Domine, qui ita humilis, ita triſtis, ita deiectus, ita terræ affixus manes? Tu frater meus es, & frater primogenitus, qui cùm eſſes vnigenitus Patris, carnem meam induiſti, vt eſſes primogenitus in multis fratribus. Frater, inquam, natu maior, ad quem tota Patris hæreditas pertinet, de cuius micis viuo, & cuius reliquiis vtcumque ſuſtentor. Ego autem te vendidi Iſmaëlitis, & tantis miſeriis peccatorum meorum grauitate ſubieci, & tuorum dolorum cauſſa fui. Tu es Pater meus, à quo eſſe, & vitam, & omne, quod habeo, bonum accepi. Tu ſponſus animæ meæ, qui eam non aliter quàm ſponſam diligis, & pro ea zelum aſſumis. Tu denique caput meum, cui ſi iunctus ſum, ceu membrum, viuo; ſi iunctus non ſum, vitam amitto. Quis fratri, & Patri, & ſponſo & capiti patienti non condoleat, & fratri tam amabili, Patri tam venerando, ſponſo tam ſuaui, & capiti tam reuerentia digniſſimo deneget compaſſionis affectum? O Rex potentiſſime, pro me abſcondite, & forma ſerui cooperte. Tu es natura Deus, qui maieſtate cœlum & terram reples, & omnia pugillo contines. Tu es aſſumta humanitate ſupra modum nobilis, ex ſtirpe regia progenitus, & Spiritus ſancti virtute formatus. Tu es intellectu ſapientiſſimus, voluntate innocentiſſimus, conuerſatione grauiſſimus, forma ſpecioſiſſimus, actione vtiliſſimus, à quo gratiam & gloriam accipimus. Tu autem tantus & talis Dominus pateris? & tanta pateris? & mœrori ac triſtitiæ ſubiiceris? O cor meum ſaxeum, ſi ad hoc verbum non contremiſcit, ſi ad hoc cogitatum non emolleſcit! Oras Domine Patrem tuum, & pro te oras, ſcilicet vt à malis imminentibus eripiaris, & ſecundò ac tertiò oras, & vſque ad tertiam orationem ex ore Angeli ad te miſſi reſponſum non audis. Quid verò tibi reſpondetur, niſi vt humeros paſſioni, & cruci, dorſum flagellis, & caput ſpinis, & te totum morti ſubmittas, & vt pro genere humano vniuerſa à Prophetis prædicta patiaris. Enimuero iam tunc terribilia perferebas: nam cogitatione apprehenderas, quæ ventura erant, & comprehenſio tua, & vincula, & iniuriæ, & contumeliæ, & ictus, & vulnera, & claui, & lancea te coanguſtabant. At dicitur tibi ex ore Patris, vt meditatio illa, quæ te mirum in modum affligebat, in opus tranſeat, quod vſque ad acerbiſſimam mortem affligat. Doleo ſuper te frater mi Ionatha, donum Domini, quia nobis vtique datus, & nobis natus es. Doleo, inquam,

Rom. 8. 17.

1. Quis patitur.

2. Quid patitur.

ſuper te, qui es decorus nimis, & amabilis ſuper amorem omnium creaturarum. Anguſtia verò, qua comprimeris, decorem tui corporis abſtulit, & te ſanguine infectum reliquit. O frater dilectiſſime triſtitia nimia affecte, quomodo ego frater, ſi huius tuæ triſtitiæ conſcius, non contriſtor. O Pater benigniſſime, qui in aſſumta imbecillitate mea metuis, & contremiſcis; quomodo ego filius, ſi hæc videns, non mœrore conſumor. O ſponſe dulciſſime, pro me tanta amaritudine plene, quomodo ego ſponſa, ſi tuam amaritudinem non participo. O caput meum reuerendum præ multitudine afflictionis vſque ad terram inclinatum, quomodo ego membrum tuum, ſi ad tantam afflictionem non compungor. Hæc cor ſaxeum ad commiſerationem mouerent, at modus doloris & anguſtiæ tuæ mirum in modum compaſſionem extorquent. Solus pateris, & depoſitus es vehementer, id eſt, à lætitia deturbatus. O lætitia cordis noſtri, non habens conſolatorem. Non eſt qui conſoletur te ex omnibus charis tuis. Eſt tamen qui dolorem augeat, & deſolationem adiiciat. Diſcipuli tunc temporis dormiturientes, & nihil de tua triſtitia curantes quid faciunt, niſi tuum dolorem & mœrorem augere. Non defuerunt Iobo amici qui cùm conſolarentur, aut ſaltem tam longa diſputatione à ſenſu doloris aliquantulum auocarent. At à te receſſerunt omnes amici tui, quorum præſentia ſi conſolationi eſſet, eam deſiderium patiendi non admiſit. Apparuit tibi Angelus de cœlo confortans te, ea ſcilicet dicens, quæ animum roborarent. Sed hæc confortatio ſiue admiſſa, ſiue non admiſſa fuerit, eò tendebat, vt pro nobis patereris, & opus quod cœperas redemtionis noſtræ ad finem vſque perduceres. Omnes ergo, Domine mi, te ad paſſionem inſtimulant. Pater præcipiens, mater conſentiens, Angelus ſuadens, homo delinquens. Non ſuſtinet bonitas tua, vt ego peccatis obnoxius ſine remedio maneam, & balneo ſanguinis tui, in quo lauer, caream. Ego igitur ſum tuæ cauſſa afflictionis, tui occaſio doloris. Ego peccatis enormibus meis te triſtitia affeci, in agonia conſtitui, ſanguineo ſudore coanguſtaui. Ego te inimicis tuis tradidi, in vincula conieci, flagellis percuſſi, ſpinis pupugi, clauis perforaui, in crucem ſuſtuli, morti adiudicaui. O me miſerum, ô me infœliciſſimum, qui peccatis meis tanta mala tibi intuli creatori meo, redemtori meo, & vnico Patri animæ meæ. O ſi numquam deliquiſſem, ô ſi numquam peccato conſenſum præbuiſſem, peccato non eſſem particeps mortis tuæ. Doleo Domine de multiplicibus peccatis meis, doleo de triſtitiis & doloribus tuis. Hæ lacrymæ, hi ſingultus teſtes ſunt doloris mei, hæ alapæ, quibus genas meas ferio, & hæc afflictio, qua me totum in terram proſterno, ſigna ſunt triſtitiæ meæ. Fac me per miſerationes tuas omnes participem doloris tui. Hoc peto, hoc rogo, hoc efflagito, vt tecum patiar, tecum triſtitiam ſentiam, vt tecum omnem conſolationem abiiciam. Sic me tuum membrum agnoſces, ſic merita tua ad me applicabis, ſic aliquando me conſolatione tua dignum efficies.

3. Quomodo patitur.

4. Doles quia es cauſſa tanta afflictionis.

5. Pœna participas.

Qualiter Chriſtum patientem admiraberis.

EXERCITIVM XVII.

A DEINDE meditaberis vitam & paſſionem Domini tui, vt rem tam inſolitam & ſtupendam admireris. Admiratio eſt intuitus rei nouæ, & numquam viſæ, timori & ſtupori coniunctus, ex quo reuerentia, amor, laus, deſiderium boni, ſancta lætitia, & alij affectus ſimiles ſolent exoriri. Si curioſus es, ô homo Dei, & veluti Athenienſes cupis videre aliquid noui, ad conſiderandam Domini vitam & paſſionem accede, & replebitur in bonis deſiderium tuum. Ne quæſo egrediaris cum Dyna ad videndas mulieres regionis alienæ, id eſt, inanes curioſitates, quia à diabolo corrumperis. Sed potiùs egredere ex amore tuiipſius ad videndum regem Salomonem in diademate ſacræ humanitatis, quo coronauit eum mater ſua, & talia mirabilia videbis vt in ſtuporem & extaſim rapiaris. Inter omnia enim opera Dei, in quibus humanæ admirationis fatigatur intentio, nihil ita contemplationem mentis noſtræ oblectat & ſuperat, ſicut paſſio Saluatoris. De cuius omnipotentia, quæ ei cum patre vnius & æqualis eſſentiæ eſt, quoties, vt poſſumus, cogitamus, mirabilior fit in Deo humilitas, quàm poteſtas, & difficilius capitur diuinæ maieſtatis exinanitio, quàm ſeruilis formæ in ſumma prouectio]. Hic affectus excitatur ſi ea quæ Chriſtus geſſit, & pertulit, vt noua & inſolita, ſicut reuera fuerunt, mediteris. Fecit namque nouum Dominus ſuper terram quòd mulier circũdaret virum. Fecit etiam nouum, quòd peccata noſtra innocentem opprimerent, & opprimendo perirent. Quia mors eius mors peccatorum noſtrorum eſt, qui mortuus eſt, vt iuſtitiæ viuamus. Admirationem itaque in comprehenſione Domini (vt aliquod exemplum ſubiiciamus) ſic excitabis, ſi quatuor genera mirabilium conſideres. 1. In perſona, quæ patitur. 2. In malis & pœnis, quas patitur. 3. In his, pro quibus patitur. 4. In his, à quibus mala illata tolerare dignatur.

Quid admiratio ſit.

Circa quid habenda.

Gen. 33. 10.

Leo Pap. ſer. 11. De paſſione.

Quomodo excigetur.

Summa affectus.

PRAXIS.

O Chriſte Ieſu, ô Domine Deus meus, admirandæ & tremendæ maieſtatis, te nunc ab impiiſſimis nebulonibus comprehenſum & vinculis ligatum intueor, & cum ea, quæ in hoc myſterio accidunt, ſigillatim inſpicio, mirum eſt, ſi non præ admiratione deficio. Quis es tu Domine, qui comprehenderis, & ligaris? In te comprehenditur Maieſtas, ligatur libertas, conculcatur gloria, ſpuitur, & pugnis percutitur iuſtitia, & innocentia infamatur. Tu es ipſe filius Dei qui manus cunctorum expedis, vt operentur. Tu Deus magnus Dominus, & rex magnus ſuper omnem terram. Tu per altiſſimam poteſtatem excelſior cœlo: per ſapientiæ immenſitatem profundior inferno: per ſtabilem æternitatem lõgior terra; & per infinitam charitatem latior mari. Tu es, ſi naturam diuinam ſpectemus, infinitus, intellectui noſtro incomprehenſibilis, ſenſui imperceptibilis, linguæ ineffabilis, loco incircumſcriptibilis, tempori æternus, deſiderio incomparabilis. Tu denique es, cui ſecundùm diuinam naturam nullum malum, nullúmque flagellum poteſt appropinquare, & ad quem ſecundùm naturam humanam ob ſummam innocentiam & ſanctitatem nulla pœna deberet accedere. Et tamen cùm tantus taliſque ſis, pœnis & malis ſubiiceris. O rem ſtupendam, de qua tam Angeli, quàm homines debeant admirari;

1. Quis patitur.

2. Quid patitur.

Sed

Sed quid pro me passus es, ô Deus Angelorum, & hominum? Certè humiliationem, peregrinationem, fugam, famem, sitim, frigus, æstum, tentationes, horrores, persecutiones, obseruationes, sputa, opprobria, vincula, flagella, illusiones, dolores, plagas, vulnera, & mortem durissimam. At in hoc speciali mysterio comprehensionis tuæ, quid pateris? Hîc impletũ est, quod dixisti per Dauidem: Factus sum vermis, & non homo.] Vermis enim, si conculcetur non erigitur aduersùs conculcantem se, sed magis præ dolore, & quasi præ humilitate contrahitur. Ita & tu cùm loris stringereris, & in terram proiectus conculcareris, non te erexisti aduersùs hostes tuos, sed præ dolore & humilitate contractus es. Afflictus es, Domine, & humiliatus es nimis. O quàm nimis: nam hîc comprehenderis vt malefactor, ligaris vt latro, ludibriis afficeris vt stultus, blasphemiis vt seditiosus, odiis vt maleficus, repudiis vt miserrimus. Quis ergo non admiretur, videns supremum regem cœli, & terræ tanta mala sponte, patientissimè, mitissimè, & humiliter tolerare. Pro quibus autem pateris, ô bone Iesu? An pro Angelis, quorum semper fuit vita purissima? An pro iustis tantùm & sanctis hominibus, quos absque culpa sua diabolus in seruitutem coniecit? Non sanè, sed etiam pro iniustissimis, & nequissimis, qui voluntariè aduersùm te rebellarunt, & se in seruos diaboli dediderunt. Iustus pro iniustis passus es, vt nos redimeres, & offerres Deo. Sanctus pro vilissimis mancipiis, pro sceleratissimis inimicis, pro diabolicis viris, pro diaboli filiis, pro contemtoribus diuinæ maiestatis, & pro diuinæ bonitati ingratis. Pateris à nequissimis optimus, à sanie fœtidissima splendor æternus, & ab impiis hominibus Deus. Pateris Domine, ne patiatur seruus, comprehenderis, vt liberetur peccator, & conculcaris, vt puluis & cinis ad æternas sedes euehatur. O rem mirandam, ô opus stupendum! Sed tandem à quibus, ô amantissime Saluator, hæc sustines. An ab his, quibus aliquas iniurias & contumelias intuleras? An ab his quibus in nullo benefeceras? O quis non miretur? Ab his tibi tot mala & iniuriæ irrogantur, quos quæsiturus, redemturus, & liberaturus aduueneras. Ab his, quos vt pædagogus erudieras, vt medicus sanaueras, vt ductor in viam veritatis & salutis adduxeras. Illi te comprehendunt, quos è carcere extrahis, illi te ligant, quos dissoluis, illi te calcant quos in honorem effers. O igitur quàm indebita miseratio, ô quàm gratuita dilectio, ô quàm in opinata dignatio, ô quàm stupenda dulcedo, ô quàm inuicta mansuetudo, regem gloriæ pro vilissimis, & à despicatissimis vermiculis comprehendi. O Domine nouissime, & altissime, ô humilis, & sublimis, ô opprobrium hominum, & gloria Angelorum. Nemo te sublimior, nemo te humilior. Quis audiuit vmquam talia, aut quis vidit huic simile. Attendite hæc omnes gentes, obstupescite cœli, & terra, quia Deus pro me ligatus est. O Domine excita in me admirationem maximam huius dignationis tuæ, quæ me faciat hæc attentiùs intueri, vt te intuendo reuerear, honorando metuam, metuendo diligam, & diligendo ad omne opus præstandum accendar. Amen.

* * *

Psal. 21. 7.

Psal. 37. 9.

3. Pro quibus.

4. A quibus.

Qualiter de Christo patiente exultabis.

EXERCITIVM XVIII.

EX passione Domini non tantùm tristitiæ affectus eliciendus est, sed etiam gaudium, & exultatio. Tristamur & dolemus de pœnis & doloribus Redemtoris, exultamus autem de bonis, quæ per passionem eius obuenerunt nobis. Vnde scriptum est in Isaia: Addent mites in Domino lætitiam, & pauperes homines in sancto Israël exultabunt.] Et Paulus non vult gloriari nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi. In ea itaque gloriemur, & de dulcissimis fructibus ligni vitæ lætemur, qui facient, vt deliciæ huius sæculi amarescant nobis, & vt mundus nobis crucifixus sit, & nos mundo. Hæc lætitia salutaris vanas sæculi consolationes aufert, & tristitias ex aduersis rebus prouenientes lenit, & contemtum rerum terrenarum tribuit. Hæc loquacitatem & curiositatem cohibet, & modestiam ac securitatem immittit. Quamuis autem tot sint causæ exultationis de passione Domini, quot sunt perfectiones diuinæ in ea ostensæ, & beneficia nobis exhibita, quæ nullo possunt numero comprehendi, hæc tamen nouem, quæ sequuntur, poteris cum Domino tuo loquens commemorare, & ex eis gaudium & exultationem mouere. Exulta ergo aliquod mysterium passionis considerans, vt cùm Christus ductus est ad domum Annæ, & ibi alapa percussus. 1. De deletione culpæ, quam Dominus sua ignominia attulit. 2. De remissione pœnæ. 3. De ablatione ignorantiæ. Exulta item. 4. De victoria diaboli. 5. De restitutione gratiæ. 6. De promissione gloriæ. Exulta tandem. 7. De reparatione naturæ humanæ. 8. De restauratione angelica. 9. De ostensione diuinæ clementiæ.

Gaudiũ de Christi passione eliciendum.

Isai 29. 19. Gal. 6. 14.

Quàm vtile hoc gaudiũ.

Quæ eius causa.

PRAXIS.

O Christe Iesu, ô desiderium collium æternorum, ô lætitia Israel, ô gloria Ierusalem, & honorificentia populi nostri, nunc te in conspectu Annæ stantem, ligatum, contemtum, odio habitum, illusum, & alapa percussum aspicio. Hæc quidem à me exigunt, vt plangam te planctu quasi super vnigenitum, & doleam super te, vt doleri solet in morte primogeniti. At etiam postulant, vt exultem, & lætер, non quidem de ignominiis tuis, sed de magnis, quæ inde emerserunt, bonis in eis. Tu exultasti sicut gigas ad currendam passionis viam, quídni ego tecum exultem de magnitudine dignationis tuæ. Seruus vehementer gauderet, si sciret dominum ac regem suum paratum esse pro se mori: quanto maior est mihi causa lætandi, quia tu Deus meus & rex meus in tantum me dilexisti, vt pro me hæc patereris, & ouans atque exultans ad mortem properares. Exultabimus ergo, & lætabimur in te memores vberum tuorum super vinum. Vbera tua charitas tua, & benignitas tua sunt: de his in passione ostensis lætabimur, licèt de multiplici tuo dolore tristemur. Gaudeo ergo, & exulto de deletione culpæ meæ. Quia nimirum tu saluator meus hac ignominia tua omnia peccata mea deleuisti, & me à maculis iniquitatum mundasti. O si mortem corporis

Cant. 1. 1.

Exultas 1. de deletione culpæ.

iamiam inſtantem euaſiſſem, quam verè,& ex corde exulcaſſem. Sed per hanc alapam tuam mortem animæ terribiliorem euaſi, & tuam, in quam incurreram inimicitiam abieci. Ne quæſo Domine iterum ad hanc mortem reuertar, & quod tu deſtruxiſti, iniquè & impudenter ſtatuam. Gaudeo & exulto de remiſſione æternæ pœnæ, quam legem tuam, ó legiſlator æquiſſime, tranſgrediendo commerui. Niſi has pœnas tuas mihi ad ſatisfaciendum reliquiſſes, quaſi Sodoma fuiſſem, & quaſi Gomorrha ſimilis eſſem. Hac alapa tua id conſecutus ſum, ne me dæmones in locis gehennalibus colaphizent, & vngulis ferreis dilacerent. Hac etiam factum eſt vt mala pœnæ, ſi quæ ſuſtineo, non me ignominia, ſed gloria & honore afficiant, quia tu hac ignominia tua alapas & iniurias & ignominias honore es proſequutus, eo ipſo quòd illas pro me paſſus es. Da ne poſthac pœnam cauſſa peccatorum incurram, & pœnas ac aduerſitates iuſtitiæ cauſſa emergentes æquo ac læto animo perferam. Gaudeo, & exulto, ó Magiſter bone, de ablatione magnæ ignorantiæ, quam etiam peccando ſubiui. Cæcus erã, & tenebris peccatorũ obuolutus, non videbam, nec mala, quæ me circumdederant, nec bona quæ amiſeram, nec multa mirabilia, quorum cognitio ad me pertinebat. At tu doloribus & ignominiis tuis oculos mentis meæ aperuiſti. Iam video illa ſeptem, quæ (vt ſcripſit ſeruus tuus Bonauentura) per paſſionem tuam patefacta ſunt. Video, inquam, quàm ſis admirabilis, qui ſapienter, miſericorditer, & iuſtè redemiſti me. Quàm ſit pretioſus ſpiritus intelligibilis, ſcilicet Angelus, & anima, quam tuo ſanguine comparaſti. Quàm ſit deſpicabilis mundus iſte ſenſibilis, quem contemni à nobis iuſſiſti. Quàm ſit paradiſus deſiderabilis, quem tuis amicis promiſiſti. Quàm ſit infernus horribilis, à quo vt nos educeres, tanta ſuſtinuiſti. Quàm ſit virtus laudabilis, quam per teipſum docuiſti. Et quàm ſit reatus culpabilis à quo animam meam tantis laboribus emũdaſti. Ne permittas oro, vt iterum per ignorantiam oculos claudam, & hanc ſplendidam lucem à te infuſam amittam. Gaudeo, & exulto, ô Princeps inuictiſſime, de victoria principis tenebrarum, quem tu ignominias humiliter ſuſtinens traduxiſti. Nihil enim illum ita ignominia afficit, ac humilitas, quam ipſe poſthabens, patriam cœleſtem amiſit, & in æternas tenebras cecidit. Sed & patiendo illum viciſti, & ridiculum illum expoſuiſti, vt à pueris & puellulis ſuperetur, & riſui ac ludibrio omnibus exponatur. Placeat tibi rogo, vt illum vincam, & irrideam, & ſuis technis ac dolis impulſus non cadam. Gaudeo & exulto, ô vnigenite, & dilecte fili Dei, de reſtitutione gratiæ, qua per te genus humanum ornatum eſt. Primus parens ornamentum nuptiale diſcidit, illud verò tua miſericordia reparauit. Eius peccato factum eſt, vt moreremur, tuis laboribus factum eſt, vt ſuſcitaremur. Dormiebamus peccato; quare dictum eſt nobis: Surge qui dormis, & exurge à mortuis, & illuminabit te Chriſtus. Tu autem caput & facies noſtra ictum perfers, alapam excipis, qua expulſo ſopore peccati nos membra tua per gratiam euigilauimus, & in actus vitæ reſtituti ſumus. Conſerua, & auge hanc gratiam tuam in nobis Domine, ne vmquam ſeparemur à te. Gaudeo, & exulto, ô ſplendor gloriæ, & figura ſubſtantiæ Patris de promiſſione gloriæ & arrha ſalutis æternæ, quam per tuam paſſionem accepimus. Oportuit te pati, & ita intrare in gloriam tuam. Paſſio ergo, quæ carnem tuam in gloriam intulit, nos membra tua in eamdem gloriam inuexit. Certè quo præceſſit gloria capitis, eo ſpes vocatur & corporis, & ignominia quæ tibi capiti noſtro ingreſſum in gloriam præparauit, aditum etiam nobis aperuit. Iam ſumtus facti ſunt, Domine, iam pretium, & quidem non exiguum pro mea ſalute perſolutum eſt, ne permittas me quæſo à gloria promiſſa excidere, neque à te vmquam ſeparari. Gaudeo, & exulto, ô Redemtor ſanctiſſime, de reparatione noſtræ naturæ. Illa in Adam cecidit, in te verò caput extulit. Paſſio & ignominia tua inimicitias expulit, pacem attulit, nos Patri reconciliauit, dona promeruit. Per primum parentem abundauit delictum, per te ſuperabundauit & donum. Nec tantum perdidimus, quantum per tua merita lucrati ſumus. Humana natura per peccatum diaboli ancilla, per te domina facta eſt: antea pauper, per paſſionem tuam diuitiis cumulata eſt: priùs abiecta, per merita tua dilecta eſt. Vbi dicebatur: Non populus meus vos, nunc dicitur: Filij Dei viuentis. Quoniam dediſti nobis filios Dei fieri, & in magnam dignitatem venire. Concede, oro Domine, vt hac tua redemtione perfruar, & per meam negligentiam eius fructum non amittam. Gaudeo & exulto, ô Rex Angelorum & hominum, de reſtauratione naturæ angelicæ. Nam redemtos tuos, & per paſſionem tuam in libertatem aſſertos, in ſedibus Angelorum, qui ceciderunt, ſedere facis, & ciuitatem illam à qua impij & rebelles exulauerunt, ſanctis hominibus imples. Iudicaſti profectò in nationibus, ſeparans electos à reprobis, & ſubuehens electos ad cœlum, impleſti Angelorum ruinas, & inſtauraſti omnia quæ in cœlis, & quæ in terra ſunt. Sim & ego Domine vnus ex illis fœlicibus qui ſedes ſuperborum occupabunt, & inter Angelos ſanctos ſedebunt. Gaudeo tandem, & exulto de oſtenſione clementiæ tuæ, & omnium tuarum perfectionum. In paſſione tua, ô ſanctiſſime Domine, ſapientia tua enituit, bonitas illuxit, poteſtas ſe manifeſtauit. Miſericordia & veritas obuiauerunt ſibi, iuſtitia & pax oſculatæ ſunt. Ibi apparuit humanitas & benignitas tua, ſuauitas & clementia tua, quia nos contemtibiles non habuiſti contemtui, ſed in magnam gloriam ſublimaſti. Lætor igitur in paſſione tua, & gaudeo, & canto, quia in ea multiplex eſt mihi cauſſa cantandi. Per eam cum Iſraële è captiuitate liberor: cum Debora vinco, & triumpho; cum Iudith aduerſarium occido: cum Anna Samuelis matre fructu ſalutis impleor: cum Iona è ventre peccati extrahor, & cum Propheta illo vſum vocis ad laudandum recipio. Concede Domine, vt in te ſolo gaudeam, vt tu ſolus mihi placeas, fructus paſſionis tuæ mihi ſapiat, & cætera deſipiant. Amen.

2. De remiſſione pœnæ.

3. De ablatione ignorantiæ.

Bonau. in paruo bono, part. 3.

4. De victoria diaboli.

5. De reſtitutione gratiæ.

6. De promiſſione gloriæ.

7 De redẽptione naturæ humanæ.

Oſea 1. 10.

8 De reſtauratione naturæ angelicæ.

9. De oſtenſione diuinæ clemẽtiæ.

Qualiter in Chriſto patiente liqueſces.

EXERCITIVM XIX.

MEDITABERIS deinde paſſionem Domini Dei tui, vt amore eius caleas, ardeas, atque liqueſcas. Id eſt quod ipſe præcipuè quærit ex te, vt doloribus pro te perpeſſis amore reſpondeas. Noluit ipſe te inuitum ad ſalutem compellere, ne nobilem creaturam liberi arbitrij capacem contra eius naturam attraheret. Nec voluit ſolùm minis & terroribus vocare,

Deus nos amore ad ſe trahit.

quia

quia sic mancipium tantùm haberet. Nec voluit solis promissionibus incitare, quoniam ita mercenarium efficeret. Voluntas ergo eius fuit te igniculo amoris allicere, vt sic filium dilectissimum, & quàm simillimum possideret, vnde amore salus tua præcipuè peracta est, & amore dispositа, vt cùm eam intuereris, amore liquesceres, & in dignitatem filij Deum patrem tuum amantis assurgeres. Nihil æquè amorem excitat, ac amor, quo quis se amari cognoscit. Vnde hunc affectum liquefactionis amoris excitabis, si amorem Dei erga te intuearis, & aspirando commemores. Cogitatione itaque constitue te ad pedes Domini tui in aliquo mysterio passionis, vt exempli gratia, in domo Cayphæ pro te accusationes, ineptas interrogationes, iniurias, & alapas sustinentis. Et ibi cor ad Patrem æternum efferens. 1. Gratias age, quoniam sic te dilexit, vt filium suum vnigenitum daret, & huic amori amore respondere statue. 2. Expende gratias agendo quantum te filius dilexerit, & similem amorem habere constitue. 3. Inspice etiam per modum gratiarum actionis, quàm dulciter & efficaciter te Spiritus sanctus amauerit, & huic amori amore responde.

Summa affectus

PRAXIS.

O Domine Deus meus, ô Pater æterne, qui viscera Patris habes erga me. En iaceo nunc ad pedes vnigeniti filij tui, quem aspicio coram iniquo Pontifice stantem, iniuriis, contumeliis, alapis, colaphis, & amaritudine plenum: & si causam tantorum malorum inquiro, certè inuenio, quia est immensus amor tuus, quo me ab æterno complexus es. Gratias igitur immensas tibi ago, quia sic dilexisti mundum, vt filium tuum vnigenitum dares, vt omnis qui credit in ipsum non pereat, sed habeat vitam æternam. O amorem tuum, Domine, admirandum & stupendum, quem tanta & tam ineffabilia commendant. Nam quis est amator? Non Rex, non imperator terrenus, non angelicus spiritus, sed tu Deus sapientissimus, optimus, potentissimus, quo nihil est, nec excogitari potest maius, aut melius. Et quid agis? Diligis, foues, amore complecteris, & hic amor tuus, hæc dilectio tua omnium bonorum, & cunctorum donorum principium & causa cognoscitur. Quem autem diligis? Mundum, aut hominem existentem in mundo. Quid est homo, ô amator ardentissime, quia memor es eius, aut filius hominis, quoniam visitas eum? Diligis altissimus cinerem, sublimis lutum, Dominus optimus seruum inutilem, diues pauperem, nobilis & magnus miserum, fortis imbecillum, beatus omni calamitate refectum. Quomodo verò diligis. Sic vt filium tuum vnigenitum dares; non agnum, non equum, non seruum, non Angelum, sed filium. Dedisti filium, non alienum, sed tuum, supra modum dilectum, de quo dixisti, quia multum tibi complacuit. Dedisti filium, non primogenitum, sed vnigenitum, ad quem pertinet tota hæreditas, & in quo totum amorem collocasti. Sed quónam modo eum tradidisti? Non mutuatum, non commodatum, non ad tempus, sed in perpetuum donatum, & nullis nostris exigentibus meritis in omnem desiderabilem vsum exhibitum. Satis erat nobis, si filium tuum ostendisses nobis. Hoc enim postulabat Dauid: Ostende nobis faciem tuam, & salui erimus.] Satis si pro nobis in mundum misisses? Quod petebat Moyses, dicens: Obsecrò Domine, mitte quem missurus es.] At viscera tua non tantùm filium ostenderunt, non tantùm in mundum miserunt, sed & nobis dono dederunt. Et ad quid eum dedisti, ô Pater? Certè vt hæc quæ nunc video, & plurima alia pro me sustineret, vt admiranda pro me faceret. Dedisti eum nascendo in socium, prædicando in doctorem, conuescendo in edulium, moriendo in pretium, regnando in præmium. Ad quid amplius eum dedisti? Vt ego, & omnes quotquot voluerimus, per eius gratiam ab omnibus malis liberemur, & non pereamus. Insuper vt omnia bona, & vitam æternam consequamur. Quid denique à me petis? Non diuitias, non honores, non amicos, non aliquid aliud, quod mihi difficile sit, & in mea non sit potestate, sed quod mille aliis titulis debeo, vt scilicet in te credam, vt te diligam, & tua mandata custodiam. En Domine, in te toto corde credo, & pleno ore omnia à te reuelata & proposita ad credendum confiteor, & en omnes homines etiam infideles, & à te alienos voluntate doceo. Te quantum possum diligo, tibi omnia tua bona volo, atque de illis gaudeo, & te mihi & creatis omnibus præfero. Tua præcepta in medio cordis mei habeo, & ea diligentissimè custodire constituo. Sic te diligo quòd me totum corpus, & animam tibi dono, vt ex me quod volueris in tempore & æternitate facias, & à me quidquid fuerit minus gratum, amoueas. Gratias deinde tibi ago ex omnibus medullis cordis mei, ô Christe Iesu, ô Fili Dei, ô verbum Patris, quoniam sic dilexisti me, vt hæc patereris pro me. Qualis est, ô Domine, amor tuus erga me, quem mihi in hoc mysterio, & in omnibus tuæ vitæ & passionis ostendis? Profectò amor æternus. Nam secundùm quòd Deus dilexisti me ante mundi constitutionem, vt essem sanctus, & immaculatus in conspectu tuo. Secundùm verò quòd homo, dilexisti me ab instanti conceptionis tuæ, adeò vt dicas: Charitate perpetua dilexi te. Amor gratuitus, & spontaneus. Non enim ob aliquod commodum tuum, neque ob aliquod bonum, quod tibi obtulerim, qui amas me antequam essem, & bonorum meorum non eges, sed ex mera largitate, & misericordia, & quia sic tibi placitum est, diligis me. Amor vtilis: quia in omnibus quæ fecisti, & passus es, meum commodum quæsiuisti, meo honori & profectui consuluisti. Et priùs numerabo stellas cœli, aut arenam quæ est in littore maris, qûàm tua possim in me beneficia recensere. Amor singularis: nam sic intimè, & tenerè, & efficaciter me diligis, ac si in amore nullum socium haberem. Tu Domine tunc, sicut & nunc, quando patiebaris, me singulariter cognoscebas, & illas iniurias & pœnas pro me offerebas, verè possum dicere, ac si solus essem, quia dilexisti me, & tradidisti temetipsum pro me. Ego sum ouis illa perdita, quam humeris tuis imponis: nam, ac si non esset alius homo, ita me ad gregem perducis. Amor rectus, quia non diligis me pro commodo tuo, sed pro honore Patris, & bono meo. Diligis naturam quæ ex te est, & eam donis cumulas, odis autem culpam, quæ ex me est, & eam destruis, & à me segregas. Amor vehemens qui te fecit tanta & tam dura pro me libenter pati, & plusquam famelicus cibum, & sitibundus potum, & moriturus vitam, pro salute mea iniurias & contumelias sitire. Tandem amor perseuerans, quia vsque in finem dilexisti me.

1. Ad Patrem. Ioan. 3. 16.

Psal. 8. 5.

Psal. 79. 20.

Exod. 4. 13.

2. Ad filium.

Tota vita tua amasti me, omnes labores tuos in vtilitatem meam impendisti,& nunc amare non cessas, & per totam æternitatem numquam amorem depones. Talis est Domine Redemtor, amor tuus. Quid ergo tibi tanto ac tali amatori pro tali amore rependam. In perpetuum amabo te, & (tua,vt confido,aspirante gratia) numquam à te discedam. Absque vllo intuitu retributionis amabo te, & in operibus & laboribus meis non aliud præmium, nisi solum te quæram. Vtiliter amabo te, quia membris tuis fratribus meis verbo & exemplo prodesse cõtendam. Singulariter amabo te,quia te solum diligam, & nihil aliud nisi in te, & propter te,& vt tu volueris, ad amorem admittam. Discretè amabo te,quoniam omnia, quæ tibi displicent,à corde meo euellam.Vehementer amabo te,& tuum beneplacitum, etiam in rebus minimis, omnibus rebus creatis præferam. Perseueranter diligam te, & amorem ac obsequium tuum, vt proprium munus mihi demandatum assumam. Gratias denique tibi ago, ô Spiritus sancte Deus, ô amor increate Patris, & Filij, quoniam tam ardens & mirus est amor tuus erga me. Tu enim es spiritus ille bonus & benignus,magnificus & largus, dulcis & suauis, amabilis & desiderabilis, qui cor Patris & Filij ad hæc pro me præstanda commouisti, & cum illis idem cor, id est, eamdem voluntatem habens, eadem operatus es. Tu per ora Prophetarum, & per simulacra rerum Christi aduentum prænuntiare, promittere, ac præfigurare non destitisti. Tu per multa millia annorum magnis & miris multiplicatis oraculis intelligentias nostras ad fidem erexisti, & affectus ad desideria Saluatoris inflammasti. Tu in Christo requieuisti,oleo exultationis vnxisti, in desertum expulisti, & ad omnia quæ pro me fecit,& pertulit, incitasti. Tu in me habitas, à malo retrahis, ad bonum allicis, & ad æternitatem perducis. Quid ergo faciam, ô amator meus, nisi diligere te, & amori amando me gratum exhibere? Te quantum possum diligere cupio, & pro te omnia creata despicio. O ignis purificans, & illuminans, qui omnia potes, omnia vincis, & cùm vis, omnia tuam actionem impedientia proteris, vince duritiam meam, expelle insensibilitatem meam, tolle frigus cordis mei,& fac vt in te amore liquefiam, & affectu dilectionis perfluam, & à te semper regar, & agar, & tua dulcedine complear.Amen.

3. Ad Spiritum sanctum.

A

B

C

D

E

Vt eam assequamur Christus venit in mundum. Ioan.17 11. Vers.20. Implet desiderii nostrũ.

1.Cor.6. 17.

Summa affectus.

1.Impedimenta abiicis.

2.Christo per virtutes te cõformas.

Qualiter Christo patienti vnieris.

EXERCITIVM XX.

Duplex vnio.

POST liquefactionem amoris sequitur vnio, quam hoc loco secundùm statum proficientium exercebis, vt cum Domino vnus spiritus fias.Duplex est vnio,altera conuersationis: altera affectus. De ista postea in exercitiis perfectorum, de illa verò modò dicendum est. Vnio autem conuersationis est qua homo omnia media inter se & Christum amouens, & eius similitudinem induens, in suis cogitationibus, verbis & operibus,quasi quædam Christi effigies efficitur. Hanc vnionem vt assequereris,ô frater, Christus in mundum venit, & quo hoc testatum faceret, iturus ad Patrem pro ea tamquam pro scopo sui aduentus orauit. Pater sancte, ait, serua eos in nomine tuo, quos dedisti mihi, vt vnum sint,sicut & nos.] Et adhuc clariùs:Non pro eis rogo tantùm, sed & pro eis qui credituri sunt per verbum eorum in me; vt omnes vnum sint, sicut tu Pater in me, & ego in te, vt & ipsi in nobis vnum sint, vt credat mundus, quia tu me misisti.] Hæc vnio implet desiderium tuum, sicut enim lapis tendit deorsum, & ignis sursum, vt in suis locis quiescant; ita animus redit ad Dominum,vnde exiuit, vt in eo requiem inueniat. Hæc est dignitas maxima tua;quia sic quasi Deus efficeris,cùm scriptum sit:Qui adhæret Deo, vnus spiritus est.] Hæc tandem est vtilitas summa. Nam si Christo vniti sumus, opera nostra nobilitantur, & opera eius nobis communicantur, & labores quos patimur, leniores redduntur. Quis enim neget, quòd si lutum misceatur auro, & lutum prẽtium & splendorem adquirit. Hanc ergo vnionem sic exercebis.1.Impedimenta quę obstant,ne Christo copuleris, abiicies. 2. Illi te per actiones virtutum conformabis, præsertim per feruorem qui pertinet ad prudentiam & obedientiam quæ pertinet ad iustitiam, & patientiam quæ ad fortitudinem,& humilitatem quæ ad temperantiam.3.Eius solam gloriam & honorem in omnibus quærere statues. 4. Perfectam ad eum conformitatem postulabis.

De qua hic agitur, & quid sit.

PRAXIS.

O Suauissime Domine Iesu Christe, ô dulcedo vera animæ meæ, ô sedes mollissima,& securissima, in qua solùm possum quiescerè, nunc coram Pilato te contemplor hostibus tuis cinctum, grauissimorum criminum accusatum, & ab omnibus qui adstabant, contemtum. At reuera tu es Rex Angelorum quem spiritus cœlestes ad honorem circumdant, quem innocentiæ authorem prædicant, quem omni laude & gloria dignum existimant. O vnicum refugium meum,ô thesaure animæ meæ, si tibi per vitæ similitudinem copularer,& vnus tecum conformitate morum efficerer. Vt id consequar, ô Domine mi, nunc omnem dissimilitudinem meam, qua tibi sum dissimilis, & omnia impedimenta huius vnionis à me concupitæ detestor. Cuncta peccata mea, omnes culpas meas, omnes excessus, immortificationes, inordinatas passiones, vana desideria, ineptas cogitationes, & quidquid aliud in me tibi displicet in immensitatem tui amoris proiicio. Hic amor tuus velut mare est, quod limitibus caret, quod principium & finem nescit. In ipsum omnia mea peccata proiecta suffocentur. Hic amor tuus velut caminus ignis est, cuius ardor omnem creatam cogitationem excedit. In eum vniuersa mea delicta & impedimenta iacta consumantur. Nihil horum maneat, Domine, nihil horum maneat. Sed quidquid alienum est à tua voluntate, quidquid oppositum est tuæ sanctitati, & dissimile tuæ puritati,funditus pereat. O iniquitates meæ relinquite me. O imperfectiones meæ discedite à me. O deformitates meæ separamini à me, vt sancto, & perfecto, & pulchro iungar, & eius similitudine vt amictu cooperiar. O si possem, omnes immunditias meas proprio sanguine eluerem. At sanguis meus immundus est. Tu agne mansuetissime, cuius sanguis purior est aqua, eas oro tuo sanguine laua, & me ab omnibus meis miseriis emunda. Indue, quæso etiam, ô Domine, animam meam sanctis virtutibus humanitatis

tuæ, & orna me his donis pretiosis, quæ sola me diuitem & beatum efficiunt. Non satis est animæ meæ, si à vitiis sit vacua, nisi etiam sit virtutum ac donorum plena. O igitur si me virtutibus, vt tibi placerem, impleres. O si intellectum illustrares, ô si voluntatem amore perficeres, ô si sensus & appetitus à labe emundatos congrua sibi perfectione componeres. O Rex virtutum, tuum est virtutes concedere; ô Magister bone, tuum est hanc scientiam perfectionis docere; ô Deus meus, ad te pertinet animam miseram meam nudam & pauperem tua similitudine sublimare. Fac vt qui viderint me, quodammodo videant te. Ita scilicet vt tam purè viuam, tam vigilanter ab imperfectionibus caueam, tam diligenter omnes virtutes exerceam, vt tibi similis, & per conformitatem morum coniunctus appaream. Volo Domine ad hanc similitudinem obtinendam magno feruore imperfectiones, has præcipuè, & illas vitare, & diligentissimè virtutum actibus inhærere: ita vt opera mea pulchra, & omni debita perfectione ornata euadant. Volo perfectæ obedientiæ me tradere, & in omnibus quæ fecero à tua & prælatorum voluntate numquam discedere. Volo patienter, sicut tu hodie me doces, iniurias, contumelias, irrisiones, & quæque aduersa sustinere. Volo me vt stercus despicere, vilipendere, & sub omnium pedibus me collocare. Hæc, inquam, volo, vt tuam similitudinem induam. Da mihi has virtutes & omnes alias, quæ me ad vnionem, quam cupio, subuehant, & ad vnionem amoris disponant. Insuper Domine, id etiam maximè cupio, in omnibus operibus & laboribus meis te, qui finis es, vt finem respicere, nõ in commodum meum, neque in oblectationem meam, neque in honorem meum tendere, sed tuam gloriam, & honorem, tuum beneplacitum & iucunditatem exquirere. Affectus cordis mei, & opera ac labores sunt gressus, quibus ad te accedo, quibus ad te sum peruenturus, & tuam vnionem adepturus. Ne ergo permittas, vt illos gressus in vanitatem faciam, & non tuum amorem, sed meum, qui radix est malorum, augeam. Similis tui in virtutibus esse volo, similis quoque esse in rectitudine intentionis desiderem, sine qua impossibile est veram virtutem tenere, & ad tuam vnionem aspirare. Tu Domine non gloriam tuam quæsiuisti, sed gloriam Patris. Ita & ego non gloriam meam, sed gloriam tuam quæram. Vt sicut in opere, ita in fine operis mei vnum tecum efficiar. Ac tandem, tu scis, ô amantissime Pater, quæ mihi opus sunt, tum interiùs, tum exteriùs, vt tibi cõformer, tu scis quæ vtilia erunt, vt tibi imitatione copuler, & ab Adamo terrestri seiungar. Hæc in eo gradu, quem tu in me vis, & ab æterno disposuisti, rogo vt benignè concedas. Omnipotens es, & nemo tibi impedimento esse potest, vt filios similes generes, in quibus perfectè tuam similitudinem referas. Ad hoc vocas me, vt filius tuus sim, vt cor filij habeam, vt te solum Patrem vocem, & agnoscam. Fac ergo me tibi similem, & omnia huius similitudinis impedimenta efficaciter tolle. Fac me, inquam, similem vitæ puritate, vniuersarum virtutum exercitatione, intentionis rectitudine, vt tandem ad perfecti & indissolubilis amoris vnionem admittar. Amen.

3. Eius gloriam quærit.

4. Postulatio.

Qua ratione te Christo offeres.

EXERCITIVM XXI.

A

STVDIVM est virorum spiritualium se & sua mille modis condire, & aptare, vt Deo placeant, & accedendi ad eum, & loquendi cum illo nouas occasiones inueniant. Hinc nunc se oblationes faciunt, nunc dona, nunc templa, nunc sacrificia, nunc holocausta, vt sicut Deus est illis omnia, ita & ipsi ad gloriam eiusdem Domini quodammodo omnia fiant. Tu ergo, ô frater, te oblationem aliquando facito, & Deo teipsum offerto. Talem oblationem in lege gratiæ requirit Deus. Sanè in te habes, quod offeras, inquit Augustinus, noli extrinsecus thura comparare, sed dic: In me Deus sunt vota tua, quæ reddam laudes tibi. Noli extrinsecus pecus quod mactes, inquirere, in te habes quod occidas, quia

B

sacrificium Deo spiritus contribulatus.] Cogita Dominum dicentem tibi, illud quod dixit Isaac: Fac mihi pulmentum, sicut velle me nosti, & affer, vt comedam, & benedicat tibi anima mea.] Téque ipsi libenter offerre non desinas, vt benedictionem accipias. Sed quoniam ipse Dominus factus est oblatio pro te, qui dilexit nos, & tradidit semetipsum pro nobis oblationem & hostiam Deo in odorem suauitatis, interdum ipsum offeres, & pro hac oblatione te multa accepturum bona confides. In prima parte huius exercitij sic procedes. Consyderabis te coram Domino in aliquo mysterio vitæ, aut passionis eius, quod meditaris. Et illi gratias ages, quia pro tua salute semetipsum obtulit,

C

& obligationem quam habes teipsum illi offerendi confiteberis. 2. Sciens quia Dominus non tam respicit donum, quàm animi promptitudinem qua donum offertur, te illi promptissimè ac libentissimè offerre constituos. 3. Offeres illi animam tuam in vnione sanctissimæ animæ eius, & eodem modo memoriam, intellectum, & voluntatem. 4. Offeres similiter in vnione integerrimi corporis eius, corpus tuum, præsertim os, linguam, & manus & pedes ad laborandum pro eo. 5. Offeres sensus tum internos, tum externos, & affectus cordis tui, vt eos comprimas, atque à malo retrahas. 6. Offeres totum teipsum ad faciendum & patiendum quæcumque voluerit. 7. Oblationem quam de te facis acceptam esse postulabis.

D

PRAXIS. §. 1.

O Christe Iesu, ô oblatio mundissima, quæ in omni loco ad honorem Patris immolaris, & cùm in mundum carne obuelatus veniisti, confessus es per os Dauidis te ad oblationem ex te faciendam pro nobis venisse. Immensas grates tibi refero ob istud insigne beneficium, quod ex tua larga manu suscepi. Obtulisti te Patri, vt eius faceres voluntatem, vtque illum peccatis offensum placares, & ex seuero iudice ad benignitatem inclinatum nobis illum Patrem tribueres. Obtulisti te vt nos membra tua facti auderemus nosipsos offerre, & ad conspectum Patris introire. Obtulisti temetipsum vt nos ad oblationem, ex eo quod sumus & habemus, faciendam astringeres. Fateor Domine, debitor sum, non possum effugere, non possum me subtrahere, omnibus modis debeo tibi meipsum offerre. Si quis pro me obtulisset immensam copiam auri, vt ego offerrem tantillum luti, an possem me excusare? an possem me ab onere minimæ & nullius pretij oblationis eximere? O Fili Dei, cuius caput aurum optimum, cuius mandata desiderabilia super aurum & lapidem pretiosum multum, cuius crura sicut columnæ marmoreæ,

E

Quantis modis iusti ad Deum accedãt.

Aug. ad Psal. 50. Homo se Christo offerat.

Gen. 27. 4.

Ephes. 5. 2. Christũ etiã Patri offerat.

Summa affectus.

1. Gratias agis quia Christus se obtulit pro te.

Cant. 5. 11. Psal. 18. 11. Cant. 5. 15.

quæ fundatæ ſunt ſuper baſes aureas,tu te obtuliſti pro me,& ego puluis & cinis,ego ſtercus impuriſſimum,ego lutum viliſſimum à beſtiis peccatorum conculcatum,me immunem à facienda ex me oblatione putabo? Nullo modo. Volo igitur,volo tibi meipſum offerre,volo nõ coactus,non vi compulſus,ſed libens,& ſpontaneus. Scio,ô Redemtor dulciſſime,quia non tam reſpicis donum,quàm donantis animum. Reſpexiſti ad iuſtum Abel, & ad munera eius,quaſi munera ſine iuſtitia viri non eſſent placitura,neque dona ſine voluntatis promtitudine in corde tuo locum inuentura.O deteſtor peccata mea, & odio habeo, & contritione deleo, & lacrymis abſtergo, ne oblationem meam inficiant. O ſpontaneè, promtè, libenter me offero, non triſti corde,nec repugnante,ne ob conceptum animum mancipij reiiciar. O cur non lætus oblationem meam faciam,qui oblatus valorem habeo, non oblatus,& in me manens valorem amitto.Sed quid tibi offeram, ô Deus altiſſime,quid tibi offeram? Non eſt verbum tuum? Si offeratis cæcum ad immolandum, nónne malum eſt? Ego autem cæcus ſum,& caligine iniquitatũ obuolutus, claudus,& ignauia compeditus,languidus,& vitiorum morbis oppreſſus. Quomodo ergo audebo tibi meipſum offerre, & in hoc quod tu malum dicis incurrere? Quomodo offeram tibi ſacrificium immundum, peccatis inquinatum, quod lege prohibitum erat offerri. At non eſt malum,immo bonũ, ſi languidus ſe medico offerat, vt ipſi medeatur, ſi pauper ſe oculis diuitis præſentet, vt ab eo ditetur,ſi ſeruulus in conſpectu Domini ſui appareat, vt ipſi famuletur. Ego autem ægrotus tibi me offero,vt à te ſaner, pauper & mendicus,vt à te diter,famulus vt tibi obſequium impendam. Quin & vt acceptior ſit oblatio mea, ſcio quid faciam. Offeram tibi teipſum,& in te meipſum abſcõdam, & abſconſus atque vnitus offerã,& ſic certus ſum quia nõ deſpiciar. Offero itaque tibi,Domine, pulcherrimam animam tuam,natura perfectiſſimam, gratia infinita decoratam,& in vnione illius offero miſeram animam meam,vt eam lacrymis compunctionis à peccatis mundem,& ad tuam gratiam recipiendam præparem. O benigne Paterfamilias miſerere ei,indue eam,& ſtola participationis ſanctitatis tuæ orna eam. Offero tibi tranquilliſſimã memoriam tuam ab omni ſuperfluitate alienam,& ſanctis cogitationibus plenam, atque in vnione eius offero tibi memoriam meam,vt eam ab omni vanitate purificem,& bonis cogitationibus occupem. Offero tibi ſplendidiſſimum intellectũ tuum ſapientia ineffabili refertum,& in abyſſum tuæ diuinitatis abſorptum, & in vnione eius offero intellectum meum vt eum à noxia ignorantia eorum quæ ſcire teneor, purgem,vt te & tua myſteria conſiderem, vt iugiter te contempler, & eum Eccleſiæ,& prælatis,in his quæ iubent, ſubiicere curem. Offero tibi rectiſſimam voluntatem tuam ab omni terreno amore auulſam, & ardentiſſima charitate decoram, & in vnione eius offero tibi voluntatem meam,vt eam ab amore rerum terrenarum ſeparem,vt te ſine vlla intermiſſione, quoad fieri poſſit amem,& tuæ faciam voluntati conformem. Sanctifica, quæſo, his donis tuis hanc oblationem meam, & à conſpectu tuo vacua ne exeat. Offero deinde tibi, ô amator ardentiſſime, puriſſimum ac nobiliſſimum corpus tuum, quod ad patiendum pro me adaptatum eſt, & in vnione illius offero corpus meum, vt inſtrumentum ſit obſequij tui,& vt per illud agam, & in illo patiar quæcumque volueris. Certè ſi ipſum corpus meũ fuiſſet tam pulchrum, & à corruptione alienum ſicut cœlum empyreum,ſi eſſet omnium humanorum corporum perfectiſſimum ac robuſtiſſimum, in tuum obſequium impendiſſem. At quale quale eſt,imbecillum,ægrotum,multis miſeriis ſubiectũ, & corruptioni proximum, tibi offero, & in illo & per illud tibi perfectè obſequi cupio. Offero & tibi dulciſſimam linguam tuam, organum illud doctrinæ cœleſtis, & in vnione illius offero linguam meam,vt culpas meas aperiat,laudes tuas promat, neceſſaria proferat, & de cætero tacere aſſueſcat. Offero & tibi ſpecioſas manus tuas tornatiles, aureas, plenas hyacinthis, & in vnione illarum offero manus meas, vt diligenter, & ex amore tuo, & propter gloriam tuam bonum operentur. Offero & tibi ſanctiſſimos pedes tuos, & in vnione illorum pedes meos, vt ſi tibi placuerit, ad ſalutem animarum per varia loca diſcurrant,& abſque neceſſitate,aut charitate,ſe in tuto cellæ contineant. Perfice, rogo, his muneribus corpus meum,& purifica membra mea, vt in eis nihil tibi minus gratum admittam. Offero etiam tibi, ô Saluator fideliſſime, ſenſus internos tuos, quibus ad cœleſtia vtebaris, & in vnione illorum ſenſus interiores meos, vt illos à vanis & noxiis euoluendis auertam,& in aliquo bono ſtabiliam. Offero & ſenſus exteriores tuos, quos ita habuiſti compreſſos, vt nihil niſi bonum & ad ſalutem noſtram neceſſarium perciperent; & in vnione illorum offero has quinque portas ſenſuum meorum,vt eas obſeratas habeam, & nihil per eas niſi iuxta tuam voluntatem introeat. Offero tibi oculos,ne vana videant, aures ne curioſa & ad me nõ pertinentia audiant, nares ne ſuaueolentia, & palatum,ne dulcia quærat,& tactum ne mollia & delicata, ſed dura & aſpera diligat. Offero etiam tibi mundiſſimum cor tuum,nullo vmquam minus ordinato affectu turbatum. Et in vnione illius offero omnes affectus cordis mei tam ad vim concupiſcibilem,quàm iraſcibilem ſpectantes, vt eos cohibeam, atque mortificem, & illos in bono collocem, & ad tibi placendum adiuuer. Reſpice, oro, hanc partem oblationis meæ tot impuritatibus fœdatam, vt miſertus mei,eam per gratiam tuam ab omni labe purifices. Offero tandem, ô Deus colendiſſime, totum meipſum ad cuſtodienda mandata tua, ad ſeruanda conſilia tua,& quidquid à me per tuam inſpirationem exegeris. Offero me ad perfectam abnegationem, & contemtum meiipſius, ad abſciſſionem omnium ſenſualium oblectationum,etiam in rebus minimis,quibus poſſum cor meum maculare, ad mortificationem paſſionum,ad ſuſtinentiam ægritudinum,ignominiarum,& iniuriarum,ad tolerantiam deſolationum, & derelictionum internarum,& ad quæcumque alia, quæ te immittente mihi accidere poſſunt in tempote,& æternitate,vt ſic oblatio mea, quam ex me facio, tibi gratior & acceptior exiſtat.Da obſecro Domine Deus meus, vt hæc oblatio accepta ſit coram te, & ex animo humili & compuncto procedens nullam repulſam ſentiat, ſed apud miſericordiam tuam ingreſſum reperiat. Tu qui duo æra minuta viduæ non repuliſti, hæc duo minuta animæ & corporis mei nequaquam abiicias, quæ enim habeo, id totum offero,& quæ de manu tua accepi,idipſum hac oblatione reſtituo. Anna illa mater Samuelis obtulit tibi filium ſuum in vitulis tribus, & tribus modiis farinæ,& amphora vini,& oblatio eius grata fuit. Ego in vnione corporis & ſanguinis tui, quæ in

2. Libenter vis te offerre.

Gen.4.4.

3. Offers animam, &c. Malach. 1.8.

4. Offers corpus.

5. Offers ſenſus.

6. Offers teipſum.

7. Poſtulatio.

1. Reg.1. 24.

ſacra

ſacra Euchariſtia offeruntur, me totum tibi offero. Fiat hæc oblatio accepta coram te, & quidquid in ea immundum eſt, aufer, & quidquid bonum, in melius prouehe, donec omnino perficias. Amen.

Hoc exercitium poteſt aliter fieri, ſcilicet loquendo cum æterno Patre, cui Chriſtum filium eius, & in vnione ipſius teipſum offeras, & vtrouis modo vtile erit, ſi conuerſatione tua, quod Deo oblatum eſt, ab eo ad vſum profanum non demas.

Oblatio Chriſti ad Patrē multis modis fit. Primus.

ALTERA pars huius exercitij eſt, ſi offeras Deo Patri vitam, & paſſionem, & mortem Chriſti vnigeniti filij eius. Quæ oblatio multis modis fieri poteſt, ſeu in varias partes diuidi. Primò ſi offeras Patri, ea ſigillatim quæ ſe offerunt in quouis myſterio particulari, vt in myſterio natalis Domini poteris offerre dignationē illam, qua voluit filius Dei ex Virgine naſci, humilitatem qua more aliorum infantium in terram decidit; imbecillitatem qua miniſterio & obſequio matris indiguit: paupertatem qua vilibus pannis inuolutus in præſepio iacuit: charitatem, qua ſe paſtoribus manifeſtauit: & in qualibet circumſtantia iſtarum aliquid ſimile petes. Et hîc habes latiſſimum campum afficiendi te ad Deum.

Secūdus.

Secundò ſi generaliùs totam vitam Domini ſimul offeras, humilitatem qua ſe per triginta annos abſcondit, charitatem qua ſe mundo manifeſtauit, zelum, quo prædicauit, poteſtatem qua mira patrauit, manſuetudinem qua tot ac tanta pertulit, fortitudinem qua mortem ſuſtinuit, & vicit. Et ſimiliter in quouis articulo aliquid petas.

Tertius.

Tertiò ſi ex tota vita Domini tui quaſi ſex oblationes facias, vnam qua eius infantiam offeras; alteram qua eius vitam abſconditam; tertiam qua eius prædicationem, & animarū miniſteria; quartam qua eius paſſionem, & mortem; quintam qua eius reſurrectionem, & gloriam; ſextam qua eius aſcenſionem in oblationem aſſumas. Pro paradigmate autem modum ſubiiciam, quo poteris Chriſtum in cruce pendentem, & eius plagas offerre, & ex hoc per temetipſum ad alia myſteria offerenda procedes.

PRAXIS. §. 2.

Mich. 6. 6.

O Domine Deus meus, ô Pater æterne, & vere Pater, à quo omnis paternitas in cœlis & in terra nominatur, te Patrem, te regem & Dominum vniuerſorum agnoſco, tuam ſummam maieſtatem laudo, benedico, adoro, & reuereor, & in profeſſionem pleni dominij tui, & ſubiectionis meæ erga te, nunc tibi aliquid offerre decerno. Sed quid dignū offeram tibi Domino? Curuabo tantùm genu tibi Deo excelſo? Numquid offeram tibi holocauſtomata, & vitulos anniculos? Numquid placari poteris in millibus arietum, aut in multis millibus agnorum pinguium? Numquid dabo primogenitum meum, primum opus vitæ meæ pro ſcelere meo, fructū ventris mei pro peccato animæ meæ? Hæc Domine iam tranſierunt, iam abolita ſunt. Quod à me petis, eſt, vt faciam iudicium, vt me ipſum ſeuerè pro admiſſis peccatis puniam, vt diligam miſericordiam, & proximis benefaciam, vt tecum ſolicitus ambulem, & feruenter tuis obſequiis intendam. Ita fiat, hæc præſtare volo, & ſtatuo, ſed quomodo impotens ſine tua gratia & præſidio præſtare potero? Ergo gratia tua mihi adſit per merita vnigeniti filij tui, quem nunc tamquam Redemtorem meum, & pretium meum, quod tu mihi dediſti, tibi offeram, vt gratię auxilia à te promerear.

1. Offers Chriſtū.

Offero itaque tibi, ô Pater amaniſſime, A Ieſum Chriſtum Dominum meum vnigenitum filium tuum dilectiſſimum, pendentem in cruce, nudum, vulneratum, plagatum, doloribus plenum, ignominiis & contumeliis coopertum. Et pro hac oblatione digniſſima, & tibi acceptiſſima, da mihi quod eſt bonum, & quod tu requiris à me, vt ſcilicet iudicium faciam, & in cruce mortificationis me crucifigam. O ſi iam ad imitationem Redemtoris mei ſenſus meos crucifigerem, affectus cohiberem, corpus domarem, propriæ voluntati contradicerem, & amori rerum huius mundi crucifixus eſſem. Hæc per merita huius oblationis me conſequuturum ſpero. Offero tibi, ô Pater ſuauiſſime, vulnera duo ſanctiſſimorum pedum eiuſdem filij tui, & dolorem illum acerbiſſimum, qui illum B ſupra modum afflixit, & duos riuos pretioſi ſanguinis decurrentis in terram. Ad hos pedes proſtratus rogo peccatorum meorum indulgentiā inueniam. O ſacri pedes, vos adoro, vos deoſculor, vobis reuerentiam exhibeo, in vobis Domini mei iuſtitiam miſericordiámque contemplor. Iuſtitiam aſpicio, & quia peccaui, timore conturbor; miſericordiam video, & ideo non deſpero. Per iſta vulnera veſtra humilitatem peto, vt qui per ſuperbiā cecidi, quia aduersùs legem Domini me erexi, per humilitatem & ſubiectionem reparer. Offero tibi, ô Pater dulciſſime, vulnus manus dextræ Domini mei, quam ipſe non ad nocendum, ſed ad benefaciendum extendit, quámque multiplex iniuſtitia mea clauo perfodit. Hæc manus extenſa & perforata C ſignum largitatis habet, vt quæ ſanguinem profert, donum non neget. Accipiam, oro, ab ea veram iuſtitiam, qua & tibi quod debitum eſt tribuam, & proximis meis nec verbo, nec opere, nec deſiderio iniuriam faciam, & in me tamquam in hominem ingratiſſimum debitas pœnas cōferam. Diſſolue manum dexteram meam, & robora eam, vt actionibus bonis intendat. Offero tibi, ô Pater benigniſſime, vulnus manus ſiniſtræ Domini mei, quæ nihil vmquam ſiniſtrum fecit, nihil præpoſterum aut alienum à perfecta virtute patrauit. Cui caput meum, ſicut ſponſæ caput innititur, cùm ab ipſo conſolationem & defenſionem accipio. Hæc manus me à concupiſcentia praua tueatur, hæc D mihi virtutem temperantiæ tribuat, qua à deſideriis voluptatum huius vitæ defendar. Cupio profectò cœleſtes conſolationes experiri, prout mihi ad perfectionem vtile eſſe poteſt; ſciam ergo mundi oblectamenta declinare, ne pro his ſpirituales delicias amittam. Offero tibi, ô Pater colendiſſime, venerandum caput vnigeniti tui ſpinis compunctum, aculeis trāsfixum, ſanguine cruentatum. Hoc diademate coronarunt ipſum peccata mea. Quid enim ex tam mala radice niſi ſpinæ oriri potuerunt, quæ innocentiam lacerarent. Per hæc vulnera oro te, Domine, vt ornes caput meūm ſapientia tua, qua tuam ſanctam voluntatem in omnibus agnoſcam, & ſecundùm eam meam vitam perficiā. His ornatus donis iuſtitiam diligam. Nam ſi humilis fuero, haudquaquam me aduersùs proximum E erigam, ſi iuſtus, neminem lædam, ſi temperatus, nulli prauo exemplo nocebo, ſi ſapiens, omne malum declinabo. Offero tandem tibi, ô Pater dilectiſſime, latus puriſſimi filij tui lancea confoſſum, & portam illam auream, quam non tam crudelitas militis, quàm benignitas tua, ô vere Pater, aperuit: per quam ego in ſanctuarium diuini cordis ingrederer, & amorem quo diligor ad augmentum amoris aſpicerem. Per meritum huius ſacri vulneris da mihi ardentiſſimam charitatem qua te diligam,

2. Vulnera pedū.

3. Manus dextra.

4. Manus ſiniſtra.

5. Capitis.

6. Lateris.

& vt puriùs & efficaciùs diligam, vniuersa creata contemnam. Hæc faciet quod à me tertio loco requiris, vt solicitus tecum ambulem. Nam charitas pigritiam vincit, ignauiam pellit, & cordi solicitudinem ad placendum dilecto, & ad seruiẽdum tribuit. O Domine per hanc oblationem sancti filij tui concede, vt ex parte mea hæc tria, iudicium, & misericordiam & solicitudinem tibi offeram, & in plagis filij seruus emendatus suscipiar. Amen.

Qua ratione te Christo donabis.

EXERCITIVM XXII.

Sit homo donum quod Deo donetur. Prou. 23. 26.

SI iam feciſti te oblationem, ô vir Dei, nunc facies te donum, quod non alteri niſi ipſi Deo donare conſtituas. Hoc demum à te requirit Deus verbo & facto. Verbo quidem cùm ait: Præbe fili mi cor tuum mihi.] Qui enim cor petit, quod præcipuum eſt, & à quo vita procedit, & quod ſi aliquid retineatur, totum non datur, nihil cæterorum excludit. Facto autem, nam de eo ait Paulus: Qui etiam proprio filio ſuo non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illum, quomodo non etiam cum illo omnia nobis donauit.] Si filium & omnia dono recepimus, lex gratitudinis exigit, vt nos quoque & omnia noſtra donemus. Inde maximam vtilitatem percipies: nam ſi te proprio tui dominio abdices, & illud in Deum transferas, quamdam eius ſpecialiſſimam prouidentiam aucupas, quam vnuſquiſque in propriis rebus collocare conſueuit. Magna etiam dona ab eo recipies. Vnde Nilus Abbas ait: Reddamus Deo omnia noſtra, & bene erit nobis; bonus enim idem prorſus, bonorum quoque munerum dator eſt. Nihil eſt quod Dei dominium ſubterfugiat, ipſe quippe ait: Mea ſunt enim omnia. Verum eſt hoc, ſed crede mihi, Deo maximè placet, ſi tu qui Dei es, ſponte & libenter, quaſi nouo titulo donationis, ad illum pertinuiſſes, teipſum dones, & nihil tui tibiipſi relinquas. Tunc intelliges vim illorum verborum: Ego autem mendicus ſum, & pauper: Dominus ſolicitus eſt mei.] Quis enim magis mendicus eſt, & pauper, quàm ille qui nec ſeipſum habet, ſed ſuiipſius alteri copiam fecit? Sed hac mendicitate, & neglectu tui illud conſequeris, vt Dominus ſolicitus ſit tui, vt oculos ſuos ſuper te ponat, & te ac tua omnia velut propria, & ſibi maximè chara reſpiciat. Sic ergo hunc affectum exercebis. 1. Fateberis coram Domino te infinitis rationibus ac titulis illius eſſe, his autem omnibus te velle ſpontaneam donationem tui, & omnium tuorum adiicere. 2. Per votum paupertatis quaſi de nouo editum dabis illi quidquid habuiſti, vel meliùs quidquid habes, & quidquid non habes. Quia Dominus voluntatem pro facto habet, ſi efficax ſit, & quod pro eo de facto relinqueremus, ſi poſſideremus, tamquam ſibi datum, ſeu pro ſe relictum perſoluit. 3. Per votum caſtitatis dabis illi corpus tuum, vt illud in omni munditia & circumſpectione contineas. 4. Per votum obedientiæ dabis illi animam tuam, & propriam voluntatem, vt non tuo, ſed alieno arbitrio regaris. 5. Reſpicies te vt alienum, nempe Dei, Deum autem vt tuum. Nam & ipſe Deus meus, dixit quidam, & glorificabo eum, Deus Patris mei & exaltabo eum, & tui tamquam rei alienæ curam depones, & Dei honorandi & diligendi tamquam rei propriæ curam ſuſcipies. 6. Poſtulabis à Domino, ne tibi, hanc donationem reſcindere, aut retractare, permittat.

Nilus de oratione, cap. 7. Licèt homo ſit Dei, poteſt nihilominus ſe illi donare. Pſal. 39. 18.

Quæ huius donationis vtilitas.

Summa affectus.

Exod. 15. 2.

PRAXIS.

O Chriſte Ieſu, ô Domine vniuerſorum, cuius dominationem nemo effugit, cuius poteſtatem nullus excludit, omnia in manu tua ſunt, & ſubiecta ſunt tibi, & hoc habent boni, quòd tibi ſubdantur, quòd à te regantur, quòd ſecundùm voluntatem tuam, tamquam res tuæ, huic aut illi muneri deſtinentur. Et ego quidem, Domine, vnus ex creaturis tuis ſeruus tuus ſum, & filius ancillæ tuę. Seruus, inquam, tuus & ſubſtantia tua, ac ſupellex tua, neque eſt aliquid tam in dominium hominis cadens, & ex quo pro ſuo arbitratu diſponere valeat, ac ego ſubſum dominio tuo. Certè ſi homo linteum ſuum quo nares emungit, ſine cauſſa ruperit, laceraverit, abiecerit, nulli iniuſtitiam facit, at nonnihil indecens facit, quia fruſtrà rem ſuam perdit. At ſi tu me occideris, abieceris, in nihilum redegeris, nihil minus decens facies, adeò tuo dominio ſubſum, & ab arbitrio tuæ voluntatis, quæ ſemper iuſta eſt, omnino dependeo. Tuus ſum Domine, titulo creationis, quia feciſti me, tuus titulo conſeruationis, quia ſuſtines me, tuus titulo redemtionis, quia redemiſti me, tuus titulo iuſtificationis, quia remiſiſti peccata mea ob quæ dignus eram in infernum detrudi. Tempus me deficiet, priuſquam rationes numerem ob quas totus ſum tuus. Si enim ſingulis momentis quaſi de nouo mihi eſſe & vitam tribuis, ſingulis etiam momentis quaſi nouam dominij rationem adquiris. Gaudeo quòd ita ſit, & de hoc dominio tuo ſupra me vehemẽter exulto, & ego ſeruum tuum pluſquam emtitium, aut bello captum, & rem tuam me eſſe confiteor. At ſi ſupra hos titulos ac rationes dominij aliquid valet donatio, qua ego ſeruus me donem tibi (& ſanè alicuius eſt valoris, quoniã tuorum ſeruorum bonam voluntatem non reſpuis) ego libentiſſimè me tibi dono, & omnia quæ ad me quoquo modo pertinent, & me hoc dominio abdico, & totus tuus eſſe conſtituo. Ne me rideas, Domine, quia ex deſiderio placendi tibi & ex amore tui has occaſiones ingrediendi ad te, & loquendi tecum excogito. Et ſi fieri poſſet, quod tuus non eſſem (quod tamen eſt impoſſibile) tibi me donarem, & omne dominium quod ſupra me habeo, in te meum Saluatorem transferrem. Summas gratias refero tibi, ô Redemtor, & Domine vitæ meæ, quia per tuam miſericordiam voluiſti vt eſſem vnus ex illis, qui dicunt: Ecce nos reliquimus omnia, & ſequuti ſumus te. Vocatus ſum à te vt votum paupertatis emitterem, & eo vniuerſa temporalia deſererem. Hoc votum iam emiſi, nunc verò ratum habeo, & gaudeo quia feci. Hoc autem voto do tibi pauca quæ habui, & multa quæ vanè concupiui, immo & omnia quæ in mundo ſunt, quæ habere potui. Si omne argentum, & aurum, & omnes lapides pretioſi, & cunctæ hominũ opes meæ eſſent, ſi illa, aut illa poſſiderem, omnia propter te dimitterem, & pauper ac nudus permanerem, ne his occupatum cor meum rebus creatis adhæreret, & à te meã cogitationem aut affectum auellerem. Vel certè ſi ad eum ſtatum vocarer, in quo operè relinquere non poſſem, redditus in pauperes diſtribuerem, orphanos ac viduas paſcerem, & tua templa donis ornarem. Sic dico Domine, ſic cogito, ſic nunc volo, tu optimè ſcis, quid eſſem facturus. At laudo te, & glorifico, quia occaſionem

1. Confiteris quia Dei es.

2. Das illi externa.

superbiendi, & profusè viuendi à me subtraxisti. Rogo autem vt talem cõtemtum sæculi,& omniũ bonorum eius mihi concedas. Quòd si ea mihi suppeterent, sicut dixi & proposui, reuera pro te relinquerem. Gratias quoque tibi ago, ô Princeps purissime, quia hanc mihi cogitationem iniecisti, vt me tibi per castitatis votum consecrarem. Me iam hoc voto cõstrinxi,vel potiùs à molestiis multiplicibus carnis meæ meipsum absolui, quia scriptum est de his qui coniugio vacant: Tribulationem carnis habebunt huiusmodi.] De hoc autem voto à me emisso gaudeo, & exulto, & noua illud voluntate confirmo. Sic etiam corpus meum tibi trado,& donatione resigno,vt illud in omni mũditia & puritate contineam,vt non secundùm desideria carnis viuam,vt eam ab omni labe cohibitam ad seruiendum spiritui conuertam. Do,inquã, corpus meum castitati,carnem meam,ne lasciuiat, debitæ afflictationi, manus meas circumspectioni, oculos meos modestiæ, aures meas sepiam spinis, ne qua virus concupiscentiæ ingrediatur. Item & do corpus meum vt ex eo secundùm tuam voluntatem facias,& siue rerum penuria,siue ægritudinibus,siue doloribus,vt tibi placuerit,affligas. Denique magnas grates tibi refero, ô supreme Domine mi, quia tua inspiratione & gratia ad votum obedientiæ præstandum sum vocatus, quo iugum ferreum propriæ voluntatis deposui,& vt à te regerer,& specialiùs gubernarer obtinui. Huic tuæ inspirationi parui, & iugum suaue ac onus leue sanctæ obedientiæ suscepi. Illud nulla ratione excutere cogito,sed magis modò noua voluntate cõplector.Et quidem hoc voto do tibi animã meam, & voluntatem meam,animam scilicet,vt sit tibi omnibus modis subiecta, & à tuis iussis numquam deuiet,neque à iusto & æquo declinet,voluntatem verò vt Ecclesiæ ac Prælatorum voluntati se accommodet, vt secundùm quod iustè imperatum fuerit,nolit & velit. Iudicium etiam,vt in his quæ imperantur, idem quod prælati sentiat, & curiosè rationes non inquirat. Et siquidem donatio, ô amantissime Domine, secundùm omnia iura dominium rei donatæ in eum,cui donatur,transfert, & à donatore tollit, sequitur, quia vel ex hac donatione ius in meipsum perdidi,& totum in te,cui donatus sum, transtuli. Iam ergo non sum meus, sed alienus nec curare debeo quid accidat mihi. Quisque ô Domine habeat curam rerum suarum. Ego tuus sum,habe igitur curam mei.Tu me mancipium tuum rege, tu donis spiritualibus pasce, tu defende, tu custodi. Quia verò tu es Deus meus, ego habebo curam tui, vt scilicet te diligam, tibi obsequar, tuum honorem & gloriam quæram, & quæ ad te pertinent secundùm vocationem meam promouere contendam. Sic implebitur illud in me: Dilectus meus mihi, & ego illi.] Et dum curam mei reliquero, te me ac mea curantem habebo. Da mihi, ô Domine,per misericordiam tuam, quod omnino iustum est, vt scilicet, quandoquidem tuus sum, me semper vt tuum respiciam, me alienum esse cognoscam, & rem alienam contra voluntatem Domini attrectare non audeam.Da vt numquam in animum inducam hanc donationem rescindere,& ad meipsum redire.Certum est enim quòd ad seruiendum natus seruitutem excutere non possum, & quia si tibi Domino meo ad bonum meum non seruio, pessimo Domino mihiipsi, & peccato me subiicio.

3. Dus corpus.

1. Cor. 7. 28.

4. Animam.

5. Te alienum videas.

Cant. 2. 16. 6. Postulatio.

Qua ratione te Christo consecrabis.

EXERCITIVM XXIII.

HOMO templum Dei est, dicente Paulo: Nescitis quia templum Dei estis,& spiritus Dei habitat in vobis.] Et postea: Templum enim Dei sanctum est, quod estis vos.] Hoc itaque de teipso cogitabis,ô frater,quòd sis templum Domini multo augustius & excellentius illo templo Hierosolymorum quod à Salomone erectum ac dedicatum est. Sed contigit tibi idem quod templo illi:nam sicut illud non semel ab hostibus euersum, ita & tu à peccatis veris humani generis hostibus destructus es.Vt ergo te iterum reædifices ac Domino consecres, necesse est, vt Iudam Machabæum ducem fortissimum imiteris. Is enim vt templum sanctificaret, primò ascendit in montem Sion: deinde videns sanctificationem desertam, & altare prophanatum, & portas exustas,& in atriis virgulta nata,scidit vestimenta sua,& fleuit planctu magno,& posuit cinerem super caput suum. Postea templum diligenter mundauit,ac tandem solemniter dedicauit.Idipsum facies,& sic te Domino cõsecrabis. 1. Relictis omnibus visibilibus ascendes ad teipsum, & colliges te intra te: nam cùm tu melior sis rebus caducis, & perituris,hoc quod est ingredi ad te ascendere est. 2. Videbis stragem,quam peccatũ in te fecit, quia nimirum cor tuum prophanauit, circumspectionem adducit, & vitiorũ in te semina iecit.Hæc autem videns planges,& te contritione discindes, & humilitatis affectum assumes. 3. Mundabis te ab omni eo quod fœdum est & inuisum Deo tuo. 4. Petes à Domino sacerdote magno,vt te consecret ad cultum suum,vt nimirum in te lumina fidei & sapientiæ succendat, oleo deuotionis inungat, & signa suæ crucis, multiplicem nempe actum mortificationis imprimat. 5. Statues te iam templum Domino cõsecratum ad vsus prophanos non vertere,& desideria sæculi huius ablegare.

1. Cor. 3. 16. Homo excellentissimum templum Dei.

Peccatis destruitur.

1. Mach. 4. 38. Quomodo reparatur.

Summa affectus.

PRAXIS.

O Domine Iesu Christe,qui cum Patre & Spiritu sancto vnus es Deus, ô amantissime Redemtor, qui vt verus ac naturalis Deus in sancto habitas laus Israël. In sancto, inquam, habitas, in cœlo sancto Templo tuo, & in animabus sanctis, quas in Templa tibi eligis, & vt dignæ sint præsentia tua, cuncta in illis vitia & superflua consumis. Me elegisti vt essem templum tuum in quo habitares, in quo à viribus animæ meæ adorareris. Hoc templum cupio,vt hodie à te,qui summus es, & verus Pontifex secundùm ordinem Melchisedech, spiritùaliter dedicetur ac consecretur, quod vt consequar, tua gratia adiutus, quod ad me pertinet, faciam. Nunc Domine intellectu & affectu omnia visibilia relinquo,& ad meipsum, quem tu visibilibus istis superiorem & meliorẽ fecisti, passibus considerationis ascendo, atque ad meipsum ingredior,vt videam,an paratus sim,& ornatus, & mundus vt tantus rex & sacerdos magnus ad me veniat,& hanc solemnem cõsecrationem peragat. Illumina quæso oculos mentis meæ vt ad me ingressus, memetipsum considerem ac qualis sim, & qualis esse deberem,attentè perspiciam.Video me, ô mansuetissime Redemtor, ac si essem templum ab hostibus dirutum. Altare cordis mei prophana-

Psal. 21. 4.

1. Colligis te.

2. Vides te.

tum

tum est. Nam tot cogitationes inanes, tot superflua desideria,quid indicant,nisi cor meum debita munditia carere. Tu dixisti: De corde exeunt cogitationes malæ, cogitationes impuræ, quæ coinquinant hominem. Quàm erit ipsum cor inquinatum, ex quo exeunt quæ me inficiunt? Portæ circumspectionis exustæ sunt,non me custodio, non mihi inuigilo,nõ defectus leues extimesco, omnia mihi tuta ac pacata arbitror,ac si diabolus non pararet insidias. In me quottidie herbæ malæ affectuum inordinatorum germinant,& quæ iam radicitus euulsa putabam, iterum pullulant, & me perturbant. Hæccine est domus quam tibi ab initio conuersionis meæ tot annis & tantis impensis à te factis ædificaui? Hoc templum quod tibi paraui? Hæc requies quam in corde meo tibi quæsiui? O si numquam tam oscitanter vixissem. Doleo, Domine,& compungor, quoniam immundus sum,quoniam tot imperfectionibus & implicationibus huius sæculi prophanatus sum, quoniam omni bestiæ volenti intrare,id est, omni vanæ cogitationi & desiderio patens sum. Iam,ô author puritatis Iesu, volo hoc templum tuum à me prophanatum & pollutum mundare. Mundabo illud non tantùm præsenti dolore,& compunctione,verùm & assiduo labore, & exercitatione. Conabor certè altare cordis mei à peccatorum contaminatione auertere,vel potiùs illud demoliri,vt tu cor mundum in me crees,& spiritum rectum innoues in visceribus meis.Conabor prauos affectus & inanes cogitationes radere,& si radices euellere non possim,quoniam homo sum, at pro mea possibilitate actus pullulantes exscindam. Conabor me vigilantia munire,& sancto feruore circumdare, ne ad me muscæ morientes imperfectionũ accedant. Robora, obsecro, brachium meum virtute tua, vt huic curæ me mũdandi, & ornandi virtutibus feruenter insistam. O tu Domine sacerdos magne, qui in diebus mortalitatis tuæ summè placuisti Deo Patri,& nunc similiter places, & in æternum placebis,ad hanc istius templi tui consecrationem benignè descende, & hoc opus dedicationis meæ, tu qui potens es, perfice. Accende in intellectu meo lumen fidei, lumen sapientiæ, quo cœlestia contempler, quo meipsum,quàm vilis sim,& contemtu dignus intuear,& te summum bonum & dignum infinito amore cognoscam. Fac vt lucerna sit pedibus meis verbum tuum, & lumen semitis meis. Ipsum me dirigat, ipsum me doceat, ipsum me in agnitionem veritatis inducat.Inunge voluntatem meam oleo sanctæ deuotionis vt promtè quæ sua sunt exequar, vt amore & desiderio tui totus absorbear. Crux tua, & cogitatio passionis tuæ imprimatur in memoria mea, vt hanc semper cogitem, & ad eius imitationem me accõmodem. Nonne tu dixisti: Pone me vt signaculũ super cor tuum,vt signaculum super brachium tuum.] Vtinam ita fiat,quòd te Dominũ meum in corde per assiduam tui memoriam,& in brachio per bonam actionem portem? Sic ero templum sanctum tibi in quo habitare non dedignaberis. Audiam & ego obsecro Domine aliquando per inspirationẽ tuam illud quod à te dictum est Salomoni: Exaudiui orationem tuam,& deprecationem, qua deprecatus es coram me, sanctificaui domum hanc, quam ædificasti,vt ponerem nomen meum ibi in sempiternum,& erunt oculi mei,& cor meum ibi cunctis diebus.] Sint oculi tui in me,vt meos labores suscipias. Sit cor tuum circa me, vt me facturam tuam diligas. Ego autem hac mercede donatus à te per curas sæculares non auertar,nec ad pristina mea mala conuertar.

Matth. 15. 19.

3. Mundas te.

4. Petis vt consecreris.

Cant. 8. 6.

5. Vt ad sæcularia non conuertaris. 3. Reg. 9. 3.

Qua ratione te Christo sacrificabis.

EXERCITIVM XXIV.

EST etiam homo virtuti deditus sacrificium Deo gratũ. Quare Hieronymus ait: Ille vere victima Domini est qui corpus & animam à vitiis emundando Deo per amorem Spiritus sancti consecrat;nec sale aspergitur,sed igne consumitur,quando nõ peccati tantùm contagio pellitur, sed & præsentis vitæ delectatio tollitur,& futuræ conuersationi tota mente suspiratur.] Est autem homo non quodlibet sacrificium,sed illud,de quo Dauid ait:Sacrificate sacrificium iustitiæ, & sperate in Domino,] quandò id quod iustitia exigit,præstat,& se per lamenta pœnitentiæ immolat, & per opera pietatis mactat. Hoc sacrificium, ô frater, te esse contendes,& vt te immoles Domino,hæc in oratione cupies,& statues,& postmodum in conuersatione facies. 1. Memor illius dicti Mosis,quòd renunciauit Pharaoni:Hæc dicit Dominus Deus Israël:Dimitte populum meum,vt sacrificet mihi in deserto.] Hoc sacrificium immolaturus mundi huius inquietudines & curas cogitatione relinques,& in quadam solitudine creaturarum te constitues. 2. In hoc deserto positus abominationes Ægyptiorum immolabis Domino. Nam sicut Ægyptij carnales ouium & boum occisionem abominabantur, ita Ægyptij secundùm spiritum,id est,iniqui, suorum desideriorũ mortificationem, & peccatorum mactationem abominantur. Hæc tu immolabis, & in corde tuo per compunctionem,& mortificationem occides. 3. In operibus iustitiæ erga Deum, erga proximum,& erga teipsum,omnem sinistram intentionem, atque omnem negligentiam & imperfectionem mactabis. 4. Hæc facies ea intentione, qua sacrificia & hostiæ offerebantur,vt scilicet à peccato munderis,& pro beneficiis acceptis gratias agas,& vt noua beneficia recipias.

Hieron. in Marc. cap. 9. Homo sacrificium Deo gratum.

Psal. 4. 6. Est sacrificiũ iustitiæ.

Exod. 5. 1. Summa affectus.

1. Ad solitudinẽ creaturarũ confugis.

PRAXIS.

O Redemptor humani generis Iesu sanctissime, qui in signum infiniti amoris erga nos, hoc insuper beneficium aliis innumeris addidisti, vt pro nobis in ara crucis sacrificium fieres,& inter dolores & angustias grauissimas ad placandum Patrem immolareris, immensas gratias ago tibi ob hoc opus reparationis nostræ,& ob ostensionem magnæ dilectionis tuæ, in cuius gratitudinem en ego venio ad te, vt sacrificium fiam, quod tu pro tua pietate suscipies.Eduxisti Domine Deus meus, populum tuum de terra Ægypti, vt illum à dura seruitute liberares, & in terra promissa stabilires, vbi posset cultui tuo vacare,& liberè ac decenter tibi sacrificia & hostias offerre. Laudo & glorifico te,quia hoc spiritaliter in me gestum est. Ex Ægypto huius sæculi vocasti me,& ad statum quietum adduxisti. Quid faciam nisi tibi vacare,nisi purissimum tibi cultum exhibere. Scio tamen, scio, & experimento comperio,quia locus quietus,& status tranquillus ad tibi vacandum non sufficit, nisi cor etiam sit quietum, & quasi in quadam solitudine constitutum. Volo ergo solus esse, & in qua-

dam

dam ſolitudine creaturarum me collocare, vt liberiùs in tuum obſequium incumbam. Fugio itaque vniuerſa peccata, quoniam tibi deſplicent, & ſtatuo cum gratia tua pro imbecillitate mea ſine illis viuere, & nihil agere niſi in te, & propter te. Fugio creaturas, opes, commoda, & munera honorifica, & cætera huiuſmodi, & ab intellectu & affectu meo reiicio vt omnem cogitationem & curam meam ponam in te. Fugio omnem delectationem tum corporis, tum animi, & quantum eſt in me, ſi tibi placet, in omni dolore & deſolatione viuere volo, vt omnem amorem in te conſtituam, & ne ad aliquid creatum afficiar. Fugio tandem meipſum, & nolo in aliquo meipſum quærere, ſed potiùs verè & ex animo me in omnibus abnegare, ac meos ſenſus & affectus cohibere. Da obſecro Domine, vt ita faciam, & in omnimoda ſolitudine creaturarum viuam, ſeu vt à nimio amore ipſarum auertar, vt purius ſacrificium tibi offeram. Quid autem hîc conſtitutus immolabo tibi, ô ſancte Deus, an peccata mea, an immortificationes meas? Sed hæc immunda ſunt, immo & ipſæ immunditiæ. A te autem præceptum eſt, ne quidquam immundum tibi immolaretur. Sed ſi peccata immunda ſunt, at eorum deteſtatio munda eſt: & ſi immortificationes immundæ ſunt, at earum emendatio pura eſt, & cor peccatorum cauſſa contritum & humiliatũ nullo modo deſpicis. Compungor ergo vehementer, quia in te rebellis extiti. Doleo de omnibus exceſſibus & immortificationibus meis. Perimo in me veterem hominem, id eſt, quidquid vitioſum, & tuæ voluntati contrarium eſt, quantum poſſum, extinguo. Moriatur, Domine, in me peccatum, moriantur vitia, moriantur defectus & exceſſus mei, mortificentur & cohibeantur affectus, & ſenſus, vt virtus reſurgat in me, & ſimilitudo tuæ bonitatis illuceat. Occumbant vetera, & emergant noua, vt nouus homo factus in nouitate vitæ ambulem, & quemadmodum ſeruum tuum decet, in omnibus me geram. Item Domine, aliud eſt quod in me perimam. Nam in operibus bonis meis plurima inuenio, quæ illa inquinant, & fœdant. Siniſtra intentio qua meipſum quæro, aut hominibus placere cupio, opera mea tenebroſa facit. Hanc ab illis amouere volo, & omnia ſiue ad tuum cultum pertineant, ſiue ad vtilitatem proximi, ſiue ad caſtigationem meam, ad tuam gloriam & honorem præſtare. At negligentia quàm ſolicitè inſidiatur operibus meis, adeò vt nullum ſit, quod non ex toto vel ex parte coinquinet. Et iſtam quoque per ſanctum feruorem euertam, vt bona opera bene fiant. Tandem multiplex imperfectio, quæ ſe immiſcet laboribus meis, eorum fructu me priuat. Curabo ergo has imperfectiones abiicere, & opera pulchra producere. Hoc ideo vt ſancto ſancta opera offeram, vt coram te, cui in omnibus placere volo, bona opera quæ te donante & adiuuante fecero, grata appareant. Sed per huius ſacrificij oblationem, ô Saluator omnium, quid expeto? Id quidem vt à peccatis meis munder. Amplius igitur laua me ab iniquitate mea, & à peccato meo munda me. Confido de miſericordia tua, quia iam me aliquantulum lauiſti. Sed exquiſitiori lotione, & maiori munditia opus eſt, qui tecum vult iugiter conuerſari, & in adyta amoris ingredi. Inſuper expeto, vt pro beneficiis à te receptis aliquas, licèt exiles, gratias agam. Nec permittas me in peſſimum malum ingratitudinis cadere, & opera mea, quæ in ſignum gratitudinis offero, ne repellas. Tandem deſidero noua beneficia promereri, ea ſcilicet quæ tu vis, ac diſpoſuiſti mihi dare. Ea quibus tibi ſum placiturus, & tuam intimam familiaritatem adepturus. Eia Domine, ſuſcipe me, fac me verum ac gratum ſacrificium tuum, ita vt in tuum honorem tendam, & in omnibus me tuum eſſe profitear. Amen.

2. Abominationes maſſas.

3. Et ſiniſtram intentionẽ.

4. Hæc facies vt munderis.

Qua ratione te holocauſtum efficies.

EXERCITIVM XXV.

DEMVM conaberis te per modum holocauſti Chriſto offerre, quod erat omnium ſacrificiorum præſtantiſſimum. Chriſtus pro te holocauſtum factus eſt in cruce, quem omnia antiqua holocauſta ſignabant. Totum ſeipſum obtulit, & igne charitatis incendit. Crux eius menſa eſt ad quam inuitaris. Quando ergo ſederis per conſiderationem ad hanc menſam vt comedas cum Principe, diligenter attende quæ appoſita ſunt ante faciem tuam, quia talia oportet te præparare. Holocauſtum tibi apponitur, holocauſtum te facies, & tunc ſimilia præparabis. In pecude aut aui, quæ in holocauſtum offerebatur, hæc requirebantur. Primò vt animal oblatum eſſet maſculum. Secundò vt eſſet mundum. Tertiò vt eſſet integrum. Quartò vt totum incenderetur, & conſumeretur igne, & hoc ſignificat nomen holocauſti, quod interpretatur totum incenſum. Quintò vt non obtentu remiſſionis alicuius peccati, aut adeptionis alicuius beneficij principaliter, ſed ob honorem diuinæ maieſtatis offerretur. Si hæc exercueris ſpiritu, gratiſſimum Deo holocauſtum efficieris. 1. Ergo ſtatues, & petes animum virilem induere, & omni fœminea imbecillitate depoſita difficultates in via Dei occurrentes ſuperare. 2. Omnem immunditiam operis & cordis abiicere. 3. Omnia quæ tibi mandata ſunt, & ratione ſtatus aut vocationis impoſita abſque vllo defectu implere. 4. Quidquid feceris ex amore, & cum amore facere, & quaſi igne charitatis abſumere. 5. In his nihil aliud niſi diuinum honorem & gloriam expetere.

Homo Dei holocauſtũ.

Prou. 23. 1.

Qua requirebãtur ad holocauſtũ.

Summa affectus.

PRAXIS.

O Amabiliſſime Domine Ieſu Chriſte, ô Princeps regum terræ, gratias tibi ago, quia temetipſum tradidiſti pro me. Es tu Domine illud holocauſtum ſuauiſſimum, quod vniuerſa holocauſta & ſacrificia antiquæ legis euacuaſti, & tamquam veritas vmbris illis atque figuris ſucceſſiſti. Verè maſculus ſeu virilis, cuius fortitudine omne malum quod nobis aduerſabatur, contritum eſt. Verè mundus & purus, ex cuius munditia quiſquis ſanctus eſt, ſanctitatem accepit. Verè integer, in quo defectus nullus fuit. Verè totus incenſus & immenſa charitate flammatus, qui in ara crucis te totum vſque ad extremum ſpiritum Patri obtuliſti, & moriens dixiſti: In manus tuas commendo ſpiritum meum. Et verè tandem ad gloriam æternæ maieſtatis immolatus, qui non gloriam tuam quærebas, ſed eius qui miſit te. O ſi pro meo modulo tibi vicem rependerem, ac pro tam immenſo beneficio me tibi in holocauſtum offerrem. Volo

1. Animum virilè imbuit.

ô Deus meus, & enixè opto holocausti qualitates imbibere, si fortè aliquando assequar pro holocausto à te susci pi. Iam omnem pusillanimitatem abiicio, omnem ignauiam & negligentiam me subneruantem depono, & animum viro ad tuam familiaritatem vocato dignum induere cupio. Conforta me hodie virtute tua, vt meipsum superem, vt aduersarium me tentantem euentilem, vt meis affectibus & desideriis imperem, atque vt omnia impedimenta virtutis & perfectionis euincam. Tu es, qui pascis oues tuas, & eas accubare facis. Tu quod perierat requiris, quod abiectum erat reducis, quod confractum fuerat alligas, & quod infirmum consolidas, & quod pingue & forte custodis. En ego per iniquitatem meam perij, require me: per distractionem aufugi, reduc me: per inania desideria confractus sum, alliga & sana me: per pusillanimitatem infirmus sum, fortitudine consolida me, & quod boni in me posueris tu ipse custodi. Munditiæ quoque, ô Deus amantissime, & animæ puritati studere propono, omne quæso peccatum cordis elimina, omne peccatum operis remoue, ab honestis actionibus multas meas imperfectiones tolle. Mundus es tu, atque ipsa munditia, & oblationem mundam tibi offerri præcipis, & immundam non sine nausea & contemtu repellis. O si cogitatione mundus essem, & nihil inane & ineptum cogitarem! O si affectu purus essem, & nihil à virtute alienum desiderarem! O si verba & opera mea omni immunditia peccati carerent, atque in conspectu tuo vt pulchra & speciosa introirent. Pereant iam peccata mea, deficiant imperfectiones meæ, vt apud te mundus inueniar, & benignè susci piar. Animal quoque integrum, ô suauissime Redemtor, spiritualiter esse cupio, vt nempe quæ status & professionis meæ sunt, integrè & absque vllo defectu perficiam. Seruabo vniuersa mandata, ne si in aliquo eorum deliquero, factus sim omnium reus. Seruabo statuta ordinis, seu vocationis meæ, ne dum appensus fuero in statera districti iudicij tui, inueniar minus habens. Seruabo consilia ad me pertinentia, quorum scilicet exercitatio in me perfectionis erit, ne dum animum angustum habeo, & solis mandatis intendo (quandoquidem opus sæpius voluntate contractius est) eorum aliquod prætermittam. Eia Domine, qui totum me vis, totum me habe, cogitationes, desideria, verba, & opera mea posside. Nihil mihi reseruo, nihil meum alteri, quàm tibi trado, sed quidquid in me est tum interiùs, tum exteriùs tuæ maiestati consecro. Cor meum, & carnem meam, animam & corpus ex hoc momento, nouo proposito & conatu in tuum obsequium impendo. Nihil in me maneat, quod super struem lignorum arsurum non appareat. Ligna sunt beneficia tua, ô Pater luminum, ligna sunt dona tua, quibus me singulis momentis cumulas, quibus me vndequaque circumdas. Ignis autem est amor tuus, amor, inquam, erga te, quem in corde meo accendi vis. Cor ergo est pro altari, beneficia pro lignis, amor pro igne, ego totus pro victima holocausti. Ligna hæc in corde componam, quia beneficiorum tuorum memorabor, & ea attentè contemplabor. Membra mea desuper ordinata constituam, quia cogitationes, verba, & opera mea talia faciam, vt pro tenuitate mea tuorum beneficiorum largitati respondeant. Tu quasi sine mensura effundis in me dona tua, ego liberaliter, & quantum vires tulerint, me impendam in obsequio tuo. Ignem subiiciam, quia omnia ex amore tuo, & cum amore, & propter amorem adimplebo. Ita nimirum vt amor tuus me ad rectè cogitandum, rectè loquendum, & rectè operandum impellat, vt idem amor mihi cogitanti, loquenti, & operanti assideat; vt denique propter beneplacitum tuum omnia rectè perficiam. Nihil in me sit, quod non isto igne absumatur, nihil quod non ex amore tibi dicetur. Nec sit in me minima cogitatio, nec minimus motus, quem non amor pariat, quem non amor ferat, qui in augmentum charitatis non tendat. In his autem omnibus, ô summe Deus, quid quæro? Certè gloriam tuam quæro, confessionem & laudem tui diuini nominis quæro, honorem tuæ infinitæ magnitudinis quæro. Scio, quoniam si hæc fecero, & fidelis extitero, misereberis mei, peccata mea indulgebis mihi, & gratum animum meum pro beneficiis tuis benignè susci pies. At non in his hæreo, non ad hæc tendo, sed tibi placere, te honorare, laudare, glorificare, extollere, & magnificare desidero. En Domine, vt sciui, vt potui, me hodie holocaustum effeci. Rogo te, vt in animo contrito, & spiritu humilitatis susci piar. Sicut in holocausto arietum, & taurorum, & sicut in millibus agnorum pinguium, sic fiat holocaustum meum in conspectu tuo hodie, vt placeat tibi, quoniam non est confusio confidentibus in te. Qui viuis & regnas in sæcula sæculorum. Amen.

5. Diuinã gloriam expetis.

2. Immũditiam abiicis.

3. Iniuncta implet.

4. Amore absumis.

Quomodo te Christo conformabis in omnibus.

EXERCITIVM XXVI.

MIs expletis, conaberis te Christo in omnibus conformare: ad hoc enim natus es, vt per conformitatem ad eum, ad tuum finem, scilicet ad gloriam peruenias. In hoc etiam animæ tuæ perfectio sita est, vt te ad Christi vitam & mores conformes. Ille namq; datus est nobis in omnis perfectionis exemplar, ex qua minus habemus, quanto minus ei assimilamur, & magis, quanto ad eum magis accedimus. Quinque autem sunt à Christo Saluatore manifestata, in quibus conformes ei simus, oportet. Horum primum est scientia, seu cognitio, de qua ipse ait ad Iudæos loquens: Et vos non cognouistis eum, scilicet Patrem, ego autem noui eum. Et si dixero, quia non scio eum, ero similis vobis mendax. Sed scio eum, & sermonem eius seruo.] Secundum est amor. Vt cognoscat mundus, inquit, quia diligo Patrem, & sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio.] Tertium est opus, de quo: Meus cibus est, vt faciam voluntatẽ eius, qui misit me, vt perficiã opus eius.] Quartũ est passio: Nónne oportuit pati Christũ, ait, & ita intrare in gloriã suam.] Quintum est perseuerantia, de qua sunt illa verba: Ego te clarificaui super terram, opus consummaui, quod dedisti mihi vt faciam.] Si ergo in prædictis Christo similis fueris, perfectam ad eum conformitatem assequeris. Hoc itaque exercitium erit, postquam aliqua meditatione incalueris, hæc quinque desiderare, hæc statuere, hæc petere. 1. scilicet vt Deum agnoscas. 2. vt ipsum diligas. 3. vt eius voluntatem opereris. 4. vt pro eo quod ipse disposuerit patiaris. 5. vt in his omnibus perseueres.

Ad hoc natus homo vt Christo conformetur.

Conformatio ad Christũ quinquplex.

Ioan. 8. 55.

Ioan. 14. 31.

Ioan. 4. 34.

Luc. 24. 26.

Ioan. 17. 4.

Summa affectus.

PRAXIS.

O Christe Iesu,ô norma sanctitatis,& regula,ô bone & benigne Pater, qui filios sitis habere similes, renuis autẽ,si rebelles sint,atq; degeneres, ego,licet vilissimus, ad tuam tamen gratiam & familiaritatem vocatus, ad dignitatem filij inuitatus, nihil aliud cupio, nihil sitio, nisi tibi in omnibus placere, & ad tuam sanctam voluntatem currere. Domine, quid me vis facere? Quid à me exigis, vt seruus fidelis & filius dilectus existimer? Profectò audio te dicentem non Apostolis tãtùm, sed & omnibus tuis: Exemplum dedi vobis, vt quemadmodum ego feci, ita & vos faciatis.] Idipsum volo, id opto, id postulo, vt tuum exemplum sequar, vt quemadmodum fecisti,ita faciam. Tu, ô sapientia Patris, oculos sanctissimæ mentis tuæ non in rebus vanis occupabas, sed in æternum Patrem tuum intentos habebas. Eius voluntatem exquirebas diebus, ac noctibus, vt absque vllo defectu illam expleres. O si nihil aliud me scire arbitrarer nisi te Dominum meum Iesum Christum pro me crucifixum. O si hoc initium æternæ vitæ obtinerem, vt fide viua cognoscerem Patrem Deum verum, & te quem ipse misit Iesum Christum. Multi multa sciant, & seipsos ignorent, multa disquirant, & authorem eorum prætereant. Ego verò omnibus aliis neglectis hanc vnam scientiam ab hoc die profiteri constituo, qua diuinas perfectiones contempler, tuas virtutes considerem, tuam voluntatem speculer. Imbue me quæso hac scientia scientiarum, quæ verè sapientes facit, quæ non inflat, sed ædificat, non dementat, sed mentem sanat. Ad hoc tendant omnes meditationes meæ, vt te ac meipsum cognoscam, te quidem vt super omnia diligam, me verò vt infra omnia me despiciam. Diligebas Patrem, ô dilectionis magister, amore fidelissimo: diligebas & nos amore maximo, adeò vt vitam tuam pro nobis poneres, & cùm adhuc inimici esse mus, pro nobis saluandis, & ad amicitiam adducendis mortuus es. O si hanc disciplinam amoris addiscerem! O si omnem meum conatum in amore collocarem! Diligam te Domine fortitudo mea amore fideli: illo sanè qui me faciat in omnibus tuam voluntatem explere, & ab omni peccato separari. Diligam & proximos meos amore efficaci, quo & ipsis verbo & exemplo prodesse curabo. Pone obsecro legem charitatis tuæ in corde meo. Illa me dirigat, illa me ad operandum impellat. Tolle à corde meo amorem sæculi, & affectum ad terrena & visibilia, vt ad ablationem amoris mundi crescat charitas, qua te authorem meum diligam, & alia propter te, & nihil amem, nisi quod secundùm tuam voluntatem amandum est. Quod autem erat opus tuum, ô diligentissime operator salutis nostræ? Non aliud, nisi quod mandauerat ac disposuerat Pater tuus. Id operabaris, quod sciebas, & Patri gratum, & nostræ saluti proficuum. Id operabaris quod nobis esset in remedium,& in exemplum. Id operabaris quod esset omnis virtutis & perfectionis speculum. Non tibi aliquod temporis momentum otiosum deperiit, non in opere inutili collocatum, sed in aliquo actu maximæ sanctitatis impensum. O si otia tollerem, si opera virtutis aggrederer, si horas ad meam salutem operandam redimerem, quoniam dies breues sunt. Da mihi,quæso,vt semper bene,& secundùm virtutem operer,vt quod status meus exigit,fideliter exequar,vt nihil debitum prætermittam. Da,vt omni otiositate deposita, & memoria laborum præteritorum reiecta, ad anteriora me extendam. Et quia in via tua valde multum superest ambulandum, da vt semper curram, semper feruenter viuam,& nullam occasionem meæ abnegationis, & virtutis exercendæ prætermittam. Et tu amator ardentissime,non tantùm voluisti multa bona operari, sed & multa mala pati pro me. Immo ostendisti quoniam patientia opus perfectum habet, & quod perfectius est pati quàm agere: nã priùs egisti, & postea passus es. Vitam sanctissimam tuam non tam bona actione quàm sanctissima & acerbissima passione complesti. Docuisti conuersatione tua hoc esse officium hominis Christiani, bene agere, & malum pati. O igitur si mihi persuaderem pati,& pro amore tuo multa mala sustinere! O si bona opera propter adiunctam afflictionem nũquam relinquerem! O si pro salute animarum ignominias,& dolores, & mortem sustinere paratus essem! Fac suppliciter postulo, vt patiens sim. Ne sim iam miles delicatus, sed strenuus, qui æquanimiter dura & aspera perferam, qui in corpore lassitudinem, & dolorem, & in animo mœrorem & desolationem sustinere sciam. Tandem tu Domine Deus meus in his omnibus vsque ad mortem perstitisti,opus consummasti,quod tibi à Patre demandatum est. Nihil à te semifactum atque imperfectum relictum est. Donum tuum est, Domine, perseuerantia,donum tuum est,& complementum omnium donorum, sine quo cætera nihil proderunt. Rogo te per omnes miserationes tuas, vt tribuas mihi hoc donum, vt me in cognitione tui,& in amore tuo, in bonis actionibus, & patientia perseuerare facias, vt tandem inter seruos fideles constituas. Amen.

Ioan. 13. 15. — *1. Cognescere.* — *2. Amare.* — *3. Operari.* — *4. Pati.* — *5. Perseuerantia.*

Qualiter te habebis erga Deum.

EXERCITIVM XXVII.

CONFORMITAS hæc ad Christum,ô frater, in te omnino perficitur, si partes Christianæ iustitiæ assequaris. Has adipiscēris, si ad Christi similitudinem ad Deum, ad proximum, atq; ad teipsum conueniēter ordineris. Hęc nos alio loco aptè disposuimus, & quomodo quisque habere se debeat erga Deum, erga prælatum,erga religionem,erga proximum,& erga seipsum perspicuè distinximus. Nunc verò doctrinam istam contrahimus, & sicut eam sanctus Vincentius Ferrariensis collegit, abbreuiamus. Sit ergo nobis curæ non tantùm in actione, verùm & oratione, ex qua vis & efficacia ad actionem manat,erga Dominum septiformem affectum exercere. Cùm enim aliquod opus eius, vel beneficium, aut perfectionem meditamur, ita nos comparabimus,vt septem istos affectus excitemus. 1. est amoris ardentissimi. 2. timoris summi. 3. honoris debiti. 4. zeli constantissimi. 5. gratiarum actionis,& laudis. 6. obedientiæ promtissimæ. 7. degustationis suauitatis diuinæ.

Septem affectus habẽdi erga Deũ. Lib. 3. de exterminat. mali. p. 5. sect. vlt.

Vincent. de vit. spirit. c. 16. & 17.

PRAXIS.

O Christe Iesu, Fili Dei, triumphator gloriosissime, qui spoliato inferno, & morte deuicta, claustra sepulchri reseraſti, & te viuum immortalem, impassibilem, gloria plenum & splen-

dore coruſcum matri ac diſcipulis oſtendiſti, adoro, laudo, & benedico te, ac non tantùm verum hominem, ac fratrem meum (quod tu dixiſti) ſed & Dei filium naturalem, & vnigenitum, ac verum Deum agnoſco, atque confiteor. Erga te quidem eos affectus, qui Deo vero a creatura debentur, habere conſtituo. Tu auxilio gratiæ tuæ eos ex ſilice
1. *Amor.* mei cordis excuties. Diligo te, ô victor mortis ſanctiſſime, volo omnino, vt iſtam maieſtatem habeas, iſtam pulchritudinem poſſideas, iſta gloria & ſplendore præfulgeas. Gaudeo & exulto de his bonis tuis, & de hoc honore, quo ab omnibus Angelis honoraris lætor, vtque omnes homines tibi ſeruiant, in te credant, atque te diligant, & honore afficiant, impensè cupio. Te vnicum bonum meum omnibus bonis viſibilibus & inuiſibilibus præfero, & pro te illa detrimentum facio, & vt ſtercora arbitror, ne in aliquo vel minimo tuæ voluntati contradicam. Orna me, rogo, hoc amore tuo, amore ardentiſſimo, charitate perfecta, qua te diligam, non verbo, nec lingua tantùm,
2. *Timor.* ſed multo magis opere & veritate. Timeo te, ô iudex viuorum & mortuorum æquiſſime, ac tibi diſplicere vehementer expaueſco. Non quidem ne aliquid mali & aduerſi patiar, ſed ne in aliquam offenſam incurram. Hoc eſt ſummum & ſolum malum ſeparari à te, iuſſis tuis ſanctiſſimis contraire, morte peccati cadere. O iſtud maximum malum timeo, iſtam ſummam infamiam fugio, & deteſtor. Libera me ab ea Domine, & da cordi meo timorem ſanctum tuum, timorem Sanctorum, illum quem charitas non expellit, ſed accerſit, quem amor non minuit, ſed auget, quem pu-
3. *Honor.* ritas mentis numquam tollit, ſed perficit. Honoro te, ô Rex immenſæ maieſtatis, & tibi me per omnia ſubmitto. Tuam ſummam excellentiam, & infinitam maieſtatem reuereor. In te cuncta ſunt quæ reuerentiam & honorem expoſcunt. Nam ſi hic debetur Patri, Domino, regi, maiori, & aliqua dignitate præcellenti, Tu Pater es futuri ſæculi, Pater omnium prædeſtinatorum, à quo ſecundùm ſpiritum geniti ſunt, & à quo eſſe gratiæ percipiunt. Tu Dominus es vniuerſorum, cui tamquam hero cœleſtia & terreſtria ad nutum obediunt. Tu rex es Angelorum, & hominum, à quo reguntur, & gubernantur. Tu maior es, frater vtique maior, ac primogenitus filiorum Dei, cui omnis familia prædeſtinatorum incumbit. Tu omnes infinita dignitate præcellis, ea qua filius Dei es, Redemtor noſter, & caput, ac Princeps regum terræ. Tribue mihi, vt quanto poſſum honore afficiam te, & corpore & animo ante te procumbam, & me proſternam, & tibi me totum
4. *Zelus.* creatori ſubiiciam. Cupio, ô ardentiſſime amator meus, zelo tui honoris & gloriæ conſumi, opprobria tua in me, & in aliis exhorrere, ſalutem animarum ſitire, vt ipſæ ſibi ſeruiant, & obediant curare. O ſi ſolus à me & ab omnibus diligereris! O ſi ſolus quærereris! O ſi reliqua eatenus diligerẽtur, aut quærerentur, quatenus cedunt in honorem tuum! Conſumat quæſo zelus iſte viſcera mea vt non ſolùm nullum in me peccatum, verùm nec vllam imperfectionem ſuſtineam. Da vt in corde meo nullam rem in conſortium habeas, totum illud tu impleas, atque poſſideas. Cætera quę tibi placent, cor meum lectum quietis tuæ non ingrediantur, ſed vt famuli iuxtà maneant, vt ſeruiant. Quæ verò tibi grata non ſunt, longè à mea cogitatione & deſiderio diſcedant. Gratias im-
5. *Gratiarũ actio.* menſas tibi ago, ô dator bonorum largiſſime, pro omnibus beneficiis, quæ tribuiſti mihi, & pro omnibus quæ in tempore & æternitate daturus es. Hæc aut illa numerare quis ſufficit? Profectò facilius erit ſtellas cœli, & arenam maris numerare, quam beneficia mihi exhibita, aut exhibenda recenſere. Sed eorum magnitudinem quis intelliget? Maiora ſunt quàm vt intellectus creatus capere poſſit; adeò vt minimo beneficiorum tuorum minor ſim. Sed amorem, quo ea effundis, quis percipiet? Amor hic infinitus eſt, nos autem finiti ſumus. Da ergo mihi ſpiritum gratitudinis, da vt in omnibus te benedicam, laudem, atque magnificem, & vt ſemper memor ſim beneficiorum tuorum cum ſumma gratitudine cordis, & ampliùs quottidie implear donis tuis. Volo inſuper in
6. *Obedientia.* omnibus, ô ſupreme Domine, obedire tibi, & à tua voluntate in nullo diſcedere. Propter huius tuę ſanctæ voluntatis amorem vitabo mala, exequar bona, amplectar perfecta. Quidquid fecero, etiam ad neceſſitatem huius vitæ pertinens, non alio fine, quàm tuæ voluntatis adimplendæ gratia perficiam. Da mihi hanc virtutem, & ſpiritum ſubiectionis, vt magis obedire, quàm iubere, aut mei iuris eſſe velim, & fac vt propter hanc tuam voluntatem explendam prælatis à te conſtitutis obediam. Fateor, ô Domine, prorſus indignus ſum
7. *Guſtus ſuauitatis Dei.* guſtu dulcedinis & ſuauitatis tuæ. Hanc filiis tuis dilectiſſimis, & obedientiſſimis, dominis meis repoſitam habes. Non eſt bonum ſumere panem filiorum, & mittere canibus. Ita eſt. Sed catelli edũt de micis, quæ cadunt de menſa dominorum ſuorum. Præbe mihi per omnes miſerationes tuas micam aliquam ex his, quæ ſuperfuerunt eis. Hanc peto, & cum rubore peto, & tremens ac pauens peto, non vt delecter, quia delectationem non quæro, ſed ne, ſi ieiunus manſero, deficiam in via. Ante te Domine eſt omne deſiderium meum, tu ſcis quid mihi vtile futurum ſit. Da id quo tibi placeam, & ab efficaci deſiderio proficiendi non excidam.

Qualiter te habebis erga proximum.

EXERCITIVM XXVIII.

Septem affectus erga proximum.

OBedientia ad Dominum, & deſiderium placẽdi ei, ſtatim nos ad proximos ordinat, quos ipſe adeò charos habet vt pro illis ſuum ſanguinem fuderit. Meditaberis ergo aliquando, quomodo Chriſtus ſe erga homines habuerit, qua ratione ſe pro illis impenderit. Hæc autem conſideratio in te ſalutares affectus erga proximos excitabit. Conaberíſque erga illos ſeptem affectus, quos ſubiiciam, induere, & eos à Domino poſtulare. 1. eſt piæ compaſſionis. 2. dulcis congratulationis. 3. tranquillæ ſupportationis. 4. benignæ affabilitatis. 5. humilis reuerentię. 6. vnanimis concordiæ. 7. Chriſtiformis pro omnibus oblationis.

PRAXIS.

O Domine Ieſu Chriſte, ô amator hominum, magnum eſt nobis, ſi rex ſis noſter, ac Deus noſter, ſed immenſus amor te compulit, vt noſter frater eſſe dignatus ſis. Ad hanc humilitatem te demiſiſti, & ad hanc dignitatem nos prouexiſti carnem noſtram aſſumens. Quam ne putaremus per tuam gloriam & exaltationem amiſſam, dixiſti

Magdalenæ : Vade, dic fratribus meis(nomine fratrum Apoſtolos intelligens:) Aſcendo ad Patrem meum,& Patrem veſtrum,Deum meum, & Deum veſtrum. Doces nos in hoc facto, quanto amore debeamus proſequi fratres, quanta beneuolentia complecti.Ex deſiderio ergo placendi tibi,ac tuum amorem imitandi, volo fratres omnes diligere, & erga eos ſeptem hos affectus habere, quos à te qui bonorum dator es, fidenter expecto. Volo, ô author miſericordiarum, compati fratribus meis, & eorum mala & aduerſa non aliter quàm mea mala & aduerſa ſentire. Membra ſumus omnes corporis tui, ſi in corpore, patiente vno membro, compatiuntur illi omnia membra, quomodo aliis fratribus non compatior, quos mihi fide, & amore, & legis tuæ profeſſione, quam habent, aut habere debent, iunctos ſcio. O quantæ ſunt cæcitates multorum; quanta peccata,& flagitia aliorum, quantæ calamitates, & triſtitiæ plurimorum. Feram ego compaſſione partem iſtarum miſeriarum, & viſcera miſericordiæ induam, & in quibus potero, oratione aut conſilio, aut ſubſidio his malis mederi contendam. Volo etiam & cupio, ô bonorum omnium dator, de bonis meorum fratrum illis congratulari, & ac de propriis meis bonis gaudere. Vera bona quæ habent illis diligo, & quia amore propria facio, de bonis ipſorum, quaſi de propriis bonis lætor. Placet mihi quòd ad te per pœnitentiam veniant,quòd à peccato reſurgant, quòd gratia & virtutibus imbuantur, quòd in ſuis anguſtiis & neceſſitatibus auxilium inueniant. Fac, obſecro, vt ex vera charitate illis congratuler, vt de veris bonis eorum impensè lætер, & ex his quæ media ſunt, vt ex eo quòd beneualeant, quòd temporalibus bonis abundent, & quòd alia ſimilia illis ſuppetant, quatenus ad ſalutem animæ conferunt,etiam exultem. Deſidero item, ô benigniſſime Pater, moleſtias & importunitates fratrum ſupportare, & æquo animo ferre. Heu ſatis multa habeo, quibus fratribus moleſtus ſum, & oneroſus. Hæc autem volo, vt ipſi patienter ſuſtineant. Æquitas ergo petit, vt ego ſimiliter moleſtias, & onera illorum feram. Feram quidem deinceps, Domine, vt tu me ſufferas, iniurias & contumelias patienter tolerabo, ſi mihi malum intulerint, indulgebo, & condonabo. Oro te per miſerationes tuas, vt hæc me præſtare facias, & ſpiritu ſuſtinentiæ induas. Inſuper & id volo & opto propter te, dulciſſime Domine, omnibus fratribus meis affabilem ac benignum me præbere, & geſtibus, aut verbis nullam eis moleſtiam præſtare. Talis erat conuerſatio tua, tam dulcis, tam ſuauis, quæ animos tecum conuerſantium demulcebat. Non arcebas eos verbis, aut motibus, aut inſuauitate vocis, ſed potiùs ad accedendum inuitabas. O ſi taliter apud homines conuerſarer! O ſi debita grauitate & maturitate ſeruata, quæ profectò affabilitatem & comitatem non tollit, ita comiter & affabiliter ad fratres me exhiberem, vt eos ad bonum inducerem, & ad te laudandum excitarem. Da mihi, obſecro, hanc affabilitatem ad gloriam tuam, non vt laudes apud homines captem (quod alienum eſt à ſeruo tuo) ſed vt eis prodeſſe poſſim. Aliud quoque mihi opus eſt,vt ſine querela conuerſer, ô Domine Deus, vt ſcilicet iuxta conſilium Apoſtoli tui, omnes honore præueniam. Quod non eſt difficile ei, qui in veritate ſeipſum deſpicit, & omnium minimum agnoſcit. Si enim honorem minores maioribus exhibent, quid multum faciet, ſi minimus omnium omnes honoret. Habeam ergo veram humilitatem, qua me vilipendam, & aliis minorem reputem, & ſic facile eos reuerear, & eis me ſubdam tamquam dominis meis. Da hoc Domine, & fac vt in fratribus te intuear, atque in ipſis honorem ac reuerentiam impendam. Hoc eſt ſignum ſcholæ tuæ, ô Magiſter bone, & indicium diſcipulorum tuorum, vera pax, & animorum concordia. Hanc vehementer cupio habere cum fratribus meis. Idem dicere quantum fas eſt, idem velle, idem ſentire cupio. Immo propriam voluntatem, proprium iudicium, & deſideria temporalium excutere deſidero, quæ ſunt peſtes pacis atque concordiæ. Fac me, obſecro Domine, amatorem pacis, da vt ſentiam me eſſe vnum cum omnibus, & omnes mecum, vt ſicut mecum pacem habeo, & mihiipſi conſentio, ita etiam cum aliis ſeruem, quod in me fuerit, in bono pacem, atque concordiam. Offero tandem tibi, ô magne Deus, ſi quid boni deſiderij, ſi quid boni operis, ſi quid pij laboris eſt in me, offero, inquam, ad gloriam tuam, non ſolùm pro me, ſed pro fratribus meis, vt eis indulgeas, vt eos in omni virtute prouehas, vt in gratia cuſtodias, & ad æterna regna perducas. Da mihi vt pro illis die noctúque laborem, & vt pro ſalute eorum vitam ponere paratus ſim, vtque deſiderem, vt tu in omnibus inuiſcereris, atque ego & omnes in te. Qui viuis in omnia ſæcula. Amen.

1. *Compaſſio.*
2. *Cõgratulatio.*
3. *Supportatio.*
4. *Affabilitas.*
5. *Reuerentia.*
6. *Concordia.*
7. *Oblatio.*

Qualiter te habebis erga teipſum.

EXERCITIVM XXIX.

POSTMODVM erga teipſum te compones : etſi(ita ſentire licet) priùs & vehementiùs erga te, vt ad Deum, & ad proximos ordineris. Omnis enim peruerſio noſtra oritur ex inordinato amore,quo noſipſos immoderatè diligimus. Quo abnegato pronum eſt,& proximis debitum ſoluere,& erga Dominum cor ſubmiſſum ac religioſum geſtare. Ad teipſum igitur ſeptem affectus curabis adquirere, & oratione,& propoſitis,ac deſideriis obtinere.Hi autem ſunt. 1. Confuſio fœditatis tuæ. 2. Deteſtatio peccatorum tuorum. 3. Humiliatio & conculcatio tui. 4. Rigor erga te. 5. Indignatio aduersùs defectus tuos. 6. Feruor ad cohibendum affectus tuos. 7. Diſcretio.

Septem affectus erga nos ipſos.

PRAXIS.

O Domine Ieſu Chriſte, ô Sancte Sanctorum, ô author omnis puritatis, qui à me odium ſanctum mei, id eſt, mala vitæ meæ, & vitiorum meorum,& affectuum inordinatorum exquiris, vt me ſanctifices,atque purifices:hoc odium ſanctum poſſidere deſidero. Verbum tuum eſt : Qui amat animam ſuam, perdet eam : & qui odit animam ſuam, in vitam æternam cuſtodit eam.] Doce me cuſtodire hoc verbum ſalutis, & in hoc mundo odio habere me, id eſt, quidquid malum, & vitioſum eſt in me,vt in vitam æternam cuſtodiam me. Vt autem hoc aſſequar, meam extremam vilitatem,& maximam fœditatem aſpicio, qua innumeris vitiis ſcateo, & imperfectionibus impleor, ac de tanta fœditate confundor, & erubeſco. Non

Ioan.12. 25.

1. *Confuſio.*

possum coram te stare, Domine, nec coram Angelis & Sanctis sine rubore & confusione apparere, qui tanta iniquitate & ignauia circumdor. *2. Detestatio.* Peccata mea lugeo, ô mitissime Domine, & ea vehementer execror, & detestor. Quia tuam maiestatem offendi, & meipsum supra omne cogitatum maculaui. Nihil est in corporibus adeò deforme, & horribile, quod pulchrum non sit, si cum deformitate meorum peccatorum conferatur. Hanc autem ego stultissimus & insipientissimus voluntariè suscepi, & pedibus ac manibus accersiui, ideo fletibus & singultibus eam quottidie lauare contendo. *3. Humiliatio.* Quia autem tam iniquus fui, ô Deus sancte, ideo me contemno, & infra omnes homines me constituo. Æquum est, vt iniquitas contemnatur, & ab omnibus conculcetur. Propterea verò quòd illi me subdidi, volo ab omnibus despici, atque calcari. Nemo sit, qui mei vllam rationem habeat, qui me non despiciat, & pedibus proterat. Fortè humiliatus iustificationes tuas discam, & vt *4. Rigor.* mei miserearis obtinebo. Si verò iniqui puniendi sunt, ô Domine amator iustitiæ, profectò ex huius virtutis zelo, constituo me castigare, & punire, & corpus meum macerare, & constringere, & sensus meos, & affectus cohibere, & meæ voluntati iucunda denegare: vt sic ex parte pro meis multiplicibus peccatis satisfaciam. Si autem in hoc quod debitum esset, non facio, quia non possum, tu benignissime meæ imbecillitati condona. *5. Indignatio.* Vellem quidem implacabilem iram & indignationem aduersùs radices meorum vitiorum concipere. Contrà tamen accidit: nam aliis deficientibus indignor, & mihi peccanti & iniqua agenti stultè parco. Da mihi obsecro Domine veram iustitiam, quæ erga alios compassionem habet, non indignationem, & vt commutata vice mihipsi, & meis vitiis irascar, *6. Feruor.* aliis verò clementer indulgeam. Habeam etiam ô dulcissime Domine, sanctum feruorem in corde meo, quo solicitè in bonum tendam, & illud non negligenter, non oscitanter, sed ritè exequar: quo etiam primis motibus vitiorum resistam, & ita mihi atque actibus meis inuigilem, vt nec in malum *7. Discretio.* cadam, nec debitum bonum præteream. Concede tandem veram discretionem, vt in omnibus districtè seruem mensuram, & modum inter nimium & non satis, vt nihilque sit in meis operibus superfluum, aut diminutum, sed omnia exeant vndequaque perfecta. Hæc sunt desideria mea Domine, hæc proposita quæ seruare volo erga me. Rogo te obnixè, vt sicut desidero & postulo, ita fiat. Amen.

Quæ postulanda sunt ad obtinendam perfectionem.

EXERCITIVM XXX.

c. 18. Quindecim ad perfectionem petenda. VLTIMO loco opere complenda sunt illa quindecim documenta quæ idem sanctus Vincentius breuissimè in vnum collegit, quibus custoditis cum Dei gratia ad perfectionem curremus. His autem hæc continentur. 1. Clara notitia propriorum defectuum. 2. Impugnatio propensionum rationi repugnantium. 3. Timor quòd necdum pro peccatis satisfecimus. 4. Tremor iterum cadendi in peccata. 5. Disciplina in regendis sensibus. 6. Fortitudo in tentationibus, & aduersitatibus. 7. Abiectio occasionum quæ aliquam inferunt imperfectionem. 8. Supportatio crucis Christi. 9. Memoria beneficiorum Dei. 10. Assidua oratio. 11. Diuinæ suauitatis degustatio. 12. Desiderium exaltandi fidem, & quòd Deus timeatur. 13. Misericordia in proximos. 14. Laus Dei. 15. Quòd postquam hæc omnia præstiteris te seruum inutilem reputes. Hæc igitur aliquando non voce, sed mente & affectu ita enixè postulabis.

PRAXIS.

O Domine Iesu Christe, omnium bonorum fons & origo perennis, qui assiduis impulsibus tuis me ad profectum in virtutibus vocas, & ad quærendam perfectionem, inuitas, fac vt ea quæram, & obtineam, quibus tu consueuisti animas tibi dilectas in arcem perfectionis inferre. Da *1.* mihi, obsecro, per summam bonitatem & largitatem tuam, claram notitiam mearum multiplicum imperfectionum, miseriarum, & infirmitatum. Robur quo animosè & feruenter impugnem, *2.* vincam meas malas inclinationes, affectus & voluntates rationi repugnantes. Timorem quo formidem, an fructus pœnitentiæ dignos fecerim, & *3.* pro peccatis meis ad plenum satisfecerim, & vt ampliùs pro admissis satisfacere curem. Metum *4.* quo timeam, ne in priora peccata, aut alia peiora & grauiora iterum ex mea culpa & oscitantia cadam. Strenuam disciplinam, & asperam correctionem, qua corpus meum regam, & in obse- *5.* quium tuum corpus spiritui subiiciam. Fac, rogo, *6.* vt fortis sim & strenuus ad vincendas tentationes, & aduersitates, quæ non semel incidunt, tolerandas. Cautus ad fugiendas occasiones, & personas, *7.* non solùm quæ possunt me in peccatum deturbare, verumetiam & ad imperfectionem impellere. Alacer ad ferendam crucem tuam, quæ ex extinctione vitiorum, derelictione bonorum temporalium, mortificatione amoris carnalis parentum, & cognatorum & meiipsius despicientia componitur. Memor innumerabilium beneficiorum tuo- *9.* rum quæ hactenus recepi, & ad posterum de tua immensa largitate recipiam. Assiduus in oratione, ita vt hoc sit quasi officium meum, tecum *10.* Domine conuersari, semper orare, & numquam deficere. Gustem ego, ô amabilissime Saluator, *11.* tuam dulcedinem, vt totus mundus mihi amarescat. Desiderem exaltare, & propagare sanctam *12.* fidem catholicam, vt ab omnibus timearis, ameris, & cognoscaris. Miserear proximis meis, & *13.* eis aliquam necessitatem patientibus pro posse, benignè piéque subueniam. Laudem, glorificem *14.* & benedicam te in omnibus tum prosperis, tum aduersis, immo quasi perpetua quædam laus tuæ maiestatis efficiar. Cùm autem ista præstitero, ô *15.* Domine, dicam ex corde, & in veritate, quia seruus sum inutilis, quia nihil sum, nihil possum, nihil valeo, & malè tibi seruio; qualis qualis tamen sum, te solum meum verum bonum concupisco.

ORATIO.

O Domine Deus meus, qui more benigniſſimi Patris, & Magiſtri ſapientiſſimi dilectos tuos quaſi filios chariſſimos ſemper ad meliora promoues,& in veris virtutibus quottidie magis ac magis inſtruis, da vt his affectibus ita inſiſtamus, quòd eorum fructu, ſcilicet virtutum habitibus, & ſanctis moribus exornemur. Sint hæc quaſi prima rudimenta ſancti amoris tui, quibus ſufficienter imbuti, idonei ad ſemper te diligendum, & ad tuam vnionem efficiamur. Certum eſt enim quòd ille ſecurè ad exercitia vnientis amoris aſcendit, qui priùs ſe à peccato purgauit, & virtutum moralium affectibus expoliuit. Has tu da nobis, Domine, & earum deſideriis paſce, & actionibus perfice, vt poſt iacta pœnitentiæ fundamina, & parietes virtutum extructos, charitatis tectum fidenter ſuperponamus. Qui viuis & regnas per omnia ſæcula. Amen.

PARS TERTIA

De affectibus ad vnionem Dei pro perfectis.

INTRODVCTIO.

PERFECTIO Chriſtianæ & ſpiritualis vitæ à ſublimiſſima contemplatione non pendet, ſine qua perfecta charitas Dei, & proximi (quam alio loco ipſam perfectionem eſſe diximus) aliquando ſine vlla vmbra dubitationis exiſtit. Quamobrem, licèt Deus multos perfectorum ad illud ſummum faſtigium contemplationis extollat, de quo in ſequentibus agemus, alios tamen, quamuis puritate conſpicuos, ad illius doni experimentum non ſubleuat. Eſt ipſe omnipotens Dominus, qui nulla lege conſtringitur, qui non in ſolo pane tantæ dulcedinis animas ſibi charas reficit, ſed aliis modis ad perfectionem charitatis ſubuehit. Eſt quoque eius gubernatio ſuauiſſima, nec vult ſemper, quos ad multam actionem vocat, & ad lucra animarum inuitat, hoc dono longa ſpatia temporis depoſcente, & aliquantulum ab occupationibus auocante, retardare. Horum perfectorum, qui ſublimitatem contemplationis non accipiunt, quidam deuotiſſima meditatione paſcuntur, alij verò poſt multos annos meditationis ad aliud orationis genus, in quo parum eſt meditationis, aut nonnihil contemplationis, & multum affectus, vocantur. Hanc orationem nos ſuprà affectiuam diximus; cuius ſunt exercitia vnientis amoris: ante quorum deguſtationem, operæpretium viſum eſt, huius orationis naturam, & fructus, & perfectionem breuiter enodare. Cui muneri cùm fuerit ſatisfactum, exercitia amoris diuini attingemus, in quibus, cùm ad ſatis prouectos ſermo noſter dirigatur, neceſſe non erit, vt ad practicem deſcendamus. Ipſi enim facillimè affectus extendunt, & cum Domino dulciter conuerſantur. Et abſurdum videretur quod ab ipſis audiuimus, aut didicimus, verbis noſtris frigidis velle explicare.

Perfectio vitæ ſpiritualis nõ pẽdet ab altiſſima contemplatione.

De qualitate affectiuæ orationis

CAPVT I.

Quid ſit oratio affectiua.

AFFECTIVA oratio eſt communicatio ſeu conuerſatio cum Deo, qua anima reiectis multis diſcurſibus intellectus, vel ſola ſimplici Dei intelligentia, aut recordatione contenta in affectus amoris, & gratiarum actionis, & laudis incumbit. Hæc eſt breuis huius orationis explicatio, quam veluti per partes aperiemus, vt tanta res minus exercitatis innoteſcat. Congruit ei maximè inter omnes modos orandi quòd ſit conuerſatio cum Deo, quoniam tota illa, tametſi ad voluntatem ſpectet, ſuauiſſimo exponitur, dulciſſimóque colloquio, quo anima ſeu filia, vel ſponſa Deũ ſuum Patrem & ſponſum alloquitur, & ſilenter auſcultans eius verba dulciora ſuper mel, & fauum, quibus ab ipſo ſibi reſpõdetur, expectat. Huius colloquij, ſeu orationis formulam ſæpiſſime liber Canticorũ expreſſit. Nã quid, quæſo, ſunt verba illa: Sicut malus inter ligna ſyluarum, ſic dilectus meus inter filios. Sub vmbra illius quem deſideraueram, ſedi.] Niſi amor vehemens explicatus ſponſæ ad ſponſum? Et quæ ſunt illa quæ ſequuntur: Adiuro vos filię Ieruſalem per capreas ceruóſque camporum, ne ſuſcitetis, neq; euigilare faciatis dilectam, quoad vſque ipſa velit;] niſi amor patefactus ſponſi ad ſponſam. Itaque amoris diuini exercitatio, quam dulciſſima

Cant. 2. 3

Cãt. 2. 7.

colloquia patefaciunt, est huius orationis natura atque substantia.

In ea discursus ac meditationes relinquuntur, quia iam cognitus & perspectus est animæ spōsus, vnde non est cur de nouo quæratur,& soli affectui & amori vela tenduntur. Id autem in hac oratione non eodem modo, neq; in eodem gradu,omnibus accidit. Quidam enim indigēt in principio orationis,vel certè quando post moram aliquam affectus amoris intepescit, breui aliqua vitæ aut passionis Domini meditatione iuuari, quæ velut nouus flatus ignem ferè extinctum accendat.Sanctus Bonauentura ita quidē sentit, nec huic affectiuę orationi considerationem aliquam humanitatis Christi impedimento esse dicit. Nam ex sententia illius, tribus affectus interrumpendus est,ne corpus eius vehementia plus æquo lassescat : deuotissima oratione,castissima affectione,& deuota meditatione. De qua hæc subdit. Sed ad hoc primum principiū maximè incipientibus sit cogitatio de passione Dominica necessaria quomodo pro peccatis nostris radicitus extirpandis,rex gloriosus seipsum obtulit, in tantū pro nobis Deo Patri obediens,vt morte crudelissima damnaretur,ita vt à planta pedis vsque ad verticem non fuerit in eo sanitas,& non esset pars, quæ non sanguine sacratissimo respersa vniuersis aspicientibus appareret. Vnde cogitatio de carne est ad ingrediendum ad diuinitatem amoris latitātis ianua,&c. Aliis verò opus est relicta humanitate,alicuius diuinæ perfectionis consideratione formari,vt spiritus amoris affectibus incalescat.Hi angustias corporum excedentes,& quod imaginatione percipitur deserentes, in ipsam diuinitatem liberiùs feruntur, vt inde ad affectus amoris impellantur. Considerant Deum, sed in igne amoris qui ipsorum mentes adurit. Quod mihi videtur in illa visione Danielis præfiguratum. Antiquus,ait, dierum sedit : vestimentum eius candidum quasi nix, & capilli capitis eius quasi lana munda : thronus eius flammæ ignis,rotę eius ignis accensus.Fluuius igneus rapidúsque egrediebatur à facie eius.]In illa senectutis imagine vides æternitatem, in candore vestimenti sanctitatem,in capillorum munditie iudiciorum æquitatem.Sed hæc omnia ignem spirāt, & in igne Dominus sedens aspicitur,& à facie eius fluuius ignis egreditur, quoniam ad excitandum amorem ita videtur. Alij demum,nec breui discursu perfectionem diuinarum indigent occupari, sed Deum sibi præsentem faciunt, & hac simplici & sola præsentia illecti miris affectibus inflammātur. Ignis enim in conspectu eius exardescit, vt non possit anima bene dispositа eius pulchritudinem intueri,& non amore flammari.

His tribus intelligentiæ præeuntis modis tres gradus huius orationis exprimuntur. Primus incipientium hanc viam, qui humanitatis Domini cōsideratione excitantur. Secundus proficientium, qui diuinitatis meditatione accenduntur. Tertius perfectorum, qui simplici aspectu Dei,in quo iam non parum contemplationis est, affectibus amoris implentur. Sed his omnibus illud est commune,vt parum intellectu laborent, & in affectibus voluntatis se occupent. Conantur enim secundùm intellectum recōditiori sensu ad primam beatitudinem peruenire,qua diuitias à se cogitationum & discursuū abiiciunt. Quam Ioānes Cassianus vsum aspirationum docens quæ (vt postea dicemus) propriæ sunt huius orationis, & eas quasi vnica aspiratione concludens his verbis luculenter expositit : Ista mens indesinēter formulam teneat,donec vsu eius

In oratione affectiua aliquando breui aliqua meditatione opus est.

Bonau. de mystica Theol. de vit.vnit.par.3.

Dan.7.9.

Psal.49. 3.

Tres gradus orationis affectiuæ.

Cassian. coll.10,c. 10.

A

B

C

D

E

inceſſabili, & iugi meditatione firmata,cunctarum cogitationum diuitias amplásque substantias abiiciat, & refutet, atque ita verficuli huius paupertate constricta, ad illam euangelicam beatitudinem, quæ inter cæteras beatitudines primatum tenet, prona facilitate perueniat. Beati enim,inquit,pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum. Et ita quis per istiusmodi paupertatem egregius pauper existens, illud propheticum implebit eloquium: Pauper & inops laudabūt nomen tuum. Et reuera,quæ maior, aut sanctior potest esse paupertas, quàm illius qui nihil se præsidij,nihil viriū habere cognoscens, de aliena largitate quottidianum poscit auxilium, & vitam suam,atque substātiam singulis quibusque momentis diuina ope intelligens sustentari, verum se mendicum Domini non immeritò profitetur, suppliciter ad eum quottidie clamans : Ego autem mendicus sum, & pauper, Deus adiuua me.]Hæc ille. Fœlix sanè est ista paupertas, qua quod est minoris valoris abiicitur, & quod est summi pretij retinetur.Relinquitur cogitationum & discursuum multitudo,in qua,vt inquit Salomō,est labor & afflictio spiritus: eo quòd in multa sapiētia multa sit indignatio,seu turbatio mētis multa inuestigātis, & qui addit scientiā,cùm non possit ad finem peruenire, addit & dolorem. Tenetur autem, & augetur indies amoris affectus, qui non turbellā, sed pacem,sed quietem,sed tranquillitatem importat. Nam anima in Deo tamquam in suo centro quiescit, & pacem quam inquisitio negat, adhæsio ad bonum nostrum inuenit. Beata est etiam ista paupertas, quia illud ipsum quod respuit, auctū & multiplicatū adquirit. Nam his sanctis affectibus oculi mentis aperiuntur, vt mysteria fidei,& res cœlestes meliùs aspiciant.Qui timetis Dominum,ait Sapiens,diligite illum, & illuminabuntur corda vestra.]Et Dauid : Gustate, & videte,quoniam suauis est Dominus.] Quia gustus amoris oculos mentis ad Deum videndum illuminat.Sponsa accipit murenulas aureas vermiculatas argento,quia Deus auro amoris, quo ornatur anima solet sapientiæ argentum adiicere. Ac Ionathæ oculi gustu mellis illuminati sunt, quia videlicet gustus diuinæ suauitatis, quem in amore quis reperit,ad meliùs diuina cognoscenda oculum mentis luce perfundit. Mens igitur in hac oratione discursus intellectus non gratis respuit,quia veluti in pretium huius paupertatis cognitionem altiorem affectus subsequentem discursibus vacuam,sed claritatis & admirationis plenam adquirit.

Cùm ergo hæc affectiua oratio parum intellectus admittat,sequitur,vt tota ferè posita sit in voluntatis affectibus. Quorum licèt tres dumtaxat superiùs expresserimus,amoris,laudis,& gratiarum actionis,nullus tamen est quem reiiciat.Sicut enim in conuiuio regali non vnus tantùm cibus apponitur,licèt ille pretiosissimus,sit,& suauissimus,sed plures alij apponuntur,qui licèt minus suaues,plurimum tamen varietatis gratia delectant:sic in hoc conuiuio regis æterni, quo animam sponsam sibi dilectam impinguat, non vnus tātùm cibus amoris offertur,sed multi alij ministrantur.Vnde anima in conspectu Domini posita,nunc illum ardentissimè diligit, nunc de bonis & perfectionibus eius vehementer gaudet, nunc vt omnes illi seruiant, & illum ament,& adorent, concupiscit; nunc de peccatis & flagitiis, quibus eum homines offendunt, inconsolabiliter dolet, nunc eius mandata seruare, & eius instinctibus parere statuit, nunc pro tempore,siue pro æternitate eius voluntati se subiicit,

Ecc.1. 17.

Ecc.2. 10.

Psal.33. 9.

Cant. 1. 11.

1.Reg.14 27.

Oratio affectiua tota in voluntatis affectibus.

Varij animæ affectus.

nunc

nunc pro aliis, vel pro ſe ex ſyncerißima intentione aliquid poſtulat, nunc omni ſe proprio ſenſu & voluntate diſpoliat, nunc omni ſe rerum creatarum amore denudat, nunc pro beneficiis acceptis & accipiendis gratias agit, nunc laudes diuinas concinit, & breuiter ineffabilibus affectibus incaleſcit. Hinc autem cognoſcitur hoc orationis genus eſſe ſuauiſſimum. Nam ſicut & viciſſitudo cogitationum, quemadmodum Dionyſius Richelius ait, eſt animæ propter receſſum eius à diuina ſimplicitate, & immutabilitate, ſuauiſſima, ac iucundiſſima, cùm ſit naturalis. Eſt inſuper vtilis, quia citò fatigatur mens ipſa, ſi vni cogitationi ſtet diu intenta: ita eſt illi iucunda, & ſuauis viciſſitudo affectuum, & ex vno ad alium tranſire, & ex iſto ad illum priorem repedare.

Dionyſ. tract. de vita ſpirituali. art. 6.

Ex frequentia horum affectuum, harúmque aſpirationum, quæ affectiua oratione continentur, aſcendit interdum animus ad myſticam Theologiam, ſeu ad illam indoctam ſapientiam omni ſapientia humana doctiorem, & ſapientiorem, qua mens Deum ſuum ſine diſcurſibus agnoſcit, & quaſi contrectat, & ſine ratiocinationibus guſtat. Hoc enim habet, cùm per donum ſapientiæ eum intra ſe clariſſimo quodam aſpectu (qualem fidei obſcuritas ſecum admittit) intuetur, & ſtabili amore complectitur. Sed de hoc poſtea. Illud tandem dicamus duobus modis conſueuiſſe Dominum ad hanc orationem animas virtute præparatas vocare. Primò quidem ſenſim, & quaſi diſſimulanter, earum cooperationem exigendo, & laborem ex alia prœueniente gratia procedentem expectando. Tunc verò opus eſt, vt ipſæ affectus præueniant, & eis cognoſcendis & addiſcendis inſiſtant. Et pro his nos inferiùs exercitia congrua ſcribemus, vt in ipſo tyrocinio huius viæ habeant, quibus poſſint ſurſum tendere, & ad deſiderium vnientis amoris aſſurgere. Secundò vocat eas non ſolùm manifeſtè, ſed violenter quoque, & adeò potenter vt perſpicuè cognoſcant, ſe ad hanc orationem trahi. Tunc autem non eſt neceſſe aliquid prœuenire (quod potiùs animam frigidam reddit, & minus idoneam) ſed diuini Spiritus ductum ſequi, & ſecundùm quod ipſe ſuggeſſerit, aſpirare. Cognoſcit tunc anima vim ſermonis illius: Qui Spiritu Dei aguntur, hi ſunt filij Dei.] Quoniam potenti quadam Dei manu ad ineffabiles affectus impellitur. Intelligit etiam illud: Spiritus Dei poſtulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus.] Sentit enim intra ſe pædagogum, ſiue magiſtrum, qui eam (prout oportet) diuerſis affectibus format, & conducibilia ſibi & aliis facit poſtulare. Qui in hoc ſtatu ſe inuenit, fidenter procedat, à Deo moueri ſe ſinat, eius ductum atque impulſum ſequatur, ita tamen vt præceptorem viſibilem conſulat (quod Deus omnino vult) & ei ſe ſyncerißimè aperiat, ne in aliquem ſcopulum ex his quos poſtea exponemus, impingat.

Aſcenſus ad myſticã Theologiam.

Quibus modis animas Deus ad hanc orationem vocet.

Rom. 8. 14.

Rom. 8. 26.

Affectiuam orationem non ſemper à meditatione pendere.

CAPVT II.

ORATIO hæc affectiua, cuius naturam expoſuimus, quodammodo ab oratione intellectiua, ſiue à meditatione dependet, quodammodo verò non pendet. Dependet quidem ab ea quatenus, ſi generaliter loquamur, prius ſolet anima ad profundam meditationem exercendam, quàm ad ſolos affectus amoris inuitari. Ita ſcilicet, vt per non breue tempus meditationi ſe tradat, & illius præſidio, ſe ad bonum afficiat, poſtea verò ſepoſita meditatione ſolis affectibus amoris, & ſanctis deſideriis inhæreat. Hoc enim amoris ſtudium ſiue ars, hæc amoris diuini animum præſupponit à peccatis vitiiſque purgatum, & virtutum ſtola amictum, & Dei quem diligimus, cognitione præditum. Purgatio à peccatis contritione & dolore fit, quem non habebit qui enormitatem peccati non inſpicit. Virtutum acquiſitio earum exercitatione perficitur, cui non incumbet, qui virtutum naturam minimè agnoſcit, & quomodo Chriſtus virtutum magiſter eas in opus produxerit, non aduertit. Deus cognoſci non poteſt, quem oculis non aſpicimus, niſi eius perfectiones ex eius operibus inquiramus. Inquiſitio ergo, & inueſtigatio, ſiue meditatio præcedat, neceſſe eſt, vt quis debitum apparatum habeat, quo ad aſſiduum ſtudium amoris procedat. Virgo quidem prius ſpeciem, ætatem, & genus eius cui in ſponſam tradenda eſt, interrogat, & quantæ ſint eius diuitiæ, quàm ſuaues mores, & alia ad hoc ſpectantia conſiderat. Poſtea verò nuptiæ celebrantur, & ei vinculo conſenſus iungitur, & abſque his inquiſitionibus, ex ſola ſponſi memoria, eum tenerrimo amore proſequitur. Idem eſt in nobis orationis proceſſus. Priùs quid ſit Deus, quàm ſapiens, quàm bonus, & benignus, quàm pulcher & diues meditamur, & meditatione alias eius perfectiones inquirimus. Poſtea ad eius ſolam memoriam, quem iam probè nouimus, à quo multa dona recepimus, cuius dulcedine illecti ſumus, amore caleſcimus.

Qualis in nobis orationis proceſſus.

Eſt etiam hoc amoris ſtudium meditatione nobilius, quod aliquando contemplationem imbibit, aliquando ad eam proximè diſponit. Eſt inſuper finis, cuius gratia omnis meditatio, & vniuerſi affectus virtutum ſupradicti quæruntur. Non ergo ab illo, ſed à meditatione & aliis affectibus incipiendum eſt, vt ordinatè procedatur. In quo optimè quadrant verba Bernardi: Auditam, inquit, feciſti mihi manè miſericordiam tuam, cùm iacenti primùm in puluere, tuáque deoſculanti reuerenda veſtigia, quod malè vixeram, remiſiſti. Porrò in progreſſu diei lætificaſti animam ſerui tui, cùm deinde in oſculo manus etiam viuendi gratiam indulſiſti. Et nunc quid reſtat, ô bone Domine, niſi vt iam in plenitudine lucis, in feruore ſpiritus ad oris quoque oſculum dignanter admittens adimpleas me lætitia cum vultu tuo. Indica mihi, ô ſuauiſſime, ô ſereniſſime, indica mihi, vbi paſcis, vbi cubas in meridie.] Sic ille. Duæ animæ vires intellectus & voluntas ordinem habent: nam ille eſt natura & actione prior, iſta poſterior. Ipſa ergo ratio poſtulat, vt primo loco intellectus eruditioni per meditationem inſiſtamus, & poſtea ex profeſſo voluntatem amore formemus. Quin & oratio intellectiua & affectiua ſunt veluti duæ partes eiuſdem diſciplinæ, quarum illa ceu rudimenta continens tyronibus proponitur, hæc verò vt ad perfectionem contemplationis propius accedens prouectioribus reſeruatur. Quare & diſcretio & humilitas poſtulant, vt exordium ab illa priore ſumatur. Diſcretio quidem, quæ ordinem in actionibus tenet, & quod natura primum eſt, poſteriori loco non ſumit. Humilitas

Bernard. ſer. 3. in Cant.

militas verò, quæ libenter ſedet in nouiſſimo loco, donec à Domino ad ſuperiorem vocetur.

Deus aliquos in oratione affectiua à principio tuæ conuerſionis collocat.

Hæc ita eſſe diximus, ſi generalem & ordinariam viam inſpiciamus, qua Dominus ſolet animas ſuorum perficere. Aliquos tamen ſtatim à principio conuerſionis ſuæ abſque meditationibus atque diſcurſibus cõſueuit in ſtatu affectuum collocare, & igne amoris omnia in illis impura & vitioſa conſumere. Tunc verò meditationi inſiſtendum non eſt, ſed per iter affectuum properandum. Si herus ſeruum ſuum non ad laborem priùs, ſed abſque labore ad menſam vocat, laudi tribuetur illi, & non temeritati, neque ſuperbiæ, ſi hero obediat, & humiliter ac reuerenter cum eo ad menſam accumbat. Ita prorſus, ſi Deus te ab exordio vocat, vt illum diligas, vt ex amore ad gemitus pro peccatis deſcendas, vt amore tuas maculas tergas, & vitia ac immortificationes conſumas, cur non illi obedies, cur donum tibi ſine meritis datum, humiliter & grato animo non accipies. Sic Dominus Magdalenam ab ipſo initio conuerſionis vocauit, non vt multa conſideraret, ſed vt multum diligeret. Sic Paulum ſubitò in tertium cœlum rapuit, & abſque meditatione ad altiſſimam contemplationem extulit. Sic non paucos priùs in perfectiori ratione orandi, & conuerſandi cum illo, quàm in imperfectiori conſtituit. Qui ſumus nos, vt illi reſiſtamus, & ab ipſo per vnam viam vocatos, aliam illis monſtrare curemus? Et ſi ad nouiſſimam horam veniens denarium dilectionis accipiat, ſimilem illi quem tu poſt multos annos laboris & meditationis accepiſti, & poſtquam portaſti pondus diei, & æſtus, & ob id in tuo corde conqueraris, & murmures, vide ne audias à Domino: An oculus tuus nequam eſt, quia ego bonus ſum. Cognoſcemus autem aliquem ad orationem affectiuam fuiſſe vocatum, ſi meditari neſciat, & omnis aditus ad diſcurſus ſibi præcludatur; è contrario verò, ſi facile ad affectus aſſurgat, ſi in illis cor eius pacem inueniat, ſi vitam ſuam non minus, aut magis, quàm meditatione corrigat, & in omni virtute proficiat. Qui eiuſmodi eſt, non eſt ad meditationem arctandus, nec ad puncta præuenienda, & diſcurſus cogendus, ſed ſuauiter ſecundùm ſuam vocationem & orandi rationem docendus, nè in illa minùs circumſpectè procedat, aut aliquem errorem imbibat. Ad quod ſanè applicari poteſt cuiuſdam magni medici erudita ſententia. Si videro, aiebat, ægrotum aqua præterfluente ſanari, non mihi curæ erit aliud medicamenti genus præſcribere. Diſcant animarum ſpiritualium magiſtri quomodo debeant eas gubernare. Attendant an ipſæ ſe corrigant, an in virtute & puritate progreſſus faciant, an ad perfectionem non ſegniter currant. Et ſi id abſque meditatione, & per alium modum, quem ipſi præceptores experti non ſunt, aſſequantur, nequaquam in animum inducant, illas inquietare, & à via, per quam à Domino ducuntur, abducere.

Meditationi quãdo locus.

Aliud autem inquiri conſueuit, an ſcilicet anima ad hanc orationem affectiuam vocata debeat eam à meditatione inchoare? Ad quod iam diximus incipientibus id ſæpe eſſe vtile, vt ardentiùs ad affectus excitentur. Immo cùm ſenſerint affectum tepeſieri, debent iterum ad meditationem recurrere, & actus voluntatis remiſſos accendere. Quod Laurentius Iuſtinianus hoc genus orationis deſcribens euidenter in hunc modum expreſſit. Hoc quippe beato tempore conſueuit anima perfundi ſplendore nimio, aut ſolito ardentiori ſpiritus calore igneſcere. Nec immeritò, tunc etenim per ſeipſum Dominus animam viſitare dignatur: tunc Rex gloriæ cultu depoſito regio, & tremendæ maieſtatis reiecto ſceptro velut placidus ſponſus animæ thalamum ingreditur, potiſſimùm ſi ipſam humilitatis virtute decoratam agnouerit. Hunc autem ſponſi aduentum in Canticorum canticis ſponſa inſinuare voluit, quum dicebat: En ipſe ſtat poſt parietem noſtrum reſpiciens per feneſtras, proſpiciens per cancellos. Et deinde: En dilectus meus loquitur mihi: Aperi mihi columba mea, ſoror mea, &c. Non enim abſque maxima animi impudentia, & ſpiritus præſumtione reſiſti poteſt amabili & æterno ſponſo tam dulciter, tam humiliter, tam ſagaciter venienti. Hic namque ſponſi aduentus, qui in oratione fit, facile cognoſcitur, ſi diligenter obſeruetur. Quum orantis mens humili repentè repletur exultatione, quum admirationis illuſtratione clareſcit, quum cordiali & melliflua dilectione liqueſcit, tunc ſine ambiguitate Dominus eſt. Non ſunt eo tempore verba componenda, ſed ſicut ſuggerit ſpiritus, agendum eſt. Spiritus autem tunc poſtulat gemitibus pro nobis inenarrabilibus. Tamdiu in hoc amoris tripudio immorandum eſt, quamdiu perſeuerat affectus, quo deficiente, aut tepeſcente ad interpoſita meditationis ſtudia redeundum eſt, ne poſt percepta chariſmata ſpiritus pereffluat animus, atque ex pollutione noxiarum cogitationum fœdetur templum Domini, quod paulo antè per Dei præſentiam mundatum & ſanctificatum fuerat.] Hæc ille. Eſt itaque tunc meditatio ſatis opportuna, ne mens affectibus vacua, ſi nec vtilia meditetur, otioſa maneat. Manifeſtum eſt enim animam otio torpere, quæ nec voluntate, neque intellectu aliquid agit. Nec ſufficit aliquando voluntatem quaſi violenter ad affectus impellere: nam affectus ſic eliciti non multæ ſunt vtilitatis, & animam potiùs arefaciunt. Hoc autem eſt connaturale, vt voluntas iterata boni repræſentatione ducatur, & ad nouos affectus excitetur.

Iuſtini. lib. de perfect. monaſt. c. 18.

Quæ meditãda in orationis huius progreſſu.

Sed quæ in initio, aut in progreſſu orationis breuiter meditanda ſunt, vt affectus accendatur? Certè aliquid eorum, quæ ſuprà libro tertio latè tractata ſunt de vita aut paſſione Domini, aut de diuinis perfectionibus. Ita tamen vt meditatio non iam ad erudiendum intellectum quem ſupponimus ſatis inſtructum, ſed ſolùm ad inſtimulandam voluntatem aſſumatur. Ita etiam vt hæc functio intellectus breuis admodum ſit, vt præcipuum locum, & longius tempus affectui concedat. Sed illa apprimè ſunt vtilia ad excitationem affectus amoris, quæ Thomas Aquinas optimè in vnum collegit. Diligis hominem, ô frater, quia eſt tibi natura conformis. Dilige ergo Deum tuum, qui vt eum diligeres, factus eſt homo, qui propter te redimendum & beandum factus eſt homo, qui eſt ſummus homo, & rex Angelorum, & hominum, qui non ſicut amicus alius per mortem deſinit eſſe homo, ſed reſurgens ex mortuis numquam moritur, nec vmquam deſinit eſſe homo. Diligis amicum, quia tibi præſens eſt. Dilige potiori ratione Deum, quia intimè tibi præſens eſt, & cùm vbique ſit per eſſentiam, præſentiam, & potentiam, vbicumque ſis, à te abeſſe non poteſt, & cùm amici te deſerent, ſcilicet in morte,

D. Thom. opuſc. 6. de dilectione Dei à c. 9. vſque ad 14. Quæ vtilia ad amoris affectus excitandos.

ipse te nequaquam relinquet. Diligis amicum quia tibi vtilis est. Sed Deus absque vlla imperfectione & comparatione inuenitur vtilior. Amicus enim dat tibi dona sua satis exigua, Deus dat tibi dona sua digniora, maiora, plura, permanentiora, & opportuniora, & insuper dat etiam se. Ille dat aliquando, Deus verò semper dedit, in præsenti dat, & in æternum dabit. Ille dat ab alio accipiens quod tibi det, nempe à Deo, & est quasi canalis bonum deferens: at Deus dat à seipso, & est fons ipsum bonum affluens. Amicus gaudet de bonis tuis, fortè propter vtilitatem suam, quia aliqua ratione illorum est particeps. Deus non propter aliquam vtilitatem, qui nec tui, nec tuorum bonorum eget, tibi congaudet. Amicus aliquando ita fidelis est vt tollat à te, vel minuat mala tua. Deus fidelior, & ideo magis diligendus, quia tuam naturam induit, vt à te omnino tua mala depelleret, & in æternum bearet. Accepit ille infamiam tuam, & iniquus habitus, & cum iniquis reputatus est, vt te honoribus cohonestaret; pauper factus est, vt te ditaret: languores tuos tulit, vt te sanaret: odio habitus est, vt te amore dignum faceret: morte acerbissima occubuit, vt vitam tibi æternam tribueret. Diligis tandem amicum, quia pulcher aspectu, affabilis in conuictu, mansuetus in actu. Sed multo magis dilige Deum, quoniam est pulcherrimus, & ipsa pulchritudo, & fons omnis pulchritudinis, quia est sermone affabilissimus, & actione ceu agnus mitissimus.

Insuper diligis patrem tuum, à quo solummodo habes materiam corporis, caussam libidinis, originem reatus. Dilige potiùs Deum. Numquid non ipse est Pater tuus, qui possedit te, fecit & creauit te. Fecit corpus, creauit animam, possedit vtrumque. Diligis fratrem, qui tecum diuidit, & diuidendo diminuit paternum affectum, & paternum censum, & si gemellus sit, lac maternum. Potiùs dilige filium Dei, qui frater tuus factus est, propter quem erga te creuit amor paternus, per quem admitteris ad hæreditatem paterni census, cuius caussa augetur tibi, & datur lac doctrinæ sanctæ Ecclesiæ maternum. Diligis filium quem mater cum sorde concipit, cum pallore & nausea in vtero gestat, cum timore & periculo parit, & cum labore & solicitudine educat. Sed audi Deum tuum, dicentem: Quicumque fecerit voluntatem Patris mei, qui in cœlis est, ipse meus frater, & soror, & mater est. Dilige ergo magis Christum, cuius sectando iustitiam, mater efficeris. Hunc Spiritu sancto superueniente in vtero mentis concipis mundiùs, gestas iucundiùs, paris per bonum opus securiùs, educas faciliùs, qui sit senectutis tuæ baculus, & cæcitatis oculus, & in morte memor erit tui. Diligis sponsam, quæ tecum iam quodammodo vnum efficitur. Nam erunt duo in carne vna. Dilige vehementiùs Deum, qui sponsus est animæ. Nam sponsabo te, inquit, mihi in fide.] Hic fidem, seu fidelitatem tibi etiam non seruanti seruauit, qui se nec per mortem tuam à te separabit, sed tunc inseparabilius copulabit, qui filiis bonorum operum fœcundabit. Dilige tandem illum Dominum fidelissimum tuum, qui propter alium amicum numquam te deseret, nec vt illum honore afficiat, me loco cedere iubebit, nec si fidelis sum, minus fidelem reputabit. Qui nec sua prosperitate, nec tua aduersitate mutatur, nec sua sublimitas eum tibi extraneum, nec tua humilitas & paruitas te sibi efficiet abenum.

Deut. 32. 6.

Ose. 2. 20.

Alia ad amoris affectus excitandos Laurentius Iustinianus optimè attigit. Ea sunt: natura ab ipso Deo creata, ab ipso conseruata, propria imagine insignita, & ad cœlum corporis dispositione erecta, vt in cœlis amorem suum collocet, ad quos seipso quoque corpore iactari videt. Deinde omnis creatura, quæ nos ad amandum allicit, dum Deum optimum & pulcherrimum nobis ostendit, & donum ipsius est, quod ipse Deus, vt nobis obsequatur tribuit. Adhæc à Christo Domino facta redemtio, qui pro nobis se humiliauit, & exinaniuit, & acerbissima pertulit, & omnem suam vitam sanctissimam in nostram vtilitatem contulit. Ac tandem præmium ingens, & superexcellens, quod nobis, si eum dilexerimus, promisit. Adiuuat etiam ad amorem consideratio vnionis ad Deum, quia pater noster est. Delectatio ipsius, quia si esurimus, panis nobis est; si sitimus, potus; si in tenebris, lumen: si nudi sumus, immortalitatis vestis est. Largitas Dei, quoniam omnia bona ab illo accipimus. Inexhaustibilitas eius, quæ omnibus semper & vbique largiens numquam minuitur. Vtilitas, quia ex illo & per illum, & in illum reliqua nobis conferunt, & si ad illum non dirigantur, noxia sunt. Ac demum fidelitas Domini, qui numquam defuit diligentibus se.

Iustin. in ligno vitæ. de charit. c. 7. Alia ad amoris affectus eliciendos commodissima.

His aut aliis similibus potest anima seipsam ad diligendum accendere, at exactis his initiis non indiget aliquid meditari, sed solùm apprehensa dilecti præsentia nouit se erga illum miris affectibus exercere. Quod enim hominibus carnalibus euenit, vt absque vllo discursu per solam apprehensionem obiecti delectabilis ad amorem, & desideria impura, mouentur, & spiritualibus & bene dispositis accidit, qui simplici apprehensione summi Dei ad amorem eius, & ad desideria rerum cœlestium excitantur. Experiebatur hoc sponsa subitò in hæc verba prorumpens: Osculetur me osculo oris sui.] Non introducitur aliquid de sponso cogitans, aliquid de eius perfectionibus inuestigans, sed ad solam eius memoriam osculum petit, & amoris affectibus inardescit. Sponsæ hoc datum est, quæ sponsi pulchritudinem iam nouit, quæ eius multiplices perfectiones perspectas habet, cui non est opus inuestigare quod diligat, sed solùm in id quod sibi notum satis est, & sibi vt bonum eligit, amore ferri. Habemus ergo quod anima antea meditatione disposita, & mortificatione ac virtutibus præparata in initio affectuum nonnulla meditatione amati indiget, in progressu autem & fine huius viæ absque meditatione ad solam Dei presentiam amoris affectus elicit. An autem absque vlla prorsus cogitatione de Deo anima ad affectus progrediatur, alterius est indaginis, & commodiùs de hoc inferiùs dicetur.

Cant. 1. 1.

Affectuam orationem meditatione vtiliorem & perfectiorem esse.

CAPVT III.

HÆc conuersandi cum Deo ratio, quæ non discursibus, sed solis affectibus amoris, & gratiarum actionis, ac laudis perficitur, multo perfectior est meditatione, & consensu omnium virorum spiritualium vtilior. De perfectione eius nulla est ambigendi ratio, quandoquidem charitas, seu amor Dei omni virtuti, & omni alteri exercitio præfertur. Si charitatem compares donis illis splendidioribus, quibus proximis & Ecclesiæ vtiles sumus, dicet tibi Paulus: Æmulamini autem charismata meliora, & adhuc excellentiorem viam vobis demonstro.] Si conferas cum virtutibus moralibus, dicet tibi idem Apostolus: Si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, & si tradidero corpus meum ita vt ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest.] Si ad alias virtutes theologicas collationem facias, audies eumdem dicentem: Nunc autem manent fides, spes, charitas, tria hæc, maior autem horum est charitas.] Cùm ergo charitas sit Regina virtutum, quæ aliis virtutibus & donis vitam tribuit, & nos amicos & familiares Dei facit, & cùm sit primogenita gratiæ, qua Deo conformes efficimur, nullum opus esse poterit nobilius aut perfectius eo, quo ipsi charitati studemus, & eam propriis actibus exercere & augere contendimus. Hoc autem est huius orationis opus, exclusis ratiocinationibus, ad eum amore consurgere, & fonti totius lucis & bonitatis aspirationibus flammigeris vniri. Et tunc inutile, immo & noxium putatur inuestigare, cùm anima ipsum finem inuestigationis obtineat. Sicut enim qui Romam iret, & se ad portas Romanæ vrbis, vel in medio eius inueniret, laborem iter agendi, & Romam eundi noxium inutilémque putaret. Ita cùm omnis meditatio & inuestigatio orationis ad excitandum amorem ordinetur, obtento amore, qui finis meditationis erat, sicut vrbs itineris, frustrà meditationi insisteretur. Hinc autem liquet orationem affectiuam amoris plenam, perfectiorem esse, cuius gratia meditatio quæritur, & qua inuenta, meditatio deponitur. Tu ergo qui Dei amorem cupiebas, qui vt eum assequereris, nunc considerabas ea, quæ te ad amandum allicerent, nunc amorem ardenter postulabas, eo obtento considerationem & orationem, seu postulationem relinque, & bono desiderato perfruere. An non infans vbera nutricis quæritans, & pro lacte plorans, inuento vbere, & lacte gustato, tacet, & quiescit & sugit. Sic & tu, qui lac amoris meditatione quæritabas, & pro vberibus diuinæ suauitatis lugebas, debes, inuento amore, ab inquisitione, & luctu, & postulatione cessare.

Charitatis excellentia. 1.Cor.12. 31.

1.Cor.13. 3.

1.Cor.13. 13.

Finis totius vitæ spiritualis vnio ad Deũ.

Richard. lib.de exterminat. mali.c.8.

Finis quidem omnis exercitationis spiritualis est ad Deum accedere, vnionem eius assequi, dona cœlestia, quæ nos meliores faciant, adipisci. Hæc autem multo melius aspirationibus, & desideriis, quàm meditatione consequimur. Sed ad illa, quæ vltra Iordanem sunt, inquit Richardus, quæ sensum nostrum excedunt, melius nitimur desiderio, quàm studio, & affectu, quàm intellectu, eo quòd iubemur turbam, id est, cogitationes, non arcam, id est, sapientiam, quæ continet amorem, permittere. Meliúsque sit in hac parte multum desiderare, quàm multum discutere, vt illuc mereamur introduci, quo non valeamus virtute irrumpere. Qui enim scrutator est maiestatis, opprimetur à gloria.] Nec solùm id tanti doctoris authoritate, verùm & quotidiana experientia comperimus. Quis enim non nouit intellectum satis imbecillum esse, vt voluntatem post se trahat, qui bonum quidem agnoscit, voluntas autem bonum non diligit, & postquam ille hoc vel illud faciendum, aut omittendum dictauerit, hæc sensualitate inescante se auertit, aut etiam contraria præsumit. At ipsa voluntas efficacissima est, quæ sæpe mensuram intelligentiæ excedit, & cùm hæc parum agnoscat, illa obscurè cognitum ardentiùs amat. Intellectus discursu, quasi pedibus ambulat, voluntas amore subito ad interiora penetrat, & omnia transilit, & superat, vt ad amatum perueniat. Si ergo in his quæ sunt ad finem, illud perfectius est, quod efficaciùs ad finem iuuat, non est dubium orationem affectuum perfectiorem esse meditatione, siquidem citiùs & efficaciùs nos ad Deum facit peruenire.

Comparatio intellectus & voluntatis.

Amor, ô vir Dei, est thesaurus tuus, non cognitio, quoniam non quæ solùm agnoscis, sed quæ diligis possides. Et si amorem in Deo collocas, & amoris affectibus ad illum veraciter aspiras, pro mensura & veritate huius affectus illi magis, aut minus, perfectiùs aut imperfectiùs copularis. Amor te pro modulo huius vitæ beatum facit, quia secundùm magnitudinem illius ad fœlicitatem assequendam aptum reddit. Nam non qui subtiliùs speculatùs fuerit, sed qui Deum ardentiùs dilexerit, maiorem gloriam obtinebit. Hanc scientiam Deus ipse docet: Beatus enim quem tu erudieris Domine, & de lege tua, id est, de lege charitatis omnia mandata comprehendentis, docueris eum. Eam non in membranis, quas animalia mortua reliquerunt, sed in cordibus viuis Sanctorum, & hominum iustorum exarat. Ea nihil honestius. Theologia quippe bonum Theologum, & Philosophia bonum Philosophum, & amor bonum simpliciter, & sanctum facit. Nihil vtilius. Propter hanc enim habebo claritatem ad turbas (id est, propter sapientiam siue sapidam scientiam, qua Deus amore gustatur) & honorem apud seniores iuuenis: & acutus inueniar in iudicio (cùm beneficiis acceptis amore me respondisse fatebor) & in conspectu potentium mirabilis ero, & facies Principum mirabuntur me. Ea denique nihil suauius, ac delectabilius, quia sicut aurum ea, cui adiungitur, licèt plumbea sint, vel ferrea, deaurat, ita amor dura, & amara, & laboriosa reddit dulcia, atque facilia. Nec solùm meritum actionibus præbet, verùm & iucunditatem adauget. Ab eóque in bonis constantia seu perseuerantia procedit. Quia sicut difficile est in insulsis & amaris persistere, ita in iucundis, & in iis, ex quibus dulcedinem percipimus, facile est perseuerare. Cùm itaque Dominus hanc tibi ianuam aperuerit, ne cuncteris, longis meditationibus sepositis, per illam ingredi, & totum orationis tempus sanctis affectibus aspirationibúsque concedere. Quod non tantùm perfectius est, & ad vincendam naturam aptius, verùm ad ipsam cognitionem iter breuius, & compendiosius. Rectè namque Bonauentura ait: In tantum via affectiua excedit cognitionem rationis, & intelligentiæ, in quantum Sol cunctis aliis planetis pulchrior, & stella matutina cæteris est syderibus vniuersis fulgentior. Qua reuelantur abscondita, referantur occulta. Quæ non humanis & terrenis facit amantem intendere, sed potiùs supra seipsum eleuatum immediatè diuinis & cœlestibus insistere disciplinis.

Amoris bona.

Psal. 93. 12.

Sap.8. 10. Amoris vtilitas.

In myst. Theol. in via vnit. p.2. Oratio affectiua quomodo superet cognitionem.

Quia

Quia ergo amor æstuans ad vnionem dilecti aspirat ardentiùs, sursum trahit spiritum, vt fonti veri luminis appropinquet, qui solus facit accedere ad illum, qui est oriens ex alto, hos qui in tenebris & in vmbra mortis sedent illuminans, vt per ipsam motiua & cognitiua completissimè suas perfectiones obtineant, vt mens ardore amoris, & splendore luminis à suo dilecto misericorditer decoretur.] Et Augustinus: Sanctorum vita flagrantiorem excitat charitatem, vt quanto flagrantiùs diligimus Deum, tanto certiùs sereniúsque videamus.] Hæc ille.

August. 8. de Trinit. c. 9.

Vnde tamen ostendemus viam affectuum vtiliorem esse meditatione? Ex multis id potest demonstrari. Amor enim Dei multo efficacius, quàm quæuis consideratio impellit ad contritionem & displicentiam peccatorum. Eam quoque comitatur, atque circumdat, & illi valorem & virtutem tribuit vt peccata funditus deleat. Animam autem per donum gratiæ gratam facientis amicam Dei redditam, citiùs & efficaciùs ab omni vitiorum & imperfectionum labe purificat. Quod Bonauentura appositissimo simili patefecit. Sicut enim in corporalibus dupliciter immunda purgantur, aqua, & igne, quorum illa bene lauat, & mundat, sed ignis melius, vt patet in vase testaceo in ignem coniecto, cuius breui tempore omnis immunditia consumitur. Ita anima bene quidem dolore, & contritione, & lacrymis ab omni imperfectione purgatur, sed multo meliùs ardore amoris omnis eius rubigo consumitur. Amor similiter patefactius quàm meditatio, & ortum ex ea propositum omnes passiones, & sensus, aliáque vitiosa mortificat. Nam cùm animam suauissimè sursum trahat, & Deo coniungat, ab omni amore rerum terrenarum eam separat, & à voluptate sensuum & inanium cogitationum alienat, & corpus domat. Et qui meditando & lugendo cum magno labore aliquantulum se vicit, si Dei amore inflammetur, omnino sua vitia superat, & subitò se onere liberum expeditúmque miratur. Tentationes autem, ac dæmonum insultus, quo meliùs vincuntur, nónne amore? Etquidem. Nam si tentationem, exempli gratia, superbiæ oppositis actibus humilitatis eludere nitaris, pugnando vincis, in pugna verò non paruus labor est. At si in actibus amoris diuini te occupes, subtrahendo te à pugna & tentatione superas, in quo mira ac facillima vincendi ratio est. Si hostis in te sagittam eiaculetur, quid est securius, & facilius, scutum obiicere, in quo ictum excipias, an sagittam venientem declinare? Hoc profectò & facilius & tutius est. Nam si scutum opponas, fortassis iaculum illud transfodiet, ac te percutiet, aut certè ictus exceptus dolorem incutiet. Si verò te subtrahas, nec vulneri nec dolori locum relinquis. Intellige. Actibus oppositæ virtutis pugnare est scutum opponere, ac tentationem spernere, & amore ad Deum aspirare est à sagitta celeriter fugere. Ergo charitas, & eius actio melius quàm virtutes reliquæ tentationibus hostis obsistet.

Vtilitas affectuũ maior meditationum.

Bonau. in myst. Theo. de via vnit. part. 4.

Virtutes omnes oratione quæruntur. Has autem perfectiùs amoris affectibus, & vnionis diuinæ desideriis, quàm meditatione consequimur. Hi enim affectus animam auellunt ab amore terrenorum, quæ hoc vino ebria vniuersa arbitratur stercora, vt Christum lucrifaciat. O vinum bonum fini conuiuij, id est, periodo vitæ spiritualis, ac perfectioni reseruatum, quo vitiorum & tentationum obliuiscimur, ac sic virtutibus sensim, & quasi dissimulanter imbuimur. Hoc vinum sicut nos vitiis dormiturientes reddit, ita virtutibus vigilantes facit, milléque sanctis desideriis & propositis implet, & ad opera ipsarum virtutum impellit. Itaque ad virtutes meditatione non aliter quàm ratione & suasione ducimur, ad easdem autem amore tamquam affectu raptamur. Nemo verò non expertus est, quanto violentius ad quæque siue bona siue mala affectu, quàm ratione feratur. Denique aurifex accepto leone aureo, ipsum igne conflans in imaginem Christi cõuertit. Ita Deus peccatorem amoris affectibus quasi igne liquefacit, & sanctum, ac Christo similimum facit. Paulus lupus rapax in agnum amore conuertitur, & Magdalena mulier perdita, quia dilexit multum, speculum puritatis efficitur, & vnusquilibet in id quod amat transformatur. Vnde si Dei amoribus assuescas, qui origo est omnium virtutum, non poteris virtutibus carere, quas ipse per amorem copulatus nobis solet infundere. Vnde Prosper sapienter ait: Quapropter nihil eis peccati damnabilis remanere poterit, nec deerit aliquid boni, quibus charitas, omnis inquinamenti mundatio, & bonorum omnium mater affuerit: quoniam quidem si charitas patiens est, benigna est, &c. Quid illis esse potest in hac vita perfectius, qui tantis abundant charitate in se regnante virtutibus? Proinde quando videmus aliquos patientiæ mole fundatos, inconcussum pectus sæuientibus malis opponere: abundantia sanctæ benignitatis affectos, bonum suum velle cum omnibus habere commune, non aliquibus ardentibus inuidiæ facibus coqui, non agere perperam, sed simpliciter cum omnibus quibuslibet puritatem exhibere, nullo fastu pernicioſæ vanitatis inflari, nihil eorum, quæ sunt aliena, crimine cupiditatis ambire, quæ sunt piæ communionis bono non quærere, nulli malum quibuslibet irritatos iniuriis cogitare, non super alicuius, aut sui operis iniquitate, sed de veritate gaudere, omnes inquietos, vel inquietudines, fundata animi tranquillitate sufferre: post hanc vitam pœnas diuinitus comminatas credere metuendo, præmia promissa sperare gaudendo, reuelationem filiorum Dei desiderare fortiter sustinendo. Quando ergo videmus hæc, & talia bona aliquos posse, nouerimus non eos magnitudine virtutis suæ posse quod volunt ardenter, & faciunt, sed de beneficio illius charitatis, quæ non est ex nobis, sed diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis.] Magna quidem sanctus hic Pater amori tribuit, & non minus vera, quàm magna, quoniam qui illum habet, vniuersam legem, omnes virtutes præcipientem, aut suadentem impleuit.

Prosper lib. 3. de vit. contem. c. 14.

Varij charitatis effectus.

Hoc etiam orationis genus intellectum deserens, intellectum (vt iam dictum est) multo magis illuminat. Nam amor penetrabilior est omni gladio ancipiti, nihil eo acutius, nihil subtilius ad dignoscendum id quod amat & ad in omnia amati attributa penetrandum. Dilectio, inquit Hugo, intrat, & appropinquat, vbi scientia foris stat.] Ita solet interdum intellectum illustrare, vt videatur lux ab illo immissa omnem fidei obscuritatem excedere. Et licèt illam in hac vita non auferat, tamen per sapientiæ lumen intellectum ad perfectissimam diuinorum cognitionem leuat. Voluntatem etiam amoris affectio pace,

Oratio affectuũ intellectũ illuminat. Hugo 7. sup. Angel. hierar.

Amor via melior ad virtutes quàm meditatio.

& serenitate, ac tranquillitate cumulat: & ita amatus Deus, qui iam amore possidetur, voluntati satisfacit, vt extra illum mihil omnino quærat. Spem etiam roborat, & fiduciam postulandi & obtinendi tribuit, quoniam filij cor istos affectus comitans de amantissimo Patre diffidere non potest. *Iustin. de casto cõnub. c. 25.* Spõsa, inquit Laurentius Iustinianus, ea scilicet anima, quę nouit Deo castis amoris affectibus copulari, frequenter de thalamo ascendit in cœlum, & de cœlo iugiter sponsus descendit in thalamum. Non pauida, non de salute incerta ingreditur sponsa in supernorum mansiones, sed tamquam in dilecti domum, & in propriam possessionem. Vt enim illam emeret, vendidit sua, & tradidit egenis, vt illam lucraretur. Pugnauit in tentationibus, pugnauit cum spiritibus nequam, quotidiéque pugnat contra se. Non temerariè, sed confidenter in atria intrat sponsi. Nam etsi aliàs aduena illius sanctæ fuerit ciuitatis, nunc verò ciuis effecta est Sanctorum, & sponsa verbi, cui ex amoris priuilegio omnia, quæ sunt sponsi, debentur. *Veri amoris proprietas.* Amor quippe verus nihil priuatum habet, nihil proprium, sua séque gratanter impertitur: ea quoque lege, eadémque charitate, qua largitur propria, vtitur alienis. Ex amoris igitur mutui exuberantia tanta est inter verbum & animam familiaritas, loquutionis fiducia, gloriæ certitudo, & conditionis inconsideratio. Numquam præsumeret anima, quamuis munda, quamuis sancta accedere ad verbum, loqui illi, importunísque petitionibus inuincíbile vincere, si non interueniret amor.] Sic ille. Quæ autem ita confidit, quid, quantumuis difficile non obtinebit.

Ad omnem denique perfectionem efficaciùs aspirando ad Deum, & diligendo, quàm meditando peruenimus. *Quomodo charitas augeatur.* Perfectio enim (vt alio loco monstrauimus) à perfecta charitate non secernitur. Charitas autem virtutum omnium actibus in iustis augetur, sed propriis meliùs & celeriùs ad suum augmentum & perfectionem perducitur. Puer artem scribendi quomodo discit? Scribendo. Et pictor? Pingendo. Et citharœdus? Citharizando. Ita efficieris amator diligendo. Et quanto Deum frequentiùs feruentiúsque dilexeris, tanto perfectior amator euades, & maiorem mentis puritatem, & vitam magis cœlestem, & Angelis magis assimilem comparabis. Si ergo, ô vir Dei, hæc tibi porta amoris aperitur, discursibus relictis, & aliis affectibus sepositis, in affectum charitatis incumbe. *Charitatis laudes.* Hæc est enim mater, & Regina omnium virtutum, qua viuificantur, & sine qua ad vitæ æternæ meritum non admittuntur. Hæc est quæ amando sine cuiuscumque iniuria cunctos spoliat, quia bona quæ amat, tamquam propria sibi vendicat. Hæc est, quam vt breue compendium Scripturæ prædicant, quam Deus & ratio & ipsa natura à nobis impensiùs efflagitant, in qua omnis Dei cultus atque religio sui absolutionem accepit. Hæc est mensura, qua in cœlesti patria beabimur, quia secundùm gradum charitatis, gradum gloriæ recipiemus. Hæc tandem est, quam in æternum exercebimus. *1. Cor. 13. 8. Cassian. coll. 1. c. 11.* Charitas numquam excidit. Quem locum tractans Cassianus ait: Omnia namque dona pro vsu atque necessitate tribuuntur ad tempus, consummata dispensatione mox proculdubio trànsitura: charitas verò nullo intercipietur tempore, non solùm enim in præsenti vtiliter operatur in nobis, sed etiam in futuro, sarcina corporeæ necessitatis abiecta, efficacior multo, atque excellentior permanebit, nullo vmquam corrumpenda defectu, sed per incorruptionem perpetuam flagrantiùs Deo atque intensiùs adhærsura.] Discamus ergo diligentiùs scientiam amoris, quam numquam deseremus. Sola enim dilectio est, quam non alterat casualis euentus, quam separatio corporis non diuidit, quam temporalis longitudo non abolet, quæ defectui non succumbit. Eam verò discimus aspirando, & amando illum à quo diligimur, & quem amando & possidendo fœlices efficimur.

Affectiuam orationem faciliorem ac suauiorem esse meditatione.

CAPVT IV.

NON tantùm perfectione & vtilitate affectiua oratio meditationem excellit, verùm & facilitate ac iucunditate præeminet, in eáque ita vtilitas & dulcedo coniuncta sunt, vt ambiguum sit intelligere, in hoc manna animabus humilibus & mundis præparato quid sit maius, an vtilitas, qua eas reficit, an iucunditas, qua dulcedine & suauitate replet. Meditationem laboriosam esse ex eius natura manifestè cognoscitur. Est enim meditatio studiosa mentis inuestigatio, qua aliquid occultum euoluimus, vt affectum excitemus, & ad aliquod bonum sectandum, vel malum vitandum prouocemur. *Meditatio ex se laboriosa.* Inquisitio autem atque inuestigatio absque labore & difficultate esse nequit. Vide mulierem illam, quæ drachmam perdiderat, quàm laboriosè accensa lucerna euerrit domum, & omnia inuertit, vt drachmam inueniat. Hæc typus est animæ meditantis, quæ non sine fatigatione rei causas, & effectus, & proprietates, & reliqua quæ insunt, euoluit, vt tandem ad agnitionem veritatis perueniat. Difficile, ait Sapiens, æstimamus, quæ in terra sunt: & quæ in prospectu sunt, inuenimus cum labore. Quę autem in cœlis sunt, quis inuestigabit?] *Sap. 9. 16.* Si terrena sine multo labore non inquirimus, cœlestia & diuina quomodo facile inuestigabimus? Certè nos inuoluimur tenebris, & ignorantiæ caligine, nec ad diuinam lucem aspiciendam absque magna fatigatione caput mentis attollimus. *Iob 37. 19.* Tametsi autem gratia magna ex parte hanc difficultatem leniat, tamen eam penitus non adimit.

E contra verò in consurrectione affectuum accidit, quam iucunditas & suauitas afficit. *Lãsperg. in pharetra.* Ioannes Lanspergius, vir in rebus spiritualibus apprimè exercitatus, his notandis verbis pharetram diuini amoris incepit: Licèt variæ ad obtinendam charitatis perfectionem à Sanctis tradantur viæ, in eumdem scopum finémque dirigentes, hæc tamen omnium creditur esse facillima, atque maximè compendiosa, quam diuinus Dionysius Areopagita, & post eum nonulli alij docent, vt per flammigeras affectiones anima ad Deum continuò se leuet, ad ipsum aspiret, eidem loquatur, ipsum attingere, eíque inhærere gestiat. Hæc via, hoc exercitium, studium est sapientiæ, quod non multitudine librorum, nec disputationum argutia discitur, sed extensione affectus in Deum, qua excitetur iuge desiderium vehementiùs amandi Deum, perfectiúsque ipsi placendi. Propterea vocatur à sanctissimo Dionysio mystica Theologia, vtpote quæ diuina irradiatione in animã humanam infunditur, & affectione magis, quàm cognitione

Blosius instituit. spiritual. li. cap. 5.

frequentatur.] Et Ludouicus Blosius superiori in scientia mystica non inferior, sic ait: Assidua aspirationum, siue orationum iaculatoriarum, & feruentium desideriorum ad Deum emissio, veræ mortificationi atque abnegationi conjuncta, certissimum est compendium, quo citò faciléque peruenitur ad perfectionem, & mysticæ Theologiæ sapientiam vnionémque diuinam. Nam huiusmodi aspirationes efficaciter penetrant, ac superant omnia media quæ sunt inter Deum, & animam. Sanè quoties quis ab omnibus rebus caducis abstractus cor suum cum humilitate & amore ad Deum integrè conuertit, toties illi Deus occurrens nouam gratiam infundit.] Neque hi Doctores oppositum docent dum ille hanc orationem affectuum sapientiam ac mysticam Theologiam, hic verò medium seu viam ad mysticam Theologiam vocat. Sunt enim in hac oratione gradus, sunt initia, atque progressus. Illa sunt veræ sapientiæ & altissimæ contemplationis viæ, hi ingressus, & obtentio eiusdem sapientiæ, quod postea explicandum est.

Richel. 3. de contemplat. 11.

Affectiua ergo oratio iucundissima est, quam quidam, authore Dionysio Richelio, in tribus constituunt secum magnam iucunditatem afferentibus, in feruore, dulcedine, & cantu. Feruore amoris affectum, dulcedine perceptam ex ipso voluptatem, cantu iubilum cordis, ac laudes diuinas intelligunt. Sed quid dulcius amore? Omnis sanè virtus, præsertim si iam sit adepta, & in animo purgato resideat, propriam iucunditatem habet adiunctam. Quo autem perfectior est, eo maiorem illi Deus voluptatem indidit, qui non sine proportione quadam perfectioni voluptatem adiecit. Charitas ergo omnium virtutum suprema non sine magna dulcedine in suos actus procedet. Verè immortalitas est in cognatione huius sapientiæ, quæ in sponsam accipitur, & in amicitia illius delectatio bona, & in operibus manuum illius, ad quæ nos prouocat honestas sine defectione, & in certamine siue exercitatione loquelæ illius sapientia, & præclaritas in communicatione sermonum ipsius. An non actio quo perfectior, nisi aliquid in nobis impediat, eo est delectabilior? Sed quid Dei amore perfectius? An non delectatio ex vnione potentiæ & obiecti conuenientis exoritur? Sed quid voluntati nostræ, Deo, cui amore vnimur, melius, aut conuenientius? Quòd si in ipsa vnione summa delectatio est, consurrectioni & aspirationi ad hanc vnionem delectatio non deest. Nónne tandem hoc opus est Spiritus sancti, non naturæ, sed gratiæ non tam à virtute voluntatis emergens, quàm ab auxiliis diuinis animam eleuantibus prodiens? Sed quid dulcius, atque suauius, quàm opes accipere, thesaurum recondere, & ianuam cordis Regi regum aperire. Amor dura & aspera reddit iucunda: quare Iacob amanti plures anni duræ seruitutis videbantur pauci præ amoris magnitudine. Quàm igitur ipse erit iucundus & lætus? Nam si insipida, quia melle tinguntur, dulcia sunt, ipsum mel magna dulcedine carere non poterit.

Amoris summa dulcedo.

Gen. 29. 20.

Sap. 8. 17.

Facilitas in amando Deum. Iustin. in ligno vitæ. de charit. c. 4.

Sed de facilitate huius exercitij amoris quid dicam. Profectò eadem ratione, quam nunc attigi, ipsum facillimum esse conuincitur, quia nimirum amor à rebus difficillimis & asperrimis omnem difficultatem submouet. Qui amat, ait Laurentius Iustinianus, non laborat. Omnis namque labor non amantibus grauis est. Amor solus est qui difficultatis nomen erubescit. Nil durum, nil amarum, nil graue, nil lethale putat amor verus. Quæ vulnera, quod ferrum, quæ pœna, quæ mors, amorem prævalet superare perfectum? Charitas enim impenetrabilis est lorica, respuit gladium, iacula excutit, periculis insultat, mortem irridet, postremò vincit omnia.] Facile est sponsæ amare sponsum pulcherrimum, filio diligere Patrem benignissimum, pauperi beneuolentia ferri in eum à quo ingentia beneficia recepit. Da mihi animam à fæce peccatorum purgatam, immoderatis affectibus liberam, moralibus ornatam virtutibus, quæ dignitatem filiæ obtinuerit, quæ statum sponsæ aut acceperit, aut ambierit. Da, inquam, mihi hanc animam, & huic facillimum erit amare, pronum erit pro his magnis donis, quibus indies afficitur, gratias agere, sine labore erit sponsum, operum ab ipso rectè gestorum caussa, laudare. Hi amores, hæc desideria, hæc dulcia colloquia non acumen ingenij, non sanitatem carnis, non robur corporis, non aliquid aliud externum exigunt, quod non sit in nostra situm potestate, sed solam voluntatem rectam, Dei fauore suffultam, gratia ad amandum excitatam. Hanc si habueris, facillimum tibi erit amare. Sed quid ego multis amorem Dei facilem esse conficio, ad quem ab ipsa natura, cuius opera facillima sunt, & non ab aliqua externa disciplina compellor. Audiamus, si libet, Basilium de hac re eruditè disputantem. Sanè quæ ad Deum charitas est, ea non in doctrinæ præceptis posita est. Neque enim aut luce gaudere, aut vitam diligere, aut eos charos habere, à quibus geniti educatiuè sumus, à quoquam didicimus. Sic igitur, ac multo etiam magis nulla charitatis in Deum externa est disciplina, sed simul atque constitit animal illud (de homine loquor) insita ei naturalis etiam quædam rationis est vis, quæ in seipsa amandi necessitudinis initia continet. Eam vbi schola diuinorum præceptorum excepit, & diligenter excolere, & scienter alere, & Dei munere ad maturitatem vsque perducere consueuit.] Non dicimus, neque etiam Basilius asseruit, charitatem qua Dei amici sumus, & vitam æternam promeremur, aut naturalem esse, aut à natura prodire, absit: sed ex amore naturali ad istam procedimus. Si enim naturale est nobis amare Deum authorem naturæ à quo procreati sumus, à quóque toti pendemus, quis putabit difficile esse amare illum supernaturaliter, quando gratia naturam perficit, & ad diligendum authorem nostrum, & patrem & sponsum extollit. Itaque aspirationes amoris difficultatem insitam non habent, quandoquidem non aliud, quàm summum bonum, & pulchrum amandum nobis proponitur.

Basilius reg. 2. fus. disput.

Vide D. Th. 22. q. 26. art. 3.

Vt autem hæc suauitas & facilitas affectiuæ orationis magis eluceant, scire oportet affectus sanctarum animarum duplices esse, ordinarios & moderatos, & extraordinarios, & nimis intentos. Hi posteriores in corpus se effundunt, & non sine ingenti carnis immutatione & afflictione perficiuntur. Vnde Richelius quorumdam virorum spiritualium sententiam adducens, qui in hac via affectuum magnum laborem experiebantur, sic ait: Multi decipiuntur in hac Philosophia minus experti existimantes in motibus anagogicis mentem consurgentem cœlesti dulcore multipliciter morari, cùm è contrario mens laboriosissima sursum actione agatur, & ex spiritus extensione sit ibi quædam corporis

Duplices animarũ sanctarũ affectus.

Richel. sup.

eneruatio, & ſpiritualis ſeparatio, corporaliúmque membrorum ex impetuoſitate motuum anagogicorum protenſio. Itaque anagogicorum impetus motuum corpus diu ſine magna afflictione ferre non poſſet, niſi gaudium ſpirituale de ipſius directa tendentia temperaret.] Eadem aut ſimilia leges in ſancto Bonauentura, atque in Henrico Herpio non ſemel. Hæc tamen corporis afflictio internam ſuauitatem non tollit, immo ex ea procedit. Nec ipſe etiam labor corporis ſuauitatis eſt expers. Quemadmodum enim in ludis quos homines intermiſſionis, ſeu oblectationis gratia repererunt, non paucos animaduertes magna corporis exercitatione perfici, ita in his immutationibus corporis, quas interdum nonnulli viri ſpirituales habent, ex animæ conſurrectione profectis intelligendum eſt puriſſimam aliquam ſuauitatem collocari. Nullo namque modo oneroſi ſunt labores amantium; ſed ipſos delectant, ſicut venantium, piſcantium, aucupantium. In eo enim quod amant, aut non laborant, aut labor amatur. Et idcirco hanc corporalem afflictationem viri ſpirituales non horrent, quia eam à bona cauſſa dimanantem, & dulcedini ſpiritus adiunctam vident.

Suauitas affectuũ merè ſpiritualium.

Affectus autem ordinarij, & temperati, aut ardentes, & merè ſpirituales, qui interiùs ſe continent, ſuauiſſimi ſunt, & magnam ſecum lætitiam & tranquillitatem afferunt. Illis namque anima non ſolùm tendit in Deum vltimum finem ſuum, verùm & quodammodo illi ſe immergit, & in eo quieſcit. Tendentia autem, aut quies in centro animæ, cuius gratia creata eſt, non poteſt non magnam ſecum oblectationem afferre. Hanc autem ſuauitatem animæ purgatæ atque diſpoſitæ ſancti amoris affectus impertiunt. Si enim purgata non ſit, non mirum ſi oblectationem aut facilitatem non ſentiat. Sicut enim homo beneualens cibum ſuauem ac bene præparatum facillimè & cum guſtu dulcedinis accipit, quem ægrotus vix & non ſine difficultate & abſque perceptione dulcedinis ſumit ſic prorſus iuxta ſanitatem animæ ſuæ dulcedinem affectuum quiſque experietur, ſuęque immortificationi tribuat, ſi in cibo ſuauiſſimo nullam ſuauitatem experiatur. De eo qui ægrotat dicitur in libro Iob: Abominabilis ei fit in vita ſua panis, & animæ illius cibus antè deſiderabilis.] non quia panis, aut eſculentum ſuam ſuauitatem perdiderint, ſed quia palatum ægrotans prauis humoribus infectum temperiem ad ſuauitatem percipiendam amiſit. Æger es, ô frater, ſi amoris ſuauitatem non percipis. Venter cogitationis & affectionis tuæ vanis cogitationibus ac deſideriis impletus eſt, non mirum ſi cibum dulciſſimum amoris abomineris. Anima enim ſaturata calcabit fauum. Fortaſſis vnus es ex illis, de quibus regius Vates cecinit: Omnem eſcam abominata eſt anima eorum, appropinquauerunt vſque ad portas mortis.] Fuge mortem tepiditatis, & ignauiæ, vel, vt Propheta dicit, portam mortis: nam per teporem ad contemtum ingredimur, & amor tibi ſapiet, & panis ſuauiſſimus tibi dulceſcet. Si aliquando ſuauitatem huius panis guſtaſti, & modò non percipis, ex hoc ipſo poteris deprehendere, quia panis inſulſus non eſt, ſed tu ipſe es minus diſpoſitus, vt dulcedine eius fruaris.

Iob 33. 20.

Pſal. 106. 18.

Nonnumquam verò non tam culpa noſtra, quàm probatio eſt, quòd affectus nobis non ſapiant, & tunc rogo te, ô vir Dei, ſi ad affectus vocari te ſentis, vt viam quam cœpiſti tenere non deſeras. Suſtine pauliſper Dominum, & in cœpto perſeuera, quia benignus eſt, & poſt modicum tui miſertus fontem aquæ viuæ, ac venam ſalutis aperiet. Non in ſapore, & dulcedine, ſed in ſubſtantia amoris & deſiderij Dei eſt virtutis augmentum, & meritum. Hanc exerce, huic inſiſte, licèt ſuauitatem non ſentias, & citò ſatis mutatum, & virtutibus diuitem, & Deo proximum teipſum inuenies. Quia hæc amor ſecum affert, dilectio efficit, & purum deſiderium gignit, licèt ſuauitas nobis ob cauſſas hominibus ignotas denegetur.

In oratione perſiſtendũ etiã cùm ſumus aridi.

Oratio affectiua quos fructus pariat.

CAPVT V.

Duplex effectus affectiuæ orationis. Bernard. ſer. in Cantic.

Hæc oratio duplices effectus habet, alteros communes omni orationi mentali, alteros proprios. Illos priores multo melius & efficacius, quàm meditatio aſſequitur. Ipſa enim animam (vt diximus) optimè à peccatis emundat. Numquid non expiat charitas? inquit Bernardus, & potenter. Legi quòd operit multitudinem peccatorum. Sed dico numquid non idonea eſt, ſeu ſufficiens ad deiiciendam humiliandámque omnem extollentiam oculorum, & cordis? Et maximè. Nam non extollitur, non inflatur.] Ipſa corpus domat. Audi Bonauenturam ſic ſcribentem: Mens per intimas affectiones conſurgens, quodam medio mirabili ipſam carnem irrorando perfundit, ſaltem quoad hoc vt innata corruptio paulatim debilitetur in ipſa; in quantum mens per ardentius exercitium ad ſuperna extenditur. Et diuina miſeratione hac victoria perfruitur, vt in quantum per amorem integrum ſe ſubiicit proprio Creatori, in tantum caro ſpiritui ſubiecta contra naturalem inclinationem mentis iuſſioni obtemperet. Et mens in corpore tamquam in regno præſideat, dicátque: Sitiuit in te anima mea, quàm multipliciter tibi caro mea.] Ipſa affectiua oratio ſenſus & paſſiones cohibet, quia amore tamquam fræno illos, & iſtas, ne deuient, aut in præceps ruant, ſapientiſſimè regit. Tentationes ſuperat, quia amor mentem illuminat, vt aduerſarij inſultus cognoſcat, fruſtráque iacitur rete ante oculos pennatorum. Et voluntatem roborat, ita vt potius in necem ſuſtinendam, quàm in peccatum conſentiat. Virtutes comparat. Quis enim non facile per temperantiam carnis oblectationes abiiciet, qui puriſſimam voluptatem multo maiorem & dulciorem amoris percipit? Quis, ſi verè amat, iuſtitiam non teneat, qui per amorem ſeipſum Deo tradit, & ſibiipſi quod ſummè conueniens eſt, nempe originem omnium bonorum tribuit, & proximũ diligendo, quod ipſi debetur reddit? Quis Deo amore copulatus per fortitudinem obſiſtentibus non reſiſtat? Quis Deum diligens per prudentiam media ad perfectionem obtinendam non eligat? Itaque affectus amoris inſtrumenta ſunt valida, quibus omnes virtutes comparantur.

Bonau. de myſt. Theol. c. 3. p. 2.

Pſal. 62. 2.

Prou. 1. 7.

Per has etiam aſpirationes & amoris affectus, optimè mens ad deſpicientiam vniuerſorum terrenorum diſponitur, quia ſupra omnia illa mirabiliter collocatur. Homo enim, ſi eius naturã & finem ſpectes, maior eſt his omnibus. Vt autem ſcribitur in libro Iobi, notum eſt, quia maior ſit Deus homine. Ergo cùm homo Deo per amorem iungitur,

Affectus amoris iuuant ad deſpicientiam terrenorum. Iob 33. 12.

maior & excellentior non tantùm natura, ſed cordis etiam latitudine rebus his caducis efficitur, eo ipſo quòd amore quaſi in Deum transformatur. Hæc itaque qui Deo vnitus valde exigua & vilia conſpicit, non difficulter contemnit, & arbitrátur vt ſtercora, vt Chriſtum lucrifaciat. Impletúrque ſpiritualiter illud quod dictum eſt filiis Iſrael: Omnis locus quem calcauerit pes veſter, veſter erit.] Quia per affectum amoris omnia terrena calcamus, & eo ipſo non ipſis tamquam dominis ſubdimur, ſed ea velut mancipia poſſidemus. Præclarè igitur dixit Theodoretus: Qui ergo diuinum accepit amorem, terrena quidem ſimul omnia contemnit, conculcat autem omnes voluptates corporis, deſpicit opes, & gloriam, & hominum honorem, à telis aranearum nihil differre exiſtimet purpuram imperatoriam: pretioſas gemmas aſſimilat calculis, qui ſunt in littoribus, non rem beatam ducit exiſtimandam ſanitatem corporis, neque morbum appellat calamitatem, neque infœlicitatẽ vocat paupertatem, nec res ſuas malè gerere dicit pauperem, nec diuitiis & delitiis metitur fœlicitatem, ſed aquis fluuiorum, quæ in ripis plantatas arbores præterfluunt, & apud nullam ex his conſiſtunt, vnumquodque earum ſemper eſſe ſimile rectè exiſtimat.] Sic ille. Hæc ſanè affectus veri amoris in animabus ſanctis efficiunt, & eas ad tam ſublime faſtigium perfectionis extollunt, vt cunctis terrenis per deſpectum tranſcurſis in ſolo Deo quieſcant, & illi adhærere ſummam (ſicut re vera eſt) fœlicitatem ducant.

Philip. 3. *Deut. 11. 24.* *Theodoretus. orat. de charit.*

Effectus autem huius orationis ſpeciales latiùs hoc loco explicandi non ſunt, quia inferiùs commodior occaſio de illis ſcribendi ſe offeret: interim tamen attingemus aliquid eorum vt ex parte cognoſcantur. Affert ſecum hæc diuini amoris affectio quamdam ſenſibilem ſuauitatem, quæ in ipſis viſceribus atque in corde percipitur, & natura ipſa, ac compago corporea puriſſimè per illam, ſed mirum in modum delectatur. Videtur quidem (vt ab expertis audiui) quòd ipſum cor ac caro præ ſuauitate liqueſcant, & tantam dulcedinem ſuſtinere non queant. Sentiebat ſponſa hanc miram ſuauitatem, quando de ſponſo dicebat: Anima mea liquefacta eſt, vt loquutus eſt.] Ad verbum ſponſi liquefactam ſe dicit, ait Gregorius, quia dum Chriſtus ſe per ſpiritum ſuum animæ deſideranti infundit, omnem duritiam cordis mox diſſoluit, & aliquando mentem in tantas lacrymas liquefacit, vt vix capere poſſit hoc quod ſe capere intra ſe exultat, & intus miretur, quid fuerit, & quid factã ſubitò ſeipſam videat.] Dicam quod ſentio, animæ hac mirabili ſuauitate perfuſæ ſatis parum debetur, ſi corporis voluptates, & omnia mundi delectamenta deſpiciat. Quid enim magnum, ſi ea quæ deliciis regum veſcitur, in ollis inſulſis mancipiorum non delectetur. Magnum autem erit, ſi hac ſuauitate ſubtracta, & ſibi relicta ad conſolatiunculas ſæculi huius non redeat, & abiectum nihil requirat.

Speciales affectiua orationis effectus. *Cant. 5. 6.* *Grego. ibid.*

Affert quoque oratio affectiua deſiderium vehemens (ſeu vt meliùs dicam) affligentem famem & ſitim Dei, & eorum quibus anima Deo eſt placitura. Verbum eius eſt: Sitiuit anima mea ad Deum fortem viuum: quando veniam, & apparebo ante faciem Dei.] Et: Sicut deſiderat ceruus ad fontes aquarum, ita deſiderat anima mea ad te Deus.] Hæc fames eam aliquid extra Deum deſiderare non patitur. Hæc ſitis aliquid huiuſmodi cogitare non permittit. Hoc ingens deſiderium in nulla creatura, in nulla virtute, in nulla gratia, aut dono quantumuis eximio quieſcit, ſed in ſolo æſtu diuini deſiderij aliquod leuamen ſentit. Adumbratum eſt hoc deſiderium in Magdalena quærente Dominum, quæ videns Angelos pro nihilo duxit, ſed in ſuo luctu, & lacrymis, donec dilectum ſuum inuenit, permanſit. Interrogant eam Angeli: Mulier quid ploras? ipſa verò reſponſo breuiter dato: Tulerunt Dominum meum, & neſcio vbi poſuerunt eum, conuerſa eſt retrorſum, quaſi præ amore ipſum Angelorum alloquium deſpiciens. Cur hoc? inquit Origenes; quia oneri mihi ſunt omnes conſolatores, grauant me, & non conſolantur. Ego enim quæro creatorem, & ideo grauis mihi eſt omnis creatura. Nolo Angelos videre, nolo cum Angelis manere, quia poſſunt dolorem augere, & non poſſunt penitus delere. Denique ego non quæro Angelos, ſed eum, qui fecit me & Angelos.] Hæc ille. Profectò in hoc ſenſu intellexit Nilus monachus illud Apoſtoli: Neque Angeli poterunt nos ſeparare à charitate Dei.] quia videlicet Angelorum viſionem Sancti ob vim diuini amoris negligunt, & nõ in aliquo creato, ſed in ſolo creatore quieſcunt. Sinuntur autem ad tempus deſiderare, & non ad votũ poſſidere, quærere, & non vt optant inuenire. Quia, vt inquit Gregorius, amanti adhuc dilatio imponitur, vt ex dilati amoris deſiderio meritum retributionis augeatur.

Ioan. 20. 13. *Origen. homil. de Magdal.* *Rom. 8.* *Gregor. 16. mor. c. 12.*

Infert deinde quamdam Dei ſaturitatem, qua fames prædicta non minuitur, ſed ſimul cum illa Deo deſiderato mens impletur. Scriptũ eſt: Beati qui eſuriunt, & ſitiunt iuſtitiam, quoniam ipſi ſaturabuntur.] Quia ergo anima in hac oratione eſurit, & ſitit Deum, conſequens eſt vt ſaturetur. Sentit ipſa intra ſe clariſſima illuſtratione præſentiam Dei, & illo ſummo bono ſe ſentit impleri, dicítque: Bonum mihi eſt ita eſſe, nihil volo quærere extra hoc bonum, niſi illud ipſum, vt augeatur, cupere & poſtulare. Vide famem & ſaturitatem. Quia Deus animæ finis eſt ſeipſum detegens quodammodo, & ſuam præſentiam oſtendens, illam ſatiat, & quia ſummè appetibilis eſt, & multum illius ſupereſt quærendũ, & aſſequendum illius quod deeſt, famẽ excitat. Neque hoc mirũ tibi videatur quòd anima ſimul eſuriat, & ſaturata ſit. Habet enim in hoc ſtatu quamdam arrham gloriæ futuræ in qua hæc duo ſimul erunt. Nam, vt ait Auguſtinus: Satietas eſt ibi inſatiabilis, nullum habens faſtidium. Et ideo ſemper eſuriemus, & sẽper ſaturi erimus. Atque alio loco: Cùm ad æternam vitam poſt multos agones peruenire potuerimus, ita perdurare habemus, vt nulla vmquam nos boni illius ſatietas capiat, ſed quanto magis de illius beatitudine percipiemus, tanto magis in nobis dilatabitur deſiderium.] Sic ergo nunc pro ſuo modo & Deum eſurit, quem nondum plenè habet, & Deo ſatiatur, quia Deus ſua præſentia illam illuſtrat, & implet. Anima autem ſaturata hoc ſummo bono calcabit fauum delitiarum huius vitæ, & cuncta terrena faſtidiet.

Fames & ſitis Dei. Pſal. 41. 3. ibid. *Auguſt. ſer. 52. de temp. Lib. de incarnat. Verbi.* *Prou. 27. 7.*

Quartus effectus affectiuæ orationis eſt ebrietas ſpiritualis, quia mens hoc vino amoris madida in gemitus, in ſingultus, in voces, in aliáque ſigna externa non ſe continere valens profilit, & quaſi ebria ſenſum amittit. Dicunt carnales de iſtis, qui hæc patiuntur, quod de Apoſtolis accepto Spiritu ſancto dictum eſt: Quia muſto pleni ſunt iſti.] Et ex parte verum eſt, quia muſtum diuini amoris illos repleuit, & in quamdam ſapientiſſimam inſaniam compulit. Eam ſic optimè deſcribit Bernardus. Audi ſanctam inſaniam, ſiue mente, inquit

4. Effectus ebrietas ſpiritualis. *Actor. 2. 13.* *Bernard. de dign. & natura diuini amor. c. 3.*

inquit Apostolus, excedimus Deo, siue sobrij sumus vobis. Vis ad hæc audire insaniam? Si dimittis, inquit, eis peccatum, dimitte: sin autem, dele me de libro vitæ. Vis aliam? Ipsum audi Apostolum. Optabam, inquit, anathema esse à Christo pro fratribus meis. Nónne quædam mentis bene affectæ sana quædam videtur insania, cùm impossibile sit affectu habere fixum in affectu pro Christo anathema velle esse à Christo? Hæc ad sancti Spiritus aduentum Apostolorum fuit ebrietas, hæc Pauli insania, cùm diceret ad eum Festus: Insanis Paule. Mirum ne erat, si insanire pronuntiabatur, qui in ipso mortis periculo ipsos iudices suos, à quibus pro Christo iudicabatur, ad Christum conuertere nitebatur? Non hanc insaniam multæ litteræ in eo faciebant, sicut dicebat rex veritatem intelligens, sed dissimulans, sed (vt dictum est) sancti Spiritus ebrietas, in qua, & in paruo, & in magno similes eos sibi facere gestiebat, qui eũ iudicabant.] Hæc sancta ebrietas, & prudens insania omnem carnis prudentiam vincit, puerilem erubescentiam, seu pudorem tollit, & nec minas, nec afflictiones, nec contemtum, nec infamiam, nec mortem timet. Oritur autem nonnumquam ex nouitate eorum, quæ anima experitur, ex noua luce, qua perfunditur, ex insolita suauitate, qua intetiùs exornatur. Aliquando verò non tantùm ex nouitate, verùm ex abundantia & magnitudine doni, cuius comparatione, quidquid in mundo est, vilissimum reputatur, & ob cuius conseruationem, & augmentum, omne quod in terris lucet, despicitur.

5. Effectus inferiorum virium plena subiectio.

Post ebrietatem sequitur omnium virium infe or m plena subiectio, qua violentia quadam spontanea ad spiritus vnitatem trahuntur, & in rebus amoris occupantur, & à superuacuis occupationibus abstrahuntur. Tunc anima ad multas horas, & longissima spatia temporis in exercitio amoris sine vlla difficultate perdurat, quin & reliqua exercitia tum interiora, tum exteriora tamquam minus suauia respuit, aut si vocationi ac statui debita sunt, non, libenter, & quasi à suauitate illorum impulsa, sed solùm patienter admittit. Tunc multa supra vires audet, quin & impossibilia præsumit. Quod in Magdalena iterum videmus expressum, quæ suæ imbecillitatis oblita Christi corpus humeris portare pollicetur. Mira res, inquit Bernardus. Hominem perfectæ ætatis, virum, cuius corpori vix centum libræ sufficiunt vnguentorum, tenerrima mulier portabis, & tolles? Ardens & affecta loquutio, quæ de puritatis amore refusa promittit quod implere non potest. Nihil enim amanti difficile esse videtur.] Sed Domino hi conatus non displicent: nam aliquando per has animas eximio amore repletas ea solet operari, quæ manifestè omnes vires earum, & communem hominum aliorum operandi rationem excedunt.

Bernard. ser. de Magdal.

Tandem solet hæc oratio ad ecstases, ad raptus, & ad alia admiranda procedere, à quibus nunc supersedemus, quia ea inferiùs (Deo donante) ex professo tractabimus. Quæ tamen non ideo appetenda & exercenda est, quia hæc efficit, sed quia potentissimè animam purificat, & Deo subiicit.

Quæ sint huius orationis pericula.

CAPVT VI.

NIHIL periculo vacat, dixit Ambrosius, nec quidquam tam sanctum est quod non aliquando vel vitio, vel infirmitate nostra in detrimentum vertatur. Habet meditatio sua pericula, quibus quatitur (quæ suprà exposita sunt) habet & hæc affectiua oratio, quibus mens non sibi cauens in manifestum discrimen adducitur. Hæc vt intelligamus è re erit nosse duos esse posse in iustis amores Dei, sensibilem, & spiritualem, affectus & electionis, cordis & mentis. Istorum amorum multiplex est discrimen. Ille in corde carneo residet, hic in voluntate; ille Deo fruitur, hic non in proprio commodo, sed in Domini voluntate etiam cum proprio incommodo delectatur: ille Deum respicit vt thesaurum suum, hic nihil proprium quærit, sed seipsum respicit, vt peculium Dei; ille vt affectus cordis corde non sine suauitate percipitur, hic absque vllo sensu corporis voluntate exercetur: ille instrumentum huius amoris quo crescit, hic opus ipsum, & substantia ad quem ille prior ordinatur. De his duobus amoribus audi quid dicat Bernardus. Amemus affectuosè, circumspectè, & validè, scientes amorem cordis (quem affectuosum dicimus) absque eo qui dicitur animæ dulcem quidem, sed seductibilem: istum verò absque illo qui virtutis est, rationabilem esse, sed fragilem. Illum forsitan vocat seductibilem, quia (vt statim exponemus) non in eo collocata est nostra perfectio: istum fragilem, quia in initio nisi ab alio adiuuetur, solet ad insultum tentationis occumbere.] Et inferiùs ait: Nota amorem cordis quodammodo esse carnalem quòd magis erga carnem Christi, & quæ in carne Christus gessit, vel iussit cor humanum afficiat. Hoc repletus amore facile ad omnem de huiusmodi sermonem compungitur. Nihil audit libentiùs, nihil legit studiosiùs, nihil frequentiùs recolit, nil suauiùs meditatur.] Ait hunc amorem ad Christi carnem afficere, quia ab humanitate eius incipit, postea verò ad diligendam affectuosè diuinitatem assurgit, & omni imagine corporea sepositа, in Deum quem homo intra se præsentem contemplatur, intendit.

Duplex Dei amor sensibilis & spiritualis.

Bernard. ser. 20. in Cant.

In oratione affectiua multum est illius prioris amoris quo erga Deum, vt erga Dominum pulcherrimum & suauissimum afficimur, quo eum vt nobis amabilem & dulcem amplecti mur, quo eius præsentiam vt nobis vtilissimam & voluptuosissimam suspiramus, quo si se abscondat, de nostra orbitate & derelictione dolemus. Hic totus amor, aut multiplex affectio eius concupiscentiæ est, quia volumus Deum nobis, & eo frui ob nostrum bonum quærimus. Inde autem nascitur huius orationis non vnum tantùm, sed multiplex etiam periculum. Primum itaque est quòd interdum putamus ad mensuram huius amoris veram charitatem & perfectionem creuisse, & hac suauitate solidas virtutes metimur, & nobismetipsis blandientes fratres affectus suaues non habentes contemnimus, & quasi iam palmam sanctitatis adepti aduersùs eos insolescimus. Est autem in hoc non minima fraus, qua dæmon nos fascinat. Certum est enim hos duos amores ita esse distinctos, vt interdum ille affectiuus magnos progressus faciat, & essentialis (vt vocant) paruum incrementum accipiat. Simili communissimo, sed appositissimo id explicabo. Est mulier nobilis, quæ filium habet malis moribus imbutum, & ob id admodum sibi exosum, quem propterea domo pepulerat, habet

1. Affectiuæ orationis periculum.

etiam

etiam canem paruulum ſupra modum ſibi dilectũ, quem in gremio collocat, & ſecum defert quocumque vadit, & ſi forte aliquanto tempore non compareat, ægerrimè fert. Accidit, vt filius ille rebellis in grauem morbum incidat, nuntietúrque matri illum vita periclitari, vnicúmque remedium ad incolumitatem eius à medicis eſſe propoſitum ſi canis ille paruulus medius ſecetur, & tepentibus venis capiti ægrotantis imponatur. Certè fœmina illa de filij eliſi inobedientis ſalute ſolicita, facillimè vt ea proueniat, canem charum permittit occidi. Nónne teneriùs ac dulciùs canem amabat? Ita, ſed non veriùs atque efficaciùs, quoniam ſub illa indignatione erga filium, amor naturalis dilectióque materna latebat, quæ filium cani prætulit, & pro bono illius, iſtum, & ſuas delicias pro nihilo duxit. Sic prorſus in nobis euenit aliquando, quia amor affectiuus & ſuauis erga Deum concupiſcentiæ eſt, amor verò alterius, quamuis ſine dulcedine & ſuauitate amicitiæ efficacioris. Hunc qui habet multo verius quàm tu, qui priorem poſſides, ſi legem cuſtodiat, ſi terrena deſpiciat, ſi ſenſus ſuos & affectus cohibeat, ſi pro bono fratrum illa ſuauitate ſe carere ſuſtineat, non minus te virtute & perfectione ſuperat, quàm ab auro plumbum, à cœlo terra ſuperatur.

Paulus vas electionis, ſpeculum ſanctitatis non de illo amore tenero, nec de dulcedine, & ſuauitate, ſed de hoc amore efficaci gloriatur. Optabam enim ego ipſe, ait, anathema eſſe à Chriſto pro fratribus meis. Si ille cupiebat à Chriſti regno, & ab eius fruitione ad tẽpus ſeparari pro fratribus ſuis (qui communis huius loci Patrũ eſt ſenſus) quanto magis vellet pro conuerſione & ſalute eorum à dulcedine amoris, & ab affectuum ſuauitate ſeiungi? Hoc ideo, quia perfectam charitatem & ſanctitatem non in fruitione, ſed in animo fideli erga Dominum, & in mandatorum cuſtodia, & in fraterna dilectione ſitam eſſe cognouit. Scies ergo amorem hunc affectus non eſſe ſanctitatis ſubſtantiam, ſed inſtrumentum ad ſanctitatem, quod tibi à Domino datum eſt, vt pro hac dulcedine mundi oblectamenta deſpicias, teipſum ad domãdum corpus prouoces, in virtutibus obtinendis deſudes, & ad puritatẽ ſimplicis & deiformis intentionis peruenire nitaris. Cúmque his affectibus ad hæc & ſimilia ſolidarum virtutũ opera accendi te ſenſeris, illos fiducialiter frequentare non ceſſes.

Rom. 9. 3. Pauli efficax amor.

2. Orationis affectiua periculum.

Alterum eſt huius affectiuæ orationis periculũ, à primo non longè diſtinctum, quo aliqui putant orationis exercitationem ad affectuum ſuauitatem & dulcedinem ordinari. Hanc ſuorum laborum finem faciunt, ſi adſit, ſe profeciſſe, ſi deſit, ſe defeciſſe, & tempus fruſtrà triuiſſe dicunt. Huic fallacię obſiſtimus, ſi ſuauitatem in oratione non aliud, quàm bonum ſaporem in cibis eſſe nouerimus. Sicut enim in ſumtione cibi finis eſt vitæ naturalis conſeruatio, & virium corporalium augmentum, delectatio verò eſt quid ſumtionem cibi conſequens, & cibo coniunctum, ne natura illum exhorreat, & remedium ad vitam neceſſariũ reſpuat. Ita in exercitio orationis huius, & cuiuſque alterius finis, eſt vt vitam animæ ſeruemus, & in omni virtute & mentis puritate creſcamus. Adiunxit autem Dominus orationi ſuauitatem, ne eam ſubinde exercere cunctemur. Quòd ſi nobis aliquando hæc ſuauitas in affectibus denegetur, vel ad defectuum noſtrorum pœnam, vel ad fidelitatis noſtræ probationem, vel vt pateat quod orationi ſtudemus, non dulcedinis, ſed profectionis obtentu, non

A

B

C

D

E

ob id ab oratione ceſſandum eſt, immo intentiùs ſanctis affectibus & deſideriis incumbendum, vt omnis virtus creſcat in nobis. Ne ſis, ò vir Dei, quaſi amicus ſocius menſæ, qui non permanet in die neceſſitatis, ſed potiùs eſto particeps in tribulatione, vt regni particeps inueniaris. Pro certo habe perfectionem ac meritũ affectuum non ex aliqua experientia ſuauitatis, ſed ex voluntatis bonæ efficacitate pendere, poſſéque quemquam abſque vlla dulcedine, immo cum multa amaritudine, & deſolatione perfectiſſimos voluntatis affectus habere. Chriſtus Redemtor noſter in horto vſque ad ſudorem ſanguinis deſolatus, & abſinthio ſummæ triſtitiæ repletus, illo reſignationis affectu: Non mea, ſed tua voluntas fiat, in fine placuit. Et tu vt illius membrum placebis, ſi quamuis nullam dulcedinem percipias, eumdem affectum, & alios ſolidarum virtutum elicias, ſi voluntatem ad Deum diligendum efferas, & vero amore Deo vniri ac copulari percupias. Si autem ſuauitate ſubtracta neſcis, aut admodum graue tibi eſt in oratione perſeuerare, tibiipſi perſuade, quia non purè Deum quæris, & hanc gratiam perſiſtendi inter ſpinas à Domino poſtulare non ceſſes. Mens itaque ſtudioſa, inquit Richardus, & circa ſalutem ſuam ſolicita, quæ adhuc cùm fuerit perturbata perturbationi ſuæ orando repugnare non nouit, & huiuſmodi vſum vel gratiam necdum obtinuit, oret & impetret tempore tranquillitatis diuinitus ſibi dari gratiam orandi ſub tempore tribulationis.] Affectuum ergo ſuauitas cùm non ſit orationis finis, non eſt inordinatè deſideranda.

Eccli. 6. 10.

Rich. lib. de erud. interioris hom. c. 11.

3. Periculum læſio cordis & corporis.

Tertium periculum eſt læſio corporis & cordis ex affectuum vehementia proueniens, qua quis minus idoneus ob contractã imbecillitatem ad exercitia virtutũ efficitur. Cùm enim iſti affectus ſunt vehementiores, cor admodum inflãmant, & apertis arteriis adeò dilatant, vt pectus illud vix capiat, & quaſi præ ſuauitatis abundantia rumpatur. Aliquando cor ſubſilit, & inſuetis motibus ſe ad modum ianuæ aperit & claudit. Hinc caput nimis læditur, membra extenuantur, & cor ipſum ex ſanguinis ebullitione erga ipſum ad hos etiam deuotionis motus fit ineptum, & ſentit ſe in magna ariditate, & ſenſibilis deuotionis priuatione relictum. Tempore autem deuotionis ſenſibilis illius, ſe interdum illa donati continere nõ poſſunt, quin eam geſtibus, vocibus, ſingultibus, & membrorum tremore oſtendant. Hæc & alia huiuſmodi ſentiens ſeipſum comprimat, & ad quietem cõponat, quantum potuerit, & magis ſpiritu & voluntate rationali, quàm ſenſualitate diuinam cõſolationem experiri percupiat. Sunt iſti effectus vini noui & in vaſe cordis recenter infuſi, quòd in principio ebullit, non quia melius ſit, ſed quia recentius, & imperfectius: ſucceſſu temporis veteraſcet, & vim ac meritum nõ amittens conquieſcet. Non nocebunt iſta dona, ſi teipſum pro poſſe cohibeas. In animũ verò induces temetipſum cohibere, ſi animæ duertas hæc dari non vt ſine menſura accipiantur, ſed vt moderatè & iuxta proprias vires acceptentur. Si ſcias hunc Spiritus ſancti influxum eſſe in hac via minus perfectum, quo dona in vires inferiores effundit, longè autem perfectiorem eſſe illum quo in vires ſuperiores intellectum & voluntatem influit, quod abſque iſtis corporeis motibus æquè bene facere poteſt. Nunc vnguento pretioſo veſtes tuas, nempe corpus & vires inferiores perfundit. Habet tamen aliud pretioſius quo caput tuum, id eſt, ſuperiores vires mentis inungat. Hoc cupies

& petes,illud verò non vſque ad detrimentum admittes. Nec te exiſtimes ſanctiorem, quia his donis cumulatus ſis:nam (vt iam diximus) hæc ad veram virtutem operandam dantur, non quaſi in illis ipſa conſiſtat.

4. Periculum gulæ ſpiritualis.

Poſt iſtud ſequitur quartũ periculum gulæ ſpiritualis, quo vt quis has ſuauitates & dulcedines amoris ſentiat, ab operibus obligatoriis ſe ſubducit,& ſuæ vocationi deficit,& non tam Deũ,quàm ſeipſum quærens in his Dei donis tamquam in fine requieſcit. De hoc verba iſta notanda in Lanſpergio leges : Cauendum tamen ne huic exercitio immoderatiùs incumbenti gula quædam ſpiritualis, vel dæmonium meridianum imponat, vt vel immoderatio impetuoſæ ad Deum conuerſionis, nimis vigorosè caput lædat, aut impura in ſpiritualibus bonis oblectatio à Deo fornicari faciat,vt in donis Dei potius quieſcas,aut oblecteris, quàm in Deo. Quocirca opus tibi eſt diſcretione, & maximè vigilandum,vt caſta deiformíſque ſit tua intentio, vt neque ſupra vires te nimietate graues, neque aliud hîc, quàm Dei gloriam quæras. Argumentum autem in teipſo recipere potes diuini tractus, & rurſus ſynceri amoris ex te ad Deum ſi nihil quæris præter Dei honorem & beneplacitũ, ſi pariter Dei donis non inflaris, nec propterea aſpernaris alios, ſi denique ad tuiipſius humiliationem,atque ad omnium quæ in te odis, aut odiſſe debes mortificationem exercitia tua, & Dei dona conuertis. Et poſtremò ſi inde quottidie te ſentis, ſecundùm rationem ſaltem, magis humilem, magíſque Deo ſubiectum & reſignatum. At verò ſi deuotionis atque amoris ſentimenta propter delectationem (vt fit in ſpiritualiter guloſis) quæris, aut in illis requieſcis, nec curas, quomodo virtutibus proficias,aut operibus bonis creſcas (tametſi decies in ecſtaſim mẽtis quottidie rapereris, in ſolis tamen adhuc naturalibus viuis, donis Dei abutens tuum commodum, requiem, delectationémque in his requirens. Et quoniam non quæris altiſſimum Dei beneplacitum (quod vera ſui abnegatione inuenitur,atque perficitur) quo plus proficere videris,eo in deteriora ſemper laberis.

Lanſperg. in præfat. pharetra.

Signa ſynceri amoris erga Deum.

Bloſius in tabella ſpirituali poſt medium.

Etiam ſunt intenta conſideratione digniſſima ea quæ Ludouicus Bloſius de hac ipſa re in hunc modum ſcripſit: Caue autem ſummopere ne ipſa diuini amoris exercitia impurè ſuſcipias ac peragas.Multum enim diſpliceret Deo ſi ob hoc ſolum te illis traderes,vt voluptatem inde caperes, & in teipſo delectareris. Diſpliceret, inquã, Deo ſi gula ſpirituali te inquinares,& cum pretioſo gratiæ balſamo ſtercus propriæ delectationis commiſceres. Igitur amplectere deuota exercitia ad honorem Dei, vt virtutibus iuxta Dei voluntatem orneris, atque in vero Dei amore magis magíſque proficias,& ipſi Domino placeas. Si tibi Deus conſolationem ſuauitatémque internam præſtiterit,agnoſce te illa indignum eſſe, & eam humili gratóque animo ad Dei gloriam ſuſcipe:ſtudens interim ſeruare te ab ea tam liberum,& intactum,quaſi nihil tale accepiſſes. Syncerus & ſublimis amor Dei in hoc conſiſtit,vt ſiue cum dulcedine,ſiue ſine dulcedine velimus, accipiamúſque vel gaudeamus Deum eſſe quod eſt,ac tantam gloriam, tãtum dominium, tantam opulentiam obtinere, quantam obtinet, deſiderantes etiam vt omnes ei ritè ſeruiant,eúmque diligant & glorificent,qui eſt omni honore, amore & obſequio digniſſimus.Ipſe enim creauit cœlum & terram,& nos,& omnia. Magnitudinis eius non eſt finis,& ſapientiæ eius non eſt numerus. Poteſt omnia, videt omnia, ſcit omnia, ipſas quoque abditiſſimas cordium cogitationes, intentiones, atque affectiones omnes perſpectas habet. Ipſe eſt ſummum & incommutabile bonũ, atque intermina plenitudo potentiæ, nobilitatis, dignitatis,ſanctitatis,charitatis,pulchritudinis,bonitatis,dulcedinis, beatitudinis, & omnigenæ perfectionis. Diligamus ergo Deum,non potiſſimum propter illa,quæ ab eo recipimus, vel expectamus, ſed propter ipſummet, qui eſt infinitè amabilis. Conſtituamus nobis pro fine laborum noſtrorũ, ac requie noſtra gloriam eius,& illam pluris faciamus,ac magis amemus, quàm noſtram, ipſámque habeamus pro noſtra propria. Non nobis omnino ſufficiat ſuauitas quam perſentimus in obſequiis ipſi Domino à nobis propter ſpectatam gloriam cœleſtem præſtitis. Quamuis enim bona ſit hæc ſuauitas, non tamen illam Deus ob id largitur, vt in ea ſola quieſcamus, ſed vt per eam faciliùs vitia in nobis mortificemus,ſæculíque vanitates deſeramus, & firmiores ſtabilioréſque permaneamus in cultu Dei, ac tandem guſtum eximium percipiamus in conſideratione immenſæ excellentiæ, & gloriæ eiuſdem Domini Dei noſtri.] Hactenus ille.

Oratio affectiua non omittẽda propter pericula.

Illud autem omnino curabis,ne his & aliis periculis perterrefactus velis hanc rationem orandi & conſurgendi ad Dei amorem omittere. Nihil enim eſt (vt iam animaduertimus) quod non periculis pateat, quòd ſi ob pericula quæ incidunt, bona eſſent omittenda,nihil magnum aggrederemur, & infami otio torperemus. Hi amoris affectus ſaluberrimi ſunt,& ad perfectionem obtinendam,& naturæ defectus ſuperandos aptiſſimi, ne illos deſeras,ſed prudenter diſcrimina, cauens illis exercendis inſiſte.Cauebis autem,ſi tibi perſuadeas eos non eſſe finem,ſed media ad finem, nempe ad animæ puritatem, ſi non ipſos, ſed fidelitatem in Deum, & tui victoriã, profectus animæ tuæ menſuram facias: ſi dum ita inundauerint, vt corpus notabiliter lædant, ab eis prudenter te ſubtrahas, aut illos (ſi potueris) ad moderationem reducas. Si tandem propter ſuauitatem,quam percipis, alia exercitia vtiliora,quia debita non prætermittas. Si hæc præſtiteris, ſecurè per viam affectuũ incedes, & mirum in modum in omni mortificatione (ad quam ipſi impellunt) & in mentis puritate proficies.

Quæ ſit huius orationis affectiuæ ſumma perfectio.

CAPVT VII.

Finis proximus orationis affectiuæ.

MVIVS orationis affectiuæ ſumma finaliſque perfectio poteſt dici ſublimiſſima contemplatio: quoniam ſicut opus meditationis proximè in affectum amoris deſinit,ita affectus amoris ad omnia illa dona contemplationis,quæ in ſequenti volumine (Domino concedente) referemus, aſſurgit. Tamen ſi proximum finem inquiramus, ad quem iſta oratio ſuos limites non egrediens ſolet peruenire, is non eſt alius quàm ipſe amor protelatus, & ſine actuum interruptione continuus. Nam qui affectiuæ orationis perfectionem nondum accepit, variis amoris, gratiarum actionis, & laudis affectibus & poſtulationibus gaudet,& indiruptum amorem gratiarum iteratione ſupplet. Horum autem actuum

aſſuetu

assuetudine illud efficitur,vt indiruptus Dei amor, ac multo tempore durans, obtineatur. Sicut enim sponsa formosissimum & amabilissimum sponsum habens præsentem,& probè illum per longam experientiam noscens indirupto eius amore ardet,& in eius sinu quiescit:ita anima iam nuptias Domini ambiens, & eius pulchritudinem & amabilitatem simplici quodam intuitu inspiciens,absque vlla interruptione ad multum spatium temporis diligit. Sed hoc duobus modis euenit: primò ita vt in protelando & extendendo hoc amore animæ desudet industria,quæ necdum perfecta dilectione capta, nititur tamen se cum auxilio Dei in illo affectu amoris continere,& ab illo æstu spiritus,quē sentit non excidere.Secundò ita vt ab Spiritu sancto efficaciùs impulsa, vel potiùs mira dilectione compedita, absque vllo labore, immo cum ineffabili suauitate in amore perdurat.

Amoris cōtinuatiō duobus modis euenit.

Habemus ergo tres huius amoris,siue affectiuæ orationis gradus. Primus in quo multis ac variis & repetitis amoris affectibus insistimus. Secundus in quo vnico amoris affectu per aliquod tempus sine intermissione durante per Dei gratiam,ac nostram industriam exercemur. Tertius in quo vni etiam amoris actui in longius tempus protracto, sine labore, & cum mira suauitate vacamus. Primus est initium ac tyrocinium huius vię,secundus est profectus, tertius perfectio. In illo primo anima similis est ei qui progrediendo multis scilicet passibus ad itineris finem pertingit. Nam affectus varij sunt quasi multi progressus, quibus in Deum tendimus. In secundo similis est illi qui postquam ad cliuum montis peruenit, ibi, quia angustus admodum est,non sine difficultate se sistit, atque ibi quiescit. Post paululum verò deorsum labitur, in tanta altitudine stare non valens. In tertio similis est ei qui in illa sublimitate funibus ad petram illam celsam ligatur, seu Dei potentissimi tenetur amplexu, ne naturali pondere tractus ad semetipsum reuertatur. Anima pluribus affectibus amoris inhærens fœlix est, quæ iam non solùm iustitiam, sed & authorem iustitiæ esurit & sitit. Vni verò affectui indirupto amoris non sine proprio labore intendēs fœlicior, quia haustum quemdam illius quem esuriebat,& sitiebat,accipit. Vno verò amore quem sine labore apud se inuenit abundè refecta, fœliciſſima, quia cibum illum suauissimū, quem esuriebat, & potum,quem sitiebat, quasi ad satietatem edit & bibit. Anima hanc viam amoris ingredi incipiens ait: Fulcite me floribus, stipate me malis,quia amore langueo.] Iam languida est, quæ odorem sponsi præsentiens seipsam amare dediscit,& se quoque despiciens illum sibi & omnibus rebus præfert. Languida prorsus quæ sibi deficit vt in Christo proficiat,quæ sibi moritur,vt in Deo viuat. Medicamentum autem huius languoris sunt flores & mala:flores sanctorum affectuum, & poma assiduarum postulationum,quibus id postulat,vt ad amoris osculum admittatur. Flores affectuum sunt fulcra,& quidem fortissima,quę animam sustinent,ne ad amorem terrenorum dilabatur; & ardentes postulationes sunt muri quibus ab aduersariorum incursione defenditur. Cùm verò ad profectum amoris peruenerit dicit quæ sequuntur. Læua eius sub capite meo, & dextera illius amplexabitur me.] Nunc, inquam, ad illum amoris gradum ascendi, in quo sine actuum multiplicitate perseuero, quia non opus est multis affectibus, vbi vnus datur illis omnibus pretiosior. At ibi perseuerare non valeo,sicut nec potui conscendere, nisi amator meus læuam sub capite meo collocet,quo eum absque distractione conspiciam, & dextera sua ne cadam,amplexetur me. Sed tandem anima ad amoris perfectionem admissa non loquitur,quoniam ei loqui non vacat, sed sponsus zelator eius quietis factus alias animas huius comites sic affatur: Adiuro vos filiæ Hierusalem per capreas ceruósque camporum,ne suscitetis, neque euigilare faciatis dilectam quoadusque ipsa velit.] Simite illam:nam siquidem nunc perfectè amat,saluberrima & vtilissima sibi, & vobis eius occupatio est; sibi,quia celerrimè nunc ad veram puritatem currit: vobis,quia lac gignit quo possit vos abundè reficere. Quid putas illic accipiet anima, inquit Bernardus, quæ hîc tanta familiaritate donatur,vt Dei brachiis amplecti se sentiat, Dei sinu foueri, Dei cura & studio custodiri, ne dormiens fortè à quopiam,donec vltro euigilet,excitetur?] Certè hæc tam sublimia sunt,vt non facilè valeant à nobis inexpertis explicari.

Tres orationis affectiuæ gradus.

Cant. 2. 7.

Bernard. serm. 52. in Cant.

Sed dicamus aliquid quo hic tertius amor saltem à longè & vtcumque cognoscatur. Cùm ipse ignis sit spiritualis,non corpus;sed animam ac voluntatem eius adurens,corporeus hic ignis,qui patentior est, vim ac substantiam illius nobis exponat. Constitue ante oculos mentis tuæ vas testaceum in medio fornacis positum, & videbis illud continenter ardere, & ipso ardore obdurescere & roborari,insuper & colorem mutare,& omnem in eo immunditiam absumi, & aptum ad continendum & asseruandum quemcumque liquorem effici,ita vt per rimulas non effluat. Fornax ignis est amor Dei, qui cùm ad hanc perfectionem proquehitur,vt absque interruptione & repetitione actuū in vno tenore perseueret, non minus quàm ignis corporeus est efficax.O sanctum ignem,quem voluit Dominus in altare cordis semper ardere.O salutarem ignem,quē Christus venit mittere in terram, & voluit vehementer accendi. O pulcherrimum ignem, quem ipse Dominus,vt est in Ezechiele,intrinsecus & extrinsecus induit; quoniam ante assumtionem humanæ naturæ in se quasi occultum habuit, & pòst miris ac multis effectibus suæ charitatis ostēdit.Amor ergo diuinus est ignis; vas autem est anima,quæ in hac oratione quasi in medio illius collocatur,& eius calore vndique cingitur. In hoc igne ponitur, non vt pereat, sed vt quidquid vitiosum est pereat in ea, & quam ipsa non habet perfectionem adquirat. Ibi principio continenter ardet, & ac si ille ardor ab ipsa solùm reciperetur,& nihil ageret,cùm tamē aliquid agat, & actum amoris eliciat absque vllo suo labore cōburitur.Deinde roboratur,& Deo fonti totius potestatis immersa,vniuersa diaboli tentamenta contemnit. Non quidem fit impeccabilis, quæ in via manēs potest in bonum & malum verti pro libito suo,& ac si esset à potestate,aut miseria potiùs peccati immunis, aut nullū impulsum ad malum sentit, aut si à longè sentit, irridet. Ad hæc colorem mutat,quia moribus humanis abiectis,diuinis moribus,& cœlestibus virtutibus supra quàm à nobis excogitari possit,abundat. Non viuit ipsa,sed viuit in ea Christus:nam & ipse est quasi anima eius, à quo in omnibus & per omnia dirigitur. Postea illius ignis ardore omnis in ea imperfectionum immunditia consumitur, & mira pulchritudine ac sanctitate decoratur. Nam in ea nō fœditates Adæ terrestris apparēt, sed virtutes Adæ cœlestis splendent. Tandem efficitur vas admirabile,opus excelsi, vas aureum, in quo solet Dominus zelum animarum,

3. Orationis affectiuæ gradus exponitur.

Ecuit. 6. 12. Luca 12. 49. Ezech. 1. 27.

Quæ anima fœliciſſima.

Cant. 2. 5.

Cant. 2. 6.

marum,& virtutem verbi ad eas conuertendas,& alia dona Eccleſiæ vtiliſſima cuſtodire. Summáque eius fœlicitas eſſet, ſi numquá è medio illius ignis exiret,& ſemper arderet. At neceſſe eſt (huius vitæ miſeriis exigentibus) eam ab igne extrahi, ardorem inuitam relinquere, & aliquas maculas ex humana conuerſatione contrahere, quas tamen funditus diluit, quando iterum ad fornacem amoris redit. Lampades eius (ſcilicet Eccleſiæ) lampades ignis, atque flammarum. Lampades iſtæ ſunt corda perfectorum, in quibus dum hic ignis amoris perfectè ardet, in flammas erumpit, quæ ſtipulas imperfectionum abſumunt.

Cant. 8. 7.

4. Et per ſeptiſſimus gradus affectiuæ orationis.

Ex hoc amore indirupto, quem tertium gradum orationis affectiuæ eſſe diffiniuim⁹, anima ad quartum & perfectiſſimum tranſit, in quo præ magnitudine amoris, & præ abundantia ſuauitatis, quaſi extra ſe exit,& vſum ſenſuum deſerit. Mentis enim exceſſus (vt infrà dicemus) non ſolùm prouenit ex magnitudine lucis, verumetiam ex magnitudine amoris & deuotionis. Quod Richardus Victorinus optima ſimilitudine ex natura ignis tracta declarat. Cur enim, inquit, ſpiritualis ille, & incorporeus diuinæ dilectionis ignis eamdem vim in ſpiritualibus non obtineat, quam ignis iſte corporeus in rebus corporalibus habere conſueuit? Satis nouimus, quòd ignis iſte corporeus in vaſis, quamuis modico liquore perfuſis operari ſoleat. Et primò quidem incipit liquorem ipſum ab imo euertere, poſteà verò, nunc in hanc, nunc in illam partem, nunc ſurſum, núc deorſum iactare,& paulatim quidem ad ſuperiora attollere, totúmque vas ex quouis modico vſque ad ſummum replere, tandem autem ſupra ipſum attollere,& cum violentia quadam interiora euacuare,& foris effundere, fortitérque eiicere. Sic ſic ſanè animus humanus diuino igne ſuccenſus it ſæpe in ſeipſo contra ſemetipſum feruens & fremens, æſtuans & ſpumans, ſibiipſi iraſcens, ſeipſum deſpiciẽs, ſibiipſi vehementer indignans, ſemetipſum vehementer conculcãs, ſummis inhians, & in ſupermundana geſtiens, & dum huiuſmodi æſtu diutiùs vritur, multúmque iactatur, dum per inferiorem contemtum ab infimis repellitur, & per ſupernorum deſiderium ad ſuperiora trahitur, fit ſæpe, vt impetu ſpiritus impellente, deſiderio extra ſemetipſum, & ſupra ſemetipſum eiectus, ſuíque penitus oblitus, & in ecſtaſi ſubleuatus, totus in ſuperiora rapiatur.] Hactenus ille. Sed de his infrà differemus. Solùm hîc maneat orationem affectiuam eouſque progredi, vt animam ab omnibus creatis tollat, & à ſenſuum quoque vſu ſubtrahat, & in cœleſtibus ſuſpenſam teneat.

Richard. 5. de contemp. c. 7.

A

B

C

D

E

Quòd hæc oratio ad hanc perfectionem ſubleuata ſine vſu intellectus ordinariè non fiat.

CAPVT VIII.

ANceps quæſtio eſt non ſolùm apud viros orationi deditos, verùm & apud ſcholaſticos Doctores, multum diúque agitata, an hæc oratio affectiua eouſque procedat vt vſum etiam intellectus excludat, ita ſcilicet vt anima ardentiſſimè Deum diligat,& nec aliquid creatum, nec ipſummet Deum, quem diligit, actu cognoſcat. Cuperemus ſanè ab hac diſputatione ſuperſedere, niſi huius tractationis vtilitas illam exigeret, qua aliquo modo non expoſita, hæc oratio, quam tractamus, minus patefacta maneret. Nec eſt noſtri inſtituti ambiguitatẽ hanc argumentando verſare, ſed ſolùm quod ſentimus dilucidè & breuiter aperire. Orationem iſtam affectus ſine diſcurſu ac meditatione haberi iam diximus. Qui enim meditationi per longum tempus ſe dedit,& Dei ſui perfectiones multiplices diſcurſu cognouit, ad eum ſtatum venit (& quidem hoc commune eſt,& plurimis accidit) vt ad amandum Deum præuio, aut comitante diſcurſu non egeat, ſed ſimplici quadam Dei memoria, qua eum ſibi præſentem facit, ad ſuauiſſimos affectus dilectionis ſe efferat. Renuit, inquit, cõſolari anima mea, memor fui Dei, & delectatus ſum.] Prorſus bene, hoc enim illorum eſt, qui huius ſæculi conſolationes abiiciunt, qui carnis illecebras,& mundo amabilia negligunt. Hi ſciunt ad ſolam Domini memoriam delectari,& dum eum ſimpliciter intuentur, affectibus amoris ardere. Si verò ad curas ſæculares reuertantur, ab illa amoris ſublimitate deiiciuntur. Vnde ſubdit Propheta: Et exercitatus ſum,& defecit ſpiritus meus.] Nam ſi vana, & tuo ſtatui minimè conuenientia exerces, ab illa ſuauiſſima affectione deficies. Delicata ſiquidem ſpecies eſt, inquit Gilbertus, amoris affectio,& tenui occaſione læditur lætitia ſpiritualis, & amor æternorũ occupationis impatiẽs eſt, ſuis ſatis habens intendere negotiis. Occaſione enim accepta amor neſcit, nec exercet negotium aliud. Semper quidem ſcientia quadam eget auaritia. Semper enim quem amat, vel præſente eo ſe oblectat, vel abſentem deſiderat, &c. Itaque vt obiter aliquid vtile afferamus, hæc oratio, quæ diſcurſu non eget, & ſola dilecti præſentia tacta amplexibus amoris intendit, ſi quæ alia magnam mentis puritatem requirit.

Oratio affectiua ſine meditatione habetur.

Pſal. 76. 4.

Gilbert. ſerm. in Cant.

At quod inueſtigamus eſt, an animus præterita Dei cognitione formatus, & amori aſſuetus, aliquando abſque hac etiam ſimplici Dei memoria eum diligat, & actu Dei oblitus, ac ſi intellectum non haberet, amplexibus amoris intendat. Non eſt facile partem, quæ aſſerit, Patrum ſpiritualium authoritate firmare. Cùm enim hanc affectiuam orationem ſine præuio intellectu eſſe aiunt, ſi attentè legantur, non tam Dei ſimplicem apprehẽſionem, quam diſcurſũ & ratiocinationẽ excludunt. Audies loquentem Laurentium Iuſtinianũ, & ex eo quomodo alij loquantur intelliges. In iſto ſecundo aduentu, ait, quis ſermo, quæ facundia, quódve humanum ingenium capere valet, quanta exuberent dilectionis ſolatia? Ibi intellectus excluditur, ſopitur cogitatio, & ſolus amor mutuarum deliciarum teſtis efficitur. Amor loquitur, amor diſcurrit, amor caſtiſſimo contubernio in vno ambos copulat vinculo charitatis,& arcana dilectionis proferuntur verba, quæ non licet homini loqui, eo dulciora quo affectus eſt vehementior, & amor purior. Tota in hac ſpirituali & ſingulari vnione reſoluitur anima dilectione, tota inebriatur,& deficit in ſe tranſiens in dilectum. Nil eſt in quo exteriùs delectetur, quum intus immenſis paſcatur bonis. Hoc ſolo afficitur deſiderio, vt magis magíſque accendatur amore. Et quamuis tota ardeat charitate, tamen omne quod ſentit parum putat præ concupiſcentia dilectionis. Nempe ſic inflammata quemdam diuinum, infinitum, æternum induit laudis & charitatis affectum. Et licèt corpore teneatur in terris, deſiderio tamen commoratur in cœlis. Semper cupit (ſi liceat) ſic eſſe, quia quem

Status difficillimæ quæſtionis.

Quomodo exponẽdi Patres. Laurent. Iuſtin. de diſciplin. monaſt. cap. 8.

quæſi

quæsiuit inuenit; quem diligit, dulciter amplectitur: illíque copulata est corde, quem totis visceribus concupiuit.] Hæc ille. Qui dum intellectum excludit, arcana verba admittit, & cantica laudis non reiicit, quæ sine intellectu, nescio quomodo esse possint. Intellectum ergo ratiocinantem, & discurrentem videtur negare, oculos verò columbæ, & mentis intuitum simplicem, quo Deus præsens per donum sapientiæ videatur, non veretur admittere. Sic alij, qui hanc orationem solo amore sine omni intellectu perfici posse aiunt, facilè possunt exponi.

Dionys. Areopag. defenditur.

Dionysius verò Areopagita, qui huius arcani primus assertor affertur, quòd scilicet possit amoris affectus sine vlla præuia, aut comitante Dei cognitione in ipsum assurgere, minus verè in hanc sententiam videtur trahi, quod ex locis ad hanc rem astruendam adductis perspicuum fiet, si eos integros perlegamus. Quodam loco sic ait: Cùm intelligendum sit mentem nostram, vim quidem ad intelligendum habere, qua ea quæ intelliguntur, cernit, sed coniunctionem præterea, mentis natura superiorem, qua cum iis qui ipsam superant, coniungitur. Hæc igitur diuina non ingenio nostro intelligere debemus, sed ita vt nos toti extra nos simus, totíque Dei fiamus. Præstat enim nos Dei esse, quàm nostros. Ita enim demum diuina nobis tradentur, si cum Deo simus. Hanc ergo rationis & mentis expertem stultámque sapientiã præter modum laudantes, eam omnis mentis, rationis, sapientiæ, & intelligentiæ causſam esse dicamus: eámque esse omne consilium, & ab ea scientiam omnem intelligentiámque proficiscí, atque in ea omnes thesauros sapientiæ & scientiæ esse absconditos.] Hoc loco nihil omnino de amore dicitur, sed vel de fide loquitur, vt Thomas Aquinas exponit, vel de dono sapientiæ, vt Richelius, & alij. Aitque diuina ac supernaturalia mysteria non ratione naturali, sed fide & supernaturali cognitione esse metienda. Quæ vocatur rationis & mentis expers, quia omnem naturalem rationem, & mentis discursum transcendit. Stulta verò, quoniam carnalibus hominibus, qui omnia sensibus metiuntur, quæ de Deo credimus, stulta videntur, secundùm illud Pauli: Quod stultum est Dei, id est, stolidorum hominum opinione, sapientius est hominibus.]

D. Thom. ibid. Richel. ibid.

1. Cor. 1. 25.

Dionys. de myst. Theolog. cap. 1.

Alio verò loco, sic ait: Tu autẽ Timothee chariſſime, pro maxima mysticorum spectaculorum exercitatione, qua vales, prætermitte & sensus, & mentis actiones, atque omnia, quæ & sub sensum cadunt, & animo cernuntur, & quæ nõ sunt, & quæ sunt omnia, téque ad eius qui omnem essentiam, omnémque scientiam superat, coniunctionem & vnitatẽ pro virili parte clam excitat. Libero enim solutóque ac liquido à te & ab omnibus discessu, ad diuinarum tenebrarum radium, qui omni essentia superior est, contendes, cùm & omnia demseris, & ab omnibus solutus fueris, & liber.] His verbis operationes sensuum, & cognitionem rerum tum sensibilium, tum intelligibilium hortatur, vt Timotheus, & quisquis alius contemplator relinquat. Et vt omni naturali inuestigationi renuntiet, quo possit ad conspectum diuinæ maiestatis eleuari, & oculis sapientiæ eum qui supra omnia est, prout in hac vita fieri potest, intueri. Itaque tantum abest, vt Dei cognitionem neget, vt eam potiùs astruat. Negat quidem eam cognitionem, quam de Deo naturali modo per creaturas adquirimus, & astruit eam quam diuino lumine comparãmus. Ad quam obtinendam oportet ab omnibus rebus creatis non tantùm affectu, verùm & consideratione intellectus abduci. Caliginis autem & tenebrarũ nomina, quibus Dionysius postea vtitur, non priuationem cognitionis, sed ineffabilem lucem significant, iuxta illud quod de Deo in Psalmo legimus: Posuit tenebras latibulũ suum.] Et ignotè ad Deum consurgere non est apud Dionysium absque cognitione diligere, sed Deum per negationes & vt ens sublimissimum, à quo nostræ imperfectiones longè absunt, contemplari.

Psal. 17. 12.

Authoris sententia.

Itaque ex Dionysio amorem sine intelligentia aliqua colligere non possumus: at à viris spiritualibus ad perfectionem orationis affectiuæ prouectis amorem Dei ardentissimum sine vlla præuia aut concomitante cognitione interdum haberi sentimus. Et quidem sicut viris spiritualibus non licet scholasticos Doctores despicere, ita nec licet Doctoribus scholasticis viros contemplationis dono cumulatos in hac parte cõtemnere, sed patienter audire, & eorum dicta non statim animo obdurato damnare. Hi constanter affirmant se interdum sine præuia cognitione amorem habere, & voluntatem suam immediatè à Deo sine vllo actu intellectus ad amandum excitari, & hoc se per experientiam didicisse. An tutum est scholasticis obrationes philosophicas sanctarum animarum experientias ridere, & eas in hoc deceptas affirmare? Sanè duo sunt, quæ hanc contemplatiuorum experientiam faciunt veneratione digniſſimam. Alterum est, quòd multi horum, qui se experiri amorem sine cognitione affirmant, sunt viri sapientissimi, & in scholastica etiam doctrina peritissimi, quales sunt Bonauentura & Gerson, & alij, qui & rationes philosophicas viderunt, & tamen pro suo experimento eas nihili reputarunt. Nec satis est dicere Doctores istos per experientiam non loqui, sed quę ab aliis bonis viris, sed indoctis audierant, in medium protulisse. Id, inquam, nihil refert. Nam alij viri satis docti fuerunt, & sunt qui se amorem sine cognitione experiri aiunt. Ego quidem noui aliquem in rebus philosophicis bene versatum, & donis diuinis, ac vitæ puritate nimis excultum, qui amorem sæpe sibi inesse absque vlla cognitione non minus euidens quàm lucem meridianam putabat. Alterum est, nam hi supra communes homines discrimen inter cogitationem & intellectionem, inter appetitionem & volitionem clarissimè cognoscunt, adeò vt quemdam eorum audirem dicentem se non minus euidenter differentiam intellectionis & cogitationis aduertere, quàm manus & pedis, & per species infusas, vel per commixtionem acquisitarũ, vel vt Deus scit, se absque vlla cogitatione & vsu phantasmatum purissimæ Dei contemplationi vacare. Tanta hi assequuntur experimento de natura & qualitate interiorum actuum, quanta nullus Philosophus, tametsi in scholis nimis exercitatus, adipiscitur. Et ea in se vident fieri admiranda, & quasi manibus contrectant, quæ inexperti deliramenta putant, quoniam aliquid habent eorum, de quibus scriptum est: Quæcumque quidem ignorant, blasphemãt. Quos tamen, siquidem in aliis non sequuntur, neque in hoc incredulitatis vitio deberent imitari.

Contemplatiuorum experientia quare nõ asperndã.

Iudæ 10.

Illi ergo spirituales viri tam indagatores, seu inspectores actuum interiorum absque vlla trepidatione asserunt se per experientiam scire, quia Deum interdum diligunt absque vlla cognitione, quæ amorem præcedat, aut comitetur, Deo voluntatis apicem immediatè tangente, & sibi per amorem ardentissimum copulante. Quemadmodum

Spiritualium virorũ assertum.

enim

enim cùm quis corpore amicum amplectitur, quo arctiùs illum brachiis astringit, eo illum minus videt: ita hic suauissimus amoris amplexus, quo anima in brachia Domini incidit,& ipsum tenet, tam arctius & intimius esse solet, vt visum quoque interiorem impediat, & functionem intellectus excludat. Aliquando etiam homine negotiis distracto,Deus eius voluntatem suauissimè trahit, & secum vnit,& intellectum distractũ relinquit,postea verò paulatim quasi intellectum vocat, & à rebus creatis auulsum sui contemplatione cibat.At dicitis: Quomodo hî per experientiam amorem sine cognitione norunt,cùm nihil agnoscant, & experientia absque memoria & cognitione esse non possit. Respondent illi:Opus tenemus,modum nescimus, & multa in nobis præter modum consuetum fiunt, quæ videntur repugnare. Vnde rebus mirabilibus, vt Gregorius ait, fidem præbeant facta mirabiliora. Nos aliquando de absentia Domini supra modum tristamur, & simul de illo ipso dolore impensè gaudemus,adeò vt non sit lætitia maior,nec dolor acerbior. Nos mori desideramus, & esse cum Christo,& simul mortem horremus,& corã illo apparere pertimescimus. Nos musto sancti Spiritus pleni oppositos affectus vno & eodem momento sentimus,& quomodo illa fiant prorsus ignoramus. Ita amor sine cognitione nobis patet, modus fugit. Hæc est illorum responsio, quia nolunt verbis pugnare sui boni possessione contenti. Sed si vellent ad scholas descendere, aliquis fortè litteratus suggereret illis aliquid quod responderent. Interrogate vos (diceret) ô viri Deo dediti ab istis minus credulis,qui omnia regula Aristotelica metiuntur, quomodo experiantur se non videre,cùm non vident? Nos,inquiunt,aut communi sensu,aut certè ipso intellectu,qui carentiam illam visionis aduertit. Bene: sed pergite,& iterum rogate ab illis, quomodo intelligunt se non intelligere, cùm non intelligunt: & quomodo huius quod est non intellexisse se aliquid experientiam habent, quandoquidem experientia sine memoria & cognitione non est. Dicent: Ipso intellectu,qui cùm sit spiritualis vis, in seipsum reflectitur, & quodam actu animaduertit se cognitione caruisse. Eodem prorsus modo vos,cùm amatis,& non cognoscitis, elapso iam tempore illius suspensionis, voluntatem vestram amauisse, & intellectum non cognouisse animaduertitis.

An non post somnium vnusquisque se quieuisse & obdormisse,& nihil agnouisse cognoscit. Ita anima postquam hoc beato somno soporata est, & in sinu Domini requieuit,quasi expergefacta,& sibi reddita, se quieuisse,& ardentissimè dilexisse,& nihil omnino cognouisse animaduertit. Sed vrgetis adhuc, ô viri sapientes, istas animas,& interrogatis illas,quidnam amauerint,si nihil amabile intelligebant? Illud, inquiunt,summum & æternum bonum amamus quod multo tempore meditatione quæsiuimus, quod contemplatione perspeximus,quod paulo ante illud spiritale somniũ agnouimus. Et quemadmodum qui gemmam aliquam pretiosam videre & possidere cupiebat, cùm sibi donatur,principio quidem oculis gaudenter aspicit, postea verò oculis parcit,& in sinu non videndam,sed possidendam abscondit. Ita anima illum pulchrum, & bonum Dominum quem suspirauerat, priùs contemplatione aspicit, postea verò quasi oculos mentis claudit,& brachiis dilectionis astringit.

Sed vobis, ô animæ sanctæ, non creditur, quia rationes Philosophię hoc quod dicitis esse impossibile apertè demonstrant. Quid facietis? Aut vestram ignorantiam agnoscite,& humili confessione aperite, aut quia triste admodum est veritatis amatoribus decipi, iterum ad scholas properate, si fortè sit alius, qui vestri misertus dicat aliquid, quod in vos illatam sapientium istorum retundat iniuriam. Dicetis,vt rogetis ab istis quanta fuerint olim in scholis euidentia existimata, quæ successu temporis,& subtiliori inuestigatione dubia admodum reperta sunt, & postmodum,vt minus probabilia reiecta. Sanè ante centum annos (vt exemplum aliquod omnibus accommodatum afferam) euidens putabatur illud Aristotelis assertum, quod torrida ob ardorem Solis, & penuriam aquarum, ac pascuorum ab hominibus habitari non possit. At postea experimento cognitum est torridam appellatam esse temperatissimam,& aquarum ac pascuorum abundantissimam, quam innumerabiles homines incolimus,& illam demonstrationem vt futilem argumentationem contemnimus. Ita existimo, quia si Deus hos sapientes aliàs doctissimos & piissimos ad hunc gradum orationis eueheret, facile pro sui ingenij dexteritate inuenirent quomodo rationibus à se inuentis responderent.

Impossibile est, aiunt, authore Augustino,quòd voluntas in incognitum feratur. Verum est. At non est impossibile quòd amore feratur in proximè cognitum,satisque perspectum.Deus autem ab his qui hoc donum accipiunt, per donum sapientiæ cognoscitur,sed exardescente amore,& adhuc durante actus ille sapientiæ consopitur. An non ipsi aiunt,vt efficientiam Sacramentorum nouę legis seruent, quòd caussæ efficientes non existentes agunt,si immediatè effectum præcesserunt?Sic bonum cognitum allicit ad amandum voluntatem, licèt cum amore non sit cognitio, modò proximè amorem præcedat. Nam quæ rogo est maior dependentia amoris à bono actualiter cognito,quàm efficientiæ alicuius effectus à caussa existente, vt productionis gratiæ in Baptismate à prolatione verborum. Si autem hæc à verbis, quæ iam non sunt, physicè (vt ipsi dicunt) & efficienter procedit, quia sufficit verba proximè præcessisse? Cur amor à cognitione Dei non prodeat,quæ proximè amorem antecedit? Si qui verò illorum hanc sacramentorum efficientiam physicam negant, & ad moralem recurrunt, ac eam probabilem censent, & nullo modo vt absurdam irridենt. Cur ergo absurdum putant quòd voluntas in proximè cognitum amore feratur. Neque obstat quòd caussa illa efficiens in momento, seu instanti immediatè sequenti agat, amor verò per longum spatium temporis post cognitionem sine cognitione duret. Id, inquam, non obstat, quoniam quod iam non est, in primo instanti sui non esse, ac post vnum annum pariter videtur inefficax ad agendum. Et amor ille Dei est etiam in momento proximo cognitioni, simul totus absque successione existens, qui propria duratione indiuisibili mensuratur, licèt tempori nostro coexistat, & ideo videatur succedere, & partem post partem habere. Neque etiam refert, quòd caussa efficiens ad effectum & bonum cognitum ad amorem diuerso modo concurrant, quia hoc non adducimus, vt eumdem modum caussalitatis (vt in scholis loquuntur Philosophi) affirmemus: sed vt istam impossibilitatem amandi proximè cognita, quam prætendunt eludamus. Est ergo na-

turale

Obiectio & eius solutio.

Greg. homil. 26. in Euãg.

Alia obiectio pro parte negatiua.

Authoris obiectio pro parte affirmatiua.

Aug. 8. de Trin. cap. 4. & lib. 10. cap. 2.

Solutio aliarum obiectionum pro parte negatiua.

turale voluntati amore ferri in bonum actu cognitum,non tamen ita vt supra naturam non possit sine cognitione in amore persistere. Vnde constat quòd nec in nostra potestate est, quoties voluerimus in incognitum amore ferri, quia hoc naturale non est,neque etiam possumus absque vlla cogitatione peccare.Possumus tamen Deum non actualiter cognitum amando mereri,quoniam hic amor liberè cœpit,& saltem in causa liber est,quod sufficit, vt qui illum habuerit, mereatur. De amore autem appetitus idem prorsus dicendum est, quòd si Deus illum extulerit absque bono actu cognito esse poterit.

At quid aliud huic amori opponunt? Illud certè quod amorem Dei absque vlla cognitione esse ad amoris perfectionem & intensionem seu ardorem pertinere non potest. Cùm enim naturale sit cognitum bonum amare,quanto bonum perfectius & intimius cognoscetur, tanto ardentior & perfectior erit amor. Vnde Beati qui perfectissimè Deũ diligunt, clarè & perspicuè, vt ita diligant, agnoscunt,nec in illis vmquam positus est ab aliquo iste amor sine Dei visione. Christus etiam secundùm humanitatem, & B. Virgo, qui supra omnes Sanctos,& Angelos Deum in hac vita dilexerunt,hunc amorem Dei cognitionem excludentem non habuerunt. Hæc etiam omnia verissima putamus, & simul in nostra existimatione persistimus.Nam hæc cessatio à cognitione in isto orationis genere, non tam prouenit ex perfectione amoris, quàm ex imbecillitate & imperfectione naturæ. Quemadmodum enim in contemplatione lux intellectus adeò à Domino augeri solet, vt homo ecstasim patiatur, & sopiatur sensus, ita in eadem ad eum gradum solet venire amor,vt sopiatur intellectus.Amor ergo magnus est, qui de Deo cognitionem abiicit, sed non ob eam causam solam, quia magnus, eam abiicit, sed quia imbecillitas animæ cum illo nimio amore cognitionem non sustinet. Vnde in anima magis exercitata dabitur idem amor, aut etiam ardentior, qui cognitionem non excludat. Sicut ergo lux contemplationis maxima in Christo, & in virgine numquam ecstasim, aut raptum fecit, propter maximam capacitatem supernaturalem illarum animarum,quæ poterant Deum sublimissimè contemplari,& simul rebus humanis caussa nostræ salutis intendere,& tamen in immensum minor lux in aliquo homine sancto ecstasim, aut raptum facit, quia eius minor capacitas illam lucem & vsum sensuum non admittit; ita eximius & ardentissimus quidam amor in quibusdam animabus ad maiora dona præparatis, cognitionem intellectus, immo & vsum sensuum admittet, & in aliis angustioris capacitatis nec vsum sensuum, nec functionem intellectus sustinebit.Ex quo elicitur illum affectiuæ orationis gradum quo ex vi amoris intellectus excluditur, fortè in hoc orationis genere esse supremum, non tamen in genere contemplationis,in quo alij sunt gradus,qui(vt postea dicemus)& faciliùs intelliguntur,& istum gradum non parum excedunt.

Sed quoniam hæc ad suspiciendam experientiam quorumdam virorum spiritualium dicta sunt, quid ad experientiam aliorum respondebimus, qui doni contemplationis pleniſſimi hunc amorem sine cognitione putant impossibilem. Sunt enim, & fuerunt inter Scholasticos ipsos viri sanctissimi & illuminatissimi qui huic amori mirabili ipsis & nobis assentire non possunt. An Thomas Aquinas non fuit contemplationis altissimæ gratia donatus? An Dionysius Richelius Doctor ecstaticus non fuit eodem dono mirabiliter eleuatus? Sed ille amorem sine cognitione impossibilem esse vt certum supponit, hic verò postquam multa dixit,satis dubius hæret.Fateor hos & alios sapientissimos viros alias animas, quæ dicunt se hunc amorem experiri, in hoc dono contemplationis multis partibus excessisse, sed id veritati huius sententiæ (si vera est) nequaquam obsistit. Sunt enim in hoc contemplationis genere, sicut ineffabilia, ita & innumerabilia Dei dona, quæ omnia non omnibus dantur,sed vnum huic, & alterum alteri, secundùm diuinæ prouidentiæ dispositionem conferuntur. Fortè hi Sancti hoc donum amoris sine cognitione non receperunt, cùm tamen aliis donis sublimioribus fuerint cumulati, & ideo rationem naturalem sequentes hunc amorem impossibilem esse affirmarunt. Et quidem sanctus Thomas tantùm de communi & naturali modo diligendi loquitur, & fortassis de hoc supernaturali amore interrogatus illum non inficiaretur. Dionysius verò se ancipitem præbet, & neganti sententiæ non tam constanter, ac turba aliorum Scholasticorum assentit. Certum tamen est quòd defectus experientiæ, quam communiter multi fatemur, huic amori non officit; quia nos omnia, quæ Deus facit, experti non sumus, econtra verò experientia aliorum, præsertim si sanctitati doctrinam adiunxerint, multum valde ad credendum istum amorem confert.

Supereſt tandem alius scrupulus ad omnimodam huiusce rei expositionem eximendus. Nam nos hactenus diximus hunc amorem à Dei cognitione saltem simplicissima inchoare, & postea feruore crescente, actum intellectus abiici, ac penitus consopiri,ac animam solo amore Dei occupari. At viri isti contemplatiui ampliùs dicunt. Nempe quòd affectus ipse quasi repentè & improuisè in Deo valde ac mirabiliter incalescat, ferueat, æstuet, ita vt nulla cognitio nec Dei apprehensio præcessisse sentiatur, cùm hoc interdum contingat mente distracta. Fortè cùm hac inflammatione affectus est pariter aliqua, licèt subtilissima irradiatio intellectus,quæ ob amoris vehementiam non percipitur.Vel si hæc non intercedit,fortassis minor est dependentia voluntatis à cognitione intellectus in amando quàm scholastici Doctores existimant. Et quamuis naturæ suæ relicta in incognitum ferri non possit, tamen (faciente Deo) valet ad id quod antè cognouit, & nunc actu non intelligit his motibus supernaturalibus affici. Cur enim Deus id efficere non possit, & extrinsecam boni propositionem ab intellectu prouenientem supplere? Id autem fiet (si ita fit)vt tota fidelis anima pro illo tempore solo amore absorbeatur, & omnis suus conatus in solo amore collocetur: vt per hanc insipientem sapientiam, qua solùm amare nouit, maiorem adhuc intellectus sapientiam, & sublimius lumen adquirat: vt propter amatum omnibus renuntiet, non solùm externis occupationibus, sed etiam internis functionibus,& quasi virgula odoris suauissimi solo igne amoris resoluta conscendat. Sed iam disputare desinamus (quod molestum est) & illud sciamus orationem affectiuam in paucis huc vsque promoueri, vt sine vlla cognitione præuia, aut concomitante ament, aut amare se putent. Qui profectò si absque cognitione amant,fœlices sunt, & illis miseris ex diametro oppositi,qui cùm multa

Dionys. lib.3.de contemp. art.15.

Satis fit experien. tiæ aliorum cõtẽplatiuorum.

Quidam scrupulus eximitur.

D.Thom. 12.q.9. ar.1.

& magna de Deo cognoſcant,illius amore penitus carent. Si verò ſine aliqua cognitione non amant, ſed amare ſe putant, ſunt non admodum periculoſo errore decepti, quia amore Dei ebrij, & extra ſe poſiti,ſibi euenire,aut non euenire,quod parum refert,exiſtimant. Ego quidem,ſi mihi optio daretur, magis eligerem cum iſtis in hoc errare, quàm cum illis amore Dei vacuis multa de Deo, & ſublimia ſcire.

Oratio affectiua quibus mediis iuuetur, & de vſu aſpirationum.

CAPVT IX.

RELINQVAMVS nunc amorem hunc ſine cognitione præuia,aut concomitante, & ad orationem affectiuam omnibus cum Dei gratia poſſibilem reuertamur, & quibus mediis animus ad eam ſe præparet,explicemus. Et quamuis in poſtremo, qui ſtatim poſt hunc ſequitur,libro de hac re futurus eſt ſermo, at dicamus in præſenti aliquid quod ad hunc orationis gradum iuuandum ſufficiat. Tria ergo media tantùm ad affectus hos amoris excitandos ſubiicimus. Primum eſt,quod tu,ô homo Dei, qui ex meditatione ad ſtatum indirupti amoris vocaris, ea quæ à vero Dei amatore aliena ſunt, conſtanter abiicias.Diligenter cordis tui puritati ſtude, ad cuius menſuram anima in cellam vinariam, vbi ordinatur charitas,introducitur. Mentis puritatem obtinebis,ſi bona voluntate ad Deum ferueas,cui pax & requies animæ ab Angelis promiſſa eſt. Si vigilantiſſimè te ab omni etiam minimo peccato cuſtodias.Si in omni innocentia,puritate ac ſimplicitate Deum in omnibus quæras. Et ſi Deum vbique præ oculis quaſi præſentem habeas. Ad hæc aſſequenda oportet vt in omnibus tum magnis, tum paruis teipſum abneges, atque mortifices, & proprium amorem elimines, quo non expulſo vitia germinant, deſideria mala, & prauæ ac vanæ cogitationes emergunt, quæ à Deo abſtrahunt, & cor inquinant, atque perturbant. Exi ergo à temetipſo, & tua commoda ac voluntatem relinque.Subditus eſto Deo,& hominibus propter Deum,& diuinum beneplacitum in proſperis & in aduerſis,per quemcumque tibi innotuerit,gaudenter amplectere.Eniti debes vt cor habeas à phantaſmatibus mundum, & ab ineptis imaginibus & ſuperfluis cogitationibus eorum quæ ad tuum ſtatum non pertinent,liberum.Elabora vt loquendi occaſiones vites,ſciendi & audiendi,quæ non referunt, curioſitatem deponas, curas & occupationes inutiles, ſenſuum affectatam oblectationem,& rerum ſuperfluitatem abiicias. Ac certiſſimè ſcias quòd ſine his in ſtudio orationis, præcipuè iſtius, in quo Dei amor præ omnibus quæritur,progreſſum non facies, & ignauia ac cordis frigiditate tabeſces.

1. Mediũ ad amoris affectus excitandos.

Secundũ medium.

Secundum medium eſt, vt his, quæ attigimus, poſitis, quæ ad amorem Dei, & vitæ puritatem viam ſternunt, quamuis te ſecundùm naturam minus idoneum videas, non propterea de huius orationis adeptione diffidas.Hoc ideo dicitur,quia ſunt nonnulli putantes ad communicationem Dei aut ſubtile ingenium aut litterarum peritiam, aut alia huiuſmodi à nobis haberi oportere, cùm tamen ſine his ad Deum aditus aperiatur, ſi adſit bona voluntas,& gratia quæ nemini denegatur.Immo licèt orationi intellectiuæ ſeu meditationi ingeniũ, & humiles litteræ(quod negandum non eſt)aliquid proſint,tamen ad orationem affectus ſancta ſimplicitas,& animæ litterarum expertes frequentiùs ſolent admitti. Vnde Dionyſius Richelius de myſtica Theologia loquens, quæ apex eſt & ſummitas orationis affectiuæ,hæc ſcribit:Denique ex præhabitis innoteſcit ad myſticæ Theologiæ adeptionem non exigi ſubtile ingenium,ſcholaſticũ exercitium,nudam & ſpeculatiuam ſcientiam:ſed pœnitentem affectum, cor purum, feruentem amorem, mentis in Deo ſimplificationem, eleuationẽ, ſeu recollectionem,Spiritus ſancti illuminationẽ. Cùm ergo hæc omnia frequenter magis abundent in idiotis,atque ſimplicibus,etiam fœminis, & puellis, manſuetis, humilibus, & purgatis, præſertim quæ propriam in omnibus voluntatem abiiciunt,conſtat quòd eis multoties prædigniſſima hæc myſticæ ſapientiæ contemplatio copioſius influatur,quàm ingenioſis, ac eruditis,qui per viam purgatiuam, & illuminatiuam ad viam hanc vnitiuam ritè & dignè ſeipſos non adaptarunt, immo qui in oculis ſuis magni ſunt, alióſque pro nihilo reputant, ab hac myſtica theoria tamquam ineptiſſimi indigniſſimíque pelluntur. At verò quo aliquis in diuina charitate plus creſcit, in eo dono ſapientiæ ampliùs proficit. Cùm igitur ſimplices frequenter per humilitatem & patientiam in charitatis feruore multo plus creſcant, quàm ingenioſi & eruditi, liquet quòd in myſtica Theologia magis reſplendeant.Idcirco abſolutè loquendo excellentiùs clariúſque Deum cognoſcunt quàm illi:immo tanto ſublimius, quanto ſupernaturalis vnitiua ac myſtica ſapientia,naturali & ſcholaſticæ diſciplinæ, vel etiam ſapientiæ infuſæ quoad inferiores ſuos gradus eminet, ac præfertur. Vnde talium ſimplicium fides viuacior, firmior, illuminatiórque verè aſſeritur, ſpes quoque perfectior.]Hæc ille.Et eadem reperies in Gerſone, Lanſpergio,& Bloſio. Quæ & tibi & aliis ad hanc viam conficiendam proficient. Tibi quidem: nam quicumque ſis, ſiue illiteratus, ſiue ægrotus, ſiue imbecillus, poteris orationi affectiuæ vacare, ad quam ex parte hominis ſolùm requiritur cura viuendi ſine querela, & bona voluntas. Aliis verò, quoniam ſi in via Domini animas aliorum direxeris,& aliquas earum rudes & ineptas ad meditationem inueneris, ab ipſo exordio poteris eas orationem affectiuam docere.Ita ſcilicet vt primò in affectibus contritionis,& doloris peccatorum ſe exerceant, & poſtmodum affectus amoris aſſumant.

Dionyſ. lib.de cõtemp.ar. 10.

Vltimum mediũ & efficaciſſimum.

Poſtremum medium & efficaciſſimum eſt, vt omni tempore, quantum vires tulerint, aſſiduis aſpirationibus,& diuinis colloquiis,& ſanctis affectibus aſſueſcas. Ita vt nocte & die, domi & foris, ſolus & aliis aſſociatus, ab occupationibus vacuus, vel variis negotiis intentus, ſedens, ambulans, & cubans, hæc ſit tua ſollicitudo, & tuum officium Deum præſentem habere, & variis ac multis affectibus cor tuum, & voluntatem tuam ad Deum erigere. Hi motus vocantur affectus, quia ſunt affectiones cordis, & deſideria, ac propoſita voluntatis; vocantur orationes iaculatoriæ,quia inſtar iaculorum & ſagittarum in cor diuinum intorquentur, vt ab eo dona accipiamus; vocantur aſpirationes, quoniam illis feruor charitatis, non minus quàm vita corporis aëris aſpiratione ſuſtinetur: vocantur tandem motus anagogici, id eſt, ſurſum tendentes, quoniam illis quaſi à rebus terrenis abducimur, & in ſuperna leuamur. De his motibus, ſeu aſpirationibus, ſeu iaculatoriis orationibus frequens habetur mentio

apud Patres. Auguſtinus ſic ait: Dicuntur fratres in Ægypto crebras quidem habere orationes, ſed eas tamen breuiſſimas, & raptim quodammodo iaculatas, ne illa vigilanter erecta, quæ oranti plurimum neceſſaria eſt, per productiores moras euaneſcat, atque hebetetur intentio. Ac per hoc etiam ipſi ſatis oſtendunt hanc intentionem, ſicut non eſt obtundenda, ſi perdurare non poteſt, ita ſi perdurauerit, non citò eſſe rumpendam.] Et Chryſoſtomus: Oportet igitur orantem neque longos extendere ſermones, & iugiter orare. Breues enim, & frequentes orationes fieri Chriſtus & Paulus præceperunt paruis ex interuallis. Nam ſi ſermonem in longum extenderis, in negligentiam frequenter lapſus multam diabolo ſubrependi facultatem dederis, & ſupplantandi & abducendi cogitationem ab his quæ dicuntur. Si verò continuas & crebras orationes facias, totúmque tempus interpolans frequentia facile poteris modeſtiam exhibere, & ipſas orationes cum multa facies ſolertia.] Hæc ille. Qui tamen his verbis orationem longam, & in multas horas protractam non damnat, ſed ad populares loquens, quod illis generaliter conducibilius ſit, explicat. Caſſianus verò variis in locis hanc rem vberiùs tractat. Quodam enim loco ſic ait: Quamobrem vtilius cenſent breues quidem orationes, ſed creberrimas fieri, illud quidem vt frequentiùs Dominum deprecantes iugiter eidem cohærere poſſimus, hoc verò vt inſidiantis diaboli iacula, quæ infligere nobis, tunc præcipuè cùm oramus, inſiſtit, ſuccincta breuitate vitemus.] Et rurſus alio de opere manuum agens, ſic ait: Cui preces & orationes per ſingula momenta miſcentur, & in iis officiis, quæ nos ſtatuto tempore celebramus, totũ diei tempus abſumunt. Plus enim eſt id quod inceſſanter offertur, quàm quod temporis interuallo perſoluitur, & gratius voluntarium munus, quàm functiones, quæ canonica cõpulſione redduntur. Pro hoc Dauid quoque glorioſius aliquid exultante, cùm dicit: Volũtariè ſacrificabo tibi, &: Voluntaria oris mei beneplacita ſint tibi Domine.] Et item alio: Ob quod frequenter quidem, ſed breuiter eſt orandum, ne immorantibus nobis inſerere aliquid cordi noſtro poſſit inſidiator. Iſtud namque eſt ſacrificium verum, quia: Sacrificium Deo ſpiritus contritus. Hæc ſalutaris oblatio, iſta ſunt pura libamina, iſtud ſacrificium iuſtitiæ, iſtud eſt ſacrificium laudis, hæ veræ ac pingues hoſtiæ, iſta ſunt holocauſtomata medullata, quæ contritis & humiliatis cordibus offeruntur, quæque hac qua diximus diſciplina & intentione ſpiritus exhibentes, efficaci poterimus virtute cantare: Dirigatur oratio mea, ſicut incenſum in conſpectu tuo, eleuatio manuum mearum ſacrificium veſpertinum.] Denique omnes ſanctos affectus quaſi vnica aſpiratione concludens, & ad eius aſſiduam exercitationem inducens in hunc modum ſcribit: Erit itaque ad perpetuam Dei memoriam poſſidendam hæc inſeparabiliter propoſita vobis formula pietatis: Deus in adiutorium meum intende, Domine ad adiuuandum me feſtina. Hic namque verſiculus non immeritò de toto Scripturarum excerptus eſt inſtrumento. Recipit enim omnes affectus, quicumque inferri humanæ naturæ poſſunt, & ad omnem ſtatum atque vniuerſos incurſus propria ſatis & competenter aptatur. Habet ſiquidem aduersùs vniuerſa diſcrimina inuocationem Dei, habet humilitatẽ piæ confeſſionis, habet ſollicitudinis ac timoris perpetui vigilantiã, habet conſiderationem fragilitatis ſuæ, exauditionis fiduciã, confidentiam præſentis ſemper adſtantiſque præſidij. Qui enim iugiter ſuum inuocat protectorem, certus eſt eum ſemper eſſe præſentem. Habet amoris & charitatis ardorem, habet inſidiarum contemplationem, inimicorúmque formidinẽ, quibus perſpiciens ſemetipſum die noctúque vallatum, confitetur ſe non poſſe ſine ſui defenſoris auxilio liberari.] Hactenus ille, qui non ſolùm eloquentiſſimè, verùm & deuotiſſimè vſque ad finem capitis mirabiles huius verſiculi fructus exponit.

Vtilitas aſpirationum frequentium.

Vſus ergo frequens harum aſpirationum inſtrumentum eſt efficaciſſimum ad conſequendam perfectionem. Eo enim tamquam igne quodam Spiritus ſancti in cordibus noſtris accenſo conſumũtur omnia peccata, & vitia omnia deſtruũtur. Eo quidquid eſt in nobis diſſimilitudinis ad Chriſtum, & deformitatis tollitur. Eo multiplex tentatio aduerſarij, quem fugimus, ad Dominum appropinquando, vincitur. Eo vniuerſa virtus adquiritur: nam aſpirationes actus ſunt amoris cunctas virtutes ſecum adducentis, vel affectus diuerſarum virtutum. Hoc vſu animus ad cœleſtia erigitur, illuminatur, ſimplificatur, purificatur, inflammatur, & quaſi in Deum totus transfunditur. Iſtud exercitium cor Dei vulnerat, de quo ipſe in Canticis ait: Vulneraſti cor meum ſoror mea ſponſa, vulneraſti cor meum in vno oculorum tuorum, & in vno crine colli tui.] Habes, ô anima, quaſi oculos duos, oculum cognitionis, & oculũ affectionis (& meritò oculus, ad quem clarior ſponſi cognitio ſequitur) illo ſponſum vides, iſto feris: illo contemplaris, iſto configis: illo intueris, iſto deuincis: nam idem qui oculus, etiam crinis eſt. Quid ſancta affectione ſubtilius, quid gracilius? Hæc autem omnipotentem ligat, quia qui nulla poteſtate vincitur, amore quodammodo ſuperatur. Animum etiam hic aſſiduus affectuum vſus vero & ardenti amore ſuccendit, quod Herpius optimo ſimili explicauit, ſicut enim candela recenter extincta, & adhuc fumigans, ſi ſub alia accẽſa ponatur, ita vt fumus illius ad flammã iſtius veniat, ſtatim accenditur; ita animus igne amoris egens, cùm per ſanctum affectum ſub Deo ponitur, & ad illũ mouetur, ſtatim miris ardoribus inflammatur. Ad hoc itaque accepimus vires animæ noſtræ, non quidem vt eas rebus terrenis mergamus, ſed vt ad Deum, ad quem poſſidendum conditi ſumus, his ſanctis affectibus efferamus, & ipſis quaſi brachiis bonum noſtrum amplexemur.

Cant. 4. 9.

Herp. in directo. 2 p. de prapar. vit. contemp.

Iob 11. 12.

Hæc affectuum exercitatio tyronibus admodum ſolet eſſe difficilis. Natura enim, quæ tamquam pullum onagri ſe liberam natam putat, & variis cogitationibus & deſideriis eſt aſſueta, frænum diuini amoris pertinaciter fugit. Motus etiam ſibi antea ignotos, tepidè & moleſtè facit. Et quia ſtatim fructum non videt, tamquam laborem nullius momẽti contemnit. At tu qui hæc legis, ſi nunc incipis, crede, nam incipientiũ eſt credere, & obedire, & aſpirationibus aſſueſce, & fructum maximum breui percipies. Percute affectibus ſilicem cordis tui, & abſque dubio, ſi non in primo ictu, at in ſecundo, vel in aliis ignem amoris excuties. Nec credas te oleum & operam perdere, quia nullum motũ huius generis habes, quo ad Deum mente cõſurgis etiãſi tepidum, quo meriti augmentum non capias. Plantæ quottidie creſcunt, quia tamen augmentũ quottidianum modicum eſt, id non apparet. Vmbra horologij ſolaris quottidie mutatur, ſicut & ipſe ſol, attamen mutari non cernitur. Ita gratia, & meritum, & tui victoria his aſpirationibus quottidie maiora fiunt. Dicis, cuiuſque aſpirationis fructus exiguus

Admonitio ad incipientes.

Aug. ep. 120. ad Probam. c. 10.

Chryſoſt. hom. 79. ad populum.

Caſſian. lib. 2. de inſtitutis. c. 10.

Lib. 3. c. 2.

Collat. 9. c. 35.

Collat. 10. c. 9.

exiguus est. Fateor. Sed ex multis granis exiguis aceruus tritici constat,quo copiosa hominis familia reficitur.Hirundines luti particulas exiguas manibus baiulant, sed perseuerantia afferendi lutum, nidum sibi sufficientem extruunt. Ita si huic aspirationi aliam adieceris, & isti aliam, & in hoc perseueraueris, habitationem quamdam magnæ quietis Deo, & tibi in intimo cordis efficies. Necdum quod ipse Dominus qui te suauiter ad hos motus impellit, cùm sibi placitum fuerit, obuius tibi procedet,& his affectibus tantam facilitatem præbebit, & ita eos excrescere faciet,vt instar flammæ omnem in te torporem absumant. Ideo solet vocari studium hoc exercitium amoris sensibilis,quia manifestè corde percipitur, vocatur etiam hic amor, operans, quia animam ad opera abnegationis & virtutum excitat.; & motus ecstaticus, quia eam extra se rapit, & in quamdam vitam Angelis similem & planè cœlestem inducit. Hoc ergo est viæ affectiuæ instrumentum præcipuum quod diligenter, sed non imprudenter exercebis, & consideratis tum viribus tuis,tum auxiliis,quæ tibi diuinitus conferuntur, ita illi insistes, vt nec per indiscretionem naturam opprimas, nec per negligentiam gratiæ deficias.

Qua ratione aspirationes sunt exercendæ.

CAPVT X.

NVNC viam ac rationem ad Deum aspirandi subiiciam, vt quisque ad manum habeat iacula, quæ in dilecti pectus intorqueat, & in hoc genere præliandi se diligenter exerceat, & de seipso, ac de omnibus vitiis glorioſam victoriam adquirat. Cùm autem hoc studium aspirandi ad Deum, & eius memoriam assiduam habendi ab initio conuersionis cuiusque (vt postea dicemus) arripiendum sit, syluam aspirationum in medium afferam, quibus vti poterunt in suo statu,aut qualitate profectus,incipientes, proficientes, atque perfecti. Perfectorum autem aspirationes depromimus, non sanè vt eos doceamus, sed vt quid ex ipsis didicerimus ad Dei gloriam, & proximorum salutem explicemus.

Lib.1.p. 2.c.1.

Quis aspirationũ vsus incipientibus cõueniat.

Incipientium est vsus earum aspirationum, seu affectuum quibus peccata detestentur, & omni vitio & immortificatione purgentur, & ab huius sæculi desideriis abstrahantur.Quare in omni loco,& tempore,cum discretione tamen (vt dictum est)his oratiunculis & aspirationibus poterunt ad Deum cor suum erigere.

O Domine Deus meus, ego viliſſimus sum peccator, indignus planè, quem terra sustineat. O Domine,qui es summum bonũ meum, quàm longè per peccatũ recessi à te,& habito in regione hac longinqua miseriarum mearum,vbi perdidi me.

O Pater amantissime,peccaui in cœlum, & coram te,verè non sum dignus vocari filius tuus, fac me obsecro vt vnum de mercenariis tuis.

O Deus dulcissime,pœnitet me, quia peccaui, quia iniquè egi,quia legem tuam transgressus sum, amplius laua me ab iniquitate mea, & à peccato meo munda me.

O Domine Deus,detestor peccata mea, abominor vniuersa flagitia mea, vtinam millies mortuus essem,priusquam offendissem te.

A Miserere mei Deus,miserere mei,quoniam in te confidit anima mea, & in vmbra alarum tuarum donec transeat iniquitas à me.

Ablue me,ò Christe Iesu,pretioso sanguine tuo, & ab omni peccato munda me.

Sana Domine animam meam peccatis vulneratam, vnge oleo gratiæ tuæ cicatrices delictorum meorum,ne quæso despicias me.

O Domine Deus piissime, ab hac hora numquam tuam legem transgrediar, numquam in peccatum consentiam, sed priùs in omnem infamiam & ignominiam incurram.

O Pater amantissime, da mihi vt fructus dignos pœnitentiæ faciam, & delicta mea debita castigatione puniam.

B Proficientium est vsus earum aspirationum, quæ perfectæ abnegationi, & virtutum adeptioni deseruiunt, quibúsque anima disponitur vt ad diuinam familiaritatem euehatur.Insuper debet proficiens omnia opera sua non tantùm bona, verùm & media,seu indifferentia in initio eorum, & progressu,& fine Deo offerre, ad ipsum dirigere, & ex quibuscumque occasionibus occasionem aspirandi,& ad Deum loquendi captare. Quidquid etiam viderit,aut audierit, aut erga illum gestum fuerit, siue prosperum, siue aduersum quasi gradum scalæ faciet, vt mens eius per affectum & colloquium ad Deum ascendat,& vel opportunè,vel importunè rebus se cœlestibus ingerat.Sic ergo poterit ille ad Dominum frequentiùs aspirare.

Vsus proficientiũ proprius.

C O Domine Deus meus,quando plenè mihi moriar,& tibi viuam.

O quando me ab omnibus rebus terrenis expediam.

O Domine quãdo sensus meos,& affectus plenè cohibebo,& quidquid est in me vitiosum frænabo.

O Deus amantissime, si iam mundum contemnerem, si terrena calcarem, si quod mundani amant pro nihilo ducerem.

Quid mihi Domine est in cœlo, & à te quid volui super terram? Tu Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum.

O Christe dulcissime, si vires animæ meæ redintegrares,& reformares per vires sanctissimæ animæ tuæ.

D O si tui solùm recordarer, te solùm cogitarem, & te tantùm diligerem summum & infinitum bonum mentis meæ.

O si mentem meam ab omni multiplicitate expedires, si à vanis imaginibus rerum terrenarum denudares,si eam penitus in te colligeres.

O Domine Deus, si verè essem mitis, & humilis corde,si verè pauper,& nudus spiritu!O si cunctis virtutibus ornarer,vt tibi per omnia placerem.

O Domine si intus in corde meo habitarem, & ianuas sensuum meorum rebus mundanis occluderem.

O Deus æterne, si caduca, quàm sint vilia, cognoscerem,& amore in rebus æternis hærerem.

E O si scirem ad te dulcem hospitem meum intus in corde meo habitantem intrare, & stabili cogitatione,clara cognitione,& ardentissimo amore ad te pelagus bonorum fluere.

Ad proficientem quoque pertinent illæ aspirationes, quas Gerson, vel quisquis est author libri Alphabeti diuini amoris ad orationem Dominicam accommodauit,quæ his non grauabor inserere.Sic enim habent.

O amator ardentissime, quando te diligemus ardenter filiali amore perfectissimo?

O hoſpes ſuauiſſime, quando habitabis in hoſpitio cordis noſtri vt in cœlis?

O ſapor ſanctiſſime, quando nomen tuum dulceſcet nobis, vt contemnamus omnia terrena?

O Rex præclariſſime, quando ſubiiciemur ditioni tuæ, vt concupiſcentia non regnat in nobis?

O Præceptor prudentiſſime, quando conformabimur in omnibus voluntati tuæ?

O nutritor ſufficientiſſime, quando transformabimur in te, & plena ſatietate ſatiabimur?

O creditor largiſſime, quando ſuſcipies nos prodigos filios, remittendo nobis omnem exceſſum?

O cuſtos diligentiſſime, quando tutabimur tua cuſtodia, vt non præualeat nobis admodum vllus aduerſarius?

O liberator fortiſſime, quando liberabimur à fragilitate huius corporis, & ab omni quod noſtræ ſaluti non conuenit?

Vſus aſpirationum in perfectis.

Perfecti aſpirationibus amoris vtuntur, & omnia quæ illis accidunt, aut manibus tractant, aut cogitatione verſant, ad vſum amoris trahunt. Induunt perſonam filij, aut ſponſæ erga Deum, nec mirum, quoniam filij, & ſponſæ ſunt. Et quia ſciunt proprium filij & ſponſæ eſſe reuereri, & amare Patrem, ac ſponſum, & in omnibus eius beneplacitum quærere, illis aſpirationibus, quæ hos affectus prouchunt, intendunt. Iam honorant Deum, iam adorant, iam laudant. Iam ignitis amoribus amplectuntur, & ex amore illi gratias agunt, ipſi ſe offerunt, & conſecrant, & mille rationibus inueniendis vacant, quibus ad Deum per amorem aſcendant. Sic itaque illi ad Deum aſpirant.

O Domine Deus meus, ô ſpes mea, ô refugium meum, ô dilecte votorum meorum, quando omnẽ diſſimilitudinem & imperfectionẽ abſumes in me?

O charorum omnium chariſſime, ô amor meus vnice, ô ſponſe floride, ſponſe melliflue, quando me ornabis illis monilibus, quibus tibi placebo?

O dulcedo cordis mei, ô vita animæ meæ, ô eſſentia eſſentiæ meæ, & iucunda requies ſpiritus mei, abſtrahe me ab omnibus creatis, vt ſolùm requieſcam in te.

O optata conſolatio mea, ô verum & ſyncerum gaudium meum, & ſerena lux oculorum meorum, omnia mihi ſordeant, & vileſcant præter te.

O domicilium meum, ô lectule floride animæ meæ, & vernantiſſima paradiſus ſpiritus mei, da vt in te me abſcondam, tibi immergar, & ab omnibus quæ tu non ſunt, vel ad te non me referunt, conſtanter fugiam.

O amabile principium meum, & plena ac ſumma ſufficientia mea, ô verum & æternum bonum meum, nihil volo, nihil cupio præter te.

O ſponſe dulciſſime, expande pallium protectionis tuæ ſuper me, trahe me poſt te, vt alacriter, purè, & perſeueranter curram in odorem vnguentorum tuorum.

O ſuauiſſime hoſpes animæ meæ, præpara tibi gratam & amœnam habitationem in me, vt ad me venias, & manſionem apud me facias.

O Medice ſapientiſſime, ſana me, & ſanabor, ſalua me, & ſaluus ero, quoniam laus mea, & gloria mea, & exultatio mea tu es.

O Domine Deus meus, qui mortificas, & viuificas, mortifica, & auelle à me quidquid tibi diſplicet, & viuifica, & auge quod tibi placet in me.

O ditiſſime theſaure meus, ſepara me ab omnibus quæ ſunt infra te.

O creator meus, effice me hominem ſecundùm cor tuũ, cõformem humanitati ſanctiſſimi filij tui.

O amator meus, qui charitate perpetua dilexiſti me, vulnera medullitus cor meũ iaculo amoris tui.

O pulcherrime ſuſceptor meus, inebria me vino charitatis tuæ, vni me tibi intimè, & me totum tranſmuta in te.

O Deus amabiliſſime, quando per omnia tibi placebo, quando peremta in me omni proprietate totus tuus ero?

O vita iucundiſſima mea, quando nihil præter gratiſſimam voluntatem tuam, & nihil præter te viuet in me?

O omne bonum meum, quando ardentiſſimè te diligam? Quando me totum concremabis flamma ardentiſſimi amoris tui?

O ignis increate, quando me liquefacies efficaciſſima ſuauitate tua, ac penitus omne inordinatum abſumes?

O dilecte mi, quem ſolum quæro, quando mihi pulſanti & gementi aperies, quando teipſum mihi manifeſtabis, & dices: Salus tua ego ſum?

O immenſa dulcedo mea, quando me totum in te rapies, abſorbebis, & abſcondes.

O fœlicitas mea, quando ſublatis omnibus impedimentis me tecum vnum ſpiritum facies, & tibi inſeparabiliter agglutinabis?

O totum, & ſolum gaudium meum, diligam te ex toto corde meo, ex tota anima mea, & ex omnibus viſceribus meis.

O vera beatitudo mea, quando te facie ad faciem videbo.

O Pater amantiſſime, quando me introduces in cubiculum gloriæ tuæ, vt nemo deſpiciat me?

His & aliis ſimilibus amatoriis verbis & alloquiis poteris animam ad Dominum frequenter leuare, quæ ex libris Lanſpergij, & Bloſij, & ex aliis petes. Præſertim erunt tibi familiares meditationes Auguſtini, & ſoliloquia, & manuale eiuſdem. Eóſque libellos non tam leges, quàm affectum tuum illis affectibus efformabis, & ad Deum ſurſum extolles. Et dum oculos corporis in libro defigis, tacente lingua cor tuum illis aſpirationibus ſurſum tendat, & verbis illis mellifluis, tamquam ſagittis cor amabilis tui ſponſi transfigat.

Quoties in die hæ aſpirationes exercendæ.

Quæris à me, quoties ſingulis diebus, his, aut ſimilibus affectibus ad Dominũ aſpirabo! Dixi iam, quòd in hac re duo conſideranda ſunt, nimirũ vires, & vocatio auxiliantis Dei. Vires, ne ſupra poſſibilitatem tuam naturam opprimas, & cogaris à cœpto deſiſtere: vocatio verò Dei, qui quoſdam ad maiorem frequentiam, quoſdam ad minorem inuitat. Vocationem verò ex reflexione ſuper teipſum, ex inſpiratione interna te reprehendente, ſi non reſpondeas, & ex conſilio Patris ſpiritualis agnoſces. Narrabo tamen aliquid ad huius rei euidentiam, quo incipientes ſe excitent, & in hoc exercitio proficiant. Noui ego ſeruum quemdam Dei, qui cùm audiſſet de beato Apoſtolo Bartholomæo, & de beata Martha virgine quòd centies in die & centies in nocte orabant, decreuit pro ſuo modulo illos imitari. Hanc igitur ſibi legem indixit, vt centies à tempore quo ſurgebat è lecto vſque ad meridiem, & iterum centies à meridie vſque ad noctem ad Dominum aſpiraret. Hoc tyronibus inexercitatis videbitur aliquid, exercitatis autem, & ad indiruptum amorem, & continuam Dei præſentiam vocatis videbitur nihil. At pro illis prioribus hoc exemplum narramus, vt eos ad deſiderium diuinæ præſentiæ prouocemus. Vtriſque autẽ huius religioſi perſeuerantia erit pretioſa.

Nam cùm illud incepit, mihi ſuum deſiderium ac propoſitum patefecit. Poſtea verò, cùm vterque alicubi conueniremus per vigintiquinque annos,& eo amplius(ſi bene memini)numquam illud,neque ægritudinis neque occupationum cauſſa ſe prætermiſiſſe dixit, ſed ſingulis diebus manè, & veſpere,hoc penſum, ſeu vectigal aſpirationum (vt ipſe vocabat)Deo libenter perſoluit.Credo autem quòd nunc etiam in eo perſeuerat (nam adhuc eſt ſuperſtes)niſi fortè ad alia maiora vocatus ſit.

Volo tamen tibi exponere, ô lector, modum quo præfatus vir hunc numerum aſpirationum abſque diſtractione,& cura, & defectu ſemper impleuit, fortè hæc audiens ad gloriam Dei aliquem fructum capies.Poſtquam Deus illi hanc frequenter aſpirandi cogitationem iniecit, petiuit à me(eſt enim amicus, & mei inſtituti profeſſor, & tunc in eadem domo habitabamus) vt centum nomina diuina ex Scriptura & Patribus illi colligerem, quibus ſe ad vſum aſpirationum adiuuaret. Annuens ego votis illius, ea nomina collegi ſupra quæ tertio libro contemplationes diuinarum perfectionum fundatæ ſunt.Illa,inquam,illi tradidi, adiectis tamen aliis, ad explendum numerum, quæ ibi ex profeſſo ne prolixiores eſſemus, expreſſa non ſunt. Nam poſt nomen octogeſimum Dei, quo Deus vocatur vltimus finis,hæc viginti nomina beatiſſimæ Trinitatis, & diuinarum perſonarum diſpoſita erant.1.Trinitas.2.Pater.3. Ingenitus.4. Principium Deitatis.5. à quo omnia, quæ quatuor nomina conueniunt Patri.6. Filius.7. Verbum.8. Imago. 9.Splendor.10. Candor lucis æternæ, & ſpeculum ſine macula.11. Figura ſubſtantiæ Patris.12. Sapientia genita. 13. Virtus Dei. 14. Dextera & brachium Dei.15. Per quem omnia,quæ decem nomina conueniunt Perſonæ Filij.16. Spiritus ſanctus. 17.Amor.18. Vinculum Patris & Filij.19. Donum. 20. In quo omnia, quæ quinque nomina conueniunt Spiritui ſancto. Hæc ergo centum nomina memoriter didicit, & vſu ita in promtu habuit, vt facillimè pluſquam dici poſſit,illorum meminerit, & ad nomen in quo deſierat, ſtatim recurreret. In quolibet itaque iſtorum nominum vnam aſpirationem faciebat,qua ad amorem Dei, ad gaudium, ad deſiderium, ad laudem, ad gratiarum actionem, ad reſignationem, vel ad alium ſimilem affectum ſe excitabat,hoc ferè modo:

O Domine Deus meus,qui es ipſum eſſe,ac pelagus immenſum eſſendi, impensè volo tibi tuum eſſe,placet mihi vehementer, quòd ſis ipſe, qui es. Offero ac conſecro tibi meum eſſe,ſuſcipe me.

O Domine Deus,ſpiritus puriſſime, atque ſanctiſſime,gaudeo & exulto quòd ſis ſpiritus ab omni vilitate carnis & corporeitatis alienus, fac rogo vt terrena deſeram,& ſpiritualia ſemper diligam.

O Deus ſimpliciſſime, ſi te diligerem, ſi tui amore arderem,ſi vniuerſi homines te feruentiſſimè amarent, da mihi in omni ſimplicitate & veritate conuerſari.

O Deus immortalis, ecce propter te mortem peccati deteſtor,& odio habeo. O ſi numquam tibi diſplicuiſſem!O ſi ſemper meam vitam tuæ voluntati conformaſſem!

O Deus perfectiſſime, gratum eſt mihi valde quòd ſis perfectionum abyſſus, firmiter ſtatuo implere ſemper omnia iudicia iuſtitiæ tuæ.

O Domine Deus infinite, infinita dulcedo & gloria mea, impleatur in tempore, & æternitate ſanctiſſima voluntas tua in me.

His & ſimilibus affectibus prædicta nomina percurrebat, nunc ad Patrem ſe conuertens, nunc ad Filium, nunc ad Spiritum ſanctum, nunc ad totam ſanctiſſimam Trinitatem. Hæc autem præſtabat, aliquando quidem præſertim in initio cum magna dulcedine, aliquando cum parua, ſæpe cum ingenti ariditate, & amaritudine. At cùm non conſolationem, ſed Deo placere quæreret, & ei intimè per amorem vniri, ſiue deſolatus, ſiue conſolatione affectus in cœpto perſeuerabat. Ecce adinuentionem huius viri, & pro certo habe quòd has & ſimiles Deus non ſpernit, & fideles ſeruos in bono perſeuerantes, & quod in ſe eſt cum diuina gratia facientes ex his initiis, quando ſibi placet, ad ineffabilia dona extollit. Ex his ergo quæ diximus id boni decerpes, vt ſecundùm gratiam tibi à Domino datam frequentibus aſpirationibus aſſueſcas. Inde fiet, vt vana hominum colloquia fugias, vt mentis puritatem obtineas, vt tempore longæ orationis cor tuum facillimè ad Deum erigas, & ad ea dona, quæ Deus tibi dare voluerit,te vtcumque diſponas.

Quod in hac ratione orandi per affectus nihil ſit incommodi.

CAPVT XI.

HVIC modo orandi per aſſiduos & ardentes affectus, quatenus meditationi iunguntur, nihil omnino poteſt opponi niſi ab illis, qui vellent orationem mentalem de medio tollere. Omnis quippe oratio mentalis duobus conſtat, functionibus intellectus, & actibus voluntatis: alioquin ſi intellectu tantùm ſe contineret, non eſſet Chriſtiana, & ad emundationem animæ ordinata, ſed philoſophica meditatio. Actus autem voluntatis ſunt affectus quos hucuſque in medium protulimus, vel in parte intellectuali manentes, vel etiam ſe in partem ſenſitiuam deriuantes. At huic orationi per ſolos affectus, qui omnem diſcurſum & meditationem excludat, & colloquiis tantùm & amoribus vacet, aliqua fortaſſe obiici poſſent ab his qui ad ſolam meditationem vocati ſunt, aut in rebus ſpiritualibus minus exercitati, quæ volumus hoc loco ab iſto modo orandi ſubmouere, vt affectuum vtilitas & præſtantia maneat omnino perſpecta.

Oratio mentalis intellectus & voluntatis actibus conſtat.

Ac primò affectiua oratio meditationem non tollit, ſed ſupponit, & perficit. Supponit quidem, quoniam aliqui poſt multos meditationis annos ad puros affectus vocantur. Perficit verò, quia vniuerſa meditatio ad excitandum aliquem bonum affectum dirigitur. Quòd ſi aliquos Deus ab exordio conuerſionis eorum ad hunc modum orationis impellit,iuuandi in eo ſunt, at non à conuiuio Patrisfamilias arcendi. Ipſe Dominus eſt,quod bonum eſt in oculis ſuis facit, & quod faceret meditatio & ratiocinatio intellectus, alia re efficaciori, & ad vincendam naturam potentiori,ſcilicet amore,ſupplet. Patres verò illi, qui meditationem docuerunt,vt Auguſtinus,Baſilius,Gregorius,Bernardus, Laurentius Iuſtinianus, Ignatius Pater noſter (paucos nomino,& antiquiores omitto) non ſemper in ea perſeuerarunt,ſed ad perfectiſſimam contemplationem, & purum amorem admiſſi ſunt. Quare & poſteris eorum ad meditationem vocatis,

Oratio affectiua meditationem ſupponit.

&

& in ea exercitatis licet ad contemplationem aſpirare,& ſi vocentur ad locum ſuperiorem, id eſt,ad actus amoris debent humiliter obedire. Cognoſcitur autem qui ſint ad hoc genus orationis vocati,ſi ipſis non curantibus, immo nec ſcientibus in eo ponantur: ſi inſpirationibus & librorum lectione hanc orationem exponentium ad eam inſtimulentur: ſi vitæ puritate & omnimoda ſui abnegatione à magiſtro ſpiritus ad opus contemplationis idonei videantur. Hi poſſunt cum laude periculum facere, an ianua ad amoris affectus ſibi aperiatur, & ſi eam apertam, & ſine obſtaculo inueniant, ingredi. Neque eſt animi arrogantis & elati,relictis diſcurſibus ad ſolum Dei amorẽ velle conſcendere:quia cùm hoc fieri nõ poſſit ſine gratia Dei,nõ adſcribitur ſeruo elationi,ſed obedientiæ & diſcretioni,ſi Domino ſuo vocanti accurrat, & dona eius cum humilitate & gratiarum actione ſuſcipiat,& cum timore & reuerẽtia ad eius menſam accumbat. In hac oratione multi ſunt gradus, bene poteris, ô homo Dei, à nouiſſimo incipere, & quaſi in infimo loco vt minimus omnium ſedere; immo & alios altiores gradus vſque ad ſupremum occupare, ſi ad id vitæ puritate,& Dei voce ac gratia prouoceris. An eſt ſuperbia Domini implere præcepta,& eius iuſſis obtemperare? Sed ipſe dixit:Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo,ex tota anima tua,ex tota mẽte tua,ac perfectiſſimum amorem præcepit. Cur ad obediendum aſpirare ſuperbiam reputabis, & non magis ſapientiam eſſe concedes?

Matth. 22.

Deinde in hoc orationis genere nec tempus inutiliter teritur, nec virtutum exercitatio prætermittitur, immo è contra omnis in eo virtus perfectiſſimè exercetur, & tempus in optima actione collocatur.Hoc enim tempore anima non deſes & deſidioſa manet,ſed Deo ſe præſentem facit, nunc vt ancilla, nunc vt filia, nunc vt ſponſa, & oculos mentis ſuæ humiliter & ſyncerè, & quaſi vno intuitu in illum intendit.Ibi eum diligit & amplexibus tenet, & importunitate precum & deſideriorum abire non ſinit. An hoc eſt tempus terere? Cùm meditaris & aliquem affectum humilitatis, aut patientiæ concipis, tempus non perdis,& cùm contemplaris (nam illa attentio ad Dominum aliquid habet contemplationis) & diligis,quod multo perfectius & magis meritorium eſt,tempus fruſtrà conſumis? Otioſum non eſt vacare Deo, ait Bernardus,immo negotium negotiorum.Sed tunc Deo per amorem vacas, optimè igitur tempus inſumis. At quod attinet ad vſum virtutum in nulla oratione melius quàm in iſta exercentur. Nam ſi amas,actibus præcipuę virtutis,ac reginæ omnium virtutum inſiſtit. Quid quod hæc virtutum imperatrix virtutes reliquas non ſolùm extra orationem, ſed in ipſa oratione amoris ad operandum impellit. Anima quippe iaculo dilectionis vulnerata ex amore ſe deiicit,ex amore ad patiendum ſe animat,ex amore ſe ad miſericordiam,ad pietatem, ad ſæculi contemtum, ad honeſtos obedientiæ labores,& ad omnem virtutem ſe exſuſcitat. Virtutes autem ab amore imperatæ tanto perfectiores & robuſtiores ſunt, quanto perfectius eſt moueri affectu quàm ratione.Nam ſi ratione te ad aliquid moueas, tu experiris non ſemel, quàm repugnanter incedis; at ſi te affectus & deſiderium impellat, omnibus impedimentis poſthabitis velociter curris. Optimè ſanè Baſilius hanc vim ad operandum amoris diuini ex comparatione ad amorem humanum in hunc modum elicuit. Fit ſæpe vt qui mortalem ardet & corruptibilem ſpeciem, non modò pecunias, omnémque ſubſtantiam amoris gratia largè profundat,ſed cibum etiam,& ſomnũ, & veſtem,& habitum,& omnem exiſtimationem, corpus denique ipſum,& corporis vitam,dum ſolo potiatur amore, contemnat. Parietes item, & domos, omnéſque medios obices audacter aſcendat. Contra ipſos denique diſtrictos gladios feratur inſaniens. Ac niſi ſolito cultu incedens perfrui amore poſſit,omiſſo eo,viliſſimo & inhoneſto habitu præter dignitatem ſuam, vt ſolum ſequatur amorem,cum voluptate etiam ſerpendi moleſtiam ferret. Ita fermè, & qui Deum veraciter diligit, ac ſolicitè illi placere quærit, non ſolùm pecunias & opes,vt amato ſatisfaciat,& mandatis illis obtemperet,negligere & aſpernari debet:verùm & cibum neceſſarium, & ſomnum, & exteriorem habitum ſæculíque fœdam profectò,& inaniſſimam gloriã, corpus ipſum denique vitámque corporeã vt cœleſti amore ſaginetur,tota intentione contemnere. Parietes præterea carnalis propinquitatis, & parentum domos,omnémque medium mundũ tranſilire,& ad martyrij gladios, ſi ſe præſtet occaſio, perniciter currere, ac niſi conſueto habitu viuens, amore æterno frui poſſit, ignobiliorem aſſumere, plurimáque mundi improperia cum voluptate tolerare iuſtiſſimè optabit,vt diuina,ſi ita dici liceat, inſania ſapienter inſaniens eo qui verè & ſummè amabilis eſt, pro affectus ſui deſiderio fruatur.] Hactenus Baſilius. Amor ergo tam efficax, & virtutum vniuerſarum parens, qui nouit earum actibus magis ac magis ad amatum accedere,eas otioſas eſſe non ſuſtinebit, ſed potiùs ad actiones incitabit.

Bern. ad fratres de monte Dei.

Baſil. de virg. ad med.

In oratione affectua tẽpus vtiliter conſumitur, omnis virtus exercetur.

Qui etiam huic modo orationis ſe tradunt,non tentant Deum,ſi interdum nihil aliud agant,quàm in præſentia Dei ſe collocare, & eius motionem expectare:ſi etiam nihil ad meditandum,nec ad deſiderandum præueniant, ſed primum quod occurrerit faciant. Dei namque ſimplicem & humilem præſentiam habere magnum bonum eſt, quam ſolet Deus ſuo amore,vel alio affectu cõplere.Quod ex illa magna contemplatrice, & contemplatiuorum imagine Magdalena diſcitur,quæ ſedebat ſecus pedes Domini, & non loquebatur, nec meditabatur, ſed audiebat verbum illius. Et quamuis Dominus aliquando taceret, ingens bonum huius ſanctæ fœminæ eſſet, ad illius pedes ſedere,& humilibus oculis illum aſpicere. Ita hi ad pedes Domini ſedent, & fide viua, ac dono ſapientiæ illum præſentem vident, & licèt illi nihil aliud faciant, non dubiũ quin ſolis iuſtitiæ radiis expoſiti ipſius ardore caleſcant.Quod verò ad præuentionem attinet animæ in initio huius viæ, quando non in ea à Domino ſingulariter ponuntur,ſed ipſæ à gratia Domini excitatæ ſe ponũt,aliquos affectus in quibus occupentur, præueniunt. Et huic negotio ſeruient quæ ſtatim in ſequẽtibus de affectibus amoris, & gratiarum actionis, & laudis dicemus. At poſtquam exercitatæ ſunt, & ſatis inſtructæ, & ad magnam familiaritatem admiſſæ, præuentione nõ indigent. Experiuntur enim ferè ſemper vim illorum verborũ: Quoniam ſpiritus poſtulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus. Et cùm ſtatim atque mentem ad Deum conuertunt, ſentiant ſe ab Spiritu ſancto agi,& moueri,non indigent aliquid præuenire. Profectò inſignis citharœdus,in muſicis diu exercitatus,nihil ad nos oblectandum præuenit,ſed lyram optimè aptatam repentè arripit,& ſuaui concentu vocis ſuæ audientes in magnam

Orationi affectiuæ dediti Deũ intentant etiamſi nihil meditãdum præueniant.

Luc. 10.

Rom. 8. 26.

admirationem inducit. Hi similiter viri isto dono orationis ornati,non minus quàm ille citharœdus periti sunt, & in scientia amoris instructi. Quare quotiescumque volunt absque vlla præuentione ad Deum suam mentem attollunt, & columbinæ simplicitati sapientes affectus,quos à Deo didicerunt, adiungunt. Audit vnusquisque illorum non
Cant. 2. 14. semel Deum se inuitantem,atque dicentem:Sonet vox tua in auribus meis,quia vox tua dulcis.Et vt verus & promtus obediens sine vlla mora amoris cantilenam assumit.

Sponsa quæ tenerrimè diligit, & se diligi animaduertit, veniente dulcissimo sponso, quid sit apud ipsum factura,aut dictura,non præuenit, sed statim in amplexus eius ruit,& eos affectus habet, quos ardēs amor suggerit. Credite mihi,quia Dominus ad istas animas puras,& iam bene per mortificationem purgatas, & virtutibus exornatas, vt sponsus dilectissimus venit,& eis audaciam amandi & loquēdi præbet.Non indigent cogitare quomodo, aut quid loquantur, aut quomodo in amplexus eius ferātur,sed amor eas ad id quod sponso placitum est, impellit. Hunc statum prætulit sponsa, cùm subitò absque vlla præueniente cogi-
Cant. 1. 1. tatione incipit, dicens: Osculetur me osculo oris sui.] Accepi, fateor, verba sunt Bernardi, meritis potiora, sed prorsus inferiora votis. Desiderio fertor,non ratione. Ne quæso causemini præsumtionem, vbi affectio vrget. Pudor sanè reclamat, sed superat amor. Nec ignoro,quòd honor regis iudicium diligit,sed præceps amor,nec iudicium præstolatur,nec consilio temperatur, nec pudore frænatur,nec pudori subiicitur. Rogo,supplico, flagito:osculetur me osculo oris sui.] Ne velitis fortes & ardentes amantes regulis incipientium alligare, rationibus humanis subiicere, quos Deus ipse regit,& allicit,& ad se sine his præambulis, quibus nos egemus, perducit. Ille quidem in cordibus eorum se præsentem ostendit,& ait:Ecce adsum.Ipse corda hęc quasi manibus suis tollit,vt ad affectum sibi gratum conuertat, quid opus est aliquid præuenire,quid ea,quæ corda frigefaciēt potius quàm accendent, præmeditari?

Oratio affectiua homines inertes nō facit.

Tertul.in apolog.c. 42.

Hic insuper modus orandi per amoris affectus homines inertes non facit, nec sua dulcedine & suauitate à negotiis necessariis, nec ab oneribus proprij status abducit.Olim omnibus fidelibus vitio datum est,quòd essent inutiles,& quasi à natura hominū alieni singulariter viuerent. Vnde Tertullianus de illis sic ait: Sed alio quoque iniuriarum titulo postulamur, & infructuosi in negotiis dicimur. Nunc etiam homines imperfecti,& tepidi viris ad hoc genus orationis vocatis idem crimen impingunt:quòd se ab aliorum occupationibus subtrahant,inutiliter viuant, & inertiæ se dedant. At illos possumus eadem ratione,qua prædictus Doctor vsus est, ab hac iniuria vindicare. Quo, inquit, pacto homines vobiscum degentes, eiusdem victus,habitus,instructus, eiusdem ad vitam necessitatis, infructuosos existimatis? Nec enim Brachmanæ, nec Indorum Gymnosophistæ sumus,syluicolæ, & exules vitæ. Meminimus gratiam nos debere Domino Deo creatori, nullum fructum operum eius repudiamus, planè temperamus,ne vltra modum,aut perperam vtamur.Itaque non sine foro,non sine macello,non sine balneis, tabernis, officinis, stabulis, nundinis vestris, cæteríque commerciis cohabitamus in hoc sæculo. Nauigamus & nos vobiscum & militamus, & rusticamur,& mercamur, proinde miscemus artes, A opera nostra publicamus vsui vestro. Quomodo infructuosi videamur negotiis vestris, cum quibus,& de quibus viuimus, non scio.] Hæc eadem pro se viri isti Dei amoribus intenti possunt in medium afferre. Cum aliis suæ vocationis, & status hominibus viuunt ac conuersantur,communitatem tenacius & religiosius,quàm alij sequuntur, à communibus oneribus nequaquam se eximunt. Sed similiter ac cæteri orant,& legunt,& laborāt, conciones ad populum habent, confessiones peccatorum excipiunt, & in omnibus sibi iniunctis humiliter obediunt. Quo iure possunt inertiæ & inutilitatis argui? Cætera relinquamus, ne in dulci sermone amariores existimemur. Sed qui voluerit legat in Tertulliano quæ sequuntur, & ea huic *Vsque ad cap.46.* B argumento facile accommodabit.Nam si isti inertes dicuntur,quòd negotia prophana fugiāt, quòd superfluas cōsalutationes,& infructuosa colloquia spernant,quòd vanos discursus non admittāt,quòd omnem imperfectionem exhorreant; hanc ego inertiam mihi vehementer cupio, qua quæ Deo displicent,& meo statui non conueniunt, auersor. Hoc ergo studium diuini amoris homines in malitia & vanitate negligentes,immo & mortuos facit,at in omni bonitate & iustitia satis strenuos & robustos efficit.

Oratio affectiua non auocat à proximorum salute curanda. 2. Cor.5. 14.

Hinc autem liquet, quòd oratio affectiua homines ad animarum salutem vocatos à cura ani-
C marum non auocat, quin potiùs vehementer instimulat,charitas Christi vrget eos, vt qui viuunt, iam non sibi viuant, sed ei qui pro ipsis mortuus est,& resurrexit. Magnitudo amoris abundantiam affert zeli animarum atque feruoris. Vide quid de anima charitate vulnerata, ac de summo gradu amoris Richardus Victorinus scribat: Nónne hic amoris gradus videtur animum hominis quasi in amentiam vertere,dum non finit eum in sua æmulatione modum mensurámve tenere? Nónne summæ amentiæ videtur esse veram vitam repellere, summam sapientiam arguere, omnipotentiæ resistere? Nónne vitam repellit qui pro fratribus à Christo separari cupit, sicut & ille qui dicit: Aut ignosce illis hanc noxam,aut dele me de libro,quē scripsisti.] Nónne sapientiam arguere, seu velle docere videtur,qui ad Dominum loquitur: Absit
D à te vt hanc rem facias, & occidas cum impio iustum, fiátque iustus sicut impius. Non est tuum hoc,qui iudicas omnem terram,nequaquam facies iudicium? Nónne omnipotentiæ resistere tentauit, omnipotentísque iram mitigare homo præsumsit,atque præualuit: quando iam egressa sententia à Domino, quando iam sæuiente incendio igni furenti homo se obiecit, & timentes ac morientes medius interstetit, necessitatíque finem imposuit? Ecce in quantam piæ præsumtionis audaciam consummatio charitatis solet mentem hominis erigere.Ecce quomodo facit hominem vltra
E hominem præsumere. Sic pæne totum est plus quàm humanū quod de Domino præsumit,quod pro Domino agit, quod in Domino agit, quod in Domino viuit. Totum mirum, totum stupendum. Quantum præsumit de Domino,tantum se deiicit pro Domino. Quantum ascendit per præsumtionem,tantum descendit per humiliationem. Sicut supra hominem est quo ascendit per fiduciam, sic vltra hominem est quo descendit per patientiam.] Sic ille. Vide ad quid charitas magna se extendat, & intelliges amore inebriatos occupationes saluti animarum vtiles nō fugere,sed in eas fortiter prosilire. His (vt non semel indicauimus) nomen

Rich. de grad.violent.charit. ad finem.

sponsæ

ſponſæ maximè congruit. Sed de ventre ſponſæ quid in Canticis dicitur? Venter tuus crater tornatilis, numquam indigens poculis. Sponſæ fœcunditas exprimitur. Venter tuus, ô anima ſancta, non ſolùm pulcher eſt,& inſtar lunæ plenæ ad amuſſim rotundus,verumetiam fœcundus.Non indiges poculis,vel potionibus, vt concipias, quemadmodum fœminæ ſteriles, quæ ad concipiendum ſolent calidis potionibus adiuuari: quia amor ipſe Dei pro omni potione eſt, qui te fœcundam fecit, & ad generandos Chriſto filios expediuit.Ad hoc autem dicendum, ô lector, non tam ratione & authoritate,quàm ipſo aſpectu prouocor.Noui enim aliquos è noſtris huic orationi deditos, & multis donis,quæ eam conſequuntur,cumulatos,quorum quilibet ad lucra animarũ progreſſus plus,& fructuoſius, quàm multi alij laborabat. Sunt enim hi ſicut contemplatione & amore ſublimes,ita actione fortes, & ſermone potentes qui nouerunt vti vtraque manu pro dextera, & Rachelem ac Liam pariter amplexari. Qui audiunt à Domino: Dabo vobis pluuiam temporibus ſuis, & terra gignet germen ſuum, & pomis arbores replebuntur.] Id quidem in tempore orationis:at in tempore actionis,quod ſequitur:Perſequemini inimicos veſtros, & corruent coram vobis, perſequentur quinque de veſtris centum alienos, & centum de vobis decem millia.] Nec credendum eſt iſtos à Domino ad ſuum amorem ſublimatos à miniſteriis propriæ vocationis auocari,ſed magis impelli. Quid dico impelli? Immo & ipſi amore illecti quaſi ſponſum impellunt,& poſt amplexus ad fructum animarum colligendum inducunt. O ſponſa, ô anima ſancta Dei amoribus aſſueta quid dicis?Ego dilecto meo, & ad me conuerſio eius. Ego illum quæro, & ille vicem rependens me quærit:ego illum amplector, & ipſe me à ſe diuelli non ſinit. Et nihil aliud? O anima,totum tempus amores præripient? Non ſanè. Immo poſt amplexus ab ipſo ſponſo incitata dico illi: Veni dilecte mi, egrediamur in agrum, commoremur in villis. Manè ſurgamus ad vineas. Quia videlicet (vt ait Gregorius) dum ſponſa ſponſi dulcedinem experta ſe reficit, de proximo etiam cogitat, quem ipſius ſponſi præcepto ſicut ſe diligit. Et quia ſponſi præcepta vel ſecreta intelligit,etiam vt alij intelligant concupiſcit.] Non ergo putandum eſt iſtos ad onus prædicationis, & ad alia miniſteria animarum minus idoneos eſſe, immo ipſi,ſi qui alij aptiſſimi ſunt,& efficaciſſimi, vt animas ad Chriſtum adducant.

Sed ſi hi homines non meditantur quid proximis dicturi ſunt,quibus rationibus eos hortabuntur,vt abiectis peccatis ad viam virtutis reuertantur? Habent illi tempora ſanctis ſtudiis & meditationibus deſtinata, in quibus ſe ad loquendum parabunt. Neque enim mentalis oratio ad hoc ordinatur,vt quiſque habeat parata quæ dicat,ſed vt ſeipſum ad vitæ emendationem, & animæ puritatem moueat. Necdum quòd ipſe amor linguam diſſoluit, & verba aptiſſima ad perſuadendum docet. Plato amorem,& Poëtam,& Muſicum,& Philoſophum, & omnium artium inuentorem facit. Plutarchus ait ex ſententia eiuſdem Platonis, quòd amor reddit taciturnos linguaces,pudentem blandum, ſupinum, & ignauum acrem & induſtrium. Bernardus inquit: O fœlix amor, ex quo oritur ſtrenuitas morum, puritas affectionum, ſubtilitas intellectuum. Denique ſponſæ amatrici dicitur in Canticis:Sicut vitta coccinea labia tua, & eloquiũ tuum dulce. Quare labia inſtar coccini, niſi quia potentia ſunt ad perſuadendum, ſapientia ad laudandas & exponendas virtutes ſponſi,& dulcia ac ſuauia ad meſcandum. Quin & ideo lex charitatis in Deuteronomio ignea dicitur,quia amor potentiſſimus eſt ad trahendos animos, & commouendos affectus. Quamobrem ſi iſti amant Deum verè,& ardenter, ſi in hoc incumbunt, vt non alij, quàm amori intendant,verendum non eſt, ne illis deficiat,quod dicant. His ergo de hac affectiua oratione explicatis in memoriam reuocandum eſt quod iam diximus,virorum ſpiritualium quoſdam repentè à Domino ad ſublimitatem huius orationis efferri,& hos non alloquimur,alios mediis ordinariis poſt longas meditationes,& multam mortificationem ad eam vocari.Iſtorum quoque nonnulli aut ad eius perfectionem venerunt, aut magnos in illa progreſſus fecerunt,& nec ad hos verba facimus: alij verò in introitu eius, & quaſi in initio perdurant. Iſtos autẽ volumus erudire quomodo ſe amoris affectibus occupabunt,& ad ſublimiorem contemplationem præparabunt.

Cant. 7. 2.

Deut. 34.

Leuitic. 26. 5. 8.

Cant. 7. 10.

Gregor. ibid.

Amor diſertos facit. Plato in ſympoſio Plutarc. lib. 1. q. conuiual. 5. Bern. de diligendo Deo.

Cant. 4.

De affectu amoris.

CAPVT XII.

AFFECTVS amoris viris perfectis conuenit, & illis quoque qui poſt non mediocrem in virtute profectum, aditum ad hoc exercitium inueniunt. Eſt autem affectus omnium perfectiſſimus: nam virtutum etiam theologicarum, vt ait Paulus,maior eſt charitas. Affectus magis meritorius, quoniam charitas eſt vita & forma virtutum, quæ omnibus illis meritum tribuit,ſine qua, ſi linguis hominum loquar,& Angelorum, & multa ingentia faciam, nihil ſum, & nihil mihi prodeſt. Eſt vinum nouum quod Chriſtus mittit in vtres nouos, id eſt, in homines ſua gratia renouatos,& virtutum moralium exercitatione robuſtos. Eſt dulce conuiuium, in quo Dominus puras animas ſaginat, & potu ſuæ immenſæ ſuauitatis inebriat. Hunc affectum,ô vir Dei,non perfunctoriè ſed ex profeſſo,& vſque ad finem vitæ exercendum aſſumes,quo à te noxium mundi amorem abiicies. Rationabilis enim animus, vt ait Leo Papa, qui ſine dilectione eſſe non poteſt,aut Dei amator eſt,aut mundi.In dilectione Dei nulla nimia, in dilectione autem mundi cuncta ſunt noxia.] Quare amor ille quærendus & poſſidendus eſt vt ille pellatur.Eo etiam ad omnes virtutes incitaberis, & ad concupitam mentis puritatem peruenies. Eſt enim aqua munda animam emundans: ignis omnem impuritatem abſumens, veſtis nuptialis ſponſam Chriſti decenter exornãs, & idoneam ac pulchram ad eius thalamum efficiens. Denique amor charitatis (vt alio loco latè probauimus) eſt perfectio vitæ Chriſtianæ,quæ in actum exit, cùm anima per actualem dilectionem Deo adhæret. Quippe ſolus amor eſt, inquit Albertus,quo cõuertimur ad Deum,transformamur in Deum, adhæremus Deo, vt ſimus vnus ſpiritus cum eo,& beatificemur hîc in gratia,& ibi in gloria ab eo,& per eum.] Si ergo Deus eſt noſter vltimus finis,& perfectio creaturæ in hoc poſita eſt, vt ſuum finem obtineat: non dubium quin charitas, per quam Deum aſſequimur,vt ad nos veniat, & manſionem in nobis faciat,ſit noſtra eſſentialis ac totalis perfectio.

1. Cor. 13.

Amor vinum, & conuiuiũ dulce.

Leo ſer. 5. de ieiunio 7. menſis.

Amor, aqua mũda, ignis, veſtis nuptialis.

Alb. lib. de adhæren. Deo. c. 12.

Affectus amoris multos alios continet, vel tamquam eum præcedentes, vel tamquam sequentes, & ipsi vel eius perfectibni necessariò connexos. Primò enim præsupponit affectum fidei. Vocatur verò nunc affectus, licèt sit actus intellectus, quoniam sic fides exercenda est, vt Christus per eam in nobis habitet, & nostras actiones emendet. Fides enim est fundamentum omnium virtutum, sine qua nec charitas vera esse potest. Est autem maximi momenti attentus huius virtutis vsus, qui facit odio habere peccata, aspernari terrena, vitam secundùm Dei mandata instituere, & ad ipsum tamquam ad finem aspirare. Considera igitur, ô homo (verba sunt Laurentij Iustiniani) quid à te requirat diuina bonitas, quid velit immensa Dei pietas, vtique quod facile implere possit nuda paupertas, despecta mediocritas, rudis simplicitas. Non per multas detraheris ambages, nec duris difficultatibus occupandis inuolueris. Quod à te & pro te reposcitur, intra te est, id est, oris famulatus, & cordis affectus, secũdùm illud: Corde creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem. In anima ergo tua posuit omnia præsidia animæ tuæ Dominus Deus tuus, vt vnde peccatum egreditur, inde & peccati medicina petatur.] Interdum igitur actibus fidei vacandum est, vt cor ad despicientiam terrenorum, & ad desiderium supernorum (sine quibus amor non crescit) accendatur.

Vsus affectus fidei quàm vtilis.

Iustin. in ligno vitæ, de fide, cap. 4.

Rom. 10. 10.

Secundò exercebis affectum spei, quæ etiam ad charitatem præsupponitur. Est namque spes amor quidam concupiscentiæ, seu amor imperfectus, postquam anima assuescit amori charitatis perfecto: quoniam priùs summum bonum nobis volumus, & assequuturos confidimus, quàm ipsum propter ipsum diligamus. Ac proinde alto salubríque consilio Deus hominem tribulationibus exercet, & beneficiis allicit, vt homo carnalis & animalis, inquit Bernardus, qui præter se neminem diligere nouerat, etiam Deum vel propter se amare incipiat, quod in ipso nimirum (quod sæpe expertus est) omnia possit, quæ posse tamen profit, & sine ipso possit nihil.] Spes verò, viuida, & firma, & in actum elicita mirum in modum animam roborat, vt omnia huius mũdi bona vilipendat. Quis enim non contemnat obolum qui post vnum momentum possessurus est infinitum thesaurum. Amorem etiam exsuscitat. Nam quis non diliget eum à quo tanta bona se recepturum sperat, & à quo ad illa sine meritis se electum existimat.

Spei affectus exercendus.

Bern. de diligendo Deo.

Post spem, ipsam charitatem seu amorem Dei propter seipsum exercendum assumes. In quo variis modis procedes. Nunc actus amoris elicies: in hoc enim statu anima quasi sensibiliter amare se percipit, nunc quasi per gradus amoris ascendes, nunc effectibus amoris producendis insistes, nunc desideria perfectissimi amoris suscitabis. Nam in his initiis quędam dantur animæ, vt verè ea faciat, quædam verò supernaturalia omnino, & non communia deteguntur, vt ea concupiscat. In his enim aliqua sunt quæ sine periculo desiderantur, & per desideria & postulationes animæ ad ea percipienda disponuntur.

Varium amoris exercitium.

Effectus autem charitatis est gaudium, non quidem gaudium sæculare, quod de rebus huius mundi nascitur, sed gaudium spirituale, modestum, & sanctum quod de Deo, & cœlestibus bonis gignitur. Ad illud hortatur Paulus: Gaudete in Domino semper, iterum dico gaudete.] Et Dauid: Lætamini in Domino, & exultate iusti, & gloriamini omnes recti corde.] Et: Exultate iusti in Domino, rectos decet collaudatio.] Ad illud etiam habendum lucem bonorum diuinorum à Domino postulabis, ex qua hic affectus exoritur. Dulce enim lumen, inquit Salomon, & delectabile est oculis videre solem.] Et Dominus: Abraham pater vester exultauit, vt videret diem meum, vidit, & gauisus est.] Et: Audientes gentes verbum Dei, & intelligentes, gauisæ sunt, & glorificabant verbum Domini.] Est autem hic affectus diligenter quærendus, quoniam est apprimè vtilis, vt scilicet anima terrenas voluptates contemnat, omnem mortificationem & abnegationem accipiat, vt tristitias ex rebus huius vitæ nascentes reiiciat, vt relictis hominibus, & eorum non necessariis alloquiis ad interiora se colligat, & tandem vt tentationes vincat.

Charitatis affectus.

Philip. 4. 4.

Psal. 31. 11.

Psal. 32. 1.

Eccl. 11. 7.

Ioan. 8. 56.

Act. 13. 48.

Charitatis quoque effectus est pax, qua & Deo subdimur, & in bono proximis consentimus, & in nobisipsis non perturbamur. De cuius pulchritudine hæc ait Leo Papa: Si autem mens Rectori suo subdita, & supernis muneribus delectata, terrenæ voluptatis incitamenta calcauerit, & in suo mortali corpore regnare peccatum non siuerit, ordinatissimum tenebit ratio principatum, & munitiones eius nulla spiritualium nequitiarum labefactabit illusio, quia tunc est vera pax hominis, & vera libertas, quãdo & caro animo iudice regitur, & animus Deo præside gubernatur.] Hæc ergo pax quęrenda est, & affectu ad eam enitendum, vt in mente sedem Domino præparemus.

Alij charitatis effectus.

Leo ser. 1. Quadr.

Ex his ad nobilissimum resignationis transibis affectum, quo te, & tua diuinæ voluntati in tempore & æternitate committes, & sciens eum esse Patrem tuum, & erga te viscera piissimi Patris habere, & specialem tui prouidentiam gerere, in nullo eius sanctissimo beneplacito repugnabis. Hunc affectum tamquam præstantissimum, & planè perfectum à Christo Saluatore omnes didicimus. Vnde Leo Papa exponens melliflua & humilia verba eius: Si non potest calix iste transire, nisi bibam illum, fiat voluntas tua, sic ait: Hæc vox capitis, salus est totius corporis, hæc vox omnes fideles instruxit, omnes confessores accendit, omnes martyres coronauit. Nam quis mundi odia, quis tentationum turbines, quis posset persecutorum superare terrores, nisi Christus in omnibus patiẽs Patri diceret: Fiat voluntas tua. Discant igitur hanc vocem omnes Ecclesiæ filij magno pretio redemti, gratis iustificati, & cùm aduersitas violẽtiæ alicuius tentationis incubuerit, præsidio potentissimæ rationis vtantur, vt superato tremore formidinis, accipiant tolerantiam passionis.] Sic ille. Quantæ autem necessitatis sit iste affectus, inde cognosces, quòd sine illo nec rectum cor habes, nec à diuina voluntate te regi & gubernari finis. Prætende misericordiam tuam scientibus te, & iustitiam tuam his qui recto sunt corde. Audi Augustinum, & dicet tibi, quis rectum cor habeat, & quis è contra à Deo se gubernari non sinat. Illi sunt recto corde, qui sequuntur in hac vita voluntatem Dei, voluntas Dei est aliquando vt sanus sis, aliquando vt ægrotes. Si quando sanus es, dulcis est volũtas Dei, & quando ægrotas, amara est volũtas Dei, non recto corde es. Quare? Quia non vis voluntatem tuam dirigere ad voluntatem Dei, sed Dei vis curuare ad tuam. Illa recta est, sed tu es curuus. Voluntas tua corrigenda est ad illam, non illa curuanda est ad te: & rectum habebis cor. Bene est in hoc sæculo, benedicatur Deus, qui consolatur, laboratur in sæculo, benedicatur Deus, qui emendat & probat: & eris recto corde, dicens: Benedicam Dominum

Resignationis affectus.

Leo ser. 7. de passione.

Affectus resignationis necessitas.

Psal. 35. 11.

Aug. in Psal. 35.

minum in omni tempore, ſemper laus eius in ore meo.]

Affectus reſignationis cõmoda.

Sed & ex hoc affectu magnas vtilitates percipies. Nam ſi verè & ex corde in manu te Domini reliqueris,& ei de te etiam in aduerſis diſponenti, nec voluntate, nec alia ratione reſtiteris, magna ſupra quàm dici poteſt, te tranquillitate donabit, & ſi tibi vtile ad perfectionem fuerit, ad gratiam contemplationis ſublimabit, & poſtremo huius viæ exercitio & affectu, ſcilicet dono ſuæ vnionis perficiet. Quo non tantùm voluntatem tuam eius voluntati vnias,verùm & anima tua diuinitate immergatur,& quaſi abſorbeatur, & ineffabili modo etiam in hac vita ipſi Domino copuletur. Et vbi deuota, ac internæ vitæ dedita anima, inquit Ruſbrochius, diuino tractui facit ſatis, liberè ſe permittens, ac tradens ſpiritui Dei, iam inexhauſtum & infinitum quemdam ſentit amorem, ſe penitus circumplectentem:atque vbi ſupra ſeipſam,& dona omnia in Dei ſpiritum ſubleuata eſt, infinitum experitur gaudium,quod capere non ſufficit,& in quo prorſus immergitur ac liqueſcit. Ita ergo inter immenſum ac inexhauſtum amorem,& infinitum gaudium anima deuota, & internæ vitæ ſtudioſa ſub amoris aſpectu circumplexa, atque cincta eſt.] Hi ergo ſunt affectus ad amorem pertinẽtes, de quibus pro incipientibus hanc viam intendimus breuiſſima exercitia ſubiicere. Quo ipſi pro adepta iam in orando dexteritate ſcient optimè intus ad vſum reducere, & ardenter voluntate & affectu præſtare. Iam enim gratiam præſtò habent, vt hæc non ſolùm intellectu voluant, ſed voluntate perficiant.

Ruſbr. de ſeptem amor. gradibus §.5.

EXERCITIVM I.

De vſu actuali fidei.

1. ASpicies Dominum intra,aut extra teipſum vt primum ens,ac primam cauſſam omniũ rerum, & vt omne bonum tuum,à quo omne bonum profluxit. Adorabis eũ,& ante ipſum te proſternes,vt ante primam & ſummam veritatem,quę nec falli poteſt,quoniam ſapientiſſima eſt,nec fallere, quoniam optima eſt.

2. Credes actu, & magna alacritate aſſenſum præbebis his, quæ hic Dominus Deus tuus de ſeipſo reuelauit. Nempe quòd eſt vnus Deus, quòd eſt tres perſonæ diſtinctæ, Pater ingenitus, Filius genitus,& Spiritus ſanctus ab vtroque procedens. Quòd eſt creator,qui omnia ex nihilo fecit,Saluator qui nos per Chriſtum à peccato,& morte æterna liberauit, glorificator,qui nos ſeipſo fœlicitate complebit.

3. Credes, & aſſenſum præbebis his, quæ ipſe Dominus de filio ſuo in aſſumta humana natura patefecit. Nimirum quòd conceptus fuerit de Spiritu ſancto,natus ex Maria virgine, paſſus pro nobis, ac noſtra ſalute, mortuus & ſepultus. Quòd tertia die reſurrexerit,in cœlum aſcenderit,ad dexteram eiuſdem Patris ſederit, & inde venturus ſit omnes tunc viuentes,& antea mortuos iudicare.

4. Credes, & aſſenſum præbebis in communi omnibus his quæ in Scriptura continentur,& quæ per Eccleſiam nobis ad credendum propoſita ſunt. Sigillatim autem credes Eccleſiæ ſanctitatem, & vnitatem, animæ immortalitatem, Euchariſtiæ veritatem.

5. Hanc fidem verbis mentalibus confiteberis coram omni cœleſti curia, coram Angelis,& Sanctis, eóſque teſtes huiuſce tuæ confeſſionis facies, & te paratum & promtum ad eamdem fidem verbis confitẽdam coram omnibus hominibus,etiam coram tyrannis cum tui profuſione cruoris oſtendes.

6. Deſiderabis & petes vt Chriſtus habitet per fidem in corde tuo, vt ſcilicet non tantùm tuum intellectum occupet, verùm habitet tuam voluntatem, eam ad res fidei afficiendo, & ad ſe authorem & conſummatorem fidei diligendum prouocando.

7. Tandem deſiderabis & petes,vt Chriſtus habitator tuus per fidem te regat, id eſt, ſecundùm quòd fides exigit,tuas cogitationes,deſideria, verba,& actiones dirigat. Et vt per fidem viuã ipſum intra te reſpiciens vniuerſa in præſentia eius facias,& ei ſolùm placere concupiſcas.

EXERCITIVM II.

De vſu actuali ſpei.

1. ASpicies Dominum Deum tuum, vt ſubſtantiam ſimpliciſſimam, pulcherrimam, ac omnibus perfectionibus refertiſſimam, & adorabis eum vt iudicem æquiſſimum, & fideliſſimũ, qui per æquitatem mala punit, & per fidelitatem & miſericordiam bonis præmia decernit.

2. Quoniam ipſe Dominus ſpe glorificatur, ſperabis ab eo per merita vnigeniti filij eius,& per opera quæ in te ſua gratia facit, beatitudinem æternam animæ tuæ. Quòd nimirum in hora à ſe præordinata intellectum tuum lumine gloriæ illuminabit, vt eum videas, atque poſſideas finem tuum,ac beatitudinem obiectalem tuam. Et volũtatem charitate perficiet vt eum ſemper & inceſſabiliter diligas,eóſque indicibili exultatione perfruaris, & ſtatum habeas omnium bonorum aggregatione perfectum. Introductúſque in illud cubiculum gloriæ ſuæ iam te nemo deſpiciet.

3. Sperabis gloriam corporis tui. Quòd videlicet hoc miſerum & infirmum corpus tuum Deus ipſe ſuo tempore ſuſcitabit,& immortalitate, impaſſibilitate,claritate,agilitate, & ſubtilitate donabit. Quódque ſenſus tuos ita perficiet,vt congrua ſibi percipiant. Specialiter quòd hiſce oculis, quibus corruptibilia vides, es Chriſti humanitatem viſurus,beatæ Virginis,& Sanctorum glorificatorum corpora aſpecturus & pedibus, quibus nunc in terra ambulas, ſuper cœlos & ſidera calcaturus.

4. Sperabis de manu Domini omnia media ad hanc beatitudinem cõſequendam. 1. remiſſionem peccatorum. 2. victoriam tentationum. 3. mortificationem paſſionum,& virium tuarum. 4. auulſionem à creaturis. 5. acquiſitionem virtutum. 6. ſuam familiaritatem per orationis donum. 7. charitatis perfectionem, omnia in eo gradu qui ad menſuram gloriæ tibi præparatæ aſſequendam ſufficiat.

5. Hæc eadem nomine omnium prædeſtinatorum illis de manu Domini ſperabis.

6. Te ad hæc omnia aſſequenda meritis & interceſſionibus beatæ Virginis, & omnium Angelorum, & Sanctorum adiuuandum eſſe confides, deſiderabis, & petes.

7. Et quoniam ipſe dixit: Sperabit in me,liberabo eum, poſtulabis à Domino ne te ſperantem ſpernat, ſed ſecundùm ſpem tuam te bonis impleat, & à malis eripiat.

EXERCITIVM III.

De desideriis & postulationibus amoris diuini.

1. ASpice Dominum, vt summum omnium Regem, amatorem tuum, qui cùm tam vilis sis ac despicabilis, vult à te amari, & quia tuis viribus tantum bonum, & supra omnem naturam amare non vales, amorem charitatis, quo eum diligas, paratus est dare.

2. Desiderabis, & petes à Domino vt det tibi amorem charitatis, quem postulat à te, faciátque vt radicetur in te: vt scilicet tamquam radix, aut truncus arboris perfectionis omnes in te virtutes producat, sustineat, atque promoueat, & omnes cogitationes, & desideria tua, omnia verba, & opera ad ipsum Dominum, tamquam ad finem dirigat, & propter ipsum actualiter faciat.

3. Desiderabis & postulabis amorem latissimũ, illum nimirum qui se extẽdat ad custodienda propter Dominum omnia præcepta, ad implenda omnia consilia, ad relinquẽda cuncta illicita, quantumuis minima, ad amandos omnes amicos, ad diligendos vniuersos inimicos, & breuiter ad diligendum omne illud, quod in Deo, & propter Deũ amari debet.

4. Desiderabis & postulabis amorem longissimum, quo velles (si fuisset possibile) Dominum à puncto tuæ conceptionis, vel saltem à prima luce discretionis per totam æternitatem amasse. Aut saltem, quia hoc datum non est, postulabis eam amoris longitudinem, qua Deum vsque ad extremum spiritum, & post hanc vitam mortalem in æternum diligas.

5. Desiderabis & postulabis amorem sublimissimum, qui te ab omnibus terrenis expediat, super omnia creata, & supra teipsum efferat, & vsque ad perfectam resignationem, & cum Deo vnionem perducat.

6. Desiderabis, & petes amorem profundissimũ, quo non iam ex ratione tantùm, sed ex desiderio, & affectu Deo placendi, teipsum despicias, & infra pedes omnium te constituas, & omnia ea fugias quæ huic amori possunt obesse, & omnia amplectaris, quæ possunt prodesse.

7. Et quoniam licet humanis ad spiritualia iuuari, & ad diuinum amorem accendi, cupies & petes à Domino amorem puerum, aut potiùs purum innocentia bene viuendi, alatum solicitudine diligenter seruiendi; cæcum, qui prudentiæ humanæ rationes despiciat: nudum, qui ab omni creato se expediat: sagittis instructum, qui cordi tuo desideria ingentia perfectionis, instar iaculorum, infigat.

EXERCITIVM IV.

De actionibus amoris diuini.

1. ASpicies Dominum Deum tuum sine discursibus, & ratiocinationibus, aut tamquã abyssum omnis substantiæ, & entitatis, aut secundùm aliquam perfectionem earum, quas superiùs exposuimus, vt secundùm quod est infinitè sapiẽs, bonus aut potens, & adorato eo profundissima adoratione ad actus amoris procedes. *Lib. 3. p. 3. tota.*

2. Voles Deo tuo omnia bona sua, & omnem perfectionem quam habet, vel certè illam, quam intellectu diligendam proposuisti, vt sapientiam, vel bonitatem. Id autem voles nõ propter aliquod lucrum, quod ex eo tibi proueniat, sed propter ipsummet Deum, & quia illa perfectio, bonum illius est.

3. Deum summè (quantum potueris) æstimabis, & in maximo pretio habebis, & omnibus rebus antepones, ita vt propter beneplacitum, aut honorem illius omnia creata contemnere, diuitias, honores, voluptates, & teipsum ac vitam ipsam, & salutem conculcare non dubites.

4. Gaudebis impensè de perfectionibus Dei, ac Patris tui, & exultabis quòd eas, vt sapientiam & pulchritudinem, ipse possideat. Quòd Angeli & Sancti illum adorent, & tot iusti in mundo isto fideliter illi seruiant, & vniuersæ creaturæ gloriam eius enarrent, & illi se plenè per omnia subiiciant.

5. Desiderabis quòd omnes Deum esse summum bonum agnoscant, quòd infideles, vt idololatræ, & pagani, & hæretici, & Iudæi veram eius fidem suscipiant, quòd peccatores, relictis peccatis, ad eius obsequium redeant, & iusti in omni virtute, & puritate, vsque ad perfectionis assequutionem proficiant.

6. Dolebis maximè de omnibus peccatis, tam propriis, quàm alienis, tam magnis, quàm paruis: ac de omnibus tam præteritis, quàm præsentibus, & futuris, non ob aliud, nisi quia Deo displicent, quia legem huius tam amabilis gubernatoris frangunt, & quia eius voluntati sanctissimæ contradicunt.

7. Apud te firmiter statues cuncta eius mandata custodire, consilia seruare, inspirationibus acquiescere, & vt omnes ad gloriam eius idem faciant, curare.

8. Subiicies voluntatem tuam voluntati Domini Dei tui, vt in prosperis, & in aduersis, in tempore & æternitate disponat de te, ac de rebus tuis, & de omnibus iuxta beneplacitum suum.

9. Assurges, vt potueris ad copulandum, & vniendum te Deo, vt summo & æterno bono, à quo fluxisti, in quod tendis, & in cuius adeptione omnis tua perfectio est.

EXERCITIVM V.

De obseruantia præcepti amoris diuini.

1. ASpicies Dominum Deum tuum non solùm vt amantissimum Patrem, verùm vt benignissimum legislatorem, in cuius dextera est ignea amoris lex, omni melle dulcior, & omni lenitate suauior. Hanc tibi seruandam proponit, & seipsum in præmium promittit. Tu autem non ob aliud nisi vt ipsi placeas, eam secundùm modum ab eo præscriptum seruare constitues.

2. Dilige Dominum ex toto corde tuo. Quod facis, si Deum omnibus donis eius anteponis, si nullam creaturam contra præcepta eius, aut præter voluntatem eius, aut supra ipsum diligis, si quæcumque ei displicent abiicis, & quæ placent, amplecteris.

3. Dilige Dominum ex tota anima tua. Id autem præstabis, si vitam hanc mortalem totam illi consecres, & quatenus, & quo tempore ad eius obsequium & honorem confert, in ea permanere velis. Si deinde omnes actiones animæ in quantum corpus animat & informat, vt manducare, dormire, & alia ad vitam pertinentia purè & nudè, vt eius beneplacito satisfacias, & propter eius gloriam perficias.

4. Diliges Dominum ex tota mente tua. Id verò imples, cùm mentem tuam, cuius Deus habitator esse vult, ei in templum & habitationem offers. Cùm eius munditiæ à peccatis, augmento gratiæ, & tranquillitati, quam inordinati affectus tollunt, cooperari constituis. Cùm demum cognitione & amore Deo inhærere satagis.

5. Dilige Dominum ex omnibus viribus tuis. Hoc tunc præstas, cùm omnes vires tum animi, tum corporis, & omnia membra, & omnia dona, siue talenta tibi data ad solam gloriam Dei, & ad charitatis augmentum occupare proponis. Cùm memoriam nouo proposito à vanis rebus subtrahis, & sanctis cogitationibus imbuis. Intellectum aspectu Dei intra te manentis, & suauibus meditationibus reples, voluntatem à rebus creatis auulsam amori tradis, cùm imaginationem comprimis, affectus cordis cohibes, sensus externos à superfluis abducis.

6. Dilige Dominum ex tota virtute tua. Id autem, vtcumque exequeris, cùm statuis te in bonis operibus non segniter, sed feruenter habere, & omnia cum tota tibi possibili diligentia ac perfectione facere, ita vt homines huius sæculi vana quærentes non tantùm æmuleris, sed superes. Hæc autem statuens ad particularia descendes.

7. Dilige Dominum ex omni fortitudine tua. Id fit, si propter amorem Domini, & beneplacitum eius, vniuersa mundana, diuitias, voluptates, honores, ac teipsum contemnas. Si impedimentis virtutis & perfectionis resistas, & ea vincere ac superare decernas. Si mundi, & mundanorum, & imperfectorum opiniones negligas, & solum Deum, qui Dominus tuus est, in omnibus agendis, & omittendis respicias, & voluntate, quandoquidem operis facultas non datur, pro illo vitam profundas.

EXERCITIVM VI.

De tenendis proprietatibus amoris diuini.

1. ASpicies Dominum vt amatorem ardentissimum animæ tuæ, qui in manibus suis descripsit te, nec ad momentum obliuiscitur tui. Qui semper in te immensa beneficia confert, & quasi in retributionem illorum nihil aliud quàm amari cupit.

2. Dilige illum amore cordis, idque præstiteris, si omnem tuam cogitationem, omnem affectum, omnem iucunditatem tuam in illo collocaueris, non aliter quàm infans, qui nihil aliud quærit, quàm in vlnis matris sedere, ab vberibus eius pendere, & amplexibus eius astringi, & illud molestissimum censet à matre, vel ad momentum diuelli.

3. Diliges illum amore operum. Id facies, si eius voluntati in omnibus quæ agenda, vel omittenda sunt, subesse constituas: si omnia opera tua, quæ quottidie ex præscripto facis, illi offeras, si ad maiora & perfectiora te extendas, & solis desideriis inefficacibus tibi satisfactum non putes.

4. Diliges illum amore vnionis. Quod implebis, si statueris in nullo teipsum quærere, sed gloriam Domini tui. Si etiam te ab inutili memoria, inordinato amore creaturarum abstraxeris, & Deo cognitione actuali secundùm gratiam tibi datam, & affectibus inhæseris.

5. Diliges Dominum amore solicitudinis. Cui amori satisfacies, si proponas omnem otiositatem vitare, omnem ignauiam, & torporem, qui se immiscet diuinis obsequiis, abiicere, & in studium sanctorum operum, & affectuum amoris diligenter incumbere.

6. Diliges Dominum amore nudo ab omni creaturarum amore, puro ab omni sensuum aut affectuum immortificatione. Item amore libero nihil diuini obsequij propter homines prætermittens, nihil non faciendum respectu eorum faciens. Insuper & amore ab omni intuitu commodi, & vtilitatis alieno, ita vt tametsi nullum præmium tibi maneret, & te solum inter omnes homines à suo regno Deus vellet excludere, nihilominus statuas illum diligere, & fidelis in eius obsequio permanere. Impossibile quidem est hoc quòd Deus te fidelem permanentem à suo regno repellat: tamen hic actus ostendit quàm sine respectu tui commodi velis Dei amator existere.

7. Diliges Dominum amore forti, ita vt propter eum cupias dura & aduersa pati, & nullius detrimenti caussa ab eius amore discedere.

8. Diliges tandem eum amore perseueranti, statuens numquam per peccatum ab eo separari, & si vita tua per millia millium annorum, aut sine fine esset protrahenda, semper fidelis amator permanere.

EXERCITIVM VII.

De effectibus amoris diuini.

EFfectus amoris Dei multi à viris spiritualibus numerantur, sed tu exercebis te in illis, quos enumerauit Paulus, dicens: Charitas patiens est, benigna est, charitas non æmulatur, non agit perperam, non inflatur, non est ambitiosa, non quærit quæ sua sunt, non irritatur, non cogitat malum, non gaudet super iniquitate, congaudet autem veritati, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet.] 1. Cor. 13. 4.

1. Aspicies igitur Dominum vt possessorem omnium virtutum, sed & vt earumdem magistrum optimum, qui vult te vniuersas virtutes habere, & ex vera charitate, id est, propter ipsum eas exercere.

2. Amor Dei patiens est. Statues propter Dominum ægritudines, infamias, persecutiones, ariditates mentis, consolationum subtractionem, & quæque alia aduersa æquo & hilari animo sustinere: immo si hæc non tibi eueniant, ea ad experimentum amoris desiderare.

3. Charitas benigna est. Statues propter Dominum ad omnes comiter & reuerenter te habere, vt ad filios Dei, & in illos secundùm exiguitatem tuam beneficia exemplis, & doctrina, aut saltem desideriis conferre.

4. Amor non æmulatur. Statues propter amorem Domini fratribus non inuidere, sed magis lætari, si perfectè secundùm virturem operentur, si potioribus donis ornentur, si ab omnibus pluris quàm tu reputentur, & crescant in mille millia.

5. Amor Dei non agit perperam. Statues propter Dominum omnem inconstantiam, & instabilitatem expellere. Sed quæ bona à te agenda sunt, & quæ tibi minimè conuenientia omittenda maturè considerare, & in his quæ semel proposueris, stabilis permanere.

6. Amor Dei non inflatur. Statues propter Dominum non ſuperbire de donis naturæ aut gratiæ, nec de bonis operibus,confitens omnia aliena eſſe, ſcilicet Dei, ab eóque profecta. Item nec alios deſpicere, aut minores putare, ſaltem meritis, ſed omnibus te per humilitatem ſubmittere.

7. Amor Dei non eſt ambitioſus. Statues propter Dominum non ambire primas ſedes,nec optare prælationem inter homines,immo eam prudenter fugere. Item nihil minus honeſtè agere, neque in opere,neque in modo operandi, ſed vt in die, & tamquam in conſpectu Domini in omnibus honeſtè ambulare.

8. Amor Dei non quærit quæ ſua ſunt. Statues propter Dominum in his quę egeris,quæ aggreſſus fueris, non propriam gloriam aut commodum,aut voluptatem quærere, ſed in ſolam Dei gloriam, & animarum ſalutem tuam intentionem dirigere.

9. Amor Dei non irritatur. Statues propter Dominum malum pro malo non rependere, ſed beneficiis & orationibus pro malefactoribus fuſis, eorum maleuolentiam ſuperare, & iniurias æquanimiter ſuſtinere.

10. Amor Dei non cogitat malum. Statues propter Dominum temerarie non iudicare, ſed cum ſimplicitate cordis, aliorum dicta & facta in meliorem partem ſemper vertere.

11. Amor Dei non gaudet ſuper iniquitate,congaudet autem veritati.Statues non gaudere de malis & afflictionibus proximi, ſed potiùs compati illis. Item lætari de bonis illius ſucceſſibus. Inſuper & veritatem qua defectus tui tibi aperiuntur, libenter audire,vt eos corrigas,& emendes.

12. Amor Dei omnia credit,&c.Statues propter Dominum omnia credere ab eo propoſita, omnia ſperare ab eo promiſſa, omniáque ob bonum fratris charitatis officia ſuſcipere. Hos autem amoris fructus tibi dari poſtulabis, vel ſigillatim poſt quemlibet actum, ſiue quodlibet propoſitum, ſiue ſimul in fine huius affectus.

EXERCITIVM VIII.

De deſiderio infimorum graduum amoris diuini.

1. ASpicies Dominum ſedentem ſuper ſolium excelſum, & eleuatum, ſicut vidit Iſaias: vel certè innixum ſummitati ſcalæ, quam vidit Abraham. Te verò cogitabis in pauimento iacentem, qui tamen debeas ad Dominum per gradus amoris aſcendere. Eo igitur profundè adorato, & viribus gratiæ ad aſcendendum, & appropinquandum poſtulatis, ad exercitationem vel deſiderium graduum amoris procedes.

Bonau. 4. itinere æternit. diſt. 5.

2. Diliges ergo Dominum amore intemporali, quo omnia peccata vehementer odio habeas, omnem imperfectionem conſtanter fugias, & Deum tuum, qui eſt ſummum & æternum bonum cunctis bonis præferas.

3. Diliges Dominum Deum tuum, amore incontaminabili, quo quidquid in mundo eſt, ſcilicet concupiſcentiam carnis, & concupiſcentiam oculorum, & ſuperbiam vitæ, & omnes ſæculi curas abiicias, & te ab eius deſideriis incontaminatum cuſtodias.

4. Diliges amore infatigabili, quo numquam ceſſes à contemplatione perfectionum Dei, & à deſiderio perfecti amoris illius, & vnionis cum illo, & ab ſtudio bonorum operum, donec illum inuenias. Et poſtquam hîc,prout fieri poteſt,inuenieris, non deſiſtas, quouſque in æternitate apprehendas.

5. Diliges Dominum amore inſeparabili, ita vt velis & emitaris ſemper illum actu præſentem habere, & cogitatione & affectu amoris & deſiderij illum tenere, & amplecti, donec in ſuo regno plenè benedicat tibi.

6. Diliges Dominum amore inſuperabili, ita vt ſtatuas aduerſitatibus & malis non cedere, & vt Deo adhæreas, cum Paulo omnia viſibilia & inuiſibilia ſuperare.Dicéſque diuina gratia frętus:Quis me Domine ſeparabit à charitate tua. Non tribulatio, neque anguſtia, quia eas propter te ſuſtineo. Non fames, nec nuditas, quas pro te diligo. Non periculum,nec perſecutio,nec gladius,quia voluntate pro te his me ſubdo. Non mors, neque vita, quia ſi oportuerit ad cuſtodiędum amorem tuum, iſtam profundo, & illam contemno. Non proſpera, nec aduerſa, quia in omnibus vt ſeruum tuum fidelem decet,me habere volo. *Rom.8. 35.*

7. Diliges Dominum amore inſatiabili, ita vt nihil te ſatiet, niſi ille, nihil te delectet, ipſum in omnibus quæras, & intimis deſideriis, diebus noctibúſque ſuſpires:& tunc maiori fame,& ſiti crucieris,quando illius aliquid apprehenderis.

EXERCITIVM IX.

De deſiderio mediorum graduum amoris diuini.

1. ASpicies Dominum vt largiſſimum datorem, qui non tantùm bona ordinaria, ſed dona quoque ſingularia & ſupernaturalia ſibi chariſſimis cuſtodita paratus eſt dare his qui ea ardenter deſiderant, & poſtulant, & ad ea vitæ puritate ſe præparant. Te autem intueberis horum donorum prorſus indignum, ac te diuinæ voluntati committens hos gradus amoris, qui ſequuntur, deſiderabis,& poſtulabis.

2. Deſiderabis, & poſtulabis magna humilitate ac deuotione, amore vulnerari, ita vt anima tua poſſit dicere: Quoniam vulnerata charitate ego ſum. Pete igitur à Domino, vt inſpirationibus & ſui deſideriis ardentiſſimis te vulneret. Et vt plaga amoris intimum cordis transfigat, animam à ſeipſa, & ab omnibus creaturis diuidat, & omnia quæ operatus fuerit, ad eum qui te vulnerabit,reducat.

3. Deſiderabis & poſtulabis amore ligari,ita vt ſicut vinctus non poteſt à vinculis ſe expedire,nec à carcere egredi, ita tu nec ad momentum à diuina præſentia exeas, ſed omnia in conſpectu eius cogites, & facias, & quæcumque tibi acciderint amara, aut dulcia in incitamentum amoris conuertas.

4. Deſiderabis & poſtulabis amore languere, vt ſicut languidus omnem cibum reſpuit, omnem potum exhorret, ita & tu omnia terrena abiicias, & in nullo præter Deum requieſcas, illum ſolum diligas, illum ſitias, eum concupiſcas, ad eum anheles, in illum ſuſpires, & ipſius amore penitus accendaris. Hic languor te infirmum & inidoneum ad omnes curas prophanas reddat, & tandem tibimetipſi, & rebus mundanis, vt Deo viuas, perimat.

5. Deſiderabis & poſtulabis amore inſatiabilem effici, ſic nimirum, vt nihil quod egeris, aut paſſus pro Deo fueris, tibi ſatisfaciat, vt amorem omnium ſpirituum cœleſtium & terreſtrium de-

sideres, vt illum in Deo colloces, vt hic amor insatiabilis te ad quærendam aliorum salutem impellat. Et quia tu solus, quantum desideras amare non vales, adiutores ad amandum, & tam bono Domino seruiendum inquiris.

EXERCITIVM X.

De desiderio supremorum graduum amoris.

1. ASpicies Dominum, vt ignem quemdam splendidissimum, & efficacissimum, qui amore spiritus illos cœlestes secum habitantes accendit, & in iustos, qui in terra commorantur, prout capaces sunt, & vitæ puritate dispositi, vult easdem immensi amoris flammas effundere.

2. Desiderabis & postulabis amorem semper mobilem, id est, qui numquam in æternum ab amando Deum quiescat, qui numquam ad inferiora deflectat, nisi vt homines capaces amādi Deum, ad ipsum reducat.

3. Desiderabis & postulabis ignitis desideriis & postulationibus amorem incessabilem, seu infinibilem, qui modum proprium diuini amoris habeat, vt sine modo & mensura Deum diligat, & absque vllo termino semper magis ac magis accrescat. Nam si ignis qui plura & plura combustibilia inuenit, cremare, & augmentum accipere non cessat, cur anima tua, quæ quottidie plures & plures causas diligendi Deum reperit, & plura, ac plura singulis momentis beneficia recipit, sine termino non amabit.

4. Desiderabis & postulabis à Domino amorem spiritualiter calidum, qui ex diuina consolatione immissa te liquefaciat, atque emolliat, vt impetu spiritus in Deum effluas, & tamquam res mobilis eius impulsus excipias. Vt caliditate hac amoris dilateris, comparatione ad Deum, vt ab eo totus possidearis, & comparatione ad homines vt omnibus prosis: vt etiam caliditate, quæ dissimilia segregat, & similia congregat, omnes imperfectiones, etiam minimæ, à te segregentur, & virtutes & dona ad purum Dei obsequium congregentur.

5. Desiderabis & postulabis amorem acutum, quo Deum præsentem habere gestias, quò in omnes perfectiones eius luce contemplationis, & æstu dilectionis penetrare contendas, quo vnum, non identitate substantiæ, sed morum similitudine cum eo fias, & sicut ferrum ignitum ex participata eius pulchritudine splendeas.

6. Desiderabis tandem, & postulabis amorem superferuidum, quo extra te exeas, & ad te numquam redeas. A te, inquam, exeas, non tam per excessum mentis, quod an tibi conueniat, nescis, quàm per veram despicientiam & oblitionem tui, vt ita vehementer Deum magni reputes, vt verissimè te, & omnia creata nihil existimes; & ita illi intentus sis, vt tuas omnes curas in illum iactes, & penitus tui obliuiscaris. Hæc desideriis & petitionibus magis quàm inuestigatione consequeris.

EXERCITIVM XI.

De gaudio de bonis Dei.

1. GAudium est quies animi in bono suo iam adepto. Bonum autem proprium non solùm est quod quisque in se habet, sed etiam quod habet in aliis sibi coniunctis. Et ideo gaudemus de bonis parentum, propinquorum, & amicorum. Aspicies ergo Dominum vt benignissimum, & dilectissimum Patrem tuum à quo genitus, es, & (vt speras) ad æternam hæreditatem efficaciter vocatus, & omnia eius bona propria reputabis.

2. Gaudebis de omnibus perfectionibus Dei tui, vt de eius sapientia, bonitate, & potentia, & reliquis, vt de bonis benignissimi Patris tui. Et sufficiat tibi quòd ipse sit infinitè beatus, & diues. Adeóque exultes de gloria eius, vt si ea bona, aut aliquod illorum tibi inesset, illud à te tolleres, vt in illum dignissimum omni perfectione transferres.

3. Gaudebis de præsentia Dei in cœlo vbi residet tamquam in regno suo, & quod ab omnibus Angelis & Sanctis ametur, colatur, & adoretur. Adeò vt si in tua potestate esset, velles illum omni illo Angelorum & Sanctorum amore diligere, & omnibus ipsorum obsequiis ipsum colere & adorare.

4. Gaudebis de præsentia Dei in omnibus rebus, sed præcipuè in Ecclesia, cui tamquam supremus princeps præsidet, & de omnibus amoribus, & obsequiis, quibus vniuersi iusti, & maximè perfecti, per omnem ætatem illi placent. Vellésque amore omnium illorum Deum diligere, & omnia bona opera ipsorum tum interna, tum externa in honorem Dei facere, & omnes labores sustinere.

5. Gaudebis de mirabili vnione verbi Dei ad naturam humanam, & quòd Deus factus sit homo, & homo factus sit Deus. Item de omnibus bonis illius hominis Christi, principis, & capitis tui, ac maioris fratris. Item de eo quòd nobiscum habitat vsque ad consummationem sæculi per singulariss imam protectionem, & per præsentiam realem in Eucharistia, & quòd talem cibum & potum nobis reliquerit.

6. Gaudebis de bonis matris nostræ Ecclesiæ Catholicæ, de vnitate, vniuersalitate, & sanctitate eius, de diuitiis Sacramentorum, & de assistentia Spiritus sancti in ea, à quo non finitur in rebus fidei & morem errare.

7. Gaudebis de bonis proximorum tamquam de bonis fratrum tuorum, sed præcipuè de mirabilibus perfectorum donis, quòd à Deo illuminantur, inflammantur, & sanctificantur, desiderabísque illos æmulari.

8. Gaudebis be bonis tuis, de existimata remissione tuorum peccatorum, de nonnulla emendatione vitæ, & de spe vitæ æternæ. Postulabis demum, vt Deus tuum hoc gaudium impleat, & ad vitæ perfectionem, & postea ad æternam gloriam adducat.

EXERCITIVM XII.

De quærenda pace cum Deo, & tranquillitate cordis.

1. ASpice Dominum in intimo cordis tui, vt regem pacificum, & amicissimum pacis, qui omnino vult habitationem suam pacatam esse, & omni perturbatione liberam, & pacis amatorem, quæ in subiectione ad ipsum Deum collocata est, te esse constitue.

2. Statues vt pacem habeas te in omnibus Deo subiicere, eius mandata custodiendo, consiliis acquiescendo, in prosperis & aduersis eius

ſanctiſſimum beneplacitum deſiderando, peccata, & imperfectiones, quæ diuidunt inter Deum & hominem,& ſunt ſeminaria diſcordiæ,vitando.

3. Statues vt pacem cum proximis ſerues,idem ſapere, idem dicere, id eſt, in his quæ bona ſunt eumdem ſenſum, idem iudicium cum illis habere.

4. Propones propter amorem Dei, & deſiderium pacis, in his, quæ Dei legi non aduerſantur, fratrum moribus te conformare, de rebus non aliter, quàm prudentes loqui, & ita circumſpectè conuerſari, vt nemo ex dictis, aut factis tuis cauſſam perturbationis accipiat.

5. Propones carnem ſpiritui ſubiicere,vt in teipſo pacatus ſis: cogitationes, affectiones tuas, & actiones ex vſu rationis & ex regulis perfectionis diſponere, te diſcutere, & facta aliorum ad te non pertinentia relinquere.

6. Conſtitues radices omnis perturbationis, proprium iudicium, & propriam voluntatem excindere, ex aliorum dictis aut factis nequaquam pendere, & in interiori homine cum ſolo Deo viuere, ac ſi nullus in mundo eſſet. Hæc eadem à Domino poſtulabis.

EXERCITIVM XIII.

De abſtractione ab omnibus creaturis.

POſt prædicta ad exercitium vnionis progreſſum facies, quod in ſex partes, ſiue exercitia diſtribuendum eſt. Nam 1. licèt ex vſu eorum quæ dicta ſunt, ſis mundus, oportet tamen vt ampliùs munderis, & ab omnibus, quæ Deus non ſunt, abſtraharis. 2. Te ad omnia quæ Deus de te voluerit, reſignabis. 3. Opportuna ad hoc quòd Deo copuleris, poſtulabis, & exiges. 4. Te Deo conformabis. 5. Ad vnionem ipſam cum Deo aſpirabis, & prout tibi datum fuerit,exercebis. 6. Diſces in Deo manere, & ad perfectiorem vnionem anhelare.

1. Aſpicies Dominum Deum tuum, vt vltimum finem tuum, cuius gratia creatus es, ac vt lectum molliſſimum, in quo ſolo poteris quieſcere, te verò ipſum, & reliqua omnia vt ſpinas & tribulos, in quibus nullam poteris tranquillitatem habere.

2. Fugies voluntate & propoſito ab omni peccato, etiam minimo, quantum hæc vita mortalis tulerit. Ita ſcilicet, vt forti auerſione ab omni illicito auertaris, & elongeris:ac vehementi conuerſione ad Deum tuum conuertaris. Ita etiam vt animam & corpus ab omni labe cuſtodias,& nihil niſi in Deo,& propter Deum agas.

3. Denudabis te ſimiliter voluntate & propoſito ab omni creatura. Hoc autem affectu, & intellectu. Ita vt quantum poſſibile fuerit, à cogitatione tua, & ab affectu minùs ordinato reiicias parentes,cognatos,amicos, temporalia,curam tuæ ſalutis,honoris,& commodi. Et ita nudus manere velis animo & deſiderio, vt ante tribunal Chriſti Domini es apparitурus.

4. Spoliabis te ab omni delectatione, ab illicita quidem actu efficaci, ita vt velis & proponas prius in mortem incurrere, quàm in talem delectationem conſentire. A licita verò deſiderio, ita vt cupias, ſi fieri poſſet, omni prorſus delectatione propter Deum carere. Quia tamen id fieri non poteſt, neque Deus ſuauiſſimus erga ſuas creaturas id exigit, conſtitues delectationem cibi, & potus, & ſomni, & quamcumque aliam non propter ſe, ſed propter gloriam Dei aſſumere, & magis in ipſo Deo, quam in ipſis rebus delectari.

5. Fugies à temetipſo, ſtatuéſque ſine teipſo viuere. Quod conſequeris, ſi in omnibus Dei gloriam, & non te, nec primaria intentione, nec ſecundaria quieſceris. Si in his quæ acciderint, id quod fuerit Deo honorificentius, Chriſto conformius, proximo vtilius, & tuæ propriæ voluntati repugnantius elegeris. Si contemni, & conculcari, & dignus omni opprobrio exiſtimari volueris. Si corpus, & ſenſus, & affectus, & iudicium, ac voluntatem mortificare decreueris.

6. Teipſum ante conſpectum Domini nihil reputabis, & quidquid habes ſupra nihilum, tum naturale, tum ſupernaturale non tuum, ſed Dei eſſe fateberis. Et de hoc quòd tu nihil ex te ſis,& Deus ſit omne bonum,& ab eo ſint omnia bona,impensè gaudebis, dicéſque ex corde: Nihil ſum, nihil poſſum,nihil habeo, & eſſe,& operari à Domino meo accipio.

7. Reputabis te omnibus viliorem, & ſi hoc non ita ſentis, te ſuperbiſſimum eſſe lugebis, ſentiéſque quòd ſi alij recepiſſent à Deo bona, & auxilia quæ tu, multo fidelius & feruentius illi ſeruiiſſent, quàm tu, & multo magis profeciſſent, quàm tu.

8. Cum æquali Dei gloria, & nulla à te data occaſione, ſtatues eligere potius contumeliam quàm honorem, penuriam, quàm abundantiam, amarum, quàm dulce, nolens alium honorem, aliam abundantiam, aut dulcedinem, & aliud bonum niſi Deum tuum.

EXERCITIVM XIV.

De reſignatione & perfecta oblatione in manibus Dei.

1. ASpicies Dominum vt ſupremam magnitudinem, ac maieſtatem, & omnem ſubſtantiam noſtram tamquam nihilum ante illum. Níſque æquius & iuſtius, quàm quòd voluntas eius impleatur in nobis. Nihílque eſſe ei gratius, & acceptius, quàm quòd abrenunciantes voluntatibus propriis,eius voluntati ſubdamur, & dicamus ex corde: Fiat voluntas tua, ſicut in cœlo, & in terra.

2. Reſignabis te ad mortem, quomodo & quando Dominus eam venire voluerit, & fœtidum ſepulchrum hac ſanctiſſima voluntate circumdatum, regum palatiis, & deliciis præferes. Item & ad vitam, non ob amabilitatem eius, non ob amorem naturalem, & propenſionem quam ad eam habes, ſed vt in te impleatur voluntas Domini, vitámque in perpetuum holocauſtum ei offerre conſtitues, ita vt ſi vixeris, Domino viuas, & ſi moriaris, Domino quoque moriaris.

3. Reſignabis te animosè ad quamcumque ægritudinem & dolorem corporis(& ne timeas) ſi voluntas Domini fuerit, vt in eam incurras, & ad quodcumque corporis impedimentum,ita vt multis menſibus, aut annis inutilis, & aliis oneroſus maneas. Item & ad incolumitatem, non quidem propter deſiderium naturæ, ſed vt voluntas Domini fiat in te. Eam quoque in perpetuum Domi-

ni obsequium impendere constitues.

4. Resignabis te ad omnem infamiam (nulla tamen à te data occasione) confusionem, contumeliam, opprobrium, contemtum. Itémque & ad honorem, & bonam famam non propter ipsam, sed vt voluntas Domini impleatur in te. Ac propones eam ad gloriam Domini, & animarum salutem vtilem facere.

5. Resignabis te ad omnem indigentiam, penuriam, nuditatem, incommoditatem in cibo, vestitu, habitatione, & reliquis huiusmodi. Itémque ad honestam commoditatem, quam si iuxta exigentiam habueris, in Deo, & propter Deum, atque ad eius tantùm gloriam suscipies.

6. Resignabis te ad habitandum in hoc vel illo loco, etiam inter extraneos, & tibi ignotos, & inter infideles: ad hoc vel illud ministerium, licèt tuæ sensualitati repugnans, prout de te obedientia disposuerit.

7. Resignabis te ad carendum omni sensibili gratia, & deuotione, & donis ad salutem non necessariis, & ad sustinendam omnem ariditatem, pressuram cordis, & in deuotionem. Itémque ad habendam deuotionem & dona Dei, non vt in illis quiescas, sed vt eorum vsu magis Deo placeas.

8. Tandem resignabis te ad vniuersa illa, quæ tibi in tempore & æternitate accidere possunt. Adeò vt si vellet Dominus, in perpetuum in inferno te collocare ad sustinendas illas acerbissimas pœnas, dummodo ab eius gratia non excidas, paratus sis pro Domini gloria id etiam perferre. Et pro certo habe quòd hic affectus perfectissimam cum Deo vnionem, & altissimam perfectionem continet. Quare conaberis in eo non cogitatione tantùm, sed verissima abiectione tuæ voluntatis exerceri.

EXERCITIVM XV.

De postulatione conducibilium ad vnionem.

1. EXercitij resignationis duo sunt effectus præcipui. Nam & hominem in magna quadam libertate constituit, & fiduciam præbet postulandi. Postquam ergo te resignaueris, & in omnibus diuinæ voluntati commiseris, aspicies Dominum vt principem liberalissimum, cuius est dona & beneficia in omnes conferre, & parua hominum obsequia magnis præmiis remunerare. Exigésque ab eo cum plena fiducia hæc quæ sequuntur, ad gloriam eius, quibus ad vnionem paraberis.

2. Postulabis ergo à Deo primo loco omne quod ipse est, vt scilicet ipse, qui est summum & totum bonum tuum, det tibi seipsum, vt eo solo fruaris puro & nudo & perfecto amore. Sciens quia si illum possederis, quamuis omnia alia desint, ditissimus & fœlicissimus es. Si verò reliqua omnia absint, & ipse desit, infœlicissimus eris, ac pauperrimus.

3. Exiges purissimam intellectus tui illuminationem, vt Deum tuum sapienter agnoscas ad diligendum illum, vt scias eius voluntatem ad exequendam illam tam promtè, sicut vmbra mouetur ad motum corporis, vnde fit, vt intuearis teipsum ac summã vilitatem tuam, qua exciteris ad tui contemtum, & annihilationem, vt tandem agnoscas omnes veras & solidas virtutes, & desiderium earum immittat.

4. Exiges perfectionem, & ornatum tuæ voluntatis per huiusmodi virtutes, vt nimirum eas omnes possideas, & eas in perfectissimos actus producas. Præcipuè exiges amorem vehementem, quo semper Deum diligas, & æstuantibus desideriis in eam iugiter tendas, & non aliter quàm radij solares à Sole, sic in omnibus à Deo pendeas, & illi inhæreas.

5. Exiges cætera dona non necessaria ad salutem, qualia sunt liberatio à tentationibus impugnantibus, à periculis & pressuris, & deuotio, & gratia sensibilis, & alia huiusmodi, & ea solùm ratione qua te Deo magis gratum, & magis sanctum & humilem efficient. Si autem ea ad hoc non sunt profutura despicies.

EXERCITIVM XVI.

De quærenda conformatione, & similitudine ad Deum.

1. ASpicies Dominum Deum tuum, vt ignem splendidissimum, & efficacissimum, à quo possunt omnes tui defectus & imperfectiones absumi, ab eóque poteris in ipsius similitudinem transformari.

2. In hoc igne exures omnem dissimilitudinem tuam, quam ad Deum habes, scilicet omnia vitia & imperfectiones tuas, omnes inordinatas passiones & immortificationes, omnem sensuum ad visibilia immoderatam propensionem, omnem demum animi impatientiam & perturbationem. Hæc, inquam, non sigillatim recoles, sed quasi in vnum fasciculum collecta suspiriis, & gemitibus, & contritione cordis, in illum ignem, vt consumantur, proiicies.

3. Ardentissimis desideriis & postulationibus ad Dei similitudinem aspirabis, exigésque ab eo vt te induat similitudine sanctissimæ diuinitatis suæ in omnibus perfectionibus suis. Præsertim vt te similem faciat sibi. 1. puritate, qua leuissimos quosque defectus fugias. 2. sapientia, qua eius voluntatem in omnibus ad obtemperandum agnoscas. 3. charitate, qua ipsum vt amantissimum Patrem diligas. 4. amore erga proximos vt vniuersos tam amicos quàm inimicos propter eum sinu tui cordis excipias. 5. tranquillitate vt animum in omnibus euentibus pacatum habeas, vt diuinum influxum possis accipere.

4. Similiter ardentissimis desideriis, & flammigeris postulationibus conformabis te humanitati Christi Iesu, præsertim in humilitate, qua te despicias, obedientia, qua te propter eum omnibus submittas, patientia, qua aduersa & amara sustineas, misericordia, qua proximorum necessitatibus compatiaris, zelo, quo Domini Dei tui honorem desideres.

5. Tandem rogabis Dominum, vt omnia à te impedimenta submoueat, tum interna imperfectionum, tum externa inutilium occupationum, quæ te à perfectione & vnione cum ipso retardare possunt.

EXERCITIVM XVII.

De aspiratione ad diuinam vnionem.

1. SImilia facilè copulantur, & vnum efficiuntur, vt aqua & aqua, vinum & vinum. Quare similis Deo factus per nonnullam imitationem perfectionum eius, & virtutum vnigeniti filij eius,

aſpirare debes, & deſiderare vt illi perfectè vniaris. Aſpiciens ergo Dominum vt finem tuum, ſicuti iam diximus, omnibus modis poſſibilibus illi vniri concupiſces, & exiges, ſi quando id per eius gratiam & ſpeciale donum conſequaris.

2. Deſiderabis ergo primo loco, vnionem memoriæ & intellectus tui cum Deo, & eam diſcreto quodam conatu habere curabis: vt ſcilicet actu recorderis Domini, & eum ſine diſcurſibus intra teipſum aſpicias, & ibi præſentem facias, non aliter quàm Filius eſt coram Patre, vel ſponſa in conſpectu ſponſi ſui: vel certè vt erat Maria ſedens ſecus pedes Domini, & audiebat verbum illius. Non quòd in Deo nunc corpus aut pedes conſideres, quem vt ſpiritum puriſſimum intueris, ſed vt hæc ſimilitudo te ad quietem & ſilentium intellectus manu ducat.

3. Deſiderabis, & exiges, & ſimili modo conaberis ſuauiter vnire tuam voluntatem cum Deo per actualem amorem illum amplexando, vt ſummum & æternum bonum tuum: & te ac tua omnia in eius beneplacitum relinquendo, ita vt nihil præter eum velis, aut cupias.

4. Deſiderabis & petes vnionem imaginationis cum Deo, ita vt quieta ſuauitate formes imaginem lucis pulcherrimæ, vel ignis ſplendidiſſimi, vel alicuius rei ſimilis in qua Deum quaſi abſconditum imagineris vt ad amorem accendaris.

5. Deſiderabis, & exiges, & tranquillè habere curabis vnionem appetituum, ſiue affectuum cordis cum Deo, ita vt ad illud immenſum lumen, ſub quo Deum imaginatione cognoſcis, cordis motibus afficiaris.

6. Deſiderabis, & petes, & curabis habere vnionem ſenſuum exteriorum cum Deo, quæ in hoc poſita eſt, vt ſenſus pro illo tempore ſe à terrenis abſtrahant, & de bono ac quiete animæ gaudeant, & eam à tanto bono non auertant. Hæc, inquam, deſiderabis, & illum amoris gradum, qui ad hæc dona conſequitur, ſi tibi expedit. Si autem Dominus noluerit te his donis ornare, in tua paupertate, & ſua voluntate quieſces, & ad maiorem puritatem animabis, ſi fortè aliquando tandem ad hunc ſuperiorem locum voceris.

EXERCITIVM XVIII.

De iugi permanſione in Deo.

1. BOnum eſt tibi, ô anima, hîc eſſe, & in Deo tamquam in tuo habitaculo ſemper manere. Quod vt conſequaris fidem actu exerceas oportet, & firmiter credas Deum in te eſſe, ac te eſſe in Deo. Nam qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo. Petéſque à Domino, vt luce ſapientiæ ſuæ hanc fidem quam tibi infudit, ipſe perficiat, vt hanc veritatem, quòd Deus eſt intra te, & tu intra Deum, non tantùm ſpeculando cognoſcas, ſed etiam quaſi contrectando & guſtando perſentias.

2. Propone ſemper viuere & manere in Deo, & Deum ſubinde cogitare, vt intimum conclaue refugij tui. Et pete ab eo, vt ſicut qui eſt clauſus in cubiculo nihil videt, aut ſentit extra illud, ita & tu quæcumque videris, vel guſtaueris, vel alio ſenſu perceperis intra illum tuum locum ex electione percipias, ac de manu Domini venire cognoſcas. Quod non conatu indiſcreto, ſed ardentibus poſtulationibus, & quieta ac ſuaui attentione obtinere curabis.

3. Statue etiam omnia tum bona, tum mala pœnæ, tum proſpera, tum aduerſa de manu Domini accipere, & in meum referre, nihil aliud quærendo, niſi quod Domino fuerit honorificentius, proximo vtilius, & ſi neceſſe fuerit, tibi moleſtius. Quod ſimiliter aſpirationibus & poſtulatione diuinæ gratiæ quærendum eſt.

4. Defectuum tuorum per Chriſti Domini vulnera humiliter veniam pete, & in illum ſanguinem immerge, ac te vitaturum illa deinceps firmiter ſtatue, & virtutes omnes, quibus Domino placebis, deſideriis & poſtulationibus amplectere.

5. Patrem orabis vt à memoria tua cunctas imagines vanas amoueat, & eam ſanctis imaginibus repleat. Filium orabis, vt intellectum tuum cognitione ſummi boni, beneficiorum tibi exhibitorum, & ſuæ voluntatis, ac tuæ vilitatis illuſtret. Spiritum ſanctum orabis, vt voluntatem tuam ſuo amore inflammet, & omnes affectus tuos rapiat, atque abſorbeat. Chriſtum crucifixum orabis, vt per ſanctiſſimas vires animæ, & corporis ſui, vires tuas; & ſenſus purget à vitiis, & omni virtute perficiat.

EXERCITIVM XIX.

De renouatione vnionis cum Deo.

1. ETiam hîc ante Dominum Deum tuum te conſtitues, ô anima, tamquam ante immenſum mare bonitatis, pulchritudinis, & ſuauitatis. Et vt illi te immergas, aut immergi concupiſcas, hæc quæ ſequuntur, facies.

2. Dei beneficia commemorabis, præcipuè beneficium incarnationis filij Dei, & pro eius ſanctis actionibus, & admirandis paſſionibus, quaſi in vnum faſciculum collectis, gratias ages. Deinde Deum tuum tanta & tam grandia ex immenſo amore in te beneficia conferentem redamabis, amore nudo ab omnibus rebus creatis, vt cognatis, amicis, & cæteris. Amore puro ab omni immortificatione paſſionum, & virium tuarum amore vehementi qui in te omnem extraneum amorem abſumat, & quaſi teipſum abſorbeat, & ad quæque aduerſa veluti inſenſibilem reddat.

3. Reſignationem, poſtulationem, & conformationem repetes, ac reaſſumes. Reſignationem qua in tempore & æternitate de te fiat quod Deo placitum fuerit. Poſtulationem: qua ipſum Deum à te poſſideri poſtules, & ea ſiue proſpera, ſiue aduerſa, quibus ei gratus es futurus. Confirmationem qua Domino in animæ tuæ puritate, & omnium virtutum adeptione pro poſſe aſſimileris.

4. Deſiderabis & poſtulabis ardenter immergi, abſcondi, & transferri in abyſſum diuinitatis Domini Dei tui. Illum abſorbere, & ab illo viciſſim abſorberi, dicéſque ſic, aut ſimili modo: O ſuperadmirabilis potentia, ſapientia, & bonitas Domini Dei mei, ô ſuperadmirabile mirum, & ſuperadmirabile bonum quando me totum transformabis, & abſcondes in te, & te in me. Quod enim mari abſorbere vnam guttam exigua, hoc eſt tibi abſorbere me, &c.

5. Deſideria amoris tui ad maiora & celſiora extendes. Adeò vt deſideres, ſi tibi poſſibile foret, & Domino gratum, ex qualibet anima, ac præcipuè ex anima tua regnum cœlorum facere, vt in tot ac tantis cœlis empyreis Deus amaretur, &

ab omnibus ciuilibus eorum adoraretur, & laudaretur. Immo si posses singulas guttas aquæ, & singula grana arenæ maris in cœlos conuertere, pro gloria & honore Domini idem præstares. Quin etsi posses omnibus illis dilectionis gradibus tu solus Deum diligeres. Nec necesse est tibi dicere quanti hæc desideria etiam impossibilium apud Deum valeant, qui corda hominum nouit, & in sanctis desideriis sibi complacet, & quantum roboris ad possibilia tribuant. His ergo & similibus desideriis te pasces, eorum quæ diximus postulationibus & affectibus te reficies, donec Dominus secundùm dispositionem prouidentiæ suæ aliquos in te impleat, & ex desideriis & affectibus ad aliquam experientiam suæ suauitatis admittat.

EXERCITIVM XX.

De dilectione proximorum.

1. ASpicies Dominum vt excipientem omnes homines sinu amoris sui, volentémque quod ad se pertinet, vt vniuersi salui fiant, poscentem quoque à te, vt si ipsum diligis, illos quos ipse diligit, diligas, & quod ille odio habet auerseris.

2. Pater diligit filium suum Iesum Christum Dominum nostrum, & summè in ipso sibi complacuit. Diliges ergo Christum Redemtorem tuũ, & de perfectionibus sanctissimæ humanitatis eius gaudebis, & pro omnibus mysteriis vitæ & passionis eius saltem in generali gratias ages, & illum pro amore Domini imitari propones.

3. Diliges Ecclesiam sponsam Domini tui, & ei dona à Domino accepta voles, eius augmentum, tum fidelium numero, tum vitæ puritate desiderabis, & petes. Præsertim autem diliges eam partem Ecclesiæ, communitatem aut congregationem in qua viuis, statuens eius profectum spiritualem, & reformationem magis exemplo, quàm alio medio promouere.

4. Diliges proximos tuos, diliges autem si statuas illos non temere iudicare, in tuo corde non despicere, non illis obloqui, nec malum aliquod irrogare. Immo eorum dicta & facta benignè excusare, eos tibiipsi præferre, verbo laudare, aut certè si digni non sint laude, tacere, & quibus mediis potueris eos adiuuare.

5. Diliges præsertim inimicos tuos, pro illis specialiter orabis, benignè eos aspicere, & pacatè loqui, & bonis operibus superare constitues.

6. Odio habebis, & detestaberis quidquid Deus odio habet, peccata propria, & aliena, immortificationem sensuum & affectuum tuorum, & factus ex acie Domini aduersùs eos pugnare propones.

Cùm Spiritus sanctus voluntatem perflat, facile erit oranti, quodlibet horum exercitiorum induas, vel plures partes diuidere.

De affectu gratiarum actionis.

CAPVT XIII.

AMor Dei non solùm excitat ad proprios actus, sed etiam ad omnem virtutem (vt vidimus) & præcipuè ad affectum gratitudinis: vt qui semper ab eo quem amat, & à quo amatur, beneficia recipit, A semper fructu gratiarum actionis abundet. Est autem hic affectus Deo gratissimus, & magni meriti, quod habet, tum ab amore, seu charitate, à qua imperatur, tum à nobilissima virtute, qua charitas ad gratias agendas vtitur, & à qua proximè hic affectus elicitur. Licèt enim gratiarum actio comparatione ad homines, à quibus beneficia recepimus, à propria virtute nascatur, quam gratitudinem nuncupamus, at comparatione ad Deum est actus religionis virtutis inter morales præstantissimæ (vt Thomas Aquinas satis insinuat) & opus orationis, illi mentem nostram submittimus. Quod & Augustinus non diffitetur, sic scribens: Cultus Dei in hoc maximè constitutus est, vt anima ei non sit ingrata, vnde in ipso verissimo & B singulari sacrificio Domino Deo nostro gratias agere admonemur.] Et alio loco: Quod est sacratius laudis sacrificium quàm in actione gratiarum.

Hanc gratiarum actionem Deus sæpe in Scripturis suis à nobis exigit. In omnibus gratias agite, inquit Paulus, hæc enim est voluntas Dei in Christo Iesu in omnibus vobis.] Et rursus: Gratias agere debemus semper Deo.] Et iterũ: Orationi instate, vigilantes in ea in gratiarum actione.] Et sunt multa alia quibus à nobis actio gratiarum exigitur. Et meritò, quoniam si omne quod habemus, & quod sumus, donum est descendens à Patre luminum, quid æquum est, nisi vt pro omnibus gratias referamus. Eua pariens Cain ait: Adquisiui hominem per Deum.] Vt & nos cùm aliC quid adquirimus, ait Ambrosius, vel omnes euentus secundos Deo magis deferre, quàm nobis arrogare debeamus. Si autem in hoc simus obliuiosi, & planè inueniamur ingrati, de nobis Dominus ipse conqueritur, atque quod de leprosis à lepra mundatis dixerat: Nónne decem mundati sunt? & nouem vbi sunt? Non est inuentus qui rediret, & daret gloriam Deo, nisi hic alienigena?] Apud Isaiam quoque: Filios enutriui, & exaltaui, ipsi autẽ spreuerunt me.] Et pro voce gratitudinis contemtum obtulerunt tum beneficij, tum datoris, vt & beneficium perderent, & datorem ad indignationem prouocarent, & quasi manus eius ad D dandum vinculis impedirent. Nihil enim æquè facit hominem nouis beneficiis indignum, quàm si animum gratum deponens, accepta, priùs beneficia despiciat. Quare Augustinus ait: Ingratitudo est radix totius mali spiritualis, & ventus quidam desiccans, & vrens omne bonum, obstruens fontem misericordiæ super hominem.] Cùm ergo nihil sit amatori Dei formidabilius, quàm Dei beneficiis carere, nihil etiam esse debet detestabilius, quàm ingratitudini collum submittere.

Sed illud præcipuè expauescendum quòd ingratitudo ianuam cœli quodammodo occludit, vt orationes nostræ ad thronum vsque diuinæ E maiestatis non intrent. Et ideo sæpe non exaudimur, quia beneficia accepta non cognouimus, nec pro illis gratias retulimus. Hanc Bernardus caussam nostræ paupertatis, & repulsæ nostrarum orationum existimat. Sed iam omnino monet fratres mei, quid sibi velit, quòd minus erga nos liberalis nunc diuina clementia videatur, vt quibus tanta contulit non rogantibus, non desiderantibus, immo & fortasse recusantibus; nunc orantibus, obsecrantibus, postulantibus sæpissime, immo continuè videatur multa minora negare? Quid enim putamus chariſſimi? Abbre-

Affectus gratitudinis Deo gratus.

D. Thom. 22. q. 43. 17.

August. lib. de spirit. & lit. c. 11.

Idem in Psal. 49.

1. Thess. 5. 17.

2. Thess. 1. 3. Coloss. 4. 2.

Gen. 4. 1. Ambros. 1. de Cain c. 1.

Luc. 17. 17.

Isaiæ 1. 2.

August. in soliloquio.

Ingratitudinis mala multa.

Bernard. ser. cõtra vitium ingratitud.

uiata eſt manus Domini, an forte theſauri gratiæ defecerunt? Quid, inquam, putamus, vtrùm voluntas mutata ſit, an immutata facultas? Neutrum ſanè de eo æſtimare licet, neutrum fas eſt credere de omnipotenti & immutabili maieſtate. Quid ſibi vult ergo quòd inceſſanter orantes, obſecrantes, poſtulantes non exaudit, quibus tantam, & tam gratuitam miſericordiam prærogauit?] Poſt multa verò huic interrogationi ita reſpondet: Multos quoque videmus vſque hodie ſatis importunè petentes quòd ſibi deeſſe cognouerint, ſed paucos admodum nouimus, qui dignas ſuper acceptis beneficiis gratias agere videantur. Nec reprehenſibile quod inſtanter petimus, ſed planè petitioni negat effectum, quòd inuenimur ingrati.] Hæc ille. Si pauperi, qui ex eleemoſynis viuit, miſerrimum eſſet non audiri, viro ſpirituali qui ex auxiliis gratiæ, & ex donis Dei ſpiritualiter viuit tremendum eſſe debet orationibus, quas fundit, non impetrare.

Bonau. 7. proceſſu relig. c. 6.

Stimuli ad gratiarum actionẽ.

At quæ ſunt ad gratiarum actionem incitamenta prævalida? Profectò illa ſeptem quæ Bonauentura annotauit. Nimirum ſi expendas in ipſo beneficio quod recipis, primò quàm magnum ſit, & pretioſum; ſecundò, quàm vtile atque proficuum; tertiò quàm ſæpiſſimè iteratum. In ipſo verò datore, à quo recipis, quantæ ſit maieſtatis, & quanto affectu largiatur, in te verò qui recipis, quantæ ſis vilitatis, & quàm indignus beneficia recipere. O igitur homo, vide quàm pretioſa recipis: auxilia diuina, gratiam Spiritus ſancti, corpus & ſanguinem Chriſti, gloriam cœleſtem, & alia innumera. Quàm vtilia, ex quibus tibi prouenit iuſtificatio à peccato, gratia ſanctitatis, adoptio filiorum Dei, interna conſolatio, à periculis defenſio, Angelorum ac Sanctorum conſortium. Quàm multoties iterata. Nam quoties amittimus gratiam, ſi volumus, illam reſtituit, & quoties beneficiis abutimur, toties meremur perdere, & tunc quaſi de nouo dantur, quia ab indignis non auferuntur. Expende rurſus quis ſit horum beneficiorum dator. Deus ipſe ſummus omnium imperator & Dominus, à quo magnum quid accipimus, ſi dignetur cogitare de nobis. Tanto autem affectu charitatis in nos beneficia confert, vt id omnem captum hominum & Angelorum excedat. Tandem animaduerte, quis ſis, & qualis tu qui recipis. Quis? Homo viliſſimus, & planè puluis, & cinis. Qualis? Homo indigniſſimus, & ſordibus peccatorum plenus, qui ingratitudinibus & iniquitatibus bona demeruit. Benefacere promerenti, iuſtum eſt. Benefacere non promerenti, ſed tamen humiliter petenti, miſericordiæ eſt. Benefacere nihil promerenti, nec deſideranti, nec poſtulanti admodum pium eſt. At benefacere ſeruo pigro & vili contemnenti, & aduerſanti, & peccata peccatis adiicienti, planè piiſſimum & diuini cordis eſt. Hæc autem ſufficiant ad neceſſitatem huius affectus exponendam, præſertim cùm illos alloquamur, qui ſatis bene affecti ſunt, & diuino amore ditati.

Pro quibus beneficiis gratia agenda.

Nunc videamus pro quibus beneficiis agendæ ſunt gratiæ? Certè pro omnibus bonis, tum nobis, tum aliis exhibitis, quia quibuſcumque dentur, nobis etiam dantur, & bona ac beneficia noſtra ſunt. Si aliquis daret pileum capiti tuo, & torquem collo, & veſtem corpori, & chirothecas manibus, & calceos pedibus, nónne pro omnibus his tenereris gratias agere? Sed inſpice omnia quæcumque ſunt, & videbis ea aut capiti tuo, aut membris tuis, aut rebus tuis fuiſſe donata. An non Chriſtus caput tuũ? An non Maria virgo collum Eccleſiæ, vt eam Bernardus vocat? An non Sancti, & Angeli, & iuſti in terris degentes membra eiuſdem Eccleſiæ, cuius tu es membrum. An non dona creaturarum rationis expertium ob vtilitatem tuam, & vt tibi ſeruiant ſunt illis attributa? Quid miraris ſi pro his omnibus gratias agere tibi incumbat? Inſuper & beneficiis perſonæ tuæ proximè datis debes eſſe gratus. Hæc autem ad affectum gratiarum actionis, ſi non vis ea ſigillatim recolere, trifariam diuides. Nam quædam ſunt præterita, quæ hactenus accepiſti: quædam præſentia quæ nunc in præſenti tempore recipis: quædam futura, quæ vſque ad finem vitæ, & per totam æternitatem recipies. Tripartitum, inquit Ambroſius, eſt tempus, præteritum, præſens, & futurum. Quo admonemur quòd nec præteritorum beneficiorum Dei, vel præſentium, vel futurorum irrepere debet vlla obliuio, ſed tenax gratiæ memoria perſeuerare, & obedientia non deeſſe. Nec ſolùm ob proſpera & læta, verùm & propter aduerſa & triſtia, & mala pœnæ agendæ ſunt gratiæ, quæ ſi æquus æſtimator ſis, nec ex amore minore, à Deo mittuntur, nec minus vtilia eſſe ſolent, quàm quæ multum arrident. Id ita fieri debere ſic docet Leo Papa: Nam non per omnia illi gratias agere, quid eſt aliud, quàm ex quadam eum parte reprehendere. Audet plerumque humana inſipientia aduersùs creatorem ſuum, non ſolùm de inopia, ſed etiam de copia murmurare, vt & quum aliquid non ſuppetit, querula, & cùm quædam exuberant, ſit ingrata. Multæ meſſis Dominus horreorum ſuorum plenitudinem faſtidiuit, & ad copiam vindemiæ affluentis ingemuit: nec de magnitudine fructuum gratulatus, ſed de vilitate conqueſtus eſt. Si autem parcior fuerit in ſuſceptis terra ſeminibus, & caſtigatiore prouentu vites oleæque defluxerint, accuſatur annus, arguuntur elementa, & nec aëri parcitur, nec cœlo, quum fideles & pios diſcipulos veritatis nihil magis commendet, & muniat, quàm perſeuerans in Deum, & indefeſſa laudatio, dicente Apoſtolo: Semper gaudete, ſine intermiſſione orate, in omnibus gratias agite. Hæc enim voluntas Dei eſt in Chriſto Ieſu in omnibus vobis.] Hæc ille.

Ambroſ. 1. de Cain c. 8.

Leo de ieiunio ſer. 1.

Et Baſilius, vt cæteros omittamus, ait: Nihil minus Chriſtianum decet, quàm vt rebus ſuis proſperè cadentibus, benedicat Deo, contrà triſtiore quapiam calamitate afflictus laudes reticeat Dei: quando tunc quoque gratiæ vberiores agendæ veniunt, vt qui planè nouerit, quia quem diligit erudit, & caſtigat, flagellat autem omnem filium, quem recipit. verò loco idem Baſilius egregiè docet quae [illegible]o aduerſis agendæ ſint gratiæ. In omnibus gratias agite. Obiecerit, inquit, aliquis, quo id facto fieri poſſit vt anima ob incommoda & calamitates mœrens miſerè, & ſenſu ipſo doloris acerrimi quaſi quibuſdam ſtimulata atque interpuncta aculeis non lamentetur, atque profundat lacrymas: ſed pro incommodis, & quæ reuera nemo non deprecetur, à ſéque recelat, pro his, inquam, perinde ac pro bonis agat gratias? Si quæ mihi inimicus malè precatus eſt, contigerint, quî potero inter dira hæc & execranda conſiſtens gratias agere? Vt vnus aliquis puſio ſit intempeſta morte præreptus, hinc matrem ſuperamabili infantulo miſerè afflictam

Baſil. in Pſal. 33.

Baſil. hom. 3. in Martyrẽ Iulittã.

dolores

dolores ipſa parturigine tanto acerbiores conſauriant, quo hæc pacto poſitis lamentis poſſit aſſumere voces actionis gratiarum indices? Quæris quomodo? Si ſecum expenderit, iſti quem ex ſe genuit filio Deum eſſe Patrem multo præ coniuge germaniorem ac propiorem, quique illo prudentiùs nouerit, & tueri infantulum, & vitam eius moderari. Quin igitur Domino ſic prudenti permittimus ſuas vt opes diſpertiatur, eaſque proprio diſpenſet arbitratu? Sed & ipſi permoleſtè ferimus, ac ſi propriis ſpoliemur: morientibus inſuper condolemus quaſi affectis iniuria. Illud velim tecum reputes, nempe puerulum haudquaquam eſſe mortuum, verius tibi redditum, neque deſiit eſſe amicus, magis verò abiit peregre, viámque, qua & nos ingredi neceſſe eſt aliquanto anteuertit capeſſere.] Sic illi. Itaque ſi aduerſa flagella ſunt quibus purgamur, vel hortamenta quibus erudiamur, vel adiumenta, vt perficiamur, ingrati animi eſſet pro his gratias non referre.

Quomodo agenda ſint gratiæ.

Sed quo pacto agendæ ſunt gratiæ? Ita ſanè vt hæc quæ attingemus intellectu & affectu exerceamus. Primò commemorandum eſt beneficium, & quaſi in partes & membra diſtinguendum, vt magis voluntatem alliciat. Sic fecit iunior Tobias cùm patri ſuo acceptum ab Angelo beneficium expoſuit. Pater, ait, quam mercedem dabimus ei? Aut quid dignum poterit eſſe beneficiis eius? Me duxit, & reduxit ſanum, pecuniam à Gabelo ipſe recepit, vxorem ipſe me habere fecit, & dæmonium ab ea ipſe compeſcuit, gaudium parentibus eius fecit, meipſum à deuoratione piſcis eripuit, te quoque videre fecit lumen cœli, & bonis omnibus per eum repleti ſumus.] Secundò fatendum eſt Deum eſſe authorem beneficij, & de hoc impensè gaudendum. Nam glorificatur Dominus, cùm eum bonorum authorem agnoſcimus, & propter hoc ipſum laude digniſſimum prædicamus. Quare Eccleſiaſticus ait: Benedicentes Dominum exaltate illum, quantum poteſtis, maior eſt enim omni laude.] Tertiò gaudendum eſt quòd nos vel res illa cui beneficium datum eſt, ad gloriam & manifeſtationem diuinæ bonitatis illud habeat, atque poſſideat. Quo gaudio & amore ſuos repleri voluit, cùm in libro Numerorum dixit: Sic benedicetis filiis Iſraël: Benedicat tibi Dominus, & cuſtodiat te, oſtendat Dominus faciem ſuam tibi, conuertat Dominus vultum ſuum ad te, & det tibi pacem.] Quartò agendæ ſunt illi gratiæ, & benedicendus ac laudandus eſt, quia tale beneficium fecit, & creaturæ ad eamdem gratiarum actionem inuitandæ. Sic fecerunt illi tres pueri, qui accepto illo liberationis beneficio, quaſi ex vno ore laudabant, & glorificabant, & benedicebant Deum in fornace, dicentes: Benedictus es Deus patrum noſtrorum; & laudabilis, & glorioſus, & ſuperexaltatus in ſæcula, &c.] Et poſtea: Benedicite omnia opera Domini Domino.] Et omnia ſigillatim ad laudes, & gratiarum actiones Deo canendas inuitant. Quintò reſpondendum eſt beneficio, quod fit, ſi illud ipſum offeras ad gloriam Dei, ſi etiam ad honorem & gloriam Domini offeras omnia obſequia, & affectus iuſtorum, omnem honorem & laudem Sanctorum, & Angelorum, omnem item charitatem & puritatem beatæ Virginis, & humanitatis Domini noſtri Ieſu Chriſti, & quia Deus, Deus tuus eſt, & omnia illius quodammodo tua ſunt, quæ nunc per ſpem aliqua ratione habes, & poſtea in æternitate perfectè poſſidebis, offeres illi pro modulo tuo omnes perfectiones eius, & omnia bona quæ habet, & de eo quod habeat, impensè gaudebis. Sextò ſtatuendum eſt, quòd ſeruiemus illi in recompenſationem tanti beneficij non propter aliud, niſi propter ipſum, ac bonitatem eius: & quòd aperiemus os ad laudes eius, excitabimus cor ad amorem eius, & roborabimus manus ad bona opera & obſequia ipſius. Septimò petendum eſt aliquid conforme beneficio cui grati eſſe volumus, petemus, inquam, nobis, & aliis particularibus, pro quibus orare intendimus, & congregationi, in qua viuimus, & toti Eccleſiæ Dei.

Quomodo affectus gratitudinis exercendus.

Hic autem affectus, ſicut & reliqui, fieri poteſt, vel loquendo interiùs cum beatiſſima Trinitate, vel cum Patre, vel cum Filio, vel cum Spiritu ſancto, vel cum Chriſto homine, prout ipſe Dominus motione ſua à nobis exegerit. Hìc ergo habes latiſſimum campum ad familiaritatem cum Domino ineundam, quem numquam vſque ad finem percurres. Quia ſi infinita ſunt beneficia Dei, ſi velis ſpecialiter gratias agere, nec per totam æternitatem gratias agendi finem facies. Sed vt hic affectus aliquos limites habeat, repetam breuiter formulam, ſecundùm quam gratias ages, eam ad aliquid applicando. Poſtea verò, ea pro quibus agendæ ſunt gratiæ in exercitia diuidam. Ad quodlibet verò punctum exercitiorum applicandus eſt affectus, & ſic habebitur latiſſima adhuc materia gratitudinis. Quam non oportet latiùs perſequi, quoniam (vt dictum eſt) cum illis loquimur, qui iam ſciunt ingredi, & egredi, & paſcua inuenire.

Formula affectus gratitudinis.

IN primo exercitio inferiùs ponendo dicitur, quòd Deo agendæ ſunt gratiæ, quia humanitati Chriſti Domini communicatum eſt eſſe verbi Dei. Circa hoc donum ſeu beneficium formandus eſt affectus, vt ſequitur, & idem mutatis mutandis fiet circa beneficia ſequentia.

1. Commemorabis quomodo Deus vnigenitum filium ſuum carne induerit, & hominem mortalem ac paſſibilem fecerit, & in hunc mundum ad redemtionem humani generis deſtinauerit.

2. Fateberis Deum eſſe huius myſterij ſanctiſſimi operatorem, in quo ſuam infinitam ſapientiam, bonitatem, potentiam & reliquas perfectiones oſtendit. Hoc voles, & de hoc ipſo, quòd Dominus ſit tanti operis molitor, & tanti beneficij largitor, maximè gaudebis.

3. Voles, & impensè gaudebis quòd Chriſtus Pater & Dominus tuus, ac caput tuum, eſſe diuinum habeat, & quòd ſit verus & naturalis filius Dei, & verus Deus, vnus eſſentia cum Patre & Spiritu ſancto.

4. Immenſas grates referes Deo, quia tale donum dedit Chriſto filio ſuo, & quia nobis omnibus non aliud caput, quàm ipſum ſuum filium donauit; & creaturas magis, aut minus generaliter, prout affectus cordis dictauerit, ad faciendas gratias inuitabis.

5. Offeres Deo in gratiarum actionem omnes affectus cordis tui, omnia opera, & labores tuos, vniuerſos affectus & obſequia iuſtorum, omnem amorem & laudem Sanctorum, & Angelorum, &

Tobiæ 12. 2.

Eccli. 43. 33.

Num. 6. 24.

Dan. 3. 52.

beatæ Virginis. Immo & offeres ipſum Chriſtum tibi in Principem & Redemtorem donatum, & omnes virtutes & perfectiones eius. Quid tibi dabo Domine pro hoc beneficio? Omnes bonas cogitationes, deſideria, & opera mea? Nihil eſt. Omnia obſequia iuſtorum qui in terris degunt? Parum eſt. Do tibi omnem amorem, & laudem omnium Sanctorum? Parum eſt. Do tibi omnem ſanctitatem Angelorum? Adhuc parum eſt. Do tibi omnem puritatem & merita virginis Mariæ? Adhuc parum eſt. Do tibi omnes perfectiones ſanctiſſimæ humanitatis Domini mei? Et offero etiam tibi, & do affectu deſiderij mei infinitam maieſtatem tuam, & immenſas perfectiones tuas, & omne bonum, quod tu habes, & es. Quod ſi (dato impoſſibili) non haberes, & ego haberem, id totum tibi darem. Et hæc recompenſatio, ſi non ex parte oblationis, quam ego facio, at ex parte rei oblatæ, æqualis beneficio eſt.

6. Statues illi magno feruore ſeruire, quia bonus & dignus eſt, & te in eius mancipium conſecrare, & os ad laudem, cor ad amorem, & manus ad opus aperire.

7. Petes à Domino, vt te filium adoptiuum faciat, & fratrem per gratiam filij ſui, & hæredem regni ſui; & idem aliis, prout diximus, poſtulabis. Si verò nolis plurimos dies in hoc affectu gratiarum actionis conſumere, quod opus eſſet, ſi in quolibet beneficio ex inferiùs attingendis affectus fieret, qui ſaltem vnam horam exigit, omnia beneficia facta Chriſto Domino ſimul commemorabis, & ſic de aliis, quo paucis diebus hunc affectum abſolues.

EXERCITIVM I.

De beneficiis factis humanitati Chriſti Domini.

Gratias ages beatiſſimæ Trinitati per affectum prędictum, quia dedit Ieſu Chriſto Domino noſtro,

1. ESſe diuini Verbi, & vt eſſet verus Deus, & filius naturalis Dei, minor quidem ſecundùm humanitatem, æqualis tamen Patri & Spiritui ſancto ſecundùm diuinitatem.

2. Gratiam capitis Angelorum & hominum, quos vt caput dirigit, & in quos vim ad operandum meritorie influit.

3. Dignitatem Regis totius vniuerſi, & ſacerdotis ſummi ſecundùm ordinem Melchiſedech, qui obtulit panem & vinum.

4. Gratiam habitualem in genere gratiæ infinitam, qua eſſet magis gratus, & acceptus Patri, quàm beata virgo, & omnes Angeli, & Sancti ſimul accepti.

5. Omnes virtutes, & omnia dona, & omnes gratias gratis datas.

6. Scientiam beatam infinitam, qua cognoſcit omnia, quæ fuerunt, erunt, & futura ſunt: ſcientiam quoque infuſam, & experimentalem.

7. Omnem poteſtatem in cœlo, & in terra, & quòd tanta admiranda operaretur.

8. Quòd tanta in vita ſanctiſſima ſua operaretur, & pateretur pro te.

9. Quòd reſurrexerit, & in cœlum aſcenderit, & ad dexteram eiuſdem Patris ſederit.

10. Quòd ibi vt Rex magnus & potens omnia gubernet.

EXERCITIVM II.

De beneficiis factis beatæ Virgini.

Gratias ages beatiſſimæ Trinitati per affectum prędictum, quia dedit virgini Mariæ,

1. DIgnitatem Matris Dei, qua nihil eſt in rebus creatis ſublimius, & excellentius.

2. Puritatem virginitatis ſimul cum maternitate, ita vt nec virginitas fœcunditatem adimeret, nec fœcunditas corruptionem inferret.

3. Exemtionem ab omni peccato originali, & actuali, ſic videlicet vt lunâ eſſet pulchrior, & Sole ſplendidior, & omnibus ſideribus clarior.

4. Gratiam ſuper omnes Angelos & Sanctos, virtutes perfectiſſimas, & tanta gratia dignas, dona, & prærogatiuas omnes, quas diuina liberalitas in Sanctos effudit.

5. Continuationem meritorum, ita nimirum vt ſemper mereretur, & numquam vigilans, nec fortè dormiens ſederet, ſed abſque vlla interruptione ad maiorem ſanctitatem tenderet.

6. Conuerſationem cum filio Dei per totam vitam Domini protelatam: quem vtero geſtauit, vlnis ſuſcepit, vberibus pauit, in omni corporali neceſſitate prouidit, & eius aſſiduo aſpectu & conuerſatione profecit.

7. Coronam virginitatis, martyrij, & doctrinæ: quoniam fuit virginum anteſignana, & eius ſanctiſſimam animam pertranſiuit gladius, & Apoſtolorum magiſtra extitit.

8. Abundantiſſimam gloriam animæ & corporis, qua ſuper omnes choros Angelorum, & ſuper omnem creaturam exaltata cognoſcitur.

EXERCITIVM III.

De beneficiis quæ Deus largitus eſt Angelis.

Gratias ages beatiſſimæ Trinitati ob bene-

1. QVòd eos fecit natura ſpirituales, immortales, & incorruptibiles, quibus ex fragilitate, ſeu conditione carnis, quam non habent, nulla imbecillitas, nullus interitus, nullus in corruptionum motus poteſt accedere.

2. Quòd perfecit hanc naturã quoad intellectum quidem ſapiẽtia perfectiſſima, qua Deum authorem naturæ, & omnia naturalia optimè cognouerunt, quoad voluntatẽ verò omniũ virtutum rectitudine, qua nihil mali admiſerunt. Item & potentia robuſtiſſima, qua ad nutum cœlos & omnia corporalia mouent. Ac motu agiliſſimo, quo ſe in ictu oculi vbicumq; voluerint conſtituunt.

3. Quòd inſuper hanc naturam abũdantiſſima gratia exornauit, ab omni culpa exemit. Fide, ſpe, & charitate, & omnibus virtutibus infuſis & ſupernaturalibus expoliuit. Meritis vniuerſarũ

ficia quibus ornauit Angelos. Hæc autẽ sunt:

virtutum impleuit, & breui durationeaptos ad recipiẽdam beatitudinẽ fecit.

4. Quòd gratiam & merita iuxta perfectionem naturæ & gloriam iuxta mẽsuram gratiæ & meritorum impertiuit, & in cœlestibns sedibus collocauit,& absque experimento alicuius miseriæ in statum beatitudinis extulit.

5. Quòd eos innumerabiles fecit, & summo ordine,ac mirabili dispositione in tres hierarchias, & nouem ordines distinxit, & summa pace ac concordia fœderauit.

6. Quòd eorum quosdam,vt sibi assisterent,alios vt ministrarent elegit,& istis inferioris mundi gubernationem, & hominum custodiam commisit.

7. Quòd custodem Angelum tuum omnibus donis,quæ ex his facilè colligũtur,exornauit,& eius ministerio suæ misericordiæ in te diuitias effudit.

EXERCITIVM IV.

De beneficiis quæ Deus largitus est Sanctis.

Gratias ages beatissimæ Trinitati, secũdùm affectum prædictũ ob beneficia in Sanctos collata; nimirum,

1. QVia quosdam illorum à prima ætate, & ante experimentum malitiæ, alios verò post multa peccata ad perfectionem vocauit.

2. Quia ita eos à peccatis purgauit, ac omnes sensus & vires eorum ita cõposuit, vt odor mali pæne non maneret in eis.

3. Quia ipsos virtutibus,donis, meritis,& laboribus, & afflictionibus pro eius gloria perpessis ad magnam mentis puritatem sublimauit.

4. Quia eos fecit actione & bonis operibus conspicuos, & contẽplatione ac Dei familiaritate perfectos. Et orationibus,atque exemplis, & verbis eorum plurimos ad viam salutis adduxit.

5. Quia sanctissimam eorum vitam pretiosissima in conspectu eius, ac fœliciſſima morte perfecit. Et multis eorum cõcessit vt pro eo sanguinem funderent,ac vitam prodigerent.

6. Quia eos in cœlesti patria immensa gloria cumulauit, & in reges, ac sacerdotes,vt cum Christo in perpetuum regnarent,admisit.

7. Quia eorum interceſſione mirabilia patrat,& nobis plurima bona tum spiritualia tum temporalia præstat.

EXERCITIVM V.

De beneficiis, quæ Deus præstat iustis in hac vita degentibus.

1. PErfectorum defectus, culpas, & imperfectiones patientissimè sustinet,benignissimè punit, & quottidie septies cadentibus casus & peccata remittit.

2. Eos per sapientiam & scientiam Sanctorũ illuminat,& sui notitiam, & agendorum ac vitandorum illis donat, vt à malis fugiant,& bona faciant.

Gratias ages beatissimæ Trinitati ob beneficia, quæ tribuit iustis,maximè perfectis. Hæc autẽ sunt,

3. Illos inflãmat amore ardẽtissimo, quo Deum & proximos diligunt,& desiderio veræ virtutis,ac rerũ cœlestium quo terrena & visibilia contemnunt.

4. Eos roborat vt nõ solùm præcepta custodiant,sed etiã consilia obseruanda suscipiant, & opera verè magna, & ad quæ fragilis eorum natura non sufficit, ad maius ipsorum meritum, & proximorum vtilitatem perficiant.

5. Ipsos potentissimè à malo retrahit,& murus igneus est in circuitu illorũ,ne in aliquod graue peccatũ cadant, & gratiam & sanctitatem amittant.

6. A tribulationibus eripit vel eas præueniendo,vel sustinentiam tribuendo,& cùm oportet ad salutem ipsorum eas penitus dissipando.

7. Eorum orationes exaudit, & ipsis ac aliis ad petitionem ipsorũ beneficia præstat,& studio cõtẽplationis lętificat.

8. Victores mundi,diaboli,& carnis facit, & vt ex tentationibus fructum reportent,concedit.

9. Vitam cœlestem instituant,& Angelis similem, & ab aliorum communium hominum cogitationibus, desideriis,& curis alienam.

10. Vitam hanc sancta morte claudunt, & præmium cuius gratia creati sunt,consequuntur.

EXERCITIVM VI.

De beneficiis quæ Deus largitur peccatoribus.

Gratias ages beatissimæ Trinitati ob beneficia, quæ tribuit peccatoribus scilicet,quia

1. PEccatores patientissimè sustinet, & inter eorum magna & innumera flagitia,non vno tantùm,aut duobus,sed multis annis silet.

2. Eos benignissimè vocat concionibus,exemplis bonorum,inspirationibus, terroribus prosperis & aduersis euentibus,& si reuertantur, misericordissimè admittit.

3. Si iterum & millies à se per peccatum fugiant,millies vocat,& inuitat, & numquam redeunt, quin admittantur,nec vmquam repelluntur.

4. Dat illis omnia auxilia necessaria vt conuertantur, & salui fiant.

5. Si aliquid boni faciant, nõ despicit,nec cõtemnit,sed ex eo occasionem illos inuitandi & conuertendi sumit.

6. Ipsis temporalia non negat,immo sæpe honoribus, diuitiis, & voluptatibus cumulat.

7. Post vitam malè & vitiosè consumtam multos eorum in morte saluat, & efficacissimis auxiliis à laqueis diaboli educit.

EXERCITIVM VII.

De beneficiis collatis in totam Ecclesiam.

1. ECclesiam Catholicam,id est,cõgregationem fidelium in domum elegit, & extra eam nulli aut notitiam supernaturalium veritatum, aut media

ad bene viuendum,aut aditum ad salutem æternam concedit.

2. Ecclesiæ principem,ac supremum caput voluit esse Christum vnigenitum filium suum,à quo gubernatur,& regitur, qui etiam ei sensum, id est, cognitionem veritatis, & motum charitatis, virtutum, & meritorum, & omnem pulchritudinem elargitur.

3. Spiritum,& animum Ecclesiæ dedit Spiritum sanctum suum: ab eo viuificamur, eo compaginamur, vt eiusdem corporis membra, & mirabiliter continemur.

4. Confert in eam doctrinam veritatis, qua cognoscant homines Deum, & seipsos,cœlestia,& terrestria, præterita,præsentia,& futura absque vlla admixtione erroris, & per hanc doctrinam in omni virtute proficiant.

Gratias ages sanctissimæ Trinitati ob beneficia data Ecclesiæ. Quòd

5. Legem euangelicam purissimã & sanctissimam in omnibus præceptis & consiliis suis tulit, quæ omnem virtutem præscribit, & nullam nec minimam imperfectionem admittit.

6. Gratiam & auxilia abundantissima ad custodiendam hanc legem, quibus fideles ad perfectionem aspirantes, puritatem huius legis in sua conuersatione exprimunt, & possibilem, immo & facilem esse illam sanctitatem,quam lex docet,ostendunt.

7. Sacramenta excellentissima quorum præsidio gratiæ auxilia ad omnem necessitatem in vita & in morte consequimur,& sacrificium sanctissimũ,quo non aliud Deo, quàm Filij eius Iesu Christi corpus & sanguinẽ offerimus.

8. Efficaciam orationum. Nam magna petit,& obtinet,& ob capitis merita corpus Ecclesiæ in prosperis & aduersis sibi diuinũ numen adesse sentit.

9. Miram pulchritudinem ex varietate,& proportione,& ordine statuum & officiorum Ecclesiasticorum prouenientem, quæ eius conseruationi & augmento deseruit.

10. Perpetuitatẽ qua ab initio mundi incipiens vsque ad finem permanebit,ita vt portæ inferi non prævaleant aduersùs eam. Et post diem iudicij in cœlum translata in æternum glorioſa ad dexteram sui sponsi sedebit.

EXERCITIVM VIII.

De beneficiis specialibus tam nobis,quàm aliis donatis.

1. OB beneficia naturæ huc vsque tibi donata, vt quòd te in vtero matris seruauit,& aluit,quòd vitam, & sensum,& motum dedit,quod ingenio,iudicio, incolumitate corporis, & aliis similibus cumulauit.

2. Ob beneficia gratiæ, quòd te in Baptismo à peccato originali abluit, quòd filium suum,& Christi fratrem,& regni hæredem per gratiam gratum facientem fecit,& efficacissima auxilia ad bene viuendũ & perseuerãdũ attribuit.

3. Ob merita quæ hactenus habuisti, quæ sunt dona eius, & ob ea quæ perdidisti,quia per ipsum nõ stetit,quin ipsa conquireres.

4. Ob afflictiones,pressuras, inualetudines, & tribulationes quas sustinuisti,quoniam illis tamquam tunsionibus nonnihil expolitus es.

Gratias ages beatissimæ Trinitati:

5. Ob hæc eadem quæ nunc in præsenti recipis,quia nunc bona naturæ,& gratiæ, & auxilia ad bene operandum experiris.

6. Ob dona futura, quæ vsque ad finem vitæ recipies, quæ in vtroque genere naturæ & gratiæ tibi parata sunt. Præsertim ob illud donorum donũ beatitudinis,quod te accepturum speras.

7. Ob bona tam naturæ quàm gratiæ,quæ confert in proximos tuos tum amicos, tum inimicos. Hæc enim tibi etiam donantur, quia his qui ad te attinent,tribuuntur.

8. Ob opera misericordiæ & iustitiæ quæ in cœlo,& in hoc mundo,& in inferno ad ostensionem suæ æquitatis exercet.

Sic ergo generaliter poteris pro beneficiis tibi ac proximis exhibitis gratias agere,vel certè secundùm quod ea suprà libro tertio notauimus, ad particularia descendere. Quomodocumque autem ea recenseas,meminisse oportebit immensæ maiestatis donatoris, amoris, ac largitatis qua sua bona effundit. Item diligenda sunt dona, sed multo magis dator donorum. Statues bene vti beneficiis acceptis, & ea Domino restituere, vt sicut Martyres sanguinem quem receperunt, ad gloriam Domini profuderunt, ita & tu vitam,& salutem,& vno nomine omnia & singula bona quæ recipis in Dei tui gloriam impendas, & ei per bonum vsum restituas.

De affectu laudis Dei.

CAPVT XIV.

AFFECTVS laudis nunc proximè ex amore, nunc ex gratiarum actione procedit. Amor efficit vt eos quos diligimus in præsentia & absentia laudemus, adeò vt laudatio in ore alicuius resonans manifestum esse soleat amoris intus in corde latẽtis iudicium. Gratitudo quoque ad laudes prouocat,dum is, qui accipit beneficium,benefactoris sui virtutes & largitatem prædicat. Amoris Dei est laudes & corde voluere, & ore proferre. Non enim mortui,inquit sanctus Dauid, morte scilicet peccati,laudabunt te Domine, neque omnes qui descendunt in infernũ. Sed nos qui charitate viuimus, benedicimus Domino. Vnde Richardus Victorinus sic scribit: Attende nunc animum aliquem nimium amantem,& nimio amore feruentem; attende quid sentiat, quid secum loquatur de eo quem multum amat, quem valde miratur. Quid ergo dicit? Quid secum tacitus loquitur? O, inquit, quàm bonus, quàm benignus! O quàm suauis, quàm dulcis! O quàm amandus, quantum amplectendus, quàm totus admirabilis, quàm totus desiderabilis! O beatum quem amat, ô fœlicem quem

Amantis est laudare amatum. Psal.113. 17. Richard. Beniamin.min. c.12.

suo amore dignum iudicat. Me fœlicem, si eo frui liceat: me beatum, si eum possidere contingat.] Nec solum amor laudes profert, verùm & laudum diuinarum vsurpatione crescit. Quare idem magnus contemplator alio loco ait: Satage & tu confiteri, mirari, venerari Dei potentiam, Dei sapientiam, Dei misericordiam, & certus sis, quia quanto plus laudabis, tanto ardentiùs amabis. Ne te ergo pigeat diuinam gratiam multum laudare, vt multum ames, multum amare, vt multum desideres. Quanto enim vehementiùs desiderabis, tanto citiùs obtinebis, quòd multum concupiscis.

Richard. tract.1. de exterminatione mali, & promotione boni c.4.

Gratiarũ actio ad laudes excitat. Tobiæ 12. 6. Richard. lib.2.de erudit.inter.hom. p.2.c.21.

Quòd verò gratiarum actio ad laudes Dei promendas impellat, docet illud Angeli ad Tobiam, dum incepit Dei beneficia enarrare: Benedicite Deum cœli, & coram omnibus viuentibus confitemini ei, qui fecit vobiscum misericordiam suam.] Ad quod etiam Richardus ait: Accepto beneficio lauda & tu, vt merearis ad maiora proficere: promotus ad sublimiora nihilominus lauda, vt merearis in ipsis perseuerare. Si iuxta similitudinem Nabuchodonosor sensum tuum recepisti, si quæ agenda sunt, intelligere potuisti, lauda, glorifica, vt quod accepisti ex reuelante gratia posse intelligere, detur, ex aspirante gratia posse implere. Si iuxta eiusdem Nabuchodonosor similitudinem regnum tuum recepisti, si passionibus tuis dominari potuisti, si bonos affectus in bono posse exercere accepisti, lauda, magnifica glorifica, vt qui accepisti gratiam proficiendi, accipias pariter & gratiam perseuerandi. Libenter ergo lauda summè bonum, glorifica summè beatum, magnifica maiestate immensum, æternitate infinitum. Quia omnia opera eius vera, & viæ eius iudicia.] Nascitur ergo laus ex beneficiis Dei, quæ etiam ipsa laude, vt ab ipso quem laudamus custodiantur, & augeantur absque dubio promeremur. Est ergo hic affectus proprius amatorum Dei, quare anima in hoc statu in quo ad amorem vocatur, debet illum affectui amoris, & gratiarum actionis adiungere.

Quid sit laus.

Laus Dei est sapida quædam cognitio maiestatis & perfectionis diuinæ, ejúsque per verba interiora & exteriora magnificatio, & exaltatio. Sic ferè definiuit Chrysostomus. Laus, inquit, seu laudatio est diuinorum miraculorum commendatio. Laus enim nihil est aliud, quàm eius quod laudatur, amplificatio.] Est autem religionis actus, sicut & actio gratiarum. Quare laus nomen sacrificij sortita est. Immola Deo sacrificium laudis. Et: Sacrificium laudis honorificabit me. Et: Tibi sacrificabo hostiam laudis, & nomen Domini inuocabo. Augustinus profectò sic scribit quodam loco: Ad me redeam, in me inueniam laudis immolationem. Ara tua conscientia tua. Securi sumus, non imus in Arabiam thus quærere, non sarcinas auari negotiatoris excutimus. Sacrificium laudis quærit à nobis Deus. O sacrificium gratuitum gratia datum! Non quidem hoc emi quod offerrem, sed tu donasti. Nam nec hoc haberem.] Et Lactantius: Summus colendi Dei ritus est ex ore iusti hominis ad Deum directa laudatio. Certè religio est cultus Dei, laude autem maximum ei cultum offerimus, ei nos submittimus, ac magnum ipsum, ac omni honore & reuerentia dignum prædicamus.

Chrysost. proœmio. 2.in Psal mos. Psal.49. 6. Psal.49. 23. Psal.115. 17. August. ad Psal. 49.

Lactant. lib.6.c. vlt.

Causæ prouocantes ad laudem sunt primò, vt diximus, amor Dei, & gratitudo. Deinde sanctus timor Dei. Nam, qui timetis Dominum, laudate eum, vniuersum semen Iacob glorificate eum. Rursus humilitas. Hæc enim impulit Iob vt Deum in tribulatione laudaret, vnde bonis suis orbatus ex humilitate dixit: Dominus dedit, Dominus abstulit, sit nomen Domini benedictum.] Et Augustinus: Esto humilis, si vis benedicere Dominum, in omni tempore, & semper laus eius sit in ore tuo. Ad hæc vitæ puritas, non solùm quia ipsa vita immaculata est quædam Dei laus, sed etiam quia mens pura ipsa sua puritate ad Dei laudes canendas incitatur. Non est, inquit Ecclesiasticus, speciosa laus in ore peccatoris.] Ergo in ore iusti speciosa est, qui per gratiam ad omne illud quod est speciosum, & Deo gratum allicitur. Tandem consideratio diuinæ maiestatis, ac perfectionum Dei, & operum, & beneficiorum eius, quæ dum nos in admirationem rapiunt, Dei laudatores efficiunt.

Quæ ad laudem Dei prouocent. Psal.21. 24.

Iob 1.21. August. ad Psal. 33.

Eccli.15. 9.

Est autem triplex Dei laus. Prima operis, vt ita dicam, quæ ipsa rerum omnium natura, & operationibus fit, quatenus creaturæ suis perfectionibus Deum laudabilem ostendunt, & aspicientes ac considerantes ad laudes promendas excitant. Sic cœli enarrant gloriam Dei, & opera manuum eius annuntiat firmamentum. Laudant eum sol, & luna, laudant omnes stellæ, & lumen. Et Chrysostomus ad eumdem locum: Quomodo autem poterunt, dixerit quispiam, ea laudare, quæ neque vocem habent, nec linguam, nec animam, nec rationem? Quoniam duo sunt modi laudandi, gloriáque & honore afficiendi: vnus quidem per verba, alius verò per ipsam creaturam, vt cùm ipse dixit: Cœli enarrant gloriam Dei, opera autem manuum eius annuntiat firmamentum. Ita hîc etiam laudat eum creatura pulchritudine, positione, magnitudine, natura, vsu, ministerio, constantia, vtilitate, quæ ex eis proficiscitur. Quando ergo dicit: Laudate Dominum Angeli, virtutes cœli, luna, sol, stellæ, aqua quæ est super cœlos, hoc dicit: Vnumquodque eorum quæ facta sunt, dignum esse sapientia effectoris, & esse plenum magno miraculo. Hanc ergo dicit laudem pulchritudinem eorum quæ facta sunt, quæ ei qui illa fecit laudes & hymnos comparat.] Sic ille. Secunda laus est vocis, quando voce humana, aut sono instrumentorum musicorum laudes Deo canimus. De qua Dauid: Cantate Domino canticum nouum, laus eius in Ecclesia Sanctorum. Laudent nomen eius in choro, in tympano, & psalterio canant ei.] Et in Apocalypsi: Laudem dicite Deo nostro omnes serui eius, & qui timetis eum pusilli & magni.] Tertia est laus mentis, siue spiritus, quando sine aliqua voce Deum interiùs veneramur, & mirabilem agnoscimus, & ob suam maiestatem, aut ob beneficia ab eo recepta, non tam quia bona nostra sunt, quàm quia opera mirabilia eius, ipsum extollimus. Hæc est laus Angelorum, qui corpora non habent, nec voces edunt. Ad eámque inuitantur illis verbis: Laudate eum omnes Angeli eius, laudate eum omnes virtutes eius.] Et: Beati qui habitant in domo tua Domine, in sæcula sæculorum laudabunt te.] De hac ergo laude nos loquimur. Tu ergo, qui Dei perfectiones contemplaris, qui Deum diligis, qui eius opera admiranda animaduertis, qui ab eo tot ac tanta beneficia recipis, in hoc genus laudis multas

Triplex Dei laus.

Psal.18. 2. Ps.148. 3. Chrysosto.ibid.

Psal.48. 1.

Apocal. 19.5.

Ps.148. 2. Psal.83. 5.

Bernar. ser.9.in Cantic. Psal.83. 5.

horas libenter impende. Scito, quia, vt dixit Bernardus, nihil ita propriè quemdam terris repræsentat cœlestis habitationis statum, sicut alacritas laudantium Dominum, Scriptura dicente: Beati qui habitant in domo tua, Domine, in sæcula sæculorum laudabunt te.] Quasi habitator igitur cœli effectus, quia conuersatio tua in cœlis est, libenter post amorem & gratiarum actionem in Dei laudes incumbe. Immo ex his quasi funiculum triplicem texe, qui numquam in æternum rumpatur. Ex amore ad gratias agendas & laudes egredere, & ex laudibus ad amorem recurre, & sic mirum in modum puritate proficies. Accipe nunc formulam, qua in laudibus promendis vtaris.

Formula faciendi laudes Deo.

1. DOminum nominibus magnificis compellabis, vt sapientissimum, optimum, potentissimum, clementissimum, omnium misericordiarum factorem, & eum dignissimum omni honore & laudatione fateberis. Nam si laus debetur excellentiæ alicuius, & beneficiis, quæ effundit, & admirandis operibus, quæ facit; tu Domine es omnium bonorum & perfectionum abyssus, à te omnia beneficia recipimus, & admirabilium operum authorem agnoscimus, quídni omni laude dignissimum prædicemus.

2. Fateberis omnes creaturas debere laudibus Dominum celebrare, quoniam omnes & singulæ ab ipso factæ sunt, quoniam ab ipso receperunt quidquid habent, & sunt, & in se habent aliquam imaginem, aut aliquod vestigium excellentiæ eius.

3. Fateberis nec te, nec vniuersa creata ad eius laudem sufficere, quia dignus est omni laude, & si à cunctis in æternum laudetur, superualebit adhuc. Gratiásque ages, quia licèt tam exilis, & pæne nulla sit laus tua, eam tamen non reiicit, sed vult à te vtcumque laudari. Item rogabis eum, vt ipse se laudet, & amet, vt digna sua magnitudine laus sibi deferatur.

4. Laudabis eum propter perfectiones ipsius, vnam, aut plures sigillatim, aut omnes generaliter, aut propter beneficia eius à te, & ab aliis accepta, aut propter opera eius, naturæ, vel gratiæ, vel gloriæ, prout infrà disposita sunt, aut demum propter aliquod illorum, enarrans magnitudinem, perfectionem, pulchritudinem, & vtilitatem illius operis, prout spiritus feruoris suggesserit.

5. Inuitabis teipsum ad laudes Domini, & omnes sensus & vires tuas, & membra corporis tui, sicut faciebat Dauid: Benedic anima mea Dominum, & omnia quæ intra me sunt nomini sancto eius. Sic ô oculi mei laudate Dominum Deum vestrum, qui vos luce perfudit, & tot ac tantas pulchritudines præparauit. O aures meæ glorificate Dominum, quia vos virtute ad audiendum sapientiæ sermones implcuit. Vel laudant te Domine magne, & potens oculi mei, laudant & glorificant te aures meæ, quia hoc, & illud fecisti, & sic discurrendo per reliqua.

6. Inuitabis Angelos & Sanctos ad laudes Deo canendas, vel generaliter omnes, vel specialiter, vt Seraphim, Cherubin, Apostolos, Martyres, vel adhuc aliquos in singulari, vt B. Virginem, Ioannem Baptistam, Petrum, & Paulum, & sic de reliquis. Hoc autem vel loquendo cum ipsis, vt: Benedicite Angeli Domini Dominum: laudate, & superexaltate eum in sæcula, vel loquendo cum ipso Domino, laudet & exaltet te, ô Domine, beata virgo Maria sponsa tua, & mater vnigeniti tui, laudet te Ioannes præcursor Redemtoris nostri, quia fecisti hoc vel illud, aut quia es sapientissimus, &c.

7. Inuitabis similiter creaturas alias cœlestes & terrestres ad laudandum Dominum, vel omnes simul, vel aliquas sigillatim, ad quod optimus est hymnus trium puerorum. Et hoc etiam duobus modis fieri potest, vel loquendo cum ipsis creaturis, vel cum ipso Domino, ô Domine, laudet te cœlum, superexaltet te terra, &c.

8. Amabis Dominum, & gaudebis de perfectionibus, & operibus eius, & quòd sit tam dignus omni laude, honore, & exaltatione.

9. Postulabis tandem aliquid quod cognationem habeat cum ea perfectione diuina, aut opere illo, quod laudas, aut cuius gratia Dominum exaltas.

10. Hæc est formula affectus laudis ad quamque materiam applicanda. Materia autem diuinæ laudationis infinita est, quia infinitæ sunt perfectiones eius, & innumerabilia opera eius. At vt aliquid pro materia laudis assignemus, ponendæ sunt ante oculos septem causæ laudandi Dominum quas sanctus Bonauentura prosequitur, & in singulis punctis cuiuscumque causæ, vel in omnibus simul hunc affectum exercebimus, & ad Deum laudandum assurgemus.

Bonau.7. pro cessu relig.c.5.

EXERCITIVM I.

De laude Dei ab eius potentia ostensa in creatione.

1. LAudabis Dominum ob admirabilem potentiam ostensam in creatione. Quia nimirum ex nihilo tam multa, tam varia, tam solida, tam perfecta, tam virtutis plena subitò creauit.

2. Quia cœlos condidit tam immensos, tam pulchros, tam mobiles, & ab omni corruptione alienos, eósque sole, luna, stellis, & miris virtutibus exornauit, vt in res sublunares & inferiores influerent.

3. Quia cœlum empyreum regiam suam & Beatorum sedem quietam & tranquillam extruxit, eámque Angelis repleuit, quorum perfectio est inæstimabilis, multitudo verò omni intellectui humano incomprehensibilis.

4. Quia elementa produxit, & ita decenter composuit vt se inuicem seruarent, ac tanta mixtorum & animalium multitudine decorauit.

5. Quia hominem ad imaginem & similitudinem suam fecit, gratia & iustitia originali vestiuit, ad finem supernaturalem ordinauit, & lapsum mirabiliter erexit.

EXERCITIVM II.

De laude Dei ab eius prouidentia ostensa in gubernatione.

1. LAudabis Dominum ob eius infinitam sapientiam, qua nouit omnium rerum substantias, proprietates, virtutes, operationes, causas, quare singulæ sunt, ac mirabiles effectus, ita vt ipsum nihil omnino lateat.

2. Quia singulari prouidentia omnia ordinat in finem gloriæ suæ, & in fines particulares

cuiuſque rei, gloriæ ſuæ, & oſtenſioni ſuæ maieſtatis ſeruientes, & numquam ſinit aliquid ab ordine ſuæ diſpoſitionis exire, nec à præſcriptis limitibus exorbitare.

3. Quia ſingulis rebus media conuenientia dedit, quibus fines ſuos aſſequerentur, & ſuauiter fortitérque attingens à fine vſque ad finem earum omnium curam ſpecialem habet.

4. Quia facit vt omnia creata cedant bonis in bonum per eius miſericordiam, & malis ſeu reprobis in malum per eius æquitatis iuſtitiam.

5. Quis erga homines præſertim iuſtos ſe habet ceu pater erga dilectiſſimos filios, quos per mille pericula, & anfractus vſque ad aſſecutionem fœlicitatis perducit.

EXERCITIVM III.

De laude Dei ab eius miſericordia oſtenſa in redemtione.

1. LAudabis Dominum ob eius immenſam miſericordiam, qua decreuit genus humanum redimere. Quia videlicet miſit vnigenitum filium ſuum, vt homo fieret, & pro nobis ſatisfaceret, & pretium noſtræ redemtionis exolueret.

2. Quia filius Dei homo factus in terris viſus eſt, & cum hominibus conuerſatus eſt, & omnium virtutum, præſertim humilitatis & manſuetudinis exemplum factus.

3. Quia doctrinæ ſuæ ſanctiſſimæ prædicatione, & miraculorum exhibitione, & præcipuè gratiæ intellectum interiùs illuminantis, & voluntatem afficientis infuſione, homines ab errore reuocauit, & ad veri Dei cultum & cognitionem adduxit.

4. Quia pro nobis famem, ſitim, algorem & æſtum, rerum penuriam, iniurias, contumelias, verbera, & ſpinas, crucem, & mortem ſuſtinuit, vt his fratribus ſuis, qui ſumus nos, peccatorum remiſſionem, veram iuſtitiam, & beatitudinem compararet.

5. Quia immortalis, impaſſibilis, & glorioſus reſurrexit, & nobis ſpem reſurgendi tribuit, atque aſcendens in cœlum, ianuam vt nos ingrederemur aperuit, & locum ac ſedem cuique prædeſtinatorum, vt beatificetur, parauit.

EXERCITIVM IV.

De laude Dei ab eius ſuſtinentia in hominum iuſtificatione.

1. LAudabis Dominum ob ineffabilem ſuſtinentiam, & manſuetudinem, qua peccatores maxima & plurima flagitia patrantes tolerat, benigniſſimè vocat, & præmiorum & pœnarum propoſitione inuitat, & tandem à peccato extrahit, & ad ſuam gratiam & amicitiam admittit.

2. Quia dat illis auxilia efficacia vt merita vitæ æternæ habeant, & occaſiones prouidet, vt in omni virtute & ſanctitate creſcant, & multos illorum à viſibilium amore abſtractos ad magnam ſecum familiaritatem recipit.

3. Quia Sacramenta inſtituit, & gratiæ vaſa effecit, quibus non ſolùm abundantiorem gratiam iuſti promererentur, & à peccatis ſeruarentur, verùm vt ſpecialia auxilia ad omne opus bonum acciperent.

4. Quia facit iuſtos templa ſpiritus ſui quem recipiunt ad compunctionem, ad conſolationem, ad virtutum augmentum, ad gratiarum operationes, & ad obtinendam omnem puritatem.

5. Quia in his omnibus liberum arbitrium non tollit, nec lædit, ſed illuſtrationibus, & auxiliis ſuis efficaciter & ſuauiter ad odium mali, & amorem boni allicit.

EXERCITIVM V.

De laude Dei ab eius iuſtitia in malorum punitione.

1. LAudabis Dominum ob eius ſummam æquitatem & iuſtitiam, qua odit omne vitium, & deteſtatur omne peccatum; amat autem omnem virtutem, & acceptat omne bonum, quamuis exiguum, & ſine præmio non relinquit.

2. Quia nullum malum impunitum eſſe patitur, & cùm non furore, ſed iudicio puniat, culpam & pœnam æquitate menſurat, ita vt quantum quis ſe glorificauit in deliciis, tantum recipiat tormenti, & luctus.

3. Quia pro ſumma bonitate ſua de malis elicit bonum, & de peccatis reproborum augmentum virtutis, & coronam prædeſtinatorum, & oſtenſionem patientiæ ſuæ, facítque vt iuſtitiæ ſuæ ſeruiant ad pœnam, qui volunt ſubeſſe culpæ.

4. Quia quæ mali conuertunt ad peccatorum & iniquitatum inſtrumentum, conuertit ipſe ad pœnæ cumulum. Corpore deliquerunt, corpore combuſtionem ſentient. Intellectum ad temporalia conuerterunt, intellectu & conſcientia accuſabuntur, tempus in peccato conſumſerunt, ſine fine & in æternum punientur.

5. Quia impiorum pœnam ordinat ad bonorum lætitiam, qui lauabunt manus ſuas in ſanguine peccatorum, & de euaſione, per gratiam, tantorum malorum gaudebunt.

EXERCITIVM VI.

De laude Dei ab eius largitate in bonorum remuneratione.

1. LAudabis Dominum ob ſummam eius largitatem, qua præmio afficit bonos. Quia videlicet iuſti accipient gloriam ſpirituum, & corporum. Spiritu faciem Dei videbunt, & oculis corporis humanitatis Chriſti aſpectu gaudebunt, & ſpiritus ac corporis omni perfectione cumulabuntur.

2. Quia Deus certos & ſecuros illos reddet, quòd numquam in æternum illam fœlicitatem amittent. Vbi ſatiabuntur ſine faſtidio, & deſiderabunt ſine dolore, qui admiſceri ſolet deſiderio, & omnis timor cadendi procul erit ab eis.

3. Quia videbunt omnia ſibi conuerſa in bonum, mala & bona, propria, & aliena. Nam malis pœnæ purgati ſunt, & malis culpæ humiliores facti, & malis aliorum à quibus liberati ſunt, ad gratiarum actionem prouocati.

4. Quia gaudent & exultant de fœlicitate aliorum, ac de propria ſua; vnde tam multipliciter lætantur, quàm multiplex eſt omnium beatorum fœlicitas.

5. Quia gaudent ſe diligi à Deo, & exultant indicibiliter de infinitis bonis Dei. Quantus eſt

amor, tantum est gaudium, & nihil aliud nouerunt nisi intueri, amare, & exultare.

EXERCITIVM VII.

De laude Dei à multiplici eius perfectione.

1. LAudabis Dominum ob eius infinitam perfectionem, vt quia est vnus essentia, & trinus personis, Pater, Filius, & Spiritus sanctus: ita vt nec summa vnitas auferat Trinitatem, nec vera personarum distinctio tollat summam Deitatis vnitatem.

2. Ob perfectiones quas habet in se, vt quia est sapientissimus, optimus, potentissimus, sanctissimus, benignissimus, & quia omnes istæ, & reliquæ eius perfectiones sunt vna simplicissima perfectio.

3. Ob perfectiones quas habet ad te, vt quia est omnium rerum creator, solertissimus conseruator, prouidentissimus gubernator, qui omnia fecit, omnia custodit, omnia in suos fines efficaciter & suauiter dirigit.

4. Ob officia quæ habet erga te. Quia nimirum est Pater tuus, Magister, & Medicus, Saluator, glorificator, atque protector, delitiæ, diuitiæ, & gloria. Et quia ipse tibi sufficit, & omnia bona facit in te.

5. Quia tandem est vltimus finis tuus, in quem tendis, & quo adepto quiesces. Lauda igitur, benedic, magnifica, confitere, honorifica, superexalta, atque glorifica hunc Dominum Deum tuum, qui omne bonum est in se, & omne bonum est tibi, qui ab omnibus laudetur in sæcula sæculorum. Amen.

Has septem caussas laudationis diuinæ præ oculis habebis. Sed multa alia sunt, quæ tu certis temporibus ad promendas Dei laudes assumes. Nam & laudandus est ob perfectiones humanitatis Christi Iesu, ob virtutes sanctissimę Virginis & Sanctorum, ob ea multa & mira quæ fecit, & facit in te, & in fratribus tuis, & in sanctis Ecclesiæ congregationibus, & ob euentus prosperos, & aduersos, in quibus omnibus Deus dignus laude & reuerentia nobis ostenditur. Atque hæc, quæ de amore, gratiarum actione, & laude Dei diximus, sunt meditationis fines, & contemplationis perfectæ initia; ex quibus anima solet Dei beneficio ad illum amorem quietum efferri, de quo suprà diximus, & ad gradus contemplationis quos sub alio principio declarabimus, sublimari.

ORATIO.

O Domine Deus meus, ô lux mea, ô quies, & decor, & gloria animæ meæ, laudo, & benedico summam misericordiam tuam, quia me ad hoc condidisti, vt te cognoscerem, cognoscendo diligerem, diligendo opera veri amatoris facerem, & operando teipsum brauiùm mei cursus, & coronam mei certaminis, ac immensum meum bonum obtinerem. Et nunc, Domine, id desidero, id in votis habeo, id ardentissimè concupisco, cuius gratia conditus sum. Da mihi vt cognoscam te, & ad finem inquirendi & inuestigandi perueniam, & te lucem splendidissimam non solùm me continentem, sed intra me existentem dono sapientiæ perfusus aspiciam. Da vt diligam te, vt in omni loco & tempore amore ardeam, sed præcipuè in secessu, quo ad tecum conuersandum ab omnibus occupationibus & creaturis separor, totus amoris affectibus, & gratiarum actionis & laudis inhæream. Tu summum & incommutabile & æternum bonum, diligam te. Tu fons perennis bonorum, qui singulis momentis innumeras in me miserationes effundis, gratias agam tibi. Tu operum magnificorum patrator, nimis laudabilis, laudem & magnificem te in tota vita mea, vt ex hoc imperfecto amore, & his interruptis gratiarum actionibus, & laudibus, ad perfectum amorem patriæ cœlestis & ad perennes tuas laudes transeam. Amen.

FINIS LIBRI QVARTI.

APPENDIX

AD LIBRVM QVARTVM

DE AFFECTIBVS ORATIONIS MENTALIS.

QVIA non omnes indigent tam lata affectuum expositione; immo postquam semel aut bis quæ fusè scripta sunt legerint, vtilius erit orantibus, breuissima affectuum puncta tenere, & colloquiis à se dispositis cordium suorum affectus exprimere, visum est nobis exercitia incipientium & proficientium, quæ in quarto libro fusè descripsimus, breuiter ad quamdam summam reuocare. In initio autem cuiusque breuissimam considerationem ponimus, non quia hi affectus ex meditatione eorum, quæ incipientibus & proficientibus libro tertio obtulimus, eliciendi non sint, sed vt qui modico discursu afficitur habeat in hac summa vnde sine recursu ad meditationes faciliùs inflammetur.

PARS PRIMA

De affectibus ad expulsionem mali pro incipientibus.

A

Vt appetas Deum vltimum finem.

EXERCITIVM I.

CONSIDERA te à Deo creatum fuisse, non vt visibilia sectaris, sed vt eum cognoscas, & timeas, & diligas, vt ei seruias, & eius mandata custodias, vt filium eius Iesum Christum imiteris, & post hanc vitam, gloriam æternam consequaris.

1. Gratias ages Domino, quia te non ad seruiendum creaturis, sed ad seruiendum illi ipsi, & ad obtinendam eum Angelis gloriam creauit; & Angelos & Sanctos ac omnes creaturas ad agendas pro hoc tanto beneficio gratias inuitabis.

2. Gratias ages, quia postquam ad vsum rationis venisti, te multoties vocauit terroribus, minis, promissionibus, & blanditiis; & nunc te vocat vt animam tuam mundet, & ditet, & tranquillet, & gratificet, & tandem in æternum beet.

3. Statues omnia mundi relinquere, diuitias, voluptates, honores, & solum Deum, in quo omne bonum est, quærere, & illi soli famulari.

4. Constitues suasiones mundi non audire, ad diaboli tentantis verba non attendere, carnis pellicientis sermones non auscultare.

5. Propones actus fidei frequenter elicere, & diuina mysteria per meditationem euoluere; Deum timere & reuereri; & diligere super omnia, & mandatis eius obedire.

6. Propones etiam ex rebus creatis eas admittere, quibus ad Deum acceditur; eas respuere, quibus cursus ad Deum aut impeditur aut retardatur.

7. Ad hæc omnia præstanda auxilium postulabis.

Vt omnia tum spiritualia tum temporalia propter Deum tuum finem requiras.

EXERCITIVM II.

CONSIDERA quàm magna & multa dedit tibi Dominus, vt hunc tuum finem assequaris. Horum quædam sunt supernaturalia, quædam naturalia. Dedit tibi Christum filium suum, quem imiteris, Angelos & Sanctos, quorum exemplis & intercessionibus adiueueris; gratiam, virtutes, & dona, quibus gratus & pulcher efficiaris. Dedit tibi vitam, corporis incolumitatem, ingenuum iudicium, bonum nomen, & breuiter omnia visibilia, quæ tibi seruiunt, vt seruias ei.

B

1. Gratias ages Domino, quoniam in sacramento Baptismi gtatiam te gratum facientem tibi dedit, virtutibus infusis te induit, septem donis Spiritus sancti te exornauit; & postquam ad vsum rationis venisti, tantis auxiliis te adiuuit. Insuper quia sanguine Christi te redemit. Angelorum custodiuit præsidio, Sanctorum exemplis ad virtutem allexit, verbo ac doctrina fidei illuminauit, & instinctibus ac aliis mediis ad iustitiam prouocauit. Tandem, quia vitam & dona naturalia donauit, & cœlos & elementa, & cætera visibilia ita dispposuit, vt tibi ad salutem proficerent.

2. Dolebis, quòd gratiam, virtutes, & dona Spiritus sancti perdidisti, aut otiosa habuisti; quia diuinæ vocationi non respondisti; & auxilia contemsisti: statuéque illa per sacramentum Pœnitentiæ quærere, & inuenta seruare, & augere: ista verò audire & suscipere.

C

3. Dolebis quòd Dominum Iesum Redemtorem tuum spreuisti; Angelorum & Sanctorũ intercessionem tibi inutilem reddidisti; & Euangelio ac mo-

nitionibus prædicatorum, & diuinis inſpirationibus non obediſti: oppoſitum facere ſtatues, & à Domino poſtulabis.

4. Dolebis, quòd vita, ſanitate, ingenio & cæteris abuſus es, & in tuum damnum detorſiſti, & ſtatues deinceps in Dei obſequium conuertere.

5. Dolebis, quòd rebus viſibilibus, diuitiis, honoribus ac cæteris nimio amore adhęſiſti, & decernes illa eatenus aſſumere, quatenus ad tuam ſalutem, & diuinum obſequium proſunt, vt verò obſunt, & conducibilia non ſunt, conſtanter repudiare.

Vt peccata odio habeas.

EXERCITIVM III.

CONSIDERA, peccatum eſſe dictum, factum & concupitum contra legem Dei, & inobedientiam diuinorũ mandatorum; quo à Deo auerteris, & ad viliſſimam creaturam conuerteris. Aut cogita aliud punctum ex his quæ habentur libro 3. cap. 2. Meditatione 2.

1. Odio habebis peccata tua, non propter pœnam, nec propter infamiam, quibus vt puniaris libenter te ſubiicies: ſed propter offenſam; quia nimirum Patrem amantiſſimum offendiſti, quia iuſſa eius ſanctiſſima contemſiſti, & eum ad iram prouocaſti.

2. Dolebis de peccatis ſicut de plagis fœtidiſſimis, de vulneribus periculoſiſſimis, de ægrotationibus deſperatiſſimis; ſicut de extrema paupertate & infamia, & calamitate quæ tibi contingit.

3. Erubeſces, quoniam coram Angelis & ſanctis pannis viliſſimæ confuſionis amictus, & vinculis iniquitatum conſtrictus, & traditionis inſignibus veſtitus appares. Et quia ſtolam gratiæ perdidiſti, & in tam ignominioſam nuditatem es deturbatus.

4. Miraberis quòd creaturæ te ſuſtinuerint, confiteberiſque te dignum eſſe, quem dehiſcens terra ſubrueret, aqua demergeret, ignis conſumeret, & aër ac ſpirationis beneficium denegaret, & omnia tum cœleſtia, tum terreſtria, in te tamquam in peſſimum ſeruum inſurgerent.

5. Deſiderabis te non peccaſſe; eos qui innocentiam ſeruauerunt, fœliciſſimos reputabis, & te indignum vt illis ſeruires, & coram illis appareres, cenſebis.

6. Statues firmiſſimè numquam peccare, & vt peccatum graue fugias omne bonum temporale perdere, & omne malum pœnæ, etiam ipſam mortem ſubire.

7. Humillimè veniam & miſericordiam poſtulabis.

8. Per merita vitæ & paſſionis Domini, & per ſanctitatem humanitatis ſuæ, & maieſtatem diuinitatis ſuæ, & per interceſſionem beatæ Virginis, omnium Angelorum, & Sanctorum, vt tibi indulgeat eum obſecrabis.

9. Beatam Virginem & choros Angelorum, & Sanctorum ſigillatim, vt pro te intercedant, inuocabis.

10. Spem indulgentiæ obtentæ concipies, & pro ea gratias ages.

Vt iterum de peccato doleas.

EXERCITIVM IV.

CONSIDERA vilitatem tuam, tum ex parte animæ, tum ex parte corporis: & quàm nihil ſis, ſi cùm diuina maieſtate compareris. Inſuper quantis Deus beneficiis te ad ſibi ſeruiendum obſtrinxit: vel aliquod aliud punctum ſecundæ meditationis capitis 2. lib. 3.

1. Teipſum vilipendes, ac debitorem decem millium talentorum, id eſt, innumerabilium peccatorum, ingratiſſimum, & pro beneficiis rependentem iniurias, ſtultiſſimum, & ipſis inſtrumentis ſalutis eam deſtruentem, & omnium hominum viliſſimum fateberis.

2. Deum exaltabis, & te eius maieſtatem iniuria affeciſſe, eius ſapientiam inhonoraſſe, bonitatem ſpreuiſſe, potentiam pro nihilo duxiſſe; & eum, cui Angeli ſeruiunt, & cui omnes creaturæ ad nutum obediunt, offendiſſe lugebis.

3. Accuſabis te de cogitationibus ſtultis, deſideriis iniquis, verbis noxiis, operibus malis, & omiſſionibus mandatorum Dei, quibus in omni ætate & loco & ſtatu diuinam maieſtatem prouocaſti.

4. Dolebis 1. quia per peccatum Deum ſummè bonum perdidiſti. 2. Gratiam & amicitiam eius amiſiſti. 3. Charitatem, virtutes infuſas, & dona Spiritus ſancti deſtruxiſti. 4. Speciali prouidentia, qua iuſti proteguntur, te priuaſti. 5. Sanctorum & Angelorum commerito te indignum feciſti. 6. Odium & indignationem ſanctæ Trinitatis incurriſti. 7. Fructu vitæ & paſſionis Domini te expertem reddidiſti. 8. Ad diaboli ſeruitutem reuerſus es. 9. Omnibus viribus tuis imbecillitatem ad bonum faciendum accerſiuiſti.

5. Offeres Domino ad indulgentiam impetrandam 1. Merita vitæ, paſſionis, & mortis ſuæ. 2. Promiſſionem eius, qua pollicitus eſt, ſe humilem pœnitentiam peccatoris admiſſurum. 3. Hanc confeſſionem & dolorem, quo ad illum redis. 4. Hoc iudicium, quo te dignum æterna morte iudicas. 5. Domini auxilia, ſine quibus iſtam voluntatem deſerendi peccatum habere non poſſes.

6. Beneficia Domini commemorabis: quòd te creauit, conſeruauit, redemit, à tot periculis liberauit, &c. & ne hæc in te inutilia fiant, ſi damnareris, rogabis.

7. Remiſſionem peccati, & gratiam ad perſeuerandum, & ſanctè viuendum petes.

Vt maiorem dolorem de peccato concipias.

EXERCITIVM V.

CONSIDERA quàm grauiter & implacabiliter Deus peccatum puniuit, vel in primo Angelo peccante, vel in protoplaſto legem tranſgrediente, vel tempore diluuij aut ſubuerſionis Sodomæ. Quomodo etiam in Chriſtum, vt pro nobis ſatisfaceret, animaduertit. De quo agitur vbi ſuprà meditat. 5.

1. Gratias ages Domino, quia te ſaluare vult, & te ad pœnitentiam vocat, & gratiam ad relinquendum peccatum tribuit, & impedimenta faciendæ pœnitentiæ ſubmouet.

2. Compungere, quia tempus tibi datum ad pœnitendum perdidiſti, auxilia conceſſa ad reſurgendum abieciſti, vocibus Dei vocantis obſurduiſti. Quia Deo ad oſtium cordis pulſante diſſimulabas, eo inuitante dormitabas, & cùm ipſe te ſequeretur tu per abrupta vitiorum fugiebas.

3. Accuſabis te de peccatis tuis, quòd mala non facienda commiſiſti, bona agenda omiſiſti, quia prauis exemplis alios læſiſti, & fortè ſuaſionibus ad peccata traxiſti, & in peccatis tuis multum temporis perſeueraſti.

4. Dole quia peccatis tuis iram Domini irritasti, in omnes Angelos & Sanctos, eorum consortium spernens iniuriosus fuisti, & in omnes creaturas quarum obsequium in Domini iniuriam detorsisti. Dole quia fidei & rationi naturali iniuriam intulisti, earum dictamina transgrediens, virtutibus & donis ea destruens, gloriæ eam à te ablegans, & tibiipsi in æternam pœnam incurrens. Dole quia omnis hæc offensa creaturarum in Deũ redundat, atque adeò illi soli peccasti, & Patrem omnium creatorem, Filium humani generis redemtorem, & Spiritum sanctum iustorum sanctificatorem offendisti.

5. Pudore suffundere, quia pro caducis inanibus, fallacibus, & somno similibus, æterna, solida, vera, & quæ animo satisfaciunt pessumdedisti.

6. Contemne teipsum, quia stultus negotiator fuisti, dum pretio bonorum omnium extremum malum mercatus es; & tuam insipientiam, cæcitatem, & inquitatem defle.

7. Admirare, quoniam per peccatum à Domino separatus ridebas, tibi ac Deo perditus lucris temporalibus aut vanitatibus intendebas, & mala peccatorum tuorum bona putabas.

8. Postulabis indulgentiam, misericordiam, & gratiam.

Ut adhuc vehementiùs à peccatis abhorreas.

EXERCITIVM VI.

CONSIDERA peccati grauitatem ex bonis quę tollit: ex malis quæ infert; ex pœnis quas meretur, ex luctuosis circumstantiis, quæ ipsum afficiunt, vt habetur in punctis reliquarum meditationum de enormitate peccati; & nunc vnum, nunc alterum punctum ad meditandum assumes.

1. Timebis peccatum, quia æterna pœna dignũ, quæ iam tibi imminet, & si nondum iustificatus es (quod tamen ignoras) ab ea sola vitæ huius infirmitate seiungeris. Ab eo igitur tamquam ab inferente æternam damnationem resilies.

2. Odio habebis peccatum, ex eo quòd hostis animæ tuæ est: à quo in tartara traheris, & bonis supernaturalibus spoliaris.

3. Dolebis de peccato, quia plaga est anima tua, & vulnus cordis tui; quòd interiora tua transfigit, & gratiæ vitam eripit.

4. Tristaberis de peccato, tamquam de damno per vires tuas irreparabili, quo gratiam & charitatem & virtutes infusas, & dona supernaturalia perdidisti, & in caput tuum tanta mala coaceruasti.

5. Iram concipies aduersùm peccatum, quòd te in tanta mala coniecit, & in teipsum qui sciens & volens tam magno malo non repugnasti.

6. Horrebis peccatum sicut venenum, & cibum mortiferum, qui gustatus affert mortem: mortem animæ, per quam mors corporis in mundum intrauit, & omne genus humanum subiecit.

7. Pudebit te de peccato, quoniam est turpitudo fœdissima, quæ animam tuam dehonestauit, & supra quàm cogitari possit deformem effecit.

8. Abominaberis peccatum quasi rem spurcam & fœtidam, cuius vel solo tactu inquinatus es, & fœtidus atque immundus effectus.

9. Execraberis peccatum tamquam profanum, quod Deum inhonorat, templum eius, cor tuum polluit, & ad offerendum Dei cultum te ineptum reddit.

10. Detestaberis peccatum vt veram maledictionem qua spiritualiter malediceris, id est, à Deo separaris atque seiungeris.

Ut confitearis coram Domino peccata tua.

EXERCITIVM VII.

CONSIDERA te debitorem esse innumerabilium peccatorum, de quibus, ante vel postquam sacerdotem adieris, in conspectu Domini te accusare vis, vt ab eo iustificeris. Nam in iudicio hominum, qui crimen confitetur, à iudice punitur, in iudicio verò Dei, qui cum dolore & humilitate peccata confitetur absoluitur.

Confiteberis Deo sub quibusdã capitib⁹ peccata tua. Hæc autẽ sunt:

1. Quòd præcepta duo charitatis non custodisti. Quia scilicet Deum nõ dilexisti ex toto corde, ex tota anima, ex tota mente, & quia proximos sancto amore non amauisti, sed quosdam odio es prosequutus, alios verò amore carnali aut mundano complexus es.

2. Decem præcepta Decalogi præteristi. 1. Deo cultum debitum non exhibendo. 2. Nomen sanctum eius in vanum assumendo. 3. Dies cultui Domino sacratos violando. 4. Parentibus & maioribus non obediendo. 5. Damnum proximis inferendo. 6. Corpus minus honestè tractando. 7. Aliena diripiendo aut inutilia reddendo. 8. De proximis detrahendo. 9. Impuras cogitationes admittendo. 10. Aliorum bona temporalia desiderando.

3. Præceptis Ecclesiæ non paruisti. 1. Missæ sacrificio debitè non assistendo. 2. Indicta ieiunia non obseruando. 3. Ad sacramentum Pœnitentiæ absque conuenienti dolore & examinatione, & proposito accedendo. 4. Sacram Eucharistiam tepidè accipiendo. 5. Primitias vitæ, & decimas saltem temporis tibi concessi Deo non consecrando.

4. Vota religiosa non obseruasti. Quia nimirum superflua habere voluisti, & necessariis immoderatè adhęsisti. Perfectam mentis & corporis puritatem non tenuisti, & vanas familiaritates fouisti. Voluntatem & iudicium obędiendo, & statuta ordinis custodiendo non abnegasti.

5. Tumuisti superbia, coangustatus es auaritia, infectus luxuria, consumtus inuidia, dehonestatus gula, laceratus ira, & ligatus acedia.

6. Alienis peccatis te infecisti ac si propria tibi non sufficerent. Quia nimirum ea fieri iussisti, aut suasisti, aut in eorum perpetrationem consensisti, aut quoquomodo te aliorum peccatis oneraſti.

7. Misericordiæ opera omisisti, tum spiritualia, tum corporalia, & proximis tua ope indigentibus non subueniſti.

8. Sacramentis, viribus animæ &

corporis, donis Dei, & omnibus creaturis, & tempore ad bene viuendum conceſſo abuſus es.

9. Confiteberis has multiplices culpas tuas eſſe, non tam dæmonis ſuadentis, aut mundi ſolicitantis, aut carnis inuitantis, quia abſque tuo conſenſu, & libera voluntate numquam in peccatum incidiſſes.

Vt ſtatuas non peccare, & ad ſatisfactionem te offeras.

EXERCITIVM VIII.

Eccli. 34. 30.

CONSIDERA, quòd qui baptizatur à mortuo, & iterum tangit mortuum, nihil proficit lauatio eius. Sic homo qui ieiunat in peccatis ſuis, id eſt, qui affligitur & conteritur propter illa, eadem repetens nihil proficiet. Vtilis ergo & vera contritio propoſitum emendationis, & deſiderium ſatisfaciendi ſecum affert.

1. Ante pedes Domini humiliter te proſternes, tua magna & enormia flagitia iterum generaliter confiteberis, & quia offenſæ Dei ſunt, & ingentia mala animæ tuæ odio habebis & execrabis.

2. Peccata voluntate & affectu penitus deſeres: à prauis & diſtortis tuis moribus te auertes, ac vitæ priſtinæ renunciabis.

3. Statues plena & integra voluntate ampliùs non peccare, & in nullũ graue peccatũ conſentire, & potiùs iacturam omniũ ac ipſam mortẽ ſubire, quàm in crimen aliquod conſenſum præſtare.

4. Te omni pœna, iniuria, & contumelia dignũ duces, & ab omni creatura te irriſionem & cruciatum commeruiſſe fateberis.

5. Paratum ad omnem penuriam, triſtitiam & infamiam, & omne malum, quod creaturæ inferre potuerint, te exhibebis, vt ſic vel ex parte pro peccato ſatisfacias.

6. Ad diuinum obſequium memoria, intellectu, voluntate, & viribus corporis præſtandum pro ſatisfactione peccatorum te offeres.

7. Multa & varia tormentorum & afflictionum genera ad ſatisfaciendum pro peccatis tuis, acceptabis, & ſuſtinere deſiderabis.

8. Te iam ſatisfactionem à ſacerdote impoſitam impleuiſſe, & afflictiones corporis in ieiuniis, & aliis, quæ ſtatus & conditio tua fert, ſubiuiſſe commemorabis: & inſuper aliqua in ſpeciali iuxta vires infirmitatis tuæ, deinceps te facturum proponeſ.

9. Statues etiam ab his, quos quòquomodo læſiſti, veniam petere, & coram illis te ſubmittere.

10. Omnibus, qui te aliquomodo læſerunt ignoſces, & pro illis orabis.

11. Iterum indulgentiam humiliter petes, & quia remiſiſti, vt tibi remittetur expoſces.

12. Pro ſpe indulgentiæ conceptæ gratias age.

Vt impugnes gulam.

EXERCITIVM IX.

CONSIDERA huius vitij vilitatem, quo ventri ſeruitur, & pro breuiſſima voluptate anima ad ima deprimitur, & ipſum corpus morbis & inquietudinibus ex ciborum onere prouenientibus cruciandum exponitur.

1. Accuſabis te de peccatis gulæ. Si horam conſuetam manducandi contra Eccleſiæ præceptum in diebus ieiunij aut ſine iuſta neceſſitate præueniſti. 2. Si cibos exquiſitos quæſiuiſti. 3. Si quoſlibet cibos accuratiùs præparari expetiſti. 4. Si debitam cibi quantitatem exceſſiſti. 5. Si immodeſtè ac præcipitanter manducaſti.

2. Hæc peccata odio habebis, & de illis dolebis, atque triſtaberis: quia nimirum illis Deo diſplicuiſti, & in minimis infidelis inuentus, te in maioribus infidelem oſtendiſti, & ab appetitu beſtiarum, in quo ipſæ ſunt, continentiores victus es.

3. Eadem peccata fugies, ex quibus vnum à primis parentibus admiſſum genus humanum gratia ſpoliauit, morti addixit, & à cœlo & Dei amicitia expulit.

4. Statues te oppoſitis actibus abſtinentiæ gulam proſternere; nimirum conſuetis horis manducando, cibis communibus & communitati præparatis neceſſitati ſatisfaciendo, &c.

5. Gratiam ad hæc poſtulabis.

Vt impugnes luxuriam.

EXERCITIVM X.

CONSIDERA, vitium luxuriæ totum hominem à Deo rectum creatum ad ſummam turpitudinem & deformitatem traducere. Nam cor impuriſſimis cogitationibus inquinat, & à ſenſu rationis abducit: os obſcœnis verbis inficit, & corpus igne concupiſcentiæ inflammatum ſordidiſſimis ægritudinibus replet.

1. Accuſabis te in generali de peccatis ad hoc vitium pertinentibus, & quàm citiſſimè ab eorum quoque cõmemoratione tranſibis. Tanta eſt enim huius vitij immunditia, vt vel ſola recordatione nos fœdet. Accuſabis, inquam, te, ſi quid in hoc peccatorũ genere, cogitatione, ſermone, vel actione peccaſti, & magis affectu pudoris & deteſtationis, quàm attẽtione ad opera huius vitij procedes.

2. Abominaberis hæc peccata, quibus Dei templum violaſti, in corpus tuum peccaſti, vas tuum in paſſione deſiderij poſſediſti, & te ex homine brutum reddidiſti.

3. Fugies corde ab his peccatis, quæ vt cibus veneno infectus, guſtata mortem afferunt, vt ignis omnia depaſcens vſque ad perditionem deuorant; quæ vt caligo intellectum obnubilant; vt gelu voluntatem indurãt; vt ardores ignis ſulphurei corporis ſubſtantiam inflammant.

4. Statues, ſenſus cohibere, cogitationem frænare, corpus affligere, minus puras familiaritates vitare, principio tentationis obſiſtere, & te omnino ab omni impuritate continere.

5. Donum caſtitatis, & rorem cœleſtis gratiæ, qui ardorem libidinis extinguat, poſtulabis.

Vt pugnes contra auaritiam.

EXERCITIVM XI.

CONSIDERA auaritiæ peruerſitatem, quã Paulus radicem omnium malorum appellauit. Hac enim ab homine pro ficto bonorum temporalium theſauro, ceu vmbra à nobis fugiente,

giente, & nullo modo animo ſatisfaciente, verus theſaurus gratiæ perditur, & homo ad Deum poſſidendum conditus ad pecuniam quaſi ad idolum adorandum curuatur.

1. Accuſabis te de peccatis auaritiæ, nimirum quòd in ſæculo opes deſideraſti; & ad Dominum conuerſus cupiditatem rerum temporalium non abieciſti: ſuperflua habere voluiſti, neceſſariis immoderatè adhæſiſti, & in illis curioſitatem minimè neceſſariam amaſti.

2. Odio habebis & deteſtaberis peccata auaritiæ, propter mala & inquietudinem, quam tibi intulerunt, & ſpecialiter, quia non es imitatus Chriſtum Saluatorem tuũ, qui cùm eſſet diues propter te egens factus eſt. Tu verò hoc exemplo neglecto rebus terrenis adhæſiſti, & cœleſtem à te hæreditatem abdicaſti.

3. Fugies ab his peccatis, quorum cauſſa ad conuiuium Chriſti vocatus ire noluiſti, & variis te prætextibus excuſaſti.

4. Propones ſuperflua reſecare, neceſſaria parcè & ſine nimia cordis adhæſione tenere, & ad penuriam ſuſtinendam paratum eſſe.

5. Poſtulabis gratiam vt Deum ſolum quæras, & temporalia corde libero & expedito ad ſolum vſum accipias.

Vt pugnes contra iram.

EXERCITIVM XII.

CONSIDERA, quia vitium iræ & vindictæ miſericordiam Dei anguſtat, ne erga te ſigna ſuæ benignitatis oſtendat. Scriptum eſt enim: Sic & Pater meus cœleſtis faciet vobis; id eſt, ſic grauiter in vos animaduertet, ſi non remiſeritis vnuſquiſque fratri ſuo de cordibus veſtris. *Matth. 18. 35.*

1. Confiteberis peccata iræ, nimirum, quòd eos, à quibus læſus es, actione aut voluntate læſiſti, & ſola impotentia te cohibuit. Inſuper quòd actum vindictæ verborum aſperitas ſuppleuit, & multiplex contumelia in fratrem iactata malum tuum deſiderium declarauit. Ad hoc vitium pertinent animi auerſiones, querimoniæ, detractiones, & vultus oſtenſa triſtitia, & ortum ex indignatione ſilentium, quod ſæpe multo vehemẽtius quàm conuitium vulnerat.

2. Odio habebis hæc indignationis peccata, quæ cor peſſimo igne accenderunt, oculos furore plenos in fratrem coniecerunt, linguæ vſum impediuerunt, & inſanis motibus & clamoribus teipſum fœdarunt.

3. Fugies corde ab ira, qua teipſum & alios turbaſti, congregationi ſcandalo fuiſti, immo & à te audientibus & videntibus amens iudicatus es.

4. Statue ad remiſſionem tuorum peccatorum iniurias & cõtumelias patienter ſuſtinere, eas tamquam à Domino ad tuum meritum ordinatas accipere, & exteriùs nullum ſignum, nec verbo nec opere impatientiæ præbere.

5. Mititatem, & cognitionem eius pulchritudinis poſtulabis, & auxilium ad opere præſtandum quod animo ſtatuis petes.

Vt dimices aduersùs inuidiam.

EXERCITIVM XIII.

CONSIDERA inuidiam peſſimum eſſe vitium, quod charitati reginæ virtutum opponitur, & Deo eſt maximè contrarium, qui omnibus bona impertitur; & Angelis eſt ſupra quàm cogitare poſſimus inuiſum, qui de bonis tam iuſtorum, quàm peccatorum impensè lætantur.

1. Accuſabis te de peccatis inuidiæ: quia ſcilicet de bonis fratrum tuorum contriſtatus es; laudem & honorem illorum tuam iniuriam putaſti: è contra verò vituperationem & infamiam ipſorum pro gloria accepiſti. Fratrum bona celabas, vitia reuelabas, imò & virtutes vitia eſſe dicebas: & bonis operibus eorum, quia ſimilia exercere non poteras, impedimentum præſtabas.

2. Odio habebis inuidiam, ex qua adhuc ſecundùm hominem, nullum bonum accipies, mors animæ incurritur, cor mœroribus, & corpus macie & pallore & triſtitia repletur.

3. Fuge voluntate à peſſimo vitio quo fratres tuos bonis vacuos eſſe voluiſti, & de malis eorum gauiſus es. Quódque à ſuperbia procedit, & ſuſurrationes, ac detractiones & proximorum iniurias gignit.

4. Statues pugnare aduersùs inuidiam, bona fratribus cupiendo, & de eorum fœlicitate gaudendo, & pro ipſorum bonis ſucceſſibus Dominum deprecando: bona terrena contemnendo, & ad cœleſtia aſpirando.

5. Poſtulabis perfectam charitatem, qua propter Deum proximos diligas, & de illorum donis ac de propriis gaudium & exultationem accipias.

Vt dimices aduersùs acediam.

EXERCITIVM XIV.

CONSIDERA acediam peſtem eſſe bonorum operum, quorum quædam, ne omnino fiant, impedit, & vt vita ad mercandum cœlum data, inutiliter tranſigatur, facit: quædam verò multis ac variis imperfectionibus inficit; ita vt conſpectu Domini, & præmio reddantur indigna.

1. Accuſabis te coram Deo de peccatis acediæ ex qua ortum eſt, vt ſenſibus per inania vagares, numquam affectus cohiberes, vanas cogitationes enutrires. Hæc fecit vt inania cogitares, ſæcularia deſiderares, corpori plus quàm opus eſſet indulgeres. Hæc te ſomno tempore orationis oppreſſit, in horis canonicis ad vana pertraxit, & in omne bonum opus tædium ac triſtitiam iniecit.

2. Odio habebis acediam, quæ manus tuas ligauit ne cœlum, & viam ad illud, perfectionem diriperes, ne tibiipſi & tuis affectibus imperares, ne vitam proficiendo, & virtutem augendo tranſigeres.

3. Fugies ab hoc vitio, quo efficeris imperfectorum ſocius, & perfectorum inimicus, quo impediris ne diuinas conſolationes ſentias, & in mœrore perpetuo viuas.

4. Propone implere præceptum Pauli: Sicut exhibuiſtis membra veſtra ſeruire iniuſtitiæ, &c. & ęqualem ſaltem ſolicitudinem in rebus diuinis impende, cum illa quam in rebus humanis poſuiſti.

5. Poſtulabis Spiritum feruoris, quo teipſum vincas, & diuina obſequia alacriter & perfectè facias.

Vt euertas inanem gloriam.

EXERCITIVM XV.

CONSIDERA, quòd per inanem gloriam præmium bonorum operum perdidisti. Vnde his, qui laudes hominum captãt, dictum est: Receperunt mercedem suam. Et pro vana laude verissima confusio conquiritur. Quoniam Deus dissipauit ossa eorum qui hominibus placent: confusi sunt, quoniam Deus spreuit eos.

1. Accusabis te de peccatis vanæ gloriæ. Nimirum quòd ex peccatis & flagitiis ac si essent bona gesta, hominum laudem quæsisti. Immo & propter eamdem laudem captandam te aliqua mala patrasse finxisti. Bona opera ad assequendam gloriam inanem direxisti, in muneribus tibi demandatis non Domini gloriam, sed tuam opinionem procurasti.

2. Detestaberis hæc peccata, quibus merita bonorum operum vilissimo laudis humanæ pretio vendita sunt, & vt hominibus placeres, Deo displicere non es veritus. Et bona opera ob sinistram intentionem in peccata conuersa sunt.

3. Fugies ab eo vitio, quod te vera apud Deum laude dispoliat, & Dei contemtui exponit, & labores tuos deprædatur, vt ex eis nullum fructum percipias.

4. Constitues aduersùs inanem gloriam pugnare, propter Dei gloriam bona opera inchoare, prosequi atque perficere: & à Deo solo gloriam exquirere. Atque vt magis laudi hominum repugnes, tua bona opera quantum licebit, abscondere.

5. Sequatur postulatio, qua petes lucem ad cognoscendã laudis humanæ vilitatem, & veræ apud Deum glorię dignitatem: vt hanc quæras, illam verò contemnas.

Vt euertas superbiam.

EXERCITIVM XVI.

CONSIDERA superbiam initium esse omnis peccati, propter quam Deus Lucifer um & Angelos apostatas è cœlo expulit, & primos parentes nostros è Paradiso deturbauit. Ipse superbis resistit, & de sede deponit, & à se repellit atque contemnit, & in fœdissima peccata labi permittit.

1. Confiteberis peccata superbiæ. Quia bonis à Deo tibi datis vsus es, ac si à teipso ea haberes; aut ac si propriis ea meritis cõparasses. Quia cùm pauperrimus sis meritis te diuitem putas, & te melioribus præponis. Quia peccata negasti aut defendisti, bona superbè laudasti, & peccatores spreuisti.

2. Detestaberis superbiam, quoniam vitium nõ tam humanum quàm diabolicum est. Hæc oculos cordis excæcat, ne tuam vilitatem cognoscas, affectum corrumpit, vt aliis melioribus præponi cupias: corpus deformat vt signa elationis, ob quæ ab aliis irrideris, non sentias.

3. Fugies superbiam, qua animus à Christi imitatione deficit, & diaboli imitatorem se facit, & mille peccata arrogantiæ, iactantiæ, elationis, præsumtionis, & ambitionis incurrit.

4. Statues superbiam impugnare. Ea meditari, quæ tui cognitionem inferant. Tua bona abscondere, imbecillitatem ac defectus ad tuam confessionem reuelare, & actibus humilitatis tum interioribus, tum exterioribus insistere.

5. Postulabis humilitatem, & vt à te Dominus superbiæ affectus amoueat, & intra limites modestiæ contineat.

Vt quinque sensus exteriores mortifices.

EXERCITIVM XVII.

CONSIDERA quanta sit immortificatio tuorum sensuum, per quos anima se in hæc exteriora diffundit, & ideo in profectu non crescit, & virtutum soliditatem nõ habet, & Deum intus loquentem, immo aliquãdo clamantem non audit, & in plateis huius mundi ludis occupata, quæ sibi interiùs lucis & amoris darentur, nõ percipit.

1. Accusabis te de peccatis per quinque sensus admistis. Nam eis, instrumentis tibi ad sustentandam naturam, & ad operãdam salutem datis, multa noxia, plura mala, & plurima superflua percepisti: tuis impuris desideriis satisfeci sti, cum rebus creatis in opprobrium Domini quasi adulterium admisisti. Ad accusationem autem peccatorũ singulorum sensuum in particulari descendes, & ea lugebis.

2. Statues sensus istos cohibere ab omni peccato, vanitate & superfluitate abstrahere, non tuis desideriis eorum vsu, sed necessitati & virtuti seruire.

3. Propones etiam non ex nimietate desiderij, neque ex præcipitatione affectuum vti sensibus, sed ex electione & cum tranquillitate cordis necessaria aut vtilia videre, audire & aliis sensibus percipere.

4. Facultatem ad vsum sensuum à Domino tamquam ab hero tuo nunc postulabis, & postmodum singulis saltem diebus cum à somno surgis iterum postulare constitues. Ita scilicet vt si conscientia seipsam non quærens attestetur aliquid esse licitum ac Deo gratum, illud percipias, sin minus, constanter reiicias.

5. Vsum sensuum ad Deum referes, & pro eius gloria & honore, & ad obsequium eius, & visu & auditu & reliquis vti voles.

6. In vnione functionum sensuum Christi Iesu Domini nostri omnes actus sensuum tuorum, quos ab hac hora vsque ad finem vitæ tuæ habueris Deo offeres.

7. Desiderabis istos actus sensuum ad Dei obsequium inchoare & continuare; cùm primùm verò vtiles non sint ad necessitatem naturæ, vel promotionem virtutis, ab illis cessare.

8. Postulabis quatuor. 1. remissionem peccatorum, quæ per sensus à te admissa sunt. 2. gratiam abundantem vt eos cohibeas. 3. vt quasi intra Deum manens omnia in ipso videas, audias atque percipias. 4. vt assuescas eum intra te aspicere, & audire, suauitatem eius percipere, & amoris affectibus amplexari.

Vt passiones cohibeas.

EXERCITIVM XVIII.

CONSIDERA passiones dici, & esse animæ ægritudines, quas nisi conuenienti medicamento curaueris, cùm quottidie magis

ac magis conualescant, te ad ianuas mortis adducent. Ipsæ sunt seminaria vitiorum, origines peccatorum, ianuæ perturbationum, & inquietudinum, quas qui non compresserit, neque ad mediocrem virtutem accedet.

Cuiuscũque passionis excessum cõsiteberis. 2. emẽdationẽ propones ac cupies. 3. ac tãdem postulabis auxilium: vt

1. Amorem cohibeas, ab amicis & rebus visibilibus auoces, & in inuisibilia & cœlestia efferas.
2. Odium elimines, & genimina eius iniurias ac fratrum detractiones, & in tuis peccatis & excessibus colloces.
3. Desiderium à terrenis abstrahas, & ad cœlestia erigas.
4. Fugam modereris, qua non bonos & excellentem eorum virtutem, B sed imperfectorum ignauiã auerseris.
5. Delectationem in operibus quoque licitis comprimas, & numquã propter seipsam cupias.
6. Tristitiam immoderatam de aduersitatibus conceptam abiicias.
7. Spes vanas irrideas: ac de diuino auxilio non diffidas.
8. Non timenda ne timeas, & puerilem erubescentiam exuas, ac temerariam audaciam comprimas.
9. Iram reprimas, & vltra rectæ rationis mensuram non excandescas.

In his rebus secundùm exigẽtiam tuam cum Deo colloquendo ad particularia descendes, & de excessibus affectuum tuorum sigillatim te accusabis. C

Vt mandata & legem obserues.

EXERCITIVM XIX.

CONSIDERA quòd non sufficit ad vitam æternam promerendam, mala non agere, nisi quis studeat bonis operibus abundare. Duo enim præcepta sunt nobis imposita, à malo declinare, & bonum facere: quæ duo seruum Dei fidelem cõstituunt. Postquam ergo decreuisti malum fugere, decernes & bonis operibus & legis custodia Deo, quem tantis peccatis hactenus offendisti, placere. D

Statues ergo corã Domino, vt eius voluntati te accommodes:

1. Declinare à malo, & facere bonum, in omnibus cogitationibus, desideriis, verbis, & operibus.
2. Quod tibi non vis, alteri ne facere, & quod tibi vis, alteri præstare.
3. Præcepta fidei, spei, & charitatis, & decem mandata legis sigillatim obseruare.
4. Præcepta Ecclesiæ, vt sapientissimæ & optimæ matris custodire.
5. Statutis ordinis, & obligationi trium votorum parere.
6. Prælatorum mandatis te morigerum exhibere. E
7. Diuinas inspirationes excipere.

Hunc affectum ardenti postulatione cõcludes, qua petas ad mandatorum, & omnium horum custodiam abundantissima gratia iuuari.

Vt cordis puritatem diligas.

EXERCITIVM XX.

CONSIDERA te ad cœnã magnã Christi vocatum, ad quam tamen soli admittuntur mundi, & gratię ac puritatis vestem nuptialem habentes: qua qui caruerit cum rubore à consortio iustorum repelletur, atque in tenebras exteriores mittetur. Conaberis ergo desiderium in te puritatis accendere. Ad Dominum autem non sine cordis contritione loquens,

Statues ad puritatem animæ obtinendam:

1. Omnia peccata grauia vitare; & prius in ipsam mortem corporis, immo & in sustinenda gehennæ tormenta quàm in graue peccatum consentire.
2. Peccata leuia quantum potueris fugere, & cùm in ea incideris lacrymis & compunctione tergere.
3. Ab imperfectionibus cauere; & caussis earum; infirmitati carnis feruore; ignauiæ cordis solicitudine, & prauæ consuetudini, conatu in contrarium te opponere.
4. Vitia destruere, & contra ea, vnũ post aliud pugnare, & te ab eorũ vinculis expedire.
5. Occasiones imperfectionum excindere, & nimias cum hominibus familiaritates auersari.
6. Rectitudinem intentionis in omnibus tenere, & non teipsum, aut hominum plausum, sed Dei gloriam quærere.
7. Teipsum frequenter discutere, & ad ea quæ cogitaueris, aut loquutus fueris, aut egeris, prudenter attendere.

Postulabis tandem à Domino abundans auxilium, vt hæc septem præstare valeas, & veram mentis puritatem obtinere.

Vt te in timore Dei contineas.

EXERCITIVM XXI.

CONSIDERA quàm grauissimis pœnis Deus peccata puniat, & quàm seuerè ac per totam æternitatem in peccata animaduertat. Item quàm ingens malum sit in Dei offensam incurrere, & ab eius amicitia separari.

1. Recordaberis loquendo cũ Domino eius immensæ sanctitatis, ac districtissimæ seueritatis, qua Angelos peccãtes, & primos parentes nostros præceptum ipsius transgredientes puniuit, & Christo filio dilectissimo, quia pro delictis nostris satisfacere voluit, non pepercit.
2. De peccatis tuis dolebis, quia propter illa inferni æterna supplicia es commeritus, & à summo bono, nimirum à Dei amicitia, separatus.
3. Peccata vitare statues, vt te æternis supplicijs liberes, & ad Dei gratiam reuertaris, & proposita legem seruandi in speciali resumes.
4. Aduersùs diaboli tentationes roboraberis: in primo congressu illis memoria æternæ pœnæ, & obscœnitates peccati te oppositurum, & oratione communiturum decernes.
5. Te vilissimum, Deum autem altissimum fateberis, & more auditorum qui regibus seruiunt, te eius sanctissimæ voluntatis rationem habiturum, & mundanorum opiniones contemturum constitues.
6. Donum timoris postulabis.

PARS II.

De affectibus ad promotionem boni: pro proficientibus.

Qualiter ad exemplum Iesu Christi Domini nostri tres vires animæ reformabis.

EXERCITIVM I.

CONSIDERA puritatem animæ Domini nostri Iesu Christi, cuius imitatio tibi præ omnibus donis desideranda est. Videbis eam infinita gratia & sanctitate circumdatam: memoriam eius sanctissimis cogitationibus ornatam: intellectum omni sapientia illuminatum: voluntatem ardentissima ac perfectissima charitate Dei & proximorum imbutam. Ad imitationem igitur huius puritatis, qua vires animæ tuæ reformentur, aspirabis. Ad hoc autem glorificabis Dominum ob hanc immensam puritatem essentiæ animæ eius, ac virium ipsius, sigillatim eam commemorando. Et postea post glorificationem,

Desiderabis & petes,

1. Animam tuam ex gratia eius abundantem gratiam accipere, & diuinæ eius sanctitatis participatione vestiri.
2. Memoriam tuam ab omni immunditia cogitationum malarum, & ab omni perturbatione similitudinum inanium, & ab omni otiositate mundari. Insuper & similitudinibus sanctarum rerum, ac purissimis cogitationibus amiciri.
3. Intellectum tuum omni errore, ignorantia & cæcitate purgari, & lumine veræ fidei & sapientiæ ad Deum & te cognoscendum perfundi.
4. Voluntatem ab omni sinistra intentione, & ab omni adhæsione ad creaturas, & prauo amore vacuari: deinde purissima intentione, rerum visibilium contemtu, & amore Dei & proximorum diuitem fieri.
5. Offeres Domino has vires animæ tuæ, vt illi perpetuò vacēt, ac semper adhæreant: & in illis tamquam in lecto mollissimo conquiescat. Téque illi in templum consecrabis.

Glorificabis cor Iesu, quia mundissimū fuit,

1. Ab amore temporaliū quæ despexit, & necessaria simplicissime admisit.
2. Ab omni praua intentione, quia sēper Patris gloriā in omnib⁹ quæsiuit.
3. Ab omni huius mundi delectatione, quam spreuit.
4. A desiderio placendi hominibus.
5. A vanis & inutilibus cogitationibus.
6. A superfluis curis eorum quæ erant agenda.
7. Ab amaritudine & indignatione.
8. A pusillitate cordis, quia omnia Patri submittebat, & ad eius gloriam faciebat.
9. Ab appetitu terrenæ cōsolationis.
10. Ab omni anxietate, quia omnia ad nostram salutem pertinentia tranquillissimè operabatur.
11. Ab omni impatientia inter tot irrisiones, & contumelias.
12. A propria voluntate, quia venit vt Patris voluntatem expleret.

Petes autem per munditiā eius cor tuū mundari,

1. Ab amore terrenorum, ita vt necessaria simpliciter sumas.
2. A praua intentione, ita vt non teipsum, nec aliquid creatum, sed eius gloriam quæras.
3. Ab amore voluptatum quę velis constanter respuere.
4. A vano desiderio placendi aliis.
5. Ab omni vana, inutili & impura cogitatione.
6. A cura superflua, ita vt omnia tranquillè opereris.
7. Ab amaritudine, & ira, & indignatione.
8. Ab omni inani gloria, ita vt in omnibus solum Dei beneplacitū optes.
9. Ab appetitu cōsolationum temporalium.
10. Ab omni anxietate in operando, ita vt omnia tranquillè opereris.
11. Ab impatiētia, cùm iniuria afficeris, aut quoquomodo læsus fueris.
12. Ab omni propria voluntate, ita vt Dei & prælatorum ductu sequaris.

Tandem postulabis, vt hanc omnimodam cordis munditiā semper sitias; & oratione ac desideriis, nécnon & actionis labore obtinere contendas.

Qualiter ad similitudinem Christi cordis affectus compones.

EXERCITIVM II.

CONSIDERA munditiam cordis Domini Iesu, in quo nihil vmquam immundum aut imperfectum intrauit, & ex quo semper tam copiosa multitudo sanctarum cogitationum & affectionum exiuit. Conaberis ad imitationem huius sanctissimi cordis tuum cor efformare, & aspirando ac teipsum custodiendo ad cordis puritatem peruenire. Ad hoc verò laudabis & glorificabis eum ob duodecim perfectiones sanctissimi cordis sui, & easdem desiderabis & postulabis hoc ordine:

Qualiter operationes ad exemplum Christi perficies.

EXERCITIVM III.

CONSIDERA Christum Dominum esse exemplar omnis sanctitatis à Patre nobis propositum, quod imitari debeamus. Illúmque hominem sanctiorem esse, ac Deo gratiorem, qui conuersatione sua ad hoc exemplar magis accedat. Cùm autem tu sanctitatem sitias, redemtorem tuum in opere quoque tibi imitandum propones. Atque hunc effectum sic excitabis:

1. Vitæ Christi Domini perfectam imitationem: ita scilicet, vt cogitationes, desideria, verba & opera tua à vita Iesu Christi non dissentiant, & cogitationibus, desideriis, verbis & operibus illius quamsimillima existant.

Glorificabis Dominum nostrum Iesum Christũ, & desiderabis & postulabis

2. Ita te gerere, vt præcepta Domini, Ecclesiæ ac prælatorum perfectè impleas,& in operibus mediis siue indifferentibus, non te, sed Dei gloriam quæras.

3. In bonis operibus debitum modum tenere,iustè quod iustum est facere,& à famulis principum sedulitatem in obsequiis Domini addiscere.

4. Spiritus feruorem concipere,quo solicitius ad Deum tendas, & ad spiritualia suspires,quam mundani mundana desiderant.

5. In omnibus quæ operatus fueris ad finem perfectissimum aspirare:ita vt nec timore pœnæ, nec amore præmij, sed puro ac recto amore ad operandum mouearis.

6. Ad opera supererogationis extendi,& supra quod præceptum est facere.

7. Non solùm bona promtè agere, sed etiam mala æquanimiter & libenter pati.

8. In omnibus his ad exemplum Domini Iesu Christi perseuerare.

In his ergo sic te geres, vt in singulis,primò Christum ita operantem laudes atque glorifices, & postea ad desideria & postulationes procedas, & ita facere statuas.

Qualiter te omni imperfectione exuas.

EXERCITIVM IV.

CONSIDERA hoc esse proprium amoris perfecti, omnem offensam etiam minimam amici cauere,& in omnibus quoad fieri possit, ab eius voluntate non discedere. Quare tu qui ad perfectum Dei amorem, & ad cor filij Dei fidelissimi anhelas, ab omni eo,quod te aliquomodo fuscare posset,diligenter fugies, vt ei,qui minimos quoque defectus auersatur, placere possis. Ad hoc autem

1. Fugere statues omne peccatum etiam minimum quantum hæc vita mortalis tulerit: & sciens & volens numquam te nec ad damnum aut dolorem magnum vitandum illum admissurum esse propones.

2. Circumcides omnem creaturarum memoriam,exceptis illis ad quarum recordationem teneris: has verò congruo tempore & loco, & cum libertate spiritus admittes.

3. Statues custodire sensus tuos ab omni vanitate, ne in vana se effundant: ab omni superfluitate ne inutilia percipiant: ab omni otiositate ne inutiliter tempus terant.

4. Decernes seruare corpus tuum in simplicitate,sobrietate & castitate.In simplicitate,vt necessaria ex recta intentione Deo placendi accipias. In sobrietate,vt hæc eadem parcè sumas.In paupertate,vt in vestibus omnem superfluitatem exhorreas.

5. Abiicies omnia, quæ impediunt, ne Deo perfectè per amorem vniaris; vt humanas amicitias, adhæsionem ad quælibet loca, occupationes & ministeria. Quæ verò actu relinqui non debent,affectu immoderato deseres.

6. Propones vigilare super opera tua, ne quidquam malum facias, aut bonum non rectè facias: super verba tua ne loquela te effundas, aut proximum offendas:super cor tuum ne cogitatione Domino aut desiderio displiceas.

7. Affectum ardentissima horum postulatione complebis.

Quas Christi virtutes desiderabis & petes.

EXERCITIVM V.

CONSIDERA virtutes Iesu Christi esse vera & solida bona, quarum imitatione & exercitatione efficeris bonus. Iste vestimenta, quibus tua nuditas operitur: arma, quibus tua infirmitas aduersùs vitia & tentationes mundi, diaboli & carnis roboratur: esse decorem ac pulchritudinem animæ tuæ, qua Deo & Angelis pulchra conspicitur. Omnes ergo virtutes Domini nostri Iesu Christi,sed præcipuè has quinque,quas modò subiiciemus,desiderabis, & postulabis. In qualibet autem earum tria facies. Primò Saluatorem tuum pro illa virtute glorificabis. Secundò peccatorum tuorum contra illam virtutẽ indulgentiam postulabis.Tertiò eamdẽ virtutem desiderabis & petes.

1.Virtus est humilitas, in qua

1. Glorificabis Dominum ob suam insignem humilitatem, qua infra omnes homines se humiliauit,& opprobrium hominum, & abiectionem plebis haberi voluit.

2. Postulabis indulgentiam tuæ superbiæ, inanis gloriæ, iactantiæ, arrogantiæ,ac præsumtionis.

3. Desiderabis & petes à Domino per vulnera pedum suorum,veram humilitatẽ,qua te despicias,despici cupias, & in infimo semper loco te constituas.

Huic annectitur primò obedientia,in qua

1. Glorificabis Dominum ob suam perfectissimam obedientiam: qua obediuit Patri vsque ad mortem, mortem autem crucis

2. Postulabis indulgentiam tuæ inobedientiæ, repugnantiæ, duritiæ iudicij & propriæ voluntatis, & irreuerentiæ erga prælatos

3. Desiderabis & petes per eadem vulnera pedum, veram obedientiam, qua opere, voluntate, & iudicio superioribus in cunctis te subiicias.

Secundò patientia, in qua

1. Glorificabis Dominum ob suam inuictam patientiam,qua tot ac tãta æquanimiter & gaudẽter sustinuit pro te.

2. Postulabis indulgentiam tuæ impatientiæ, iracundiæ, & rancoris, quo eos affecisti,qui te læserunt.

3. Desiderabis & petes per eadem vulnera veram patientiam quæ omnẽ paupertatem,contumeliam,ignominiã, infamiam, ægritudinem æquo & læto animo sustineas, vt Chrsto cõformeris.

Tertiò taciturnitas,in qua

1. Glorificabis Dominum ob suam sapientissimam taciturnitatem, qua tempus tacendi & loquendi nouit, & silentium districtè custodiuit.

2. Postulabis indulgentiam tuæ loquacitatis,& innumerabilium peccatorum,quæ per linguam admisisti.

3. Desiderabis & petes per eadem vulnera veram taciturnitatẽ, qua verba Domini interiùs diligenter auscultes, & foris ab omni verbo mendaci, noxio & otioso constanter abstineas,& necessaria paucis & humiliter dicas.

§. 2.

Secunda virtus est sapientia, in qua

1. Adorabis Dominum nostrum Iesum Christum ob suam infinitam sapientiam, qua omnia & singula, quæ & quanta sint certissimè & sine vlla ambiguitate dignoscit.

2. Postulabis remissionem tuæ insipientiæ,& omnis proprij sensus,& carnalis prudentiæ, pertinaciæ,& abusus ac dissolutionis omnium sensuum.

3. Desiderabis & petes per vulnera capitis Domini Iesu spinis confixi, veram sapientiam qua vilitatem rerum visibilium, & valorem cœlestium agnoscas, & vt hæc diligas, & illa contemnas,& omnia debitè facias,& amore Dei inebriari cupias; & te vt cæcum, surdum, & mutum ad terrena appetenda habeas.

Huic annectitur primò timor Domini,in quo

1. Adorabis Dominum ob filialem timorem, quo se humillimè semper Patri submisit, & magna reuerentia honorauit.

2. Postulabis remissionem tui vani timoris mundani, & neglectus timoris diuini, quo peccata patrare non es veritus.

3. Desiderabis & petes per eadem vulnera capitis Domini, bonum timorem quo pœnam æternam incurrere,& gloriam æternam perdere formides. Insuper & perfectum filij timorem quo Deum summè reuerearis;eius offensam incurrere maximè pertimescas, initia peccatorum fugias, & interiori oculo vniuersa tua opera diiudices.

Secundò annectitur discretio, in qua

1.Adorabis Dominum ob suam maximam discretionem, qua in omnibus quod erat perfectius, & Patri æterno gratius elegti.

2. Postulabis remissionem tuę indiscretionis, tepiditatis ac negligentiæ; nec non & inordinati feruoris,quo aliqua supra vires aggressus es.

3. Desiderabis & petes per eadem vulnera veram discretionem, vt omnes laqueos diaboli fugias,proprias naturæ & voluntatis tuæ quæsitiones, excessus & errores vites : & vniuersa, quæ tibi incumbunt, prudenter aduertas, rectè discernas,& optimè exequaris.

Tertiò annectitur simplicitas,in qua

1. Adorabis Dominum ob suam sanctam simplicitatem, qua sicut ouis ad occisionem ductus est : omnia mala quasi de manu Patris suscepit : omnem dolum & duplicitatem auersatus est.

2. Postulabis remissionem omnis doli,simulationis, hypocrisis, & impuræ atque distortæ intentionis.

3.Desiderabis & petes virtutem simplicitatis, qua superfluam occupationum multiplicitatem, intentionis duplicitatem, & intellectus curiositatem vites:vniuersa tamquam de manu diuinæ prouidentiæ venientia recipias, omnia tranquillo animo facias.

4. Abiectis vanis cogitationibus in præsentia Dei ambules, & omnia quæ ad te pertinent prudenter aggrediaris.

§. 3.

A

Tertia virtus est charitas, in qua

1. Magnificabis Dominum nostrum Iesum Christum, ob immensam charitatem suam,qua patrem infinitè diligit, & Angelos & homines summo amore complectitur, & pro nobis tam magna bona fecit,& tã acerba mala sustinuit.

2. Postulabis indulgentiam non tãtũ tuę maleuolentię & rancoris,verùm & omnis amoris priuati & mũdani erga teipsum & creaturas,quo fœdatus es.

B

3. Desiderabis & petes per vulnus lateris Domini Iesu ardentissimam charitatem,qua Deum toto corde,tota anima & tota mente, purè & propter eius bonitatem diligas:pro eo magna dimittere,difficilia operari, & nimis aduersa peti valeas : flammigeris desideriis ad eius vnionem suspires:illum semper cogites,loquaris,esurias,& sitias; & quæras donec inuenias, & proximos sicut teipsum diligas.

Huic annectitur primò fides, in qua

1. Benedices Dominum Iesum ob scientiam beatam, quam ab ipso initio conceptionis habuit,quáque Deitatem suam Patrem & seipsum, & Spiritum sanctum vidit,& beatus extitit.Item ob scientiam infusam,qua anima eius præterita,præsentia & futura cognouit.

C

2. Postulabis indulgentiam tuæ dubitationis circa res fidei si aliquam habuisti,& saltem cæcitatis & obtusionis mentis,qua hæc mysteria cogitas.

3.Desiderabis & petes per idem vulnus cordis, inconcussam fidem, qua omnia à Deo dicta,& à sancta matre Ecclesia proposita firmiter credas, & pro eorum confessione vitam profundere paratus existas, & pro rebus æternis opereris grandia, & cõtemnes visibilia.

Secundò annectitur spes, in qua

1. Benedices Dominum Iesum ob infinitam & fœliciſſimam beatitudinem suam, qua omnia bona possidet, & nihil habet quod speret.

D

2. Postulabis indulgentiam omnis temeritatis tuæ,desperationis in tribulationibus & periculis, pusillanimitatis,& vanæ præsumtionis.

3. Desiderabis & petes per idem vulnus cordis Domini firmam spem, qua te vitam æternam adepturum, & media in haç mortalitate ad eam consequendam habiturum speres, & tuas orationes prout ad salutem expedient exaudiendas esse confidas.

Tertiò annectitur perseuerantia, in qua

1. Benedices Dominum Iesum ob stabilissimam eius perseuerantiam, qua omnia ad gloriam Patris, & salutem nostram opportunè consummauit, & nihil imperfectum reliquit.

E

2.Postulabis indulgentiã tuæ instabilitatis,incuriæ & incõstantiæ in bonis: & pertinaciæ ac obstinationis in malis.

3. Desiderabis & petes per idẽ vulnus cordis perfectam perseuerantiam, qua à bono non excidas,pro Dei honore cœpta perficias,& præteritorũ oblitus indefesso proficiendi studio ad anteriora te extendens,per aquam & ignem perfectionis gemmã & brauium supernæ vocationis vsque ad mortẽ inquiras.

Quarta virtus est iustitia, in qua

1. Laudabis Dominum nostrum Iesum Christum ob suam æquissimam iustitiam, qua pro nobis miseris æterno Patri satisfecit, & mundum perditũ ad amissam rectitudinem reuocauit.

2. Postulabis remissionem tuæ iniustitiæ, qua nec prælatis obedientiam & venerationem; nec æqualibus debita obsequia & affabilitatem, nec minoribus bonum exemplum, & ædificationem tribuisti.

3. Desiderabis & petes à Domino per vulnus sanctæ dexteræ suæ perfectam iustitiam: vt scilicet ipsi Deo tuis cogitationibus, verbis & operibus, gloriam tribuas, & superioribus, æqualibus & inferioribus debitam obedientiam, affabilitatem & ædificationem impendas, & nemini iniuriã inferas, & pro tuis peccatis satisfacias, & vocationis tuæ debita diligenter exoluas.

Huic annectitur primò misericordia, in qua

1. Laudabis Dominum Iesum ob suam immensam misericordiam: qua miseretur omnium, & homines & iumenta, id est, iustos & peccatores, si ad eum redeant, saluat.

2. Postulabis remissionem tuæ immisericordiæ, asperitatis, & insensibilitatis, quia videlicet, nec miseris cùm posses, subueneristi, nec blandè illis respõdisti, nec eorum miseriis compassus es.

3. Desiderabis & petes per idem vulnus capitis Domini veram misericordiam, compassionem, benignitatem, & liberalitatem, vt tentatis & afflictis secundùm tuam possibilitatem succurras, ipsorum miseriis condoleas, & pro illis orationem fundas.

Secundò annectitur veritas, in qua

1. Laudabis Dominum Iesum ob suam admirabilem veritatem, qua via & veritas est, & nos omnem veritatem docuit, & omne mẽdacium odio habet.

2. Postulabis remissionem tuorum mendaciorum, falsitatum, & simulationum, quibus aut veritatem abscondisti, aut res aliter quàm erant pronuntiasti.

3. Desiderabis & petes per idem vulnus dexteræ Domini perfectam veritatem, qua vera sentias, vera loquaris, tua vitia & aliorum impugnes, neminem palpes, & sanctissimæ vitæ Domini imitatione vbique conformeris.

Tertiò annectitur gratitudo, in qua

1. Laudabis Dominum Iesum ob suam largissimam gratitudinem, qua minima obsequia nostra eximiis donis & supra id quod petimus aut intelligimus ineffabilibus, rependit.

2. Postulabis remissionem tuæ magnæ ingratitudinis, qua beneficiorum à Domino vel à proximis acceptorum oblitus es: ea neglexisti, aut pro bonis mala retribuisti.

3. Desiderabis & petes per idem vulnus perfectam gratitudinem qua omnia beneficia ab eo vel à creaturis tibi exhibita humiliter recognoscas, dignè ponderes, & summa deuotione pro eis gratias agas. Insuper vt ea purè Deo adscribas, pro ipsis eum laudes, & te omni beneficio indignum reputes.

Quinta virtus est fortituto, in qua

1. Magnificabis Dominum Iesum ob suam insuperabilem fortitudinem, qua exaltatus à terra omnia ad se traxit, & manibus in cruce conclauatis diabolum vicit, peccata nostra extinxit, & mundum subiugauit.

2. Postulabis indulgentiam tuæ pusillanimitatis & vilitatis cordis atque mollitiei: nec non ignauiæ atque torporis, quorum causa in via perfectionis adhuc ferè nihil profeciisti.

3. Desiderabis & petes per vulnus sinistræ manus inuictam fortitudinem qua domineris animo tuo, & sensibus ac viribus tuis: quáque vitia fũditus extirpes, virtutes inseras, mundum, diabolum & carnẽ vincas, opiniones tepidorũ despicias, nihil pertimescas, & inter omnes difficultates fiducialiter trãseas.

Huic annectitur primò castitas, in qua

1. Magnificabis Dominum ob suam virgineam puritatem: nam & ex matre virgine nasci voluit, & virgo ac doctor virginitatis, & seminator castorum consiliorum semper extitit.

2. Postulabis indulgentiam tuæ maximæ impuritatis, siue in cogitationibus, siue in desideriis, aut verbis, aut operibus, quibus & animam tuam infecisti, & in corpus tuum peccasti.

3. Desiderabis & petes per idem vulnus perfectissimam castitatem, qua omnem immunditiam corporis & cordis vehementer detesteris, vniuersas cogitationes & sensus tuos, præsertim oculos, aures, & linguam ab omni impuritate custodias; nimiam hominum familiaritatem vites, & in non voluntariis miseriis corporis ad Dominum forti cordis conuersione recurras.

Secundò annectitur abstinentia, in qua

1. Magnificabis Dominum Iesum ob suam moderatissimam abstinentiam & sobrietatem, qua sanctissimæ carni suæ in nullo indulsit, & omnem superfluitatem cibi & potus ab ea sine vlla difficultate resecauit.

2. Postulabis per idem vulnus indulgentiam omnis intemperantiæ, gulositatis, ingluuiei, & ebrietatis, si non corporis, at spiritus.

3. Desiderabis & petes per idem vulnus perfectam abstinentiam & sobrietatem, qua vires animi, affectus cordis, & sensus mentis ab omni inordinata delectatione & superfluitate restringas, & sola necessaria cum timore & moderatione, & sancta spiritus libertate sumas.

Tertiò annectitur paupertas, in qua

1. Magnificabis Dominum nostrum Iesum ob suam summam paupertatem, qua cùm esset dives pro nobis egenus factus est, & nihil possedit: neque habuit vbi caput suum reclinaret.

2. Postulabis indulgentiam tuæ extremæ auaritiæ, & rerum temporalium cupiditatis, qua superflua concupiscis, & necessariis plus nimio adhæres.

3. Desiderabis & petes per idem vulnus perfectam affectus & operis paupertatem, qua ab omni amore do-

notum ſpiritualium denuderis, ſola Dei poſſeſſione contentus, & ab omni rerum temporalium ſpolieris affectu: quáque neceſſaria parciſſimè accipias, vt in brachiis Domini ab omni amore rei creatæ expeditus requieſcas.

4. Tandem poſtulabis vt hæ virtutes crucem tuam aptè componant, quam ſemper baiules, & in qua cum Chriſto crucifigaris. Ita ſcilicet vt in pedibus geſtes humilitatem, in capite ſapientiã, in corde charitatem, in manu dextera iuſtitiam, & in ſiniſtra fortitudinem. Inſuper vt has virtutes in tuis membris videas, aut ex conſideratione partium corporis ad curas animi tranſeas, & ad virtutum exercitationem accendaris.

Quas virtutes ab Angelis vt eas tibi impetrent poſces.

EXERTICIVM VI.

CONSIDERA te egenum ac mendicum eſſe, qui non aliter vales virtutes comparare, niſi eas quaſi in eleemoſynam à curiæ cœleſtis proceribus poſtulando. Diſcurre animo ac cogitatione per vicos & plateas illius ſupernæ ciuitatis, vt ſtipem ſeu potiùs ornatum virtutum tibi conquiras quo decenter poſſis apparere coram eo, quem diligit anima tua. Hunc ergo affectum pauperis induens ex conſideratione multiplicis miſeriæ tuæ ita te geres:

1. Accedes cogitatione ad Angelum cuſtodem tuum, eúmque enixè rogabis vt te animo ad cœleſtem deferat patriam, & audientiam tibi apud nouem Angelorum ſanctorum choros obtineat.

2 A terrenis animo & cogitatione te abſtrahes, ea deſeres & cœleſtibus te cœtibus inferes, eíſque tua deſideria aperies, & poſtulationibus ac gemitibus, & tuæ nuditatis oſtenſione cœlites ad miſerationem inclinabis.

Tertiò ardenter poſtulabis:

1. A Seraphinis charitatem, qua Deum propter ſeipſum toto corde, tota anima, &c. diligas, & propterea quòd tam patienter tua mala diſſimulauit, & tam immenſa bona retribuit. Item vt proximos tam amicos, quàm inimicos diligas.

2. A Cherubinis ſapientiam vt malitiam peccati, & virtutis pulchritudinem agnoſcas, & Dei maieſtatem ad amorem & reuerentiam, eiúſque voluntatem ad executionem ſcias.

3. A thronis humilitatem vt te deſpicias, & contemni appetas, & in extremo loco conſtituas, & te omnibus viliorem ex corde fatearis.

4. A dominationibus ſanctam libertatem vt peccato non ſeruias, & ſenſus & affectus tuos imperfectionibus eripias, & virtuti ſubiicias, & tyrannidem veteris hominis ſpiritu repugnantis excutias.

5. A poteſtatibus inimicorum animæ victoriam, & ne tentatus diaboli impugnationi ſuccumbas.

6. A virtutibus, vt in omni virtute proficias; vtque in te miracula ſpiritualia faciant, mortuum ſuſcitent, infirmum ſanent, & ab omni malo immi-

A B C D E

nenti liberent.

7. A principatibus ſubiectionem, qua Deo & prælatis propter Deũ obedias.

8. Ab Archangelis fidem, qua ad omne malum fugiendum, & bonum proſequendum mouearis, & in mentis ac corporis munditia te cuſtodias.

9. Ab Angelis auxilium in omnibus huius vitæ ſucceſſibus, & exactam cuſtodiæ diſciplinam.

4. Tandem accedes ad Dominum, & gratias ei ages, quia Angelorum cuſtodia te vallauit, & per interceſſionem eorum has virtutes cõſequi cupies.

Quas virtutes à Sanctis poſtulabis.

EXERTICIVM VII.

ITERVM conſidera te eſſe pauperem, & proprium pauperis (quod eſt oſtiatim mendicare) munus exequere. Pauperis eſt eſurire, ſitire, bona quæ non habet deſiderare, mala quibus premitur, vt ſubſidium conſequatur, oſtendere. Sic & tu cura eſurire gratiam, ſitire iuſtitiam, virtutes concupiſcere, & mala peccatorum tuorum coram Sanctis aperire. Hoc ergo affectu tactus, quaſi alia via per ſupernam illam ciuitatem diſcurre, & ad domicilia Sanctorum eleemoſymam accepturus accede.

1. Ergo ab omnibus Sanctis ſimul auxilium expoſce; te pauperem, nudum, infirmum, vlceribus ſeu peccatis plenum confitere. Eos ob magnam miſericordiam, quam erga mortales habent, & ob ingentes opes quas poſſident laudibus extolle.

2. In ſpeciali poſtulabis:

1. A Patiarchis fidem, ſeu fidei robur & perfectionem, qua æterna efficaciùs agnoſcas, & pro illis terrena deſeras, & impedimenta ſalutis peruincas.

2. A Prophetis ſpem conſequendi æternam ſalutem, quæ in mediis tentationibus te ſtabilem teneat, & deſideria tua ad cœleſtia ducat.

3. Ab Apoſtolis charitatem, vt Deum ſuper omnia diligas, mandata perfectè cuſtodias, & proximorum dilectioni inhæreas.

4. A Martyribus fortitudinem, quæ tuam imbecillitatem roboret, quæ impedimenta virtutis amoueat, & magna agere, & ardua pati faciat.

5. A Pontificibus ſollicitudinem, quæ torporem expellat, impensè in ſalutem tuam & proximorum incumbat, & bona opera perfecta & omnibus numeris abſoluta eliciat.

6. A Doctoribus ſapientiam, qua inter bonum & malum aptè diſcernas, & bonorum meliora, & Deo acceptiora præſumas.

7. A confeſſoribus obedientiam, vt tuam voluntatem proteras, & aliis propter Deum te ſubiicias.

8. A Virginibus caſtitatem, qua corpus & animam in puritate contineas, & omnem immunditiam procul abiicias.

3. Ad omnes Sanctos te conuertes, eósque deprecaberis, vt ſua interceſſione tibi ardentia de-

ſideria

sideria omnis virtutis ac perfectionis iniiciant, vt ad brauium cœlestis vocationis celeriter curras.

Quas virtutes à beata Virgine omnium Angelorum, & Sanctorum Regina petes.

EXERCITIVM VIII.

CONSIDERA regiam illam splendidissimam in qua beata Virgo habitat, à dextris dilecti filij sui in vestitu deaurato, & circumdata virtutum omnium varietate: & postquam domos nobilium, id est, Sanctorum adieris, ad aulam Reginæ cœlorum accedes, vt maiorem donorum abundantiam obtineas.

1. Laudabis beatam Virginem vt magistram omnium virtutum, & apud eam tua desideria virtutum pandes, & omnes vt diuitias quas summopere desideras, ab ea ardenter postulabis.

2. Magnificabis eã propter septẽ virtutes, quibus tamquam liliis ipsius corona contexitur: scilicet

1 Ob eius insignem humilitatem, & veram humilitatem, qua te cognoscas & dispicias petes.

2. Ob filialem timorem, & intimum timorem, quo omnem Dei offensam exhorreas petes.

3. Ob eius promtissimam obedientiam; & promtam obedientiam vt aliis subsis efflagitabis.

4. Ob eius inuictam patientiam; & patientiam in aduersis postulabis.

5. Ob eius stabilissimam constantiam; & constantiam vt incepto bono persistas posces.

6. Ob eius dulcissimam mansuetudinem; & pro mansuetudine ad sustinendas iniurias orabis.

7. Ob eius benignissimam misericordiam; & misericordiam qua miseris compatiaris, & subuenias postulabis.

3. Glorificabis eam ob septẽ gemmas, quibus lilia illa distinguuntur, scilicet

1. Ob virtutem singularem: quia omnia dona in aliis Sanctis sparsa ipsa vna possidet: petésque vt nulla virtute tuæ vocationi debita careas.

2. Ob excellentem munditiam; quia omni peccato etiam originali caruit. Petésque remissionem peccatorum, & vt omnia peccata fugias.

3. Ob pulchritudinem mentis & corporis: petésque castitatis pulchritudinem.

4. Ob splendorem sapientiæ, qua semper optimum perfectè cognouit: postulabísque intimam cognitionem diuinæ maiestatis, & tuæ vilitatis.

5. Ob potentiam fortitudinis; quia omnia potest in cœlo & in terra. Postulabísque fortitudinem vt tuis hostibus resistas.

6. Ob eximiam charitatem, qua cœlites & mortales illuminat: postulabísque modestiæ claritatem, qua alios ad Dei gloriam ædifices.

7. Ob delicioſissimam voluptatem, qua ab vbertate Domus Dei inebriatur. Poscésque terrenarum rerum contemtum.

4. Tandem laudabis eam ob rerum visibilium despicientiam, & perfectum amorem Dei. In hísque duobus eius intercessione promoueri cupies.

Quid boni ad tuam perfectionem cupies.

EXERCITIVM IX.

CONSIDERA virum iustum esse virum desideriorum, qui multa & magna debet desiderare virtutum opera, licèt aliqua illarum ob impossibilitatem minimè perficiat. Eris ergo vir desideriorum, & licèt ob imbecillitatem tuam pauca & exigua facias, tamen desideriis boni nullum terminum impones, positus autẽ coram Domino,

§. 1.

Primò cupies & postulabis:

1. Vt Deus te benignis oculis aspiciat: quia eius aspectus illuminat, inflammat & mundat.

2. Fidem firmissimam, qua quottidie mysteria cœlestia stabiliùs credas, & secundùm præscriptũ eius sanctiùs viuas.

3. Certissimam spem: vt finem tuum æternam beatitudinem certiùs speres, & propter illum bonum bona visibilia despicias.

4. Ardentissimam charitatem: vt Deum ex toto corde diligas, eius mandata custodias, & proximos etiam vt te ipsum diligas.

5. Prudentiam, vt in omnibus meliora & perfectiora ad Dei gloriam eligas.

6. Iustitiam, vt omnibus tum maioribus, tum minoribus, tum æqualibus debita tribuas.

7. Fortitudinem, vt vitiis, vel peccatis resistas, & pro Domino magna facias.

8. Temperantiam, vt in his omnibus quæ ad corpus pertinent debitum modum teneas.

§. 2.

Secundo loco cupies & postulabis:

1. Donum sapientiæ, vt certiùs, clariùs, & efficaciùs diuina cognoscas, & præguſtes.

2. Donum intellectus, vt ad interiora mysteriorum penetres, & quietiùs sine distractione contempleris.

3. Donum consilij, vt à Deo in omnibus mouearis, & meliorum optima seligas.

4. Donum scientiæ, vt in omnibus ad rationem spectantibus agenda & vitanda cognoscas.

5. Donum fortitudinis, vt pro gloria Dei & adeptione perfectionis magna agas, & patiaris.

6. Donum pietatis, vt Deum reuerẽter colas, & fratribus te benignũ exhibeas.

7. Donum timoris, qui te in virtutibus solicitum faciat, & in conspectu Domini te deiiciat.

§. 3.

1. Patris amantissimi tui nomẽ sanctificetur: id est, eius gloria manifestetur, & honor maiestatis eius per orbem totum diffundatur.

2. Regis potentissimi imperium adueniat, & in omnibus hominibus expulsis, vitiorũ hostibus, in hac vita per virtutum fragrantiam, & in altera, per gloriæ communicationem regnet.

3. Sponsi suauissimi voluntas impleatur: vt quemadmodum hæc ab Angelis executioni mandatur in cœlis, ita

Tertio loco petes, & postulabis, vt

& ab hominibus impleatur in terris.

4. A Domino prouidentissimo quotidianus panis præbeatur; & cibus corporis; & multo magis cibus animæ lux, & amor, & sacramentum corporis & sanguinis sui nobis sumendum concedatur.

5. Iudex æquissimus nobis dimittat debita, & perfectam charitatem ad aliis remittendum concedat.

6. Liberator fidelissimus nos à casu in tentationem, & à fœditate peccatorum liberet.

7. Custos fortissimus ab omnibus malis & præcipuè ab eo, qui praua sua voluntate malum se fecit, scilicet à diabolo eripit.

§. 4.

Quarto loco petes & postulabis, vt

1. Deus diues in misericordia det tibi paupertatem spiritus, qua temporalia despicias, elationem abiicias, proprium iudicium & voluntatem deponas, multiplicitatem inanium cogitationum & desideriorum, & teipsum relinquas.

2. Locuples in mansuetudine det tibi mititatem, qua iniurias sereno vultu, & quieto corde sustineas, inimicis ignoscas, & pro eis orationes fundas.

3. Gaudium vniuersæ terræ concedat tibi spiritum luctus, vt intermissiones carnis non quæras, peccata tua & aliorum defleas, & ex desiderio perfectionis, & amoris eius fletum assumas.

4. Satietas animarum nostrarum concedat tibi famem & sitim iustitiæ, vt opera tuæ vocationis perfectè explere gestias: virtutum augmentum vehementer cupias: Deo vniri & veram charitatem, & ei copulari per sumtionem Eucharistiæ, & vt ipse ab omnibus adoretur sitias.

5. Pater misericordissimus largiatur tibi affectum misericordię, quo huius virtutis opera tum spiritualia tum corporalia cum omnibus hominibus miseriam patientibus implere innitaris; & eis ex corde compatiaris.

6. Deus purissimus largiatur tibi munditiam cordis, vt cor tuum à peccatis emundes, & conscientiam tuam sanctis cogitationibus, & affectibus, & bonis operibus purifices, & cordis simplicitate procedas.

7. Deus pacis, & amator chariratis præbeat tibi perfectam cum sua voluntate concordiam; vtque eam cum hominibus habere, & inter eos promouere enitaris.

8. Gubernator æquissimus det tibi vt æquanimiter & lætanter persecutiones patiaris, non propter delicta propria, sed pro fide, religione & iustitia, & pro fuga ac increpatione vitiorum, & pro adeptione ac doctrina virtutum.

§. 5.

Tandem cupies & postulabis gratiam à Domino.

1. Omnia peccata verissimè detesteris.

2. Sẽsus & affectus perfectè cohibeas.

3. Vniuersas virtutes assequaris.

4. Ad intimam Dei familiaritatem aspires.

5. Vnionem ardentissimæ charitatis experiaris.

Qualiter affectum imitationis Christi virtutum assumes.

EXERCITIVM X.

CONSIDERA Christum Dominum fuisse non solùm verbo, verùm multo magis illustrissimis vitæ suæ exemplis omnium virtutum doctorem: in quem anima intuens, & à quo discens virtutes omnes in se delineat. Ex desiderio ergo & postulatione virtutum ad Christi imitationem, & earum assequutionem progredieris. Primóque tibi in generali Dominum tuum vt exemplar virtutum omnium proponas, & sic te ad eius imitationem afficias.

1. Laubabis Dominum vt repositorium thesaurorum sapientiæ, & scientiæ Dei: vt fontem omniũ bonorum, vt diuinitate pulcherrimum, & humanitate speciosissimum, cuius memoria erat sanctarum cogitationum plena, intellectus splendidissima sapientiæ luce refertus, voluntas perfectissima charitate formata. In cuius denique sensibus & affectibus nihil erat quod non summam sanctitatem redoleret.

2. Despicies teipsum vt omnium vitiorum saccum, vniuersorum peccatorum abyssum, qui in peccatis fuisti conceptus, in peccatis natus, peccatis assuetus, & in peccatis perseuerans.

3. Tua vitia odio habebis, quia eis Christo amãtissimo redemtori tuo es dissimilis; quia exteriùs eius insignia portas, illiúsque seruum te profiteris, moribus tamen & actionibus ab eius vita dissentis.

4. Christi virtutes desiderabis: & eas tuas esse diuitias, tuos honores, ac tuas delicias fateberis.

5. Eas addiscere, meditari quasi per partes & actione imitari, ac ad similitudinem earum vitam tuam efformare propones.

6. Christum vt exemplar actionum tuarum semper præsentem cogitare, & modum sanctissimorum operum eius, quoad fieri possit, in tuis actionibus tum internis, tum externis habere constitues.

7. Ad hęc abundantissimam gratiam postulabis.

De imitatione humilitatis Christi.

EXERCITIVM XI.

CONSIDERA Christi Domini humilitatem, verbi gratia, in horto. Cùm suis discipulis carnis infirmitatem manifestauit, genuflexus ac procidens in faciem suam Patrem orauit; creaturæ suæ, id est, Angeli illi apparentis confortationem admisit.

1. Lauda Dominum tuum ob istam suam humilitatem, quia nimirum fortissimus carnis infirmitatem, & vultu præferre, & voce manifestare non erubuit: filius vnigenitus in terra prostatus, quasi seruus orauit, seruum suum quasi exhortantem & confortantem audiuit.

2. Erubesce de tua magna superbia: nam & defectus tuos tum naturales tum morales, ne despi-

cereris

cereris abſcondiſti, in conſpectu maiorum te irreuerenter habuiſti, ſapientiorum monita & conſilia contemſiſti.

3. Deteſtare ſuperbiam tuam, quia ea tibiipſi damnum infers, fratribus ſcandalum præbes, & valde diſſimilis Chriſto exiſtis.

4. Deſiderabis humilitatem vt Chriſtum imiteris, vt prædeſtinatorum inſignibus induaris, & vt iacias vitæ ſpiritualis fundamenta.

5. Statues te illis actionibus humilitatis vacare, quaſi in illo myſterio Chriſti conſpicis, vel illis, quæ tibi magis ſunt neceſſariæ, vt operibus ſuperbiæ reſiſtas.

6. Media ad humilitatem à te præcogitata eliges, & ea interiùs amplecteris, & à te executioni mandanda eſſe decernes.

7. Humilitatem ſuppliciter poſtulabis. Eodem modo fieri debent affectus imitationis paupertatis, puritatis, obediẽtiæ, & patientiæ Chriſti, prout ſuprà ſcripta ſunt vſque ad exercitium 16. incluſiuè. Item & affectus cuiuſcumque alterius virtutis, cuius actus præ oculis habendi ſunt. Diſces autem eos vel ex his quæ nos diximus lib. 3. de Exterminat. mali, & promot. boni. par. 2. vel ex tractatu Magni Alberti de virtutibus.

Qualiter Chriſto compatieris.

EXERCITIVM XII.

MYSTERIVM aliquod paſſionis Domini noſtri Ieſu Chriſti meditaberis. Et ſtatim ad affectum compaſſionis eliciendum ſic te geres:

1. Loquendo cum Domino commemorabis, quis eſt qui patitur; ſcilicet frater tuus primogenitus, qui cùm eſſet vnigenitus Patris carnem noſtram induit vt eſſet primogenitus in multis fratribus. Frater natu maior, ad quem pertinet tota hæreditas Patris, de cuius reliquiis ſuſtentaris. Pater tuus, à quo eſſe & vitam & omne bonum accepiſti. Sponſus tuus qui animam tuam ardentiſſimè diligit. Caput tuum, cui ſi per charitatem iunctus es, viuis. Denique Rex tuus & Deus tuus: intellectu ſapientiſſimus, volũtate innocentiſſimus, conuerſatione grauiſſimus, forma ſpecioſiſſimus, actione vtiliſſimus.

2. Quid patitur tum in corpore, tum in anima? Quid in rebus ſuis? Quid in fama, & in reputatione ſua? Quid in matre, & in diſcipulis ſuis?

3. Quomodo patitur? quanta nimirum humilitate, quanta charitate, quanta mãſuetudine, quanto ſilentio, & animi tranquillitate.

4. Pro quibus patitur? nimirum pro te & ad ſatisfaciendum pro peccatis tuis. Tu es ſuæ cauſſa afflictionis, ſui occaſio doloris. Tu eum triſtitia affeciſti, in agonia conſtituiſti, ſanguineo ſudore coanguſtaſti. Tu inimicis tradidiſti, in vincula coniecisti, flagellis percuſſiſti, ſpinis pupugiſti, clauis perforaſti, in crucem ſuſtuliſti, morti adiudicaſti.

5. Aliquas pœnas & afflictiones in honorem afflictionum Domini ſuſtinere conſtitues.

Qualiter Chriſtum patientem admiraberis.

EXERCITIVM XIII.

POST meditationem alicuius myſterij eiuſdem paſſionis Domini ad affectum admirationis procedes, ſi quatuor mirabilia, quæ in ea contigerunt, cõſideres, & loquendo cõmemores.

1. Quis ſcilicet eſt qui patitur? nempe ipſe filius Dei, qui paſſiones omnium lenit, & cùm expedit, tollit; ille qui eſt excelſior cœlo per altiſſimã poteſtatem, profundior inferno per ſapientiæ immenſitatem, longior terra per ſtabilem æternitatẽ, latior mari per infinitam charitatem; ille denique de quo ſcriptum eſt: Non accedet ad te malum, &c.

2. Quid patitur? nimirum humilitatem, peregrinationẽ, fugã, famem, ſitim, æſtum, tentationes, horrores, perſecutiones, opprobria, vincula, flagella, vulnera, & mortẽ duriſſimã, & alia huiuſmodi.

3. Pro quibus patitur? ſcilicet pro hominibus nequiſſimis, qui ſponte ſe in ſeruos diaboli dediderunt. Iuſtus pro iniuſtis, ſanctus pro viliſſimis, innocens pro ſceleratiſſimis, & filius Dei pro filiis diaboli.

4. A quibus patitur? ab his, quos quæſiturus, redemturus, & liberaturus aduenerat: ab his, quos vt pædagogus erudierat, vt medicus ſanauerat, vt ductor in viam veritatis adduxerat, dominus à mancipiis, pater à filiis, creator à creaturis.

Qualiter de patiente Chriſto exultabis.

EXERCITIVM XIV.

CONSIDERA, vt dictum eſt, aliquod myſterium dominicæ paſſionis, & lætitiam atque exultationem excitabis hoc modo:

Commemorabis loquẽdo cum Domino nouem cauſſas lętitię. Nam eius paſſione hæc bona nobis prouenerũt:

1. Quia Chriſtus mortẽ deleuit, & animas ab iniquitatũ maculis emũdauit.

2. Pœnam remiſit, quæ doloribus Domini, & pœnitentia noſtra per virtutem quam ex ipſo habet dimiſſa eſt.

3. Ignorantiã abſtulit: nam per paſſionem videmus, quàm ſit Chriſtus admirabilis, qui miſericorditer & iuſtè nos redemit. Quàm ſit pretioſa anima, quia eam ſuo ſanguine comparauit. Quàm ſit deſpicabilis mundus, quem contemni iuſſit. Quàm ſit deſiderabilis paradiſus, quem amicis promiſit. Quàm horribilis infernus, à quo vt nos reduceret, tanta ſuſtinuit. Quàm laudabilis virtus, quã per ſeipſum docuit. Quàm culpabilis reatus, à quo tantis laboribus nos emundauit.

4. Diabolum vicit, quem ignominia affecit, & ridiculum nobis expoſuit, & vt à pueris, & à nobis ſuperetur infirmum fecit.

5. Gratiam reſtituit quam primus parens perdidit. Chriſtus autem eam & omnes virtutes & dona, ſua paſſione & ſui ſanguinis pretio nobis coëmit.

6. Gloriam promiſit: nam ſicut paſſio caput noſtrũ in gloriam intulit, ita & nos membra eius in gloriã inuehet.

7. Humanam naturã redemit, quia per paſſionem Domini filij Dei efficimur, & cœleſtibus muneribus decoramur.

8. Naturam angelicam reſtaurauit: nam Chriſtus à ſe redemtos in ſedibus Angelorum qui ceciderũt ſedere fecit.

9. Tandem ſuam clementiam, & diuinas perfectiones oſtẽdit, quia in paſſione ſapientia eius enituit, bonitas illuxit, poteſtas ſe manifeſtauit, miſe-

ricordia & veritas obuiauerunt ſibi, & iuſtitia & pax oſculatæ ſunt.

Qualiter in Chriſto patiente liqueſces.

EXERCITIVM XV.

POSTQVAM aliquod myſterium conſideraueris, conaberis amore liqueſcere. Hoc autem conſequeris ſi attentè conſideres quanto te Deus amore dilexerit.

1. Ergo loquendo cum Domino commemorabis amorem eius erga te, & gratias ages æterno Patri, quia ita te dilexit, vt pro te filium ſuum vnigenitum daret. Laudibus autē extolles eum qui dat, qui eſt, non Rex terrenus, ſed altiſſimus Deus, deprimes etiam eum qui recipit, quia eſt viliſſimus homo; in magno pretio habebis donum, nam eſt ipſe filius Dei.

2. Gratias ages Filio, quia dilexit te amore æterno, & ante mundi conſtitutionem ſecundùm quod Deus eſt: ſecundùm verò quod homo ab inſtanti conceptionis ſuæ: amore gratuito, & ſpontaneo, quia nullum commodum ex tua redemtione ſibi quæſiuit: amore vtili, quia paſſione ſua tot in te beneficia contulit amore ſingulari ac ſi in dilectione nullum ſocium haberes: amore recto, quia ad ſanctitatem vocaris: amore vehementi, qui fecit vt pro te tanta perferret: tandem amore perſeueranti, quia ſemper amauit, & numquam in perpetuum amare ceſſat, & eiſdem modis eum redamare conſtitues.

3. Gratias ages Spiritui ſancto, quia cor Patris & Filij ad tuam redemtionem præſtandam commouit, & ſimul cùm illis operatus eſt; quia ipſe Chriſti aduentum per Prophetas & ſimulacra rerum prænunciauit, promiſit ac præfigurauit. Te ad fidem erexit, & ad amorem Saluatoris inflammauit. In te habitat, à malo retrahit, ad bonum allicit, & ad æternitatem perducit.

Qualiter Chriſto patienti vnieris.

EXERCITIVM XVI.

PRIVS meditaberis, vt dictum eſt, aliquod myſterium dominicæ paſſionis, & conaberis excitare in te deſiderium conformitatis vitæ tuæ cum vita Chriſti. Ad hanc autem aſſequēdam loquendo cum Domino hæc facies:

1. Impedimenta quæ obſtant ne Chriſto copuleris abiicies. Hæc autem ſunt peccata tua, culpæ, exceſſus, immortificationes, inordinatæ paſſiones, vana deſideria, ineptæ cogitationes, quæ in immēſitatem diuini amoris vt abſumantur, proiicies.

2. Poſtulabis ardenter tuum intellectum illuſtrari, voluntatem perfici, ſenſus & appetitus à labe mundare, & animam tuam virtutibus indui: præſertim feruore ad omnia bona opera ritè obeunda, obedientia ad ea quæ tibi iniungentur explenda: patienda ad aduerſa ſuſtinenda, & humilitate vt teipſum deſpicias.

3. Statues in omnibus nō tuū commodū aut honorem, ſed diuinū beneplacitū & honorē quærere.

4. Hanc abiectionem culparum & exceſſuum, adeptionem virtutum rectæ intentionis exercitationem poſtulabis.

Qua ratione te Chriſto offeres.

EXERCITIVM XVII.

CONSIDERA Chriſtum Ieſum Dominū noſtrum factum eſſe oblationem pro te, qui ſemetipſum Patri obtulit in remiſſionem peccatorum noſtrorum, vt Patris indignationem auerteret, & eum nobis placaret. Diſce ex eo te offerre illi, ac tuiipſius oblationem facere, quam pro ſua bonitate ipſe non reſpuet. Hunc autem affectum ſic facies:

1. Gratias ages Domino, quia ipſe pro te ſemetipſum obtulit, & cōfiteberis te hoc & aliis multis nominibus aſtrictum eſſe, vt illi teipſum offeras.

2. Sciens quia Dominus non tam reſpicit donū quàm voluntatem, qua aliquid illi offerimus, te illi voluntate promtiſſima offerre conſtitues.

3. Aſpiciens vilitatem tuam erubeſces te tanto Regi in donum offerre, atque adeò decernes ipſius Domini, qui tibi ſemetipſum dedit, illi oblationem facere, ac te quaſi abſconditum in eo per oblationem quoque tradere.

Quartò ad oblationē accedēs afferres illi,

1. Sanctiſſimam animam eius, & in vnione illius animā tuam, vt eam templum ſui faciat, & abundantiſſima gratia induat.

2. Quietiſſimam eius memoriam ſanctiſſimis rerum ſimilitudinibus ornatam, & in vnione eius memoriam tuā, vt eam ab omni vanitate purificet.

3. Illuminatiſſimum intellectū eius infinita ſapientia refertum: & in vnione eius intellectum tuū, vt eum omni cæcitate purget, & luce fidei ac ſapientiæ perfundat.

4. Pulcherrimam eius voluntatem ardentiſſima charitate decoratam: & in vnione eius voluntatem tuam, vt eam charitatis perfectione repleat.

5. Ordinatiſſimos ſenſus eius internos; & in vnione illorum ſenſus internos tuos, vt ab eis inania remoueat, & rebus diuinis conſiderandis ſeruire faciat.

6. Puriſſimos ſenſus eius externos, & hos in ſpeciali, viſum, auditum, &c. & in vnione illorum ſenſus externos tuos, vt eos ab omni exceſſu purificet.

7. Virgineum corpus eius, & in vnione illius corpus tuum, præſertim linguam, manus, & pedes ad laborandum pro eo, vt ſuorum obſequiorum inſtrumentum efficiat.

5. Tandem offeres totum teipſum, & oblationem acceptam eſſe poſtulabis. Ad eumdem modum poteris offerre Domino opera eius ſanctiſſima, & paſſionem ac vulnera, & in qualibet parte oblationis aliquid conueniens petes.

Qua ratione te Chriſto donabis.

EXERCITIVM XVIII.

CONSIDERA Patrem æternum dediſſe filium in mortem pro te: legémque gratitudinis poſcere, vt tuiipſius illi donationem facias. Ex quo illud conſequeris vt Dominus ſpecialiſſima prouidentia tui curam habeat, tamquam eius, qui iactauit cogitatum ſuū in illum. Ad hanc autem donationem faciendam ita te habebis:

1. Fateberis coram Domino te infinitis titulis ac rationibus illius eſſe, præſertim titulo creationis, conſeruationis, & redemtionis: his autem omnibus (ſi alicuius momenti ſit) velle te, ſponta-

taneam ac liberam tui ac tuorum omnium donationem adiicere.

Secundò gratias ages illi,
- 1. Quia tibi desiderium, & opus voti paupertatis iniecit: illud autem de nouo facies, & quidquid habuisti bonorum temporalium, & habere potuisti illi donabis.
- 2. Quia desiderium & opus voti castitatis dedit, ipsúmque quasi de nouo faciens per illud corpus tuum illi dabis: vt scilicet in omni munditia & puritate contineas. Dabis, inquam, corpus tuum castitati, carnem ne lasciuiat debitæ afflictioni, manus circúspectioni, oculos modestię, aures sepies spinis, ne per eas cócupiscétię virus ingrediatur.
- 3. Quia desiderium & opus voti obedientiæ cóceßit, & ac si illud de nouo faceres per hoc votum dabis illi animam tuam, vt omnibus modis sit illi subiecta, & ab eius iussis numquam deuiet. Item & voluntatem, vt Ecclesiæ ac prælatorum voluntati se accommodet, & secundùm quod iustè imperatum fuerit nolit & velit.

3. Te alienum nẽpe Dei iudicabis atque fateberis: rogabísque illum, vt tui tamquam rei suę curam gerat, & vt te, quasi alienũ respicias, concedat: vtq; illius tamquam Dei tui, & Domini tui curã habeas.

4. Postulabis à Domino ne tibi hanc donationem rescindere aut retractare permittat.

Qua ratione te Deo consecrabis.

EXERCITIVM XIX.

CONSIDERA te esse templũ Dei, secundùm illud Pauli: Nescitis quia templum Dei estis, & spiritus Dei habitat in vobis: es autem templum prophanatum, & peccatis vitiísque destructum, quòd vehementer cupis à Christo sacerdote magno emundari, & spiritualiter consecrari: ad hoc autem

1. Relictis cogitatione omnibus visibilibus ascendes ad teipsum, & colliges te intra te: nam cùm tu melior & altior sis rebus perituris, hoc quod est ingredi ad te, ascendere est.

2. Videbis & lugebis stragem, quam peccatum in te fecit, nimirũ, quia altare cordis tui est inanibus cogitationibus & superfluis desideriis prophanatum, portæ circumspectionis eo ipso quòd non tibi inuigilas, exustæ: in te quottidie herbæ malæ inordinatorũ affectuum germinant & repullulant.

3. Emundabis te ab his non solùm præsenti compunctione, verùm & firmo virtutum exercitationis proposito.

4. Postulabis à Christo sacerdote summo vt ad te dedicandum & consecrandum descendat; vt accendat in intellectu tuo lumina fidei & sapientiæ, quibus ipsum contempleris; inungat voluntatem tuam oleo sanctæ deuotionis, vt quæ eius sunt exequaris: imprimat crucem suam in memoria tua, vt semper eam cogites, & in anima tua ac corpore tuo, vt per mortificationem circumferas.

5. Orabis Dominũ, vt tua hęc desideria exaudiat: te templum suum mundissimum efficiat, & ad mũdana cogitãda aut appetẽda redire non permittat.

Qua ratione te Christo sacrificabis.

EXERCITIVM XX.

CONSIDERA te esse victimam seu sacrificium Domino offerendum: illud scilicet, quod Dauid vocauit sacrificiũ iustitiæ, quia per opera iustitiæ, & lamẽta pœnitẽtiæ debes te in honorẽ Domini immolare, hoc verò ita perficies:

1. Memor illius dicti Mosis: Hæc dicit Dominus Deus Israël: Dimitte populum meum vt sacrificet mihi in deserto, creaturas, & inquietudines, & curas ex eis emergentes cogitatione & affectu relinques, & in quadã solitudine earũ te constitues.

2. Immolabis Domino abominationes Ægyptiorum, id est, peccata & excessus, & immortificationes tuas, eásque Domino per compunctionem, & propositum emendationem mactabis.

3. In operibus iustitiæ, siue bonis erga Deum, erga proximum, erga teipsum omnem sinistram intentionem, omnem negligentiam, & omnem imperfectionem occides.

4. Profiteberis te hæc facere ea intentione, qua sacrificia & hostiæ offerebantur, vt scilicet à pecto mũderis, & pro beneficiis acceptis gratias agas, & noua beneficia recipias.

Qua ratione te Christi holocaustum efficies.

EXERCITIVM XXI.

CONSIDERA Christum Dominum se fecisse in cruce holocaustum pro te, dum totum seipsum igne charitatis incensum obtulit Patri. Dignúmque ac debitum esse, vt tu in manifestationem amoris ac signum gratitudinis holocaustum te ad eius gloriam facias, & nihil tui non oblatum relinquas, sic autem spiritualiter te in holocaustum immolabis.

1. Statues cũ gratia Domini omnẽ in via perfectionis ignauiã & pusillanimitatẽ abiicere, & animum virilem induere, & ad id auxilium postulabis.

2. Omnem immunditiam cordis & operis, in cogitationibus, affectibus, verbis & actionibus abiicies, & te mundum ac purum proposito firmo custodies.

3. Te integrum offeres, dum omnia mandata & statuta tuæ vocationis seruare, & instinctibus Domini, respondere constitues.

4. Pro beneficiis Domini gratias ages, & omnia ex amore, cum amore, & propter amorẽ Dei præstare propones, & sic te totũ quasi igne consumes.

5. Hæc non propter alium finem, nisi propter Dei gloriam te agere profiteberis.

Quónam modo Christo te conformabis in omnibus.

EXERCITIVM XXII.

CONSIDERA te ad hoc natum esse, vt Christo conformeris, & per hanc conformitatem gloriam assequaris. Omnis Christi conuersatio quinque perfectionibus continetur. Hæc autem sunt scientia, amor, opus, passio, perseuerantia. Conformaberis ergo Domino, si in his illum imiteris. Ad hoc autem

- 1. Sapientia imbui, qua Deum ad amorem, ac te ad contemtum, & diuinã voluntatem ad executionem agnoscas.
- 2. Amore donari, quo efficaciter præcepta impleas, & tam amicos quàm inimicos propter Deum diligas.
- 3. Opere perfici, vt tempus scilicet redimas, & in operibus virtutis semper insumas.

Hæc deſiderabis & petes,

4. Patiẽtia roborari, vt neque bona propter adiunctam afflictionẽ aut difficultatẽ relinquas, & moleſtias occurrentes æquo animo & libẽti ſuſtineas.

5. Perſeuerãtia compleri, vt in Dei cognitione, amore, bonis operibus, & in patientia vſque ad extremum diem perſeueres.

Hac eadem gratia Domini adiutus facere, & ad hæc aſſequenda conari propones.

A

Qualiter te habebis erga Deum, proximum ac teipſum.

EXERCITIVM XXIII.

CONSIDERA perfectionem id exigere, vt bene erga Deum, erga proximũ, atque erga teipsũ ordineris. Frequẽter ergo in oratione affectu ſeptiformi ad Deũ & ad proximũ, & ad teipsũ affici curabis. Ad quod deſideriis & poſtulationib⁹ excitaberis. Deſiderabis ergo & petes, vt habeas:

Erga Deum,

1. Amorem perfectiſſimum, quo ei ſua bona velis, de illis gaudeas, quòd ab omnibus cognoſcatur, & diligatur deſideres, de offenſis eius doleas, ipſum omnibus præferas, & mandata eius ſeruare proponas.

2. Timorem caſtiſſimum, quo non tam pœnam peccato debitam, aut infamiam, quàm ipſam peccati malitiam, & Deo diſplicere pertimeſcas.

3. Honorem profundiſſimum, vt eum vt Dominum, Patrem, Regem, ac Deum omnium creatorem maxima reuerentia proſequaris.

4. Zelum ardentiſſimũ, quo eius gloriam, & animarũ ſaluté eſurias & ſitias.

5. Gratitudinem veriſſimam, vt pro omnibus beneficiis hucuſque ſuſceptis, & in tempore atque æternitate ſuſcipiendis gratias agas.

6. Obedientiam promtiſſimam, vt omnibus eius præceptis, conſiliis, & iunctis obedias.

7. Guſtum ſuauitatis eius, vt hac ad veram mortificationem accendaris.

Erga proximũ,

1. Affectũ cõpaſſionis, vt eius mala & aduerſa non aliter quàm tua ſentias.

2. Affectum congratulationis, quo illi proſperitatem habenti congratuleris, & de bonis eius læteris.

3. Affectum ſupportationis, vt moleſtias & importunitates eius æquo animo feras.

4. Affectũ affabilitatis, vt ei blandũ ac benignũ te præbeas, & geſtibus, aut verbis nullam inferas iniuriam.

5. Affectũ reuerẽtiæ, quo fratrẽ reuerearis, & ei te ſubdas, ac ipsũ honores.

6. Affectum concordiæ, vt eadẽ cum illo ſentias, & dicas, & amorem temporalium diſcordiæ cauſſam amoueas.

7. Affectum oblationis vt non tantùm pro teipſo, ſed pro illo, tua opera & labores offeras.

Erga teipſum,

1. Confuſionem extremæ vilitatis, & maximè fœditatis tuæ, ex eo quòd tot vitiis ſubiiceris.

2. Deteſtationem omniũ peccatorũ tuorum, quibus diuinam Maieſtatem offendiſti, & teipſum maculaſti.

3. Humilitatem, qua te contemnas, & omnium hominũ infimum reputes.

4. Rigorem erga corpus tuum, vt illud caſtiges; erga ſenſus & affectus, vt illos cohibeas; erga iudicium & voluntatem, vt ea abneges.

5. Indignationẽ, vt radicibus tuorũ vitiorum & peccatorum indigneris.

6. Feruorem, vt ſollicitè in bonum tendas, & diligenter exequaris.

7. Diſcretionẽ vt in omnibus agendis, & omittendis menſuram ſerues.

B

Hæc omnia non ſunt ſimul, & in eodem tempore orationis petenda, ſed nunc quæ ad Deũ pertinent, nunc quæ ad proximum, nunc quæ ad noſipſos, & cum aliis affectibus vacamus poſtulanda.

Quæ petenda ſunt ad obtinendã perfectionẽ.

EXERCITIVM XXIV.

ALIQANDO etiam cùm aliis affectibus potioribus non excitaris inſtrumenta perfectionis poſtulabis. Hæc autem petes:

1. Claram notitiam tuarum imperfectionum, miſeriarum & infirmitatum.

2. Robur, quo animosè & feruenter impugnes tuas malas propenſiones, affectus & voluntates.

C

3. Timorem, quo formides an pro peccatis ad plenum ſatisfeceris, & ampliùs ea punire cures.

4. Circumſpectionem, ne in priora peccata aut grauiora cadas.

5. Diſciplinæ ſtrenuitatem, vt corpus tuum regas, & ſpiritui ſubiicias.

6. Fortitudinem ad vincendas tentationes, & aduerſitates tolerandas.

7. Cautionem ad fugiendas occaſiones, & perſonas quæ poſſunt te ad peccatum & imperfectionem impellere.

8. Alacritatem ad ferendam crucem ex deſtructione vitiorum, derelictione bonorum temporalium, mortificatione amoris carnalis, & tuiipſius deſpicientia compoſitam.

D

9. Memoriam beneficiorum Dei quæ hactenus recepiſti, & in futurum recipies.

10. Spiritũ orationis, vt hoc ſit officium tuum, cum Domino conuerſari, ſemper orare, & numquam deficere.

11. Guſtum dulcedinis Dei, vt mundus & ea quæ in eo ſunt tibi amareſcant.

12. Deſideriũ exaltandi & propagandi fidẽ catholicam, vt Deus ab omnibus ametur & timeatur.

13. Miſericordiam erga proximos, vt eis in aliqua neceſſitate poſitis ſubuenias.

14. Laudis affectum, vt Deum in omnibus tum proſperis tum aduerſis ſemper laudes.

15. Vt cùm iſta præſtiteris dicas ex corde, quia ſeruus es inutilis, & nihil es, & nihil potes, & nihil vales, & malè Deo ſeruis; qualis qualis tamen es, ſolum Deum concupiſcis.

E

Hæc ſimiliter nõ ſunt ſemper quaſi vno ſpiritu, & ſimul poſtulanda, ſed nunc hæc, nunc illa prout deuotionis ſpiritus tulerit: quæ ſi obtinueris, abſque dubio perfectionem aſſequeris.

Ad laudem & gloriam Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui cum Patre, & Spiritu ſancto viuit & regnat in ſæcula ſæculorum. Amen.

FINIS APPENDICIS.

DE PERFECTA CONTEMPLATIONE.

LIBER QVINTVS.

PROOEMIVM.

Meditationis ad fectus cõ templatio ſubſequitur.

DECVRSIS meditationis & ſanctorum affectuum itineribus ſolet vir ſpiritualis ab eo qui non minus eſt miſericors quàm potens ad perfectam contemplationem vocari, & vt dignus ſit tã nobili & pulchra ſponſa,eius deſideriis vrgeri.Vſurpat ſibi verbum Domini ſui in Cantico Canticorum de Eccleſia dicentis:Aſcendam in palmam,& apprehendam fructus eius.] Eccleſia hîc palmæ aſſimilatur, cui Chriſtus ſponſus amplexu gratiæ coniungitur, vt ex ea tamquam ex arbore ſelectiſſima virtutum actiones colligat, eáſque non aliter quàm fructus ſuauiſſimos apprehendat. Spiritualis autem vir amoris affectibus incitatus, vt Chriſti ſimilitudinem induat, quia audiuit non eſſe bonum hominem eſſe ſolum, haudquaquam ſuſtinet ſolitarius manere, ſed vt perfectiſſimos & pulcherrimos filios cœlo generet, ſponſam aliquam cupit accipere. Non verò inuenitur alia neque in terris, neque in cœlis contemplatione perfectior,quę in hac vita incipit, & in futura omnem perfectionem ſumit, & vſque ad Dei clariſſimum conſpectum venit; quare huic deſiderat connubio caſtiſſimo copulari. Hæc meritò comparatur palmæ: nam palma arbor eſt alta atque procera, ſtipitem quidem nudum habens, folia verò & fructus ſurſum ferẽs. Sic & contemplatio ad altiſſimam quamdam Dei cognitionem erigitur,& fructus planè cœleſtes, & Eccleſiæ vtiles profert, licèt aſpicientibus initia eius,quæ à ſeceſſione, & taciturnitate, & abnegatione incipit,nuda & ſterilis videatur.Rami palmę ſurſum tendunt, & contemplationis radij Deum ipſum ac diuina reſpiciunt.Illa radices altas habet, & firmiter in terra defixas, quæ corpus tantæ molis ſuſtineant:& hæc profundiſſimam humilitatem in corde, & magnam ſui deſpicientiam requirit, quæ in experimento mirabilium donorum, & illuſtrationum ſuperbire neſciat. Palma ſemper viret, & hyemem ac ariditatem ignorat:contemplatio virorem ſemper aut conſolationis aut ſanctæ conuerſationis cuſtodit,& quamdiu ab anima non ſubtrahitur frigus noxiæ tepiditatis exterminat. Illa alterius palmæ quæ maſcula dicitur, ſocietate fructificat, & hæc ſolicitudinis bene operandi adiunctione progerminat.Illa fructus dulciſſimos ac ſaluberrimos profert; hæc virtutes communes

Cant.7. 8.

Geneſ.2. 18.

Contemplatio palmæ ſimilitudinẽ exprimit.

A tranſilit,& ſupremos eorum gradus tamquam fructus ferre contendit. Palma denique diuturnitate præeminet, & quaſi ſine defectu viuit. Similiter cõtemplationis gratia bonis actionibus tranſeuntibus & deficientibus, quia & neceſſitates humanæ,quarum gratia aſſumuntur,excident, in perpetuum permanebit.

Enimuero contemplatio eſt palma, qua ſignatur,diuturnior atque lõgæuior,quia hæc licèt poſt centum vel biſcentum annos,tandem ſeneſcit: at contemplatio Sanctis prærogata in æternum perdurabit. Hæc eſt enim optima Mariæ pars,quæ teſtimonio Domini numquam auferetur ab ea.Quia tranſibit labor multitudinis, vt ſcripſit Auguſtinus, & remanebit charitas vnitatis. Et auferetur à nobis labor bonæ actionis,quando non erit neceſſarius,non vt mens ieiuna maneat, ſed vt melius bonum contemplationis accipiat. Nam in hac vita,vt Proſper Regienſis Epiſcopus ait, incipimus, ſi bene viuimus,& Deo intellectu & affectu iugiter adhæremus vitæ contemplatiuæ, ac actionis illius, nempe contemplationis eſſe participes; in futura verò vita, in qua cum Chriſto regnabimus, perfectæ contemplationis erimus poſſeſſores; qua videbimus Deum non per ſpeculum in ænigmate, ſed facie ad faciem; quando ſimiles ei erimus, & videbimus eum ſicuti eſt. Spiritualis hæc palma, ſicut & illa, quæ ſenſu percipitur bellantibus, ac victoriam de vitiis & concupiſcentiis ſuis reportantibus datur. Et quod ſcriptum eſt in Deuteronomio:Quem iudices iuſtum eſſe perſpexerint,illi iuſtitiæ palmam dabunt,] etiam in ſpiritualibus rebus locum habet, vt qui iuſtè & ſanctè conuerſati fuerint, palmam iſtam contemplationis obtineant. Cùm ergo iam in iſto poſtremo volumine illos alloquamur,qui (vt ſupponimus) abiectis vitiis & peccatis ſeipſos vicerunt,& in omnium virtutum moraliũ adeptionem incubuerunt, & quod in ſe eſt cum gratia Domini, ad donum orationis obtinendum præſtiterunt,meritò eis palmam contemplationis oſtendimus,quam debeant, non quidem ex iuſtitia exigere, ſed ex miſericordia humillimè,ſi expedierit, poſtulare. Habet quippe vera virtus ſuum præmium in cœlis,quo abſque dubio nullus virtutis particeps fraudabitur. Sed vltra illud ſolet Dominus aliquos in hac vita quaſi in partem præmij altiſſima & perfectiſſima contemplatione donare. Quare vtile eſt cuique per ſan-

Contemplatio palmæ diuturnitate longæuior. Luc.10. 42. Aug. 2. ſerm.27. de verbis Domini.

Proſper lib. 1. de vita contemplat. c. 13.

1. Ioan.3 2.

Deuter. 25.1.

Contemplationis palma victoriũ expugnatoribus tantùm obtinenda oſtenditur. Virtutis verę præmiũ certiſſimum.

ctam

ctam conuersationem & assiduam sui abnegationem disposito hanc contemplationis gratiam & desiderare & petere non ob aliud, nisi vt eius præsidio ad maiorem sæculi & terrenorum despicientiam ascendat, & abundantiùs in omni mentis puritate proficiat. Si fuerit ex illis, quibus hoc donũ repositum est, cooperabitur acceptioni eius, dum illud postulat atque desiderat: cùm velit Dominus ad concedendum donum, quod dare decreuit, desideriis & orationibus solicitari. Si verò non fuerit ex illis, quibus hæc gratia donanda sit (neque enim omnes ad supremam contemplationem vocantur) adhuc non erunt superuacua contemplationis desideria, nec postulationes inutiles, quas largus & benignus Deus alio dono quod nobis vtile sit (quandoquidem ob occultas dispositiones suas quod postulabamus denegat) cumulare non desinet.

Contemplationis desiderii debet esse viris spiritualibus creberrimũ, imò iuge.

Hæc itaque sit vox spiritualis viri, qui non exiguos in omni virtute, & in orationis mẽtalis exercitatione progressus fecit. Dixi: Ascendam in palmam, & apprehendam fructus eius. Dixi, inquam, sic cogitaui, & apud me constitui, atque decreui vt in palmam amœnissimam & pulcherrimam contemplationis ascenderem, & fructus eius saluberrimos ac sapidissimos, quos affatim profert, colligerem. Ascendam autem desideriis, postulationibus, gemitibus: nam desiderare & postulare hanc gratiam, flere & gemere præ amore huius sponsæ, quodammodo ascendere est. Hic ascensus per humilia & ardentia desideria mihi à vitiis purgato, virtutibus exornato, ad nonnullam Domini familiaritatem admisso non denegatur; illa verò per gustum & experimẽtum tanti doni aliquando forsitan cõcedetur. Ad hoc sæpe benignus Dominus desideria suscitat, vt desiderata tribuat, ad hoc gemere & flere facit, vt lacrymas per lætitiã ex adeptione boni desiderati prouenientem abstergat. Quis scit, si conuertatur, & ignoscat Dominus defectibus quottidianis meis, & relinquat post se istã benedictionem, & me ad illam lucem ineffabilem, & ad illam beatam vnionem admittat, quam solicitè quæsiui, intentissimè desideraui, numquam tamen per experimentum adquisiui. Si in hac vita non detur, at in futura vita, si perseuerauero, concedetur. Neque quamdiu hîc vixero omnino hac fœlicitate priuabor: quia profecto quodam genus fœlicitatis est magna & excelsa appetere, non vilibus nec sordibus delectari.

Prudenter te geres, vir Dei, si hæc contemplationis desideria frequentes, quoniam verè id desideras quod maius omnibus est. Bona spiritualia excellentiora sunt temporalibus: bonorum autem spiritualium eminentiora sunt scientia & virtus; contemplatio verò perfecta à gratia & dono sapientiæ manans (de hac enim loquimur) vtrumque bonum excedit, quin & eminentissimè comprehendit. Cognoscunt Deum Theologi scholastici, fateor, cognoscunt & mystici, id est, contemplatione perfecti, sed non facile dictu est quantum ista cognitio perfectione & claritate (quæ tamen fidem non tollit, sed perficit illam) excedat. Gerson quidem harum notionum discrimina latè tractauit, sed stylus nunc breui compendio describet. Cognitio Dei scholastica ad intellectum præcipuè pertinet; cognitio Dei mystica non tam cognoscere, quàm amare quærit, & ad astringendũ Deum amoris affectibus se extendit. Illa adquiritur in schola intellectus vehementi studio, disputationibus, ratiocinationibus & argumentis: hæc in scho-

Bona spiritualia temporalibus excellentiora.

Gerson de mystica Theolog. Discrimẽ inter scholasticam & mysticam cognitionem.

A la affectus, & religionis puritate vitæ, desideriis, suspiriis, postulationibus, & exercitatione virtutum. Illa in adquirente ingenij claritatem & aliarum disciplinarum non mediocrem apparatũ exigit: hæc animum simplicem & purgatum (licèt scientiarum humanarum expertem) requirit. Illa si in hominibus sit virtutibus vacuo verba Dei & eloquia Scripturarum sanctarum ore loquitur; hęc licèt interdum loqui nesciat, sensum tamen verborum assequitur. Illa non semel hominibus superbis & arrogantibus & ambitiosis datur, sicut & diuitiæ, & alia naturalia bona: hæc humilibus, mortificatis, & puris mente conceditur. Vnde apud illos priores de hac mystica sapientia loqui non oportet, ne sanctum demus canibus, & margaritas mittamus ante porcos. Et quia animalis homo nõ percipit quæ sunt spiritus Dei; qui profectò requiescit super humilem, & quietum & trementem ad sermones eius. Illa seruire potest vitiis, & vanis hominum desideriis; hæc virtutum perfectarum adeptioni prodest, & non nisi valde à longè & ad modicum tempus peruerso fini seruire valet. Hoc discrimen explicandum est. Scientiam etiam theologicam multi ad quæstum, ad honores, & dignitates, immo & ad aliorum seductionem ordinant. Quæ cùm de se sanctissima sit, & Ecclesiæ Dei admodum necessaria, ex parte habentium potest vocari terrena, animalis, diabolica. An non doctrinã Dei terrenam facies, si eam ad agglomerãdas opes inflectas? An non animalem, si ad tuas ambitiones, & dignitatum atque honorum concupiscentiam deriues? An non diabolicam, si ad proximorum seductionem, & ad tuorum vitiorum defensionem ordines? At cognitio contemplationis in vera charitate fundata, & à dono sapientiæ procedens, in Dei amorem, & in mentis puritatem, & in omnem virtutem tendit. Quòd si quis ea abuti velit, sicut abuti potest fide vel spe, vel sacramentis Ecclesiæ, Deus suum donum subtrahet, & hominem aut contemplatione vacuum, aut (quod vltio terribilior erit) aliqua contemplationis vmbra deceptum relinquet. Hîc ergo locum habet dictum Pauli: Scientia inflat, charitas verò ædificat.] Quia videlicet sola scientia absque amore Dei & veris virtutibus solet mentem efferre, & magnos elationis spiritus excitare: at contemplatio Christiana & perfecta, quam Dei charitas comitatur & perficit, consueuit animam veste nuptiali puritatis ornare, & omnem cordis extollentiam deprimere.

Matth. 7. 6. 1. Cor. 2. 14. Isaiæ 66. 2.

1. Cor. 8. 1.

Aliud etiam discrimen inuenies inter cognitionem Dei habitam per scientiam, & habitam per veram contemplationem: quale inter musicum regulas artis solùm speculantem, & inter eas ad practicam applicantem facile est reperire. Quòd ille quidem sciet de regulis ad concentum & harmoniam pertinentibus aptè differere, nesciet tamen canere, & si id tentet, ad risum & sui contemtum audientes mouebit. Hic verò forsitan de regulis artis, & de tono vocis loqui nesciet, optimè tamen & suauiter canet, & audientes oblectabit, & in admirationem adducet. Sic prorsus, qui Theologiam scholasticam didicimus, multa sæpe de Deo aptè & verè, sed instar picarum, aut psittacorum dicimus, multa documenta virtutũ moralium & theologicarum tradimus, admiranda de contemplatione & rebus interioribus dicimus, & à vera virtute, & rerum spiritualium experimento ieiuni, cùm operamur aliter quàm docemus, risui & ludibrio nos exponimus. Dono verò perfectæ contemplationis cumulati fortè in loquendo & differendo

Discrimen 2. inter cognitionẽ habitam per scientiam & per contemplationem.

nobis primas partes dabunt, at in agendo & altè de Domino sentiendo longè nobis superiores apparebunt: quos qui æqui censores sunt rerum, meritò admirabuntur. Tandem cognitio scientiæ solius animum non quietat, nec satiat. Vnde est illud Salomonis: Non saturatur oculus visu, nec auris auditu impletur.] Et rursus: Eo quòd in multa sapientia multa sit indignatio, & qui addit scientiam addit & laborem.] Hinc etiam illud Socratis apud Laertium: Hoc vnum scio me nihil scire: quia reuera quo magis scimus eo magis animaduertimus quantum sit quod ignoramus. Et quia nostra scientia tam est ambiguitatum & obscuritatum plena, vt potiùs ignorantia debeat appellari. Neque vmquam ad finem peruenimus, sed post multos annos importuni laboris, quasi in disciplinæ initiis hæremus. Egregiè Philo Iudæorum disertissimus, scientiam puteo profundissimo comparauit, ad cuius finem numquam datur peruenire. Hoc autem simile eloquentissimè persequens inter alia sic ait: Breuis enim vita, vt quidam inquit, ars longa: cuius amplitudinem is optimè cognoscit, qui in eam descendit profundiùs tamquam puteum fodiens: qualis quidem iam canus, decrepitus, capularis senex illacrymasse fertur, non ob ignauiam, metúmve mortis, sed scientiæ desiderio, quasi tum primùm eam adiret, quando relinquenda erat. Viget enim semper ad scientias anima, cùm vires corporis longa ætate marcescant, & langueant. Ergo priusquam ad quamdam ceu pubertatem exquisitioris doctrinæ perueniatur, periculosiùs lapsus est.

Cognitio per scientiã animum non quietat.

Eccl. 1. 8.

Eccl. 1. 18.

Cognitio verò sanctæ contemplationis quietat & satiat animam, vt terrena gustare non libeat. Quod indicauit Petrus in monte dicens: Domine, bonum est nos hîc esse.] Certè in speculam altissimæ cuiusdam contemplationis euectus ad infima redire dedignatur, & illius diuinæ claritatis visione satiatus, nihil aliud sibi aut quærendum, aut diligendum obiicitur. Sed audi Bernardum quid de hac satietate Petri, & quiete sanctæ contemplationis scribat. Quis mihi tribuat, vt omnes surgentes stetis in excelso, & videatis exultationem quæ ventura est vobis à Domino? Non sit molestum vobis obsecro, quòd in monte hoc aliquanto diutius immoramur. Poterimus enim cæteros festinantiùs pertransire. Verumtamen in isto quem non detineat scientia illa sancti Petri, quam in eo protulit, & de eo Domine (inquiens) bonum est nos hîc esse? Quid est, bonum est, immo quid aliud videtur bonum quàm in bonis animam demorari, quandoquidem adhuc corpus non potest? Puto quod eius qui ingrediebatur in locum tabernaculi admirabilis vsque ad domum Dei, in voce exultationis & confessionis sonus epulantis fuerit. Bonum est nos hîc esse. Quis enim ex vobis secum cogitans futuram illam vitam, sed lætitiam, sed iucunditatem, sed beatitudinem, sed gloriam filiorum Dei: quis (inquam) talia tranquilla secum conscientia voluens, non continuò de plenitudine intimæ suauitatis eructat: Domine bonum est nos hîc esse? Non sanè in hac ærumnosa peregrinatione vbi corpore detinetur, sed in suaui ac salubri illa cogitatione in qua corde versatur. Quis mihi dabit pennas sicut columbæ, & volabo & requiescam? Vos autem filij hominum, filij hominis qui descendit de Hierusalem in Hiericho, filij hominum vsquequo graui corde? Ascendite ad cor altum, & exaltabitur Deus. Hic est enim mons in quo transfiguratus Christus. Ascendite, & scietis quoniam Dominus sanctum suum mirificauit. Obsecro vos fratres mei, non grauentur corda vestra in curis sæcularibus: nam de crapula & ebrietate (gratias Deo) non magnopere necesse habeo vos admonere. Exonerate obsecro corda vestra graui molè terrenarum cogitationum, vt sciatis mirificatum à Domino sanctum suum. Leuate corda vestra cum manibus quibusdam cogitationum, vt transfiguratum Dominũ videatis. Formate in cordibus vestris non modò Patriarcharum & Prophetarum tabernacula, sed omnes domus illius cœlestis multiplices mansiones secundùm eum, qui circuibat immolans in tabernaculo, Domini hostiam vociferationis, cantans Domino, & Psalmum illum dicens: Quàm dilecta tabernacula tua Domine virtutum, cõcupiscit, & deficit anima mea in atria Domini.] Sic ille. Vide igitur quomodo contemplatio aliam Dei cognitionem studio & industria nostra adquisitam excedat, & quantis rationibus debeat ipsi præferri, & ardentioribus desideriis ac studiis inquiri.

Cognitio sancta cõ templationis quietat, & satiat. Matth. 17. 4.

Bernard. ser. 4. de Ascen.

Sed si de virtute sermo sit, contemplatio per se accepta non est omnis virtus, at infert omnem virtutem non tantùm in ordinario & mediocri gradu, sed in gradu sublimi, atque perfecto. Contemplatio namque Sanctorum, quæ charitatem habet partem sui, cor hominis ardere facit, & hoc beato ardore ad perfectissimos omnium virtutum actus propter Deum & proximum suscipiendos accendit. Quamobrem licèt amor vel charitas in Deum vna tãtùm virtus sit, tamen ad omnia mandata custodienda (vt notauit Basilius) nos mittit. Et ideo legimus: Qui diligit me, mandata mea seruabit: quoniam sicut ignis iste corporeus lumine & scintillis emicantibus aperitur, ita amoris ignis mandatorum custodia & actionibus vniuersarum virtutum ostenditur. Si ascenderis, ô anima, in hanc contemplationis palmam, apprehendes fructus eius; vel vt Septuaginta verterunt: Apprehendes altitudines eius. Quia nimirum fructus quos profert, non sunt quæcumque, sed sublimes virtutum actiones. Vnde si attentè perspicias, videbis ad donum contemplationis admissos non tantùm humiles, sed humillimos, non vtcumque pauperes, sed pauperrimos: non castos mediocriter, sed castissimos & Angelorum puritatem æmulantes: non obedientes, sed obedientissimos. Breuiter transcursis mediis virtutum gradibus, quos proficientes præsidio meditationis obtinent, cacumina virtutum pertingunt. Lux enim illa magna & insolita, qua vndequaque cinguntur, omnem caliginem vitiorum dissipat, & ad virtutum altitudines vocat. Nec putat ille, qui tanta recipit se gratum animum habere, si sola communia virtutis opera faciat, & non ad eius altitudinem & summam perfectionem tota auiditate contendat. Profectò, ô anima, si hanc palmam ascenderis, erunt vbera tua sicut botri vineæ, & odor oris tui sicut malorum. In tantum virtute excelles, vt non tibi soli, sed & aliis sufficias. Habebis vbera pietatis vt racemos vineæ maturos atque perfectos, quibus tibi commissos abundè sustentes. Habebis os doctrina veritatis instructum, ad quod qui propiùs accesserint, quasi suauissimum malorum odorem quo oblectentur percipient. Neque ab hac expositione longè discessit Gregorius. Siquidem, ait, quòd sponsa vberibus charitatis proximos quosque nutrit, & in vnius prædicatione fidei multas esse virtutes ostendit.

Contemplatio, si nõ omnis virtus, infert tamẽ omnẽ virtutẽ.

Basil. reg. 2.

Cant. 7. 8.

Greg. ibi.

Contemplationis excellentia explicantur. Prou. 2.7

Ascendamus itaque ardentissimis desideriis in contemplationis palmam, vt in omni virtute crescamus. Custodiet hæc vera sapientia rectorum salutem, & proteget gradientes simpliciter, seruans semitas iustitiæ, & vias Sanctorum custodiens. Custodit vtique iustorum salutem, quia illos ab omni inualetudine imperfectionum auertit; protegit eos dum tentationum diaboli notitiam infert; seruat præcepta iustitiæ ex eo quòd ad virtutum exercitationem abluit: & vias Sanctorum tenet, quia ad consiliorum euangelicorum obseruationem mouet. Hanc, vt alio loco diximus, Rachel pulcherrima præsignauit, cui fuit filius nomine Ioseph, quod interpretatur augmentum. Nam contemplatio in filio crescit, adeò vt quamuis nonnumquam genitrix moriatur, & contemplatio ad tempus dispositione Domini subtrahatur, filius tamen natus ex ea scilicet virtutum promotio & perfectio superst. O quã suauis & honorabilis filius, de quo spiritualis Iacob Pater eius dicit: Filius accrescẽs Ioseph, filius accrescẽs, & decorus aspectu, filiæ discurrerunt super murum.] Patriarcha hic castissimus virtutis augmentum à contemplatione procedens egregiè notat. Est filius bis accrescens, quia erga Deum & homines augmentum perfectionis sumit. Tam magnum enim est & excellens, vt non tantùm Deus ipsum videat, qui intuetur cor, verùm & homines ex signis, quæ exteriùs parent, & si cæci sint, illud ignorare non possint. Est decorus aspectu, & adeò pulcher aspicientium oculis vt animæ sanctæ tantam virtutem, & mentis puritatem videre appetant, & vel ex aspectu, si occasio conuersandi non detur, proficere concupiscant. Id quidem animæ feruidorum faciunt, at imperfecti & discoli, qui nollent perfectorum exemplo damnari, exasperauerunt, & amaritudine impleuerunt eum, & iurgati sunt, inuiderúntque illi habentes mordacium verborum iacula. Sed non timeat, qui cõtemplatione donatus ita in omni virtute crescit, quoniam sedebit in forti arcus eius, fortitudo eius detractionibus maleuolorum non confringetur, & vt supremum verticem virtutis apprehendat, dissoluentur vincula brachiorum eius per manũ Dei potentis Iacob. Et inde, si in Deo confisus fueris, ad aliorum profectum assumeris, & pastor egredieris, ac lapis Israël. Hæc dicta sunt, vt videamus quantum sit augmentum virtutum ex contemplatione profectum, quod bonos & sanctitatem sitientes ad maiorem profectum incitat, & malos disciplinam odientes splendore suæ lucis excæcat.

Gen. 49. 22.

Qui media contemplatione in virtutibus crescũt, sunt Christi bonus odor. 2. Cor. 2. 15.

Fit sanè interdum in his qui contemplatione in virtutibus crescunt, illud quod de se ac de Apostolis scripsit Paulus: Christi bonus odor sumus in his qui salui fiunt, & in his qui pereunt; aliis quidem odor mortis in mortem; aliis autem odor vitæ in vitam.] Vtrisque certè bonus odor, quoniam boni bono odore sanctitatis gaudent, mali verò non graueolentiæ, id est, peccatis & vitiis, sed bono odori, id est, virtutibus, inuident. Istis est odor mortis in mortem, quia ex bonitate aliorum peiores fiunt; illis odor vitæ in vitam, quoniam ad maiorem virtutem proficiunt. Nec mirum quòd vna eadémque virtus malis bonísque proposita dissitos, & planè aduersos effectus sortiatur, quia id ex diuersa patientium dispositione proficiscitur. Iuxta inditum namque cuique affectum, inquit Gregorius Nissenus apud OEcumenium, suauis odor aut viuificatiuus est, aut mortifer, quemadmodum si idem vnguentum scarabeo & columbæ proponatur, non idem in vtroque efficiet, sed columba

Bono cõtemplationis odore mali deficiunt, boni proficiunt. Gregor. Niss.

A quidem robustior per suauem vnguenti odorem redditur, scarabeus verò interimitur.] Ignis sanè aurum splendidius reddit, tribulos & spinas exurit. Sol ceram liquefacit, lutum indurat: & ex eisdem floribus apes fauos fabricant, at araneæ venena generant. Sic ex eadem perfectorum virtute boni crescunt, mali deficiunt. Et quemadmodum Christus positus est in ruinam & in resurrectionem multorum in Israel, ita & hæc pulchra membra eius quibusdam, qui imitantur, profectum virtutum; aliis verò, qui de bono detrahunt, detrimentum important. Si ergo contemplatio Dei notitiam sublimiorem & virtutum perfectionem affert, non mirum si & huius vitæ fœlicitas ac summum bonum iudicetur, illud quidem bonum

B ex sententia Cassiani, quod sine intermissione vlla Paulus carne circumdatus & negotiis Ecclesiæ occupatus apprehendere non valebat. Ideo ita conquerebatur: Non quod volo bonum, scilicet sine interruptione Deo intellectu & affectu adhærere, hoc facio: nam & somno opprimor, & imbecillitati carnis consulo: quod verò nolo malum hoc ago, quia vel occupationibus, vel ipsa necessitate naturæ coactus interdum ab illo summo bono aliquantulum distrahor.

Luce 2. 34.

Rom. 7. 19.

Sed iucundum erit super hac sententia Cassianum loquentem audire. Quid ergo est, inquit, vnum quod illis tantis támque innumeris bonis tam incomparabiliter præponatur, vt spretis abiectísque omnibus solùm debeat possideri? Nimirum illa pars optima, cuius magnificentiam ac perpetuitatem cum relicto susceptionis atque humanitatis officio Maria præelegisset, ita prædicatur à Domino: Martha, Martha, solicita es, & turbaris circa multa, paucis verò opus est, aut etiam

C vno. Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab eo. Vna ergo & sola est theoria, id est, contemplatio Dei, cui meritò omnia iustificationum merita vniuersa virtutum studia postponuntur, & illa quidem omnia quæ in Apostolo Paulo fuisse prædiximus, non solùm bona & vtilia, verumetiam magna atque præclara sunt: sed sicut, v. g. stanni metallum, quod alicuius vtilitatis & gratiæ putabatur, fit argenti contemplatione vilissimum, & rursum auri comparatione meritum euanescit argenti, aurum quoque ipsum gemmarum collatione contemnitur, & ipsarum nihilominus quamuis insignium multitudo gemmarum vnius margaritæ vincitur claritate; ita illa omnia merita sanctitatis, quamuis non solùm ad præsens bona ei vtilia sint, verumetiam donum æternitatis acquirant; tamen si diuinæ contemplationis meritis conferantur, vilia atque (vt ita dixerim)

D vendibilia censebuntur. Et vt hanc eamdem comparationem etiam Scripturarum confirmet authoritas, nónne de vniuersis quæ à Deo creata sunt generaliter scriptum pronunciat, dicẽs: Et ecce omnia quæ fecit Deus bona valde? & iterum: Vniuersa quę fecit Deus bona in tẽpore suo? Hæc igitur quę

E in præsenti non solùm bona simpliciter, verumetiã cum additamento valde bona pronunciantur (sunt enim reuera in hoc mundo cum morãtibus nobis, aut ad vsum vitæ, aut ad corporis medicinam, aut ad aliquam causſam ignotę nobis vtilitatis accommoda; vel certè in eo etiam valde bona, quòd faciunt nos inuisibilia Dei à creatura mundi per ea quæ facta sunt intellecta conspicere, sempiternam quoque virtutem eius ac diuinitatem, ex tanta támque ordinata molitione fabricæ mundalis, & omnia, quæ in eo sunt subsistentia contemplari)

Cassian. coll. 23. c. 3. Bellissimũ Cassiani de contemplatione eulogiũ.

hæc tamen omnia nec boni nomen tenebunt, si futuro illi sæculo comparentur, vbi bonorum nulla immutatio, nulla est veræ beatitudinis formidãda corruptio. Cuius mundi ita beatitudo describitur: Erit lux lunæ sicut lux Solis; & lux Solis septempliciter sicut lux septem dierum. Magna igitur hæc & præclara intuitu atque mirifica, si futuris ex fide repromissionibus conferantur, continuò vanitas apparebunt, dicente Dauid: Omnes sicut vestimentum veterascent, & sicut opertorium mutabis eos, & mutabuntur, tu autem idem ipse es, & anni tui nó deficient. Ergo quia nihil est per semetipsum stabile, nihil immutabile, nihil bonũ nisi Deitas sola, omnes verò creaturæ vt beatitudinem æternitatis vel immutabilitatis obtineant, non hoc per suam naturam, sed per creatoris sui participationem & per gratiam cõsequuntur, tenere meritum bonitatis creatori suo collatæ non possunt. Et post multa alia in hanc eamdem sententiam allata tandem concludit: Ita igitur & vniuersarum virtutum merita, quæ superiùs comprehendi, cùm per se bona atque pretiosa sint, tamen theoreticæ claritatis comparatione fuscantur. Multum etenim Sanctos, quamuis bonorum operum, terrenis tamen studiis occupatos à contemplatione illius summi boni retrahunt ac retardant.] Hactenus Cassianus.

Contemplationis studium nos debet ab studio aliorũ operũ bonorum auocare.

Huius tamen eximij boni desiderium non debet nos ab studio aliorum bonorum operum auocare, sine quibus in eo gradu atque in ea iugitate, quam secundùm huius vitæ possibilitatem vnicuiq; Deus dare disposuit non poterit permanere. Voluntas enim Dei est, vt studeamus bonis operibus inhærere, quorum labore ad gratiam contemplationis præparemur. Post laborem sequitur requies, & post bellum & victoriam pax: & adepta pace etiam laborandum est, & actionibus propriæ vocationis curandum, ne pax ista à nobis fugiat; & prior obscuritas & distractio conualescat. Nec putet aliquis se actionibus bonis statui debitis præcipuæ saluti animarum vtilibus à dono contemplationis excludi, immo sciat se ad illud mirabiliter præparari. Quod nos non solùm ratione & Patrum authoritate, & exemplo antiquorum nouimus, sed nunc hodie propriis manibus contrectamus. Sumus enim ac habitamus inter aliquos in animarum salutem strenuè incumbentes, confessiones fidelium excipientes, concionantes, & in xenodochiis pauperes consolantes, quos Deus ad tantam gratiam contemplationis extulit, vt cum illis antiquis anachoritis, de quibus tanta in hoc genere orationis narrantur, sint meritò conferendi. Ostenditque Deus hoc esse donum suum ex mera sua voluntate dependens, quod non semel in ea perfectione, quam scribemus, solitariis negat, & occupatis ob eius gloriam in litterarum studiis & animarum ministeriis non semel etiam dare consueuit. Atque adeò si quis est contemplationis auidus, hæc scripta aut alia similia legens si se actionibus, quas pro ratione status declinare non potest, occupatum, & quasi ligatum viderit, non desperet, immo potiùs eisdem operibus, & vitæ munditie se ad eam præparet, & ita si sibi expedierit, obtinebit. Eia igitur, ô homo Dei, qui vitam perfectam desiderabas, & dies bonos atque iucundos & sanctorum operum plenos cupiebas: qui exterminasti peccatorum & vitiorum malum, & nisus es assequi vniuersarum virtutum bonum; qui per studium sanctæ meditationis, & sanctæ affectionis quæ sinisti pacem contemplationis, ecce il-

Ad studium cõtemplationis adhortatio.

A lam in hoc postremo volumine tibi proponimus, sequere eam: sequere intellectu attentè legendo & ruminando: sequere voluntate appetendo & oratione postulando: sequere his, quæ statim dicemus ad eam te præparando, & certissimè scias tuum laborem non futurum inanem, sed quod Deus aut gratiam cõtemplationis dabit, aut quod tibi magis expediat. Si ita faceris, roga Dominum, vt fiat pax in virtute tua, & abundantia in turribus tuis, vt in suprema arce ac in vertice spiritus tui Deus misericors hanc pacem faciat, & ex ea in omnes vires tuas abundantia vniuersarum virtutum descendat, quibus pacem illam interiorem serues, quę omnem humanum sensum exuperat.

Psal. 121. 7.

B Ego verò tractaturus materiam istam, qua in rebus spiritualibus nulla sublimior, nulla diuinior, nulla difficilior, contremui ad aspectum maiestatis sapientiæ huius, formidans, ne scrutator eius fieri volens, opprimerer ab eius gloria. Expaui, ne superbia & presumtio vexarent me, quæ magna & ardua aggredientes impugnant. Timui quoque nedũ sine harum rerum sublimium experientia loquor, eas pro dignitate explicare non possim, & dum euoluo, magis inuoluam. Hæc verò obstare non debent, quominus cœpta persequar, & ad finem huius operis curram: quod certè imperfectum maneret, si contemplationis disputationem omitterem. Non in me sed in diuina bonitate hucusque me suauissimè ducente confido, & eius opera admiranda quę in viris perfectis efficit ad ipsius laudem & gloriam reuelare contendo. Nec etiam præsumtionis possum argui, aut alicuius puerilis gloriæ titillationibus impugnari, qui non mea sed Scripturæ sacræ, ac Doctorum sanctorum dicta perscribo, & quod ipsi variis in locis docuerunt, collectum & paruulis accommodatum in medium profero. Nec tandem defectu experientię deterreor, quia sanctę Theologiæ amator, & multis annis professor, materiam theologicam, licet non solùm ad erudiendum intellectum, sed etiam ad mouendum affectum, cum Theologis disputo. Euenit autem in hac scientia, & in aliis quod optimè Gerson annotauit, vt pauci sint qui omnia principia earum per experimentum acceperint, multi verò, qui credentes experimentis priorum, illas non insufficienter tradiderint. Hinc Pythagoras monebat discipulos suos vt per quinquennium audita ab eo crederent, & silerent. Hinc Plato dicebat sumendum esse ex credulitate compendium. Hinc Aristoteles affirmabat addiscentem oportere credere. Immo & Paulus dixit: Credere enim oportet accedentem ad eum quia est, & inquirentibus se remunerator sit.] Credimus ergo expertis, quos non dubitamus, immo certissimè scimus vera scripsisse, & docuisse, & dictis ac sensibus eorum inhærentes sublimia hæc contemplationis arcana declaramus. Si autem iuuat non tantùm scripta sanctorum legisse & considerasse, verùm & expertos audisse & interrogasse, & in adyta conscientiarum ipsorũ introiisse, id certè datũ est nobis ab eo, qui voluit nos ad res spirituales scribendas accingi. Conuersati enim sumus non semel aut bis, sed multis annis cum quibusdã paucis viris & fœminis ad tantam gratiã contemplationis subuectis, vt si, quæ accipiunt, explanarentur, summę admirationi essent, & nobis qui audiuimus, qui animas istas reximus, qui earum puritatem vitæ & extraordinariam virtutem manibus contrectauerimus, non possumus non ad scribendum summè proficere. Hæc autem omnia ad verè & vtiliter

Materiei tractatus huius eximia præstãtia terret tractaturũ.

Gerson de Theol. mysl. spec. cons. 4.

Hebr. 11. 6.

loquendum nihil ſunt, Domine, niſi tu, qui author es veritatis, me doceas, vt dona tua Sanctis cuſtodita intelligam, & intellecta vere & perſpicuè conſcribam. Oro ergo te per omnes miſerationes tuas, vt opus quod cœpiſti perficias, & doctrinam A iſtam per ſe difficilem ita aperias vt digni eam intelligant, & intelligentes ſe ad tua dona capienda diſponant, & admirentur, & laudent bonitatem tuã, qui ad res tam admirãdas animas humiles extollis, & in hac vita hauſtu cœleſtis beatitudinis reples.

PARS PRIMA

De triplici apparatu ad contemplationem.

INTRODVCTIO.

VNIVERSA quæ de expellendis peccatis, extinguendis vitiis, domandis paſſionibus, & adquirendis virtutibus, in libris de exterminatione mali & promotione boni dicta ſunt, ad præparationem contemplationis ſpectant, necnon & illa, quæ in præmiſſis de meditatione & affectibus expoſuimus, inſuper & alia nonnulla, quæ hactenus ex profeſſo tractata non ſunt, & nunc in medium proferemus. Quia tamen moleſtum eſſet ad tam longos tractatus contemplationis amatores remittere, viſum eſt nobis ea quæ latiùs explicata ſunt ſuccinctè, nouis tamen rationibus & Scripturæ ac Sanctorum dictis repetere, & ea quæ tantùm delibata ſunt, latiùs perſequi, vt in hoc primo tractatu plenum ad contemplationem apparatum habeamus, & certis quibuſdam regulis circumſcriptum, faciliùs illum memoriter retinere & opere exercere poſſimus. Quin & vt tractatio ſit euidentior, quæcumque nos ad contemplationem perfectam præparant, triplici apparatu comprehendimus. Quorum primus vocatur Impedimentorum ſubmotio, ſecundus Præſentia diuina, tertius Continua oratio. Nam qui impedimenta veræ virtutis depulerit, & intellectu & affectu Domino iugiter adhæſerit, & pro huius vitæ poſſibilitate aſſiduæ orationi inſiterit, paratus erit, vt ad gratiam contemplationis ſubuehatur. Hic enim funiculus triplex, qui proculdubio difficile rumpitur, non ſolùm potens erit, vt eo adiuti tepiditati vitæ, quæ contra nos præualere ſolet, reſiſtamus, verùm & contemplationis donum de largitate diuinæ maieſtatis impetremus. His ergo tribus Dominus nos inſtructos ac paratos inueniat, vt, ſi nobis expedierit, ad lucem extraordinariam & affectus eius mirabiliter ſublimari, ſuauiter hoc opus in cordibus noſtris efficiat. Nam ad ſuauitatem prouidentiæ eius pertinet priùs animam expolire; & poſtea ad amplexus ineffabilis ſuæ dignationis admittere. Iam igitur, ô vir Dei, aurem verbis meis, & cor intelligentiæ & manus actioni para, ſi huius gratiæ contemplationis amator exiſtis.

APPARATVS PRIMVS: Impedimentorum ſubmotio.

Amouenda eſſe contẽplationis impedimenta.

CAPVT I.

Duo modi ad contemplationis gratiam perueniendi.

DVOBVS modis ſolet animus ad contemplationis gratiam peruenire; altetero per ſolam Dei gratiam, altero per diuinam gratiam excitantem & adiuuãtem hominis propriam induſtriam. Qui primo illo modo perueniunt, dicuntur pertrahi, vel rapi: qui ſecundo, dicuntur introduci. Illam primam aſcendendi rationem poſtulabat, ſeu potiùs ſuſpirabat ſponſa, dicens: Trahe me poſt te; curremus in odorem vnguentorum tuorum.] De ſecunda verò gloriabatur, poſtea ſubiiciens: Introduxit me in cellam vinariam, ordinauit in me charitatem.] In illa cœleſtis ſponſus non aliter quàm magnus animam abripit, & reſiſtentem interdum ad diuina ſuſtollit: in hac, vt magiſter docet, & quid B ipſa facere debeat, vt aſcendat, ſolerter præſcribit. In illa non ſemel nullam ex parte animæ præparationem expectat, ſed ad oſtenſionem potentiæ & miſericordiæ prorſus imparatam, & in oppoſitum conantem (vt conſtat in Paulo) immenſa claritate nobilitat: in iſta puritatem & non exiguam virtutem animæ poſtulat, vt luce illa ſupernaturali diuinæ ſapientiæ perfundat. Illa prima ratione trahuntur pauci, immo & rari, non quidem vt in ſalebra ſuorum vitiorum hæreant, ſed vt breuiùs & efficaciùs, atque fœliciùs perfectionem cõſequantur: hac ducuntur & vocantur multi, vt ſeipſos ex diuina C gratia præparantes munere contemplandi donentur. Iſtos igitur alloquimur, eóſque hortamur, vt ſtrenuè ad gratiam contemplationis ſe præparent. Audiant dicẽtem Dominum: Conuertimini ad me, & ego conuertar ad vos,] & pro qualitate diuinæ conuerſionis quam cupiunt exquiſitiorem conuerſionem ſuſcipiant. Volunt, vt Deus ad ipſos cõuertatur, non tantùm amando vtcumq;, ſed etiam amplexando tenerrimè; ſit ergo ſolicitior & plenior ipſorũ ad Deũ facta cõuerſio. Appropinquate Deo, ait Iacobus Apoſtolus, & appropinquabit vobis;]

Cant. 1. 3.

Cant. 2. 4.

Zach. 1. 3. Quanta velocitate volumus Deũ ad nos accedere, tanta & nos debemus ipſi appropinquare.

Iac. 4. 8.

neque

neque æquitas vtrinque seruabitur,si velis,vt Deus currens ad te accedat, & tu segniter ambulans, & vix te mouens ad illum vadas. Cùm ergo quæsieris Dominum Deum tuum, inuenies eum,si tamen toto corde quæsieris, & tota tribulatione animæ tuæ. Nam si fuerit opus quærendi tepidiùs, inuenies fortasse, sed non vt ad hoc eximium bonum pertraharis.Quis enim est iste,ait Dominus per Ieremiam, qui applicet cor suum, vt appropinquet mihi?] Nam & vehemens applicatio necessaria est, vt Deo ita appropinquemus, quòd ad purissimam cõtemplationem admittamur. Ideo Deus quasi per modum desiderantis,ab animabus quas ad tantum bonum vocat, non quamlibet obtinendi voluntatem, sed solicitam applicationem exquirit.

Deut. 4. 29.

Ier. 30. 21.

Postquã homo se ad meditationem parauit, se de nouo ad cõtẽplationem præparet necesse est.

Oportet itaque postquam se homo ad meditationem & ordinariam orationem parauit, quasi de nouo incipere pro assequenda contemplationis gratia,& in diligentiorem præparationem incumbere. Vnde Eliu apud Iob de iusto loquens sic ait: Si direxerit ad Deum cor suum, spiritum illius, & flatum ad se trahet. Deficiet omnis caro simul, & homo in cinerem reuertetur.] Si (inquam) homo omnes cogitationes & appetitiones suas à terrenis auocauerit, & in Deum quasi in scopum direxerit, tunc Deus tum interiora, tum exteriora hominis ad se pertrahet, & quidquid est in homine vitiosum absumet.Quare Gregorius ait:Deum spiritum hominis, & flatum ad se trahere, est ad conuersionem sui desiderij, & interiora nostra & exteriora commutare : vt nihil iam menti exteriùs libeat, nihil caro inferiùs vel si appetit, adipisci conetur, sed omne quod homo est, ad eum videlicet à quo est, & interiùs desiderando ferueat, & exteriùs se edomando constringat. Tunc autem omnis caro deficit quando iam nullis suis motibus seruit: quia præsidens spiritus cuncta eius fluxa restringit, & quodam districtionis suæ gladio omne quod in illa malè viuebat interfecit.] Pretiosa res est contemplatio, & plurimorum bonorum caussa,non mirum si animum purum, & omni virtute ornatum requirat. Et vt ingrediamur in locum tabernaculi admirabilis, vsque ad domum Dei, necesse est vt anima monilibus virtutum ornata procedat. Vtque ignis ille diuinis in nostris cordibus accendatur, vitia sunt ac vana desideria siccanda, vt pro facultate huius vitæ mortalis, ardor amoris Dei, ad quem contemplatio dirigitur, nullum impedimentum inueniat. Sigillatim ergo & breuiter exponamus,quæ ex parte nostra præcedere debeant, vt ad hanc gratiam accipiendam disponamur.

Iob 34. 14.

Greg. 24. mor. c. 11.

Naturam quietam & placitam ad contemplationem requiri.

CAPVT II.

Licèt omnes sint ad aliquod orationis genus idonei, ad contemplationẽ nõ item.

AC primò considerandum est omnes esse ad aliquod genus orationis mẽtalis idoneos, ad perfectam verò contemplationem non item.Oratio enim mẽtalis tantæ est latitudinis,vt etiam homines rudes,& secundùm naturam minus aptè constitutos suscipiat. Et quidem,si mentalem orationem Dei domum appellemus, in qua animæ iustæ commorantur, optimè possumus intelligere, quia in hac domo æterni Patris mansiones multę sunt,ad quarum aliquã omnibus cũ Dei gratia patet accessus:ita vt si nõ queant ad superiores mansiones ascendere, at in aliqua ex inferioribus poterunt commorari. Contemplatio verò,quæ fastigium est mentalis orationis,& quasi supremum cœnaculum huius domus Dei,generaliter loquendo non omnes excipit, sed quosdam à gremio suæ perfectionis excludit. Qui enim sunt naturæ inquietæ & duræ, & cordis ad exteriora propensi,ita orationi mentali vacent, vt maiorem temporis partem in bonis actiuę vitę operibus impendant. At illi,qui naturam quietã & placidam & mollẽ sortiti sunt, solent ab eo qui suauiter omnia disponit ad contemplationem admitti.Illi si mysticos sensus intelligãt,audiunt:Si oculus tuus dexter scandalizat te,erue eum,& proiice abs te.] Nã dexter oculus contẽplatio, sinister actio est. Qui ergo ex praua ac distorta complexione sua per exercitiũ altæ contemplationis magis deficiunt,quàm proficiunt,conatum ad illam assequendam deserant, & potiùs externis operibus virtutis insistant.Hi verò, nimirum quieti & placidi, ad hoc inuitantur, vt quiescant & videant quàm suauis est Dominus, & minimè ordinaria oratione contenti ad supremam & extraordinariam vitę puritate & desideriis aspirent.

Matth. 5. 29.

Sed audiamus Gregorium quàm sapienter hoc documentum exponat. Sed inter hæc, inquit, magnopere sciendũ est,quia valde inter se diuersę sunt consperfiones animorum. Nonnulli namque hominum ita otiosæ mentis sunt,vt si eos labor occupationis excipiat,in ipsa operis inchoatione succũbant:& nonnulli ita inquieti sunt vt si vocationem laboris habuerint,grauiùs laborent, quia tanto deteriores cordis tumultus tolerant,quanto eis licentiùs ad cogitationes vacat. Vnde necesse est vt nec quieta mens ad exercitationẽ se immoderati operis dilatet, nec inquieta ad studium contemplationis angustet. Sæpe enim qui contemplari Deum quieti poterant,occupationibus pressi ceciderunt,& sępe qui occupati bene humanis vsibus viuerent,gladio suæ quietis extincti sunt.] Hæc ille. Non omnibus ergo congruit contẽplationis summa perfectio,sed illis tantùm,qui naturam quietam & spiritũ placidum perceperunt, quo iucũdum sit illis ab strepitu negotiorum vacare,& in vno inspiciendo & amando se continere. Contemplatio instar columnæ est, quæ caput in cœlum attollit,sed naturæ bonã constitutionẽ ad sedendum & quiescendũ aptam quasi pro basi & fundamento requirit, ne tumultu cogitationum & importunitate desideriorum ex ipsa natura prodeuntium compellatur oberrare.

Greg. 6. mor. c. 17.

Scitissimum dictũ Gregorij, quo quietudinẽ animi ad cõtemplationẽ requisitam exponit.

Verum est tamen non solam naturam,sed vocationem cuiusque etiam esse considerandam ad quam naturæ ineptitudo suauiter trahenda est, & auxiliis gratiæ superanda, ne Deo vocanti resistamus. Certum est namque non omnes ad statum contemplatiuorum vocatos illam naturę tranquillitatem fuisse sortitos, à quibus Deus exigit vt naturæ peruersitatem gratia corrigant, & maiori labore se ad id, ad quod vocantur, accingant. Vocantur itaque à Deo ad contemplationem quieti, vocantur non semel & inquieti, vt in illis sui regiminis suauitatem, & in istis suæ gratiæ naturam domantis potentiam ostendat. Illi natura gratiæ cooperentur, isti verò gratia naturam moderentur, & ad statum ad quem vocantur accommodent. Vnde Dionysius Richelius sapienter ait: Porrò si qui naturaliter inquieti in statu perfectionis fuerunt constituti, non propter naturalem inhabilitatem debent totaliter à contemplatione cessare,sed per gratiã emendationis ac reformationis suorum defectuũ Deum incessabiliter exorare,

Ad contemplationẽ & vniuscuiusque natura, & vocatio consideranda est.

Dionys. 1 de cõtem. art. 23.

& ſibiipſis bonam violentiam facere, intendendo ſolitudini & quieti, orationi & meditationi, donec naturalem ineptitudinem gratiæ ſuppleat incrementum.] Hæc autem naturæ illata vis, ſi diſcreta ſit, magnum habebit emolumentum; quòd ſi nos ad contemplationis faſtigium non perduxerit, at in aliquam eius mediocritatem inducet; dum Dominus noſtri laboris afflictioniſque miſertus, ad eam gratiam orationis, quæ nobis expediat, admittet. Et ſicut modicum auri meritò magnæ quantitati argenti præponitur, ita parum contemplationis, & amoris qui illam ſubſequitur, multiplici diſcurſui & meditationi præfertur. Nunc ergo eos in ſequentibus alloquimur, qui ad ſtatum perfectionis vocati ſunt, quos hortamur vt gratiam à Deo petant, & ea fulti ad cuſtodienda ſubiecta documenta ſe cogant, quia ſuum laborem non perdent, & prout ſibi conueniens fuerit, donum quod deſiderant, adquirent.

Amator contemplationis peccata etiam minima fugiat.

CAPVT III.

TV, ô vir Dei, qui iam aliquid diuinæ ſuauitatis guſtaſti, & ad nonnullam Dei communicationem admiſſus ipſo experimento deprehendiſti quantum peccata etiam minima ab oratione repellant, ea ſolicitiùs & conſtantiùs fuge, vt contemplationis donum obtineas. Si enim quilibet orationis mentalis gradus peccatis & imperfectionibus impeditur, quanto magis ſupremus quo anima Deo adhæret, huiuſmodi contagione ablegabitur. Præcepit Dominus, ne iumentum aliquod ad montem, in quo ipſe cum Moyſe loquebatur, accederet, & quòd ſi appropinquaret lapidibus obrueretur. Omne peccatum etiam minimum quaſi iumentum immundum eſt, quod à monte contemplationis arcetur. Cura ne accedat ad te, ſi verò acceſſerit, gemitibus quaſi lapidibus obrue, & gladio compunctionis interfice. In maleuolam animam non introibit ſapientia, neque habitabit in corpore ſubdito peccatis. Peccata ergo ſpiritualia & peccata carnalia vitanda ſunt, aut potiùs omne peccatum fugiendum, ne hæc ſapientia, quam quæris, à te cum indignatione recedat. Quin & Græca habet: neque habitabit in corpore obnoxio peccato; quoniam vnum peccatum cui non reluctéris, cui ſponte ſubdaris, huic ſapientię ianuam occludet. Contemplatio volatus eſt, & volatus in cœlum: peccatum pondus eſt quo anima deprimitur, & inclinatur ad terram. Abiiciẽdum eſt pondus, vt mens tua ex ſocietate corporis ſatis ad terram prona ad res cœleſtes efferatur. Nec putes hæc de maioribus peccatis dici, quoniam minora quoque quibus non reſiſtimus, gratię contemplationis obſiſtunt. Soli enim mundi & puri ad Dei amplexus admittuntur, qui verò habent quod lugeant, priùs in inferiori loco collocantur, vt à ſuis plagis curentur. Vnde Bernardus poſtquã virum perfectum, & aptum ad contemplationem deſcripſit, hæc ſubdit: Qui nondum inuenitur ita affectus, ſed compunctus magis actuum recordatione ſuorum, loquens in amaritudine animæ ſuæ dicat Deo: Noli me condemnare. Aut fortè etiam adhuc periculosè tentatur à propria concupiſcẽtia abſtractus & illectus, hic talis non ſponſum requirat, ſed medicum, ac per hoc non oſcula quidem &

Exodi 19. 13.

Sap. 1. 3.

Peccatũ vel minimum, põdus eſt, quod cõtemplationis volatum retardat.

Bernard. ſer. 32. in Cant.

amplexus, ſed tantùm remedia vulneribus accipiet ſuis, in oleo vtique & vnguentis.] Conemur ergo medicaminibus non indigere, aut ſi eis eguerimus, frequenter ad vſum adducere, vt iſta cura fugiendi peccata & imperfectiones & cùm in eas inciderimus, ab ipſis nos purgandi, ad quemdam ſtatum puritatis (ſecundùm quod in hac vita fieri poteſt) nos perducat, in quo apti ad contẽplationẽ inueniamur.

Amator contemplationis vitia in ſe perimat.

CAPVT IV.

VITIA quoque ad purum excoques, & vſque ad internetionem perſequeris: nec tibi ſatisfacies, ſi ſupra ea aliquod dominium habes, donec funditus iſtos hoſtes extinguas. Vitia & virtutes indumenta ſunt animæ, iſta pretioſa & regalia, illa vilia & contemtibilia: non ingredieris quietum palatium regis æterni, niſi priùs depoſita veſte ſordida, pulcherrimis virtutum indumentis veſtiaris. Vitia quoque ſunt animæ ægritudines, virtutes verò quaſi humores bene temperati, ex quibus conſtat eius ſanitas: quamdiu vitiis ægrotus fueris, neque ea fortiter impugnaueris, ſtudiis & laboribus tuis ad arcẽ contemplationis appropinquare non poteris. Pone eor tuum ſuper vias tuas, & cõſidera exercitia tua. Seminaſti multum, & intuliſti parum: comediſti, & non es ſatiatus: bibiſti, & non es inebriatus: Operuiſte te, & non es calefactus; quia hæc omnia ad animam ægrotam applicita minus quàm ſperabatur proficiunt. Contemplatio eſt illa vera ſapientia, qua Deum puris oculis intuemur, & intuendo diligimus, de hac autem quid dicat ſanctus Iob, audi. Neſcit homo pretium eius, nec inuenitur in terra ſuauiter viuentium. Abyſſus dicit: Non eſt in me; & mare loquitur: Non eſt mecum.] Supra hominem eſſe debet, id eſt, ſupra vilitatem naturæ corruptæ caput attollere, qui huius ſapientiæ valorem intelligit. Quam carni & genio indulgentes non poſſident, neque inquieti, & obſcuritate cordium ſuorum ſeruientes tenent. Vitia autem propria expugnantes aliquando conquirent. Expende an habeas quod Gregorius amatori contemplationis inſpicienda proponit. Qui culmen, inquit, perfectionis apprehendere nituntur, cùm contemplationis arcem tenere deſiderant, priùs ſe in campo operis per exercitium probent, vt ſolicitè ſciant ſi nulla iam mala proximis irrogant: ſi irrogata à proximis, æquanimiter portant: ſi obiectis temporalibus bonis nequaquam mens lætitia ſoluuntur, ſi ſubtractis non nimio mœrore fauciãtur: ac deinde perpendant, ſi cùm ad ſemetipſos introrſus redeunt, in eo quòd ſpiritalia rimantur, nequaquam ſecum rerum temporaliũ vmbras trahunt, vel fortaſſe tractas, manu diſcretionis abigunt: ſi incircũſcriptum lumen videre cupientes, cunctas circumſcriptionis ſuæ imagines deprimunt, & in eo quod ſuper ſe contingere appetunt, vincunt quod ſunt.] Sic ille. Diſce ergo teipſum ab omni vitio detergere, vt poſſis ad lucem ſapientiæ peruenire. A mandatis tuis intellexi, ait Dauid, propterea odiui omnẽ viam iniquitatis.] Mandatorum cuſtodia origo lucis eſt: illa actione exequere, & vt lucem accipies, viam iniquitatis, ac omne peccatum deteſtare. Ab hac autem via minimè declinabis, niſi initiũ eius, nempe vitium, auerſeris. Illud enim quod ad malum procliuitas eſt, te ad peccatum pellicit, & ab

Vitia & virtutes indumẽta animi: illa vilia, hæc pretioſa.

Aggæi 1. 6.

Contemplatio eſt vera ſapientia. Iob 28. 12.

Greg. 6. mor. c. 17.

Pſal. 118. 104.

itine

itineribus virtutis abducit. In hoc verò negotio ita procedes, vt nec minimum ſuperbiæ, aut iracundiæ, aut ambitionis, aut puſillanimitatis, aut cuiuſcumque alterius vitij veſtigium in te manere, ac tibi dominari permittas. Quamuis exiguum videatur vitium, & nullius momenti reliquiæ ex eo remanentes, illæ tamen te depriment, & liberum mentis volatum impedient. Igitur nihil vitiorum in te maneat, vt cor ad Deum per contemplationem aſcendat.

Amator contemplationis omnimodæ mortificationi ſuorum exceſſuum intendat.

CAPVT V.

Senſuũ, affectuũ, iudicij, & propria voluntatis mortificatio neceſſaria.

SENSVS deinde, & affectus tuos, ac iudicium, & voluntatem propriam mortificatione ordinabis, & rectitudine vitæ compones. Senſus cohibendi ſunt, ne tempore optatæ quietis, te memoria eorum, quæ perceperunt, inquietent. Affectus, ne mentis tranquillitatem interturbent. Intellectus ac voluntas moderanda ſunt, & non aliter quàm inſtrumenta, quibus contemplationis actio perficitur. An non fides lyræ ad ordinem redigis, vt aptum concentum edere poſſit? Sed intellectus & affectus ſunt inſtar fidium, qui aptandi ſunt, & rectè diſponendi, vt rectè aures ſuauitate cõtemplationis oblectent. Ne putes te calceis affectuum terrenorum opertum, ad rubum ardentem acceſſurum, in quo Deus inſpiciendus & audiendus oſtenditur: immo potiùs tibi intimatũ exiſtima quod Moſi præceptum

Exod.3.5. eſt: Solue calceamentum de pedibus tuis, & abiectis immortificationis tuæ calceis ad viſionem hanc magnam percipiendam accedes. Vide quid ipſe dicat: Vadam, & videbo viſionem hanc magnam. Qui enim tranſit de hoc ſæculo, vt inquit

Ambroſ. ad Pſal. 36. ante med. Ambroſius, magnum viſum videt. Qui ſoluit vincula iſtius nexus, quo ligamur huic corpori, viſum magnum videt. Moyſes in Exodo legitur: multa videt miracula in Exodo: non tanta alius videt qui non eſt in Exodo.] Hæc ille. Qui & nomine Exodi ludit, vt intelligat cupiens videre Dominum,

Exodi 19. 10. quod debet à regione immortificationis exire. Ipſe quoque Moſes iterum ſic Dominum loquentem audiuit: Sanctifica illos hodie, & cras, lauéntque veſtimenta ſua; & ſint parati in diem tertium,] in quo ſcilicet Dominus ſuper montem Sinai ad ferendam legem deſcendet. Tu quidem non cum populo ad radices montis manere, ſed cum Moſe ad montem aſcendere, & Deo appropinquare ſatagis? Animaduerte igitur, quàm tibi cura iteratæ ſanctificationis incumbet. Nimirum vt primo die corpus tuum ac ſenſus mortificatione mundes. Secundo die mediam regionem cogitationum & affectuum purifices. Ac tertio die ſupremam tui partem intellectum ac voluntatem ſanctifices, vt tantæ dignationis ſis particeps. Dominus ſeminare vult ſemen ſuum, ſemen bonum lucis & amoris ſui: eſto tu terra bona ab ſpinis & tribulis paſſionum purgata, vt fructum bonum non tantùm triceſimum aut ſexageſimum, ſed etiam centeſimum facias, & virtutes dignas contemplatore poſſideas. Si hæc tibi difficilia & aſpera videantur, contemplationis valorem non agnoſcis, immo eius fructus inæſtimabiles deſpicis. Vide quid ſcriptum ſit de filiis Iſraël promiſſam ſibi terram deſpicientibus, ob difficultatem ingrediendi in eam, quæ ex relatione exploratorum emergebat. Pro nihilo, inquit, habuerunt terram deſiderabilem. Non crediderunt verbo eius.] Idem prorſus opprobrium in te iactabitur. Pro nihilo ducis hoc donum Dei verè deſiderabile, ſi abnegationem tui magnum pretium exiſtimes. Vix credis verbis Domini ineffabilia promittentis, ſi tuas affectiones retines, & non magis propter manna abſconditum, quod de cœlo ſuper te cadet, illas fortiter cohibes atque repellis.

Pſal.105. 24.

Elationis affectus maximè cohibendus.

Quamuis autem omnia mortificanda ſint, & veriſſima abnegatione cohibenda: nam ſi aliquid immortificatum manſerit, non aliter quàm vinculum ferreum ad cœleſtia nos mente volare non ſinet: tamen affectus elationis & honoris mundani abiiciendus eſt, qui, ſi quis alius, hoc habet, vt mentem terrenis mergat, & tenebris, ne Deum contemplari poſſit, offendat. Quare Auguſtinus pulchrè ait: Tumore meo ſeparabar abs te, & nimis inflata facies claudebat oculos meos.] Quid enim eſt elatio, & ex ea procedens honorum ambitio, niſi quędam faciei interioris inflatio, qua oculi quaſi deprimũtur, ne cœleſte lumen recipiãt. Profectò tãta ſublimitas eſt contemplatio Dei, vt qui propter illã altitudines mundi non deſpicit, meritò ab illa ſe inueniat excluſum. Rex, quem in regno hoſtis ſui ſublimem videt, & nimis obſequio inimicorum addictum, ad honores ſui regni nequaquam admittit. Mundus hoſtis Dei eſt, ſi apud illum appetis honore fulgere, & eius dignitatibus ſublimari, vide ne à Dei honoribus repellaris. Summus autem honor eſt viris ſanctis cuſtoditus, ſi ad ſingularem gratiam, & ad exercitium diuini amoris, & ad contemplationem, quæ Deo mentem vniat, admittantur. Ne hunc veriſſimũ honorem perdas, aut numquam adquiras, fallaces ſæculi honores contemnito, ignominiam crucis amplectitor, affectum elationis comprimito. Dominus in monte Sinai Moſem alloquuturus in igne apparuit, & ex igne fumus aſcendebat quaſi de fornace, vt igne ſe humilibus oſtentaret, & fumo ſe elatis operiret. Hoc ſanè myſterium in ſimplici & nuda hiſtoria Gregorius inuenit. Hinc eſt, inquit, quòd legem daturus Dominus, in igne fumóque deſcendit: quia & humiles per claritatem ſuæ oſtenſionis illuminat, & ſuperborum oculos per caliginem erroris obſcurat. Priùs igitur mens ab appetitu gloriæ temporalis, atque ab omni carnalis concupiſcentiæ delectatione tergenda eſt, & tunc ad arcem contemplationis erigenda. Et poſtea: Vnde, & cùm lex accipitur, populus à monte prohibetur, vt videlicet qui infirmis adhuc mentibus terrena deſiderant, conſiderare ſublimia non præſumant. Vnde & rectè dicitur: Si beſtia tetigerit montem, lapidabitur. Beſtia enim tangit montem, cùm mens irrationabilibus deſideriis ſubdita, ad contemplationis alta ſe erigit, ſed lapidibus percutitur, quia ſumma non ſuſtinet, ipſis ſuperni ponderis ictibus necatur.] Hæc Gregorius. In hac tandem re, atque in reliquis prauis affectionibus tuis veterem hominem exue, & noui hominis Chriſti veſtem aſſume, vt hoc nuptiali indumento contectus ad conuiuium altæ contemplationis intrare permittaris.

Exodi 19. 18.

Greg.6. mor.c. 17.

De omnium rerum abiectione.

CAPVT VI.

Omnimoda nuditas affectuum terreno-

ADHVC maiori nuditate ad contemplationem opus eſt. Nam in his qui ſuis ſenſibus & paſſionibus imperare conantur, ſolent affectus & adhæſiones ad ali-

rum ad contemplationẽ exigitur, licèt pietatis referant speciem.

qua minima reperiri, quas nondum omnino deponere & ablegare constituunt. Quidam sub prætextu gloriæ Dei, ita suam bonam opinionem, qua certe digni sunt, apud alios tuentur, vt nullam eius iacturam, etiamsi occasionẽ ipsi non dederint, æquo animo patiantur. Alij tam arcta necessitudine aliis bonis se deuinciunt, & honoris & commoditatis eorum curam gerunt, vt de singularitate, immo & cæcitate, qua immeritos extollunt atque suscipiunt, notari non timeant. Alij curiositate & munditie paucarum rerum quibus egent, vt breuiarij, diurni, & aliorum similium, non minimum sordidantur. Alij ita in suo sensu abundant, vt nó homines qui ratione ad aliud verti possunt, sed Angeli non boni, vel vt mitiùs loquar, viri planè iudicio duri & proterui existimentur. Alij zelo non secundùm scientiam concitati aduersùs paruos defectus fratrum implacabiliter irascuntur, & in nullo compati, aut condescendere norunt. Sed in omnibus summo iure, quod summa iniuria est, agendum esse proclamant. Hæc & alia similia abiicienda sunt ei, qui cupit ad quietem contemplationis & gustum internæ suauitatis parari.

Gen. 32. 23. Lucta Iacobi cũ Angelo opus contemplationis repræsentat.

Iacob, traductis omnibus, quæ ad se pertinebant, mansit solus, & ecce vir luctabatur cum eo vsque manè. Lucta hæc sancti Patriarchę cum Angelo opus contemplationis significat, quo & altero pede, scilicet carnis claudicamus, & copiosam benedictionem accipimus. Ad eam autem aggrediendam soli, id est, his affectibus vacui, manere debemus: nam si illi adhuc supersint, saltem inanibus imaginibus impedimur. Moses quoque relicturus Ægyptum, & desertum, vbi Domini alloquio frueretur ingressurus, vxorem & filios ad propria remisit: quia desertum hoc, in quo Dominus sui copiam facit, homines affectuum plenos reiicit, solos verò & vacuos admittit. Desere ergo, ô vir Dei, hæc quoque, quæ ex naturæ corruptione adhærent cordi, vt mundus effectus à Dei conspectu minimè repellaris. Et vt verbis Angeli cum Esdra loquentis te admoneam, renuntia iam corruptelæ, & dimitte abs te mortales cogitationes, & proice abs te pondera humana, & exue te iam infirmam naturam, & repone in vnam partem molestissima tibi cogitamenta, & festina transmigrare à temporibus his, vt valeas æterna contemplari. Hæc omnia signa sunt hominis adhuc secundùm carnem viuentis, quem Deus à contemplatione suarum perfectionum excludit. Lucem enim habitat inaccessibilem, quam nullus hominum vidit, sed nec videre potest. Nullus (inquam) hominum, qui terrena sapiunt, qui inordinatis affectibus gubernantur; qui verò supra homines conuersatione sunt, ab huius diuinæ lucis aspectu non arcentur. Sic profectò hunc locum Gregorius intellexit, cuius hæc sunt verba: Qua in re pensandum est quòd inaccessibilem dixit, sed omni homini, sed humana sapienti. Scriptura quippe sacra omnes carnalium sectatores, humanitatis nomine notare solet. Vnde idem Apostolus quibusdam discordantibus dicit: Cùm enim sit inter vos zelus & contentio, nónne carnales estis, & secundùm hominem ambulatis? Quibus paulopost subiicit: Nónne homines estis? Et vnde aliàs testimonium protulit, quòd oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparauit Deus diligentibus se. Et cùm hoc hominibus dixisset absconditum, mox subdidit: Nobis autem reuelauit Deus per spiritum suum: ipsum se ab hominis vocatione discernens, qui

4. Esdræ 14. 13.

1. Tim. 6. 16.

Greg. 18. mor. c. 18.

A

B

C

D

E

raptus supra hominem diuina iam saperet. Ita etiam hoc loco cum lucem Dei inaccessibilem perhiberet, vt ostenderet quibus, subdidit: Quem vidit nullus hominum, sed nec videre potest. More suo homines vocans omnes humana sapientes: quia qui diuina sapiunt, videlicet supra homines sunt. Videbimus igitur Deum, si per cœlestem conuersationem supra homines esse mereamur.] Humani ergo affectus abiiciendi sunt, id est, secundùm veterem hominem minus quàm oportet ordinati, vt lucis illius, quam optas, particeps fias. Et iuxta mensuram qua veterem hominem cum suis actibus exueris, nouúmque indueris, magis aut minus aptus ad contemplationem existes.

De occupationum moderatione.

CAPVT VII.

Contemplationis interruptio per bonam actionem, ad feruorem mẽtis, & lucis augmẽtum non parũ iuuat.

NEGOTIA insuper, & occupationes externas moderaberis, ne te à quiete contemplationis amoueant. Moderaberis, inquam, non deseres. Certum est enim (vt alibi scripsimus) interruptionem contemplationis per bonam & honestam actionem non parum ad feruorem mentis & ad lucis augmentum adiuuare. Vnde & solitarij statis temporibus labori manuum insistebant, meritò existimantes se vicissitudine orationis & laboris externi aptiores ad ipsam orationem reddi. Quia sicut arcus semper tensus ipsa sua intensione flaccescit, ita animus absque vlla remissione cœlestibus occupatus, ipsa assiduitate feruorem remittit. Occupationibus autem debitum modum imponis, si superfluas, inutiles, & tuo statui minus conuenientes abiicias. Nam si his aditum non occluseris, ita te in varias curas & desideria distrahent, vt omnino tibi ac Deo vacare non possis. Ad hoc refert Gregorius illud Iob: Et effudit in terra viscera mea. Quid aliud, inquit, sancta Ecclesiæ viscera debemus accipere, nisi eorum mentes qui eius quædam in se mysteria continent, qui ad intima Sacramenta deseruiunt? Sed antiquus aduersarius cùm fideles quosdam qui interioribus Sacramentis deseruire iubebantur ad sæcularia negotia pertrahit, eius proculdubio viscera in terram fundit: quia illos in rebus infimis conculcat, qui priùs in occultis ac spiritualibus actibus latebant.] Satis est tibi quod agas, in his quæ ad salutem animæ tuæ & proximorum pertinent. Ne igitur te in vana & superflua effundas, ad quæ & ad vtilia simul proculdubio non sufficis.

Iob 16. 14. Greg. 13. mor. c. 6.

Actiones propriæ status, & demandati muneris non relinquẽdæ.

Actiones proprias tui status & muneris tibi demandati non relinques: quæ licèt ad horam impedire & retardare animum à contemplatione videantur, tamen reuera aptiorem ad eam & promtiorem efficiunt. Quia vicissitudo hæc facit vt actio tolerabilior fiat, & contemplatio, quam in votis habes, dulcius sapiat. Quæ itaque muneris tui sunt non auersaberis, sciens quia Deus tempore quietis præbebit quo abundè pascaris. Illud tamen inprimis curabis, vt ex purissima intentione placendi Domino, & te ad eius familiaritatem parandi operi externo te mutues. Item vt animo non perturbato, sed quieto; non vincto, sed libero bonam actionem suscipias, vtque enitaris in ipsa actione quiescere, & cordis

habilitatem ad contemplandum non amittere. Hîc Deum pro tuo modulo imitaberis, de quo sub nomine Saturni, hæc ex Theologia Phœnicum Eusebius refert. Saturno quatuor oculos insigne regale composuit, quorum duos in anterioribus, duos in posterioribus partibus corporis collocauit, qui vicissim contracti quiescebant. Alas quoque in humeris quatuor fixit : duas pertensas, quasi volaret, duas remissas, quasi staret : significabatur autem ipsum dormientem videre, & vigilantem dormire, similiter quoque per alas quiescentem volare, & volantem quiescere.] Ex hac fictione illud discès, vt scias in actione dormire, in volatu quiescere, hoc est, in negotiis externis liber & expeditus ad Deo vacandum permanere.] Hæc Bernardus in actione penitus obseruabat, de quo in eius vita sic scribitur : Laboris tempore, & intus orabat, seu meditabatur absque intermissione exterioris laboris, & exteriùs laborabat, absque iactura interioris suauitatis.] Et rursus : Ita sese omnium fecerat seruum, ac si toti genitus orbi ; ita tamen liber ex omnibus conscientiæ suæ curam gerens tamquam soli deditus curæ & custodiæ cordis sui. Hunc virum sanctissimum contemplationis amatores æmulentur, sícque laboribus externis ac negotiis intendant, vt cor liberum & expeditum ad Deo vacandum, & ad diuina colloquia custodiant.

Euseb. 1. de præparat. Euāg. c. 7.

Lib. 1. c. 5.

Lib. 3. c. 7

Breuiter curent oratione impetrare à Deo, & discreta solicitudinè obtinere, vt actiones huius vitæ, & proximorum gratia susceptí labores eos ad contemplandum minus idoneos non reddant. Hoc enim proprium esse eius animæ, quæ sponsa Domini esse mereatur, Laurentius Iustinianus in hunc ferè modum patefecit : Sic ipsa, de qua loquimur, anima cum cognitione, virtute, sapientia, & interiori fulgeat decore, ne his omnibus, si minus iusto cauta sit, priuetur quando ad proximorum lucra procedit, suiipsius diligens custos efficitur. Magni æstimat, si pro Dei honore prosit proximo : non autem minoris, si se illibatam custodiat verbo. Propterea laudabili discretionis moderamine sic secum agit, vt nec pro commodis proximorum contemplationem deserat, neque pro amore contemplationis aliorum curam funditus derelinquat. In vtroque se constituit in medio. Nam cùm licet, vacat sibi, cùm charitas vrget, se exponit proximo ; sic tamen, vt continuè anhelet ad cubile sponsi secreti reditum, de quo fraternæ charitatis accensa zelo egressa est. Semper cùm foris manet, cordis postes prudenter obseruat, ne cùm ad se tota reuertitur, iniquitatis maculam contrahat, per quam sponsi aspectibus valeat displicere. Ideoque ex fœcunditate spiritualis prolis verbi fruitione dignior efficitur. Quemadmodum autem realiter se exposuit, cautè se custodiuit, fiducialiter egit opus iniunctum, perfecit ardenter, solicitéque ad se rediit ; sic in verbi amplexus iucundissimè ruit, dulci gustu repletur, perfunditur gaudio, exultat affectu, lumine coruscat, & dilectione languescit, cunctorum quæ foris sunt, obliuiscitur, horum quæ pertulit malorum, non meminit, desiderata verbi fruens præsentia.] Hactenus Laurentius Iustinianus. Qui hac spiritus libertate, & hac cura conseruandi seipsum mundum & expeditum ad contemplationem, actioni studuerit, ex ipsa actione impedimentum non sentiet. Neque etiam actionem minus solertè præstabit, cuius perfectio non à nimia solicitudine, aut ab immoderata applicatione pendet, sed a fiducia in Deo, qui adiutor est suorum, & à discreta cura, quam in ea bene exequenda collocare solemus.

Oratione impetrare curandũ ne nos externa occupationes huius vitæ ineptos contẽplationi reddant. Iusti. lib. de casto coniu. c. 12.

Si verò in labores externos te effuderis, & eorum te seruum feceris, non miteris, si à Dei familiaritate & gustu cœlestium repellaris. Nam, vt Gersonis appositissima similitudine vtar, quemadmodum humor arboris, qui sursum ad proceritatem ramorum ducendus erat, si cortex ex vulnere rimam habet, inutiliter defluit, & arboris incremento non seruit : ita amor, qui est quasi humor tuus, si in externas occupationes se diffundat, cœlestium desideriorum vegetationi non proficiet. Moderatè ergo actionibus etiam bonis & piis vacato, & constitutis temporibus seu horis diei ab eis fugito, & ad cor tuum non ex parte, sicut in tempore actionis, sed omnino reddito, & ita in hac contemplationis gratia proueheris. Sapientia enim scribæ, id est, sapientis in tempore vacuitatis addiscitur, & qui minoratur actu percipiet eam. Puto sanè, quia actu minorari non est penitus actionem relinquere, sed abiectis inutilibus occupationibus, debitis ex iustitia, aut ex charitate ordinatè vacare. Hæ, vt experimento didicimus, cor non inquietant, & ordinariè non breuia spatia mentis exercitationi concedunt.

Qui se in labores externos effundit à Dei familiaritate repellitur. Gerson Theol. myst. pract. cõsid. 5.

Eccli. 38. 25.

De omnium virtutum, sed præcipuè humilitatis studio.

CAPVT VIII.

VIRTVTVM moralium obtentione gaudes, reliquum est ad contemplationem, vt eas semper exercere ac promouere cures. Earum actibus quottidie aptior & pulchrior ad diuinam vnionem euades, quoniam virtutes, ornamenta & pulchritudo sunt animæ, & merita, quibus hæc gratia tibi communicetur, augebis. Qui virtutum actioni studeni, sunt quasi in atrio Dei, ex quo suos ad conclaue vocat, & ad conspectum suarum perfectionum, & ad amorem inuitat. Quamuis autem omnium virtutum habenda sit cura, tres tamen sunt, quibus anima maximè ad contemplationem paratur, castitas, mititas, & humilitas. Castitas quidem, quoniam Deus purissimus est, & spurcitias ac fœditates carnis maximè auersatur. Mititas, qua à corde perturbatio repellitur, & in tranquillitate constituitur. Humilitas, qua cor ab omni propria æstimatione vacuatur, vt dona admiranda, quæ contemplationem sequuntur, accipiat. Deus sanè ponit humiles in sublime. Et lex eius sapientiam præstat paruulis. Et qui iam per contemplationem leuauit se super se, ponet in puluere os suum, ac se amplius ampliúsque deiiciet, si fortè sit spes. Ita enim spem concipiet, quia Deus est eius miseriturus, & ad maiorem lucem admissurus. Iob quoque eos, quos ad sapientiam vocat, vacuos sapientia esse desiderat. Vnde ait, & non inueniam in vobis vllum sapientem.] Quem locum tractans Gregorius sic scribit : Quid est quod eos ad sapientiam vocat, & tamen optat ne illos sapientes inueniat, nisi quòd ad veram sapientiam venire

Qui virtutes morales obtinet, eas ad contẽplationẽ promouet, vt earũ actib° aptior ad diuinã vnionem euadat.

Omnium virtutũ sed præcipuè castitatis, mititatis, & humilitatis cura, anima ad contemplationẽ disponitur.

Iob 5. 11. Psal. 18. 8. Thren. 3. 29.

Iob 17. 10.

Greg. 13. mor. c. 14.

non

non possunt, qui falsæ suæ sapientiæ fiducia decipiuntur? De quibus scriptum est: Væ qui sapientes estis in oculis vestris, & coram vobismetipsis prudentes. Et quibus rursum dicitur: Nolite prudentes esse apud vosmetipsos. Vnde idem prædicator egregius hos quos carnaliter sapientes inuenerat, vt sapientiam veram perciperent, priùs fieri stultos quærebat, dicens: Si quis videtur inter vos sapiens esse in hoc sæculo, stultus fiat, vt sit sapiens. Et per semetipsam Veritas dicit: Confiteor tibi pater Domine cœli & terræ, quia abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus, & reuelasti ea paruulis. Quid ergo hi, qui apud semetipsos sapientes sunt, ad veram sapientiam peruenire non possunt, rectè beatus Iob conuersionem auditorum desiderans, exoptat, ne in eis vllum sapientem inueniat.] Qui ergo ad altitudinem contemplationis peruenire desiderat, per ostium humilitatis ingrediatur: nam per hoc ostium non intrans (vt optimè ait Gerson) fur est & latro, & non gratiam quam cupit, sed repulsam perferet, & fortè in errores & illusiones incidet. Humilitas est iter planum & tutum, quo ad alias virtutes properamus, & ad diuinam familiaritatem admittimur, sine qua nulla virtus est vera, & nulla contemplatio licet in cœlum rapiaris, secura.

Gerson de monte contemp. c.2.

De vitæ puritate.

CAPVT IX.

VItæ puritatem, & morum honestatem sectaberis, quæ ex prædictis omnibus coalescit, si omnino vis ad contemplationis gratiam peruenire. Hæc autem puritas ex tribus præcipuè constituitur, ex cogitationis & intellectus tranquillitate, & vacuitate à vanis cogitationibus atque discursibus, ex affectuum & sensuum perfecta mortificatione, & ex solicita atque optima bonorum operum exercitatione, ita scilicet vt omnibus numeris absoluta prodeant, & absque ignauia, irreuerentia, distractione animi, & aliis imperfectionibus fiant. Huic puritati contemplatio Dei promissa est. Nam beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt. Et Bernardus illi soli experimentum diuinæ suauitatis concessum esse ait, qui præcipua mentis puritate, & corporis sanctitate pollet. Gregorius verò de ira loquens pulchris similitudinibus, quantum quælibet turbatio & immunditia contemplationi obsistat, exponit. Numquam verò ait, commotioni contemplatio iungitur, nec prævalet mens perturbata conspicere, ad quod vix tranquilla valet inhiare: quia nec Solis radius cernitur, cùm commotæ nubes cœli faciem obducunt, nec turbatus fons inspicientis imaginem reddit, quam tranquillitas propriè ostendit: quia quo eius vnda palpitat, eo in se speciem similitudinis obscurat.] Conaberis ergo omnes varias cogitationes abiicere, omnes prauos affectus expellere, omnes morum imperfectiones fugere, & in quadam de immunditiæ & sordium vacuitate & quasi solitudine collocare. Dicésque reconditiori sensu cum Iob: O vtinam dormiens silerem, & somno meo requiescerem, cum regibus & consulibus terræ, qui ædificant sibi solitudines. Cordis ac vitæ puritas pulcherrimis coloribus depicta est. Nam est quasi quieta dormitio, quæ rerum cogitationes & desideria amouet, & mentem dormientem in tranquillitate constituit. Est non vna, sed multiplex solitudo, cùm in singulis animæ viribus ab omni immoderantia vacuitas extruatur. Hanc consules & reges ædificant: illi scilicet, qui bono consilio vtentes imperfectiones amandant, & super seipsos censura districtionis regnant. Audi quomodo etiam Gregorius hunc sensum aperiat. Solitudines quippe ædificare, est à secreto cordis terrenorum desideriorum tumultus expellere, & vna intentione æternæ patriæ, in amorem intimæ quietis anhelare. An non cunctos cogitationum tumultus à se expulerat, qui dicebat: Vnam petij à Domino, hanc requiram, vt inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ? A frequentia quippe terrenorum desideriorum fugerat, & ad magnam videlicet solitudinem semetipsum contulerat, vbi eo tutius nihil extraneum conspiceret, quo incompetens nihil amaret. A tumultu rerum corporalium magnum quemdam secessum petierat quietam mentem, in qua tanto puriùs Deum cerneret, quanto hunc cum se solo solum inueniret.] Hæc ille. Hanc insuper mentis puritatem regius Vates suspirabat, quando ex intimo cordis affectu dicebat: Quis mihi dabit pennas sicut columbæ, & volabo & requiescam?] Pennas columbæ auis timidæ & circumspectæ & optare & postulare videtur, quibus ab omni immunditia declinet, & se in interna quiete conseruet. De quo desiderio ita Bernardus loquitur: Vtinam hac morte ego frequenter cadam, vt euadam laqueos mortis, vt non sentiam vitæ luxuriantis mortifera blandimenta, vt non obstupescam ad sensum libidinis, ad æstum auaritiæ, ad iracundiæ & impatientiæ stimulos, ad angores solicitudinum, & molestias curarum. Moriatur anima mea morte iustorum, & nulla illam illaqueet fraus, nulla oblectet iniquitas. Bona mors, quæ vitam non aufert, sed transfert in melius. Bona, qua non corpus cadit, sed anima subleuatur. Verùm hæc hominum est. Sed moriatur anima mea morte etiam (si dici potest) Angelorum, vt præsentium memoria excedens rerum se inferiorum corporearúmque non modò cupiditatibus, sed & similitudinibus exuat, sítque ei pura cum illis conuersatio, cum quibus est puritatis similitudo.] Sic Bernardus. O igitur ad hoc aspira, vt mentem puram quietámque habeas, & lectum illam sponso dignum efficias. Ille non in spinis imperfectionum, & tribulis solicitudinum inanium, sed in floribus suaueolentibus sanctarum cogitationum & bonorum desideriorum requiescere, & byssо puritatis inuolui solet. Quo magis in his profeceris, eo perfectiùs & durabiliùs eius aspectu & amplexu perfrueris.

Vitæ puritas ex tribus præcipuè constituitur, ex cogitationis trãquillitate, ex vacuitate à vanis discursibus, ex affectuũ perfecta mortificatione.

Matth 5. 8.

Bernard. ser. 67. in Cant.

Greg. 5. mor. c. 31.

Iob 3. 14.

Greg. 4. mor. c. 28.

Psal. 54. 8.

Bernard. ser. 52. in Cant.

De perseuerantia in exercitio orationis.

CAPVT X.

MEntalis orationis exercitia mordicus tene, nec propter mentis ariditatem, nec propter aliqua incidentia negotia, nec propter alia impedimenta illa vmquam deseras, immo nec (si possibile fuerit) interrumpas. Quo tempore Deo in studio

Mentalis oratio nec propter mẽtis ariditatẽ, nec propter aliqua

alia impedimenta omittẽda, nec interrũpenda (si possit fieri) est.

orationis vacas, gratiam contemplationis es accepturus; nescis autem qua hora orationis hoc magnum donum experiri incipies. Ne igitur sine euidenti caussa statutis horis ab oratione te subtrahas. Nam fortè tunc deeris, & quasi absens eris, quando hæc pluuia salutaris super te descenderet, & ad multos annos, & fortè in perpetuum ea ob tuam instabilitatem carebis. Psalmos, & orationes vocales debitas, aut voluntariè cum debita moderatione susceptas attentè, deuotè, feruidè, & reuerenter recitabis. Hæc mentem à terrenis eleuare incipiunt, & ad cœlestia contemplanda aperire, vnde Dionysius Richelius de Psalmodia ait, quòd dæmones fugat, desideratam gratiam affluenter meretur, & vitæ cœlestis est præludium. In meditationem vitæ & passionis Christi Iesu, & diuinarum perfectionum diligenter incumbe. Nam ex labore meditationis ad requiem contemplationis subueheris. Ita Deus nostra disponit, vt priùs quæramus & inuestigemus, postea verò inuentis per inquisitionem fruamur. Regina Saba venit audire sapientiam Salomonis, ipsa interrogauit, dubia proposuit, quod desiderauerat scire inquisiuit, & postmodum scientiam veritatis accepit. Sic & nos per meditationem quæramus, vt per contemplationem gustu veritatis ditemur. Quæ est, inquit Richardus, ista Regina Austri, & illius calidæ regionis inhabitatrix & domina, & videndi Salomonis desiderio succensa? Quæ, inquam, est ista Regina, nisi quælibet anima sancta, sensibus & appetitibus carnis, cogitationibus & affectibus mentis fortiter præsidens, & summi Regis veréque prorsus Salomonis dilectione feruens, videndíque desiderio ardens? Eiusmodi Regina summæ sapientię Regem propositis ænigmatibus, & frequentibus interrogationibus impetit, quando quælibet anima deuota de diuino adiutorio præsumens, inuestigandæ veritatis studio vehementer insistit. Audit quod quærit, quando & illa, ad quæ ex propria industria non sufficit. Sæpe inter orationum suspiria ex diuina reuelatione cognoscit.] Meditatio itaque est quasi via, qua ad contemplationem quis peruenit. Prudens autem est, qui dum subitò à Domino in termino viæ minimè collocatur, viam carpit, & discursuum & affectuum gressibus ad terminum peruenire conatur.

Dionys. 1. de cõtem. art. 25.

1. Reg. 10. 3.

Richard. 5. de contem. c. 12.

Meditationis nomine cõsideratio orationibus, affectibus, & compunctione cordis ornata intelligitur. Bernard. in scala. Dionys. 3. de contem. ar. 21.

Neque oportet repetere meditationis nomine non nudam rerum cœlestium considerationem, sed orationibus, affectibus, & compunctione cordis ornatam intelligi. Orationis seu petitionis Bernardus meminit, dum putat meditationem sine oratione infructuosam. Dum etiam ait, non debere nos contemplationem cupientes quasi Deum tentando diuina præsumere, sed facere quod ad nos pertinet: legere scilicet, & meditari in lege Dei, orare ipsum vt adiuuet infirmitatem nostram, & videat imperfectum nostrum. Affectuum meminit Dionysius Richelius commemorans quid mysticæ Theologiæ seu contemplationis cupidi debeant petere, & desiderare. Debent, inquit, per amorosum purissimæ charitatis affectum directè ac linealiter in Deum verti, figi, proficisci, seu eleuari, nihil orantes seu adipisci petentes nisi ipsummet Dominum Deum, & quidquid de eius voluntate in nobis esse debet, ita vt nec munera eius, consolationem, illuminationem, inflammationem petamus, nisi in quantum necessaria nobis sunt ad habendum & possidendum ipsum. Itaque affectuosissimè deprecemur, vt ipse nobis se applicet, vniat & infundat, nos sibi astringat, illustret, accendat, mentem nostram indesinenter inhabitet, totam semper possideat, impleat & gubernet, vt sic eum quottidie perfectiùs honoremus, limpidiùs contemplemur, feruentiùs diligamus, strictiúsque & intimiùs complectamur.] De compunctione loquitur Gerson, dicens, mysticam Theologiam melius acquiri per pœnitentem affectum quàm per inuestigantem intellectum. Et infrà illud Dauidis: In meditatione mea exardescit ignis non tam pro veritatis inuestigatione, quàm prosequente compunctione accipiendum esse ait. Si ergo ad contemplationem parari volumus, coram Domino nequaquam otiosi & segnes maneamus, sed meditemur, efficiamur, postulemus, & in his ac similibus mentis exercitationibus perseueremus, & sic dabitur ad requiem contemplationis ingressus.

Gerson de myst. Theol. spec. cõsid. 28.

Vide nunc hunc ordinem ascendendi ad contemplationem in Iacob Patriarcha descriptum, de quo sic legis in libro sapientiæ: Hæc profugum iræ fratris iustum deduxit per vias rectas, & ostendit illi regnum Dei, & dedit illi scientiam Sanctorum: honestauit illum in laboribus, & compleuit labores illius. Sapientia his gradibus iustum ad sui possessionem ac ad veram contemplationem perducit. Primò ducit illum per vias rectas dum à vitiis auocat, & omnium virtutum operibus implet. Secundò in visione scalæ mysticæ ostendit illi regnum Dei, vt per eam meditando ad Deum ascendat, & ad se descendat. Tertiò ex hac visione, in qua non minimus labor est, ad Sanctorum scientiam, id est, ad contemplationem accedit, in qua sancta, id est, cœlestia & diuina perspicit. Quartò laboribus honestatur, id est, ditatur ac multiplicatur, quia nimirum fructibus, quos labore multiplici adquisierat, plenus agnoscitur. Tandem labores isti complentur, cùm vsque ad finem vitæ perseuerantia coronantur. Ecce quomodo ex labore meditationis ad requiem contemplationis, & ex hac ad diuitias perfectionis peruenitur. In quodam etiam ex filiis Iacob hoc similiter delineatum est. Nam de Isachare dicitur: Vidit requiem quòd esset bona, & terra quòd optima: & suppossuit humerum ad portandum, factúsque est tributis seruiens.] Contemplatio quidem requies bona, & terra optima. Requies bona, qua Deo intellectu & affectu inhæretur: terra optima, in qua aliquis haustus illius terræ viuentium, quam suspiramus, inuenitur. Si hanc vel à longè vidisti, si eius desiderio exarsisti, si ad eam peruenire decreuisti, necesse est, non solùm vt laboribus virtutum te exerceas, sed vt etiam sub onere meditationis seruias, donec in libertatem illius perspicacitatis, quam Deus infundit assurgas. Qui certè in opere suo delineauit, quánam ratione anima debeat caput ad contemplationem attollere. Ipse sex diebus operatus est: requieuit verò die septimo ab vniuerso opere quod patrarat. Sic & mens nostra sex diebus operetur, id est, per Dei opera & mysteria solerti inquisitione, discurrat, & ad omne bonum se afficiat, & aures Dei gemitibus & orationibus pulset, vt tempore Deo placito in termino inquisitionis, nimirum in simplici intuitu veritatis, & in ardore amoris, qui illi aspectui adiungitur, requiescat.

Iacobus Patriarcha typus recti ad contẽplationẽ ascensus. Sap. 10. 10.

Gen. 49. 15. Isachar item eundẽ ascensum prafiguravit.

Gen. 2. 3.

De discreta cura corporalis salutis.

CAPVT XI.

Rom. 13. 14. Nimia carnis cura prohibetur à Paulo, moderata conceditur.

DE carnis cura sic præcipit Paulus: Et carnis curam ne feceritis in desideriis.] Quo verbo nimiam carnis curam prohibet, moderatam concedit. Nimia est, quæ fit in desideriis ipsius carnis explendis; & hæc meritò interdicitur, quæ mortem generat. Moderata est, quæ pro gloria Domini in necessariis assumitur, & hæc iustè conceditur, quia vitam spiritualem iuuat. In hoc namque statu, in quo homo se fortiter abnegauit, corpus suum duriter castigauit, & planè imbecillum ac spiritui subditum reddidit, oportet vt illius nonnullam curam suscipiat, & ipsi moderatè & secundùm leges temperantiæ condescendat, nec altissimum opus contemplationis impediat. Optimè enim scripsit Diadochus: Vt corpus multo cibo onustum, languidam & segnem efficit mentem, sic nimia continentia victus debilitatum facit, vt ea pars animæ, quæ in contemplatione versatur, in mœstitia sit, & in fastidio sermonis. Oportet igitur ad motiones corporis cibos etiam accommodare, vt dum corpus valet, quantum conueniat, castigetur, dum verò non valet, moderatè leniatur. Nec enim infirmo corpore esse debet qui certat, sed ita firmo, vt sustinendo certamini par esse possit, vt anima etiam laboribus corporis conuenienter purgari queat.] Sic ille. Hoc documento ad contemplationem anhelantes maximè opus habent. Qui ipso cœlestium desiderio ab his quæ corporis sunt fortiter abstrahuntur, ita vt non sine mœrore condescendere eius indigentiæ sustineant. Rationis regula sunt hæc desideria metienda, ne si corpus, instrumentum vtique virtutis, defecerit, potiores mentis actiones omittere, & carni morituræ obsequiis vacare cogamur. Pulchrè scripsit Gregorius. Corda in cythara si minus tenditur, non sonat: si amplius, raucum sonat: quia nimirum virtus abstinentiæ aut omnino nulla est, si tantum quisque corpus non edomat, quantum valet: aut valde inordinata est, si corpus atterit plus quàm valet. Per abstinentiam quippe carnis vitia sunt extinguenda, non caro: & tanto quisque sibi debet moderamine præesse, vt & ad culpam caro non superbiat, & tamen ad affectum rectitudinis in operatione subsistat.] Sic ille.

Diadochus de perfectione. c. 45.

Greg. 15. mor. c. 31.

Ad moderationẽ in abstinentia habendã, oratio humilis cõferet, & magistri cõsilium.

Ad hanc moderationem habendam conferet humilis oratio, qua postules super hac re à Domino edoceri. Confert & consilium magistri spiritus, qui perpensis viribus tuis, & gradu diuini auxilij quo adiuuaris regulam seruandam constituet. Is autem si sapiat non omnes eadem regula metietur, nec nimis timidum se præbebit, præsertim cum iuuenibus, sed in Dei vocantis auxilio confidet. Aliquos etiam inueniet ad extraordinarium vitæ modum, & ad magnas corporis afflictationes vocatos, qui per gratiam multum supra naturam, & supra communes homines possunt quos oportet suspicere, & regulis communibus non alligare, sed potiùs, vt Deum vocantem sequantur, illis habenas laxare, & in sua vocatione relinquere.

*

Quòd his omnibus expletis adhuc gratia contemplationis est gratia Dei.

CAPVT XII.

POSTQVAM hæc omnia exactè præstiteris, ne putes gratiam contemplationis te ex iustitia meruisse, tibique infallibiliter dandam: quam vtique (cùm donum sit ad salutem æternam non necessarium) ex iustitia non possumus obtinere, sed tantùm ex misericordia & liberalitate laboribus & gemitibus impetrare. Hoc magnus Gregorius illa putat lege signari, qua dictum est: Si emeris seruum Hebræum, sex annis seruiet tibi; in septimo egredietur liber gratis. Seruus, inquit, Hebræus emitur, quando vnusquisque qui iam ab hoc sæculo mente transit seruitio omnipotentis Domini subditur. Ille enim verè Deo seruire appetit, qui ab hoc sæculo mente transire didicerit. Hic post sex annos gratis liber egreditur, ex labore nimirum & seruitute actionis ad libertatem contemplationis, quia postquam omnia debita fecerit, debet se inutilem seruum existimare. Cui proculdubio, sicut ex munere data fuit actio, ita ex munere & gratia dabitur contemplatio. Ad quod mirum in modum conferet quod in eadem lege subiungitur. Cum quali veste intrauerit, cum tali exeat. Quia omnino necesse est, vt vnusquisque in hoc quod cœperit perseueret, vtque ad finem operis in ea, quam inchoauit, intentione perduret.] Hæc in sententia hic sanctus Pater, multis verbis omissis & immutatis. Dices ergo in corde tuo: Seruus inutilis sum, quod debui facere feci: & his omnibus laboribus & conatibus meis quod cupio & postulo non commerui. In tui mortificatione, & vitæ puritate & studio orationis perseuera: nam si vtile tibi futurum sit, Dominus qui suorum non obliuiscitur, fenestram suæ lucis aperiet, & dono isto verè desiderabili cumulabit. Si verò tibi ob abditissimas suæ prouidentiæ causas non expediat, scito quòd minimè oleum & operam perdis, & quòd post hanc vitam donum contemplationis in eo gradu, qui contemplationem hîc denegatam, & in cœlesti patria dandam exæquet, obtinebis.

Contemplatio donum Dei est ad salutem nõ necessarium.

Exodi 21. 1.

Greg. hom. 3. in Ezech.

APPARATVS SECVNDVS:

Præsentia diuina.

Præsentiam diuinam seu iugem Dei memoriam obnixè nobis in sacra Scriptura commendari.

CAPVT I.

Præsentia Dei est præcipuum instrumentum ad contemplationẽ, & omnẽ perfectionem.

VNC præcipuum instrumentum non solùm ad assequendam contemplationis gratiam, verùm ad omnem perfectionem obtinendam stylo persequemur; quod ab huius doctrinæ spiritualis tractatoribus

vocatur

vocatur præſentia Dei. Præſentia quidem Dei, non ab ipſa Dei immenſitate profecta, ſed à nobis aſſiduè cogitata, cuius præſidio maximè ad omnem virtutem & ſanctitatem allicimur. Deus namque omnibus adeſt, cùm ſit in vniuerſis rebus & locis per eſſentiam, vt aiunt, præſentiam, & potentiam: at nos non ſumus animo præſentes ei, cùm eius maieſtatis obliti vana cogitamus, & in terrena & caduca diffundimur. Quare ſcitè Bernardus ad Eugenium ſcripſit: Et hoc velim ſolerter aduertas, quia toties peregrinatur conſideratio tua, quoties ab illis rebus (æternis) ad iſta deflectitur inferiora & viſibilia, ſiue intuenda ad notitiam, ſiue appetenda ad vſum, ſiue pro officio diſponenda vel actitanda. Si tamen ita verſatur in his, vt per hæc illa requirat, haud procul exulat.] Si verò cùm creata vtiliter conſideramus, aliquantulum exulamus, cùm ea inutiliter & vanè ſpiritu voluimus, quàm longè à Domino erimus. Eſt ergo hoc loco præſentia Dei nihil aliud quàm memoria Dei, ſeu cogitatio de Deo, qua in omnibus locis & negotiis Deum vt præſentem intuemur, eum blandè & reuerenter alloquimur, & ad ipſum amoribus & deſideriis afficimur. Scito cor tuum & animam tuam eſſe domum Dei, aut cellam vinariam, quemadmodum Hugo Victorinus contemplatur, in qua Deus charitatem in te ordinaturus ingreditur. Aſſueſce in hoc habitaculo cum Domino commorari, & illum perpetuò internis oculis intueri. Ionas in ventre ceti, Daniel in lacu leonum, Ananias, Azarias & Miſaël in fornace ignis ardentis nec mentis tranquillitatem, nec Dei memoriam perdiderunt, & ideo ab imminentibus malis erepti ſunt. Ne tu in proſperis ſiue in aduerſis, & in occurrentibus negotiis memoriam Dei perdas, vt à malis eripiaris. Nihil ſe offert tam arduum, tam difficile, tam magni momenti, quod non aliquid attentionis ad Deum te inſpicientem & tua conſiderantem relinquat. Si millies in vna hora Dei obliuiſcaris, millies ad eum recordatione conuertere: numquam deſpondeas animum, ſed peruictis difficultatibus iterum atque iterum Dei cogitationem reſume. Si ſemper non potueris, ſaltem aſſiduè ad hoc exercitium recurre, & more illorum, qui in rigidiſſima hyeme frequenter quantum poſſunt ad ignem vel vaporarium redeunt, ad hunc ſplendidiſſimum ignem, quo tuus ſpiritus calefiat ſubinde reuertaris.

Hoc vnum medium (audeo dicere) cuncta alia media ad perfectionem & contemplationem opportuna ſupplet, vel ea conuenienter includit. Sicut enim ſeruus vel filius obediens qui animaduertit ſe ab hero vel à patre videri eo ipſo ordinatè & reuerenter ſe habet, & quæque iniuncta fideliter implet: non aliter iuſtus qui ſeruus & filius eſt Dei, hac cogitatione quòd Deus præſens eſt, & omnia tum exteriora, tum interiora conſiderat, ad ordinem, ad reuerentiam, ad fugam mali, & ad exequutionem boni, & ad omnem obedientiam incitatur. Hæc Dei memoria vniuerſa facienda & omittenda perfectionis gratia ad memoriam reuocat, & ad otium expellendum & ad omnia opera virtutis vehementer inſtimulat. Quin & veſtis eſt qua Chriſtum induimus. Nónne Paulus ait: Induimini Dominum Ieſum Chriſtum? Sed vide quomodo Baſilius hoc indumentum intelligat. Induimini, ait, non ſecundùm exteriorem hominem, ſed mens noſtra Dei memoria circumamiciatur.] Si in hac veſte omnis perfectio, omnis virtus exprimitur, profectò iugis memoria Dei, validum erit ad omne bonum inſtrumentum. Hac anima ceu luna ſine vllo diſtractionis obſtaculo Dei ſolis iuſtitiæ radiis opponitur, & luce eius quottidie pulchrior & ſplendidior efficitur. Hac à fonte illo perenni bonitatis recipit ſemper vnde bibat, vnde incrementum virtutis capiat, vnde aduersùs hoſtes fortitudine conualeſcat. Hac tandem amat (quoniam non memoria Dei arida eſt, ſed affectuum plena) & in omni bono perſeuerat. Quod Baſilius diſſertis verbis fatetur, ſic ſcribens: Omni humanarum rerum cura abiecta, ſummo ſtudio & diligentia par eſt nos, cor noſtrum obſeruare, ac ſimul etiam atque etiam videre, ne quando cogitationem de Deo abiiciat, aut dum res ſtultas atque nihili agitat, memoriam rerum omni admiratione dignarum deponat, verùm vt in contemplatione Dei optimi maximi aſſiduè verſetur, & ſinceram eius doctrinam, perpetuámque recordationem in penetralibus ſuis veluti ſignum quoddam quod deleri non poteſt, impreſſam habens ſanctitatem eius colat obſeruétque. Hac enim ratione amore flagrabimus Dei, qui nos excitabit ac inflammabit ad mandata eius religiosè perſequenda, & ab illis ipſis rurſus ad conſtantiam atque ſtabilitatem quamdam.] Magnum certè bonum quod tantorum bonorum eſt cauſſa. Satíſque frigidus eſt, qui audiens ſe vna memoria Dei ad charitatem accendi, ad mandatorum cuſtodiam prouocari, & ſtabilitate contineri, eius deſiderio non inardeſcit.

Quia verò hæc iugis Dei memoria tanti momenti eſt ad omnem perfectionem, & ad intimam Dei familiaritatem adquirendam, ideo Scripturæ ſacræ eam aſſiduè nobis commendant. Deus quidem Abraham patrem multarum gentium futurum, & in eo vniuerſos ad mentis puritatem vocatos alloquens ait: Ego Dominus omnipotens: ambula coram me, & eſto perfectus, vox [Saddai] pro qua Hieronymus omnipotentem vertit, fortem ſignificat, beneficum, liberalem, bonis omnibus exuberantem, ad omnia patranda ſufficientem. Cauſſam ergo ſubindicat, quare ſimus coram Deo ambulaturi. Quid imbecillo vtilius quàm forti mente adhærere? Quid pauperi conducibilius, quàm in conſpectu Regis liberaliſſimi, & bonis exuberantiſſimi apparere? Quid impotentiſſimo melius quàm omnipotentem & ad omnia ſufficientem proximum habere. Si hæc optas, ô homo, ſi hæc in votis habes, ambula coram me, ſimplici quadam recordatione, & ſuauiſſima dilectione appropinqua mihi, vt bonis omnibus implearis. Ne exiſtimes hanc curam ambulandi coram me ſine fructu eſſe, immo ex ea ſummum bonum percipies quòd perfectus & omni virtute cumulatus euades. Mea fortitudo te à malis eripiet, mea largitas geſtus tuos, motus, verba, actionéſque componet, & omni virtute perficiet, omnipotentia mea te, ne à cœpto deflectas, ſuſtinebit. Ponam fœdus meum inter me & te, & multiplicabo te vehementer nimis. Dilectionis fœdere te complectar, & huius memoriæ meæ præſidio ad ingentes ſpiritus diuitias adducam. Hoc ergo fuit Abrahæ & filij eius Iſaac magnum elogium, quòd Deum præſentem ſibi exhibuerunt. Vnde Iacob vt eos honorificè compellaret dixit: Deus, in cuius conſpectu ambulauerunt patres mei Abraham & Iſaac, benedicat pueris iſtis, &c.] Idémque eſt elogium iuſtorum qui fidem Abrahæ, &

Bernard. 5. de conſid. c. 1.

Præſentia Dei eſt memoria ſeu cogniſio, qua omnibus in rebus Deum præſentè intuemur. Hugo 1. de vanit. mundi.

Baſil. orat. 1. de amore diuino.

Rom. 13. 14.

Baſil. ad Pſal. 44.

Scriptura ſacræ aſſiduè nobis præſentiam Dei commendant. Gen. 17. 1.

Gen. 17. 2.

Gen. 48. 15.

ſanctitatem Iſa ac imitati ſunt : quod ſi habeant,æquum eſt multa de illis bona cogitare,quibus ab eo quem ſemper aſpiciunt, cumulantur. Si enim tu cùm corpus radiis Solis opponis,& lucem & calorem, & agilitatem ad motum recipis : quídni illi fœlices, qui ſemper Deum præſentem intuentur, vt lucem ſapientiæ,& ardorem charitatis,& feruorem ad bene operandum accipiant?

Cant.8. 6.

Ad eamdem Dei memoriam anima ſub nomine ſponſæ vocatur in Canticis, cùm audit : Pone me vt ſignaculum ſuper cor tuum, vt ſignaculum ſuper brachium tuum.] Pones, ô anima, Deum vt annulum ſignatorium ſuper cor tuum, ſi eum aſſiduè cogites : ponis ſuper brachium, ſi ipſum in actionibus imiteris. Et prius cordi quàm brachio imprimis, quia ex eo quòd eum memoria præſentem habeas, ad omnem perfectam actionem prouocaris. Sic numiſma ſummi Regis efficeris, cuius imaginem & ſuperſcriptionem intus & foris habes, vt poſt hanc vitam ad eum pertinere noſcaris. Si autem viam ac rationem ponendi Deum ſuper cor & ſuper brachium vt ſignaculum inquiris, fortis eſt vt mors dilectio, dura ſicut infernus æmulatio. Dilige, ac perfectionem æmulare, & Dei præſentiam facillimam reperies. Quoniam dilectio fortior eſt morte, & æmulatio ſeu zelus inferno robuſtior. Vt ſicut mors omnia ſuperat, & infernus quos ceperit fortiter tenet, ita dilectio Dei, & propriæ perfectionis zelus nullum impedimentum non vincat, & nullam curam mordicus non teneat, quæ ad Dei præſentiam obtinendam opportuna animaduerterit. Illud itaque hoc loco à nobis exigitur, vt Deum ſemper memoria præſentem habeamus, & actione eius veſtigiis inhæreamus, vt Dei præſentia nos ad actiones congruas impellat, & actiones à Dei præſentia non abducant. Iſtud autem erat monachorum illorum antiquorum præclarum inſtitutum;de quibus Caſſianus hæc ait : Sicut nullum fermè ab eis otio tempus excipitur, ita nec meditationi quidem ſpirituali finis imponitur. Nam pariter exercentes corporis animíque virtutes,exterioris hominis ſtipendia cum emolumentis interioris exæquant, lubricis motibus cordis & fluctuationi cogitationum inſtabili operum pondera, velut quamdam tenacem atque immobilem anchoram præfigentes,cui volubilitas ac peruagatio cordis innexa, intra cellæ clauſtra, velut in portu fidiſſimo valeat contineri : atque ſpirituali meditationi tantùm & cuſtodiæ cogitationum intenta,non modò ad conſenſum prauæ cuiuſque ſuggeſtionis peruigilem mentem corruere non ſinat, verumetiam ab omni ſuperflua otioſáque cogitatione cuſtodiat : ita vt quid ex quo pendeat, haud facile poſſit à quoquam diſcerni : id eſt, vtrùm propter meditationem ſpiritalem inceſſabiliter manuum opus exerceant, an propter operis iugitatem tam præclarum profectum ſpiritus ſcientiæque lumen adquirant.]

Homo præſentiã Dei habens numiſma ſummi Regis efficitur.

Caſſian. lib.2.de inſtit.c. 14.

Hæc de ſolitariis ſcripta ſunt,in quo illi ſunt à non ſolitariis æmulandi, & tanto ſolicitiùs huic Dei memoriæ vacandum,quanto maior illis neceſſitas huius exercitationis incumbit. Habent enim maiores occaſiones diſtractionis animi inter homines conſtituti, quas niſi Deum indefeſſo ſtudio præſentem intueantur abigere & eliminare non poterunt.

Eccli.14. 22.

Magnifica tamen ſunt verba Eccleſiaſtici, quibus nos ad Dei iugem memoriam inuitat. Beatus, inquit,vir qui in ſapientia morabitur, & qui in iuſtitia ſua meditabitur, & in ſenſu cogitabit circumſpectionem Dei.] Duos modos tangit memoriæ Dei habendæ,quos infrà fuſius exponemus. Alter eſt quo Chriſtum redemtorem noſtrum præſentem nobis facimus.Alter quo Deum abſque vlla corporea imagine nobis, vt re vera eſt, intimè præſentem cogitamus. Beatus igitur eſt, qui cogitatione in Chriſto moratur, & in ſuo Saluatore iugiter meditatur, in illo ſcilicet, qui factus eſt ſibi à Deo ſapientia, & iuſtitia, & ſanctificatio & redemtio. Beatus etiam qui intellectu ſuo inſpicit aſſiduè Deum in omni loco manentem, & omnia tum exteriora, tum interiora ſua conſiderantem. Beatus qui vanas cogitationes abiiciens excogitat ſemper vias ſeu opera Domini in corde ſuo, & myſteria illius abſcondita intelligit, & factus pulcherrimarum rerum inueſtigator in illas oculos mentis fide illuminatos intendit. Beatus, qui per opera Domini quaſi per feneſtras reſpicit ſapientiam, bonitatem,potentiam & perfectiones illius, & quaſi in ianuis ipſius quid ſibi faciendum ſit, quídve fugiendum audit. Beatus, qui poſtquam Deum ſibi præſentem videre cœperit, in huius veræ ſapientiæ ſtudio perſeuerat, & quaſi humilem caſam, & paruulum tabernaculum, iuxta Dominum,in quo requieſcat, ædificat. Et quare beatus? Quia qui velut paxillum fixerit in parietibus Domini, vt paruum tugurium extruat, in quo iuxta illum quieſcat, & manui ac protectioni ipſius dirigendum ſe tradat, innumerabilia bona ſemper manſura conſequetur. Quin opera ſua ſtatuet per intentionem rectiſſimam ſub tegmine illius ne vmquam pereant, & ſub prouidentia Domini quaſi ſub ramis arboris pulcherrimæ morabitur. Quin demum protegetur à feruore Solis, à malis ſcilicet ac tentationibus huius vitæ, & pacem ac tranquillitatem mentis conſequetur. Hæc omnia in ſenſu dicit Eccleſiaſticus. O igitur millies & centies millies beatus, qui ita præſentia Dei aſſueuit, vt eam quaſi in naturam verterit, & per gratiam Domini in actus ſuos moréſque transfuderit. Is enim non lentis paſſibus ab omni imperfectione diſcedet, & ad magnam mentis puritatem perueniet, & in cœleſti patria altiſſimam ſedem comparabit. Henoch & Elias viui in Paradiſum vel in aliquam regionem amœniſſimam tranſlati ſunt:ambo autem de Dei præſentia ſeu iugi ipſius memoria laudantur. De illo dicitur : Ambulauit Henoch cum Deo.] De iſto verò aſſeruiſſe legitur : Viuit Dominus exercituum, ante cuius vultum ſto.] Quid in hoc intelligimus, niſi quòd qui eorum æmulatores fuerint, & cum Deo vel coram Deo ambulauerint, & ante eius vultum ſemper ſteterint,in eam vitæ rationem transferentur, qua ferè nihil humanarum perturbationum ſentiant, & Deo fidentes, ac de manu eius omnia accipientes, quaſi in loco quodam tranquilliſſimo viuant.

1.Cor.1. 30.

Gen.5. 22. 3.Reg.18. 15.

Moleſtum erit omnia in hunc locum Scripturæ teſtimonia congerere, quibus ad Dei præſentiam incitamur, quare adducto teſtimonio Micheæ iſtud caput perficiam. Is ſic ait : Indicabo tibi, ô homo, quid ſit bonum, & quid Dominus requirat à te. Vtique facere iudicium,& diligere miſericordiam, & ſolicitum ambulare cum Deo tuo.] Hoc itaque bonum eſt ac perfectum,hoc etiam proficuum eſt nobis. Primò quidem vt iudicium faciamus;vt nimirum noſipſos cognoſcentes ac noſtram vilitatem inſpicientes, nos accuſemus,emendemus & perficiamus.Deinde vt diliga-

Multa ſacræ ſcripturæ teſtimoniis ad Dei præſentiam incitamur. Micheæ 6.8.

mus

mus misericordiam, id est, vt in proximos nos beneficos exhibere curemus & nulli malum neque cogitatione, neque verbo, neque actione inferentes, verè iusti existimemur. Postremum, quod præcipuum est, & origo præcedentium, vt solicitè Deum vbique præsentem, & vias nostras considerantem cogitemus. Hoc, inquam, præcipuum est, quoniam actus religionis est, quoniam Dei amorem & omnem aliam virtutem continet, quàm mens Deum præsentem cogitans, aut coram illo, aut erga illum exercet. Hoc etiam est origo aliorum; quis enim Dominum videns non percutiat fœmur suum? non seipsum accusęt, atque contemnat? non se ad opera iustitiæ & misericordiæ erga fratres impellat? Meritò ergo sapientia introducta à Dionysio Richelio hanc tamquam breuissimam formulam perfectionis tradit, vt quisque se intellectu & affectu à terrenis abstrahat, & Deo iugiter inhærere contendat. Verba eius, quæ magnam habent efficacitatem ad excitanda corda tepida, libenter subiicio. Si optabilem cunctis vitæ spiritualis perfectionem habere desideras, si viriliter ipsam aggredi affectas, debes teipsum abstrahere à societatibus & familiaritatibus nociuis, & ab omnibus hominibus propositum tuum impedientibus, & breuiter à cunctis mortalibus quantum possibile est ex voto tuæ professionis, salua semper obedientia humili & promta superiorum, semper captans opportunitatem vbi & quando locum possis reperire quietis, & contemplationis carpere secreta silentia, præsentísque sæculi vitare naufragia, & perturbationes mundi fugere perstrepentis. Omni tempore puritati cordis debes principaliter studere, vt videlicet continuè velut clausis carnalibus sensibus in temetipsum conuertaris, & cordis ostia à formis sensibilium, & imaginationibus terrenorum, quantum possibile est, habeas diligenter obserata. Puritas namque cordis inter omnia exercitia spiritualia quodammodo tamquam quædam finalis intentio, ac laborum omnium retributio (quam in hac vita miles Christi emeritus recipere consueuit) sibi vendicat principatum. Affectum tuum cum omni diligentia absoluas ab his omnibus quæ libertatem ipsius impedire possent, & ab omni re possibilitatem habente alligandi & tenendi ipsum affectum ad inhærendum, iuxta illud: Maneat vnusquisque apud semetipsum, nullúsque egrediatur ostium domus suæ die Sabbati; & sabbatizabit populus. In semetipso namque esse, est dispersiones cordis sui & affectiones ad vnum verum & simplicissimum bonum recolligere, & collectas seruare. Sabbatizare verò, est ab omni affectione carnali animam inficiente, & à curis mundanis ipsam detrahentibus absolutum esse, & in pace cordis sui tamquam in portu silentij, in amore & fruitione conditoris suauiter quiescere. Super omnia autem alia hic tibi sit principalis semper conatus, vt animum tuum iugiter sursum in contemplatione diuinorum eleuatum habeas, vt diuinis rebus ac Deo mens semper inhæreat, & derelicta fragilitate terrena ad superna iugiter transferatur. Quidquid autem ab his diuersum est, quamuis magnum videatur, sicut corporis castigatio, ieiunium, vel vigilia, & similia virtutum exercitia quasi quædam adiumenta secundaria & inferiora iudicanda sunt, & tantùm expedientia, quantum ad cordis proficiunt puritatem.] Hactenus ille. Si autem hoc laboriosum videtur, attentè consideremus tum debitum nostrum, tum multiplicem vtilitatem ex assidua memoria Dei prouenientem vt hunc laborem hancque difficultatem, quæ statim sese offert, ex parte leniamus.

Acutissimũ Richelij de Dei præsentia iudicium. Dionys. lib. de ordinat. cor. art. 29.

Multis nominibus nos ad diuinam præsentiam cogitandam teneri.

CAPVT II.

AGEDVM, incipiamus inuestigare, quibus homo ad assiduam Dei memoriam videatur obstringi. Multa enim sunt, quæ non alia ratione, quàm quia sunt debita, libenter præstamus: quòd si debito propria vtilitas adiungatur, multo libentiùs exequimur. Quamuis autem multa sint, quæ Dei præsentiam à nobis exigant, quatuor tamen nunc attingenda occurrunt, quæ quasi vi quadam hoc debitum à nobis extorquent. Ea verò sunt Dei voluntas, hominis nobilitas, ius gratitudinis, & onus quod nobis imposuimus Sanctorum imitationis.

Quatuor sunt, quæ Dei præsentiã à nobis exigunt. Dei voluntas. Hominis nobilitas. Ius gratitudinis. Imitatio Sanctorũ.

Quod attinet ad Dei voluntatem, non dubium quin Deus impensè velit hominem sui memoria continenter imbuere. Hoc est bonum, vt vidimus ex Michæa, & quod Dominus requirit à nobis, vt soliciti ambulemus cum Deo nostro, id est, eum semper actuali memoria præsentem gestemus. Idem significant illa verba, quæ inferiùs non parum nobis facessent negotij: Oportet semper orare, & numquam deficere.] Quomodo enim Deum semper orabimus, nisi eum semper, præsentem consideremus? Aut qua ratione Christus Dominus noster voluntate sua separabit perpetuam orationem à perpetua præsentia Dei quam oratio ita inseparabilem habet, vt nisi Deum orando cogites, distractus & imperfectus saltem orator dicaris. Sed absque vlla tergiuersatione hoc quod dicimus ex illo maximo & primo mandato colligitur, quo dictum est: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua.] Perfecta enim huius mandati impletio assiduam Dei memoriam inuoluit. Nam si dilectio in rem cognitam fertur, quomodo Deum semper amabis, & non semper cogitabis? Quomodo toto corde, & tota anima, & tota mente illi inhærebis. Si præcipuam aut vnam ex præcipuis tuis partem ab illo disiungis, & ad vana & inutilia conuertis. Certè Augustinus & Hugo Victorinus ita hoc præceptum intellexerunt, vt diligere Deum ex toto corde sit diligere ex toto intellectu, ex tota anima, ex tota voluntate, ex tota mente, ex tota memoria. Qui ergo vult & præcipit ita diligi, omnem cogitationem hominis quantum hæc vita mortalis sustinuerit, vult & præcipit in seipsum impendi. Iam ergo tu qui contemplationis es auidus, qui dicis sæpe cum Dauide in corde tuo: Quæsiui vultum tuum; vultum tuum Domine requiram: qui desiderio exequendi in omnibus diuinam voluntatem gloriaris, ecce diuinam voluntatem, adeò clarè & perspicuè tibi declaratam, vt eam ignorare non possis. Id à te exigit Deus, vt eum semper cogites, eum semper ames, eum quoad fieri possit in omnibus quæras. Ad hoc in lege scripta dies festos in initio, in medio, & in fine anni celebrandos instituit, vt populus ille carnalis certis temporibus saltem Deum coleret, & eius memoriam haberet,

Luc. 18. 1.

Matth. 22. 36.

Hugo eluc. epist. ad Rom. c. 13.

& te ac omnes memoriæ eius habendæ per totam vitam, in principio scilicet, in progressu & in fine ipsius per vmbram & imaginem admoneret. Ad idem in lege gratiæ solemnitates constitutæ, torritus & cæremoniæ decretæ, tot horæ diei orationi destinatæ, vt suauiter populus ad Dei præsentiam duceretur, qua in officio contineretur. Quandoquidem ergo iam constat de voluntate Dei, qui præcepto suo nos ad minus adegit, vt nihil suæ voluntati contrarium admitteremus, ad maius tamen & perfectius animauit, vt eum semper cogitaremus, quid supereſt, nisi vt voluntatis Dei exequendæ auidi in eius præsentiam incumbamus?

Dei præsentia est vera hominis nobilitas.

Est deinde Dei præsentia hominis vera nobilitas. Nam Deum semper cogitare, & diligere, & ei intellectu & affectu adhærere, est huius vitæ actualis perfectio. Nihil autem celsius, nihil nobilius homini potest euenire, quàm vt suum finem, ac suam perfectionem consequatur. In rebus publicis huius sæculi familiaritas cum Principe iure omni muneri ac dignitati præponitur: quoniam familiarissimus principi non tantùm (cùm opus est) ad summam dignitatem euehitur, verùm & voluntate eius dignitates, & diuitiæ, & honores aliis obueniunt: necdum quòd cùm amor sit fons omnis boni, nihil sublimius esse potest quàm amari. Ita nihil melius aut excellentius poterit consequi, quàm si cum Deo familiaritatem ineas, quàm si eum semper intuearis, & diligas, vt ab eo, qui semper vicem rependit, tenerrimè diligaris. Tabernaculum illud, quod populum Israëliticum præibat, & numquam illud vel iter agentem, vel quiescentem deserebat, summam ei dignitatem comparabat. Quantam nobis dignitatem afferet, quòd non iam tabernaculum manu factum, sed Deum ipsum potentissimum intimè præsentem cogitemus, cum eo tamquam cum patre benignissimo conuersemur, & eum sæpe nos edocentem interiùs audiamus. Planè Dei præsentia nos à vilitate hominum extrahit, & in dignitatem sanctorum Angelorum extollit. Facit nos Angelos occupatione: nam sicut illi in quocumque loco operentur aut se præsentes exhibeant, semper vident faciem Patris, qui in cœlis est; ita & nos, quando hoc beneficio donamur, in quouis loco, siue domi, siue foris, siue in eremo, siue in foro, & in quauis actione faciem Domini, si non per speciem, at per fidem & sapientiam intuemur. Facit Angelos mentis puritate, quoniam hæc Dei præsentia inanes cogitationes fugat, superfluas affectiones amandat, imperfectiones bonis operibus se immiscentes eliminat, & totum hominem tum interiùs, tum exteriùs in quadam mirabili luce & fulgore constituit. Facit Angelos ministerio, quia per Dei memoriam ab omni otio & socordia liberamur, ad honestas actiones nuntij mittimur, & ad aliorum profectum siue verbo, aut saltem exemplo præeligimur. Neque enim facile credibile est quantum isti Deo, iam quasi ex habitu semper adhærentes, vel solo aspectu alios ædificent. Facit demum Angelos mentis magnitudine: nam sicut illi ex aspectu Dei, ita isti ex memoria Dei omnia temporalia & visibilia despiciunt, sciunt amare & odisse, amare cœlestia, odisse terrena, & ideo in omnibus diriguntur; secundùm illud Salomonis: In omnibus viis tuis cogita Deum, & ipse diriget gressus tuos.] Hoc impetrabis si eum in omnibus operibus tuis præsentem cogitaueris.

Dei præsentia ab hominũ vilitate extractos facit Angelos occupatione. Matth. 18.6.

Dei præsentia, facit Angelos mẽtis puritate.

Ministerio.

Mentis magnitudine.

Prou.3.6.

Gratitudo quoque magnam vim habet ad assiduam Dei memoriam inducendam. Non obliuiscaris, ait Ecclesiasticus, amici tui in animo tuo, & non immemor sis illius in opibus tuis.] Ad affectum gratitudinis hortatur, vt qui ab amicis bona recepimus tempore angustiæ & pressuræ, tempore prosperitatis eos à memoria nequaquam deleamus. Si amici qui aliquando benefecerunt nobis, nec cùm eorum ope non indigemus, obliuioni tradendi non sunt, quanto minus sunt è memoria abradendi; quando actu beneficia præstant, & nostras indigentias subleuant. O bone Domine, ó amator fidelissime, nullum est momentum in quo non infinita beneficia in nos infundas. A te singulis peregrinationis nostræ momentis, esse, vitam, potentias, & operationes recipimus (vt bona externa nunc sileam) & à multis malis periculisque seruamur. In aduersis tu es verus consolator, & cuiusque prosperi euentus donator; quomodo ergo tui obliuiscimur? Rectè dixit Ambrosius, vel quisquis author est libri de dignitate conditionis humanæ; sicut non potest esse momentum, quo homo non vtatur vel fruatur Dei bonitate & misericordia, ita nullum debet esse momentum quo præsentem eum, non habeat in memoria.] Bernardus verò vberiùs Domini beneficia recensens, eisdem verbis nos ad assiduam Dei memoriam astrictos esse concludit. Recordemur, ait, misericordiam Dei, vt sic accendamur in eius amorem. Reuocemus ad memoriam bona quæ tribuit nobis, quomodo in periculis sæpe constitutos clementer nos eripuit: nec vmquam peccatis nostris quominus misereretur vinci potuit: oblitos sui de se admonuit, auersos à se reuocauit, venientes ad se benignè suscepit, pœnitentibus indulsit, perseuerantes custodiuit, stantes tenuit, lapsos erexit, malas delectationes in amaritudinem conuertit, & rursus salubriter amaricatis consolationes suas tribuit: postremò tribulatione purgatis, quietem & pacem perfectam restituit; qui nec peccantibus vmquam defuit vt corrigeret, nec iustis vt custodiret. Recogitemus quanta bona fecit nobis Deus non rogantibus neque desiderantibus, immo recusantibus, & quàm multa peccata dimisit nobis, & à quantis periculis liberauit nos liberator Deus. Quàm magna dignatio pietatis fuit, quòd ingratos & in multis contrarios, à tam multis peccatis custodiuit nos Dei gratia, in quæ potuimus cadere, sicut in alia multa cecidimus. Idcirco sicut nullum est momentum, in quo non vtamur vel fruamur Dei pietate & misericordia: sic nullum debet esse momentum, in quo eum præsentem non habeamus in memoria.] Hæc Bernardus. Omni ergo tempore gratitudo tot tantisque beneficiis debita, Dei præsentiæ cogitationem nobis iniicit, & alia etiam noua beneficia promereri non desinit. Et ideo forsitan cecinit sanctus Dauid: Oculi mei semper ad Dominum; quoniam ipse euellet de laqueo pedes meos. Quia videlicet pia & humili, qua in Deum intuebatur, inspectione, & ad ipsum affectione eius misericordiam ad sibi opitulandum inflexit.

Gratitudo ad assiduam nos Dei memoriã hortatur. Eccli.37.6.

Cap.2.

Bernard. de interiori domo.c.9.

Psal.24.15.

Maximè tamen mouet ad studium præsentiæ Dei Sanctorum imitatio, quos omnes fuisse in vtroque Testamento perpetuæ Dei memoriæ addictissimos non dubium est. Eo ipso quòd ad sanctitatem aspiramur, onus imitationis Sanctorum subimus: iugum suaue, & onus leue.

Maximè mouet ad Dei memoriam Sanctorũ imitatio.

Quid

Quid enim suauius, quid iucundius, quàm posit illos currere, quos diligimus; eos sequi quos sapientissimos putamus; ibi pedem figere, vbi parentes nostros, non carne sed spiritu, securè fixisse cognoscimus. Illi ipsi nihil charius aut pretiosius habuerunt, quàm Deo se præsentes assidua cogitatione facere: qua memoria se in sanctitate custodierunt, statim verò moti sunt pedes eorum cùm ab hac memoria exorbitarunt. Ab ipso orbe condito hoc ostendere, licet breuiter, incipiamus. Angelus cùm primùm creatus est, intellectualibus oculis Deum aspexit, & inde, vt esset plenus sapientia, & perfectus decore, & vt in paradisi deliciis ambularet, fœliciter adquisiuit. At simulátque oculos à suo creatore auertit, & sibimet superbè placuit, & cogitationem in suam pulchritudinem conuertit, de cœlo cecidit, & eius superbia ad inferos detracta est. Post illum protoplastus Adam Deo per memoriam & affectum adhærens in innocentia perseuerat: ad vxorem verò & ad voces eius se conuertens legem sibi impositam frangit, & sanctitatem dilapidat. Eua similiter Deum præsentem habens non cadit, ad serpentem & ad pomum oculos inflectens, & ipsa cadit, & coniugi ac omnibus nobis fit caussa cadendi. Cain & Abel discrimen à cogitata Dei præsentia vel non cogitata dimanauit. Illius opera maligna erant, ait Ioannes Apostolus, fratris autem iusta.] Ille viliora obtulit Domino, & ex tepida voluntate; hic meliora & pinguiora, ac ex voluntate promtissima immolauit. Ille fratrem occidit, & fratricidium obstinatè negauit aut occultauit, & quod grauissimum est, per desperationem Dei misericordiæ iniuriam intulit. Hic martyrium patienter sustinuit, mortem pro iustitia pertulit, & in cœlum euolauit. Quid mali in illo tanta facinora, & quid boni in isto tanta bona præcesserat? Malum illius satis Domini verba subindicant. Audiuit enim: Quare iratus es, & cur concidit facies tua? Quia non in cœlum oculos sustulit, sed in terram demisit, & ad se conuertit, ideo dolorem concepit, & iniquitatem parturiuit. Bonum huius Scriptura non explicat, sed si licet ex contrariis effectibus oppositas caussas colligere, caussa bonorum Abelis præsentia Dei fuit; quòd videlicet noluit oculos in terram declinare. Sed in suum factorem erigere. Quamuis autem hanc caussam Scriptura non dicat, scribit tamen eam Iosephus in hunc modum: Abel iustitiam colebat, & omnibus actionibus suis Deum præsentem ratus virtuti operam dabat.]

Primi itaque cœli ciues, & primi huius regionis nostræ satores præsentia Dei sancti & immaculati, absentia verò peccatores extiterunt, ex quo constat cogitationem assiduam diuinæ præsentiæ functionem esse Sanctorum. Quod in aliis, qui in locum parentum suffecti sunt, adhuc explicare pergimus. Enos Sethi progenies cœpit inuocare nomen Domini; nec inuocasset, nisi præsentem habuisset. Henoch cum Deo ambulauit, id est, Deum sibi præsentem habuit, & ideo non tantùm Domino placuit, verùm & in paradisum translatus est. Vnde constat, quòd sicut absentia Dei primum parentem paradiso pepulit, ita & præsentia Dei filium à primo parente septimum in paradisum introduxit. Noë datur in Scripturis idem elogium. Noë vir iustus atque perfectus fuit in generationibus suis, id est, toto vitæ decursu, atque in actionibus suis; reddit autem caussam: cum Deo ambulauit.

Hæc vitæ institutio coram Deo habita eum à perditis illius ætatis moribus, & à diluuio immunem custodiuit.

Nunc ad legem scriptam transeamus, & videbimus in ea virtutis exempla nobis data hanc eamdem Deo placendi viam docuisse. Dauid prouidebat Dominum in conspectu suo semper; & oculos habebat eleuatos semper ad Dominum. Eliæ atque Elisei hoc erat solemne iusiurandum: Viuit Dominus in cuius conspectu sto.] Ieremias ad Dominum loquens ait: Quod egressum est de labiis meis, rectum in conspectu tuo fuit.] Quid mirum si rectum, si seruus cogitabat se coram hero loqui, & sua verba mundissimis Dei auribus audiri? Ezechias hac oratione vitæ suæ protelationem impetrauit: Obsecro Domine, memento quæso, quomodo ambulauerim coram te in veritate, & in corde perfecto quod bonum est in oculis tuis fecerim.] Quia coram Domino ambulabat, ideo in veritate deambulabat, ideo cor perfectum habebat, ideo rectissimis actionibus Deo placebat. Tobias filium instituens ita exorsus est: Omnibus diebus vitæ tuæ in mente habeto Deum.] Quasi diceret, si hoc feceris, nec peccato consenties, nec præcepta Domini prætermittes. Moses inuisibilem tamquam videns sustinuit, id est, ita in præsentia Domini vixit, ac si cum corporeis oculis cerneret. Hinc fortis effectus est, vt Ægyptum relinqueret, & improperium Christi diuitiis aulæ Regis præponeret. Hinc constituitur Deus Pharaonis, id est, iudex & vindex qui Dei nomine in illum animaduerteret. Hinc populum à seruitute Ægyptiaca eripit, hostes in mari demergit, & Deo, in quo adoraretur, tabernaculum construit.

In lege tandem gratiæ sicut maior est gratia, ita quoque maior fuit diuinæ præsentiæ exercitatio. Zacharias & Elisabeth quasi in meditullio vtriusque legis veteris & nouæ constituti vocantur iusti ante Deum: quia nimirum in conspectu eius incedentes iustitiam exercebant, & sine querela in medio suorum ciuium habitabant. Quin & ille quod opere præstitit, verbis etiam in suo Cantico docuit. De manu, inquit, inimicorum nostrorum liberati seruiamus illi. In sanctitate & iustitia coram ipso omnibus diebus nostris.] Assiduæ sanè Dei præsentiæ meminit, quæ omnes dies occupet, & ad eius purissimum obsequium excitet. Sed de Ioanne quid legitur? Erit magnus coram Domino.] Quid hoc? An quòd Ioannes maximus fuit, quo inter natos mulierum non surrexit maior? Sed quomodo iudicio Domini magnus esset, quem ipse Dominus sibi non adiungeret, & per assiduam sui præsentiam cordi Ioannis infusam familiarem non haberet? De sanctissima Virgine ac matre nostra non est quod loquamur. Illa enim toto vitæ suæ tempore nec ad momentum à diuina præsentia discessit. Angelus certè dixit illi priusquam Dominum conciperet: Dominus tecum. Dominus erat cum illa per abundantiorem gratiam: ipsa cum Domino per exactissimam diuinæ voluntatis obseruantiam, & indiruptam diuinæ maiestatis præsentiam. A Dauide namque dictum est: Sicut oculi ancillæ in manibus dominæ suæ, ita oculi nostri ad Dominum Deum nostrum, donec misereatur nostri.] Hæc igitur beata ac perfectissima ancilla Domini, quæ cùm esset mater, ancillæ sibi nomen assumsit, quomodo ad diuinam maiestatem,

Angelus à sua creatione Deũ intellectualibus oculis aspexit. Ezech. 28.12. Isai 14. 12. Gen.3.6. Adam memoriã in Deum conuertens in innocẽtia perseuerat, auertens labitur. Eua similiter. Cain & Abelem Dei præsentia cogitata, vel non cogitata discriminauit. 1.Ioan.6. 12. Gen.4.6.

Ioseph.1. antiquit. c.3.

In lege naturæ Enos Deũ semper præsentem aspexit. Gen.4. vlt. Gen.5. 22. Henoch item. Genes.6. 9. & Noë.

In lege scripta. Psal.25. 8. Dauid Psal.24. 15. Eliæ & Elisæum. 3.Reg.17. 1. 4.Reg.3. 16. Ieremias. Ier.12. 16. Ezechias. Isaiæ 38. 3.

Tobias. Tobiæ 4. 6.

Moses. Heb.11. 27.

Exod.7. 1.

In lege gratiæ Zacharias & Elisabeth. Lucæ 1.5.

Lucæ 1. 74.

Ioannes Baptista. Lucæ 1. 15.

Virgo sanctissima.

Psal.122. 2.

& ad nutum, ac quamuis Dei voluntatis significationem attenderet? De Apostolis ait Paulus: Nostra conuersatio in cœlis est.] Et: Sicut ex Deo coram Deo in Christo loquimur.] Ex Deo loquebantur, quia quæ ex Deo acceperant, prædicabant. Et coram Deo, quia eum iudicem ac testem suæ doctrinæ, semper ante oculos proponebant. Sancti viri, inquit Anselmus, & ex Deo loquuntur, & coram Deo, quia & ab eo se sciunt habere quod dicunt, & ipsum suis sermonibus adesse, iudicem auditorémque considerant.

Apostoli. Philip. 3.20. 2.Cor.2. 17.

Ibid.

Iam ex Anselmo colligimus hanc fuisse mentem omnium Sanctorum, quam ab Apostolis acceperunt, vt coram Deo loquerentur, & in eius præsentia cuncta operarentur. Hunc sibi testem non solùm suorum operum & verborum, verùm & abditissimarum cogitationum & affectionum faciunt. Eum sibi præsentem & omnia contuentem inspiciunt. Quod ad hanc præsentiam conseruandam vtile putant, admittunt: quod inutile tamquam sibi noxium abiiciunt. Vnde Cassianus ait: Hic ergo nobis principalis debet esse conatus, hæc immobilis destinatio cordis iugiter affectanda, vt diuinis rebus, ac Deo mens semper inhæreat: quidquid ab hac diuersum est, quamuis magnum secundum tamen, aut etiam infimum, seu certè noxium iudicandum est.] Sancti profectò aulicos imitantur, quibus gratissimum est coram principe semper stare, & gestu ac habitu corporis se paratissimos ad omne quod præceperit exhibere. Nec non & strenuos milites, qui libentissimè in oculis Imperatoris cum hoste decertant. Cùm è contra malorum sit Dei obliuisci, & ac si præsens non esset, omnia pro suo arbitratu disponere. Bene signati sunt in illo filio prodigo, qui postquam à conspectu patris discessit, & abiit in regionem longinquam omnem substantiam absumsit viuendo luxuriosè. In illo quoque seruo nequam, qui dicit in corde suo: Moram facit dominus meus venire, & percutit conseruos suos, & manducat & bibit cum ebriosis, vt pars eius ponatur cum hypocritis. Optiméque dixit Diocles, vt refert Paladius, quòd mens, quæ cogitatione recessit à Dei contemplatione, fit, vel dæmon, vel bestia. Rogatus autem quónam modo istud esset, respondit: Mens quæ recessit à Dei contemplatione, necessariò incidit vel in dæmonem cupiditatis, vel in spiritum iræ. Et cupiditatem quidem dicebat belluinam, iram verò dæmoniacam. Ne verò audientes deterreret, qui docebant mentem humanam sine intermissione cum Deo stare non posse, suam sententiam leniebat, dicens; quòd in quacumque cogitatione vel re pia fuerit anima, ea est cum Deo. Si igitur institutum nostrum est Sanctos imitari, hanc diuinam præsentiam quæramus, quam ipsi tam solerter exemplo docuerunt. Numquam nobis excidat Dauidicum documentum: Quærite Dominum & confirmamini, quærite faciem eius semper. In quærendo, inquam, Domino confirmemur, id est, constantes simus, & ab eius benigna facie cogitanda numquam discedamus. Si semper, ô homo, eius auxilio indiges, semper eum inquire:

Si semper ab eius nutu pendes, semper eius
præsentiam aduerte, vt ab ipso in omnibus adiuueris, & tantis rationibus
adstrictus ab eius memoria
non auertaris.

***

Cassian. coll.1. cap.8.

Luc.15. 13.

Matth. 24.48.

In Lausiaca c.9.8.

Ps.104. 4.

Quòd diuina præsentia à malis eripimur.

CAPVT III.

DIVINÆ præsentiæ cogitationem esse censuimus totius vitæ spiritualis ac perfectionis summam, generaléque compendium, quare eius præsidio consequimur illa tria, quibus tota vita spiritualis continetur, quæque toto hoc opere tractanda suscepimus, quibus ad vitam perfectam & ad dies iucundos peruenimus. Ad illa scilicet quæ sanctus Dauid breui sermone perstrinxit: Diuerte à malo, & fac bonum, inquire pacem, & sequere eam.] Nam præsentia Dei nos à malis eripit, & in bono promouet, & in omnem pacem, atque in Christi perfectam imitationem inducit. A primo autem exordium accipientes dicimus, Dei præsentiam assiduè & attentè & reuerenter cogitatam efficacissimum esse instrumentum, vt omnia peccata, & quæcumque perfectioni aduersantia proteramus.

Psal.33. 15.

Dei præsentia nos à malis eripit, in bono promouet, & in omnẽ pacem, & Christi imitationem ducit.

Et quidem vera mala nostra sunt peccata, tum grauia, tum leuia, quibus vel à Deo summo bono separamur, & in animæ mortem incurrimus, vel ad hoc miserum exilium præparamur, & in spiritualem ægrotationem, mortis nuntium incidimus. Quid autem efficacius ad non peccandum, quàm summum Deum iudicem & vltorem præsentem habere, & eum qui peccata prohibet, & tantis beneficiis nos sibi deuinctos tenet, internis oculis intueri? Sanè ex Dei obliuione omnium peccatorum colluuies egreditur. Oblitus est Israël factoris sui, inquit Oseas. Quid verò inde sequutum est? & ædificauit delubra, contemto Deo vero post idola abiit, & templa ac aras illis extruxit.] Sic fecit Israël, sic & nos facimus, qui quotiescumque Dei obliuiscimur, quasi idola erigimus, dum affectum in creaturis collocamus. Et Dominus apud Ezechielem postquam ostendit illi abominationes Seniorum Israël, hæc subdit: Certè vides fili hominis quæ seniores domus Israël faciunt in tenebris, vnusquisque in abscondito cubiculi sui, dicunt enim: Non videt Dominus nos, dereliquit Dominus terram.] Si autem animaduerterent se à Domino videri, non vtique auderent tam nefanda operari. Dauid quoque de iniquo ait: Non est Deus, in conspectu eius: inquinatæ sunt viæ illius in omni tempore.] E contra verò Susanna, quæ Deum præsentem aspiciebat, hoc aspectu ita aduersùs peccatum roborata est, vt non solùm in illum non consentiret, verùm & pro custodia munditiæ animæ suæ sempiternam infamiam, & acerbam mortem perferre non timeret. Hinc illa vox omni acceptione dignissima: Melius est mihi incidere in manus vestras (loquebatur cum duobus senibus impurissimis) quàm peccare in conspectu Domini.] Fortè si aspectum Domini non animaduertisset, à tam virili animo degenerasset.

Vera mala nostra sunt peccata leuia vel grauia.

Ose.4. 14.

Ezech.8. 12.

Psal.9. 25.

Dan.13. 23.

Meritò proinde Ambrosius illud putat remedium præstantissimum ad fugiendum peccatum, & frænandam concupiscentiam, si quis attentè consideret se ante suum Dominum ac omnium conditorem astare. Eius verba licèt longiuscula, quia magnam vim habent ad hoc confirmandum, libens subiicio. Nam vt quis, inquit, intemperatissimus captus adulterinæ cupiditatis æstu, & victus libidine, vel indulgens flagitiis, qui

Præstantissimum remedium ad peccatum fugiendum Dei præsentia iugis. Ambros. in Psal. 128. ser.1.

repugna

repugnare nolit appetentiæ ſuæ carnis, conuerſus huc atque illuc ſi neminem forte videat flagitij ſui teſtem,in facinus ruit:idem tamen quamuis inueniat paratam occaſionem potiendi, explorat diligenter omnia, in diuerſum oculos ſuos, incurioſus iuſtitiæ, ſolicitus famæ, detorquet frequenter, erubeſcens teſtimonium erroris,qui non erubeſcit errorem:ac ſi quem fortè ſpectatorem cognouerit facinoris ſui, verecundia ſequeſtrat intemperantiam,& quamuis cum ancilla vel meretrice vulgari,vbi nullum ſit deprehendendi periculum, tentamenta moliatur libidinis, pudore tamen inceptum deſerit. Quanto magis ſi quis alleuet mentis oculos, & conſideret plena eſſe Angelorum omnia, aërem, terras,mare, Eccleſias, quibus Angeli præſunt (mittit enim Dominus Angelos ſuos ad defenſionem eorum qui hæredes futuri ſunt promiſſorum cœleſtium) concepto poteſt renunciare peccato?]

Et poſt pauca: Tenebræ in circuitu,& parietes me operiunt, peccatorũ meorum non erit memor Altiſſimus. Non reueritus eſſes Angelorum præſentiam, ſi præſentes eſſe crederes? Non metueres non dicam facere,ſed loqui,aut etiã cogitare quod prauum eſt, ſi tibi diuina Scriptura ſuaſiſſet, quia Deus cogitationum arbiter, ſecretorum teſtis eſt verax,ſicut ipſe ait:Eſtote mihi teſtes,& ego teſtis, dicit Dominus Deus, & puer meus quem elegi? Hominem vereris præſentem,Dei patris & filij nõ vereris præſentiam. Sed non vis credere, ne poſſis cauere: non vis audire cùm legitur, quia Deus nouit occulta hominum, ne incipias ſcire quod timeas,& timere ne pecces. Audi ergo Scripturam diuinam, vt conuertaris à via praua & maligna. Noli ſicut cæcus oculis corporalibus,aut ſicut ſurdus,qui eo quòd non poteſt videre nec audire præſentes,ſolum eſſe ſe credit,& in plurimorum cœtu, dum putat nullum eſſe præſentem,perpetrare adoritur quod arbitratur eſſe ſecretum; non poteſt enim videntes videre qui non videt. Similiter & tu mentis cæcatus oculis noli æſtimare quod ſine teſte delinquas,quia hominis præſentiam declinare potuiſti. Plures ſunt qui redarguunt,quàm quos cauere potuiſti. Ipſum te fugere tui accuſatorem non potes,quem conuincit propria conſcientia.Et ſi negas aliis,tibi non negas. Et ſi homini inficiaris, Deo fateris. Et ſi volueris negare,tuæ te cogitationes reuincunt.Heliſæo aſſiſtebãt Angeli,quos videbat:& ideo agmina hoſtium non timebat, ſed timebat puer eius qui Angelos non videbat. Aperuit oculos eius ad vocem Prophetæ gratia Dei, vidit Angelorum exercitus,& credidit eſſe præſentes,quos antea,quia non videbat,putabat abſentes. Et tu lege Prophetam vt videas,lege vt aperiat oculos tuos, nec te hoſtilis regio perterreat, & obſeſſum eſſe te credas, qui liber es, qui munitus es ſpiritalibus turmis,ſi Prophetam non derelinquas. Cùm tibi Propheta loquitur,quia Deus dixit: Ego cœlum & terram compleo.Cùm tibi Propheta dicit,quia plures nobiſcum ſunt,quia in circuitu noſtro Angeli ſunt: attolle oculos mentis, & videbis non ſolùm Angelos, ſed etiam Deum qui dicat tibi:Aperi mihi ſoror mea, proxima mea, pulſat ad ianuam,& quando tu dormis:ſi tamen vel excitatus euigiles, vel vocatus ianuam tui pectoris aperias, introibit.]

Rurſus aliis interiectis ſubdit: Putas te ſolum eſſe cùm fornicaris, & non recordaris, quia oculi Domini vident orbem terrarum:Non audis dicentem:Ecce venit hora vt diſpergamini vnuſquiſque in ſua,& me ſolum relinquatis:ſed non ſum ſolus, quia Pater mecum eſt? Adeſt ergo Pater, adeſt & filius Dei:adſunt miniſtri,adſunt Cherubim & Seraphim, qui dicunt:Sanctus,ſanctus,ſanctus:plena eſt terra maieſtatis tuæ. Plenus eſt enim mundus ſanctarum virtutum, quia plenus eſt nequitiarum. Plenus eſt orbis terrarum remediis,quia plenus eſt laqueis. Putas quòd in lupanari Chriſtus te non videat, quem videt lupanar ingredientem? Putas quòd in adulterio te non deprehendat,quem videt adulterium cogitantem? Num parietes refugit,qui ſpectat errores? & ſecretum criminis auerſatur,qui ſcœnam criminis intuetur? An putas tunc primùm te intrare meritorium, cùm formicem meretricis ingrederis? Intraſti iam quando cogitationes tuas meretrix introiuit: intraſti iam quando ad ponendam proſtibuli cupiditatem greſſu mentis intraſti. Pulſaſti lupanaris fores quando ad mulieris concupiſcendæ decorem oculos mentis aperuiſti. Et ſi verum audire vis:quomodo te in lupanari non vidit Chriſtus, quando te vidit qui adulterando in corde tuo teipſum lupanar eſſe feciſti? Ac tandem: Sed acquieſco tibi quòd Ieſus te nolit videre,nolit reuincere, qui nolit accuſare:nolint videre & Angeli:ſed videt diabolus, qui tecum introiuit,immo qui te introduxit. Vident miniſtri eius qui te circumdederunt, ne videres Angelos Dei. Vidit Belial,vidit legio,qui te impulerunt,ne quis reuocaret,ne quis te teneret.Noli putari quòd colludium tibi præſtet ſilentij, qui volet tecum ſupplicij habere conſortium. Studet plures ſimiles ſui videre, & in eo habet gloriam,quòd plures perditos fecerit. Ipſe eſt incentor,ipſe accuſator,&c.] Hactenus Ambroſius.

Si ergo,ô homo, præſentem Deum animaduertas, peccare erubeſces, ſi eius obliuiſcaris, & hanc veram & piam cogitationem abiicias, data occaſione præceps in peccatum rues. Audi Ezechielem: Iniquitas domus Iſraël, & Iuda magna eſt nimis valde:& repleta eſt terra ſanguinibus,& ciuitas repleta eſt auerſione.] Quæ eſt tantorum malorum cauſſa? Dixerunt: Dereliquit Dominus terram, & Dominus non videt. O peſſimi, ſi cogitaſſetis Deũ ſua prouidentia terram non reliquiſſe, oculóſque, quibus veſtra immania flagitia videret, nequaquã clauſiſſe,non ita procaciter delinqueretis. Væ qui profundi eſtis corde,vt à Domino abſcõdatis conſilium: quorum ſunt in tenebris opera, & dicunt: Quis videt nos,& quis nouit nos? Peruerſa eſt hæc veſtra cogitatio, quaſi ſi lutum contra figulum cogitet,& dicat opus factori ſuo:Non feciſti me; & figmentum dicat fictori ſuo:Non intelligis. Omnis profectò perditionis cauſſa hæc eſt cogitatio:Deus non videt me,non cognoſcit interiora mea. Ergo econtra ſalutis cauſſa erit oppoſita perſuaſio:Deus videt me,& nihil eſt in me tam abſcõditum, quod in oculis eius non ſit clarius luce meridiana. Rectè dixit Chryſoſtomus: Nihil ita hominem perdit quàm ſi illum contingat ab hac anchora (ſcilicet à Dei timore) excidere,quemadmodum nihil contra ita illum ſeruat, quàm aſſiduus in illum aſpectus. Nam ſi hominem cùm præſentem cõtuemur, tum ad peccandum tardiores reddimur, ſæpe autem & ſeruos modeſtiores ſubueriti, abſurdi nihil admittimus. Conſiderato quantam adepturi ſumus ſecuritatem, ſi nos contigerit Deum aſſiduè in oculis ferre, numquam enim diabolus nos ſic compoſitos adorietur, tamquam fruſtrà laboraturus;qui ſi aberrantes, & ſine fræno palantes viderit, ſumto à nobis exordio poterit vbique, vt ſcabioſas

Qui Deũ præſentẽ aduertit peccare erubeſcit qui obliuiſcitur, præceps ruit. Ezech.9. 9.

Iſaiæ 29. 19.

Chryſoſt. homil.4. ad Rom.

biosas oues, à grege summotos depellere.] Si autē præsentia Dei est peccatorum grauiorum depulsio (quod omnia hucusque dicta persuadent) etiā peccatis leuioribus non parum obsistet, dum scimus hæc quoque displicere Deo, & mandatis eius esse prohibita. Tantáque est reuerētia diuinæ Maiestatis, vt ad quodcumque malum etsi leuissimum castum pudorem iniiciat.

Validissima Dei præsentia ad diaboli suggestiones superādas. Psal. 15. 8.

Ex his autem elucet attentam cogitationem diuinæ præsentiæ validissimam esse ad omnes tentationes superandas. Nam quis, rogo, coram Rege hosti consentiēt, quis in oculis Principis sui, à quo videt se adiuuari, inimico victum se tradet? Hoc scuto præsentiæ diuinæ sanctus Dauid se aduersùs hostes communiebat. Prouidebam Dominum, inquit, in conspectu meo semper: quoniam à dextris est mihi ne cōmouear.] Quem locum tractans Cassianus, illum affirmat hac Dei præsentia robustum aduersùs diaboli tentamenta effici, qui necessitatem gratiæ cognouerit, & puritati animæ & carnis intenderit. Eius verba sunt: Ille etenim solus vim atque intellectum huius carminis efficaciter assequetur, qui perueniens ad istam, de qua loquimur, corporis & animæ puritatem intelligit se cunctis momentis ne rursus ad eamdem reuoluatur, à Domino conseruari, dextrásque suas, id est, operationes sanctas ab eodem iugiter communiri. Dominus enim Sanctis suis non à siniſtris (quia nihil habet siniſtrum vir sanctus) sed à dextris semper assistit: à peccatoribus verò & impiis non videtur, quia non habent illas dexteras, quibus Dominus consueuit assistere, nec possunt dicere cum Propheta: Oculi mei semper ad Dominum, quoniam ipse euellet de laqueo pedes meos. Quod nullus poterit veridicè profiteri, nisi qui vniuersa, quæ sunt in hoc mundo, aut noxia, aut superflua, aut certè inferiora summis virtutibus iudicans, omnem intuitum suū, omne studium, omnem curam erga cultum sui cordis & castimoniæ defixerit puritatem, atque ita mens istis exercitiis elimata, & profectibus expolita, ad perfectam corporis atque animæ perueniet sanctitatem.] In cuius Doctoris verbis aliquid inuenio, quo diuinæ præsentiæ studium vehementer commendem: quòd illud & puritatem infert, & puritate incrementum & perfectionem accipit, ita vt qui purior fuerit faciliorem aditum ad Deum semper conspiciendum reperiat. Sed ad propositum redeamus. Idem scutum cupiebat Iob, dicens ad Dominum: Pone me iuxta te, & cuiusuis manus pugnet contra me.] Quónam modo quisque iuxta Deum ponitur, nisi quatenus cogitatione quòd Deus adest, & auxilio suo præstò est ad pugnandum roboratur. Egregiè quidem dixit Macharius Ægyptius: Velut sarmenta in ignem proiecta facultati ignis resistere nequeunt, sed statim exuuntur: ita dæmones, qui bellum inferre volunt homini Spiritum sanctum adepto, vruntur & absumuntur ab ignis diuina potentia, modò homo Domino semper adhæreat, fiduciam & spem habens in eum. Ac si fuerint dæmones robustis montibus fortitudine pares, tamquam ab igne cera, comburentur ab oratione.] Optimè id dictum est: quoniam vt est in epistola Ioannis: Maior est qui in vobis est, quàm qui in mundo. Eo ergo nobis assistente facilè à malignarum potestatum incursu protegimur. Et sanè quòd eius præsentia cogitata nos roboret, sponsa non siluit. Cùm enim rogatum esset, an esset ostium vel murus, ipsa respondet: Ego murus, & vbera mea sicut turris, ex quo facta sum coram eo quasi pacem reperiens.] Ex quo enim ex tumultu inanium cogitationum anima ad Dei assiduam cogitationem se confert, & ex hac cogitatione pacem adquirit, quasi murus omni diabolicæ suggestioni resistit.

Cassian. coll. 12. c. 5.

Macharius hom. 43.

1. Ioan. 4. 4.

Cant. 8. 10.

Qui purior faciliorem aditum ad Deū semper cōspiciendum reperiet.

Iob 17. 3.

Non solùm à dæmonibus, verùm & à vitiis animo insitis ad malum prouocamur, & ad actiones, quæ à prauis moribus oriuntur, perurgemur. Vitia verò continua Dei memoria destruimus. Nam si superbia, exempli gratia, aut ira ad malum impellat, Dei recordatio ad actus oppositarum virtutum vocat, vt humilitatis & māsuetudinis, quibus actibus manifestum est vitia dissipari. Sanctus Diadochus hanc rationem docuit pugnandi cum vitiis, & emundandi nos ab eis, si continua Dei cogitatione occupemur. Qui igitur vult, ait, cor suum purgare, semper illud recordatione Domini Iesu inflammet, in eo solùm occupatus, & hoc tantùm sine intermissione agens, non enim oportet quandoque quidem orare, quādoque verò non, eos, qui volunt tabem suam abiicere, sed potiùs dare semper operam orationi in custodia mentis, tametsi extra oratorium sint. Vt enim cùm quis vult aurum purgare, si paulisper ignem in fornace cessare sinat, facit vt rursus materia auri, quæ purgatur, durescat, sic qui aliquādo memor Dei est, aliquando non est, quod is videtur per orationem comparare, hoc perdit otio. Est autem eius, qui studio virtutis tenetur proprium, id quod est in corde terrenum recordatione Dei consumere. Vt anima consumto ad hunc modum vitio ab igne huius bonæ recordationis ad splendorem sibi naturalem (id est, naturæ ad Deum creatæ conformem) cum maiori gloria perfectè redeat.] Sic ille. Enitendum est ergo hac iugi recordatione Dei ad omnem virtutis actionem prouehi, vt vitiū euanescat in cordibus nostris. Si Dominum præsentem, & omnia videntem, & iudicantem semper cogitemus, inquit Thomas Aquinas, aut vix, aut numquam peccaremus. Si non peccaremus, bene vtique operaremur, si bene operaremur, vitia destrueremus, quoniam studio bonorum operum ipsa succumbunt. Ergo cogitatio præsentiæ Dei vitia à cordibus nostris eliminat.

Vitia cōtinua Dei memoria destruimus.

Diadoch. de perfectione, cap. 97.

S. Th. opusc. 58. c. 2.

Nec minus potens est ad passiones seu affectiones nostras moderandas. Vt autem eas breuiter percurramus: Quis non creaturas, aut despiciet, aut moderatè amabit, oculos semper in eam summam pulchritudinem intentos habens tam dignā amari? Quis non odium comprimet erga proximum suum, quē imperator ille, cui adest, non contemnit, non abiicit? Quis non inania desideria frænabit, & auersionem boni, licèt insulsi, cohibebit, intuens tantum bonum quod desideret, ad quod per aspera & amara perueniet? Quis non delectationi ac tristitiæ modum imponet, in conspectu illius Regis æterni, antequam omnia tum læta, tum tristia breuiter transeunt, & nos ac si non transiissent liberos vacuósque relinquunt? Quis ante faciem Domini speret quæ non satisfaciunt, aut de tam benigni Patris nos intuentis adiutorio desperet? Quis eum aspiciens aut quæ non timenda sunt, timeat; aut quæ fugienda sunt, audeat, aut iram aduersùs fratrem non cohibeat? Certè Basilius ad interrogationem: Dicunt quidam fieri non posse, quin homo irascatur? ita respondet: Esto fieri posse, vt miles præsente Rege irascatur, non tamen eo etiam id rationi consentaneum est quod dicitur: Etenim si hominis præsentia eousque valet, vt qui in æquali naturæ conditione constitutus sit, propter

Dei præsentia potens est ad passiones moderandas.

Basil. reg. breui. 127.

dignitatis tamen excellentiam, turbatum alicuius animi motum possit comprimere, quî non tandem hoc facilius futurum existimandum est, si alicui persuasum sit, Deum cogitationes suas omnes inspicere? Siquidē longè melius, qui scrutatur corda & renes Deus, motiones animi peruidet, quàm homo ea, quę oculis subiecta sunt.] Hæc ille. Quod verò de ira dictum est, in omni alio affectu vim habet, vt Deus nos intuens multo efficacius quàm homo maximæ authoritatis corda nostra ad moderationem componat.

Non solū veræ mala, peccata scilicet, auertit, sed putatæ etiam, vt euentus aduersos.

Quid tandem dicam nisi quòd hæc præsentia Domini cogitata nō solùm à veris malis, nimirum à peccatis & vitiis, verùm & à putatis malis, videlicet ab euentibus aduersis nos liberat. Israëlitarum agminibus, arcam sequentibus Iordanis stat, muri Ierichuntini corruunt, sol à cursu cessat, vt pro Deo pugnantes illuminet. Si Christum signatum arca, corde sequamur, si eum tamquā ducem intueamur, omnia prospera, aut bonum animæ euentum habentia experiemur. Bene, inquam, succedent, quoniam & tribulatio cedet in bonum, & eius amarities aliquam lenitatem accipiet. An non præsentia Dei Stephano lapides torrentis dulces effecit? An non Laurentio craticulam edulcauit, & ignes mansuefecit? An non Bartholomæo pellem pro fide dare suasit? An non Andream ad crucem libenter sustinendam vocauit? Hac munitus Ioannes Apostolus in feruentis olei dolium intrauit; Paulus lictori & gladio caput obtulit, Petrus in crucem ascendit, cœtus Apostolorum gaudium in verberibus & cōtumeliis inuenit. Dei ergo memoria medicamen est malorum nostrorum, quam si sectamur, omni malo superiores euademus.

Dei præsētia Stephano tormenta edulcauit. Laurent. Barthol. Apostolo. Andreæ Apostolo. Ioanni Apostolo. Paulo Apostolo. Petro Apostolo, & vniuerso cœtui Apostolico.

Quòd diuina præsentia in omni bono promouemur.

CAPVT IV.

Nemo potest mala cauere, si statuat à bonis cessare. 1. Ad Timoth. 4. 8.

SI præsentia Dei malis nos eripit, consequens est, vt bonis nos inferat, quoniam cùm multa bona debita sunt, non possumus malum cauere, si constituamus à bonis cessare. Paulus diuinam præsentiam ad omne bonum vtilem censet. Nam exercitatio corporalis, inquit, ad modicum vtilis est, pietas autem ad omnia vtilis est, promissionem habens vitæ, quæ nunc est, & futuræ.] Corporalis exercitatio est corporis castigatio per abstinentiam, ieiunia, & vigilias, & alias huius generis, quæ vtilis quidem est, sed ad modicum, id est, ad minus perfectum, nempe ad frænandam carnem, & eius petulantiam superandam. Pietas verò (vt Ambrosius non semel, & Augustinus aiunt) est cultus Dei, seu perpetua memoria Dei virtutum affectibus plena, qua Deum vt omnium principium colimus, & hostiis interiorum operum honoramus. Hæc dicitur ad omnia vtilis, & huius vitæ ac futuræ promissionem habens. Habet quidem præmium in hac vita & futura, quoniam & eius meritum gloriæ magnum præmium cumulat, & mentis tranquillitas inexplicabilis in præsenti vita coronat. Est autem ad omnia vtilis, quia non solùm expellit omne malum, vt vidimus, verùm & affert secum omne bonum. Hanc pietatem seu Dei iugem memoriam canali meritò comparauerim, per quam omnia bona in nos deriuemus. Nam Deus est omnium bonorum fons, à quo omne datum optimum, & omne donum perfectum emanat: vt verò multiplex eius bonum in corda nostra influat. Oportet vt ad illum propiùs accedamus. Quomodo autem nisi cognitione & affectione accedimus? Sed ad singula bona noster sermo descendat, vt sic pateat præsentiam Domini cogitatam ad omnia bona vtilem esse. Vtilis quidem est ad castum timorem Domini & generandum, & custodiendum & augendum. Si enim seruus coram Domino, aut filius corā patre, aut sponsa in conspectu nobilissimi sponsi aliquid indecens agere veretur, cur non anima & ancilla & filia, & sponsa Dei in oculis supremi Domini, & Patris, & sponsi aliquid ei displicens agere non vereatur? Hac enim ratione (inquit Basilius) perpetuus in nobis timor permanebit, odio habens iniquitatem (sicut scriptum est) animique elationem ac superbiam, & vias improborum: & charitas conflabitur, cumulatè efficiens illud, quod dictum est à Domino: Non quæro volūtatem meam, sed voluntatem eius, qui misit me, patris, cùm hæc firmissimè vsque in animis nostris hæreat persuasio, & quæ rectè gerantur, ea iudici ac remuneratori actionum nostrarum placere, & quæ contrà, flagitiosè ab eodem condemnari.] Et Macharius Ægyptius optimè: Et qua ratione qui palatium aliquod ingrediuntur vt Regem inuisant, siue comites sint, siue præsides, non parum metuunt, quomodo sunt responsuri, & ne in respondendo lapsi reprehensionem & supplicium incurrant: rustici verò & simplices homines, qui numquam Regem inuisunt, securè viuunt. Sic etiam mundus hic qui sub cœlis est, à Regibus vsque ad pauperes, cùm ignorent gloriam Christi, de rebus tantùm sæcularibus sunt soliciti; nec citò quis in mentem reuocat diem iudicij. Qui verò cogitationibus ascendit ad tribunal Christi, vbi est thronus eius, perpetuò stantes in conspectu illius, sunt in continuo metu & tremore, ne quoquo modo aberrent à sanctis eius præceptis.] Hæc magnus ille Macharius. Ex quo non habemus tantùm præsentiam Domini sanctum timorem incuterè, ne peccemus, verùm & ad Principes, qui regium palatium ingrediuntur pertinere. Verè enim animum excelsum & principibus domus Christi dignum accipiūt, qui memoriæ assiduæ Dei diligenter assuescunt.

Dei memoria vtilis ad eius timorē custodiendum.

Bas. reg. s. fusè diff.

Macharius homil. 15.

Initium sapientiæ timor Domini:] quare si præsentia Domini cogitata timorem castum affert, non mirum si etiam sapientiam generet. Profectò ita est, quòd animi Deo per continuam memoriam adhærentes sunt & ipsi sapientes. Deus lux est, lux, inquam, quam non oculus carnis perspicit, sed quā oculus animi purgatus videt. Lux sapientiæ est Deus qui omnia nouit, & nihil est inuisibile in cōspectu eius, & quos dignatur in magnam sapientiam adducit; cùm de illo scriptum sit, quia docet hominem scientiam. Qui ergo semper & assistunt, qui eum reuerenter aspiciunt, qui illum humiliter audiunt, qui cum ipso amicè conuersantur, quidni veram sapientiam obtineant? Accedite ad eum, ait Dauid, & illuminamini, & facies vestræ nō confundentur.] Accedite non gressibus corporis, sed inspectione & affectione cordis, & illuminabimini luce sapientiæ eius, & quòd postulaueritis consequemini. Dicet ipse vobis aspicientibus eum quod dixit Salomoni: Postula quod vis, & dabo tibi: & statim quid postulaturi sitis edocebit, vt dicatis: Da mihi sedium tuarum assistricem sapientiam. Placebítque sermo iste coram Domino, & dabit in cor vestrum veram sapientiam, vt eum, quem

Eccli. 1. 16. Ad sapientiā generādam valet plurimum.

Psal. 33. 6.

Iugis Dei memoria meritò canali comparatur.

Sap. 9. 4.

intuemini,cognoſcatis,& reliqua quæ deſideraueritis adiiciet. Nam verbum eius eſt: Quærite primùm regnum Dei, & iuſtitiam eius,& hæc omnia adiicientur vobis. Si autem quæritis faciem Domini,ſemper regnum eius quæritis, veram iuſtitiã inquiritis, vnde implet Dominus verbum ſuum, ſi alia vt auctuarium accipiatis.

Sap. 6. 16. Vera ſapiẽtia eſt Deũ cognoſcere, & omnia noſtra opera in eum dirigere.

Vera ſapientia eſt Deum cognoſcere (nam cogitare de ſapientia increata ſenſus eſt conſummatus) & omnia noſtra per intentionem rectiſſimam in illum tamquam in ſcopum dirigere. Hæc autem intentio recta à diuina præſentia procedit. Si ſcias te in aliqua actione à Rege & à Magnatibus aſpici, itémque à vili plebecula,aut à mancipiis inſipientiſſimis, numquid conaberis his, an Regi & nobilibus placere? Certiſſimum eſt, quia hos omnes contemnes,& pro nihilo duces,Regi autem placere, & eius gratiam comparare geſties. Similiter ſi in tuis operibusDeum præſentem habueris,ſi eum inſpectorem & ſcrutatorem intentionum animaduerteris, mirum erit, ſi homuncionum rationem habeas,quamuis ab illis videaris. Audi quàm loculenter Baſilius hunc eumdem locum proſequatur. Ex quo quidem illud ego etiam neceſſariò exiſtimo ſequi, vt qui ita ſit animatus, is ne mandata quidem Domini ad gratiam hominũ exequi poſſit. Neque eſt enim quiſquam, qui vbi verè præſtantiorem adeſſe aliquem ſibi perſuaſit, eo ſpreto ſe ad minus præſtantem conuertat. Quin contrà potiùs ſi aliquando inciderit, vt quæ facit, ea clarioris illius opinione ac iudicio approbentur, ab altero autem illo reprehendenda videantur,haud dubiè ille ſpreta inferioris vituperatione, clarioris illius approbationem antiquiorem habebit. Quòd ſi hoc in hominibus contingit,quî tandem putandum ſit animum,qui modò ſanus ſit ac ſobrius, ſi verè Deum adeſſe ſibi perſuaſerit,omiſſis iis, quæ placere intelligat Deo,conuerſum iri ad aucupandum ab hominibus ſui exiſtimationem? aut neglectis Dei præceptis, hominum eſſe conſuetudini & ingenio ſeruiturum? aut de vulgari exiſtimatione pendens vinci ſe ſinet? aut vlla vllius dignitate exterritus de ſtatu dimouebitur? Hoc modo affecta mens erat illius,qui dixit:Narrauerunt mihi iniqui fabulationes,ſed non vt lex tua Domine. Et item:Loquebar de teſtimoniis tuis in cõſpectu Regum,& non commouebar.] Sic ille. Eſt autem hoc bonum rectæ intentionis tam eximium,vt pro eo ſolo diuinæ præſentiæ cogitatio eſſet nobis mordicus affectanda. Hoc quippe deſiderium placendi Deo bona opera perficit,ſine quo nec bonorum operum nomine digna cenſentur, & à malis quæ abſque dubio Deo diſplicent, hominem iuſtum abducit. Quid verò vtilius,quid excellentius poſſidere poſſumus,quàm illud,quo vel ex hoc capite intentionis rectæ nobis immiſſæ, ad bonum vrgemur,& à malo reuocamur?

Baſil. ſupr.

Dei præſentia vniuerſas virtutes in cordibus noſtris inſerit, & inſertas cuſtodit, & promouet.

Hinc facile licet inferre diuinam præſentiam vniuerſas virtutes in cordibus noſtris inſerere, & inſertas cuſtodire,& vſque ad culmen perfectionis promouere. Recta & pura intentio placendi Deo, quid niſi bona operabitur? bona operari quid niſi bonos mores,bonáſque conſuetudines generabit? Bonæ autem conſuetudines quibus ſecundùm rationem & regulas ſpiritus promtè & faciliter operamur, quid ſunt niſi veræ virtutes? Virtutibus à vitiis peccatíſque mũdamur:munditiam verò Dei præſentia ſecum affert; ergo & veras ſolidáſque virtutes. Nam ſi metalla ad præſentiam ignis purgantur, quídni animæ noſtræ ad præſentiam ignis

A increati omnes ſordes conſumentis emundentur? Sed vnam aut alteram virtutem attingamus. An memoria Dei humilitatem ingenerat? Equidem. Si enim nos comparatione ſapientiſſimorum Doctorum ignorantiſſimos,& comparatione Sanctorum imperfectiſſimos, & comparatione fortiſſimorum infirmiſſimos putamus,licèt aliquam peritiam, aliquam virtutem, aliquas vires haberemus; quàm nulla & ridicula omnia noſtra videbuntur, ſi ad maieſtatem illam diuinam, quam oculis internis aſpicimus,comparentur? An charitatem parit? Et ſanè. Quis enim in ſummum bonum oculos mentis intendens, non in eum amore feratur? Vnde Baſilius ſic ait:Omni cuſtodia cuſtodiẽdum fuerit cor noſtrum,neque patiendum vt aſſidua de

B Deo cogitatio ex animis noſtris elabatur,néve eorum quæ mirabiliter ab eo facta ſunt, memoria contaminetur,perfutiles & euanidas cogitationes: contráque illud agendum aſſiduè, vt ex perpetua ac puriſſima recordatione impreſſam in animis noſtris piam de Deo cogitationem, veluti indelebile aliquod ſignum circumferamus. Siquidem hæc eſt ratio, per quam erga Deum adquiri charitas conſueuit, quæ ſimul,cùm ad conficienda Dei ipſa mandata nos excitet,tum viciſſim quoque ab iiſdem ipſa ad perpetuitatem ſtabilis conſeruetur.] An conſtantiã & ſtabilitatem infert,ſine qua nulla virtus ſubſiſtit? Et profectò.Nam cùm cordis noſtri quaſi naturalis locus Deus ſit, in eo ſolo quieſcit,in eo quaſi ſoporatur & dormit, & nihil niſi

C eum,& quæ ad ipſum conferunt,concupiſcit.Cùm verò ab illo incommutabili bono oculos auertit, neceſſe eſt per creata vagari. Hæc autem cùm tam multa ſint, & tam varia, & ſæpe inter ſe oppoſita, cor non tantùm diſtrahunt, ſed quaſi lacerant & diſcindunt. Nauis quidem iactis anchoris firma in portu,aut in ſua ſtatione perſeuerat,ſublatis tamen anchoris,huc illúcque agitatur,& ventis ac fluctibus in varias partes impellitur. Sic animus diuinæ præſentiæ anchora in ipſo Deo,qui de ſe dicit:Ego Deus, & non mutor, ſtabiliter figitur, ab eo verò ſolutus per innumerabiles curas & deſideria vagatur.

Humilitatem ingenerat.

Charitatem parit.

Baſil. ſupr.

Corpus modeſtiæ decore circumdat.

D Vis & efficacia huius præſentiæ diuinæ ab animo ad corpus deſcendit, & illud decore modeſtiæ circumdat. Nihílque æquè non ſolùm interiora, verùm & exteriora noſtra componit,ac ſeriò & attentè conſiderare quòd à Deo videamur. Seruulos Principis alicuius multa poſſent ad moderationem & decorem ſeruandum incitare, amor præmij, timor ſupplicij, ac laus, quæ ex his, quæ hominibus parent,cõparatur. At nihil efficacius incitat,quàm ſi ipſi attendant ſe ante oculos Principis ipſos intuentis & conſiderantis ſtare. Sic prorſus iuſtos ad amorem modeſtiæ,& huius exterioris decoris,qui in geſtu, & motu, & actione conſiſtit,amor honeſti prouocat,& odium vitij, & proximos ædificandi deſiderium. At multo potentius,ſi ſe cogitatione apud Dominum cuncta cernentem ſiſtãt, ſéque

E ab illo inſpici vndequaque cognoſcant. Stellæ ſolem aſpiciunt,& inde lucem interiùs exteriúſque mutuant, vt in ſe ſint lucidæ, & in oculis intuentium decoræ. Ita iuſti, quos non ſemel Scriptura nomine ſtellarum intelligit,ex aſpectu Dei habent, vt in ſeipſis virtute proficiant, & in oculis hominum modeſtiæ decore reſplendeant. Senecæ fuit documentum ab Epicuro mutuatum,& in meliorem formam redactum; quémque volentem moderatè,& ſecundùm virtutem viuere, aliquem hominem magnæ authoritatis ſuarum actionum te-

Sen. lib. 3. epiſt. 25.

ſtem cogitare debere. Epicurus ſic dicebat:Sic fac omnia tãquam ſpectet aliquis. Seneca verò addit: Prodeſt ſine dubio, cuſtodẽ ſibi impoſuiſſe, & habere quem reſpicias, quẽ intereſſe cogitationibus tuis iudices. Hoc quidem longè magnificẽtius eſt, ſic viuere,tamquam ſub alicuius boni viri,ac ſemper præſentis oculis. Sed ego etiam hoc contentus ſum,vt ſic facias quæcumque facies,tamquam ſpectet aliquis.Omnia nobis mala ſolitudo perſuadet. Cùm iam profeceris tantum, vt ſit tibi etiam tui reuerentia, licebit dimittas pædagogum; interim te aliquorum authoritate cuſtodi:aut Cato ille ſit, aut Scipio,aut Lœlius,aut cuius interuentu perditi quoque homines vitia ſupprimerent,dum te efficit eum, cum quo peccare non audeas.] Si hæc cogitatio fictioni ſubnixa, quòd ab aliquo bono videmur,qui re vera nos non videt, frænum eſt vt honeſtè viuamus, quanto efficaciùs cogitatio in veritate fundata, quod Deus nos aſpicit, & comprehendit, ad omnem virtutem & honeſtatem accendet.

Facit vt bona opera,& bene,faciamus. Baſil. ſupr.

Vt iam concludam,cogitatio præſentiæ Dei facit vt in bona opera incumbamus, & ea optimo modo præſtemus. Egrègiè Baſilius hanc diuinæ præſentiæ vtilitatem exponit. Nam in regula illa quinta ex fuſiùs diſputatis ſic ait:Vt enim artes hę, quæ ſunt ad parandum viaticum neceſſaria, vbi fines ſibi quoſdam propoſuerint, conuenientia ad eos obtinendos officia etiam poſtea ſua quædam, peculiaréſque actiones accommodant:ſic cùm eorum,quæ nos facimus,operum omnium vna ſit regula,normáque vna,nempe videlicet, vt Dei iuſſis ex Dei voluntate pareamus, fieri non poteſt, vt opus noſtrum aliter perfectè efficiamus,niſi quamdiu illud in manibus nobis eſt, aſſiduè vſque voluntatem eius qui ſciuit, ſanxítque legem mandatorum ſemper ſpectemus.Porrò ex hac ſedula operis noſtri effectione ad voluntatem Dei accommodanda,illud conſequetur,quòd ex recordatione illa cum Deo coniũgemur. Vt enim faber ferrarius, verbi gratia,quandocumque dolabram aliquam,ſiue aſciam cudit, ſi aſſiduè illius memor ſit, vnde inſtrumentum illud faciendum ex pacto acceperit, & præſcriptam ſibi ab illo formam & magnitudinem animo verſat,& ad eius voluntatem,qui condixit opus,dirigit quod facit:alioqui ſi eius memoriam menti ſibi patiatur excidere,prorſus aut aliud quippiam omnino, aut longè diſſimile efficiet ab eo,quod facere inſtituerat:] ſic Chriſtianus quoque ſi actiones ſuas omnes, ſiue maiores, ſiue minores ad Dei voluntatem direxerit, is ſine controuerſia & egregiè illud opus perficit, & ſimul aſſiduam in animo illius ſibi memoriam conſeruat, à quo id iuſſus eſt facere; veréque illud dicere poterit: Prouidebam Dominum in conſpectu meo ſemper, quoniam à dextris eſt mihi ne cõmouear. Itémque Pauli præcepto illi ſatisfaciet:Siue manducatis,ſiue bibitis,ſiue quid aliud facitis, omnia ad gloriam Dei facite. Quòd ſi quis in eo, dum opus adminiſtrat,à perfecta illa præſcripti norma mandati deſciſcat, hunc perſpicuum eſt debilem Dei memoriam retinere. Quocirca memores aſſiduè verborum Domini illorum:Numquid nõ cœlum & terrã impleo ego? dicit Dominus, & Deus appropinquans ego ſum, & non Deus à longè. Et: Vbi ſunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi ego in medio illorum ſum. Sic omnia tamquam in oculis illius & agere debemus & cogitare. Atque alio loco ita ſcribit:Atque vt minori exemplo diſcamus,quàm accuratiore ſtudio ſolicitudineque in rebus maioribus ritè adminiſtrandis vti nos conueniat, vnuſquiſque ſecum conſideret cum animo ſuo quomodo coram aliis ſe gerit,eſto æquales ſibi ſint illi, quomodo omni in re vitare reprehenſionem ſtudet,in ſtatu,in ambulatione,in motu cuiuſcumque membri,in locutione etiam. Quemadmodum autem quæ aperta apud homines ſunt,ea damus operam vt declinemus, item quoque ac multo magis qui perſuaſum habeat,ſe Deũ habere inſpectorem, ſcrutantem corda & renes (ſicut ſcriptum eſt) & veram eſſe promiſſionem illam vnigeniti filij Dei:Vbi duo vel tres congregati fuerint in nomine meo, ibi in medio eorum ſum. Itémque Spiritum ſanctum adeſſe moderatorem & donorum diſtributorem, effectorémque: ſimiliter Angelos cuſtodes vniuſcuiuſque ſecundùm id quod dictum eſt à Domino:Videte ne contemnatis vnum de puſillis iſtis, dico enim vobis, quoniam Angeli eorum in cœlo ſemper vident faciem Patris mei qui in cœlis eſt.Is longè maiore ac vehementiore animi contentione laborat,vt pietatem ita colat, vt ne qua in re Dei voluntatem offendat. Atque hoc modo mens ipſa in officio vehementiùs ac diligentiùs cõfirmatur.] Hæc omnia Baſilius. Ex his autẽ omnibus quæ dicta ſunt euidenter elucet diuinæ præſentiæ cogitationem exitium eſſe omnium malorum,& originem omnium bonorum. Si ergo aure cordis audiuiſti, ô vir Dei, diuerte à malo,& fac bonum, & huic voci parere vis, in diuinæ præſentiæ memoriam incumbito. Hæc ſuperbiam abiicit, inobedientiam pellit, puſillanimitatem proterit, impatientiam vincit, & omnem in Dei cultu irreuerentiã erubeſcit. Econtra verò faciet vt per humilitatem pedibus minimorum prouoluaris; per obedientiam nec viliſſimis,nec difficillimis miniſteriis repugnes; per fortitudinem quibuſcumque impedimẽtis perfectionis reſiſtas; per patientiam afflictiones ſuſtineas; & per religionem Deo gratiſſima laudum ſacrificia offeras, & omnes vires ac ſenſus in eum colligas,& vno verbo perfectè omnem virtutem exerceas. Reduc me in memoriam, ait Dominus,& iudicemur ſimul.] Si te non iuuero, ſi te non ad omnem virtutem capeſſendam roborauero, veni & argue me,quaſi verbum meum non impleam.Sicut autem impoſſibile eſt me verbum meum non implere,ita impoſſibile erit te per præſentiam & gratiam meam efficaciſſimam non in omni virtute proficere.

Idem in regulis breuioribus interrogatione 306.

Iſaiæ 43. 26.

Quòd diuina præſentia pacem contemplationis inquirimus.

CAPVT V.

Per Dei præſentiã ad pacem aſſequendam præparamur.

POSTQVAM per aſſiduam memoriam Dei à malo declinaueris, & ad bonũ excitatus fueris, ad pacem etiam aſſequendam per eamdem præparaberis. Pacem hoc loco, quaſi à proprio effectu, contemplationem vocamus,cuius gratia hæc tractatio præſentię Dei inducta eſt, quoniam per contemplationem miram cordis pacem ac tranquillitatem adquirimus. Contemplationẽ impedit tum vitæ ſeu conuerſationis impuritas, tum cogitationum & affectionum terrenarum diuerſitas.Huic autem duplici malo certum eſt aſſiduam Dei cogitationem remedium afferre. Inprimis enim vitam noſtram

emendat,& conuerſationem purificat, dum à peccatis retrahit,vitia deſtruit,affectus cohibet,virtutes inſerit,& omne bonum cœptum perficit.Certè ita breui tempore animum à malo in bonum mutat,& à bono in melius,& à meliori in optimum, vt ipſe ſemet vix agnoſcat.Vnde Dionyſius Richelius poſtquam multa de hoc ſtudio diuinæ præſentiæ dixit, in hunc modum ſcribit : O quàm fœlix eſſes, ſi iſta auribus interioris hominis tui percipere conſentires,& perſeueranter in his te exercetes ſedulè ad cor Hieruſalem,id eſt, animam tuam paci intimè ſuſpirantem loquendo & aduocando eam,& congregando ab infimorum infinita diſtractione. Etiamſi centies in vna hora diſtraharis,toties reuertere in idipſum,nec propter hoc deſperatione aut puſillanimitate frangaris, ſciens non tantùm iſtud recollectionis & meditationis exercitium,ſed generaliter artes quaſlibet acquiſitione ſua multas plerumque pati difficultates, dum verò fuerint acquiſitæ,facilia eſſe eis omnia. Nullo modo ergo deſperes,ſed ineffabili vtilitate & iocunditate huius rei conſiderata modicũ laborem patienter aſſume, aſſiduè congregando diſperſiones Iſraël,& velut in vtrem aquas maris, quia citò incipies fructum huius exercitij ſentire,& tunc deinceps libenter perſiſtes in labore, & tandem ipſe quoque labor ceſſabit,& eris ſicut priùs eras,quandò per deſideria cordis tui ibas in adinuentionibus tuis,in cogitationibus vanis,in vilibus, vagis, inſtabilibus,ſordidis, fluctui ſomnóque ſimilibus, ſine fræno,ſine lege,ſine ordine:eris (inquã) ſicut antè,quantum attinet ad laborem & difficultatem, quibus carebis vt priùs,ſed ô quàm valde tibi diſſimilis eris quantum ad alia, vtpote mutatus in virum alterum,cùm inſtar arboris euerſæ, ea quæ deorſum habebas tendent ſurſum. Incipient enim tibi diſplicere quæ vehementer antè placuerant, & ſapere quæ omnino tibi videbantur inſipida. Quales impetus habebas ad mundum, tales incipies habere ad artificem mundi.] Illa non parua difficultas huius fructus conſideratione vincatur, quòd mutabimur in viros alios, & cœleſtia, quæ priùs deſpiciebamus, amabimus, & ſanctiſſimos mores viris ſpiritualibus dignos induemus.His autem anima ad contemplationem paratur. Quia Deus,vt ſuprà vidimus, puritatem & omnium virtutum exercitationem exigit,in his,quos ad ſecretum contemplationis admittit.

Dionyſ. de inordinat. cord. art. 30.

Diuina præſentia inanes & ſuperfluas cogitationes expellit.

Quòd autem diuina præſentia inanes & ſuperfluas cogitationes expellat, quibus ad contemplationem minus idonei reddimur, certiſſimum eſt. Nam hoc ipſum eſt diuina præſentia creaturarum cogitationes non neceſſarias abiicere,& Deum ſolum nobis præſentem,nóſque intuentem cogitare. Hac cogitatione cor noſtrum, non aliter quàm nauis ad rupem, ad Dei immutabilitatem ligatur, ne in ſecreto orationis huc illúcque per huius ſæculi vana iactetur. Et quemadmodum poma ex arbore decerpta poſt nõ multos dies putreſcunt, niſi melle aut ſaccharo imbuta ſeruentur,ita humanus animus per peccatũ à ſuo conditore diuulſus multiplici diſtractione putreſcit,niſi diuinæ præſentiæ memoria tamquam ſaccharo imbuatur. Agricolæ vites per ſe infirmas & imbecillas vlmis adiungũt, ne per terram fundantur, & fructibus optatis orbentur. Ita cor Deo per iugem ipſius memoriam adiungendum eſt, ne cùm ad orationẽ & contemplationem acceſſerit,ſicut aqua diffuſum,ac in terrena diſtractum,optatum fructum ferre non poſſit. Theodoretus ſic admirabilis Iuliani memoriam in

Theodor. in hiſtor. in Iul. 2.

A Deo ſuſpenſam depingit : Erant autem ei delitiæ, opiparúmque & lautiſſimum epulum, Dauidicorum hymnorum decantatio, & aſſidua cum Deo conuerſatio,& cùm eis frueretur inſatiabiliter,eorum numquam voluit capere ſatietatem, ſed ſemper quidem implebatur ; ſemper autem clamabat: Quàm dulcia gutturi meo eloquia tua? Super mel & fauum ori meo. Rurſus enim audiuit beatum Dauid dicentem : Iudicia Domini vera iuſtificata in idipſum. Deſiderabilia ſuper aurum & lapidem pretioſum multũ:& dulciora ſuper mel & fauum. Rurſus audiuit eum dicentem : Delectare in Domino,& dabit tibi petitiones cordis tui.Et rurſus: Lætetur cor quærentium Dominum. Et : Lætifica cor meum vt timeat nomen tuum. Et : Guſtate & videte quàm benignus eſt Dominus.Et:Sitiuit anima mea ad Deum fortem viuum. Et : Adhæſit anima mea poſt te, & eius qui hæc dixit, amorem in ſe tranſtulit. Hac enim de cauſſa, magnus quoque Dauid hæc canens docuit, vt multos ſocios, & in Deo amando riuales conſtitueret. Neque verò ſpe falſus eſt, ſed & hunc virum diuinum, & alios innumerabiles diuino amore ſauciauit.] Sic ille.Qui & ſtatim fructum huius ſolicitudinis altiſſimam cõtemplationem fuiſſe,cenſet his verbis:Hic enim tanto amoris igne fuit incenſus, vt inebriaretur deſiderio,& nihil videret ex terrenis:ſolum autem dilectum & noctu ſomniaret, & interdum viſione apprehenderet.] Vide qua ratione anima ſanctis cogitationibus occupata ad diuinam contemplationem efferatur, & quomodo diuina præſentia animum ſanctis cogitationibus ornat, & vanis ac ſuperfluis euacuat. Nam cum Deo per indiruptam memoriã eſt præſens,aut eum ſolum cogitat,quod perfectius eſt,aut vtilia & Deo grata, & quæ ſpiritualem virum deceant, ſpectat.

Appetitus cohibet, & anima affectiones ad cœleſtia cõuertit.

Diuina quoque præſentia cogitata appetitus cohibet, & affectiones animæ à terrenis ad cœleſtia conuertit.Ad ea quæ cogitamus,ſi bona & pulchra videantur, afficimur:& ea quæ ex contemtu cogitare quidem deſpicimus,exhorremus. Quid igitur faciet, qui Deum & diuina ſemper cogitat, & terrena ex deſpicientia cogitare detrectat? An non paulatim ad illa amore conuertetur, & ab iſtis per fugam & auerſionem elongabitur? Ita ſanè. Ac proinde hoc proprium habet aſſidua memoria Dei, affectus in Deum colligere,& à creaturis ſeiungere. Quamobrem, qui memoriæ Dei diligenter ſtudet, per ineptos affectus in contemplatione poſitus non interpellabitur. Hunc eſſe effectum præſentiæ Dei Richelius palàm fatetur his verbis:In Dei amore, & gratia contemplandi creſcere optans, omni hora mente intenta oret huiuſcemodi verba: O Domine Deus,quando te dulciſſima dilectione conſtringam? Quando te ſtrictiſſimo amore ardenter amabo ? Quando tibi totaliter adhærebo? Si verba hæc cordialiter dicere in conſuetudinem duxerit, ſentiet ſe in breui mente immutari, à mundo auerti, Deóque affici.] Iam ergo præſentiæ diuinæ cogitatio,quæ conuerſationem noſtram in melius mutat,cogitationes & affectiones informat, in eo ſtatu, quo ad contemplationem idonei ſimus proculdubio nos collocat. Quare dicamus & nos Domino multo potiori ratione quod Regina Saba dixit Salomoni:Beati viri tui,& beati ſerui tui, qui ſtant coram te ſemper,& audiunt ſapientiã tuam.] Beati,inquam,ſunt, Domine, qui tibi per iugem memoriam aſſiſtunt, qui te interiùs in corde audiunt, qui tecum humiliter colloquuntur. Hi beati ſunt, quoniam ſi contem-

Dionyſ.1. de contemplat. art.25.

3.Reg.10. 8.

platio tuæ maiestatis est in cœlis perfecta, & in terris inchoata beatitudo, bene possunt sibi polliceri quòd si perseuerauerint, & quæ tua præsentia postulat fecerint, eos in cœlo tuo vultu beabis, & in terris (si ipsis expedierit) arrha beatitudinis, immo & inchoata beatitudine, scilicet contemplatione, replebis.

Quòd diuina præsentia ad perfectionem extollimur.

CAPVT VI.

VARTVM, quod sanctus Propheta monet, est, vt post fugam mali, & sequelam boni, & inquisitionem pacis, ipsam pacem sequamur. Inquire pacem, ait, & sequere eam.] Augustinus ad eumdem locum pacis nomine Christum intellexit. Quò illam sequor? interrogat aliquis. Et respondet illi: Quò præcessit. Dominus enim est pax nostra: resurrexit, & ascendit in cœlum.] Sequimur autem Christum, & post eum ambulamus & currimus, cùm ipsum imitamur, cùm eius puritatem & virtutes omnes induimus, & ad sublimitatem charitatis peruenire conamur, in quo sita est omnis nostra perfectio. Sed hanc perfectionem etiam per cogitationem assiduam diuinæ præsentiæ, cui, secundùm quod postea dicemus, amor adiungitur, validissimè comparamus. Cogita perfectionem esse quoddam cœlum, in quod vis virtutum itineribus peruenire. Ideo terram, id est, terrenam conuersationem deseris, vt in hoc cœlum, atque ex illo ad supremum cœlum, hoc est, ad perfectam & consummatam perfectionem fœlicitatis ascendas. Est enim cœlum, & cœlum cœli, de quo Propheta regius ait: Cœlum cœli Domino; terram autem dedit filiis hominum.] Cœlum primum inchoata perfectio sit, cœlum verò secundum, siue cœlum cœli, perfectio consummata. Ad hoc per illud vis peruenire? Domino per assiduam memoriam adhære. Nam & de hoc cœlo perfectionis pulcherrimo, splendidissimo, virtutibus tamquam stellis ornato, intelligi illud potest: Nemo ascendit in cœlum, nisi qui descendit de cœlo, filius hominis, qui est in cœlo.] Si ille solus ascendit, vt tu quoque ascendas, vnum quid cum illo efficere, & ipsi per iugem memoriam & amorem adhære.] Hoc enim medium detexit Augustinus vt in cœlestem patriam ascendamus. Affectu, inquit, curre, amore ambula, charitate ascende. Quid quæris? Viam. Inhære Christo, qui descendendo & ascendendo seipsum fecit viam. Vis ascendere? Ascendentem tene.] Et idem medium est, vt ad cœlum perfectionis perueniamus, Christo cogitationibus & affectibus adhærere, illum non corpore, sed mente tenere.

Quicumque ergo in votis habet perfectionem assequi, diuinæ præsentiæ memoriam & cogitationem, vt præcipuum huius finis instrumentum assumat. Nam diuina præsentia non tantùm peccata grauia, verùm & leues culpas & minutissimas imperfectiones fugat, non aliter quàm sol tenebras noctis. Interiora & exteriora nostra ad quamdam mirabilem moderationem reuocat multo potentius, quàm cuiuscumque Regis aspectus. Viuidos, & erectos, & efficaces nos reddit, vt omnia, quæ ad Deum pertinent, strenuè & diligenter exerceamus. Notitiam quasi claritate conspicuam, & quasi experientiam Dei in nobis existentis, & suauitatem & gustum rerum cœlestium tribuit. Ita Deum menti interdum imprimit, vt difficile sit eius recordationem ablegare. Iam totum hominem occupat, & ab omni cura exteriorum auocat, iam cùm charitas aut obedientia, aut necessitas exigit, illum dissoluit, vt absque obliuione Dei rebus necessariis intendat. Animam casto timore concutit, ad intimam diuinæ maiestatis reuerentiam impellit, amore & sanctis desideriis implet, & ab omni eo, quod Deo inuisum esse potest, efficaciter deterret. Dominus apparet in rubo. Ad quid? Vt populum liberet. Etiamsi ad instar rubi spinis imperfectionum implearis, Deum cogitationibus & desideriis accerse, & igne eius ab imperfectionibus liberaberis. Dominus apparet in monte, vt legem ferat; tu in quadam desideriorum altitudine Deo assiste, & notionem suæ voluntatis consequeris. Nihil est in via spirituali tam arduum, nihil in virtutum itineribus tam difficile, quod si Deo iugiter repræsentes, & cor tuum in conspectu eius effundas, non tandem adipiscaris. Vnde Laurentius Iustinianus sic ait: Illum arbitror esse beatum, qui quamdiu à Domino peregrinando, degit in corpore, per censuram disciplinæ spiritualis omni custodia seruat cor suum, & in cunctis negotiis suis interiùs disponendis, vel peragendis exteriùs in lumine fidei, & sapientiæ splendore Dei præsentiam meditatur in spiritu. Prophetámque imitatur, qui ait: Prouidebam Dominum in conspectu meo semper. Nihil quippe reor sic efficax ad internam adipiscendam munditiam, & ad virtutum arcem conscendendam, nec non ad conterendas carnis delectationes, quæ aduersùs animam militare noscuntur, quemadmodum cogitare se astare semper ante oculos iudicis cuncta cernentis. Tali profectò studio, & huiusmodi frequentata meditatione adquiritur cordis munditia, tenetur, possidetúrque, cooperante nihilominus diuina misericordia, & mediatoris gratia, quæ perficit opera nostra.] Perfectio animæ munditia est & ornatus, quare si præsentia Dei eam mundat & ornat, non dubium, quin ad perfectionem adducat.

Pisces è mari educti malè habent, ad illud reducti bene. Ramus ab arbore abscissus fructum non fert, si iterum illi iungatur vel inseratur, fructus proferre non desinit. Sic animus bene habet, & fructus perfectionis profert, cùm Deo per cogitationem & amorem adhæret, malè autem & sterilis manet, cùm relicto Deo oculos & affectus suos in creaturis inflectit. Cera natura sua fulua aut pallida Solis radiis exposita alba redditur, & quo diutius sub sole manet, eo candidior efficitur. Sic prorsus animus Deum iustitiæ solem per assiduam memoriam aspiciens luce & calore eius sanctificatur. Qui timent Dominum, inquit Ecclesiasticus, præparabunt corda sua, id est, ea component, & excitabunt vt seruiant Domino, & in conspectu eius sanctificabunt animas suas.] Dum enim vultum Domini per eius memoriam exquirunt, sanctitate decorantur. Si ergo, ô vir Dei, ad perfectionem aspiras, non pa-

Psal. 33. 14. Pax nobis inquirenda, & sequenda Christus est.

Augustin. ibid. Christũ sequimur, cùm ipsum imitamur.

Psal. 113. 25.

Ioan. 3. 13.

Augustin. 234. ser. de tempore.

Qui vult perfectionem assequi Dei memoriã huius finis instrumentum, assumat.

Exod. 3. 2.

Exod. 19. 18.

Iustin. lib. de gradib. perfect. c. 6.

Animus, cùm Deo per assiduã eius memoriã adhæret, benè habet, malè verò cùm oculos ab eo auertit. Eccli. 2. 20.

tiaris, quantum huius vitæ fragilitas tulerit, à Dei cogitatione diuelli. Habes in animalibus quod ad tuum profectum imiteris. Pulli namque eorum, vt videre est in agnis, & hædis, & vitulis, matres quocumque perrexerint, sequuntur, & ab earum latere numquam discedunt. Deus verò plus est quàm mater, qui & animam tuam ex nihilo fecit, & corpus, matre dormiente, in vtero eius compegit. Quique de se ait per Isaiam: Numquid obliuisci potest mulier infantem suum, vt non misereatur filio vteri sui? Et si illa oblita fuerit, ego tamen non obliuiscar tui.] Quare illum semper cogitatione & amore non sequeris? Quare inania aspicieris ab eius gremio discedis? Vide quòd aduersarius tuus easdem fraudes, quas Israëlitis, inferre molitur. Nónne conatus est per Pharaonem, ne illi ab Ægypto exirent, vel certè, ne longè discederent? Ita nititur, ne amorem sæculi deseras, vel saltem ne ab eo longiùs abscedas. Tu verò hanc decipulam agnoscens, ita mundum relinquito, vt semper per memoriam in Deo maneas, aut statim ad eum redeas, si pia aliqua occupatione distraharis. Hoc est perfectorum institutum, de quorum imaginibus, nimirum de illis sacris animalibus dixit Propheta, quòd ibant & reuertebantur in similitudinem fulguris coruscantis. Ibant, inquam, vt aliquid boni agerent, & citò reuertebantur, vt Dominum cogitarent.

Si Princeps aliquis tecum hoc pactum iniret, vt quamdiu ipse tibi benefaceret, tu illius memoriam non deponeres, nónne libenter acquiesceres? Sed nullum est momentum, in quo à Domino multa beneficia non accipias, qui vitam, & incolumitatem, & sensum, & motum, & necessaria subministrat, & ad meliora & sanctiora prouocat; & vt dixit Paulus: In ipso viuimus, & mouemur, & sumus.] Quare ergo illius obliuiscaris? Si imago vultus tui, quæ apparet in speculo, rationis esset capax, quid ageret, & quid diceret? Profectò te semper aspiceret, sciens quia si oculos à te auerteret, statim euanesceret. Profectò diceret illud Psalmi: Respice in me, & miserere mei:] quia totum eius esse ex tuo aspectu dependet. Sed tu non minus à Deo, immo multo magis, in esse naturæ & gratiæ dependes. Eum igitur semper aspicies, eum rogabis, ne à te oculos suæ benignitatis auertat. Inferiora hæc, omni Philosophia attestante, cœlestibus corporibus coniuncta sint oportet, vt ab eis influxus, quibus conseruentur, & augeantur, accipiant. An non oportebit, vt spiritus tuus spirituum authori cogitatione & amore iungatur, vt ab eo influentiam obtineat, qua & seruetur & crescat, & ad optatam perfectionem perueniat? Si anima tua perfectionis amore tenetur, in Canticis non semel nomine sponsæ appellatur. Quare? quia sicut sponsa recentis amoris feruore inebriata nihil cogitat, nihil amat, nisi sponsum suum, eum solum aspicere, ac de eo loqui delectatur, ita eniti debes vt mente semper Deo adhæreas, vt eum cogitare, diligere, & cum eo conuersari assuescas, vt ab eo perficiaris. Hæc est enim (vt iam diximus) actualis nostra perfectio, si Deo, qui vltimus finis est noster, intellectu & affectu adhæreamus. Sic Domini verum ac gratum holocaustum efficimur, quia non potest hæc Dei perpetua memoria non omnia, quæ egerimus, in illum dirigere, & ipsi nos totos consecrare. Sic Sanctos iam in cœlo regnantes imitamur, quia ad similitudinem illorum in Deum affectus ardore transimus.

Ex eo tandem colligitur nos per cogitationem diuinæ præsentiæ in perfectionem & mentis puritatem adduci, quòd eius studio miram animi tranquillitatem & lætitiam adquirimus. Res enim cùm suum finem assequuntur, tunc quiescunt, tunc etiam, si sensus, vel rationis sunt capaces, gaudio & lætitia gestiunt. Quare ergo ex diuinæ præsentiæ cogitatione exhilaramur, nisi quia Deo fini nostro coniunctos nos esse videmus? Multa autem sunt in sacris Scripturis, quæ hoc gaudium spiritale ex diuina præsentia prouenire suadent. Experiebatur id sanctus Dauid; nam in quodam Psalmo sic ait: Memor fui Dei, & delectatus sum: & exercitatus sum, & defecit spiritus meus.] Memoria, inquam, Dei magnam mihi iucunditatem attulit, sicut è contra exercitatio, seu consideratio rerum huius vitæ tristitiam mihi, vt pæne deficerem, & anxietatem immisit. Et Ionas: Cùm angustiaretur in me anima mea, Domini recordatus sum.] Ad quid, ô sancte Propheta, Domini recordaris, nisi vt angustiam cordis tui, mœrorémque depellas? & summi boni recordatione læteris? Sed quid mirum si Domini præsentia delectet, in quo anima omnis mali depulsionem, & omnis boni adeptionem habet. Si cœcus es, ô homo, Deus est lux tua; si durus & frigidus, ipse est calor tuus; si tristis, ipse consolatio tua: si pauper, si famelicus, si nudus, ipse est substantia, & esca, & vestis tua; si mortuus, vel ægrotus, ipse est vita & salus tua. In ipso habes omne illud; quo vel ad ornatum animæ, vel ad imbecillitatem corporis indiges: cur non de eius præsentia gaudebis? Audi, quid de Iuda & eius militibus in sacra historia dicatur. Erant mann quidem pugnantes, sed Dominum cordibus orantes, prostrauerunt non minus triginta quinque millia, præsentia Dei magnificè delectati.] Præsentia Dei delectabantur, quia ea fortes effecti sunt, vt tot hostium millia prosternerent; quia in eo præsidium habuerunt, vt gloriam apud omnes obtinerent. Gaude & tu, ac exulta in corde tuo, si hoc donum præsentiæ diuinæ fueris assequutus, quia eo inimicos virtutis prosternes, & veram gloriam apud Dominum & Angelos consequeris. Dices, hanc diuinæ præsentiæ suauitatem gustans, & cum Domino loquens: In tribulatione dilatasti mihi.] Quære ab Augustino, quid sit corde dilatari? Est iam habere in corde infusum Deum, cum quo intrinsecus colloquaris. Intelliges etiam illud: Dedisti lætitiam in corde meo. Non ergo foris quærenda est lætitia, ait idem beatus Pater, sed intus, vbi signatum est lumen vultus Dei. In interiori enim homine habitat Christus.] In illum respice, ad eum oculos, sermones & affectus conuerte, & cordis dilatationem ac lætitiam accipies.

Cœlum, terra, aër, aqua, & orbis totus exhilarantur Solis exortu, quanto magis animus ad veræ lucis præsentiam lætabitur? Quæ est autem vera lux? Qui sequitur me,

Deus plusquã mater nostra.

Isaiæ 49. 15.

Ezech. 1.14.

Nullum est momẽtum, in quo à Domino multa beneficia non accipiamus. Actor. 17.28.

Psal.24. 16.

Assidua Dei cogitationis studio miram tranquillitatem, & animi lætitiam acquirimus.

Id nõ semel expertus est Dauid. Psal.76. 4.

Id Ionas. Iona 2.8.

2.Mach. 15.27. Id Iudas Machabæus, & eius milites.

Psal.4.1.

Psal.4.7 August. Ibid. Sicut orbis totus solis præsentia recreatur, ita humana mens Dei hilaratur memoria. Ioan.8. 12.

verbum est Christi, non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitæ. Quæ est vera lux? Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Quæ est vera lux? Deus lux est, & tenebræ in eo non sunt vllæ. Ad præsentiam ergo Dei animus lætitia & exultatione completur. Si tentationibus, quasi sæua tempestate, quatiatur, si per superbiam quasi in astra feratur, & per pusillanimitatem in profundum mergatur, & per multiplices impulsus dæmonum huc illúcque sine vlla spe salutis iactetur, statim atque illi diuinum illud lumen effulget, & se Deum præsentem habere animaduertit, salutem sibi, & iucunditatem affuturam ex victoria promittit. O quam verè hoc probauit magnus Antonius, qui, vt narrat Athanasius, post sæuissimum aduersariorum inuisibilium prælium, & post innumeras plagas acceptas, cùm eleuaret oculos, vidit desuper culmen aperiri, & deductis tenebris, radium ad se lucis influere. Post eius splendoris aduentum, nec dæmonum aliquis apparuit, & corporis dolor extemplo deletus est. Ædificium quoque, quod paulo antè dissolutum fuerat, instauratum est. Illico præsentiam Domini intellexit Antonius, & ex intimo pectore trahens longa suspiria, ad visionem, quæ ei apparuerat, loquebatur, dicens: Vbi eras bone Iesu? vbi eras? quare non à principio affuisti, vt sanares vulnera mea? Et vox ad eum facta est, dicens: Antoni, hîc eram, sed expectabam videre certamen tuum. Nunc autem quia dimicando viriliter non cessisti, semper auxiliabor tibi, & faciam te in omni orbe nominari.] Quanto hæc lætitia ex præsentia Domini proueniens, præteritum mœrorem tentationis excelluit, quantum hæc sanitas illas plagas superauit? Quomodo caneret Antonius illud Dauidis: Prouidebam Dominum in conspectu meo semper, quoniam à dextris est mihi, ne commouear.] Et quid inde sequutum est? Propter hoc lætatum est cor meum, adeò vt gaudium non caperet, sed se in exteriora diffunderet, & idcirco exultauit lingua mea: insuper & caro mea requiescet in spe. Quare spem resurrectionis non conciperet, & in ea quietus ex hac vita migraret, cùm Dominum sibi astantem, & victoriam tribuentem videret.

Hæc lætitia, quam præsentia Domini secum affert, maxima est. Eam namque spiritus percipit, cuius voluptas, corporis voluptatibus longè maior est atque perfectior. Delectationum corporalium ea quæ visu percipitur à Philosophis iudicatur perfectissima. Hæc illam excedit, quam oculus mentis excellentior sentit. Cùm aliquid pulchrum oculis corporeis cernis, cernis quidem oculis, sed non audis, nec odoraris, nec gustas, nec tangis. Alij sensus adhibendi sunt, vt has functiones exercere possis. At cùm Deum, vbi præsentem constituis, ipso mentis aspectu vides, audis, odoraris, gustas & tangis, & his omnibus modis obiecto nobilissimo delectaris. Cuius perceptio sine vlla comparatione rerum corporearum etiam præstantissimarum sublimior est, quanto id quod intelligitur est perfectius. Aliæ voluptates difficulter adquiruntur, difficiliùs conseruantur: hanc purissimam de se cum diuina gratia faciler experieris, & quottidie faciliorem agnosces. Aliæ post modicum satietatem afferunt; hæc quanto magis gustatur maiorem esuriem prouocat. Aliæ omnem mœrorem non tollunt, immo sæpe ingerunt, & conscientiam discindunt: hæc omnem tristitiam aufert, conscientiam mira suauitatè lenit. Est namque præsentia Dei quædam cœlestis patriæ prægustatio, & illius operationis, qua beati futuri sumus, seu purissimæ contemplationis inceptio. Quare Climachus dixit: Beatos nos fore, si sic coram Deo perstemus in oratione, sicut aulici perstant coram Rege suo. Sic ergo perstemus coram Deo, attenti, humiles, compositi, timentes ne quid illi in nobis displiceat. Iam illum animi oculis aspiciamus, iam eius verba audiamus, iam cum illo conuersemur, iam laudemus, diligamus, gratias agamus, & aliis affectibus eum nobis propitium habere curemus. Absque dubio hoc est munus animæ perfectæ, quo non solùm omni virtute augetur, sed indicibili iucunditate perfunditur. Dicat Bernardus quid in se memoria alicuius Sancti operabatur.

Frequenter ego ipse, inquit, (quod fateri non verecundor) maximéque in initio conuersionis meæ, corde durus, & frigidus, & quærens quem vellet diligere anima mea, nec adhuc enim diligere poterat quem nondum inuenerat, aut certè minus quàm vellet diligebat, & ob hoc quærebat vt magis diligeret, quem nequaquam quæreret, nisi iam aliquatenus dilexisset. Cùm ergo eum quærerem in quo recalesceret aut requiesceret spiritus meus, vtique torpens & languens, nec vlla de parte occurreret qui succurretre, per quem videlicet pruina rigens, quæ sensus stringebat internos, dissolueretur, & vernalis illa suauitas, ac spiritalis amœnitas reuerteretur, tunc magis ac magis languebat, & tædebat, & dormitabat anima mea præ tædio, tristis pæne, & desperans, & mussitans, secundùm illud: A facie frigoris eius quis sustinebit? Cùm subitò forte ad affatum, vel etiam aspectum cuiuspiam spiritualis, perfectíque viri, interdum & ad solam defuncti seu absentis memoriam, flabat spiritus, & fluebant aquæ: & erant mihi lacrymæ illæ panes die ac nocte. Quídnam istud nisi odor exhalantis vnctionis, qua erat ille perfusus? Non enim vnctio, quæ ad me nimirum, nisi homine mediante, non pertingebat. Eapropter, & si gaudendum de munere, confundebar tamen, & humiliabar, quòd sola ad me tenuis exhalatio, & non pinguis aspersio peruenisset. Odoratu quippe delectatus, non tactu, indignum me proinde cognoscebam, cui per seipsum dulcesceret Deus. Et nunc idipsum si accidat, auidus quidem suscipio munus indultum, gratúmque habeo: sed dolens doleo, per meipsum non meruisse, atque (vt dicitur) de manu in manum minimè accepisse, cùm obnixè id peterem. Pudet nimirum magis ad hominis quàm ad Dei moueri memoriam. Et nunc cum gemitu clamo: Quando veniam & apparebo ante faciem Dei?] Hactenus ille. Si tantum profectum, tantum feruorem, tam magnam iucunditatem efficit memoria serui, quid faciet memoria Domini, & creatoris nostri Dei? Manifestum est ergo quod diuinæ præsentiæ cogitatio animam omni virtute & perfectione complet, & admirabilem lætitiam & exultationem infert. Quia non potest illa suo fini, ad quem creata est, cognitione & amore adhærere, & non simul purissima delectatione perfundi. Hæc enim assequutionem

Ioan.1.9. *1.Ioan.1.5.* *Athanas. in vita Anton.* *Verba Christi Antonio in tentatione recreantis.* *Psal.15.8.* *Spiritus voluptas corpore voluptatibus lõgè præstantior.* *Corporea voluptates mœrorem ingerunt, spiritales verò omnino abigunt. Climach. gradu vlt.* *Bernar. ser.14.in Can. Mira Bernardi verba de sanctorum virorum vel aspectu, vel recordationis vtilitate, quam in se experiebatur.*

finis sequitur, & possessione boni amati conquiritur.

De primo modo diuinæ præsentiæ habendæ per imaginem sensibilem.

CAPVT VII.

EX præstantia & vtilitate multiplici studij præsentiæ diuinæ à nobis habendæ ad modum progrediamur, inuestigemúsque quibúsnam modis Deo nos semper præsentes faciamus. In his enim quæ ad opus ordinantur, non satis est rei substantiam dicere, sed necesse est quoque agendi modum ac rationem explicare, vt quisque sciat eam in opus deducere. Tribus ergo modis possumus Deum nobis præsentem cogitare. Primus est in imagine sensibili, nimirum si Christum Saluatorem nostrum in omni loco & opere quasi præsentem & nos aspicientem intueamur. Hoc est vnum emolumentum ex multis aduentus Dei filij, quòd Deum possumus visibilem & similem nobis vbique præsentem intueri. Qui licèt secundùm naturam assumtam iam in cœlum ascenderit, & in terra non in omni loco, sed solùm in sacramento Eucharistiæ realiter præsens sit, tamen ad morum nostrorum emendationem debemus eum vbicumque fuerimus quasi præsentem cogitare, & eum qui secundùm Deitatem verè præsens est, secundùm humanitatem quasi non absentem aspicere. Idcirco Zacharias pater Ioannis cecinit Christum in mundum venisse; vt sine timore de manu inimicorum nostrorum liberati seruiamus illi, in sanctitate & iustitia coram ipso omnibus diebus nostris. Ipsum (inquam) Deum visibilem factum aspiciamus, & non ter tantùm in anno, sicut Iudæi iussi fuerant, sed omnibus diebus & horis vitæ nostræ eum nobis præsentem cogitemus. In quo certè pópulo illi antiquo prælati sumus: nam illi Mosem, aut vnum ex Prophetis intuentes, Deo seruiebant, nos verò in ipsum Verbum Patris oculos figentes Deo famulamur. Et ad hoc ille se visibilem fecit, vt sic eum faciliùs in omnibus operibus inspiceremus; & qua corporei sumus, corpore ad perfectionem & sanctitatem proueheremur.

Tribus modis possumus Deum præsentē cogitare. 1. Christum nobis præsentem. facimus.

Luca 1. 74.

Vt Christum præsentem habeamus 1. Considerandum est, vt eũ in eo mysterio cõtemplemur, quod magis arrideat. Bernar. formula honestæ vitæ.

In hoc autem modo præsentiæ Dei quædam sunt consideranda. Primum est, vt Christum in eo mysterio aspicias, quod tibi magis arrideat, & quod secundùm statum profectus animæ tuæ maiorem tibi vtilitatem afferat, de quo sic scribit Bernardus: Semper cogita illum, nunc positum in præsepio, & pannis inuolutum, modò in templo Patri à parentibus præsentatum, nunc fugientem in Ægyptum, ibi diu in extrema paupertate & indigentia commorantem, & inde maximo cum labore redeuntem; modò in templo audientem Doctores, & interrogantem, qui docet hominem scientiam, & postea parentibus subditum, cui iure omnis creatura subditur. Deinde esurientem in deserto, & sitientem, qui est panis vitæ & fons sapientiæ, qui pascitur inter lilia, & implet omne animal benedictione. Modò fatigatum ex itinere, sedere sic supra fontem, cum muliercula sola solum loquentem, totius mundi statum regentem. Postea factum in agonia prolixiùs orantem, & omnia omnibus sufficienter administrantem. Ab Angelo etiam ipsum, qui est dulcedo & consolatio Angelorum, & hominum, consolationem nihilominus recipientem. Aut ad columnam illum, qui totius est orbis sustentamentum, ligatum & flagellatum: ipsum, qui est Angelorum splendor, sputis illitum, palmis in facie percussum, spinea corona coronatum, & opprobriis saturatum: ad vltimum cum iniquis deputatum, & pro te in cruce pendentem & morientem, atque spiritum suum in manus Patris commendantem. Sic mirrhæ erit fasciculus myrrhæ dilectus tuus, sic inter vbera tua commorabitur. Sic de omnibus anxietatibus & amaritudinibus Domini Dei tui colliga quasi fasciculum, vt amarum poculum lacrymarum tibi conficias. Quòd si quando ardentissimo Christi amore succensus, volueris cum Apostolo iam illum cognoscere, & non secundùm carnem, leuabis parum mentis oculos ad victoriam resurgentis, ad gloriam ascendentis, ad glorioſam maiestatem in gloria Dei Patris sedentis atque regnantis, quæ sursum sunt sapiens, & quæ sursum sunt quærens, vbi Christus est in dextera Dei sedens.] Hæc Bernardus.

Henricus Herpius 1. p. directorij principalis 5. puncto 2. cõsiderandum vt in initio conuersionis Christum crucifixũ conemur recogitare.

Sed in initio conuersionis conaberis Christum cruci affixum præsentem habere. Vnde Henricus Herpius ait: Non tamen volo quòd sine omni imagine & cogitatione esse debeas, sed propono tibi imaginem Iesu Christi, qui est splendor vel fulgur æterni luminis, & speculum sine macula, vt Sapiens ait. Hanc imaginem (amoroso desiderio imitandi) portabis in exteriori homine tuo secundùm humanitatem eius in cruce pendentem. Impriméque tibi formam suæ abyssalis humilitatis, abiectionis, patientiæ, mititatis, & omnes alias abyssales virtutes vltra omnium hominum capacitatem. Imaginem hanc accipe in omni loco, in omni hora, in omni verbo, in omni opere, in omni occupatione, intus & foris, in prosperis & aduersis. Si comedis, intinge singulas buccellas panis in vulneribus eius. Si bibis, cogita potum, quem in cruce potauit. Si lauas manus vel corpus, cogita sanguinem quo animam tuam lauit. Si vadis dormitum, cogita lectum crucis, & reclina caput tuum super auriculare spineæ coronæ, & in his cogitationibus debes nutrire amorosam compassionem & desiderium imitandi vestigia eius.] At siue hoc, siue alio modo Christum præsentem geramus, & omnia tum interiora tum exteriora in conspectu eius operemur. Cùm Abraham ad præceptum Domini vellet filium hæredem immolare, audito Angelo, qui à cæde abstinere iussit, leuauit oculos suos, vidítque post tergum arietem inter vepres hærentem cornibus, quem assumens obtulit holocaustum pro filio. Appellauítque nomen loci illius, Dominus videt. O quàm sæpe Dei erga nos prouidentiam quasi manibus contrectamus? O quàm amabilem Christi benignitatem nos à periculis eripientis & consolantis aspicimus! Vocemus ergo quemcumque locum in quo fuerimus, Dominus videt. Ibi nos videri cogitemus, & aspectui aspectu humili respondeamus, ne ingrati & beneficiorum obliuioſi reputemur.

Gen. 22. 13.

3. Consid. vt Christum aspiciamus, qua si propè nos adstantem, vt hominem Deum.

Deinde aspicies Christum quasi propè te astantem (neque enim cogitatione in cœlum eundum est) non quidem tamquam hominem purum, sed tamquam hominem Deum,

sicut

ſicut reuera eſt, & ſenſim ab humanitate ad diuinitatem penetrare aſſueſcas. Sicut cùm amicum vides, quem honeſtè propter virtutem, aut propter ſcientiam diligis, neſcio quomodo corpus ipſum tranſcendis, & in eo quaſi in tabernaculo ſpiritum intueris, & ab illo ſpiritu, qui per corpus loquitur, doceri aut audiri delectaris. Ita cùm Chriſtum interioribus oculis intueris, verbum Patris in eo latens agnoſce, & in ipſum fidei & ſapientiæ oculos fige. Sic implebis illud Apoſtoli: Et ſi cognouimus ſecundùm carnem Chriſtum, ſed nunc iam non nouimus.] Sic etiam perfectiùs ad contemplationem paraberis, quæ præcipuè circa diuinitatem verſatur. Sic demum opus ſtatui tuo congruentius (nam iam cum perfectis loquimur, vel cum his qui propè ad perfectionem accedunt) ſine dubio perficies. De quo pulchrè Bernardus ſic ſcribit: In operibus Domini, fratres, & minùs capaces animos exterior conſideratio paſcit, & qui magis exercitatos habent ſenſus, ſolidiorem intus cibum inueniunt, & ſuauiorem, tamquam adipem, medullámque frumenti. Sunt enim & exteriori ſpecie delectabilia, & interiori virtute multo delectabiliora: quemadmodum & ipſe exteriùs quidem ſpecioſus erat forma præ filiis hominum: interiùs autem tamquam candor lucis æternæ, etiam ipſis ſupereminens vultibus Angelorum. Apparebat enim foris homo ſine culpa, caro ſine peccato, agnus ſine macula. Quàm ſpecioſi pedes annunciantis pacem, annunciantis bona? Sed multo ſpecioſius & pretioſius caput eius, quoniam caput Chriſti Deus. Delectabilis aſpectus hominis, in quem peccatum non cadit: & beati oculi qui viderunt, ſed multo magis beati mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt. Denique cùm peruenisſet ad nucleum, teſtam iam (licèt decoram valde) non reputabat Apoſtolus, dicens: Et ſi cognouimus aliquando Chriſtum ſecundùm carnem, ſed nunc iam non nouimus. Nimirum quia Dominus ipſe prædixerat: Caro non prodeſt quicquam, ſpiritus eſt qui viuificat. Sed hæc eſt ſapientia, quam loquitur Paulus inter perfectos.] Ad hanc ſapientiam niti debes, & tranſcurſa carne puriſſima, ad Diuinitatem conuolare. Sed ad hoc paulatim (vt diximus) procedendum eſt, & non tam indiſcreto conatu id, quàm oratione curandum. Attende ad Chriſtum Saluatorem tuum, nec vultum eius ac lineamenta ſigillatim imagineris, ſed Deum quaſi totum quoddam tibi propone, quod reuerenter intuearis. Exquiſita namque ac minuta corporis eius & faciei cogitatio, & caput lædit, & periculo alicuius illuſionis exponit, & ſtudio amoris, de quo ſtatim dicemus, aliquod impedimentum affert, dum magis aſpicere, quàm amare, conamur.

2. Cor. 5. 16.

Bernar. ſer. 2. de mut. aquæ in vinum.

4. Conſid. vt non Chriſtũ modò à nobis, ſed nos ab ipſo aſpici, cogitemus. - Apoc. 2. 14. Heb. 4. 13.

Inſuper non ſolùm Chriſtum Dominum præſentem cogitabis, & te eum videre curabis, ſed ab ipſo te aſpici animaduertes. Eum inſpectorem & teſtem tuorum operum & cogitationum facies, & nihil eum latere perſpicies. Oculi eius, inquit in Apocalypſi Ioannes, tamquam flamma ignis.] Quibus (vt Richardus Victorinus ait) electos reſpiciens illuſtrat luce ſapientiæ, & calefacit amore iuſtitiæ. Et Paulus: Omnia ſunt nuda & aperta oculis eius, nihílque eſt tam opertum, tam abſconditum, quod ipſe non videat.] Eris igitur ſemper in loco, qui dicitur, Dominus videt, & te videri conſiderabis. Sic in omnibus operibus tuis pro regula diuinam voluntatem habebis, & cuncta, non ſolùm quoad ſubſtantiam operum, verùm & quantùm ad modum omnibus numeris abſoluta perficies. In hac vena regius Vates inuenit, quo Domino gratus exiſteret. Et erunt, ait, vt complaceant eloquia oris mei & meditatio cordis mei in conſpectu tuo ſemper.] Si illa à nobis prodierint tamquàm dicta & conſiderata in conſpectu Dei, non tantùm à maximis delictis & à minoribus emundabimur, verùm & in his quæ ore protulerimus, & in his quæ corde cogitauerimus ipſi placebimus. Diſce ergo, ô homo, inquit Thomas à Campis, ſolita ſua pietate, ad eius amorem & honorem cuncta exercitia tua trahere & ordinare, & tamquam præſentem Ieſum in omni loco & tempore attende, & cum multa reuerentia & ſingulari deuotione ad auditionem & prolationem dulciſſimi nominis eius Ieſu, caput humiliter inclina, genua flecte, & cum omnibus Angelis & Archangelis & vniuerſo cœtu Sanctorum, maieſtatem eius atque diuinitatem adora, benedic, & collauda. Et hoc eſt Chriſtum per fidem & dilectionem habitare in corde tuo, oculos mentis ab eius imaginatione numquam auertere, ad eius beneplacitum ſemper tendere, & nihil eius amori præponere, ſed quicquid boni audieris, vel legeris, aut feceris, in ipſum totaliter reducere, & finaliter referre, quia ipſe eſt fons vitæ, & ſapientiæ, & diſciplinæ, apud quem non perit nec minima cogitatio de eius memoria habita, nec vacua erit oratio ad eum cum gemitu fuſa.] Omnia ille videt, orationéſque audit. Quare ita conſiderandus eſt, quaſi ipſe nos videat.

Pſal. 18. 15.

Thom. à Camp. lib. 1. de diſciplina clauſtr. c. 13.

Huic denique memoriæ Chriſti Domini (quod in quocumque modo diuinæ præſentiæ obſeruandum eſt) aſpirationes ad eumdem Dominum, & affectus voluntatis adiunges. Hoc enim eſt, ſicut in oratione, ita & in diuina præſentia præcipuum. Secundum ſtatum, quem habueris incipientis, aut proficientis, aut perfecti, actus iſtos voluntatis formabis. Modum verò in eo tractatu, quem de oratione affectiua ſcripſimus, ſuperiùs inuenies, & iuxta rationem illorum affectuum, ſeu oratiuncularum, quas annotauimus, tu aliàs per te conficies. Atque in quolibet ſtatu trium prædictorum ſecundùm diſpoſitionem animæ diuerſam, varios affectus promes. Quidam enim magis placent tempore tentationis, alij verò tempore tranquillitatis; hi potiùs diebus in quibus conſolamur, & alij tempori deſolationis conueniunt. Qui tamen iam ad contemplationem diſponitur, amoris affectibus occupetur. Quibus ita emundabitur, ita inflammabitur, ita perficietur, vt in gradum diuinæ præſentiæ perfectiorem admittatur, quo Chriſtum Dominum vel Deum ipſum (vt ſtatim dicemus) tranquillè aſpiciat, & abſque multiplicitate actuum, & abſque ſtrepitu etiam interiorum verborum Domino per amorem totus inhæreat. Beatus ille, cui, vel poſt multos labores, & poſt multam abnegationem hoc datum fuerit, quia arrham iam perfectionis habet, & miſeratio Domini erga illum, haudquaquam in hoc dono te continebit, ſed indies maiora & ſublimiora donabit. Hæc recordatio Domini Ieſu erit in illo, vt in populo Iſraelitico recordatio Ioſiæ, de qua hæc in Eccleſiaſtico: Memoria Ioſiæ in compoſitionem odoris facta opus pigmentarij.

Huic memoriæ Chriſti aſpirationes, & volũtatis affectus debent adiungi. Sup. lib. 4. p. 3. c. ...

Pro diuerſitate temporis varij affectus promendi.

Qui ad contemplationẽ diſponitur amoris affectus eliciat.

Eccli. 49. 1.

In omni ore quasi mel indulcabitur eius memoria, & vt musica in cõuiuio vini.] Erit, inquam, in illo assidua cogitatio Domini quasi vnguentum odoriferum ex variis speciebus aromaticis mistum atque compositum, quod mentem roboret ad pugnam, & sensum odoratus interioris oblectet. Erit quasi mel in ore, quia quod ex abundantia cordis os de Christo loquetur, non minus, quàm mel in corde dulcescet. Erit demum vt musica in conuiuio vini, quoniam auditui dabit gaudium & lætitiam, adeò vt exultent ossa humiliata, vt scilicet virtutes quæ ossa sunt animæ quasi hac memoria rigatæ floreant, & abiecto omni tepore in sanctè operando feruescant. Hic ergo est primus modus diuinæ præsentiæ, quo homo purus in homine Deo inuenit, quousque ad perfectionem adipiscendam proficiat.

De secundo modo diuinæ præsentiæ absque imagine sensibili extra nos.

CAPVT VIII.

2. *Modo beatissimam Trinitatem præsentẽ nobis oculis fidei conspicimus.*

SECVNDVS modus diuinæ præsentiæ sublimior est, quo non iam Christi humanitatem, sed beatissimam Trinitatem, aut ipsum Deum nobis præsentem, & omnia nostra considerantem oculis fidei aspicimus. Est hic modus sublimior, quoniam spiritualior, & ab omni corporis cogitatione abstractus atque remotus, & non impia aliqua imaginatione, sed in mera veritate fundatus. Humanitas enim Christi Domini (vt fides docet, & iam suprà attigimus) non est vbique secundùm realem præsentiam, sed tantùm in cœlo sedens ad dexteram Patris, & in venerabili Eucharistiæ sacramento. Vnde quando eam in quocumque loco nobis præsentem cogitamus, licèt ad magnam vtilitatem nostram, tamen imaginationi seruimus. Imaginationi sanè non vanæ, sed piæ; tum quia magnam nobis (vt experimento constat) vtilitatem & vitæ emendationem affert hæc cogitatio: tum etiam, quia licèt natura illa humana à verbo assumta præsens non sit, at personæ illius naturæ, quæ non est alia quàm persona Verbi, vbique præsens est. Quod quidem verè præsens nobis cogitamus, & piè indutum humanitate, vt est in cœlis & in Sactamento altaris, imaginatione apprehendimus. Cùm verò Deum in sua Deitate præsentem aspicimus, nihil hîc quod verissimum non sit imaginamur, sed certissimam & manifestissimam veritatem intelligimus. Cœlum & terram, inquit ipse, ego impleo. In omnibus locis & rebus intra & extra illa est illa indiuisibilis & pura substantia. Nihil est adeò densum, solidum, opacum, continuum, quod diuinam naturam excludat. Solis virtuti & influxui abscondita terræ viscera sunt aperta, in quibus aurum, argentum, & alia metalla progignit. Angelis, animabus, & corporibus glorioſis, corpora cuncta sunt peruia, adeò vt in saxorum quoque duritiem penetrent, & non difficiliùs, quàm dissipabilem aërem, in intimo eorum se collocent. Quanto magis Deus creator vniuersorum omnibus erit intimè præsens, qui omnibus esse tribuit, & nisi conseruaret, & sustineret, cuncta perirent. Terram video? Deus in illa est, omnia sine motu suo mouens, & ex quibusdam alia producens. A quam cerno? In aquis & in immenso mari est Deus, piscium illam innumerabilem multitudinem gignens, & in illa fluctuum ferocia suam potestatem ostendens. Aërem sentio? In aëre vastissimo est Deus, omnia animantia, & meipsum, eius inspiratione custodiens. Ignem percipio? In igne splendidissimo est Deus, me calefaciens, & fouens, & splendore ac pulchritudine ad eius pulchritudinem considerandam & amandam alliciens. Ad cœlum oculos attollo? Illic est domus Dei, ibi degit, ibi iustis suis copiam sui facit, ibi sedem ac domicilium mihi præparauit. In hominem oculos conuerto? Ille est imago Dei, in quo eius vnitatem essentiæ, & Trinitatem personarum, & multiplicem diuinam perfectionem, si oculis fidei vtar, aspicio. Donum aliquod, aut beneficium ex creatura percipio? In illo quasi inuolutus & rectus est Deus, qui dona tribuit, & à suis donis non discedit. Deus ergo vniuersa sua immensitate replet, omnibus adest; quare cùm illum vbique præsentem intueor, intuitione mea non imaginationi, sed veritati subnitor.

Vt quis Deũ præsentem aspiciat, se vt centrũ, Deũ vt sphærã, se vt atomum Deum vt lucem, se vt spongiam. Deũ vt mare cõtemplabitur.

Iam quærat aliquis quibus ad Deum vbique præsentem aspiciendum iuuabitur? Aspiciet se vt centrum quoddam, Deum verò vt sphæram, cuius medium in ipso aspiciente est, circumferentiæ verò terminus nullus est. Aspiciet se vt atomum luce circumfusum, quæ lux omnia replet, & quocumque oculos vertat, in illam incurrit. Aspiciet se vt spongiam mari immersam, vel certè vt pisciculum aquis circumdatum: nam sicut mare spongiam cingit & penetrat, ita Deus creaturam vndequaque circumdat. Si sursum, ô homo, oculos tollis, Deum te altiorem cogita; si deorsum deprimis, Deum profundiorem considera: si ante te respicis, Deum præeuntem aspice; si retro oculos vertis, Deum te sequentem & custodientem vide; si à sinistris, ibi est Deus, ne aliquo sinistro lædaris: si à dextris, à dextris est tibi, ne commouearis. Assuesce Deum in omnibus rebus quasi latentem, & per rimas perfectionum creaturarum se quodam modo ostentantem cernere, & habitatorem potius, quàm domum, spiritum illum purissimum, magis quàm corpus, cui adest, & nucleum dulcissimum attentius, quàm testam, aspicere. Ne cùm aliquam imperfectionem vel ineptam cogitationem admittis, primos parentes imiteris, qui voluerunt se abscondere à facie Domini, quoniam neque in minimo faciem eius effugies. Ne putes cum Cain, quia Deus te eiicit à facie terræ, & inter te & faciem eius aliquid, quo non videaris, oppones, quia nullum huiusmodi impedimentum inuenies. Immo cogita cum illo amico sancti Iob, quòd oculi Domini super vias hominum, & omnes gressus eorum considerat. Non sunt tenebræ, & non est vmbra mortis, vt abscondantur ibi qui operantur iniquitatem; & aliquid minus rectum agere erubescas. Lux enim æterna (inquit Gregorius) quæ Deus est, quanto immutabiliter fulget, tanto penetrabiliter videt, & neque occulta nescit, quia cuncta penetrat, neque penetrata obliuiscitur, quia incommutabilis durat. Proinde quoties indignum aliquid corde concipimus, toties in luce peccamus, quia ipsa nobis & nó sibi præsentibus præstò est, & peruersè gradientes

Gen. 3. 8. Gen. 4. 14.

Iob 34. 21.

Greg. 25. mor. c. 4.

Deus intimè præsens adest rebus omnibus.

in ipſam impingimus, à qua per meritum longè ſumus: cùm verò nos videri non credimus, in ſole clauſos oculos tenemus, illum videlicet nobis abſcondimus, non nos illi.

Hoc modo diuinæ præſentiæ meritum veritatem actu cognoſcimus. Aug. lib. Soliloq. c. 14.

Hic ergo modus diuinæ præſentiæ in hoc poſitus eſt, vt meram veritatem actu agnoſcamus, & Deum non ſolùm vbique preſentem, verùm & nos intuentem, & quidquid agimus & cogitamus, expendentem, conſideremus. Hæc eſt aſſidua cogitatio Sanctorum, qua ſe ad omne bonum excitant, & à minimis etiam imperfectionibus elongant. Quam cogitationem pulchrè declarat Auguſtinus, vel quiſquis libri Soliloquiorum eſt author, ſic ſcribens: Sed imperfectum meum viderunt oculi tui: oculi (inquam) tui multo lucidiores ſunt ſole, circumſpicientes omnes vias hominũ & profundum abyſſi, & in omni loco contemplantur ſemper bonos & malos. Cùm enim cunctis præſideas ſingula implens, totus ſemper vbique præſens, cunctorúmque curam agens quæ creaſti, quia nihil odiſti eorum quæ feciſti: ſic greſſus meos ſemitaſque conſideras, & die noctúque ſuper cuſtodiam meam vigilas, omnes ſemitas meas diligenter notans, ſpeculator perpetuus, veluti ſi totius creaturæ tuæ cœli & terræ oblitus, tantùm me conſideres, & nihil ſit tibi curæ de aliis. Neque enim tibi creſcit lux incommutabilis viſionis tuæ, ſi tantùm vnum aſpicias: neque minuitur, ſi innumera videas, & diuerſa. Quia ſicut vnum totum ſimul perfectè conſideras, ſic ſingula quælibet licèt diuerſa, perfectè ſimul totáque totus conſpicit viſus tuus. Sed ſicut omnia, ſic vnum; & ſicut vnum, ſic ſingula, totus ſimul ſine diuiſione vel commutatione, vel diminutione conſideras. Itaque totus tu in toto tempore ſine tempore, totũ me ſimul ſempérque conſideras, ac ſi nihil aliud conſiderare habeas. Sic igitur ſuper cuſtodiam meam ſtas, ſicut ſi omnium oblitus ſis, & mihi ſoli intẽdere velis. Semper quippe te præſentem exhibes, ſemper te paratum offers, ſi me paratum inuenis. Quocumque iero, tu me, Domine, non deſeris, niſi prior ego te deſerã. Vbicumque fuero non recedis, quoniam vbique es, vt quocumque iero, inueniam te; per quem poſſim eſſe ne peream ſine te, cùm ſine te eſſe non poſſim. Fateor quidem, quia quidquid facio, & quæcumque facio, ante te facio; & illud quidquid eſt quod facio, melius tu vides, quàm ego, qui facio. Quidquid enim ſemper operor, tu pariter ſemper præſens aſſiſtis, vtpote perſpector omnium cogitationum, intentionum, delectationum, & omniũ operationum mearum. Domine ante te eſt ſemper omne deſiderium meum, ante te tota cogitatio mea. Tu Domine vides vnde veniat ſpiritus, vbi ſit, & quò vadat, quia tu es omnium ſpirituum ponderator. Et vtrùm radix ſit dulcis, an amara, de qua foris pulchra folia emittuntur: tu iudex internus melius ipſe noſti, & etiam medullas radicum ſubtiliùs perſcrutaris, & non ſolùm intentionem, ſed radicis eius medullam intimam diſertiſſima tuæ lucis veritate colligis, numeras, contueris, & conſignas, vt reddas vnicuique non ſolummodo ſecundùm opera, vel intentionem, ſed etiam ſecundùm ipſam interiorem abſconditam medullam radicis, de qua procedit intentio operantis. Ad quod tendo cùm operor, quidquid cogito, & in quocumque delector, tu vides, aures tuæ audiunt, oculi tui vident, & conſiderant, ſignas, attendis, notas & ſcribis in libro tuo, ſiue bonum fuerit, ſiue malum, vt reddas poſtea pro bono præmia, & pro malo ſupplicia.] Hucuſque ille. Iſta ſeriò cogitanda ſunt, vt

Deus curat ſeruno quoque noſtrùm, ac ſi de nullo alio curaret.

Sine Deo perimus, quia ſine Deo eſſe non poſſumus.

A qui iam ad perfectionem aſpirant, vel ad ianuam eius expectant, aſpectu Domini à minimis etiam imperfectionibus retrahantur, & ad omne bonum roborentur.

Aſſiduus Dei aſpectus informatus debet eſſe voluntatis affectibus.

Hic verò aſſiduus aſpectus Domini, quo cum præſentem ac nos intuentem cogitamus, non debet eſſe ſolus (vt iam diximus) ſed informatus voluntatis affectibus. Ita ſcilicet, vt Deum, quem Patrem, Paſtorem, Gubernatorem, ducem, amatorem, & omne bonum noſtrum agnoſcimus, ardentiſſimè diligamus, & mille modis (quos Spiritus ſanctus ſuggeret) nobis propitium magis, ac magis habere curemus. Dilige illum, ô frater, qui te ſemper diligit: lauda & exalta illum, qui aliquãdo in domo æternitatis ſuæ te honorabilem reddet. Gratias age ei pro omnibus quæ liberaliter tribuit. Quidquid commodi, aut voluptatis, aut honoris à creaturis acceperis, illi acceptum refert. Non tam illæ, quàm ipſe te bonis cumulat, & beneficiis multiplicat. Cibus te reficit, ſed magis te cibo reficit Deus. Sapiens te conſilio erudit, ſed potiùs ſalubri conſilio te erudit Deus. Amicus te verbis lenibus conſolatur; ſed præcipuus & verus conſolator eſt Deus. Si Princeps clariſſimus te minimum hoſpitio exciperet, & famulos ſuos in tuis obſequiis diſtineret, nónne pro ſeruitiis famulorum illi gratias referres, immo & propter illa obſequia tamquam primò & maximè ab illo profecta eum amore proſequereris? Sed Dẽus in orbe terrarum, & in hac ampla domo te hoſpitem habet: cœlum & terram, & cuncta quæ in eis ſunt in tuum obſequium occupare non deſinit. Habeat te ipſe fidelem & aſſiduum amatorem, ſiquidem tu illum habes perpetuum benefactorem.

In operibus externis aliquid in promtu tenẽdum, quo Dei memoria reuocetur. Dionyſ. Carthuſ. de vita & fin. ſolitarij lib. 1. art. 21.

Vt autem hoc præſtare faciliùs poſſis, in ipſis operibus externis aliquid in promtu tenendũ eſt, quo diſtractus ad Dei memoriam, & ad aſpirationes aſſiduas ſubinde reuoceris. De quo hæc leges apud Dionyſium Carthuſianum. Verumtamen in corporalibus non vtique ſpiritualium obliuiſci æquum eſt, quoniam inceſſanter quippiam mentem cuſtodiens, deuotionémque conſeruans, animo volendum, ac cordi infigendum exiſtit, quo duce ad Deum dirigatur ſpiritus, atque aduocationis profeſſioníſque noſtræ finem, animæ reuehatur intuitus. Enimuero quidam, ſecundùm Caſſiani eloquium, ad hoc hunc ſibi aſſumunt verſiculum: Deus in adiutorium meum intende: Domine ad adiuuandum me feſtina; alij verò hunc: Illuſtra faciem tuam ſuper ſeruum tuum, ſaluum me fac ſecundùm miſericordiam tuam. Domine, non confundar, quoniam inuocaui te: aut ſimile quiddam, vti ſpiritus ſuggerit. Verumtamen ego interim hunc præelegi, atque vtiliorem mihi arbitratus ſum: cor mundum crea in me Deus, & ſpiritum rectum innoua in viſceribus meis. Nempe quoties mente conturbor aut diſtrahor, immundáve meditor, hunc orans verſiculum, vnde elapſus ſum, quò etiam me vertere debeam, protinus audio, móxque aduerto.] Sic ille. His aut aliis ſimilibus poteris mentem vagam & mutabilem ſtabilire & in cogitatione maieſtatis diuinæ firmare, ita vt intellectum tuum Deus cognitus impleat, & affectum tuum Deus amatus perficiat. Nam ipſe eſt plenitudo & perfectio noſtra, cuius gratia conditi ſumus.

De tertio modo diuinæ præsentiæ habendæ intra nosipsos.

CAPVT IX.

Perfectissimus modus diuinæ præsentia, est Deū intra nosipsos intueri.

PERFECTISSIMVS modus diuinæ præsentiæ est, quem nunc volumus explicare; quo Deum non iam extra nos, sed in abdito cordis nostri,& in intimo spiritus nostri præsentem,& nostri curam habentem, & in nos sua bona effundentem purissimis oculis intuemur. Deum in visceribus (vt ita dicam) omnium rerum esse præsentem, & in abdito essentiæ earum habitare,antiqui etiam Philosophi licèt splendore fidei destituti censuerunt. Quare multi eorum Deum mundi animam appellarunt, B
eorum autem vox veritate non caret, si in bono sensu intelligatur. Si eam,vt sonat accipias, absurda est,qua meritò Lactantius irridet. Nam interdum, inquit, sic confundunt (Deum scilicet, & mundum) vt sit Deus ipse mens mundi,& mūdus sit corpus Dei. Quasi verò simul esse cœperint Deus & mundus, ac non ipse mundum fecerit, quod & ipsi fatentur aliàs, cùm hominum caussa prædicant esse fabricatum, & sine mundo esse, si velit, possit. Siquidem Deus est diuina & æterna mens corpore soluta & libera. In bono ergo sensu hæc sententia à vero non aberrat. Nam licèt Deus non sit anima rerum quasi pars earum,quia in nullius compositionem venit diuina simplicitas: nec C
tamquam forma, quæ materiam rerum corporearum informet. At est intimus rebus plusquam formæ earum,& intra ipsas formas & essentias latēs, & ipsis esse,& potentiam,& actum,& pulchritudinem tribuēs, Vnde sicut Deus dicitur vita animæ, quia caussa est vitæ eius,& quia eā sua gratia morte peccati eripit,& gratam, ac sibi amicam,& pulchram efficit; ita potest vocari vita totius orbis,& anima mundi,quia multo perfectius,quàm anima corpori, mundo præsidet; & caussa omnium perfectionum eius,& actionum existēs intra fundum (vt ita loquar) singularum rerum latet. Hoc Philosophi subodorati sunt, & nescio vnde ex vera religione mutuati. Inde est illud Poëtæ:

Lactant. lib. 6. 7. cap.3.

Virg. 6. Æneidos.

D

Principio,cœlum, ac terras,campósque liquentes,
Lucentémque globum Lunæ,Titaniáque astra,
Spiritus intus alit, totámque infusa per artus
Mens agitat molem,& magno se corpore miscet.

Sen. lib.5. epist.41.

Inde est illud Senecæ:Non sunt ad cœlum eleuandæ manus,neque exorandus ædituus,vt nos ad aures simulachri, quasi magis exaudiri possimus, admittat. Propè est à te Deus, tecum est, intus est. Ita dico, Lucilli,sacer intra nos spiritus sedet, malorum bonorúmque nostrorum obseruator, & custos:hic prout à nobis tractatus est,ita nos ipse tractat. Bonus vir sine Deo nemo est. Et multa alia quibus ille plusquam Philosophus cōfirmat Deum omnibus intimè esse præsentem. Hanc tamen veritatem, quam isti vtcumque cognouerunt, fides E
docet,& Ecclesia à Deo docta recepit, quod nunc consultò præterimus, quoniam alio loco tractauimus. Hinc quidam filius Ecclesiæ, vt ostenderet hanc præsentiam Dei in rebus,tum nobis,tum externis fuisse conspicuam, ex fidelibus substantiam rei, & ex antiquis Poëtis modum loquendi desumens, ita cecinit:

Mātuan. 3.Syluar.

Cuncta Deus replet, Deus est suprà, Deus infrà.
Æthereos orbes habitat, sub sole, sub aura,
Sub tellure latens, sub Dite, sub æquoris vnda
Omnia plena Deo, &c.

A
Quamuis autem Deus sit in omnibus rebus, per essentiam, præsentiam,& potentiam, speciali tamē quadam ratione est intra animas nostras,in quibus tamquam in templis vult coli & adorari. An non filius Dei formam orationis nobis præscribens sic orare docuit:Pater noster, qui es in cœlis? Quare? Nisi quia licèt Deus vbique sit,speciali tamen modo in cœlo est tamquā in regia sua,in qua seipsum amicis suis detegit, & suam beatam faciem ostendit,& amorem ac fœlicitatem impertit. Vnde in Scripturis sanctis cœlorum habitatio Deo semper ascribitur. In sole enim posuit tabernaculū suum.] Et: Qui habitat in cœlis irridebit eos.] Et: Quis sicut Deus noster,qui in altis habitat.]Et:Ad te leuaui oculos meos, qui habitas in cœlis.] Sic ergo Deus est speciali modo in animabus iustorum, tāquam in quibusdam cœlis, in quibus seipsum refert,& suam puritatem, misericordiam, & largitatem miris modis patefacit. Iccirco homines audiunt amicam vocem Pauli:Nescitis quia templum Dei estis. Templum enim Dei sanctum est, quod estis vos.] Membra vestra templum sunt Spiritus sancti.] Templum Dei nos esse dicit (inquit Ambrosius) vt Deum in nobis habitare sciamus. In templo enim suo habitet necesse est.] Et Bernardus, templa lapidea non solùm propter hæc templa viua sanctificari pronunciat,verùm & ex aperto signo Deum in nobis habitare manifestat.Licèt enim parietes hos,inquit,& dici sanctos,& esse faciat consecratio Episcoporum, frequentatio Scripturarum,instantia orationum,reliquiæ Sanctorū, visitatio Angelorum,minimè tamen eorum sanctitas propter se credēda est honorari,quos nec propter se certum est sanctificari. Quinimo sancta est propter corpora domus, corpora propter animas, animæ propter spiritum inhabitātem. Neque hinc dubitet quis, cùm inuisibilis eius gratiæ visibile nobis signum fiat in bonum. Dico autem in eo, quod & ipsi instar illius euangelici paralytici, surgitis,quod corporeum hoc grabatum,in quo iacebatis lāguidi,tam facile tollitis,quòd denique ambulatis in domum vestram. Illam sanè domum, de qua lætamini,dicentes cum Propheta: In domum Domini lætantes ibimus.] Sicut autem Bernardus huius signi meminit, ita multa alia animaduertere possumus in animis nostris, & plurimas illustrationes & mutationes in bonum quibus Deus se nostrum habitatorem exhibet.

Est Deus est rebus in omnibus per essentiā, præsentiam, & potentiā, principalius intra hominum animos esse nemo ambigit. Psal.18. 6. Psal. 2. 4. Psal.112. 5. Ps. 122. 1. 1.Cor.3. 16.17. 1.Cor.6. 19. Ambr.in 1.ad Cor. 13. Bern.ser. 4. de dedicat.eccles.

Psal.121. 2.

Est ergo hic modus præsentiæ Dei, ô frater, quòd assuescas relictis omnibus creaturis,teipsum intra te recipere, & quasi templum quoddam in intimo tui cordis construere, & te habitationem Dei cogitare,ibíque Dominum verè præsentem,& te gubernantem, & protegentem, & sustinentem intueri. Ibi sine strepitu rerum exteriorum,& imaginum visibilium quasi ad pedes Domini sedebis, eum reuerenter audies, humiliter alloqueris, ardenter diliges, amicè cum illo conuersaberis,& ad ipsum in omnibus necessitatibus & euentibus siue prosperis, siue aduersis, non aliter quàm filius ad patrem, & sponsa ad sponsum recurres. Hortatur nos Paulus ad hunc modum præsentiæ Dei cùm ad Ephesios scribens, ait: Sed implemini Spiritu sancto, loquētes vobismetipsis in Psalmis,& hymnis, & canticis spiritualibus cantantes, & psallentes in cordibus vestris Domino.] Quomodo enim in corde cantabimus nisi eum, cui laudes dicimus, in ipso corde cogitemus? Hoc est sanè munus spōsæ Christi, scilicet animæ perfectæ, quam ad hoc diuinæ præsentię genus his grauissimis verbis hor-

Deum in nobis esse conspicimus,cùm nos,quasi quædam templa ipsum habitationi construimus.

Ephes. 5. 18.

tatus

Basil. de virginit.

tatus est Basilius:Cùm enim cæteris, qui beati esse studeant,tum sponsæ Christi inprimis conuenit operationes animæ,quæ per sensus fiunt,ab exterioribus ad interiora conuertere,ac sponso in intimis thalamis vt Deo Dei verbo perpetua dilectione sociari, cum eo colloqui, & in eius die noctúque lege meditari, & his quidem quæ ad sponsum ducunt,lege scilicet,& Euangelio : & si qua his consona sponsi decorem exponunt oblectari : sanctísque intelligentiarum fœtibus, sapientem ac rationalem magis ac magis semper euadere, donec æternam sapientiam sibi penitus iungat, vnúmque cum eo cui inhæsit effecta, ex corruptibili fiat incorruptibilis,ex imperita prudens ac sapientissima, tamquam verbi cui inhæsit costa,atque (vt breuiter dicam) ex homine mortali immortalis Deus, sicut ille cui coniuncta est omnibus manifestetur. Sicut enim sponsus eius,thronos & dominationes deserens,illi ratione mortalitatis adhæsit,vt vnum cum illa misericorditer factus, sua illam gloria & immortalitate donaret; ita & ipsa ei qui sui gratia exuit principatus,ac potestates,& seipsum à forma Dei ad serui formam per nimiam amoris vim exinaniuit,immortalitatis ratione inhærere debet, vt in cœlestem quoque thalamum ad Patrem ascendenti coascendat. Propter hoc enim,inquit, relinquet homo patrem suum,& matrem,& adhærebit vxori suæ,& erunt duo in carne vna. Quod exponens, qui ad incorruptionem vitæ sponsam Christo præaptare cupiebat:Sacramentum, inquit, hoc magnum est, dico autem in Christo & in Ecclesia: neque enim ideo descendit Christus vt inhærendo sponsæ remaneret in terris,sed vt assumẽs eam atque in meliora commutans,è terris ad cœlos & ad regna æterna reueheret.] Sic ille. Et profectò anima hac intra seipsam inspectione Dei ad cœlestia prouehitur,primò quia ipsa veluti quoddam cœlum,& quædam Dei sedes per munditiam efficitur,deinde quia instar cœli illustrationum & virtutum decore vestitur:demum quia post hãc mortalitatem in cœlo inter Angelos collocatur.

B. Catharina Senẽsis intra seipsam locum quietis inuenit. Surius in vita B. Cathar. Senens.

Beatissima Catharina Senensis hanc doctrinam Basilij Christo docente assequuta est,quæ omni secreto loco interdicta,& iussu parentum exterioribus obsequiis addicta, intra seipsam locum quietis in quo Deum adoraret, inuenit. De qua hæc scribit Raimundus in eius vita:Nihil his omnibus afflictionibus permota, docente eam spiritu Dei, intra seipsam sibi fabricauit conclaue, siue secretam cellulam,vnde numquam vellet cuiuscumque rei caussa egredi. Ita factum est,vt quæ hactenus vsa illa externa cella,nonnumquam fuisset egressa foras; iam deinceps perpetuò maneret secum in cellula animi sui, quam illi eripere nemo posset, planéque cœlesti victoria triumphauit diabolo, in interiori homine, vbi Christus habitat per fidem in cordibus nostris,sibi construens spiritale domicilium. Solebat illa postea crebrò admonere Raimundum Patrem,cum negotiis externis propè obrutum videret,vt sibi tale non manu factum in pectore suo fabricaret domicilium,nec inde vnquam euagaretur. Ibi enim,vt diximus, per fidem Christus habitat in nobis,ibi regnum Dei intra nos est, ibi numquam non præstò est illi,qui dicit:Ecce sto ad ostium,& pulso : si quis audierit vocem meam, & aperuerit mihi ianuam,intrabo ad illum, & cœnabo cum illo,& ipse mecum. Hoc ergo suauissimo hospite cõtenta & freta sacra Virgo vicit diabolum,& omnes machinas eius.] Hæc ibi. O igitur fœlix cubiculum, in quo anima seipsam à tumultu rerum creatarum abscondit, & cum magna tranquillitate Deo creatori vniuersorum intendit. O spatiosum & grande conclaue, in quo nullas angustias patitur, sed in immensa quadam latitudine constituta cum illo,quem nulla capiunt spatia, delectatur. Vade populus meus, ait Dominus, intra in cubicula tua,claude ostia tua super te,abscondere modicum ad momentum, donec pertranseat indignatio.] Fuge (inquam) ad secretum cordis tui,occlude ostia cogitationum & affectionum tuarum,& omnia creata foris relinque,abscondere cum Domino Deo tuo in momento huius vitæ,vt sic aduersùs tentantes,carnem pellicientem,& sæculum perstrepens eludas. Ingredere in petram, & abscondere in fossa humo à facie timoris Domini, & à gloria maiestatis eius.] Non est semper vnus cordis status, non est vna spiritus dispositio. Iam vt lapis obduruit,iam vt fossa humus,& arator pro scissa se blandum & aptum ad suscipiendum semen diuinorum instinctuum præbuit. Sed quomodocumque sit, ingredere spiritum tuum, & ibi conuersare cum Deo tuo; sic non erit quod timeas,& multa erunt, quibus in spem & in gaudium assurgas.

Isaiæ 26. 20.

Isaiæ 2. 10.

Tribus modis Deũ intra nosipsos contemplamur. 1. Vt anima eum intra se inueniat.

Hæc præsentia Dei intra nosipsos tribus modis (vt experti docent) solet concedi perfectis. Primò ita vt anima Deum intra se inueniat, & veluti iuxta illam immensam maiestatem assideat, nó tamen in aliquam distinctam cognitionem alicuius diuinæ perfectionis ingredi sciat. Deum quidem intra se inuenit, quia sublimi quadam & certissima cognitione ad timorem, reuerentiam, & amorem excitandum, Deum intra se præsentem animaduertit,& ideo creaturas aut visibiles, aut inuisibiles,quibuscum conuersetur non requirit. At Deum ingredi nescit,sed est iuxta illum,vt qui accessit ad mare,& substitit in ora eius, illã vastitatem aquarum intuens,quia non habet cymbam, qua fluctibus se committat; aut sicut ille, qui est prope arcam ditissimum thesaurum continentem, & non est illi data clauis vt aperiat : aut sicut qui ad ianuam domus regiæ peruenit, & non est illi ad introeundum data facultas. Secundò anima non solum Deum intra se inuenit,sed secundùm aliquam perfectionem vel proprietatem altissima quadam notitia illum intelligit. Quæ non semper vna est, sed iuxta multiplicem Dei perfectionẽ multiplex est & varia. Nunc enim Deus apparet vt sapientia, nunc vt bonitas,nunc vt potentia,nunc vt iustitia, nunc vt misericordia,& sic de aliis perfectionibus. Modò apparet vt Pater, modò vt Filius, modò vt Spiritus sanctus. Et ille qui est impartibilis quasi, per partes se donat, & secundùm varias perfectiones se animæ manifestat. Ezechias nuntiis ad se missis in signum beneuolẽtiæ domum aromatum, & aurum,& argentum,& pigmenta varia,vnguenta quoque,& domum vasorum suorum, & omnia quæ haberet in thesauris suis libenter ostendit. Sic poteris considerare, quòd Deus amicis suis ad argumẽtum amoris thesauros perfectionum suarum sigillatim patefacit. Tertiò Deus quasi se totum reuelat animæ,& non confusè tantùm sicut in primo modo, sed quasi distinctè omnes suas perfectiones illi videndas proponit. Nam quemadmodum qui perfectissimã imaginem oculis obiectam habet, vno intuitu omnes faciei eius partes percipit,vt oculos, genas, & os, & cæteras huiusmodi; quia omnes vnam faciem constituunt: ita Deus tam mirabili modo animæ obiicitur, vt vno aspectu quasi totusdistinctè videatur. Primus ille mo-

2. Modo anima Deũ secundùm aliquam perfectionem intelligit.

4. Reg. 2. 13.

3. Modo Deus quasi se totũ reuelat animæ.

dus

dus est veluti primum cœlum in quo non pauci ex perfectis admittuntur. Secundus vt secundum cœlum, ad quod pauci perueniunt. Tertius vt tertium cœlum, ad cuius sublimitatem paucioribus datur accessus.

Hæc præsētia Dei nō est solum ad contēplationē dispositio, sed contēplatio perfectissima.

Licèt autem in apparatu contemplationis, huius perfectissimæ præsentiæ Dei mentionem fecerimus, sed sciendum est, eam sublimem cōtemplationem esse, neminique (vt credo) nisi post sequestratum & quietum contemplationis donum, contingere. Hìc verò eam attigimus, ne tractationem præsentiæ Dei mutilam, & semitractatā relinqueremus. Priùs ergo Dominus donum contemplationis animæ tribuit, & se illi quasi contrectādum ostendit. Ex hoc autem lauto conuiuio, quod in loco quieto & à tumultibus elongato celebratur, dicta præsentia Dei ad modum reliquiarum remanet, quibus anima perpetuò lætetur. Et hęc quidem sicut intellectum oblectat, & à superflua creaturarum recordatione nudat, ita voluntatem mirum in modum tranquillat, & diuino amore inflammat, & tanta libertate in actionibus cumulat, vt idem sit homini in solitudine aut in foro: in conspectu viliſſimorum hominum, cuius nulla habetur ratio, aut in conspectu Regum & Principum operari. Nam coram illo summo Deo, quem anima, veluti experientia quadam clariſſima, fidem tamen non excludente, videt, nullum est eremi, & fori; plebeiorum, Principúmve discrimen. Hanc etiam diuinam præsentiam ad gloriam Dei, etsi nobis expedit, desiderare quidem & humiliter post multos labores pro assequutione perfectionis susceptos postulare possumus, sed eam conatu atque industria nostra habere nequimus. Est enim donum merè supernaturale, sicut raptus, & ecstasis, & alia huiusmodi. Vnde quemadmodum homo nullis conatibus potest se in raptu aut in ecstasi ponere, nisi à potentiori virtute suspendatur, ita non potest ad hūc gradum præsentiæ diuinæ conscendere, nisi ab eadem virtute in eo collocetur. Beatus ille, cui tantum bonum donatum est, quod absque dubio non erit solùm, sed virtutes perfectissimas & mentis puritatem non cómunem afferet, & hominem quasi in cœlis viuentem efficiet. Nobis tamen illud vtiliſſimum est, ad communem Dei præsentiam aspirare, ad eam assequendam cum diuina gratia conari, & appositis mediis hoc bonum, vt valuerimus, apprehendere. Hac enim in omni virtute proficiemus, & à multis peccatis & defectibus eripiemur. Quæ etiam ad contemplationem nos præparat, & ad illam sublimem Dei præsentiam vocat; quam Dominus, qui desideriorum & postulationum, & laborum nostrorum est conditor, si ad gradum virtutis, ad quem vocati sumus, conferet, nostri misertus aliquando concedet.

Hæc præsētia Dei donum ipsius est.

De mediis, quibus cum auxilio gratiæ diuinam præsentiam assequemur.

CAPVT X.

Præsentia Dei ex se facilis, sed ad nos cōparata difficillima inuenitur.

PRÆSENTIA diuina per se considerata nihil facilius, ad nos verò comparata nihil difficilius inuenitur. Est quidem præsentia Dei per se facilis: nam quid quæso facilius quàm cōsiderare id quod vbique est, & in quolibet loco nos sustinet, & benigniſſimè opem præbet. Iouis omnia plena, dixit ille; & si de Deo dixit, veriſſimè dixit: quoniam siue in cœlum ascenderimus, siue in profundum descenderimus, siue in extremis maris habitauerimus, ibi eum nos sustentantem, nobísque benefacientem reperiemus. Eius immensitatem sic egregiè describit magnus Gregorius: Sic itaque exteriora circumdat, vt interiora impleat; sic interiora implet, vt exteriora circumdet: sic summa regit, vt ima non deserat: sic imis præsens est, vt à superioribus non recedat: sic latet in sua specie, vt tamen cognoscatur in operatione: sic cognoscitur in suo opere, vt tamen comprehendi non valeat à cognoscentis æstimatione: sic adest, vt videri nequeat: sic videri non valet, vt tamē eius præsentiam ipsa sua iudicia testentur.] Sic ille. Quis non facile illum consideret, à quo & si velit, numquam recedit, cuius beneficia & dona non effugit, à quo nisi sustineatur & conseruetur, peribit.

Greg. 16. mor. c. 3.

Facile est intueri lucem quæ vbique se oculis ingerit, sed Deus lux est splendidiſſima quæ animo purgato statim se offert. Vnde Ambrosius ait: Omnis enim qui lucem fugit, diligit tenebras, studēs latere: cùm Deum latere non possit, qui intra profundum abyssi, & intra hominum mentes, non solùm tractata, sed etiam voluenda cognoscit. Denique & ille qui dicit in Ecclesiastico: Quis videt me? & tenebræ cooperiunt me, & parietes, quem vereor? Quamuis in lecto suo positus hæc cogitet, vbi non putauerit, comprehenditur. Et erit, inquit, dedecus, quod nō intellexerit timorem Dei. Quid autem tam stolidum quàm putare, quòd Deum quicquam prætereat: cùm sol qui minister luminis est, etiam abdita penetret, & in fundamēta domus vel secreta conclauia vis caloris eius irrumpat? Quis neget verna temperie tepefieri interiora terrarum, quas glacies hyberna constrinxerit? Norunt ergo arborū occulta vim caloris vel frigoris, adeò vt radices arborum aut vrantur frigore, aut fotu Solis vireſcant. Denique vbi clementia cœli arriserit, varios terra se fundit in fructus. Si igitur radius Solis fundit lumen suum super omnem terram, & in ea quæ clausa sunt se inserit, nec vectibus ferreis, aut grauium valuarum obicibus, quominus penetret, impeditur: quomodo non potest intelligibilis Dei splendor in cogitationes hominū, & corda semet (quæ ipse creauit) inserere?] Hæc Ambrosius. Ille quidem se inserit, & nos aliò aspicientes ad se inspiciendum inuitare non cessat. Sumus tamen pueris insipientiores, aut rusticis hominibus rudiores, qui in hac Dei regia (quæ nō est alia quàm totus orbis) ad vilia & inania attendimus, & ipsum Regem præsentem, & nobis benefacientem præterimus. Id autem non mirum esset, si Rex hic in vno aliquo tantùm loco, more Regum terrenorum existeret: at cùm nullum sit angulum, nullum punctum huius palatij eius, in quo non glorioſus & venerandus assideat, quomodo non reprehensibiles erimus si à tanta maiestate oculos auertamus. Cùm res corporeas intuemur, oculi nostri priùs in lucem res ipsas ambientem & illustrantem incurrunt, quæ & visibilior est, luminibúsque propinquior, & ideo lux est aspectu facillima. Quanto visibilior seu intelligibilior per se erit Deus, qui est ipsum ens & caussa omnium entium, & non solùm omnia circumdat, verùm & in vniuersa penetrat, & se per tot effectus ostentat?

Nota.

Ambros. lib. 1. officiorum, c. 14.

Deus se inspiciendum obiicit, etiā renuentibus.

Supereſt ergo vt si aspicere Deum præsentem, quod secundùm se est facillimum, nobis sit difficile, id ex nostræ naturæ corruptione nascatur. Et verè ita est. Hæc enim post peccatum ad visibilia

Difficultas ex nostræ naturæ corruptione nascitur.

& vilia propenſa,in illud oculos mentis figit,quod impense diligit : & quod non amat, aut non multum amat, licet in proſpectu ſit, non aduertit : & quemadmodum puer,cui ludus pilæ, aut globulorum ligneorum placet, & ſtudium litterarum diſplicet,nihil magis cogitat quàm ludum,in quo totus eſt , & nihil minus quàm ſtudium, à quo penitus auerſus eſt. Ita homo ſtultitia puer factus Deũ cogitatione nõ quærit,& rebus viſibilibus,ad quas amore raptatur,intendit. Oritur quoque iſta difficultas ex imaginationis infirmitate, quæ corporea & ſibi cognata libentiùs cogitat, ad ſpiritualia verò ſe non leuat. Quamuis autem illi nõ vnum aliquid,ſed multa bona & vtilia cogitanda proponamus,hęc quaſi moleſta vincula rumpit,& per inania diſcurrit. Si verò multis cibis cœleſtibus ſibi oblatis, in cogitatione eorum occupari non ſuſtinet,quanto minus circa vnum ſpiritualiſſimũ obiectum qualis eſt Deus ſub forma lucis aut ignis occupari ſuſtinebit.Hæc autem garrula & vaga intellectum poſt ſe trahit, in his præſertim, qui necdum ex dono Dei ab imaginatione abſtrahuntur, & Deum ſpectare non ſinit. Prouenit etiã ex praua conſuetudine,quam à pueritiis imbuimus:nam per inepta & ſæcularia & corpori iucunda vagari aſſueti ſumus. Diuerſorium in quo nebulones & perduelliones ingreſſi ſunt , Principem tranſeuntem , & in eo quieſcere volentem non recipit, & imaginatio quam cogitationes rerum ſæcularium occuparunt,Deum bona ſerentem non admittit.

Et ex imaginationis infirmitate.

Et à praua cõſuetudine per inepta vagandi.

Et ex præterita in vitiis cõuerſatione.

Hanc denique difficultatem in quibuſdam auget præterita conuerſatio vitiis peccatíſque ſubiecta,& mundi curis addicta. Iſti enim,cùm in Ægypto vixerint, & ſe catenis eius vinciri pertulerint, vt ad pacem & ad ſpiritualem Hieroſolymam veniant, in qua habitat Deus , multum debent laborare. Si funiculus triplex difficile rumpitur, funiculus quadruplex quatuor iſtorum impedimentotũ difficiliùs diſſipabitur. Neceſſe eſt ergo remedia quærere , quibus hanc difficultatem multiplicem diuinæ præſentiæ habendæ vincamus. Hæc autem quæ ſubiicimus viſa ſunt ad id quod quærimus vtiliſſima.

1. *Remediũ ad hanc vincendã difficultatem eſt mẽtis puritas.*

Tu ergo, ô homo Dei, qui hanc gemmam pretioſiſſimam diuinæ præſentiæ obtinere concupiſcis,aſſequendæ magnæ puritati tui cordis incumbito. Sol luminis ſui radium in ſpeculum terſum ex diametro ſibi obiectũ effundit,& Deus in animam mundam,& peccatis ac vitiis, & paſſionum ac cogitationũ exceſſibus liberam ſui memoriam tranquillam immittit. Quæres itaque munditiam, & vinculo imperfectionum abrumpes, vt ſuauiter in Deum recordatione feraris.

2. *Amor diuinus.*

Amorem Domini per aſſiduas aſpirationes , & per bona opera augere curato. Quia amor oculum mentis ita afficit , vt alium quàm amatum videre non libeat. Longo experimento didiciſti,quia de his , quæ amas , libenter cogitas ; dilige itaque Deum & abſque vlla difficultate de eo cogitabis.

Richard.

Vnde Richardus Victorinus ait: Caſtus profectò columbinúſque oculus amor eſt, qui in rebus humano vſui conceſſis nulla libidine figitur , ſed in tranſitoriis contemplatur æternum. Iſte eſt oculus qui non clauditur,quia carnalitatis palpebra caret: nullo iniecto turbatur , quia nihil admittit forinſecus:nulla cæcatur caligine,quia tenebræ in eo nõ ſunt vllæ:nullo grauatur ſopore,ipſo teſte, qui ait: Ego dormio,& cor meum vigilat : Oculus rectus, oculus verè dexter, quem nulla ſeorſum auertit ſiniſtra intentio,nulla deorſum inflectit terrena affectio. Oculus verè ſimplex & prudens,quem nulla concutit incerta ſuſpicio , nulla detinet curioſa ſollicitudo , illum inceſſabiliter intuens , in quem Angeli proſpicere deſiderant. Proſequitur autem citans Auguſtinum , & dicens : Amor enim vehemens (vt ait beatus Auguſtinus) non poteſt non videre quem amat, quia amor oculus eſt,& amare videre eſt. Hoc oculo ſe vulnerari fatetur, qui ait: Vulneraſti me in vno oculorum tuorum. Duos nempe oculos habet anima. Vnum quo intelligit, & alium quo requirit illum qui reſpicit ſuper filios hominum , vt videat ſi eſt intelligens , aut requirens Deum. Et horum duorum dexter oculus eſt amor qui requirendo vulnerat,&c. Hic itaque amoris oculus ſatis attentus eſt,vt amatum videat: quare qui Deum ſemper aſpicere auet, illius amorem augere contendat.

3. *Vera humilitas.*

Teipſum per veram humilitatem deiicito , & tuiipſius memoriam à proprio amore profectam expellito. Deus enim humilia reſpicit; ſi autem ipſe te reſpicit benignis oculis ſuis, vt in eum reſpicias, faciet. Et cùm nemo duobus dominis ſeruire poſſit, fit vt memoria tua,vt Deo per recordationem aſſiduam ſeruiat,neceſſe ſit vt ab immoderata cura tuiipſius ſe ſubtrahat. Memor ero tui, ait Dauid,de terra Iordanis,& Hermonij à monte modico.] Nam & in humiliatione & abnegatione ſuiipſius vnuſquiſque Dei fructuosè reminiſcitur. Ac ideo Gregorius prædictum locum ſic ad hunc ſenſum trahit:Iordanis quippe, vt dixi , deſcenſio: Hermonij autem anathema,id eſt, alienatio interpretatur.De terra igitur Iordanis & Hermonij Deo reminiſcitur , qui in eo quod ſemetipſum deiicit, atque à ſe alienus exiſtit,ad conditoris ſui memoriam reuocatur.] Te ergo in infimo loco conſtitue,& obliuiſcere temetipſum,& populum tuum, ac domum patris tui, vt ſummus Rex tuum decorem concupiſcat,& te iugiter in ſuum conſpectum admittat. Ideo enim reiicimur,& per exteriora vagari permittimur , quia honoris mundani deſideriorum , & noſtri ipſorum pleni ſumus. Quòd ſi nos euacuaremus , Deus hunc pretioſum ſuæ præſentiæ liquorem in noſtris cordibus cuſtodiret.

Pſal.41. 7.

Gregor. lib. 33. mor.c.6.

4. *Excitatio diligens ſuiipſius.*

Diligenter te ad hoc exercitium diuinæ præſentiæ excitabis. Nam ſine diſcreta ſolicitudine nihil magnum & arduum efficitur. Eſt autem diuina præſentia res magna & ardua. Magna ex qua tot ac tanta bona profluunt:ardua cui tanta impedimenta ex parte noſtræ imbecillitatis obſiſtunt.Audi, quid de hac re ſapienter ſcribat Ioannes Ruſbrochius : Sicut enim is qui ſcribendi ſcientiam cupit adipiſci, magnam initio diligentiam adhibere , ſedulóque aduertere pingentis manum , & in ipſo ſeſe ſcriptionis exercere ſtudio,ſæpiúſque magno labore litterarum ſibi imagines imprimere cogitur : & quamuis in initio perquam difficile & pæne impoſſibile ipſi videatur,vt poſſit eam artem adipiſci, ſi tamen ſæpius exercitare ſe velit:deinde à diligentiori attentione & litterarum imaginibus abſolutus faciliter litteras pingit,quod ſimiliter in aliis artibus atque ſcientiis ita ſe habet.Ita & Deus per continua exercitia in homine fixè ſtabilitérque præſens fieri debet. Ipſe namque adeò nos vbique & ſemper mouet, admonétque , vt ſi illius ſaltem curam haberemus , nec ad alia plus ſatis eſſemus effuſi , ipſum vtique vbique in omni re , loco & tempore præſentem haberemus, in nobis ſentiremus, imaginis ſuæ forma transformaremur, & in ipſo vncti ac (vt ita dicam) habituati eſſemus, adeò vt citra difficultatem nullóque negotio , &

Ruebroc. lib. 6. de præcipuis quibuſdã virt. c.6.

abſque

abſque alia quauis imagine eius nos amabilis omni in re, loco & opere poſſideret præſentia, nóſque pro ordinata in Deum propenſione prorſus liberi atque expediti maneremus. Quiſquis autem ad iſta volet pertingere, diligens ſit oportet. Deúmque magna cum diligentia obſeruet, eidémque obſeruationi faciat ſatis, nihil cum amore inordinato, ſed omnia purè ad Dei honorem poſſideat, nec aliqua demum inutilia, vana, friuola, ſciens ac volens tractet, agátve.] Hæc ille. Hanc autem diligentiã pariet æſtimatio præſentiæ Dei:] nam quæ æſtimamus, diligenter inquirimus. Quid verò æſtimationem huius exercitij & amorem excitabit, niſi attenta conſideratio eorum quæ dicta ſunt. Æſtimamus vtilia? Ecce rem ad vitam ſpiritualem vtiliſſimam. Deſideramus iucunda? Ecce rem iucundiſſimam. Amamus honeſta? Ecce opus honeſtiſſimum. Hæc cogita, & dices: Nomen tuum & memoriale tuum in deſiderio animæ. Anima mea deſiderauit te in nocte huius vitæ, ſed & ſpiritu meo in præcordiis meis, de mane vigilabo ad te.] *Iſaiæ 26. 8.*

5. Aſſidua & humilis poſtulatio.

Ea tandem conferent ad obtinendam diuinam præſentiam, quæ facile ad vſum proponi ſolent. Ea autem ſunt, vt hoc donum humiliter & aſſiduè poſtulemus à Domino, qui petẽtibus tribuit, quærentibus ſe, vt inueniatur oſtendit, & pulſantibus ianuam aperit. Vt annulo aut certè filo ad digitum conſtricto nos ad attendendum Deo moneamus. Vt horologij vel alterius campanæ pulſu, vel imaginibus in cella ac in domo propoſitis, vel aliis ſignis huiuſmodi ad hoc ſtudium iuuemur. Vt frequenter aſpirationibus, ſeu orationibus iaculatoriis vtamur. Vtque examine ſuper hac re facto cordis diſperſiones procul amandemus. Perſeuerantiæ tamen magna ratio habenda eſt, ſine qua nihil, non dico magnum, ſed neque paruum conſequimur. Perſeueremus ergo, & millies diſtracti millies ad Deum redeamus: millies rupto filo, & tela ſucciſſa, millies eam reſarcire, & ad priſtinum laborem remeare curemus. Nam qui perſeuerauerit vſque in finem à ſuis diſtractionibus ſaluus erit, & poſt bellum pace gaudebit, & poſt pugnam cum ſuis cogitationibus victoriam & benedictionem comparabit. Quam concedat nobis omnipotens Dominus. Amen.

Alicuius ſigni externi vſus.

Iaculatoriarum aſſiduitas. Examen diligens. Perſeuerantia.

APPARATVS III.

Continuatio Oratio.

De ſenſu illorum verborum: Oportet ſemper orare, & non deficere.

CAPVT I.

Cõtinua oratio eſt præſentia diuina.

CONTINVA oratio non ſecernitur ab aſſiduitate diuinæ præſentię, quam hactenus expoſuimus. Hæc namque non eſt arida memoria Dei intellectu concepta, ſed pinguis quædam recordatio ipſius amoris, & aliarum virtutum affectibus decorata, quam ab oratione non diſtingui certum eſt in eo ſenſu, quo de oratione loquimur, quam non ſtrictè pro poſtulatione, ſed pro quacumque mentis eleuatione in Deum accipimus. Fuit tamen ſeorſum de continua oratione tractandum, tum vt ad quam iugem Dei memoriam & familiaritatem ſit aſpirandum intelligamus, tum vt varios modos orationis, quibus proximè ad contemplationem diſponimur, explicemus. Nam ſi ſemper orare in quodam ſenſu (vt dicitur) eſt, ſtatis diei horis per totam vitam in oratione perſeuerare, non eſt ab hac tractatione alienum, videre, in quo orationis genere iſtæ horæ, in quibus à rebus extetioribus ſecedimus, collocandæ ſint, vt ad contemplationem præparemur.

Multis ſacræ Scripturæ locis perpetuitas orationis nobis indicitur. Dominus ait: Quoniam oportet ſemper orare, & non deficere.] Et Paulus: Sine intermiſſione orate.] Et Eccleſiaſticus: Non impediaris orare ſemper.] Et Iſaias: Tota die, & tota nocte in perpetuum non tacebunt. Qui reminiſcimini Domini, ne taceatis, & ne detis ſilentium ei, donec ſtabiliat, & donec ponat Hieruſalem laudem in terra.] Et Dauid de viro iuſto: In lege Domini voluntas eius, & in lege eius meditabitur die ac nocte.] Difficile tamen eſt intelligere, quánam ratione poſſimus ſemper orare. An non dormiendum eſt? Sed dum dormimus, orare non poſſumus. An non comedendum, & pro cibo adquirendo laborandum, præſertim cùm Paulus dixerit: Qui nõ laborat, non manducet? Sed plurimi cùm edunt, & labori manuum inſiſtũt, orationem difficilem, immo inacceſſibilem iudicant. An non etiam quieſcendum eſt aliquãdo, & capitis imbecillitati conſulendum? Quomodo ergo tunc orabimus, cùm ex diſcretione, ne caput ineptum ad exercitia interiora reddatur, ab oratione ceſſamus? *Luc. 18. 1. 1. Theſſ. 5. 16. Eccli. 18. 22. Iſaiæ 62. 6. Pſal. 1, 2.*

Huius ſententiæ Domini non pauci ſenſus occurrunt, omnes quidem veri, ſed non omnes qui litteræ, aut plano textui cõueniant. In primis, cùm Chriſtus Saluator noſter Eccleſiæ Doctor fuerit, ſecundùm illud: Non faciet auolare à te vltrà Doctorem tuum: & erunt oculi tui vidẽtes præceptorem tuum.] Et iterum: Dedit vobis Doctorem iuſtitiæ.] Ac rurſus: Nolite vocari Rabbi, vnus eſt enim magiſter veſter:] cúmque omnia quæ docuit, non vni aut alteri tantùm, ſed omni Eccleſiæ denuntiauerit, poſſumus cogitare quòd hoc mandatum non ſingulis hominibus, ſed toti Eccleſiæ propoſuerit, ipſique dixerit, vt ſemper oret, & nũquam deficiat. Illa autem vt ſponſo ſuo obedientiſſima propriiſſimè, & in toto rigore ſemper orat, & nec ad momẽtum ab oratione ceſſat. Quoniam cùm ſit toto orbe diffuſa, & quando in vno loco eſt nox, in alio ſit dies, & cùm hîc verbi gratia in Peruenſi regno eſt hora quieſcendi, in alio, vt in Hiſpania eſt hora Miſſas celebrandi, fit vt nullum ſit tempus, in quo per aliquos ſancta Eccleſia non oret, & ſuum Deum multorum ore, & corde non interpellit. Vnde ſi quamdiu ignis domum vaſtat, ſemper clamandum eſt, quouſque extinguatur incendium: & ſi quamdiu durat prælium vociferandum eſt, quouſque victoria obtineatur, meritò Eccleſia ſemper orationibus clamat, quæ in filiis ſuis ignem cupiditatis accendi, & prælium ſiue à dæmonibus, ſiue ab hæreticis, ſiue ab iniquis, ſibi imminere, animaduertit. Hic ſenſus plauſibilis fortè alicui eſſe videbitur. Sed quia Dominus non tantùm eſt Doctor Eccleſiæ in generali, ſed Doctor quoque ſingulorum, quibuſcum, vt conſtat ex ſubiuncta parabola, loquebatur, videndum eſt, quomodo ſinguli homines poſſint ſemper orare, & numquam ab oratione deficere. *Iſaiæ 30. 20. Ioël. 2. 23. Matth. 23. 8.*

Præcepti dominici rectè ab Eccleſia ſeruatur.

Poteſt igitur homo ſemper orare ſi non opere, at deſiderio. Ita nimirum, vt deſiderium habeat, ſi poſſet, ſemper orandi, & numquam à ſanctis conſiderationibus, & diuinis colloquiis deſiſtendi. Si

Poteſt homo ſemper orare, deſiderio ſaltem.

enim

enim in malis, qui mulierem concupiſcit, iam mœchatus eſt eam in corde ſuo, cur in bonis deſiderium pro facto non reputetur, & deſiderium habens ſemper orandi, cur non ſemper orare cenſeatur? Auguſtinus illud Pauli, ſine intermiſſione orate, ſic explicat: Sine intermiſſione orate, quid eſt aliud, quàm beatam vitam, quæ nulla niſi æterna eſt, ab eo qui eam ſolus dare poteſt, ſine intermiſſione deſiderare? Semper ergo hanc à Domino deſideremus, & oramus ſemper.] At ſicut difficile, immo impoſſibile eſt, non interrumpere orationem, ita impoſſibile eſt non interrumpere, ſaltem ſomno, vitæ æternæ deſiderium. Si verò deſiderium ipſum ſuper orationem continuam feratur, & ea ardenter deſideretur, & quoad fieri poſſit continuetur, huic mandato Domini factum videtur ſatis. Hoc enim deſiderium Dominus perinde atque orationem exaudit, ſecundùm illud Dauidis: Deſiderium pauperum exaudiuit Dominus; præparationem cordis eorum audiuit auris tua.] Præparatio cordis nihil aliud quàm firmum propoſitum cordis eſt, quod loco orationis ſubſtituitur, dum per illud quaſi per orationem aliquid impetratur. Cùm verò Dominus non de orationis deſiderio, ſed de actu loquutus ſit, vt conſtat de exemplo ſubiuncto viduæ, quæ iudicem importunè & moleſtè interpellabat, alius adhuc ſenſus quærendus eſt, qui magis intellectui ſatisfaciat.

Auguſt. epiſt. 121. ad Probam. c. 9.

Pſal. 9. 17.

Ille ſemper orat, qui ſemper bene operatur.

Ille ergo exiſtimatur ſemper orare, qui numquam deſinit bene operari. Nam Deus non ſolùm ad voces & conceptiones iuſtorum, verumetiam multo magis ad actiones attendit, quas ex virtute & mentis pura intentione profectas non minus quàm precationes exaudit. Sunt quoque bona opera velut cauſſæ orationis, quibus ad orationem paramur. Sunt & effectus orationis, nam gratiam ad bene operandum oratione conſequimur. Vnde illa oratio continua eſt, quæ in ſeipſa vel in cauſſa ſua, vel in effectu numquam deeſt. Hunc ſenſum aſſequutus eſt Beda, quin & Baſilius ſic ſcribens: Sanè ad eum modum indiuulsè & continenter oraueris, non quidem ſi verbis modò orationem expleueris tuam: verùm vbi omnis prorſus vitæ tuæ ratio atque inſtitutum diuinæ te conformarit voluntati, ſic vt vita ipſa dici & eſſe promereatur continens quædam, & indiuulſa oratio.] Profectò eleemoſyna pro nobis orare dicitur in Eccleſiaſtico. Conclude eleemoſynam in corde pauperis, & hæc pro te exorabit ab omni malo, id eſt, rogabit Dominum vt libereris ab omni malo. Charitas etiam ſecundùm Bernardum pro nobis clamat, quatenus omnia ad diuinam gloriam ordinat. Ac proinde idem de operibus aliarum virtutum dici poteſt, quæ vim orationis habent, & pro nobis exorant. Quamobrem ſi ſemper bene operamur, ſemper etiam & ſine intermiſſione orare dicemur.

Beda ibi. Baſil. orat. 5. in martyrem Iulittam.

Eccli. 29. 15.

Bernard. ad fratres de monte Dei.

Prædicti ſenſus latiſſimè orationis nomen pro orandi deſiderio, aut pro fructu eius, quod eſt bonum opus, accipiunt. Sed Dominus de ipſo orationis actu loquutus videtur, ita nimirum, vt numquam à precatione, aut à mentis in Deum eleuatione deſiſtamus. Quidam ergo illud ſemper modo humano & conſueto intelligunt, ſecundùm quem illud ſemper fieri dicitur, quod conſuetis temporibus non omittitur. Quare & dicimur ſemper comedere & dormire, ſi quottidie conſuetis temporibus comedamus & dormiamus, & ſemper operibus exterioribus vacare, ſi

Ille ſemper orat, qui conſuetis horis orat.

A horis ad id ſtatutis ab his operibus non nos ſubtrahamus, ſic dicendum eſt eum ſemper orare, ait Beda, & non deficere, qui canonicis horis, quottidie iuxta ritum eccleſiaſticæ traditionis, pſalmodiis, precibúſque conſuetis Dominum laudare & rogare non deſiſtit. Et hoc eſſe quod Pſalmiſta dicebat: Benedicam Dominum in omni tempore, ſemper laus eius in ore meo.] Et quidem iuxta hunc ſenſum nemo eſt qui mandatum hoc facile non poſſit implere; quia omnes poſſunt pro ratione ſui ſtatus certis horis aut temporibus Dominum exorare.

Beda ſuprà.

Pſal. 33. 2.

B Alij hoc dictum per quamdam hyperbolem intelligunt, qua ſignificata ſit orationis inſtantia. Vt eſt illud: Neſciat ſiniſtra tua, quid faciat dextera tua.] Et illud: Facilius eſt camelum per foramen acus tranſire, quàm diuitem intrare in Regnum cœlorum.] Et item & illud: Erant autem in Ieruſalem habitantes viri religioſi ex omni natione, quæ ſub cœlo eſt.] Sicut enim hæc dicta ſunt augendę & exaggerandę rei gratia, ita dictum eſt, quòd ſemper oremus, vt aſſiduè, quantum ſtatus cuiuſque tulerit, orationibus inſiſtamus. Frequenter occurrunt præcepta Dei & Eccleſiæ, quæ ſeruemus: frequenter auxilia Domini ad ea ſeruanda petamus. Nam qui conſeruat legem multiplicat ſaltem oris & cordis oblationem. Semper gratia ad ſanctè viuendum indigemus: ergo aſſiduè eam orationibus obtineamus, & ad attrahendum ſpiritum Domini os aperiamus. Sæpius tentamur, & dæmonis aſtus ſentimus, ſæpius etiam orationis munimine circumdemur. Subinde nos peccati fomes inquietat, paſſim quoque illi eleuatio ad cœleſtia noſtræ mentis obſiſtat. Et ſi miſeriæ noſtræ ſunt multæ, multa ſimiliter & aſſidua ſit oratio, quæ diuinam miſericordiam imploret.

Hyperbolicè dictũ putant aliqui, oportet sẽper orare, &c. Matth. 6 3. Matth. 19. 24. Act. 2. 5.

Eccli. 35. 1.

C

Alij demum ſenſum litteralem & proprium horum verborum attigerunt, putantes hoc loco non tam quodlibet genus orationis, quàm petitionem fuiſſe commendatam. Dictúmque eſſe ei qui aliquod donum à Deo obtinere cupit, vt peccatorum remiſſionem, virtutis alicuius adeptionem, auxilia efficacia ad perfectionem, vel aliquid huiuſmodi, vt ſemper poſtulet, id eſt, non deſpondeat animum, nec petitionem deſerat, ſed bis, & ter, & centies, & millies petat, donec donum illud, quo ſe indignum ſentit obtineat. Itaque ſemper, aut ſine intermiſſione orare non eſt, nullo momento ab oratione ceſſare, ſed hodie & cras, & ſingulis diebus, aut ſemel, aut multoties pro bono, cuius ſumus inopes, orationem fundere. Sicut in curia Regis ille dicitur ſemper dignitatem aliquam, aut inſigne nobilitatis ambiuiſſe, & poſtulaſſe, qui per tres, aut plures annos à curia non diſceſſit, & quoties potuit, dignitatem illam poſtulauit, donec tandem obtinuit. Hunc autem fuiſſe ſenſum à Saluatore intentum patefacit ſubiuncta ſimilitudo viduæ ſemper orantis iudicem. Quæ non introducitur ſemper orans, quaſi nullo momento ab oratione ceſſans, ſed quia ſæpe per multum tempus ad iudicem veniebat rogans, vt liberaret eam ab aduerſario ſuo. Et ab hac importunitate non deſtitit, quouſque iudex, vt ſe moleſtiis expediret, ab aduerſario vindicauit. Ita & nos ſi à peccatis & vitiis volumus eripi, ſi humilitatem, ſi charitatem, ſi donum orationis, ſi aliquid huiuſmodi volumus adipiſci,

Alij putant petitionem nobis aſſiduam commendari.

D

E

non desperemus, si post aliquod tempus in postulatione consumtum nondum donum accepimus; sed instemus, & iterum atque iterum postulemus, donec rem desideratam assequamur. Ille enim, qui non est malus iudex, sed optimus pater, non vt se nostra molestia eximat, sed vt suam bonitatem ostendat, aliquando tandem nostri miseretus postulata concedat.

De sublimiori sensu eorumdem verborum: Oportet semper orare.

CAPVT II.

QVAMVIS hæc ita sint, tamen illa verba Domini sensum habent magis reconditum, magisque sublimem qui ad sitientes perfectionem spectat, & viam ad contemplationem parat. Secundùm quem oratio non pro sola postulatione decentium, sed pro diuina præsentia, & pro quacumque mentis in Deum elcuatione accipitur, siue fiat per desideria virtutum, siue per charitatis affectus, siue per gratiarum actiones, siue per laudes, aut quolibet alio modo: & semper, non pro physica continuatione temporis (vt dicitur) sed pro morali desumitur. Vnde intellectus est, quòd in quocumque loco & tempore, in quocumque opere & ministerio, siue soli siue aliis associati, siue alacres siue tristes, siue sani siue ægroti, Deo per actualem memoriam præsentes simus, & cor sursum ad illum habeamus. Hoc est opus perfectorum, de quo in Domino gloriabatur Philoromus Presbyter apud Palladium, cuius hæc fuit vox: Non memini me vmquam animo à Deo meo recessisse. Ita illi nituntur quantum possunt, nec ad momentum à Deo cogitatione recedere. Quòd si aliquando emergentibus huius vitæ necessitatibus, aut solicitudinibus ad modicum Dei obliuiscantur, non propterea mandatum prætereunt; quod non tam opus à nobis faciendum, quàm finem quò sit properandum præscribit. Est enim hoc mandatum Domini secundùm istum intellectum acceptum simile præcepto dilectionis, quo dicitur: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & in tota anima tua, & in tota mente tua. Nam sicut hoc præcepto id solum nobis iniunctum est, vt Deum quantum possumus diligamus, & ad amoris perfectionem aspiremus. Ita mandato perpetuæ orationis iniungitur, vt quantum potuerimus Dei recordemur, & ad perpetuam eius memoriam, & colloquia cum illo habenda contendamus.

Hanc esse perfectorum orationem Laurentius Iustinianus sic ait: Veris oratoribus, & diu in spiritu exercitatis omnis locus, & omne tempus congruet orationi. Pusillis autem & lacte nutriendis locus & tempus habile accommodandum est.] Illi corda sua altaria Domino consecrarunt, in quibus iuxta præceptum Domini ignis charitatis semper ardebit. Quem semper aliis ac aliis affectibus nutriunt, ne si orationis materia defuerit extinguatur. Pane cœlesti auxiliorum diuinorum egent, vt sine intermissione (quod in votis habent) spiritu crescant. Quare donec hodie cognominatur, id est, semper illum, aut postulare, aut optare, aut promereri non cessant. Singulis momentis noua beneficia recipiunt: ideo conantur in omnibus quæ sibi accidunt, tum prosperis, tum aduersis, iuxta verbum Apostoli, gratias agere, & perpetuitate amoris & bonis desideriis donis acceptis respondere. Semper periculis peccatorum, aut saltem imperfectionum cinguntur, ideo intellectu & affectu quasi duabus alis sursum tendunt, vt laqueos euadant. Implétque illud: Vigilate itaque, omni tempore orantes, vt digni habeamini fugere ista omnia. Eorum studium est virtutem omnem augere, puritatem mentis prouehere, Deo magis ac magis copulari. Quia verò ad hunc finem assequendum oratio est optimum instrumentum, idcirco ei semper instare decernunt. Ad hoc ergo corporis curam gerunt, illíque cibum & somnum ministrant, vt orent; & in mediis occupationibus & externis operibus cum Deo interiùs colloquuntur, & manus in opere, cor verò in oratione habent. Ita litteris student, & docent, & prædicant, vt aliquid attentionis à Deo non subtrahant, & sicut illi, qui coram Rege scribunt, aut loquuntur, simul ad id quod faciunt, & dicunt, & ad Regem attendunt, ita & ipsi in studiis & concertationibus litterariis, & in concionibus ad populum habitis, & in aliis huiusmodi Domini non obliuiscuntur. Inde prouenit, non solùm vt his ministeriis ipsi non omnino distrahantur, verùm vt ea cum maximo proximorum emolumento faciant, & astantes modestia & grauitate mirum in modum ædificent. Tandem in tantum solet hoc orandi studium occupare, vt in somnis etiam Deum cogitent, & verba amoris in ipsum eiaculentur. Et quia legem amoris perfectè custodiunt, quæ amatum obliuioni tradi non patitur, vim illius verbi Salomonis experiuntur. Si dormieris non timebis; quiescesque, & suauis erit somnus tuus. Quis enim timebit potentissimum Dominum secum in lecto sentiens, se ad purissimum amorem prouocantem, & ab omni impuritate protegentem? Et quis somnus isto suauior? aut quæ quies ista iucundior, in qua amoris diuini non intermittuntur amplexus?

Conaberis ergo, ô vir Dei, qui doni contemplationis es cupidus, in omni loco orare; id est, siue in cella, siue in foro, aut in quocumque loco fueris oculos mentis ad Deum leuare, & cum eo reuerenter colloquium familiare conferre. In omni loco oculi Domini contemplantur bonos & malos, bonos vt diligant, & præmio afficiant; malos vt auersentur, & puniant. Si tu ex bonis es, in omni loco diligeris, quare in eodem loco orando & diligendo pro tua possibilitate vicem rependes. Nescies quando veniet, inquit Ephrem, qui animam tuam est repetiturus, ne expectes diem Dominicum aut festum, locíve differentiam. Sed, vt inquit Propheta Dauid, in omni loco dominationis. Siue igitur in Ecclesia fueris, siue domi tuæ, siue in agro. Et si oues pascas, & si ædificia construas, & si in symposio, siue conuiuio verseris, ab oratione caue ne desistas.] Oculi Domini in pauperem semper respiciunt. Quis pauper cùm à diuite benignè respicitur, oculos ad illum non efferat, vt subsidium suæ paupertatis accipiat? Si semper à Domino oculis misericordiæ respiceris tu, qui pauper & mendicus es, fac vt assidua eleuatione mentis tuæ in ipsum, semper accipias, quo

Hôc præceptũ de diuina præsentia intelligẽdum est.

Pallad. in Philoro. 113.

Matth. 22.37.

Iustin. de discipl. monast. c. 18. Veris oratoribus omnis locus, & omne tempus orationi congruit, cõtrà pusillis. Leu. 6. 12. Hebr. 5. 13.

1. Thess. 5. 17.

Luca 21. 36.

Prou. 3. 24.

Cura assiduæ tis in Deũ eleuationis commendatur. Prou. 15. 3.

Ephrem de orando Deum tom. 1.

Psal. 10. 5.

à miseriis eripiaris. Regius Propheta omnia Dei opera vbicumque existant,ad laudes Deo promendas prouocat. Benedicite Domino omnia opera eius, in omni loco dominationis eius : siue in cœlo, siue in aëre, siue in aquis, siue in terris sitis, vestris saltem perfectionibus & promtitudine obedientiæ Dominum vestrum laudate. Quanto magis tu, qui rationis es capax, debes in omni loco Deo adhærere, & eius laudes celebrare. Dic ergo: In omni loco dominationis eius benedic anima mea Domino.

Psal.102. 22.

Similiter orabis in omni tempore. Nullum quippe tempus est, quo non noua à Domino beneficia recipias. Nullum, quo non nouis auxiliis indigeas. Omne igitur tempus aut postulatione, aut gratiarum actione, aut laude, aut bono desiderio, aut saltem humili respectu ad Dominum, te nouorum donorum capacem exhibere curabis. Paulus hortatur te, vt armis aduersùs insidias diaboli per continuam orationem induaris. Et gladium spiritus assumite, quod est verbum Dei per omnem orationem, & obsecrationem orantes omni tempore in spiritu. Quem locum interpretans Chrysostomus sic ait : Decet igitur, nos ab illo doctos, cum precatione vitæ cursum peragere, atque hac mentem assiduè rigare. Siquidem hoc omnes homines, non minus opus habemus, quàm arbores aquarum humore. Neque enim valent illæ fructus producere, nisi bibant humorem radicibus, neque nos pretiosis pietatis fructibus poterimus esse grauidi, nisi precibus irrigemur. Quapropter oportet, & stratis relictis, diuino cultu præuenire Solis exortum, & cùm ad mensam accedimus, & cùm nos ad nocturnam quietem recipimus : quin potiùs oportet singulis horis vnam precationem offerre Deo, vt orandi cursus, diei cursum æquet. Cæterùm hyberno tempore decet etiam noctis maximam partem precibus impendere, ac flexis genibus, multo cum tremore instare deprecationi, hoc ipso nos beatos existimantes, quòd Dei cultui vacamus. Dic mihi qua fronte solem intueberis, nisi priùs adoraueris, qui lumen illud dulcissimum oculis tuis mittit? Quo pacto frueris mensa nisi priùs adoraueris eum, qui tibi tantum bonorum largitur, ac suppeditat? Quæ spe trades teipsum nocturno tempori, qualibus cùm in somniis putas tibi rem fore, nisi teipsum præmuniueris orando, sed incustoditus ad somnum accesseris? Nimirum contemtibilem captúque facilem teipsum præbebis sceleratissimis spiritibus, qui continenter ambulant obseruantes nos, vt si quem deprehenderint nudatum deprecationis præsidio, protinus abripiant. Si nos conspexerint deprecatione communitos, illicò resiliunt, non aliter quàm prædones ac facinorosi, vbi conspiciunt militis gladium in caput suum vibrari.] Sic ille. Omne tempus aptum est orationi. Dies sua luce animam tuam ad quærendam & postulandam illam æternam lucem inuitat. Nox sua obscuritate sensus colligit, & ad fugiendam per recursum ad Deum caliginem mentis excitat. Manè, vt bene incipiamus; meridies, vt bene progrediamur; vesper, vt bene opus perficiamus ad orationem instigat. Horæ & momenta, quæ velocissimè currunt, admonent te, vt Deo immutabili intellectu & affectu copuleris, ne cum transeuntibus & euanescentibus inanis efficiaris.

Ephes. 6. 18.

Chrysost. lib. 1. de orando Deum ad finem.

Nota grauissima verba Chrysostomi.

Omni operi oratio est admiscenda.

Si autem omni loco, & omni tempore orandum est, liquet quia omni operi oratio & mentis ad Deum eleuatio est admiscenda, quæ profectò nullum operi impedimentum præstat, sed magis ad bonam cuiusque negotij expeditionem adiuuat. Audi quomodo Basilius te ad orationem inter laborandum exhortetur, & quem fructum ex hac orationis perpetuitate polliceatur. Orationi verò (inquit) & Psalmorum modulationi, sicut in aliis etiam plerisque, nullum non esse tempus idoneum, ita videlicet, vt vel in eo ipso, dum manibus opus tractamus, & lingua nonnumquam (quando id fieri potest, aut expedit potiùs, & ad fidei ædificationem conducit) munere hoc fungi possimus : sin id minus, corde certè in Psalmis & hymnis & canticis spiritualibus Deum collaudemus, sicut scriptum est, atque ita orationi satisfaciamus : interim dum laboramus, gratias agentes Deo, qui ad opera facienda manuum vires nobis suppeditauerit : itémque ad percipiendam artium singularum cognitionem, ingenium largitus sit : materiámque donauerit, ex qua instrumenta conficerentur, tum eam etiam, quæ artibus iis esset subiecta, quam in manibus habeamus operantes : simúlque etiam ipsum orantes vt opera manuum nostrarum dirigantur ad eum finem, vt ipsi placeamus. Hoc modo etiam à futilibus cogitationibus mentem cohibemus, quandocumque in singulis, quæ administramus, operibus conficiendi fœlicitatem à Deo postulamus, & ei gratias agimus, qui ad ea administranda vires nobis tribuerit, & à proposito ineundæ gratiæ illius non aberramus.

Basil. in reg. fusius disput. interrog. 37.

Basil. hom. in marty. Iulittã.

Quin & ipse Basilius alio loco pulchrè exponit quomodo ex his quæ exteriùs agimus, & ex his quæ accidunt captandæ sint occasiones orandi, declarans enim illud Pauli : Siue comeditis siue bibitis,omnia ad gloriam Dei facite, in hunc modum ait : Accumbens mensæ, ora; esitans panem, largitori gratiam rependito. Suffulciens firmánsque infirmas corporis vires vino, eius fac memineris qui hoc te dono impertiuit ad inserendam cordi tuo lætitiam, & ad multiplicium infirmitatum non mediocre solamen. Nulla tibi est sumendi edulij necessitas? Caue, te prætereat eius memoria cuius liberali beneficio ventrem explesti. Tunicam indueris? Gratias agito benigno datori. Amiciris pallio? Fac, in te augescat interior erga Deum charitas, qui integumenta gratuito largitus est hyemi, æstatíque accommoda, quibus & vita conseruetur, & obueletur turpitudo. Tibíne dies expletus abiit? Illi referto gratiam, qui solem quidem nobis nihil tale commeritis indulsit in diuinæ operationis ministerium : ignem verò contulit illustrandæ nocti, vtque subseruiat reliquis vitæ commoditatibus. Ipsa rursus nox alias ad orationem suggerere possit, conciliaréve occasiones. Etenim si quando in cœlum suspexeris, quum in eximiam syderum pulchritudinem oculorum aciem defixeris pressiùs : horum visibilium supplica Domino, vniuersorum longè optimo artifici procide Deo,& cole eum, qui cuncta hæc in sapientia condidit. Vbi omnigenûm animantium naturam in somnum resolutam ac depressam perspexeris, supplex procidens adora rursus eum, qui nos nec cogitantes,aut certè inuitos indulgẽtia soporis à continenti laborum assiduitate relaxat, & alleuat, pérque exiguæ quietis refocillationem vigorem addit corpori, viréque instaurat. Itaque ne tu mihi noctem, ceu peculiarem ac selectam

Omni operi ora-

temporis partem totam addixeris sopori, neu patiare vitæ totius medium nullo tuo vsu tibi præripi, dum stupido & insensili somno lenteſcis: quin tu potiùs ipsam tibi dispertitor noctem in somnum atque orationem, immo somni ipsi pietatis exercendæ meditationes quædam sint.] Hæc Basilius. Et sane ista orationis perpetuitas difficilis non est diligentibus Deum. Stude dilectioni, & ipsa te ad continuam orationem instimulabit, ipsa te multo magis memoria Dei, quàm auarum memoria auri, & argenti, & inhonestum recordatione pulchræ mulieris, à qua vix se expedire potest, absque dubio implebit. Ipsa dilectio te docebit quomodo ex creaturis visis affectus amoris expromas. An visa creatura aliqua, de eo quòd res & possessio sit Domini tui non impensè gaudebis? An non in ea aliquam perfectionem & excellentiam tui creatoris videbis? An non pro ea tamquam pro beneficio tibi dato gratias ages? An non amori, quo eam præbet, amorem rependes? Vide qualem charitatem dedit tibi Pater, vel declarauit erga te pater, vt filius Dei nomineris, & sis, vtque ceu filio omnes creaturæ seruiant, & tuum spirituale & corporale bonum inquirant.

1. Ioan. 3. 1.

Hoc studium orationis perfectæ exercitatione fit facilius. Bonau. de processu religionis. c. 2.

Hoc studium orationis perpetuæ exercitatione fit quottidie facilius, adeò vt gratia Dei vsum perficiente homo veluti naturaliter cor in Deum efferat, & in terrenis manere non sinat. Quare Bonauentura ait: Quanto frequentiùs quis orat, tanto oratio fit ei delectabilior, & efficacior, & quanto rariùs orat, tanto insipidior fit & tædiosior, sicut experientia sæpe docet. Quando namque sæculares videmus adhuc in statu peccati positos, ex multo orationis vsu, magna deuotionis plerumque perfundi dulcedine, quæ licèt ex vera charitatis radice non perfluat, ostendit tamen Deus per hoc, quantum sit paratus iustis gratiam infundere, si non negligant quærere, qui adhuc in peccato positis, sed tamen per studium orationis eius se familiaritati quoquo modo applicantibus, suæ dulcedinis experientiam non abscondit. Quid erit fidelibus amicis, si sic dulcem quandoque se exhibet Deus adhuc inimicis? Vt habetur in Neem. Manum tuam non prohibuisti ab ore eorum. de quibus præmittit, quòd fecerunt sibi vitulum, & adorauerunt.] Hæc ille. Deus, ó anima mea, summum bonum est, semper vult se tradere tibi, atque à te amari, & possideri. Absque intermissione beneficia sua in te quasi semina effundit, vt ex illis fructum amoris colligat. Peccata condonat, vt diligatur; virtutes elargitur, & desideria tua complet, vt ametur; occasiones se communicandi quærit, vt eum se ingerentem, & in omnibus ostentantem amore complectaris. Semper illum in mente habe, & semper dilige, quæ semper diligeris, sic voluntati eius satisfacies, quam expressit, dicens: Oportet semper orare, & numquam deficere. Ille enim in studio orationis non deficit, qui semper & vbique ad Deum, quem præsentem in memoria gestat, affectibus sanctis, præsertim amoris, recurrit.

* * *

Deus vbique nos beneficiis cumulat, vt à nobis ametur.

Statutis horis ei generi orationis vacandum, quo ad contemplationem præparemur: ac de duplici cognitione Dei affirmatiua & negatiua.

CAPVT III.

Præter cõtinuatam orationem, quietæ certa tẽpora destinanda.

PRÆTER orationem continuam, cui secundùm modum expositum, vir contemplationis auidus se tradit, certa diei tempora debet orationi quietæ destinare, in quibus sepositа rerum exteriorum cura, & negotiis ablegatis, Deo feruentiùs & puriùs inhæreat. De hac re iam suprà loquuti sumus; tamen supereſt explicandum, quid tunc anima speculabitur, vt proximè ad contemplationem paretur? Et quidem, omnia ea, quæ suprà libro tertio, ad habendam considerationis materiam attigimus, apta sunt, vt ad contemplationem feramur. Nam & ex miseriis propriis, & ex gestis & virtutibus Christi, atque Sanctorum, & ex beneficiis diuinis solet anima contemplatione suspendi. Insuper & ex solis affectibus breuiùs ac frequentiùs experitur se manu Domini ad contemplationis verticem sublimari. Est tamen quoddam aliud orationis mentalis genus, quo facta scala per creaturas, siue per omnia Dei opera tum naturæ, tum gratiæ ad eum cognoscendum ascendimus; hoc autem, vt proximum contemplationis apparatum nunc intendimus explicare.

Deus & affirmatiua, & negatiua cognitione cognoscitur.

Ad hoc sciendum est, Deum à nobis duobus modis posse cognosci: primò per affirmationem, qua Deo omnes perfectiones in creaturis inuentas tribuimus: secundò per negationem, qua ab ipso easdem perfectiones, quia eas, vt sunt in Deo, non assequimur, audacter subtrahimus. Huius duplicis cognitionis primus assertor ex Patribus (quod ego sciam) fuit Dionysius Areopagita libro de mystica Theologia capite tertio, quarto, & quinto; ex quo Gerson, Richelius, & alij tum Scholastici, tum mystici Theologi eam sunt mutuati. Illius meminit Cyprianus, cuius hæc est oratio. Affirmatio quippe de Dei essentia in promtu haberi non potest: neque enim diffinibilis est diuinitas, sed verius sinceriúsque remotio indicat negando quid non sit, quàm asserendo quid sit: quoniam quidquid sensui subiacet, illud esse non potest, quod omnem superat intellectum.] Explicatur hæc duplex cognitio de Deo bipertito simili, cuius posteriorem partem sanctus Dionysius attulit. Nam imago alicuius Regis duobus modis fieri potest, pictura, & sculptura. Ars picturæ fingit imaginem additione, ars sculpturæ subtractione. Qui enim imaginem pingit, eam in tabella, aut linteo ad id parato multorum colorum adiectione delineat: qui verò sculpit, particulas marmoris, aut ligni paulatim & artificiosè tollit, quousque imaginem perfectam relinquat. Ita duobus modis Dei conceptum efformamus. Primò quidem veluti pingendo, cùm ei creaturarum perfectiones, quasi colores adscribimus; sic dicimus, Deum esse sapientem, bonum, potentem, iustum, misericordem, pulchrum, & verè dicimus, est enim hæc omnia. Secundò veluti sculpẽdo, qua ratione, omnia hæc quę illi adscripsimus ab eo quasi particulas superfluas remouemus. Sic dicimus Deum, neque esse ens, neque vitam, neq; sapientiam, neque potentiã, neque bonitatem, neque aliquid cęterorum, & verè etiam

Dionys. de myst. Theol. c. 3. 4. 5. Gerson de simplic. cord. not. 4. Richel. 3. de contemp. ar. 2. & sequent. & de fonte lucis art. 13. Cyprian. de cardinal. oper. Christi in prologo. Simile.

dicimus,

dicimus, nihil est enim horum,eo scilicet modo, quo à nobis concipiuntur. Vnde in Deo (vt Dionysius sapienter animaduertit)istę affirmationes & negationes non sunt oppositæ: quia cùm Deo,verbi gratia, sapientia attribuimus, perfectionem illam, qua seipsum & cuncta in se cognoscit, concedimus: cùm verò eamdem sapientiam subtrahimus, modum illum sapientiæ limitatum, quo eam concipimus, denegamus. Quod vt significemus, alio modo loquendi manifestiori vtimur, dicentes Deũ non esse ens, sed super ens:non esse vitam,sed supra vitam: non sapientem, aut bonum, aut pulchrum, sed super sapientem, & super bonum, & super pulchrum,& sic de aliis perfectionibus.Hinc constat duas alias rationes cognoscendi Deum,per causalitatem, & per eminentiam optimè ad has duas à Richelio reduci. Via enim causalitatis, qua opera Dei considerando ad eius cognitionem assurgimus, non est alia quàm via affirmationis. Et via eminentiæ, qua Deo sublimiori modo, quàm sint in nobis, omnes vniuersarum rerum perfectiones adscribimus, non distinguitur à via negationis.

Richel.3. de cõtem. art.4.

Hos Deũ cognoscẽdi modos sacræ litteræ tradiderunt.

Duos istos modos cognoscendi Deum sacræ litteræ docuerunt. Nam illum nominibus affirmatiuis ac negatiuis compellant. Dicitur ille quidem in Scriptura ipsum esse, dicitur vita, & fons vitæ, dicitur sapiens, & bonus,& pulcher, iustus,& misericors. Quæ sunt ista, nisi perfectiones quædam, quas de Deo affirmamus, & proprietates quas ei adscribimus? Vocatur etiam incomprehensibilis, ineffabilis, infinitus, immensus, immutabilis, & quòd posuit tenebras latibulum suum. Et quæ sunt ista nisi negationes, quibus ab eo omnem limitationem, & varietatem, & circumscriptionem, & quidquid est imperfectum auferimus? In illa visione Isaiæ est hæc duplex Dei cognitio intelligentibus adumbrata. Nam alæ Seraphicæ Deum abscondunt, ipsæ verò alæ patescunt,vt in absconsione Deo omne, quod mente assequimur, denegemus, & in alarum aspectu quasi in speculo perfectionum Dei, eas vtcumque cognoscamus. Audi Cyprianum, quomodo hunc intellectum eius visionis subindicet. Quidquid audiri, vel videri, vel sciri potest, non conuenit maiestati: hebes est in hac consideratione omnis acies sensuum, & caligat aspectus. Hanc inuisibilem lucem, & inaccessibilem naturam sex alis hinc & inde Seraphin, statu & volatu circumeunt, & abscondunt: statu æternitatis immutabilitatem monstrantes, volatu verò altitudinem eius, sic in superioribus eleuatam, vt quantumlibet ad cor altum homo ascendat, exaltetur Deus, & comprehensionis importunitatem euadat. Nec tamen alæ illæ, quæ Dei velant substantiam, nostros conspectus diffugiunt, sed illæ puris mentibus se visibiles exhibent, & operum Dei ratio, siue eorum, quæ ex nihilo sunt, siue eorum quæ ex materia vel factæ sunt, vel fiunt, se intelligibilem exponit: & quæ circa Deum, & quæ sub Deo sunt, mundi potest cordis quoquomodo sinceritas contemplari.]

Isaiæ 6. 2.

Cyprian. supr.

Hanc duplicem Dei cognitionem nunc breuiter prælibemus: & primò, quomodo Deus per affirmationem ex creaturis & scripturis cognoscendus sit; secundò verò quomodo per negationem sit concipiendus, exponamus.

*

De cognitione Dei per opera naturæ.

CAPVT IV.

Viri spiritualis speculatio in creaturis versabitur aliquandiu.

IN mundo hoc visibili, & in his omnibus creaturis, quæ eo continentur, viri spiritualis aliquando speculatio versetur, ex qua ad Dei perfectiones contemplandas animus accendatur.Deus enim ad gloriam suam & vtilitatem nostram vniuersa visibilia creauit, non solùm vt in opportunis ad hanc vitam mortalem transigendam iuuaremur, verùm & præcipuè, vt ex his eius maiestatem & sanctitatem disceremus, & ad indiuulsum ipsius amorem & obsequium excitaremur. Hoc ita esse vniuersa Scriptura proclamat. Inuisibilia ipsius, ait Paulus, id est, sapientia, bonitas, potentia, & multiplex perfectio Dei, à creatura mundi, præcipua, scilicet ab homine, vt exponit Anselmus cum aliis, per ea quæ facta sunt in hoc mundo, intellecta ac perspecta conspiciuntur, sempiterna quoque eius virtus, & diuinitas. Nam si vigilanter exteriora conspicimus, per hæc ad interiora reuocamur. Et per hæc, quæ facta sunt, imus ad illum, per quem facta sunt. Sapiens profectò illos reprehendit, qui ex notione rerum creatarum ad notitiam summi Dei peruenire noluerunt. Vani autem sunt omnes homines, in quibus non subest scientia Dei, id est, qui cæcutiunt Dei ignorantia: & de his, quæ videntur bona, & vtilia, ac iucunda sibi, non potuerunt intelligere eum, qui est: qui scilicet per seipsum habet esse, neque operibus attendentes agnouerunt, quis esset artifex. A magnitudine enim speciei & creaturæ, id est, à magnitudine pulchritudinis, & virtutis creaturarum, cognoscibiliter, id est, proportione quadam, poterit creator horum videri. Eisdem Isaias promittit æternum væ. Væ vobis (ait) qui consurgitis manè ad ebrietatem sectandam, & opus Domini non respicitis, nec opera manuum eius consideratis.] Tu ergo, ô vir Dei, si cupis teipsum in melius mutare, vt ex creaturis Deum agnoscas, earum naturam & perfectionem euolue. Sic sanè proficiebat Dauid: Dixi nunc cœpi; hæc mutatio dexteræ Excelsi.] Et quo quasi instrumento, ô sancte Propheta, mutatus es? Eo quòd subiunctum est: Memor ero operum Domini, quia memor ero, id est, numquam obliuiscar, ab initio mirabilium tuorum. Et meditabor in omnibus operibus tuis: & in adinuentionibus tuis exercebor.] Sic etiam gaudio spiritali replebatur. Quia delectasti me, inquit, Domine in factura tua: & in operibus manuum tuarum exultabo.] Sic tandem in admirationem rapiebatur. Nam exclamans prosequitur: Quàm magnificata sunt opera tua Domine? nimis profundæ factæ sunt cogitationes tuæ. Et quàm magnificata sunt opera tua Domine: omnia in sapientia fecisti, impleta est terra possessione tua.] Operum ergo diuinorum consideratione, feruore & exultatione, & admiratione, & multiplici affectu repleberis.

Rom. 1. 20.

Sap.13. 1.

Isaiæ 5. 12.

Psal. 76. 11.

Psal. 91. 5.

Psal.103. 24.

Nunc videamus quæ creaturæ in considerationem adducendæ sint, & quid in eis considerandum, vt ad diuinæ Maiestatis cognitionem assurgamus. Eas creaturas inspicies, & intellectu cogitabis, quæ te non inficiant, sed ad diuinam Maiestatem contemplandam moueant. Quamuis enim omnes per se ad hunc finem sunt aptæ,

Eæ creaturæ inspiciẽdæ, quæ animum nõ inficiant.

Richard. 2. de contemp. c. 1.

tamen ex disposítione tua, fortè minus tibi inuenientur idoneæ. Quod considerátis his Richardi Victorini verbis intelliges. In tanta, inquit, rerum visibilium copia, inter tot spectaculorum genera, videat quisque quid eligat: caueat ne illud ante mentis oculos reducat, vnde cordis sui munditiam polluat. Debet ergo à considerationis suæ respectu, voluptatum irritamenta amouere, qui cupit de internæ incorruptionis perpetuitate gaudere. Quicquid auaritiam stimulat: quicquid gulam irritat: quicquid luxuriam inflammat, ab illa recordationum suarum frequentia secernat. Ille sanè mundum, & quæ in mundo sunt viriliter in contemplationem adducit, qui per mundanorum respectum, ad mundanorum despectum venit. Hunc huiusmodi contemplationis fructum magnus ille mundanalium contemplator quæsiuit,

Eccl. 1.1.

& inuenit, scriptúmque reliquit. Vanitas vanitatum (dixit Ecclesiastes) Vanitas vanitatum & omnia vanitas.] Ille vanitatis contemplationem non in vanum assumit, qui ex eo quod in imo respicit, in laudem creatoris assurgit, qui eum in omnibus operibus suis mirabilem, laudabilem, amabilem reperit. Domine Dominus noster quàm admirabile est nomen tuum in vniuersa terra. Ecce mirabilem. A Solis ortu vsque ad occasum laudabile nomen Domini. Ecce laudabilem. Iustus Dominus in omnibus viis suis, & sanctus in omnibus operibus suis. Ecce amabilem. Ligna ergo rigida, ligna robusta, ligna durabilia quælibet considerationes sunt, quæ mentis vigorem reparant, quæ ad constantiam roborant, quæ in perseuerantia confirmant. Ligna denique ab omni corruptione aliena sunt, quæ nec maculam fœditatis, nec vitium falsitatis contrahunt.]

Sap. 14. 11.

Accipe ergo ad vtilitatem tuam quod de Idolis dictum est in libro Sapientiæ. Propter hoc in idolis nationum non erit respectus.] Id est, non aspicies ea quæ mundani magni æstimant, ne te aliquo desiderio vanitatis illaqueent. Quoniam creaturæ Dei ob culpam nostram, non semel in odium factæ sunt, & in tentationem animabus hominum, & in muscipulam pedibus insipientium. Eáque tantùm considerabis, in quibus non sit inquietudinis periculum, sed proficiendi emolumentum.

Totus mundus simul cõsideratus Dei perfectionẽ manifestat.

Basil. hom. 11. examer.

Quæ autem hæc sint, inquiris? In his est totus mundus, qui simul consideratus vt opus magnum magni Dei, multiplicem eius perfectionem manifestat. Nam & vniuersa hæc mundi moles, ait Basilius, perinde est ac liber litteris exaratus palàm contestans ac deprædicans gloriam Dei, illiúsque augustissimam maiestatem, arcanam alioqui, & inuisibilem, abundè enuntians tibi intellectili creaturæ, quatenus ad cognitionem attinet veritatis.] An non legisti: Cuncta fecit Deus bona in tempore suo, & mundum tradidit disputationi eorum.] Accipe mundum, vt de eo disputes, aut potiùs vt illum mediteris, non ad curiositatem, sed ad eruendam creatoris notitiam. Ad hoc enim assumendam esse meditationem creaturarum sanctus Dauid professus est, qui postquam dixit: Meditatus sum in omnibus operibus tuis,

Eccl. 3. 11.

Psal. 142 5.

in factis manuum tuarum meditabar, subdit: Expandi manus meas ad te:] quasi Dei laus fuerit huius meditationis finis. Ne in consideratione creaturarum (inquit Augustinus) vana & peritura curiositas exerceatur, gradus ex his ad immortalia & semper manentia fiat. Nec putes hanc curtam esse materiam: quin potiùs tam est abundans,

Aug. ibi.

A vt non inueniat, nec intelligat perfectè homo opus, quod operatus est Deus ab initio vsque ad finem.

Deinde ab orbe vniuerso ad illas creaturas transitum facies, quæ te in Dei cognitione erudiant. Considerabísque cœlum, Solem, Lunam, & Astra. Item elementa, præcipuè mare, quod cùm placidum est, Dei benignitatem, cùm inquietum & procellis agitatum, Dei indignationem clarè designat. Item & mixta seu ex elementis composita: vt florem aliquem vel rosam, vel aliquod animalculum, aut quid simile, quod occurrat. Hæ res, authore Augustino, sunt quasi fenestræ, ex quibus Dei magnitudinem videas. Cùm Deum, inquit, ratio veraciter esse probauerit, & hunc vitam, sapientiam,

B veritatem, iustitiam, & æternitatem esse veris assertionibus essentialiter docuerit: restat nunc vt ad hunc quoque videndum aliquam sibi fenestram aperiat, per quam mens per quosdam gradus scandens prospiciat, quatenus Regem gloriæ in decore suo videre prævaleat. Pedetentim autem ratio per corporalia gradiatur, ne infirmus intellectus per ardua nitens, difficultate confractus relabatur.] Tandem considerabis hominem, te scilicet ipsum, & quidem præcipuè: quoniam alia visibilia Dei sunt vestigia, homo autem imago, in qua multo perfectius quàm in illis Dei perfectio relucet. Nam mirabilis est scientia tua ex me: confortata est, & non potero ad eam. Illa, inquam, scientia, ac perfectio tua, quam, Domine, ostendis in me, verè

C mirabilis est, quam licet per æternitatem considerem, haudquaquam perfectè assequi prævalebo.

Sed quid in vniuerso, aut in quauis creatura considerandum est, vt mens ex illa se ad Dei cognitionem efferat? Posses quidem considerare illa tria, quæ Bernardus considerandа esse ait. Nimirum, quid creaturæ sint, & quomodo factæ sint, & ad quem finem factæ sint: in quorum primo Dei potentia, in secundo sapientia, in tertio bonitas, seu benignitas elucet. Quis autem non cupiet hæc verbis huius sancti Doctoris audire. Tria, inquit, in magno huius mundi opere cogitare debemus,

D videlicet quid sit, quomodo sit, ad quid sit constitutus. Et in esse quidem rerum inæstimabilis potentia commendatur, quòd tam multa, tam magna, tam multipliciter, tam magnificè sunt creata. Sanè in modo ipso sapiẽtia singularis elucet: quod hæc quidem sursum, hæc verò deorsum, hæc in medio ordinatissimè sint locata. Si verò ad quid factus sit mediteris, occurrit tam vtilis benignitas, tam benigna vtilitas, quæ etiam ingratissimos quosque multitudine & magnitudine beneficiorum possit obruere. Potentissimè siquidem ex nihilo omnia, sapientissimè pulchra, benignissimè vtilia sunt creata. Verumtamen & fuisse nouimus ab initio, & adhuc multos videmus esse in filiis hominum, qui in bonis inferioribus sensibilis mundi huius, tota sensualitate depressi totos se dederunt his quæ facta sunt, quónam modo vel

E ad quid facta sint negligentes. Quid istos nisi carnales dicamus? Paucissimos esse iam arbitror: legimus tamen nonnullos quandoque fuisse, quibus summum studium fuit, vnicáque solicitudo, modum & ordinem inuestigare factorum, adeò vt plerique non modò vtilitatem rerum perquirere dissimulauerint, sed & ipsas magnanimiter spreuerint, cibo paruissimo vilissimóque contenti. Ipsi quidem sese Philosophos vocant, sed à nobis curiosi & vani rectiùs appellantur. Vtrisque igitur successerunt viri prudentiores vtrisque, qui

Sol, Luna, Astra, & Elementa, &c. nos in Dei cognitione eruditũt.

Aug. de cognit. veræ vitæ. c. 8. to. 9.

Homo præcipuè considerandus. Psal. 138. 6.

Considerandum quid sint, quomodo, & ad quid creaturæ factæ sint. Bernard. ser. 3. Pentecost.

nimi

nimirum & quæ facta ſunt, & quomodo facta ſunt tranſilientes, intenderunt aciem mentis, vt ad quid facta ſunt viderent. Nec latuit eos, quoniã omnia propter ſemetipſum fecit Deus, omnia propter ſuos. Aliter tamen propter ſe, aliter propter ſuos. In eo quippe quod dicitur, omnia propter ſe, præueniens commendatur origo: in eo autem quod dicitur, omnia propter ſuos, magis exprimitur fructus ſequens. Omnia fecit propter ſemetipſum, gratuita videlicet bonitate: omnia propter electos ſuos; pro eorum ſcilicet vtilitate, vt illa quidem efficiens cauſſa ſit, hæc finis. Hi ſunt ſpiritales viri, ſic vtentes hoc mundo tamquam non vtentes, ſed in ſimplicitate cordis ſui quærentes Deum, ne illud quidem magnopere veſtigantes, quónam modo mundialis hæc machina volueretur: primi voluptate, ſecundi vanitate, tertij veritate impleti.] Hactenus Bernardus. A quo carnales, aut inanes vocantur, qui quid ſint res creatæ ad propriam commoditatem,& quomodo ſint ad curioſitatem perſcrutantur. Qui verò hæc duo ob eam cauſſam conſiderant propter quam inueſtigant finem, cuius gratia res factæ ſint, nempe vt ex rerum quidditate & diſpoſitione Deum cognoſcant, & diligant, inter ſpirituales ſunt computandi, non minus, quàm illi, quorum conſideratio fertur in finem ac ſcopum propter quem res ſunt in eſſe productæ.

Modus facillimus ex creaturis ad Dei cognitionem deueniendi.

Dicam tamen (omiſſis Richardi, Victorini, & Bonauenturæ conſiderationibus erga creaturas, quas alio loco retulimus) facillimum modum, quo ex his rebus creatis ad Dei cognitionem aſſurgas. Creaturam aliquam, exempli gratia, hominem, vel florem ad meditationem adduces. Ac primò in eo, quem oculis aut imaginatione cernis, ſpiritum perſcrutaberis, vt ex ſpiritu creato ad eſſe Dei cognoſcendum, quod omnino ſpirituale eſt, & à materia ſeiunctum aſcendere poſſis. Vide igitur hominis pulchritudinem, viuacitatem, loquelam, motum, ſenſuum multiplicem actionem, & admiranda quæ manibus operatur, & ſua induſtria diſponit. Euidenter autem reperies ea omnia non ab illa mole corporea ſenſibus ſubiecta, ſed ab aliquo ſpiritu qui non cernitur, & illos regit artus, emanare. Quo abeunte (vt apparet in homine mortuo) omnia illa pereunt, & corpus non aliter quàm lignum putridum ſine pulchritudine, ſine vita, ſine ſenſu, & motu, & induſtria relinquitur. Idem in flore meditaberis, in quo eſt aliquid interiùs, à Philoſophis forma vocatum, quo corrupto flos ipſe marceſcit, & in cinerem deſinit. Ac idem prorſus in quibuſdam aliis rebus corruptibilibus, vt in equo, & in arbore, & in planta deprehendes, quæ deficiente illo interiori diſpereunt. Aſſueſce poſtea cogitare hunc ſpiritum, ſeu hanc formam (quæ in hominibus quidem ſpiritualis, & immortalis eſt; in animalibus verò reliquis, atque in aliis rebus mortalis, ſeu corruptibilis, atque corporea) abſque his conditionibus cogitare quæ ſenſibus percipiuntur. Expende quòd nullo modo corpori immerſa anima tua poteſt concipere quomodo illa forma ſeu ille ſpiritus ſit, & tamen manifeſtè deprehendis illum eſſe, ac fontem ſeu originem omnium motuum, & ſenſuum, & proprietatum corpori adhærentium exiſtere. Sic paulatim aſſuefies ſpiritum ſine corpore cogitare, & ad illum ſupremum ſpiritum cognoſcendum ſubleuari, quem quidem non vides, ſed eum originem vniuerſorum eſſe, & formis, ac ſpiritibus ipſis vim ad omnia dare cognoſcis. Ad tantam autem huius ſupremi ſpiritus magnitudinem admiraberis, ei te ſubmittes, eum diliges, ipſique ſeruire, atque illum laudare, & magnificare propones. Deinde hæc corporalia deſpicies, quæ ſunt velut vaſa teſtea, in quibus ſpiritus, ſeu forma ſuas opes recondit, & originem earum, nempe ipſum ſpiritum, magnifacies, ac ſupremum & increatum ſpiritum & fontem ſpirituum omnibus anteponES. Hunc (vt docet Gerſon) prout potueris ab omni imperfectione corporea nudum cogitabis, & ei ſic vtcumque cognito, non tam ſubtili inueſtigatione, quàm ardentiſſimis affectibus adhærebis.

Gerſon Theol. myſt. tract. induſtr. n. 12.

Omnes humanæ actiones non à corporea mole, ſed ab interiori ſpiritu emanant.

Ex perfectionibus creaturarum Dei perfectiones noſcuntur.

Secundò poſtquam ſpiritum cogitare aſſueueris, ex perfectionibus creaturarum Dei perfectiones inueſtigare curabis, illáſque ei non limitatas, ſed illimitatas attribues. Sunt enim creaturę autveſtigia Dei, vt omnia purè corporalia, aut imagines Dei, vt Angelus & homo. Et ſicut in veſtigiis humanis, quædam ſunt magis, quædam minus expreſſa; ita in creaturis, quædam magis, quædam minus diuinæ perfectionis exprimunt, ſecundùm quod magis aut minus perfectæ ſunt. Similiter loquendum eſt de imagine, quòd quædam eſt groſſior (vt ita dicam) & imperfectior, vt homo: alia ſubtilior & perfectior, vt Angelus. Accipe ergo aliquam creaturam etiam minimam, vt floſculum illum, quem ſuprà tetigimus, & Deo, quidquid in illo inueneris perfectionis attribue. In illo flore eſt eſſe, quoniam eſt aliquod ens. Et Deus eſt ens, non quidem limitatum vt flos, ſed illimitatum & infinitum ens. Ille flos factus eſt ex nihilo; conuoca omnes Reges, & Principes huius ſæculi, qui fuerunt, & qui ſunt, & qui futuri ſunt; congrega illos in vno tempore, & roga vt omnes ſuas opes impendant, & per ſe, aut per alios vnum tibi florem ex nihilo faciant. Cùm autem non poſſint, eorum inanem potentiam ridebis, & infinitam Dei potentiam admiraberis, qui non floſculum vnum, ſed omnia viſibilia & inuiſibilia ex nihilo, ſolo verbo produxit. In illo flore eſt mira foliorum diſpoſitio, certus numerus, occulta virtus, tum ad ſe conſeruandum, tum ad attrahendum ſuccum quo creſcat, tum ad medendum alicui morbo vt nobis ſuccurrat. Ecce Dei ſapientiam. Illi eſſe & virtutem dedit Deus non ob aliquam indigentiam, ſed liberaliter, vt ſecundùm quod flos eſt capax, ſuum eſſe ipſi communicet. Ecce Dei bonitatem. Illum hominibus ad aliquam vtilitatem dedit. Ecce Dei amorem. In illo flore eſt Deus, perinde atque in omnibus, per eſſentiam, præſentiam, & potentiam. Ecce immenſitatem. In pulchritudine eius vide Dei pulchritudinem, in ſuauitate ſuauitatem, in candore puritatem: in eo quòd illi congrua dedit, iuſtitiam; in eo quòd eum tenet, prouidentiam; in eo quòd protegit, miſericordiam. Si ille te delectat, Deus fons voluptatis magis delectet: ſi ille te iuuat, Deus magis te iuuat: ſi ille te admiratur, Deus magis te admiretur. Sic adorabis Dominum in ſpiritu & veritate: in ſpiritu, quia, vt ad Deum te efferas, tranſcendis omnem ſpiritum, & in veritate, quia ei attribuis omnem perfectionem, quam certum eſt, illi formaliter (vt aiunt) aut eminenter conuenire.

Mira floris contemplatio.

1 Ioan. 4. 24.

Tertiò, alio modo ex creatura poteris diuinas perfectiones inueſtigare conſiderando rationem cauſſæ: omnis enim cauſſa perfectionem habet effectus, quem producit; quomodo enim

Ex perfectione effectus cauſa perfectio inueſtiganda.

daret quod non habet. Sed hoc diuersimodè: nam quædam causæ sunt eiusdem naturæ cum effectu, vt cùm ignis producit ignem; & hæc ad minus habent perfectionem æqualem cum effectu à se producto. Aliæ sunt diuersæ naturæ ab effectu; vt cùm sol qui non est ignis, generat ignem. Hæ autem habent perfectionem, quam effectui communicant multo sublimiori ac eminentiori modo quàm effectus, cùm sint non æqualis, nec inferioris, sed superioris naturæ, comparatione illius, & sublimitatem naturæ sequitur sublimitas perfectionis. Quæ omnia nemo quantumuis rudis non intelligit. Deus autem est causa prima omnium rerum, & æquiuoca (vt dicunt) seu alterius naturæ, quæ in infinitum excedit omnem creatam naturam. Habet ergo perfectiones omnium eminentissimo modo, & increato, & ab omni mistione imperfectionis alieno. His sic intellectis quasi scalam omnium creaturarum facies, & per illam ad contemplandam Dei perfectionem ascendes. Terra est stabilis? Deus est magis stabilis, immo prorsus immutabilis, qui dicit: Ego Deus, & non mutor. Mare est spatiosum, & quasi immensum? Deus est verè immensus, qui cœlum & terram implet. Aër, cùm sit instrumentum vitæ, à nullo continetur, sed, nolentibus etiam nobis, elabitur? Deus est, in quo viuimus, & mouemur, & sumus; qui vbi vult spirat, & nescis vnde veniat, aut quò vadat. Ignis est in agendo efficax? Deus efficacior, & planè omnipotens, cui nemo resistere potest. Cœlum est incorruptibile, & omnia continet? Deus immortalis, qui omnia vt exiguum & indiuisibile centrum comprehendit. Sol, & Luna, & astra sunt pulchra? Deus est pulcherrimus, cuius pulchritudinem ipse sol & luna miratur. Sic in alio genere ascendes per prudentiam apum, qua fauos elaborant, & per industriam auium, qua nidos fabricant, & per diligentiam formicarum, qua cibos in æstate congregant, ad prudentiam hominum, qui tam mirabiliter cuncta disponunt, & ex hac ad sapientiam Angelorum; ex hac verò ad illam increatam, & infinitam sapientiam Dei, quæ sine obscuritate, sine successione, sine labore omnia contuetur, sine solicitudine aut errore cuncta moderatur. Et eodem modo in aliis discurres.

Ex muneribus à Deos susceptis, eius erga creaturas officiis, in eiusdē cognitionē deueniēdum.

Quartò alio quoque modo Deum ex creaturis agnosces. Si nimirum consideres officia Dei erga creaturas ac munera ab illo suscepta. Est enim ipse omnium Creator, qui esse & naturam donat: Conseruator, qui vniuersa conseruat: Gubernator, qui regit: Prouisor, qui prouidet. Erga homines est Pater, qui per gratiam generat; Magister, qui per doctrinam illuminat; Medicus, qui per dona sua ægritudines curat: Saluator, qui à malis saluat; Glorificator, qui in æternitate præmiis cumulat. Vide quid hæc nomina, & alia similia significent, & inuenies Deum omnium istorum perfectiones eminentissimè continere.

Ex creaturarum operibus ad creatoris notitiam assurgendum. Iob 23. Greg. 16. mor. c. 16

Quintò tandem ex operibus creaturarum ad Deum assurges, & eum omnia multo verius ac perfectius quàm creaturæ operari cognosces. Ad quod scitum est illud Gregorij explicantis illam sententiam Iob: Nónne tu, qui solus es? Omnia, inquit, quæ creata sunt per se nec subsistere præualent, nec moueri, sed in tantum subsistunt, in quantum, vt esse debeant, acceperunt. In tantum mouentur, in quantum occulto instinctu disponuntur. Ecce enim peccator flagellandus est de rebus humanis: aresçit in eius laboribus terra; concutitur in eius naufragiis mare; igneſcit in eius sudoribus aër, obtenebrescit contra eum inundationibus cœlum; inardescunt in eius oppressionibus homines; mouentur in eius aduersitate & angelicæ virtutes. Numquid nam hæc, quæ inanimata, vel quæ viuentia diximus, suis instinctionibus, & non magis diuinis impulsionibus agitantur? Quicquid est itaque, quod exteriùs sæuit, per hoc ille intuendus est qui hoc interiùs disponit. In omni igitur causa solus ipse intuendus est, qui principaliter est. Qui etiam ad Moysem dicit: Ego sum qui sum. Sic dices filiis Israël: Qui est misit me ad vos. Cùm itaque flagellamur, per ea, quæ videmus, illum debemus solicitè metuere, quem non videmus. Vir itaque sanctus despiciat quicquid exteriùs terret, quicquid per essentiam suam, nisi regeretur, ad nihilum tenderet, & mentis oculo, suppressis omnibus intueatur vnum, in cuius essentiæ comparatione esse nostrum non esse est.] Hæc ille. Itaque in omnibus rebus Deum operantem sine labore, & agentem sine turbatione considerato. Qui omnia ita gubernat, vt operibus vniuersorum (sic nunc dico) manum admoueat, & ea veriùs & principaliùs agat. Qui in his quæ erga te per ipsum aguntur, ita se habet, vt dulcia, & suauia, & prospera agat, vt benignè te alliciat, & amara & grauia & aduersa operetur, vt purget, vel coronet, vel puniat. Tam autem illa, quàm ista agit, vt erga te ceu pater se geret. Patris enim est non solum filium educare, & regere, verùm & in eius errata clementer animaduertere. Cognoscas ergo Deum ex creaturis; & ex teipso, atque ex omnibus creatis perfectionibus ad notionem diuinæ & infinitæ perfectionis procedes. Sic prout tibi datum fuerit aliquem Dei ac Domini tui conceptum efformabis, quem ames fideliter, adores reuerenter, cui seruias diligenter, quem laudes incessabiliter.

De cognitione Dei, per opera gratiæ, & gloriæ.

CAPVT V.

Dei perfectiones magis ex operibus gratiæ, quàm ex operibus naturæ, innotescunt. Quia illa his perfectiora.

SI perfectiones diuinæ patefiunt ex operibus naturæ, multo magis innotescent ex operibus gratiæ & gloriæ, quorum maior est perfectio. Nam nobilitas causæ ampliùs ex nobiliori effectu cognoscitur: & pulchritudo alicuius in politiori speculo meliùs inspicitur. Opera autem gratiæ nobiliora sunt operibus naturæ, & specula politiora, quare ex eis & in eis multo perfectiùs Deus potest agnosci. Inter opera autem gratiæ primum locum obtinet Christus Dominus noster, quem Rupertus Abbas appellauit excellentissimum opus Dei. Ipse est, inquit, secundùm hominem, primum ac præcipuum Spiritus sancti opus, quo pulchrius aut pretiosius nihil vmquam fecit Deus, aut Dei Spiritus.] Per eius humanitatem breuiùs ac compendiosiùs ascendimus ad eius diuinitatem contemplandam. Quare ait Leo Papa: In assumtione naturæ nostrę nobis factus est gradus, quo ad ipsum possimus ascendere.] Id est, quo per humanitatem Domini ad eius diuinitatem valeamus peruenire. Post Christum opus gratiæ est sanctissima virgo Maria, deinde Angeli, & Sancti, & tota Ecclesia, & su-

1. Deus cognoscitur per Christū. Rupert. lib. 1. de operibus ss. c. 2. Leo ser. 5. de natal. Domini.

2. Per B. Virginē Mariam.

3. Per Angelos,

perna

& Sanctos, & Ecclesiã totam.

pernaturalia bona, quæ Deus in ipsa ac in membris eius operatur. Mysteria Christi (& idem est de aliis) non sigillatim hoc loco consideranda sunt, sicut in statu meditationis, sed ea quæ iam meditata & per attentam considerationem nobis satis perspecta sunt, quasi vno intuitu spectemus, ex illisque ad diuinas perfectiones transeamus. Sicut cùm vis aliquid ex libro intelligere, non ad modum in pulchritudine characterum hæres, sed illos vt specula ad intelligendam veritatem assumis. Et cùm te consideras in speculo, præcipua intentio tua ad speculum inspiciendum non fertur, sed ad faciem repræsentatam cognoscendam dirigitur. Ita cùm opera gratiæ consideras in hoc statu quærendæ contemplationis, non in illis perscrutandis immoreris, sed ex illis atque in illis diuinas perfectiones intueri nitaris.

In Christo Domino Dei perfectiones mirè elucent. Ephes. 2. 5.

In Christo ergo Saluatore Dei perfectiones mirè resplendent. O quàm immensa bonitas eius, qui non iam sua omnia, sed seipsum nobis communicauit, qui pro nobis tanta bona fecit, & tanta mala ac dura sustinuit! O quàm ingens amor eius erga nos, qui propter nimiam charitatem suam, qua dilexit nos, & cùm essemus mortui peccatis, conuiuificauit nos in Christo (cuius gratia sumus saluati) & conresuscitauit, & consedere fecit in cœlestibus! Pater huius sæculi filios inobedientes & rebelles solent hæreditatis priuatione mulctare, & multis plagis, & carcerum ac vinculorum afflictione punire, & aliquando iudicum potestate extremo supplicio mortis addicere. Deus autem plusquam Pater nos infestissimos hostes, filios fecit, & dato ad sustinendam pro nobis mortem naturali filio, nos ad æternam hæreditatem admisit, è carcere dæmonis eduxit, & à morte, qua dignissimi eramus, eripuit. O quàm prælarga misericordia eius, qui vt nostras miserias amoueret, eas in filio homine facto suscepit, & sic ex miserrimis fœlicissimos, & omni malo liberos reddidit! O quàm districta iustitia eius, qui ab eis, quos ita dilexit, pro admissis peccatis plenam satisfactionem exegit, & non aliter, quàm per sanguinem & mortem vnigeniti sui redemtoris nostri facti placari voluit! Hic Dominus ac Saluator sensit paternæ iustitiæ rigorem, cuius clamor est apud Dauidem: Super me confirmatus est furor tuus, & omnes fluctus tuos induxisti super me. Longè fecisti notos meos à me; posuerunt me abominationem sibi.] O quam admirabilis prouidentia eius, qui in redemtionem nostram filium hæredem misit, & talia media per eum ad nostram salutem inuenit! O quàm admirabilis potentia eius, qui bacillo crucis caput aduersarij confregit, & exiguo ligno genus humanum in portum æternitatis transmisit! O quàm infinita sapientia eius, qui talem nexum Dei & hominis, sublimitatis & vilitatis fecit, vt humilitatem nostram ad tantam dignitatem extolleret! Quid moror? Nullum est attributum, nulla perfectio Dei, quæ in Domino nostro Iesu Christo non in immensum clarius atque perfectius, quàm in omnibus rebus creatis simul acceptis, eluceat. Sic ergo ex Christi humanitate ad eius diuinitatem contemplandam ascendes, quidquid virtutis & perfectionis, quidquid pulchritudinis & amabilitatis in hoc homine & capite hominum videris, id totum excellentissimo modo in Deo pones, & illi attribues; sic per hoc opus gratiæ perfectius, quàm ex cunctis aliis operibus naturæ, & gratiæ, authorem gratiæ cognosces.

Deus plusquã Pater est.

Psal. 87. 8.

Ex Christi humanitate ad diuinitatem trãseundum.

A

B

C

D

E

Similiter in consideratione beatæ Virginis, & Angelorum, & Sanctorum, & iustorum procedes. Omnes perfectiones eorum tamquam riuulos immensi maris diuinæ perfectionis cogitabis. Hanc vt originem illarum virtutum, & perfectionum, & vt finem ad quem tendunt, & vt exiguæ scintillulæ illius infiniti ignis intueberis. Comparatione cuius non tantùm exiguæ sunt, verùm & omnino non sunt. Si enim vnigenitus filius secundùm naturam assumtam comparatione Deitatis se bonum appellare veretur. Dixitque ad quemdam: Quid me dicis bonum? Nemo bonus, nisi solus Deus.] Quantominus reliqui Sancti & Angeli ad Deum comparati boni aut sancti, aut pulchri, aut diuites dicendi sunt? Hanc immensam perfectionem admiraberis, hanc veneraberis, in ea omnem spem collocabis, hanc vnicè diliges, huic seruire & obsequi statues, eam secundùm possibilitatem tuam imitari gesties. Magis in amoris affectibus (prout suprà expositi sunt) quàm in perscrutatione immoraberis, & sic per hos gradus, nempe per opera naturæ & gratiæ, nonnullam Dei cognitionem assequeris.

Eadem ratione, qua Christus (subaudi) B. V. & Angeli considerãdi.

Marci 10. 18.

Lib. 4. p. 3. c. 12.

De cognitione Dei per sacram Scripturam.

CAPVT VI.

Ad cognitionẽ affirmatiua valet meditatio scripturarũ.

VALET etiam ad hanc cognitionem Dei per affirmationem, qua ei omnium perfectiones tribuimus, meditatio sacrarum Scripturarum, in quibus Deus non tantùm suam voluntatem multis modis manifestauit, sed etiam suam essentiæ vnitatem, personarum Trinitatem, & omnia suæ Maiestatis attributa patefecit. Est scriptura quasi epistola Dei ad Ecclesiam missa, in qua de se credenda & contemplanda scribit, facienda, ad suum cultum, & ad fœlicitatem æternam assequendam præscribit, vitanda & fugienda proponit. Est velut magnum speculum, in quo seipsum, & sua opera, & nosmetipsos oculis interioribus obiicit, vt eum cognoscentes diligamus, sua iudicia veneremur, nosipsos despiciamus, & secundùm quod ipse docet, vitam nostram instituamus. Non est nostrum recensere summam excellentiam ac præstantiam scripturarum, sed solùm rationem ex illis cognoscendi Deum breuiter explicare. Ideo prætereo, quomodo materia sacræ Scripturæ est multiplex mysterium Dei, quod naturalis lux non assequitur. Item quomodo author eius est ipse Deus, finis Christus effectus illuminatio nostri intellectus, inflammatio affectus, reformatio actus: proprietates infallibilis veritas, mira profunditas. Hæc, inquam, & alia similia tractatoribus Scripturarum relinquenda sunt, & id solum quod ad materiam contemplationis attinet attingendum.

S. Scriptura est quasi Epistola Dei ad nos data. Et velut speculũ.

Ad S. scripturæ intellectum, cordis puritas præstat librorum lectioni assiduæ.

Scito, ergo, ô vir Dei, qui post victoriam tui, & emendationem morum tuorum, ad donum contemplationis anhelas, te iam id quod præcipuum est habere, vt sacras Scripturas intelligas. Ad quarum intellectum non tam peritia litterarum, & assidua lectio multorum commentariorum, quàm puritas cordis exigitur. Quælibet enim scriptura intelligenda est eo spiritu quo scripta est. Vnde cùm sacræ Scripturæ ab Spiritu sancto dictatæ sint, qui est spiritus puritatis, mundus spiritus, & à peccatis & vitiis defæcatus,

ad eas perſcrutandas erit aptiſſimus; & quo purior, eo erit ad ipſas intelligendas magis idoneus. *Caſſ. lib. 3. de Caſtrimar. c. 3. 4.* Sententia fuit Ioannis Caſſiani, Monachum ad Scripturarum notitiam pertingere cupientem, nequaquam debere labores ſuos erga commentariorum libros impendere, ſed potiùs omnem mentis induſtriam, & intentionem cordis erga emundationem vitiorum carnalium detinere. Quibus expultis, confeſtim cordis oculi, ſublato velamine, paſſionum, ſacramenta Scripturarum, velut naturaliter, incipient contemplari. Siquidem nobis non vt eſſent incognita vel obſcura, ſancti Spiritus gratia promulgata ſunt, ſed noſtro vitio, velamine peccatorum cordis oculos obnubente, redduntur obſcura: quibus rurſus naturali reditis ſanitati, ipſa Scripturarum ſanctarum lectio ad contemplationem veræ ſcientiæ abundè etiam ſola ſufficiat, nec eos commentariorum inſtitutionibus indigere. Sicut oculi iſti carnales ad videndum nullius egent doctrina, ſi modò fuerint à ſuffuſione vel caligine cæcitatis immunes.] *Mitis Caſſiani verborũ interpretatio.* Huius viri ſenſus ſi eum tantiſper leniamus, & benignè interpretemur, verus eſt. Nec enim intendit reiiciendos eſſe commentarios in Scripturam à ſanctis Patribus & Doctoribus elaboratos, quos ipſe in libris de Incarnatione ſatis eſt veneratus, ſed non tam in his, quàm in quærenda puritate cordis ad intelligendas Scripturas eſſe collocandam induſtriam. Quæ puritas, ſi defuerit, paſſionum immoderantia oculos mentis ne intelligat vim ſermonis obducet, aut in immenſum aucta (vt in miſeris hæreticis videmus) ſenſus veram intelligentiam euertet. *Sap. 4.* Nónne ſcriptum eſt: Quoniam in maleuolam animam non introibit ſapientia, neque habitabit in corpore ſubdito peccatis?] Id itaque intendit, malitiam inprimis eſſe deponendam, vt Dei verba non vt picæ ſolùm loquamur, ſed vt homines intelligamus. Cùm etiam ait cordis oculos à vitiis mundatos velut naturaliter ſacras Scripturas contemplaturos, hanc cognitionem naturalem non putat, ſed ſuauiſſimam, ac ſi eſſet naturalis, affirmat. *Notitia ſcripturarum ſupernaturalis eſt. Pſal. 118. 18. 34.* Notitia enim Scripturarum, & aſſenſus quo ſcripta illa ſacroſancta credimus, ſupernaturalis eſt, quem à Domino poſtulamus, dicentes: Reuela oculos meos, & conſiderabo mirabilia de lege tua.] Et: Da mihi intellectum, & ſcrutabor legem tuam, & cuſtodiam illam in toto corde meo.] Si ergo tu puritati cordis ſtudes, magnum adiumentum habes vt in Scripturis ſacris Dei cognitionem inuenias, & ad contemplationem iuueris.

Lege itaque ſacram Scripturam, & qui alios libros ſanctorum Patrum, & piorum virorum euoluis, hunc librum librorum, librum Dei, ab ipſomet ſcriptum, ab eius ſpiritu dictatum, ad tuam eruditionem & perfectionem promulgatum diligentiùs euolue. *Hieron. prologo. in epiſt. ad Epheſ.* Hieronymus ſanè non ſemel pias fœminas ad ſacræ Scripturæ lectionem hortatur. Vt autem multa eius prætermittam, cerne ad Paulam & Euſtochium; ſic ſcribit. *Meditatio ſcripturarũ ſapiẽtem virũ inter mundi turbines æquo animo eſſe perſuadet.* Si quid eſt, inquit, quod in hac vita ſapientem virum teneat, & inter preſſuras & turbines mundi æquo animo manere perſuadeat, id eſſe vel primum reor meditationem & ſcientiam Scripturarum. Cùm enim à cæteris animantibus hoc vel maximè differamus, quod rationale animal ſumus, & loqui poſſumus: ratio autem omnis & ſermo diuinis libris contineatur, per quos & Deum diſcimus, & quare creati ſumus non ignoramus, miror quoſdam extitiſſe, qui aut ipſi ſe inertiæ & ſomno dantes, nolint, quæ præclara ſunt, diſcere, aut cæteros, qui id ſtudij habent, reprehendendos putent, &c. Si fœminis hoc dicitur, quanto magis hominibus non omnino inerudi-tis, & Deum ſitientibus diceretur? Legant proinde Scripturas, & qui Dominum ſuum per alios loquentem audiunt, per ſeipſum loquentem, & ſingula verba dictantem audire non negligant. Aqua veritatis purior ex fonte quàm ex riuulo bibitur. Cæteri libri, quantumuis ſancti & eruditi, riuuli ſunt, Scriptura autem ſacra eſt limpidiſſimus fons veritatis, ex ea igitur aqua hæc præcipuè bibenda eſt, qua noſtra ſitis extinguatur.

Ad S. ſcripturæ lectionẽ tempus quottidie deſtinandum. Hugo lib. de inſt. nouit. c. 8. Habebis itaque quottidie tempus deſtinatum, in quo ſacram Scripturam legas, non quidem vt ſubtilitates diſcas, hoc enim non omnium eſt, & ad ſtudium litterarum pertinet, ſed vt animam tuam ad vitæ emendationem, & ad Dei amorem allicias, & ad contemplationem compoñas. Hoc genus lectionis ſacræ Scripturæ Hugo Victorinus ſuadet his verbis: Vos autem, fratres, qui ſcholam diſciplinæ iam intraſtis, in lectione diuina prius debetis quærere, quod mores veſtros inſtruat ad virtutem, quàm quod ſenſum acuat ad ſubtilitatem: magiſque velle informari præceptis Scripturarum, quàm quæſtionibus impediri. Cùm igitur diuinas Scripturas legitis, ſolerter perpendite quid ibi dictum ſit ad excitandum in vobis amorem Dei: quid ad contemtum ſæculi, quid ad cauendas inſidias inimici, quid ad bonos affectus nutriendos, & praua deſideria extinguenda valeat, & quid citius cor per compunctionis ardorem accendat, quid diſciplinam in opere, quid humilitatem in cogitatione, quid patientiam in aduerſis habere doceat: quid denique ad agenda bona ſecurum, & ad mala cauenda doceat eſſe circumſpectum. Hoc modo lecta Scriptura intelligentiam confert ſalutarem: & hanc ipſam ſapientiam (quam pro virtute libenter deſpicitis) melius poſtmodum per virtutem inuenietis.] Si hac pura & diſcreta intentione ad diuinas Scripturas legendas acceſſeris, *Apoc. 6. 1.* Agnus aperiet tibi librum, & ſoluet ſignacula eius, vt ipſummet ad amorem & imitationem intelligas. Dabit tibi lucem, vt lucem videas, & vt calore eius ſpiritu calefias. *Iſaiæ 11. 2.* Super te requieſcet ſpiritus Domini, qui requieſcit, non ſuper arrogantes, qui ſolùm quærunt ſuam ſcientiam venditare, ſed ſuper humilem, & quietum, & trementem ad ſermonem Domini. *Sap. 10. 10.* Eſt hæc ſcientia Sanctorum, id eſt, rerum ſanctarum. Cui autem hæc abundantiùs dabitur, niſi illi qui in rebus ſanctis quærit ſanctitatem, & eas ad virtutum adeptionem euoluit.

Præſcripto lectionis tempore pauca ex libro legẽda, ſed in lectis multa meditanda. Tria præcipuè in quolibet ſcriptura loco facere oportet. 1. Mẽtem attollere. Hoc tempore codicem ſacræ Scripturæ accipies, vel ſolùm ſi intelligas, vel ſimul cum aliqua breui paraphraſi, aut ſimplici commentariolo (ſunt namque multi ad hoc propoſitum apti) quoad intelligentiam inſtruaris. Accipies, inquam, non tam ad legendum, quàm ad conſiderandum quæ minutatim legeris: atqui ex profeſſo pauca leges, multa autem meditaberis, multa ad emendationem vitæ deliberabis, multíſque affectibus reficieris. Tria ergo in quolibet loco Scripturæ, quem legeris, facies. Primò attolles mentem in Deum, quem ibi expreſsè, aut tacitè ſcriptum reperies, vt authorem omnis boni, largitorem omnis doni, ac deteſtatorem omnis peccati. Secundò ad teipſum deſcendes, & quid acceperis,

2. Ad semetipsũ descendere.

3. Ad Deũ postulando regredi.

Gen. 1.1. Præscribitur methodus in illis verbis in principio creauit Deus, &c.

aut de quo admonearis considerabis. Tertiò ad Dominum tuum postulando & desiderando regredieris. Accipe exemplum. In principio creauit Deus cœlum & terram.] Cùm hæc legis, leua mentem ad Deum, & considera quantus sit ille, quàm sapiens, quàm bonus, quàm potens, qui cœlum & terram, id est, omnia, tum visibilia, tum inuisibilia, nomine cœli & terræ comprehensa, solo iussu ex nihilo produxit. Adora maiestatem illam, quæ tam mirabilia fecit, & gratias age, quia pro te fecit. Deinde deprime cogitatum tuum ad hæc omnia facta, & ad teipsum vnum ex omnibus, & vide quàm impensè debeas amare illum, qui tibi esse, & omnia, quæ intus & extrà possides, dedit, & per creaturas illi ad nutum seruientes, te amare, & ipsi obsequi docet, atque huic obligationi respondere contende. Tandem regredere ad Dominum: lauda ipsum, & exalta, & gratias age pro hoc opere creationis. Postula, vt illi, ceu creatura eius, in omnibus subiectus existas, & præceptis, ac instinctibus eius obedias. Terra autem erat inanis & vacua, & tenebræ erant super faciem abyssi, & spiritus Domini ferebatur super aquas. Efferes oculos mentis ad Deum, & videbis eum esse authorem diuitiarum, & bonorum terræ, quæ quia nondum dederat, ideo inanis, & vacua, & tenebrosa erat. Et post paululum diues, & luce perfusa fuit, quia Spiritus sanctus Domini aquas fouebat, & vim ad gignendum communicabat. Rursus descendes ad teipsum, & videbis te inanem, & vacuum, & caligine circumfusum, quia ob tuam culpam & socordiam nondum accepisti lucem sapientiæ, nec thesaurum virtutis & amoris, vt diteris. Tunc ad Deum redibis, & vt suo spiritu te foueat, & viuificet, & fructiferum faciat, postulabis. Dixitque Deus: Fiat lux, & facta est lux. Vide quàm pulcher est ille, qui lucem iubendo produxit, quàm splendidus erit ille increatus sol, qui creaturam tam pulchram imperio suo super omnem creaturam corpoream effudit. Transi ad teipsum, & expende quàm indigus sis interioris lucis, & quid ipsa factura sit in te ad similitudinem corporeæ lucis cùm illam acceperis. Regredere ad Dominum, & eum adora, & lauda, & ama vt authorem huius duplicis lucis, tum corporalis, tum spiritualis, & hanc tibi maximè necessariam ardenter postula.

Gen. 1.2.

Gen. 1.3.

Ad præscriptum meditationis genus Euãgelia, & Pauli epistolæ magis apta.

Hæc ad exemplum sufficiant. Licèt autem omnis Scriptura apta sit ad hoc meditationis genus, tu tamen præcipuè leges euangelicam historiam, & Pauli Epistolas. In Euangeliis enim & Epistolis Christus exemplar perfectionis tibi palàm ostenditur, quem debes ad finem, quem intendis, puritatis animæ tuæ, & assequutionis doni contemplationis in omnibus æmulari. Si autem audire aues, quem fructum ex sacra Scriptura sic lecta percipies, id optimè ex verbis Gregorij ita scribentis elicies: Super omnipotentem delitiis affluere, est, in amore illius Scripturæ sacræ epulis satiari. In cuius nimirum verbis tot delitias inuenimus, quot ad profectum nostrum intelligentiæ diuersitates accipimus, vt modò nuda nos pascat historia, modò sub textu litteræ velata medullitus nos reficiat moralis allegoria, modò ad altiora suspendat contemplatio, in præsentis vitæ tenebris iam de lumine æternitatis intermicans. Et sciendum, quòd quisquis delitiis affluit, in quadam sui remissione soluitur, atque à laboris studio, quasi ex lassitudine, relaxatur: quia nimirum anima, cùm internis delitiis abundare cœperit, terrenis iam operibus incubare minimè consentit, sed amore conditoris capta, & sua captiuitate iam libera, ad contemplandam eius speciem deficiendo suspirat, & quasi lassescendo conualescit: quia dum sordida onera portare iam non valet, ad illum per quietem properat, quem intus amat. Hinc etiam in admiratione sponsæ scriptum est: Quæ est ista quæ ascendit de deserto delitiis affluens? Quia nimirum sancta Ecclesia, nisi verborum Dei delitiis affluret, de deserto vitæ præsentis ascendere ad superiora non posset. Delitiis ergo affluit, & ascendit: quia dum mysticis intelligentiis pascitur, ad superna quottidie contemplanda subleuatur. Hinc etiam Psalmista ait: Et nox illuminatio mea in delitiis meis: quia dum per intellectum mysticum studiosa mens reficitur, iam in ea vitæ præsentis obscuritas fulgore diei subsequentis illuminatur, vt etiam in huius corruptionis caligine in intellectum illius vis futuri luminis erumpat, & verborum delitiis pasta prægustando discat, quid de pabulo veritatis esuriat.] Sic ille. Duo ergo sunt fructus huius lectionis, seu meditationis sacræ. Alter quòd à terrenis auertimur, alter quòd ad amorem cœlestium subleuamur. Amor autem cœlestium oculos aperit, vt mens ea, quæ amat clariùs, & quietiùs contemplari possit.

Greg. 16. mor. c. 9.

Hac sacra lectione à terrenis auertimur, & ad amorẽ cœlestiũ subleuamur.

De cognitione Dei per negationem.

CAPVT VII.

Cognitionem affirmatiuam negatiua sequatur necesse est.

COGNITO Deo per affirmationem, siue attributionem omnium perfectionum, quæ in rebus creatis inueniuntur, supereſt vt eum cognoscamus per negationem. Est autem hæc cognitio (vt iam dictum est) qua à Deo omnes creaturarum perfectiones subtrahimus, quia non sunt in eo modo quo nos concipimus, sed alio modo in infinitum perfectiori, quem ignoramus. Sic cognoscimus ac cogitamus Deum non esse substantiam, nec sapientiam, nec bonitatem, nec potentiam; quia est substantia, super omnem creatam ac conceptam à nobis substantiam, de qua ait Dauid: Et substantia mea tamquam nihilum ante te.] Est sapientia super omnem sapientiam, bonitas super omnem bonitatem, & potentia infinitè eleuata super omnem potentiam. Quare vocatur superens, supersapientissimus, superoptimus, & superpotentissimus, quia quod nos perfectionis cogitamus comparatione illius supernæ Deitatis nihil omnino est. Sic etiam dicimus non esse lucem, nec splendorem, nec pulchritudinem, quia est lux, ad quam hæc lux comparata est velut tenebræ, est splendor, cuius comparatione omnis splendor Solis, & Lunæ, & stellarum, & Angelorum, & hominum est tetra caligo: est pulchritudo, in cuius conspectu omnis creata pulchritudo non est aliud, quàm mera deformitas: idque significant verba Damasceni: Sunt porrò nonnulla, quæ tametsi per affirmationem de Deo dicantur, præcellentis tamen negationis vim habent, verbi gratia, cùm de Deo verba facientes tenebrarum vocem vsurpamus, non caliginem nobis animo proponimus, sed quòd lux non sit, verùm lumine sublimior,

Psal. 38. 6.

Damasc. 1. de fid. c. 4.

In hac ignoratione omnium creaturarum cognoſcimus Deum, & ſub hac caligine eum adoramus & colimus, de quo ſcriptum eſt: Dominus dixit, vt habitaret in nebula. Et quia vocauit Dominus Moyſem de medio caliginis. Hunc quoque cognoſcendi modum ſubindicat Iob, cùm ait: Stetit quidam, cuius non agnoſcebam vultum, imago coram oculis meis. Nam quid eſt, Deum coram nobis ſtare, niſi ſe nobis præſentiſſimum exhibere? Et quid eſt, eius vultum non agnoſci, niſi quaſi ſub quadam caligine Maieſtatem eius intueri? Quin & Gregorius putat, in ſibilo auræ tenuis, in quo Dominus apparuit Eliæ notitiam iſtam Dei per negationem deſignari. Sed ſpiritui commotionis & igni, ait, non ineſſe Dominus dicitur, eſſe verò in ſibilo auræ tenuis non negatur: quia nimirum mens, cùm in contemplationis ſublimitate ſuſpenditur, quidquid perfectè perſpicere valet, Deus non eſt. Cùm verò ſubtile aliquid conſpicit, hoc eſt, quod de incomprehenſibili ſubſtantia æternitatis audit. Quaſi enim ſibilum tenuis auræ percipimus, cùm ſaporem in circumſcriptæ veritatis contemplatione ſubita ſubtiliter deguſtamus. Tunc ergo verum eſt quod de Deo cognoſcimus, cùm plenè nos aliquid de illo cognoſcere non poſſe ſentimus.] Itaque Deum hac ratione cognoſcere, quaſi nihil cognoſcere eſt, quia omne creatum abiicimus, vt ignotè (quemadmodum dixit Dionyſius) ipſi fonti omnis ſubſtantiæ & pulchritudinis per amorem copulemur.

De hac etiam perfectiſſima notitia Dei fortè ſponſa gloriabatur, cùm tranſcurſis ac relictis vigilibus, Inueni, inquit, quem diligit anima mea.] Oportet enim ciuitatem quoque cœleſtem tranſilire, & angelicos ſpiritus præterire, vt Deum hoc modo valeamus contemplari. Excipe nunc quo pacto Gregorius Niſſenus hunc intellectum attingat. Interrogauit illa: Numquid vos quem diligit anima mea, vidiſtis? cùm autem illi tacuiſſent ad eam interrogationem, & ſilentio indicaſſent illis quoque eſſe incomprehenſibile id quod apud eos quæritur, poſtquam nimis curioſo ſtudio cogitationis egreſſa eſt illam ſupermundanam ciuitatem, tunc relicto vniuerſo quod inueniebatur, ita cognouit id quod quærebatur, cuius omne ſignum ac indicium comprehendens, fit impedimentum iis, qui quærunt, ad eius inuentionem. Propterea dicit; quamprimùm parùm ab eis tranſij relicta omni materia, & prætermiſſo vniuerſo quod intelligitur in creatura, & dimiſſa omni via & ratione comprehendendi, inueni eum, qui diligitur, &c. Omnia ergo creata relinquenda ſunt, & fortiſſima mentis auerſione deſerenda, vt aliquid ſupra vniuerſa Dei opera cogitemus, in quo ipſum quaſi abſconditum inſpiciamus. Ibi autem mens, quanto minus creaturarum conſpicit, tanto magis amore illius, quem intellectualiter præſentem ſentit, ardeſcit. Quo preſente, vt ait Richardus Victorinus, innouatur anima, & quaſi ei adhærens ſentit interni guſtus dulcedinem, intelligentiam ſpiritualem, fidei illuminationem, ſpei augmentum, charitatis incentiuum, compaſſionis affectum, iuſtitiæ zelum, delectationem virtutum; habet in oratione cum Deo familiare colloquium, audiri ſe ſentiens, plurimúmque exaudiri, facie ad faciem cum Deo loquens, & audiens quid loquatur in ea Dominus Deus, in oratione Deum cogens, & interdum eum conuincens.] Non eſt illa notitia arida, quam de Deo per omnium ſubtractionem habemus, ex qua in voluntate tam præſtantes affectus emergunt. Quamquam reuerentialis quidam timor illius diuinæ magnitudinis ſequitur, quem cùm nihil omnium eſſe profitemur, eum in infinitum maiorem omnibus cogitamus.

Sed vt huius cognitionis Dei perfectio ampliùs innoteſcat, ſcire oportet, aliud eſſe diſcurſu quodam & ratiocinatione omnem perfectionem creatam à Deo amouere (quod eſt facillimum, & quiſque vel mediocriter exercitatus poteſt facere) aliud verò abiectis omnibus creaturis conceptum Dei (poſitiuum in ſcholis vocant) in mente formare, & aliquid increatum ſine vlla imagine creaturæ internis oculis intueri. Hoc autem per iſtam oblationem à Deo perfectionum creatarum intendimus. Quod vel ipſa ſimilitudo ſuprapoſita ſculpturæ artis manifeſtat. Poſt illam enim ablationem partium ligni, remanet imago, quæ Chriſtum, aut aliquem ex Sanctis perfectiſſimè repræſentat. Sic ablatis omnibus creatis perfectionibus, conceptus Dei manet, qui perfectius, quàm quilibet alius conceptus ex perfectionibus creatis deſumtus, Deum nobis manifeſtat. Audiamus autem Gerſonem hoc apertè dicentem, & prædictum ſimile luculentiſſimè explicantem. Exemplum (inquit) palpabile dat ipſe Dionyſius pro manuductione huius Theologiæ myſticæ. Conſidera fabricatorem ſtatuarum, nónne hic format imaginem, vel ſtatuam, non addens quicquam, ſed reſcindens, & remouens, ex qua ſubtractione remanet agalma (id eſt, ſimulachrum) pulcherrimum, imago pulchra figurata, vel ſculpta? Sic agit ſuo modo meditantis animus, dum ab hoc conceptu vago connotatiuo, ſcilicet hoc ens, & illud ens, qui conceptus habetur ex rebus exterioribus ſenſatis, intra facit abſtractionem modo præclarato. Remouendo ab hoc conceptu vago quicquid eſt imperfectionis in entibus cognitis per phantaſmata. Et quia nullum eſt cauſſatum ens, quin ſit imperfectum, negat meritò omne ens tale à Deo, quia diminutum, quia dependens, quia potentiale, quia defectibile, & ita de reliquis imperfectionibus. Qua abſtractione facta dici nequit, quòd nihil remaneat in abſtrahentis animo cognitum, quin potiùs reſultat agalma pulcherrimum, ſeu (iuxta communiorem philoſophantium loquutionem) remanet conceptus entis perfecti denudatus ab omni imperfectione. Et huiuſmodi eſt proprius Dei conceptus abſolutus, licèt non intuitiuus, de quo Dominus ad Moyſem: Ego ſum qui ſum. Hæc dices filiis Iſraël: Qui eſt miſit me ad vos, & hoc modo iuxta verbum propheticum eſt vnum nomen Domini Dei.] Hæc Gerſon. Sic itaque omnia creata negamus & abiicimus, vt nequaquam vacui remaneamus, ſed aliquem de Deo conceptum formemus: Qui neque eſt lucis, neque ignis, neque alicuius rei ſenſibilis, aut intelligibilis ex his, quæ creata ſunt, ſed eſt Dei increati, & immenſi, à quo omne creatum, veluti imperfectum, ac limitatum, remouimus. Ipſe autem Dominus, qui dixit de tenebris lucem ſplendeſcere, ſolet in his tenebris, quas latibulum ſuum poſuit, aliquid ſui manifeſtare, quod omne illud à nobis per affirmationem poſitum in immenſum excedit.

3. Reg. 8. 12. Exod. 24. 16. Iob 4. 16.

3. Reg. 19. 12.

Greg. 1. mor. c. 27.

Dionyſ. de myſt. Theol. c...

Cant. 3. 4.

Vt Deum per negationē noſcamus, oportet cœlos ipſos, & Angelos tranſilire, Niſſe. hō. 6. in Cāt.

Richard. in Cant. c. 5.

Per hāc negationem perfectionū creatarū de Deo conceptū poſitiuū, nō negatiuum, intendimus. Gerſon de ſimplificatione cordis no. cula 8.

2. Cor. 4. 6. Pſal. 17. 12.

Conceptus per hanc ablationem habitus duplex est.

Hæc adhuc maiori expositione egent. Conceptus igitur iste, qui à nobis per omnium ablationem de Deo potest formari, duplex est. Alter quem habemus per communem gratiam, & per proprium laborem & industriam, qua consuecuimus meditari; alter quem accipimus ex gratia quadam extraordinaria, & ex immissione Dei volentis nos ad actum contemplationis efferre. Ille primus (vt vir spiritualis experiri potest) admodum obscurus est, & confusus, sufficiens tamen vt intellectum occupet, & voluntatem ad ardentissimos amoris affectus inflammet. Animus enim Deo, quem supra omnia esse concipit, quasi mergitur, & in quadam solitudine creaturarum constitutus liberiùs ad amandum extenditur, & efficaciùs summi boni desideriis afficitur. Secundus verò sublimior est sine vlla comparatione, & intra latitudinem status nostri mortalis, splendidior & manifestior, qui pertinet ad eum gradum contemplationis, qui dicitur diuina caligo, de quo infrà (Deo dante) sumus dicturi. Hîc verò vnum simile, quo aliquid intelligatur, afferamus. Solet mare nube & nebula ita operiri, vt nihil eius videatur, secundùm illud Domini ad Iob: Cùm ponerem nubem vestimentum eius, & caligine illud quasi pannis infantiæ obuoluerem.] Fac ergo duos homines per cliuum montis ex cuius summitate mare videatur iter facere; quorum alter mare quidem viderit, alter verò numquam viderit: Ille interrogatus ab isto quale sit mare, respondet: Mare non est vt stagnum, non est vt puteus, non est vt lacuna, non est vt fons, non est vt torrens, sed aliquid in immensum maius; non est vt flumen quantumuis magnum, sed in infinitum copiosius. Inter hos autem sermones, quos ad inuicem conferunt, veniunt ad verticem montis, ex quo aspicitur mare. Tunc autem dicit ille qui interrogabatur. Heus tu: Ecce mare. Hic autem aspiciens videt nebulam mari offusam, cuius nullum terminum reperit: videt, & ad tantam immensitatem obstupescit. Solet autem hæc nebula, nunc quidem obscurior esse ac densior, nunc clarior & rarior, & pro eius diuersitate magis aut minus quid sit infra nebulam innotescit. O lector, nónne Dominus dixit, vt habitaret in nebula? Idipsum euenit interdum habentibus contemplationis donum. Qui cùm à Deo omnem perfectionem creatam subtrahunt, & in his negationibus exercentur. Tu Deus meus non es ens, vt ego ens cognosco, sed super omne ens. Tu non es sapiens, vt ego cogito, sed super omnem sapientiam, & cætera, conceptum tantæ Maiestatis effingunt, & quasi nebulam quamdam aspiciunt, & lucem tam splendidam intermicantem, & veluti per rimulas nebulæ se ostentantem intuentur, vt eam nos cogitare non valeamus. Hæc autem nebula, aut hæc lux, non est Deus, sed est aliquid, quod ipsum præsentem manifestat, & ad ineffabilem reuerentiam, & castissimum timorem, & ardentissimum amorem prouocat.

Simile.

Iob 38.9.

3. Reg. 8. 12.

A

B

C

D

Huius cognitionis Dei fortè Gregorius meminit, cùm animam contemplantem ita describit: Quicquid enim de omnipotente Deo humana mens potest cogitare, Deus non est. Sed dum cogitando cuncta transcendit, dum quicquid potest intimæ lucis, quicquid internæ suauitatis, & dulcedinis, quicquid spiritualis delectationis sibi fingere, minus illa esse creditur: ad quamdam lucem tamen peruenit, quæ non est Deus, sed quam inhabitat Deus, & quia tunc electi anima mirabiliter inflammatur, mirabiliter reficitur, ineffabiliter delectatione fruitur; cogitare compellitur, quàm ineffabilis lux, dulcedo, & delectatio sit, quæ ipse sit: si tam immensa lux est illa, quam inhabitat, & non est ipse. Ad Dominum quippe in Bethel Moyses ascenderat, quando cum eo in monte loquebatur. Sed qui ad lucem peruenerat, quam inhabitat Deus: lucem, quæ ipse Deus erat, quærebat, dicens: Ostende mihi faciem tuam. De quo etiam scriptum est: Quia loquebatur Moysi Dominus facie ad faciem. Quid est quod facie ad faciem Moyses cum Domino loquitur, & tamen Dominum obsecrat, vt faciem suam Dominus ostendat? Sed facies Dei, cognitio eius est. Cognoscitur autem Deus per speculum, cognoscitur per seipsum. Per speculum hic; per semetipsum in cœlo. Speculum verò est illa lux, quam habitat Deus: ipse autem lux illa, quæ ipse est. Moyses autem, qui facie ad faciem Deum videre dicitur, & eius faciem ad videndum postulare, quid rectius designat quàm perfectionem electorum, qui iam speculum illius summæ lucis intuentur; sed tamen ad ipsam lucis veritatem pertingere, vehementer cupiunt? Ista quidem cognitio lucis, electorum desideria satiare non nouit, sed excitare: illa verò & satiare, & excitare. Nam tam iocunda res est, vt ineffabiliter concupiscatur, & tam plena, vt qui iam semper hanc in magno desiderio viderunt, semper ineffabili plenitudine satientur.] Hucusque Gregorius. Sed hæc in suum locum relinquamus, ac finem huic tractationi de apparatibus ad contemplationem imponamus, & ex his, quæ dicta sunt, quantæ sit dignitatis contemplationis donum vtcumque coniectemur. Si enim magna & pretiosa non nisi pro magnis exiguntur, ingens donum profecto contemplatio est, ad quam animus sine prædictis rebus, verè magnis, & pretiosis, præparatus non est. Studeat ergo animus diligenter suæ puritati per abiectionem peccatorum, & imperfectionum, & per virtutum ornatum diuinam præsentiam exquirat, dicens cum Propheta: Quæsiui vultum tuum, vultum tuum Domine requiram, ne auertas faciem tuam à me. Demum per istos meditationis creaturarum gradus ad Deum cognoscendum & diligendum ascendat, atque in his omnibus perseueret, vt quod in se est cum gratia Dei exequens se aptum atque idoneum reddat ad tantum bonum consequendum.

Greg. lib. 4. in 1. Reg. ad c. 20.

Ingens Dei donù contemplatio est.

ORATIO.

CReator omnium Deus, ſine quo nihil prorſus eſt validum, nihil ſanctum, nihil omnino validum ad faciendum, nihil ſanctum ad placendum: multiplica ſuper nos indignos ſeruulos tuos te ſitientes, te ſuſpirantes prælargam miſericordiam tuam, vt quos per miſericordiam ad tuam familiaritatem vocas, per immenſum amorem tuum noſtrorum peccatorum oblitus ad eamdem familiaritatem admittas. Purifica, quæſumus, corda noſtra igne amoris tui, vt culpas & imperfectiones noſtras deteſtemur, & nihil tibi inuiſum, minúſve gratum in eo manere ſuſtineamus. Orna vitam noſtram multiplici virtute & imitatione puritatis vnigeniti filij tui, qua ſimiles ei facti à conſpectu tuo non repellamur. Aperi ianuam cogitationis ſanctiſſimæ præſentiæ tuæ vt omnia coram te Rege ac Patre noſtro, & cogitemus, & loquamur, & exequamur: vt ſic à lege & voluntate tua non exorbitemus. Sit tandem vita noſtra perpetua quædam oratio, & continens quidam amor tuus, vt quod in æternum in ea cœleſti patria, quam ſperamus, à nobis fiet, hîc per tuam benignitatem incipiat. Amen.

PARS SECVNDA

De natura contemplationis.

INTRODVCTIO.

Iob 38. 24. ANIMVS *his, quæ diximus, ad contemplationem præparatus à nobis interrogat illud, quod ſcriptum eſt in Iob: Per quam viam ſpargitur lux, diuiditur æſtus ſuper terram.*] *Interrogat, inquam, quænam ſit hæc contemplationis via tam deſiderata, tantis laboribus quæſita, tantis orationibus & gemitibus poſtulata, per quam nobis lux diuina vtcumque aperitur, & æſtus amoris Dei vehemens in cordibus noſtris infunditur. Nam & ſi alia orationis mentalis genera lucem & amorem afferant, longè tamen inferiora reperientur, ſi cum hac via contemplationis conferantur. Hæc via ſatis occulta eſt: quare Dominus interrogat de ea Iob, vt eum ad tacendum, & ad ſua iudicia veneranda perducat: Dic mihi, per quam viam ſpargitur lux? Id eſt, vt exponit Gregorius,* Greg. 29. mor. c. 12. *dum dura corda emollio, dum rigida inflecto, dum aſpera mitigo, dum frigida accendo, dum debilia roboro, dum vaga ſtabilio, dum nutantia confirmo, intuere, ſi vales, incorporaliter veniens, quibus ea meatibus illuſtro.*] *Hoc, quod Dominus Deus rogauit à Iob, rogat nunc à me, qui ſe ad contemplationem parauit, vt ſcilicet dicam illi, quænam ſit iſta contemplationis via, ad quam ingrediendam tanta exegi, & tanta per eam ambulantibus danda promiſi. Ego autem aptè reſpondebo, & apertè, primò naturam & poſtea gradus contemplationis explicabo, ſi Dominus ipſe, qui Doctor & dux eſt huius viæ per ſtylum meum eam monſtrare voluerit. Illuſtra, quæſo, Domine Deus intellectum meum, & verſa calamum meum, vt de re tam ſublimi vera loquar, & hæc legentes ad amorem contemplationis accendam.*

Contemplatio propriè quid ſit.

CAPVT I.

Contemplatio eſt finis & quies laborũ, complementũ deſideriorum, &c.

SVMENDVM eſt initium ab ipſa contemplationis natura; ſed hanc quis poterit pro dignitate explicare? Eſt enim contemplatio requies laborum, complementum deſideriorum, perfectio virtutum, præmium abnegationis, finis orationis, & ad aſſequendam mentis puritatem inſtrumentum efficaciſſimum. Hæc inter omnia exercitia mentalia eſt rectior, eſt clarior, eſt mundior, eſt ſecurior, eſt quietior, eſt iucundior, eſt permanentior, eſt ſublimior, eſt rarior, eſt vitæ beatæ ſimilior. Hæc eſt gladius, quo ſuperflua noſtra perfectiùs

A amputamus, & ſepulchrum non horribile, ſed deſiderabile, in quo à perturbatione mentis abſcondimur. De amatoribus illius poteſt intelligi illud Iob: Qui expectant mortem, & non venit, quaſi effodientes theſaurum: gaudéntque vehementer cùm inuenerint ſepulchrum.] Mortem quidem expectant, tum carnis, qua ad eam quottidie ſe præparant: tum mentis, qua peccatis vt prauis affectibus occumbant, & Deo viuant; ſecundùm illud: Mortui enim eſtis, ſed vita veſtra abſcondita eſt cum Chriſto in Deo.] Quamdiu verò hæc mors deſiderata plenè non venit, ſunt quaſi effodientes theſaurum. Laborant quippe, vt eam mortem, quam ditiſſimũ theſaurum putant, inueniant. Gaudent verò vehementer cùm ſepulchrũ cõtemplationis inueniunt, quia in eo hanc mortẽ, qua perfectè mũdo moriantur, &

Iob 3. 21.

Coloſſ. 3. 3.

B

hunc

hunc thesaurũ, quo diuites sunt, virtutũ accipiunt. Sicut enim (verba sunt Gregorij) sepulchrum locus est, quo absconditur corpus, ita diuina contemplatio quoddam sepulchrum est mentis, quo absconditur anima. Quasi enim huic adhuc mundo viuimus, cùm mente in eum foris vagamur: sed mortui in sepulchro abscondimur, cùm mortificati exteriùs, in secreto internæ contemplationis celamur. Sancti igitur viri ab importunitate desideriorum temporalium, à tumultu inutilium curarum, à clamore perstrepentium perturbationum semetipsos sacri verbi gladio mortificare non desinunt, atque intus ante Dei faciem in sinu mentis abscondunt.] Neque ad sepulchri nomen paueamus: nam contemplatio sepulchrum est concupiscentiis nostris, palatium autem regale menti nostræ. Nam quod, rogo, palatium augustius facie Dei? Sed ea est quæ contemplantes abscondit, secundùm illud: Abscondes eos in abscondito faciei tuæ, à conturbatione hominum.] Qui cùm in conspectu Dei astant, ita ab eo proteguntur, vt ex affectibus suis perturbationem non sentiant.

Hæc omnia in contemplationem optimè quadrant. At definitionem eius diligentiùs inquiramus: Patres enim multas contemplationis definitiones tradiderunt. Augustinus ait: Contemplatio est perspicuæ veritatis iucunda admiratio.] Bernardus verò: Contemplatio est mentis in Deum suspensa eleuatio, æternæ dulcedinis gaudia degustans.] Et alibi: Est verus certúsque intuitus animæ de quacumque re, siue apprehensio veri non dubia.] Richardus de sancto Victore: Est libera mentis perspicacia in sapientiæ spectacula cum admiratione suspensa. Vel: Est perspicax, & liber animi contuitus in res perspiciendas vsquequaque diffusus.] Hæc & alia ad manifestationem contemplationis dicuntur, sed nos apertioribus verbis, ex dictis tamen Patrum acceptis, eam exponamus.

Contemplatio (vt nobis quidem videtur) est liber, perspicax, & certus intuitus Dei, ac rerum cœlestium admirationem inferens, in amorem desinens, atque ex amore procedens. Quæ verba si intelligamus, contemplationis natura erit nobis manifesta, quare singula minutatim explicemus. Est igitur contemplatio intuitus siue intuitio, quoniam (vt Gerson optimè tradit) non est opus rationis discurrentis & inquirentis veritatem, sicut meditatio; sed opus intelligentiæ veritatem absque omni discursu simpliciter inspicientis. Intellectus enim humanus in rationem & intelligentiam, non tamquam in duas partes, sed tamquam in duo eiusdem potentiæ officia diuiditur. Ratio est instar pedum, quia huc illúcque discurrit, & ad multa & varia ordinatè se mouet, vt veritatem inueniat. Intelligentia verò est instar oculi, quoniam inuentam veritatem simpliciter, & sine labore respicit, & ex illo simplici aspectu, qui contemplatio est, incredibilem voluptatem sumit. Hic est oculus, quo Deus in Canticis se fatetur vulneratum: Vulnerasti cor meum, inquit, soror mea sponsa, vulnerasti cor meum in vno oculorum tuorum.] Vnus iste oculus, vt Bonauentura interpretatur, est aspectus intelligentiæ simplex, amorem Dei inducens, quo Deus ipse ita dulciter vulneratur, vt ad intimum amorem animæ prouocetur. Est (inquam) oculus, cuius opus est simplex quidam & columbinus aspectus sine vllo labore productus, multis tamen fructibus ex illo ab anima perceptis cumulatus: nam sicut Angeli cum summa iucunditate vident faciem Patris qui in cœlis est, & videndo suam fœlicitatem possident; ita certo quodam modo (de quo postea) contemplationis dono signati bonum iucundè vident, & magnum fructum suarum animarum tenent. Tandem hic intuitus aliquando discursum sequitur, quo veritatem, vt perfectionem aliquam diuinam indagauimus, quem discursum Deus contemplatione perficit, & animum admiratione suspendit: aliquando verò sine vllo præuio discursu, Deo ita animam eleuante, talis ei intuitus communicatur. Quare dicit Richardus: Semper autem contemplatio est in rebus vel per sui naturam manifestis, vel per studium familiariter notis, vel ex diuina reuelatione perspicuis. Et hoc fortè est illud Canticorum: Comedite, amici, & inebriamini charissimi. Quia nimirum nonnulli, quasi mandendo & masticando veritatem per meditationem, ad eius gustum & fructum perueniunt, alij verò sine labore meditationis atque discursus, ac si abundè torrente voluptatis potarentur, ipsam veritatem intuentur.

Nunc huius intuitus qualitates aduertito, vt contemplationis nomen mereatur. Est enim intuitus quidam liber. Liber quidem tripliciter. Primò ex parte hominis habentis illum: qui liber esse debet à peccatis, à prauis seu inordinatis affectibus, & à curis superfluis. A peccatis sanè, quoniam æterna veritas dicit: Qui facit peccatum, seruus est peccati. Ab inordinatis verò affectibus, quia, vt Gregorius ait, Liber dimittitur, qui calcatis terrenis desideriis, ab appetitione rerum temporalium securitate mentis exoneratur.] A curis denique superfluis, quia curæ velut compedes sunt, quæ animam volare non sinunt, & velut zizania, quæ bonum semen suffocant, ne in fructum desideratum assurgat. Secundò hic intuitus est liber ex ipsomet actu. Nam animus rebus terrenis expeditus, quasi auis in aëre, quocumque Deus illum fert, liberrimo motu vagatur. Iam se ad suprema effert, iam se in infimis, id est, in propria sui cognitione demergit. Iam circum apparentia celerrimo aspectu concludit. Tandem liber ex eo ipso quod intuetur: nam illud vel ab imaginibus sensibilibus nudum, vel imaginibus ipsis sibi patefactum contemplatur. Quod si obscurum appareat, statim intelligetur.

Est deinde intuitus perspicax, id est, clarus, apertus, conspicuus eorum quæ contemplamur. Cùm enim oculus intelligentiæ sit sanus per gratiam, & mundus per rerum visibilium contemtum, clarè potest ea, quæ obiiciuntur, intueri. Non tamen ideo dicitur intuitus contemplationis clarus, & perspicax, quia anima contemplantis Deum in hac vita clarè videat, aut Angelos, & animas vt in se sunt, & alia spiritualia conspiciat: absit. Sed quia lux sapientiæ, cuius opus est contemplatio, vt postea dicemus, ita fidem perficit, ita intellectum exacuit, ita interioribus oculis splendorem præbet, vt ad eius præsentiam comparatione prioris cognitionis, quam meditatione habebamus, hæc simplex cognitio clara & aperta videatur. Per opus meditationis videtur pulchritudo Dei ac rerum spiritualium, velut picta, quæ parum mouet: per opus contemplationis velut viua, & vera, quæ omnes nostros affectus & amores abripit. Per illam offertur ira & vltio diuina,

Greg. 5. mor. c. 5.

Psal. 30. 21.

Patres variè cõtemplationem definiũt. Aug. lib. de spirit. & anima. c. 32. Bern. lib. de scal. claustral. 2. de cõsid. c. 2. Richard. 1. de contem. c. 4.

Contemplatio rectè definitur, est liber, perspicax, & certus intuitus Dei, &c. Gerson myst. th. specul. cõsid. 24. & 25.

Quid ratio in homine, quid intelligentia.

Cant. 4. 9.

Bonau. 3. itinere æternit. dist. 2.

Richar. 1. de contempl. c. 3.

Cant. 5. 1.

Hic intuitus triplicitèr est liber.

Greg. 30. mor. c. 12.

Est perspicax.

Per meditationem pulchritudo Dei videtur vt picta, per contemplationem vt viua.

vt leo mortuus, aut certè ſopitus, quem ex omni parte cum nonnullo timore circumſpicimus. Per hanc repræſentatur vt leo viuus, & rugiens, ad cuius occurſum, ſuprà quàm dici poteſt, expaueſcimus. Fructus & immutatio vitæ noſtræ ex meditatione ſolet eſſe tarda, & quaſi ambulans; ex contemplatione celerrima, & quaſi volatu ad omnem perfectionem ſubleuans. Hæc autem maior claritas in cognoſcendo, & efficacitas in mouendo, nomine perſpicacitatis denotatur. At res cœleſtes non in ſeipſis videmus, ſed vt ait Paulus, in ſpeculo, & in ænigmate: aut ſi abſque phantaſmatibus creaturarum, non tamen ita vt conceptus rerum vt in ſe ſunt formetur, ſed ita vt conceptus quidam (abſtractiuum ſcholæ vocant) proprius tamen, & nulli alij rei conueniens habeatur. Cuius rei maiorem declarationem, inferiùs inuenies.

Inf. p. 3. c. 1.

Eſt præterea intuitus certus; nec id ad perſpicacitatem ſupponitur, ſed magis ex illa procedit. Ex eo quippe quòd Deum & res diuinas clariùs perſpicimus, de illis certiores reddimur. In ſcientiis humanis prior eſſe videtur certitudo, quàm claritas; quia hæc perfecta eſt in illis, quam euidentiam vocant. At quia claritas contemplationis non eſt ita euidens, cùm fidei obſcuritatem non excludat, ſed tantùm perficiat, fit vt potiùs ad illam certitudo ſequatur. Eſt autem hæc certitudo quædam adhæſio non dubia, ſed firma ad illud, quod contemplamur, qua anima quaſi contrectat ſe diuina & cœleſtia ſentire, & de rebus vt ſunt iudicare. Nam ſicut ille qui probè cognoſcit aurum, ſi illud poſſideat, ex colore illius, ex pondere & ex effectibus certus eſt quia poſſidet aurum. Ita animus contemplantis ex rebus altiſſimis, & Deo digniſſimis, quas de illo percipit, ex reuerentia erga illas, & æſtimatione, quam de illis habet, & ex virtute ad mundi deſpicientiam, & ad omne bonum, & ex aliis admirandis effectibus, quos in ſe ſentit, certus eſt vera eſſe & magna, quæ illa ſimplici intuitione perſpicit.

Eſt intuitus Dei, ac rerum cœleſtiũ.

Eſt item intuitus Dei ac rerum cœleſtium. Quoniam contemplatio vt poſtea dicendum eſt, præcipuè verſatur circa Deum, qua Deum eſſe ipſum eſſe cognoſcimus, aut ea quæ in ipſo ſunt ſecundùm rationem naturalem, aut ſupra rationem, aut etiam quodammodo præter rationem inſpicimus. Secundùm rationem eſt, quòd Deus eſt ſapiens, bonus, potens, iuſtus, miſericors, & alia attributa huius generis. Super rationem eſt, quòd Deus nos ad finem ſupernaturalem condiderit, ſcilicet ad ſui viſionem, quòd nobis gratiam infuderit, & amicos ſuos fecerit, quòd ad redemtionem noſtram filium vnigenitum dederit. Præter rationem eſſe videtur, quòd Deus ſit vnus in eſſentia, & Trinus perſonis, & reliqua, quæ ad Trinitatis myſterium pertinent. In horum anima contemplatione & aſpectu quieſcit. Hic cum exultatione dicit: Sub vmbra illius, quem deſideraueram ſedi, & fructus eius dulcis gutturi meo.] Hæc enim vmbra Domini, in qua eum velatum aſpicimus, tam clara & ſerena eſt, vt nos tranquillare ſufficiat. Quo loco Bernardus: Fortaſſis fœlicius aliquid iſta expertam ſe gloriatur, in eo quòd ſe in vmbra dicit non (vt Propheta) viuere, ſed ſediſſe. Sedere enim quieſcere eſt. Plus eſt autem quieſcere in vmbra, quàm viuere; ſicut viuere plus eſt, quàm tantummodo eſſe in ea. Igitur

Cant. 2. 3.

Bern. ſer. 48. in Cant.

A quod eſt commune multorum Propheta aſſumens ſibi: In vmbra eius viuimus, inquit; ſponſa verò habens prærogatiuam, etiam quòd ſub ea ſingulariter ſederit, gloriatur. Non vt illi pluraliter, viuimus, dixit, ita & hîc ſedimus, ſed ſingulariter, ſedi, vt agnoſcas prærogatiuam. Vbi itaque nos cum labore viuimus, qui conſcij peccatorum ſub timore ſeruimus, ibi hæc deuota & amans ſuauiter requieſcit. Vnde ait: Et fructus eius dulcis gutturi meo: guſtum contemplationis ſignificans, quem obtinuerat per amorem ſuauiter ſubleuata. At iſtud in vmbra, quia per ſpeculum in ænigmate, &c. Non autem Deum ſolum, verumetiam Chriſti humanitatem, & B. Virginem, & Angelos, & Sanctos, B & noſipſos, & in vniuerſum omnem fidei veritatem contemplatione cognoſcimus, cùm ea non per diſcurſum, ſed poſt diſcurſum, aut Dei illuſtratione per intuitionem aſpicimus. Quæ omnia nomine rerum cœleſtium intelliguntur, quoniam ad affectus cœleſtium excitandos ordinantur. Id autem indicauit Bernardus vocans contemplationem intuitum animæ de quacumque re. Et Dionyſius Richelius ita contemplationem diffiniens: Eſt ſupereſſentialis diuinitatis, & eorum, quæ referuntur ad eam, affectuoſa, promta, atque ſincera cognitio.

Bern. 2. de conſid. c. 2. Dion. r. de contẽpl. 3.

Hic intuitus admirationem maximam infert: quoniam licèt cognita ſæpe, & meditata inſpiciantur, tamen tam inſolito modo proponuntur, vt ea C noua, & admirabilia, & ſtupenda ſe oſtendant. Hinc autem elicitur aſpectum quemdam diuinæ præſentiæ, aut alicuius diuinæ perfectionis, qui admirationem non inferat, eſſe quidem veluti contemplationem quamdam inchoatam, quia ſine diſcurſu eſt, aut effigiem quamdam contemplationis, non tamen contemplationem perfectam. Hæc enim in admirationem rapit, aut magna ex parte animum ſtupore ſuſpendit.

Hic intuitus parit admirationem.

Tandem contemplatio Chriſtiana atque perfecta (de hac namque ſemper loquimur) à vera charitate & amore Dei incipit, & in amorem deſinit. In quo Doctores de hac re loquentes manifeſtè conſentiunt. Thomas Aquinas ait: Vita contemplatiua præcipuè conſiſtit in contemplatione Dei, ad quam mouet charitas.] Et poſtea: Vita contemplatiua, licèt principaliter conſiſtit in intellectu, principium tamen habet in affectu: in quantum videlicet aliquis ex charitate ad Dei contemplationem incitatur. Et quia finis reſpondet principio, inde eſt quòd etiam terminus & finis contemplatiuæ vitæ habet eſſe in affectu: dum ſcilicet aliquis in viſione rei amatæ delectatur, & iſta delectatio rei viſæ ampliùs excitat amorem.] Hæc ille. Et Richardus Victorinus aduertit, quòd nato Iuda (per quem intelligit amorem ſummi boni) Rachel filios appetit, quin amore Dei incitatur, vt illum velit per contemplationem agnoſcere: vbi enim eſt amor, ibi eſt oculus, & libenter aſpicimus, quem multum diligimus. Et dum magis aſpicimus, magis æſtu amoris accendimur. Alios infrà adducemus. Offertur igitur intellectui ſummum verum, quod videat, & voluntati ſummum bonum quod diligat. Expanditur ante illam opipara menſa ciborum cœleſtium, in qua paſcatur, quorum ſuauitatem præguſtans omnes cibos Ægypti, id eſt, delitias mundi faſtidit. Si charitate, aut neceſſitate poſcente, ab hac menſa diſcedat, illud ſolum eius deſiderium eſt, ad menſam redire, & cibis

Chriſtiana & perfecta contemplatio ab amore Dei incipit, & in amorem deſinit. D. Th. 22. q. 180 ar. 7. corp. & ad 1.

Richard. Beniam. c. 13.

pretioſiſſimis ſaginari, dicitque cum Iob: Si dormiero dicam: Quando conſurgam? Et rurſum expectabo veſperam.] Contemplatio ſomnus eſt, ex quo anima deſiderat ſurgere, quando ſtatuit ad actionem ex Dei voluntate reuocata, ſanctè & diligenter operari. Sed in actione poſita rurſum expectat veſperam, quia ad ſomnum contemplationis anhelat. In eo profectò ad virtutem omnem roboratur, ad fœlicitatem cœleſtibus donis decoratur, & ad vnionem Deo ſimilis redditur. Hæc breuiter ad exponendam contemplationis naturam dicta ſint, quæ quia maiorem exquirunt indaginem, ideo in ſequentibus ea ſigillatim exponemus.

Contemplationem præcipuè circa diuinitatem verſari; alia autem in ordine ad Deum non excludere.

CAPVT II.

Contemplationis obiectum eſt quidquid Dei charitatem inflammat.

ILLVD, circa quod inſpiciendum verſatur contemplatio, in ſcholis vocatur contemplationis obiectum. Nunc autem ex profeſſo tractamus quódnam hoc ſit. Et id quidem ex ipſo fine, in quem contemplatio terminatur, non difficulter elicitur. Concedit enim Deus hoc donum contemplationis animabus, vt eas ſuo amore compleat, & ad perfectionem efferat. De illis ergo erit contemplatio, quæ amorem Dei excitant, & deſiderium omnis ſanctitatis inflammant. Primum autem ac præcipuum, quod potentius amoris ac deſiderij puritatis eſt cauſſa, eſt mirabilis perfectio Dei. Nam Deus eſt ſummum & æternum bonum: quare ſuper omnia alia ipſe cognitus & inſpectus nos ad ſui amorem prouocat; & hic amor eſt, qui efficacius, quàm quodlibet aliud opus mentem purificat, & diuinæ legi ſubiicit. Eſt itaque contemplatio, nunc de ipſo mirabili eſſe Dei, quod nobis ad ſtuporem & ardorem dilectionis obiicitur: nunc de multiplici perfectione ipſius, vt de immenſitate, bonitate, ſapientia, & cæteris, quæ de ipſo Scriptura proponit: nunc de magnis & pretioſis beneficiis ipſius, quibus in nos ſuam benignitatem declarauit. Ac breuiter de illis omnibus, quæ luculenter Ioannes Caſſianus attigit in hunc modum ſcribens: Contemplatio verò Dei (inquit) multifariè concipitur. Nam Deus non ſola incomprehenſibilis illius ſubſtantiæ ſuæ admiratione cognoſcitur, quod tamen adhuc in ſpe promiſſionis abſconditum eſt, ſed etiam creaturarum ſuarum magnitudine, vel æquitatis ſuæ conſideratione, vel quottidianæ diſpenſationis auxilio peruidetur; quum ſcilicet quæ cum Sanctis ſuis per ſingulas generationes egerit, mente puriſſima perluſtramus, cùm potentiam ipſius, qua vniuerſa gubernat, moderatur, ac regit: cùm immenſitatem ſcientiæ eius, & oculum, quem ſecreta cordium latere non poſſunt, trementi corde miramur, cùm arenæ maris, vndarúmque numerum dimenſum ei cognitúmque pauidi cogitamus; cùm pluuiarum guttas; cùm ſæculorum dies, & horas; cùm præterita futuráve vniuerſa obſtupeſcentes ſcientiæ eius aſſiſtere contemplamur; cùm ineffabilem clementiam eius conſideramus, qua innumera flagitia, quæ ſingulis quibúſque momentis ſub ipſius committuntur aſpectu, indefeſſa longanimitate ſuſtentat; cùm intuemur vocationem, qua nos, nullis præcedentibus meritis, gratia ſuæ miſerationis adſciuit; cùm denique quot occaſiones ſalutis tribuit adoptandis, cum quodam admirationis intuemur exceſſu; quòd ita nos naſci præcepit, vt ab ipſis cunabulis gratiæ nobis, legíſque ſuæ notitia traderetur; quòd ipſe aduerſarium vincens in nobis, pro ſolo bonæ voluntatis aſſenſu æterna beatitudine, ac perpetuis nos præmiis muneratur; cùm poſtremò diſpenſationem incarnationis ſuæ pro noſtra ſalute ſuſcepit, ac mirabilia myſteriorum ſuorum in cunctis gentibus dilatauit. Sunt aliæ quoque huiuſmodi contemplationes innumeræ, quæ pro qualitate vitæ, ac puritate cordis in noſtris ſenſibus oriuntur, quibus Deus vel videtur mundis obtutibus, vel tenetur.] Sic ille. Hæc omnia, vel aliquid horum præcipuè contemplatio reſpicit, non quidem diſcurrendo, nec ratiocinando, quia ſic contemplatio non eſſet, ſed ſimpliciter intuendo veritatem iam cognitam & in tuitione ipſa Dei amorem & alios affectus excitando; quos labor & induſtria non exprimit, ſed voluntas ſuauiſſimè tacta, quaſi ſponte progignit.

Secundũ Chriſtus hominũ vindex.

Secundo loco eſt contemplatio de Chriſto ſaluatore noſtro, cuius ſacra humanitas poſt diuinitatem eſt maximum excitatorium amoris & admirationis. In eo animus à Deo afflatus nunc ingreditur ad diuinitatem, nunc egreditur ad humanitatem, & in ingreſſu & in egreſſu paſcua vberrima inuenit, quibus reficiatur atque pingueſcat. In hoc latiſſimo contemplationis campo mens non vno modo ſe habet. Nam modò Chriſtus quaſi per partes aliquod vitæ ſuæ myſterium, vt incarnationem, natiuitatem, circumciſionem, apparitionem, miraculorum operationem, prædicationem, paſſionem, aut aliquid ſimile oſtendit; nunc totus ſimul apparet. In illa prima contemplandi ratione omnis ille diſcurſus abigitur, quo meditatio cauſſas, effectus, & circumſtantias myſteriorum rimatur, & omnia hæc anima in Chriſto naſcente, aut patiente perſpicacitate vnius aſpectus intuetur. Et cùm intellectus ſine labore eſt illo ſimplici aſpectu occupatus, voluntas protenſis amoris velis, & flatu ſancti Spiritus impulſa quàm longiſſimè à terrenis diſcedit, & ad imitationem cœleſtium accedit. In ſecunda verò ratione contemplationis non vnus ſemper Chriſtus, ſed quaſi varius ſe exhibet. Nunc vt Dominus, nunc vt iudex, nunc vt Pater, nunc vt frater, nunc vt ſponſus, nunc vt amicus, nunc vt omnia hæc, & vt totum animæ bonum aſpicitur, & quidquid in eo aſpicitur, in incitamentum amoris & caſtiſſimorum affectuum vertitur. Nunc quaſi ad modum fulguris immenſa pietas, & miſericordia & amabilitas eius oſtenditur; nunc diſtricta iudicia & ſeueritas declaratur, nunc puritas, & ſanctitas, aut aliqua ex eius virtutibus aperitur. Et ſecundùm qualitatem perfectionis viſæ anima vel amore accenditur, vel timore concutitur, vel admiratione & ſtupore comprimitur. Nunc corporis immenſa pulchritudo illius, qui ſpecioſus eſt forma præ filiis hominum, & ſuauiſſima illa maieſtas quaſi prope nos ſtare cognoſcitur, & animus

Pſal. 44. 3.

Caſſian. coll. 1. c. 15.

Primum amoris motiuum eſt ipſe Deus.

dilecti ſocietate liquefactus indicibili ſuauitate & tranquillitate lætatur. Hæc breuiter perſtricta ſint, vt ſciamus Chriſtum Dominum materiam eſſe contemplationis altiſſimæ. Nam ſicut gemma pretioſa per ſe quidem grata eſt, non tamen minus grata artificis induſtria annulo aureo diligentiùs incluſa: ita Deus per ſe admirabilis eſt, & amabilis, ſed non minus admirabilis & amabilis pro nobis homo factus, & noſtra infirmitate circumdatus.

Suauiſſima Bernardi verba de modo Chriſtũ contemplandi. Bern ſer. 31. in Cant.

Ne tamen prætereamus verba Bernardi, qui hos diuerſos modos à Domino aſſumtos cùm animæ contemplanti ſui copiam facit, putat diuerſis nominibus, quibus in Canticis nominatur, ſignari. Aduertiſti, inquit, in hoc amatorio carmine, quotiens mutauerit vultum, & in quanta multitudine dulcedinis ſuæ coram dilecta dignatus ſit transformari, & quomodo nunc quidem inſtar verecundi ſponſi ſanctæ animæ ſecretos petat amplexus, & oſculis delectetur: nunc verò in oleo & vnguentis medicum exhibere appareat, nimirum propter teneras & infirmas animas iſtiuſmodi adhuc indigentes fomentis & medicamentis, vnde & delicato adoleſcentularum nomine deſignantur. Si muſſitet quis, audiet quia non eſt opus ſanis medicus, ſed malè habentibus. Nunc rurſum quaſi viator quiſpiam itinerantibus ſponſæ ſimul atque adoleſcentulis ſeſe aſſocians, iucundiſſimis confabulationibus ſuis à labore viæ omnem releuat comitatum, ita vt eo diſcedente loquantur: Nónne cor noſtrum ardens erat in nobis de Ieſu, dum loqueretur nobis in via? Fœcundus comes, qui in ſermonum & morum ſuauitate ſuorum, tamquam in quadam ſuaueolentia ſpirantium vnguentorum poſt ſe currere faciat vniuerſos, vnde & dicunt: In odorem vnguentorum tuorum curremus. Item aliquando occurrens quaſi prædiues aliquis paterfamilias qui in domo ſua abundet panibus, immo tamquam Rex magnificus & potens, qui ſponſæ pauperis videatur puſillanimitatem exigere, prouocare cupiditatem, demonſtrans illi omnia deſiderabilia gloriæ ſuæ, diuitias torcularium ac promtuariorum, hortorum, & agrorum copias, demum etiam introducens eam in ipſa ſecreta cubiculi. Nimirum confidit in ea cor viri ſui, & non eſt ex omnibus, quod ab illa exiſtimet abſcondendum, quam redemit in opem, probauit fidelem, amplexatur amabilem. Atque ita non ceſſat ſiue hoc, ſiue illo modo interno iugiter apparere conſpectui quærentium ſe, vt ſermo impleatur, quem dixit: Ecce ego vobiſcum ſum vſque ad conſummationem ſæculi. Et in his omnibus ſuauis, & mitis, & multæ miſericordiæ. Nam in oſculis quidem affectuoſum, & blandum: in oleo autem, & in pigmentis atque vnguentis clementem & affluentem viſceribus pietatis, & compaſſionis; porrò in via hilarem, affabilem, plenum gratiæ, & ſolatij; in oſtenſione verò diuitiarum ac poſſeſſionum munificum ſe, ac largum, pro regia liberalitate remuneratorem demonſtrat.] Sic ille. Meritò autem Saluator noſter quaſi effigies mutat, & diuerſa munera ad animæ vtilitatem vſurpat, vt ipſa ſciat, in eo eſſe omne bonum, & ſic magis diligat, & extra illum bonum non quærat. Abſurdè enim per varia cum labore quæritur, quod in vno perfectiſſimè & iucundiſſimè poſſidetur.

Tertiò eſt perfecta contemplatio de patria cœleſti, & de bonis illis æternis, quæ Sanctis parata ſunt. Hîc anima Angelorum naturam, gratiam, & gloriam, Sanctorum labores pro Deo in hac vita ſuſceptos, ſanctitatem & fœlicitatem: Reginæ Sanctorum Mariæ viſcera erga genus humanum, altitudinem, & opes matre Dei dignas intuetur, & illam ciuitatem pacis & perpetuæ claritatis admiratur. In ictu oculi plura & maiora per contemplationem de illo ſtatu Beatorum perſpicacius videt, quàm in multo tempore meditationis antea cognouerat. Sordet illi terra & quidquid terrenum eſt, cùm illi cœli ſplendor aperitur. Dicítque deſiderio æſtuans: Quàm dilecta tabernacula tua, Domine virtutum; concupiſcit & deficit anima mea in atria Domini.] Et: Beati qui habitant in domo tua Domine; in ſæcula ſæculorum laudabunt te.] Laudátque illam vitam omnibus delitiis pleniſſimam his aut ſimilibus verbis: O vita vitalis, vita ſempiterna, & ſempiternè beata, vbi gaudium ſine mœrore, requies ſine labore, dignitas ſine tremore, opes ſine amiſſione, ſanitas ſine languore, abundantia ſine defectione, vita ſine morte, perpetuitas ſine corruptione, beatitudo ſine calamitate. Vbi omnia bona in charitate perfecta, vbi ſpecies, & viſio facie ad faciem, vbi plena ſcientia in omnibus & per omnia, vbi ſumma Dei bonitas cernitur, & lumen illuminans à Sanctis glorificatur, vbi præſens maieſtas Dei conſpicitur, & hoc vitæ cibo ſine defectu mens intuentium ſatiatur. Vident ſemper, & videre deſiderant, ſine anxietate deſiderant, & ſine faſtidio ſatiantur. Vbi verus ſol iuſtitiæ mira ſuæ pulchritudinis viſione omnes reficit, & ita vniuerſos cœleſtis patriæ ciues illuminat, vt luceant ipſi, lumen videlicet illuminatum per diuinum lumen, illuminans vltra omnem Solis noſtri ſplendorem, atque cunctarum ſtellarum claritatem, immortali adhærentes Deitati: ac per hoc immortales & incorruptibiles facti iuxta promiſſionem Domini Saluatoris: Pater, quos dediſti mihi, volo vt vbi ego ſum & illi ſint mecum, vt videant claritatem meam, & omnes vnum ſint, ſicut tu Pater in me & ego in te, & ipſi in nobis vnum ſint.] His laudibus, & his affectibus anima ad deſiderium patriæ cœleſtis accenditur, & ad ſæculi deſpicientiam roboratur. Quod quanto veriùs deſpicit, tanto ſublimiùs ſapientiæ luce bona illa æterna comprehendit.

Tertium amoris motiuũ patria cœleſtis.

Pſal. 83. 2.

Pſal. 83. 5.

Aug. in manual. c. 7.

Quartò eſt contemplatio de ſtatu militantis Eccleſiæ. Proponitur enim animæ inſolita quadam luce ſanctæ huius matris noſtræ dignitas & ſanctitas. Quàm ardenter à Deo ſponſo eiusdiligatur; quàm potenter ab omni falſitate defendatur, & columna veritatis efficiatur; quàm fideliter à tentationibus & perſecutionibus tyrannorum & hæreticorum liberetur: quàm ſanctè in ritibus & cærimoniis & Dei cultu guberétur: quàm affluenter ſanctis & perfectis hominibus impleatur: quàm miſericorditer in filiis rebellibus, ſcilicet in peccatoribus ſuſtineatur, quàm infallibiliter in prædeſtinatis ad præmium vocetur. Exultat homo videns ſe tantæ matris filium, tam ſanctę cõgregationis membrum, tantæ præceptricis alumnum. Et quia ſine præcedentibus meritis ſub eius tutela manere ſe nouit, pro tam immenſo beneficio immenſas gratias agit. Quis enim non gratias agat pro illis decem beneficiis à Chryſoſtomo numeratis, quæ dum in Eccleſiam per Baptiſmum ingrederetur, accepit: Non enim, ait, recèns baptizati ſunt tantùm liberi,

Quartum ſtatus Eccleſiæ militantis.

Chryſ. Homilia ad Neophytos.

sed & Sancti; nec tantùm Sancti, sed & iusti; nec solùm iusti, sed & filij; nec solùm filij, sed & hæredes; nec solùm hæredes, sed & fratres Christi; nec tantùm fratres Christi, sed & cohæredes; nec solùm cohæredes, sed & membra; nec membra tantùm, sed & templum; nec tantùm templum, sed organa spiritus.] Alia est ergo facies Ecclesiæ cùm inaduertenter aspicitur, aut cùm per lucem contemplationis videtur. Quia quod priùs quasi cæci sine æstimatione & gratitudine tenebamus, postea thesaurum cognoscentes, grati & exultantes, & præ amore subsilientes custodimus.

Quintũ mundus hic visibilis. Rich. de contemp. lib. 1. art. 3.

Quintò, est contemplatio de mundo hoc visibili, ac de creaturis quæ ipso continentur, quatenus nos ad Dei cognitionem & amorem extollũt. Vnde Dionysius Richelius ait: Consideratio creaturarum per habitudinem & respectum ad Deum, secundùm quod ab ipso originaliter profluũt, prouidentialiter gubernantur, ad ipsum quoque finaliter tendunt, & à Theologis cõsiderantur, ad contemplationem vtique pertinet. Sic enim Deus æternus & sanctus est finis & ratio considerationis earum, quoniam quidquid in eis consideratur, vel de ipsis cognoscitur, ad Creatoris notitiã & amorem, honorem gloriámque refertur. Qui vniuersitatis machinam idcirco tam pulchriformiter adornauit, tam sapienter distinxit, tam mirabiliter in nihilo collocauit, tanta magnitudine, multitudine, & virtute impleuit, vt ex omnium horum consideratione ipsius magnificentia cognoscatur, eius Maiestas glorificetur, eius sapientia, bonitas, pulchritudo, potestas iugiter honoretur, laudetur, atque ab omnibus admiretur.] Ostenduntur ergo homini creata hæc, vt dona Dei sibi ad vitam hãc mortalem transigendam, & æternam promerendam prærogata; vt specula ad diuinas perfectiones inspiciendas facta; vt incitamenta amoris, & vt carbones igniti ad calefaciendum cor nostrum accensi. Sunt illi creaturæ non vt decipulæ ad cadendum, sed vt instrumenta ad laudandum Deum. Et quemadmodum in socio animam ex vitæ operibus agnoscit: ita in toto mundo ex effectibus diuinæ prouidentiæ ipsum Deum quasi per rimulas se ostendentem, & vbique præsentem deprehendit. Et ea quæ sensibus percipit non sunt sibi causæ distractionis, sed excitatoria feruoris. Sicque rebus ad necessitatem cum cordis simplicitate vtitur, vt vtendo non fœdetur, sed quasi armis ad meliùs seruiendum, & feruentiùs amandum instruatur.

Sextum nosmetipsi, quia contemplamur quales simus. & qui, quid operaturi, quid à Deo speraturi. Quid operaturi simus Deus declarat nobis.

Sextò, contemplatio est de nobismetipsis; in qua innotescit nobis, qui & quales simus, quid operaturi simus, & quid de benignitate Domini sperare debeamus. Ad hæc spectare videntur tria illa contemplationis genera à Bernardo mirè exposita, iuxta quæ quid de nobisipsis per contemplationem patefiat tractabimus. Exordientes autem ab eo quod secundo loco propositum est, ostendit se animæ Deus, non aliter quàm vt Dominus, vel vt gubernator, qui facienda & omittenda præscribit. Tunc verò absque ambagibus breuissimè & celerrimè suam voluntatem declarat. Nonnumquam plurima & perfectissima ab ea anima contemplatrice exigit, & simul robur & alacritatem ad ea præstanda tribuit. Interdùm proponit quantam seueritatem erga corpus, quantam abstractionem à sensibus & sensibilibus, quantam elongationẽ ab amicis & sociis, quantámque creaturarum solitudinem ab ea requirat, adeò vt simul cum promtitudine voluntatis natura corpore quasi auxilio ad suam infirmitatem necessariò destituta, mirum in modum affligatur, & velut pusilla in lacrymas resoluatur. Et tamen non reliquitur, sed nunc benignissimus Pater eius imbecillitate condescendit; nunc ad perferendum eam idoneam reddit. De hac autem contemplationis parte potest intelligi illud Bernardi: Est locus apud sponsum de quo sua iura decernit, & disponit consilia ipse vniuersitatis gubernator, leges constituens omni creaturæ, pondus, & mensuram, & numerum. Et locus iste altus & secretus, sed minimè quietus. Nam etsi ipse quantum in se est disponit omnia suauiter, disponit tamen, & contemplantem qui fortè eò loci peruenerit quiescere nõ permittit: sed mirabiliter, quamuis delectabiliter, rimantem & admirãtem fatigat, redditque inquietum. Pulchrè vtrumque in consequentibus sponsa exprimit, & delectationẽ videlicet istiusmodi contemplationis, & inquietudinem, vbi & se dormire, & cor suum vigilare fatetur. Nam in somno suauissimi stuporis, placidæque admirationis sentire quietem, in vigiliis verò inquietæ nihilominus curiositatis ac laboriosæ exercitationis pati se fatigationem significat. Hinc beatus Iob: Si dormiero, ait, dico, quando consurgam? & rursus expectabo vesperam. Sentísne in his verbis sanctam animam velle interdum molestam quodammodo declinare suauitatem, eamdémque rursum suauem molestiam affectare? Non enim dixisset, quando consurgam, si ex toto ei quies illa suæ contemplationis placuisset: sed etsi ex toto displicuisset, non denuo expectasset horam quietis, id est, vesperam.

Bernard. serm. 23. in Cant.

Iterum innotescit animæ in contemplatione ad eius humilitatem, & ad concipiendum castum timorem, qualis sit. Tunc autem post multos annos in Domini obsequio non seguiter positos, post multa virtutis opera, post innumerabiles gemitus & perfectionis desideria, se tam nudam virtutis & alienam à perfectione aspicit, ac si numquã vitam secundùm Deum incepisset, ac si nihil virtutis didicisset. Opera bona quibus intendit, sibi videntur fœda & imperfecta, & prorsus indigna quæ in cõspectu diuinæ Maiestatis appareant; & planè in æstimatione ipsius tamquam pannus menstruatæ vniuersæ iustitiæ suæ. Tunc magno timore concutitur, ne ingrata sit illi, quem summè diligit, & ne ab eius amore & fruitione reiiciatur. Ad hoc pertinet quod subiungit idem Bernardus: Est item locus de quo super rationalem reprobam quidem creaturam immobilis vigilat secretissima & seuerissima animaduersio iusti iudicis Dei terribilis in consiliis super filios hominum. Cernitur, inquam, à timorato contemplatore hoc loco Deus, iusto, sed occulto, iudicio suo reproborum, nec diluens mala, nec acceptans bona, insuper & corda indurans, ne fortè doleant, & resipiscant, & conuertantur, & sanet eos. Et hoc non absque certa & æterna ratione, quod tanto formidolosius constat esse, quanto immobilius fixum extat in æternitate. Pauendum valde, quod in Propheta de huiusmodi legimus, vbi loquens ad Angelos suos Deus sic ait: Misereamur impio. Quibus pauẽtibus atque quærentibus: Non ergo discet facere iustitiam? Non, inquit, subdénsque causam: In terra, ait, Sanctorum iniqua gessit, & non videbit gloriam Domini. Et post pauca: Quis hoc loco requiem quærat? Habet hæc visio tremorem iudicij, non securitatem cubiculi. Terribilis est locus iste, & totius expers quietis. Totus inhorrui si quando in eum raptus sum, illam apud me replicans cum tremore sententiam: Quis scit, si est dignus amore, an odio?

Quales simus.

Bernard. vbi supr.

Et poſt nonnulla:Eſt tamen Dei locus & iſte, planè non aliud,quàm domus Dei,& porta cœli. Hic nempe timeri dicitur Deus. Hic ſanctum & terribile nomen eius,& tamquam ingreſſus gloriæ.Initium planè ſapientiæ timor Domini.] Eſt tamen hic ſalubris timor animæ apprimè vtilis, quoniam ab illo ad humilitatem & ſui deſpicientiam excitatur, ad feruorem permouetur,& opera religionis & virtutum conſueta perfectiſſimè exequitur.

Poſt incuſsiũ ex propria cognitione timorem,anima in ſpẽ erigitur, & in amorem rapitur. 1.Cor. 2. 16. Bernard. ſupr.

Tandem poſt caſtum hunc timorem anima in ſpem erigitur, & ad amorem & gratitudinem inflammatur. Reuelat Dominus ei, quanto ipſam amore complectatur,quanta dona in eam contulerit,& neſcio quomodo, arrham æternæ ſalutis tribuit, & quaſi cœleſtis patriæ ingreſſum promittit. Id experiebatur Paulus,quando dicebat:Ipſe enim ſpiritus teſtimonium reddit ſpiritui noſtro, quòd ſumus filij Dei,ſi autem filij,& hæredes : hæredes quidem Dei, cohæredes autem Chriſti.] Et de hoc ſtatu Bernardus ſic ait:Sed eſt locus vbi verè quieſcens & quietus cernitur Deus,locus omnino non iudicis, non magiſtri, ſed ſponſi : & qui mihi quidem (nam de aliis neſcio) planè cubiculum ſit, ſi quando in illum contigerit introduci.Sed heu rara hora,& parua mora. Clarè ibi agnoſcitur miſericordia Domini ab æterno & vſque in æternum ſuper timentes eum. Et fœlix qui dicere poteſt:Particeps ego ſum omnium timentium te, & cuſtodientium mandata tua. Stat propoſitum Dei, ſtat ſententia pacis ſuper timentes eum,ipſorũ & diſſimulans mala,& remunerãs bona,vt miro modo eis non modò bona,ſed & mala cooperentur in bonũ. O ſolus verè beatus,cui nó imputauit Domin⁹ peccatũ.Nam qui non habuerit peccatũ,nemo.Omnes enim peccauerunt,& egent gloria Dei. Quis accuſabit tamen aduersùs electos Dei ? Sufficit mihi ad omnem iuſtitiam ſolum habere propitium,cui ſoli peccaui. Omne quod mihi ipſe non imputare decreuerit, ſic eſt quaſi non fuerit. Non peccare, Dei iuſtitia eſt : hominis iuſtitia, indulgentia Dei. Vidi hæc, & intellexi illius ſententiæ veritatem: Omnis qui natus eſt ex Deo non peccat; quia generatio cœleſtis ſeruat eum. Generatio cœleſtis, æterna prædeſtinatio eſt,qua electos ſuos Deus dilexit & gratificauit in dilecto filio ſuo ante mundi conſtitutionem ; ſic in ſancto apparentes ſibi, vt viderent virtutem ſuam,& gloriam ſuam,quo eius forent conſortes hæreditatis, cuius & apparerent conformes imaginis. Hos ergo aduerti quaſi numquam peccaſſe,quoniam & ſi qua deliquiſſe videntur in tempore,non apparent in æternitate, quia charitas Patris ipſorum cooperit multitudinem peccatorum. Et dixi beatos, quorum remiſſæ ſunt iniquitates, & quorum tecta ſunt peccata:cùm ſubitò tanta quoque mihi de me ſuborta fiducia, & infuſa lætitia eſt,quantus certè in loco horroris,id eſt,in loco ſecundæ viſionis,nõ præceſſerat timor, ita vt mihi viſus ſim tamquam vnus ex illis beatis eſſe. O ſi duraſſet ! Iterum iterúmque viſita me Deus in ſalutari tuo,ad videndum in bonitate electorum tuorum,ad lætãdum in lætitia gentis tuæ. O veræ quietis locus, & quem meritò cubiculi appellatione cenſuerim, in quo Deus non quaſi turbatus ira, nec velut diſtentus cura proſpicitur, ſed probatur voluntas eius in eo bona,& beneplacens,& perfecta. Viſio iſta non terret, ſed mulcet: in quietam curioſitatem non excitat,ſed ſedat:nec fatigat ſenſus, ſed tranquillat.Hîc verè quieſcitur. Tranquillus Deus tranquillat omnia, & quietum aſpicere, quieſcere eſt.] Hactenus Bernardus. Cognoſces autem hanc Dei viſitationem eſſe,ſi ex ea magis humilis,magis cautus, magis ſolicitus inueniaris. Sanè efficieris humilior, quia ea dona eſſe, quæ alij cuicumque dari poterant,& non tibi,non autem debita ſenties. Cautior,quia minimas quaſque imperfectiones, ne ab illa tranquillitate excedas,cauebis. Solicitior,quia bonis operibus & laudibus gratias pro tanto bono referre curabis.

Dei viſitatio humiliores, cautiores, ſolicitiores reddit.

Ergo (vt ſummatim dicam) omnis materia meditationis, eſt quoque materia contemplationis, niſi quòd meditatio inueſtigat, contemplatio deguſtat. Illa currit, hæc in itineris fine quieſcit : illa vt inueniat veritatẽ per multa vagatur,hæc ipſam inuentam veritatem ſinceriſſimè intuetur:illa tandem aliquando in rebus creatis ſiſtit, & ex earum conſideratione profectum elicit, hæc ſemper ad Deum tranſit,& illũ in quibuſcumque rebus conſpicit.Nam vt idem Bernardus ait:Hi qui ſoli Deo vacant,conſiderãtes quid ſit Deus in mundo,quid in hominibus, quid in Angelis,quid in ſeipſo,quid in reprobis : contemplantur quia Deus eſt mundi rector,& gubernator,hominum liberator,& adiutor, Angelorum ſapor & decor. In ſeipſo initium & finis, reproborum terror & horror : in creaturis mirabilis, in hominibus amabilis, in Angelis deſiderabilis, in ſeipſo incomprehenſibilis, in reprobis intolerabilis.] Hæc ille. Contemplatio igitur ita ad res creatas ſe extẽdit,vt ſemper Deum tamquam præcipuum obiectum habeat, & (vt nunc dicemus) ad eius amorem alliciat.

Denique omnis materia meditationis eſt cõtemplationis, vt incentiuum amoris.

Bern. in ſentent.

Contemplationem ſecundùm naturam ſuam in intellectu perfectorum eſſe, & in voluntatem influere.

CAPVT III.

DEvs in Cantico canticorum ſponſi nomine non ſemel expreſſus eſt, propter ardentiſſimum amorem, quo animas puras ſibi coniungit. Auſum dat illis (ô rem mirabilem) vt eum,quem Dominum & creatorem eſſe ſciunt, ſponſum vocent, & ſe non ſolùm ancillas, ſed & ſponſas exiſtiment. Hæ vt ſponſæ fideliter & vnicè eum diligunt,eius amplexus caſtiſſimos & oſcula cupiunt, & in omnibus non aliter quàm ſponſæ ſe gerunt. Ipſe verò vicem rependens eas vt ſponſas diligit, earum amori & deſiderio ſatisfacit,& ornamẽta tam ſublimi connubio digna præbet.Hinc veſtimentorum & ornamentorum ſponſæ cura atque laudatio : Odor, inquit, veſtimentorum tuorum, ſicut odor thuris.] Et:Quàm pulchri ſunt greſſus tui in calceamentis, filia principis.] Et: Murenulas aureas faciemus tibi ;] & alia ſimilia. Quia videlicet Dominus animas ſibi dilectas magnificis donis exornat. Nam ipſam ſubſtantiam animæ gratia circumdat, intellectum luce ſupernaturali illuminat, voluntatem ſpe erigit,& charitate inflammat, partem iraſcibilem & concupiſcibilem multiplici virtute decorat, ſenſus & carnem modeſtiæ & puritatis ſplendore cingit,& nihil in ea minus ornatum, minúſve decorum eſſe ſinit. Ad hoc Auguſtinus ait : Qui verbum Dei libenter audit, inaures animæ de patria paradiſi tranſmiſſas ſuſcepiſſe non dubitet. Qui admonetur vt pauperi aliquid tribuat,dum manus ad eleemoſynas expandit,dextralia à Chriſto tranſ-

Deus ſpõſus appẽlari gaudet, vt amorem clarius monſtret.

Cant.4. 11. Cant.7. 1. Cant.1. 10.

Auguſt. hom. 26. lib. hom. tom.10.

miſſa

missa percipiet. Quomodo enim terrenis ornamẽtis caro luxuriosa paruo tempore ornatur, vt carnalibus oculis aut ad suam, aut ad aliorum malè concupiscentium ruinas placere possit. Sic anima sancta diuinis sermonibus,tamquam spiritualibus & æternis bonorum operum margaritis componitur,vt ad illius sponsi cœlestis consortium, & nuptiale conuiuium fœliciter ornata perueniat.] Habet ergo anima ornamenta pulcherrima,ab sponso suo donata,immo pretio immẽso comparata, quibus ornata decenter incedat. Vnum autem istorum est contemplatio,qua quam sui partem ornatura sit ex his,quæ nunc dicemus intelligat.

Contemplatio ornamentũ oculorum animæ.

Contemplatio ornamentum est oculorum animæ,id est,intellectus,qua Deum & æterna contuetur. Cùm enim sit spiritualis quædam visio, qua diuina conspiciuntur, non potest nisi ad oculos pertinere, quorum est veritatem inspicere. Ipsa etiam solet esse finis meditationis seu inuestigationis; quia postquam veritatem inuestigauimus per meditationem,eamdem per contemplationem inspicimus.Sicut ergo meditatio opus est rationis, ita contemplatio opus erit intelligentiæ,seu intellectus.Et quidem voluntas,quam nonnulli cæcam nuncuparunt,& reuera videns non est, videre non potest. Igitur propriè non est eius contemplari, quod nihil aliud est quàm quoddam videre. Atque adeò meritò Gregorius in Rachele contemplationem intellexit, quam visum principium interpretatur:quia per eam principium omnium,qui Deus est, oculis internis inspicimus.

Greg. 6. mor. c. 18.

Inspectio ad Dei honorem ordinata dicitur contemplatio.

Non tamen quælibet inspectio Dei aut diuinorum est contemplatio Sanctorum,quam modò tractamus; sed ea,quæ ad Dei honorem & gloriam ordinatur, & voluntatem ad amorem Dei, & alios affectus sanctos excitare sentitur. Sapientes namque illos gentium non contemplatores, sed illusores dicimus. Quia cùm cognouissent Deum, non sicut Deum glorificauerunt, aut gratias egerunt; sed euanuerunt in cogitationibus suis,& obscuratum est insipiens cor eorum: dicentes enim se esse sapientes, stulti facti sunt. Egregia autem contemplatio erat illa, quæ mentem non illustrabat, sed obscurabat, non sapientiam, sed stultitiam inducebat. Contemplatio ergo Sanctorum, quæ à dono sapientiæ procedit, (vt postea dicemus) non tantùm scientes,sed sapientes facit. Sapiens autem est,non qui solùm veritatem nouit,sed qui cognoscendo prægustat. Ea cognoscitur Deus non vtcumque, sed vt dignus reuerentia, gloria,& amore. Et ideo voluntatem ad tremorem,& desideriũ glorificandi Deum ipsum, & ad amorem exsuscitat, & hoc verus contemplator intendit, ex Dei cognitione ad eius amorem allici,& ad desiderium puritatis accendi. Figuratus in Patriarcha Abraham,de quo Ambrosius ait:Non otiosus sedet,qui longè aspicit:nec aspexisse contentus, cucurrit obuiam, festinauit occurrere, quia non satis est rectè facere, nisi etiam matures quod facias.] Sic & hic non otiosè ab occupationibus se sequestrat, & Deo vacat,quia à longè eum aspicit, vt ad se pertrahat.Qui ex aspectu ad Dominum amore currit, & studio puritatis in corde susçipit, & ad bonum roboratus,omnia quæ ad se attinent,exquisitissimè perficit. Anima mea,inquit sponsa, liquefacta est, vt dilectus loquutus est. Loqui sponsi est intellectum animæ ad contemplandum excitare, & luce ad hoc præstantissimum opus perfundere. Ad auditum autem huius loquelæ sponsa liquescit, quia ad contemplationis intuitum amoris igne tacta mollescit. Contemplatio quidẽ prægustatio quædam est,& participatio illius summæ beatitudinis, quam in cœlesti patria anima sperat. Hæc autem ita est visio clara Dei,vt ad eam sequatur ardens & perfecta dilectio. Ibi videbimus te, ô Domine, sicuti es. Videbimus,& amabimus: amabimus, & sinceriſſima ac maxima fruitione replebimur. Ita & hîc, cùm animam ad opus contemplationis admittis, ex cognitione tribus, vt diligat,& ex dilectione, vt in te tamquã in summo delectabili conquiescat. Exponens Augustinus illud Domini ad Magdalenam: Noli me tangere,nondum enim ascendi ad Patrem meum. Tactum,inquit,finem facit notionis.] Quasi diceret, quòd cùm filius in sua Deitate cognoscitur, tunc copiam sui facit, vt amore tangatur. Illa ergo cognitio clara Dei talis est,vt amor ex ea pullulet. Et hæc, quæ imitatio illius est, vsque ad verum & perfectum amorem procedit.

Ioan. 20. 17. Aug. 1. de Trin. c. 9.

Contemplatio vera charitate terminatur. Luca 10. 39.

Hæc autem est caussa, quare contemplatio Dei omni virtuti & omni studiosæ actioni prẽponitur, quia in vera charitate, omnium virtutum forma, & meritorum origine terminatur. Maria ad pedes Domini sedens,& contemplationi vacans, meliorem partem elegit. Quare? Quia Christum oculis corporeis videbat? Quia aure cordis eius verbis intendebat? Non, sed quia ad aspectum & auditum ardentissimè diligebat. Vna sola Dei contemplatio est (inquit Augustinus & Cassianus) cui meritò omnia iustificationum merita, & vniuersa virtutum studia postponũtur. Quare id? Nisi quia contemplatio non est nuda veritatis etiam æternæ intuitio,sed quoad effectum inseparabilem ardens & perfecta dilectio:ex qua omnia alia bona opera progrediuntur, qua seruantur & crescunt, & qua vsque ad finem non deseruntur. Et Bernardus ait: Hæc est munditia mea, hæc fiducia, hæc iustitia, contemplatio bonitatis tuæ,bone Domine.Quare? Nisi quia de contemplatione Christiana & perfecta loquitur, comprehendente charitatem, in qua nostra munditia,& fiducia,& iustitia cõsistit.Contemplatio ergo caussam habet in voluntate, nimirum amorem Dei & veræ puritatis, quoad contemplandum accendimur, essentiam in intellectu, qua æternam veritatem inspicimus, & effectũ iterum in voluntate,nimirũ amorem charitatis, quo perfectius quàm antea Deum iam perfectiùs cognitum & perspectum amamus. Nam, vt Gregorius ait:Quòd cùm quis ipsum,quem amat viderit, in amorem ipsius ampliùs ignoscit.]

Aug. ser. 43. de tẽpore. Cassian. coll. 23. c. 3.

Bern. de amore Dei, c. 1.

Discrimen inter scientem & sapientẽ.

Greg. homil. 14. ad Ezechielem. Gers. lib. de medit. consider. 12.

Meritò ergo Gerson contemplationẽ per opus intelligentiæ & affectionis ex Richardo & Hugone describens inquit:Est liber & expeditus mentis intuitus in res perspiciendas vsquequaque diffusus,& est subleuatæ mentis iubilum,mors quędam carnalium desideriorũ, hoc est gustare quàm suauis est Dominus.] Et Albertus verè magnus post multa sic scribit: Animaduertendum est etiam in hoc differentiam inter contemplationem catholicorum fidelium, & Philosophorum Gentilium, quia contemplatio Philosophorũ est propter perfectionem contemplantis, & ideo sistit in intellectu:& ita finis eorum in hoc est cognitio intellectus. Sed contemplatio Sanctorum, quæ est Catholicorum, est propter amorem ipsius, scilicet contemplati Dei.Idcirco non sistit in fine vltimo, in intellectu per cognitionem,sed transit ad affectum per amorem.Vnde Sancti in contemplatione sua habent amorem Dei tamquam principaliter intentum, quia fœlicius est etiam Dominũ Iesum

Contemplatio subleuata mẽtis iubilum. Alber. de adhærẽd. Deo, c. 9.

Ambros. 1. de Abrah. c. 5.

Cant. 5. 6.

Chriſtum cognoſcere, & habere ſpiritualiter per gratiam,quàm ſine gratia corporaliter vel etiam eſſentialiter.] Et Thomas Aquinas docet, quòd hæc eſt vltima perfectio contemplatiuæ vitæ, vt ſcilicet,non ſolùm diuina veritas videatur,ſed etiã vt ametur.& Bernardus:Nam hoc monitum habemus ab ipſo auriga, & primo currus huius exhibitore, vt ſtudeamus comprehendere cum omnibus Sanctis quæ ſit longitudo, latitudo, ſublimitas, & profundum. Comprehendere dixit,non cognoſcere:vt nõ curioſitate contenti ſcientiæ, tota cura fructui inhiemus. Non in cognitione eſt fructus, ſed in comprehenſione. Alioquin ſcienti bonum & non facienti (vt ait quidam) peccatum eſt ei. Et ipſe Paulus alio loco:Sic currite, inquit, vt cõprehendatis.] Ac poſt multa: Sancti igitur comprehendunt. Quæris quomodo? Si ſanctus es, cõprehendiſti & noſti. Si non,eſto,& tuo experimẽto ſcies. Sanctum facit affectio ſancta, & ipſa gemina,timor Domini ſanctus,& ſanctus amor. His perfectè affecta anima, veluti quibuſdam duobus brachiis ſuis comprehendit, amplectitur, ſtringit, tenet, & ait: Tenui eum, nec dimittam. Et timor quidem ſublimi & profundo, amor lato longóque reſpondet. Quid tam timendum quàm poteſtas, cui non poteſt reſiſtere: quàm ſapientia, cui abſcondi non potes? Poterat minus timeri Deus alterutro carens. Nunc autem perfectè oportet timeas illum, cui nec oculus deeſt omnia vidẽs,nec manus potens omnia. Quid item tam amabile, quàm amor ipſe quo amas,& quo amaris? Amabiliorem tamen iuncta æternitas facit:quæ dum non excidit,foras mittit ſuſpicionem. Ama igitur perſeueranter & longanimiter,& habes longitudinẽ. Dilata amorem tuum vſque ad inimicos,& latitudinem tenes. Eſto etiam in omni ſolicitudine timoratus, & ſublime profundúmque apprehendiſti.] Hactenus Bernardus. Cùm autem audis contemplationem habere in voluntate effectum amoris, noli putare ſolum hunc affectum accendere, ſed omnes alios affectus ex meditatione prouenientes multo perfectiùs excitare.Secundùm enim id quod anima de Deo aſpicit,vel timore comprimitur,vt diximus,vel laudibus,& gratiarum actionibus dilatatur,vel deſiderio laborandi & perfectè ſeruiendi & animas lucrandi ſuccenditur,vel aliis multis & miris modis ad Dei vnionem erigitur. Hi verò affectus non quaſi artificioſè vt tempore meditationis promuntur,ſed quaſi ſponte naſcuntur,& vberrimè ex voluntate gratia Dei præuenta manare videntur. Bene proinde Bernardus exponens illud ſponſi ad ſponſam: Collum tuum ſicut monilia; putat nomine colli intellectum gratia contemplationis ornatum deſignari. Nam per intellectum quaſi per collum traiiciuntur in ſtomachum voluntatis affectuum alimenta, quibus ad omnem virtutem paſcimur.

Sed ſi contemplatio eſt hæc intuitio clara & quieta diuinorum,voluntatem ad perfectum amorem inflammans, ſequitur,quòd ſolùm viris perfectis conueniat. Atque adeò qui imperfecti ſumus, non eſt cur nos illam obtenturos eſſe ſperemus. Certè contemplatio perfectorum eſt, illorum ſcilicet, vel qui iam perfecti ſunt,vel qui à Deo vocantur,& trahuntur vt perfecti ſint. Quod clariùs exponendum eſt. Non omnes perfecti ad contemplationem perfectam ſubleuantur (vt me antea dixiſſe memini) quia Deus omnipotens alias vias habet, quibus perfectos & ſanctos efficiat. Quoſdam afflictionibus,& ægritudinibus,& tentationibus & perſecutionibus mirum in modum expolit: alios laboribus vitæ actiuæ,& animarum lucris ex ſinceriſſima intentione ſuſceptis perficit:alios cõmuni oratione, & multimoda mortificatione ad magnam ſanctitatem perducit. Euenítque, vt quid magnis contemplationis donis cumulatus alio,qui hæc dona non experitur, perfecta charitate inueniatur inferior. Perfectio vrbs magna eſt,ad quam non vna tantùm via,ſed multis ingredimur,& quæ videtur anguſtior,ſolet eſſe breuior atque ſecurior, cui latrunculi ſuperbiæ & inanis gloriæ non inſidiantur. Quoſdam etiam ex perfectis Deus ab hoc dono arcet, quia non ſunt naturam quietam ſortiti,qua ad contemplationẽ iuuentur,& vult omnia cum ſolita ſuauitate diſponere. Quoſdam vt animarum conuerſioni ex toto ſe tradant,à qua extraordinaria oratione, & mentis exceſſibus nonnihil fortaſſis impedirentur. Quoſdam,vt eos humiliet, ne elatè de ſe ſentiant, & donis iſtis ſplendidioribus aliqua ratione ſuperbiant. Quoſdam denique vt ſuæ occultæ & ſanctæ prouidentiæ diſpoſitiones exerceat,quas noſſe nobis datum non eſt.

Ex his autem, quibus donum contemplationis conceditur,quidam nondum perfecti ſunt, ſed per hanc viam profectò ſuauiſſimam ad perfectionem paulatim ſubuehũtur. Quod manifeſtè docet Bernardus. Neque enim ſiquis, inquit, aliquando videtur hanc habere (gratiam ſcilicet contemplationis) continuò credat ſibi neceſſe eſt:maximè ſi nouitius eſt, nec per præfatos aſcenderit gradus. Pius enim Dominus noſter Ieſus Chriſtus puſillos corde blãditiis talibus ſolet allicere. Sed nouerint qui huiuſmodi ſunt, gratiam hanc præſtitam ſibi eſſe,non datam, vt in die bonorum memores ſint malorum,& in die malorum non immemores ſint bonorum.] Ex hoc verò duo elicienda ſunt documenta:alterum pro ipſis,qui hoc donum ante perfectionem accipiunt,alterum pro aliis,qui cum illis conuerſantur. Illud eſt, vt tanto dono (immaturè,vt ita dicam,& ante tempus) cumulati,ſciant ſe ad contemplationem admitti,vt diligentiùs ſeruiant, vt ſolicitiùs ſe vincãt,vt robuſtiùs pugnent, & vt celeriùs per omniũ virtutum gradus ad perfectionem aſcendant. Cui enim plus datum eſt, plus exigitur ab eo. Et qui quinque talenta accepit,non vno vel duobus ſuperlucratis,ſed quinque talentis debet reſpondere. Et genus magnæ cuiuſdam ingratitudinis eſt tam efficaciſſimis mediis adiutum ſegniter ad mentis puritatem aſpirare. Immo & abſque dubio Dominus donum ſuum ab illo ſubtrahet,quem viderit ſoli ſuauitati contemplationis inhiare,& finem ſuauitatis,nempe veram ſanctitatem nõ quærere. Scriptum eſt:Si quis non vult operari,nec manducet,id eſt,non ſubminiſtretur illi quod manducet. Si ſalutem noſtram non operamur, non mirum ſi cibus iſte Regum à nobis ſubtrahatur, & panis cibarius, & communis nobis tantùm miniſtretur. Iſtud verò eſt, vt ſi qui in habentibus donum contemplationis culpas aliquas & imperfectiones deprehenderint, non continuò eos damnent,nec dona inſueta quæ accipiũt illuſiones putent. Poteſt enim eſſe,vt dona ſint vera & à Deo profecta, quibus tamen anima necdum edomita,nec ex toto à rebus caducis auulſa, neſciat ſe omnino ab imperfectionibus extricare. Creſcet donis iſtis,& puerilitates relinquet,& tandem ſe emendabit,licèt nunc aliquid habeat,quod oculis Dei amatoris minus placeat.

At communiter,& vt in plurimum donum contemplationis perfectorum eſt, qui vitiis extinctis,

D.Th. 2. 2. q. 80. art.7. ad 1. Bernard. de conſid. lib.3.cap. 13.

Idem cap.14.

Cant.1. 9. Bernard. ſerm.41. in Cant.

Contemplatio ſolis viris perfectis conuenit.

Perfectio vrbs magna, quo multis viis ingrediuntur euntes.

Qui contemplationis donum conſequuntur, quidam perfecti nõdũ ſunt. Bernard. ſerm.3.de circumc.

Duo documenta pro imperfectis ad cõtemplationẽ admiſit, & pro iis qui cum huiuſcemodi conuerſantur hominibus.

2. Theſſ. 3.10.

Vt plurimũ contẽplatio

perfectorum donum est.

& affectibus moderatis,& virtutibus adquisitis, & magno Dei amore decoratis eam mentis tranquillitatem habent, qua possint mentis obtutũ in Deo figere,& tamquam ligna arida suauissimè igne diuini amoris ardere. Vnde Bernardus multis propositis, in quæ vir perfectionis auidus debet incumbere,subdit : Iam verò cùm in his diutius fueris exercitatus:roga dari tibi deuotionis lumen : diem sereniſſimam,& sabbatũ mentis, in quo tamquam emeritus miles, in laboribus vniuersis viuas absque labore, dilatato nimirum corde currens viam mandatorum Dei:vt quod priùs cum amaritudine & coactione tui spiritus faciebas, de cætero iam cum summa dulcedine peragas & delectatione. Hanc (ni fallor) gratiam petebat, qui ait : Remitte mihi vt refrigerer. Ac si dicat : Quousque in labore & dolore isto crucior, & morte afficior tota die ? Remitte mihi vt refrigerer.] Et alio loco de sponsa & adolescentulis loquens ait: Illuc ergo pariter currunt. Qui ? Spiritu feruentes animæ. Currit sponsa, currunt adolescentulæ : sed quæ amat ardentiùs, currit velociùs, & citiùs peruenit. Perueniens non dico repulsionem, sed nec cunctationem patitur. Sine mora aperitur ei, tamquam domesticæ, tamquam charissimæ, tamquam specialiter dilectæ, & singulariter gratæ. Adolescentulæ autem quid ? Sequuntur à longè. Neque enim cùm adhuc infirmæ sint pari possunt deuotione cum sponsa currere, nec ipsius omnino imitari desiderium & feruorem : ideóque tardiùs peruenientes, foris remanent.] Et rursus alio loco. Nec tamen vel in transitu præstò erit sic omni animæ, nisi illi dumtaxat quam ingens deuotio,& desiderium vehemens, & prædulcis affectus sponsam probat, & dignam ad quam gratia visitandi accessurum verbum decorem induat,formam sponsi accipiẽs.] Hæc ille. Datur itaque contemplationis donum quasi ex habitu perfectis : illis nimirum,qui primò à vitiis & peccatis & prauis affectibus bene purgantur ; qui per studiũ virtutum moralium, & orationis exercitia bene illuminantur, & idonei sunt vt in tranquilla mente altissimam Dei cognitionem & amorem vnientem accipiant.

Bernard. serm.3.de circumc.

Idem ser. 23. in Cant.

Idem ser. 32. in Cant.

Sap.5.16.

Hi sunt,de quibus Sapiens : Iusti autem in perpetuum viuent,& apud Dominum est merces eorum & cogitatio eorum apud Altissimum.] Nam si tota hæc sententia ad vitam præsentem referatur,quis neget his optimè conuenire quòd semper viuunt. Alij enim homines imperfecti cùm operibus interdum infructuosis intendant, partim moraliter moriuntur,& partim viuunt. Hi autem qui vitam perfectam & in Deo suspensam habent, & omnia quæ agunt ad illum dirigunt, bene dicitur, quòd semper viuunt. Apud Dominum est merces eorum, quia pro suis laboribus nihil ex mundo quærunt. Et cogitatio eorum apud Altissimum: quoniam ex illa simplicissima & purissima inspectione Dei, ita diuinis merguntur, vt diebus & noctibus aliud quàm Deum cogitare non libeat. Tristantur quidem interdum & plorant, non sanè quia res huius sæculi minus prosperè sibi succedant,sed quia cœlestia,quæ necdum ad copiam sibi dantur, ardenter desiderant. Dicítque quisque eorum non sine gemitu illud Iob:Ad Deum stillat oculus meus.] Vt sicut lacrymæ viduæ ad maxillam descendunt,& à maxilla ascendunt in cœlum; ita & lacrymæ istorum à maxilla ad Deum ascendant, & aliquando copiosum imbrem donorum obtineant. Est tamen lacrymarum viduæ, & istorum discrimen; quòd Dominus exauditor non delectabitur in illis, si spectet causſam, nempe iniuriam ab aduersario acceptam, ex qua procedunt. At delectabitur in istis etiam ratione causſæ, nimirum ardentissimi amoris ex quo proueniunt. Hic per mysterium impletur illud Dauidis : Accedet homo ad cor altum,& exaltabitur Deus.] Homo namque perfectionem possidens nõ permanet in corde vili & abiecto,cui passiones dominantur, nec ab illis se lædi & conculcari permittit. Nec etiam manere vult in eo corde quod quasi in medio est,cùm scilicet regitur per rationem,& ambulat super aspidem & basiliscum affectuum suorum commorantium in corde humili seu abiecto, & conculcat leonem & draconem.Sed accedit ad cor altum,in quo regnat intelligentia,& simplex cœlestium rerum aspectus, & ibi exaltatur Deus, & altus in homine atque excelsus ostẽditur. Ad istud cor accedes, ô homo, si donum contemplationis cupis, ad cor purum,cor virtutibus decoratũ, cor contemtu rerum visibilium refertum. In isto autem corde Deum magnificum tecum, & in donis erogandis non tantùm largum, sed veluti profusum inuenies. Ibi te illuminabit, ibi te inflammabit,ibi te ad contemplationem adducet; ad illud orationis genus, in quo non tam tu facias, quàm pluuiam de cœlo cadentem recipias.

Psal.63. 8.

Homines imperfectè partim viui, & mortui partim sunt: perfecti verò in perpetuũ viuunt.

Iob 16. 21. Eccli.35. 18.

Contemplationis causſam agentem esse donum sapientiæ : ipsúmque aliis donis Spiritus sancti iuuari.

CAPVT IV.

Contemplatio rerum diuinarum cibus est, & potus perfectorum animabus. Eccli.15. 3.

CONTEMPLATIO Dei & rerum cœlestium cibus est & potus,quo iustorum præsertim perfectorum animæ abundè reficiuntur,& recreantur. Hic cibus & hic potus iusto promittitur illis verbis : Cibabit illum (qui potens est iustum reficere) pane vitæ & intellectus, & aqua sapientiæ salutaris potabit illum.] Est contemplatio panis,non iste corruptibilis, quo corpus pascitur, sed vitalis & intellectualis, cor hominis confirmans, quo animus ad Dei imaginem factus reficitur. Est aqua salutis, qua nõ caro peritura eluitur,sed qua spiritus semper duraturus mundatur. Aqua hæc à fonte aliquo perenni manat, ne vmquã deficiat.Nam sicut, cùm primùm orbis conditus est, fons ascendebat de terra,irrigans vniuersam superficiem terræ : ita cùm primùm Deus hominem in iustitia condidit, fontem in eo, ex quo aqua hæc manaret, produxit. Quam nisi ipse homo multiplici affectione inordinata turbaret, semper hanc aquam salutarem ad votum haberet. Sunt tamen nunc aliqui perfecti & Deo accepti, qui aqua contemplationis potantur,& eo ipso fontem, ex quo scaturit, purum & non turbatum habere videntur. Hunc autem fontem inquiramus,& causſam vnde contemplatio prouenit,ad eius laudem,inuestigare curemus.

Gen.2.6.

Causſa proxima contemplationis est donũ sapiẽtiæ, & alia Spiritus sancti. Gerson de

Causſa proxima vnde oritur contemplatio est donum sapientiæ,sunt etiam causſæ alia dona Spiritus sancti, quibus Deus animam suam sponsam exornat. De dono sapientiæ dicit Gerson, & Dionysius Richelius non semel, vnum tamen eius locum referam. Denique cõtemplatio ista, ait, actus est doni sapientiæ, quæ inter septem dona Spiri-

tus

Theolog. myst. præstan. indust. 1. Richel. in Dionys. de myst. Theolog. art. 9. 1. de contemplat. art. 2. de fonte lucis artic. 10. Bonauēt. lib. de donis sanct. in Sap. cap. 1. Rusbros. lib. de regno amātium Deum. Herpius in directorio de vita contemp. spirituali. Zach. 3. 9. Hieron. ibid. Isaia 11. 2. Apoc. 5. 6.

tus sancti sortitur primatum, nec potest esse informis, cùm sit affectiua & saporosa diuinorum notitia charitate inseparabiliter iuncta: nec propriè cōtemplatio actus est sapientiæ qualiscumque, sed eius quæ perfectionem quamdam includit, quæ promtè ac liberè procedit in actum. Ideo dictum est, quòd contemplatio est prompta ac facilis diuinorum agnitio, quæ instar ignis celerrimè fertur in actum, & transcensis creatis pertingit ad Deū. Idem reperies apud Bonauenturā asserentem, quòd actus sapientiæ est contemplari Deum, non quocumque modo, sed ex dilectione cum quadam experimentali suauitate & affectu. De aliis donis alij loquuntur, præsertim Ioannes Rusbrochius, & Henricus Herpius, qui hanc rem fusè tractant. Vnde anima fide infusa ornata, & his septem donis decorata ad diuina contemplanda consurgit. Dona hæc primò ac principaliter in capite nostro Christo Domino emicuerunt, secundùm illud Zachariæ: Super lapidem vnum septem oculi sunt.] Consule Hieronymum, & dicet tibi, lapidem hunc esse Christū Iesum, à Iudæis quidem reprobatum, à Deo autem electum, & clarificatum. Septem autem oculos esse septem Spiritus sancti dona, quorum meminit Isaias: Requiescet super eum spiritus Domini, &c.] De eodem quoque mysterio loquutus est Ioannes in sua reuelatione. Vidi agnum stantem tamquam occisum (illum scilicet, qui abstulit peccatum mundi) habentem cornua septem, & oculos septem, qui sunt septē spiritus Dei, missi in omnem terram.] Ex illo autem capite ad membra eius viua per charitatem descendunt (hi sunt iusti & Sancti) & hos ad magna opera mirificè iuuant & roborāt. Abstulit Dominus de spiritu Mosis, & dedit septuaginta senioribus vt sustentarent cum illo onus populi: quāto magis auferet de spiritu Christi, & dabit militibus eius, qui arcem patriæ cœlestis expugnāt. Certè hæc dona sunt sicut vnguentum, quod descendit in barbam, barbam Aaron, & in otā vestimenti eius. Nam si per Aaron Christum sacerdotem magnum intelligas; & per barbam Apostolos viriles & fortes: & per oram vestimenti iustos reliquos, quid erit vnguentum in barbam & in oram descendere, nisi gratiam & dona Spiritus sancti à capite Christi in omnes iustos redundare.

Num. 11. 17.

Psal. 132. 2.

Quo pacto dona Spiritus sancti ad contēplationē conferant.

Videamus tamen quo pacto dona Spiritus sancti ad contemplationem conferant. Ac inprimis certum sit, fidem virtutem theologicam ad contemplationem concurrere. Nam in contemplatione mysteriis fidei assentimur, non visis in se (quod statui immortalitatis & vitæ futuræ seruatum est) sed cognitis in authoritate dicentis, quamuis hoc expresse non animaduertamus. Hic autem assensus ad fidem diuinam pertinet. Immo & aliquando concurrit habitus Theologiæ, quatenus vnam veritatem ex alia per bonum discursum deducimus, & deductam intuemur; vel vnum in alio cognoscimus. Quod non est solùm litteratorum, sed etiam animarum simplicium à Deo specialiter adiutarum, quæ sine vlla reflexione in id quod faciunt, profundissimè (melius quàm sapientes huius sæculi) res diuinas ponderant, & vnum ex alio deducunt. Vnde Gerson optimè: Si Philosophia dicatur scientia omnis procedens ex experientiis, mystica Theologia verè erit Philosophia. Eruditique in ea (isti sunt contemplatores) quomodolibet aliunde idiotæ sint, Philosophi recta ratione nominantur. Inde Christus exultans spiritu: Confitebor tibi, Pater, Domine cœli & terræ, quia

Gerson de mystica Theolog. speculat. consid. 3.

A

abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus, & reuelasti ea paruulis. Et Sapientia paruulis locuta est: Et lex Dei sapientiam præstat paruulis.] Hi autem duo habitus fidei & Theologiæ licèt aliquando seorsum, aliquando simul ad actum contemplationis iuuent, quatenus ille assentitur credendis, & hic ex illis alia deducit, tamen certum est ad contemplationem non sufficere. Quia fides & aliæ virtutes etiam theologicæ conceſſæ sunt ad opera studiosa ordinaria, siue illa sint naturalia, vt opus temperantiæ, siue supernaturalia, vt opus charitatis. Contemplatio autem perfecta (de qua loquimur) est opus heroicum & extraordinarium, communem operandi modum excedens. Pro his autem extraordinariis operibus dona ponuntur à

B

Theologis: quæ ab Augustino, Gregorio, & aliis Patribus, à virtutibus dicuntur esse distincta. Horum donorū quædam videntur ad contemplationem, vt sapientia, intellectus, consilium, scientia: quædam, vt fortitudo, pietas, & timor ad actionē pertinere. Quia verò nomina actionis non solùm intelliguntur opera exteriora, verùm & affectus interni voluntatis: & quia contemplatio non se continet in intellectu (vt dictum est) sed transit ad affectum: hinc est, quòd omnia dona nunc vnū, nunc aliud seorsum, nunc aliqua simul ad eam cōcurrunt, causſæque sunt actus contemplationis. Et nunc quid singula dona faciant, & in quo fidem perficiant, & quomodo contemplantem attollant,

C

exponendum est. Licèt enim hoc suprà attigerimus; hîc tamen (cùm proprius sit huius rei locus) paulo fusiùs tractabimus.

Vide D. Th. 12. q. 68. art. 1. Aug. lib. 2. de ser. Domi. in monte, c. 18. Gregor. 1. moral. c. 28.

Supr. lib. 1. p. 3. c. 2.

Sapientia igitur, quæ est primum Spiritus sancti donum, confert intellectui cognitionem altissimā & simplicissimam Dei, & rerum diuinarum & cœlestium, ac earum, quibus ad omnem sanctitatem promouemur, cum quadam mirabili suauitate, sapore, atque dulcedine. Neque tam dulce est mel & saccharum palato carnis, quàm dulcis est diuina veritas ratione huius doni palato mentis. Claritas hæc maior in cognitione nascitur ex ipsa sapientia, quæ fidem perficit, & eleuat, & modo possibili huic vitæ, clarificat. Et sicut, si in cubiculo vbi erat

D

parua lucerna, fax accendatur, mirum in modum omnia quæcumque in illo existunt illuminat: ita dum in nocte huius vitæ ante lucernam fidei in corde iusti sapiētia accenditur, res fidei multo clariùs manifestantur, sapor verò & dulcedo nascitur ex charitate, cui coniuncta est sapientia: quæ charitas primò palatum mentis sanat, vt illi diuina dulcescant; & Deo mentem vnit, vt illi, quæ Dei sunt, tamquam sibi congrua sapiant. De illa sanitate palati animæ dicit Bernardus: Et fortè sapientia à sapore denominatur, quod virtuti accedens, quoddam veluti condimētum, sapidam reddat, quę per se insulsa quodam modo & aspera sentiebatur. Nec duxerim reprehendendum si quis sapientiam saporem boni diffiniat. Hunc saporem perdidimus

E

ab ipso pæne exortu generis nostri. Ex quo cordis palatum sensu carnis prævalente infecit virus serpentis antiqui, cœpit anima non sapere bonum, ac sapor noxius subintrare. Denique proni sunt sensus hominis & cogitationes in malum ab adolescentia, hoc est, ab insipientia primæ mulieris. Ita insipientia mulieris saporem boni excluſit, quia serpentis malitia, mulieris insipientiam circumuenit. Sed vnde malitia visa est vicisse ad tempus, inde se victam dolet in æternum. Nam ecce denuo sapientia mulieris cor & corpus impleuit, vt qui per fœminam deformati in insipiētiam sumus, per

Sapiētia primum donū Spiritus sancti, confert intellectui cognitionē altissimā Dei.

Bernard. serm. 85. in Cant.

fœminam

fœminam reformemur ad ſapientiam. Et nunc aſſiduè ſapientia vincit malitiam in mentibus ad quas intrauerit, ſaporem mali quem illa inuexit, ſapore exterminans meliori. Intrans ſapientiam dum ſenſum carnis infatuat, purificat intellectum, cordis palatum ſanat & reparat. Sano palato ſapit iam bonum, ſapit ipſa ſapientia, qua in bonis nullum melius.] Animo verò iam purgato & ſancto dicit alio loco: Inueniſti planè ſapientiam, ſi prioris vitæ peccata defleas, ſi huius ſæculi deſiderabilia paruipendas, ſi æternam beatitudinem toto deſiderio concupiſcas. Inueniſti ſapientiam, ſi tibi horum ſingula ſapiunt prout ſunt, vt hæc quidem amara, & omnino fugienda, illa quoque velut caduca, & tranſitoria contemnenda, iſta verò vt perfecta bona totis deſideriis appetenda, quæ intimo quodam animi ſapore diiudices, & diſcernas.] Hæc ille. Hanc ſapientiam, ſi es in charitate, iam habes ſecundùm habitum, quia ſimul cum gratia & charitate infunditur. At vt eam habeas ſecundùm hunc ſupremum actum contemplationis, eſt tibi ardentiſſimè poſtulanda. Nam ſcriptum eſt: Si quis veſtrûm indiget ſapientia, poſtulet à Deo, qui dat omnibus affluenter, & non improperat. Poſtulet autem in fide nihil hæſitans.] Libenter fateberis, te ſapientiæ indigum eſſe. Poſtula ergo eam ab eo, qui potens eſt dare, ab eo qui largus eſt in donando, ab eo qui poſtquam dederit non improperabit: ab eo denique, qui quod ſemel donat, niſi tu abieceris numquam tollet.

Bernard. in ſent.

Iacobi 1. 5.

Donum intellectus intellectui humano additur, vt ſubtilius operetur.

Donum intellectus ſuperadditur intellectui humano, vt per illud res fidei ſubtiliùs apprehendat, & in earum interiora penetret. In quo diſtinguitur à dono ſapientiæ, quòd hoc ad iudicium diuinorum, illud ad apprehenſionem datum eſt. Hoc dono iuſtus ſeipſum intimè agnoſcit, & ad ſui deſpicientiam prouocat: Deum ac diuina puriùs & profundiùs intelligit, & ad admirationem & amorem excitat. De hoc dono fortè loquutus eſt author de ſpiritu & anima, dicens: Intellectus ſiue intelligentia ea vis animæ eſt, qua de diuinis, quantum homini poſſibile eſt cognoſcitur.] Quod de ſuprema parte intellectus noſtri dici non poſſet, niſi quatenus alio ſupernatu rali lumine adiuuatur. Præparationem autem ad illud putat Auguſtinus mortificationem eſſe. Vnde poſtquam loquutus eſt de dono conſilij, quod aſcendendo à dono timoris, eſt in quinto gradu, ſubdit: Ex illo anima aſcendit in ſextum gradum, vbi iam ipſum oculum purgat, quo videri Deus poteſt, quantum poteſt ab iis, qui huic ſæculo moriuntur quantum poſſunt. Nam in tantum vident, in quantum moriuntur huic ſæculo. In quantum autem huic viuunt, non vident.] Poſtula etiam & hoc donum illis verbis: Da mihi intellectum, & ſcrutabor legem tuam, & cuſtodiam illam in toto corde meo.] Nam & perfectionem diuinorum mandatorum aperit, & menti ab erroribus purgatæ ſenſus abditiſſimos Scripturæ detegit. Et iuxta illud: Cantate Domino canticum nouum:] licèt millies Pſalmum vnum repetam, quia nobis noua myſteria reuelantur facit vt quaſi nouum canticum decantemus.

Lib. de ſpirit. & anima c. 37. to. 5. Aug.

Auguſt. lib. 2. de doctr. Chriſt c. 7. to. 3.

Pſal. 118. 34.

Pſal. 97. 1.

Donum conſilij perficit intellectũ diuina cognoſcentem.

Donum conſilij perficit intellectum diuinam Maieſtatem per fidem & duo prædicta dona intelligentem, vt ſe ad dictamina Dei mobilem præbeat, vt quid in quaque re ad mentis puritatem ſeruandam & augendam, agendum fugiendúmve in particulari cognoſcat. Eo Deus iuſtum cum magna certitudine & ſatisfactione de ſingulis rebus docet: aliquando quidem rationem apetiens, aliquando verò abſque oſtenſione rationis in opera magnæ perfectionis abripiens. Vnde Bonauentura ait: Conſilia Dei ſunt perfectiſſima: valent enim ad vitandum omne malum, & ad conſequendum omne bonum perfectiſſimè, & ideo ducunt per itinera arctiſſima. Arcta eſt enim via quæ ducit ad patriam; vt Chriſtus dicit. Arctæ autem viæ, vtplurimum ſunt rectiores & breuiores, quàm latæ. Perfecti autem viri ſtimulis amoris agitati vehementer amplectuntur, vt perfectiùs & citiùs inueniatur quod amatur, & creditur, & quæritur. Deus ergo liquidè & apertè tamquam ille, qui optimè omnia nouit, nos deſingulis ad perfectionem ſpectantibus conſulit, & vires ad exequendum præbet. Quare anima igne amoris in contemplatione flammata actum huius doni poſtulat, dicens cum Paulo: Domine, quid me vis facere: & ad id quod ſibi dicetur, etiamſi amarum ſit, & abiectum potenter ſe accingit. Ad percipienda autem diuina conſilia oportet vt interiores ſimus, ſiue vt intra nos ipſos viuamus, & ad ea quæ nobis inſtillantur attendamus, iuxta illud: Qui habet aures audiendi audiat quid dicat ſpiritus.] Audiat, inquam, attentione cordis. Quia vt Gregorius dicit: Non aures corporis Dominus, ſed mentis quærit.

Bonau. lib. de donis SS. in conſil. c. 2.

Act. 9. 6.

Apocal. 2. 7. Greg. hom. 14. in Ezechiel.

Donum fortitudinis datur ad opera difficillima.

Donum fortitudinis datur voluntati aut parti iraſcibili appetitus, datur autem ad opera quædam difficillima, & vires naturales excedentia, quæ homo per hoc donum cum magna fiducia, immo & ſine vllo timore ipſum perturbante, etiam mortis, aggreditur. Reſpectu autem contemplationis donum fortitudinis id facit, vt homo ſuperet omnia peccata, & vniuerſas tentationes, & omnia inferiora contemnat, & virtutum ornamenta cuſtodiat. Vt ſe ad ſuſtinendam omnem tribulationem, afflictionem, & aduerſitatem propter Chriſtum offerat. Vt robur ad patiendos exceſſus mentales, vt extaſes, raptus, & alia huius generis, in quibus non parum eſt difficultatis, habeat. Vt denique, hæc & omnem conſolationem, & ſenſibilem gratiam, & donorum quantumuis excellentium obtentionem tranſcendat, & in nullo iſtorum, niſi in ſolo Deo purè & nudè conquieſcat. Hoc donum videtur deſcripſiſſe Gregorius exponens illud Dauidis: Nimis confortatus eſt principatus eorum. Ecce electi Dei, ait, carnem domant, ſpiritum roborant, dæmonibus imperant, virtutibus coruſcant, præſentia deſpiciunt, æternam patriam cum voce & moribus prædicant, eam etiam moriendo diligunt, atque ad illam per tormenta pertingunt. Occidi poſſunt, & flecti nequeunt. Nimis ergo confortatus eſt principatus eorum. In iſta ipſa paſſione, qua ceciderunt in morte carnis, videte quantum fuerit culmen mentis.] Gloriabatur quoque de ſuſceptione doni huius ſanctus Dauid cùm ita canebat: Impulſus euerſus ſum vt caderem: & Dominus ſuſcepit me. Fortitudo mea, & laus mea Dominus, & factus eſt mihi in ſalutem.] Deus quidem eſt fortitudo ſuorum immiſſione huius doni aſſiſtens illis, ne commoueantur. Eſt etiam laus eorum, quia ex rectè geſtis laudem non ambiunt, ſed Deo omnem laudem & gloriam aſcribunt.

Pſal. 138. 17. Greg. hom. 27. in Euan.

Pſal. 117. 14.

Donum ſcientiæ cui potentiæ, & ad quid detur.

Donum ſcientiæ, iterum ad intellectum pertinet, éſtque illi neceſſarium ad duo. Primò quidem vt res fidei per creaturas ſimilitudinibus

proportionatis intelligat,& in illis non hærens ad Deum contemplandum, & quasi ex illis inuolucris eruendum inuestigando transcendat. Secundò vt summam perfectionem cuiusque virtutis agnoscat, & cunctas virtutes & earum actus in maximo pretio habeat, & illa interiùs exercere ac postulare non desinat. Hæc scientia non inflat, sed potiùs ædificat, quia non est aliena à charitate, sed potiùs charitati inseparabiliter copulata. Vnde Rupertus exponens illud : Scientia inflat, charitas verò ædificat, sic ait : Non sic dictum suum intelligi voluit, vt scientiam charitati opponat, sed apponat. Nam scientia, subauditur, sine charitate, inflat ; charitas verò, subauditur, cum scientia, ædificat.] Hæc itaque scientia Dei scientia Sanctorum iustis data est, vt perfectiùs & accommodatiùs ad opus omnia agenda & cauenda cognoscant, vt quottidie sanctiùs & perfectiùs viuant.

1. Cor. 8. 1.

Donum pietatis quid conferat voluntati.

Donum pietatis voluntatem exornat. Est autem spiritualis quædam deuotio & promtitudo ad omnia Dei obsequia, & affectuosus impulsus ad auxiliandum proximis. Hæc ex amore Deo gratias agit, eum laudat atque magnificat, & eius cultui exactissimè intendit. Hæc mentis puritatem & munditiam sectatur, & ab eo, quod quoquo modo eam inficere potest, vehementer abhorret. Hæc ingerit abundantiam compassionis erga omnes, quibus, si valet, in spiritualibus indigentiis & corporalibus subuenit : si non valet, desideriis & orationibus supplet. Ab hac fluunt abundantes lacrymæ pro afflictionibus Ecclesiæ, & pro desiderio patriæ. Primum officium pietatis erga Deum sic declarat Bernardus : Hanc (scilicet faciem Dei) in hac vita semper quærere per innocentiam manuum & munditiam cordis ipsa docet pietas : quæ sic, vt dicit Iob, cultus Dei est. Quam qui non habet, in vano accepit animam suam, hoc est, frustrà viuit, vel omnino non viuit, dum non viuit ea vita propter quam vt in ea viueret, accepit animam suam. Pietas enim hæc est iugis Dei memoria continua intentionis actio ad intelligentiam eius, indefessa affectio in amorem eius, vt nulla vmquam inueniat seruum Dei, non dicam dies, sed hora, nisi vel in exercitij labore, & proficiendi studio, vel in experientiæ dulcedine, & fruendi gaudio.] De secundo verò erga proximos dicit Ambrosius : Pietas amica Deo, parentibus grata, Dominum conciliat, necessitudines fouet, Dei cultura est, merces parentum, filiorum stipendium. Pietas, inquam, iustorum tribunal, egenorum portus, miserorum suffugium, indulgentia peccatorum.] Hæc ille. Isto dono anima in contemplatione posita non tantùm erga Deum affectum dulcedinis induit, verùm erga proximos præ compassione liquescit. Quos Deo vt membra sibi charissima offert,& pro eis vtilia postulare & quasi Deum vrgere non desinit.

Bern. ep. ad frat. de monte Dei.

Ambros. in Psal. 118.

Quòd eidem tribuat donum timoris. Psal. 18. 19.

Donum tandem timoris ad voluntatem quoque pertinens est illud, de quo Dauid : Timor Domini sanctus permanens in sæculum sæculi.] Hunc perfectum timorem charitas perfecta foras non mittit, sicut timorem imperfectum atque seruilem : sed quo ipsa magis crescit, eo hunc timorem magis auget. Hic timor imprimit cordi magnam reuerentiam erga Deum, & in prosperis & aduersis perfectissimè nos diuinæ volintati subdit. Imprimit etiam castam quamdam erubescentiam in conspectu Dei, præsertim si mens in aliquo deficiat, & inclinat ad despicientiam suiipsius. Confert deinde solicitam diligentiam in diuinis obsequiis. Quare dicitur, quòd timor Domini ipsa est sapientia, & recedere à malo intelligentia. Quia videlicet timor quasi intellectum acuit, ne in aliquo ab eo, quod est Deo placitum, exorbitet. Insuper & timor hic sanctus reiicit omnem timorem seruilem, de morte, de iudicio, de inferno : & mundanum, de pœnis & confusionibus huius vitæ, & solum recessum à Deo, & teporem charitatis, ac diminutionem virtutum metuit. Mortificat insuper omnem sinistram intentionem, & facit vt homo in suis exercitiis non seipsum sed Deum quærat. Ac tandem parens est profundæ humilitatis, qua quis se omnium vilissimum & indignissimum putat. De hoc timore ait Augustinus : Non est timor exterrens à malo quod accidere potest, sed tenens in bono quod amitti non potest. Vbi enim boni adepti amor immutabilis est, profectò si dici potest, mali cauendi timor securus est. Timoris quippe casti nomine ea voluntas significata est, qua nos necesse erit nolle peccare : & non solicitudine infirmitatis, ne fortè peccemus, sed tranquillitate charitatis cauere peccatum. Dicit autem hæc de isto timore in statu beatitudinis. Hæc ergo dona animam in contemplatione efferunt, vt secundùm illa mirabiliter diuina intelligat, & mirabiles effectus eliciat.

Iob 28. 28.

Augustin. 14. de ciuit. c. 9.

Licèt autem dixerimus contemplationem ab his donis elici, eáque dona veram charitatem & gratiam gratum facientem comitari ; & quamuis aliquibus fortasse euidens videatur, se perfectam contemplationem habere : ex quo videtur sequi euidens quoque esse, ipsos Dei gratiam & veram amicitiam comparasse, tamen ne præsumant, neque supra quàm decet de semetipsis confidant. Verum quidem est contemplationem, quam descripsimus, à charitate & donis procedentem sine gratia gratum faciente esse non posse. At certum non est contemplationem quantumuis sublimem, immo quæ vsque ad extases & raptus procedat, à charitate & donis dimanare. Potest enim oriri ab aliqua gratia gratis data, quæ reducitur ad donum prophetiæ ; potest etiam esse contemplatio simulata, quam qui habet deceptus, veram ac germanam existimat. Scit enim diabolus se transfigurare in Angelum lucis, & aurichalcum pro auro obrizo venditare. Manet ergo inconcussa catholica veritas. Nescit homo absque speciali reuelatione vtrùm amore an odio dignus sit. Et si venerit ad me, non videbo eum ; & si abierit non intelligam. Si simplex fuero, hoc ipsum ignorabit anima mea. Verum est tamen contemplationem perfectam, & alia dona extraordinaria, quæ illa continentur, bonæ vitæ coniuncta, esse pretiosa quædam gratiæ Domini pignora, & amoris eius erga eum, qui talia dona possidet indicia non exigua. Deberéque illum pro huiusmodi donis ingentes gratias agere, & solicitiori cura (tamquam ille qui prope præmium est) suam salutem operari.

Licèt quis contemplationem altissimã nanciscatur, ne se Deo gratum esse euidenter inde colligi præsumat.

Eccles. 9. 1. Iob 9. 11. & 21.

Contemplationis finem esse perfectum amorem Dei, ac mentis sanctitatem.

CAPVT V.

Quibus modis vox Contemplatio accipiatur.

CONTEMPLATIO duobus modis accipi potest. Primo quidem pro ipso actu intellectus simpliciter inspicientis Deũ: & sic finis eius est affectus amoris Dei emergentis in voluntate. Ad hoc enim cognoscimus & inspicimus, vt summam illam bonitatem diligamus: in quo diximus contemplationem Christianam à Philosophorum solam curiositatem quærentium contemplatione secerni. Secundò pro actu simul cognitionis & affectu amoris. Sic autem eius finis est amor efficax, seu amor perfectus operis, & omnis animæ puritas atque perfectio. De vtroque autem fine dicendum est nunc.

Amoris affectus, complacentiæ, seu beneuolentiæ definitio.

Amor affectus, qui & complacentiæ & beneuolentiæ dicitur, est ille, quo volumus bonum alicui. Vnde ex intuitione Dei amare ipsum nihil aliud est, quàm velle ei sua bona, suum infinitum atque immensum esse, suam bonitatem & pulchritudinem: suam sapientiam & potestatem, suam misericordiam & iustitiam, & vno nomine illam, aut illas perfectiones, quas in eo per intelligentiæ contemplationem aspicimus. Ex hoc autem amore nascitur gaudium, quo quis vehementer gaudet, quòd Deus habeat illa bona, seu illud summum bonum in quo sunt omnia bona. Nascitur desiderium, quòd omnes illum tantùm Dominum cognoscant, & diligant: quòd illi diligentissimè seruiant, & in eius obsequium se totos, atque omnes suas vires impendant. Nascitur dolor maximus de peccatis & offensis hominum in iniuriam & contemtum tam boni ac sancti Dei. Oritur propositum efficax seruiendi illi in omnibus, & in prosperis & aduersis, in tempore & æternitate eius voluntatem acceptandi. Et nihil tunc se offert tam asperum, tam durum, tam amarum, quod tunc voluntas pro eo, quem vnicè diligit, non amplectatur. Hinc interdum suauiter & dulciter ardet, & nihil aliud illi nisi ardere libet. Hic affectus aliquando est merè spiritualis, & in sola voluntate se continens, vt notauit Dionysius Richelius; aliquando est etiam sensibilis, & in ipsum cor se diffundens. Tunc autem anima contemplantis in quædam verba interiora prorumpit, & Deum Patrem, sponsum, amicum, vitam, salutem & aliis nominibus similibus compellare audet, quibus velut scintillis ex igne prosilientibus, quanto amore accendatur ostendit.

Dion. 1. de contemp. 12.

Amoris huius exercitium omnibus aliis longè præstat.

Hoc amoris exercitium est omnium exercitiorum spiritualium excellentissimum. Nihilque possumus aut melius, aut nobilius, aut Deo acceptius facere, quàm ipsum ex toto corde, ex tota anima, & ex tota mente diligere. Est studium amoris aliis affectibus comparatum, sicut oleum comparatione aliorum liquorum, quod omnibus supernatare dignoscitur. Est velut aurum inter metalla, quod omnibus aliis metallis valore & pulchritudine & perfectione supereminet. Est velut ignis inter elementa, qui non solùm loco, verùm & naturæ præstantia, & efficacitate, & subtilitate reliquis antefertur. Est denique amor charitatis quod per se quidem bonum & præmio vitæ æternæ dignum est: quodlibet autem aliud opus quantumuis magnum videatur, si à vera charitate separetur, nec magnum, nec vita æterna dignum est. Nam si tradidero corpus meum ita vt ardeam, charitatem autem non habuero, nihil sum. O bona mater charitas, quæ filios suos, id est, amatores Dei cibis regalibus nutrit, vestibus pulcherrimis vestit, & in regnum cœleste perducit. Quæ diligendo omnia aliorum bona rapit, & in potestatem diligentium redigit. Quæ inimicos non habet, quia licèt sancti ab impiis odio habeantur, ipsa tamen in cordibus illorum neminem odit, sed diligit. Quæ innumera & maxima à Deo beneficia recipit, & diligendo rependit. Quæ pro amato omnia aduersa sustinet, & laborum ac afflictionum oblita, quasi nihil sustinuisset, se gerit. O bona charitas, cui mala in bonum cedunt: nam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum: cui amara atque insulsa, dulcia ac suauia videntur, cui humilia & abiecta in altissima ac dignissima conuertuntur: cui vniuersa non solùm prospera, verùm & aduersa & tristia, in lætitiam commutantur. O excellens virtus, quæ multitudinem peccatorum operit! quæ rebellem populum affectuum nostrorum subiicit, & non tantùm subiicit, sed & sibi seruire facit: quæ mundum, diabolum, & carnem, & omnem eius concupiscentiam vincit, quæ omnia tentamenta & irritamenta proterit, quæ vniuersa quæ accidunt gradus ad ascendendum & proficiendum facit. Hæc est vita fidei, spei robur, & omnium intima vis & medulla virtutum. Hæc filios Dei efficit, hæc sanctos & perfectos constituit; hæc Dominum in iniquos indignatione percitum, ne grauiter percutiat, tenet. Id enim significat illud Domini: Dimitte me vt irascatur furor meus contra eos.] Audis dimitte, inquit Richardus, & Deum teneri non dubites, nec alio quàm amoris fortitudine. Quæris cuius? Illius vtique serui fidelis, qui in populum maiorem maior fieri & glorioſior renuit, non carnali (vt assolet) detentus affectu, sed ne in Dei gloriam rueretur, venenatis spiculis blasphemorum.] Hunc ergo amorem excitat contemplatio Dei, prorsus bona arbor, quæ tam bonum fructum facit. Sed cùm multi sint amoris gradus; non semper in eodem, sed nunc in humiliori, nunc in altiori amorem immittit.

1. Cor. 13. 3.

Rom. 8. 28.

1. Petri 4. 8.

Exodi 32. 10.

Richard. de grad. charit. c. 2.

Amoris gradus aliquot designantur.

Non vno eodémque modo amoris diuini gradus ab omnibus numerantur, varios etiam eius gradus nos suprà distinximus. Libet tamen nunc ex Richardo Victorino & ex aliis amoris Dei gradus colligere, qui perfecta solent contemplatione comprehendi. Est ergo amor ex contemplatione generatus, nunc quidem amor dulcis, nunc amor fortis, nunc amor liber, nunc amor insatiabilis, nunc amor incessabilis, nunc amor insuperabilis, nunc amor qui vulnerat, nunc amor qui ligat, nunc amor qui languidum facit, nunc amor, qui etiam sensus derelinquit. De his omnibus gradibus pauca dicamus.

1. Amor dulcis quid, & qui eius fructus.

Amor dulcis est, quo anima in conspectu Domini præ accepta suauitate liquescit. Quo illi dulcescit Deus ad eum modum, quo mel vel cibus suauissimus palatum carnis inescat. Hic amor ita animam allicit, vt comparatione eius omnia mundi delectabilia contemnat: vt aspera & dura & corpus affligentia eligat, vt in eis præ dulcedine,

dulcedine, quam amor gignit, amaritudinem minime sentiat. Dulcedo ita omnes vires animæ in Deum colligit, & extrauagari non sinit, immo molestum iudicat cum hominibus conuersari. Nihil nisi Deum quærit, quia in eo omnia bona & delectabilia reperit. Suauissimis verbis & dulcissimis querimoniis affectum, quem experitur, exprimit. Contemplationis spatia licèt longa & prolixa breuissima reputat, & tempus quòd tam velociter transeat, incusat. De hoc amoris gradu potest intelligi illud Gregorij. Qui sunt in sancta Ecclesia thalami, nisi eorũ corda, in quibus animæ per amorem sponso inuisibili iunguntur, vt eius desiderio mens ardeat, nulla iam quæ in mundo sunt, concupiscat: præsentis vitæ longitudinem pœnam deputet texire festinet, & amoris amplexu in cœlestis sponsi visione requiescere? Mens itaque quæ iam talis est, nullam præsentis sæculi consolationem recipit, sed ad illam, quam diligit, medullitus suspirat, feruet, anhelat, anxiatur. Vilis fit ipsa salus sui corporis, quia transfixa est vulnere amoris.] Hoc etiam afficiebatur Petrus, quando dicebat: Bonum est nos hic esse.] Et meritò amor à dulcedine incipit, vt victa fallaci mundi suauitate mens ad altiora ascendere possit.

Grego. hom. 15. in Ezechiel.

Matth. 17. 4.

2. *Amor fortis quis, qualisque.*

Amor fortis est, quo anima se sentit idoneam, vt omni malo, quod amato displicet, resistat, & omne bonum, quod illi gratum est, grauiter aggrediatur. Bernardus postquam amorem in dulcem, & prudentem, & fortem distinxit, de hoc ita scribit: Tertius est, vt fortiter quis diligat, quatenus sicut falli non potest, ita nec cogi potest: paratus omnia pati propter iustitiam. Quis autem nesciat eum, qui Rex cœli sit, terrena regna & honores non ambire, sed abiicere?] Huius amoris affectus est: Quis nos separabit à charitate Christi.] Et in his omnibus superamus propter eum, qui dilexit nos. Hic amor corpus patienter sustinet, quod feruori spiritus reluctatur, qui cùm volare concupiscat, ex infirmitate carnis pedetentim ambulare compellitur. Hic, si quæ tentationes incidant (& nulli etiam perfectissimo desunt) si quæ pressuræ, & afflictiones, & persecutiones eueniant, patienter sustinet. Hic proximorum molestias, ex variis hominum ingeniis exortas perfert, & non ob sistente eorum ingratitudine in ipsis exhortandis & adiuuandis persistit. Hic Christum tenet, dicens cum sponsa: Tenui eum, nec dimittam, & vt teneat, occasiones obsequendi & laborandi quærit, & in mortificatione non tepescit: tempore ariditatis & desolationis à consuetis exercitiis non recedit; aduersa cum gratiarum actione suscipit; & quamuis ad solitudinem & secessionem sit propensus, licèt gemens externas occupationes Deo gratas & statui debitas non omittit.

Serm. de diligen. Deo in variis.

Rom. 8. 35.

Cant. 3. 4.

3. *Amoris liberi cõditiones.*

Amor liber est, qui ea quæ amor fortis resistendo facit, hostes contemnendo magna spiritus libertate perficit. Affectus animæ siue passiones ligat, vt ipsa summa cum facilitate in actus virtutum exeat. Tentationes, & diabolum tentantem non tam pugnando vincit, quàm contemnendo & nihili faciendo prosternit. Mundanorum & tepidorum iudicia ridet, quia non eis placere, sed Dei gloriam in omnibus promouere contendit. Audacter lucris animarum inhæret, & necessitate, charitate, aut obedientia interpositis, bono spirituali aliorum propria suauitatis spiritualis lucra postponit. Denique audit sponsa (inquit Bernardus) vt surgat & properet, haud dubium quin ad animarum lucra. Hoc siquidem vera & casta contemplatio habet, vt mentem quam diuino igne vehementer succenderit, tanto interdum repleat zelo & desiderio acquirendi Deo, qui eum similiter diligant, vt otium contẽplationis pro studio prædicationis libentissimè intermittat, & rursum potita votis, aliquatenus in hac parte tanto ardentiùs redeat in idipsum, quãto se fructuosiùs intermisisse meminerit, & item sumto contemplationis gustu, valentiùs ad conquirenda lucra solita alacritate recurrat.] Hanc autem sanctam libertatem Dominus quadam dubitatione purificat, quam idem sanctus Pater subiunctis his verbis declarat: Cæterùm inter has vicissitudines plerumque mens fluctuat, metuens & vehementer exæstuans, ne fortè alteri horum, dum suis affectionibus hinc inde distrahitur, plus iusto inhæreat, & sic in vtrolibet vel ad modicum à diuina deuiet voluntate. Et fortasse tale aliquid sanctus Iob patiebatur cùm diceret: Si dormiero, dicam quando consurgam? & rursum expectabo vesperam, hoc est: & quietus neglecti operis, & occupatus perturbaræ nihilominus quietis me arguo. Vides virum sanctum inter fructum operis, & somnum contemplationis grauiter æstuare? & in bonis licèt semper versantem, semper tamen quasi de malis pœnitentiam agere, & Dei cum gemitu momentis singulis inquirere voluntatem?] Sic ille. Meritò autem dixi hac dubitatione libertatem amoris perfici: tum quia assidua oratione & recursu ad Deum siquid vel in actione, vel in secessione excesserit, nouit: tum etiam quia gratiam ad medium in omnibus tenendum obtinet. Anima igitur amore hoc libero à cura salutis proximorum non impeditur, sed magis ad eam quærendam vehementer impellitur. Inter gentem non sanctam, immo & iniquam, munditiam custodit: in mediis negotiis & occasionibus distractionum angelicam puritatem non amittit: & sicut Moses, inter fulgura, & tonitrua occupationum, Dei præsentiam & communicationem non relinquit. Cùm verò ad quietem contemplationis à tumultu negotiorum secedit, tranquillè, sed non tepidè diligit, quia impetus cordis non voluntatis viuacitatem deponit. A loco remoto & solitario in studio interiori non pendet, immo in foro, & in summa frequentia, vt Deo vacet, se ab omnibus expedire valet. Pro se & pro aliis fiducialiter postulat, quia iam ad cor sponsæ habendum anhelat. Denique hic experimento cognoscit illud Dauidis: Super aspidem & basiliscum ambulabis, & conculcabis leonem & draconem.] Item & illud: Loquebar de testimoniis in conspectu Regum, & non confundebar.]

Psal. 90. 13. Psal. 118. 46.

4. *Amoris insatiabilis natura.*

Amor insatiabilis est, qui nullis acceptis donis satiatur, nullis profectibus proximorum. Dona quidem accepta non satiant, quem fames & sitis iustitiæ ad maiora desideranda prouocant. In hoc gradu anima consolationes mundi fastidit, quas gratia & intensus amor in amaritudinem vertit. Hominum consortia & colloquia (nisi charitas aliud exigat) respuit, & illis dicit: Onerosi consolatores omnes vos estis? quia non in hominibus, sed in authore hominum suum desiderium collocauit. Occasiones se abnegandi & affligendi nullas prætermittit, quia mœrentibus siceram consolationum diuinarum, & vinum suauitatis internæ paratum nouit. Moram faciente sponso cum fatuis virginibus non dormitat, nec dormit, sed crebris suspiriis cũ prudentibus & assiduis orationibus sponsum inclamat, & ignem manifestat, qui triste pectus adurit. Si autem Dominus veniat, & sui copiam faciat, tunc anima omnes vi-

Iob 16. 2.

res

res,exerit, vt valenter diligat, numquam tamen dicit sufficit, quoniam ad maiorem & feruentiorem amorem aspirat. Ea sanè quæ amoris erat insaturabilis, & comites eadem sancta ingluuie ægras habebat,ait ad sponsum:Adolescentulæ dilexerunt te nimis.] Quid est nimis,nisi plus velle quàm posse diligere.Infinitus quippe & immensus est Deus, inquit Richardus, in quem tendit amor earum, vt nullus debeat esse finis, vel mensura amoris. Amat igitur sic amans anima: & si non minus posse suo, minus tamen velle suo: nec capit de hac impossibilitate solatium, sed potiùs desiderij suscipit incrementum. Concupiuit (ait quidam) anima mea desiderare iustificationes tuas. Non potuit satiari desiderio, qui nihil desiderare concupiuit. Fames enim animæ desiderium est. Sic verò Deum amans anima amore non satiatur,quia Deus amor est,quem qui amat,amorem amat.Amare autem amorem,circulum facit,vt nullus sit finis amoris. Vides igitur quemadmodum insuperabilis est charitas, omnia superans, ita & insatiabilis omnia vorans: & ex copia parit inopiam, dum ex prægustatis delitiis amplius in desideriis exardescit.Quę & si dentur ad plenitudinem,numquam tamen ad satietatem. Qui edunt me, inquit, adhuc esurient.O bone Deus,quem a mare edere est, quomodo amantes te sic reficis, vt magis esuriant, nisi quia tu simul cibus es,& esuries? & qui te non gustauit,te prorsus esurire nescit. Ad hoc ergo cibas, vt esurire facias. Esurientes (ait illa puella) impleuit bonis, impleuit,non satiauit. Amoris namque bona eo minus satiant, quo magis replent. Impleuit bonis. Quibus bonis? Nolo à me quæras quæ sint bona charitatis, profectò illa esse æstimo de quibus dicitur: Oculus non vidit absque te,quæ præparasti diligentibus te.] Sic ille. In profectibus etiam proximorum numquam dicit, sufficit. Vniuersum mundum vellet conuertere, & secum ad Deum amandum pertrahere. Hoc erat desiderium Pauli.Volo omnes vos esse sicut meipsum.] Volebat(inquam)& impèsè cupiebat ex viscеribus charitatis (verbis Augustini vtor) omnes esse sibi sanctitate æquales. Ideo erat omnibus superior, quia omnibus tam excellentem sanctitatem optabat.Et rursus ad Agrippam:Opto apud Deum,& in modico & in magno,id est,si non potest fieri modico, saltem magno labore meo, non solùm te, sed etiam omnes,qui audiunt me hodie,fieri tales qualis & ego sum,exceptis vinculis his.Pœnam sibi ex charitate,salutem verò aliis pręoptans.Sic qui hunc assequuti sunt amorem, nulli parcunt labori, vt animas ad Christum adducant. Non sustentatos labores cogitant, non senium & imbecillitatem prætendunt, sed vsque ad extremum spiritum, pro salute aliorum laborare constituunt.

Cant.1. 1.

Richar. de gradib. char.c.2.

1.Cor.7. 7.

August. tract.8. in pist. Ioan. Act.26. 29.

5. Amoris Inessabilis vis. Cant.3. 2.

Amor inessabilis est, qui Deum contemplari,& ampliùs,& ampliùs amare non cessat.Hoc impellitur anima ad quærendum Deum per orationis & contemplationis assiduitatem. Signatúrque in illo verbo sponsæ: Surgam, & circuibo ciuitatem, per vicos & plateas quæram quem diligit anima mea.] Nam in quocumque loco sit interiores oculos à Deo non diuertit.Et sicut nititur vt vita sua sit quędam perpetua oratio,ita nititur,vt sit quædam perpetua dilectio. Impellitur etiam ad quærendum Dominum per sanctorum operum continuationem: ita vt quando ex quiete ad opus exit, omnem ignauiam deponat,& in bonis actionibus se diligenter exerceat. Illas omnes amor actu imperat,amor terminat,amor comitatur;vnde vita istius animæ non est nisi exercitium amoris. Quidquid faciat, magis est amare quam facere, quia amor operi vitam impertit. Sic numquam amatum quæritare desistit donec inueniat. Eo autem inuento,per intimam vnionem, dicit: Tenui eum, nec dimittam.] Quæ verba,vt Gillebertus ait, non securitatem, sed solicitudinem sonant. Nec enim securitas esse potest, donec introduxerit dilectum in domum matris suæ, & in cubiculum genitricis suæ.] Amor ergo inuento Domino solicitus est vt illum teneat. Incessabiliter curat quem tenet tenere, & nouis affectuum & obsequiorum vinculis illum irretire,ne vnquam illabatur.

Cant.3. 4. Gilleber. in Cant. ser.9.

Amor insuperabilis est, qui non solùm hosti resistit, non solùm contemnit, verùm & quasi animam vnum quid cum Deo faciens, hostem non sentit. Qui adhæret Deo hoc perfecto amore, ait Paulus,vnus spiritus est,subintellige,cum eo. Non quidem quia in Deum conuertatur, sed quia eius puritatem,virtutem,& immutabilitatem quodammodo mutuetur. De eo scriptum est: Non accedet ad te malum,& flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo.] Animæ ergo illi sic vnitæ malum non appropinquabit, & tentator suggestionibus suis ad eam timebit accedere. Fit tunc homo quasi insensibilis ad peccatum, non quia non possit cadere, sed quia virtute gratiæ potentissimè tenetur, ne cadat, immo ne prauas & inordinatas suggestiones persentiat. Id autem & in magnis & in paruis, adeò vt non exiguo tempore, nec culpas leues, quas animaduertat, admittat. Dixi autem, quas animaduertat;quia multo tempore in hac vita absque leuibus culpis saltem alicuius irreuerentiæ aut modicæ distractionis, aut aliarum huius generis manere nescio an aliquibus concedatur. Hoc facit insuperabilitas charitatis, quæ animam in præcelso loco collocat, quò spicula tentatoris peruenire non possint.

6. Amoris insuperabilis potestas. 1.Cor.6. 17.

Psal.90. 10.

Amor vulnerans est, qui cor viri contemplantis iaculo dilectionis transfigit. Quòd enim amor vulnera infligat certum est. sponsus dicit: Vulnerasti cor meum,soror mea sponsa,vulnerasti cor meum.] Ille verò qui impassibilis est, sicut non potuit nisi amore vinci, & amore ad mundum trahi, ita non potest nisi amore vulnerari. Sponsa dicit: Inuenerunt me custodes qui circumeunt ciuitatem: percusserunt me, & vulnerauerunt me:tulerunt pallium meum custodes murorum.] Custodes percutiunt sponsam, & vulnerant, inquit Gregorius, quia prædicatores sancti, dum cœlestia loquuntur, amantem animam afficiunt,& maiori amore sagittant. Pallium tollunt, quia siquid pompæ sæcularis residuum erat in corde, exhortationibus suis ab animo auferunt.] Et Salomon de eo qui amat, ait: Meliora sunt vulnera diligentis, quàm fraudulenta oscula odientis:]vt intelligamus quòd sicut odium habet oscula amara,ita & amor habet vulnera dulcia atque suauia. Sed quínam amor vulnerat? Recenter vulneratus alia incommoda non sentit, & clamoribus atque suspiriis aërem replet. Sic isto amore saucius, adeò ab amore cognatorum, & sodalium, & amicorum & omnium rerum temporalium auertitur, vt eorum incommodis & aduersitatibus,quas antea proprias reputabat,præ vehementia amoris diuini, quasi ad se non pertinerent,non immutetur. Sic etiam desiderij sui æstum cohibere & dissimulare non valet, sed gemitus, & suspiria,& abundantes lacrymas in signum amoris vulnerantis profert.Est enim hoc vulnus tam intimum,vt anima illud dissimulare non possit.

7. Amor vulnerans. Cant.4. 9.

Cant.5. 7.

Greg.ibi.

Prouer. 27.6.

Quis sit amor ligans. Osee 11. 4.

Amor ligans est, qui animam aliud quàm amatum, aut propter amatum cogitare non sinit. Amor sua vincula habet, de quibus ait Dominus per Oseam: In funiculis Adam traham eos, in vinculis charitatis.] Hæc autem vincula non sunt aliud, quàm dona Dei ab anima bene perpensa. Bona, inquam, naturæ, gratiæ & gloriæ. Ex his fit funiculus triplex, qui difficile rumpitur. Hoc funiculo ita ligatur anima, vt in perfectiorem amorem, quàm dum est vulnerata, procedat. Plus est enim, vt Richardus contemplatus est, ligari quàm vulnerari. *Richar. de grad. violentæ charitatis.* Quis enim nesciat quàm sæpe contingat, vt miles in conflictu certaminis percussus & vulneratus persequentis manus effugiat, & cum inflicto vulnere, liber tamen euadat? Sed postquam in congressu certaminis miles percussus deiicitur, deiectus comprehenditur, comprehensus adducitur, adductus incarceratur, incarceratus concatenatur, atque ligatur, iam omnino captiuus tenetur. Quid horum quæso maius, quídve molestius? Nónne tolerabilius est quemuis vulneratum effugere, tamen liberum: quàm captum atque ligatum teneri captiuum.] Amor ergo tunc ligat animam, quando eam diebus ac noctibus Deum solum cogitare & ei perpetuo amore inhærere compellit. In qua iugi Dei memoria & dilectione ipsa non laborat, nec vt ita perseueret aliqua desudat industria. Immo id illi labori est, ad alia quæ Deus non sunt, licèt bona & vtilia, cogitatione deuolui. Hæc tamen cùm sibi incumbunt, non omittit, sed sibi vim facit, vt propter Deum alia à Deo cogitet, licèt non aliena, & in illis Dei memoriam, & amoris affectum, quibus ligata & compedita est, non deponit. Non, inquam, deponit, quia à Deo auerti recordatione non sinitur, quia charitatis nexibus alligatur. *Eccli. 6. 31.* O fœlix status: siquidem decor vitæ est illa, & vincula illius alligatura salutaris. Quo profectò animam in conspectu Dei & Angelorum decoram reddit, & ad salutem & libertatem deuincit.

Quis & qualis sit amor lãguidum faciens. Amor languidum faciens est, qui animam non tantùm Deo agglutinat, sed ad visibilia quasi inidoneam efficit. Hoc morbo salutari sponsa laborabat, & affectioni suæ remedium postulabat, dicens: *Cant. 2. 5.* Fulcite me floribus, stipate me malis; quia amore langueo.] Et rursus: *Cant. 5. 8.* Adiuro vos filiæ Ierusalem, si inueneritis dilectum meum vt nuntietis ei, quia amore langueo.] Languidus corpore viribus destituitur, recto vsu sensuum priuatur, quod antea dulce & suaue erat, tempore languoris amarum & insuaue sibi videtur. Sic in hoc languore amoris, vires ad temporalia deficiunt, aduersitates minimè sentiuntur, immo & prospera huius mundi amara & insulsa reputantur. De hoc languore loquutus est Origenes, cùm ait: *Citat Bonauent. 4. itinere æternit. dist. 5. ar. 2.* O si sic langueſcat seruus Christi in spe æternæ visionis, vt caro pressa non lasciuiat, mundus fallax non inuoluat, tribulatio vtilis eum custodiat; cum quo in tribulationibus est ipse Deus.] Æger grauiter decumbens ab alio mouetur, & ad opera necessaria iuuatur. Sic anima in hoc gradu nihil propria voluntate agit, sed in id incumbit quò diuinus instinctus illam pertrahit. Ab illis actionibus impeditur, quas Dei spiritus per illam agere minimè dignatur. Non quidem libertatem ad malum perdit, sed eximia gratia præuenta, ac si non esset mali capax, ad illud se quasi ineptam, & à culpa alienam agnoscit.

10. *Amor defectum afferens. P. 3. c. 8. & 9.* Amor defectum afferens est ille, qui eò vsque crescit, vt à sensibus abstrahat, & in miram quamdam spiritus libertatem animam inferat. De hoc postea commodiùs dicemus. Illud solum maneat, animæ huic amori subiectæ nihil omnino, non solùm temporale, verùm nec spirituale satisfacere posse, sed quo magis diligit, eo magis sitit, & eo præsiti vehementiùs & prolixiùs deficit. De hoc gradu sub nomine dilectionis gratuitæ sic scribit Dionysius Richelius: *Richel. 3. de contẽpl. ar. 16.* Ipsa est quæ cor amantis dilatat, appetitum expandit, mentis sinum extendit, habitaculum cordis nostri amplificat vt capere queat immensum, atque incircumscriptibilem teneat mansorem ac hospitem. Denique animam supra omnia terrena, caduca, vana, ac materialia eleuat, vltra cuncta creata consurgere facit, vsque ad Dominum maiestatis volat ac peruenit: illi vnit, in illum transformat; illi indissolubiliter, immediatè, ac intimè colligat mentem illius quam perficit, incolit, & informat: tantámque demum inter voluntatem increatam & creatam efficit conformitatem, vt earum sit idem velle ac nolle, ita vt iam spiritus amans vnum cum Deo dicatur. Hic amor Dei amicos & filios facit. Cúmque acutus ac penetratiúus exiſtat, vsque ad iutima dilecti ingredi satagit, Deo immediatè vniri, & amplecti eum, & intra se stringere nititur, ipse ignis, quo vitia consumuntur, dæmones propelluntur, passiones vincuntur, ménsque in Deum resoluitur.] Sic ille. Hic amor pauca verba habet, quin & vt soli affectui vacet, loquelam excludit. Anima eo ad omnem sensum corporeæ voluptatis aresçit. Interius quid de ea velit Deus, & quando ipse accedat per experimentalem gratiam, & recedat, clarissimè inspicit. Nihil ei, nisi quod Deo quoquo modo displicet, tristitiam affert. In summa quietè inquietè se gerit, quia in nullo satietatem inuenit. Rumores mundi, & vana ac visibilia non animaduertit, quia in illis nec amorem nec desiderium constituit.

Ad hunc amorem vera cõtẽplatio festinat. Gerson de monte cõtempl. c. 20. Ad hunc ergo amorem tendit perfecta contemplatio, vel certè ad illum, quem in hunc modum describit Gerson. Cõsideremus pari modo quòd amor Dei si esset talis in aliquo quòd faceret ipsum ex toto seu omnino contemnere mundum, & eius obliuisci, sicut mundanus amor facit obliuiſci Deum, & quòd esset ita fortis, ac ardẽs, sícque radicatus in corde eius, quòd nec posset, nec sciret voluntariè, & sua sponte seu liberè alibi cogitare, nec timeret cõtemtum, seu non curaret vituperia, seu increpationes persecutionũ, nec etiam de ipsa morte metueret propter istum amorem Dei, & quòd omnia visa & audita huius mũdi ad memoriã duceret, & viderentur sibi tamquam somnium, quædam fabula, & pro nihilo reputaret respectu Dei, & glorię suę. Et breuiter iudicio mundi haberetur vt stultus & ebrius, ideo quòd ea tam modicum, quæ huius mũdi sunt curaret, & adhuc minus quàm aliis de Deo cura est, vel paradiso, qui in amore mundi sunt absorpti quodammodo. Tunc dico quòd iste esset perfectus Dei amor ad quem tendere debet aliquis per vitam contemplatiuam. Et in statu talis amoris iam dicti aliquis diceretur mortuus & crucifixus mundo, essétque huius sæculi vanitatibus dormiens, & æternis bonis inuigilans, haberétque sensus suos omnes sui corporis tamquam clausos dormientes & obstructos ad omne quod fit per homines huius mundi, sed apertos gaudiis Sanctorum & Sanctarum.] Hæc ille. Quomodo autem hic amor reddatur efficax, seu quánam ratione in opus procedat, & vitam perficiat, commodiùs dicemus statim agentes de effectibus contemplationis.

Contemplatio quos effectus habeat.

CAPVT VI.

Contemplationis, quæ & sapientia in scriptura dicitur, fructus, & effecta.

CONTEMPLATIO diuinorum in sacris Scripturis sapientiæ nomine designatur: huic autem multiplex fructus ascribitur. Ipsa à Salomone inducitur, sic loquens: Melior enim est fructus meus auro, & lapide pretioso, & genimina mea argento electo.] Ne autem putaremus vnum dumtaxat esse huius sapientiæ fructum, dicit Ecclesiasticus: Plenitudo sapientiæ est timere Deum, & plenitudo à fructibus illius;] id est, à fructibus sapientiæ. Omnem domum illius (qui scilicet timet Dominum) implebit sapientia à generationibus suis, & receptacula intellectus & voluntatis replebuntur à thesauris illius.] Et alio loco: Quasi is qui arat & seminat, accede ad eam, & sustine bonos fructus illius. In opere enim ipsius exiguum laborabis, & citò edes de generationibus illius.] Et sic sunt alia multa. Habet itaque contemplatio multiplicem fructum, quem anima gaudens in receptaculis suarum virium recondit, quem à principio cum nonnullo labore colligit, post modicum verò incredibilem suauitatem ex eius esu percipit. Si autem scire cupiamus quotuplex sit contemplationis fructus, non deest aliquid in Scriptura, vnde id colligendum sit. Nam cõtemplatio veram ac perfectam charitatem continet, vt diximus. Paulus verò fructus spiritus per gratiam diffusi in cordibus nostris enumerat, dicens: Fructus autem spiritus est charitas, gaudium, pax, & reliqua, quæ enumerat: quasi ex illo primo, nempe ex charitate cætera oriantur. In Apocalypsi etiam inuenimus lignum vitæ afferens fructus duodecim. Quòd si lignum hoc vitæ secundùm multorum Sanctorũ interpretationem Christum Deum & hominem significat, cuius fructus subsidio contemplationis & amoris eius percipimus, non erit incongruum duodecim fructus contẽplationis numerare. Enimuero perfecta contemplatio idipsum opere prẽstat, seu ad id nos mouet, ad quod mentem afficit. Afficit verò ad perfectum Dei amorem: qui amor in cõuersatione contemplantium duodecim effectus, seu fructus suauissimos profert.

Qui, qualésve cõtemplationis fructus.

Hi autem sunt eædem ipsæ animæ perfectiones ad sublimissimum gradum prouectæ, quibus anima ad contemplationem præparatur. Sicut enim lignum vt fiat ignis calore & ignis qualitatibus disponitur; postquã verò factum est ignis eas non exuit, sed vt effectus ignis in gradu perfectiori custodit: ita anima vt perfecta Dei amatrix & contemplatrix fiat, priùs virtutum omnium & donorum vestimentis induitur, adepta verò contemplatione eisdem donis ad perfectissimum gradũ subuectis tamquam effectibus eius ornatur. Quare hic est ille desiderabilis circulus, quo sanctè viuimus, vt Deum contemplemur; & Deum contemplamur vt sanctè viuamus. Enimuero contemplatio honestissima est, & per se appeti potest, præsertim si accipiatur vt est cultus Dei: quem contemplando & diligendo veneramur. At sapientiùs & salubriùs appetitur, si eius honestas ad aliam honestatẽ maiorem, nempe ad omnem sanctitatem ordinetur, & non tantùm propter notitiam Dei, quæ per se desiderabilis est, & propter amorem affectus, sed etiam propter charitatem efficacem ad omne opus virtutis allicientem quæratur. De peccatoribus dictum est: In circuitu impij ambulãt; vel quia *Psal. 11. 9.* in amore temporalium labore fatigantur, vt exponit Gregorius, vel quia tamquam ambulantes in circulo, ad patriam cœlestem, ad quam tendere deberent, non appropinquant. Sed etiam iusti circulum faciunt. Nam de Christo capite eorum & sole iustitiæ dictũ est per mysterium à Salomone: Oritur sol, & occidit, & ad locum suum reuertitur.] Et paucis interpositis: Lustrans vniuersa in circuitu pergit spiritus, & in circulos suos reuertitur.] Quis hic sol? An non ille, qui oritur, quia per veram generationem ex paterno sinu progreditur: & occidit cùm mortem oppetens diuinitas eius absconditur, & ad locum suum reuertitur, cùm relinquens mundum, & ad Patrem vadens in dextera eius collocatur? Et quis hic spiritus omnia perlustrans nisi spiritus oris nostri Christus Dominus, qui captus est in peccatis nostris, cui diximus: In vmbra tua viuemus in gentibus?] Qui nos illuminat, fouet, recreat, animat, roborat, & in omni bono confirmat? Et quare in circuitu pergit, & in circulos suos reuertitur, nisi quia per doctrinæ verbum in toto orbe prædicatur? De membris verò huius capitis, nimirum de iustis quid dictũ est? Dauid vnus ex eis, sic canit: Lauabo inter innocentes manus meas; & circumdabo altare tuum Domine.] Et: Circuiui, & immolaui in tabernaculo eius hostiam vociferationis;] id est, iubilationis & laudis. In circuitu igitur etiam iusti ambulant, licèt differẽter. Non enim circulo voluuntur, quia terrena appetant, aut in cœlum non tendant, sed quia per sanctitatem actionis ad cõtemplationem vadunt, & per contemplationem ad sanctiorem actionem redeunt.

Greg. 2. mor. c. 4.

Eccl. 1. 5.

Thren. 4. 20.

Psal. 25. 5. *Psal. 26. 6.*

Summus contemplationis effectus, est, quòd Dei sanctitatem imitemur.

Hoc itaque summum est, quod perfecta contemplatio in nobis efficit, vt Dei sanctitatẽ imitemur. Quæ res tanti momenti est, vt Salomon admirans dixerit: Quis est homo, vt sequi possit Regem factorem suum.] Certè id tam magna res est, vt homo eam nec posset cogitare, quanto minus apprehendere, nisi ipse Deus supernaturali gratia hominem ad sui sequelam accenderet. Reuera, gloria magna est sequi Dominum. Non solùm quia longitudo dierum assumetur ab eo, qui eum sequitur, verumetiam, quia nihil præstantius contingere potest seruo abiectissimo, quàm si Dominum & Regem suum imitetur, & eius similitudinem consequatur. Hoc est proprium filiorum Dei. Nam estote, inquit Paulus, imitatores Dei, sicut filij charissimi.] Hoc namque facit imitatio Dei, vt eius naturam (quomodo id fieri potest) participemus, & hanc summam dignitatem accipiamus. Ecce ergo contemplationis fructus, vt per vias sanctitatis ad æternam gloriam ducaris. Dominus columna nubis & ignis populum suum in terram illi promissam ductabat. Vnde in Exodo scriptum est: Dominus autem præcedebat eos ad ostendendam viam, per diem in columna nubis, & per noctem in columna ignis; vt dux esset itineris vtroque tempore.] Et rursus: Ad imperium Domini proficiscebantur, & ad imperium illius figebant tabernaculum. Columna hæc contemplationis est typus. Quid enim hæc columna aptius significabit, quàm contemplationem Dei, quæ in nube imperfectionem cognitionis in hac vita nihil perspicuè monstrantis, & in igne perfectionem amoris Deum ardentissimè diligentis innuit. Hac nocte & die ducimur; quoniam claro prosperitatis, & nubilo aduersitatis tempore sine periculo, immo & cum magno spiritus emolumento per itinera huius vitæ transimus. Hac deprehendimus quando operi in-

Eccl. 2. 12. *Eccli. 23. 38.*

Ephes. 5. 1.

Exod. 13. 21.

Num. 9. 18.

Galat. 5. 22.

Apocal. 22. 2.

Ecclesi. 1. 20.

Eccli. 6. 19.

Prou. 8. 19.

Numerantur communiores cõtemplationis effectus.

Prou. 3. 13.

1. Excessus corrigit.

2. Vitiorum radices euellit. Climac. grad. 29.

3. Affectus ordinat.

Iob 38. 3. Iob 40. 2.

4.

sistendum est, & quando ab actione cessandum. Quamobrem effectus eius est, quidquid ad Dei voluntatem explendam, & sanctitatis viam ingrediendam vtile esse cognoscitur.

Nunc ad propositum redeamus, & ipsos contemplationis fructus, siue effectus, quos duodecim esse diximus, breuiter numeremus. Contemplatio ergo 1. Excessus corrigit. 2. Vitiorum radices euellit. 3. Affectus ordinat. 4. Iudicium & propriam voluntatem abnegat. 5. Tentationes superat. 6. Virtutes perficit. 7. Opera expolit. 8. Intentionem rectificat. 9. Sensus colligit. 10. Tribulationes sustinet. 11. Pacem donat. 12. Animas potenter iuuat. Beatus ergo homo qui inuenit hanc sapientiam, & qui affluit prudentia (nam & prudentia est; quia non solùm in quiete Deum sincerissimè cognoscit, sed extra orationis tẽpus actiones dirigit:) melior est acquisitio eius negotiatione argenti, & melior est negotiatione auri primi & purissimi multiplex fructus eius. Pretiosior est cũctis opibus, & omnia quæ desiderantur huic non valent comparari. De his autem fructibus ne extra materiam loquamur, pauciſſima, eáque breuissima dicenda sunt.

Contemplatio ergo excessus corrigit; quoniam lucem maximam animæ tribuit, qua in minimis etiam Dei voluntatem agnoscat: & robur vt eam impleat, impertit. Idcirco sodales sponsæ, eam ex amplexu formosiorem factam admirantur, & dicunt: Quæ est ista, quæ ascendit per desertum huius mortalitatis, ascendit autem per contemplationem, sicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ & thuris & vniuersi pulueris pigmentarij. Quare vt virgula? Certè quia contemplatione gracilis & delicata efficitur: quia disciplina sancti Spiritus attenuatur, & à crassitudine leuissimarum quoque culparum potentissimè submouetur. Contemplatio radices vitiorum euellit. Ignis enim ille cœlestis, qui in corde contemplantium accenditur, non ramos tantùm concupiscentiarum nostrarum, sed & initia earũ absumit. Ioannes Climacus de contemplatione sub nomine tranquillitatis egit. Ille, inquit, propriè tranquillus est, & intelligitur, qui carnem quidem omni corruptionis labe purgauit, mentem verò supra creaturam omnem eleuans, omnes illi subiicit sensus, atque vultui Domini animam sistens supra virium suarum modum in illum se semper extendit.] Ad finem verò illius gradus hæc subdit: Suscitat quidem à terra mentem inopem, atque à stercore vitiorũ erigit pauperem beata tranquillitas, quæ videlicet liberatio à vitiis, cordisque munditia est.] Contemplatio affectus ordinat. Quia animam ad tantam altitudinem sublimat, vt facile sit illi corpus domare, ac spiritui perfectè subiicere. Et pro eo quòd possideat omnẽ rerum labentium concupiscentiam ablegare. Iob quidem secundùm spiritum satis erat præcinctus, qui cum oculis suis fœdus pepigerat, ne cogitaret de virgine. At cùm à Domino visitatur, semel & iterum lumbos denuo præcingi iubetur. Accinge, ait, sicut vir lumbos tuos: interrogabo te, & respõde mihi.] Quia videlicet quos Dominus in contemplatione cinctos, id est, bene mortificatos recipit, visitatione & cõsolatione sua perfecta mortificatione cingit. Aperit illis ad quantas opes, ad quantas delicias, ad quam sublimem honorem sint per eius communicationem admissi, & pro his veris donis diuitias mundi despiciunt, delicias proterũt, & honores ac dignitates mundi contemnũt.

Contemplatio proprium iudicium & propriam voluntatem abnegat. Est enim opus sapientiæ, de qua inquit Iacobus, quòd est suadibilis, id est, tractabilis & docilis, non dura, nõ proterua, sed blanda, cui facile persuadetur veritas. Habet quoque secum ardentem charitatem, cui proprium est voluntatem amati diligere, & exequi, & non sibi, sed proximis in licitis & concessis placere. Non est hęc singularis, nec segregata, ait Richardus, sed communis: non sua, sed aliorum quærens: non astuta, nõ maleuola, sed pura, dulcis, amabilis, grata. Non obstinata, sed suadibilis bonis consentiens: beneuolentibus concordans. Felle caret perturbationum & amaritudinum, quas in se habet amor terrenorum. Deum sapit, Deum cognoscit, à Deo est, & in Deo.] Quæ autem in Deo est, certè proterua non est.

Contemplationis est tentationes perfectè superare, immo & sæpe nec earum vllum sensum habere. Abscondit enim Dominus in ea dilectam suam in abscondito faciei suæ à conturbatione hominum, & à conturbatione dæmonum, vt ad sic absconditam ac custoditam non accedant. Aliquando verò quasi à longè vox tentationis auditur, non ad aliud (vt videtur) nisi vt tentator ab homine rideatur. Est quippe tanta huius fortitudo ex Dei aspectu & amore concepto vt comparatione eius conatus aduersarij, sagitta alicuius paruuli reputetur. Contemplationis est virtutes perficere, quæ in statu meditationis robustæ erant, sed non vsquequaque perfectæ. Lux in contemplatione data multa sublimia & subtilia virtutum patefacit, quæ priùs nobis erant incognita. Ardor autem charitatis ad ea exequenda se accingit, & ita virtutes ipsas ad supremum gradum perducit. Reuersus est Moyses de monte, dicit Scriptura, portans duas tabulas testimonij in manu sua, scriptas ex vtraque parte, & factas opere Dei: scriptura quoque Dei erat sculpta in tabulis. Tabulæ sunt corda iustorũ, quos cùm Deus ad montem contemplationis admittit, mirum est quàm in melius mutatos remittat. Quorum corda non iam industria hominum, sed digito ipsius Dei apparent virtutibus exarata; quo loquendi modo in Scriptura sæpe rerum perfectio ac pulchritudo denotatur. Contemplationis est opera expolire. Nouit optimè anima quanta sit dignitas & maiestas Domini, cui famulatur: nouit quantum sit pondus operum bonorum quibus incumbit, & ideo magna attentione & spiritus tranquillitate, ipsorum perfectionem quærit. Virtutum adepta perfectio est huius perfectionis operum causſa. Quia perfectior habitus meliùs operatur, & quod maiori attentione perficimus, meliùs etiam exercemus. Habet anima contemplatione donata ad similitudinem sponsi sui manus tornatiles, aureas, plenas hyacinthis. Tornatiles, quia diligenter; aureas, quia cum amore & ex amore: plenas hyacinthis, quia ex optimo fine vniuersa efficit. Contemplationis est intentionem rectificare. Creat namque Dominus per eam in nobis corda filiorum dilectissimorum, qui nõ ideo patri seruiunt, vt aliquam pœnam euadant, aut vt aliquod præmium obtineant, sed vt ei placeant, quem diligunt, & à quo se diligi sciunt. Perfecta charitas in eis foras misit timorem seruilem, foras etiam misit spem mercenariorum: non quia non sperent, se præmium cumulatissimum assequuturos, sed quia tam sincerus & perfectus est eorũ amor, vt etiamsi præmium non esset, illi, quem tam dignum omni amore & obsequio vident, propter semetipsum placere desiderarent.

Propriũ iudicium & voluntatẽ abnegat. Iac. 3. 17.

Rich. in Cant. c. 15.

5. Tẽtationes perfectè superat. Psal. 30. 21.

6. Virtutes perficit.

Exod. 32. 15.

7. Opera expolit.

Cant. 5. 14.

8. Intentionem rectificat.

9. *Int vnos externosque sensus colligit.*

Quid amplius operatur contemplatio? Ipsa sensus colligit, tum externos, tum internos. Ille, cuius oculis pulcherrima imago videnda proponitur, res fœdas & minimè placentes videre non curat. Et qui virum sapientissimum, ipsum oblectantem dictis suis, & in admirationem rapientem audit, insipientium deliramenta audire contemnit. Et sic nobiliora obiecta & iucundiora aliis sensibus percepta, vilioribus ianuam occludunt. Anima autem ad donum contemplationis subuecta, ô quàm pulchra & admiranda videt! ô quàm sapientiæ plena eloquia audit! ô quantam ex Deo, & in Deo suauitatem percipit! ô quàm delectabiles & puros amplexus sentit! Quid ergo mirum si sensuum delectamenta contemnat, & omnes vires ad illud vnum summum bonum colligat, in quo tota fœlicitas & iucunditas collocata est. Ipsa etiam contemplatio tribulationes & quæque aduersa libenter sustinet. Gratum quippe est pro amato & magna facere, & aduersa perferre. Pro magno quoque habetur aliquas sustinere molestias, vt suauitas illa ex Dei aspectu & amore percepta concrescat. Et anima, quæ summopere munditiã, vt pulchrior & gratior sit, quærit, non potest non tribulationem amare, qua magis ac magis quottidie mundatur. Paulus gloriabatur in tribulationibus. Fateor, mihi mirum non est, quòd ille, qui in tertium cœlum raptus fuerat, & cuius conuersatio in cœlis erat, in tribulationibus gloriaretur, quibus aliquam amoris & gratitudinis significationem posset ostendere. At quantam pacem & tranquillitatem contemplatio in mentem infert? Illam sanè quam nemo explicare sufficit. Quia anima in centro suo ponitur, vt omne eius desiderium sopiatur. Ibi dicit: In pace in idipsum dormiam & requiescam.] Pace sua tunc veraciter mens humana perfruitur (verba sunt Richardi) quando in id, quod de diuina dulcedine sentit, tota resoluitur. Hæc autem pax, vt plena sit, in duobus consistit: in contemplatione videlicet veritatis, & satietate internæ suauitatis.] Et post multa: Hæc est illa pax, in qua anima obdormit, pax quæ mentem ad interiora rapit, pax quæ exteriorum omnium memoriam intercipit, quæ ingenij acumen exuperat, quæ rationis lumen reuerberat, quæ desiderium cordis replet, quę omnem intellectum absorbet.] Quia verò anima hac pace cumulata iam perfecta est, & cor filiæ & sponsæ habet, ideo nititur reliquias huius pacis quam sentit in proximos effundere, eósque ad omnem profectum iuuare. Id cupit & obtinet. Nullos enim vidi proximis vtiliores, nullos verbo potentiores illis, quos Deus in perfectam contemplationem admittit. Hi exemplo suo alios trahunt, verbi efficacia conuertunt, orationibus bonos efficiunt. Quid enim hæc anima non imperabit? Quid precibus non obtinebit, quam Deus ad hoc tam amabilem facit, vt ex verbo suo concipiat, & pariat, & filiis, quos Deo genuerit, omnimodo proficiat?

Int vnos externosque sensus colligit.

10. *Tribulationes & aduersa libenter sustinet.*

Rom. 5. 3.

11. *Pacẽ & tãquillitatem infert.*

Psal. 4. 9. Rich. ad eumdem Psal.

12. *Curat proximos ad omnẽ profectũ iuuare.*

Ex his facile dignoscitur quãti valoris sint lætitiæ, suauitates, & cætera, quæ sentiuntur.

Hi ergo sunt contemplationis effectus, ex quibus poterit quis in se vel in alio cognoscere quãti valoris sint lætitiæ, & suauitates, & dona quæ sentit. Nam si hæc in summo gradu faciant, pretiosissima: si in minori, mediocria, si in nullo, suspecta sunt. Quæ si vera sunt, ad hoc dantur, vt hanc veram virtutem aliquando generent; & si numquam generant, & adhuc durant in animo immortificato, & inquieto, & proteruo, & nullam emendationem habente, magnum indicium præbent, quòd vera non sunt. Quare hoc argumentum verba Laurentij Iustiniani signa veræ contemplationis exprimentia concludant. Verùm ne quis, inquit, propria sui æstimatione fallatur, nouerit, ista veræ contemplationis, atque diuini gustus, qui in sinu quietis interioris sentitur, absque ambiguitate signa existere, prouidentiam videlicet habere in moribus, menti vigilem adhibere custodiam, coadunare cogitationes, intentionem recto fine dirigere, studia spiritualia sectari, Dei præsentiam spiritualiter concupiscere, ipsum humili corde diligere, illius supet omnia contubernio lætari, in cœlestibus inardescere, atque amabiliter interna pace potiri. Qui talis est, à Dei regno alienus non est. Quinimo illud secum habet iuxta Domini sententiam, dicentis: Regnum Dei intra vos est. Huiusmodi caueat ne infletur, ne tepescat, ne quem iudicet, ne cuiquam calumniam inferat, vt non amittat donum præcipuum quod accepit: facile enim spiritualem iacturam patitur, qui sui neglecta custodia, alienæ vitæ curiosus inquisitor existit, qui per exteriora diffunditur, atque immoderatè negotiis temporalibus occupatur.

Iustin. de vita solitar. c. 1.

De proprietatibus contemplationis: ac primò de eleuatione spiritus in Deum.

CAPVT VII.

Declaratis natura, & effectibus contemplationis proprietates superest declarare.

NATVRA contemplationis exposita, & caussis eius atque effectibus declaratis, supereſt vt aliquid de ipsius proprietatibus dicamus. Harum prima est; quòd contemplatio perfectissima quadã ratione eleuat mentem in Deũ, & infert eam choris cœlestibus. Omnis oratio diffinitur, quòd sit eleuatio mentis in Deũ, sed in modo huius eleuationis inter communem orationem & contemplationem magnum discrimen est. Nam in communi oratione mens cum labore se eleuat; in cõtemplatione cum mira suauitate se efferri sinit. In illa discursibus quasi gressibus quibusdam per cliuum rerum spiritualiũ ascendit: in ista breuissimè & quasi in ictu oculi supra verticem montis se positam videt. In illa antequam perueniat ad sinum Domini, quasi aliquid boni recipit, vt in suam domum reuertatur: in ista vt accipiat, in intimum conclaue cœlestis mansionis, vbi Deus habitat, introducitur. In illa anima quasi in terra manet, & oculos in cœlum attollit: in ista veluti in cœlum admittitur, & in eo suum nidum ac mansionem ponit. Non quidem quia secundùm substantiam suam corpus deserat, sed quia relictis omnibus visibilibus purissima rerum cœlestium intuitione se eleuat.

Disermen inter communem orationẽ & contemplationem.

Qualis sit hæc eleuatio. Apocal. 4. 1.

Ad hanc eleuationem vocatus est Ioánes, quando illam vocem audiuit: Ascende huc; & ostendam tibi quæ oportet fieri post hæc.] Vox hæc è cœlis insonuit. Nam, ecce ostium, inquit, apertum in cœlo. Quare vt in cœlum spiritu ascenderet vocabatur. Et statim fuit in spiritu. Quia terrena derelinquens & visibilia transcendens spiritu, id est, aspectu spiritus in cœlum, vt mysteria Ecclesiæ videret, illatus est. Explicatur quoque ista eleuatio per illud quod contigit Ezechieli: qui sedens in domo sua cum senibus Iuda expertus est super se manum Domini, vnde ait: Et emissa similitudo manus apprehendit me in cincinno capitis mei: & eleuauit me spiritus inter terram & cœlum; & adduxit me in Hierusalem in visione Dei.] Haud-

Ezech. 8. 3.

quaquam hic Propheta corpore eleuatus eſt,& ductus Hieroſolymam,ſed ipſo manente in domo ſua inter ſenes populi intuitione mentis ſubleuatus eſt,vt arcana magna conſpiceret. Sic & mens per contemplationem eleuatur in Deum, & quaſi ab alio apprehenditur, & ſupra omnia mundana in altum erigitur. Non ergo propria induſtria ſe eleuat, quia ad hanc eleuationem nullus hominis conatus ſufficit, ſed ab ſpiritu Domini aſſumitur, & in ſublimi ac tuto loco conſtituitur. Enimuero dictum eſt ad Iob: Numquid ad præceptum tuum eleuabitur aquila,& in arduis ponet nidum ſuum.] Aquila ſignificatur ea anima, quæ dono contemplationis eſt prædita. Hæc autem non ad præceptũ hominis eleuabitur,ſed manu & poteſtate Domini in tanta ſublimitate ſtatuetur.Suſtollam te,inquit, ſuper altitudines terræ,& cibabo te hæreditate Iacob patris tui.] Ad hoc enim in altum erigitur, vt amoris ardentiſſimi ſuauiſſimo cibo paſcatur. Ad præceptum Domini in arduis nidum ponit, quia in rebus ſupernis conſilium ac deſiderium figit. Non vult ſe in ima deiicere,inquit Gregorius,non vult per abiectionem conuerſationis humanæ in infimis habitare.] In petris manet,& in præruptis ſilicibus commoratur, atque inacceſſis rupibus, quoniam dum illaeleuatio perſeuerat, veluti ſe in tuto poſitam,ne telo dæmonis feriatur, ne tentatione aliqua illidatur, agnoſcit. Deo tamen ſic ordinante ad terram redit, & humanos affectus ſentit,ne de ſe aliquid ſupra ſe putet, & propriæ fragilitatis memor humilitatem, & ſui contemtum ſeruare curet. Quare benigniſſima diſpenſatione Domini quaſi ab illa altitudine deturbatur, vt in vera altitudine, ſcilicet in humilitate, & in omni virtute ſeruetur.

Iob 39. 27.

Iſaiæ 58. 14.

Greg. 31. moral. c. 19.

Eleuatio hæc ad intellectũ pertinet, & ad voluntatem deriuatur.

Cùm itaque in contemplatione tanta ſit intellectus voluntatíſque cõſenſio, nullo modo putandum eſt hanc eleuationem ad ſolum intellectum pertinere, verùm & ad voluntatem deriuari. Intellectus in altum vadit, quia à diſcurſibus expeditus in rebus cœleſtibus contuitum ponit. Voluntas verò in altum tendit,quia neglectis terrenis omnibus illi bono quod ſibi præſentatur inhæret,& ex illa adhæſione magnam ſuauitatem & exultationem percipit. Inhæret itaque ſummo bono,quam Deus in Chriſto non tantùm ſpe, verùm & præſentibus affectibus conreſuſcitauit, & conſedere fecit in cœleſtibus. Hunc locum euoluens Gregorius ſic ſcribit:Tunc Paulus fortaſſe in carcere tenebatur, cùm ſe conſedere Chriſto in cœleſtibus teſtaretur. Sed ibi erat,vbi ardentem iam mentem fixerat, non illic vbi illum neceſſariò pigra adhuc caro retinebat. Hoc namque eſſe ſpeciale ſpecimẽ electorum ſolet,quòd ſic ſciunt præſentis vitæ iter carpere,vt per ſpei certitudinem nouerint, iam ſe ad alta peruenisſe, quãtenus cuncta quæ præterfluunt,ſub ſe eſſe videãt, atque omne quod in hoc mundo eminet,amore æternitatis calcent.] Si hoc incerto quodam gradu de omnibus electis dicitur, quanto magis de illis electis dicetur, qui perfecta contemplatione cœleſtibus inferuntur. Equidem puto,quia non parte quadã mentis,ſed tota mente, id eſt, intelligentia & voluntate ita eleuantur, vt à diſtractionibus alieni effecti, & intelligentia res cœleſtes videant, & amore ita illis inhæreant, vt viſibilia relinquant.

Ephes. 2. 6.

Gregor. ſupr.

Dauid eleuationem hãc mirè deſcripſit.

Hanc mentis eleuationem exultationi coniunctam,quæ contemplatione fit, regius Vates myſticè decantabat in hunc modum: In exitu Iſraël de Ægypto domus Iacob de populo barbaro. Facta eſt Iudæa ſanctificatio eius, Iſraël poteſtas eius. Mare vidit & fugit:Iordanis conuerſus eſt retrorſum.Montes exultauerunt vt arietes,& colles ſicut agni ouium.] Quis dubitet Pſalmum iſtum ad litterã de eductione populi Iudaici ex Ægypto fuiſſe compoſitum? At aliud eſt quod littera ſonat,aliud quod per myſterium ſubindicat. Eſt tempus cùm anima illuminata,& viribus ſuis in vnum collecta egreditur de obſcuritate Ægypti, & de perturbatione & confuſione populi barbari. Tunc hæc facta iam Iudæa & Iſraël, quia Dominum laudat, & Dominum videt, fit ſanctificatio & poteſtas eius, quia in ſanctitate,quam in illam confert,& in virtute, qua ipſam roborat, ipſe Dominus & ſanctus & potens oſtenditur. Tunc mare affectorum animæ,qui inſtar maris turbantur, à ſenſibilibus fugiunt, & Iordanis inanium deſideriorum, quæ in inferiora decurrunt,conuerſa ſunt retrorſum.Quia deſideria huius animæ non iam ad vana properãt, ſed ad vera bona feſtinãt. At illud mirabilius,quòd montes exultant ſicut arietes, & colles ſicut agni ouium. Quid montes, niſi voluntatis affectiones? & quid colles, niſi intellectus huius animæ conceptiones. Iſtæ per colles meritò ſignificãtur,quia in vita mortali quantumuis perficiantur, obſcurè & minùs cognoſcunt. Illæ per montes,quia tranſit affectio & dilectio quò nõ poteſt venire cognitio. At optimè tam cõceptiones, quàm affectiones per montes & colles expreſſæ ſunt. Quoniam ſicut hi à terrena nõ diuiduntur, at ſupra communem terram eleuantur: ita & illæ in terrena quidem habitatione huius corporis habentur, ſed ſupra omnia terrena ad cœleſtia cognoſcenda & diligenda ſubuehuntur. Exultant ergo affectiones animæ contemplantis ſicut arietes,& conceptiones ſicut agni ouium. Arietes & agni quomodo exultant? Certè ſubſiliunt,& à terra ſe ſubtrahunt,& non cum labore, ſed cum exultatione his ſaltibus, quibus à terrena ſe eleuant,& quaſi ludis intendũt. Sic anima conceptiones & affectiones ſuas in contemplatione ad ſuperna leuat, & in his ſaltibus non laborat,ſed vehementer exultat.Corporalis ſaltus, inquit Richardus de ſancto Victore, eſt totũ corpus à terra ſuſpendere, ſpiritualis ſaltus ſpiritum & totum quod ſpiritus eſt à terrenis alienare.Corporalis ſaltus eſt terræ tactum vſquequaque deſerere, & totius corporis membra per inane librare. Spiritualis ſaltus eſt mente excedere,& infimis in imo relictis in inuiſibilium contemplationem totum tranſire.] Eleuatio iſta nomine exultationis exprimitur,quia nõ cum moleſtia laboris,ſed cum perceptione magnæ iucunditatis exercetur. Et tamen ſaltus eſt,quia anima cognitione & amore in cœlum elata,elapſa viſitatione Domini ad terram deprimitur,& humanis negotiis, prout neceſſitas, aut charitas dictat,vacare compellitur. Sed veniet hora,ô Domine Deus meus,& fœlix hora,quando ad te perfectè & immutabiliter eleuabimur, & numquam ad terrena reuertemur.

Pſal. 113. 2. & infrà.

Rich. ad eumdem Pſal.

De ſuſpenſione mentis in contemplatione.

CAPVT VIII.

Quid ſit mẽtis ſuſpenſio.

ELEVATIONEM hanc ſequitur in contemplatione mentis ſuſpenſio: quæ nihil aliud eſt,quàm quædam perfectiſſima ad id quod contemplamur attentio,& rerum omnium inferiorum obliuio. Duplex

Duplex ea eſt.

eſt

est enim ingressus animæ ad præsentiam Domini, etiam quando sine labore ad res diuinas contuendas effertur. Alter quo rerum ad se attinentiũ memoria tangitur, alter, quo nullius nisi inspectæ veritatis recordatur. Illo primo modo ascendit Ezechias Rex in domum Domini, & expandit litteras Sennacherib coram Domino, & orauit deuotissime pro liberatione populi. Ascendit ille ad Dominum mente, sed sua, quæ tunc vrgebant, secum detulit, vt pro imminentibus malis remedium obtineret. Secundo verò modo ingressus est Dauid ad Dominum, dum dixit: Quoniam non cognoui litteraturam, introibo in potentias Domini: Domine memorabor iustitiæ tuæ solius.] Erat ille multitudine beneficiorum Dei non tam affectus, quàm obrutus, quæ nulla litteratura, nulla scriptura, nullóve numero comprehendere posset. Ideo amore ardens ingressus est ad contemplandas perfectiones Domini, ita vt illarum tantùm recordaretur, & hac memoria ita absorberetur, vt nullam sui aut aliarum creaturarum cogitationem admitteret. Illa eleuatio seu ascensio ad Deum pertinet ad meditationem, vel ad postulationem: hæc verò quæ auocat animam ab omnibus, & quasi suspendit in eo bono, quod inspicitur, pertinet ad contemplationem. Euenit, vt videas aliquam imaginem pulcherrimam, quæ pro aliqua mora ita omnem attentionem abripit, vt nihil aliud omnino cogites. Euenit, vt eloquentissimum & feruentissimũ concionatorem audias, qui feruore spiritus & rationum pondere ita te occupet, & cogitationem cum ingenti admiratione colligat, vt quasi tu solus in mundo esses, illis quæ audis attentus sis. Sic Dominus tam insolita luce res diuinas proponit, vt anima admiratione & exultatione repleta ab illis pendeat, & quasi nihil in mundo esset, aliud quid cogitare, aut spectare non libeat. Nec solùm ab hac insolita luce suspensio prouenit, verùm & ab insolita deuotione, qua voluntas se Domino consecrat, & eius præsentiam & communicationem desiderat. Sicut enim in humanis duo solent cogitationem rapere, & ab aliis abstrahere rei admirabilis inspectio, & rei desiderabilis nimius amor; ita in rebus diuinis non sola efficax ex immissa luce cognitio, verùm & feruentissima deuotio atque dilectio mentem à terrenis auocant, & ex bono inspecto & amato pendere faciunt.

4. Reg. 19. 14.

Psal. 70. 16.

Prima suspensionis species & qualis.

Iob 7. 14. Greg. 8. moral. c. 13.

De illa prima suspensione, quam efficit insolita lux, est illud Iob: Terrebis me per somnia, & per visiones horrore concuties. Quamobrem suspendium elegit anima mea, & mortem ossa mea.] Dicat Gregorius quid somniorum & visionum nomine intelligendum sit. Quid verò hoc loco ait, somnia vel visiones accipimus, nisi imaginationes vltimi districtique examinis? Quod iam vtcumque per timorem cernimus, sed tamen vt est veraciter non videmus. Sancti itaque virî ad cordis secreta semper redeunt cùm ab hoc mundo vel vltra votum prospera, vel vltra vires aduersa patiuntur, atque externis laboribus fessi, quasi stratum vel lectulum cubilia mẽtis petunt. Sed dum quibusdam imaginationibus cogitationum, quàm sint subtilia diuina iudicia conspiciunt, quasi in ipsa stratus sui requie somnij visione turbantur.] Quod autem de extremo iudicio dixit, de quocumque alio mysterio cognito insolita luce dixisset. Exponat nunc quid sit suspẽdium illud, quod vir hic patiens elegit. Quid per animam, inquit, nisi mentis intentio, quid per ossa, nisi carnis fortitudo designatur? Omne autem quod suspenditur, proculdubio ab imis eleuatur. Anima ergo suspendium eligit, vt ossa moriantur, quia dum mentis intentio ad alta se subleuat, omnem in se fortitudinem vitæ exterioris necat.] Vide simul suspensionis naturam, effectum, & causſam. Naturam, quia intentio, seu attentio mentis est ad alta subleuans, & ab exterioribus auocans. Causſam, quia ex visionibus seu somniis processit; ex his scilicet quæ supernaturali luce perspeximus. Effectum, quia hac efficaci & abstrahente intuitione desideria mundana in nobis occidimus. Hoc est illud communicationis diuinæ genus, de quo Ecclesiasticus ait: Si enim Dominus magnus voluerit, spiritu intelligentiæ replebit illum (scilicet iustum:) & ipse tamquam imbres mittet eloquia sapientiæ suæ, & in oratione confitebitur Domino. Non est industriæ nostræ, sed voluntatis Dei, donum istud, in cuius effusione verè magnus ostenditur, cùm homo illud recipiens in tanta cordis magnitudine collocatur. Replet autem hominem hic spiritus intelligentiæ donatus: quoniam sicut quod repletum est, aliud extraneum capere non valet, ita anima spiritu intelligentiæ repleta, & velut absorpta nullius rei creatæ cogitationem admittit. Immo ex eo quod recipit abundanter effundit. Effundit, inquam, eloquia sapientiæ, quibus immensas laudes Domino canit, & pro tantis muneribus gratias agit.

Suspensionis natura, effectus, & causſa.

Eccli. 39. 8.

Secunda verò suspensio, quam procreat ingens deuotio & intentus amor, signata videtur in illo sacrificio Eliæ, qui cùm ex lapidibus feciſſet altare, & ligna desuper ac sacrificium composuisset, & aqua non solùm in circuitu cinxisset, verùm & omnia madefeciſſet, cecidit ignis Domini, & vorauit holocaustũ, & ligna, & lapides, puluerem quoque, & aquam, quæ erat in aquæductu lambens. Homo altare ædificat, cùm cor suum ad orationem præparat: ligna componit, quando ea quæ consideraturus est præuenit; holocaustum super ligna ponit, cùm seipsum Domino offerre cõstituit: aquam nihilominus infundit, cùm miserias & necessitates suas & aliorum, quæ possent mentem distrahere, secum ad postulandum remedium defert. Sed cùm orationi est intentus, aliquando ignis de cœlo cadit, & ingens amor ita voluntatem accendit, vt omnia illa pro quibus erat postulaturus aboleat, & memoriam ab omni, quod Deus non est, auellat, in quadámque solitudine creaturarũ animum cõtemplantem, & soli Deo intentum relinquat. O beata rerum creatarum obliuio, qua homo nulla ratione suo voto frustratus manet, sed quod desiderabat, & postulaturus erat, pleniùs obtinet. Neque enim sola expressa postulatio aures Dei pulsat, sed multo vehementiùs feruens ille amor omnium memoriam abradens in conspectum Dei penetrat, vt amanti, & præ amore postulationis & cuiuslibet alterius affectus oblito vtilia & desiderata deferat. Est ergo suspensio illa vehemens attentio, ille quasi stupor mentis, quo solis inspectis intendit, & ad nihil aliud attẽdere nouit. Est illud sponsæ: Dilectus meus mihi, & ego illi;] vt sicut ille numquam me à sua memoria & amore repellit; ita viciſſim ego hoc tempore ab eius inspectione & amore non recedam, & pro eo omnium penitus obliuiscar. Amor Dei amorem animæ parit, inquit Bernardus, & illius præcurrens intentio intentam animam facit, solicitudóque solicitam.] Quæ autem ita vehementer intenta est Domino meritò præmisit: Dilectus meus mihi, & coniectat se diligi. Nam, vt idem sanctus Pater paulo antè scripserat: Anima ex eo quòd se diligere & vehemẽter

Secunda suspensio declaratur. 3. Reg. 18. 38.

Cant. 2. 16.

Bernard. serm. 69. in Cant.

Cap. 14.

diligere

diligere ſentit,etiam diligi nihilominus vehementer non ambigit, ac de ſua ſingulari intentione,ſolicitudine,cura,opera,diligentia,ſtudióque quo inceſſanter & ardéter inuigilat quemadmodum placeat Deo, æquè hæc omnia in ipſo indubitanter agnoſcit,recordans promiſſionis eius:In qua menſura menſi fueritis,remetietur vobis.] Prorſus deſiderabilis eſt iſta ſuſpenſio, quæ ita nos ad alta & pretioſa trahit vt à vilibus & noxiis auellat, & in quadam ſecuritate & tranquillitate adhuc perfectius quàm eleuatio conſtituat.

Matth. 7. 2.

De admiratione eorum, quæ contemplatione inſpiciuntur.

CAPVT IX.

Admiratio ſequitur ſuſpẽſionem.

SIcvt ſuſpenſio ſequitur eleuationem mentis,ita & admiratio,vt mihi quidem videtur,ſuſpenſionem ſequitur. Nam ex vehementiori attentione & rerum viſibilium obliuione oritur,vt anima res diuinas pleniùs cognoſcat,& inde in admirationem ſe efferat. Sæpiſſime enim res diuinas meditabamur, eaſdem certè quibus poſtea in maximã admirationem inducimur,& tamen admiratione non tangebamur. Poſtea verò, cùm minus ſpes erat, admiratione & ſtupore complemur, non ob aliud niſi quia inſolita luce perfundimur, & in quadam altitudine & ſolitudine collocamur, vt perfectiùs videre & admirari poſſimus. Admiratio eſt circa res magnas, pretioſas,raras,& numquam viſas. Eſt autem poſita in aliquo ex parte intellectus, & in aliquo ex parte affectus. In intellectu eſt intima quædam & clara ac nondum eo modo habita cognitio rei illius magnæ, pretioſæ, ac raræ, quam admiramur, ex inſolita luce procedens.In voluntate verò,ſi res illa ſit conueniens,emergit complacẽtia quædam, ac deſiderium laudandi & magnificandi illam: ſi verò diſconueniens, timor, aut horror, & auerſio, ac deſiderium illam fugiendi. Vtrique autem affectui adiungitur quidam ſtupor,aut terror,ſiue horror mentis,in quo admiratio perficitur.

Res,quas contemplatione perſpicimus,magnæ, raræ,& pretioſæ sũt. Pſ. 120. 2. Eccli.11. 4. Eccl. 8. 17. Coloſſ. 1. 29.

Res ergo,quas cõtemplatione perſpicimus,magnæ ſunt, pretioſæ,& raræ. Huiuſmodi ſunt opera Dei ad naturam pertinentia, de quibus Dauid:Magna opera Domini, exquiſita in omnes voluntates eius.] Et Eccleſiaſticus: Mirabilia opera Altiſſimi ſolius, & glorioſa, & abſconſa, & inuiſa opera illius.] Et Salomon:Intellexi quòd omnium operum Dei nullam poſſit homo inuenire rationem.] Huiuſmodi etiam ſunt myſteria fidei, Deus homo factus; homo per ignominiam crucis in libertatem aſſertus; & per ſigna viſibilia tam ſine oſtentatione in iuſtitiã adductus,& alia huius generis. Quid autem maius aut pretioſius? Quia in Chriſto complacuit omnem plenitudinem inhabitare, & per eum reconciliare omnia in ipſum, pacificans per ſanguinem crucis eius,ſiue quæ in terris, ſiue quæ in cœlis ſunt. Denique ſunt ea quæ ad ſuperglorioſam Deitatem ſpectant, & omnes perfectiones & attributa Domini,qui eſt ipſa magnitudo,atque ſublimitas. Hæc omnia ſatis frequenter communi luce fidei tractamus & euoluimus,ſicut ſi gemmas pretioſiſſimas increpuſculo, quando lux eſt ſatis modica,tractaremus.At per contemplationem lux iſta roboratur,& adiectione lucis ſapientiæ & intellectus ita perficitur, vt res has multo differentius quàm antea videamus, & cum magna nouitate,maximas ac pretioſiſſimas cognoſcamus,& ideo vehementer admiremur. Conſidera hominem illum cæcum natum, cùm primùm oculos aperiret, & terram,ac cœlum, lucem,ſolem & aſtra videret, quanta admiratione teneretur? Sic anima cùm oculos aperit, & in rebus ſiue naturalibus, ſiué ſupernaturalibus videt, quæ priùs numquam viderat,numquam intellexerat, incredibili admiratione perfunditur. Videns Regina Saba omnem ſapientiam Salomonis, & domum, quam ædificauerat, & cibos menſæ eius, & habitacula ſeruorum, & ordines miniſtrãtium,veſtéſque eorum, & pincernas,& holocauſta, quæ offerebat in domo Domini:non habebat vltrà ſpiritum.Vidit illa magna, quæ non viderat,copioſa,& pretioſa,quæ non cogitauerat,noua & inuiſitata,quæ numquam perceperat. Inde autem in admirationem venit, vt pænè præ ſtupore deficeret. Ita dum animæ ea reuelantur quæ nõ nouerat,vel inſueto modo proponuntur,admiratione eleuatur, atque ſuſpenditur.

3. Reg. 10. 4.

Ex rei nouitate, cauſſæ ignoratione admiratio cõſurgit. Apoc. 17. 6.

Nec ſolùm ex rei nouitate & magnitudine, verùm & ex cauſſæ ignoratione admiratio conſurgit. Sic ignarus viſo defectu Solis, ſeu eclipſi miratur, quia cauſſam non nouit,quam ſi vt ſapiens noſceret,nequaquam miraretur. Talis fuit admiratio Ioannis in ſua reuelatione. Vidi mulierem ebriam de ſanguine Sanctorum, & de ſanguine martyrum Ieſu. Et miratus ſum cùm vidiſſem illam admiratione magna.] Quòd verò hæc admiratio ex ignoratione cauſſæ proceſſerit,inde conſtat, quòd Angelus vt eam adimat, cauſſam quare ſic mulier apparuerit,edicit. Sic aliquando anima miratur ex his, quæ ei accidunt, quia noua ſunt, & cauſſa eorum,eam latet. Cùm tamen hæc familiaria redduntur,& cauſſa manifeſtatur,tunc admiratio deponitur. Hanc admitationem incipientes ſupernaturalia experiri abſque dubio habent,quia ea dona accipiunt,quæ vel numquam audierunt, vel ſi audierunt, numquam ante experimentum illorum qualia eſſent in animum induxerunt. Illam autem ortam ex magnitudine rerum, quæ oſtenduntur, & ex perfectione lucis immiſſæ omnes etiam in contemplatione nimis exercitati habent. Tanta eſt enim magnitudo rerum cœleſtium, vt ſi perfectè cognoſcantur, non poſſunt aliter quàm excellentiſſima & admiratione digniſſima cogitari. Hanc admirationem vocat Bernardus contemplationem perfectiſſimam. Nam quatuor contemplationis ſpecies enumerans,ait:Prima & maxima contemplatio eſt admiratio Maieſtatis.Hæc requirit cor purgatum,vt à vitiis liberum, atque exoneratum peccatis, facilè ad ſuperna leuet, interdum quoque, vel per aliquas morulas ſtupore & extaſi ſuſpenſum teneat admirantem.] Eſt, inquam, hæc maxima contemplatio, quoniam admiratio naſcitur ex perfectiſſima & altiſſima cognitione. Cùm enim contemplatio cognitio ſit, quo cognitio ſublimior fuerit, eo erit contemplatio perfectior.

Bern. 5. de conſid. c.14.

Admirationis effectus verè mirabiles. Apoc. 7. 12.

Sunt autem admirationis effectus mirabiles. Interdum enim ſtupor progreditur in gratiarum actionem. Vt Angeli viſo myſterio propagationis Eccleſiæ,dixerunt:Benedictio,& claritas,& ſapientia,& gratiarum actio, honor, virtus,& fortitudo Deo noſtro in ſæcula ſæculorum.] Interdum in vocem exultationis,& laudis.Quale fuit illud Moſis tranſeunte Domino: Domine Deus,miſericors & clemens, patiens & multæ miſerationis, ac verax, qui cuſtodis miſericordiam in millia: qui aufers iniquitatẽ,& ſcelera atque peccata, nullúſque

Exod.34. 6.

apud te per se innocens est.] Aliquando in affectum amoris, & intimæ deuotionis. Quod Richardus putat illis verbis mysticè designari, quæ de anima sancta dicta sunt in Canticis: Quæ est ista quæ progreditur quasi aurora consurgens, pulchra vt luna, electa vt sol. Aurora, inquit, & luna lucem habent, sed calorem non habent, sol autem vtroque præpollet. Quid enim sole lucidius? Quid sole feruentius? Illa ergo mentis ascensio, quæ hoc loco designatur, cuius extrema soli comparantur, non in qualemcumque, sed in summam quandoque deuotionem desinat, quamuis à sola claritate, veritatísque illustratione incipiat. Sicut enim aliquando ex nimio deuotionis feruore meretur sæpe subleuari ad summæ veritatis contemplationem, sic & ex admiranda quadam atque stupenda veritatis contemplatione paulatim promouetur, tandémque inflammatur ad summam deuotionem.] Aliquando denique intellectum exacuit, vt solicitiùs perscrutetur, & ampliùs intelligat. Vnde Augustinus: Magna admiratio magnam generat quæstionem, & magna quæstio ad perscrutandum magnum mysterium studium piæ mentis erigit. Piè verò scrutans mens hominis altitudinem prophetiæ, velut hamo piscem, Dominum Christum de profundo Scripturarum leuat.] Media autem admiratione solet contemplatio suauissimam voluptatem secum inuoluere, de qua sub alio principio dicemus.

Cant. 6. 9.

Richard. 5. de contempl. c. 10.

August.

De delectatione contemplationis.

CAPVT X.

D. Thom. 1.2.q.32 art.8. Delectationis causa est admiratio.

ADMIRATIONEM esse delectationis caussam Thomas Aquinas docuit: non solùm ob rationem eius, quia habet adiunctam spem cognoscendi rem admirabilem, sed quia & ipsam cognitionem apertiorem infert, & nouitate aut pulchritudine rei visæ voluptatem inducit. Contemplatio ergo siue ex admiratione, siue ex alia caussa id procedat sanctarum deliciarum & purissimarum voluptatum plena est, immo & alias omnes voluptates in immensum excedit. Mitto nunc voluptates corporeas hominibus bestiísque communes, quæ in re tam sancta & pura nec commemorandæ sunt. Quásque non esse admodum magnas tum obtusio sensuum & appetituum corporeorum, quibus percipiuntur, tum vilitas & fugacitas rerum ex quibus capiuntur, tum denique breuitas temporis quo durant, satis efficaciter persuadent. Si autem voluptatis eius meminerimus, quam ex meditatione etiam feruentissima mysteriorum fidei, aut ex studio scientiarum, aut ex contemplatione philosophica rerum naturalium habemus, ea perexigua est, & parui momenti, si cum voluptate Christianæ contemplationis conferatur. Hæc maxima voluptatum etiam spiritualium est; quia ex obiecto summè delectabili, nimirum ex Deo omnium deliciarum abysso & fonte percipitur. Adimplebis enim me Domine lætitia cum vultu tuo: delectationes in dextera tua vsque in finem. Quia hoc obiectum iam non inquiritur, sed inuentum tenetur, & perfectissimo modo proponitur, & anima illud amplexatur, & ab eo se adstringi & amplexari experitur. Nam læua eius, inquit anima contemplatrix, sub capite meo, & dextera illius amplexabitur me.] Quia Deus, ex quo hæc voluptas procedit, impensè desiderabatur, ac feruentissimè diligebatur. Quo verò maior est amor, ardentiúsque desiderium rei alicuius, eo maior est delectatio, si eam obtinere contingat. Quia innumerabiles sunt caussæ huius sanctissimæ voluptatis, vt scilicet, quot sunt diuinæ perfectiones, & accepta ac recipienda beneficia, quæ eam efficiunt. Quia denique extrema huius gaudij purissimi, ac honestissimæ voluptatis luctus non occupat, nec mœror & inquietudo spiritus, sed exacto contemplationis tempore animam mira serenitas atque tranquillitas ex contemplatione relicta delectat. Recipítque (vt sic dicamus) gratiam pro gratia, voluptatem pro voluptate, & ex deliciis ad nouas delicias transfertur.

Cant. 8. 3.

Enimuero Gregorius, vt magnitudinem huius delectationis exprimat, contemplationem non tam delectabilem, quàm ipsam delectationem ac dulcedinem vocat. Contemplatiua vita, inquit, amabilis valde dulcedo est, quæ super semetipsam animam rapit, cœlestia appetit, terrena autem debere esse contemtui ostendit, spiritualia mentis oculos patefacit, corporalia abscondit.] Signatur etiam in Scriptura per res corporeas maximè delectabiles, vt per cibum & potum, per amplexus & oscula. Hic est ille cibus, & ille potus, de quo sponsus in Canticis: Comedite amici, & bibite, & inebriamini chariissimi.] Contemplatio enim cibus animæ est melle dulcior, & fauo suauior. Potus est vino purissimo efficacior, quod gustatum mentem inebriat, & sapientissima quadam insania à rebus omnibus terrenis alienat. Comedit ipse Dominus fauum cum melle suo: quia naturam humanam fauo, & diuinam melle significatam agnouit. Bibit vinum suum cum lacte suo, quia se charitate nimia & dulcedine purissima inebriauit. Ad eumdem autem cibum faui & mellis, & ad eumdem potum vini & lactis animas contemplatrices inuitat, & hoc conuiuio, in quo ipse cognitus & amatus est, cibus & potus eas miro & inexplicabili modo delectat. Hoc est illud osculum, quod sponsa cupiebat & postulabat, dicens: Osculetur me osculo oris sui.] Miro modo, inquit Bernardus, gratiam operantis, & opus & modum operis eleganter expressit. Cùm enim dicit, obsculetur, operantis gratia monstratur. Cùm autem supponit, osculo, ipsum opus, id est, contemplatio designatur. Cùm verò adiunxit, oris sui, modum operis, scilicet quo fiat contemplatio, euidenter expressit. Per os quippe verbum intelligitur. Fit autem contemplatio ex condescensione verbi Dei ad humanam naturam per gratiam, & exaltationē humanæ naturæ ad ipsum verbum per diuinum amorem.] Hic est ille amplexus, de quo Salomon: Tempus amplexandi, & tempus longè fieri ab amplexibus.] Quia nimirum in hac mortalitate semper cōtemplationi vacandum non est, sed ab eius suauitate discedendum ad tempus, vt nostræ & proximorum necessitati consulamus. Significatur ergo per

Greg. hō. 14. in Ezechiel. Contemplationē non delectabilem, sed ipsam delectationem vocat.

Cant. 5. 1.

Cant. 5. 1.

Cant. 1. 1.

Eccl. 3. 5.

Psal. 25. 12.

has res corpori admodum delectabiles, vt ei ſummam ineſſe dulcedinem voluptatémque monſtretur.

Quæ ſunt naturæ conformia, niſi impedimentum adſit, delectabilia ſunt.

Et quidem id, quod Scriptura his inuolucris & ſimilitudinibus indicat, ſatis ex ipſamet contemplationis natura perſpicitur. Ea enim quæ ſunt naturæ conformia, ni aliquod impedimentum obſtet, delectabilia ſunt. Sicut autem naturale eſt homini deſiderium ſciendi, & conformis naturæ cognitio rerum naturalium, ita etiam eſt maximè congrua naturæ cognitio ſummi Dei. Quæ licèt ſupernaturalis ſit, non propterea naturæ animæ rationalis repugnat, ſed potiùs eam ad maiorem perfectionem eleuat. Erit ergo animæ delectabilis, niſi ex inordinatione ſenſuum aut affectuum huic delectationi aliquid obſiſtat. In anima autem per mortificationem purgata, & virtutibus decorata (qualem Deus ſolet ad contemplationem vocare) hæc omnia ordinata ſunt. Quare nihil erit in ea quod guſtum contemplationis impediat. Præſertim cùm opus hoc non oriatur ex hominis induſtria, ſed ex eleuante gratia, qua Deus animam illuminat, & abſque labore eius hoc cibo melle dulciore cibat. Deſcendit lux illa ſicut pluuia in vellus, & ſicut ſtillicidia diſtillantia ſuper terram: quæ ſuſcipere & imbibere, non poteſt non voluptatem afferre. An non, ſi ad palatum tuum dulciſſimus cibus ſine tuo labore applicetur, dulcedinem ſentis? Sed Deus tuus ſumma dulcedo ad palatum mentis ſe applicat, & vt guſtetur animæ ſanctæ ſe infundit. Quomodo non delectationem percipiet? Amatum videre & alloqui eſt per ſe delectabile. Deus autem amatur ab anima, immo eſt vnicum & ſummum amabile. Quomodo illum videre & alloqui & præſentem ſentire non erit delectabile? Bene ergo de ſapientia dicitur, cuius opus eſt contemplatio: Intrans in domum meam (in domum ſcilicet cordis mei) conquieſcam cum illa: non enim habet amaritudinem conuerſatio illius, nec tædium conuictus illius, ſed lætitiam, & gaudium.) Bene etiam non tam verbis, quàm admiratione à ſancto Dauide eius magnitudo monſtratur. Quàm magna, inquit, multitudo dulcedinis tuæ, Domine, quam abſcondiſti timentibus te?] Magna certè multitudo dulcedinis, quia non tantùm vna eſt contemplationis dulcedo, ſed plurimæ in ea deliciæ ſunt quas omnes vnus quantumuis ſpiritualis expertus non eſt. Hæ abſconditæ ſunt ab oculis communium hominum etiam bonorum: ſed manifeſtæ timentibus Dominum illo timore caſto & filiali, quem perfecta charitas non excludit. Bene tandem non voluptas ſolùm, ſed torrens voluptatis dicitur. Inebriabuntur ab vbertate domus tuæ; & torrente voluptatis tuæ potabis eos.] Nam vt torrens inundans, hominis capacitatem abſorbet, & veteris Adæ vitia & immortificationes deſtruit.

Sap. 8. 16.

Pſal. 30. 20.

Pſal. 35. 9.

Delectatio ex cõtemplatione prouenies duplex eſt. Richel. 1. de contempl. ar. 12.

Sed hæc delectatio ex contemplatione prouenies, vt cum aliis docet Dionyſius Richelius, duplex eſt. Altera merè ſpiritualis, & in anima ſe continens; altera ſenſibilis, & in corpus ſe diffundens. Illam primam voluntas guſtat, licèt interdum portio inferior ariditatem, aut dolorem, aut inquietudinem ſentiat. Animus enim gratia ornatus, & charitate decoratus, & ſapientia illuminatus, non minus quàm peritiſſimus citharœdus citharizando, contemplationis actu delectatur. Hoc enim eſt proprium habituum, quales ſunt ſapientia & charitas, vt promtitudinem & facilitatem ad agendum præbeant, & operi iucunditatem admiſceant. Experiuntur autem eam in mediis ariditatibus & deſolationibus ſenſibilibus non ſolùm contemplantes, ſed meditantes, dum non ſine quadam interiori ſatisfactione Deo aſſiſtunt, & ibi ſe quietos & quaſi in ſuo centro collocatos animaduertunt. Et inde prouenit, vt multo tempore ſenſu aridi, mente tamen promti, ſine difficultate in oratione perſeuerent. Quam difficultatem voluptas interna poteſt adimere. Secundam verò delectationem ex illa prima manantem ſenſus & appetitus corporeus percipit, ſecundùm illud: Cor meum & caro mea exultauerunt in Deum viuum.] Certum eſt enim, quia fortes actiones animæ redundant in corpus. Vnde homo ex magno timore frigeſcit & palleſcit, & ex magna ira caleſcit; ex magna triſtitia corpus comprimitur, & ex magna lætitia dilatatur. Cùm itaque magna fuerit in mente contemplationis delectatio, in ſenſum redundabit, & in corpus ſe diffundet. Quàm magna autem ſit hæc delectatio ex Richardo ſic ſcribente cognoſcitur: Tanta eſt vt nulla exterior delectatio poſſit animæ aliquatenus ſapere, nec aliqua huius mundi gloria aliquid conſolationis afferre, ita vt veraciter audeat profiteri, & dicere: Renuit conſolari anima mea eo quòd veraciter ſentiat, & pro certo diffiniat, quia omnis caro fœnum, & omnis gloria eius quaſi flos fœni. Denique tædet eam vitæ ſuæ quoties non datur conſuetas delitias pro voto habere. Vitáque ipſa ei in tædium, immo in odium vertitur, quoties hæc illa ſua internæ ſolemnitatis gaudia aliquandiu ſubtrahuntur.] Sic ille. Sed de magnitudine voluptatis, quæ contemplationi admiſcetur, commodiùs dicemus, poſtquam contemplationis gradus expoſuerimus.

Pſal. 83. 3.

Richard. 5. de contempl. c. 16.

Infrà p. 3. c. vlt.

De diuturnitate contemplationis.

CAPVT XI.

Bonum quo diuturnius, eo melius.

BONVM, quo diuturnius, eo melius. Cùm ergo contemplatio tam magnum bonum ſit, tantámque ſecum honeſtatem habeat, tantáſque vtilitates & voluptates afferat; videndum eſt, an breui tranſeat, aut potiùs longo tempore in ea mens durare valeat. Meditatio enim ſatis diuturna eſſe poteſt, & in multis eſt, qui ſolent multis horis abſque interruptione vacare. Contemplatio enim inchoata, qualem ſuprà deſcripſimus, qua ſcilicet quis Deum intellectu ſibi præſentem proponit, & affectibus amoris variis, & gratiarum actionis & laudis, & deſideriis virtutum ſe paſcit, etiam poteſt eſſe diuturna, non minus quàm meditatio. Scimúſque plurimos longo tempore cum magna ſpiritus ſuauitate in hoc genere orationis durare. Sed an idem in perfecta contemplatione contingat, qua nimirum mens Deum ſimplici intuitu videt, & continenti amore ardet, omnibus notum non eſt; ídque oportet declarare. Et quidem vitam contemplatiuam diuturnam eſſe poſſe, & vſque ad finem vitæ protelari, quod Thomas Aquinas voluit, dubium non eſt. Nam verſatur circa incorruptibilia, quæ finem non habent. Eius quoque actiones

D. Thõ. 2.2.q.180 art. 8.

nullum

nullum habent per se contrarium, à quo impediantur. Et multi sunt & fuerunt in Ecclesia, qui huic vitæ generi se tradiderunt, & tradunt: & per quamdam functionem huius vitæ mutationem iucundam in ea iuuentute vsque ad decrepitam perseuerant. Hi certè nunc psallendo, nunc mentaliter orando, nunc contemplando, nunc legendo, nunc seipsos examinando, nunc scribendo vitam suam fructuose & suauiter impendunt. Et cùm venirent assidua exercitatione ad contemtum sæculi, ad affectuum moderationem, & ad magnam vitæ puritatem, datum est illis vt in his internis operibus perpetuò perdurent. Ita tamen vt discreta intermissione quiescant, quia licèt his actionibus corpus non multum laboret, & continua spirituum consumtione mirum in modum attenuatur, & debilitatur, vt necesse habeat certis diei temporibus cibo & somno, & aliquo laxamento recreari.

In contemplatione cũ auxiliis communibus nõ potest mẽs multo tempore durare.

Sed ad perfectam contemplationem redeamus. Et in ea quidem si solùm iuuemur communibus auxiliis, quibus orantes iuuari solent, certum est mentem multo tempore durare non posse. Nulla enim actio diuturna est in summo suo perfectionis. Summum autem ac perfectissimum cognitionis hominis in hac vita est, quòd rem aliquam absque discursu simpliciter intueatur. Quare positus in hac perfectione necesse est, vt noua veritate pascatur, vel saltim variis affectibus occupetur, vel certè in mentis distractionem relabatur. Profectò hæc est natura hominis vt sensibus ad cognoscendum adiuuetur, vt discursu in rebus cognoscendis vtatur, vt postquam rem perfectè apprehenderit, si in ea inspicienda velit immorari, vel effectuum, aut proprietatum, aut causarum, aut modi eius consideratione, aut aliis similibus teneatur. Vnde sensus relinquere, & discursum suspendere, & omnibus aliis actibus valedicere, in sola autem simplici intuitione veritatis immobilem permanere, non potest esse nisi violentum ac alienum à communi cognoscendi modo. Non ergo potest esse diuturnum: quod ipso experimento quisque in seipso deprehendet. Et Thomæ Aquinatis sententia confirmatum reperiet, in his, quæ de vita contemplatiua conscripsit.

D. Thom. 2. 2. q. 180. art. 8. ad 2.

Idem verò Bernardus & Gregorius affirmant. Ille namque sic scribit: Et hæc est in nobis voluntas filij tui, hæc pro nobis oratio eius ad te Deum Patrem suum: volo vt sicut ego & tu vnum sumus, ita & in nobis ipsis vnum sint. Hic est finis, hæc est consummatio, hæc est perfectio, hæc est pax, hoc est gaudium Domini, hoc est gaudium in Spiritu sancto, hoc est silentium in cœlo. Quandiu quippe sumus in hac vita, hoc fœliciſſimæ pacis silentio in cœlo, id est, in anima iusti quæ sedes est sapientiæ, aliquando fruitur affectus: sed hora est dimidia, vel quasi dimidia, intentio verò de reliquis cogitationibus diem festum perpetuum agit tibi.] Hic verò exponens illud Iob: Numquid suscitabis eum quasi locustas, & comparans Sanctos locustis, sic ait: Ita nimirum sunt sancti viri, qui dum superna appetunt, primùm quidem actiuæ vitæ bonis operibus innituntur; & tunc demum se ad sublimia per contemplationis saltum volando suspendunt. Crura figunt, & alas exerunt: quia rectè agendo stabiliuntur, & alta videndo subleuantur. Qui in hac vita positi, diu in diuina contemplatione manere non possunt, sed quasi locustarum more, à saltu quem dederant, in pedibus suis se excipiunt, dum per contemplationum sublimia ad necessaria actiuæ vitæ opera reuertuntur: nec tamen in eadem vita actiua remanere contenti sunt. Sed dum ad contemplationem desideranter exiliunt, quasi rursus aëra volantes petunt; vitámque suam quasi locustæ ascendentes descendentésque peragunt, dum sine cessatione semper & summa videre appetunt, & ad semetipsos naturæ corruptibilis pondere reuoluuntur.

Greg. lib. 31. mor. c. 12.

Idem lib. 5. mor. c. 23.

Et alio loco euoluens etiam illud eiusdem Iob: Et cùm spiritus me præsente transiret, inhorruerunt pili carnis meæ, eamdem sententiam replicat, dicens: Nobis præsentibus spiritus transit, quando inuisibilia cognoscimus, & tamen hæc non solidè, sed raptim videmus. Neque enim in suauitate contemplationis intimæ diu mens figitur, quia ad semetipsam immensitate lucis reuerberata reuocatur. Cúmque internam dulcedinem deguſtat, amore æstuat, ire super semetipsam nititur, sed ad infirmitatis suæ tenebras fracta relabitur, & magna virtute proficiens, videt quia videre non potest hoc quod ardenter diligit: nec tam ardenter diligeret nisi aliquatenus videret. Non ergo stat, sed transit spiritus: quia supernam lucem nostra nobis contemplatio & inhiantibus aperit, & mox infirmantibus abscondit.] Sic illi scribunt. Homo ergo suam naturam & conditionem agnoscens, & extraordinariis auxiliis se moueri non sentiens, non conetur ad id quod in sua non est situm potestate, sed faciat quod in se est, & variis actibus intellectus & amoris insistat. His enim animæ profectum, & vitæ puritatem assequitur, quam desiderat. Itaque summam maiestatem & bonitatem inspiciens nunc amorem accendat, nunc actus eius repetat, aut renouet, nunc impensè laudet, nunc gratias agat, nunc reuereatur, & casto ac filiali timore timeat, nunc actus aliquarum virtutum præsertim humilitatis, & obedientiæ, & misericordiæ erga fratres exerceat, nunc puriùs conuersari constituat, nunc seipsum ac mundana contemnat, & aliis rationibus, quas spiritus Dei suggerit, seipsum afficiat.

Si anima particularibus auxiliis subleuetur, diu potest in contemplatione perfectissima durare.

Hæc communia sunt; sed si anima extraordinariis auxiliis subleuetur, non minus certum est, diu posse in contemplatione perfectissima perdurare, & vna simplici intuitione, vnóque amoris diuini actu suspendi. Id relatione aliquorum virorum probatissimæ virtutis agnouimus, qui constanter aiunt per vnam & plures diei aut noctis horas se in perfecta Dei vnione, & inuariabili Dei notione, & amore cum indicibili suauitate persistere. Id in Sanctorum historiis legimus: nam aliquorum contemplatio ita describitur, vt hoc sonare videatur. Talis erat illa magni Antonij, qui postquam tota nocte fixus in suo conditore permanserat, Soli apparenti non sine querimonia dicebat: Quid me impedis sol, qui ad hoc iam oriris, vt me ab huius veri luminis abstrahas claritate.] Id tandem de diuina erga suos chariſſimos benignitate præsumimus, qui potest & vult intelligentias eorum, non quidem contra naturam mouere, sed supra naturam perficere, & similitudinem angelicorum intellectuum eleuare. Quid naturalius, quàm quòd aquæ fluminis absq; vlla quiete in mare decurrant? Sed ad imperium Domini, steterunt aquæ Iordanis, descendentes in loco vno, & ad instar montis intumescentes apparebant.

Cassian. coll. 9. c. 30.

Iosue 3. 16.

Ita nonnumquam conceptiones animæ contemplantis in vno ſubſiſtunt, atque quieſcunt. Aut ſi mouentur, non de currendo, ſed intumeſcendo & creſcendo mouentur. Quia ex illo ſummo bono magis ac magis inſpiciendo percipiunt. Soli & Lunæ naturale eſt in circulum ferri, & nec ad momentum à ſuo orbiculari moto ceſſare. Aliquando verò ſteterunt Sol, & Luna, donec vlciſceretur ſe gens de inimicis ſuis. In Luna cognitionem intellectus, quæ in hac vita ſemper minus clara eſt, & in ſole ardorem affectus conſidera. Hæc interdum in vno ſummo bono intuendo & diligendo abſque varietate ſubſiſtunt, donec vlciſcatur ſe homo de inimicis ſuis. Nihil enim ita imperfectiones noſtras domat & abſumit, ac donum iſtud perfectiſſimæ contemplationis, qua homo beneficio Domini nouit angelicos ſpiritus æmulari. Quod ergo natura denegat, gratia donat, & quod homo communi ſubſidio non obtinet, ſingularibus auxiliis aſſequitur, vt maioribus his donis ad maiorem humilitatem, & ad maius puritatis deſiderium accendatur.

Ioſue 10, 13.

Quid animæ agendum eſt, quando contemplationis gratia ſubtrahitur.

CAPVT XII.

Gratia contemplationis ſubtrahitur aliquando.

GRATIAM contemplationis ab eis ſubtrahi, qui ſemel eam perceperunt, ipſimet norunt. Nam ſpiritus vbi & quando vult ſpirat, & quando vult ceſſat, & neſcies vnde veniat, aut quò vadat. Et quamuis ſine pœnitentia ſint dona Dei, non eſt tamen pœnitentia ea tollere, quæ certum eſt ad noſtram vtilitatem abſcondi. Accedit, & recedit Deus, & ſicut accedendo nos illuſtrat & recreat, ita recedendo obſcuritate & mœrore diſcruciat. Experiebatur has viciſſitudines & acceſſus ac receſſus Dei ſponſa licèt chariſſima, quæ quædam loco ait: Fuge dilecte mi, & aſſimilare capreæ, hinnulóque ceruorum ſuper montes aromatum.] Quandoquidem, ô ſponſe, fugiturus es, & me tuo more relicturus, oro vt fugias ad inſtar capreæ, hinnulíque ceruorum, qui ita inſequentes fugiunt, vt frequenter ad eos ſe conuertant, oculíſque reſpiciant. Vade, ſed redi; vt ſicut diſceſſu tuo humilior & meam infirmitatem agnoſco, ita acceſſu virtutum augmento exalter, & amoris affectu reſpirem. Tu te ſimilem feciſti aquilæ. Sicut aquila, ait Moſes, prouocans ad volandum pullos ſuos, & ſuper eos volitans.] Fac mecum ſicut aquila, quæ modò filios pennis impoſitis in ſublime rapit, modò ſolos vt ad volandum prouocet in terra dimittit. Ita ſic me dimittes vt deſideriis procer, & iterum conſolatione ſubuecta ad ſuperna volem. Sentiebat eas & Iob, licèt innocentiſſimus. In manibus, inquit, abſcondit lucem, & præcepit ei, vt rurſus adueniat. Annuntiat de ea amico ſuo, quod poſſeſſio eius ſit, & ad eam poſſit aſcendere.] Lucem, inquam, ſapientiæ quaſi manibus abſcondens ſubtrahit, & iterum velut manum aperiens exoriri facit. Oſtendit planè ſe Dominum eſſe lucis, ad cuius perpetuam poſſeſſionem, qui amicus fidelis fuerit poteſt aſcendere. Anima itaque viciſſitudinibus iſtis aſcendit vſque ad cœlos, & deſcendit vſque ad abyſſos. Aſcendit vſque ad cœlos, cum luce ſapientiæ perfunditur, vt diuina contempletur. Deſcendit vſque ad abyſſos, cùm quaſi caligine obuoluitur, & dono, quo gaudebat, ſubitò ſpoliatur.

Cant. 8. 14.

Deut. 32. 11.

Iob 36. 32.

Pſal. 106.

Vide nunc duas ſanctas animas, quomodo vna ex luce in obſcuritatem cadat; altera verò ex obſcuritate in lucem aſſurgat. Illa prima ſit Ezechiæ. Præciſa eſt velut à texente vita mea: dum adhuc ordirer ſuccidit me.] Vitam putabat, qua Deum ſibi præſentem habebat. Sed hæc vt tela præciditur, & in initio conſopitur, cùm interna conſolatio antequam abundanter reficiamur, ablegatur. Sed bonum mihi, Domine, quia humiliaſti me, vt diſcam iuſtificationes tuas.] Vt ſciam quia non in ſola luce & feruore, ſed etiam in caligine & tepore erit perfectio mea. Cognoui enim, inquit Bernardus, quia de manè vſque ad veſperam finies me, id eſt, conſummabis me. Non in ſolo manè viſitationis, aut tantùm in veſpera tentationis, ſed in vtroque ſimul erit perfectio mea. Stultus ego, qui tantùm ſperabam vſque ad manè, cùm Dauid dicat: A cuſtodia matutina vſque ad noctem ſperet Iſraël in Domino.] Hæc ergo anima primò quidem luce viſitatur, poſtea verò obſcuritate deſolationis obruitur. Altera ſit anima Petri Apoſtoli, qui erat dormiens inter duos milites vinctus catenis duabus. Vultis, ait Richardus, huiuſmodi vincula ſcire, quæ ſolent mentes meritis etiam ſublimes quandoque grauiter irretire? Quis neſciat irritamenta voluptatum, modò à foris, modò ab intus ſurgere; à foris ex delectatione; ab intus ex ſuggeſtione: per delectationem in carne, per ſuggeſtionem in mente. Modò namque ſordida titillatione caro inflammatur, modò verò ſordida cogitatione animus ſordidatur. Quaſi ergo carcerales tenebras incurrimus, quando his concupiſcentiæ nexibus irretiti confuſionis noſtræ caliginem declinare volumus, nec valemus. Sed repentè lumen effulget, Angelus apparet, excitato Petro vincula ſoluit, & portam ferream non tam aperit, quàm affringit: quia adueniente iterum contemplationis & conſolationis gratia nos captiuos redimit, atque in priſtina libertate conſtituit. Sequamur proinde & nos, inquit Bernardus, eloquij caſti conſuetudinem, dicamúſque verbum Dei, Deum ſponſum animæ prout vult venire ad animam, & iterum dimittere eam, tantùm vt ſenſu animæ non verbi motu, iſta fieri ſentiamus. Verbi cauſſa, cùm ſentit gratiam, agnoſcit præſentiam: cùm non, abſentiam queritur, & rurſum præſentiam quærit, dicens cum Propheta: Exquiſiuit te facies mea, faciem tuam Domine requiram. Quídni requirat? Neque enim ſubducto ſibi tam dulci ſponſo interim aliquid aliud non dico deſiderare, ſed nec cogitare libebit.]

Ex duabus ſanctis animabus alia ex luce in tenebras, alia ex tenebris ad lucem tranſit. Iſ. 38. 12.

Pſal. 118.

Bernard. ſer. de Cant. Ezechiæ.

Act. 12. 6.

Richard. 5. de contempl. c. 13.

Cauſſas, quare Deus ſic cum anima ſibi dilecta ſe gerat, multas ſuprà retulimus, cùm de meditatione diſputaremus. Quæ omnes tribus præcipuis comprehenduntur. Abſcondit enim ſe Dominus, & lucem contemplationis ſubtrahit, vel vt defectus etiam leues caſtiget, & corrigat: vel vt noſtram patientiam & fidelitatem probet: vel vt infirmitati corporis condeſcendat, & ad bona opera exteriora nos mittat. Aufert quidem Dominus donum lucis ſuæ, vt poſtmodum cùm illud

Bernard. ſer. 74. in Cant.

Cur ſe Deus ita gerat cũ anima. Supr. lib. 2. p. 3. c. 7 Primò vt defectus etiam leues caſtiget.

reſti

restituerit dulcius ac pretiosius habeatur. Sicut enim cibus delectabilior est ei, qui esurit, & potus ei, qui sitit: & somnus ei qui vigilauit, & palma ei qui bellauit: & sanitas ei, qui diutius ægrotauit; & portus ei qui cum nausea nauigauit, ita dulcior est cótemplatio ei, qui absentiam post eius dulcedinem gustatam sustinuit. Exponat Gregorius hos duos status animæ sibi inuicem succedentes, & apparebit quàm efficaces sint ad hos fines consequendos. Plerumque etenim mens, inquit, diuini amoris igne accenditur, atque ad intuenda cœlestia & arcana subleuatur. Ad summa iam rapitur, & perfecto desiderio compuncta ab infimis alienatur: sed repentina tentatione percussa, quæ intentione forti erecta in Deum fuerat, obortis cogitationibus transfixa curuatur: ita vt semetipsam discernere nequeat, atque inter vitia virtutésque deprehensa ex qua parte sit valentior non agnoscat. Nam sæpe ad hoc vsque perducitur, vt miretur quomodo tam summa comprehendat, quam cogitatio illicita polluit. Et rursum quomodo illicitas cogitationes recipiat, quam super se validè feruor spiritus rapit.] Quæ itaque maior imperfectionum punitio excogitari potest, quàm ex tanta altitudine in tantam abiectionem deturbari? Quæ maior fidelitatis probatio, quàm animam in tanta caligine tentationibus pulsandam exponi? Quæ efficacior ad opera exteriora remissio, cùm non sinitur in interioribus permanere? Certè cùm iterum admittetur, maiori auiditate & diligentiori solicitudine in bonis illis sibi iterum ostensis demorabitur.

Greg.9. mor.c.11.

Sed cùm anima à contemplationis gustu repellitur, quatuor faciet. Primò hanc repulsam patientissimè, humillimè, & resignatissimo animo sustibit, eámque suis imperfectionibus ac peccatis attribuet, dicétque cum Propheta: Iram Domini portabo, quoniam peccaui ei, donec caussam meam iudicet, & faciat iudicium meum: educet me iterum in lucem, videbo iustitiam eius.] Accepta contemplationis gratia donum erat, quo seruus vilissimus sine meritis, & ex sola Domini benignitate in conclaue filiorum admittebatur, & pane dilectissimorum pascebatur. Cur irascetur, cur ægrè feret, si ad infima seruulorum habitacula pane cibario reficiendus remittitur? An indebitam gratiam debitum existimabit? & merum donum, vt rem iure obuenientem extorquebit? Contentus sit, quòd sicut antea peccatum non aliter quàm pestem exhorret: quòd bonam in se voluntatem Deo placendi animaduertit, quòd Deum per gratiam (vt coniectat) illum non deseruisse sentit: quòd robur ad pœnam illam imperfectionum suarum, vel ad probationem illam sustinendam habet: quòd laborem bonorum operum libenter suscipit. Bernardus in illud Canticorum: Fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore langueo, sic ait: Ergo ex bonis operibus in fide non ficta radicatis recipit consolationem mens assueta quieti, quoties sibi (vt assolet) lux contemplationis subtrahitur. Quis enim non dico continuè, sed vel aliquandiu dum in corpore manet, lumine contemplationis fruatur? At quoties (vt dixi) corruit à contemplatiua, toties in actiuam se recipit, inde nimirum tamquam è vicino familiarius redditura in idipsum, quoniam sunt inuicem contubernales hæ duæ, & cohabitant pariter. Est quippe soror Mariæ Martha. Neque enim etsi à contemplationis lumine cadit, patitur tamen vllatenus se incidere in tenebras peccati, seu ignauiam otij, sanè in luce bonæ operationis se retinens.] Sic ille. Itaque hoc animæ interim pro solatio sit, quòd ex luce in lucem cadit, & ex quiete in bona voluntate manet, & in lucem actionis descendit. Bonum enim opus lux est, secundùm illud: Sic luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona.] His se ad patientiam & humilitatem prouocet, & aduentum Domini confidenter expectet.

Cant.2. s. Bernard. ser.52. in Cant.

Matth.5. 16.

Deinde drachmam perditam, id est, gratiam contemplationis adeptam quæret; quoniam ipsum perseueranter quærere iter est adinuenire. Hæc, inquit, est generatio quærentium eum, quærentium faciem Dei Iacob.] Tunc anima est in statu quærendi; & ad hoc Deus absconditur, vt quæratur. An non factum est omne genus hominum quærere Deum, si fortè attrectent eum, aut inueniant; quamuis non longè sit ab vnoquoque nostrûm. Si factus est homo, vt à principio conditionis suæ Deum quærat, vt tandem inueniat, & eum, qui licèt præsens sit, tamen quia absconditus est, per intellectum & affectum attrectet & videat; quanto magis postquam illum semel inuenit, si iterum abscondatur, debet ipsum summis conatibus quæritare? Quæres autem, ô anima, gratiam perditam ardenter: quia vox custodis tui est apud Isaiam: Venit manè & nox; si quæritis, quærite: conuertimini, & venite.] Id est, iam venit manè, tempus vtique, in quo exeat homo ad opus suum, & ad operationem suam vsque ad vesperam: post quod veniet nox, in qua nemo poterit operari. Si ergo opus tuum est quærere Dominum, quære illum diligenter, auertere à consolationibus creatis, & ad tua interiora conuertere, vt aliquando tandem inuenias. In quem locum Hieronymus: Si verè me quæris, opere ostende quod me quæris, nec semel tibi quæsisse sufficiat, sed quem inueneris semper inquire: & vt perfectiùs teneas, obliuiscere populum tuum, & domum patris tui.] At rogas quomodo sit Dominus in hac occasione quærendus? Pro imperfectionibus tuis luctum & lamentum assumes, hominum inania colloquia, & mundanas consolationes non repetes, in cella, si vocatio tua aliud non poscat, solus te continebis, orationum vocalium pensum & alia ad cultum Dei pertinentia diligentiùs exolues, corpus discretè castigabis orationibus, & gemitibus & suspiriis diuinam misericordiam interpellabis, ad Angelos & Sanctos, sed præcipuè ad Sanctorum & Angelorum dominam ac matrem accurres: & humilitatem, mentis puritatem, & conuersationis maturitatem comites habebis. Vnde Laurentius Iustinianus ait: Ad ipsam non festinanter, non immundè, non elatè accedendum est? Humilitas numquam abiicitur, quia procul sedet in se, nisi excitata & illecta non appropiat: quoniam non ambulat in magnis ac mirabilibus supra se. Munditia & ipsa admittitur. Non enim absque præuio lumine pedem mouere audet, hoc eidem pedissequa suadente humilitate. Timorosa quoque maturitas veluti moribus ornata, decorata sapientia, veneratione tremens, experientia erudita tamquam digna contemplatione coaptatur diuinæ. Quemadmodum enim contemplatio se importunè carnaliter quærentem fugit, ita reuerentem, & spiritualiter simplicitérque se non quærentem insequitur. Hæc diuina narrat historia. Erat Moses omnium hominum qui in terra morabantur mitissimus: pascebat oues in deserto simpliciter,

Vt anima gratiã contemplationis perditam quærat. Psal. 23. 6. Act.17. 27.

Isaiæ 21. 12.

Hieron. 16.

Iustin. lib.de casto connub.c.19.

Micheæ 7.9.

vidit rubum quia arderet, nec combureretur: audiuit vocem clamantem se, quamuis se humiliter excusaret: Prælatus est populo vniuerso Iudæorum; postquam prodigia ac signa ingentia in caliginem introiuit, Domini vocem audiuit, cum ipso tamquam amicus loquebatur cum amico, innumeras habuit reuelationes, Deique digito legem scriptam suscipere promeruit. Non eligitur doctus, non diues, non eloquens, sed ouium pastor, deserti incola, lingua impeditus, sermone incompositus, humilis, mansuetus, simplex, & timens Deum.] Hæc ille. Qui his diligenter institerit, potest sibi persuadere quòd gratiam contemplationis subtractam quærit, & ad illam se vtcumque disponit.

Ne deses, aut otiosa fiat.

Insuper tempore consuetę orationis in quo consueuerat donum contemplationis experiri, ne deses, ne ociosus sedeat, sed communi gratia adiutus quod est in se faciat. Diuina mysteria vitæ & passionis Domini, vel diuinas perfectiones aut beneficia consideret, ex consideratione in seipsum reflectat, & sancta proposita concipiat, affectus virtutum & amoris, & gratiarum actionis & laudis, quos suprà exposuimus, eliciat, & illam horam orationi destinatam, sicut quando erat in statu meditantium vtiliter insummat. Hoc documentum his verbis docuit Richardus Victorinus: Verumtamen qui ad hanc gratiam profecit cùm eam sibi vltra solitum subtrahi iam sentit: est quod facere debeat vnde ad eam reparandam multùm per omnem modum adiuuari valeat, & vnde animum suum in id negotij quantum in se est idoneum efficiat. Debet itaque animus qui eiusmodi est propriis meditationibus cordis in se exultationem reparare: & impensa sibi diuinorum beneficiorum munera ante recordationis suæ oculos reuocare; & ex eiusmodi recordatione seipsum ad profundam & deuotam gratiarum actionem instigare; & tandem aliquando internum illud spiritualis harmoniæ organum ex intimo affectu in diuinas laudes laxare. Dum itaque huiusmodi studiis intima cordis affectio in diuinæ confessionis magnificentiam plena deuotione resoluitur, quid aliud quàm quoddam (vt ita dicam) spiraculum aperitur, per quod in illud cordis nostri vasculum cœlestis dulcedinis emanatio, diuinæque suauitatis abundantia infundatur.

Richard. lib. 5. de contemp. c. 17.

Propositа autem historia Eliszi, qui psaltem petiuit, quo in se spiritum prophetiæ absentem aduocaret, subdit: Sed & tu quæcumque es anima, quæ soles huiusmodi spiritualibus delitiis affluere, & dilecto tuo innixa sæpe de deserto ascendere, & ad theoricos quosdam excessus subitaneo quodam & inopinato, immo inopinabili gaudiorum tripudio subleuari, & quasi quibusdam propheticis intellectibus, vel reuelationibus diuinitus sublimari, prophetico disce exemplo quid tu facere debeas, vt sub necessitatis articulo quasi ad manum habeas quomodo animum tuum ad assuetas delitias reparare valeas. Fortè non erit inutile & te sub simili necessitate psaltem adducere, & psaltem audire. Sed vt de hac re quod sentimus breuiter absoluamus: quid aliud dicimus psaltem istum, quàm exultationem cordis in Deum? Eiusmodi psaltem præsentem habere nos voluit qui dixit: Lætamini in Domino, & exultate iusti, & gloriamini omnes recti corde. Quid est autem eiusmodi psaltem adducere, nisi prouida meditatione cordis exultationem reparare: & ex diuinorum beneficiorum vel promissionum recordatione cordis

Idem c. 18.

A deuotionem excitare? Hunc tunc proculdubio psaltem psallere facimus quando ex magno cordis tripudio in diuina præconia iubilamus: & in gratiarum actionem assurgentes ex intimis viscеribus in diuinas laudes cum magno cordis clamore reboamus. Hæc itaque agentes, quid aliud quàm viam sternimus, per quam venientem visitantemque nos Dominum excipiamus?] Hactenus ille. Meditemur ergo diuina mysteria, & efficiamus nos ad illa, si volumus iterum ad amissam gratiam redire. Sacrificium, inquit, laudis honorificabit me; & illic iter quo ostendam illi salutare Dei.] Et iterum: Cantate Deo, psalmum dicite nomini eius, iter facite ei qui ascendit super occasum.] Nam verè illi iter facimus, vt nobis suam salutem ostendat, & occasum, seu defectum nostræ mentis immissione suæ lucis adimpleat, cùm eius mysteria consideramus, & laudibus eius ac piis affectibus insistimus.

B

Psal. 49. 23. Psal. 67. 5.

Tandem exacto orationis tempore, in bonis operibus solicitè te exercebis, quia (vt diximus) hac de causa interdum ab ipsa contemplatione reiiceris. Sanè Thomas à Campis sic ait: Fili, non vales semper in feruentiori desiderio virtutum stare, nec in altiori gradu contemplationis consistere: sed necesse habes interdum ob originalem corruptelam ad inferiora descendere, & onus corruptibilis vitæ etiam inuitè cum tædio portare. Quamdiu mortale corpus geris, tamdiu senties & grauamen cordis. Oportet ergo sæpe in carne de carnis onere gemere, eo quòd non vales spiritualibus studiis, & diuinæ contemplationi indesinenter inhærere. Tunc expedit tibi ad humilia & exteriora opera confugere, & in bonis actibus te recreare, aduentum meum & supernam visitationem firma fiducia expectare, exilium tuum & ariditatem mentis patienter sufferre donec iterum à me visiteris, & ab omnibus anxietatibus libereris. Nam faciam te laborum obliuisci, & interna quiete perfrui.] Cùm verò audis subtracta contemplationis gratia, debere te operibus exterioribus vacare, non ita intelligas velim quasi tempora orationi destinata sint in huiusmodi operibus collocanda. Non, inquam, hoc dicimus, immo oppositum paulo superiùs expressimus, hæc scilicet tempora, & prolixiora, si oportuerit esse meditationi & affectibus concedenda, aduocandúmque esse sponsum humiliter & ardenter, vt iterum veniat. Dicendúmque illi cum sponsa: Reuertere, similis esto, dilecte mi, capreæ hinnulóque ceruorum. Nam, vt scribit Bernardus tale experimentum de verbo habens, quòd nimirum sine illo frigidus maneo, quid mirum si & ego vsurpo mihi vocem sponsæ in reuocando illud, cùm se absentauerit, qui & si non pari, simili tamen, vel ex parte desiderio feror? Familiare erit mihi quoàd vixero pro verbi reuocatione reuocationis verbum, quod vtique reuertere est. Et quoties relabetur, toties repetetur à me, nec cessabo clamitare quasi post tergum abeuntis ardenti desiderio cordis, vt redeat, & reddat mihi lætitiam salutaris sui, reddat mihi seipsum.] Itaque orationis temporibus in orationem incumbendum est, & quærendus sponsus. At postea non tam rebus interioribus quàm bonis operibus inhærendum est, vt animus humilietur ad vitam actiuam rediens, & vt aliquatenus distrahatur, aut vires resumat, vt possit iterum cum feruore se Deo & rebus interioribus tradere, & capacior fiat, vt diuinam visitationem suscipiat.

C

D

E

Exacto orationis tempore in bonis operibus solicitè se quisque exerceat. Thom. à Campis lib. 2. de imitat. Christi. c. 56.

Cant. 2. 17. Bernard. ser. 74. in Cant.

Neminem debere indiscretè ad perfectam contemplationem conari.

CAPVT XIII.

NVPER cum illis loquebamur, qui aliquando gratiam contemplationis perceperunt, postea verò eam à se ablatam animaduertunt. Nunc agendum est cum illis, qui numquam hac gratia donati sunt, an possint sine periculo ad eam obtinendam conari. Possumus autem hac interrogatione vel inchoatam contemplationem, vel perfectam comprehendere. Si de inchoata contemplatione loquamur, qua homo sepositis discursibus se in præsentia Christi Domini, aut beatissimæ Trinitatis constituit, & amoris affectibus inardescit, certum mihi est, quòd anima iam à vitiis purgata, & à prauis seu inordinatis affectibus emundata, & virtutibus decorata, & meditationibus exercitata potest & debet ad eā conari, & an admittatur humiliter tentare, & actione comperire. Neque enim semper vsque ad finem vitæ in præambulis & punctis meditationis ambulandum est, quæ sanè incipientibus aut minus exercitatis proponuntur. Dicetúrque nobis numquam ad maiora conantibus. Etenim cùm deberetis magistri esse propter tempus, rursum indigetis vt vos doceamini quæ sint elementa exordij sermonum Dei: & facti estis, quibus lacte opus sit, non solido cibo.] Expedit ad perfectissimam humilitatem, & perfectissimam mansuetudinem, & ad reliquas virtutes in perfectissimo gradu conari: cur non expediet ad perfectissimam orationem contendere, quam per gratiam, iuuante industria nostra, possumus obtinere? Noui ego cùm iter facerem, virum satis religiosum & virtutibus plusquam in mediocri gradu præditum, qui cùm a me pro sua humilitate aliquem profectum in studio orandi accipere voluisset, & eum de qualitate suæ orationis interrogassem, respondit semper se in meditatione nouissimorum occupari, & ad affectus timoris induci. Comperi animam esse puram & satis aptam ad exercitium amoris. Rogaui ergo illum vt diuinas perfectiones contemplaretur, vtque se ad affectus amoris excitaret. Contigit me post vnum annum plus minúsve ad domum vbi religiosus ille habitabat redire. Is autem me sine arbitris loquens, gratias mihi egit, quòd illum ad alium modum orationis impulissem, quo fatebatur se non parum fuisse in virtute promotum, & ab illa cordis pusillitate, quam timor generat, liberatum. Ne ergo velimus semper esse infantes, sed curemus viros spiritu mortificationis & virtutis fieri, & ad perfectiorem orationem aspirare. Tunc autem potest quis ad hoc genus orationis accedere (vt iā dixi, si bene memini) cùm spiritualis magister post sufficientem notitiam profectus eius, ita faciendum esse censet; cùm internis inspirationibus & satisfactione quadam mentis ad illud prouocatur: cùm multo tempore aridus in meditatione fuit, & Deum simpliciter aspiciens, ac amori inhærens magis proficit, & robustior ad proterendum sæculum, & ad despicientiam suiipsius, & ad omnem virtutem inuenitur.

Anima virtutibus exercitata debet ad contemplationē peruenire conari.

Hebr. 5. 12.

Nunc de perfecta contemplatione dicamus. Hoc autem nomine duo possumus intelligere. Primo quidem illa singularia dona contemplationis nomine comprehensa, quibus solet Dominus aliquas pias animas cumulare. Vt sunt extases, raptus, apparitiones corporeæ, vel imaginariæ, & cætera huiusmodi. Hæc verò desiderare non licet, nec postulare, & multo minus ad ea conari, quod esset superbum atque ridiculum. Immo potiùs si talia inciderent, debet homo se prudenter & humiliter subtrahere, Dominumque rogare, vt via regia eum in cœlum ducat, de hoc autem inferiùs dicemus. Secundo nomine perfectæ contemplationis intelligitur illa simplex, & discursu carens cognitio Dei à dono sapientiæ profecta mentis eleuationem, suspensionem, admirationem & delectationem inducens, & ardentissimum amorem accendens. Ad hanc autem animæ ad perfectionem vocatæ, & non mediocri vsu mortificationis, & studio virtutis, & communis orationis ornatæ deberent se per maiorem puritatem, & per ea quæ suprà sunt scripta disponere: possunt item ipsam ardenter desiderare, & humiliter postulare, si sibi expedit. cur non? Hęc est instrumentum efficacissimum assequendæ perfectionis. Huius verò possumus esse cupidi, quæ finis est, cur non illius, quæ medium est ad finem. Profectò expedit magnam sanctitatem desiderare, & nequaquam in infimis desideriis nos continere: expedit etiam hanc summis precibus efflagitare, ad gloriam Dei, vt ei magis ac magis placeamus, vt nostra conuersatione magis ac magis eum glorificemus, vt beneficiis eius magis grati simus. Ergo decent maximè desideria & postulationes eorum mediorum, quibus ad hanc sanctitatem animæ solent peruenire. Vnum verò istorum est perfecta contemplatio, qua anima breui tempore longum iter conficit, & ingentem charitatem & puritatem obtinet. Quis enim (si hoc medium sibi expedit) non desiderabit, & petet? Si ergo iam es bene dispositus, ô vir Dei, secundùm fragilitatem humanam, si aculeis diuini amoris instimularis, vt hoc donum assequaris, deduc quasi torrentem lacrymas per diem & noctem; non des requiem tibi, neque taceat pupilla oculi tui. Donum est, vt accipias, desidera & pete. Pusillis seruatum est, vt magni fiant, licèt pusillus sis, pete, vt magnus efficiaris. In republica terrena prima loca & dignitates ambire superbia est, in domo Dei ad altiorem sedem & maiorem sanctitatē aspirare magnanimitas est. Voluntas Dei est vt perfectè cognoscas ipsum verum Deum, & quem misit filiū suum Iesum Christum. Insuper vt diligas eū ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua. Poteris ergo, vt hoc in te fiat, desiderare & postulare, sed hoc ipsum contemplatio est. Aude, & dic: Si inueni gratiam in conspectu tuo, ostende mihi (per contemplationem perfectam) faciem tuam, vt sciam te, & inueniam gratiam ante oculos tuos. Si Dominus te exaudierit, & donum hoc dederit, humiliter accipies, & in maiori putitate & mortificatione te conseruare studebis. Si non dederit, non te inquietabis, nec querulaberis (hoc enim esset superbissimum) sed magis te ad perfectum amorem pręparabis, & in tua mediocritate manebis.

Licèt singularia dona, vt raptus, &c. appetere nō liceat, ad simplicē tamē cognitionē Dei aspirare tenetur.

Thren. 2. 18.

Exod. 33. 13.

Quamuis autem æquum sit & expediens viris perfectis à vitiis emundatis & omni virtute præditis, perfectam contemplationem ardenter desiderare, & humiliter postulare, nemo tamen debet ad eam conari, aut quasi in ea se ponere, quia non est id in potestate humana, sed venit ex benignitate diuina. Quæ verba explicatione indigent. Aliud est desiderium alicuius rei, aliud verò applicatio industriæ nostræ ad illam exequendam.

Verum est tamē contemplationē perfectā nostris tantùm industriis nō quarendam.

Sicut aliud est desiderare, vt diues fias; aliud verò ex hoc desiderio te negotiationi tradere, & ingenium ac vires applicare, vt diuitias adquiras. In negotio ergo perfectæ contemplationis bonum est eius desiderium, & Deo grata eius postulatio; vana tamen est & ridicula intellectus, & voluntatis applicatio, quasi tu velis intellectum in vno fixum tenere, & te ad modum contemplantium in illo vno suspendere. In quo hoc genus orationis à meditatione, & ab aliis secernitur: quòd meditationem possumus quidem desiderare, & ad eam habendam conatum adhibere: at in contemplatione desiderium bonum est, conatus superfluus. Duabus similitudinibus fiet id manifestum. Tu bene poteris desiderio ferri in ambulationem, & in cursum, & in saltum. Poteris etiam desiderio opus adiicere, & conatum tuum adhibere, vt ambules, & curras, & saltes; quia ad hæc opera vires à natura tibi tributæ sunt. At ridiculum esset, si conareris more auium volare & brachia vt alas extendere, & illis in cœlum ferri, quia ad volatum tibi vires attributæ non sunt. Posses quidem si Deus aliquibus hominibus gratuitò alas daret, desiderare, vt eas tibi concederet, sed antequam tibi darentur, ad volandum te accingere non posset non risum excitare. Similiter poteris desiderare, & industriam ac conatum applicare ad hoc vt situla ex puteo aquam haurias, vel certè vt ea machina rotunda, quæ antlia, vel tympanum vocatur ex lacu aquam extrahas, aut ex flumine per canales in hortum tuum ducas. Sed vanum esset industria & labore conari vt plueres, & vt pluuia de cœlo cadente terram irrigares, quin hoc Dei aut naturæ non hominis opus est. Desiderare posses vt plueret, & à Domino pluuiam postulare, sicut orauit Elias, & ad eius orationem cœlum dedit pluuiam, & terra dedit fructum suum, non tamen est in potestate tua pluuiam adducere. Sic igitur meditatio veluti ambulatio est aut cursus, aut etiam saltus, quo te parum à terra leues, est veluti aquæ extractio ex puteo, vel ex flumine. Ad hoc vires gratiæ habes tuam naturam iuuantes. Conatum adhibe, vt dispersiones cordis colligas, & vt diuina mediteris, & ad affectus amoris boni & odij mali exciteris. At contemplatio perfecta, qua Deus intellectum sine discursu in vno fixum tenet, & eleuatione suspensionis, admiratione & delectatione subleuat, & amore non tam afficit, quàm succendit, volatus est, pluuia de cœlo cadens est. Hæc desiderabis, hæc postulabis. Dices: Quis dabit mihi pennas sicut columbæ, & volabo & requiescam?] Ascendes in montem sicut Elias, te ab omnibus visibilibus abstrahens, & pronus in terram pones faciem tuam inter genua tua, rogabísque Dominum vt hac pluuia cœlesti terram tui cordis infundat. Sed si ipse alas non dederit, si pluuiam non miserit, in vanum conaberis perfectè contemplari.

Iacobi 5. 18.

Psal. 54. 7. 3. Reg. 17. 42.

Hæc contẽplatio donũ Dei est, & nos ad eam tantum dispositione tendimus.

In hoc itaque orationis genere, quod contemplatio dicitur licèt dispositiuè (vt aiunt) nos aliquid agamus, quia reuera ad illud nos vitæ puritate & multa abnegatione & à terrenis abstractione paramus, tamen in ipso opere quousque à Domino eleuemur, nihil possumus. Nam sicut paleam à terra leuare aëris est, & cessante vento ad terram redit, & non potest se in alto tenere: ita intellectum perfectè suspendere, & voluntatem charitate flammare opus Spiritus sancti est; quo afflatu se subtrahente animus in visibilia recidit. Nec sensus est, quòd intellectus & voluntas non agant (nam intellectus verè intelligit, & voluntas verè diligit) sed quòd si à Deo extraordinario auxilio non agantur, hoc modo perfecto non agent. Nunc vide, quomodo Augustinus id fateatur. Neque in his omnibus quæ percurro cõsulens te, inuenio tutum locum animæ meæ, nisi in te, quo colligantur sparsa mea, nec à te quicquam recedat ex me. Et aliquando intromittis me in affectum multum inusitatum introrsus ad nescio quam dulcedinem, quæ si perficiatur in me, nescio quid erit, scio quòd vita ista non erit. Sed recido in hæc ærumnosis ponderibus, & resorbeor solitis, & teneor, & multum fleo, sed multum teneor. Tantum consuetudinis sarcina degrauat. Hîc esse valeo, nec volo; illic volo, nec valeo, miser vtrobique. Non dicit, intromitto me, sed intrómittis me, quia nisi Deus in hunc modum orationis inducat, nemo poterit ad illum intrare.

August. 10. confessio. c. 40.

Bernardus verò sic ait: Nam si semel ad illam luciferam angelicæ sublimitatis gloriam quis admissus fuerit, & ad illud diuinorum radiorum spectaculum intrare meruerit: quàm intimis desideriis, quàm profundis suspiriis, quàm inenarrabilibus gemitibus eum qui eiusmodi est, putamus insistere, quàm assidua recordatione, quàm iucũda admiratione inspectam claritatem credimus eum retractare, mentéque reuoluere: illam desiderando, illam suspirando, illam contẽplando, donec tandem aliquando in eamdem imaginem transformetur à claritate in claritatem, tamquam à Domini spiritu? Verumtamen cùm ab illo sublimitatis statu ad nosmetipsos redimus, illa quę priùs supra nosmetipsos vidimus, in ea veritate vel claritate qua priùs perspeximus, ad nostram memoriam reuocare omnino non possumus. Et quamuis inde aliquid in memoria teneamus, & quasi per medium velum, & velut in medio nebulæ videamus, nec modum quidem videndi, nec qualitatem visionis comprehendere vel recordari sufficimus, & mirum in modum reminiscentes non reminiscimur, & non reminiscentes reminiscimur, dum videntes non peruidemus, & aspicientes non perspicimus, & intẽdentes non penetramus, donec iterum meditatione assurgamus in contemplationem, contemplatione in admirationem, admiratione in mentis alienationem.] Et alio loco tractans illud: Osculetur me osculo oris sui, in hunc modum scribit. Ego non viribus meis, non industria, non meritis ad cõtemplanda gaudia Domini mei assurgere valeo: sed ipse osculetur me osculo oris sui, id est, eius gratia fiat: non per doctrinam, per naturam, sed per gratiam suam osculetur me osculo oris sui.

Bernard. de interiori domo, c. 70.

Idem in paruis sermonibus ser. 52.

Ludouicus etiam Blosius de hac re sic scribit: Non omnes ad hoc idonei sunt, vt se in illis pleniùs exerceant. Quàm quæso absurdum foret, si is cui Rex demandauit officium standi ante mensam suã, & seruiendi, iniussus sese impudenter mensæ regiæ ingereret, ac resideret? Atqui non minus improbè facit, qui se totum ocio contemplationis tradere vult, quum tamen ad illud singulariter à Deo non vocetur. In regno cœlesti omnes Beati mensę summi regis assistent, omnes per amorem Deo perfectè vniti sunt, omnes suauiter in Deo requiescunt, & torrente diuinæ voluptatis assiduè potantur: at hîc non omnibus electis illud conceditur, sed nec expedit quidem vt omnibus concedatur. Quapropter illi qui indiscreta vehementia seipsos importunè perurgent, & impellunt ad ea, quæ mensuram gratiæ ipsis datæ excedunt, vt plurimum, & quò tendunt, non perueniunt, & insuper naturam suam

Blosius in epist. quadam ad finem tarragonis.

Eccli. 39. 8. prægrauant, ac deſtruunt.] Sic ille. Si ergo Dominus magnus voluerit, ſpiritu intelligentiæ replebit te, roga vt velit, & deſidera vt hoc ſpiritu te repleat, ſed quouſque ipſe velit, in vtili conatu ne teipſum vrgeas, & affligas, quia nec ſine pedibus progredi, nec ſine lingua loqui, nec ſine alis volare poteris, & ſine eo quòd Deus te efferat, & ſubleuet, ad perfectam contemplationem peruenire nequaquam valebis. Si de opere agitur, altiora te ne quæſieris, & fortiora te ne ſcrutatus fueris. Si enim ſequutus fueris, antequam eleueris non apprehendes: ſi autem Deus voluerit te hoc dono dicare, A non effugis, ſi præcurreris. Ne erigas oculos tuos ad opes, quas non potes habere, quia facient ſibi pennas, ſicut aquilæ, & volabunt in cœlum. At ſi de deſiderio huius pretioſiſſimæ gemmæ loquamur. Concupiſce ſapientiam, & ſerua iuſtitiã, & Dominus præbebit illam tibi. Et qui indiget ſapientia, poſtulet à Deo, qui dat omnibus affluenter. Deſideria igitur contemplationis accende, poſtulationibus ac gemitibus habere contende; non tamen te ingerere, non te intrudere, ſed Domini largitatem ſuo tempore bona dantem expectare decerne.

Pron. 23. 5.

Eccli. 2. 33.

Iacobi 1. 5.

Eccl. 3. 22.

Eccl. 11. 10.

ORATIO.

O Domine Deus meus, vnica beatitudo mea, & vera quies animæ meæ; en me condidiſti vt te perfectè cognoſcerem, vt te ardenter diligerem, vtque te in æternum perfruerer: miſerere ergo mei, & dona illud ſummum & ineffabile bonum, cuius gratia in eſſe produxiſti me. Incipiat iam in hac vita, prout fieri poteſt, quod in illa beata, quam ſpero, & ſummis votis expeto, omnino conſummatum perdurabit. Amareſcat mihi mundus, & vniuerſa, quæ in eo ſunt: & dulceſcas mihi tu Deus vnica dulcedo mea, propter quam ſuauia & pulchra mundi reliqui. Collige in vnum diſperſiones cordis mei, congrega in vnum, qui tu es, cunctos affectus ſpiritus mei. Mitte ſapientiam de cœlis ſanctis tuis, & à ſede magnitudinis tuæ, vt mecum ſit, & mecum laboret, vt ſciam quid acceptum ſit apud te. Ipſa mentem meam ad te efferat, ipſa omnium creaturarum obliuiſci faciat, ipſa me in admirationem tuæ immenſæ perfectionis rapiat, & ſanctiſſima delectatione reficiat. Ipſa tandem eum in me amorem perfectæ charitatis excitet, quo te ardentiſſimè diligam, & proximos propter te ſinceriſſimo affectu complectar, & legem tuam, & quæ ad meum ſtatum & vocationem pertinent, exquiſitè cuſtodiam, vt ex hoc lumine ad gloriam tuam in illam transferar claritatem, quam nulla ignorantia obnubilet, nullúſque vel minimus næuus imperfectionis obſcuret. Amen.

PARS TERTIA

De gradibus contemplationis, ſeu de ſapientia cœleſti.

INTRODVCTIO.

CONTEMPLATIONIS vna eſt natura, multi verò gradus, quos non eſt facile numerare. Sicut enim Deus innumerabilibus modis animæ contemplanti ſe communicat, ita innumerabiles poſſunt diſtingui huius altiſſimæ communicationis gradus: quos tamen ad quindecim retulimus, quia omnia, quæ de contemplatione à ſanctis animabus audiuimus, & in ſanctis Patribus legimus, ſecundùm hunc numerum potuimus intelligere. Vocamus autem hanc ſapientiam cœleſtem, quia eius author & præceptor eſt Deus, qui quos vult, & quando & quomodo vult, hanc ſapientiam docet: quia ea de rebus planè cœleſtibus & diuinis inſtruit; quia animas, quibus per experimentum traditur, angelicas & cœleſtes facit: & tandem, quia eas ad quemdam gradum ſapientiæ, qui omnem ſcientiam humanam in immenſum excedit, ſine libris, & argumentis, & diſputationibus, ſanctè viuendo, & mandatis Dei obediendo perducit. Huius ſapientiæ nos interpretes facimus licèt cum magno pudore & timore, non vt eam doceamus, quæ ab homine doceri non poteſt, nec viribus etiam gratiæ ordinariis ſed extraordinariis adquiri, ſed vt his, qui cœleſti hac doctrina opus habẽt, vtiles ſimus. Nam duæ ſunt claſſes animarum, quæ hac eruditione indigent, altera earum, quæ ad perfectam & omnino ſupernaturalem contemplationem ſubuehuntur, altera earum, quæ eas gubernant, & dirigunt. Illæ egent aliqua huius ſapientiæ cognitione, ne timeant, ne ſe illuſas, cùm non ſint, aut deceptas defleant, vel è contra aliquo dolo aduerſarij innexæ, ac ſi non eſſent, illuſæ gaudeant: & vt dona, quæ accipiunt agnoſcant, & pro illis gratias agant, & ſe ad

Cõtemplationis natura vna; gradus verò multi.

Deus huius ſapientiæ vnus author.

Duę claſſes animarum hac eruditione egentiũ.

vitæ puritatem his donis correſpondentem accingant. Hæ etiam egent, quia cùm certum ſit non paucos vtriuſque ſexus fideles, præſertim in religioſis congregationibus ad contemplationem perfectiſſimam ſublimari, rectores & perfecti eorum, non eos (vt oportet) dirigent, ſi penitus hanc doctrinam ignorent; & nec per experientiam, nec per ſpeculationem, aliquam eius notitiam acceperint. Quamuis autem de hac re non pauca ſcripta prodierint, ſtudium noſtrum in re difficili collocatum non erit inutile: quia variis locis ſparſa in vnam tractationem non admodum longam colligemus; & ſimpliciter ſcripta (ita vt apud incredulos vix fidem faciant) Scripturæ ſacræ, & Patrum authoritate fulciemus; & obſcurè, & vocibus parum intelligibilibus dictata, verbis vſitatioribus manifeſtabimus. Duo verò ſunt huius doctrinæ tractatori neceſſaria: alterum eſt, vt expertorum dicta & ſcripta attentè audiat, & legat: alterum, vt pro ſpeciali auxilio ad intelligendum, ad Dominum contẽplationis doctorem recurrat: vtrumque autem me curaturum eſſe polliceor. Nam quæ de hac materia ex Patribus, & viris ſpiritualibus indefeſſo ſtudio decerpſi, iterum intentiſſimè legam, & numquam ante præuiam orationem aliquid ſcribam. Multarum etiam animarum non infimæ puritatis, & extraordinariæ communicationis cum Domino orationibus iuuor, qui cupiunt me in fine ſaltem huius operis non inutiliter inſudare. Quindecim ergo nomina ad contemplationem pertinentia in aſceticis inuenio, quæ mihi videntur totidem contemplationis gradus deſignare. Hæc autem ſunt 1. intuitio veritatis. 2. ſeceſſus virium animæ ad interiora. 3. ſilentium. 4. quies. 5. vnio. 6. auditio loquelæ Dei. 7. ſomnus ſpiritualis. 8. ecſtaſis. 9. raptus. 10. apparitio corporalis. 11. apparitio imaginaria. 12. inſpectio ſpiritualis. 13. diuina caligo. 14. manifeſtatio Dei. 15. viſio intuitiua Dei. Ac tandem agendum eſt de ſuauitate ſenſibili, quæ his omnibus gradibus, aut pluribus eorum ſolet adiungi. Sapientia æterni Patris dignetur hanc ſapientiam cœleſtem calamo meo patefacere ad gloriam ſuam, & vtilitatem legentium. Amen.

Quæ apud autores variis locis ſparſa, hic ſimul colligũtur.

Quindecim nomina ad contemplationẽ pertinẽtia in aſceticis reperiũtur.

Primus gradus contemplationis: Intuitio veritatis.

CAPVT I.

Actus perfectus contemplationis vocatur primus gradus illius.

ACTVM perfectum contemplationis ſine aliis, quæ ei accidere ſolent, primum gradum contemplationis vocamus, vt eum non ſatis declaratum ampliùs explicemus. Impoſitum eſt ei nomen intuitionis veritatis, non quia contemplans omnem veritatem, quam cognoſcit, in ſeipſa, & prout eſt intueatur, ſicut cùm oculis corporeis videt hominem ſingularem, ſed quia ſimplici quadam, & clariori notitia, & abſque omni diſcurſu quaſi veritatem intuetur. Extollit ergo Deus animam ſupra omnem diſcurſum & ratiocinationem velutì in quamdam ſpeculam, & ibi faculam ſplendidiſſimam ſapientiæ accendit, & perfectiones ſuas, aut myſteria humanitatis Chriſti, aut ſæculi, & bonorum eius vilitatem, aut aliquam ſcripturarum veritatẽ, aut quædam ad maiorem mentis puritatem pertinẽtia inſpicienda proponit. Facit tunc anima, quod dictum eſt in Ieremia: Statue tibi ſpeculam, pone tibi amaritudines, dirige cor tuum in viam rectam in qua ambulaſti.] Statuit enim Dominus ſpeculam, quia animam ad ſuperiora eleuat: & ſtatuit ipſa anima ſibi ſpeculam, quia auxilio Domini eleuata intelligentiam ad cœleſtia ſubleuat. Reliqua affectus voluntatis deſignant: nam ſic illuſtrata reperit in ſe multa, quorum cauſſa ponat ſibi amaritudines, id eſt, pœnitentiæ lamenta ſuſcipiat: & ſe ad viam mandatorum diuinorum arripiendam dirigat, in cuius ſaltem initio iam antea per vitæ mutationem ambulauerat. Semel autem hanc claritatem notionis, & hos affectus experta non poteſt non clamare cum ſponſa, & dicere: Indica mihi, quem diligit anima mea, vbi paſcas, vbi cubes in meridie.] Demonſtra mihi quaſi digito locum requietionis tuæ: locum illum amœnum ac deliciis pleniſſimum, in quo animas tuo amore paſcis, & in quo tamquam in meridie requieſcis. Meridies enim mihi videtur cùm tanta claritate & ardore temetipſum, & alia arcana, quæ non noueram, aut obſcurè & imperfectè ſatis noueram, nobis oſtendis. *Ier. 31. 21.* *Cant. 1. 6.*

In intuitione anima ſecundùm intellectũ & affectum proficit.

In hac intuitione anima ſecundùm vtraſque vires, id eſt, ſecũdùm intellectum & affectum, admodum proficit, & ideo videndum eſt, quid, & quomodo in vtraque recipiat. Quantum ad rem (nam de modo ſtatim dicemus) intellectus recipit altiſſimam Dei, & contemplatorum cognitionem non diſcurſibus ſuis elaboratam, ſed totam ſimul à Deo potenter immiſſam. Hæc interdum per aliquod ſpatium temporis ſine incremento eodem tenore perſeuerat (non quòd eam tempore metiamur, quę eſt tota ſimul, & alium modum habet durationis inuariabilis, ſed quòd illa inuariabilitas tempori coëxiſtat, ſicut columna, in ripa fluminis poſita immota manet, ita vt coëxiſtat omnibus partibus aquæ decurrentis) aliquando verò augmentum accipit, & Deus contemplatus amplius & amplius innoteſcit. Statuamus exempli gratia, quod non eſt, ſolem ſcilicet aliquando in cœlo ſe ſiſtere, & aliquando motu conſueto progredi. Si hoc ita eſſet ſole quieſcente eodem modo ac tenore corpora obiecta videremus; ſole autem ad motum redeunte, & ad nos magis appropinquante eadem corpora meliùs & clariùs aſpiceremus. Ita lux animæ cõtemplanti attributa interdum videtur quieſcere, & Deum ac diuina eodem tenore demonſtrare, interdum verò videtur progredi, & proficere, ac contemplata clariùs ac perfectiùs oſtendere, donec *Simile.*

quaſi

quasi ad occasum vergens deficit,& animam veluti in nocte sine illo dono contemplationis relinquit. Vis videre lucem sapientiæ huius quasi quiescentem? Et in se,inquit, permanens omnia innouat:& per nationes in animas sanctas se transfert.] Ipsa quidem immobilis, seu immutata manens omnia interiora nostra innouat, & animas, quibus se communicat, magis ac magis sanctificat. Aues etiam videre lucem progredientem? Tuus est dies, & tua est nox (ait Dauid) tu fabricatus es auroram,& solem. Tu Domine creas in nobis auroram, & solem.Incipis ab aurora, dum paruam lucẽ profers, desinis in solem dum lucẽ auges, & magnum splendorem infundis.Hac sapientiæ luce in eodem tenore durãte, anima res cœlestes sibi ostensas magni reputat, & res huius sæculi verè despicit, & à se abiicit. Luce autem crescente illæ res in eius æstimatione magis crescunt, & istæ magis decrescunt. Est enim participatio quædam stateræ illius, quam vidit Ioãnes in Apocalypsi(est autem statera, authore Gregorio,Christus Iesus)qua bilibris tritici denario,& tres bilibres hordei denario vno venduntur. Nam æquum est vt cœlestia & terrestria in corde nostro, siquidẽ sunt inæqualia,inæquale pretiũ habeant,& illa carius,hæc verò vilius væneant.

Sap. 7. 27.

Psal. 73. 16.

Apoc. 6. 6.

Greg. 7. mor. c. 1.

Vis cognitiua duobus constat, memoria & intelligentia.

Exponamus amplius quid hæc beata lux operetur. Et quoniam vis cognitiua duobus constat, memoria, & intelligentia, siue sint duæ res, siue duo officia eiusdem potentiæ(quod inuestigare est extra propositum) vtramque partem mirabiliter perficit. Nam memoriæ imprimitur quædam simplex, vniformis, iucunda, & quieta serenitas, qua omnia aliena & extranea reiicit, & vt lapis in suo loco, sic in Deo, & in diuinis manet. Considera aërem purum à nebulis,& nubibus,quietum à ventis, & procellis, serenum & clarum ex receptione radiorum solarium,& per hanc similitudinem memoriæ, animæ perfectè contemplantis qualitatem intelliges. Efficitur enim pura ab imaginibus rerũ visibilium, quia effertur supra omnia imaginabilia quietem animæ impedientia: quieta & stabilis in seipsa, sine eo quòd instabiliter huc illúcq; voluatur:& serena & clara ex receptione diuini luminis, ac illarum similitudinum quibus apta ad contemplationem redditur. In promtu habet ea, quibus homo in Deo exultet, & semetipsum humiliet. Ad illud pertinet quod in Psalmo legimus: Memoriam abundantiæ suauitatis tuæ eructabunt, & iustitia tua exultabunt.] Ad istud verò quod est in Ieremia: Memoria memor ero, & tabescet in me anima mea.] Sine contradictione, aut difficultate infirmitatis meæ recordabor, vt metu & pudore suffundar.

Psal. 144 7.

Thren. 3. 20.

Intellectus vno intuitu Deum contemplatione videt.

At intellectus luce illa, quasi vno intuitu, & in ictu oculi (vt aiunt) Deum sibi astantem,& animę intimè præsentem videt, eo modo, qui explicari non potest,& ac si in tabella pulchram imaginem depictam videret, sic simpliciter eius perfectiones intelligit. Videt Deum esse incomprehensibilem naturam in suo esse: simplicissimam puritatem in sua sanctitate: inscrutabilem profunditatem in sua sapientia: inaccessibilem altitudinem in sua excellentia: ineffabilem latitudinem in sua charitate: infinitam longitudinem in sua æternitate. Esse clarissimam caliginem, plenissimam solitudinem, abundantissimam simplicitatem, creaturarum requiem,& commune gaudium suiipsius,& omnium Angelorum, atque Sanctorum. Agnoscit etiam altissima & purissima cognitione Deum esse vnam simplicissimam substantiam, & tres personas, Patrem, Filium, & Spiritum sanctum: & quòd Pater Filium immutabiliter generat: & Pater & Filius Spiritum sanctum iucundissimè spirant: & quomodo trium personarum vna est sapientia,vna bonitas, vna potentia, sicut vna est indiuisa natura. Docetur Patrem esse immensam & omnipotentem maiestatem, Creatorem, Conseruatorem, Gubernatorem, principium, & caussam omnium creaturarum. Filium esse inuestigabilem sapientiam, & veritatem, & vitam, & exemplar perfectissimum omnium rerum, deitatis oculum cuncta peruidentem, splendorem paternæ gloriæ, sanctos & electos illustrantem. Spiritum sanctum esse incomprehensibilem largitatem charitatis,misericordiam inæstimabilis pietatis,pelagus immensæ bonitatis,torrentem ineffabilis voluptatis,flammam ignis omnes amantes spiritus liquefacientis, nexum Patris & Filij, & omnium beatorum, eos Deo, & inter seipsos mirabiliter copulantem. Interim anima ab hac notitia ad suæ nihileitatis cognitionem descendit, & non propter se, sed propter bonitatem illius summi Dei se amatam videt, & simul ad despicientiam sui, & ad concipiendam filialem in Deo fiduciam incitari se sentit. Nunc creaturarum multitudo, & ordo, & pulchritudo, quasi in vno radio inspicienda sibi proponitur, & Deus in omnibus illis existens, omnes fouens, & regens, & mouens manifestatur. Breuiter intellectus ita lumine & rerum notione repletur, vt non solùm admiratione eorum, quæ sibi dantur,teneatur, sed etiam homo seipsum, tanta, & tam præcipuè, & sine labore, scientem admiretur. Comperit in seipso quàm facile est in oculis Dei subitò honestare pauperem, & quòd benedictio Dei in mercedem iusti festinat, & in hora veloci processus illius fructificat. Eos enim in breui morula sapientiæ progressus facit, quales multis annis & indefesso studio inuenire non posset.

Anima Dei notitia in sui cognitionẽ manu ducitur.

Eccli. 11. 23.

At, quid tunc Deus operatur in altera parte affectiua animæ, scilicet in voluntate? Non relinquit eam aridam nec iciunam, sed inflammat eam castissimo & purissimo Dei amore: qui aliquando in sola voluntate manet: frequentiùs verò in cor & in vires inferiores se diffundit, & corpus ipsum quasi ardere facit, & sanctissima quadam suauitate & voluptate implet, & ipsum robustum, & velut ferreum ad longas vigilias,& magnas abstinentias; & ad labores contemplationis reddit. Hic anima fit quasi insuperabilis, & insatiabllis, nihil aliud nisi amorem esurit,& sitit; & quanto abundantiùs hic cibus sibi ministratur, tanto vehementiùs fame amoris,& sitis ardore deficit. Hic à se expellit omnes inordinatas affectiones, omnes solicitudines,omnia studia,& exercitia, quæ non congruunt aut exercitio amoris, aut necessitati vocationis. Hinc ad gratiarum actiones, ad Dei laudes promendas, impellitur, & miris ac multis affectibus virtutum, & omnis puritatis, & desideriis despicientiæ propriæ & abnegationis excitatur.

Dum hæc intellectus cognoscit, voluntas mirè Dei amore inardescit.

Hunc contemplationis gradum, atque eius fructus in intellectu & in affectu descripsisse videtur Laurentius Iustinianus in hunc modum loquens: Ex huiusmodi luminis & gustus infusione, quasi duabus fultum pennis, amantis cor ab imis eleuatur ad summa: de intelligentia transcendit ad veritatem,eo altiùs, quo intuetur clariùs, suauiúsque deguſtat. Magna tunc mens potitur pace, & gaudio iucundissimo. Nam quod sitibundo quærebat affectu, inuenit: ideóque requiescit. Rationalis quippe mentis cibus proprius veritas est, sen-

Iustin. de casto connubio c. 25.

Huius contemplationis gradus grauis Laurentij Iustiniani descriptio.

ten

tentiarum intelligentia, rationis distinctio, gestorum agendorúmque matura deliberatio. Hinc est, quòd in sapientiæ lumine cogitationum suarum cursum figit tamquam ad suum euecta principium. Altitudinem diuinitatis, Verbi æternam generationem, Paracliti processionem cœlestis patrię indefectibilem gloriam, summorum spirituum, Angelorum, Archangelorúmque gradus præmia mirando veneratur. Sapientiæ namque splendoribus circumfusa, intelligentiæ aciem ab eo quod videt, diuertere nequaquam potest delectatione illecta, gratiæ riuulis madefacta, & contemplatione suspensa. Tota se intentione firmat in se, & anxia animi auiditate commoratur secum: nec inde nisi pulsata foras, aut relicta sibi exiré valet. Quum ergo egreditur, tamquam imbres emittit eloquia sapientiæ quæ audientium corda penetrant, & transfigunt. De pharetra quidem charitatis euulsa illum, de quo plena sunt, infundunt calorem. Aliena etenim ab incendio charitatis esse non potest mens, quę in cellarium sapientiæ meruit introduci. Proficit de omnibus, & quà se verterit scintillas dilectionis admittit. In sublimi quodam considerationis solio residens nimia exultatione lætatur, quum se verbi sponsa esse non dubitat; perfectus enim amor dubietate caret. Intuetur tacitè vniuersa posita sub se, suóque familiari obsequio. Si quid sonorum audierit: si quid dulci modulatione in ipsius concrepuerit auribus, ad perfectum sui conuertit amoris. Species quoque corporum, qualitates rerum, syderum rutilationes, elementorum productiones, atque omne, quod redolet, quod sapit, quod nutrit, quod mollefacit, sibi concessum esse nō dubitat. Ipsi de mādato Verbi cuncta fauēt: plaudunt omnia tamquam chariſſimæ sponsæ: miróque modo suadente amore ex iniuncto obsequio singula clamant intus, & dilectionis voces ingeminant. Quemdam namque in corde sponsæ gignunt spiritualem concentum amore plenum, amoris testem, nuntium desponsationis, & sponsi pediſſequum, per quem omnia interioris exteriorísque hominis præcordia ebulliunt charitate, & in sui laudem mouentur conditoris. Exemplis namque pariter excitata, ac votis resoluitur intus præ amoris dulcedine, præ suauitate spiritus, præ ardore desiderij, præ liquefactione charitatis; præcipuè cùm tantis se prælatam videt, famulari à tantis, electam de tantis. Merita rimatur, nec inuenit: dona considerat, & agnoscit maculis referta: promissa cogitat, & supra modum excelsa illa esse miratur: sicque amore ac admiratione constricta alta emittit suspiria: gemitus de profundo cordis trahit ignitos: atque virtute, qua potest castissimo se copulat sponso. Illum in latissimo mentis collocat sinu: illi amoris æstus, desideriorum vota, arcana pectoris aperit: illum effert præconiis, laudibus magnificat, amplectitur affectu, stringit votis, cum illo sibi bene esse sentiens, ab illo numquam deesse concupiscit. Quod cùm sibi non licere cognoscit, quemdam in se reformat habitum, gestatæ sapientiæ, & intimæ charitatis, in quo requiescens actualem ardentissimè Verbi semper præstolatur aduentum.] Hactenus ille.

Ex hac intuitione Dei, & rerum ab ipso ostensarū nascitur gaudium ineffabile.

Sed quod de gaudio & pace huius gradus contēplationis, sanctus hic Doctor dixit, & nos etiam attigimus, paulo fusiùs exponēdum est. Ex hac syncera ac pura intuitione Dei, ac rerum ab ipso patefactarū, & de amore huic notitiæ coniuncto nascitur gaudiū ineffabile, quo anima mirum in modum lætatur de pulcherrimis perfectionibus Dei, & de bonis multiplicibus Sanctorum, & totius Ecclesię, & quando audit, aut deprehendit alios esse virtute strenuos, & dono contemplationis diuites, impensè exultat. Eorum augmētum puritatis petit à Domino, & se comites habere in illo bono, quod participantium numero non minuitur, cum exultatione consentit. Ad opera exteriora libera egreditur, & illa non tristi corde, sed lætanter operatur. Vnde, & intrat in conspectu Domini in exultatione, & exit ad seruiendum ei in lætitia. Superabundat gaudio in omni tribulatione sua. Quia cùm summè cupiat Deo placere, & sciat tribulationes & angustias ex amore sustentatas illi gratas esse, non potest non in tribulationibus exultare. Hæc gaudia in actione, quasi guttæ sunt illius fluminis gaudij, quod est in ipso secessu contemplationis; quod tam magnum est interdum, vt anima non valeat se continere, sed signis exterioribus gemituum, & singultuum, & lacrymarum non violenter expressarum, sed sponte fluentium, illud, quod interiùs gustat, manifestet. Iam obtinet hic aliquid illius gaudij, de quo suo tempore auditurus est homo Dominum dicentem: Intra in gaudium Domini tui.] Intrat enim veluti in quoddam pelagus gaudij, quo totus immergitur, & fluctibus fruitionis obruitur. Planè, & nox, inquit, illuminatio mea in delitiis meis.] Quia dum in obscuritate huius vitæ sapientiæ lumen affulget, purissimis delitiis animum replet. Sed hæ delitiæ animæ contemplantis, aliquando tristitia miscentur ex consideratione propriæ ingratitudinis, & infirmitatis exorta. Mœret enim, quia se reputat tantis beneficiis ingratam. Mœret, quia tanto amori non debito amore, & perfectissimis obsequiis respondet. Sed ita mœret, vt simul mœreat, & gaudeat, & in mediis tristitiis suis, eam serena lætitia non deserat. Aliquando huiusmodi delitiæ penitus subtrahuntur, vt non in illis, sed in authore earum amorem suum collocet, & æternas delicias desideret. Quod Bernardus insinuatum putat in illa scita duorum discipulorum euntium in Emauntem reuersione, qui eadem hora dicuntur regressi in Ierusalem. Non incongruè, ast, eadem hora dicuntur surgere, quia non nisi ad horam, neque ad horam quidem, esse possunt in anima tales deliciæ: citò transeunt, abeunt, euanescunt. Ideo fugiunt, vt earum plenitudinem, quæ debetur in patria, feruentiùs appetamus: ideo animum alliciunt, & inflammant, vt surgamus.] Fugiunt quidem, sed animam vacuam non deserunt, quia eam fortem efficiunt, vt pro Domino, quem erga se tam liberalem agnoscit, multa sciat bona agere, & mala pati.

Psal. 99. 2.

Matth. 25.21.

Psal. 138. 11.

Hoc gaudium aliquando sancta tristitia miscetur.

Luc. 24. 13.

Huic gaudio animæ contemplantis assidet indicibilis pax, mentísq; trāquillitas. Deus enim se ostēdens animę veluti dicit illi: Pax tecum; & quia eius verbū operatorium est, pacatam eam reddit. Primò quidem donat lętitiā, deinde verò pacem. De lętitia dictum est: Lętamini cū Ierusalem, & exultate in ea omnes, qui diligitis eā: gaudete cū ea gaudio vniuersi, qui lugetis super eā, vt sugatis, & repleamini ab vbere cōsolationis eius: vt mulgeatis, & deliciis affluatis ab omnimoda gloria eius.] De pace verò lętitiā sequente. Quia hæc dicit Dominus: Ecce declinabo super eā quasi fluuiū pacis, & quasi torrētē inundantē gloriā gentiū.] O quanta lætitia post fletum paupertatis nostrę, quæ tametsi in modū lactis incipiat ab vberibus Dñi defluentis, tamē postea in delicias abundantissimas, cōuersa omnē cordis amaritudinē tollit! Sed ô quanta pax, quæ flumini comparatur, & torrenti inundanti, vel omnem gloriam

Huic gaudio pax indicibilis comes ad iungitur. Isaiæ 66. 10.

Ibid.

sæcularem obruenti! Bona lætitia, cuius extrema non stimulus malæ conscientiæ, sed vera pax occupat,& bona pax, quam Dei præsentia animam implentis,& lætificantis generat. Pax,quæ affectus & desideria tunc actu quietat, & virtutes, quibus habitu,& permanenter sopiantur, augmentat,aut potiùs in vnum affectum & desideriũ Dei omnia conflat.Pax,quæ diuitias spirituales,& dona à Deo data demonstrat,& danda confirmat,non quidẽ vt mens superbiat, sed vt in humilitate & amore, & gratiarum actione proficiat. Pax denique,quæ in actione perdurat,& animo alacri,& libero,& ab omni sinistra intentione puro in diuinis obsequiis hominem occupat. Hoc gaudium, & hæc pax sunt effectus huius,& sequentium graduum contemplationis.

Modus, quo hic gradus fiat,proponitur.

Nunc de modo quo actus hic contemplationis fiat,dicamus,& quòd & huic gradui & sequentibus deseruiet.Certum est ergo omnem cognitionem fieri per aliquas similitudines, (quas Philosophi species vocant)rerum ipsarum,quas cognoscimus, vel aliarum, ad quarum similitudinem eas cognoscimus. Hæ similitudines, siue species triplices sunt, provt actui contemplationis cooperantur. Nam quædã sunt à rebus sensibilibus acceptæ, quas imaginatio cogitat,cùm intellectus insistit veritati cognoscendæ. Sic Deum intuemur vt pulcherrimam lucem, vel vt splendidissimum ignem per speciem lucis vel ignis,quę oculis vidimus,& imaginatione cogitauimus, à qua imaginatione lucis, si naturaliter, vel ad modum nobis naturalem intelligamus, intuitio nostra, vel ratiocinatio nõ potest absolui, vt experientia compertum est. Hoc autem est quod dixit Aristoteles: Oportet intelligentem phantasmata speculari, id est, circa sensibilia imaginatione negotiari, & quod dixit Dionysius: Impossibile est lucere nobis diuinum radium,nisi varietate sacrorũ velaminum circumuelatum, id est,rerum sensibiliũ quas ad res sanctas cognoscendas inspicimus, & tãdem,quod dixit Gregorius Nazianzenus:Quemadmodum,ait,nulla ratione fieri potest,vt quispiam qualibet gressum vrgeat, vmbram suam prætereat (quantum enim eam assequeris, tantum etiam illa semper anteuertit) aut oculus rebus in aspectum cadẽtibus,citra intermediam lucem,& aërem,coniungatur,aut natatilia animantia extra vndas labãtur, ita etiam impossibile est iis, qui corporibus inclusi sunt, sine corporearum ac sensibilium rerum adminiculo,rebus iis,quæ animo ac ratione intelliguntur,omnino coniungi:semper enim obiter sensibile aliquid incidit, quantumuis maximè nostra mens à rerum spectabilium contagione separata, atque in seipsam collecta cum rebus cognitis oculorúmque aciem fugientibus commercium habere conetur.] Hæc ille.Est in nobis intellectus, & imaginationis naturalis quædam cõcatenatio;vt intellectus ad se imaginationem trahat, & sine eo quod ipsa aliquid corporeum cognoscat, ille spiritualia non intelligat. Intelligit autem simpliciter in illis sensibilibus ab imaginatione perceptis, non aliter, quàm oculis videt in ampulla vitrea aquam è floribus & rosis expressam. Et ad hunc modum refertur ille,quo Deum absque vlla imagine,& obscurè, seu confusè conceptum anima vbique præsentem, aut extra,aut intra seipsã intuetur. Locus enim ille,vel immensus, vel interminatus est, quem imaginatio cogitat,& in quo intellectus diuinã naturam repręsentat. Sicut si aliquis assideat thecæ, in qua sciat esse reconditam gemmam,quam tamen numquam oculis videre potuit.Similitudines autem istæ à rebus acceptæ, & in imaginatione existentes corporeæ sunt;quæ vt Thomas Aquinas annotauit, per aliquam mutationẽ corporalem,vt apparet in dormientibus; vel per iudicium rationis, vt euenit in vigilantibus, aptæ sunt transmutari, & aliter atque aliter disponi. Hinc verò prouenit, quod Deo faciente, aut Angelis eius iussu has species transmutantibus, & disponentibus, admiranda animabus contemplantibus offerantur.

Species actui cõtemplationis seruientes triplices sunt. Nã vel à rebus sensibilibus accipiuntur.

Arist.3. de anim. tex.30. Dionys. c.1.de cœlesti Hierarchia. Greg. Nazian. orat.2.de Th. Vide S.Th.1.p. q.76.ar. 7.

D.Th. 2.2.q.17. ar.2.

Interdum fit actus contemplationis per similitudines, nõ quidem immediatè à rebus sensibilibus acceptas, sed ex his elicitas, vel compositas. Nam manifestum est posse nos similitudines istas componere,& componendo,ea quæ numquam vidimus cogitare,& intelligere:vt cùm cogitamus montem aureum, ex eo quòd priùs aurum & montem separata viderimus. Posse quoque ex quibusdam alias elicere, vt cùm ea fingimus animo, quæ neque per partes aspeximus. Solet ergo Deus Angelorũ etiam ministerio (quibus quoad motum omnia corporalia subduntur) similitudines imaginationis corporeas componere, & ex his alias elicere, & sic ad contemplanda cœlestia mirum in modum eleuare. Hæc sunt ornamenta aurea & argentea sponsæ, id est,animæ sanctæ prærogata, de quibus in Canticis: Murenulas aureas faciemus tibi vermiculatas argento.] Audi Bernardum.

Vel per species nõ à sensibilibus acceptas,sed ex iis elicitas, & compositas,fit actus contemplationis.

Cant.1. 10. Bern.ser. 41.in Cant. Murenulas aureas similitudines spirituales explicat Bernard.

Aurum diuinitatis est fulgor,aurũ sapientia quæ desursum est. Hoc auro fulgentia quædam quasi veritatis signacula spondent se figuraturos hi,quibus id ministerij est,superni aurificis,atque internę animæ auribus inserturos.Quod ego non puto esse aliud,quàm texere spirituales quasdam similitudines,& in ipsis purissima diuinæ sapientiæ sensa animæ contemplantis conspectibus importare, vt videat saltem per speculum,& in ænigmate quod nõdum facie ad faciem valet vllatenus intueri.Diuina sunt, & nisi expertis prorsus incognita quæ effamur,quomodo videlicet in hoc mortali corpore,fide adhuc habente statum, & necdum propalata perspicui substãtia luminis,iam tamen interim puræ interdum contemplatio veritatis, partes suas agere intra nos vel ex parte præsumit, ita vt licear vsurpare alicui nostrũ,cui hoc datum desuper fuerit, illud Apostoli: Nunc cognosco ex parte. Item: Ex parte cognoscimus, & ex parte prophetamus. Cùm autem diuinius aliquid raptim, & veluti in velocitate corusci luminis interluxerit menti spiritu excedenti siue ad temperamentum nimij splendoris, siue ad doctrinæ vsum: continuò (nescio vnde) adsunt imaginatoriæ quædam rerum inferiorum similitudines infusis diuinitus sensibus conuenienter accommodatæ, quibus quodammodo adumbratus purissimus ille, ac splendidissimus veritatis radius, & ipsi animæ tolerabilior fiat,& quibus communicare illũ voluerit capabilior.Existimo tamen ipsos formari in nobis Sanctorum suggestionibus Angelorũ, sicut è contrario cõtrarias & malas ingeri immissiones per Angelos malos nõ dubium est, & fortassis hinc illud est speculũ,atque ænigma(vt dixi)per quod videbat Apostolus,ex istiusmodi puris pulchrísque imaginationibus Angelorũ quasi manibus fabricatum:quatenus & Dei esse(quod purũ,& absque phantasia corporearum imaginum cernitur)sentiamus:& elegantem quamlibet similitudinem, qua id dignè vestitũ apparuerit, ministerio deputemus angelico.] Hæc ille. Istis similitudinibus anima multa de cœlestibus inuestigat, & inuestigata simplici aspectu intuetur, & inspiciendo ad feruentissimos affectus, excitatur. Interim animaduertat,quanti momenti

Ni imaginatio aliquid corporeum percipiat, intellectus non intelliget.

Notæ magni momenti esse Angelos omnes custodem maximè, propitios habere.

sit angelicos Spiritus,& præcipuè custodem Angelum benevolum & propitium habere,& assiduis ad se obsequiis allicere,cuius ope tam mirificè præparatur,vt valeat diuina contemplari.Anima namque etiam in contemplatione perfecta multum à corporis dispositione,& similitudinum harum fabricatione dependet.Tam corpus autem, quàm similitudines istæ angelicæ potestati subduntur , quas quilibet Angelus ex iussu , aut permissione Dei ad nostram eruditionem , & meritum affectus ex ea ortum benignè disponit.

Vel denique anima diuina contẽplatur per species à Deo sibi immissas. Bern.ser. 52.in Cant.

Tandem subleuatur anima addiuina contemplãda per similitudines,non quidem per sensus ingressas,& à rebus sensibilibus emendicatas , sed à Deo immissas siue infusas:quibus ad modum Angeli cognoscit , imaginatione minimè cooperante , immo aliquando in peregrina distracta,& tamquam stulta sibi relicta. Meminit harum similitudinum infusarum Bernardus,dum sic scribit:Sed moriatur anima mea morte etiam(si dici potest)Angelorum,vt præsentium memoria excedens , rerum se inferiorum corporearúmque non modò cupiditatibus , sed & similitudinibus exuat,sitque pura cum eis cõuersatio,cũ quibus est puritatis similitudo. Talis(vt opinor) excessus,aut tantùm,aut maximè cõtemplatio dicitur. Rerum enim cupiditatibus viuendo nõ teneri humanę virtutis est:corporum verò similitudinibus speculando non inuolui , angelicæ puritatis est:vtrumque tamen diuini muneris est : vtrumque excedere , vtrumque teipsum transcendere est , sed longè vnum,alterum non longè. Beatus qui dicere potest:Ecce elongaui fugiens, & mansi in solitudine.] Sic Bernardus. Hoc autem Thomas Aquinas non negat,immo apertè concedit, dicens posse hominem in hac vita ad videndam clarè diuinam essentiam efferri,de quo postea, & dum ait hanc eleuationem interdum fieri per aliquas intelligibiles immissiones, quod est proprium Angelorum. Cùm verò sæpissime dicit more scholastico impossibile esse quod intellectus intelligat sine conuersione ad phantasmata, vel sine cooperatione imaginationis, manifestè loquitur de modo connaturali cognoscendi , quem anima etiam gratia subleuata habet existens in corpore. At Deus modum supernaturalem, & planè angelicum quibusdam sanctis animabus aliquando ad contemplandum impertit. Hoc autem vel dando ipsis scientiam infusam , qua sine cooperatione sensuum vti possint,cùm velint,quod animæ Christi Domini nostri , & fortè beatæ Virgini,aut pauciss imis aliis Ecclesiæ primoribus datũ est;vel immittendo illis quasi per transitum species infusas,quod fortassis est frequentius quàm nos inexperti existimamus. Immo , vt Dionysius Richelius insinuat, id fieri posset,si Deus intellectum per specialem lucem eleuaret ad vsum similitudinum ex sensibus acceptarum , sine eo quòd vllus sensus etiam interior contemplationi cooperetur.

D.Th. 2.2.q.17. ar.10.& de verit. q.13.ar.2 ad 9.

Richel. in Dion. de mystica theologia ar.8.

Attingitur schola stica ratio pro specierũ infusione.

In tractatione rerum spiritualium ad scholæ subtilitates deflectere formidamus;sed hoc loco petita à lectore venia breuissimè huiusce rei rationes attingemus.Eæ autem sunt. Quòd intellectus noster in cognoscendo non pendet à phãtasia vel ab imaginatione,nisi tamquam ab excitante,vel tamquam à potentia per quamdam sympathiam simul operãte.Deus autem immissione lucis potest multo efficaciùs intellectum excitare , & in eum veritatem, quam contemplatur , inducere , & imaginationem sopire.Quòd anima adhuc in corpore habet esse independens à corpore,cùm sit per se subsistens,atque adeò habet operationem independentem, cùm modus operis,modũ naturæ operantis sequatur.Quòd sic eundẽtius intelligitur animæ nostræ immortalitas;quia in corpore existens habet operationẽ,scilicet cognitionem liberam separatã à corpore,& propriam,non tamen sibi sensuique communem.Dátque Deus aliquibus seruis suis , vt animæ suæ immortalitatem non solùm fide credant,si sint idiotę, vel scientia capiant, si sint litterati, verùm vt quasi experientia cõtrectent, dum vident se sine vlla cooperatione corporis & sensuum aliquid operari,& sublimissimè spiritualia rimari. Quod in illa specie, seu similitudine à Deo immissa meliùs & perspicaciùs relucet res cognoscendas quàm si ad imaginationem & opus eius retorqueatur.Quòd Dionysius ait ad perfectè contemplandum relinquenda esse omnia sensibilia,& intelligibilia,quæ scilicet ratione naturali apprehenduntur vt Deus superbenedictus cognoscatur.Sed mittamus ista, quæ non sunt nostri instituti,& simpliciter sciamus,dona, quibus Dominus animas ad gratiam contemplationis euectas exornat,non esse naturæ limitibus coarctanda: soleréque etiam cùm in se sunt, & vsu exteriorum sensuum non priuantur,de quo infrà dicemus, tam splendidissima luce perfundi, ad tam altámque cognitionem sublimari, vt penitus adiumentum cogitationis deserant,& more Angelorum,quorũ puritatem in sua conuersatione æmulantur,intelligant.

Modus affectionis ex cognitione deriuatæ.

Hæc de modo contemplationis , provt ad intellectum essentialiter pertinet. De modo autem affectionis , quæ ex cognitione sequitur , nihil præter suprà dicta habemus vt dicamus,nisi quòd affectio amoris Dei voluntatem inflammans,est vehementissima,ad quam voluntas non tam allicitur , quàm raptatur, & quasi sine fræno ad summum illud bonum contemplatum impellitur.Hæc sæpissime,immo & ordinariè in appetitum diffunditur, cui imaginatio proponit,quo sanctè afficiatur , ac purè delectetur.Interdum ex dispẽsatione Domini, ne corpus imbecillum deficiat,ab appetitu motus hic subtrahitur,aut temperatur, & homo iste exterior sobrius ad humanam cõuersationem relinquitur.Hic ergo gradus contemplationis essentiam cõtemplationis cõtinet,in quo magna est perfectionis latitudo.Quia quidam clariùs, quidam obscurius contẽplantur:quidam ardentiùs,quidam remissiùs amore feruntur.Id autem nulli verè contemplanti deest,vt simpliciter,& absque discursu intelligat,& vt plusquam ordinariè diligat,aut alium sanctum affectum timoris,aut virtutum desiderium habeat.

Secundus gradus contemplationis: Secessus virium animæ ad interiora.

CAPVT II.

Secũdo in gradu anima ad interiora recipitur, & ab externis elongatur.

SECVNDVM gradum contemplationis vocamus secessum; quo anima cũ omnibus suis viribus ad interiora recipitur,& ab exterioribus elongatur.Aliud est animam propria industria,quam gratia adiuuat,ad seipsam intrare , & ad hũc ingressum vtcumque niti, quod in statu etiam meditationis possumus : aliud verò à Deo subitò vocari & colligi , & in intimo cordis coram illo apparere,& ibi tamquam detentã manere,quod nisi ipse faciat , exequi non valemus. In hac autem posteriori collectione virium animæ ad interiora, hic secundus gradus contemplationis consistit.Solet ergo Dominus animam contemplatricem exterioribus vacantem,aut vocaliter orantẽ,

vel

vel aliquid vtile cõsiderantẽ in momento vocare, & intellectum, & affectum, & cogitationem, ipsa quasi nihil faciẽte, ad interiora colligere, & ante illam mensam lucis & amoris, quibus abundè reficiatur, apponere. Tunc ipsa non grauatè, sed lubenter, immo quasi tracta ab alio (& verè tracta est) exteriora deserit, & quasi naturaliter ipsos corporis oculos claudit, & visum, & auditum, & reliquos sensus ad interiora conuertit. Est iam per virtutũ exercitationem, & assiduam cum Deo communicationẽ quasi cœlum Dei, in quo ipse gratãter habitat. Est domus regia illius supremi Domini, in qua ipse iucundissimè commoratur. Quare vt Dominus, & vt Paterfamilias sæpe ancillas bene morigeratas vocat, quę ad iussum eius repentè omnia, quæ habebant in manibus, deferũt, & se coram illo ad interiora recipiunt. Ille pastorem se fecit virium huius animæ incipientis dona supernaturalia recipere: & vt bonus pastor, & diligens sibilo inspirationis suæ, omnes illas in vnum, quod intimum est, colligit, & ad suam præsentiam adducit.

Hic ad interiora ingressus opus Dei est. Oseæ 2. 14.

Hic ingressus animæ ad intimũ cordis sui opus Dei est. Nõ potest ipsa ita se colligere, & ab exterioribus auocare, & in hac quieta solitudine permanere. In cuius signum manifestè Dominus sibi istud opus attribuit. Ecce ego, inquit, lactabo eam, & ducam eam in solitudinẽ, & loquar ad cor eius.] Lactat, id est, instinctibus, & vocibus internis, & tamquam sibilo dulcissimo allicit. Ducit in solitudinẽ, cùm omnes vires eius ad interiora colligit. Loquitur ad cor, cùm blandè & amãter de opportunis ad puritatis augmentum erudit. Et alio loco: Sapientia ædificauit sibi domum, excidit columnas septem. Immolauit victimas suas, miscuit vinum, & proposuit mensam suã. Misit ancillas suas vt vocarent ad arcem, & ad mœnia ciuitatis.] O anima, teipsam agnosce, si per istos gradus ad perfectionẽ charitatis ascendis, domus Dei est. Columnæ septem tuæ, virtutes septem tuæ sunt, tres theologicæ, quatuor morales. Victimæ sũt multiplices affectus tui, quos sapientia diuina immolat, quia præcipua eorũ causa existit. Vinum mistum & temperatum consolatio cœlestis est, quæ pura & inebrians alteri tempori reseruatur. Mensa est sancta conuersatio tua, ad quã accũbens abundè reficeris. His ita dispositis ac præparatis misit Dominus inspirationes suas tamquam ancillas, quæ vires omnes tuas, & affectiones tuas vocẽt ad arcem cordis tui, & ad mœnia ciuitatis, ad interiora scilicet, quibus tãquam mœnibus puritas vitæ seruatur. Si ipse non vocet, si ancillas suas ad te destinare distulerit, ad hanc arcem non intrabis.

Prou. 9. 1.

Esther 15. 10.

Esther nõ vocata in basilicam regis introiuit? Ideo corruit, & in pallorem colore mutato lassum super ancillulam reclinauit caput. Si ingredi ad cor tuum (non illo ingressu, qui propria paratur industria, sed illo, quẽ solus Dominus facit) temerarie præsumis, non nisi timorem & fatigationem conquiris. Bonũ est tamen ad illam primam, & minus perfectã collectionem virium tuarum propriam meditantium conari, & vt potueris, ô anima, teipsam ad te recipere, & tuas cogitationes & affectus in intima cordis includere, & sicut apes, quos flores colligunt in alueria comportant, vt fauos dulcissimos elaborent: ita & tu sãctis cogitationibus & affectionibus onerata in aluearium tui cordis ingredere, vt cœlesti suauitate implearis, & ad alium ingressum perfectum, qui non est in tua potestate, præpareris. Intra in cubicula tua, vt dicitur in Isaia, claude ostia tua super te, abscondere modicum ad momentum, donec pertranseat indignatio. Ingredere (inquam) in penetrale cordis, & claude ostium super te attentæ circũspectionis, & abscondere in momento huius vitæ, quantum tibi datum fuerit, donec pertranseat hostium tuorum in te frementium indignatio.

Isaiæ 26. 20.

Sed ad illam perfectam collectionem redeamus (si fas est in hoc sensu vocem istam vsurpare) qua potẽtiæ animæ à corpore, & rebus visibilibus seuocantur, & in intimum cordis arcanum colliguntur. Facit Deus primò animam hortum suũ, in quo semina, non solùm florum, id est, sanctorum desideriorum, iacit, verùm & fructuum, id est, perfectissimarum actionum, spargit. Hunc hortum deinde claudit, & de clausura illum laudare non prætermittit, dicens in Canticis: Hortus cõclusus soror mea sponsa, hortus conclusus.] Soror quidem quia Domini facit voluntatem; sponsa verò, quia eius amplexum non sterilem, sed fœcundum exquirit. Hortus verò non solùm affectionibus rerũ terrenarum clausus, verùm & cogitationibus inutilibus obseratus. Vel si mauis, audi ex Gilleberto, quare anima hortus, & hortus conclusus dicatur. Per hortum internas, fratres, intelligite delicias: per cõclusionem, disciplinæ custodiam. Quem dabitis horto similem, nisi cuius anima spiritualibus sic affectibus redolet, sicut aromaticis floribus hortus? Quàm iucũdum penetrali, quàm suauis recessus in pectore sponsæ, in pectore tam florigero, vt horto cõparetur! Nulla in eo radix amaritudinis sursum germinans, per quam horti huius impediantur delicię. Omnis plãtatio, quã non plantauit Pater meus cœlestis, nõ inuenietur in eo. Denique ipse plantauit hunc hortum voluptatis, vt solus operetur, & custodiat illum. Gemino quidem operatur modo, plantans, & purgans. Plantat vt sit omne ei semen verum: purgat verò vt fructum plus afferat. Et plantatur vt verum semen sit, & purgatur vt semiplenum non sit. Quid proderit plantatio facta ad veritatem, si purgatio desit ad vbertatẽ? Nihil cõfert cultura diligens disciplinæ si custodia desit?] Et post multa: Porta paradisi tui semper clausa sit, soli principi pateat. Non deiiciatur in securi, & ascia ianua eius. Vnus sit aditus, & is commissus Cherubim. Nihil admittatur nõ examinatum priùs gladio flammeo, nihil quod verbum Dei reprobet, quod non approbet charitas, quod nõ ad perfectionem ac plenitudinem legis accedat. Plenitudo ergo scientiæ Cherubim, & plenitudo legis charitas, in qua omnia concluduntur mandata. Hæc sit tibi custodia flammea, vt quidquid irrumpere indignum tentauerit, sub momento, & non lentè consumat. Numquid non commodè est assignata conclusio, quæ sponsæ semper constringit affectus, & concludit in idipsum, ad interiora semper conuertens, vbi deliciæ eius sint esse cum filio Dei?] Sic ille. Ad hunc hortum iam conclusum inuitat sponsus animam hoc contemplationis gradu, dicítque illi: Veni in hortũ meum soror mea sponsa.] Primò sponsus inuitatus eam hortum suum fecerat, & ad illum intrauerat, postea verò eam ad interiora vocat, & vt exterioribus omnibus relictis ad proprium cor ingrediatur, inuitat.

In hoc perfecto ad interiora recessu facit Deus animam hortum suum.

Cant. 4. 12.

Gilleb. serm. 35. in Cant.

Cant. 5. 1.

Hæc vox Domini potens est. Statim anima attendit, dicítque homo sibi: Conuertere anima mea in requiem tuam, quia Dominus benefecit tibi. Magnum enim beneficium est hæc vox, qua anima ad interiora vocatur, vbi iam aliquam requiem, & spem perfectæ quietis se accipere experitur. Statim memoria, intellectus, & voluntas ad cor, & ad aliud magis intimum introëunt, imperium animæ minimè expectantes, sed illud præ celeritate præueniente. Non quòd hic introitus sine

Psal. 114. 7. Vbi Deus vocat ad interiora anima attendit, & obtẽperat.

consensu animæ fiat, sed quia tam celer est, vt idem sit vocem Domini inuitantis audire, & ad eius conspectum intrare. Hic est verè in spirituali solitudine locus, & in lumine habitatio: vbi tres istæ vires reperiũt paratam mensam, in qua se abundanter reficiãt. Memoria, quæ erat sicut vitula Ephraim docta diligere triturã, amatam distractationem deponit, & in illo intimo, si nõ omnino, sicut in sequentibus gradibus; at magna ex parte quiescit. Intellectus intra animam aspicit eum, quem ibi esse fide quidem cognouerat, sed tanto splendore & efficacitate nũquam apprehenderat. Voluntas non extrà quærit, quod diligat, inueniens intrà quem ad diligendum quærebat. Sensus ipsi externi videntur conari, vt se rebus sensibilibus eximant, & in illud secretum mentis introëant: & sæpe intus videre, & audire, ac gustare percupiunt. Fit animæ hoc interius suum, hoc tabernaculum, in vmbraculum diei ab æstu, & in absconsionem à turbine & à pluuia. Quia quamdiu ibi manet neque æstu alicuius prauæ concupiscentiæ vritur, neque alicuius amaritudinis imbre cõstringitur, sed magna quadam suauitate repletur.

Osee 10. 11.

Isai. 4. 5.

Vellet quidem anima ex illo loco tam quieto, & tam spatioso non egredi, sed Domino disponente dimittitur, & è vestigio, nescit quomodo se iam extrà esse, & illud secretum penetrale velut disparuisse miratur. Egreditur illa è se, sed non egreditur vacua. Nam inprimis illi exteriora longè alia, quàm antea videntur. Videntur vt sunt, talia quæ non sint diligenda nec quærenda, sed vt vilia pro nihilo reputanda. Plúsque æstimat spem iterum in illud secretum cubiculum intrandi, quàm certitudinem omnia terrena possidendi. Deinde subinde ad seipsam conatur intrare illo primo & minùs perfecto modo secessionis, quo sensus colligere, & intra seipsam quasi per rimulas aspectare contendit, sicque disponitur vt iterum atque iterum admittatur, & ad altiora subleuetur. Tandem præ desiderio ad seipsam ingrediendi deficit, & hunc introitum non minus humiliter, quàm instanter petit. Séque domum ac templum Domini noscens dicit cum Dauide: Vnam petij à Domino, hanc requiram; vt inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ: vt videam voluntatem Domini, experiárque delicias & pulchritudinem huius domus, & visitem templum eius. Nec temerariè cupio aut postulo: quoniam iam semel & iterum abscondit me in tabernaculo suo: & in die malorum, ac tentationum, protexit me in abscondito tabernaculi sui. Ibi quasi in petra exaltauit me, ac in arce munitissima: & nunc victoriam promittens, exaltauit caput meum super inimicos meos. His desideriis & postulationibus anima frequentiores ad se ingressus obtinet, & desideria vt ad sublimiora admittatur, accendit.

Vbi verò dimittitur, ad exteriora regreditur.

Psal. 26. 4.

Tertius gradus contemplationis: Spirituale silentium.

CAPVT III.

Anima in interiori cubiculo modò loquitur, modò silet.

IN hoc interiori cubiculo, in quod anima diuina benignitate intromittitur, nunc quidem verba profundit, nunc verò silet. Loquitur profectò, quando intra se Domini præsentiã sentiens, eúmque simpliciter aspiciẽs intellectu simul & operatione desideria sua illi aperit, & vehementibus postulationibus blandum illud pectus Domini pulsare non desinit. Silet autẽ cum luce, & amore crescente, desideriorum patefactio, & opportunorũ postulatio cessat, & ad quamdam suspensionem intelligentiæ transfertur, & ad ardentissimum amorem loquutiones illas internas impedientem eleuatur. Tunc intellectus præ admiratione eius veritatis, aut pulchritudinis, quam videt, tacet, nec discursibus, aut ratiocinationibus procedere, vel loqui libet. Tũc imaginatio à Domino ligata, & veluti attonita effecta, mutire nõ audet, nec per varia diuagari præsumit. Tunc intellectus quasi ferrum à magnete tractum, illi summo bono inspiciendo inhæret. Tunc imaginatio velut canis, cui ex mẽsa aliquæ reliquiæ datę sunt, aliquid aliud, quo pascatur, non quærit. Tunc denique intellectus à verbis abstinet, quia quid profetat nescit: & imaginatio ab illo vno suauissimo ferculo, quod sibi communicatum est, vt alia euoluat, nõ recedit. Breuiter, omnia in homine tacent, sensus non præstrepunt, desideria quiescunt, & intellectum atque affectum in sua tranquillitate relinquunt.

In hoc silentio anima nunc videt, nunc audit.

In hoc silentio anima nunc videt, nunc audit. Videt quidem, cùm luce perfusa quę sibi ostenduntur, simplici intuitione animaduertit: audit verò cùm quasi auscultãs, an sibi aliquid dicatur, attẽdit. Cùm tacens videt, impletur in ea illud Ieremię: Bonum est præstolari cum silentio salutare Dei.] Nam præstolari iniustis, vt ait Bernardus, spectare est, gustare, ac videre, quoniam suauis est Dominus. Atqüe illud Isaię: Et erit opus iustitię pax, & cultus iustitię silentium.] Quoniam Dominus, qui iustitia animæ est, eam sua præsentia pacificat, & hoc sacrosanctũ silentium, quo (vt statim dicemus) perfectissimè ipse laudatur, vt suę maiestatis cultum ac venerationem expectat. Cùm tacẽs audit, illud ad se dictum per os Dauidis adimplet: Audi filia, & vide, & inclina aurem tuam: & obliuiscere populũ tuum, & domum patris tui.] Audit, cùm attendit ad verba Domini; videt, cùm ea percipit, atque intelligit: inclinat aurẽ cùm se morigeram & obedientem præbet. Fundamentum autem eorum, quæ sibi dicuntur est, vt sæculi obliuiscatur, vt morum protoplasti nec recordetur quidem, sed omnia visibilia aspernetur, vt à Domino diligatur. Huius silentij sectator videtur ipse sanctus Propheta, cùm dicit: Audiam quid loquatur in me Dominus Deus, quoniam loquetur pacem in plebem suam, & super Sanctos suos, & in eos, qui conuertuntur ad cor.] Ad illud, inquit, quod est intra me Domini habitaculum ingrediar. Ibi positus, & quasi absconditus, non multa loquar, immo penitus tacebo, & audiam interiori mentis aure, quid in me, vel intra me, loquatur Dominus meus. Meritò autem eius verba intentissimè auscultato; quoniam sermones eius sunt sermones pacis, ad plebẽ suam. Nec solùm ad Sanctos & amicos suos, verumetiam ad eos, qui posthabitis flagitiis ad eum maiestatis Dominum conuertunt cor. Hanc mentis tacentis attentionem solet sequi loquela Dei, de qua infrà in sexto gradu dicemus.

Isaiæ 32. 17.

Psal. 44. 11.

Psal. 84. 8.

Anima silendo contemplans diuina laudi non deest.

Quia tamen diximus in hac contemplatione silentij, voces adhuc internas laudum & postulationum cessare, sciendum est animam contemplantem diuinæ laudi non deesse; quinimmo per hoc silentium Deum ab ea quodam genere laudationis perfectiori laudari. Nam suprema laus est ad admirationem inspectæ magnitudinis verba supprimere, & tacendo se ad depromendas laudes imparem confiteri. Si hoc mistum admirationi silentium non esset laus, non dixisset Leo Papa, de Verbi incarnatione loquens: Gaudeamus igitur quòd ad eloquendum tantæ misericordiæ sacramẽtum impares sumus, & cùm salutis nostrę altitudinem promere non valeamus, sentiamus nobis bo-

Leo serm. 9. de nativitate.

num

num esse quòd vincimur. Nec dixisset Dauid : Te decet hymnus;vel vt He brei habet,tibi silet laus in Sion,& tibi reddetur votũ in Ierusalẽ. Nam reuera anima illa,quæ templum Domini, & quasi aceruus beneficiorum eius est, tunc eum perfectissimè laudat, cùm laudes eius admirando & tacendo prædicat:& tunc votum reddit, cùm se totam igne amoris absumit,& verum holocaustũ efficit. Verè Domine,pauper & inops laudabunt nomen tuum.Ille nimirum,qui pauper est cogitationũ, qui inops est verborum:qui nouit quoniam ad te laudandum non sufficit, neque ad de promendas laudes modum reperit,is ipso suo silentio te laudibus extollit.In hoc ergo silentio Deus summè laudabilis intelligitur, quem ideo mens non laudat,quia magnitudo eius, qui laudandus esset limitatis laudibus promendis obsistit.Ideo non petit,quia ab amabilissima prouidentia nobis benignissimè consulente, & vota nostra præueniente,nihil tunc petendum occurrit. Ideo non loquitur, quia illum Dominum se per rimulas ostentantem magis silentio,quàm verborum conceptione veneratur.

Psal.64. 2.

Psal.73. 21.

Cauſſa huius ſilentij eſt magnitudo lucis.

Quæris, quódnam sit sacri huius silentij principium ?Iam dixi.Est magnitudo lucis,& magnitudo amoris, ac feruor deuotionis.Oritur primò silentiũ ex magnitudine lucis:quoniam mens plus solito illuminata ad tãtum honum quod aspicit, præ admiratione tacet,& obstupescit.Nã & in humanis etiã rei nouitas quam admiramur, loqui prohibet,quid multum, si quod Deus de se reuelat verborum etiã interiorũ & cogitationũ conceptionem intercipit. Richardus exponens illud:Dominus diluuium inhabitare facit, satis hoc indicat dum lucẽ sapientię huius diluuio comparat. Hæc(inquam)sapientiæ aqua in tanta quandoque erũpit copia,in tanta se dilatat abũdantia,vt non solùm valles impleat, cãpos operiat, sed & omnes montes & colles longè transcẽdat.Ita vt omnium carnalium cogitationum incursus,omnes terrenos affectus penitus absorbeat, immo etiã quidquid hominibus est altum,cacumina ipsa virtutum, & quod his omnibus maius ipse sibi contemplantis animus in obliuionem veniat. Contemplantis siquidẽ animus,qui supra se attollitur, cùm in cœlestibus totus suspenditur, seipsum nimirum, & quæ sub ipso sunt obliuiscitur : & in tanto sapientiæ diluuio nil niſi cœlum aspicitur: & ipsa sapientiæ aqua, quà perlustratur,à qua & in altum subleuatur.] Sic ille.Hanc autem silentij caussam obumbrauit Ieremias cùm clamabat : A, a, a, Domine Deus ; ecce nescio loqui, quia puer ego sum. Sicut enim ille in iuuenili, vel puerili ætate magna dicere recusabat ; ita mens illa admiranda, quæ videt, verbo aliquo impedire timet, & aliquo modo à se ablegare.

Pſal.28. 10.

Richar. ibi.

Ieremi.1. 6.

Et magnitudo amoris.

Oritur deinde silentium ex magnitudine amoris,qui,cùm moderatus est,in verba dulcia & amatoria prorumpit, dum verò nimius est non verbis adhuc cogitatis,sed semetipso contentus est,& ardore suo satisfactus. Diadochus Episcopus Photicẽsis id apertè docet his verbis,dum cũ qui aptus est ad loquendum de diuinis rebus describit : Nec oportet non illuminatum intendere mentem spiritalibus cõtemplationibus:neque copioso lumine benignitate Spiritus sancti repletum,statim ad loquendum accedere. Vbi enim est inopia, ea affert ignorantiã: vbi copia,nõ sinit loqui.Tunc enim anima charitate Dei velut ebria, expetit per silentium contemplatione gloriæ Domini perfrui.Quamobrem opus est obseruata mediocritate illuminationis, ad loquendum de diuinis rebus,deuenire:hæc enim mẽ-

Diadoch. de perfect. c.8.

A sura formam quamdam glorioſi sermonis præbet, copiosa verò illuminatio,fidem nutrit loquentis in fide, vt qui docet primus fructũ scientiæ gustet per charitatem. Idem prorsus affirmat Dionysius Richelius, siquidẽ magnitudo affectionis,inquit,verba abrumpit, & mentem absorbet,in amplexum & oscula ruens.Sic anima spiritaliter amorosa,extaticè defectiuis atque truncatis vtitur sermonibus loquendo cum sponso, sicut dum ait : Dilectus meus mihi,& ego illi. In quibus ratio verba amoris debet supplere, & explanare, quemadmodum eloquens Aaron fuit os Moysi infacundi. Vnde cùm loquitur sponsa, Dilectus meus mihi, supplendum est,id est, gratiosè se exhibet,& super omnia mihi placet, éstque chariſſimus. Et ego illi intenta sum, B placere desidero, vniri præopto.] Si magnus amor verba abrumpit, maior amor ea omnino tollet, vt anima soli affectioni vacet, & in profundo silentio se contineat.

Dionyſ. de fonte lucis art. 19.

Durante hoc silentio nouit anima quid debeat facere:scilicet tacere, & illam in solitam lucem excipiens videre & diligere.At luce vesperascente ad dulcia colloquia redibit, desideriis suis Dominum interpellabit,& secundùm quòd impulsa fuerit, instinctu Domini sibi & aliis vtilia postulabit. Nam siquis fugiente luce conaretur se in illo silentio continere,certum est,quòd in vanum laboraret.Sic. ut enim non est in potestate hominis quòd aurora adueniat, & illucescat, ita non subest ei, quòd adueniente vespera lux non abscedat, & quemadmodum vanum C est ante lucem surgere, ita & post abeuntem lucem ad eam tenendam properare. Communiter autem non perseuerat diu prædicta lux, quæ hoc silentium inferat.Vnde dictum est in Apocalypsi : Quòd factum est silentium in cœlo quasi media hora.] Quem locum Gregorius,ex quo Bernardus, & Hugo Victorinus desumserunt,de silentio contemplationis intelligit. Cœlum,inquit, Ecclesia vocatur electorum, quæ ad æterna sublimia dum per eleuationem contemplationis intendit, surgentes ab infimis cogitationum tumultus premit, atque intra se Deo quoddam silentium facit. Quod quidem silentium contemplationis, quia in hac vita non potest esse perfectum,factum dimidia hora dicitur.Nolenti quippe animo dum cogitationum tumultuosi se strepitus ingerunt, etiam sublimibus intendentem, rursum ad respicienda cordis terrena oculum violenter trahunt. Vnde scriptum est : Corpus quod corrumpitur aggrauat animam, & deprimit tetrena inhabitatio sensum multa cogitantem.Bene ergo factum hoc silentium non integra, sed dimidia hora describitur : quia hîc contemplatio nequaquam perficitur,quamuis ardenter inchoetur.] Sic ille. Qui & postea per mensuram sanctę ciuitatis,quę erat in manu Angeli apud Ezechielem idem putat intelligi. In manu, inquit,viri calamus mensuræ sex cubitorũ,& palmo.] Si enim cubitus operationem,& senarius numerus eius perfectionem,palmus verò vim contemplationis,designat,quid est mensuram illam sex cubitos integros habere,& ad septimum non peruenire,nisi animam viri perfecti in hac vita actione quidem perfectam esse, sed in contemplationis perfectione non diu posse durare.

Greg.30. mor.c.12. Bern.ſer. 13.ad ſororem. Hugo 4. de clauſtro animæ c.36.

In hoc ſilentio nouit anima ſibi tacendũ, & illam lucẽ videndum, ac diligendum.

Non eſt in poteſtate hominis quod lux non abſcedat. Apoc.8. 1.

Ezech. 40.3.

Ab illo etiam silẽtio anima diues egreditur,quia stabilius & perfectius, quàm in secessu terrena cõtẽnit,& in quadã libertate spiritus posita peritinera virtutum currit.O quàm modica & exilia illi tẽporalia videntur,& sicut si ab aula regia egrederetur, (& reuera ab illa egreditur) & in domum alicuius

Ab illo ſilentio anima diues egreditur.

hominis pauperrimi ingrederetur, omnia apud illam vilia & ſordida reputantur ? Scit quibus rebus debeat, vt mancipiis, ad gloriam Dei parcè vti, & in quibus debeat amorem collocare, & vt idem Gregorius ait: Hoc ſilentium noſtrum bene Adam dormiens figurauit, de cuius mox latere mulier proceſſit: quia quiſquis ad interiora intelligenda rapitur, à rebus viſibilibus oculos claudit : & tunc in ſemetipſo, & quæ præeſſe viriliter debeant, vel quæ ſubeſſe poſſint, infirma diſtinguit : vt aliud in illo ſit, quod regere valeat, aliud tamquam fœmina quod regatur.] O quanta libertate viuit quæ neglectis opinionibus imperfectorũ, ſuum negotium agere, ſcilicet virtute proficere, & Deo ſoli placere & vacare intendit. Signata eſt hæc anima in illo animali de quo Iob: Quis dimiſit onagrum liberum, & vincula eius quis ſoluit ? Cui dedit in ſolitudine domum & tabernacula eius in terra ſalſuginis.] Tu Domine dimittis hanc animam à cogitationibus ſæcularibus liberam: tu vincula affectionum rerum huius vitæ diſſoluis. Tu fabricas ei in hac interna ſolitudine domum, in qua proculdubio ad quietem ſtatim explicandam ſeparat, & tabernacula in terra ſalſuginis ; quia quamdiu in huius mundi tabernaculis commoratur, ex eo quod vidit, & dilexit, ſitis in ea æternitatis accenditur.

Greg. ibid. Gen. 2. 21.

Iob 39. 5.

Quartus gradus contemplationis : Quies.

CAPVT IV.

Duo precedentes gradus ab intellectu inchoant, duo verò ſequentes à voluntatis tactu.

DVo gradus contemplationis, qui præcedunt, ab intellectu inchoare videntur: duo verò, qui ſequuntur, quibus nomina indita ſunt, quies, & vnio, credimus à tactu voluntatis incipere. Gerſon quieti vnionem præponit, alij poſtponunt; in quo nulla (vt opinor) contradictio eſt. Quoniam ſi anima aliquo modo ſe vnitam Deo non ſentiret, nequaquam quieſceret. In quo enim illa, niſi in ſuo cẽtro quieſcat? Sed ab hac imperfecta & inchoata vnione ad aliam perfectiorem tranſit, quæ quintum gradum ſequentẽ conſtituit. Eſt ergo quies iucunditas quædam voluntatis nihil quærentis, niſi ſic in Deo perſeuerare. Videt ſe anima iuxta Deum, videt ſe ab eo amatam, & in magno pretio habitam, & non aliter quàm filiam chariſſimam ſingulari eius prouidentia protectã atque circumdatam, & in hoc voluntas amore quieſcit, tamquam in complemento ſui deſiderij, quod iam conſequuta eſt. Eſt illud quod dicit ſponſa: Sub vmbra illius, quem deſideraueram, ſedi, & fructus eius dulcis gutturi meo.] Cognitio præsẽtiæ Dei in iſto gradu animam protegentis, talis eſt, vt ſi cum claritate ſequentium graduum conferatur, non ſit lux, ſed vmbra dicenda. Cum hoc tamen in illa quieſcit, quia in illa, & ex illa protectionem & dulcedinem percipit. Fructus in hac vmbra guſtatur dulciſſimus qualem antea anima numquam guſtauerat, ideo in vmbra libenter pauſat, & aliquid aliud quærere, aut deſiderare detrectat. Lucem meridianam, inquit Bernardus, vbi paſcit ſponſus, ſibi petierat indicari, ſed repreſſa eſt, & pro plenitudine lucis vmbram, pro ſatietate interim guſtum recepit.] Sed tam clara eſt hæc vmbra, tam dulcis hic guſtus vt animæ ſatisfaciat, & pro tunc nihil ſibi amplius requirendum apprehendat. Eſt denique quies hæc mentis humanæ quædam ſatietas, qua nihil illi deſiderandum ſupereſt. Animæ enim tres ſunt velut partes, rationalis quæ tendit in verum; concupiſcibilis in bonum ; iraſcibilis in arduum. Rationalis pars in hoc gradu coniuncta eſt primæ & ſummæ veritati, iuxta quam anima ſe eſſe percipit. Concupiſcibilis adhæret ſummæ & æternæ bonitati, quare magnam ſuauitatem, & puriſſimam delectationẽ etiam in corpus redundantem habet. Iraſcibilis iuxta ſe inuenit ſummam & æternam potentiam, gloriam, opulentiam, & dignitatẽ, ad quam aſpirabat. Ideo anima ſatiatur, quietatur, tranquillatur, ſtabilitur, & cum ingenti dulcedine ſedet, donec ſurgere, & ad alia, quæ incumbunt, tranſire ipſi iubeatur.

Bernard. ſerm. de natiu. Mar.

In anima tres velu ti partes, rationalis, concupiſcibilis, iraſcibilis.

Hic gradus apertius declaratur. Gerſon. ſupr.

Declarat gradum iſtum contemplationis Gerſon in hunc modum: Cùm res quælibet ſit in quiete dum perfectionem ſuam adepta eſt, illique coniuncta, & ſpiritus noſter vnitur & coniungitur ſummo perfectibili per amorẽ perfectum, vt exinde quietetur, ſatietur, ſtabiliatur neceſſe eſt. Sic materia in forma habita, ſic lapis in centro poſitus, ſic res quælibet in adepto fine ſuo quietatur. Anima quippe rationalis, dum coniungitur & vnitur Deo, copulatur ſummo ſuo bono. Eſt enim Deus ſummum bonum eius, eſt centrum eius, finis, totáque ipſius perfectio. Quid ergo aliud ipſa requireret? aut ad quid aliud vlterius inhiaret ?] Sic ille. Hîc anima quod fide antea nouerat quaſi per experientiam intelligit, ſe nimirum à Deo videri, ſe tenerrimè diligi, ſe audiri, ſe prope illum eſſe, qui promtiſſimus eſt ei benefacere, & poſtulata concedere. Ideo gaudet, & quieſcit, ſicut puer, cui poſt lacrymas & gemitus datum eſt, vt in gremio matris ſedeat, & lac ex eius vberibus ſugat. Interim ſentit ſe ad laudandum, & ad poſtulandum pro ſe, & pro aliis incitari. Ad poſtulandum (inquam) non tam verbis intellectu conceptis, quàm deſideriis voluntate, cui hoc conuiuium iucunditatis & deliciarum inſtruitur, protelatis. Vnde Laurentius Iuſtinianus ait: Inueniuntur quoque aliquot in terra, quamuis in numero pauci, qui corde ſagitta diuini amoris transfixi ſuauiter, concremantur delectabiliter, iugiter ſupra ſe feruntur in Deũ, laudis obſequium frequenter exoluunt Domino iubilatione permixtum. Cãtant, & gemũt, clamant, & laudant ; quieſcendo tacent, & vociferando diſcurrunt; tenent, & quærunt, atque amoris brachiis ſponſum amplexando liqueſcunt.] Et infrà: Eſt namque quieſcentium oratio humilis, compunctione lacrymoſa, gratiarum actione referta, exultatione iucunda, Dei cognitione coruſca, amoris flamma ſuccenſa, & in diuinis laudibus delectabiliter occupata.] Meritò autem dixi, hoc conuiuium ad voluntatem pertinere. Quoniam interdum voluntate quieta, & blanda manente, intellectus diſtrahitur, qui ſuauiter trahendus eſt, vt ipſe quoque bono illo fruatur. Vires inſuper animæ liberæ manent, vt poſſint ſine intermiſſione illius quietis, à loco quietis egredi, & pro ratione ſtatus occurrentibus negotiis intendere, ſicut ſi quis corde in vno maneat, & pedibus aliò vadat, vel manibus operi, quod ſibi fuit iniunctum, inſiſtat.

Iuſtinian. de interiori cõflictu c. 10.

Hæc eſt illa terra promiſſa, quæ ore Domini vocatur requies, ad quã anima perfecta ſuſpirat. Eam cupiebat Auguſtinus quando ſic clamabat ad Dominum : Quieſcat in te Deus meus cor meum : cor meum enim eſt mare magnum tumens fluctibus. Tu qui imperaſti ventis & mari, & facta eſt tranquillitas magna, veni, & ingredere ſuper fluctus cordis mei, vt tranquilla & ſerena fiant omnia mea, quatenus te vnicum bonum meum amplectar ſine tumultuantiũ cogitationũ cęca caligine. Confugiat Domine mens mea ſub vmbra alarum tuarũ ab æſtibus cogitationũ huius ſęculi, vbi in tui refri-

Pſal. 94. 10. Auguſt. Hæc requies terra promiſſa.

gerij

gerij tẽperamento abſconſa,lætabũda cantet,& dicat:In pace in idipſum, dormiã,& requieſcã. Dormiat obſecro,Domine Deus memoriamea ab omnibus malis : iniquitatem odiat, iuſtitiam diligat. Quid enim pulchrius, quídve dulcius,quàm inter tenebras huius vitæ,multáſque amaritudines,diuinæ dulcedini inhiare, & æternæ beatitudini ſuſpirare, illícque teneri mentem vbi vera haberi gaudia certiſſimum eſt?] Sic ille. Iure autem anima hanc quietem ſuſpirat, in qua multa delectatione repletur, qua ad perfectionem abnegationis, & ad perferendos huius vitæ labores roboratur. Neque incongruè ei applicatur illud Iob : Requies autem menſæ tuæ erit plena pinguedine.] Requies enim menſæ, vt Gregorius ait, eſt refectio ſatietatis internæ. Quæ pinguedine plena dicitur, quia in æternæ voluptatis delectatione præparatur.Hæc tãta eſt vt libenter animus in ea iugiter immoretur, nec velit ab ea,ſi poſſet,nec ad momentum ſeparari. Efficitur hic velut ille poſtremus filius Iacob, de quo in Deuteronomio dicitur:Benjamin amantiſſimus Domini, habitabit confidenter in eo, ſcilicet in Domino, quaſi in thalamo tota die morabitur,& inter humeros illius requieſcet. Quid putas cauſſa eſt, inquit Richardus, quòd iſte Benjamin tota die in thalamo moram facit:quòd ibi iugiter requieſcit,in tãtum, vt nec ad horam ſaltem exire velit? Illud autem ſcimus,quòd in thalamis ſoleant ſponſus & ſpõſa ſimul morari:amoris obſequiis in alterutrũ occupari, mutuis amplexibus, & caritate alterna confoueri. Mirandæ ergo pulchritudinis,& formæ ſingularis (ni fallor) prærogatiua pollet,quæcumque ſit illa Benjamin noſtri dilecta,& cuius contubernium numquam faſtidire valet : & à cuius amplexibus nec ad horam abeſſe volet. Sed ſi iam vocem illam huius Benjamin eſſe noſcimus, quantæ pulchritudinis ſit eius dilecta minimè dubitamus. Dixi ſapientiæ:Soror mea es, & prudentiam vocaui amicam meam.Vultis audire quòd non poſſit faſtidire huius dilectæ pulchritudinem,quam ſororem & amicam vocat propter caſtam & ardentiſſimam dilectionem? Intrans in domum meam (inquit) conquieſcam cum illa. Non enim habet amaritudinem conuerſatio eius, nec tædium conuictus illius, ſed lætitiam, & gaudium, & in amicitia ipſius delectatio bona. Dicat quiſque quod ſentiat, ego aliam cauſſam non inuenio,quæ illum intrinſecus ita ligatum teneat,vt nec ad modicum quidem exire valeat. Vnum autem ſcio : quia quiſquis huiuſmodi amicæ deſiderio flagrat, quanto eam familiariùs nouit, tanto ampliùs amat : & quanto frequentiùs eius fruitur amplexibus,eo vehementiùs eius deſiderio æſtuat. Eius ſiquidem frequens contubernium ſolet ſanè deſiderium non minuere,ſed augere,& amoris incendium acriùs inflammare. Mirum ergo non eſt cur iſte Benjamin tota die quaſi in thalamo commoratur,qui talis ſponſæ dulcedine fruitur : & inter humeros illius requieſcens eius amore iugiter delectatur.] Hæc ille.

In hoc ergo gradu quies eſt animæ, in eo ſabbatizat poſt labores ſuos. Videt ſe iuxta Dominũ, & iuxta ianuam (vt ita dicam) palatij,quò tendebat, & ibi ſedet, ac requiem inuenit. Mira autem, & noua ſatis ex hac quiete in ſe oriri ſentit. Nam non ex ratione, ſed ex affectu ſe præ humilitate profundiſſimè deiicit, & omnium minimam, ac Deo ingratiſſimam cenſet. Huius humilitatis meminit Diadochus,qui explicata illa humilitate,quę ex conſideratione propriæ imbecillitatis, aut tenrationum naſcitur,ſic ait:Cùm verò mens à ſancta gratia in multo ſenſu & plenitudine illuſtratur, tunc anima veluti naturalem habet humilitatem, facta enim plenior,& quaſi pinguior per diuinam gratiam non poteſt amplius tumore cupiditatis gloriæ efferri,quamuis perpetuò mandata Dei perficiat : quin potiùs inferiorem ſe omnibus ducit, propter ſummiſſionis ſuæ,& diuinæ modeſtiæ cõmunionem.Eſt autem illa quidem prior humilitas, vtplurimum, in dolore, & mœſtitia : hæc verò in lætitia cum pudore quodam prudentiſſimo.] Hic anima à Deo quaſi atteritur,& annihilatur, vt viliſſimè de ſe ſentiat,& ſimul iucundiſſimè erigitur, & fouetur, vt de illo, à quo ſe diligi videt, multa & magna ſe aſſequuturam confidat. Deinde tentationes fugiunt,& anima quaſi in quamdam regionem altiſſimam ducitur,quò tela hoſtium,& voces eorum peruenire non poſſunt.Vnde Dionyſius Richelius : O quàm bene & optimè eſt tunc animæ amoroſæ,quàm ſerena,quàm iucunda,quàm cœliformia, ac tranquilla ſunt omnia tunc in ea? Vbi tunc nebulæ vitiorum? turbines paſſionum? inuolutiones phantaſmatum? varietates diſtractionum? inquietudo tentationum? Nónne à præſentia Solis iuſtitiæ, à conſpectu & ardore atque fulgore Solis ſapientiæ fugiunt omnia illa?] Prorſus ita eſt. Anima in loco illo tranquillitatis abſconditur, vt nullo inquietãte turbetur. Ad hæc iſta Dei propinquitas amorem in intimo animæ non aliter quàm fornacem ignis ardere facit,qui inde erumpens appetitum & cor ipſum carnis peruadit, & corpus ipſum accendit, & ac ſi febrem moleſtiſſimam pateretur,adurit. Sed, ô febrem deſiderabilem, ô languorem ſalutarem, quem non medicorum pharmaca ſanant,ſed ſponſi amplexus vtcumque leniunt,quouſque mens ad facialem viſionem perueniat! Verè lampades eius lampades ignis atque flammarum. Cor eſt inſtar lampadis,in quo & verus ignis amoris ardet,& oleum internæ ſuauitatis, & ſenſibilis deuotionis non deficit. Si hic ignis perſeueret, & accepto ſæpius hoc dono, iterum atque iterum accendatur, tam validus fiet, vt aquæ multæ tribulationum & perſecutionum non poſſint extinguere charitatem, nec flumina obruant illam.

Hæc tunc omnes virtutes ſolicitat, & pulchras ad viſum,ſuaues ad odoratum, velut roſas in vere, & fortes ad operandum facit. Omnia fiunt prona, omnia facilia:& quo maior & feruentior eſt amor, eo vehementius eſt deſiderium domandi corpus, & nouis ac inſuetis modis ſpiritui ſubiiciendi.Pellitur timor ieiunij, & vigiliarum, & dolorum, & aliorum huiuſmodi; optátque anima ſaltem occaſionibus patiendi, oſtendere quantum diligat, quantum cupiat dilecto placere.Spem etiam auget magna obtinendi, & ideo anima amore ſuccenſa, & fiducia erecta multa ſibi, & aliis poſtulare audet,& tanto beneficio ſuſcepto ad noua deſideranda & petenda procedit, aítque cum Dauide : Quia tu, Domine exercituum, Deus Iſraël, reuelaſti aurem ſerui tui, dicens:Domum ædificabo tibi, propterea inuenit ſeruus tuus cor ſuum, id eſt, auſum concepit,vt oraret oratione hac. Tandem ex hoc amore ea ſuauitas generatur,quam nec experti declarare valent. Non exterior eſt, & quaſi in ſuperficie poſita,ſed in intimo incipiens, & omnes ſenſus & vires dulcedine replens, in ipſo centro animæ conſtituta. Hæc (authore Richardo) comparatione gloriæ cœleſtis hauſtus dicitur; at comparatione omnis delectationis huius ſæculi, vt ex-

Iob 36. 16. *Greg. 26. moral. c. 24.* *Deuter. 33. 12.* *Richard. Beniam. minor, c. 85.* *Sap. 8. 16.* *In hoc gradu anima poſt labores ſabbatizat.* *Diadoch. c. 95.* *Dion. de fonte lucis, artic. 17.* *Cant. 8. 6.* *Hæc quies omnes virtutes ſolicitat.* *2. Reg. 7. 27.*

Richard. Beniam. minor, c. 37.

ceſſus pateat,ebrietas nominatur. Hanc, inquit,internæ dulcedinis deguſtationem Scriptura ſacra nunc guſtum, nunc ebrietatem vocat; vt quàm ſit parua, vel magna oſtendat: parua quidem ad comparationem futuræ plenitudinis, magna autẽ in comparatione cuiuſlibet mundanę iucunditatis. Præſens etenim ſpiritualium virorum delectatio futuræ vitæ gaudiis comparata, quantumlibet excreſcens, inuenitur parua: in cuius comparatione tamen omnis exteriorum delectationum ſuauitas eſt nulla.O dulcedo miranda,dulcedo tam magna, dulcedo tam parua! Quomodo non magna quæ mundanam omnem excedis? Quomodo non parua, quæ de illa plenitudine vix ſtillam modicam decerpis? Modicum quidem de tanto fœlicitatis pelago mentibus inſtillas, mentem tamen quam infundis plenè inebrias. Meritò tantillum de tanto,guſtus quidem dicitur:meritò nihilominus,quę mentem à ſeipſa alienat, ebrietas nominatur. Guſtus ergo eſt, & ebrietas iure dici poteſt. Guſtate, inquit Propheta,& videte quoniam ſuauis eſt Dominus,& Apoſtolus Petrus:Si tamẽ guſtaſtis,quoniam dulcis eſt Dominus.& de ebrietate idẽ Propheta:Viſitaſti terram, & inebriaſti eam.] Sic ille. Gaude, ô anima,quæ talia recipis,quæ tam iucunda & pretioſa experiris: ſed gaude cum timore,& exulta cum tremore, vt accepta cuſtodias, & maiora deinceps obtineas.

Quintus gradus contemplationis:Vnio.

CAPVT V.

Quies, vnio quaſi imperfecta, ſolet in vnionẽ perfectam tranſire.

VIES hæc animæ,quæ aliquam (vt diximus) vnionem cum Deo præſupponit, ſolet in perfectam vnionem tranſire, quam nunc intendimus explicare. Vnio (vt ipſum nomen ſonat) nihil aliud eſt,quàm id,quo ex duobus,vel pluribus vnum fit.Quare inquirendum eſt quomodo ex Deo & anima quid vnum contemplatione fiat, & vnio hæc manebit explicata. Vnio hæc animæ cum Deo non fit in ſubſtantia, quaſi ſignificet quòd Deus ſit intimè præſens animæ, aut quòd anima ſuum proprium eſſe amittat,& cõuertatur in Deum.Primum enim horum commune eſt omnibus rebus, quæ habent in ſe præſentem Deum, & ſi loqueremur de eſſe per gratiam,omnes iuſti per eam ſunt Deo vniti,& per virtutem charitatis: nam, qui manet in charitate,in Deo manet,& Deus in eo. Et pro omnibus poſtulauit Dominus:vt omnes vnum ſint: ſicut tu Pater in me,& ego in te; vt & ipſi in nobis vnum ſint.Neque etiam ad hanc vnionem ſufficiunt gratia & charitas perfecta:quoniam multi ſunt in Eccleſia viri perfecti, qui charitatem perfectam habent, quibus nec donum contemplationis,nec donum vnionis huius datum eſt. Secundum verò eſt impoſſibile, de quo multa apud Gerſonem, quoniam cùm Deus ſit immutabilis, nihil poteſt in eius ſimpliciſſimam naturam conuerti, nec ipſe cum alio in compoſitionem alicuius. Relinquitur ergo hanc vnionem in viribus animæ celebrari,nimirũ in intellectu & affectu, & in his actibus prædictarum virium, perfici,in quibus contemplationem conſtitutam eſſe didicimus.

Vnio, de qua hic agitur, non fit in ſubſtantia, vt anima ſuum eſſe amittat, & conuertatur in Deũ. 1. Ioan. 4. 4. Ioan. 17. 21.

Gerſ. de myſtica Theolog. ſpec. conſider. 42. & in ep. cõt. Ruſbrochiii.

Vnio hæc eſt donũ, quo Deus in intimo

Eſt ergo vnio (prout ad contemplationem pertinet) illud pretioſum donum, quo Deus in ipſo fundo, atque intimo animæ clariſſima luce ſe illi præſentem, & eam intuentem, ac tenerrimè diligentem oſtendit.Quo memoria ipſius animæ huic Deo ſic ſibi manifeſtato tenaciſſimè adhæret, ita vt (vnione durante) ab eo auelli ſeparariſque non poſſit: intellectus eum clariſſima luce ſapientiæ inſpicit, & vt quoddam totum, in quo eſt omne bonum, vel ſecundùm aliquam, vel aliquas perfectiones intelligit, ita vt ab eo in aliquid aliud diuerti nequeat: voluntas ardentiſſimo amore conſtringit, qui inſtar ignis erumpens omnia videtur abſumere, ita vt anima iam in ſe non viuat, neque actionibus naturalibus intendat, ſed in eum dulciſſimum ſponſum toto affectu tranſeat, à quo arctiſſimo apprehenſa eſt complexu. In hoc gradu vires iſtæ quaſi in altum maris diuinitatis prouehuntur, vel Deo immerſæ ad ſummam quamdam lucem & ardorem eleuantur.In eo anima non tam agit,quàm recipit; non progreditur,ſed abripitur, & non expectato conſenſu eius (& tamen conſentit) in thalamum incredibilis ſuauitatis ducitur. In eo non tam inſpicit,& amat,quàm ipſum intuitum ſplendidiſſimum, & amorem ardentiſſimum Dei intra ſemetipſam reperit, non aliter quàm ſi quis cibum non mandens,nec potũ glutiens, ipſos in ſtomacho manſos,& optimè diſpoſitos ſentiret, quibus abſque minimo etiam labore manducandi & bibendi,ſemetipſum roboraret. In eo anima cõgregat,vbi non ſparſit,& metit vbi non ſeminauit, quia ad hoc maximum bonum, quod ſentit, nulla humana præparatur induſtria. In eo ipſa nequaquam per incilia viridarij ſui aquã ducit, ſed pluuia largiſſima deſuper influit, quæ illam infundit, & inebriat, & germinare facit, & roſis & floribus ſanctiſſimorum affectuum,& fructibus actuum omnis virtutis implet. In eo anima quidem ſuum eſſe non amittit,ſed aliud eſſe recipit,quod naturale eſſe prorſus abſorbet. Nam ſicut pomum ſaccharo,aut melle conditum, quoad naturam ipſum quidem eſt, ſed quoad guſtum, & alimentum, & vſum ipſum non eſt, quia igne & ſaccharo eſt in aliam cõditionem mutatum:ita anima igne diuini amoris excocta, & admiranda ſuauitate condita, naturam quidem retinuit, ſed minimas etiam diſtractiones depoſuit, & quid cœleſte ac diuinum apparet. Fœlicitérque fit in ea quod in corpore numquã impletur. Ingemiſcimus grauati,eo quòd nolumus expoliari,ſed ſuperueſtiri,vt abſorbeatur quod mortale eſt,à vita.] Id (inquam) ſecundùm deſiderium naturæ implendum non eſt, vt ſcilicet corpus priuſquam ab anima ſeparetur immortalitate veſtiatur. Quia qui efficit nos in hoc ipſum vt ingemiſcamus, & immortalitatẽ deſideremus, Deus eſt,qui dedit nobis pignus ſpiritus ſui,qui eſt nobis tamquam pignus,quòd ſumus immortalitate veſtiendi, ſed priùs vita mortali priuandi. At in hac beata vnione anima non ſpoliatur, ſed ſuperueſtitur. Non enim naturam propriam, aut libertatem amittit,ſed ſupra illam nouo ſplendore gratiæ veſtitur,& clariſſima luce, & ardẽtiſſimo amore, & dulciſſima ſuauitate coronatur, & ei, quem deſiderabat,arctiſſimo amplexu coniungitur.

anima clariſſimè ſe illi præſentem oſtendit.

In hoc gradu intellectus, & volũtas quaſi in altum diuinitatis prouehũtur.

2. Cor. 5. 4.

In hoc contemplationis gradu ſe inueniebat ſponſa,cùm dicebat: Læua eius ſub capite meo, & dextera illius amplexabitur me.] Semel & iterum de hoc dono gloriatur ſponſa,& toties poſt ardentiſſima de aduentu ſponſi deſideria.Primo loco dixerat: Fulcite me floribus, ſtipate me malis, quia amore langueo.] Secundo verò: Quis mihi det te fratrem meum ſugentem vbera matris meæ.] Quia videlicet priùs ſolent alta ſuſpiria, & ardentia de-

Cant. 2. 6. & cap. 8. 3. Cãt. 2. 5. Cãt. 8. 1. Donũ huius vnionis ſuſpiria, & ardẽtia deſideria præcedũt.

ſideria

fideria præcedere, & postea donum beatæ huius vnionis aduenire. Desiderabatur & interpellabatur sponsus, & quia benignus est votis respondet, & desideranti ac vocanti suam amabilem præsentiam exhibet. Liquet denuo adesse sponsum, inquit Bernardus, credo vt sua præsentia languentem erigat. Quomodo enim non in præsentia eius conualesceret, quem absentia consternarat? Ergo nō sustinet dilectæ molestiam, adest, neque enim moram facere potest tantis desideriis euocatus, & quia illam compererat, donec absens fuit, fidelem ad opera, & solicitam ad lucra, in eo nimirum quòd flores sibi & fructus præceperat adunari, etiam cum propensiori hac vice remuneratione gratiæ est reuersus. Denique vno brachiorum suorum sustentat caput iacentis alterum ad amplexandum parans, vt sinu foueat.] Quid autem est læuam capiti supponere, & dextera amplexari, nisi animam sibi copulare, & vnire? In hac enim vnione duo sunt: alterum præcipuum, nempe amor, quo Deus sponsam suam diligit, & ab ea ardentissimè amari se facit, adeò vt præ amore deficiat, & pæne ad portas cuiusdam beatæ mortis accedat: alterum minus præcipuum, nimirum interna suauitas; quæ vires omnes complet, & omnem attentionem, omne desiderium absorbet. Dextera est amor, læua delectatio: longitudo enim dierum in dextera eius, & in sinistra illius diuitiæ & gloria. Nam quæ, rogo, est longitudo dierum, siue vita animæ prærogata, nisi amor, quo Deo viuit? & quæ diuitiæ, & gloria, nisi internæ delitiæ, pro quibus mundi delitias honoresque contemnit? Quando autem Deus animā amplectitur, ipsa vicissim Deum vt sponsum amplexatur. Propter illum relinquit patrem, & matrem exuendo conditiones veteris Adæ, & deponendo affectus minus ordinatæ concupiscentiæ, & adhæret illi tamquam sponso suo, & fiunt vnum in spiritu vno.

Bernard. serm. 51. in Cant.

Prou. 3. 16.

Gerſ. Th. myſt. ſpec. conſider. 41. 42. 43.

Hæc vnio (vt Gerson putat) non est aliud quàm mystica, seu recondita Theologia, multisque similitudinibus ipse, & Henricus Herpius explicant, quid ex vnione animæ accedat. Quæ similitudines si aliquantulum leniantur, non parum lucis huic gradui contemplationis importabunt. In hac ergo vnione anima vnitur Deo sicut surculus vnius arboris inseritur alteri, à quo & nutrimentum accipit, & non fructum, quem solus ferret, sed fructum valde similem fructui illius arboris, cui insertus est, profert. Sic anima sentit se à Deo suscipi, & ab illo gratiæ auxilia, & amorem perfectissimum accipere, quibus illi in vitæ puritate valde similis reddatur. Hic intelligit quid illud sit: Ego sum vitis, vos palmites; & quid est: Qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum multum. Deinde anima vnitur Deo, sicut gutta aquæ infusa dolio vini, & in hoc est similitudo: quòd aqua illa amittit propriam naturam, & conuertitur in vinum, & fit cum eo vnum in colore, odore & sapore, & omni qualitate. Sed anima cadens (vt ita dicam) in magnitudinem Dei, quasi in immensitatem maris, non amittit propriam naturā, sed ea retenta, vires eius deificantur, seu in splendore, in ardore, in puritate, in omnium defectuum & cœcitatum & tepiditatum depulsione Deo similes efficiuntur. Præterea ex Deo & anima vnum fit sicut ex igne & ferro. Ferrum namque in fornacem coniectum ignem imbibit, sed ferrum esse non desinit. Erat nigrum, & ex igne candescit: erat obscurum, & ex igne lucescit: erat frigidum, & ex igne calescit: erat impotens ad vrendum, & ex igne fit potens vt proxima

Herp. in direct. de præparat. vit. contemplat. ſpiritual. Hæc vnio eſt myſtica, ſeu recondita Theologia.

Ioan. 15. 5.

A

sibi comburat. Ita anima in suo esse manens ex eo quòd ab eo Domino sanctissimo sibi adiungitur, qui ignis consumens est, quasi ignescit, & eius lucem, pulchritudinem, feruorem, & efficacitatem induit. Verè ad similitudinem vocis Domini, ignitum eloquium eius vehementer, vt audientes de Deo loquentē succendat, & à miseriis sæculi blandientis abducat. Ad hæc, est sicut oppositio duorum speculorum. Si namque duo specula contra se inuicem opponas, vnum recipit imaginem alterius, & ab illo vicissim recipitur. Ad hunc modum quando fit in hac vnione inter Deum & animam illud Canticorum: Dilectus meus mihi, & ego illi. Item & illud: Ego dilecto meo, & ad me conuersio eius, & quando hæc duo specula maiestatis diuinæ, & mentis humanæ, contra se inuicem ponuntur, hæc recipit claritatem & calorem illius, adeò vt in intellectu & affectu imago illius pulcherrima videatur. Concludit ergo Gerson vt hāc vnionem pleniùs patefaciat.] Præmissis igitur his similitudinibus, dicamus consequenter ad eas, quòd amor, sicut calor, naturam habet congregandi, seu vniendi homogenea, sicut etiam separat & diuidit heterogenea. Constat autem quòd spiritualia cum spiritualibus homogeneitatem quamdam, id est, similitudinem seruant adinuicem, & à corporalibus, seu terrestribus sunt dissimilia. Omne igitur quod in homine reperitur spirituale, vel diuinum, segregatur quodammodo per amorem viuificum ab omni eo, quod terrestre est, atque corporeum; sic fit ibi diuisio spiritus & animæ, id est, spiritualitatis & animalitatis, & sensualitatis, & separatur pretiosum à vili, & quia Deus spiritus est, & similitudo est, caussa vnionis, perspicuum est cur spiritus sic depuratus & defœcatus vnitur spiritui diuino, quia videlicet similis efficitur cum Deo. Addamus tamē alteram huius vnionis caussam etiam quoad ea, quæ corpus ipsum respiciunt: spiritus itaque sic assimilatus Deo, sic qualificatus & affectus per amorem, qualificat & afficit consequenter corpus proprium tamquam suum formabile, seu materiale, per redundantiam spiritus ad corpus. Quo fit, vt corpus proprium sic habituatum, & affectum induat, & gerat quasdā proprietates ipsius spiritus, propriis, vel derelictis, vel multum ab actione suspensis.

B

C

D

Cant. 2. 16. Cant. 7. 10.

Gerſ. ſup. cōſid. 41.

Ad intelligendum etiam quid anima in hac fœlici vnione experiatur, valde conferent, quæ Dionysius Richelius quodam loco scripsit. Sic ille ait: Quumque hanc lucem omnipotens menti ostenderit, mox mole magnitudinis suæ, actualitate, & excellentia maiestatis, perfectionis, ac luciditatis suæ immensæ, mentem in momento, in ictu oculi, in puncto sic dulciter, non violenter vincit, & opprimit, vt ipsa defluat, atque deficiat à seipsa, & victa amore, ac stupens præ admiratione eius, quam contemplatur, maiestatis, ac claritatis immēsæ, præ Deitatis, quam cernit, delicioſissima serenitate, nesciat de seipsa. Siquidem repentè tam validè illustratur, ac inflammatur, vt prorsus succumbens, vires & sensus corporales amittat. Tunc mens in increatæ lucis secretum inducta, in infinitæ lucis abysso demergitur, in æternæ fœlicitatis oceano rapta deperditur, in amoris igne immensi reuoluta comburitur, atque in superuastissimæ ac superplanissimæ solitudinis impertransibilia & immensa amplitudine securissimè errat, fœliciter deuiat, perdens seipsam, nesciens vbi, vel quando. Verùm in hac intuitione tranquillissima, ac Cherubica, mens humana, vt plurimum, non diu defigitur, sed

Explicatur quid anima in hac vnione experiatur. Rich. de fonte lucis artic. 16.

E

Deus

Deus lucem,quam paulo antè infudit,retrahit, & abſcondit in manibus,atque poſt modicum denuo præcipit ei,vt menti aduenié oriatur,maiori nonnumquã cum claritate quàm antè.Qua luce menti fulgente, mens iterum intus ſplendeſcit, igneſcit, alteratur, miratur, opprimitur, deficit. Túncque Deus amœnitatis immenſæ annunciat de ea (hoc eſt,de luce iſta, quam paulo antè abſcondit in manibus) electo ac dilecto (feruido ſcilicet amatori) quòd poſſeſſio eius ſit:eo quòd ipſe cuncta carnalia & caduca aſpernans,nihil præter Deum,& extra eum concupiuit: ideóque, Deo ſuffragante, ad eam poſſit aſcendere,ita vt in ea creſcens quottidie tandem luci fontali ſuauiſſimo Deo beatificè ſtet intentus, fruatur vnitus,amoroſè æternalitérque immerſus. Denique quoniam iſta tam ſupernaturalis eleuatio mentis, tam admiranda & alta cõtemplatio,nobilitatio, ac deificatio eius ſignum ac opus eſt infinitæ dignationis, ac magnæ dilectionis Dei ad eam, idcirco poſt verba præallegata protinus ſubditur:Super hoc expauit cor meum,& emotum eſt de loco ſuo. Etenim in hac profundiſſima contemplatione gratia Dei præueniens ac pertranſiens, ſenſum perſtringit amantis,& eripit eum illi, infigítque ſibi.] Ac rurſus alio loco: O anima inclita, & electa, tam plenè ad creatorem tuum conuerſa,concupiſcit Rex decorem tuum,& dicit tibi:Oſtende mihi faciem tuã, ſonet vox tua in auribus meis, & erunt deliciæ eius eſſe tecum, ac demorari in medio cordis tui. Tunc certè videbis,& afflues,& mirabitur cor tuum ex tanta dilectione, ac dignatione Dei tui ad te, & dilatabitur in amore ipſius cum gaudio,fœlicitérque guſtabis, quàm magna ſit multitudo dulcedinis eius, quàm proficit & oſtendit ſperantibus in ſe,quos abſcondit in abſcondito vultus ſui à conturbatione hominum,qui renuunt forinſecus conſolari,quietem ſolitudinémque optantes, quorum mentes Deus gloriæ ſuperdulciſſimus ac munificẽtiſſimus ſponſus ineffabiliter adimplebit,conſolabitur,tranquillabit,radioſè perfundet, vehemẽter accendet, dulciter vnget,ſtabiliter poſſidebit, immo nonnumquam etiam, & fortè crebriùs amoroſè ac miſericordiſſimè prorſus præueniet ſpiritum noſtrum,& flatum ad ſe trahens,improuiſéque erigens,& abſque noſtro conatu inopinatè tollens, immutans, ſuccendens & abſorbens: implebitúrque in nobis quod in Deuteronomio ſcriptum eſt:Amãtiſſimus Domini habitabit confidenter in eo,&c.] Hæc & alia ſcribuntur de deliciis animæ iam Deo per hãc perfectam contemplationem vnitæ, quæ, qui non accepimus, legimus quidem, ſed plenè intelligere non poſſumus.

Idem c. 18.

Effectus vnionis, etſi altiori gradu, iidem cum ſupra relatis in quiete. Rich. ad Pſal. 2.

Effectus vnionis iidem ſunt omnino licèt in altiori gradu,cum his,quos in quiete retulimus. In ea anima tanta dulcedine & delectatione repletur, vt vix abſque ruptione corporis eam ſuſtinere videatur.Cùm enim cœleſtis ſponſus,ait Richardus, ſponſæ ſuæ charitatis amplexibus coniungitur, & ad eius oſculum inclinatur; ad eius attactum ſubitò cœleſti quadam dulcedine animus perfunditur,quam quidem ſentire poteſt, ſed nulla ſermonis latitudine explicare poteſt. Ille enim diuinorũ labiorum,fauus diſtillans, fixis ſponſæ labiis fortiter expreſſus incipit diſtillare dulcedinem,& emanare ſuauitatem.] Pars inferior animæ remanet blandiſſima,& mira teneritudine repleta, qua tota in dulces lacrymas reſoluitur, & deſideriis rerum cœleſtium vrgetur. Repletur etiam tunc anima indicibili pace,quam nullus cuẽtus turbat,& sereni-

A tate, quam nihil aduerſum obnubilat. Roboratur ad aduerſa & difficilia, ita vt nihil animam ab eo poſſit auertere,quod Deo gratum eſſe conceperit. Zelo & deſiderio ſalutis animarum accenditur, ad quarum profectum táto promtiùs & liberiùs exit, quanto perfectiùs amorem filialem & cor ſponſæ fidelis habet. Profundiſſima humilitate perficitur, & licèt maiora ſint bona, & robuſtiores virtutes, quibus ſe ornatam agnoſcit,quia euidentiſſimè videt ea omnia aliena eſſe, nullo modo per aliquam inanem gloriam inflatur. Tandem hîc excitantur in anima deſideria carnem deſerendi, & tantum abeſt vt mortem timeat,quòd ſola ſpes temporalis mortis, qua ad veram vitam, & perfectã vnionem itur,ſibi vtcumque ſatisfaciat. De quo hæc occur-

B rent in Baſilio:Ea (ſcilicet Domini pulchritudo) ſi quando ſanctorum virorum quempiam circumfulſit, intolerabilem eorum in animis defixum deſiderij aculeum reliquit,quippe qui cum vehementer eos vitæ huius tæderet in voces illas erumpere ſoliti eſſent: Heu mihi quia incolatus meus prolõgatus eſt. Et:Quando veniam & apparebo ante faciem Dei. Et: Diſſolui & eſſe cum Chriſto longè melius eſt. Et: Sitiuit anima mea ad Deum fortem viuum. Et: Nunc dimittis ſeruum tuum Domine. Vehementer enim vitã hanc veluti tetrum quemdam carcerem abhorrebant, vſque adeò difficiles ad cohibendum animis erant ij, quorum mentes Dei amor perſtrinxerat. Cùm enim inexplebili intuendæ diuinæ pulchritudinis cupiditate flagra-

C rent,illud exoptabant vt æquata infinito ſempiternæ vitæ curriculo, ſibi iucunditatis Domini contemplandæ facultas præberetur. Et ad idem Diadochus: Narrauit mihi, ait, quidam ex iis,qui voluntate quadam inſatiabili Dominum diligunt, quemadmodum cùm teneretur deſiderio charitatem Dei planè & perſpicuè cognoſcendi, hoc ille ſummè bonus in multo ſenſu & plenitudine largitus eſſet,ſéque eatenus eiuſmodi operationẽ ſenſiſſe aiebat, vt anima cùm inexplicabili tunc lætitia & charitate deſideraret ex corpore excedere,& ad Dominũ proficiſci, ac genus vitæ huius caducæ veluti ignorare.] Hæc ille. Nec mirum eſt quòd mori deſideret ille homo,quem à deſideriis rerum

D huius ſæculi Deus diſſoluit,cui hauſtum immortalitatis dedit,quémque ad nonnullam experientiam illius æternæ fœlicitatis admiſit.

Baſ. regulis fuſiùs diſp. interrog. 1.

Diad. de perfect. ſpiritual. c. 91.

Sextus gradus contemplationis: Auditio loquelæ Dei.

CAPVT VI.

Anima in quouis contemplationis gradu Deũ ſibi ſpecialiter loquẽtem audit.

ANIMA in vnione,immo & in aliis gradibus tum inferioribus, tum ſuperioribus contemplationis Deum ſibi in ſpeciali loquentem ſolet audire; quæ lo-

E quutio magnam illi vtilitatem affert, & quia nouum & eximium donum eſt,diſtinctum etiam gradum contemplationis conſtituit. Deum ſuis multoties ſingulariter loqui ex Scripturis ſanctis, atque ex Patribus ſatis manifeſtè colligitur. Nam & Heli docuit Samuelem necdum ſcientem Dominum, vt audiret vocem eius, & diceret: Loquere Domine, quia audit ſeruus tuus.] Et Sophar apud Iob: Vtinam Deus loqueretur tecum, & aperiret labia ſua tibi,vt oſtenderet tibi ſecreta ſapientiæ.] Et Dauid:Ad te Domine clamabo, Deus meus ne

1. Reg. 3. 9.

Iob 11. 5.

Pſal. 27. 1.

sileas à me : ne quando taceas à me,& assimilabor descendentibus in lacum.] Ne quæso, inquit, verbum tuum contineas,quo soles me ceu filium erudire , quia si hunc fauorem mihi pretiosissimum deneges, possum certè inter mortuos reputari. Et sic sunt multa alia sine numero.Sed videndum est, quibúsnam modis Deus nobis loquatur , vt eum, qui ad hunc gradum contemplationis pertinet,exponamus.

Deus nobis loquitur per Scripturam. Marc.13. 37. Iob 33. 14. Greg. 23. mor.c.11.

Loquitur nobis Deus per Scripturam suam , in qua quod quibusdam dicit , omnibus dictum esse intendit.Vnde & ipse author veritatis dixit:Quod autem vobis dico , omnibus dico, vigilate.] Et in hoc sensu intelligit Gregorius illud Iob:Semel loquitur Deus,& secundò idipsum nó repetit. Deus, inquit, singulorum cordibus priuatis vocibus non respondet, sed tale eloquium constituit , per quod cunctorum quæstionibus satisfacit. In Scripturæ quippe eius eloquio causas nostras singuli si requirimus inuenimus : nec opus est vt in eo quod specialiter quisque tolerat , responderi sibi diuina voce specialiter quęrat.Ibi enim nobis omnibus in eo quod specialiter patimur, communiter respondetur:ibi vita præcedẽtium fit forma sequentium. Et postea multis id quod dixit exemplis Scripturæ confirmat.

2.Per prædicatores & prælatos. Luc. 10. 16. Bern. in natiuit. S.Ioannis Baptistæ. Isaiæ 58.

Secundò loquitur nobis Deus per voces Prædicatorum, & Prælatorum Ecclesiæ , hoc sonant illa verba : Qui vos audit, me audit.] De quo Bernardus. Sed fortè quis dicat : Vbi est modò Christus? Ostende nobis Christum , & sufficit nobis. Quid curiosos circumducitis oculos ? Num ad videndũ, & non magis ad audiendum conuenitis? Dominus Deus aperuit mihi aurem,ait Propheta,aurem meã aperuit vt audiam quid loquatur : non oculum (vt videam vultum eius) illuminauit. Aut certè suam mihi aperuit aurem,non faciem reuelauit. Post parietem stat,audit & auditur : sed necdum apparet. Audit orantes,erudit audientes.An experimentum eius quæritis,qui in me loquitur,Christus?Ego,inquit, qui loquor iustitiam. Quídni loquatur ore, quod ipse plasmauit ? Quídni suo vtatur , vt libet, artifex instrumento ? Non tantùm aures eorũ, sed & labia mea aperi Domine : Ego enim labia mea non prohibebo , Domine tu scisti. Bene enim omnia facis,& surdos facis audire,& mutos loqui.

3.Per beneficia & per flagella. Osea 2. 14. Iob 38.1. Gregor.

Tertiò loquitur nobis Deus per beneficia & per flagella:& per beneficia quasi per verba lenia amorem:per flagella verò vt per verba aspera timorem suadet. Loquebatur quidem per beneficia plebi suæ,cùm per Oseam ait : Ducam eam in solitudinem, & loquar ad eor eius.] Loquebatur per flagella sancto Iob.Et ideo legimus:Respondens Dominus Iob de turbine dixit:Quis est iste inuoluens sententias sermonibus imperitis?] Vbi Gregorius: Aliter enim Dominus seruis suis loquitur,cùm eos intrinsecus per compunctionem prouehit , aliter cùm per districtionem,ne extollantur, premit. Per blandam enim locutionem Domini amanda dulcedo eius ostenditur , per terribilem verò potestas eius metuenda monstratur.In illa persuadetur animæ vt proficiat,in ista reprimitur quæ proficit. In illa discit quod appetat,in ista quod metuat.Per illam dicit:Gaude, & lætare,filia Sion, quia ecce venio , & habitabo in medio tui. Per istam dicitur: Dominus in tempestate veniet, & in turbine vox eius. Blandus quippe est , qui vt in medio inhabitet venit. Cùm verò se per tempestatem & turbinem insinuat , nimirum quæ tangit corda perturbat , atque ad edomandam elationem se exerit , quando potens & terribilis innotescit.

4.Per internã inspirationem. Bernard. serm. de septem spiritib.

Quartò nobis loquitur Deus per internam inspirationem , qua nos animaduertimus ad aliquid faciendum vel non faciendum incitari. Ac de hoc loquutionis modo multa variis locis à nobis dicta sunt,quare ab eo supersedendum est. Solùm addamus ex Bernardo magnum malum esse has Dei voces non audire,ac eis per obedientiam non acquiescere. Quantæ, inquit, temeritatis , immo quantæ insaniæ est si fortè cùm alloquitur nos Dominus maiestatis, nos insensati auertamus aurem , & ad nescio quas ineptias conuertamus?Quanta est hæc iniuria,& quàm grauiter vindicãda,cùm vilissimus vermis clamantem ad se audire dedignatur creatorem vniuersitatis ? Quanta verò & quàm ineffabilis diuinæ dignatio bonitatis,quæ quottidie cõspicit nos infœlices,auertentes aures, obdurantes corda,& nihilominus clamat ad nos,& iugiter clamitat in plateis ? Verè in plateis,quia in latitudine charitatis. Ecce enim bonorum meorum non eges Domine,& tamen dicis:Conuertimini filij hominum. Et iterum clamitas:Reuertere,reuertere Sunamitis,reuertere,reuertere,vt intueamur te. Propterea obsecro vos, dilectissimi, qui reminiscimini Domini , ne taceatis , & ne detis silentium ei : audientes iugiter quid loquatur in vobis Dominus Deus,quoniam loquetur pacem.

5. Quãdo ad animæ postulata respondet. Bonau. de processu relig.c.19.

Quintò loquitur Deus quando ad animæ petitiones respondet immittendo exauditionis fiduciam,vel eam subtrahendo,quo docet nos aut impetrasse quod postulauimus , aut non impetrasse. Certè Bonauentura appositis aliis loquutionis diuinæ modis, de quibus postea, sic ait : Est & alius modus reuelationis per Spiritum sanctũ , cùm homo ex Dei inspiratione orat,Deũ pro alia speciali causa, vel propria, vel aliena , & per affectum deuotionis,& fiduciã exauditionis intelligit se exauditum in hac petitione. Sed licèt confidat quòd illud, pro quo orauit,habiturum sit prosperum successum,nescit tamen sæpe qua via habebit processum. E conuerso cùm non sentit sibi infundi fiduciam exauditionis, hinc colligit nõ habiturũ effectum suæ petitionis , licèt non sit in hoc omnino certus, quia nescit an hoc sit defectus deuotionis, vel indiciũ negatæ petitionis. Hoc autẽ reuelationis genus est specialiter deuotæ mentis familiare.

6. Deus loquitur per seipsum,vel per subiectam creaturam. Et hæc locutio est sextus contemplationis gradus. Heb.1.1. Exod.33. 10. Deus vel loquitur vocibus exterioribus , quæ auribus corporis percipiãtur. Matth.3. 17. Matth. 17.5. Ioan. 12. 28.

Harum Dei locutionum mentio facta est, vt ad eam veniamus, quæ est propria huius loci ,& gradum facit cõtemplationis. Ea autem est,qua Deus per seipsum , vel per subiectam creaturam verba quædam potentia format in animo contemplantis, vt eum specialiter de aliquo ad salutẽ vel profectum ipsius aut aliorum erudiat , & ad magnam reuerentiam & obedientiam, & alios sanctos affectus impellat. Sic loquutus est Deus (vt ait Paulus) sæpissimè cum Prophetis : & præcipuè cum Moyse, de quo dicit Scriptura:Loquebatur Dominus ad Moysem facie ad faciem , sicut solet loqui homo ad amicũ suum.] Hæc loquutio triplex est. Altera vocibus .exterioribus formata, quam aures corporis audiunt,& per eam intellectus audientis illustratur, & affectus accenditur. Talis fuit vox, quæ in Baptismo Saluatoris insonuit:Hic est filius meus dilectus,in quo mihi complacui.] Et alia similis, quæ in transfiguratione discipulos ad illud mysterium admissos docuit:Hic est filius meus dilectus,in quo mhi bene complacui ; ipsum audite.] Item & illa,qua ad petitionem Domini:Pater clarifica nomen tuum,responsum est omni turba audiente:Et clarificaui,& iterum clarificabo.] Atque

etiam

Luc. 1. 28. etiam illa Angeli ad Virginem: Aue gratia plena, Dominus tecum:benedicta tu in mulieribus.] Ac tandem illa multorum Angelorum in corporibus visibilibus ex aëre formatis, in natiuitate Domini pastoribus apparentium atque dicentium: Gloria in altissimis Deo,& in terra pax hominibus bonæ voluntatis.] Voces hæ ad cõsolationem iustorum formantur in aëre Angelorũ ministerio, & videntur exire à corporibus aëreis, quæ Angeli ad repræsentandum seipsos, vel alios Sanctos formant, vel à sanctis imaginibus, vel ab Eucharistiæ sacramento,vel ab aliis creaturis, per quas Deus nos docet. Nam & aliquando aperuit Dominus ministerio Angeli os asinæ,cui Balaam insidebat,& loquuta est:Quid feci tibi,cur percutis me,ecce iam tertiò.] Hac ergo loquela Deus animam erudit, & auditio eius, quæ est attentio quædam animæ, & actio intellectus eius ad se dicta percipientis contemplatio est,seu simplex quædam cognitio veritatis ostensæ.

Luc. 2. 14.

Num. 22. 28.

Vel interioribus, vt tantùm imaginatione concipiãtur.

Altera Dei loquutio non aure corporis auditur, sed imaginatione concipitur, dum Dominus per seipsum, vel per aliquem Angelum format in imaginatione hominis ea verba,eásque sentẽtias, quas vult ab ipso intelligi, quibúsque oportet eum de rebus vtilibus edoceri. Quod enim homo facit verbis prolatis ad alterum,vt sensum eius interiorem moueat, vt ea scilicet verba,& eorum significationem concipiat:potest Deus facere,& similiter Angelus sine verbis,quæ ipse proferat,solùm similitudines verborum disponendo, quæ sunt in imaginatione hominis,ad quem loquitur,vel alias nouas imprimendo,& sic quod intendit manifestando. Id autem fit multis modis. Nam aliquando verba distinctè & clarè interiùs audiuntur, non minus quàm si corporeis auribus perciperentur, quæ autem persona loquatur minimè homini audienti panditur. Vnde Cyprianus: Dicuntur tibi quædam verba arcana intrinsecus,quæ efferre non sufficis,vt dubitare non possis,quia iuxta te est,immo intra te,qui te solicitat:nec tamen sicuti est,se tibi videndum concedat.] Aliquando persona loquens vt Christus,vel beata Virgo,vel aliquis sanctus, seipsam manifestat, dum figura eius per aliquem Angelum imaginationi imprimitur, ita vt audiens,à quo audiat nullo modo possit dubitare. Et quidem hæc manifestatio non fit semper eodem modo,sed variis rationibus secundùm aliquam dispositionem loquentis, quam in vno, vel in alio tempore habuit. Vt si se ostendat Dominus vel vt infans in præsepio, vel vt patiens in cruce. Aliquando tandẽ is qui loquitur & seipsum loquentem manifestat, est purus spiritus,vt Deus vel Angelus, vel anima sancta. Purus autem hic spiritus formam corpoream imaginationi imprimens,& quasi illa se vestiens suas mirabiles perfectiones pandit,vt verbis à se dictis maiorem credulitatem conciliet. Sed hæc verba licèt à Deo, vel Angelo in ipsa hominis orantis,vel contemplantis imaginatione formentur, tamen ita disponuntur vt interdum videantur è cœlo descendere, interdum iuxta audientem, vel à longè proferri; interdum ex ipso penetrali cordis assurgere. Cognoscuntur autem esse diuina,aut Angelica,& non propria hominis industria elaborata, in hoc quod non est in audientis potestate ea verba respuere, aut non audire, aut ab illis diuerti, & alia cogitare. In hoc etiam quòd breui morula plura illi manifestantur quàm ipse posset longo tẽpore imaginatione componere. In hoc demum quòd mirabiles effectus in anima generãt,quos statim attingemus. Audit autem anima hæc verba aliquando quidẽ in somnis, quando est curis exterioribus,& sensuum externorum operatione soluta. Vnde ait Dominus ad Aaron, & Mariam sororem eius: Si quis fuerit inter vos Propheta Domini, in visione apparebo ei, vel per somnium loquar ad illum.] Et Iob: Per somnium in visione nocturna, quando irruit sopor super homines,& dormiunt in lectulo: tunc aperit aures virorum,& erudiens eos instruit disciplina.] Et Angelus dixit in somnis:Ioseph fili Dauid, noli timere accipere Mariã coniugem tuam,quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto est.] Loquitur autem Deus in somnis, vel quia homo aptior est ad audiendum cùm nullis sollicitudinibus distrahatur: vel vt homo non sibi hoc donum tribuat, vel vt aliquod præmium tunc somni modestioris, ac religiosioris accipiat. Aliquando audiuntur verba Dei in vigilia, cùm scilicet homo orationi & diuinæ communicationi se tradit,vt ex hac Dei locutione insueta efficaciùs cognoscat se orantem à Deo semper audiri,& aliis modis communioribus sibi responsionem non negari, vt sic etiam clariùs & manifestiùs erudiatur,& ad id,quod oportet,incitetur. Hoc autem modo audiuit Zacharias Angelum loquentem in se, id est, intra se verba formantem. Et Petrus in ecstasin raptus audiuit illam vocem: Quod Deus purificauit,tu commune ne dixeris.] Et Iob: Auditu auris audiui te: nunc autem oculus meus videt te.] Quo loco Philippus presbyter: Audire Deum,vel videre,qui est inuisibilis, non istorum oculorum vel aurium est, sed mentis & cordis.

Num. 12. 6. *Iob 33. 15.* *Matth. 1. 20.* *Zach. 1. 9.* *Act. 10. 15.* *Iob 42. 5.*

Aliquãdo autem hæc interiora verba audiuntur interius, ac si exterius dicerentur, sed dicẽs non videtur. Cypr. in prologo de operibus cardinalibus Christi.

Tertia loquutio Dei non sonat in aure corporis, nec percipitur imaginatione capitis, sed purè spiritualiter intellectu mentis. Sicut enim Deus loquitur ad Angelos,& ad animas beatas separatas à corpore non aliqua voce sensibili, vel imaginabili, sed imprimendo in ipso intellectu veritatem, ad quam attendens Angelus verè audit, & intelligens videt. Ita loqui solet ad animã contemplantem sine vllo ministerio vocis exterioris, nec interioris cogitationis, per solam impressionem veritatis, quã intellectus ab omnibus sensibus abstractus,& eorum vsu relicto percipit. Hæc autem loquutio propria est Angelorũ,quæ meritò aliquando illis animabus communicatur in hac vita, quæ vitam angelicam in terris instituunt. Quomodo autem fiat non est nostri instituti inuestigare, nec ad concertationes Theologorum descendere. Solùm id dicam rudiorum intellectuum esse in his rebus merè spiritualibus corporum conditiones exquirere. Mihíque verisimilius esse cum D. Thóma Aquinate Angelum posse præsentia sua in alio Angelo inferiori, atque in anima lumen intellectuale confortare, & ad imperium voluntatis per directionem conceptus sui,& quasi per subordinationem eius ad alterum,ipsi quidquid voluerit aperire. Sed vt sic certum est Deum & Angelum ad animam nostram posse purè spiritualiter loqui, háncque locutionem esse perfectissimam, & illusioni minus expositam,ex his quas in contemplatione potest audire. Quando autem Deus sic locutus fuerit in Scripturis, ita vt omnem imaginationem excluserit,& solum intellectum erudierit, non est facile reperire atque explorare. Sed talis videtur locutio facta Paulo,quando audiuit arcana verba,quæ non licet homini loqui. Talis etiam illa facta Dauidi. De qua ipse:Dixit Deus Israël mihi, locutus est fortis Israël. Dominator hominum,iu-

Vel hæc locutio solũ in intellectu percipitur spiritualiter.

D. Th. 1. p. q. 106. art. 1. & q. 111. artic. 1.

2. Cor. 12. 4. *2. Reg. 23. 3.*

Aliquãdo loquẽs manifestatur imaginationi, sui figuram imprimendo. Aliquãdo loquẽs seipsum manifestat, formã corpoream imaginationi imprimẽdo.

stus

ſtus dominator in timore Dei. Sicut lux auroræ, oriente ſole, manè abſque nubibus rutilat.] In ea enim loquutione ſolam ſpiritualem lucem abſque nubibus corporeorum phantaſmatum interceſſiſſe ait. Tales quoque fuerunt multæ aliæ. Et certum eſt hoc genere loquutionis intellectualis Deum in omni ætate Eccleſiæ non ſemel ad ſanctas animas loqui, eáſque de rebus vtilibus, aut de arcanis ſuis erudire.

Hæ locutiones animam humilitate cõplent. 1. 3. Reg. 19. 13.

Multa autem loquutiones iſtæ diuinæ in anima operantur, ex quibus earum veritas vtilitáſque dignoſcitur. Ipſæ enim tantæ ſunt maieſtatis vt animam magna humilitate compleant, profundiſſima reuerentia ſubiiciant, & ſenſus ac cogitationes omnes potentiſſimè ad attendendum colligant. In cuius ſignum Elias ad perceptionem vocis diuinæ, ac ſibili auræ tenuis operuit vultum ſuum pallio, & ſtetit in oſtio ſpeluncæ. Quia nimirum ſe indignum illius vocis auditione cognouit: & ad audiendum quaſi corporis ſui commorationem ab omnibus ſe abſtrahendo, reliquit. Tantæ ſunt poteſtatis vt in anima facillimè quod Deus intendit efficiant, & ad contemnenda aliqua etiam chariſſima, vel ad aggredienda difficilia & dura, & amplectenda amara componant. Et vox illius, ait Ioannes, tamquam vox aquarum multarum;] quia ſicut fluuius rapidus omnia obuiantia abripit, ita vox Dei vniuerſa impedimenta tollit. Et Paulus: Viuus eſt enim ſermo Dei & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti, & pertingens vſque ad diuiſionem animæ & ſpiritus, compagum quoque & medullarum.] Nam quomodo quæſo chariſſima nobis, immo & nos à nobiſmetipſis ſepararet, niſi tantam potentiam haberet. Tantæ ſunt lenitatis & benignitatis, vt ab anima quæ abſcindenda ſunt, ſuauiſſimè ac leniſſimè abſcindant. Et vocem, inquit, quaſi auræ lenis audiui.] Spiritus veniens, inquit Gregorius, & vehemens eſt, & lenis. Lenis, quia notitiam ſuam, quatenus cognoſci vtcumque valet noſtris ſenſibus, temperat. Vehemens, quia quantumlibet hanc temperet, aduentu tamen ſuo infirmitatis noſtræ cæcitatem illuminando perturbat.] Tantæ ſunt ſapientiæ vt compendioſiſſimè animam illuminent, inflamment, & ſanent. Quid eſt id, quod interlucet mihi, ait Auguſtinus, & percutit cor meum ſine læſione, & inhorreſco, & inardeſco. Hæ loquutiones, quia diuinæ ſunt animam exterrent: & quia ſuauiſſimæ terrendo demulcent. Quare ſponſa in Canticis dicit: Anima mea liquefacta eſt, vt ſponſus loquutus eſt. Et quia perfectiſſimæ demulcendo ſanant. Ideo rogat Dauid: Dic animæ meæ: Salus tua ego ſum. Quia videlicet Deus loquendo facit quod loquitur: quare cùm inſtillat animæ quod ipſe ſalus eius eſt, eo ipſo ſalutem operatur. Tantæ ſunt fœcunditatis vt animam rigent, vt fructus omnigenarum virtutum ferant. Hinc eſt illud Richardi: O dulcis confabulatio Dei in anima, quæ ſine linguæ & labiorum formatur ſtrepitu, quæ ſine aure percipitur: ſed ſub ſilentio ſolus, qui loquitur, & cui loquitur, audit illam: à qua omnis alienus excluditur. Sunt autem verba illa quædam cœleſtis fontis irrigua rigantia corda arẽtia, & tædentia præ amoris deſiderio. Quarum dulcis narratio de ciuitate Dei, de pace & copia ciuitatis, de ciuium gloria, & decore lucidiſſimæ manſionis pellens à corde faſtidium, & à corpore fatigationem: nuntians amico quòd poſſeſſio eius ſit, & ad eam poſſit aſcendere: nec aliud petiit, nec paſſus eſt, qui dicebat: Dormitauit anima mea præ tædio, confirma me in verbis meis. Et poſt pauca:

Facillimè in anima, quod Deus intendit, efficiunt. 2. Apoc. 1. 15. Hebr. 4. 12.

Suauiſſimè abſcindenda ab anima abſcindunt. 3. Iob 4. 16. Greg. 1. mor. c. 27. Compendioſiſſimè animam illuminant, inflammãt, ſanant. 4. Aug. cõf. c. 9. Cant. 5. 6. Pſal. 34. 3. Animam rigãt vt fructus virtutũ ferat. 5. Richar. de gradibus char. c. 4.

Et prorſus huic auditui dabitur gaudium & lætitia, nec reuertetur verbum vacuum, ſed faciet ad quod-cumque miſit illud, rigans, & fœcundans penetralia cordis: qui talibus verbis docentur, docibiles Dei ſunt: & vnctio eos docet, quæ ſola omnem veritatem docet ſuaui celeríque magiſterio.] Sic ille.

Hæ locutiones amorem accendũt, quietem afferunt, &c.

Hæ tandem loquutiones Dei, ſi verè illius ſunt, amorem accendũt, quietem & tranquillitatem afferunt, certitudinem eorum quæ dicuntur, inferunt, breuiter multa docent, ſed non breuiter tranſeunt, imò multo tempore à memoria deleri non poſſunt. Hos & alios fructus loquutionũ Dei Bernardus vberrimè in vnum colligit, ſic exponens illud: Beati qui audiunt verbum Dei, & cuſtodiunt illud. Vultis noſſe quàm beati? Primum quidem ſonans in auribus animæ vox diuina conturbat, terret, diiudicátque, ſed continuò, ſi bene aduerteris, viuificat, liquefacit, calefacit, illuminat, mundat. Denique & cibus noſter eſt, & gladius, & medicina, & confirmatio, & requies, reſurrectio quoque, & conſummatio noſtra. Nec mireris quòd verbum Dei iam nunc inueniatur omnia in omnibus eſſe, quantum ſpectat ad iuſtificationem, ſiquidem & futurum eſt omnia in omnibus ad glorificationem. Audiat & illud peccator, & conturbabitur venter eius, à voce illa carnalis anima contremiſcet. Omnia namque cordis ſecreta rimatur atque diiudicat, ſermo viuus & efficax cordium atque cogitationum perſcrutator. Vnde & licèt mortuus in peccato: Si audieris vocem filij Dei, viues. Sermo enim quem loquitur ſpiritus & vita eſt, ſi cor tuum induratum eſt, memento Scripturæ dicentis: Emittet verbum ſuum, & liquefaciet ea. Et item: Anima mea liquefacta eſt, vt dilectus loquutus eſt. Si tepidus es, & euomi iam formidas, non diſcedas ab eloquio Domini, & inflammabit te: quia eloquium eius ignitum valde. Quod ſi tenebras ignorantiæ plangis, diligenter audi quid loquatur in te Dominus Deus, & erit lucerna pedibus tuis verbum Domini, & lumen ſemitis tuis. At fortaſſis tanto ampliùs doles, quanto clariùs peccata etiam minima illuminatus agnoſcis: ſed ſanctificabit te Pater in veritate, quæ eſt vtique ſermo eius, vt inter Apoſtolos audire merearis: Iam vos mundi eſtis propter ſermonem quem loquutus ſum vobis. Iam verò cum laueris manus tuas, ecce parauit in conſpectu tuo menſam, vt non de ſolo pane viuas, ſed ex omni verbo quod procedit de ore Dei, & in fortitudine cibi illius curras viam mandatorum eius. Vbi ſi conſiſtunt aduersùm te caſtra, & prælium tentationis inſurgit, accipe gladium ſpiritus, quod eſt verbum Dei, & in eo facile triumphabis. Quod ſi fortè (vt eſt certaminis conſuetudo) contigerit aliquando vulnerari, mittet verbum ſuum, & ſanabit te, & eripiet te de interitionibus tuis, vt in te quoque impleatur quod ait Centurio, cuius fides tam magnificè commendatur: Domine (inquit) dic tantùm verbo, & ſanabitur puer meus. Sed & ſi titubas adhuc, confitere, & clama: Mei autem pæne moti ſunc pedes, pæne effuſi ſunt greſſus mei, & in verbis ſuis confirmabit te: vt experimento diſcas, quoniam verbo Domini cœli firmati ſunt, & ſpiritu oris eius omnis virtus eorum. In his autem, atque huiuſmodi perſeuera, in talibus iugiter exercere, donec iam dicat ſpiritus vt requieſcas à laboribus tuis. In hoc verbo quieſces dulciter, ac ſuauiter ſoporaberis donec veniat hora, cùm omnes, qui in monumentis ſunt, audient vocem eius, & procedent. Sed quò? Alij quidem in iudicium,

Bern. ſer. de multiplici vtilit. verbi Dei.

Pſal. 147. 18. Cant. 5. 6.

Matth. 8. 8. Pſal. 72. 2.

alij verò in vitam æternam. Et quis ſcit ſi eſt dignus amore, vel odio? Tunc maximè memor eſto verbi tui ſeruo tuo Domine, in quo mihi ſpem dediſti, vt ab auditione mala non timeam, ſed beata magis auditio perducat ad viſionem, cùm dices: Venite benedicti Patris mei.] Hactenus Bernardus. Si autem tantæ támque eximiæ ſunt vtilitates loquutionis Domini, beatus planè quem tu quocumque modo erudieris Domine, & de lege tua docueris eum; ſed multo beatior ad quem his internis & arcanis ſermonibus fueris eloquutus, & cuius animam ſuaui & potenti voce tetigeris, quia ſignum non communis amotis erga illam eſt, tam ſpecialiter & tam amanter tuam illi voluntatem inſtillare. Audiat illa, ô Deus meus, vocem tuam, & obediat iuſſioni tuæ, vt ad plenitudinem beatitudinis adueniat, quæ non audientibus tantùm, ſed obedientibus delata eſt. Atque hæc de hoc contemplationis gradu ſufficiant, ſi ſolùm addamus ſæpe euenire in animabus ad hunc gradum admiſſis, vt proprius earum ſpiritus loquatur in ipſis, & non ſpiritus Dei. Et quia bona ſunt quæ loquitur, putant ſe Deum & non ſpiritum proprium audire; & magnificiunt quod non magnificiendum eſt, & credunt cui non credendum eſt. Poſtea verò ex euentibus, & ipſæ, & qui eas regunt, certiſſimè deprehendunt verba illa non à Deo, neque ab ſpiritu malo, ſed à proprio ſpiritu iam ad omnem virtutem applicato, fuiſſe profecta. Vnde dixit Richardus, quòd ſimilia ſunt verba veritatis noſtris cogitationibus, & nemo tam vigil obſeruator eſt motuum, qui facile diſcernat, quid cor pariat, vel quid audiat. Signum autem ad cognoſcendum quando Dominus non loquatur, ſed ſpiritus noſter, dedit ipſe in Deuteronomio ſic dicens: Quod in nomine Domini Propheta prædixerit, & non euenerit, hoc Dominus non eſt loquutus.] Reliqua ad hoc diſcrimen loquutionis propriæ, & diuinæ cognoſcendum in ſequentem tractatum de diſcretione ſpirituum reiicimus.

Pſal.93. 22.

Signum non communis amoris Dei erga animam eſt tã ſpecialiter illi ſuam voluntatem inſtillare.

Richard. ſupr.

Deut.18. 22.

Septimus gradus contemplationis: Spiritualis ſomnus.

CAPVT VII.

POST loquelam Dei, quæ in quiete & in vnione ſolet audiri, ad ipſam vnionem redeamus, ex qua interdum anima ad quemdam ſomnum ſpiritualem tranſfertur. Hic ſomnus ſicut corporalis ex ebrietate prouenit; non quidem ex ebrietate corporis, ſed ex ebrietate mentis. Inebriabuntur, inquit, ab vbertate domus tuæ: & torrente voluptatis tuæ potabis eos.] Quale vinum eſt (verba ſunt Auguſtini) vnde inebriari laudabile eſt. Quale vinum eſt, quod non turbat, ſed dirigit mentem? Quale vinum eſt, quod facit perpetuò ſanum, non inebriando facit inſanum. Hæc ſobria ebrietas efficit ſomnum, quo anima ſæculo & ſibi dormit, Deo verò vigilanter intendit. De quo ſponſa: Ego dormio, & cor meum vigilat. Id (inquam) quod externum eſt ſoporatur, & omnis attentio, ad inquirendum & cognoſcendum abiicitur, & ſoli amori & amplexibus caſtiſſimis inhæretur. In hoc gradu Dominus ipſe, qui vinum ad ebrietatem præbet, ſomnum ad quietem & exultationem immittit. Inebriat animam amoris vino, charitatis potu, & inde facit, vt omniùm obliuiſcatur, & dormiat, & in ſinu ſponſi requieſcat. Immiſit Dominus ſoporem in Adam, ait Scriptura, cúmque obdormiiſſet, tulit vnam de coſtis eius, & impleuit carnem pro ea. A Domino ſomnus immittitur, & ab eo coſta in mollem carnem commutatur, vt intelligat anima vtrumque donum Dei eſſe, & quòd ſpiritualiter dormiat, & rigorem diſciplinæ propter amorem fratrum in compaſſionem commutare diſcat. Denique poſt ſomnium primam vocem charitatis profert: Hoc nunc os ex oſſibus meis, & caro de carne mea. Quia nimirum hæc dona Dei, quæ in animam conferuntur, ab ea opera charitatis non tollunt, ſed ad perfectiùs amandum fratres impellunt. Dormit anima in gremio Domini ſui, & ibi deliciis abundat. Nam exultabunt Sancti in gloria, lætabuntur in cubilibus ſuis. Eſt enim hic ſomnus veluti quædam imago gloriæ, in quo anima puriſſima voluptate perfruitur, & tamquam in molliſſimo cubili ſoporatur. Neque ibi ſegnis fit, ſed magis diligens & ſolicita, vt diſcedente ſomno munditiæ propriæ, & diuinis laudibus curioſiùs inſiſtat. Vnde de eiſdem Sanctis, qui lætantur in cubilibus ſuis ſubinfertur: Exultationes Dei in gutture eorum, & gladij ancipites in manibus eorum. Dominum puriùs & diligentiùs laudant, & ſi quid amputandum ſupereſt gladio ſpiritali mortificant. Roborantur ſanè ad faciendam vindictam in nationibus, increpationes in populis. Ad alligandos reges eorum in compedibus, & nobiles eorum in manicis ferreis. O ſomnum deſiderabilem, ex quo anima percipit tanta virtutum emolumenta! Sed nunc, quid ſit iſte ſpiritualis ſomnus videamus.

Gen.2. 21.

Gen.2. 23.

Pſal.149. 5.

Pſal.149. 6.

Somnus, qui ad nouum contemplationis gradum ſpectet, dupliciter intelligi poteſt. Primò quidem ita vt ſit quædam ecſtaſis inchoatio. Anima enim contemplatrix præ admiratione & ſuſpenſione intuitionis ſolet aliquamdo ſenſus externos (licèt non plenè) relinquere, & ad modum eorum, qui dormire incipiunt, circa ſenſibilia ſe habere. Nam & hi dormitantes nec ſenſibus bene vtuntur, nec vſu eorum omnino priuantur, ſed quaſi in medio ſomni & vigiliæ res obiectas obſcurè percipiunt. Sic euenit ſæpe animæ contemplanti, quæ ita attentione & admiratione ſuſpenditur, vt quæ dicuntur aut oculis obiiciuntur, non niſi ſibi vim inferens, & quaſi à longè percipiat. In hoc autem ſenſu Bonauentura manifeſtè ſomnum accepit, cuius hæc ſunt verba: Sed tamen ſi ſponſi amplexibus anima deuota inhianter inhæret, incipit inter eius brachia aliquomodo conſopiri, ſicut potatus nobili vino in ſoporem reſoluitur, vt non ſolùm delectabiliter, ſed & tenaciter, Deo inhæreat, & quaſi vino quodam abſtrahatur ab omni viſibilium ſenſu & memoria, ſi tamen temperatè, vt nec plenè ſuimet oblita, nec tamen verè compos ſit ſui. Iuxta illud Pſalmi: Si dormiatis inter medios cleros, id eſt, inter medios terminos cœli & mundi. Item Canticorum quinto: Ego dormio, & cor meum vigilat. Eſt enim talis iſte ſomnus ſicut illorum, qui incipiunt dormitare, & tamen videntur ſibi, ea quæ circa ſe fiunt, aliquomodo ſentire, & intelligere, ſed præ ſopore non aduertunt niſi velint vim ſibi facere, vt ad ſe plenius

Somnus hic aliquando ecſtaſis inchoatio.

Ex vnione interdum anima in ſomnum ſpiritualem trãſfertur. Pſal.35. 9. Aug. tract.34. in Ioan.

Cant.5. 2.

Bonau.7. proceſſu religion. c.14.

niùs reuertantur. Amor enim Dei cum pura intelligentia cogniti inebriat mentem, & ab exterioribus abſtractam, ſuauitate Deo conglutinat, & coniungit. Et quanto amor vehementior, & intelligentia lucidior, tanto validiùs in ſe mentem rapit, quouſque tandem omnium quæ ſub Deo ſunt plenè oblita, in ſolo diuinæ contemplationis radio liberè figatur, licèt breuiter, quaſi in quodam coruſco luminis cœlitus emicantis, quia corpus quod corrumpitur aggrauat animam, & deprimit terrena inhabitatio ſenſum multa cogitantem.] Hæc ille. Eſt itaque hic ſomnus valde diſtinctus ab eo qui ex negligentia naſcitur. Nam hic impedit mentem ne cœleſtia videat, ne diligenda diligat, & ne noxia atque impura irruentia conſtanter excutiat. De quo Dauid cecinit: *Pſal.118. 28.* Dormitauit anima mea præ tædio: confirma me in verbis tuis.] Meritò autem orat eloquiorum diuinorum, ſeu promiſſionum Dei meditatione ſtabiliri: quoniam, vt *Athanaſius* ait, ſpiritus triſtitiæ & tædij, qui ad dormitationem prouocat, attenta conſideratione diuinorum expellitur. At ille ſpiritualis ſomnus mentem ſoluit, & à terrenis expedit, vt cœleſtia liberiùs & clariùs contempletur. Quem ſomnum etiam pollicebatur ſibi ipſe Dauid: *Pſal.4.9.* In pace, inquit, dormiam, & requieſcam. Quoniam tu Domine ſingulariter in ſpe conſtituiſti me.] In ipſo ſcilicet Domino tamquam in lecto floribus reſperſo, & fortibus qui me cuſtodiant circumdato, ſomnum hunc capiam; quoniam tu, ô Deus meus, ſingulari prouidentia, & in magna fiducia conſtituiſti me.

Somnus hoc modo acceptus ad ecſtaſin reducendus eſt. Sup. lib.4. p.3.c.8.

Somnus hoc modo explicatus potiùs videtur ad ecſtaſin reducendus, cùm ſecundùm Philoſophiæ doctrinam imperfectum reuocetur ad perfectum. Quare alio modo hunc ſomnum intelligo. Ita ſcilicet vt ſit ille modus aut gradus amoris tam vehemens (de quo ſuprà loquutus ſum) qui præ ſuo feruore operationem intellectus expellat, aut certè eam tam ſimplicem ac ſubtilem relinquat, vt anima minimè eam aduertat. Sic autem videtur accepiſſe ſomnum Richardus, qui ſic ſcribit: Cogita quid faciat ſomnus exterior circa hominem exteriorem, hoc facit ſomnus huiuſmodi circa hominem interiorem. Somnus corporeus exuperat ſenſum corporeum: aufert enim officium oculorum, officium aurium, cæterorúmque ſenſuum atque membrorum. Sicut autem per ſomnum exteriorem ſopiuntur omnes ſenſus corporis, ſic per hunc, de quo loquimur, interioris hominis ſomnum, exuperantur omnes ſenſus mentis. Simul enim abſorbet cogitationem, imaginationem, rationem, memoriam, intelligentiam, vt conſtet quod Apoſtolus ſcribit: Quòd exuperat omnem ſenſum. Huiuſmodi ſomnum anima inter veri ſponſi amplexus capit, cùm in eius ſinu requieſcit.] Vide quomodo ſomnum vocat eam animæ quietem in complexu amoris poſitam, quæ rationis & intelligentiæ actum excludit. Aut quia illum omnino tollit, ſi amor ſine intelligentia eſſe poteſt: aut quia ſolam illam intelligentiam, quæ ad ardentiſſimum amorem quaſi facem præferat, admittit. In quo etiam intelligitur manifeſtum diſcrimen ſilentij, & huius ſomni. Quòd ſilentium ad intellectum pertinet in ſimplici aſpectu quieſcentem, & alia intelligibilia quantumlibet nobilia repudiantem. Somnus verò eſt opus affectus intelligentiam quoque ſopientis, vt flamma amoris magis ac magis excreſcat.

Sicut autem videtur accepiſſe ſomnum Richardus, qui ſic ſcribit: Cogita quid faciat ſomnus exterior circa hominem exteriorem, hoc facit ſomnus huiuſmodi circa hominem interiorem. Somnus corporeus exuperat ſenſum corporeum: aufert enim officium oculorum, officium aurium, cæterorúmque ſenſuum atque membrorum. Sicut autem per ſomnum exteriorem ſopiuntur omnes ſenſus corporis, ſic per hunc, de quo loquimur, interioris hominis ſomnum, exuperantur omnes ſenſus mentis. Simul enim abſorbet cogitationem, imaginationem, rationem, memoriam, intelligentiam, vt conſtet quod Apoſtolus ſcribit: Quòd exuperat omnem ſenſum. Huiuſmodi ſomnum anima inter veri ſponſi amplexus capit, cùm in eius ſinu requieſcit.] Vide quomodo ſomnum vocat eam animæ quietem in complexu amoris poſitam, quæ rationis & intelligentiæ actum excludit. Aut quia illum omnino tollit, ſi amor ſine intelligentia eſſe poteſt: aut quia ſolam illam intelligentiam, quæ ad ardentiſſimum amorem quaſi facem præferat, admittit. In quo etiam intelligitur manifeſtum diſcrimen ſilentij, & huius ſomni. Quòd ſilentium ad intellectum pertinet in ſimplici aſpectu quieſcentem, & alia intelligibilia quantumlibet nobilia repudiantem. Somnus verò eſt opus affectus intelligentiam quoque ſopientis, vt flamma amoris magis ac magis excreſcat.

Diſcrimẽ inter ſilentiũ & ſomnum.

Huius deſiderabilis ſomni cauſſas, naturam, & effectus in illa hiſtoria Patriarchæ Iacobi videmus expreſſa. Qui cùm vellet requieſcere poſt Solis occubitum tulit de lapidibus, qui iacebant, & ſupponens capiti ſuo, dormiuit in eodem loco. Vidítque in ſomnis ſcalam ſtantem ſuper terram, & cacumen illius tangens cœlum. Angelos quoque Dei aſcendentes, & deſcendentes per eam, & Dominum innixum ſcalæ. Quid enim eſt velle requieſcere, niſi ad mentem redire, & ſanctitatis viam velle ſectari. Quid verò eſt capiti ad quieſcendum lapidem ſupponere, niſi in pugna cum vitiis, & in adeptione virtutum Chriſto ſubniti. Poſt hæc ſequitur dormitio aut ſomnus, quem tractamus. Et cùm ſomnus ſit quædam mortis imago, in eo homo perfectius quàm antea mundo moritur, & omnium viſibilium obliuiſcitur. In hoc ſomno obliuiſcitur peccatorum ſuorum, quorum recordatione, vt amare audeat ceu ſponſa, & confuſione non pungitur. Secundùm illud Iſaiæ: Noli timere, quia non confunderis, neque erubeſces: non enim te pudebit, quia confuſionis adoleſcentiæ tuæ obliuiſceris, & opprobrij viduitatis tuæ non recordaberis ampliùs.] Obliuiſcitur rerum temporalium, & amicorum, ac cognatorum, implens illud: Et obliuiſcere populum tuum, & domum patris tui, & concupiſcet rex decorem tuum.] Obliuiſcitur affectuum, & concupiſcentiarum ſuarum, quæ internam pacem ad quieſcendum tollunt; vnde & Iacobus ait: Vnde bella & lites in vobis? nónne ex concupiſcentiis veſtris quæ militant in membris veſtris?] Et ad imitationem Iudith, de qua ſcribitur: Vniuerſa vaſa bellica Holofernis, quæ dedit illi populus, & conopœum, quod ipſa ſuſtulerat de cubili ipſius, obtulit in anathema obliuionis.] Ad imitationem (inquam) huius, omnia quæ ex mundo detulerat, Deo in anathema obliuionis conſecrat, dum eorum memoriam ablegat. Obliuiſcitur bonorum operum & meritorum ſuorum, vt de ſe non præſumat, & in ſola diuina benignitate confidat. Quia excelſa & eminentia noſtra, vt eſt in Iob, non commemorabuntur comparatione eius. Obliuiſcitur tandem omnium, quæ Deus non ſunt, & illius ſubtiliſſimè recordatur. Tantùm in te, inquit, recordemur nominis tui, vt ſomno amoris dormiat, & omnes vires ſuas amori concedat. Poſt aliquam moram huius ſomni, in quo omnes vires præter affectum ligatæ ſunt, incipiunt quaſi ab illa profunditate ſoporis diſſolui. Tunc autem viſum videt, & inſomnium percipit. Illud autem quod eſt? Proponitur illi cognoſcenda ſcala virtutum, quæ à terra incipit, à deſpicientia nimirum propriæ vilitatis, & in cœlum deſinit, in amorem charitatis. Aſpicit Angelos inſtinctuum diuinorum, quoſdam quidem aſcendentes, & docentes illum ad Deum per omnem ſanctitatis viam aſcendere: alios verò deſcendentes, & docentes illum per compaſſionem ad fratres deſcendere. Videt denique Dominum innixum ſcalæ, vt ſciat à quo debeat auxilium ad aſcendendum & deſcendendum expectare.

Hiſtoria Iacobi Patriarchæ huius ſomni cauſſas, naturã, effectus exprimit. Gen.28. 11.

Iſaiæ 54. 4.

Pſal. 44. 11.

Iac.4.1.

Iudith 16.23.

Iob 28. 18.

Iſai.26. 13.

O igitur ſomnum verè beatum, in quo anima vires ad laborandum recuperat, quémque Dominus ipſe in ea diligenter obſeruat. Dicit enim adoleſcentulis, id eſt, animabus illis imperfectioribus, quæ necdum hunc ſomnum per experientiam

Hunc ſomnum Deus in anima diligẽter obſeruat.

Cant.2. 7.

nouerunt : Adiuro vos filiæ Ierusalem per capreas ceruósque camporum , ne susciteris neque euigilare faciatis dilectam , quoadusque ipsa velit.] Non enim simpliciter , inquit Bernardus , neque leui (vt assolet) commotione prohibitæ sunt ; sed omnino noua & insueta contestatione , per capreas scilicet , ceruósque camporum. Quo quidem genere ferarum videntur mihi satis congruenter expressæ sanctæ animæ exutæ corporibus , simul & qui cum Deo sunt Angeli , nimirum propter acumen visus , & saltus celeritatem. Vtrumque hoc siquidem vtrisque spiritibus conuenire cognoscimus : nam facile & petunt summa , & intima penetrant. Quorum quoque in campis designata conuersatio euidenter liberos atque expeditos signat in contemplatione discursus. Quid sibi vult ergo adiuratio facta per istos ? Profectò ne inquietæ adolescentulæ audeant leui ex caussa euocare dilectam à tam reuerendo collegio : cui absque dubio totiens admiscetur , quotiens contemplando excedit. Pulchrè itaque horum authoritate terrentur , à quorum societate constat auelli illam ipsarum importunitate.] Hæc Bernardus. Adiurantur sodales ne animam sic dormientem interpellent , quoniam si ad hunc spiritualem somnum peruenerit , sciet ipsa charitate impellente , quando opus fuerit ad opus animarum accingi , sciet etiam ad tempus (vt efficacior sit ad docendum) contemplationis somno vacare. Id etiam ad prouidentiam sponsi spectat , vt nunc eam in sinu dormientem custodiat , nunc verò excitet , & ad vtiles labores mittat. In vtroque autem & ipsi dilectæ , & adolescentulis consulit. Ipsi quidem , quoniam non solùm quiescendo , sed etiam laborando proficit. Illis verò , quoniam earum vtilitas non ex labore tantùm sponsæ , sed ex quiete quoque , in qua ad labores robur accipit , manifestè dependet.

Bern. ser. 52. in Cant.

Octauus gradus contemplatitnis : Ecstasis.

CAPVT VIII.

A semidormientis somno, suspensione crescente anima in altissimũ transfertur.

AB spirituali sormno in prima acceptione ex dictis accepto , quo anima ad modum semidormientis à perfecto vsu sensuum abstrahitur , attentione & suspensione crescente ad altissimum somnium transfertur , quo à sensibus exterioribus dum Deo intellectu & affectu intendit penitus alienatur. Gradus hic vocatur ecstasis , siue mentis excessus , quo anima quasi extra se ponitur , & operationibus sensuum exteriorum eximitur. Est ergo ecstasis eleuatio mentis in Deum cum abstractione à sensibus exterioribus ex magnitudine ipsius eleuationis procedens. Cùm enim anima limitatæ virtutis & capacitatis sit , quanto efficaciùs & vehementiùs vni functioni attendit , tanto minùs aliis intendit. Vnde potest (agente & illuminante eam Deo) tanta intensione diuinis rebus inspiciendis & diligendis incumbere , vt nec præsentia videat , nec verba propè loquentium audiat , neque etiam ferrum aut ignem corpori suo admotum percipiat ; & breuiter , vt omnem vsum sensuum derelinquat , & tunc dicitur ecstasin pati , & in hoc gradu contemplationis constitui. Cogita itaque , si potes , quam pulchritudinem anima iusta internis oculis intuebitur , ad cuius præsentiam omnis exterior pulchritudo obiecta penitus non videtur : quam dulcem vocem audit , quæ voces omnes extrà perstrepentes absorbet : quàm magnam suauitatem percipiat , ad cuius gustum omnis odor , & omnis sapor exterior deficit : quàm mirandum amplexum intrà sentiet , quæ nec vehementissimam voluptatem solicitantem , nec acerbissimum dolorem cruciantem aduertit. Sunt ergo in ecstasi duo : alterum est vehemens occupatio interior , quæ non ex humana industria (nam hæc procul dubio ad omnimodam alienationem non sufficit) sed ex diuina gratia animam lactante & inescante procedit : alterum abstractio ab omni vsu sensuum exterior , quæ ex illa priori occupatione vehementiori (vt Thomas Aquinas sentit) quasi naturaliter manat. Quia videlicet non potest homo tam intentè diuinis insistere , & vsum sensuum retinere. Anima suauissimè ad interiora colligitur , & quasi diuinis immergitur , non quasi ipsa id possit naturali virtute , sed quia specialissimo auxilio Dei ad tantam altitudinem cognitionis & amoris subleuatur. Quare dicitur ascendere deliciis affluens , innixa super dilectum suum. Quia videlicet non propriis viribus , sed virtute eius in luce intelligentiæ , & amoris ardore promouetur. Euenit vt homo natandi facilitate expeditissimus se super aquas supinum , & veluti immotum sustineat , ab alio verò amico , qui sub aquas natabat , suauissimè deorsum trahatur , atque omnino mergatur. Sic anima dum illustratione diuina in contemplatione quietè se continet , à diuino spiritu intra semetipsam sensus derelinquens submergitur. Illud tamen est discrimen , quòd natator , licèt ab alio non trahatur , dum seipsum relinquit naturali pondere submergitur : anima verò solo Dei dono vsque ad sensuum derelictionem , colligitur. Quoniam naturale est illi sensibus vti , ac per varia discurrere : supra naturam verò ex sola immensitate lucis , & perfectione amoris à sensibus alienari. In hoc ergo negotio , quo anima ab vsu sensuum abstrahitur , Dominus solus dux eius fuit , & non erat cum eo Deus alienus. Bene quidem posset ex aliis accidentalibus caussis à sensibus auelli : sed quando id prouenit ex luce sapientiæ , & ex vera charitate , diuinæ virtuti debet ascribi. Dominus constituit eam super excelsam terram , vt comederet fructus agrorum : vt sugeret mel de petra , oleúmque de saxo durissimo. Ad illam terram excelsam , siue imaginem cœli , in qua eduntur fructus illi solidarum virtutum , quos cordis humani terra non profert , & mel diuinæ consolationis , & oleum deuotionis internæ gustatur , non ascendit anima , nisi ab eo subuchatur , de quo dictum est : Et eduxit eam in nube diei , & tota nocte in illuminatione ignis.] O quàm aptè hic ascensus in nube diei , & in illuminatione ignis fieri dicitur , quia in refrigerio omnis concupiscentiæ , & in depulsione noxiæ ignorantiæ completur ! Quæ enim concupiscentia molesta erit illi , à qua vsus sensuum abscessit , cùm omnis concupiscentia ab aliquo sensu initium accipiat ? Aut quæ culpabilis ignorantia pro tunc animam contemplantem fœdabit , quando cœlestis lux ea , quæ illi conueniunt , aperiens , eius intellectum absorbet. Abscedente excessu multa sanè poterit ignotrare , sed eo durante , nescio an aliquid ignore ,

In ecstasi est vehemens occupatio interior.

Et abstractio exterior ab omni vsu sensuum. D.Tho. 2.2.q. 175.ar.2.

Cant.8. 5.

Simile.

Deut.32. 12.

Vers.13.

Psal.77. 14.

eorum quæ pro illo tempore actualiter debet agnoſcere.

Anima quia perfectè dormit, nec concupiſcentiã, nec ignorantiam ſentit.

Nec mireris quod dixerim animam in ecſtaſi nec concupiſcentiam illicientem, neque ignorantiam culpantem ſentire, ſiquidem perfectè dormit, & alto ſomno quieſcit; immo & mortua eſt, non ea morte, quæ à Deo ſeparat, ſed ea, quæ Deo coniungens ſanctiſſimam vitam amoris conciliat. Audi nunc quomodo Bernardus hanc mortem, húncque ſomnum depingat, & eo nos ab omni ſenſu concupiſcentiæ eripi concedat. Magis autem iſtiuſmodi vitalis vigílque ſopor ſenſum interiorem illuminat, & morte propulſata vitam tribuit ſempiternam. Reuera enim dormitio eſt, quæ tamen ſenſum non ſopiat, ſed abducat. Eſt & mors (quod non dubius dixerim) quoniam Apoſtolus quoſdam in carne adhuc viuentes commendando ſic loquitur: Mortui eſtis, & vita veſtra abſcondita eſt cum Chriſto in Deo. Proinde & ego non abſurdè ſponſæ ecſtaſin vocauerim mortem, quæ tamen non vita, ſed vitæ eripiat laqueis, vt poſſit dicere: Anima noſtra ſicut paſſer erepta eſt de laqueo venantium. Inter medios namque laqueos in hac vita inceditur, qui vtique totiens non timentur, quotiens ſancta aliqua & vehementi cogitatione anima à ſemetipſa abripitur: ſi tamen eò vſque mente ſecedat & auolet, vt & hunc communem tranſcendat vſum, & conſuetudinem cogitandi: etenim fruſtrà iacitur rete ante oculos pennatorum. Quid enim formidetur luxuria, vbi nec vita ſentitur. Excedente quippe anima & ſi non vita, certè vitæ ſenſu, neceſſe eſt etiam vt nec vitæ tentatio ſentiatur.] Hæc de concupiſcentia: ſed non eſt etiam cur illo tempore ignorantiam timeat, quæ ex verbo filios intelligentiæ parit. Et quidem ſine maledictione illa: In dolore paries filios, quoniam illos cum maxima iucunditate & dulcedine effundit. De quo etiam ipſe Bernardus audiendus eſt; ſic enim ait: Sed attende in ſpirituali matrimonio duo eſſe genera pariendi, & ex hoc etiam diuerſas ſoboles, ſed non aduerſas, cùm ſanctæ matres aut prædicando animas, aut meditando, intelligentias pariunt ſpirituales. In hoc vltimo genere interdum exceditur & ſeceditur etiam à corporeis ſenſibus, vt ſeſe non ſentiat quæ verbum ſentit. Hoc fit cùm mens ineffabili verbi illecta dulcedine, quodammodo ſe ſibi furatur, immo rapitur, atque elabitur à ſeipſa vt verbo fruatur. Aliter ſanè afficitur mens fructificans verbo, aliter fruens verbo. Illic ſolicitat neceſſitas proximi, hîc inuitat ſuauitas verbi. Et quidem læta in prole mater, ſed in amplexibus ſponſi lætior. Chara pignora filiorum, ſed oſcula plus delectant. Bonum eſt ſaluare multos; excedere autem, & cum verbo eſſe multo iocundius. At quando hoc, aut quamdiu hoc? Dulce commercium, ſed breue momentum, & experimentum rarum, hoc eſt quod ſuprà poſt alia memini me dixiſſe: quærere vtique animam verbum, quo fruatur ad iucunditatem.] Huc vſque ille. Sunt itaque filij ſpirituales, qui in ecſtaſi concipiuntur, à Deo donatæ intelligentiæ, vel de maieſtate ipſius, vel de noſtra paruitate: vel de eo quod ad admirationem, vel de eo quod ad operationem cognoſcendum proponitur. Egreditúrque anima de rebus erudita, quas debeat amare aut reſpuere, aut ſaltem ſi inciderint, cum ſancta libertate, & tranquillitate, & pura intentione ſuſcipere.

Bern. ſer. 52. in Cant.

Bern. ſer. 85. in Cant.

Licèt autem Deus animam excedere, & à ſenſibus alienari faciat, videndum tamen eſt, quibus tamquam inſtrumentis id fiat. Richardus ait tribus de cauſſis animam in alienationem abduci, aut præ magnitudine deuotionis, aut præ magnitudine admirationis, aut præ magnitudine exultationis. Primum ornat affectum: ſecundum illuminat intellectum: tertium ad vtrumque conſequitur. Oritur ergo ecſtaſis ex magna deuotione, quando anima tanto deſiderij cœleſtis, & diuini amoris igne ſuccenditur, vt ad ceræ ſimilitudinem liquefiat, & quaſi à proprio ſtatu dimota, & inſtar fumi attenuata ad ſuperna conſcendat. Cui deuotioni & amori aliquando magnitudo lucis adiungitur, aliquando ſolus deuotionis affectus alienationem operatur. Oritur deinde ex ingenti admiratione, quando anima diuino lumine irradiata, & ſummæ pulchritudinis & perfectionis diuinæ cognitione ſuſpenſa, tam vehementi ſtupore concutitur, vt in ſimilitudinem fulguris coruſcantis, tranſcurſis ſenſibus, in ſumma eleuetur. Et hæc quidem admiratio, & perfecta cognitio interdum animæ non præuentæ aduenit, interdum in eam, in affectus amoris vel in profundam meditationem incumbentem irruit; interdum à lumine incipiens in ardentiſſimum feruorem deſinit. Tunc etiam homo ab exterioribus ſenſibus alienatus, vel ſenſibus interioribus vtitur, cùm ſcilicet imaginatio contemplationi intellectus cooperatur; vel etiam à ſenſibus interioribus abſtrahitur, & ſolo intellectu ſine cooperatione phantaſiæ merè ſpiritualiter videt (vt ſuprà dictum eſt) & amore illo voluntatis, qui hanc cognitionem ſequitur, diligit. Oritur tandem ex ineffabili exultatione, quando anima internæ ſuauitatis abundantia potata, immo & plenè inebriata, quid ſit, & quid fuerit, penitus obliuiſcitur, & in alienationis exceſſum lætitiæ nimietate transfertur. Hæc autem iucunditas ſupra modum læta, & hæc exultatio ſupra omnem ſenſum noſtrum iucunda, aut magnam deuotionem, aut magnam admirationem ſupponit. Quia ſi anima ſummum illud bonum, quod impensè deſiderabat, aut affectu, aut intellectu non poſſideret, nequaquam tam ineffabiliter exultaret, nec ſenſuum vſum præ admiratione deponeret.

Quibus tamquã inſtrumẽtis anima à ſenſibus alienetur. Richar. s. de contempla. à c. 5. vſque ad 14.

Diſcedit ſponſus, & anima ad ſe redit, & immenſa ſuauitate ſe repletam, & genas corporis lacrymarum fluuio rigatas reperit. Sed, ô Domine, inquit Bernardus, quomodo comperimus, quando hæc facis, & quod ſignum aduentus tui. Numquid huius conſolationis & lætitiæ teſtes & nuntij ſunt ſuſpiria & lacrymæ? Si ita eſt, noua eſt antiphraſis iſta, & ſignificatio inuſitata. Quæ enim conuentio conſolationis ad ſuſpiria, lætitiæ ad lacrymas? Si tamen iſtæ dicendæ ſunt lacrymæ, & non potiùs roris interioris deſuper infuſi ſupereffluens abundantia, & ad interioris ablutionis indicium, exterioris hominis purgamentum: vt ſicut in Baptiſmo puerorum per exteriorem ablutionem ſignificatur & figuratur interior animæ ablutio, ita hîc econtra exteriorem ablutionem interior præcedat purgatio. O fœlices lacrymæ, per quas maculæ interiores purgantur, per quas peccatorum incendia extinguuntur! Beati qui ſic lugetis, quia ridebitis. In his lacrymis agnoſce, ô anima, ſponſum tuum, amplectere deſideratum. Nunc torrente voluptatis te inebria ab vbere conſolationis

Diſcedẽte demũ ſponſo anima ad ſe redit. Bern. in ſcala.

eius lac & mel. Hæc ſunt mitanda munuſcula, & ſolatia, quæ dedit tibi ſponſus tuus, gemitus ſcilicet & lacrymæ. Adducit tibi potum in his lacrymis in menſura. Hæ lacrymæ ſunt tibi panes die ac nocte, panes vtique confirmantes cor hominis, & dulciores ſuper mel, & fauum. O Domine Ieſu, ſi adeò ſunt dulces iſtæ lacrymæ, quæ ex memoria & deſiderio tui excitantur, quàm dulce erit gaudium quod ex manifeſta tui viſione capietur? Si adeò eſt dulce flere pro te, quàm dulce erit gaudere de te.] Hæc ille. Fructus autem huius viſitationis non eſt ſola ſuauitas & affluentia lacrymarum, ſed multo magis vitæ in melius mutatio, & perfectior quàm antea cunctorum terrenorum contemtio. Hîc anima non ex ratione, nec cum contradictione appetitus, ſed ex amore, & cum magna facilitate, ſupra quàm dici poteſt, omnia arbitratur ſtercora, vt Chriſtum lucrifaciat. Iacob poſt luctam cum Angelo claudicabat pede, & vocabatur Iſrael. Sic anima poſt hanc luctam claudicat ſiniſtro pede, & in appetitu viſibilium omnino deficit, amore verò cœleſtium exardeſcit. Hic quanto ditior & Deo coniunctior, tanto inuenitur humilior, & ad omnium æſtimationem, & ſui deſpicientiam propenſior. Videt enim clariſſimè quàm ſine meritis iſta recipiat. Ideo non eam elatio exaltat, ſed potiùs cura reſpondendi, & ampliùs proficiendi ſolicitat. Et hoc eſt ſignum, quòd hoc donum & alia huiuſmodi à Deo ſunt, ſi te ſemper viliorem, alios verò meliores exiſtimes.

Quis fructus huius viſitationis diuinæ.

Gen. 32. 34.

Nonus gradus contemplationis: Raptus.

CAPVT IX.

Raptus ecſtaſi perfect. Gerſon de Theolog. myſt. ſpeculat. conſider. 36. D. Tho. 2.2.q.175. ar.2.ad 1. Climac. gradu 21. de oratione. Eſſentia & propriet. raptus.

QVAMVIS Gerſon & alij ecſtaſin raptui præferant, & in genere contemplationis perfectiorem eſſe dicant: nos tamen D. Thomam ſequimur, qui raptum aliquid ſupra ecſtaſin in genere contemplationis eſſe cenſet. Quod & Ioannis Climaci authoritate confirmari poteſt, ſcribentis in hunc modum: Orationis initium eſt luctus in animo aduenientes, ſolo & tacito mentis imperio ex ipſis initiis fugare: medium verò cùm in his quæ dicuntur vel cogitantur mens tota eſt: finis autem raptus in Deum. Quid eſt mihi in cœlo. Nihil, niſi ſemper in oratione tibi abſque vlla diſtractione adhærere. Eſt ergo raptus, vt ad contemplationem pertinet, non quidem ille mentis exceſſus, quo mens ſuauiter intra ſe colligitur, & ab vſu ſenſuum abducitur, ſed ille, quo per violentiam quamdam à ſenſibilibus auellitur, & ad diuinorum inſpectionem, & amorem eleuatur. Eſt res hæc in initio (vt experti dicunt) plena timoris atque formidinis: quoniam anima in ſe exiſtens neſcit quomodo, quaſi à corpore ſeiungitur, & à ſuis ſenſibus abſcinditur, & in quamdam regionem peregrinam, ſibíque penitus incognitam, non tam ducitur, quàm trahitur. In hoc autem poſita eſt eſſentia raptus, quòd anima, contra modum ſuæ naturæ ita celeriter & potenter ad ſuperiora feratur. Habet quidem illa propenſionem gratia confortatam, vt Deum cognoſcat, & diligat, ſed ille modus pergendi in Deum ſine adiutorio ſenſuum, & cum tanta ſpiritus vehementia, eſt illi prorſus nouus & à puſillitate naturalis conditionis alienus. Eſt ac ſi homo, qui per gradus ſcalæ cœperat in altiſſimam turrim aſcendere, ſubitò per aëra raperetur, & celerius quàm ſi volaret, in ſummitate turris poneretur. Sic anima, quæ modo ſuo connaturali, vel per auxilium gratiæ, ſe conditioni naturali accommodantis, in Deum aſcendebat, ſubitò rapitur, & citiſſimo quodam volatu in abyſſum quamdam lucis & ardoris conſtituitur. Conſidera mihi quid ſenſit Habacuc Propheta, & quantam admirationem habuit, quando apprehendit eum Angelus Domini in vertice eius, & portauit eum in capillo capitis ſui, poſuítque eum in Babylone ſupra lacum in impetu ſpiritus ſui. Sic anima timore concutitur, cùm tam ſine conſenſu ſuo, & tam præter naturam ſuam à ſenſibus abſtrahitur, & in luce & igne amoris, quem neſcit, tam mirabiliter ponitur. Poſt vſum autem recipiendi hoc donum ceſſat timor & admiratio, & manet immenſæ ſuauitatis, & maximorum emolumentorum, de quibus poſtea dicemus, fruitio.

Dan. 14. 35.

Huius generis fuit raptus Ezechielis. Et emiſſa (inquit) ſimilitudo manus apprehendit me in cincinno capitis mei: & eleuauit me ſpiritus inter terram & cœlum; & adduxit me in Ieruſalem in viſione Dei.] Neque enim fuit corpore eleuatus, aut ab eo loco, in quo erat, aliò mutatus, ſed ſpiritu aut intelligentia auulſus à corpore, & à ſenſibus abſolutus. Tales etiam fuerunt duo raptus Pauli, cùm ait: Scio hominem in Chriſto ante annos quatuordecim, ſiue in corpore, ſiue extra corpus, neſcio, Deus ſcit: raptum huiuſmodi vſque ad tertium cœlum. Et ſcio huiuſmodi hominem, ſiue in corpore, ſiue extra corpus, neſcio. Deus ſcit: quoniam raptus eſt in Paradiſum. Et vt nunc cœli & Paradiſi intelligentiam in alium locum reſeruemus; certè quod dicit, ſe neſcire an anima fuerit reuera à corpore ſeparata, an ſolùm puriſſima intelligentia ab omni ſenſuum & imaginationis operatione ſeiuncta, ita accipiendum eſt, non vt ignorauerit, an mortuus fuerit, nec ne, optimè enim ſciuit ſe in raptibus non fuiſſe mortuum, ſed vt Thomas Aquinas ait, & Athanaſius indicat, quia modum quo anima tunc exiſtebat, & ab omni ſenſu & cogitatione abſtracta tanta videbat, prorſus neſciuit. Hinc autem conſtat quanta potentia fuerit abreptus, & à ſenſibus alienatus, ſiquidem quid in illo ageretur capere cognitione non potuit. Talis etiam fuit raptus Franciſci, de quo Bonauentura. Viſus eſt nocte manibus ad modum crucis protenſis toto corpore ſubleuatus à terra, & nubecula quadam fulgente circumdatus, vt illuſtrationis mirabilis intra mentem, mira circa corpus perluſtratio teſtis eſſet.] Tale quid fortè accidit Dominico, qui cùm in Miſſa corpus Chriſti puriſſimis manibus in altum eleuaret, cunctis qui aderant ſpectantibus, & ſtupentibus, ipſe pariter cubiti vnius altitudine à terra eleuatus eſt, corpus terrenum & graue animi deuotione & ſpiritu gratiæ ſurſum attollente. Spiritus enim corporis grauitatem à terra tollens, cur non ſe illo paruo tempore à ſenſibus expediret, quod ſacrificio illi ſanctiſſimo nullam potuit indecentiam afferre. Talis quoque fuit raptus Ignatij noſtri. Nam factum eſt aliquando, vt alienatus à ſenſibus à completorio ſabbati ad alterum vſque proximi ſabbati completorium, in altiſſimo quodam exceſſu perſtiterit. Tales & raptus frequentiſſimi

Ezech. 8. Raptus Ezech. qualis.

Raptus ité Pauli. 2. Cor. 12. 2.

D. Th. eo loco. Athan. lib. 4. cõtra Aria.

Raptus S. Franciſci. Bonau. in vita c. 10.

Raptus S. Dominici. Surius in vita lib. 2. c. 6.

S. P. N. Ignatij. Maffeus in vita lib. 1. c. 7.

B. Tharasiæ de Iesu. In vita §. 74.

B. Tharasiæ de Iesu congregationis fratrum Carmelitarum excalciatorum fundatricis, de qua quidam eius filius sic scribit: Erat eius oratio non solùm assidua, sed adeò feruens, quòd statim ac sese in orationem recipiebat, confestim extra se raperetur; sæpe etiam absque vlla præparatione, spiritus efficacia percussa, ab vsu sensuum abstrahebatur: aliquando etiam ex his raptibus cum summis exclamationibus & lacrymis reuertebatur, in quibus magnam noctis partem insumebat. Tales denique præsumi debent raptus aliquorum huius temporis virorum, probatissimæ vitæ, atque mulierum, si tamen ad regulas inferiùs ponendas, & ad Ecclesiæ censuram examinentur. Nec enim nunc abbreuiata est manus Domini, vt dona, quæ in præteritis temporibus dedit, nunc dare non possit. Et animi planè proterui esset omnes ecstases, & raptus, qui modò in Ecclesia contingunt, (quando vitæ puritate confirmantur) velle damnare.

Aliquorum demum huius temporis.

Vnde raptus proueniant, quid in rapto operentur.

Videndum est nunc, raptus vnde proueniat, quid in anima & in corpore operetur, & quos effectus post se relinquat. Eædem sunt caussæ raptus, & ecstasis, scilicet magnitudo deuotionis, & admirationis, & exultationis. Quia tamen deuotio & exultatio ad affectum pertinent, & admiratio ad intellectum, meritò duplex raptus distinguitur, alter intellectus, qui prouenit ex insueto lumine, & alter volũtatis, qui procedit ex maximo amoris & exultationis feruore. Vnde Bernardus exponens illud: Introduxit me Rex in cellam vinariam, ait: Cùm enim duo sint beatæ contemplationis excessus, in intellectu vnus, & alter in affectu: vnus in lumine, alter in feruore: vnus in agnitione, alter in deuotione: pius sanè affectus, & pectus amore calens, & sanctæ deuotionis infusio, etiam & vehementi spiritus repletus zelo, non planè aliunde, quàm è cella vinaria reportantur; & cuicumque cum horum copia surgere oratione donatur, potest in veritate loqui, quia introduxit me Rex in cellã vinariam.] Procedit ergo raptus ex lumine, quando splendor diuinæ lucis in tantum animam irradiat, vt ad capiendum illum, & attendendum ad ea, quæ sibi reuelantur, sensuum functiones deserat. Sicut enim Paulus, cùm circumfulsit eum lux de cœlo, oculorum lumine orbatus est, & inde surgens postea apertis oculis nihil videbat: ita & lux illa sapientiæ, quæ in animam raptum patientem penetrat, ab vsu sensuum exteriorum auocat, & quasi oculos carnis excæcat. Procedit deinde raptus ex feruore. Nam amor, qui, vt Dionysius ait, ecstasin facit, cùm excellens est, eam extra se ponit. Extra se, inquam, id est, extra modum communem, & congruum suæ naturæ, ita vt licèt corpus animare non desinat, tamen per illud exteriora percipere, ac sensibus vti penitus omittat. In Scriptura raptus est corporis, & raptus mentis. De raptu corporis dictum est in Genesi: Henoch ambulauit cum Deo, & non apparuit, quia tulit eum Deus. Et ascendit Elias per turbinem in cœlum. Et spiritus Domini rapuit Philippum. Et Paulus: Simul rapiemur cum illis in nubibus obuiam Christo in aëra.] De raptu verò mẽtis est illud: Spiritus leuauit me, & assumsit me.] Atque illud eiusdem Prophetæ: Facta est super me manus Domini, & adduxit me illuc. In visionibus Dei adduxit me in terram Israël.] Itémque illud: Fui in spiritu in Dominica die.] Hi autem raptus in hoc sunt similes, quòd sicut ille tollit hominem à loco in quo erat, & aliò transfert: ita & hic tollit animam, non quidem à corpore, quod informat, sed ab operatione sensuum, cui intendebat, & ad cœlestia solùm contemplanda erigit, vel vehementissimè amanda perducit.

Quando procedit raptus ex lumine. Act. 9. 3.

Quando ex feruore.

Raptus alius corporis, alius spiritus. Genes. 5. 24. 4. Reg. 2. 11. Actor. 8. 39. 1. Thess. 4. 16. Ezech. 3. 14. Thess. 4. 1. Apoc. 1. 10.

Hinc autem facile elicitur quid raptus in anima operetur. Nam tunc spiritus Domini eam apprehendit, & instar aquilæ, animalculum, quod per terram repit, abripientis, & in aëra portantis, sic eam secum ab omni vsu terrenorum abducit. Ibi per visionem imaginariam, vel intellectualem, vel etiam per manifestum intuitum (de quibus postea) illi admiranda de rebus diuinis ostendit. Ibi voluntatem ita per amorem transformat, vt quasi deificata censeatur. De luce, & cognitione, quæ datur intellectui, inquit Richardus: Bibunt autem quodammodo, qui ex diuinis reuelationibus summa cum facilitate & iucunditate hauriunt, quod de intima veritatis suauitate ardenter concupiscunt. Chari ergo comedunt, sed charissimi bibũt: quia secundùm mensuram dilectionis dispensatur & modus manifestationis. Ebrietas autem mentis alienationem efficit: & supernæ quidem reuelationis infusio eos dumtaxat, qui charissimi sunt, in mentis excessum abducit.] De amore verò & trãsformatione voluntatis dicit idem alio loco exponens tertium gradum violentæ charitatis. Tertius itaque amoris gradus est, quando mens hominis in illam rapitur diuini luminis abyssum: ita vt humanus animus in hoc statu exteriori omniũ oblitus, penitus nesciat seipsum, totúsque trãseat in Deum suum, & faciat quod scriptum est: Etenim non credentes inhabitare Dominum Deum. In hoc itaque statu plenè compescitur, profundéque sopitur carnalium desideriorum turba, & fit in cœlo silentium quasi hora dimidia. Et quidquid molestiæ inest absorbetur à gloria. In hoc statu dum mens à seipsa alienatur, dum in illud diuini arcani secretarium rapitur, dum ab illo diuini amoris incendio vndique circumdatur, intimè penetratur, vsquequaque inflammatur, seipsam penitus exuit, diuinũ quemdam affectum induit, & inspectæ pulchritudini cõfigurata, tota in aliam gloriam transit. Vide quid interfit inter ferrum, & ferrum; inter ferrum frigidum, & feruidum, hoc est, inter animum, & animum; inter animum tepidum, & animum diuino incendio inflammatum. Cùm enim ferrũ in ignem proiicitur, tam frigidum, quàm nigrum, proculdubio primò videtur. Sed dum in ignis incendio moram facit, paulatim incalescit, paulatim nigredinem deponit, sensímque incandescens paulatim in se ignis similitudinem trahit, donec tãdem totum liquefiat, & à seipso plenè deficiat, & in aliam penitus qualitatem transeat. Sic itaque, sic anima diuini ardoris rogo intimíque amoris incendio absorpta, æternorúmque desideriorum globis, vndique circumsepta primò incalescit, postea incandescit, tandem autem tota liquescit, & à priori statu penitus deficit.] Hucusque ille. Ex his autem perspicitur, hominem non alienari, & à sensibus abstrahi, vt corporaliter dormiat, sed vt Deum brachiis cognitionis & dilectionis validiùs apprehendat. Est enim tam dulcis & tam arctus diuinus iste complexus, vt nequeat anima illum habere, & perceptione rerum sensibilium intendere. Quare in eo statu ponitur, in quo ista deserat, ne ab illius perfectione & feruore se subtrahat.

Quid raptus operetur in anima.

Rich. 4. de contẽpla. c. 16.

Idem de gradibus charitatis violenta.

In corpore autem eius, qui rapitur, insolita atque inusitata fiunt. Nam cùm corpus veluti ab anima deseratur, & omnis calor intrò recipiatur, tunc frigidum ac rigidum & ineptum ad se mouendum redditur. Ideo in raptu aut sedet, aut iacet, aut in loco vbi erat ceu columna quædam immotum perstat.

In rapti corpore quæ fiãt.

perſtat. Interdum cadens in faciem proſternitur; interdum vi ſpiritus in aëra leuatur, interdum manus & brachia in altum leuat, aut aliis modis inſuetis vehementiam interioris motionis oſtentat. Hæc nequaquam ſunt ſigna alicuius mali ſpiritus arripientis hominem, ſed inſoliti feruoris interioris indicia, ad quæ veluti naturaliter ſequitur, vt corpus hunc defectum virium, aut has motiones patiatur. Scriptura ſacra ab hac dubietate nos eximit, & hos motus, aut immutationes corporum ex diuino ſpiritu intus in anima agente prouenire manifeſtè tradit. Nam duo Tobiæ pater & filius, cognito Angelo Raphaële, qui loquebatur eis, proſtrati per horas tres in faciem, benedixerunt Deũ. *Tob. 12. 22.* Et Daniel: Ego autem relictus ſolus vidi viſionem *Dan. 10. 8.* grandem hanc, & non remanſit in me fortitudo, B ſed & ſpecies mea immutata eſt in me, & emarcui, *Apoc. 1. 17.* neque habui quidquam virium.] Et Ioannes de Angelo, qui ſibi apparuit loquens ait: Et cùm vidiſſem eum cecidi ad pedes eius tamquã mortuus.] *Phil. lib. de temulentia.* Philo Iudæus de his motibus, qui contingunt in raptu, ſic loquitur: Cæterùm quæcumque anima impleta fuerit gratia, gaudet confeſtim & ridet, exultátque, bacchatur enim, ita vt vulgo ebria videatur, inſanire rapta extra ſe. Et idem dicitur ad eam à quodam puerulo, non vno, ſed à quolibet iuueniliter petulãte: Quouſque temulenta es? Auſer iſtam temulentiam à te. Solet enim correptorum numine non ſolùm anima concitari ceu quodam œſtro, ſed & corpus erubeſcere, incandeſcereque interno gaudio prorumpente in exteriora: quæ res multos inſipientes decipit, qui ſobrios vino madere autumant. Eſt tamen quædam ebrietas etiam ſobriorum, qui bona meraca hauriunt, & propinationes à perfecta virtute accipiunt. Et Dionyſius Richelius ad idem ita ſcribit: Ex tanto quoque contemplationis exceſſu, amoríſque impetu, *Rich. de fonte lucis, artic. 18.* ardore, & ebullitione, generantur per redundantiam quamdam in parte ſenſitiua, ac corpore languor, debilitas, mœror, ac macies, deteſtatio corporei alimenti, impotentia vſus, ac motus membrorum, ac ſenſuum & totius corporis rigor. Nec in his actibus ſanctis mens tempus aduertit, moras non percipit, imò in his vehementiſſimè admiratur, nec ſufficit admirari anima ſancta charitatem, pietatem, dignationem, & munificentiam Dei circa ſe, & in ſe: tam amorosè ac familiariter, tam gratioſè & munificenter ſe ei oſtendit, communicat, applicat, & infundit. Amplius quoniam amor ingreditur, vbi ſcientia permanet foris, dum mens contemplationi myſticæ eſt intenta, inflammato, & velut commoto ac irritato amore, incipit amor ipſe quodammodo ebullire, ac ſuperferuere, ſuáque ſacra violentia totum corpus concutere. Quod autem feruet quadam caloris ac deſiderij ſui violentia extra ſeipſum proiicitur, & ſupra ſe tollitur, quaſi ibi eſſe dedignetur. Vnde tam vehementer ſe iactat. Sic & mens trãsfixa amoris feruore, quaſi extra corpus iactare ſe nititur, & vſque in ſummũ E volare molitur.] Hæc ille.

Licèt corpus varios motus patiatur, anima nihil inordinatũ habet. Cant. 4. 3.

Licèt autem corpus ita ſe habeat, tamen anima nihil inordinatum habet, ſed illuſtratione diuina, & amore referta, & ineffabili ſuauitate liquefacta in ſtatum quemdam cœleſtem emergit. Ad quod quidam non ineptè referunt illud Canticorum: Sicut vitta coccinea labia tua, & eloquium tuum dulce.] Ita ſcilicet vt rubor labiorum hanc ebrietatem ſpiritus corpus quatientem, ac inſolitè mouentem; eloquij verò dulcedo mentis moderationem & ſuauitatem deſignet.

Quid raptus in anima efficiat.

Non eſt facile verbis exponere quid raptus in anima efficiat. Nam de corpore iam dictum eſt. Certè ſenſus omnis diſcedit, calor & motus deficit, & non ſine magno naturæ timore veluti anima ipſum deſerit, atque relinquit. Sed quod valde mirum eſt, cùm homo ad ſe reuertitur, corpus nõ imbecillum (quod conſequens videbatur) ſed validum, & ab ægritudinibus aſſiduis quaſi releuatum ſe experitur. Animam ergo Dominus raptus beneficio in quadam perfectiſſima ſolitudine creaturarum conſtituit, vt omnia quibus antea adhærebat aliquantulum, verè & omnino cõtemnat. Cuidam ſanè ſeruo Dei in raptu exiſtenti à Domino ſic locutione intellectuali (vt ipſe mihi narrabat) dictum eſt: Vide quomodo vno tantùm gradu tu mórſque diuideris. Tibi perſuade, quia citò es moriturus, & ſiquidem nec corpus, nec amici, neque quælibet alia tibi in hoc momento ſubuenire poſſunt, & ego nunc ab eis te ſeparaui (ſentiebat autem incredibilem quamdam diſiunctionem ab omnibus) ſic deinceps ab omnibus auulſus viues. Hìc anima magna deſiderat pro Chriſto agere & pati, & magna audet, nec vlla contradictione aut difficultate a cœpto deſiſtit. Vellet millies pro Domino, & pro animarum ſalute vitam exponere. In notitia magnitudinis Dei, & ſuæ vilitatis ſupra modum excreſcit, & vitam finire, ac ſui ſponſi aſpectu frui impatienter concupiſcit. Hìc contrarij affectus nunc emergunt, nunc admirando modo C miſcentur. Emergunt quidem, quoniam anima iam de abſentia ſponſi, & dilatione mortis nimiam & ſubtiliſſimam triſtitiã in intima penetrantem concipit: iam de ſpe veniendi ad eum, & de immenſitate amoris nimiũ hilareſcit. Miſcentur verò, quia interdum, & nimium triſtis eſt, & ſimul nimium hilaris, & neſcit quid, aut quomodo hæc in ſe fiãt, nec ſeipſam intelligit. Hæc ergo eſt mors pretioſa, cui illud poteſt elogium conuenire: Beati mortui, *Apoc. 14 13.* qui in Domino moriuntur, amodo iam dicit ſpiritus vt requieſcat à laboribus ſuis. Quum ſi quis admirans dicat: Moriatur anima mea morte iuſtorum, & fiant nouiſſima mea horum ſimilia, nihil *Num. 23 10.* inordinatum dicet, ſi non tam alienationem à ſenſibus, quàm eius effectus deſideret.

Effectus raptus humilitas profundiſſima. Bonau. lib. de quinque viſionib. ſerm. 3. prope finem. Iob 39. 30.

D Tandem effectus huius gradus contemplationis eſt profundiſſima humilitas, vt enim ait Bonauentura: Quanto quis eleuatur, tanto humilior fit, vt Paulus poſt raptum, qui etiam ad cubile matrimonij determinandum deſcendebat per humilitatem. Vnde dicitur in Iob: Numquid ad præceptum tuũ eleuabitur aquila, & in arduis ponet nidum ſuum, vbicumque fuerit cadauer, ſtatim adeſt. Mirabilia primò dixerat de aquila, & poſtea humilia, ſic eſt de raptu, ille enim qui in raptu fuit maior, magis eſt humilis, & ſic neceſſe eſt, quia ſi ſuperbiret poſſet amittere gratiam, & cadere in reprobum ſenſum, & vix vnquam ſurgeret, quia quanto magis nouit, tanto magis ſciret ſoluere omnia, quæ dicerentur ſibi, & ideo non ſine cauſſa fuit datus Apoſtolo ſtimulus carnis. Ne magnitudo (inquit) reuelationum extollat me. Ille (inquam) qui ad talem ſtatum peruenit, poteſt alios ordinare, & regere, vt Paulus fecit, qui ordinauit Eccleſiam ſecundùm exemplar quod ſibi monſtrabatur. Verè ita eſt, quòd quanto maiora anima recipit, tanto verius ſe contemnit, dans Deo gloriam, & ſibi confuſionem. Tanto etiam aptior eſt, vt aliis proſit: quia fonti luminis magis appropians, exemplo, & verbo magis lucet.

Decimus gradus contemplationis : Apparitio Christi, & Sanctorum corporea.

CAPVT X.

In terrenorũ amicorũ desiderio anima cœlestes amicos quærit.

ILLA solitudo creaturarum ad quam anima in his duobus gradibus ecstasis & raptus extollitur, solicitat eam, vt quandoquidem amicos & sodales, & omnia quæ ei adiumento esse possunt, reliquit in terra, patronos & amicos, à quibus apud Dominum protegatur, congregare conetur in cœlum. Hinc oritur in ea singularis quædam deuotio, & dulcis atque ardens amor erga Sanctos omnes, ac præcipuè erga ipsum Sanctorum omnium principem Christum Iesum, ac erga reginam cœli beatam Mariam virginem; quam deuotionem, & quem amorem solet Dominus multis ac variis sui & Sanctorum apparitionibus cumulare. Meritò autem apparitiones istas, non solùm intus animo factas, verùm & exterioribus se oculis obiicientes, contemplationis gradibus annumeramus: quoniam illæ priores inspectiones, ac veluti intuitiones sunt rerum diuinarum, atque cœlestium: istæ verò ad hoc sensibus ingeruntur, vt animus aliquid sublime in eis elucens, & quasi ex ipsis hauriens valeat contemplari. Sunt verò propemodum infinita, quæ de apparitionibus scribi possent, de quibus plurimi ex antiquis & modernis authoribus: multi etiam ex nostræ societatis scriptoribus non pauca tradiderunt: sed præcipuè Petrus Thyræus, vir sanè egregiè doctus, tractatibus multis editis de hac re, cuius singulari labori nescio an aliquid possit addi. Nos breuissimè pauca dicemus, quæ nostro proposito de contemplatione faciant satis.

Thyræus tractatu de appar. diuinis.

Apparitionum alia corporea, alia imaginaria, intellectuales alia. Greg. 28. mor. c. 2. Isidor. 7. etymol. cap. 8. Bonau. 7. processu religio. c. 18. Bonau. in vita, cap. 4.

Tria esse apparitionum siue reuelationum genera, corporeum, imaginariũ, & intellectuale, apud omnes, tum Patres, tum Theologos, certũ est. Agit de hoc latè Gregorius, Isidorus, & Bonauentura, & alij. Est autem apparitio in genere, ne in æquiuoco laboremus, alicuius spiritus, vel corporis, ad modum rei spiritualis manifestatio, in qua præter naturæ ordinem ex diuina dispensatione certis quibusdam modis homini oranti, aut aliud agenti, spiritus ille vel corpus semetipsum insinuat. Consultò autem dixi corpora etiam apparere, quia sancti viri in corpore viuentes non semel in locis distantibus apparuerunt. Vt dum in conuentu Arelatensi fratrum minorum Antonio de Padua prædicante, visus est à Monaldo sanctus Franciscus corporeis oculis, fratribus benedictionem impertiens. Tanta verò, inquit Bonauentura, & tam insolita fratres omnes consolatione spiritus repletos se fuisse senserunt, vt de vera sancti Patris præsentia certum eis intra se spiritus testimonium perhiberet.] Et cùm idem sanctus Antonius concionem habens apud montem Pesullanum ad magnam, tum sæcularium, tum Ecclesiasticorum frequentiam, repentè in choro monasterij sui longè distantis, Alleluia eum alio fratre (cui simul cum illo antea demandatum erat) cantans apparuit, & cùm sanctus Ambrosius, licèt corpore procul abesset, funus beatissimi Martini Episcopi Turonensis curauit. Quamuis hoc nonnulli non improbabiliter negent, cùm Ambrosium ante Martinum vitam finiisse putent. Et tandem cùm sanctus Nicolaus in somnis Constantino Imperatori apparuit, & cum à cæde nobilium quorumdam, qui per calumniam patiebãtur, abstraxit. Sed his prætermissis, de apparitionibus

Surius in Iunio.

Surius in Nouemb.

Surius in Decemb.

A ciuium patriæ cœlestis hominibus orantibus se manifestantium agendum est.

Visibilis apparitionis definitio.

Est ergo visibilis seu sensibilis apparitio, quando homini oranti, aut contemplanti (nam de apparitionibus, quæ in oratione fiunt, loquimur) Christus, aut beatissima Virgo, aut aliquis Angelus, aut Sanctus, se oculis ipsis corporeis videndum, aut aure audiendum, aut manibus palpandum offert. Sic enim Angelos, & Sanctos apparere, communis ferè omnium Scholasticorum, & multorum sanctorum Patrum sententia est. In quibus est Augustinus, Isidorus, Damascenus, Bernardus, & alij. Fiunt autem omnes apparitiones istæ communiter Angelorum ministerio, qui virtutem habent, ex aëre, admixtis aliis elementis, vel aliquo B illorum, corpora conficiendi, quæ formam humanam exprimant, & vocem, ac motum, & alia propria corporis humani oculis intuentis exhibeant. Aliquando (verba sunt Gregorij) imaginibus, & ante corporeos oculos, ad tempus ex aëre assumtis, per Angelos loquitur Deus: sicut Abraham nõ solùm tres viros videre potuit, sed etiam habitaculo terreno susc ipere, & non solùm susc ipere, sed eorum vsibus etiam cibos adhibere. Nisi enim Angeli quædam nobis interna nunciantes ad tempus ex aëre corpora sumerent, exterioribus profectò nostris obtutibus, non apparerent: nec cibos eum Abraham caperent, nisi propter nos solidum aliquid ex cœlesti elemento gestarent.] Vocat autem fortassis aërem cœleste elementũ, quod cœlo propiùs accedat, & quod lumen cœleste recipiat. Hæc ergo corpora assumunt, eisque vniuntur, non vt animus noster se corpori vnit, quia sunt naturæ quædam integræ, & perfectæ; non verò formæ corporum: neque in vnitatem personæ, sicut Verbum humanam naturam induit, quia hic modus vnionis (vt Theologi probant) personæ finitæ, vt scilicet alienam naturam sustineat, est impossibilis, & Angeli adhuc apparentes nobis nequaquam veri homines sunt: neque tantùm vt motor vnitur corpori moto, quia sic quæcumque mouerent assumerẽt: sed vniuntur vt motores corporibus motis, quæ ipsos, aut alios, quorum personam gerunt, repræsentant. In his etiam corporibus, nunc quidem ipsum Deum, nunc Christum Deum, & hominem, nunc beatam Virginem, nunc aliquem Sanctum, aut Sanctam cœlestis patriæ, nunc seipsos in specie humana orantibus exhibent. Et hi quidem illos vident, vel audiunt, non in ecstasi, neque in raptu, sed cùm sensuum exteriorũ compotes sunt. Pugnat enim sensibus vti (quod ad percipiendam hanc apparitionem necessariũ est) ac simul à sensibus alienari. In quo differt hæc apparitio à duabus sequentibus, quòd illæ in ecstasi etiam, & in raptu contingunt.

Aug. 15. de ciuit. c. 23. Isid. 1. de summo bon. c. 12. Bern. ser. 5. in Cãt. Damasc. 2. de fide, cap. 4. Greg. 28. mor. c. 2.

Quando homines Angelum forma corporea cõspiciunt Deũ repræsentãtem, non decipiuntur.

Nec putandum est homines à Deo decipi, cùm externa specie Christus, aut Virgo beata, aut aliquis Sanctus videndus proponitur, non tamen ipsum, sed Angelum vident. In hoc, inquam, quando hæ apparitiones sunt veræ, & à Deo; nulla deceptio est. Quoniam illa corpora obiiciuntur orãtibus vt Christum Dominum repræsentent, & loco eius, aut alicuius Sancti, qui se nobis exhibet, substituantur. An cùm Senatus regius pro tribunali sedet, & cum altitudinem vocamus, & honores regios deferimus, aliqua illusio, aut fallacia est? Non profectò; quia videlicet authoritate accepta à Rege, ipsum refert, & pro ipso se substituit, & sub hoc tenore verborum iudicium suum profert, aut mandata proponit: Nos Philippus per Dei gra-

tiam

tiam Hiſpaniæ Rex,cùm tamen Senatus in perſona non ſit Rex,ſed quinque aut ſex Senatores ciuilium legum periti, quibus partes eius agere datum eſt. An etiam cùm imago Chriſti adoranda, vel imago alicuius Sancti veneranda proponitur, in aliquo illuderis? Nequaquam. Quia in illa non lignum, aut aurum, ſed ipſum Chriſtum adoras, aut Sanctum veneraris; motus enim adorationis in imaginem,non in illam quieſcit,ſed ex ea, tamquam ex medio, in rem repræſentatam procedit. Ita ergo Angelus in corpore apparens eſt, vt quædam imago Chriſti,aut virginis Mariæ,aut Sancti, quem repræſentat:eſt vt quoddam ſubſtitutum vicem alterius gerens. Vnde nequaquam nos decipit,ſed mentem noſtram in rem repræſentatam effert. Vt autem & ipſi Angeli apparentes hoc homines edocerent, quando, in aliqua effigie, quæ Deum referret, apparebant, non aliter quàm ipſe Deus loquebantur,non aliter præcipiebãt, aut minas intentabant. Adæ poſt peccatum Angelus Dei nomine ſe viſibilem exhibuit. Ideo loquitur vt Deus,cuius vicem gerebat.Scribitúrque de eo:Vocauítque Dominus Deus Adam,& dixit ei:Vbi es.] *Gen.3.9.* Et poſtea: Quia audiſti vocem vxoris tuæ,& comediſti de ligno, ex quo præceperam tibi ne comederes, &c.] *Verſ.17.* Similiter & Abrahæ Angeli ſe videndos in humana ſpecie obtulerunt. Nam cùm eleuaſſet oculos,apparuerunt ei tres viri ſtantes prope eum. *Gen. 18. 2.* Quia tamen apparebant nomine Dei, & verba faciunt ac ſi eſſent Deus,& Dei adorationem (nam in effigie illa Deus adorabatur) non refugiunt.

Imagines corporum in quibus Angeli apparent,ſunt decentiſſimæ.

Hæ autem imagines corporum humanorum,in quibus Angeli aut ſeipſos,aut aliquos Sanctorum, aut Sanctum Sanctorum exhibent,ſemper decentiſſimę ſunt,& aliquid cœleſte præſeferentes, quo animam ad omnem honeſtatem prouocant; & ad cœleſtia contemplanda eleuant. Si autem econtra vel ipſi aſpectui aliquid minus decens, minúſve honeſtum ingererent, aut ad aliquam minus puram voluptatem hominem incitarent,certiſſimum eſt apparitiones huiuſmodi, à Deo,& à bonis Angelis non eſſe, ſed à diabolo homini vt illudatur procurari. Spiritus enim Dei eſt ſpiritus veritatis, & ſanctitatis, nihil niſi verum & ſanctum, & ab omni peccato alienum afferens: ex aduerſo autem ſpiritus diaboli eſt ſpiritus mendacij & ſpurcitiæ, nihil aliud ſtatim,aut poſt modicum niſi falſitatem aut impuritatem inducens. Ad quod notanda ſunt verba Bonauenturæ: Non videtur autem prætermittendum, quòd quidam decepti à ſeductoriis ſpiritibus, vel propriis falſis opinionibus, putant ſibi apparere in viſione vel ipſum Chriſtum, vel eius glorioſam genitricem,& non ſolùm amplexibus,& oſculis, ſed etiam aliis indecentioribus geſtis, & actibus ab eis demulceri, vt ſicut ſpiritus ipſorum interiùs ab ipſis conſolatur ſpiritualiter, ita & caro exteriùs ſibi congruo oblectationis ſenſu ſenſibiliter demulceatur, & carnaliter conſoletur,quod non ſolùm eſſe falſum, & ſeductorium, ſed etiam blaſphemia grauis eſſe cõprobatur. Spiritus ſancti viſitatio, ſicut contra omnia vitia reprimenda & deteſtanda infunditur, ita & ſingulariter contra carnis illecebras opponitur.Et vbi ſpiritus munditiæ ſuo iubare reſplenduerit,continuò omnes prauæ voluptatis motus euaneſcere,& velut tenebras ſubueniente lumine diſparere neceſſe eſt. Neque etiam prætermittamus oportet, quòd actus humani,quos Angeli in aſſumtis corporibus imitantur, non ſunt veri, ſed apparentes, quibus quid Chriſtus,aut Sanctus apparens, aut ipſe Angelus,ſi ſeipſum oſtendat,erga nos agant,deſignet. Nam neque oculis illius corporis Angelus videt, nec auribus audit, neque ſi hominem amplexatur, vitali illum amplexu tenet, ſed quàm benignè nos oculis intellectualibus intueatur, quàm amanter precibus noſtris intendat, quàm ſolicitè protegat, per illos actus manifeſtat. Similiter non progreditur progreſſione vitali,ſed corpus illud aſſumtum ad modum noſtræ progreſſionis mouet. Neque manducat, aut bibit, ſed ad modum manducantis atque viuentis, vt doceat quòd nobis condeſcendit,& ad noſtram fragilitatem ſe accommodat, cibum & potum conſumit. Ideo dixit Raphaël Angelus ad Tobiam:Videbar quidem vobiſcum manducare & bibere: ſed ego cibo inuiſibili, & potu, qui ab hominibus videri non poteſt, vtor.] *Tob.12. 19.* Immo neque aliæ qualitates ſenſibiles, quæ in illis corporibus percipiuntur,vt durities, mollities, viuificus calor, & aliæ huius generis veræ ſunt,quia hæ non niſi à corpore ſolido, & quod non tam facile euaneſceret: & aliquæ non niſi à corpore viuente dimanant,ſed ad oſtenſionem humani corporis ita apparent. Sicut & in Iride apparent colores ex admixtione lucis cum nube, qui tamen veri non ſunt.

Quæ apparitionum vtilitas, quæ cauſſa.

Sed quæ eſt harum apparitionum vtilitas, & quam ob cauſſam vult Deus, vt ciues cœleſtes & ſpiritus inuiſibiles hominibus in forma viſibili ſe manifeſtent? Huius multæ poſſunt cauſſæ ſignari. Prima,vt homo, ad quẽ apparitio deſtinatur, connaturaliſſimo ſibi modo proficiat. Nam ſic cœleſtia per ſenſus haurit, & oculis atque auribus ea videt & audit, quibus in ſanctis affectibus incaleſcit. Secunda,vt ſic Angeli & cœleſtes ciues naturam humanam nobilitent,& honore afficiant,dum eius effigiem induunt, & ac ſi eſſent homines huius regionis cum hominibus conuerſantur.Tertia, vt homines futuræ cum Angelis ſocietatis æternæ, quæ vtriſque in illa beata vita communis eſſe debet, pignus accipiant, dum vident eos quaſi huius vitæ conditionem ſubire, & ad noſtram paruitatem inclinari.Quarta,vt Deus his ſignis viſibilibus ſinceram pietatem & veram religionem prouehat, & per ſenſus in nos influat, quod ad eius venerationem accendat.Quinta,vt oſtendat quàm chara ſit illi noſtra ſalus, cuius cauſſa,vt rebus noſtris conſulat, quaſi naturæ ordinem interturbat, & cœleſtes ſubſtantias ad corporum abiectionem humiliat. Sexta, vt homo benignitatem Angelorum & Sanctorum erga ſe, & amorem, & miſericordiæ viſcera cernat,& in viſibili illo corpore,atque in his, quæ in illo geruntur, apparentis ſibi ſplendorem internum,& maieſtatem agnoſcat. Septima demum,vt ipſe homo minus ſibi tribuat, & humilitas cordi illi ſit, dum conſiderat ſe, non ſolùm interioribus inſtinctibus, quos fortè ſibi adſcriberet,ſed externis quoque hiſce adiumentis ad virtutem & ſæculi deſpicientiam impelli.

Quid facturus homo, cui talis apparitio offertur.

Illud tamen ſilentio premendum non eſt: quid facturus eſt homo, cui tales apparitiones offeruntur? Sciat ille hanc apparitionem viſibilem eſſe omnium infimam,& illuſioni diaboli magis expoſitam. Eſt quidem omnium infima ex eo,quòd ſenſibus exterioribus percipitur, qui imaginatione & intelligentia longè ſunt imperfectiores. Niſi fortè huic viſioni corporali viſio intellectualis adiungatur:vt in apparitione Angeli Gabrielis conceptum diuini Verbi annunciantis B. Virgini factum eſt. Eſt inſuper illuſioni dæmonis multum expoſita:

quoniam

quoniam virtute naturali potest corpus ex aëre formare, sicut possunt Angeli boni, & in illo Christum Dominum, aut virginem Mariam, aut Sanctum aliquem exhibere, vel seipsum Angelum lucis esse mentiri.

Hæ apparitiones ad veram sanctitatem non spectant.

Sciat etiam has apparitiones ad veram sanctitatem non spectare: quia eas habens propter illas nó est sanctior, & illis carens propterea quòd sibi non suppetunt, non est imperfectior. Dantur hæ occulto & iusto iudicio Domini tum bonis, tum malis. Nam & Pharao & Balaam visum viderunt, & Nabuchodonosor, & Balthasar, & alij multi, & propter hæc insueta visa meliores facti non sunt. Sæpe etiam visiones istæ sunt falsæ, & illusoriæ, iuxta illud Ezechielis: Vident mala, & diuinant mendacium.] Et: Numquid non visionem cassam vidistis, & diuinationem mendacem loquuti estis?] Sæpe ex vehementi apprehensione, & ex melancholia proueniunt, & sunt initia quædam insaniæ. Dato autem quòd sint veræ, per se meritoriæ non sunt, sed bonus earum vsus inspiciendus est, vt quis ex illis aliquid mereatur. Sæpe denique sunt signa cordis duri, & hominis huic mundo nimis addicti, qui tam extraordinariis mediis indiget vocari. Quare Gregorius exponens illud Iob: Numquid tenuisti cõcutiens extrema terræ, & hominem per terram intelligens, sic ait: Cùm autem Dominus duras atque insensibiles mentes respicit, modò eas minis, modò verberibus, modò reuelationibus terret, vt quæ pessima securitate duruerant, salubri timore molleſcant.

Ezech. 13. 6.

Iob 38.

Greg. 29. mor. c. 6.

Hæ apparitiones, si venerint, fugẽdæ humiliter, numquã verò expetendæ.

Sciat deinde apparitiones istas nec appetendas esse, neque postulandas, sed si incíderent humiliter fugiendas, rogandúsque Dominus, ne nos his insuetis rationibus, sed mediis ordinariis & solidioribus, si ita suæ maiestati visum fuerit, nostram salutem promoueat. Hoc ergo desiderium apparitionum, excessuum, & raptuum, & aliorum huiusmodi cohibendum, & omnino reiiciendum est. Nam & indicium est superbiæ occultæ, aut saltem vanæ curiositatis velle has res extraordinarias experiri. Et sic aditus dæmoni aperitur, cuius est superbos adoriri, & curiosas animas in errorem inducere. Ad hoc pulchra est sentẽtia Nili Abbatis docentis hæc desideria ex inani gloria procedere. Sic enim ait: Cùm iam deinceps mens purè, & sine perturbatione orat, non amplius dæmones à sinistris adoriuntur, sed à dextris, subiiciunt enim illi splendorem Dei, & imaginem quamdam eorum, quæ sunt amica sensui, vt videatur sibi finem ac propositum orationis perfectæ adeptus; hoc autem quidam vir multa actione exercitatus exposuit à vana gloria proficisci, simúlque à dæmone locum cerebri attrectante.] Et rursus: Existimo dæmonem, qui locum, quem dixi, attrectat, lumen menti circumfusum, vt ei libet, vertere: atque ita passionem vanæ gloriæ excitare, ita cogitatione mentem informando, vt ipsa mens coniecturam faciat diuinæ & substantialis cognitionis, itaque cùm istæ carnalibus & fœdis passionibus non agitetur, immo purè in oratione astet, non ampliùs putat aliquid in se ab aduersario fieri. Vnde suspicatur, quod sibi apparet, id esse diuinum, dum dæmon vehementer vi ingenij sui vtitur, ac per cerebrum lumen coniunctum immutat, & mentem, vt antè diximus, informat.] Hæc ille. Deinde, quia illa desideranda, & postulanda, & procuranda sunt, quibus Deo placemus, in virtute proficimus, ad perfectionem tendimus, & æternam salutem assequimur. Hæc autem sunt amor Dei & proximi, custodia exacta legis

S. Nilus de orat. c. 67.

Idem c. 68.

A

B

C

D

E

eius, solida virtus, abnegatio nostra, contemtus sæculi, & alia huius generis, non verò apparitiones ac reuelationes, in quibus multum solet esse periculi, & non multum vtilitatis. Nequaquam ergo ad hæc desideria nostra, aut orationes ferantur. Apparitiones verò istas fugere non est diuinis donis impedimentum apponere, sed solidioribus donis aditum aperire, & ad hæc & alia animum præparare. Humilitas enim est via regia ad dona Dei. Ille autem se per humilitatem deiicit, qui hæc dona insueta, & periculorum plena, tamquam indignus refugit.

Nullus ergo ausurus reuelationes petere.

Nullo ergo modo quis in animum inducat, vt has aut similes apparitiones appetat, sed in simplicitate cordis Deo seruiat, & propter veras solidásque virtutes ac omnem perfectionem in contemplationem & orationem incumbat. Hoc autem putat optimum remedium aduersùs illusiones diaboli Vincentius Ferrariensis, cuius sunt verba, quæ sequuntur: Primum ergo remedium contra tentationes spirituales huius temporis, quas procurat diabolus in cordibus aliquorum, est, quòd illi, qui volunt se subdere Deo, non desiderent per orationem vel contemplationem, vel per alia opera perfectionis, visiones, vel reuelationes, vel sentimenta quæ sunt supra naturam, & supra omnem cursum eorum, qui diligunt Deum, & timent per verissimum amorem: quia prædictum desiderium non potest esse desiderium sine radice & fundamento superbiæ, & præsumtionis, vel intentionis alicuius vanæ curiositatis circa Deum, vel sine fragilitate fidei. Et per hunc defectum iustitia Dei dimittit animam, quæ habet antedictum desideriũ, & permittit venire in talem illusionem, & tentationem diaboli per falsas visiones, & reuelationes, & falsas seductiones, per quem modum seminat maiorem partem tentationum spiritualium huius temporis, & radicat eas in cordibus illorum, qui sunt nuntij Antichristi, secũdùm quod poteris videre per subsequentia. Debes enim scire quòd veræ reuelationes & sentimenta spiritualia secretorum Dei non veniunt per antedictum desiderium, neque per aliquem conatum, seu studium, quod anima habeat in se, sed tantùm veniũt pura bonitate Dei in animam, quæ est in magna humilitate, & in magno desiderio Dei, & reuerentia. Nec etiam exercitet se homo in magna humilitate, & timore Dei propter hoc vt habeat visiones & reuelationes, & sentimenta supradicta: quia in idem delictum caderet, in quod per supradictum desiderium.] Hæc Vincentius. Quamuis autem hæc vera sint, non tamen oportet omnes huiusmodi apparitiones habere suspectas, quia aliquæ veræ sunt, & à Deo ad consolationem animarum iustarum, & propter causas suprà explicatas immissæ.

Vinc. de vita spir. c. 12.

Qui reprudiaris humiliter reuelationibus eas nihil omnino habet, tria faciet. Primum personam apparentem reuerẽter suscipiet.

Sed qui eas non appetit, nec petit, potius verò metuit, & simpliciter ob gloriam Dei, & propriam perfectionem orationi vacare cupit, si aliquid videat, quid tandem faciat? Tria illi facienda sunt. Primò Christum sibi apparentem, vel virginem Mariam, vel aliquem ex Sanctis, aut Angelis reuerenter & deuotè suscipiat, & congrua adoratione, vel cultu se illi submittat. Nam quamuis ille esset diabolus, nullum est in hac adoratione periculum, ex quo ipse non diabolum adorat, nec veneratur, sed Christi, aut Sanctorum imaginem sibi ostensam: quæ adoratio non in diabolum fertur, sed in Christum repræsentatum terminatur. Se etiam ad Domini & Sanctorum amorem afficiat, & quid boni & vtilis sibi dicatur, quísque sit finis illius

reuelationis attendat. An ipſum in tribulatione conſolari, an tepidum excitare, an ſtrenuè ſe gerentem magis ac magis animare, an arrham quamdam futuræ vitæ præbere, an tenerrimum & fideliſſimum Domini erga ſe amorem oſtendere.

Secundù: opportunè magiſtro ſpiritus apparitionem aperiat, vt ab eo dirigatur. Vel ipſe videat, an ſint diuinæ Scripturæ cõformes. Richard. Beniam. minor, c. 61.

Secundò conuenienti tempore hanc apparitionem Magiſtro ſpiritus, vel alij viro prudenti manifeſtauit, vt ab eo de veritate apparitionis doceatur, & in omnibus dirigatur. Si autem hominem ad hoc ſufficientem non habeat, ipſe prudenter per ſe expendet, ac cogitabit, qualis ſit iſta ſalutatio, ad quod lucem & diſcretionem ſpiritus obtinere petet. Et quamuis de hoc poſtea multa dicemus, interim conſideret, an apparitio ſit diuinæ Scripturæ & ſenſui Eccleſiæ conſona. Vnde Richardus: Sed ſi iam te exiſtimas aſcendiſſe ad cor altum, & apprehendiſſe montem illum excelſum & magnum: ſi iam te credis Chriſtum videre transfiguratum, quidquid in illo videas, quidquid ab illo audias, non ei facile credas, niſi occurrant ei Moyſes & Elias. Scimus, quia in ore duorum vel trium ſtat omne teſtimonium. Suſpecta eſt mihi omnis veritas, quam non confirmat Scripturarum authoritas: nec Chriſtum in ſua clarificatione recipio, ſi non aſſiſtant ei Moyſes & Elias. Et in valle & in montis aſcenſione Chriſtum ſæpe recipio ſine teſte, numquam autem in montis vertice, vel in ſua clarificatione. Si Chriſtus docet me de rebus exterioribus, vel de intimis meis, facile recipio, vtpote in his, quæ comprobare poſſum proprio experimento. Verùm vbi ad alta mens ducitur, quando de cœleſtibus quæſtio ventilatur, vbi de profundis rebus agitur, in tantæ ſublimitatis vertice non recipio Chriſtum ſine teſte, nec rata poterit eſſe quælibet veriſimilis reuelatio ſine atteſtatione Moyſis & Eliæ, ſine Scripturarum authoritate. Adhibeat igitur ſibi Chriſtus duo teſtimonia in trãſfiguratione ſua, ſi vult vt non ſit mihi ſuſpecta claritatis ſuæ lux illa tam magna, & tam inſolita.] Sic ille. Deinde, an ad humilitatem, & ſui contemtum ex reuelatione moueatur. Vt enim ait Gerſon: Quoties enim ſibimetipſi quis placet, atque in ſe de ſeipſo gaudet, certus ſit à vera humilitate ſe eſſe alienum, nec conſolationes ſuas, quibus iucundatur, à Deo habere ſciat originem, vera enim humilitas ſemper exiſtens ſociata viſitationibus bonis atque diuinis, dat cognoſcere ad imum, & veraciter defectus ſuos, per quos ſibi homo diſplicet, redditúrque vilis atque abominabilis in aſpectu ſuo, nihilominus placentiam maximam habẽs, ſed quæ in gratia, miſericordia, bonitatéque diuina conſiſtit.] Tandem expendat an ad charitatem & omnem virtutem ſe ſentiat excitari: quia hoc eſt proprium diuinarum conſolationum, vt Diadochus ait: Si autem hæc habuerit, poterit de diuina miſeratione ſperare, quòd ab aduerſario non fallitur.

An ad humilitatẽ moueant. Gerſ. de mõte contemplat. c. vlt.

An ad omnem virtutẽ ſe ſentiat excitari. Diad. de perfect. c. 32.

Tertiò demum quandoquidem ad cœleſtium conuerſationem admittitur, curet vitam cœleſtem æmulari, & ita viuere vt mundo mortuus, Deo verò viuus ſit, & appareat, & per omnimodam ſui abnegationem magis ac magis ad cœleſtia dona ſe diſponat. Sic fiet, vt apparitiones iſtæ, & intuitiones rerum diuinarum, quæ in illis contingunt, animæ vtiles efficiantur. Tandem ſciendum eſt, alio etiam modo has apparitiones exteriores fieri poſſe, ſcilicet per immutationem ſenſuum noſtrorum. Ita ſcilicet, vt Angelus apparens nullum corpus aſſumat, ſed ſolum oculum videntis immutet, & ſimilitudinem aliquam inferat rei, quam videri vult. Et hac ratione fieri ſolent apparitiones in Euchariſtia, quando in hoſtia videtur puerulus, vel caro, vt illa apparitione veritas corporis Chriſti latentis efficaciùs oſtendatur. Sed ad tractationem rerum ſpiritualium parum hæc conferunt, & ideo omittantur.

Tertium: curet vitam cœleſtem æmulari.

Apparitiones fiunt per immutationem ſenſuum noſtrorũ.

Vndecimus gradus contemplationis: Apparitio Chriſti & Sanctorum imaginaria.

CAPVT XI.

Alia apparitiones imaginaria.

ALIVD genus apparitionis, & quidem perfectius, eſt illud, quo imaginationi aliquid ſpectandum proponitur. Nam imaginatio ſeu phantaſia ſicut intellectu eſt inferior, ita eſt ſenſu omni exteriori ſuperior. Et quamuis corporea ſit, in capitéque propriam ſedem propriúmque organum habeat, eſt tamen ſenſibus exterioribus ſubtilior, & percipit etiam res abſentes, & præteritas, & futuras, (quod ſenſus externi non faciunt) immo & aliquas numquam futuras, aut impoſſibiles, fingit, vt omnibus notum eſt. Atque adeò cùm hæc potentia ſit præſtantior, & media inter intellectum, & ſenſum, & intellectui propinquior, elicitur apparitionem illi factam eſſe perfectiorem. Eſt autem apparitio imaginaria, qua aliquid diuinum ac cœleſte imaginationi videndum proponitur, nõ minus clarè, quàm ſi corporeis oculis cerneretur. Fit autem hæc apparitio per ſpecies ſeu figuras, & imagines rerum, quas iam habemus, & ſenſibus exterioribus hauſimus, vel per nouas imagines à Deo, vel Angelis proximè immiſſas, quas numquam antea recepimus. Eſt quoque admodum diſtincta ab imaginationis functione, quam nos ipſi ſecundùm naturã elicimus. Nam hanc paulatim depingimus, & cum aliquo labore & facile ab illa diſtrahimur, & ſæpè remiſsè ad aliquem affectum permouemur, & manifeſtè ab actu exterioris ſenſus ſecernimus, nóſque non videre, ſed cogitare cognoſcimus. Hæc autem viſio ſubitò & ſine vllo labore cogitationi orantis offertur, à qua, licèt homo velit, ea durante numquam diſtrahitur, & vehementiſſimè ad affectum à Domino intentum allicitur, & tam clara & intenſa eſt, vt res propoſita oculis ſpectari, & vox eius auribus ipſis corporis audiri videatur. Nam & apparitionem vocalem (quam dicunt) ad imaginariam reducimus, quoniam tam res, quàm vox eius in hoc genere apparitionis cogitatione ſeu imaginatione percipitur. Vocatur autem hæc viſio, ſeu apparitio imaginaria, non quaſi ſola imaginatio operetur, & intellectus otioſus ſit, ſed quia præcipua Dei impreſſio fit in imaginatione, per quam res nobis propoſita ad intellectum tranſit.

A quo hæc apparitio fiat, quibus inſtrumentis, quid per eam innoteſcat, quo fine, in qua hominis diſpoſitione, &c. videndũ eſt. A quo fiat.

Circa hanc verò apparitionem videndum eſt, à quo fiat, quibus quaſi inſtrumentis fiat, quid per illam innoteſcat, quo fine, in qua hominis orantis diſpoſitione, & quid ipſe facturus ſit, vt eius perceptione proficiat. Apparitio hæc vel fit immediatè à Deo imaginationem mouente, & illuminante; vel ab Angelo, qui etiam mouendi imaginationem hominis habet poteſtatem. Quando verò fit à dæmone, qui pro naturæ ſuæ perfectione, quam per peccatum non perdidit, poteſt hominis imaginationem mouere, non appellatur reuelatio aut apparitio, ſed illuſio, de qua nunc non agimus. Non

verò

verò potest fieri ab aliquo, vt ab alio homine, quia hic non potest immediatè imaginationem alterius immutare, sed mediis verbis, vel signis, vel actionibus, vel rebus, quæ sensibus externis proponuntur, vt imaginatio cõsueto modo aliquid cogitet, quod (vt ex dictis constat) ad reuelationem non pertinet. Instrumenta huius apparitionis, seu reuelationis, sunt species duplices seu figuræ rerum, quas velut depositum fidei imaginationis commissum ipsa custodit. Alteræ sunt naturali modo per sẽsus externos à rebus acceptę, quas, vt Thomas ait, Deus, aut Angelus conuenienter disponit, vt ea, quæ vult, clarè repræsentent, & lucem supernaturalem ad intelligendum quid significetur, infundit. Alteræ sunt non ordinario modo habitæ, sed à Deo, vel Angelo imaginationi videntis impressæ, & ita ordinatæ, vt quid sibi significetur intelligat. Semper autem vel lux naturalis à superiori natura, nempe à Deo, vel Angelo confortatur, vel noua lux superioris ordinis secundùm rei reuelatæ exigentiam immittitur.

D. Th. 22. q. 173. ar. 2. & q. 174. ar. 2. & 3.

In hac apparitione solet videri Deus, non quidem intuitiuè, quia solus intellectus huiusce visionis est capax, atque adeò nec per propriam speciem, aut figuram. Quia hæc secundùm multos ac probatissimos Doctores est impossibilis, vnde Deus per semetipsum, & non per speciem aliquam intellectui Angeli, & hominis beati vnitur, vt ab ipsis clarè videatur. Aut si est possibilis, quod alij non inferioris notæ Doctores censent, at in imaginatione corporea species spiritualissima esse non potest. Apparet ergo Deus per species & figuras corporum, quibus suas diuinas perfectiones vtcumque homini manifestat. Sic solet apparere vt splendidissima lux, vel vt pulcherrimus ignis, vel vt immensum mare, sub quibus similitudinibus eius sapientia, & pulchritudo, & immensitas innotescit. Hoc visionis genere apparuit Dominus Danieli. Antiquus, ait, dierum sedit: vestimentum eius candidum quasi nix, & capilli capitis eius quasi lana munda: thronus eius flammæ ignis, rotæ eius ignis accensus. Fluuius igneus rapidúsque egrediebatur à facie eius. Apparuit antiquus ad denotandam æternitatem, vestimento candido amictus propter sanctitatem, capillis mundissimis ornatus propter iudiciorum summam æquitatem: throno insidens propter maiestatem, igne circumdatus propter operandi efficacitatem, fluuium igneum & rapidum emanans ob beneficiorum copiam, & subueniendi celeritatem. Solet etiam apparere Christus Dominus secundùm diuersam dispositionem, quam habuit in diuersis mysteriis, vt si appareat infans vt erat in præsepio, puer vt in reuersione ex Ægypto, vir in munere prædicatorio, lætus in resurrectione, afflictus in cruce. Sic apparuit Dominus sæpe Ioanni, vt ipse narrat in sua Apocalypsi. Exempli gratia: cùm vidit septem candelabra aurea, & in medio septem candelabrorum aureorum similem filio hominis vestitum podere, & præcinctum ad mammillas zona aurea, & cætera quibus Christum Iesum à se visum describit. Apparet deinde Beatissima Virgo, vel aliquis ex Sanctis, vel aliquis Angelus in specie pulcherrimi iuuenis. Omnes, inquam, istæ personæ apparent imaginationi in effigie decentissima, & aliquid diuinum & supra naturam præseferente, & ad Dei & Sanctorum reuerentiam, & amorem, & alios affectus mirabiles prouocante. Si autem aut hæc purissima, & ad omnem castimoniam inducens forma deesset, aut in sola curiositate videndi persisteret visio, & nihil solidum voluntati, nihil sanctum afferret, ipsa se proderet, quod aut est delirium hominis cogitantis, aut astus diaboli decipientis.

In hac apparitione apparet Deus per species & figuras corporeas, &c.

Dan. 7. 9

Apoc. 1. 13.

Sed quo fine Deus hoc genere reuelationis seu visionis imaginariæ hominem in contemplatione promouet? Facit hoc, quemadmodum in præcedenti apparitione diximus, vt conditioni humanæ naturæ se accommodet, quæ sensibus ducitur, & ad perfectiorem notionem veritatis adiuuetur. Vt etiam imago Domini nostri Iesu Christi, & sanctissimæ Virginis, & Sanctorum in mente orantis tenaciùs hæreat, cuius præsidio illum ad feruentiorem & magis assiduum amorem alliciat. Vt denique non solùm cor hominis, id est, mens, sed etiam caro eius in Dominum vehementer exulter, nam appetitus in hac visione sensibili amore Dei mirum in modum accenditur, & totus homo interior & exterior hoc igne charitatis absumitur, & ab amore rerum visibilium abstrahitur. Quare & hæc visio, licèt breuis sit, suauissimos ac pretiosissimos fructus relinquit. Cognoscit anima eam à Domino fuisse profectam, in hoc quòd licèt per totam vitam & summa industria, laboraret imaginem tam pulchram, tam perspicuam & manifestam, tanti splendoris, tantæque maiestatis, intra seipsam formare non posset. Relinquit etiam altissimam humilitatem, reuerentiam, fiduciam postulandi, & impetrandi, amorem & desiderium magna agendi, & patiendi propter Dominum, & reliqua huiusmodi, de quibus in aliis gradibus dictum est.

Quo fine fiat.

Accidit autem hæc visio imaginaria homini in vigilia, & in somno, & in vigilia vel cùm est sui compos, vel cùm in ecstasi, aut raptu est ab vsu sensuum externorum auulsus. Accidit, inquam, in somno aliquando, cùm hominem castè & modestè, & ex recta intentione dormientem, solet Dominus hac rerum cœlestium ostensione, quæ à sensibus externis omnino non pendet, subleuare. Accidit etiam in vigilia, cùm anima piè Deo intendens ad id inspiciendum erigitur, quod Deus illi, vel in se existenti, vel à sensibus externis abstractæ reuelare disposuit. Sed in somno (& idem quæritur in ecstasi, & in raptu) cùm homo sensibus internis ad Dominum sibi repræsentatum attendit, & ab eo aliquid petit, & affectu cordis & voluntatis diligit, & bona desideria habet, an aliquid mereatur, apud Theologos quæstio est. Et quidem certum est hanc visionem posse antecedenter & consequenter aliquod immo & magnum meritum habere. Antecedenter quidem si (vt dicit Cæsarius, Monachus Cistercienſis) sancta cogitatio præcesserit, quæ Domini scilicet visitationem obtinuerit. Consequenter verò, si postea animo vigilante ad opera insignia virtutis accenderit. Ambiguum est autem an in ipso somno, atque in alienatione à sensibus per hanc apparitionem homo aliquod meritum sibi conquirat. Et cùm in ea sint duo, alterum est attentio imaginationis & intellectus ad ea quæ reuelantur: alterum amor, vel alius affectus voluntatis, de vtroque dubitatio est. Atque ego existimo opus intellectus, & imaginationis

Accidit in vigilia, vel somno.

Cæsar. lib. 8. c. 4. In alienatione est attẽtio imaginationis, & amor voluntatis. Opus intellectus, & imaginationis in sõno omni caret merito ordinariè.

in ſomno, & in ecſtaſi & raptu, immo & in vigilia ordinarie nullum habere meritum: quoniam deeſt huic actui neceſſaria libertas. Animus enim ita à diuina luce ad apprehendendum & attendendum trahitur, vt aliud quidquam cogitare, aut ab illa cognitione ceſſare non poſſit. Dico ordinariè, quia per miraculum, & per nouum donum ſupra viſionem hanc imaginariam, aut ſupra ecſtaſim & raptum, bene poſſet Deus, ex aliquorum ſententia, ita confortare intellectum, & imaginationem dormientis, & purificare ac clarificare à nimiis vaporibus organum eius, & ita intellectum ſuauiter mouere, vt non omnino tractus, & quaſi ligatus ex virtute luminis, ſed ductus iudicaretur, & tunc cùm poſſet à cognitione ceſſare, etiam poſſet attendendo & cognoſcendo mereri. Et ſecundùm aliquos talis fuit ſomnus Adæ, ſi ſimul ecſtaſim habuit, & obdormiuit: de quo in Geneſi: Immiſit ergo Dominus ſoporem in Adam, cúmque obdormiiſſet, tulit vnam de coſtis eius.] Quem locum interpretans Rupertus, ait: Sopor, quem Deus Adamo immiſit, non claudere vigilias rationis debuit, ſed obſeratis quinque ſenſibus corporis, ſenſum mentis liberum reliquit, vt ſcire poſſet, quid erga ſe faceret omnium artifex ſapientia. Talis & ſomnus Salomonis: Cui apparuit Dominus per ſomnium nocte, dicens: Poſtula quod vis, vt dem tibi. Et cùm poſtulaſſet ſapientiam, placuit ſermo coram Domino. Sed vt ingenuè fatear quod ſentio, hæc attentio tam relicta in voluntate hominis, vt non neceſſitetur ad attendendum, eſt contra naturam harum viſionum, & ecſtaſum, ac raptuum: quæ hominem aptum ad aliud cogitandum, aut ad ceſſandum à cognitione omnino non ſinunt. Quare puto notitias iſtas non eſſe liberas, nec meritorias, licèt ſint magnorum meritorum initia, vt modò dicemus. Sopor autem Adæ, mentem quoad voluntatem, non verò quoad intellectum liberam reliquit, & petitio in ſomno Salomonis placuit in cauſſa ſua, quia priùs vigilans (vt Thomas ait) deſiderium ſapientiæ ad populum regendum habuit, ac de iſta poſtulatione cogitauit.

De actu verò voluntatis, quæ ex hac apparitione imaginaria ſequitur, maior difficultas eſt. Quadrupliciter ergo homo apparitionem imaginariam poteſt habere. Primò vigilans & abſque abſtractione à ſenſibus, & tunc certiſſimum eſt affectus voluntatis liberos eſſe ac meritorios. Quia licèt imaginationi neceſſitas inferatur ad attendendum, non verò voluntati infertur ad amandum. Neque eſt vnde hæc neceſſitas oriatur, vt ſtatim patebit. Secundò poſitus in ecſtaſi, & tertiò conſtitutus in raptu, qui vehementior eſt. Et in his duobus voluntas liberè diligit Chriſtum ſibi præſentatum, aut ſanctum aliquem, & alios affectus pios elicit, & ad poſtulandum intellectum mouet. Nam libertas auferri non poteſt ex parte Dei neceſſitantis voluntatem, cùm hoc ſit contra finem à Deo in ecſtaſi & raptu intentum; quòd homo ſanctior & ſibi coniunctior euadat. Neque ex parte rei amatæ, quæ nec ſummum bonum eſt, aut ſi eſſet ſummum bonum quod proponitur, ſcilicet ipſe Deus figuris ſenſibilibus obuelatus, non tamen clarè, aut vt eſt in ſe conſpicitur. Vnde non poteſt voluntatem cogere, vt actum amoris habeat, vel illum non omittat. Neque ex parte cognitionis, aut viſionis perfectiſſimæ: quia illa quantumuis perfecta, non eſt tamen viſio beata, cuius ſolius proprium eſt, voluntati ad amandum Deum clare viſum neceſſitatem inferre. Quoniam & in ipſo Deo, atque in ipſa viſione eſt ratio ſummi boni ac beatitudis noſtræ obiectiuæ & formalis (vt aiunt) in qua nulla ratio repræſentari poteſt, quare bonum ſit & conueniens ab illa ceſſare. Neque ex parte tandem neceſſitatis viſionis imaginationis, aut intellectus. Nam licèt hæc ſit neceſſaria, non tamen ſemper rapit ſecum voluntatem, cùm ipſa habeat modum operandi ab intellectu longè diuerſum. Vnde Bernardus tres ſuos gradus contemplationis enumerans optime docet, quomodo animus aliquando quidem inſtruatur, ſed non afficiatur. Quod non diceret, ſi perfectam contemplationem aut viſionem neceſſariò ſequeretur affectio. Eius verba ſunt: Nec te moueat quòd initium ſapientiæ huic demum loco dederim, & non priori. Ibi quippe in quodam quaſi auditorio ſuo docentem de omnibus magiſtram audimus ſapientiam, hîc & ſuſcipimus. Ibi inſtruimur quidem, ſed hîc afficimur. Inſtructio doctos reddit, affectio ſapientes. Sol non omnes quibus lucet, etiam calefacit. Sic ſapientia multos, quos docet quid ſit faciendum, non continuò etiam accendit ad faciendum. Aliud eſt multas diuitias ſcire, aliud & poſſidere: nec notitia diuitem facit, ſed poſſeſſio. Sic prorſus ſi aliud eſt noſſe Deum, & aliud timere: nec cognitio ſapientem, ſed timor facit, qui afficit. Túne ſapientem dixeris, quem ſua ſcientia inflat? Quis illos ſapientes, niſi inſipientiſſimus dicat; qui cùm cognouiſſent Deum, non tamquam Deum glorificauerunt, aut gratias egerunt? Ego magis cum Apoſtolo ſentio, qui inſipiens cor eorum pronuntiat. Et bene initium ſapientiæ timor Domini: quia tunc primùm Deus animæ ſapit, cùm eam afficit ad timendum, non cùm inſtruit ad ſciendum. Times Dei iuſtitiam, times potentiam, & ſapit tibi iuſtus, & potens Deus: quia timor ſapor eſt. Porrò ſapor ſapientem facit, ſicut ſcientia ſcientem, ſicut diuitiæ diuitem.] Hæc ille. Cuius ſententia cùm de perfecta contemplatione loquatur non incongruè ad ecſtaſin & raptum poteſt extendi.

At ſi quarto modo apparitio imaginaria fiat, nimirum in ſomnis, affectus ex hac viſione ſequuti abſque nouo & miraculoſo dono liberi & meritorij eſſe non poſſunt. Somnus enim ſenſus exteriores ligans, & phantaſiam, ſiue imaginationem perturbans vaporibus ex ſtomacho aſcendentibus, vſum rationis ac liberi arbitrij adimit, ſine quo, ſi qui ſint affectus, non queunt ad meritum computari. Si autem Dominus ita phantaſiam in ſomno purificaret, & componeret, vt vſum rationis non tolleret, iam hoc ſupra naturam, & ſupra rationem reuelationis in ſomno factæ eſſet.

Sed ſi hæc ita ſunt, cur Deus dormienti homini viſiones & reuelationes immittit? Huius rei nonnullæ afferuntur cauſſæ. Vna eſt, quia homo in vigilia per ſenſus exteriores in varia & multa diſtrahitur, nunc his, nunc illis affectibus & deliberationibus quatitur, multis negotiis & occupationibus diſtinetur. In ſomno verò quietior eſt, & totus in ſe collectus vt poſſit commodiùs diuinum influxum accipere.

Gen. 2. 21.

Rupertus.

3. Reg. 3. 5. & 10.

D. Thō. 1. 2. q. 113. art. 3. ad 2.

Quadrupliciter homo imaginariam apparitionē habet.

Vigilans.

In ecſtaſi.

In raptu.

Bernard. ſer. 23. in Cant.

Quarto modo apparitio fit in sōnis, in qua nihil poteſt eſſe meriti.

Quare Deus dormiēti viſiones immittit, cum iniis non ſit meritū.

Altera eſt, quia homo vigilans omnia quę ſibi offeruntur expendit, & ad normam rationis exigit, dormiens verò, quę ſibi dicuntur vel oſtenduntur ſimpliciùs accipit, & abſque examine ſe Deo credulum & obſequentem præbet. Certum eſt autem ad diuinos inſtinctus capiendos, & affectu præguſtandos, melius eſſe agi, quàm agere, & ſe non tam dictorum æſtimatorem, quàm ſyncerum auditorem exhibere. Tertia, quia in ſomno propter noctis ſilentium, & ſenſuum exteriorum quietem, & omnium, quæ animi attentionem remittere poſſunt, vacuitatem, quælibet vel leuis inſpiratio magnam vim habet ad commouendum animum, & ad id, quod ſibi diuinitus proponitur, & capiendum, & amplectendum. Quarta, vt Deus ſuam in hominem poteſtatem manifeſtet. Nam homo hominem niſi vigilantem, audientem, & attendentem docere non poteſt. Deus autem altiſſimè dormientem, & ſomno indulgentem, & ſui ac omnium oblitum docet, & ſuum imperium in facultates noſtras, quomodocumque impediantur oſtendit. Quinta, ne exiſtimemus ſcientiam per mortem auferri, aut ſolùm per ſenſum & rationem comparari: eſſéque Deum ſcientiarum Dominum, qui poſſit vt voluerit animum de rebus abditiſſimis erudire. Sexta, vt qui in vigilia mundo & ſenſibus moritur per abnegationem ſui, vt Deo viuat, in ſomno, ſiue imagine mortis donum viuentis habeat, vt à Deo incitatus alta & ſuperiora diſcernat.

Quid in viſione imaginaria ab anima faciendum.

Sed quid anima factura eſt, cùm hanc viſionem imaginariam, ſiue reuelationem experitur? Eam opportuno tempore ſecundùm regulas ſuprà de corporea apparitione datas, & alias infrà ponendas attentè humilitérque diſcutiet. Se ſine meritis ſciet (nam hæc dona non cadunt ſub meritum) & ex mera Dei miſeratione his extraordinariis mediis ad ſalutem & perfectionem adiuuari. Ad Chriſtum Dominum, vel beatam Virginem, vel Sanctum ſibi apparentem ſe vehementer afficiet, & ipſi amore, ac reuerentia, & aliis ſanctis affectibus, quos ſibi immiſſos ſentiet, inhærebit. Memoriam illius imaginis viuidam (quantum potuerit) & integram conſeruabit, quia efficaciſſima eſt ad colligendam mentem, & diuinam præſentiam conſeruandam. Illud denique curabit, vt vitæ puritate, & perfectiſſima ſui abnegatione ad alia dona maiora & ſolidiora ſe præparet. Nam quem Dominus tam familiariter ſibi ac cœleſtibus ciuibus adiungit, ad ſummum contemplationis faſtigium efferre vult, niſi ipſe homo impedimentum apponat, & culpa ſua Domino aduenienti, & ſe ingerenti viam, qua ad animas ſanctas venire ſolet, præcludat.

Duodecimus gradus contemplationis: Viſio intellectualis.

CAPVT XII.

Viſionum præcipua intellectualis.

ISIONVM ſeu reuelationum præcipua eſt intellectualis, quæ omnino ſpiritualis eſt, & non in ſenſu exteriori, non in phantaſia, ſeu imaginatione, ſed in ſolo intellectu perficitur. Eſt autem viſio intellectualis manifeſtiſſima quædam rerum diuinarum, aut cœleſtium oſtenſio, quæ ſoli intellectui inſpicienda obiiciuntur. De qua videndum eſt, quis eam faciat, quis recipiat, quid ea videatur, & quibus inſtrumentis fiat. Cauſſa efficiens huius viſionis ſeu apparitionis eſt Deus, vel ſolus, vel adiuncto ſibi aliquo Angelo, cuius miniſterio vtatur. Quando verò credendum ſit à Deo ſolo procedere, vel etiam ab Angelis, ex his, quæ de huius viſionis inſtrumento ſtatim dicendum eſt, vtcumque notum fiet. Huius ergo viſionis cauſſam eſſe Deum Auguſtinus docuit breuiſſimis verbis tres iſtas apparitiones complectens. Veritas incommutabilis, inquit, per ſeipſam ineffabiliter loquitur rationalis creaturæ mentibus, aut per mutabilem creaturam loquitur, ſiue ſpiritualibus imaginibus ſpiritui noſtro, ſiue corporalibus vocibus corporis ſenſui.] Nec moueat quòd de locutione, non de viſione loquitur: quoniam vtriuſque, viſionis ſcilicet, & locutionis intellectualis eadem ratio eſt, & in quo differant poſt pauca dicemus. Huius quoque viſionis meminit idem Auguſtinus alio loco his verbis notatu digniſſimis: Si cui ſileat tumultus carnis, ſileant phantaſiæ terræ, & aquarum, & aëris, ſileant & poli, & ipſa ſibi anima ſileat, & tranſeat ſe non ſe cogitando, ſileant ſomnia, & imaginariæ reuelationes, omnis lingua, & omne ſignum, & quidquid tranſeundo fit, ſi cui ſileat omnino: quoniam ſi quis audiat, dicunt hæc omnia. Non ipſa nos fecimus, ſed fecit nos, qui manet in æternum. His dictis ſi iam taceant, quoniam erexerunt aurem in eum qui fecit ea, & loquatur ipſe ſolus, non per ea, ſed per ſeipſum, vt audiamus verbum eius, non per linguam carnis, neque per vocem Angeli, neque per ſonitum nubis, neque per ænigma ſimilitudinis, ſed ipſum quem in his amamus, ipſum ſine his audiamus, ſicut nunc extendimus nos, & rapida cogitatione attingimus æternam ſapientiam ſuper omnia manentem, ſi continuetur hoc, & ſubtrahantur aliæ viſiones longè imparis generis, & hæc vna rapiat, & abſorbeat, & recondat in interiora gaudia ſpectatorem ſuum, vt talis ſit æterna vita, quale fuit hoc momentum intelligentiæ, cui ſuſpirauimus, nónne hoc eſt: Intra in gaudium Domini tui?] Hæc ille.

Cauſſa efficiens huiuſmodi viſionis eſt Deus.

Aug. 16. de Ciuit. c. 6.

Aug. 9. conf. cap. 10.

Hac viſione intellectuali Dominus dignatus eſt Moyſem, cùm inſpirabat illi, vt poſtularet: Oſtende mihi faciem tuam.] Et Paulum, cùm raptus eſt in tertium cœlum. Et Ioannem Euangeliſtam in ſua Apocalypſi ex ſententia Bonauenturæ. Qui licèt ſub figuris corporearum rerum, inquit, deſcribat eam, creditur tamen omnia purè didiciſſe, & intellexiſſe, quæ ibi figuraliter deſcribit, vel propter capacitatem aliorum, quibus ipſa pura veritas pro ſui ſplendore imperceptibilis fuit: vel magis propter myſteriorum reuelationem, quæ non omnibus paſſim propalanda ſunt, vt exerceantur digni, & excludantur indigni à ſecretorum myſteriorum intelligentia. Receperunt autem hi, & quotquot hanc viſionem receperunt apice mentis, ſeu fundo ſpiritus, quibus verbis obſcuris nihil aliud ſignificatur, quàm ipſe intellectus, non prout ratiocinatur, ſed prout ſimpliciter intuetur, & prout in imaginibus phantaſiæ non aliter quàm aquam in vitro veritatem inſpicit, aut per ſuperio-

Hac viſione intellectuali Dominus Moſem illuſtrauit, & alios. Exod. 33. 13. 2. Cor. 12. 4. Bonau. 7. proceſſu religio. c. 18.

res ſpecies ſine cooperatione phantaſiæ in veritatem intendit. Communicatur verò hæc intellectualis viſio homini, vel in ſe quidem exiſtenti, vel per eſtaſim à ſenſibus abſtracto, vel per raptum ab omnibus viſibilibus alienato. Poteſt etiam communicari in ſomno, ſi detur homini cognitio per ſpecies infuſas, & ſine conuerſione ad phantaſmata, vel etiam cum conuerſione ad ea, ita tamen vt ſenſus interni ſupernaturaliter confortati pleno iudicio rationis cooperentur. Et tunc quidem ſaltem actibus voluntatis homo meritum habere poſſet, vt ſuperiori capite dictum eſt. An autem actu alicui tale genus viſionis & contemplationis in ſomno detur, mihi compertum non eſt. Illud habuit Chriſtus Dominus, qui dormiens etiam ſuam diuinitatem contemplabatur per ſcientiam infuſam, & amore ardentiſſimo complectebatur. Illud & credibile eſt habuiſſe beatam Virginem, de qua Rupertus hæc ait: Multarum animarum fuit, & eſt non ſolùm ſecundùm illam ſimilitudinem otio ſancto dormire, id eſt, à terrenis curis vacare, & in cœleſtibus per contemplationem vigilare: verumetiam eôdem modo, quo & Iacob tunc dormiuit, ſecundùm corpus dormire, & ſecundùm animam per ſomnium cœleſtia videre; iuxta illud: Senes veſtri ſomnia ſomniabunt, & iuuenes veſtri viſiones videbunt. Sed tu ô cœlum Dei, vnica ſedes Domini, in vtroque vigilantiæ modo cunctis mortalibus, ſiue terrenis hominibus longè eminentior extitiſti, longè ſtudioſior ad contemplandum eum, in quem deſiderant Angeli proſpicere, atque aptior fuiſti.] Inſinuat & Ambroſius: Dormire virgini Mariæ, non prius cupiditas quàm neceſſitas fuit. Et tamen cùm quieſceret corpus, vigilaret animus: qui frequenter in ſomnis aut lecta reperit, aut ſomno interrupta continuat, aut diſpoſita gerit, aut gerenda prænuntiat.] Sic & aliis licèt non eodem gradu, neque ſimili continuatione fortè hoc datum eſt. Sed ego neminem adhuc reperi, nec legi, qui ita in ſomno contemplationi vacaret, vt crederem illum mereri. Licèt enim multos ex viris ſpiritualibus inuenias, qui interdum ſomno cœleſtia percipiant, & quaſi ſemina quædam contemplationis in vigilia acceptæ habeant. Tamen ipſi ſentiunt, tunc non liberè ſe habere, ſed ex præcedenti ſtatu formari, & ſomno ipſo non hebetiores fieri, ſed ad futuram contemplationem diſponi. Sed hæc relinquamus dummodo certum maneat viſionem intellectualem in vigilia, & in ſomno, & in ecſtaſi, & raptu poſſe contingere: ac opere ipſo à viris ſpiritualibus in ſe exiſtentibus, vel in ecſtaſin raptis haberi.

Rup. lib. 3. in Cāt. Credibile eſt B. Virginē in ſomnis per ſpecies infuſas viſiones intellectuales habuiſſe, iiſque meruiſſe.

Amb. 2. de Virg.

Quid inſpicit anima per viſionem intellectualem.

Sed quid anima per viſionem intellectualem inſpicit? Primò, & principaliter ipſum Deum, & ea quæ pertinent ad diuinæ naturæ vnitatem, & perſonarum Trinitatem. Verùm quatenus viſio intellectualis circa diuinitatem verſatur, tres poſtremos gradus contemplationis conſtituit, de quibus in ſequentibus dicemus: vnde quæ alia per ea videantur, quæ ad hunc gradum ſpectent, dicendum eſt.

Hac viſione videtur Chriſtus Op. Max. B. Virgo, Sancti, & Angeli, &c.

Hac ergo viſione intellectuali videtur Chriſtus Dominus ab anima contemplante, & beata virgo Maria, & aliquis ex Sanctis, & Angelus cuſtos vel alius, & hoc ſine vlla imagine corporali. Videntur etiam multæ veritates, ad fidem vel ad mores pertinentes, quibus homo de cognoſcendis & agendis inſtruitur. Prius verò quam explicemus modum huius viſionis, lector ſcire debet hoc eſſe certiſſimum, licèt ipſe numquam expertus fuerit ſimilem viſionem ſine imagine circa quam phantaſia operetur. Quam viſionem habuit Dauid de myſterio incarnationis: nam eius contemplatio erat ſicut lux auroræ, oriente ſole, manè abſque nubibus rutilat, & ſicut pluuiis germinat herba terræ. Quo loco naturam reuelationis ſibi factæ explicat comparatione lucis auroræ abſque nubibus; quia lucem videbat ſine velamine figurarum ſenſibilium. Rem verò ſibi reuelatam exponit ſimilitudine terræ infuſione pluuiæ germinantis; quia B. Virgo per terram ſignificata, Spiritus ſancti operatione, & infuſione pluuiæ excellentis gratiæ fœcundata fuit. Atque hunc ſenſum Abulenſis ex Lyrano in hunc modum tradit. Pro quo ſciendum quod Nicolaus dicit, ſolem poſſe videri dupliciter, ſcilicet, vel in quantum eſt obumbratus nubibus, vel in quantum eſt fulgens ſine nube. Primus modus eſt imperfectior ad viſionem, quia quilibet oculus, etiamſi ſit infirmus, poteſt ſolem obumbratum conſpicere. Secundus modus eſt perfectior, quia non poteſt quilibet oculus ſic videre ſolem, ſed ſolùm ille qui eſt fortis: vnde oculi valde debiles, non ſolùm non poſſunt videre lumen Solis directè, ſed etiam non poſſunt qualitercumque reſpicere lumen diei. Dauid autem cognoſcebat Deum ſpiritu prophetico, ſicut qui videt ſolem non obumbratum, quia illa eſt perfecta cognitio, & ſic eſt ſenſus, quòd ſicut lux auroræ oriente ſole manè abſque nubibus rutilat, ſic erat modus prophetiæ Dauid, ſcilicet, quia cognoſcebat veritatem ſupernaturalem fulgentem in intellectu ſuo ſine aliquo phantaſmate.] Sic ille. Qui & poſtea ait terram illam benedictam, quæ pluuiis germinabat, Dauidi oſtenſam eſſe Deiparam, quæ verbum ex Spiritu ſancto concepit.

2. Reg. 23. 4.

Abul. ad 2. Reg. c. 23. q. 3.

Huius etiam generis fuit viſio Pauli, qua in itinere Damaſci Chriſtum Dominum ſe vocantem & increpantem aſpexit. Nam & ipſe ait: Nouiſſimè autem omnium tamquam abortiuo viſus eſt & mihi.] Viſus eſt autem illi quando ſubitò circumfulſit eum lux de cœlo. Et cadens in terram audiuit vocem dicentem ſibi: Saule, Saule, quid me perſequeris? Lux verò illa quaſi Chriſtum Saluatorem præcedens ab illo viſum corporalem ademit. Nam ſtatim apertis oculis nihil videbat. Ergo oculos mentis in Chriſtum intendit, vt ei facta apparitio non tantùm ex perſona apparente, verumetiam ex ſubſtantia & modo eſſet perfectiſſima. Quod & Auguſtinus ſentit. Nam exponens de Paulo illud Pſalmi: Ibi Benjamin adoleſcentulus in mentis exceſſu, ſic ſcribit. Vnde intelligi etiam ſic poteſt quòd hic poſitum eſt, in ecſtaſi: quia cùm ei perſequutori dictum eſſet de cœlo: Saule, Saule, quid me perſequeris? ademto lumine oculorum carnalium, reſpondebat Domino, quem ſpiritu videbat: quia autem cum illo erant, vocem reſpondentis audiebant, neminem autem videntes cui loqueretur. Si verò dicamus poſt viſionem corporalem Chriſti Saluatoris, luce cœcatum, adhuc manet fixum quod dictum eſt. Quia illa viſio non eſſet purè corporalis, ſed intellectualis quoq; ſimilis illi, qua B. Virgo Angelum aſpexit, de qua ſuprà dictum eſt. Fuerunt & aliæ duæ viſiones intellectuales Pauli, quibus Chriſtum vidit. Altera in

Huius generis fuit viſio Pauli etiã Damaſcum. 1. Cor. 15. 8. Act. 9. 3.

Pſal. 67. 28. Aug. ibi.

2. Cor. 12. 2.

raptu

raptu illo, quo vidit arcana verba, quæ non licet homini loqui. De qua nonnulli intelligunt: Nouiſſimè tamquam abortiuo viſus eſt & mihi. Raptum autem illum fuiſſe multis annis poſt conuerſionem, communior & certior ſententia eſt: quam Auguſtinus ſequitur. Altera in templo paulo ante obitum ſuum. Cuius meminit in actis Apoſtolorum his verbis: Factum eſt autem reuertenti mihi in Hieruſalem, & oranti in templo, fieri me in ſtupore mentis, & videre illum (ſcilicet Dominum Saluatorem) dicentem mihi: Feſtina, & exi velociter de Ieruſalem; quoniam non recipient teſtimonium tuum de me.] Hæc dicta ſunt vt modum, quo corpora viſione intellectuali, ac merè ſpirituali videantur, aſtruamus. Nam ex modo, quo Dauid, & Paulus, & Abraham Chriſtum vidit (Abraham enim exultauit, inquit, vt videret diem meum, vidit, & gauiſus eſt) quomodo viſio hæc intellectualis fiat intelligemus.

Vbi ſupr.

Act. 22. 17.

Ioan. 8. 16.

Duobus modis Chriſt. D. videtur intellectualiter.

Duobus ergo modis Chriſtus Saluator noſter (& idem dictum ſit de beata Virgine, aut de alio Sancto) viſione intellectuali videtur. Primò quidem obſcurè, & quaſi confusè. Cùm anima nullam imaginem, nullámque aut faciei, aut ſtaturæ corporis Chriſti figuram videns, eum prope ſe vel ad latus dextrum, vel intus in corde eſſe cognoſcit maiori certitudine, quàm ſi corporeis oculis illum videret. Ex qua viſione in ipſa anima reſultat maxima reuerentia, & ardentiſſimus amor erga illum, magnúmque deſiderium placendi ipſi, & exactiſſima cura in nullo quantumuis minimo à voluntate eius deuiandi. Quæ viſio non ſolet eſſe breuis, & quaſi in tranſitu, vt imaginaria, ſed permanens, & multis diebus & menſibus cum modica interruptione durans. Eſt ac ſi tu in obſcuro loco exiſtens ſubitò iuxta te aliquam perſonam ſentires, & eam non inimicam, ſed beneuolam, & te protegentem conciperes, quam tamen, an ſit maſculus vel fœmina, an iuuenis, an ſenex, an nimis, an minus pulchra, an ſtans, aut ſedens omnino neſcis. Sic & Chriſtus in hac viſione quaſi iuxtà poſitus intellectu percipitur (ſi dicere liceat) euidentiſſimè, & tamen penitus oculis corporis, & oculis imaginationis non videtur. Sic ſeruus quidam Dei Angelum cuſtodem ſæpe videbat, & ſibi aſtantem concipiebat tanta claritate, vt maxima reuerentia & amore repletus, non poſſet ſe continere, quin ante illum deuotiſſimè procumberet, & cum illo colloquia dulcia miſceret. At ſi inquiras, an illa perſona quæ intellectualiter apparet, reuera ſit vt concipitur, iuxta videntem? Reſpondeo de Angelis, quòd verè & ſecundùm ſubſtantiam ſuam ſe animabus, quibus apparent præſentes exhibent. Chriſtus autem non ſic (& idem dicendum eſt de Virgine & ſanctis hominibus intellectualiter apparentibus.) Neque enim ſemper, quod ſic apparet, in ſacramento Euchariſtiæ ab eo, cui apparet, acceptus eſt. Extra Sacramentum autem ferè numquam corporaliter, & ſecundùm ſubſtantiam humanitatis ſuæ ad nos deſcendit. Nam pro magno datur, quòd ad aſſumendam Virginem in cœlum, & ad conuerſionem Pauli corporaliter venerit: quod de Virgine Damaſcenus, de Paulo verò cum multis aliis, Adelmannus tradit. Piè etiam creditur quòd ipſe Chriſtus Dominus, & non Angelus vice eius Franciſco apparuerit; cùm eum ſacris ſtigmatibus inſigniuit. Vnde referuntur hæc verba ab ipſo poſt mortem ad quemdam religioſum in reuelatione prolata. Ille, qui mihi apparuit, non fuit Angelus, ſed fuit Dominus meus Ieſus Chriſtus in ſpecie Seraphim, qui ſicut vulnera ipſa ſacra in cruce ſuſcepit, ita manibus ſuis benedictis in corpore meo impreſſit, primò manibus, deinde lateri. Non erat autem conueniens ſummæ authoritati filij Dei, vt ſic paſſim & tam longo tempore ad homines conſolandos ſecundùm humanitatis realem præſentiam appareret. Videtur ergo intellectualiter ille ipſe qui eſt in cœlo per ſpeciem quamdam illum repræſentantem in illa diſtantia, in qua apparet. Quod à Deo fieri poſſe (vt ſcilicet abſente obiecto, ac ſi eſſet præſens, repræſentetur) recta Philoſophia tradit. Id autem fit, vt illa propinquitate, qua iuxta nos, aut intra nos Chriſtus concipitur, præſentiam realem ſuæ diuinitatis, & erga non ſingularem protectionem deſignet. Hoc ergo modo puto Chriſtum viſum eſſe Abrahæ, & Dauidi. Quia nimirum reuelatione quadam intellectuali certiſſima, non ſolùm ex fide, verùm & ex dono ſapientiæ profecta Chriſtum, non ſibi præſentem, ſed futurum viderunt, & in eius aduentu præcognito exultarunt. Et eodem modo animæ contemplatrices nunc, & in omni ætate legis gratiæ vident Chriſtum non quidem futurum, ſed præſentem & regnantem & per illam propinquitatem aut intimitatem ſuam erga illos (vt diximus) protectionem, & ardentiſſimum amorem oſtendentem, cui profectò debent amore & fidelitate reſpondere.

Euchar. to. 3. Bibliothecæ Patrum. Barth. de Piſa refert lib. 3. conſ. 31.

Piè creditur Chriſtũ D.S. Frãciſco apparuiſſe, quando ſacra illi ſtigmata inuſſit.

Dubitatio. Reſponſio.

Damaſ. ora. 2. de dormitione Virgi. Adelm. epiſt. de

Secundò apparet Chriſtus Saluator noſter animæ contemplanti per viſionem intellectualem clarè & diſtinctè, ita vt quaſi intuitiuè videatur. Sicut enim datur in viſionibus intellectualibus Dei, vna quidem obſcura, quæ habetur per fidem; altera verò penitus clara, quæ habetur in patria per lumen gloriæ, tertia verò media, ad donum ſapientiæ: vel ad ſpecialem gratiam luminis cuiuſdam ſupernaturalis pertinens, quæ nec ita obſcura eſt ſicut cognitio fidei, nec ita clara ſicut intuitio patriæ, ſed ſatis lucidè & mirabiliter Deum manifeſtans, de qua in ſequentibus dicemus. Sic in viſionibus intellectualibus rerum corporearum (nam & intellectus corpora quoque cognoſcit, alioqui non eſſet ſcientia de corporibus) diſtinguenda eſt triplex viſio, vna obſcura, quam diximus, alia omnino clara & intuitiua repræſentans rem prout in ſe eſt, & alia media, quæ neque in obſcuritate prioris manet, neque ad claritatem poſterioris peruenit. Et hæc poteſt Chriſtus Dominus, & Virgo beata, & aliquis ex Sanctis, ab anima contemplante videri, licèt nulla ſit in imaginatione perſonæ apparentis imago. Et reuera ſic aliquando Dominus, & regina cœlorum, & Sancti cum Domino regnantes apparent. Hoc autem ſic intelligitur. Certum eſt Angelum, atque animam beatam à corpore ſeparatam poſſe videre, & opere ipſo videre clarè & diſtinctè hominem aliquem in terris exiſtentem, illum ſcilicet, quem Deus vult ab Angelo illo, vel anima videri. Hæc autem viſio tam clara & manifeſta eſt, vt ſi anima illa conſeruata ſpecie, qua illum hominem nouit proprio corpori iungeretur, eum oculis corporeis videns euidenter agnoſceret, diceréturque:

Secundò apparet Chriſtus intellectualiter clarè, & diſtinctè.

Infrà c. 14. In viſionibus intellectualibus diſtinguenda eſt viſio obſcura, clara, & media.

Iſte eſt, quem ego, ſeparata à corpore oculis intellectualibus vidi. Ad hunc ergo modum datur animæ alicuius viri ſpiritualis viſio intellectualis Chriſti, & Sanctorum, qua abſque præuia imaginatione Dominum, & ciues eius cœleſtes videant vt ardentiùs & ſpiritualiùs ſanctis affectibus incaleſcat. Et hæc quidem viſio aliquando in intellectu ſe continet, interdum verò ad imaginationem (prout ſtatim dicemus) deſcendit. Ex profeſſo autem dictum eſt hanc viſionem non eſſe intuitiuam, ſed mediam: quoniam mihi compertum non eſt an Chriſtus Dominus in viſionibus imaginariis & intellectualibus propriam ſui ſpeciem imprimat, an hanc patriæ cœleſti reſeruans, aliam tribuat, quæ ad hanc quodammodo proximè accedat.

Sic fuit viſio clara, qua Paulus Chriſtū vidit ter in vita.

Huius generis (vt ego quidem exiſtimo) fuit viſio Pauli, qua vel in raptu, vel in templo, vel in ſua conuerſione Chriſtum vidit. Credendum enim eſt ſanctiſſimum Apoſtolum Eccleſiæ Doctorem, & datum in lumen gentium perfectiſſima viſione fuiſſe illuminatum, nec tantùm confusè, verùm diſtinctè & clarè ab illo Saluatorem noſtrum intellectu fuiſſe conſpectum. Similiter & viſio beatiſſimi Patris Franciſci, qua inter alas Seraph vnius vidit Chriſtum crucifixum, & ſtigmata paſſionis accepit. Fuit, inquam, viſio intellectualis, ita tamen, vt ab illuminatione intellectus inceperit, & ab illo ad imaginationem & oculos corporales deſcenderit. Quod Bonauentura inſinuat, dicens, ſanctum Patrem Franciſcum ad obteſtationem Fratris illuminati ſuam viſionem referentem addidiſſe, quòd is, qui ſibi apparuerat, aliqua dixerit, quæ numquam dum viueret, alicui homini aperiret. Beatus autem Doctor, & vitæ ſcriptor ſubiungit: Credendum ſanè tam arcana illa fuiſſe ſacri illius Seraph, in cruce mirabiliter apparentis eloquia, quòd fortè non liceret hominibus ea loqui.] Viſio etiam ſancti Patris noſtri Ignatij intellectualis fuit. Ea ſcilicet, qua æternum Patrem vidit, Filio Ieſu Chriſto Domino noſtro crucem baiulanti, ſe ſuóſque ſocios, ac in illis nos omnes commendantem. Erat enim tunc ſanctus Pater in raptu abſtractus à ſenſibus, & altiſſima contemplatione defixus: in qua hæ viſiones ſolent in intellectu fieri, vel ſaltem ab illo inchoare, & ſe ad vires inferiores demittere. Hoc tandem genere continentur multæ aliæ viſiones, quibus non tam perſonæ aliquæ cœleſtes apparent, quàm veritates arcanæ manifeſtantur, ad eruditionem intellectus, & ad inflammationem affectus, vel ad vitam ſanctè & perfectè inſtituendam ſpectantes. Nam in eis abſque imaginibus corporalibus veritas nuda inſpicienda proponitur. Licèt poſtea ad vtilitatem aliorum veritas illa ſimilitudinibus, immo & verbis, quibus exponi poſſit, veſtiatur. Idque Bernardus indicatum putat illis verbis Canticorum, vbi promittuntur ſponſæ murenulæ aureæ argento vermiculatæ, vel cum diſtinctionibus argenti. In quo, inquit, mihi ſignificare videtur non modò ſimilitudines intus per Angelos ſuggeri, ſed nitorem quoque eloquij per ipſos extrinſecus miniſtrari; quo congruè atque decenter ornatæ, & ab auditoribus faciliùs capiantur, & delectabiliùs.] Et Richardus de Sancto Victore ait: Notandum quoque, quòd quidam ea quæ per mentis alienationem conſpiciunt, ad ſemetipſos reuerſi iuxta communem animi ſtatum nullo modo capere, vel recolligere poſſunt. Hinc eſt quòd Rex Nabuchodonoſor ſomnium vidit, ſed exceſſus à ſomno viſum ſomnium ad memoriam reuocare non potuit. Alij, quod per exceſſum conſiderant, poſtmodum facile retractant. Alij vt poſſint, multo labore deſudant. Hinc eſt quòd Rex Pharao ſomnium vidit, viſúmque retinuit. Econtra verò Rex Nabuchodonoſor amiſſum ſomnium multa inſtantia recuperauit.] Sed hæc adiunctio imaginationis, quæ poſtea ſequitur, non tollit quòd viſio intellectualis prius & pura fuerit, & in hac præcipua viſionum claſſe contenta. Hæc autem veritatis oſtenſio in nullo ſecernitur à loquutione intellectuali, de qua ſuprà loquuti ſumus. *Cap. 6.*

Maffæus lib. 2. vita c. 5.

Similis & viſio S. P. N. Ignatij.

Cant. 1. 10.

Bernard. ſer. 41. in Cant.

Richard. 5. de contempl. c. 1.

Quibus inſtrumentis fiat viſio intellectualis.

Iam poſtremum exponamus, quibus ſcilicet quaſi inſtrumentis viſio intellectualis fiat. Sicut ad intelligendum naturaliter duo ſunt omnino neceſſaria, alterum ex parte intelligentis, & hoc eſt lumen naturale, quod ab intellectu humano nequaquam diſtinguitur: alterum ex parte rei intellectæ, ſcilicet ſpecies, ſeu ſimilitudo eius, quæ intellectui imprimitur, ita ad hanc viſionem ſupernaturalem eadem duo concurrunt. Et quod ad ſpecies attinet, vel ſunt eædem naturales, quas intellectus è rebus per ſenſus haurit, quas tamen Deus ita diſponit, vt admiranda repræſentent. Vel ſunt ſpecies de nouo inditæ, & infuſæ, quas altitudo rei reuelatæ requirit. Vtriſque autem poteſt & ſolet intellectus vti in hac viſione ſine vlla cooperatione imaginationis, vel ſenſus. Quod verò attinet ad lumen, certum eſt nec lumen naturale, nec lumen fidei eſſe ſufficiens. Non illud, quia minimè naturalia tranſcendit: hic autem aliquid ſupernaturale, & diuinum, aut quoad ſubſtantiam, aut quoad modum intelligitur. Non etiam iſtud, quod ad ſolam notionem ordinariam rerum ſupernaturalium obſcurè, & ex authoritate dicentis datum eſt. Immo nec aliquando ſufficiens erit donum ſapientiæ, quod licèt cum aliis donis valde fidem perficiat, non tamen ad tam ſublimia, & cum tanta claritate, & modo tam inſueto cognoſcenda ſe extendit. Datur ergo ad hoc quædam lux, quæ aut eſt, aut reducitur ad lumen propheticum: qua mens ſubleuata ita perfectè res diuinas inſpicit vt videatur ſtatum huius mortalitatis excedere. Et verè ſecundùm ſublimitatem cognitionis, eſt & vitæ ſanctitudo. Accipit enim anima tunc efficaciſſima auxilia ad ſanctè viuendum, & ſine querela inter homines conuerſandum. Mirum eſt quàm lynceos oculos habeat, vt vel minimas, & quaſi inuiſibiles imperfectiones fugiat. Nam ille ſol iuſtitiæ tam prope eam poſitus minima etiam reuelare non prætermittit. In hoc ſtatu bona opera ſic exeunt omnibus numeris abſoluta, vt nihil in eis inueniat humanum iudicium, quod poſſit deſiderari. In eo denique omnes illi gradus amoris, quos ſuprà deſiderandos & poſtulandos docuimus, & ex deſiderio tranſeunt ad actum. Et neſcit anima, quomodo ſine cura & diligentia ſua tam ardenter, tam indefinenter, tam inſatiabiliter, tam inſuperabiliter eum amet, quem, & ſibi præſentem, & in ſe tanta bona effundentem videt.

In viſione merè intellectuali nulla po-

Hinc autem conſtat, quòd in hac viſione ſi merè intellectualis eſt nulla poteſt illuſio dæmonis intercedere, quin nec bonus Angelus poteſt ad eam cooperari. Solus enim Deus poteſt

memo

test esse dæmonis illusio.

memoriam intellectiuam in bono figere, ita vt strepitu phantasmatum aliò non auocetur. Solus ille potest lumen hoc supernaturale infundere, vel lumen sapientiæ, quod antea infuderat, perficere & confortare. Solus ille potest sine concursu sensuum inclinare voluntatem ad bonum, & habitus charitatis, & virtutum suauiter eam ducentes immittere, quæ omnia lumen Theologorum Thomas docuit. Et quia in his vt à sensu & imaginatione non pendent, nihil omnino aliqua creatura potest; hinc est, quòd nec mens in illis possit à dæmone illudi. Id quoque ex effectibus huius intellectualis visitationis colligitur, quos nos ex Bonauentura suprà retulimus. Quando verò hæc visio ab imaginatione incipit, vel in imaginationem desinit, cui per species proprias res spirituales offeruntur, tunc bene potest S. Angelus ad hanc visionem cooperari, cùm super has species potestatem habeat. Potest etiam per præsentiam suam confortare intellectum, vt faciliùs & promtiùs res capiat, vt suprà dictum est. Hinc autem intelligitur quid Angelus bonus in hac visione possit, & in quo Deus eius ministerio vtatur ad hominem illuminandum & erudiendum. Colligitur etiam quomodo in hac visione possit intercedere aliqua illusio dæmonis, quatenus scilicet illi opus imaginationis se admiscet. Et quia non facile est cognoscere quando visio purè intellectualis sit, & absque vlla admistione imaginationis, idcirco omnes visiones cautè suscipiendæ sunt, & cum prudenti Doctore, & spirituali Magistro communicandæ, & ad regulas infrà ponendas examinandæ, ne in aliquo ab aduersario decipiamur.

Vide 1. p. q. 105. ar. 3. & 4. & q. 106. ar. 2. & q. 111. ar. 2 & 1. 2. q. 9. ar. 6. Bonau. 3. processu religionis. Nos sup. lib. 2. p. 3. c. 2.

Tertiusdecimus gradus contemplationis: Visio Dei in caligine.

CAPVT XIII.

Visione intellectuali nõ solùm res creatæ, & Christi humanitas, verùm ipsa etiam diuinitas videtur. Quod fit tribus modis.

HAc visione intellectuali non solùm anima Christi humanitatem, & res creatas, & veritates ad vitæ perfectionem videt, verùm & in ipsam diuinitatem ac naturam increatam oculos suos à Deo illuminatos intendit. Quia verò id tribus modis fit, ideo hæc visio vt in Deum fertur tres postremos gradus perfectæ contemplationis, siue huius sapientiæ cœlestis constituit. Primus autem eorum, & in ordine decimustertius est, quo Deus videtur quasi in caligine, & in quadam obscuritate. Immo & ipsa visio animæ vocatur diuina caligo, quoniam est notitia quædam Dei obscura quidem, si ad sequentes conferatur, sed ita lucida, perfecta, & admiranda, vt ea animus abundantissimè illustrationibus & affectibus satietur. Quam vt aliquo modo intelligamus, sciendum est sacras litteras ita de Deo superbenedicto loqui, ac si ipse in obscuritate, & tenebris, & caligine habitet. Dominus dixit (verba sunt Salomonis) vt habitaret in nebula.] Vel vt ab alio loco eadem sententia scripta est: Dominus pollicitus est, vt habitaret in caligine.] Dauid autem: Caligo sub pedibus eius.] Et: Posuit tenebras latibulum suum.] Et: Nubes & caligo in circuitu eius.] Idem significant verba illa Isaiæ: Vere tu es Deus absconditus, Deus Israël saluator.] Dicitur autem Deus habitare in tenebris, & in caligine, cùm tamen ab eo procul sit omnis obscuritas, quoniam nobis pusillis & ignorantissimis est inaccessibilis. Id verò manifestè exposuit Paulus, dicens: Lucem inhabitat inaccessibilem, quem nullus hominum vidit, sed nec videre potest.] Et Dionysius Areopagita. Suppositæ ipsius tenebræ (id est, excellentissima plenitudo, incomprehensibilisque immensitas luminis Dei) & cooperiuntur omni lumini, & absconduntur omni cognitioni. Omni, inquam, lumini, & omni cognitioni creatæ, quæ in illud ineffabile lumen penetrare non valet. Hæc porrò inaccessibilitas Dei præcipuè elucet in illis nominibus negatiuis, de quibus suprà egimus, quibus non quid Deus sit, sed quid non sit explicamus. Vnde & vocamus eum incorporeum, incompositum, infinitum, immensum, immutabilem, inuisibilem, incomprehensibilem, ineffabilem, & aliis similibus vocibus, quæ nihil in eo videntur ponere, sed omnia nobis comperta subtrahere.

1. Tim. 6. 16.

Dionys. epist. 1. ad Caiũ.

Supr. 3. apparatu. c. vltimo.

Definitio visionis in caligine.

Est ergo visio intellectualis Dei in caligine, cognitio illa, qua transcursis omnibus creaturis, & relictis omnibus similitudinibus mysteriorum etiam supernaturalium, in Deum, vt incomprehensibilem, & nobis incogitabilem & inintelligibilem ferimur, & eo quasi pelago infinitæ essentiæ, quam ignoramus, penitus absorbemur. Sanè horum verborum intelligentia, & aliorum similium, quæ in Dionysio Areopagita, & in scriptoribus spiritualibus inueniuntur, difficillima est iis, qui harum rerum experientiam non habent. Sed vtcumque balbutiendo saltem ea explicare nobis incumbit. Hæc itaque visio non est aliqua consideratio industria hominis à Deo perfectiones creatas subtrahentis elaborata, sed inspectio quædam simplex, & veluti improuisa, & subita intellectui contemplantis immissa. Ea inspicitur Deus vt id, quod non est; & tamen maximè cognoscitur secundùm id quod est. Quia dum nihil limitatum & finitum apprehenditur, in quoddam ens illimitatum & infinitum, cuius essentia & substantia, & modus sine modo nescitur, intellectus purè inspiciens raptatur. Nihil videt, sed id, quod totum est, & extra quod nihil est, sibi videndum, & amore amplectendum sibi proponi cognoscit. Igitur non videndo videt, & videndo non videt; quia velut quamdam obscuritatem, & quamdam nebulam omnem lucem contegentem apprehendit. Vnde non videt, quia obscuritas non videtur; & videt, quia immensa lux, quasi tenebris cooperta conspicitur. Tenebræ autem istæ non sunt in Deo, quem anima contemplatur; Deus lux est, & tenebræ in eo non sunt vllæ; sed offundunt oculos animæ, cui in quamdam abyssum ingredi, in lucem autem illam splendidissimam se abscondentem sub abyssum, minimè penetrare conceditur. Si hæc non capis, vide si fortè verba Ioannis Rusbrochij opinione multorum viri diuini caliginem hanc explicantis, intelligis. Septimus, inquit, gradus amoris est, quando supra omnem cognitionem & scientiam, infinitum, siue abyssale quoddam nescire in nobis sentimus, ac deprehendimus: quando supra appellationes vel nomina omnia, quæ tum Deo, tum creaturis tribuimus, emorimur, atque transcendimus, siue excedimus in æternum

1. Ioan. 1. 7.

Rusbroc. de gradibus amoris c. 14.

Ita 3. Reg. 8. 12. 2. Paral. 6. 1. Psal. 17. 10. 12. Psal. 96. 2. Isaiæ 45. 15.

quoddam omnis nominis expers, & innominabile, in eodem ipso nos amittentes : & quando vltra quæuis virtutum exercitia intra nos perenne quoddam otium conspicimus atque experimur, in quo nulli operari liceat : & supra cunctos spiritus beatos infinitam ac immensam beatitudinem, in qua nos omnes vnum sumus, & illud ipsum vnum, quatenus creaturæ possibile est, quod ipsa beatitas in seipsa est; & quando denique omnes beatos spiritus essentialiter immersos, ac liquefactos, seséque amisisse cernimus in supersubstantiali essentia, in ignota quadam & modi nescia caligine.

Aliqua Rusbrochij verba piè interpretanda.

In hunc modum contemplator hic visionem Dei in caligine manifestat, & eam gradum amoris vocat, quoniam anima in ea magis amore extenditur, quàm cognitione ad loquendum eruditur. Piè autem aliqua verba, sicut & multa alia huius authoris, propter quæ censuram rigidam satis Gersonis subiit, accipienda sunt. Neque enim ab anima omnem operationem tollit (quomodo enim sine operatione intelligeret, aut amaret?) Sed simplicitatem operationis (in qua, vt alij loquuntur, non tam agit, quàm patitur) nobis considerandam exhibet. Et vnitate illa, non vnitatem essentiæ, quasi substantia animæ, & Angelorum in Dei substantiam transeant, sed vnitatem affectionis & amoris intelligit. Si hæc necdum sufficiunt ad intelligendum hunc contemplationis gradum, aliam viam ac rationem ad eum explicandum ingrediamur.

In libro contra eum.

Visio hæc est immẽsa lucis oculos mentis reuerberantis, & semetipsam absondentis, &c.

Visio, seu contemplatio hæc, est visio immensæ lucis oculos mentis reuerberantis, & sua immensitate semetipsam abscondentis. Si in meridie quis splendidissimum solem aspiciat, & ab eo situ, in quo eum videre possit, per aliquod tempus oculos non auertat, statim quasi naturaliter palpebræ lumina claudunt, ne tanto splendore penitus destruantur. Sed cùm homo ita est clausis oculis veluti in Solis inspectione defixus, solem quidem non videt, at nescio quomodo quamdam lucis immensitatem apprehendit, ad quam clarè & vt in se est intuendam nullatenus sufficit. Ita intellectus animæ contemplatricis relictis post tergum omnibus similitudinibus creaturarum ad Deum (ipso Deo eleuante) conuertitur, & in hac conuersione quietus tenetur, & infinitate diuinæ luminositatis palpebris suæ imbecillitatis operitur. Sic autem manens Deum quidem clarè non videt, sed ad nescio quid immensum & incomprehensibile (& ipse Deus est) quod sibi obiicitur obstupescit. Euenit etiam vt quis per altissima montium juga iter faciens nubem paulatim coalescentem, & seipsam condensantem ingrediatur. Post paululum autem nec cœlum, nec terram, nec arbores, nec socios, nec seipsum, nec nubem videt, at se vapori immersum, & vndequaque circumdatum sentit. Hæc etiam similitudo aliquid huius caliginosæ claritatis, & claræ obscuritatis exponit. Nam anima se diuinæ maiestati, & immenso lumini immersam sentit, eum autem Dominum, à quo vndique cingitur, & à cuius claritate acies intellectus opprimitur, non videns, videt protegentem, & obumbrantem, & se in illa caligine occulto modo patefacientem animaduertit. Stupet anima in hanc altissimam notionem prouecta, & ait: En ipse stat post parietem nostrum, respiciens per fenestras, prospiciens per cancellos.] Nam sicut si quis per rimulas & cancellos obseruet, ita tamen vt velit ab aspiciente fenestram agnosci; ipse quidem stantem in platea apertissimè videt, iste tamen licèt illum non videat cancellis opertum, tamen adesse illum, à quo aspicitur, manifestissimè percipit. Ita & anima Dominum veluti cancellis, seu transenna tectum contemplatur, quem & adesse, & se mira ratione manifestare in obscuritate velle patenter intuetur. Videt ipsa in caligine, videtur tamen in claritate. Neque videri formidat, quæ (vt ait Bernardus) nihil sibi conscia est. Quid denique vereatur amica, columba, formosa? Quæ scilicet in corde testimonium habeat, quod ab eo, à quo videtur, diligitur, & ita diligitur, vt ad tantum donum accipiendum admittatur.

Bernard. ser. 55. in Cant.

Cant. 2. 9.

Fuit autem mirabilis visio hæc præsignata in illo ascensu Mosis in montem ad loquendum cum Deo, de quo legimus. Moyses autem accessit ad caliginem, in qua erat Deus.] Et rursus : Septimo autem die vocauit eum (scilicet Moysem) de medio caliginis.] Sic enim anima omnia creata, & semetipsam transcendit, & in quamdam altissimam Dei incogniti, & cogniti (prout dictum est) cognitionem assurgit, & ibi se illi Deo ignoto, & caligine operto non tam inquisitione, quàm purissimo & ardentissimo affectu coniungit. Dionysius Richelius Areopagitæ consentiens sic hunc accessum Mosis ad caliginem exposuit. Hæc namque caligo est æternæ, increatæ, infinitæque lucis diuinæ superexcellens, incomprehensibilis, & superclarissima plenitudo abyssalis, interminabilis, atque supersimpliciſſima magnitudo, in qua Deus esse & habitare censetur, qui ponit tenebras, id est, infinitam hanc lucem omnem creatarum mentium capacitatem infinitè transcendentem, ac superantem, latibulum suum : & ipsæ diuinæ tenebræ cooperiuntur & absconduntur omni visioni ac lumimi ob incircumscriptibilem suam plenitudinem prorsus impenetrabilem, & immensam. Cùm itaque mens æstuantissimo charitatis ardore succensa Deo ita coniungitur per contemplationem theoricam, & sapientiam luminosam, flammigeram, vnitiuam, dicitur introire caliginem, instárque Moysis ab omnibus separari. Vnitur enim Deo tamquam prorsus incomprehensibili, & quoad quid est merè ignoto : & tamen hoc ipsum sic intueri, est clarissimè ac suauissimè contemplari, speciésque altissima contemplationis huic vitæ possibilis. Idcirco tunc tota in lucem illam tam infinitam expanditur, increatæ veritati infigitur, supereſſentiali Deitati, & superbeatissimæ Trinitati tam radiosè, amorosè, & proximè copulatur, quod aliud nihil aduertit, nec proprium actum attendit, sed defluit à seipsa, atque in proprium refluit fontem. Sícque in diuitias gloriæ rapitur, in amoris increati, immensi, igne comburitur, in Deitatis abyssum profundatur, & absorbetur, vt videatur quodammodo, esse creatum exuere, & increatum, idealéque esse induere, non quòd substantia mutetur, aut proprium esse tollatur, sed quoniam modus essendi, qualitásque viuendi deificatur, hoc est, Deo & superbeatissimæ beatitudini eius supernaturaliter & gratiosissimè assimilatur, sícque eminenter impletur illud Apostoli : Qui adhæret Domino vnus spiritus est. Immo quod in Ioanne loquitur vnitas ipsa & veritas increata Vnigenitus Patris:

Hæc visio præsignata in ascensu Mosis in montem. Exod. 20. 21. Exod. 24. 16.

Diony. in Exodum ar. 42.

tris: Pater rogo pro eis, qui crediturí ſunt in me, vt omnes vnum ſint, ſicut tu Pater in me, & ego in te, & vt ipſi in nobis vnum ſint. Ego in eis, & tu in me, vt ſint conſummati in vnum, vt dilectio, qua dilexiſti me, in ipſis ſit, & ego in ipſis.] Sic ille. In cuius dictis prætereundum non eſt, quomodo vnitatem Dei, & animæ explicet, non ſubſtantiam mutantis, ſed per affectum Dei ſimilitudinem induentis, vt ſic ſimilia verba virorum ſpiritualium in ſenſu ab eis intento capiamus.

Notitia Dei in hoc contemplationis gradu nubila eſt.

Notitia ergo Dei, aut viſio eius in hoc gradu nubila eſt, quia magis videtur in eo quid Deus non ſit, quàm quid ſit. Luménque illud intellectum afficiens, non tam lumen diuinum aperit, quàm abſcondit, ſed in illa abſconſione eſſe prorſus ineffabile exprimit. Species etiam ad hanc notitiam concurrens inexplicabilis eſt, quia nec repræſentat bonitatem, nec ſapientiam, nec poteſtatem, nec aliquid aliud, ſed cùm hoc omnia hæc perfectiſſimo modo repræſentat, quia dum omni eſſentiæ & perfectioni oculos claudit, quamdam perfectionem vniuerſa in infinitum excedentem in obiecta obſcuritate detegit. Ibi autem hac caliginoſa cognitione contenta, quanto minus diſtinctè videt, tanto vehementiùs brachia charitatis ad amorem diſſoluit. Et ad hoc fortaſſis oculus clauditur, vt ampliùs affectus accendatur. Idque Richardus de Sancto Victore inſinuat, dicens: Sæpe ſub hoc ſtatu Dominus deſcendit de cœlis: ſæpe viſitat ſedentem in tenebris & vmbra mortis: ſæpe gloria Domini implet tabernaculum fœderis. Sic tamen præſentiam ſuam exhibet, vt faciem ſuam minimè oſtendat. Dulcorem ſuum infundit, ſed decorem ſuum non oſtendit. Infundit ſuauitatem, ſed non oſtendit claritatem. Suauitas itaque eius ſentitur, ſed ſpecies non cernitur. Adhuc nubes & caligo in circuitu eius: adhuc thronus eius in columna nubis. Et lene quidem, & blandum admodum quod ſentitur: ſed nubilum omnino quod cernitur. Nondum namque apparet in lumine. Et quamuis appareat in igne, magis tamen in igne accendente, quàm illuminante. Accendit namque affectum, ſed nondum illuminat intellectum. Deſiderium inflammat, ſed intellectum non illuminat. In hoc itaque ſtatu anima dilectum ſuum ſentire poteſt, ſed (ſicut dictum eſt) videre non poteſt. Et ſi videt quidem, videt quaſi in nocte; videt velut ſub nube; videt denique per ſpeculum in ænigmate, nondum autem facie ad faciem. Vnde & dicit: Illumina faciem tuam ſuper ſeruum tuum.] Hæc ille. Vult autem ampliùs illuminari, vt in ſequentem gradum ingrediatur.

Richard. de gradibus charitatis violentæ.

Anima in hac viſione caliginis Dei conceptum perfectiſſimũ, & formalẽ format.

Prius tamen quàm ad illum tranſeamus, neceſſe eſt commemorare quod ſuprà diximus, animam in hac viſione caliginis conceptum Dei perfectiſſimum, & (vt vocant) poſitiuum formare. Quod Dionyſius Richelius Dionyſium Areopagitam interpretans modo ſcholaſtico latè probat, & rurſus poſt multa ſic ait: Verumtamen in hac contemplatione fertur apex mentis, & intelligentiæ vertex, Deo vniri tamquam omnino ignoto, in omnimoda quoque caligine fieri, nihilque penitus de illo cognoſcere, non quòd ab illius inſpectione omnifariè vacet, præſertim cùm iſta ſit altiſſima, clariſſima, perfectiſſima, ac profundiſſima Deitatis contemplatio, cognitio, viſio huic vitæ poſſibilis, vt ipſemet magnus Dionyſius, & expoſitores ipſius teſtantur: ſed quia in hac contemplatiua & ſapientialiſſima ac feruentiſſima vnione cum Deo mens acutiſſimè ac limpidiſſimè conſpicit, quàm ſuperincomprehenſibilis, & ſuperſplendidiſſimus, & ſuperluminoſiſſimus, & ſuperpulcherrimus, & ſuperamabiliſſimus, & ſupergaudioſiſſimus ſit ipſe Dominus Deus omnipotens, & immenſus; atque quàm infinitè & indicibiliter à plena illius cognitione, & beatifica eius fruitione, viſioneque faciali immediatè & clarè intuitiua diſtet, deficiat, & occumbat. Ideo præ admiratione & amore deficit, & defluit à ſeipſa, gaudioſè quoque ac dulciter abſorbetur, obdormit, & quieſcit ſuperdilectiſſimo Deo Creatore, Saluatore, ac miſeratore: immo & ſupergratiſſimo ſuo ſponſo totius beatitudinis ſuæ ſuperpiiſſimo fonte, omnipotentiſſima & liberaliſſima cauſſa.] Sic ille. Nec vocaret profectò hanc altiſſimam, clariſſimam, & perfectiſſimam cognitionem, ſi pura negatio, & omnium perfectionum remotio noſceretur. Infundit ergo Deus animæ perfectiſſimum quemdam conceptum ſui, quem ſummum & infinitum bonum ſibi patefacere animaduertit, non tamen niſi per negationem exponit. Sicut ſi quis guſtaret dulcedinem mellis, ac iſtum mellis conceptum formaret; mel non eſt hic, nec ille cibus, quibus ego veſci ſoleo, ſed aliquid aliud multo præſtantius, quod præ abundantia ſuauitatis declarare non poſſum. Ita, Domine, illi, quibus te hoc genere contemplationis manifeſtas, bene ſciunt, atque cognoſcunt ſibi videndum proponi gemmam pretioſiſſimam, theſaurum incomparabilem, maieſtatem incomprehenſibilem, lucem immenſam, diuinitatis tuæ. At eam quaſi nube tectam inſpiciunt, donec dies clarior illuceſcat, & Sol qui eſt in nubilo clarior & ſplendidior appareat. Poſtquam omnia perfecta ſunt, quæ tu diſpoſuiſti in anima fieri, operuit nubes tabernaculum teſtimonij, & gloria tua impleuit illud. Nubes & caligo cooperit, & gloria ac maieſtas implet. Quia videlicet ſub nube aliquid latens videtur, quod nomine gloriæ & maieſtatis tuæ intelligendum proponitur. Veniet dies cùm nubes abſcedet, & ſi non vt es, at altiori alio modo anima à te dilecta tuam Deitatem aſpiciet.

Exod. 40. 32.

Quatuordecimus gradus contemplationis: Admiranda manifeſtatio Dei.

CAPVT XIV.

In hac vita contemplatrix anima poteſt magis proficere.

ANIMA contemplatrix in hac vita ex omnium virorum ſpiritualium ſententia, magis adhuc poteſt in Dei cognitione & amore proficere, & altiùs poteſt aſcendere. Id autem euenit quando caligo diſiicitur, & obſcuritas diſſipatur, & Deus ſuperbenedictus licèt non in ſua claritate, & maieſtate, tamen in quodam guſtu experimentali ſentitur, & magis attrectatione (vt ita dicam) quàm inſpectione videtur. Hæc eſt altiſſima contemplatio Dei, quam Bonauentura

Bonau. de itinere æternit. d. 1.

præ

præguſtationem vocat, & eam in poſtremo gradu poſt contemplationem, & amoris affectionem, & occultorum reuelationem collocat. Non quia ſit aliquid diſtinctum à contemplatione, ſed quia eſt culmen, ſeu apex contemplationis. Vt ergo hanc præguſtationem explicemus, ſciendum eſt altiſſimæ viſionis, ac perfectiſſimæ contemplationis Dei tres eſſe gradus, alterum obſcurum, alterum omnino clarum, tertium medium. Primus poteſt comparari crepuſculo, quando lux dubia eſt, nec ſatis dignoſcitur, an nox abeat, & dies accedat. Secundus comparatur auroræ, quando lux manifeſta eſt, ac initium diei, ſed lux modica, & maioris perfectionis indiga. Tertius comparatur meridiei, quando lux eſt clariſſima, & omnino perfecta. Tuus eſt dies, ô Domine, & tua eſt nox: tu fabricatus es auroram & ſolem. Tuus, inquam, eſt dies gratiæ, qua animas illuminas. Quæ in ſtatu peccati erant aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino. Tua eſt nox, ſeu noctis finis, in quo te tamquam in vmbra reuelas; tu fabricatus es auroram, in qua clariùs tuam immenſam perfectionem illuſtras, & ſolem, quo te perfectiſſimè manifeſtas. Gradus viſionis intellectualis, ſeu contemplationis obſcurus eſt, quem ſuperiùs expoſuimus, quo Deus videtur in caligine. Gradus omnino clarus eſt, quo Deus non per aliquam ſpeciem creatam, ſed per ſeipſum vnitum intellectui videtur clarè & intuitiuè prout in ſe eſt. Gradus medius eſt, in quo nunc ſumus, cùm Deus reuelat ſe non in caligine, neque in ſua claritate, ſed alio modo ineffabili, quem aliqua ſaltem ratione intendimus explicare.

Tres ſunt gradus altiſſimæ contemplationis Dei, obſcurus, clarus, medius.

Pſal. 73. 16.

Epheſ. 5. 8.

Gradus, de quo nunc agimus, eſt medius.

Inchoëmus autem ab illo: En dilectus meus loquitur mihi. Surge, propera amica mea, columba mea, formoſa mea, & veni. Iam enim hyems tranſiit, imber abiit, & receſſit.] Dilectus ad animam loquitur, quia ea poſt multam abnegationem, poſt indefeſſum virtutum ſtudium, poſt multa deſideria & ſuſpiria ad oſculum oris vocatur. Nominat autem animam amicam propter gratiæ ſanctitatem, columbam propter rectiſſimæ intentionis ſimplicitatem, formoſam propter ſanctorum affectuum ornatum. Iubet vt ſurgat, id eſt, vt ſupra omnia creata, ac ſimilitudines creatorum, & ſupra ſemetipſam aſcendat, & vniuerſa viſibilia & inuiſibilia derelinquat. Iam eſt tempus ſurgendi, quoniam ad modum hyemis & imbrium apparitiones omnes, & ecſtaſes, & raptus, & caligines abſceſſerunt, & venit veris cuiuſdam clara ſerenitas, & ſecura tranquillitas, in qua æterna maieſtas modo ineffabili videatur. Atque inprimis, dantur animæ oculi, quibus Deum videat, id eſt, lumen ſupernaturale & diuinum, quod ad tantam ac tam mirabilem viſionem ſufficiat. Hoc non eſt lumen fidei, nec lumen ſapientiæ tantùm; quod ad ſic videndum parum eſt. Non eſt etiam lumen gloriæ, quod patriæ cœleſti ſeruatum eſt. Sed exiſtimo eſſe vel illud lumen, quod Thomas Aquinas in Prophetis ponit, vel aliud ſimile, quod fidem & ſapientiam roboret, atque perficiat. Datur etiam illi ſpecies quædam Deum perfectiſſimè repræſentans, quæ non per ſenſus ingreditur, neque à ſenſibilibus accipitur, neque ex aliis formis præhabitis componitur, ſed recenter intellectui infunditur. His autem duobus intellectus ornatus, & altiſſimo auxilio communitus videt Deum non negando, vel remouendo ab eo aliquid, vt ſi dicamus: Deus non eſt limitatus, neque finitus; non affirmando, vel attribuendo ei aliquid, vt cùm dicimus: Deus eſt bonus, & ſapiens, ſed ſyncerisſimè, & tranquilliſſimè, & ſereniſſimè, diuinam magnitudinem intuendo. Tu certè, ô lector, cum oculis corporis lucem vides, nullam compoſitionem facis, dicendo, Lux non eſt caligo, aut lux eſt qualitas, ſed ſimpliciter lucem vides. Ita anima hoc contemplationis gradu ſuſpenſa, nihil affirmat, vel negat, nihil adſcribit, vel remouet, ſed inuariabiliter, & quietiſſimè Deum videt. Ais, hoc eſſe mirabile, immo & intelligibile. Quia ſupponimus, vt certum ac indubitatum Deum hic intuitiuè non videri. Si igitur anima Deum non videt, quomodo videt? Aut ſi videt, quomodo non videt? Fateor; mirabile eſt, ſed certiſſimè ita eſt, & fortaſſis hac ſimilitudine rudi intelligetur.

Obiectio.

Depulſio.

Sit virgo pulcherrima, quæ nobili adoleſcenti ſibi numquam viſo, & in regione longinqua conſtituto nubere velit. Prius verò quàm in coniugium conſentiat, diligenter inquirit, quis qualiſque ſit ille adoleſcens, cui non ſolùm ſua, verùm & ſemetipſam eſt traditura. Audit eum eſſe nobiliſſimum, ingenio & conditione ſuauiſſimum, pulcherrimum, candidum, & rubicundum, & ſtatura procerum, & alia huius generis, quæ illum ſibi amabilem poſſunt efficere. Ex his omnibus format in mente idolum ſeu conceptum ſponſi: & quotieſcumque incidit ſermo de illo, ſine labore & diſcurſu recordatur eius ſicut à ſe effictus ac delineatus eſt. Poſt multos verò dies venit ſponſus celebraturus nuptias, quem oculis corporeis cernens, animaduertit eum eſſe pulchriorem, candidiorem, & ſuauiorem quàm antea conceperat. De hac virgine verè dici poteſt, quia ante aduentum ſponſi eum viderat, & non viderat. Viderat quidem ſecundùm illam effigiem, quam cogitauerat, quæ aliquomodo illi ſimilis eſt, non tamen viderat eum ſicuti eſt: quia longè pulchrior, & nobilior, & planè longè alius eſt. Sic animæ in hoc contemplationis gradu immittitur quædam perfectiſſima, & ſupra omnem captum noſtrum pulcherrima notitia, & veluti imago Dei, non quidem ab ipſa conſiderationibus & diſcurſibus elaborata, ſed ſubitò Dei ipſius virtute & miſeratione infuſa. Qua ſupernaturali modo in intimis receſſibus ſuis clariſſimè cognoſcit, & quaſi videt perſpicacius, quàm ſi oculis corporeis lucem corpoream videret. Videt, inquam, Deum, vt vnum, & vt trinum, & quomodo Pater generat æternaliter & inuariabiliter Filium: & Pater, & Filius ſpirant, vt vnum idémque principium Spiritum ſanctum, & quod hæ tres Perſonæ ſunt vna natura, vnáque ſubſtantia; & quòd ſunt in infinitum ſimiles & æquales. Et quomodo omnia creata ab illis tamquam ab vno creatore procedant, & quomodo ipſam animam inhabitent, & quàm verum ſit, & impoſſibile aliter eſſe illud dictum Domini, de eo, qui diligit, & mandata cuſtodit: Ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus.] Hæc igitur omnia, & multa alia ſimul & vno intuitu in Deo videt (ſicut tu in ictu oculi totam

Explicatur quodã ſimili modus huius caliginoſæ viſionis.

Animæ in hoc cõtemplationis gradu immittitur quædam perfectiſſima notitia, & quaſi imago Dei.

Ioan. 14. 23.

Cant. 2. 10. Explicatur in quo conſiſtat hic medius altiſſimæ contemplationis gradus.

D. Thom. 2. 2. q. 175. ar. 2.

tam faciem amici, oculos, & genas, & os, & frontem vides;) videndo autem igne ardentissimi amoris incalescit. At tota hæc visio est sicut illa sponsæ antequam sponsus adueniret. Nam cùm veneris Domine, vel sponsam ad te assumseris, & per lumen gloriæ te illi reuelaueris, tunc hæc anima videbit te sicuti est, & manifestè perspiciet, quia licèt aliquid de te conceperat, non tamen plenè viderat quemadmodum es.

Hæc visio in caligine & perfectissima, & spiritualissima est.

Luc. 17. 21.

Hæc visio sicut perfectissima, ita & spiritualissima est, & penitus à sensibus non dependens, & nullo modo in imaginatione, sed in apice mentis existens. Ea non apparet Deus extrà, sed in ipso fundo, & intimo animæ, tamquam in quodam cœlo, & in quodam regno Dei, de quo legimus: Quoniam regnum Dei intra vos est.] Non est breuis, & quasi transiens, sed satis longa, & per multum tempus protracta: nam mensibus & annis, & vsque ad finem vitæ, non tamen in eadem intensione in aliquibus iustis solet durare: vnde & interdum per modum habitus datur, vt anima quoties voluerit, se colligat ad Deum in interioribus suis, & Domino visione & affectione iuncta persistat. Propterea à beata Virgine Tharasia vocatur spirituale coniugium Dei, & animæ, quia videtur hoc donum à Deo illi animæ concedi, à qua non vult in perpetuum separari. Et quidem ipse numquam animam deseret, nisi ab ipsa deseratur, immo & benignissimè ei donabit, vt numquam per graue peccatum, sponsum deserat, nec per negligentiam & ignauiam se tam fœlici statu indignam efficiat. Sunt ergo Deus & anima duo in spiritu vno, sicut aqua (inquit illa) cadens è cœlo in aquam fluminis fit aqua vna, & sicut duæ luces ingredientes per duas fenestras in cubiculo fiunt lux vna. Non sanè quòd substantia animæ in Dei essentiam substantiámque vertatur, sed quia amplexu ardentissimi ac fidelissimi amoris, & purissimæ visionis ab eo, aut numquam, aut non nisi ad breue tempus separatur. Non est hæc visio inquieta, sed tranquillissima, in qua anima non solùm clarè, verùm & quietè Deum aspicit intra se; & non tantùm feruentissimè supra omnes alios gradus, sed tranquillè diligit, & sine strepitu proficit; ad modúmque ædificationis templi Salomonis proficit in quo malleus, & securis, & omne ferramentum audita non sunt. Affectus autem non turbantur, aut facillimè, inspecta voluntate eius, qui intus regnat, ad priorem pacem componuntur. Non admittit secum ecstases, & raptus, aut rarissimè; quia anima facta capacior, multo maiora recipit, & tamen vsum sensuum non relinquit. Ideo, & potest (nisi quando hæc visio nimium intenditur) & loqui, & manibus laborare, immo & studiis vacare, & debitis occupationibus ac negotiis insistere. Quia Deus animam tam mirabili modo secum vniens, non eam impedit, sed expedit, immo & ad lucra animarum impellit. Et quamuis exteriùs in portione inferiori aliquando affectus perstrepant, at in secreto mentis nihil turbationis sonat. Sicut si famulis in atrio aulæ regiæ ludentibus, & vociferantibus, rex in suo lecto quiescat.

3. Reg. 6. 7.

Quid Deus faciat in a-

Quid autem Deus in anima faciat, dum se illi tam apertè manifestat, quæ lingua explicare, aut quis stylus exarare sufficiat? Colligit Dominus sensus, non tam, ne in superflua exeant, quàm vt vix necessaria percipiant. Tranquillat affectus, quibus (ipso faciente) ab imaginatione non proponuntur minus pura, aut si quid minùs decens aliquando proponitur, valde à longè videtur, ne ipsi affectus perturbationem admittant. Cor, & partem istam inferiorem sensibili ac purissima delectatione replet, adeò vt hæc pars quamlibet voluptatem ab obiectis his sensibilibus manantem nimis exhorreat, tantum abest vt concupiscat. Ex illo fonte, qui est in secreto animæ, quasi torrens voluptatis manat, qui substantiam istam terrenam percurrens, eam irrigat, & exhilarat. Obliuiscitur anima, non iam solùm populum suum, & domum patris sui, sed & semetipsam, se à seipsa quasi alienam reputat, & perfectissimè in diuinum beneplacitum omnia iactat. Desiderium eius non est iam desiderium hinc emigrandi, quia seipsam & suum emolumentum non quærit, sed pro Christo multa & ardua agendi & patiendi. Ad consolationes non respicit, sed ad originem omnium bonorum intra se manentem attendit. Breuiter per experientiam, per gustum, & tactum spiritualem Deum agnoscit, atque vim illius verbi Domini intelligit, quod de Spiritu sancto dixerat: Vos autem cognoscetis eum, quia apud vos manebit, & in vobis erit.] Neque enim tam perspicuè homo hospitem, apud se diuertisse cognoscit, quàm hæc diuinum Spiritum esse suum hospitem deprehendit. Tam magna enim & tam manifesta & admiranda in ea facit, vt licèt hac perfectissima visione Dei careret, eius tamen amabilem præsentiam ex manifestis effectis ignorare non posset. Anima, inquit Bernardus, & desiderium festinantis agnoscet, & quando prope, & quando iam præstò erit continuò sentiet: sed & respicientis se oculum quasi Solis radium per fenestras & rimas parietis subeuntem beato oculo cernet, & demum audiet voces exultationis, & amoris, appellata, amica, columba, formosa. Denique tam firma expectatione æternæ fœlicitatis replet, vt pro ea quasi pro bono iam adepto immensas gratias referre non ambigat. Quando ergo anima hanc intellectualem Dei visionem quasi ex habitu habet, & ab ea, aut minus, aut magis intensè numquam discedit, supremum gradum contemplationis assequuta est. Nam pro omnibus meditationibus & affectibus, pro omnibus simplicibus intelligentiis & amoribus, pro omnibus excessibus & raptibus, vnam synceram & apertam Dei visionem (qualis esse potest in hac vita) & vnum amorem perfectissimum habet, qui omnia suprà explicata continet. Ad hunc autem gradum contemplationis existimo peruenisse, atque in eo multo tempore permansisse beatum Patrem nostrum Ignatium; qui sicut ex eius vita & multo magis ex quibusdam manuscriptis codicibus, quos legi, manifestè colligitur, sanctæ Trinitatis præsentia ita clarissimè illustrabatur, vt hoc genus visionis, & perpetui amoris eum depascentis assequutus videatur. Ad eum Dominus nobis aspirare concedat. Amen.

* * *

nima, cui se tam aperte manifestat.

Ioan. 14. 17.

Bernard. ser. 57. in Cant.

S.P.N. Ignatius ad hunc contemplationis gradum peruenisse creditur probabiliter.

Quindecimus gradus contemplationis: Visio clara & intuitiua Dei.

CAPVT XV.

Apex totius contemplationis facialis visio Dei.

EX his contemplationis gradibus non habet anima sancta quò amplius ascendat, nisi ad claram & facialem visionem Dei. Quæ licèt alterius vitæ sit, ad quam tendimus, & pro qua adipiscenda suspiramus, iure optimo gradus contemplationis ponitur, quoniam est supremum & perfectissimum, quo Deus possidetur, & in quo mens intellectu & affectu collocatur. Neque in hoc singulares sumus, sed Seraphicum Doctorem Bonauenturam sequimur: qui septem gradus tantùm contemplationis distinguit, & hunc visionis claræ Dei septimum & postremum facit. Primum gradum, inquit, dicamas ignem, secundum vnctionem, tertium ecstasin, quartum speculationem, quintum gustum, sextum quietem, septimum gloriam. Immo (quod magis est) Thomas Aquinas eumdem loquendi modum admittit. Supremus gradus contemplationis, ait, præsentis vitæ est, qualem habuit Paulus in raptu, secundùm quem fuit medio modo se habens inter statum præsentis vitæ & futuræ. Suprà tamen dixerat de Paulo, quòd in raptu diuinam essentiam viderit. Gloria ergo contemplatio est patriæ cœlestis, in qua Deus erit merces nostra magna nimis. Scimus enim quoniam cùm apparuerit similes ei erimus, & videbimus eum sicuti est. Similes, inquam, non solùm quia absque vllo næuo, perfecta sanctitate & fœlicitate donabimur, verumetiam quia ipse nulla re creata interiecta intellectum nostrum afficiet (si ita dici potest) quoniam vicem speciei subibit, & non in imagine, sed in seipso se nobis ostendet. Quamuis autem hic gradus contemplationis proprius Beatorum sit, in cœlis cum Christo regnantium, videndum tamen est, an aliquando contigerit mortali homini in terris degenti saltem ad tempus & in transitu dari. Ac certum est apud omnes Theologos id à Deo fieri posse, vt scilicet Deus mortali homini sui visionem claram & intuitiuam concedat. Cur enim non poterit homo, sensuum tum externorum, tum internorum functione relicta, intellectu lumine gloriæ illuminato clarè Deum intueri? Cùm intellectus idem omnino sit animo existente in corpore, vel extra corpus, & à Deo subleuatus & motus idem possit. Et si Beatorum animæ post resurrectionem futuram in corporibus immortalibus Deum clarè videbunt, quare (concedente, & faciente ipso Deo) in corporibus mortalibus ad tempus videre non poterunt?

Bonau. de grad. contemp.

D.Th. 22.q. 180.ar.1.

Qu. 175. art.3.

1.Ioan.3. 2.

An aliquando contigerit mortali homini viuenti ad hunc contemplationis gradum peruenire.

Scriptura sacra negare prorsus id videtur in terris degentibus. Exod.33. 20. Ioan.1. 18.

An verò hoc, quod absque vlla ambiguitate fieri potest, aliquando factum sit, hoc opus, hic labor est: nam ex vna parte Scriptura videtur vnum dicere, & ex alia quorumdam insignium Doctorum illi authoritas reluctari. Moysi enim dictum est à ipso Domino: Non poteris videre faciem meam, non enim videbit me homo & viuet.] Et Ioannes: Deum nemo vidit vmquam.] Quod de ipso Moyse, super quo ab aliquibus mouetur quæstio, dictum est. Lex, inquit, per Moysem data est, gratia & veritas per Iesum Christum facta est. Inde autem probat Moysem non fuisse authorem veritatis, quia Deum non vidit, sed author est Vnigenitus Patris, qui ex eo quòd Deum vidit, veritatem enarrare potuit. Hæc autem non præcludunt aditum interrogationi. Quoniam homo viuens, id est, secundùm modum huius vitæ per sensus operans Deum videre non potest (vt S. Thomas interpretatur:) at si ab operibus huius vitæ separetur, & relictis sensibus solo intellectu vtatur, quod proprium est alterius vitæ, Scriptura non dicit, quia Deum videre non poterat. Et similiter Deum nemo vidit vmquam ea cognitione, quæ comprehensiua dicitur, qua scilicet Deus in se videtur, & totaliter videtur. Quod intellectui creato & finito impossibile est; quia æquale & infinitum esse debet, quo infinitum atque illimitatum comprehendatur. Hoc autem habet Vnigenitus, qui est in sinu Patris, quòd æqualis Patri est, & ideo Patrem comprehendit, & omnes (vt ita dicam) eius recessus agnoscit, quare potuit veritatem, vt author eius, annuntiare. His ergo non tollitur, quòd alicui visio Dei facialis, non comprehensiua, fortassis concessa sit.

Si commodè scriptura explicetur, non negat. D.Th.1. p.q.12. ar.11.

Secundùm ergo omnes scholasticos Doctores, qui res istas pressiùs & exquisitiùs tractant, aut verum, aut probabilè est, quòd nonnulli in carne viuentes Deum clarè & intuitiuè viderint. Licèt enim multi eorum, & quidem nobilissimi hanc sententiam non recipiant, immo oppositum constanter sentiant, quòd nullus scilicet in hac vita Deum viderit, tamen illam non improbabilem censent. Ac primò Moyses in antiqua lege Deum vidit clarè, & vt in se est, communicato illi lumine gloriæ ad modicum tempus, quoad tam beatam visionem, & contemplationem assurgeret. Sentiunt id ex Latinis Augustinus, Ambrosius, Hugo Victorinus, & Thomas; ex Græcis verò Basilius. Nam & ipse Moses postulauit à Domino: Si inueni gratiam in conspectu tuo, ostende mihi faciem tuam.] Quid sit autem ostendere faciem, expressérunt Septuaginta, transferentes: Ostende mihi teipsum manifestè. Immo & ipse Propheta, qui iterum paulo pòst orauit, dicens: Ostende mihi gloriam tuam. Quæ est enim gloria Dei, nisi facies Dei, & quæ facies Dei, nisi ipsa substantia & essentia eius, cuius aspectu beamur? Neque obstat quòd Deus videtur non annuisse petitioni Prophetæ illis verbis: Non poteris videre faciem meam; non enim videbit me homo, & viuet.] Et rursus: Videbis posteriora mea, faciem autem meam videre non poteris.] Licèt enim tunc non fuerit ei facies Domini reuelata, vt eam ampliùs desideraret, & desideriis se ad eam videndam præpararet, tamen illi est alio loco detecta. Nam & ipse Dominus alibi ait: Si quis fuerit inter vos Propheta Domini, in visione apparebo ei, vel per somnium loquar ad illum. At non talis seruus meus Moyses, qui in omni domo mea fidelissimus est: ore enim ad os loquor ei, & palàm, & non per ænigmata & figuras Dominum videt.] Iuxta quem locum, si ponamus illum Pauli: Videmus nunc per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem;] videbimus aliis Prophetis visionem Dei per figuras & ænigmata fuisse datam, Moysi verò visionem claram, quæ vocatur ore ad os, & palàm, & non per ænigmata fuisse concessam. Neque per hanc visionem intellectualis solùm visio potest intelligi: quasi alij Prophetæ

Scholastici Doctores ad minus, probabile censent, aliquibus contigisse claram Dei visionem in hac vita. Moses clarè Deum vidit. Aug.12. de Genesi ad lit.c. 27. Amb.1. examer. c.2. Hugo q. 34. in 2. ad Cor. D.Th.1. p.q.12. ar.11.& alibi. Basil.homil.1. exam. Exod.33, 13.18. Satisfit tacitæ obiectioni. Exodi 33. 20. Ibid.v. 23. Num. 12.6. Moysem clarè Deù vidisse ex scriptura probatur. 1.Cor.13. 12. Non visione intellectuali.

imagi

imaginariam, Moſes autem intellectualem habuerit. Quoniam & Dauid (vt ſuprà vidimus) intellectuali viſione multa fidei myſteria contemplatus eſt, & non eſt credibile, quòd alij Prophetæ Eccleſiæ Magiſtri, & ſacrorum librorum ſcriptores ea caruerint. Neque etiam viſio ore ad os, & palàm, & non per ænigmata viſionem corpoream, qua Deus in corpore ab Angelo aſſumto, & nomine Dei loquente viſus ſit, ſignificare poteſt, quoniam Moſes in viſionum præſtantia aliis Prophetis anteponitur. Sic autem potiùs poſtponeretur, cùm viſio corporea omnium infima ſit, cui ſine dubio ex omnium conſenſu imaginaria & intellectualis præferuntur. Vidit ergo Moyſes aliquando Deum clara viſione, & meritò, vt ſupremus Eccleſiæ antiquæ legiſlator euidentiùs eſſet inſtructus. Neque aliquid refert, quòd Scriptura non dixerit, quando Moyſes diuinam eſſentiam viderit, quia multa dona Prophetis legis veteris prærogata ſcripta non ſunt.

Nec corporea.

Paulus quoque gentium Doctor clara intuitione Deum apud nos viuens vidit. Quod & Auguſtinus, & Thomas, & alij fatentur. Et ex eo loco colligitur. Scio hominem in Chriſto ante annos quatuordecim, ſiue in corpore, ſiue extra corpus neſcio, Deus ſcit; raptum huiuſmodi vſque ad tertium cœlum. Et ſcio huiuſmodi hominem ſiue in corpore, ſiue extra corpus, neſcio, Deus ſcit, quoniam raptus eſt in Paradiſum: & audiuit arcana verba, quæ non licet homini loqui. Tres cœli variè à Patribus exponuntur. Quidam enim nomine primi cœli intelligunt omnia corpora cœleſtia vſque ad firmamentum: nomine ſecundi primum mobile: nomine tertij cœlum empyreum, ac ipſam regiam Dei. Aliis primum cœlum eſt prima Hierarchia continens Angelos, Archangelos, & Principatus: ſecundum eſt ſecunda Hierarchia complectens virtutes, Poteſtates, & Dominationes: tertium, tertia Hierarchia comprehendens Thronos, Cherubim, & Seraphim. Aliis demum tres cœli ſunt tria genera viſionum, corporeum, imaginarium, & intellectuale. Quidquid autem ſit tertium hoc cœlum, ſiue vnum iſtorum, ſiue omnia hæc, certè Paulus raptus eſt viſione intellectuali vſque ad ſplendidiſſimam & feruentiſſimam Seraphinorum notitiam in cœlum empyreum, ac iterum in illum ipſum cœleſtem paradiſum vt Deum clarè videret, vtque Doctor gentium, Idola gentium expugnaturus, Deum vnum, & trinum, non ſolùm certiſſimè, ſed quaſi euidentiſſimè prædicaret. Atque in intelligentiam huius loci libet Anſelmi ita ſcribentis ſententiam adiungere: Cur autem non credamus, quòd tanto Apoſtolo, Doctori gentium, rapto vſque ad iſtam excellentiſſimam viſionem voluerit Deus demonſtrare vitam, in qua poſt hanc vitam videndus eſt in æternum? Et cur non dicatur iſte Paradiſus, excepto illo, in quo corporaliter vixit Adam? Si enim propriè quidam nemoroſus locus, tranſlato autem verbo omnis etiam ſpiritualis quaſi regio, vbi animæ bene eſt meritò Paradiſus dici poteſt, non ſolummodo tertium cœlum, quidquid illud eſt, quod profectò magnum ſublimitérque præclarum eſt, ſed etiam in ipſo homine lætitia quædam bonæ conſcientiæ, Paradiſus eſt. Si ergo primum cœlum rectè accipimus generali nomine hoc omne corporeum, quidquid eſt ſuper aquas & terram; ſecundum autem in ſimilitudine corporali, quod ſpiritu cernitur, ſicut illud, vnde animalibus plenus in ecſtaſi Petro diſcus ille ſubmiſſus eſt: tertium verò quod mente conſpicitur, ita & ſecreta & remota & omnino abrepta à ſenſibus carnis, atque mundata, vt ea quæ in illo cœlo ſunt, & ipſam Dei ſubſtantiam, verbúmque Domini per quod facta ſunt omnia, in charitate Spiritus ſancti ineffabiliter valeat videre & audire, non incongruenter arbitramur, & illuc Apoſtolum eſſe raptum, & ibi fortaſſis eſſe paradiſum omnibus meliorem, & (ſi dici oportet) Paradiſum paradiſorum. Nec contrarium eſt huic intelligentiæ illud, quod Moyſi Dominus ait: Non videbit me homo, & viuet; quia neceſſe eſt abſtrahi ab hac vita mentem, quando in illius ineffabilitatem viſionis aſſumitur, ſicut Apoſtoli mens diuinitus rapta eſt ex hac vita ad angelicam vitam, antequam per iſtam communem mortem carne ſolueretur.] Hæc ille. At non dixit Paulus ſe aliquid vidiſſe, ſed audiuiſſe. Nihil refert; quia mos Prophetarum eſt verbum pro re, & auditionem pro viſione accipere. Ideo dicit Scriptura: Non erit impoſſibile apud Deum omne verbum.] Et: Domine, audiui auditionem tuam, & timui.] At audiuit arcana verba, Deus autem vna res ſimpliciſſima eſt? Deum vidit, & multa myſteria audiuit, ſeu intellexit, quæ hominibus manifeſtanda non erant, ipſi autem fuerunt vtiliſſima, cui erant propalata.

Paulus quoque Deum clarè vidit. Aug. ep. 112. c. 19. D. Th. 2. 2. q. 175. ar. 3. 2. Cor. 12. 2. Quid per tres cælos, quos Paulus transcendit, Patres intelligant.

Congrua ſatis expoſitio illorum verborũ: Non videbit me homo, & viuet, &c. Obiectio. Illius deiectio. Luc. 1. 37. Habac. 3. 1.

Si autem Moſes & Paulus diuinam eſſentiam clarè viderunt, multo potiori ratione vidit non ſemel, ſed aliquoties beatiſſima Virgo Maria, quia nulla ei Sanctorum prærogatiua defuit. Quod & clariſſimè Antoninus docet. Fortè, inquit, in ipſo conceptu, vel partu, illi datum eſt ad horam vt videret myſterium huiuſmodi, vt in patria: ſicut Paulus vidit Deum in raptu.] Et vt alios inferioris notæ prætermittam, inſinuant Cyprianus, & Rupertus. Ille enim ſic ait: Vnde & Matri plenitudo gratiæ debebatur, & virgini abundantior gloria: quæ carnis & mentis integritate inſignis, ſpirituali & corporali, intus & extra Chriſti præſentia fruebatur.] Hic verò ſic: Si enim quiſpiam dixit, & teſte Deo, vel conſcio, non mentiens dixit, raptum ſe fuiſſe in Paradiſum, ſiue vſque ad tertium cœlum, &c.] Quanto magis tu, Regina cœlorum, perſæpe cœleſtibus interfuiſti, quippe quam & circumſteterunt obſtetricum vice, gloriam Deo concinentes Angeli, & inter hæc didiciſti, vel aſſequuta es aliquid, quod latet, & latere nos debet.

Multo rectius dicendũ eſt, B. Virginem clariſſimè Deũ vidiſſe, dum viueret. Anton. 4. p. tit. 15. c. 17. §. 1. Cypr. de natali Domini. Rup. 3. in Cant. ad c. 4.

Enimuero in his non habebimus Theologos ſcholæ ſectatores infenſos, quippe qui aut hæc recipiant, aut veroſimilia & probabilia eſſe non negent. Sed aliqui doctrinam hanc ad alios quoſdam extendunt. Sunt enim qui dicant Auguſtinum aliquando in contemplatione poſitum diuinam eſſentiam clarè vidiſſe, propter quod ipſe de ſe ac de matre loquens dicit hæc, quæ iam ſuprà retulimus. Si continuetur hoc, vt ſubtrahantur aliæ viſiones longè imparis generis vt hæc vna rapiat & abſorbeat, & recondat in interiora gaudia ſpectatorem ſuum, vt talis ſit ſempiterna vita quale fuit hoc momentum intelligentiæ, cui ſuſpirauimus; nónne, hoc eſt: Intra in gaudium Domini tui.] Sunt etiam qui tribuant Benedicto, propter verbum Gregorij de ipſo ſic ſcribentis: Fixum tene, Petre, quod loquor: quia animæ videnti creatorem, anguſta eſt omnis creatura. Quamlibet etenim parum de luce creatoris aſpexerit, breue ei fit omne quod creatum eſt: quia ipſa luce viſionis intimæ mentis laxatur ſinus, tantúmque

Aliqui Theologi, præter dictos, aliis etiã concedũt eſſentiam diuinam vidiſſe, De Auguſtino aliqui aſſerunt. Aug. 9. conf. c. 10.

Matth. 25. 21. Greg. 2. dialog. c. 35. Et de D. Benedicto.

Anſel. ibi.

expanditur in Deo, vt ſuperior exiſtat mundo, fit verò ipſa videntis anima etiam ſuper ſemetipſam. Cumque in Dei lumine rapitur, ſuper ſe in interioribus ampliatur, & dum ſub ſe conſpicit exaltata, comprehendit quàm breue ſit, quod comprehendere humiliata non poterat.] Sunt etiam qui viſionem Dei claram tribuant Ægidio ſancti Franciſci diſcipulo & comiti, qui vir ſanctiſſimus id de ſe affirmabat, ac fidem pro viſione & notitia clariſſima ex illa relicta commutaſſe dicebat. Si autem his tribuatur Dei viſio clara & perſpicua, non improbabiliter tribui poſſet Ignatio parenti noſtro, qui tam ſublimi ratione per viſionem intellectualem de vnitate eſſentiæ, & perſonarum trinitate inſtructus eſt, vt homo idiota (nondum enim tunc litteras didicerat) librum de Trinitate ſcribere auſus ſit.

Alij etiã tribuunt Ægidio S. Franciſci diſcipulo.

Nec improbabiliter tribuetur S.P.N. Ignatio.

Adhuc tamen doctrina hæc de viſione clara diuinæ eſſentiæ magis apud myſticos Doctores protracta eſt. Aliqui enim illorum indicare videntur in omni ætate viris dono contemplationis eximiè cumulatis hanc gratiam à Domino fuiſſe conceſſam, vt aliquoties ipſum clarè & intuitiuè conſpexerint. Docet id Bonauentura in vtraque Theologia myſtica & ſcholaſtica eminentiſſimus, qui ſic ait: Intelligentia per raptum in Deum abſorpta reſpondet ſextæ diei. De hoc raptu dicit Apoſtolus: Scio hominem ante annos quatuordecim, ſiue in corpore, ſiue extra corpus, neſcio, Deus ſcit, raptum huiuſmodi. Hic raptus facit animam ſimillimam Deo, quantum eſſe poteſt in ſtatu viæ. Rapti autem non habent habitum gloriæ, ſed actum. Et ſicut raptus eſt in confinio viæ, & patriæ; ita eſt in confinio vnionis, & ſeparationis à corpore.] Docet & Dionyſius Richelius, Doctor etiam vtriuſque ſcholæ clariſſimus, cuius hæc ſunt verba: Hoc autem pendandum, quòd quamuis ex Scriptura canonica non pateat, quemque purum hominem Deum per ſpeciem in vita conſpexiſſe præſenti, præter Moyſem, & Paulum, an tamen ipſis duntaxat tantùm conceſſum ſit culmen perfectionis, non conſtat. Neque enim putandum eſt id virgineæ Dei Genitrici eſſe negatum, quod ſeruis ſcribitur condonatum. Quidam demum Sanctorum ſic loqui & ſentire videntur, quaſi aliquando ineffabiliter, raptim quibuſdam amantiſſimis Dei ad punctum huiuſcemodi contemplatio in vita hac concedatur. De qua re ego cæcutiens loqui ampliùs non præſumo. Hoc duntaxat adiicio, quia reuera beati mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt.] Prætereo nunc Henricum Herpium, & Ioannem Ruſbrochium, qui verba proferunt, quibus in hanc ſententiam manibus & pedibus ire exiſtimantur.

Myſtici Doctores ſingulis ætatibus viris dono contẽplationis præditis hanc gratiam conceſſã eſſe conantur adſtruere.

Bonau. de luminar. Eccleſiæ ſer. 3.

Dion. Richel. lib. 3. de contemp. art. 24.

Herp. in direct. tract. de vita cõt. ſupereſſent. Ruſbro. lib. 2. de nupti. ſpiritu.

Nos autem quid dicemus? Profectò antiquis Eccleſiæ Patribus & multitudini ſcholaſticorum Doctorum adhærere malumus, qui conſtanter negant, claram Dei viſionem mortali homini ſolere concedi. Hos hîc adducere prolixum eſſet, ſatis ſit dicere, quòd ſunt omnes quotquot illum locum Exodi: Non videbit me homo, & viuet, interpretati ſunt. Tenendum eſt igitur Auguſtinum, Benedictum, Ægidium, Ignatium, & alios quoſcumque ad ſupremum gradum contemplationis euectos, quartumdecimum gradum ſuprà deſcriptum attigiſſe, quo mirabili modo, infra viſionem tamen claram, per ſupernaturale lumen, & ſpeciem infuſam Deum contemplati ſunt, & ex parte cognouerunt, donec veniat in alia vita, quod perfectum eſt. Idem quoque de quocumque alio altiſſimam contemplationem habente ſentiatur, nec in loquendo aut ſentiendo tranſgrediamur terminos antiquos, qui à Patribus noſtris poſiti ſunt.

Nihilominus verius eſt claram Dei viſionem mortali homini omnino denegatam.

De ſuauitate ſenſibili his gradibus contemplationis adiuncta.

CAPVT XVI.

SVAVITATEM ac voluptatem, quæ ſenſibus percipiatur, in contemplatione eſſe, non ſemel diximus, iam verò ad finem huius tractationis properantes, maioris lucis gratia amplius exponemus. Benigniſſimus Dominus, qui totum hominem diligit, & non ſolùm animæ potioris partis noſtræ, verùm & corporis rationem habet in menſa contemplationis vtrique cibum, quo reficiatur, apponit. Animæ parat lucem intelligentiæ, feruorem amoris, & ſpirituales delicias, corpori verò ac ſenſibus eius ineffabilem ſuauitatem. Adeò vt exclamet & dicat homo in gratiarum actionem, cùm ex hac menſa lætus aſſurgit: Cor meum & caro mea exultauerunt in Deum viuum.] Non ſolùm cordi, id eſt, menti, ſed & carni exultatio parata eſt. Etenim paſſer inuenit ſibi domum, & turtur nidum ſibi vbi ponat pullos ſuos. Cor eſt tamquam paſſer ex ſententia Auguſtini, & caro tamquam turtur. Cor, id eſt, mens, velut maior atque præſtantior inuenit domum, caro vt minor inuenit nidum. Vtrique tamen locus requietionis conceditur, vtrique cibus, ſuauitas ſcilicet, & exultatio paratur. Contẽplatio res quidem ſpiritualis eſt, ſed donum eſt datum homini, non Angelo (vt nunc de ea loquimur) qui non eſt purus ſpiritus, ſed ex ſpiritu & corpore coagmentatus. Quare ita à Domino temperatur atque diſponitur, vt in ſpiritu maneat, & tamquam reliquias ſuas exultationem in corpus effundat. Tribuendum fuit iuſtis à ſuauiſſima prouidentia Domini, quo vitam in lætitia tranſigerent. Si enim homo ſecundùm conditionem ſuæ naturæ humanus & nobilis famulos in perpetua triſtitia manere non ſuſtinet, cur ille, qui totus eſt benignitas & dulcedo dilectiſſimos ſuos, quos ceu filios diligit, eſſe ſemper in mœrore ſuſtineret? Ille gaudium & lætitiam, & proſperos euentus iniquis, & infidelibus, & idolorum cultoribus impertit, & Sanctis, quos diligit vt pupillam oculi ſui, quibúſque æternam gloriam præparauit, lætitiam & alacritatem non dabit. Aperit manum ſuam, & implet animalia bruta lætitia, cuius ſunt capacia, benedictione; & manum continebit, ne homines rationis compotes, & ad imaginem ſuam conditos, exultatione perfundat? Mater extendit brachia, & ſuum puſionem amplectitur, ac dulciſſimo lacte alit, ac nutrit. Deus autem, qui pluſquam omnes matres ſuos filios, quemque iuſtum diligit, illum ad ſe venientem, & pro amore eius omnia contemnentem, famelicum & triſtem abiiciat? Quis hoc credat?

Suauitas ſenſibilis maxima contemplationi ineſt.

Pſal. 83. 3.

Aug. ibi.

Filium prodigum poſt ſubſtantiam malè conſumtam, & vitam in luxu & impudicitia tranſactam, gaudens benignus pater admiſit, & honorabili veſte, & conuiuio, & maximis

Filium prodigũ poſt ſubſtantiam malè cõſumtã, & vitã in luxu actam, Pater benignè recipit.

amoris

amoris signis deliniuit, & in spem erexit, & coram famulis honorauit. Quanto putas gaudio Dominus in hoc patre figuratus, non iam peccatorem sed iustum, sed obedientem filium de labore sanctæ actionis ad requiem contemplationis reuertentem suscipiet. Dat mundus sectatoribus suis aliquando opes, & honores, & voluptates, quas postulant. Deus ergo his qui diligunt illum, qui pro eius amore bona mundi relinquunt, veras delicias non negabit. Hi sunt qui toto corde cœlestem Ierosolymam quærunt, his autem in Isaia non luctus & pressura perpetua, sed lætitia & gaudium indicitur. Lætamini cum Ierusalem, & exultate in ea omnes qui diligitis eam: gaudete cum ea gaudio vniuersi qui lugetis super eam; vt sugatis, & repleamini ab vbere consolationis eius, vt mulgeatis, & deliciis affluatis ab omnimoda gloria eius.] Sed hæc illis, qui aliquem haustum contemplationis acceperunt, frustrà dicuntur. Ad quid enim verbis persuadebo mel esse dulce, illi, qui gustu ipso eius dulcedinem sæpe expertus est?

Isaiæ 66. 10.

Contemplatio suam habet ad iunctam suauitatem sẽsibus corporis percipiendam.

Contemplatio ergo habet adiunctam suauitatem, quam sensus ipsi corporis sentiunt. Quæ & magna, & pura, & efficax, & generalis est. Magna, quæ omnes alias corporeas voluptates ex rebus sensibilibus exortas admodum superat. Pura, quæ nihil habet, quod spurcitias & vilitates carnis perituræ, & impuri corporis sapiat. Efficax, quæ ipsum corpus aliquando ita roborat, & confortat, vt dura & difficilia, & supra omnem imbecillitatem humanam ardua sustineat. Generalis, quæ totum corpus peruadit, & viuifico quodam ac purissimo calore complet, & sensus omnes: quasi conuenientissimis & propriis obiectis afficit. Sed non possum ego eam, & caussam eius melius quàm verbis Bernardi & Bonauenturæ depingere. Hic in hunc modum scribit: Sunt etiam quædam sensibiles dulcedines, & suauitatis experientiæ, quæ deuotis quandoque infunduntur, & mirabilis fragrantia odoris, ineffabilis suauitas saporis, & hymnidicæ melodiæ vocum, & sonorum, & tactu perceptibiles experientiæ indicibilium suauitatum, quæ cùm veræ sunt, & à Deo possumus existimare, quòd aut dentur quibusdam nobis aut rudibus, qui spiritualia nondum lucidè intelligunt, vt saltem per sensibilia consolentur in Domino, qui veritatem purè spiritualium non cognoscunt, in quibus maior vis est, & certior veritas, & fructuosior profectus, & purior perfectio. Aut quòd ideo dentur etiam perfectioribus in spiritu sensibiles consolationes propter redundantiam interioris dulcedinis, vt sicut anima communicat corpori suo quasi comiti & socio viæ passiones suas, ita & communicet ei consolationes. Tristante enim anima interiùs, etiam corpus tabescit exteriùs. Sicut ergo corpus collaborat spiritui, & compatitur in merito, ita dignè comparticipatur, & conremunerat ei in præmio, non solùm futuræ gloriæ, sed etiam præsentis gratiæ, sicut domini in conuiuio epularum seruis suis transmittunt reliquias ferculorum. Vnde dicitur: Sicut socij passionum estis, ita & consolationis eritis. Et hoc est ex superfluenti mensura, quæ datur electis, cui redundantia ne effusa depereat excitatur à corpore, quod particeps fuerat in labore.] Ille verò, scilicet Bernardus, ab illo citatus, sic ait: Sicut in sanctitate vitæ, & hominis interioris contemplatione, & fruitione diuinitatis, iam futuræ vitæ beatitudinem prælibare in hac vita videntur & imitari: sic etiam de corporum ipsorum glorificatione, quam plenè ibi percepturi sunt, in hac vita nonnihil percipiunt. Accepta enim illa gratia, quam habitantes in vnum seipsis in Deo, & Deo in seipsis fruuntur, ipsius carnis se sentiunt vicisse omnes contradictiones, vt vniuersa substantia carnis non sit eis nisi instrumentum boni operis. Nam etsi ipsius miseriis & infirmitatibus contabescunt, ex hoc ipso in interiori homine fortiùs conualescunt: quando enim infirmor, tunc fortior sum & potens, ait Apostolus. Sensus ipsi nouam percipiunt quamdam & propè spiritualem gratiam, oculos simplices, & aures obtemperantes, & aliquando in feruore orationis tanta cordis ignota quædam fragrantia inspirat, tanti gustus, & si non gustando, suauitas tanta per mutuum tactum spiritualis charitatis incentiuum fit, vt videantur sibi intra seipsos spiritualis gratiæ cuiusdam voluptatis gerere Paradisum. Vultus etiam, & totius corporis compositione, vitæ, & morum, & actuum decore, mutuæ etiam seruitutis in illis deuotis exhibitionibus, & piis susceptionibus, cuiusdam gratiæ beneplacito sibi conueniunt inuicem, & conuiuunt, vt verè sit cor vnum, & anima vna. Nimirum corporum suorum gloriam iam hîc inchoant, vel initiant, & puritate conscientiæ, & intimæ conuersationis gratia perfectè habituri eam in futura & perenni vita pronuntiant.] Hæc Bernardus.

Bonæu. de processu relig. c. 20.

Bern. lib. de amore Dei.

Certè non possum historiam Cæsarij Cistertiensis monachi prætermittere, quæ hanc corpori orantis communicatam dulcedinem mirificè ante oculos ponit. Dum nuper, inquit, hoc anno, scilicet in quadam domo sanctimonialium Ordinis nostri, à celleraria per totum conuentum pictantia, id est, oua frixa diuiderentur, nescio quo casu, vna ex eis neglecta est: non tamen arbitror actum casu, sed diuino nutu, vt Dei gloria manifestaretur in illa, patientissimè autem defectum illum sustinens, immo neglectam se gratulans, cùm Deo gratias referret, summus ille Abbas, inuisibilem ei pictantiam misit; cuius inenarrabili dulcedine sic repletum est os eius, fauces, viscera, & venter, vt numquam aliquid tale in vita sua sentiret, corporalis erat hæc dulcedo. Porrò in mente & anima dulcedine spirituali Deus tam copiosè visitauit eam, vt diceret Abbati nostro, quòd omnibus diebus vitæ suæ pictantiis omnibus carere vellet, dummodo in consimili dulcedine, & hoc vna tantùm vice, sibi liceret deliciari.] Hæc ibi. Et ego credo, quia ex refectione interiori mentis, & ex dulcedine contemplationis hæc corporis suauitas dimanauit.

Monialis quædam defectum cibi, ac se à celleraria neglectam bono ferens animo, diuina consolationis pictantia recreatur. Cæsar. lib. 8. c. 94.

Animaduerte autem gradus. Nam primò monialis ista aut casu, aut ex professo negligitur: secundò neglectus patientissimè sustinetur: tertiò interna lux, & mentis dulcis affectus percipitur: quartò tandem in corpus dulcedo ac suauitas deriuatur. O si disceremus amare contemtum, ô si sciremus iniurias & probra sustinere, ac nos ipsos despicere! Verè ille pius Dominus, qui neminem despicit, qui magis afflictos, & à sæculo isto nequam despectos magis in suam tutelam suscipit, sua ineffabili dulcedine recrearet. Ad vbera, inquit, portabimini, & super genua blandientur vobis. Quomodo si cui mater blandiatur, ita ego consolabor vos, & in Ierusalem consolabimini.] Hæc, & alia

Posita Monialis historia altius perpenditur.

Isaiæ 66. 12.

huiusmodi suauitatem significant, quam Deus in lectulo contemplationis fidelibus seruis impertit. Quæ quando à Deo immittitur humiliter & grato animo suscipienda est, & in finem, cuius grâtia infunditur, ordinanda. Hic autem non est alius quàm vt anima veriùs & efficaciùs seipsam, & omnia terrena contemnat, & cœlestia concupiscat. Diximus autem quando à Deo immittitur: quòd ex puritate quam affert, & odio cuiusque sensualis illecebræ, & ex tranquillitate quam relinquit, atque ex humilitate cognoscitur. Nemo tamen putet, se ob experientiam harum suauitatum esse meliorem, aut ob defectum earum imperfectiorem: quia profectus vitæ non in his, sed in vera charitate, & virtutum perfectione posita est. Vnde

Profectus vitæ nec copia, nec desiderio consolationis metiendus.

A Bonauentura etiam ait: Sciendum quòd aliqui sedueuntur in eis putantes esse à Deo, quod fortè est phantastica deceptio. Et aliqui putant esse aliquid magni, quod in se nullius est meriti. Et aliqui extolluntur de talibus apud se, & iactant se quasi de singulari gratia sanctitatis.] Ille ergo, cui hæ suauitates dantur, accipiat semper eas vt media benignè à Domino dispositа, & infirmo concessa, vt se magis ac magis mortificet, & amore mundi exuat. Eius autem qui animam regit, erit cognoscere; quando ad solatium infirmitatis concedantur, aut ex redundantia interiorum donorum deriuentur. Nec quisquam in his suauitatibus sua desideria ponat, sed, retenta efficacitate charitatis, potiùs pati, & dura experiri eligat.

Bonau. supr.

B

ORATIO.

SVauissime & benignissime Domine Deus meus, qui in omnibus operibus es admirabilis, sed præcipuè es mirabilis in Sanctis tuis, quos non tantùm ad fastigium cuiusdam magnæ sanctitatis extollis, & tibi quàm simillimos facis; verùm & quibusdam extraordinariis donis ornare dignaris: da nobis, rogamus supplices, hæc dona tua reuerenter suspicere, & verbis ac animo venerari, & si oportuerit, admirari; numquam tamen ex superba curiositate concupiscere. Ne simus, Domine, ex illis, qui quæcumque quidem ignorant, blasphemant, & quæ sibi ob suam negligentiam, & tepidam vitam non dantur, eo ipso contemnunt. Neque etiam illis annumeremur, qui ad dona, in quibus vera virtus & sanctitas constituta non est, quasi ad ipsam sanctitatem aspirant. Fac potiùs vt peccata fugiamus, virtutes sectemur, legem tuam fideliter custodiamus, in reliquis verò, quæ ad mentis puritatem non pertinent, solùm quod tibi fuerit placitum, & nobis proficuum, desideremus. Amen.

PARS QVARTA

De discretione spirituum.

INTRODVCTIO.

OMNIBVS sed præcipuè viris spiritualibus, & studio mentalis orationis addictis apprimè necessaria est, discretio earum motionum, quibus ad aliquid sentiendum, vel cupiendum, vel dicendum, vel operandum, vel tandem omittendum incitantur. Quoniam cùm istorum interiorum motuum quidam sint boni, quidam mali, quidam dubij, summi periculi est, aut bonos abiicere, aut malis obedire, aut dubiis non bene expensis & examinatis, ad aliquid faciendum vel non faciendum procedere. Atque adeò cuique interiori motui atque impulsui, illis verbis occurrendum est, quæ magnus Imperator Iosue ad cognoscendum Angelum in externa specie hominis coram se astantem vsurpauit: Noster es, an aduersariorum?] Ab illo namque Angelum quidem cognitum fuisse, & an custodem amicorum, an hostium internoscere voluisse, Iobius monachus apud Photium in sua Bibliotheca cum multis aliis in hunc ferè modum scribit: Multa enim Iosue docebant, neque aliquem esse hunc ex hostili acie, ac neque ex proprio exercitu; vt quòd subitò astitisset, quòd nemo aduersariorum auderet, vel per medias hostium copias transire, vel in conspectum Imperatoris venire; quin, & quod tanta vsus audacia, nihil omnino hostile fecisset. Alioqui ne sapientissimi Imperatoris erat ignorare,

Iosue 5. 13.

Photius c. 222. p. 239.

qualis

qualis contribulium eſſet habitus, atque apparatus, qualis item aliemigenarum? Verùm nouerat quidem Ioſue viſum illud vnum intelligentium ſpirituum eſſe, ſed hoc cognoſcere auebat, vtrùm quod apparuiſſet ex hoſtibus eſſet, an de illo exercitu, qui protegebat Iſraël.] Eodem ergo modo cum impulſibus noſtris agendum eſt, & ab illis diſquirendum: Noſtri eſtis, an aduerſariorum. Vt ſi noſtri ſunt, id eſt, noſtræ ſaluti congruant, illos recipiamus; ſin minus, toto niſu repellamus. Impulſus autem iſti duobus modis proueniunt; primò quidem modo ordinario, dum per internam inſpirationem aliquid nobis ſuggeritur: ſecundò modo extraordinario, dum per reuelationem, vel loquelam quaſi è cœlis ſonantem quippiam nobis enuntiatur. De vtroque autem per diuerſa capita in varias induſtrias diſtributa breuiter tractandum eſt, vt quiſque ad manum habeat, vel quo ſuas motiones agnoſcat, vel vt aliorum, quos regit, aut quorum cura ſibi aliqua ratione incumbit, impulſus intelligat, & in ſe, & in aliis bonos amplectatur, & malos reſpuat, ſiue reiiciat.

Eccl. 12. 7. 5. Animã brutorũ. Eccl. 3. 21. 6. Aërẽ, quo ſpiramus, & ventum. Pſal. 148. 8. 7. Memoriam, intellectũ, & voluntatẽ. Luc. 1. 47. 8. Corpora aërea ab Angelis aſſumta. Luc. 24. 39. 9. Actiones liberas intellectus, & voluntatis. Matth. 5. 3. 10. Impulſum interiorem, quo quis ſe ſentit inuitari. Act. 17. 16. In hoc tractatu hoc vltimo modo ſpiritus ſumitur. Spiritus hic eſt quid inuiſibile, quo homo ad actum humanũ incitatur interius. Vel eſt ipſemet impulſus interior. Spiritus, quibus impellimur, ſex ſunt iuxta Bern. Bern. ſer. qui inſcribitur de ſeptem ſpiritibus.

De multiplici ſpiritu, ac de cuiuſque natura.

CAPVT I.

Sapius in Scriptura diſcretio ſpirituum cõmendatur. 1. Ioan. 4. 1. Epheſ. 4. 14. 1. Theſſ. 5. 21. 2. Theſſ. 2. 2. 1. Tim. 4. 1. Eccli. 18. 4.

PRÆCEPTVM eſt non ſemel in diuina Scriptura propoſitum, ſed ſæpius inculcatum, vt diſcernamus ſpiritus, neque omni ſpiritui acquieſcamus. Id ſignificant illa verba: Nolite omni ſpiritui credere, ſed probate ſpiritus ſi ex Deo ſint.] Non ſimus paruuli fluctuantes, & circumferamur omni vento doctrinæ in nequitia hominum.] Omnia probate, quod bonum eſt tenete.] Rogamus vos, vt non citò moueamini à veſtro ſenſu, neque terreamini, neque per ſpiritum, neque per ſermonem, neque per epiſtolam, tamquam per nos miſſam.] Spiritus manifeſtè dicit, quia in nouiſſimis temporibus diſcedent quidam à fide, attendentes ſpiritibus erroris.] Et in Eccleſiaſtico: Qui credit citò, leuis corde eſt, & minorabitur.] Et alia ſimilia. Cui præcepto vt fieri ſatis poſſit, neceſſe eſt diſquirere, quid ſit ſpiritus, & quot ſint ea, quibus hoc nomen ſpiritus conuenit, ne nomen, aut rem nomine ſignificatam ignorantes, quaſi in vacuum laboremus.

INDVSTRIA I.

Quid ſignificet nomen ſpiritus, quomodo hîc accipiatur.

Nomen ſpiritus multa ſignificat. 1. Significat Deũ. 2. Spiritũ ſanctum Pſal. 32. 6. 3. Angelũ bonum vel malum. Pſal. 103. 4. 4. Animam.

NOmen ſpiritus multa ſignificat. Primò ipſum Deum. Spiritus eſt Deus, & eos, qui adorant eum in ſpiritu & veritate oportet adorare.] Secundò Spiritum ſanctum tertiam perſonam Trinitatis. Nam verbo Domini cœli firmati ſunt, & ſpiritu oris eius omnis virtus eorum.] Tertiò Angelum bonum, vel malum. Qui facis Angelos tuos ſpiritus, & miniſtros tuos ignem vrentem.] Quartò animam rationalem. Reuertatur puluis in terram ſuam, vnde erat, & ſpiritus redeat ad Deum, qui dedit illum.] Quintò animam brutorum. Quis nouit ſi ſpiritus filiorum Adam aſcendat ſurſum, & ſi ſpiritus iumentorum deſcendat deorſum.] Sextò aërem, quo ſpiramus, & ventus hinc inde agitatus & motus. Inde Dauid inuitat ad laudandum Dominum ſpiritus procellarum, qui faciunt verbum eius. Septimò vires animæ, memoriam, intelligentiam, & voluntatem. Sic exponitur illud: Exultauit ſpiritus meus in Deo ſalutari meo.] Octauò corpora aërea ab Angelis aſſumta. Nam propterea dixit Dominus, vt veritatem ſuæ reſurrectionis comprobaret: Palpate, & videte, quia ſpiritus carnem & oſſa non habet.] Nonò actiones liberas intellectus, & voluntatis. In quo ſenſu dictum eſt: Beati pauperes ſpiritu, id eſt, voluntate, & electione, quoniam ipſorum eſt regnum cœlorum.] Decimò tandem ſignificat impulſum interiorem, quo quis ſe ſentit ad aliquid incitari. Vt Paulus cùm Athenis quoſdam expectaret, incitabatur ſpiritus eius in ipſo, videns idololatriæ deditam ciuitatem. Quo impellebatur quottidie ad diſputandum. Accipitur ergo hic ſpiritus pro hoc impulſu, & pro eius origine.

INDVSTRIA II.

Quid ſit ſpiritus prout hîc accipitur.

ESt igitur ſpiritus (ſi fortè aliqua vna ratione poteſt vtcumque exponi) illud inuiſibile, quo homo interiùs ad aliquem actum humanum incitatur: vt ad rectè viuendum, ad agendam pœnitentiam de erratis, ad hoc vel illud genus vitæ arripiendum. Vel econtra ad aliquod flagitium patrandum, vel morum ſinceritatem corrumpendum, &c. Eſt etiam ſecundò ſpiritus ipſemet, impulſus interior, quo ſentit ſe ad aliquid agendum vel non agendum incitari. Qui non eſt aliud, quàm apprehenſio, ſeu iudicium intellectus, & inclinatio voluntatis ad opus, vel omiſſionem operis, ad quæ vel ab extrinſeco principio, vel ab intrinſeco mouemur. Vtroque autem modo de ſpiritu hoc loco agendum eſt.

INDVSTRIA III.

Quotuplex eſt ſpiritus.

SEx ſunt ſpiritus ſecundùm Bernardum, quibus ad agendum vel non agendum impellimur, quos his verbis comprehendit. Sed quia ſpirituum diuerſa ſunt genera, neceſſaria eſt nobis eorum diſcretio, præſertim, cùm ab Apoſtolo didicerimus non omni ſpiritui eſſe credendum. Videri enim poteſt minus eruditis, & qui parum exercitatos habent ſenſus, omnem cogitationem non alterius quàm ipſius humani ſpiritus eſſe ſermonem

quod non ita esse, & certa fidei veritas probat, & diuinarum testimonia Scripturarum. Audiam (inquit Propheta) non quod ego loquar, sed quid loquatur in me Dominus Deus. Et alius Propheta: Angelus, inquit, qui loquebatur in me, &c. Et in Psalmo didicimus fieri immissiones etiam per Angelos malos. Vnde & timet Apostolus, ne sicut serpens decepit Euam astutia sua; sic & discipulorum, quibus loquitur, corda decipiantur, ab eo vtique, cuius ipse Paulus astutias non ignorat. Vnde & dicit: Non est nobis colluctatio aduersùs carnem & sanguinem, sed aduersùs principes & potestates, aduersùs mundi rectores tenebrarum harum. Esse tamen spiritum carnis non bonum, manifestè idem Apostolus indicat, vbi inflatos spiritu carnis suæ quosdam esse testatur. Et esse etiam spiritum huius mundi declarat, vbi gloriatur in Domino pro se pariter, & pro discipulis suis, non quòd eum acceperint, sed spiritum, qui à Deo est, vt sciamus, inquit, quæ à Deo donata sunt nobis. Sunt ergo hi duo satellites maligni illius principis tenebrarum: vt dominetur spiritus nequitiæ spiritui carnis, & spiritui huius mundi.] Hæc Bernardi sententia vera est. Sed quia spiritus angelicus est ex parte Dei, & non excitat, nisi ad id quod iubet Deus, spiritus autem mundi & carnis sunt ex parte diaboli, & incitant ad id quod vult diabolus, ideo hi quinque spiritus ad duo reducuntur, scilicet ad spiritum bonum, & spiritum malum, siue ad spiritum Dei, & diaboli. Spiritus autem humanus quasi in medio positus est, & nunc à Deo vel immediatè, vel mediis Angelis suadentibus ad bonum mouetur; vel à diabolo immediatè, aut mediis spiritibus, id est, dictaminibus carnis & mundi ad malum incitatur, & hac ratione nihil speciale de illo esset dicendum. Sed quia interdum ipse mouet seipsum, & hominem ad aliquid faciendum inclinat, ideo de illo seorsum agendum est. Atque adeò triplex est spiritus, Diuinus, diabolicus, humanus.

Sex illi spiritus ad tres tãtum reducũtur.

Ii sunt Diuinus, diabolicus, humanus.

INDVSTRIA IV.

Discretionem horum spirituum aliquando quidem esse facilem, aliquando verò difficilem.

Horum trium spirituum discretio modò facilis, modò admodum difficilis. Si ad bona nos vocent, vel ad mala, facillima. Bern. supr.

HOrum trium spirituum cognitio atque discretio interdum facilis est, interdum verò admodum difficilis. Facillima est, si ad manifestè mala, vel ad manifestè bona nos vocent. Nam si ad custodiam diuinæ legis, ad obedientiam exhibendam prælatis, ad contemtum sæculi, & ad alia similia exciteris, quis dubitet te duci spiritu bono? Si verò ad transgressionem legis, ad peruicaciam & duritiem iudicij, & ad sectandam propriam voluntatem, & ad ambitionem sæculi moueris, quis ambigat te duci spiritu malo? Vnde Bernardus: Quisquis ex his tribus spiritibus (agit autem de spiritu diaboli, mundi, & carnis) spiritui nostro loquatur, ne credamus ei, quoniam sanguinem sitiunt, non quidem corporum, sed, quod grauius est, animarum: sed quoniam spiritualis omnium natura est, à sermonibus eorum cognoscemus eos: & quis spiritus sit, qui loquatur, ipsa suggestio declarabit. Semper enim spiritus carnis mollia, spiritus mundi vana, spiritus malitiæ semper amara loquitur.] Et post multa: Quotiens verò super castigando corpore, humiliando corde, seruanda A uitate, & charitate fratribus exhibenda, seu cæteris virtutibus acquirendis, conseruandis, amplificandis, salubris cogitatio in mente versatur, diuinus sine dubio spiritus est qui loquitur, aut per seipsum sanè, aut per Angelum suum.] Difficillima autem est ista discretio, si ea ingerantur quæ nobis planè incomperta sunt, & incognita an bona sint, an mala, aut licèt bona appareant, mala tamen sunt, sed boni specie contecta. Discretio enim difficillima est, inquit Anselmus, & cùm spiritus malignus quasi tranquillus agit, ac sine vexatione aliqua corporis assumto humano spiritu dicit quod potest, quando etiam vera dicit, & vtilia prædicat ad hoc, vt cùm illi in manifestis bonis creditum fuerit, seducat ad sua. Iste quippe discerni non potest nisi dono Spiritus sancti. Non enim magnum est tunc eum dignoscere, cùm ad aliqua deuenerit, vel perduxerit, quæ sunt contra bonos mores, vel regulam fidei. Tunc enim à multis discernitur. Dono autem Spiritus sancti in ipso primordio, quo multis adhuc bonus apparet, continuò diiudicatur an malus sit.] Difficile quoque est cognoscere spiritum nostrum, quia aliquando sua desideria terrena, & mundana tam pulchris coloribus contegit, vt ab spiritu Dei manare videantur. O quàm frequenter (verba sunt Richardi Victorini) imperfecti & ignari gratiæ mouentur carnali gaudio, vel naturali alacritate, & moueri se putant spirituali consolatione! Quàm sæpe ab inimico, vel à C proprio corde aliquid sentit homo, & à Spiritu sancto hoc esse credit! & quid mirum si in deuotione se misceat inimicus, & falsa loquatur, qui in ipsis etiam Prophetis loquebatur? qui etiam à suo spiritu aliquando dixerunt, quod à Spiritu sancto se dicere crediderunt? Cùm hæc ita sint, via ac ratio disquirenda est, qua hos tres spiritus inter se discernamus.

Si. quæ nobis incognita sunt ingerãtur, difficillima. Anſel. in epiſt. 1. ad cor. c. 12.

Noſtrum etiam ſpiritum, cognoſcere, difficile eſt. Richar. in Cant. c. 33.

INDVSTRIA V.

Ad hanc rem præbitum esse Ecclesiæ donum discretionis spirituum.

D

Deus Eccleſiæ ſuæ dedit diſcretionẽ ſpirituũ. 1. Cor. 12. 10.

DEus ergo, qui Ecclesiæ sponsæ suæ in necessariis & vtilibus numquam defuit, dedit illi donum discretionis spirituum, quod Paulus septimo loco numerat inter gratias gratis datas. Alij, inquit, datur operatio virtutum, alij prophetia, alij discretio spirituum.] Est autem hoc donum lux quædam supernaturalis aliquibus indita, qua sciunt aurũ ab auricalco, & gemmam pretiosam à vitro, & Dei inspirationem ab aduersarij illusione, vel proprij cordis motione separare. Quod Gerson sic explicat: Alius inuenitur modus (scilicet discernendi spiritus) per inspirationem intimam, seu internum saporem, siue per experimentalem dulcedinem quamdam, siue per illustrationem à montibus æternis effugantem tenebras omnis dubietatis. Hoc autem est manna absconditum, & nomen nouum in calculo scriptum, quod nemo nouit nisi qui acceperit.] Chrysostomus verò sic: Discretio spirituum significat cognitionem, quisnam spiritualis sit, quis non, quis Propheta, & quis deceptor, quod & Thessalonicensibus dicebat Apostolus: Prophetias autem nolite negligere; omnia autem probate, quod bonum est tenete. Etenim tunc nulla falsorum Prophetarum differentia erat,

Quid ſit diſcretio ſpirituũ.

Gerſon. tract. de probat. ſpirituũ.

Chryſ. ho. 29. in 1. Corinth. 1. Theſſ. 5. 21.

cùm

Hãc gratiam qui habet, & ſuos, & aliorum motiones, diuerſimodè tamen, internoſcit. Matth. 7. 20.

cùm diabolus cum veritate mendacium confundere niteretur.] Hac gratia homo, qui ea donatus eſt non tantùm ſuas motiones, à quo ſint, ſed etiam aliorum agnoſcit, licèt non vno modo. Nam proprias guſtu quodam, & mentis tranquillitate, vel inquietudine, & interna inſpiratione diſcernit. Alienas verò ex relatione eius, qui eas experitur, modò ſibi verè, & ſine fuco pandantur; & ex effectibus, quos in medium proferunt. A fructibus enim eorum cognoſcetis eos, ait Dominus de falſis Prophetis. Si verò fructus ſint ſimiles, gratia hæc facile animaduertit diſſimilitudinem in effectis repertam, vt ex illa ad diſcernendas motiones penetret. Licèt autem donum diſcretionis ſpirituum communiter detur iuſtis & ſpiritualibus hominibus, ſpiritualis quippe omnia iudicat, & ipſe à nemine iudicatur; & viſio Dei, & eorum quæ Dei ſunt mundis corde promiſſa eſt. Tamen eo ipſo quòd eſt gratia gratis data in vtilitatem Eccleſiæ, etiam in malis poteſt inueniri. Qui ſicut aliquando in nomine Chriſti prophetant, & virtutes multas faciunt, ita & ſpiritum bonum à malo diſcernunt. Quod quidem conſiderandum eſt, ne quis ſibi de hoc dono, ſicut nec de aliis blandiatur.

1. Cor. 2. 15. Matth. 5. 8. Hac gratia, quia gratis data, etiam in malis inuenitur.

INDVSTRIA VI.

Hoc donum omnium non eſſe, aliámque viam diſcernendorum ſpirituum eſſe quærendam.

Donũ diſcretionis tantum quibuſdã datũ eſt. 1. Cor. 12. 4. & 11. Ierem. 6. 27.

DOnum diſcretionis ſpirituum non omnibus hominibus, neque etiam omnibus iuſtis datum eſt, ſed quibuſdam per Spiritum ſanctum. Diuiſiones gratiarum ſunt, inquit Paulus, idem autem ſpiritus.] Gratiis verò enumeratis, ſubdit: Hæc autem omnia operatur vnus atque idem ſpiritus, diuidens ſingulis prout vult.] Vnde ſicut non omnium eſt prophetare, neque euangelizare, neque miracula facere, neque interpretari ſermones, ita neque omnium eſt ſpiritus dignoſcere, atque diſcernere, ſed quorundam, quibus pro Domini voluntate datum eſt. Non omnibus, ſed Ieremiæ, & ſimilibus ad hoc vocatis dicitur: Probatorem dedi te in populo meo robuſtum, & ſcies, & probabis viam eorum.] Neque enim aliquid ſpeciale hîc diceretur, ſi omnibus donum iſtud eſſet conceſſum. Cùm ergo hoc donum omnium non ſit, habet Eccleſia Dei aliquos, ad quos diſcretio ſpirituum, ſi non ex dono, at ex officio pertinet, ad quorum iudicium & ſententiam recurrendum eſt in dubiis, ne boni ſpecie fallamur. Hi ſunt prælati, & quibus munus audiendi confeſſiones demandatum eſt, & magiſtri ſpiritus, & in defectum omnium iſtorum quiſque vir doctus, & in rebus ſpiritualibus & theologicis inſtructus. Sicut enim in republica humana ſunt probatores, qui ad coticulam, vel ad lydium lapidem de bonitate auri & argenti periculum faciunt, ita in republica eccleſiaſtica conſtituti ſunt à Deo prælati & magiſtri, qui bonum ſpiritum à malo diſcernant. Cùm autem certum ſit non omnes iſtos donũ diſcretionis ſpirituum habere, videndum eſt qua via ſpiritus diſtinguent, & in re tam ſubtili non errabunt. Hi ergo, ſi quem virum ſpiritualem, & dono diſcretionis præditum iuxta ſe habeant, cum eo modeſtè & amanter dubia animarum ad illos recurrentium conferent, aperiendo illi rem, vel in communi, vel alia via, qua poſſint, vt donum illi datum ſit prælatis conferentibus cum ipſo gubernationis adiumentum.

Prælati, & qui audiẽdis cõfeſſionib. addicuntur, ſpiritus diſcernendi curam habent, vel eorũ defectu, viri docti. Qui dono diſcretionis carent, habentem, ſi adſit, conſulẽt.

A Deinde impenſe orabunt Dominum, quia à Salomone vocatur ſpirituum ponderator, vt illis lucem præbeat ad ſpiritus dignoſcendos. Ipſi enim ſunt velut os Dei, quia per eos loquitur Deus, quibus dictum eſt: Si ſeparaueris pretioſum à vili, quaſi os meum eris.] Tertiò conſiderabunt regulas ſacræ Scripturæ, & ſanctorũ Patrum, in quibus ſufficiens apparatus eſt ad hanc ſpirituum diſtinctionem faciendam, & has regulas nos in hac tractatione colligemus. Ad hæc reflexionem facient circa ſemetipſos, & attentè conſiderabunt quid fiat in proprio corde, vt ex illo aliorũ cordium motus vtcumque cognoſcant. Nam ſicut Gerſon optimè ait: Probare ſpiritus per modum artis & doctrinæ nemo perfectè poteſt per ſolam ſacræ Scripturæ eruditionem, B qui non etiam expertus ſit in ſemetipſo variam affectionũ ſpiritualium pugnam: tamquam aſcenderit nunc in cœlos, nunc deſcenderit in abyſſos, & viderit mirabilia Dei in profundo. Nam qui nauigant mare, hoc myſticum diuerſarũ affectionum quaſi collidentium ſe fluctuum, enarrant mirabilia eius. Inexpertus autem talium quid nouit eorum.] Hoc autem ſapienter dictũ eſt, quia cùm Scriptura & Patres ad omnia particularia non deſcendant, propria experientia docet quomodo generales regulæ ſint ad euentus particulares applicandæ. Tandem effectus & fines impulſuum conſiderabunt, & alias circumſtantias, ex quibus originem deprehendent. Nunc ergo aliqua dicenda ſunt de natura & qualitate horum ſpirituum, vt ex his ad regulas C diſcretionis procedamus.

2. Lucem à Deo petent, ne errent. Prou. 16. 2. Ierem. 15. 19. 3. Regulas ſacræ Scripturæ, & ſanctorũ Patrum expendent. 4. Circa ſemetipſos reflexionẽ facient. Gerſ. ſup.

Tandem fines impulſuum conſiderabunt.

INDVSTRIA VII.

Quis ſit ſpiritus diuinus, & per quos moueat.

Spiritus diuinus eſt motio interior animæ quæ à Deo procedit, &c. Hæc vel eſt à Deo immediatè, vel mediatè per Angelũ, vel quid ſimile.

SPiritus diuinus ſiue inſtinctus diuinus eſt motio interior animæ quæ à Deo procedit, vt cùm ipſe nobis omnem ſanctitatem, vel aliquod opus ad eam ſpectans inſpirat. Hæc motio eſt à Deo, vel proximè & immediatè per tactum ſpiritualem ſuũ, quo nos mouet & tangit: vel mediatè per aliquem Angelum, vel per conſcientiam noſtram, vel per propenſionem virtutum, quas in viribus noſtris D infudit. Eſt quidem à Deo quando ipſe ſine alicuius miniſterio iniicit nobis cogitationem, & deſiderium boni. Hæc enim cogitatio, & hoc deſiderium licèt ſint actus intellectus & voluntatis noſtræ, tamen prout etiam ſunt à Deo has cogitationes & deſideria ſeminantes, ſunt impulſus eius, quibus nos ad bonum impellit. Sicut enim animalia illa ſacra alas quidem, & manus, & pedes habebant, ſed præter hæc impetu ſpiritus ducenda erant vt ad aliquid mouerentur: ita & iuſti præter vires animæ & corporis datas ad operandum, immo & præter virtutes ipſas & dona, quibus ad rectè operandum diſponuntur, indigent diuinis impulſibus, vt aliquid boni queant operari. Ezechiel de illis ſic ait: Vbi erat impetus ſpiritus, illuc gradiebantur.] E An non ſatis eſt illis, Propheta ſancte, ſi habeant alas, & pedes, & manus? Non; ſed præter hæc opus habent vt aliquo impulſu, atque impetu ad eundum, vel redeundum excitentur, & ad aliquem motum determinentur, ad quem manibus, aut pedibus, aut alis determinata non ſunt. Nónne homo ad opera vitæ naturalis indiget præter potentias, & ſenſus, ſpiritibus animalibus in cerebro elaboratis, & vitalibus in corde productis, quorum hi ſunt inſtar ſcintillarum ignis, & illi velut radij lucis, vtrique autem per totum corpus ſparguntur, vt

Ezech. 1. 12.

opera vitæ, & sensus exerceantur? Sic ad opera vitæ spiritualis præter virtutes & dona, eget his impulsibus Dei, vt sanctis insistat operibus. Idque significant illa verba Domini: Sine me nihil potestis facere.] Nisi enim ipse suis inspirationibus moueat & cor tangat, fructum vitæ æternæ afferre non possumus.

Ioan. 15.

Impulsus mediatus est, quãdo Angelus iussu Dei bona suggerit, auertit à malis.

Est etiam hic impulsus à Deo per Angelum suũ, quando scilicet Angelus ex iussu Dei bona suggerit, & mala fugienda proponit. Ille nuntius est Dei secundùm nomen suum ad nos missus, vt obediamus ei. De quo ipse Dominus ait: Ecce ego mittam Angelum, qui præcedat te, & custodiat in via, & introducat in locum, quem paraui.] Præcedit suggerendo, custodit adiuuando, introducit in locum æternitatis, si obediamus ei, nobiscum vsque ad finem perseuerando. Angeli sunt illi, de quibus Dominus per Isaiam ait: Super muros tuos Hierusalem constitui custodes, tota die, & tota nocte, in perpetuum non tacebunt.] Numquam profectò silent, qui cùm opus est, nos admonere & adhortari non sinunt. At non videmus eos. Quid si non videmus obsequium, inquit Bernardus, cùm experiamur auxilium? Quid si non meremur aspectum, cùm sentiamus affectum? Discimus certe vel ex hoc ipso inuisibilia visibilibus præferenda.] Quem autem experimur Angeli affectum, quod sentimus eius auxilium? An quòd torporem excutit? Et reuersus est Angelus, qui loquebatur in me, & suscitauit me quasi virũ, qui suscitatur de somno suo.] An quòd panem & aquam, id est, occasiones bonorum operum, quibus reficiamur præbet? Nam & dormiente Elia Angelus Domini tetigit eum, & dixit illi: Surge & comede: Respiciénsque ad caput suum, subcinericium panem, & vas aquæ, ad se reficiendum inuenit. An quòd si festinare cunctemur, iterum, & sæpius admonet, & suauiter atque efficaciter ad iter perfectionis arripiendum impellit? Ita sanè. Nam & idem Propheta iterum ab Angelo expergefactus, & nouo cibo refectus, ambulauit in fortitudine cibi illius vsque ad montem Dei Horeb. Ipse ergo tamquam minister Dei excessus nostros increpat, ad emẽdationem nos prouocat, pulchritudinem nunc huius, nunc illius virtutis proponit, & ad omnium exercitationem accendit. Deus in illo, & per illum nobis loquitur, & ministerio eius vtens ad immortificationes nostras superandas, & perfectionem sectandam exhortatur.

Bern. ser. 4. in dedic. Eccl.

Zach. 4. 1.

3. Reg. 19. 5.

Vers. 8.

Est etiã impulsus per conscientiam, qua manet vt virtutẽ sequamur, vitia fugiamus. Psal. 4. 7.

Est deinde iste impulsus à Deo per propriam conscientiam nostram, quæ excitat nos vt secundùm rationẽ & virtutem viuamus, atque ab omni malo declinemus. Signatum est super nos lumen vultus tui Domine, quo lumine nobis naturaliter indito, de bonis agendis, & malis fugiendis, nos erudis. Immissa est etiam à te propensio & inclinatio quædam in bonum, quæ est velut semen virtutum moralium, qua in cordibus nostris mali odiũ, & boni amorem accendis. His duobus, vel potiùs vno ex duobus coagmentato, clamas in nobis vt bono secundùm rationem adhæreamus, & omni vitio ac turpitudini reluctemur. Certè originale peccatum reliquit in filiis Adæ illam propẽsionem ad malum, quam peccati fomitem vocant, de qua Paulus: Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ.] Et: Datus est mihi stimulus carnis meæ.] Et: Caro concupiscit aduersùs spiritum.] Hæc clamat diabolus, & clamat peccatum in nobis, vt obediamus ei, & ex his, quæ per sensus haurimus, aut ex motu humorum corporis

Originis labes fomitẽ peccati reliquit in nobis. Rom. 7. 23. 2. Cor. 12. 7. Galat. 5. 17.

A nostri occasionem capit, & in nostram perniciem assurgit. Quanto magis bona natura à te creata habebit in se lucem ad cognoscendũ bonum, & propensionem ad bonum, cui virtus sapiat, & à qua amor peccati procul abscedat. Hac ergo nos alloqueris, hac tamquam instinctu tuo à malo retrahere, & ad bonum incitare non desinis, & ex his, quæ legimus, quæ videmus, quæ audimus, quæ in aliis prospera, & aduersa cognoscimus, salutares pro nostro profectu admonitiones elicis. Ab initio Deus hominem formans, inquit Chrysostomus, legem ipsi naturalem indidit. Et quid tandem est lex naturalis? Conscientiam nobis expressit, & per se discibilem constituit bonorum & contrariorum scientiam. Non enim opus habemus discere quod B malum est fornicatio, & bonum continentia, sed ab initio hoc scimus. Et vt discas quòd ab initio hoc scimus, legislator leges postea ferens, & dicẽs: Non occides: non intulit, malum enim cædes, sed simpliciter, non occides, inquit; prohibuit enim peccatum dumtaxat, non docuit. Quare igitur, qui dixit: Non occides, non addidit, quòd malum cædes? quoniam præueniens conscientia nos hoc docuit.] Quotiescumque ergo nunc conscientiam intus reprehendẽtem, aut suadentem audimus, Deũ, per illam tamquam per instinctum suum nos loquentem, & à malo auocantem, & ad bonum inuitantem sciamus.

Chrysost. hom. 12. ad popul.

Est præterea impulsus per fidẽ, & charitatem.

Præterea hic impulsus est à Deo per fidem & C charitatem. Cùm enim conscientia solùm verum naturale, & bonum morale respiciat, dandum fuit nobis aliud superius lumen, & alia altior propensio, qua in res supernaturales cognitione & amore tenderemus. Hæc autem sunt fides & charitas. Quare de fide dictum est: Fide purificans corda eorum.] De charitate verò: Charitas Christi vrget nos.] Nam si proprius amor omnia quæ agimus, & loquimur, & cupimus, ad nosipsos & nostram commoditatem conuertit, cur non amor Dei vniuersa ad eius gloriam diriget? Si diabolus per vitia, quæ pessimis actibus acquisiuimus nos ad malum instigat, cur nõ Deus per charitatem, & omnes virtutes ad omnem perfectionem incitabit? Sanè anima dicit, & non decipitur: En dilectus meus loquitur mihi, surge, propera amica mea.] Sed quænam est ista loquutio Dei? Audi Bernardum. Post D hunc tantæ dignationis & miserationis respectum sequitur vox blandè & leniter diuinam insinuans voluntatem, quæ non est aliud, quàm ipse amor, qui otiosus esse non potest, de his quæ Dei sunt solicitans & suadens.] Charitas ergo vox est, impulsus Dei est, quo nos ad suam dilectionem & mandatorum custodiam vocat.

Act. 15. 9 2. Cor. 5. 14.

Cant. 2. 10.

Bernard.

Tandem iussiones Prælatorum, hortatus seniorũ, & fratrum exempla.

Tandem iussiones prælatorum, adhortationes seriorum, exempla fratrum, & prospera & aduersa, quæ nobis sanam mentem ingerunt, initia sunt impulsuum diuinorum. Quia his omnibus Deus tamquam administris vtitur, vt nos ad bonum hortetur. Difficile est autem cognoscere, quamdo Deus E per se solum loquatur, & suscitet nos, quando verò Angelum aut conscientiam propriam, aut charitatem inditam quasi administros adhibeat. Sed hoc parum refert, modò instinctum bonum agnoscamus, & ei obedire curemus.

INDVSTRIA VIII.

Quis sit spiritus diabolicus, & per quos impellat.

Spiritus diabolicus est, qui nobis malum suggerit.

SPiritus diabolicus est impulsus, siue instinctus ille, quo nobis malum suggeritur, vt cùm mens

nostra

noſtra à concupiſcentia abſtracta & illecta ad aliquod malum,& legi Dei contrarium appetendum, inflammatur. Hic impulſus non ſemper eſt à diabolo,ſed aliquando à mundo vel à carne, quia tamen hæc ſunt ex factione diaboli, & cum ipſo in perniciem noſtram conſpirant (vt iam attigimus) ideo ſub impulſu diabolico comprehenduntur.

Diabolus aliquando ſuggerit per ſe. Aliquãdo mundus. Interdũ caro. Bern. ſer. de ſeptẽ ſpiritib.

Aliquando ergo ſuggerit nobis diabolus ipſe per ſe,quo à Deo recedamus, aliquando mundus impellit vt vanitates eius & deliria ſequamur, interdum caro pellicit vt mollia,& ſibi amica,licèt Deo contraria,deſideremus. In his autem omnibus diabolus per ſuos ſatellites pugnat,vt animã noſtram ſubuertat. De his Bernardus ſic ait:Quotiens ergo importunè (vt aſſolet) carnalis cogitatio mentem pulſat:verbi gratia cùm de potu,de cibo,de ſomno, cæteriſque ſimilibus ad carnis curam pertinentibus cogitãtes, humano quodam inardeſcimus deſiderio: certum ſit nobis ſpiritum carnis eſſe qui loquitur, & tamquam aduerſariũ repellamus eum, dicentes:Vade retro Satana,quia non ſapis ea,quæ Dei ſunt:ſed magis ſapientia tua inimica eſt Deo. Cùm autem non de illecebris carnis, ſed de ambitione ſæculi, de iactantia,& arrogantia,cæteriſque ſimilibus cogitatio vana verſatur in cordibus noſtris, ſpiritus mundi eſt qui loquitur longè pernicioſior hoſtis, & maiori ſolicitudine repellendus. Interdum ergo ſatellitibus iſtis terga vertentibus, princeps ipſe habens iram magnam, tamquam leo rugiens inſurgit aduersùs nos, cùm videlicet non ad voluptatem carnis,aut ſæculi vanitatem,ſed ad iram, ad impatientiam,ad inuidiam,ad amaritudinem animi prouocamur: importunè ingerendo ſi quid minus amicabiliter,minúſve diſcretè factum, aut dictum videtur:ſi qua denique aut in ſigno,aut in opere quolibet data videtur indignationis occaſio,materia ſuſpicionis.Huic ergo cogitationi non aliter quàm ipſi diabolo reſiſtendũ eſt,nec aliter ab ea quàm ab ipſa perditione cauendũ. Scriptum eſt enim:In patiẽtia veſtra poſſidebitis animas veſtras.]

Per noſipſos,elatos iam & carnales effectos, ad malum diabolus incitat. Bernard. ſuprà.

Nec ſolùm per hos hoſtes ſalutis noſtræ,verùm & per noſipſos iam elatos & carnales,& indignabundos effectos diabolus ad malum impellit. Immo & ipſe homo ſibimetipſi fit diabolus & aduerſarius dum per deſideria ſua omni virtuti aduerſatur,& ſponte à prauis ſuis habitibus motus in malum conſentire videtur. Vnde Bernardus ſubdit: Fit tamen aliquando,vt ſpiritus noſter à quolibet horum trium crebrò ſuperatus, & ſeruus addictus illi in ſuam ipſius perniciem (heu) vices illius agat, vt iam ſine omni alterius ſpiritus ſuggeſtione,ipſa ex ſe anima,aut voluptuoſas,aut vanas,aut amaras pariat cogitationes.] Hinc autem excuſatio diaboli licèt non iuſta videtur exorta, quam verbis magni Antonij apud Athanaſium volumus explicare. Pulſauit aliquando, inquit, dæmon monaſterij oſtium: egrediens video hominem enormi ſublimitate, porrectum caput vſque ad cœlum. Cùm ab hoc, quiſnam eſſet inquirerem, ait: Ego ſum Satanas. Et ego: Quid, inquam, hîc quæris? Reſpondit: Cur mihi fruſtrà imputant monachi? Cur mihi omnes Chriſtianorum populi maledicunt? Et ego: Iuſtè faciunt,tuis enim ſemper moleſtantur inſidiis. At ille ait: Nihil ego facio, ſed ipſi ſe inuicem conturbant. Nam ego miſerabilis factus ſum. Rogo,nónne legiſti: Quia defecerunt inimici framea in finem,& ciuitates eorum deſtruxiſti. En nullum iam habeo locum, nullam poſſideo ciuitatẽ:iam mihi nulla ſunt arma, per omnes nationes cunctáſque prouincias Chriſti perſonat nomen; ſolitudines ipſæ quoque monachorũ ſtipantur choris. Ipſi ſe, quæſo,tueantur, & me ſine cauſſa non lacerent.] Non poteſt hominis maior eſſe calamitas, quàm vt ab illius excidio diabolus communis aduerſarius manus (vt aiunt) eluat, & in hominem ipſum cadentem,& à Deo fugientem cauſſas damnationis intorqueat.

Nõnumquã propẽſionem natiuam ad noſtrũ excidium pro armis aſſumit.

Aliquando non vitia noſtra, ſed propenſionem naturæ vt arma ad noſtram expugnationem aſſumit. Hinc alacres ad ſcurrilitatem, & nimiam loquacitatem,magnanimos ad deſideria dignitatum, curioſos ad nimiam ſciendi cupiditatem, cholericos ad iracundiam & indiſcretum zelum; phlegmaticos ad ſegnitiem; melancholicos & puſillanimes ad ſolitudinem, & fugienda conſortia hominum, etiam contra ſuam vocationem, excitare non deſinit. Omnium diſcutit conſuetudinem,inquit Leo Papa,ventilat curas,ſcrutatur affectus, & ibi cauſſas quærit nocendi, vbi quemque viderit ſtudioſiùs occupari.] Tandem hominem non ſemel per amicos alloquitur, per ſodales adhortatur,& per eos, qui ad Deum ductare debuerant, à via virtutis auocare nititur. Hinc eſt illud:Et inimici hominis domeſtici eius.] Et illud:Nolite credere amico,& nolite confidere in duce:ab ea quæ dormit in ſinu tuo cuſtodi clauſtra oris tui.] Diabolus per mulierem loquutus eſt Adæ,cùm ei pomum vetitum manducare ſuaſit. Per mulierem Iobo,quæ dixit: Adhuc tu permanes in ſimplicitate tua? benedic Deo,& morere.] Et ſic alios per admodum coniunctos decipit.

Leo ſer. 7. in nat. Domin. Tandem rurſus per amicos alloquitur. Matth. 20. 36. Mich. 7. 5. Gen. 3. 7. Iob 7. 9.

Similiter & in his impulſibus difficile eſt noſſe, à quo immediatè proueniant, an ab ipſo diabolo, an à mundo, aut carne, aut ab ſpiritu vel propenſione noſtra, quibus vtitur vt nos ad prohibita inſtiget. Quod & Bernardus etiam docuit. Iam verò non facile arbitror poſſe diſcerni, quando noſter ipſe loquitur ſpiritus, quandóve loquentem alterum audiat, quemlibet è tribus illis. Sed quid refert quicumque loquatur, dum vnum & idem ſit quod loquuntur? Quid refert loquentis noſſe perſonam,dum conſtat pernicioſum eſſe quod loquitur? Si inimicus eſt,reſiſte viriliter inimico:ſi tuus ipſe ſpiritus eſt,argue eum,& miſerabiliter plange, quòd in tantam miſeriam, & tam miſerabilem deuenerit ſeruitutem.] Et alio loco ait: Verùm quis ita vigil & diligens obſeruator motionum internarum ſuarum,ſiue in ſe,ſiue & ex ſe factarum,vt liquidò ad quæque illicita ſenſu cordis ſui diſcernat inter morbum mentis & morſum ſerpentis? Ego nulli hoc mortalium poſſibile puto, niſi qui illuminatus à Spiritu ſancto ſpeciale accepit donum,quod Apoſtolus inter cætera chariſmata,quæ enumerat, nominat diſcretionem ſpirituũ. Quantumlibet enim quis (ſecũdùm Salomonem) omni cuſtodia ſeruet cor ſuum, & omnia quæ intra ſe mouentur vigilãtiſſima intẽtione obſeruet, etiamſi diuturnum fortè in his habuerit exercitium, & frequens experimentum:non poterit tamen ad purum in ſe dignoſcere,diſcerneréve ab inuicem malum innatum, & malum ſeminatum. Nam delicta quis intelligit? Nec multum refert noſtra ſcire vnde ineſt nobis malum, dummodo ineſſe ſciamus: vigilandum potiùs & orandum, vndecumque ſit, ne conſentiamus. Denique orat Propheta contra vtrumque malum,dicens:Ab occultis meis munda me Domine,& ab alienis parce ſeruo tuo.] Sic ille. Itaque dummodo malitiam impulſus cognoſcamus,& ab aliquo aduerſario venire ſciamus, quiſnam ille ſit non multum curemus.

Idem ſer. 32. in Cant.

Surius in vita. Diabolus Antonio M. reſpõdit,ſe victũ iam, hominéſque à ſeipſis ad malum impelli.

In his impulſibus difficile notu eſt, à quo immediatè procedãt. Bernard. ſuprà.

INDVSTRIA IX.

Quis sit spiritus humanus, & à quo procedat.

Spiritus humanus est, qui à natura originali peccato deprauata dimanat.

SPiritus humanus, siue impulsus humanus est, qui à natura iam originali peccato infecta dimanat. Hæc enim tametsi à gratia non excitetur, neque ab aduersario moueatur, de se quasdam cogitationes, & quædam desideria parturit, quibus homo ad corpori amica & congrua mouetur. Motus autem, siue impulsus huius spiritus sapienter quidem Thomas à Kempis quasi in vnum collegit. Natura, inquit, callida est, & multos trahit, illaqueat, & decipit, & se semper pro fine habet. Non sponte vult mori, id est, mortificari, nec premi, nec superari, nec subesse, nec subiugari. Pro suo commodo laborat, & quid lucri ex alio sibi proueniat, attendit. Libenter honorem & reuerentiam accipit; confusionem & contemtum timet. Otium amat, & quietem corporalem, quærit curiosa habere, & pulchra; & exhorret vilia, & grossa. Respicit temporalia, gaudet ad lucra terrena; tristatur de damno, irritatur leui iniuriæ verbo. Cupida est, & libentius accipit, quàm donat, amat propria, & priuata. Inclinat ad creaturas, ad carnem propriam, ad vanitates & discursus. Libenter aliquod solatium habet externum, in quo delectetur ad sensum. Totum agit propter lucrum & commoditatem propriam, nihil gratis facere potest: sed aut æquale, aut melius, aut laudem, aut fauorem pro benefactis consequi sperat, & multum ponderari sua gesta & dona concupiscit. Gaudet de amicis multis, & propinquis: gloriatur de nobili loco, & ortu generis, arridet potentibus, blanditur diuitibus, applaudit similibus. De defectu & molestia citò conqueritur. Omnia ad se reflectit, pro se certat, & arguit. Appetit scire, & noua & secreta audire, vult exteriùs apparere, & multa per sensus experiri, desiderat agnosci, & sapere, vnde laus & admiratio procedit.]

Notandum, hũc spiritum esse callidissimũ.

Præcipuum autem in hoc spiritu illud considerandum est eum esse callidissimum, séque ipsum sub prætextu gloriæ Dei quærere, & sub amore & desiderio perfectionis suas commoditates occultare. Sed reuera longè est ab illo gloria Dei, & perfectionis amor, quia seipsum potiùs amat, & spiritualissima quæque in seipsum tamquam in finem conuertit. Immo & ipse est præcipuus hostis propriæ salutis, sine cuius consensu alij nihil omnino possunt efficere. Quare Bernardus postquam dixerat diabolum & mundum in solos sibi consentientes aliquid posse, subiicit: Ex quibus satis claret quàm sit homo præcipuus impulsor sui, qui suo sine alieno impulsu cadere potest, alieno absque suo cadere non potest. Cuínam horum præcipuè resistendum? Nempe huic, qui eo molestior, quo interior, solus deiicere sufficit, cùm sine ipso alij facere possint nihil. Non sine caussa Sapiens expugnatori prætulit vrbium virum, qui animo dominetur. Multum hoc ad te, opus virtute habes, & non quacũque, sed qua induaris ex alto. Ipsa enim si perfecta sit, facile sic animum victorem sui, & sic inuictum reddit ad omnia. Est quippe vigor animi cedere nescius pro tuenda ratione. Aut si magis probas, vigor animi immobiliter cum ratione, vel pro ratione. Vel sic: Vigor animi quod in se est, omnia ad rationẽ cogens, vel dirigens.] Hanc virtutem aduersùs seipsum ille obtinebit, qui adiutorio Domini fuerit roboratus. Vnde prosequitur: Quis ascendet in montem Domini? Huius ad verticem montis, id est, ad virtutis perfectionem quisquis conscendere adorietur, sciet profectò quàm sit ascensus arduus, & casus concitus absque verbi adiutorio. Fœlix anima, quæ Angelis spectantibus præbuit gaudium pariter & miraculum sui, vt audiret de se loquentes: Quæ est ista quæ ascendit de deserto, deliciis affluens, innixa super dilectum suum? Alioquin frustrà nititur, si non innititur. Sanè etiam contra se innitens inualescet, & facta seipsa validior coget pro ratione vniuersa: iram, metum, cupiditatem, & gaudium, veluti quemdam animi currum bonus auriga reget: & in captiuitatem rediget omnem carnalem affectum, & carnis sensum ad nutum rationis, in obsequium virtutis. Quídni omnia possibilia sunt innitenti super eum, qui omnia potest? Quantæ fiduciæ vox: Omnia possum in eo, qui me confortat. Dominum ergo humiliter inuoca, non solùm vt diabolum vincas, sed vt teipsum, ac spiritum proprium agnoscas, & illi quatenus vitiis seruit, repugnare assuescas.

Bernard. serm. 85. in Cant.

INDVSTRIA X.

Desiderandum ac postulandum instinctum diuinum.

Instinctus diuinus impensè desiderandus.

HOrum spirituum siue instinctuum, primus, id est, diuinus impensè desiderandus est, & summis precibus postulandus. Et omne studium orationis mentalis, & communicationis cum Deo, quæ tamen ex diuino instinctu nos ad orandum excitante prouenit, ad hoc dirigitur vt mens frequentiùs & efficaciùs ab hoc spiritu ad sanctè conuersandum moueatur. Sicut enim abundantia & perfectio spirituum vitalium & animalium membra roborat, & functiones vitæ sensúsque perfectas & omnibus numeris absolutas in medium producit, penuria verò spirituum vtrique nocet: ita frequentia & efficacitas diuinorum impulsuum opera spiritualis vitæ perficit, & animam ad sanctitatem subuehit, raritas verò & laxitas ipsorum eam marcidam languidámque relinquit. Omnis perfectio nostra in eradicandis vitiorum sentibus, inserendísque virtutibus, & in exercitio orationis, & amoris quo Deo iungimur, posita est. Hæc autem à Dei instinctu proueniunt. Quod & ipse in Canticis testatus est: Vadam, inquit, ad montem myrrhæ, & ad collem thuris.] Ad montem scilicet mortificationis, & collem orationis. Vadam, inquam, per impulsus meos, non ad aliud, nisi vt animam totam pulchram & immaculatã efficiam. Quid per montem myrrhæ, inquit Gregorius, nisi fortem altitudinem mortificationis in opere, & quid per collem thuris intelligimus nisi altam humilitatem in oratione? Ad montem ergo myrrhæ, & ad collem thuris sponsus vadit, quia eos familiariter visitat, quos per mortificationem vitiorum ad alta proficere, & per mundas & humiles orationes suauiter redolere perspicit.] Nec mireris quòd Deus instinctu suo montem myrrhæ, & collem thuris, id est, animum mortificatum & spiritualem faciat, & eumdem præsupponat, quia vno instinctu vel auxilio facit (neque enim sine illo excitante aliquod opus virtutis incipimus) & alio perfectiori ad perfectionem mortificationis & orationis adducit. Vocatur autem mons mortificatio, & collis oratio: quoniam in hac vita ad magnã perfectionem mortificationis accedimus, ad paruam verò perfectionem contemplationis, si cum ea, quæ est futuræ vitæ, conferatur, peruenimus.

Omnis perfectio in eradicãdis vitiis, & virtutibus inserendis cõsistit. Cant. 4. 6.

Gregor. ibid.

Dei inſtinctu à magnis, & à minimis peccatis auertimur.

His Dei inſtinctibus non ſolùm à magnis peccatis, verùm & à minimis imperfectionibus auertimur, à vitiis deterremur, à ſequela inordinatorum affectuum abducimur, ad amorem virtutum accendimur, ad iugem orationem prouocamur, ad ſublimitatem contemplationis extollimur. Hi diſperſiones memoriæ colligunt, intellectum illuminant, voluntatem inflammant, partem inferiorem animæ immiſſa ſuauitate purificat, & corpus ipſum emundant. Vox eſt ſponſi: Veni in hortum meum ſoror mea ſponſa, meſſui myrrham meam cum aromatibus meis: comedi fauum cum melle meo: bibi vinum meum cum lacte meo: comedite amici, & inebriamini chariſſimi.] Hortus eius anima ſponſæ eſt, quia deliciæ eius eſſe cum filiis hominum. Venit ad hunc hortum, cùm per impulſus ſuos excitare diſponit. Metit myrrham, quando nos efficaciter ad opera mortificationis vocat; aromata adiungit, quando reliquas virtutes accumulat: fauum cum melle comedit, cùm Chriſti Dei & hominis cognitione erudit: vinũ & lac bibit, cùm in feruore charitatis & amore puritatis perficit. Animam reficit, cùm eam nouis profectibus auget; inebriat cùm ardentiſſimis affectibus ſeipſam tranſcendere facit. Omnia autem hæc, quæ metit, quæ comedit, quæ bibit, ſua vocat, quia ea per auxilia ſua operatur in nobis. His & aliis ſimilibus deſideria diuinorum inſtinctuum excitanda ſunt. Nam quis eſuriens, cibum: quis ſitiens, potum non deſideret? Quis æger ſanitatẽ, quis cœcus lucem, quis imbecillus vires ad operandum non appetat? Ergo impulſus diuini deſiderandi ſunt, quibus & reficimur & potamur, ſanamur & illuminamur, & virtute ad omne bonum opus imbuimur.

Cant. 5. 1.

Ex diuini inſtinctus auiditate poſtulationes prodeant.

Ex his deſideriis poſtulationes prodeant, quibus à Domino inſtanter & frequenter efflagites ſanctis eius impulſibus excitari. Ora illum ſicut ſponſa: Veniat dilectus meus in hortum ſuum.] Surge Aquilo, ſpiritus immunde, & fuge: veni Auſter, ô ſpiritus diuine, perfla hortum meum, animam meam tibi conſecratam, & fluent aromata eius.] Memento noſtri, Domine, in beneplacito populi tui, ac in benignitate ſanctis Patribus noſtris exhibita: viſita nos in ſalutari tuo. Ad videndum in bonitate electorum tuorum, ad lætandum in lætitia gentis tuæ.] Deus virtutum conuertere: reſpice de cœlo, & vide, & viſita vineam iſtam. Et perfice eam quam plantauit dextera tua, & ſuper filium hominis, quem confirmaſti tibi.] Sic, vel prout Dominus tibi ſuggeſſerit, poteris diuinos inſtinctus poſtulare. Ac ſeriò cogita, quia quod Deus fecit in mundo veniẽs in carne viſibili, idem ſuo modo facit in anima tua veniens ad eam modo inuiſibili. Atque adeò Patrum illorum antiquorum non tantùm deſideria, verùm & poſtulationes aſſume. Dic illi: Vtinam, Domine, diſrumperes cœlos, & deſcenderes, à facie tua montes defluerent, & omnis elatio cordis euaneſceret. Si peccatis cõpungeris, clama: Veni Domine, noli tardare, relaxa facinora plebis tuæ. Si prauis affectibus illigaris, poſtula: Excita Domine potentiam tuam, & veni, vt ſaluos facias nos.] Et pro certo habe, quia nulla eſt hominis indigentia, cui non Dominus ſuo inſtinctu & auxilio ſubueniat.

Poſtulationes prodeant. Cant. 5. 1. Cant. 4. 16. Pſal. 105. 4. Pſal. 79. 15. Iſaiæ 64. 1. Pſal. 79. 3.

Præparãdus animus ad Dei inſtinctus recipiendos.

Inſuper præparandus eſt animus, vt hos Dei inſtinctus poſſit accipere. Si enim domus terrena ad excipiendum hoſpitem honorabilem mundatur & ornatur, cur anima ad excipiendum diuinum ſpiritum diligentiſſimè non præparabitur? Eſt autem congrua præparatio, diſcreta quædam attentio ad Dominum, ne cùm nos alloqui voluerit, diſtractos & foris vagantes inueniat. Eſt etiam affectuum & ſenſuum mortificatio, & ſolers virtutum exercitatio. Vnde Bernardus ait: Arguit nos pro certo negligẽtiæ & incuriæ ipſa inopia noſtra. Nam ſi quis noſtrũm integrè & perfectè (iuxta verbũ Sapientis) cor ſuum tradat ad vigilandum diluculo ad Dominum, qui fecit illud, & in cõſpectu Altiſſimi deprecetur, ſimúlque votis omnibus ſtudeat (ſecundùm Iſaiam Propheram) parare vias Domini, rectas facere ſemitas Dei ſui, cui cum Propheta ſit dicere: Oculi mei ſemper ad Dominũ, & quia prouidebam Dominũ in conſpectu meo ſemper: nónne hic accipiet benedictionem à Domino, & miſericordiam à Deo ſalutari ſuo? Viſitabitur profectò frequenter, nec vmquam ignorabit tempus viſitationis ſuæ, quantumlibet is, qui in ſpiritu viſitat, clandeſtinus veniat & furtiuus, vtpote verecundus amator. Adhuc ergo longè agentem bene vigilans anima ſobria mẽte proſpiciet, & deinceps vniuerſa comperiet, quæ in dilecti aduentu ſponſam tam ſolerter, quàm ſignanter aduertiſſe monſtrauimus, quia ipſe ait: Qui manè vigilauerint ad me, inuenient me.] Sic ille. Ipſe autem aduentus Domini, ô anima, ſi eum aliquando abundè receperis, theſauris tibi conceſſis, quibus te abundare ſenties, dicet tibi, quanta deinceps diligentia debeas te ad diuinam viſitationem parare.

Bernard. ſerm. 39. in Cant.

Richard. ſerm. 33. in Cant.

Deo nos impulſibus ſuis viſitãte, humiliter & prudẽter procedẽdum eſt. Luc. 5. 8.

Tandem veniente Domino, & impulſibus ſuis nos viſitante, humiliter & prudenter procedẽdum eſt. Humilitas in hoc eſt, vt nos indignos prorſus diuina viſitatione reputemus, & non aliter quàm pauperculus viliſſimus ad menſam regis vocatus, eam accipiamus. Vel certè nobis Petri vocẽ vſurpemus: Exi à me, quia homo peccator ſum, Domine.] Nec formidandum eſt, quòd Deus abſcedat, immo potiùs tanto abundantiùs ſua dona effundet, quanto humiliùs ea à nobis admitti viderit. Prudentia verò in hoc, vt animaduertamus, quánam ratione diuinorum impulſuum vſus erit nobis vtilior. Vt enim inquit Richardus: Concedit Deus gratiam, ſed vſus homini ſubiacet: quia alius alio vtilius & ſalubrius per hanc operatur. Debet ergo conſiderare modum gratiæ quo afficitur. Spiritus enim ſanctus vnicus dicitur, & multiplex: quia cùm vnus ſit, diuerſis tamen modis mentes viſitat, & afficit. Audire ergo debet anima quid & quod loquatur in ea Dominus Deus. Et cùm loquitur, inter audiendum rogandum eſt, vt audientem ducat & qualiter meditationes dirigendæ ſint doceat. Offerunt enim ſe tunc meditationes ſpirituales, ita vt mens ſedeat quaſi rex, circumſtante ſe harum exercitu. Regere itaque has debet, & diſcernere, quàm potiſſimum admittat, in qua ſe magis exerceat, quamdiu vnicnique inhæreat, quando de illa ad iſtam tranſeat. Ferculum enim eſt quælibet meditatio, quia paſcit mentem: ſed vt deuotio ipſa accendatur, & diutius epuleris, cum hoc ferculo refectus es, & ſapor eius ceſſare cœperit, vtiliter aliud aſſumis. Ad aliam ergo meditationem conuertere, quæ viciniùs ſe obtulerit, & quam præcedenti ſimilem, & non diuerſam noueris. Cùm enim omnes meditationes ſpirituales vtiles ſint, talis tamen eſt modus earum, vt diuerſo, immo etiam interdum è contrario modo ædificent, & nunc illæ, nunc iſtæ meliùs conueniant, & menti ſapiant. Sic affectam mentem ædificant iſtæ, & ſic affectam ædificant aliæ. Cordis verò conſolatio, & ſpiritualis refectio Dei quidem donum eſt: ſed cooperari te oportet huic dono, & prudenter in eo exerceri.

Huius enim refectionis Deus author & largitor est,homo verò minister & coquus,vt vel bene sibi, vel malè parare possit.] Hæc Richardus. Ad hanc quoque prudẽtiam spectat, vt pro his Domini impulsibus assiduè gratias agamus, vt eis respondeamus,ac quod à nobis exigunt, strenuè præstemus. Nec te, ô homo, ex eo quòd multa recipis, meliorem & aliis sanctiorem reputes,sed potiùs teipsum deiice, & sapienter time ac considera, quámnam rationem diuinorũ instinctuum reddere possis. Ne ad solam spiritualem voluptatem illos accipias,sed potiùs consolatione vtere vt instrumento, quoad tui abnegationem roboreris, & in omni virtutum opere solicitior & fidelior inueniaris.

INDVSTRIA XI.

Fugiendum ac respuendum instinctum diabolicum.

Impulsus diaboli initia sunt omnium malorũ. Psal. 7. 15.

SIcut initia omnium bonorum sunt excitationes Dei, ita initia omnium malorum sunt impulsus diaboli, siue ab ipso immediatè, siue per mundum & carnem suos satellites, oriantur. De impio dictum est: Concepit dolorem, & peperit iniquitatem.] Conceptus autem ab alio est; nec potest esse dubium, quin peccator à diabolo peccatum per se,vel per suos suggerente,corde concipiat, vt postea opere quasi in lucem effundat. Eodem loquendi modo vsus est Iacobus Apostolus: *Iac.1.14.* Vnusquisque tentatur à concupiscentia sua abstractus & illectus.] Deinde concupiscentia cùm conceperit parit peccatum. Concupiscentiæ,id est,potentiæ concupiscenti nostræ malum & vetitum tamquam magnum bonum ab aduersario proponitur: conceptis autem prauis affectibus rationem pellicit, vt in peccatum consentiat, & sic animæ *Sap. 2. 24.* mortem incurrat. Verè inuidia diaboli mors introiuit in orbem; dum ille primos parẽtes nostros ad legem transgrediendam induxit. Sed imitantur illum qui sunt ex parte illius. Vt ficut ille, quem aliquis imitatur eius quod ad imitationem sui operis fit aliquo modo caussa existit, ita intelligamus diabolũ, quem omnes impij sequuntur, caussam motricem flagitiorum eorum existere. Ideo vocatur pater malorũ. Vos ex patre diabolo estis, *Ioan. 8. 44.* & desideria patris vestri vultis facere.] Et:Qui facit peccatum, ex diabolo est.] Et Hugo ait: *1. Ioan. 3. 8.* Pater noster secundùm illam natiuitatem, qua in peccatis nati sumus, diabolus est, quia secundùm hanc *Hug. lib. 3. de area morali, cap. 6.* natiuitatem ad eius dominium pertinemus, qui author est peccati. Eius domus est mundus iste, quia merito suæ peruersitatis mundi huius, & eorum,qui mundũ istum amant, princeps factus est.] Meritò ergo omne peccatum illi tribuitur, à quo peccatum sumsit exordium.

Instinctus diabolicus semper est fugiendus.

Hinc elucet instinctum diabolicum semper esse fugiendum & reiiciendum,quoniã finis eius mors animæ est:& nihil aliud suis suggestionibus intendit, nisi vt nos interimat, & à Deo peccati admissione seiungat. Studiosiùs igitur consideremus,inquit Bernardus, quónam modo malignorum illorum spirituum suggestiones audire; immo quanta indignatione abiicere debeamus, auertentes aures nostras ne audiamus sanguinem & sapientiã,quam reuelat caro & sanguis: paruulos quoque Babylonis, cogitatus scilicet mundanos ab ipso initio tenentes,& allidentes ad parietem:ipsum etiam malignum cum tentationibus suis à conspectu cordis nostri abiicientes,& deducentes ad nihilum.] Re- *Bernard. serm. de septẽ spiritibus.*

A sistite autem diabolo, ait Iacobus, & fugiet à vobis. Iste est (verba etiam sunt Bernardi) qui stantes in Paradiso impulit inuidus,& euertit: sed consentientes, non resistentes. Igitur resistamus ei, & nequaquam eius impetu impulsi cademus. Quem natura fortem,malitia pusillanimem fecit, sola resistentia prosternitur,aut in fugam abigitur. Nam sicut fœmina, si hominem inueniat sibi reluctantem, nihil timidius, si formidantem nihil insolentius:ita diabolus animositate hominis timidior,timore audacior efficitur. Resistimus autem eius impulsibus, cùm eos audire contemnimus, cùm oppositis actibus ab his, quos ipse suggerit, inhæremus; cùm immissas ab eo cogitationes spirituali patri reuelamus. Ille enim, qui semper malè agit, *Ioan. 3. 20.* B odit lucem,& non venit ad lucem,vt non arguantur opera eius. Quare si ad lucem educatur,statim confusus & dehonestatus abscedit. Reiiciamus & repellamus suasiones illius, neque nos persuaderi sinamus; sic autem eius laqueos euademus.

INDVSTRIA XII.

Cautè audiendum spiritum humanum.

Spiritus humanus quatenus audiendus.

SPiritus humanus quatenus à Deo,& ab Angelo,& à lege naturæ & charitatis allicitur,suscipiendus est:quatenus à spiritu diaboli, & mundi, & carnis impellitur, respuendus, vt ex dictis constat:at quando à semetipso loquitur,circumspectè C examinandus. Hic enim spiritus naturæ commoda,mollia & suauia quærit. Ista aliquando sunt diuinæ legi & rationi contraria, vt si in die ieiunij ecclesiastici homo esuriat,& eius spiritus ante horam consuetam cibos petat.Tunc autem aduersarij partes agit,neque obediendũ est ei.Et idem quando minora petit,intelligatur,cùm nimirum ad leuia peccata,& defectus bonis & perfectis moribus repugnantes inuitat. Aliquando quæ ingerit, non sunt legi opposita,sunt tamen mentis infirmantis indicia. Vt si eam commoditatem, eam recreationem petat,sine qua & vita & salus corporis ad Dei gloriam custoditur, & quæ sine vlla singularitate D respuitur. Tunc verò meliùs & perfectiùs est illi reluctari,tolerabile autem illi condescendere. Vn- *Rich. in Cant. c. 33.* de Richardus: Habet etiam cibum homo ab ipsa natura,quia iucundior pascit cibo dulcedinis. Habet & à caussis accidentibus, reficiunt enim prospera,cùm succedunt. Non est iste cibus spiritualis,quo reficit Christus. Attamen interdum cibus est imperfectorum, & olus infirmorum. Et sæpe vtiliter pascit hoc olus infirmos,sicut dicit Paulus: Qui infirmus est,olus manducet. Leuigat enim & curat ex parte morbum acediæ,quam patitur mens ex inopia gratiæ.] Sic itaque naturæ obedire malum non est, quandoquidem (vt supponimus) in nullum prohibitum fertur,at naturam non auscultare,& per mortificationem illi reluctari esset perE fectius.

Aliquãdo necessaria petit, & tunc audiendus.

Aliquando spiritus hic humanus necessaria petit & ea sine quibus,suppositа imbecillitate humana, corpus suas functiones exercere non potest, suo iure vtens cõcupiscit. Tunc autem ad gloriam Domini,& sine vlla vitiorum admixtione, & modestè ac humiliter audiendus est, & eius impulsui obtemperandum. Idque præcipuè locum habet in viris perfectis, qui spiritu mortificationis, & feruore instigantibus,magis ad parcitatem, quàm ad superfluitatem inclinantur,atque adeò non solent in cura carnis excedere. Postquam desierant Saræ

Genes.18. 10. Etc.21. 12.

fieri muliebria, audit Abraham: Omnia quæ dixerit tibi Sara, audi vocem eius. Quia videlicet postquam caro spiritui subiecta est, & superfluis desideriis vacua, in his, quæ ad necessitatem petit ex voluntate Domini potest audiri. Hæc enim moderata, & secundùm rationem facta carni indulgentia, spiritui prodesse solet, qui sine apto instrumento, sine corporis scilicet necessariis viribus aucto laborare non valet. Hinc Israël iam senex, & cuius oculi præ senectute caligauerant, benedicturus Esau filium suum (vt ipse quidem volebat) quamuis aliud à Domino dispositum sit, sic ad illum loquutus est: Sume arma tua, pharetram & arcum, & egredere foras, cúmque venatu aliquid apprehenderis, fac mihi inde pulmentum sicut velle me nosti, & affer vt comedam, & benedicat tibi anima mea antequam moriar.] In illa ætate prouecta spiritus propheticus ex cibo & potu moderatè sumto non sopitus, sed excitatus fuit: quia non est alienum à voluntate Dei, patris vtique benignissimi, vt corporis curam, sed non immoderatis desideriis, geramus. Inde etiam ipse seruis suis ægrotantibus miraculosè plurima ad votum naturæ concessit (de quo multa habentur in Sanctorum gestis) vt ostenderet sibi instinctum naturæ ordinatum non displicere. Hæc tamen non sunt vsque ad immortificationis defensionem extendenda, sed vt sonant pro vera & præcisa necessitate interpretanda.

Gen.27. 3.

De spiritu diuino, & industriis ad illum cognoscendum.

CAPVT II.

Spiritus Domini melle dulcior. Eccli.24. 27. Psal.30. 20.

VERBVM Patris, & sapientia genita ab eo, de suo ac Patris spiritu sic ait: Spiritus meus super mel dulcis, & hæreditas mea super mel & fauum.] Dulcis in principio suo, quia genitor & genitus, ex quo procedit, ineffabilis dulcedo est. Nam quàm magna multitudo dulcedinis tuæ, Domine, quam abscondisti timentibus te. Dulcis in seipso, qui cùm se animæ infundit, ita eam afficit, vt non sit illi difficile pro experta spiritus suauitate, omnem huius sæculi suauitatem abiicere. Dulcis in effectibus suis. Quia hæreditas illius, lex scilicet, quam omnibus proponit, & cuius custodia ad æternam hæreditatem aditum aperit, & instinctus, quibus singulos tangit, dulciores sunt super mel, & fauum. His instinctibus animæ repletæ, & reficiuntur, & recreantur, sunt illi animabus pro refectione, quoniam ad virtutem vocant: sunt pro deliciis, quoniam infusa suauitate delectant. Horum nos nunc indicia demonstremus, vt illis ad salutem obediamus.

INDVSTRIA I.

Spiritus Dei docet veritatem, allicit ad virtutem.

Spiritus Domini doctor est, & motor animarũ.

SPiritus diuinus, doctor est & motor animarum nostrarum: qua doctor suggerit veritatem (nam qui falsitatem docet, non est doctor, sed deceptor,) qua motor allicit ad virtutem.

A Cùm autem venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis à Patre, ait Christus Dominus, spiritum veritatis, qui à Patre procedit, ille testimonium perhibebit de me.] Si spiritus est veritatis, solam veritatem docebit absque vlla admixtione falsitatis, aut vanitatis. Et Dauid: Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam.] Si spiritus est bonitatis & sanctitatis, ad solam bonitatem alliciet absque vllo fuco & colore malitiæ. Hinc autem colligitur quòd spiritus Dei nihil potest docere contra diuinam Scripturam, neque contra definitiones Conciliorum, neque contra traditiones, & communem doctrinam catholicæ Ecclesiæ. Nam ipse author est Scripturæ: Non enim voluntate humana allata est aliquando prophetia, sed Spiritu sancto inspirati loquuti sunt sancti Dei homines. Ipse præsidet Conciliis legitimè congregatis, vnde Petrus caput Ecclesiæ in Concilio stans ait: Visum est Spiritui sancto, & nobis.] Ipse sacras & generales traditiones Ecclesiæ suggessit. Non ergo potest aliquid oppositum tradere: quoniam ille fidelis permanet, negare seipsum non potest. Se autem negaret, si nunc hæc, postea verò contraria doceret. Idcirco ait Iob: Semel loquitur Deus, & secundò idipsum non repetit.] Quia licèt multa mentibus suorum instillet, omnia tamen sunt iis, quæ antea in Scriptura dixerat, omnino conformia. Colligitur etiam quòd nihil docet vanum, nihil futile, nihil impertinens. Neque enim credendum est diuinam maiestatem ea dicere, quæ vir grauis & probus proferre erubescceret. Quid paleis ad triticum, dicit Dominus. Numquid non verba mea sunt quasi ignis, dicit Dominus, & quasi malleus conterens petram?] Verba Dei sunt instar tritici, quia reficiendo roborant: instar ignis, quia accendendo purificant: instar mallei, quia cordis duritiam emolliunt, & vitia ac peccata discindunt.

Ioan.15. 26. Psal.142. 10. 1.Petri 1. 21. Act.15. 28. 2.Tim.2. 13. Iob 33. 20. Ierem.23. 29.

Spiritus diuinus est spiritus sanctitatis, & nos ad Christi sequelam inuitat.

. Ex ea verò parte qua Spiritus diuinus est spiritus sanctitatis, semper nos ad Christi sequelam, & virtutum eius imitationem excitat. Cùm enim Christus sit nobis à Patre propositus vitæ dux, & sanctitatis exemplar, non potest eius spiritus aliud à nobis postulare, nisi vt hunc præceptorem audiamus, & ipsius imitatione formemur. Spiritus Dei, & spiritus Christi, vnus sunt, atque idem spiritus. Nam ideò Paulus ait: Vos autem in carne non estis, sed in spiritu, si tamen spiritus Dei habitat in vobis. Si quis autem spiritum Christi non habet, hic non est eius.] Spiritum Dei dixerat, verba sunt Anselmi, & spiritum Christi subiunxit, quia non sunt duo Spiritus sancti tamquam singulorum, vnus Patris, & alter Filij, sed vnus potiùs Patris & Filij. Ergo hic spiritus non ad aliud mouet, nisi ad id quod verbo & exemplo docuit filius Dei Christus Iesus. An non quærit in nobis hic spiritus, vt simus adoptione & gratia filij Dei, secundùm illud eiusdem Apostoli: Quicumque enim spiritu Dei aguntur, hi sunt filij Dei? Sed Dei filij nequaquam erimus nisi Christum filium naturalem imitemur. Maneat ergo diuinum spiritum semper verum docere, & ad bonum excitare: ad hoc scilicet vt peccata & imperfectiones fugiamus, & omnem virtutem operemur.

Rom.8.8. Anſel. ibi. Rom.8. 14.

Dulcissima Bern. verba de motione Spiritus sancti Ber.ser.1. Pentec.

Egregiè docuit hoc Bernardus, sic scribens: In hunc modum etiam modò, quæ spiritus operatur in nobis, testimonium perhibent in nobis de eo. Quia igitur mandatum accepimus

vt declinantes à malo, faciamus quod bonum est, vide quemadmodum spiritus in vtroque adiuuat infirmitatem nostram. Nam diuisiones gratiarum sunt, idem autem spiritus. Propterea ad declinandum à malo tria operatur in nobis, compunctionem, supplicationem, remissionem. Initium enim reuertendi ad Deum pœnitentia est, quam sine dubio spiritus operatur, non noster, sed Dei: idque certa ratio docet, & confirmat authoritas. Quis enim cùm ad ignem venerit algens, & fuerit calefactus, dubitabit ei ab igne venisse calorem quem habere non poterat sine illo? Sic ergo qui priùs in iniquitate erat frigidus, si postmodum feruore quodam pœnitentiæ accendatur, alium sibi spiritum, qui suum arguit, & diiudicat, non dubitet aduenisse. Habes hoc & in Euangelio, vbi cùm loqueretur de spiritu, quem accepturi erant credentes in eum. Ille, inquit, arguet mundum de peccato. Sed quid prodest pœnitere de culpa, & non supplicare pro venia? Necesse est etiam hoc spiritus operetur, dulcedine quadam spei replens animum, per quam fiducialiter postules nihil hæsitans. Visne ostendam tibi etiam hoc opus esse Spiritus sancti? Vtique dum abest ille, tale aliquid in tuo spiritu non inuenies. Denique ipse est, in quo clamamus: Abba Pater. Ipse qui postulat pro Sanctis gemitibus inenarrabilibus. Et hæc quidem in corde nostro.] Et post pauca: Porrò ad faciendum bonum quid in nobis spiritus bonus operatur. Profectò monet, & mouet, & docet. Monet memoriam, rationem docet, mouet voluntatem.] Hæc ille. Quotiescumque ergo erudiris in veritate, & incitaris ad bonum te à spiritu diuino impelli non dubites.

INDVSTRIA II.

Spiritus Dei interdum docet bonum, ad illud verò non allicit; & econtra, & quæ huius causſa.

Deut. 32. 4. DEi perfecta sunt opera, ait Moses, id est, integra, & in nullo deficientia. Vel nihil in eis est impar, vt exponunt aliqui, sed omnia quæ in illis ostenduntur æqualia prorsus reperientur. Vnde in instinctibus Dei hoc reperitur, quòd perfecti sunt, & nihil eis ad nostram eruditionem & emendationem deficit. Æquales sunt, in quibus pari modo suam sapientiam in docendo, suam bonitatem in mouendo ad bonum, & suam potentiam in adiuuando demonstrat. Quare Gerson ait: Quòd impulsus diuinus alius est virtuosus, alius luminosus, alius benignus seu dulcorosus, & hoc secundùm tria appropriata in diuinis.] Virtus appropriatur potentiæ Patris; lumen sapientiæ Filij: benignitas bonitati Spiritus sancti. Cum hoc tamen verum est, quòd aliquando anima in bono docetur, & ad bonum non allicitur, & ad bonum allicitur, & in modo quo progressura est non docetur. Nam sicut in operibus naturæ sunt aliqua imperfecta, non quidem ex impotentia Dei, sed ex defectu, aut indispositione materiæ. Ita in his impulsibus diuinis euenit, vt aliquis instinctus in bona animam instruat, & non ex impotentia Dei, sed ex accidentibus ad bonum efficaciter non alliciat, & similiter ad bonum moueat, & modum faciendi non doceat. In quo non minus quàm in impulsu perfecto triplex illud diuinum attributum splendet. Sapientia quidem, quoniam suauiter excitat, bonitas quoniam tempus expectat, potentia, quoniam cùm Deus vult omnem nostram indispositionem & resistentiam exuperat.

Instinctus Dei æquales sunt, & æqualiter docent, mouent, adiuuat. Gerson. in centilo. de cade 4. Anima interdum allicitur, & non docetur, vel docetur, & nō allicitur.

Explicatur id verbis Bernard. Bern. ser. 74. in Cant.

Quòd ergo sic se habeant aliquando impulsus Dei, docet Bernardus in hunc modum: Vtraque res necessaria mihi, & veritas quidem, cui abscondi non possim, gratia autem, cui nolim. Alioquin sine alterutra visitatio plena non erit, cùm & illius se veritas absque hac onerosa, & huius hilaritas absque illa dissoluta possit videri. Amara est veritas sine condimento gratiæ, sicut absque veritatis fræno leuis, & nescius modum plerumque & insolens ipsa deuotio. Quàm multis non profuit gratiam percepisse, pro eo quòd temperamentum de veritate pariter non acceperunt? Ex hoc enim plusquam oportuit complacuere sibi in ea, dum veriti non sunt veritatis obtutus, dum non respexerunt ad capreæ maturitatem, magis autem se totos hinnuli leuitati hilaritatique dederunt. Inde factum est, vt in qua priuatim exultare voluerunt gratia priuarentur, quibus vel serò dici potuerit: Euntes ergo discite quid sit: Seruite Domino in timore, & exultate ei cum tremore. Dixerat namque sancta anima quædam in abundantia sua: Non mouebor in æternum; cùm subitò sensit auersam à se faciem verbi, séque non modò motam, sed etiam conturbatam; & sic in tristitia didicit opus fuisse sibi cum munere quidem deuotionis, etiam pondere veritatis. Ergo non in sola quidem gratia plenitudo gratiæ est, sed ne in sola quidem veritate. Quid prodest scire quid te oporteat facere, si non detur & velle facere? Quid si velis quidem, sed minimè possis? Quantos expertus sum agnita veritate tristiores, & ideo magis, quòd iam confugere ad ignorantiæ excusationem non liceret, scientes, & non facientes quod veritas hortaretur. Quæ cùm ita se habeant neutrum sine altero sufficit. Parum dixi, non expedit quoque. Vnde id scimus? Scienti, inquit, bonum, & non facienti, peccatum est illi. Item: Seruus sciens voluntatem domini sui, & non faciens digna, vapulabit multis. At istud pro parte veritatis. Pro gratiæ quid? Scriptum est: Et post buccellam introiuit in eum Satanas. Iudam loquitur, qui accepto munere gratiæ, quia in veritate non ambulabat cum veritatis magistro, vel potiùs cum magistra veritate, locum in se diabolo dedit. Audi adhuc: Cibauit illos ex adipe frumenti, & de petra melle saturauit eos. Quos? Inimici Domini mentiti sunt ei. Quos melle cibauit, & adipe, hi mentiti sunt ei facti inimici, quia veritatem gratiæ non iunxerunt. De quibus alibi habes: Filij alieni mentiti sunt mihi, filij alieni inueterati sunt, & claudicauerunt à semitis suis.] Hæc ille, & multa alia pulcherrimè.

Huiusmodi diuersitatis causæ. 1. Causa, culpa, aut ignorantia nostra. Greg. Ho. 31. in Euang.

Iam huius rei causſas exquiramus. Ac prima est culpa, aut ignorantia nostra. Quia nimirum ex Dei misericordia ad bonum cognoscendum illuminamur; exigentibus verò peccatis nostris in propria infirmitate derelinquimur, aut ex Dei miseratione ad bonum optandum mouemur, & hebetudine cordis à notitia necessaria præpedimur. De hac lege apud Gregorium: Vocat, sed non erigit, quando per eius gratiam illuminamur: sed exigentibus nostris meritis adiuuari non possumus. Plerumque enim videmus quæ agenda sunt, sed opere non implemus. Nitimur, & infirmamur. Mentis iudicium rectitudinē conspicit, sed ad hanc operis fortitudo succumbit: quia nimirum iam de pœna peccati est, vt ex dono quidem possit bonum conspici,

ſed tamen ab eo quod aſpicitur, contingat per meritum repelli. Vſitata etenim culpa obligat mentem, vt nequaquam ſurgere poſſit ad rectitudinem. Conatur, & labitur: quia vbi ſponte diu perſtitit, ibi & cùm noluerit, coacta cadit. Bene de hac noſtra incuruatione ex typo humani generis per Pſalmiſtam dicitur: Incuruatus ſum, & humiliatus ſum vſquequaque. Contemplatus namque quòd ad ſupernam lucem intuendam homo conditus fuerat, ſed peccatis exigentibus foras miſſus, mentis ſuæ tenebras ſecum portat, ſuperna non appetit, infimis intendit, cœleſtia nequaquam deſiderat, terrena ſemper in animo verſat; hoc quod de ſuo genere doluit, in ſeipſo exclamauit, dicens: Incuruatus ſum, & humiliatus ſum vſquequaque. Contemplationem namque cœleſtium perdens, ſi ſola carnis neceſſaria homo cogitaret, incuruatus & humiliatus eſſet, ſed tamen vſquequaque non eſſet. Quem ergo à ſupernis cogitationibus non ſolùm neceſſitas deiicit, ſed etiam voluptas illicita ſternit, non ſolùm incuruatus, ſed vſquequaque incuruatus eſt.] Et hæc quidem pro eo, quòd aliquando Deus illuminat, & non adiuuat. Adiutum tamen, non verò illuminatum videbis in principio Cornelium, qui faciebat eleemoſynas, & deprecabatur Dominum ſemper, vt illum illuminaret. Iam ergo excitabatur, & iuuabatur ad ſalutem quærendam, cùm tamen necdum viam ſalutis agnoſceret. Donec Angelus dixit ei: Orationes tuæ, & eleemoſynæ tuæ, aſcenderunt in memoriam in conſpectu Dei. Et nunc mitte viros in Ioppen, & accerſi Simonem. Hic dicet tibi quid te oporteat facere.]

Pſal.118. 107.

Act.10. 4.

Altera cauſſa eſt ſuauitas prouidentiæ Dei, qui paulatim nos promouet, & ſecundùm exigentiam naturæ, aut diſpoſitionis noſtræ ex vno ad aliud nos erigit. In litteratis & ſapientibus incipit ab intellectu, & eos erudit, & media eruditione voluntatem trahit. In bene affectis & deuotis incipit à voluntate, qua amore capta intellectum ad inquirendum & interrogandum (vt ſtatim dicemus) accendit.

2. Cauſa ſuauitas prouidentia Dei.

Tertia cauſſa eſt vtilitas noſtra, quia ſic ad fructum diuinorum impulſuum capaciores reddimur. Nam ſi impulſus à luce incipiat, attrectat homo manibus maximam imbecillitatem ſuam. Dicítque cum Paulo: Inuenio igitur legem, volenti mihi facere bonum, quoniam mihi malum adiacet.] Id eſt, ſcio quidem legem mihi impoſitam, quam intelligo eſſe bonam, & quodammodo ad bonum afficior: at quia malum fomitis mihi adiacet, ipſi adhærens ab opere impedior. Et condelector legi Dei ſecundùm interiorem hominem: video autem aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ. Si verò impulſus inchoet à voluntate, etiam homo humilitate deiicitur, & alios interrogare & diſcipulus fieri compellitur. Quomodocumque ergo fiat hic impulſus diuinus, ſemper perfectus eſt: quia quod ei deficit, non ad defectum, ſed ad fructum deficit. Vt ſcilicet animus ſenſim moueatur, & in cognitione neceſſitatis gratiæ & omnimodæ dependentiæ à Deo, atque in humilitate radicetur.

3. Cauſa. vtilitas noſtra.

Rom.7. 21.

INDVSTRIA III.

Spiritus Dei aliquando allicit ad bonum in generali, & tunc quid faciendum.

ALia etiam ratione ſolet Deus animam per ſuum impulſum vocare, inſtruendo eam, & afficiendo ad bonum, non tamen proponendo in ſpeciali aliquod bonum. Hinc quidam ſentiunt in ſe deſpicientiam rerum viſibilium, deſiderium virtutis, imitationis Chriſti, & quærendæ gloriæ Dei: neſciunt tamen, nec illis aperitur, quomodo rebus mundi ſe eximent, aut quánam ratione Dei gloriam, & veram virtutem quærent. Alij efficaciter ad ſtatum religionis vocantur, non verò ad hanc, aut illam religionem afficiuntur, & ideo ambigui, & dubitabundi, quaſi in biuio tenentur. Alij poſtquam ſtatum religionis arripuerunt, acribus ſtimulis aſſequendæ perfectionis agitantur, quibus tamen iter quod carpant, in ſpeciali nullum exponitur. In hunc autem modum Deus homines excitat, vt ipſi quod in ſe eſt faciant, & ſic ſe ad plenam lucem capiendam diſponant.

Allicit Deus ad bonum, non proponens aliquod particulare.

Qui huiuſmodi genus inſtinctuum acceperit, hæc faciet. Primò Dominum humiliter exorabit, vt quandoquidem bona in generali fieri non poſſunt, quid de ipſo in ſpeciali velit, aperiat. Sic Paulus vocatus à Domino, & hunc neſciens quid facturus eſſet, orauit dicens: Domine, quid me vis facere? Ita & tu, ô vir Dei, poſtulabis: Doce me facere voluntatem tuam, quia Deus meus es tu. Vias meas, id eſt, cogitationes & deſideria mea, iam antea enuntiaui, & exaudiſti me: nunc iterum enuntio, doce me iuſtificationes tuas. Vias tuas, Domine, demonſtra mihi, & ſemitas tuas edoce me. Dirige me in veritate tua, & doce me: quia tu es Deus Saluator meus, & te ſuſtinui tota die. Si ita oraueris Dominum, auriculam tuam reuelabit, & quid ex te velit, edicet.

Qui huiuſmodi inſtinctū acceperit facient hæc. 1. Deum orabunt, vt ſuam illi voluntatem aperiat. Act.9.6. Pſal.142. 10. Pſal.118. 26. Pſal.24. 4.

Secundò prælatos, magiſtros ſpirituales, & viros ſanctos conſules, & eorum ſententiæ, in his quæ ambigua ſunt acquieſces. Dominus quippe per iſtos vult nos docere. Quare Paulo roganti dixit: Ingredere ciuitatem, & ibi dicetur tibi quid te oporteat facere.] Ibi, inquam, dicetur tibi à ſeruo meo, per quem ego tibi meam voluntatem manifeſtabo. Laurentius Iuſtinianus ſapienter neceſſitatem huius conſultationis in vocatione ad ſtatum religioſum expoſuit, cuius ſententia ad quamlibet aliam rem grauem facile poteſt extendi. Eius verba ſunt: In rebus igitur arduis, & præſertim in renuntiatione ſæculi, & in arripienda inſtitutione noua nullus ſibi in re propria credat: ſed eorum acquieſcat conſilio, qui ex diuturna colluctatione vitiorum, & adepta virtutum corona (ſpiritus in ſe nihilominus operante ſapientia) diſcretione pollent, ac proximorum dilectione flammeſcunt, atque religioſorum morum grauitate clareſcunt. Porrò qui tales ſunt errare vix poſſunt, quum videlicet non niſi oratione præuia, & conſiderata perſonarum qualitate, Spiritúſque ſancti directione, ſententiam ſuam proferant. Ipſi etenim tamquam veri humiles, & ſub Paracleti diſciplina eruditi, nolunt ex proprio ſenſu loqui, ſed quod diuinæ iudicauerint eſſe placitum voluntati: quam vtique excluſa affectione priuata, interuenientibus quoque priuatis precibus intelligere ac perſcrutari conantur. Hoc quippe Propheta figuraliter expreſſit, cùm diceret: Et cùm fieret vox de firmamento, animalia ſubmittebant alas ſuas, vt videlicet perſpicaciùs atque quietiùs internæ aſpirationis effectum intelligere valerent. Nam qui à

2. Magiſtros, & qui eos docere poterunt, conſulet. Actor.9. 10.

Iuſtin. lib.de obed.c. 26.

Ezech.1. 25.

semetipso loquitur frequenter sententias profe-
rendo præcipitat, sibique cohærentes errare facit.
Quamobrem oportet neophytum, & ad sæculi
contemtum vocatum, seniorum se mancipare con-
silio, eorum scilicet, qui sint opere & eruditione
probati, qui nequaquam propriæ religionis com-
moda, seu augmentum, sed animarum lucra
perquirant. Ipsis namque cuncta sui cordis arca-
na patefaciant ante deliberationem de se facien-
dam. Ipsis, inquam, referent corporis valetudinem,
mentis constantiam, desideriorum æstus, propositi
perseuerantiam, & vniuersa quæ ad vtriusque ho-
minis attinent qualitatem. Quæ profectò consul-
torem grauem & idoneum minime latere conue-
niunt.] Hactenus ille.

Quæ incommoda sequãtur ob consultationis defectum. Iudic. 11. 29.

Quæ autem incommoda ex defectu huius consultationis sequantur, hac historia Iudicum potest intelligi. Nam factus est super Iephte spiritus Domini, & votum vouit Domino, dicens: (ab spiritu quidem Domini excitatus, vt probatissimi Doctorum censent) Si tradideris filios Ammon in manus meas, quicumque primus fuerit egressus de foribus domus meæ, mihique occurrerit reuertenti cum pace à filiis Ammon, eum holocaustum offeram Domino.] Ecce votum rei generalis, quia nihil in speciali offerendum præscripsit. Occurrit ei postea vnigenita filia, quam, vt votum impleret, & primum quod occurrit, immolaret, occidit. Fecit ei, inquit Scriptura, scilicet filiæ, sicut vouerat. Si sapientes in consilium vocasset, nequaquam filiam occidisset. Dicerent enim illi, votum quidem religiosè fuisse factum, sed non filiæ occisione complendum. Vnde Ambrosius collationem faciens sacrificij Abrahæ, & Iephte, sic ait: Vbi verò iam præcessisset exemplum (nempe Abrahæ prohibiti ne filium occideret) necessarium Deus non iudicauit oraculum, cùm facti forma veteris quid fieri oporteret, ostenderit. Ac si diceret: Si Iephte virorum sapientum & bonorum sententiam exquireret, ipsis ex priori exemplo Abrahæ, quid facto opus esset sibi exponentibus, numquam in tantum parricidij malum incidisset.

Ambros. lib. 3. de Virgin.

3. Conscientiã ab omni peccato, vel leuissimo, eluet.

Tertiò vt quisque aptus efficiatur ad diuinam voluntatem cognoscendam, & consilium maiorum suscipiendum, conscientiam ab omni peccato etiam minimo, quantum potuerit, eluet. Non aliud nisi diuini beneplaciti exequutionem, ac diuinam gloriam exquiret. Animo imperturbato atque tranquillo ad reddendam de se rationem prælato aut magistro, vt ab eo instruatur accedet. Rationes quæ in vtramque partem sibi offeruntur, & commoda atque incommoda in medium proferet. Ac tandem quid in hora mortis, & ante tribunal Domini stans se fecisse vellet, attentè considerabit. His autem in impulsibus generalibus manuducetur ad cognoscendum in speciali quánam ratione ad opus applicanda sunt, & vtiliter exequenda.

INDVSTRIA IV.

Spiritus Dei, quæ à nobis specialiter petat.

Spiritus Dei duo bonorum genera postulat ab anima

SPiritus Dei, duo bonorum genera postulat ab anima in speciali. Vnum eorum actus verarum & solidarum virtutum continet: alterum opera quædam exteriora de genere bonorum comprehendit. In primo genere excitat Deus animam ad veram & perfectam humilitatem, vt quo maiores in via spiritus progressus facit, eo magis se deprimat, verius se & suos labores despiciat, & proteri ac conculcari cupiat. Ad magnam fiduciam, & ingentem timorem: ad fiduciam quidem, quam anima de diuina bonitate concipit: ad timorem verò, quia de se ac de sua imbecillitate nihil præsumit. Ad patientiam & aduersitatum occurrentium tolerantiam, quas incipiens licèt cum aliqua tristitia, tamen patienter tolerat, proficiens æquanimiter acceptat, perfectus ad eas vt ad gaudia & exultationem aspirat, & pro illis Deum collaudat. Ad gratiarum actionem, & experimentalem notitiam diuinæ prouidentiæ, quia videt se non supra vires tentari, & vocatione congrua & efficaci ad bonum induci. Ad pietatem, misericordiam, & clementiam erga proximum, quem blandis verbis alloquitur, bonis in necessitate existentem prosequitur, & ad vltionem pro peccatis, cùm omitti non potest, moderandam, & extenuandam adigitur. Ad deuotionem & reuerentiam erga Sanctos, quorum gesta anima à Deo excitata magni reputat, & imitari curat, & eorum reliquias & vestes interno quodam animi sensu veneratur: & suo modo in eisdem erga Sanctos adhuc superstites exercetur. Ad pacem, & tranquillitatem animi, quam habet anima in prosperis, & aduersis, quia se omnibus superiorem animaduertit. Ad obedientiam, qua quis & superioribus paret, & inspirationibus diuinis obedit, & sanctæ Ecclesiæ ritus & cæremonias reuerenter suscipit. Breuiter excitat hic spiritus ad omnem curam interioris profectus, vt anima ita rerum exteriorum rationem habeat, vt multo maiorem internæ puritatis curam suscipiat; & ita his maioribus intendat vt illa minora non omittat. In his autem interioribus audacter potest interiorem spiritus ductum sequi, quia nullum miscere potest diabolus in sequela periculum. Nihil enim discriminis est, si te infra omnes deiicias, si omnia aduersa patientissimè sustineas, & sic de similibus.

in speciali. In primo, excitat Deus ad veram humilitatem.

Ad patientiam.

Ad gratiarum actionẽ.

Ad pietatem, misericordiã & clemẽtiam erga proximum.

Ad reuerentiam erga Sanctos.

Ad pacẽ animi.

Ad obedientiã.

Ad omnẽ curam interioris profectus.

Secundum genus est earum rerum, quæ in actione exteriori consistunt, licèt ab illis interioribus oriantur. Vt humilitas interior excitat ad exteriora humilitatis signa, qualia sunt vilia vestimenta, abiecta ministeria, verba proprios defectus manifestantia, & sic de aliis similibus. Contritio peccatorum imperat animæ vt corpus ieiuniis, vigiliis, & aliis asperitatibus affligat. Contemtus sæculi, vt omnia relinquat, & hoc vel illud religiosum institutum aggrediatur. Hæc autem non continuò ac bona apparent sunt exequutioni mandanda; sed consultatione præhabita, & ex præuia consideratione aggredienda. Ne quis supra vires se oneret, nec minus decentia, aut congrua suo statui præsumat, néve dum spiritu progredi cupit, potiùs regredi, & in imperfectiora ire se videat. De qua re audiendus est Cassianus: Quamobrem mensuram virium suarum vnumquemque nostrûm conuenit diligentiùs antè pensare, atque ad eius modulum, arripere quam libuerit disciplinam, quia quamuis omnes vtiles sint, tamen aptæ cunctis cunctæ esse non possunt. Non enim quia bona est anachoresis, vniuersis eam congruam comprobamus. A multis enim non solùm infructuosa, sed etiam pernicioſa sentitur. Nec quia institutionem cœnobiorum vel curam fratrum sanctam atque laudabilem meritò profitemur, idcirco ab vniuersis eam ex-

2. Genus virtutũ exteriorẽ exercitationem præscribit. Ita humilitas excitat ad signa sui exteriora. Contritio peccatorũ ad ieiunia: & similia. Contemtus sæculi ad despicientiam rerum. Cassian. coll. 24. c. 8. Qua ratione vires vniuscuiusque pensãdæ.

petendam

petendam esse censemus. Ita etiam xenodochij vberrimus fructus est, sed ab omnibus expeti sine patientiæ detrimento non potest. Proinde primùm regionis vestræ, atque huius inter se pensanda sunt instituta, deinde vires hominum iugi vel virtutum, vel vitiorum assiduitate collectæ, diuersa lance inuicem trutinandæ. Fieri enim potest, vt quod alterius gentis homini arduum atque impossibile est, hoc aliis insita consuetudo quodammodo verterit in naturam, sicut nationes quædam ingenti plagarum diuersitate disiunctæ magnam vim frigoris, vel ardorem Solis absque vllo corporis perferunt tegumento, quæ vtique alij illam cœli inclementiam non experti, quantiuis roboris fuerint, sustentare non possunt.

Greg. 30. moral. c. 14. Regulæ prudẽtia rectè à Gregorio ponderatæ.

Ad idem Gregorius ait: Sic enim necesse est, vt artem quisque continentiæ teneat, quatenus non carnem, sed vitia carnis occidat. Nam plerumque dum plus iusto caro restringitur, etiam ab exercitatione boni operis eneruatur: vt ad orationem quoque vel prædicationem non sufficiat, dum incentiua vitiorum in se funditus suffocare festinat. Adiutorem quippe habemus intentionis internæ hunc hominem, quem exteriùs gestamus, & ipsi insunt motus lasciuiæ, ipsi effectus suppetunt operationis bonæ. Sæpe verò dum in illo hostem insequimur, etiam ciuem, quem diligimus, trucidamus: & sæpe dum quasi conciui parcimus, ad prælium hostem nutrimus. Eisdem namque alimentis vitia superbiunt, quibus nutritæ virtutes viuunt. Et cùm virtus alitur, plerumque vires vitiis augentur. Cùm verò in mensa continentia vitiorum vires extenuat, etiam virtus deficiens anhelat. Vnde necesse est, vt interior homo noster æquus quidem arbiter præsideat inter se & eum, quem exteriùs gestat, quatenus ei homo suus exterior, & semper ad debitum ministerium seruire sufficiat, & numquam superbè libera ceruice contradicat.

Bern. ser. 20. in Cant. Idem cõfirmatur à Bern.

Demum Bernardus: Sapientia est Deus, & vult se amari non solùm dulciter, sed & sapienter. Vnde Apostolus rationabile, inquit, obsequium vestrum: alioquin facillimè zelo tuo spiritus illudet erroris, si scientiam negligas. Nec habet callidus hostis machinamentum efficacius ad tollendum de corde dilectionem, quam si efficere possit, vt in ea incautè, & non cum ratione ambuletur.] Hæc ille. Harum ergo rerum externarum mensura non debet esse tantùm earumdem bonitas, quasi omne quod bonum est, statim agendum sit: sed vires propriæ metiendæ sunt, & status, & conditio, & vsus eorum, quibuscum viuimus, & ætas, & tempus, & locus, & alia multa consideranda: nedum bonum appetimus, in multa & grauia incommoda, vel saltem in singularitatem incidamus, & pro bono malum operemur. Quod in duabus sequentibus industriis adhuc apertiùs intelligetur.

INDVSTRIA V.

Spiritus Dei nunc impellit ad ordinaria, nunc ad extraordinaria.

Spiritus Dei communiter ad res ordinarias inducit.

SPiritus diuinus communiter homines ad res ordinarias amplectendas incitat. Res autem ordinariæ vocantur, quæ ætati, aut sæculo in quo homo degit, & statui eius ac vocationi conueniunt. Cùm enim Deus sit author & ostensor huius viæ regiæ, qua in cœlum tenditur, cúmque per eam maiores nostros in salutem perduxerit, eamdem vult nunc docendo & inspirando probare. In hac ætate spiritus diuini est à miris & insolitis rebus abhorrere, & veram virtutem, quæ posita est in exacta custodia Legis & Euangelij complecti: vt sic fortiores simus aduersùs technas Antichristi, qui falsis miraculis & prodigiis homines decipiet. Est etiam huius ætatis in vitæ & victus asperitate modum tenere, ita vt magis ad seueritatem, & castigationem corporis, quàm ad remissionem declinerur, non tamen ieiunia illa biduana, & triduana, & alia huiusmodi, quæ imbecillitati humanorum corporum modò non congruunt, suscipiantur. Ac tandem pius & religiosus Sacramentorum vsus, & Sanctorum inuocatio & veneratio, & Ecclesiasticorum rituum diligens exercitatio, vt opere ipso hæreticorum deliriis hæc impugnantium reluctemur. Hæc ergo, & alia similia inspirat nunc hominibus Deus. Pariter mouet viros spirituales, & sibi consecratos ad exactam disciplinæ custodiam; ita scilicet vt nec ad dexteram laxitatis, neque ad sinistram singularitatis declinent, sed per mediam viam communis rationis viuendi, quam maiores triuerunt, incedant. Hanc Deus illis tradidit, & nobis eamdem, & non nouitates, ad consequendam salutem ostendit.

Interdũ actiones singulares instillat. Genes. 22.2. Iosue 10. 12. 3. Regum 18.18.

Interdum verò Deus aliquibus ad eximiam sanctitatem vocatis, vel ad munus aliquod egregium electis, actiones singulares & extraordinarias instillat. Sic præcepit Abrahæ vt filium occideret. Sic Iosue vt Soli quietem imperaret. Sic Heliæ vt ignem de cœlo ad absumendum sacrificium peteret. Sic in nouo Testamento aliquas virgines instigauit, vt antequam à tortoribus in ignem coniicerentur, seipsas coniicerent: & aliquos viros vt religiones instituerent, & nouam aliquam viuendi rationem in Ecclesiam inuecherent; & insolitas quasdam carnis afflictiones, quas infirmitas nostra non fert, magna securitate susciperent. Finis horum instinctuum singularium est maior gloria Dei, ædificatio Ecclesiæ, vtilitas proximorum, & maior profectus eorum, qui ad huiusmodi actiones excitantur. Ordinantur ergo hæc aliquando ad tentandam fidelitatem iusti. Hæc autem extraordinaria probatio, maximam præsupponit sanctitatem, quæ possit tantum onus sustinere. Aliquando ad tentationem carnis superandam, vt cùm Benedictus se in tribulos ac spinas coniecit, & Franciscus nudus se in mediis niuibus volutauit. Aliquandò ad efficaciam gratiæ demonstrandam, vt cùm Martyres aliqui tortores præuenerunt, & mortem, quam certissimè statim erant subituri, sibimetipsis, in ignem se iactantes, conscíuerunt. Aliquando demum ad aperiendam hominibus magnitudinem gloriæ cœlestis, quam nonnulli Sancti tam miris corporis afflictationibus compararunt. Ad hæc autem extraordinaria, & in ordine ad hos fines mouet Deus tribus modis. Primo quidem, quia Dominus hominem interiùs certissimum reddit, quòd id præcipit ei, & omnem dubitationem de medio tollit. Secundò, quia inflammat affectum, & instinctu suo abripit cor hominis, vt securissimè & animosissimè imperata exequatur. Tertiò, quia pressuris & angustiis hominem adigit, & quasi spinis concludit, vt solùm extraordinaria aliqua via vitæ discrimen effugere possit. Sic Paulum

Qui finis singularium instinctuũ.

Ad hæc extra ordinaria mouet Deus certitudine id à se esse præceptum. 2. Inflammatione affectus. 3. Concione quadam, vt hanc extraordinariam viam sequatur.

Eremitarum principem ad vitam solitariam impulit. Hæc præstitit Deus aliquibus viris eximiis, non vt ea imitemur, sed vt illos admiremur, ipsúmque Dominum laudibus efferamus. Nobisque diaboli illusiones fugientibus, (de quibus postea) illud incumbit, vt communem vitam in exterioribus amplectamur, & in ea ad eximias virtutes interiores aspirantes, hæc mira & singularia, & paucis ex speciali instinctu concessa declinemus.

INDVSTRIA VI.

Spiritus Dei inspirat bonum, nunc quidem vt in se, vel in aliquo simili fiat, nunc verò solùm vt quis Deo suam voluntatem submittat.

Spiritus diuinus quædam suggerit, vt perfectè, & quædam vt ex parte fiant. Act. 16. 9.

SPiritus diuinus quædam suggerit homini vt perfectè & omnino fiant, quædam vt ex parte vel in aliquo simili fiant: quædam verò vt omnino non fiant, sed vt homo Deo suam voluntatem submittat, & desiderio tantùm rem inspiratam efficiat. Paulo suggessit vt operè ipso iret in Macedoniam. Et visio per noctem Paulo ostensa est: Vir Macedo quidam erat stans, & deprecans eum, & dicens: Transiens in Macedoniam adiua nos. Vt autem, inquit, visum vidit, statim quæsiuimus proficisci in Macedoniam, certi facti quòd vocasset nos Deus euangelizare eis. Sic inspirat nobis Deus, quæ sunt nostro statui & vocationi debita; vt quòd regulæ disciplinam teneamus, quòd negotia sæcularia fugiamus, quòd in commendato ministerio proximis prodesse curemus.

Spiritus diuinus dæmoniacum excitauit, vt ex parte Christū sequeretur.

Dæmoniacum quemdam excitauit, vt cuperet & postularet Christum sequi (à quo enim nisi à Deo potuit desiderium sequendi Christum prouenire) non vt omnino, sed vt ex parte sequeretur. Nam cùm in sequela Christi duo essent, alterum corporalis adhæsio & habitatio cum illo; alterum vitæ secundùm virtutem ratio, & veritatis prædicatio, hoc secundum ab illo homine sanato exegit, à primo verò eumdem exclusit. Inde legimus in Marco: Cúmque ascenderet in nauim, scilicet Iesus, cœpit illum deprecari qui à dæmonio vexatus fuerat, vt esset cum illo, & non admisit eum, sed ait illi: Vade in domum tuam ad tuos, & annuntia illis quanta tibi Dominus fecerit.] Sic instinctu suo vocat aliquos vt penitus consortia hominum fugiant, & in solitudinem vadant, vtque magna ieiunia, & vigilias, & durissimam corporis castigationem arripiant. Non sanè vt omnia compleant, sed vt iuxta vocationem suam à prophana hominum conuersatione secedant, & spiritualem retineant; vtque iuxta vires corporis remissionem abiiciant, & se prudenter affligant.

Marci 15. 18.

Dauidē impulit solum ad desiderii templum exædificandi. 2. Reg. 7. 2.

Vers. 13.

Dauidem impulit ad ædificationem templi, non vt illud ædificaret, sed vt desiderium & bonam voluntatem, absque dubio magni meriti, illud extruendi conciperet. Habuit ille hoc bonum, & à Deo immissum desiderium: ideóque dixit ad Nathan Prophetam: Vidés ne quòd ego habitem in domo cedrina, & arca Dei posita sit in medio pellium? Dominus autem opus non acceptauit, sed dixit illi per os Nathan: Ipse, id est, filius tuus, ædificabit domum nomini meo, & stabiliam thronum regni eius vsque in sempiternum.

Hanc implulsus Dauidici rationem sapientissimè Prosper explicuit. Prosper contra collator. c. 25. Psal. 131. 3.

De hac re gratum erit Prosperum sapientissimè loquentem audire. Non enim ideo voluntas Dauid, quæ vtique bona erat, non ex Deo fuisse credenda est, quia templum sibi Dominus, non ab eo ædificari, sed à filio ipsius voluit. Quærendum ergo est, de quo spiritu processerit affectus ipsius voluntatis, nempe de illo, in quo dicebat: Si introiero in tabernaculum domus meæ, si ascendero in lectum stratus mei: si dedero somnum oculis meis, aut palpebris meis dormitationem, aut requiem temporibus meis, donec inueniam locum Domino, tabernaculum Deo Iacob. Quod cùm Propheta concupiscceret, non ignorabat verum illud perfectúmque templum ab illo esse condendum, qui cùm esset filius Dei, factus est etiam filius Dauid: quique cùm videret templum à Salomone constructum dicebat: Soluite templum hoc, & in triduo suscitabo illud. Dicebat autem de templo corporis sui. Vt ergo hoc templum præfiguraretur, quod in Christo & in Ecclesia disponebatur, meritò ad extructionem eius non Dauid eligitur, sed filius Dauid: vt per filium hominis significaretur filius Dei, & hominis, & per templum dissolubile indicaretur tabernaculum incorruptibile, ad cuius condendam imaginem, & voluntas Dauid probata est, & opus in eum translatum est, cuius persona magis eidem imagini congruebat. Atque ita, & ex Deo erat hoc velle Dauid, & ex Deo erat hoc facere Salomonem. Quod vt exemplis magis luceseat requiramus vbi fieri Deus noluerit, quod homines facere Deo volente voluerunt. Dominus Apostolis suis præcepit, dicens: Euntes ite, & docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, & docentes eos seruare quæcumque mandaui vobis. Quod cùm Apostoli audirent sine dubio non verba nuda per corporales sonos, exterioribus tantùm auribus acceperunt, sed virtute iubentis verbi accensa est in cordibus eorum inextinguibilis flamma charitatis, qua ardentissimè vellent Euangelium Christi omnibus gentibus prædicare: sed cùm vetiti sunt loqui verbum in Asia; & cùm tentarent ire in Bithyniam prohibiti sunt à spiritu Iesu. Numquid non ex Deo hanc voluntatem habebant, quòd etiam istorum optabant ad fidem corda conuertere, quos occulto iudicio Deus Euangelium tunc nolebat audire? Aut quòd Ecclesia quottidie pro inimicis suis orat, id est, pro his qui non crediderunt, numquid non ex spiritu Dei facit? Quis hoc dixerit, nisi qui hoc non facit, aut qui putat fidem non esse donum Dei. Et tamen quod pro omnibus, non pro omnibus obtinetur. Nec est iniquitas apud Deum, qui sæpe postulata non tribuit, quæ postulare donauit. Bonam igitur voluntatem, eam scilicet, qua adhæretur Deo, nec negandum est hominis esse propriam, & confitendum est Deo inspirante conceptam.] Huc vsque ille.

Ioan. 2. 19.

Matth. 28. 16.

Act. 16. 7.

Sic Deus multis numquā præstāda inspirat.

Sic ergo instillat Deus aliquibus in Ecclesiæ summa pace viuentibus desideria martyrij, aliis ad animas lucrandas minus idoneis desideria conuersionis infidelium, pauperibus desideria subuentionis pauperum, infirmis desideria magnarum corporis asperitatum, occupatis ex obligatione status desideria prolixæ orationis, & contemplationis: non vt hæc faciant, sed vt his sanctis desideriis spiritu crescant. Non itaque omnia bona desideria, & à Deo data continuo opere implenda sunt, quandoquidem nō semper dantur, vt impleantur.

Sed adhibita ſapientium conſultatione, & facta oratione videndum eſt,quid Deus à nobis fieri velit,vt illud fiat,quid etiam à nobis velit ſolùm deſiderari,vt anima in ſolo deſiderio & bona voluntate ſe contineat.Quæ bona voluntas multi meriti eſt, quia ea Deo ſubiicimur, & ad omne, quod à nobis exegerit,mirum in modum præparamur.

INDVSTRIA VII.

Spiritus Dei in omnibus, quæ inſpirat, rectiſſimum finem proponit.

Deus recta à nobis exigit.

DEi ſpiritus rectus eſt, & recta ac ſecundùm virtutem à nobis exigit; hinc eſt quòd ad rectiſſimum finem gloriæ ipſius Dei quærendum prouocare non deſinit.Quæ enim propter bonum hunc finem non quæruntur,ſed in prauos fines retorquentur propriæ hominis gloriæ, & honoris, licèt ex genere bona ſint, in ſpeciali tamen & in indiuiduo, (vt aiunt) èx prauo fine inficiuntur,& bona non ſunt.Vniuerſa propter ſemetipſum operatus eſt Dominus,inquit Salomon. Inſtinctus ergo eius propter ipſum eſt,& ſicut reliqua eius opera, ad finem ſuæ gloriæ dirigitur; non autem dirigeretur, ſi poſtpoſita gloria Dei ad aliud quærendum incitaret. Diuerſis modis inſpirat Deus, quantum ad ſubſtantiam viſitationis, aut inſtinctus,ſed vno & eodem quoad rationem intentionis. Diuerſis, inquam, modis viſitat Deus, inquit Richardus, quia nunc expungit mentem deſiderio diuini amoris, nunc ſpe & gaudio futuræ retributionis, nunc delectatione alicuius virtutis, nunc cognitione propriæ imperfectionis, nunc timore pœnæ & peccatorum recordatione, vel alicuius periculi vel negligentiæ manifeſtatione,nunc memoria bonæ rei, nunc exemplo & gratia alicuius viri perfecti.] Omnes autem modi in hoc conueniunt,quòd in omnibus Dei gloria, & animæ noſtræ ſalus inquiritur. Non ergo à Deo mouemur, quando ad aliud quærendum incitamur. Vocem eius audiuimus de medio ignis,ait Moſes ad populum,& probauimus hodie,quod loquẽte Deo cum homine vixerit homo. Si autem tu non viuis, id eſt,ad vitam per bonum opus,vel bonum affectum non progrederis,non loquitur tibi Deus.Quomodo autem erit bonum opus, aut bonus affectus, quem ſiniſtra intentio vitiat,& oculus tenebroſus propoſiti mali finis obſcurat?

Prou. 16. 4.

Rich. c. 7. Cant.

Deuter. 5. 24.

INDVSTRIA VIII.

Spiritus Dei diſcretionis metas non excedit.

Diſcretio propria inſtinctuum diuinarũ. Pſalm. 143. 1.

DIſcretio etiam eſt propria inſtinctuum diuinorum,ex cuius defectu opera bona deficiũt, & in vitioſa conuertuntur. Benedictus Dominus Deus meus,qui docet manus meas ad prælium, & digitos meos ad bellum.] Docet Dominus inſtinctu ſuo manus noſtras, & digitos noſtros, vt bene aduersùs vitia pugnemus, & victoriam per virtutum merita conquiramus. Manus ſunt iuſtitia, & miſericordia. Has ſapienter docet,iuſtitiã vt ſicut oportet iuſta exequamur; miſericordiam,ne cum iactura propriæ ſalutis aliis ſubuenire conemur. Digiti quinque authore Richardo ſunt diiudicatio,deliberatio,diſpoſitio, diſpenſatio & moderatio.Nam Deus inſpiratione ſua docet nos primùm diiudicare an aliquid ſit licitum,vel illicitum, vt hoc fugiamus, illud verò, ſi oportuerit, deſideremus. Deinde inter licita docet quid non ſit expediens,vt omittatur,quid expediens,vt præſumatur. Ad hæc in expedientibus præſcribit, quomodo, & quo ordine illa operabimur.Præterea cognitio ordine,& modo, inſpirat quánam ratione ſecundùm occurrentes circumſtantias,vt infirmitatis,aut occupationis rigorem temperabimus,aut illum tenebimus. Tandem in quocumque tempore & occaſione docet virtutum opera prudenter exequi.

Richard. ibid. Quid Dauid per digitos intellexit,in illis, & digitos meos ad bellum, &c. ex Richard.

Ad hanc quoque inſtinctus diuini diſcretionem pertinet, quòd docet nos ordinatè procedere. Inchoat à minus perfecto,& progreditur ad omnino perfectum. Accommodat ſe ætati & conditioni hominis. Aliam ſapientiæ cognitionem communicat ſeni,aliam adoleſcenti:vnam tyroni,aliam prouecto, & in rebus ſpiritualibus exercitato: vnam prælato,aliam ſubdito. Similiter iuxta exigentiam ſtatus præbet modum virtutis. Exempli gratia,humilitas omni homini neceſſaria eſt:ſed vnum modum humilitatis ſecũdùm exteriora ſigna in principe, aut in plebeio, in prælato, aut in ſubdito requirit. Docet etiam animam, vt ſe diuinæ voluntati committat, vel ſi aliquid in ſpeciali petit, vt corporis incolumitatem ad gloriam Dei,aut liberationem à tentatione, id modeſtè & ſub conditione poſtulet, ſi id Domino placet, & non in his quæ ad ſalutem animæ non pertinent, nimia importunitate quaſi vim inferat. In his ergo & in aliis, quæ ſunt profectus noſtri diuinus inſtinctus ſe diſcretum oſtendit.

Inſtinctus diuinus docet ordinatè procedere.

Hunc inſtinctum diſcretum Dauid poſtulabat, dicens: Quoniam tu illuminas lucernam meam, Domine:Deus meus illumina tenebras meas.]Quo loco Richardus ait: Lucerna cordis iudicium diſcretionis:hæc cordis noſtri lucerna totiens à Domino illuminatur, quotiens ex illuminante gratia intelligentia noſtra illuſtratur,& ad veritatis iudicium dirigitur. Omnino,& abſque dubio inualida eſt humana diſcretio ad veritatis iudicium,niſi illo illuſtrata lumine, quod illuminat omnem hominẽ venientem in hunc mundum. A quo ergo factum intelligit,vt ea intelligeret, quæ rectè intelligebat, ab eodem expetit,& expectat,vt occulta ſua intelligat, quæ necdum ſe intelligere potuiſſe timebat. Occulta enim ſua tenebras dicit, quas à Domino illuminari petit.] Deus itaque lux eſt, inſtinctus autem eius quaſi radius huius lucis, qui caliginem omnem indiſcretionis diſpellit.

Hũc diſcretũ inſtinctum Dauid petit à Deo. Pſal. 17. 29. Rich. ad Pſal. 90.

INDVSTRIA IX.

Spiritus Dei non eſt proteruus, ſed docilis.

SPiritus Dei eſt docilis, & ſuadibilis, quare inſtinctu ſuo facit animam obedientem non ſolùm Deo,ſed & prælatis propter Deum, & acquieſcentem ſententiæ & conſiliis eorũ. Facit quidem obedientem Deo,quoniam ad hoc omnes eius inſtinctus tendunt, vt obediamus ei. Cuſtodi pedem tuum,ait Salomon,ingrediens domum Dei, id eſt, ad Deum reuerenter ingredere,& appropinqua, vt audias. Vt ſcilicet obedias voci eius. Ad quid nãque loquetur Dominus ſeruis,& mancipiis, niſi vt ipſis iniuncta perficiant. Inſtinctus hic exponitur per apertionem auris, cui ſtatim eſt reſponſura promta obedientia. Vnde apud Iſaiam legimus: Dominus aperuit mihi aurem,ego autem non contradico,retrorſum non abij.] Ipſe autem & Saulus vocati à Domino promtiſſimè ad obediendum ſe obtulerunt. Ille dixit:Ecce ego,mitte me.] Hic verò: Domine, quid me vis facere?]

Spiritus Dei,quia docilis,facit animã obedientem. Eccl. 4. 17.

Iſai. 50. 5.

Iſai. 6. 9. Act. 9. 6.

Obedientia Deo habita apparet in habita prælatis, quam docet diuinus Spiritus. Cassian. coll. 16. c. 11.

Probatio autem obedientiæ habitæ Deo, est obedientia, quam exhibemus prælatis, dicente eo: Qui vos audit, me audit. Quare spiritus Dei hoc efficit inspiratione sua, vt prælatis obediamus, vt impulsum quem sentimus, illis patefaciamus, & secundùm præscriptum eorum, rem nobis inspiratam exequamur. Bene ergo Cassianus de his impulsibus, qui nos interiùs pulsant, ait: Qui nisi humili & mansueto corde susceptí, matursissimi fratris, vel probatissimi senioris reseruentur examini, & eorum iudicio diligenter excussi, aut abiiciantur, aut recipiantur à nobis, sine dubio venerantes in cogitationibus nostris pro Angelo lucis Angelum tenebrarum, grauissimo feriemur interitu.] Hoc autem alio loco ipse Cassianus exemplo Heronis, & aliorum confirmat, qui propterea quòd suo iudicio & definitioni fiderunt, nec consilium maiorum admiserunt, in grauissima damna prolapsi sunt.

Coll. 2. c. 5. vsque ad 8.

Industria X.

Spiritus Dei infundit pacem, & inclinat ad cordis puritatem.

Inspiratio diuini Spiritus pacifica est, & pura.

Inspiratio ab Spiritu diuino profecta pacifica est, & pura. Pacifica, quia animam non inquietat, sed ac si in suo centro poneretur eam miro modo tranquillat. Et homo illam amplectens ita quiescit, sicut qui post inquisitionẽ alicuius quod summè desiderabat, aliquando tandem reperit. Audiam quid loquatur in me Dominus Deus, quoniam loquetur pacem.] Dominus cœnaculum ad discipulos ingressus dixit eis: Pax vobis: & pacem voce proferẽs, in eorum cordibus pacem immisit. Sic facit cùm ad nos nunc per suum impulsum venit, quòd eo pacem infundit. Mittens quoque ad prædicandum discipulos suos præcepit eis, vt cùm primùm aliquam domum ingrederentur, dicerent: Pax huic domui. Instinctus autem eius quasi ministri ipsius sunt, quibus idem præcipit, vt nos siue in initio, siue in progressu pacificent. Pacis autem comes est lætitia, atque adeò instinctus Dei animã eos excipientem, & se morigeram præbentem exhilarant. Quare Bernardus: Poterítne humana anima in hoc gaudium Domini sui, & in hanc eius requiem intrare, vt & ipsa quoque in omnibus delectetur, ne aliqua iam priuata affectione contrahatur in nugam, sed transeat in affectum quemdam generalem atque diuinum? Poterit sine dubio, si fidelis inueniatur super pauca quæ accepit militiæ suæ tempore: id est, super artus, super sensus, super appetitus suos, quos susceptt regendos, & in his probetur, quoniam fidelis sit Domino suo.] Hæc inspirat Deus vt moderemur, & regamus, cui cùm obedimus, vera lętitia & intimo gaudio cõplemur.

Psal. 84. 9. Ioan. 20. 19.

Luca 10. 6.

Bernard. serm. 3. de omnibus Sanctis.

Hæc iudicij abnegationem expoſcit.

Est etiam hæc inspiratio pura, quoniam à nobis abnegationem iudicij, & voluntatis exigit, & mortificationem sensuum & affectuum expoſcit, qua in mentis puritatem subuehimur. Est pura, quia munditiam carnis nobis infert, & odium ac detestationem omnis lasciuæ voluptatis præbet. Facit Deus visitatione sua medium fornacis concupiscentiæ nostræ quasi vẽtum roris flantem, omnem ardorem eius extinguentem. Est pura, quia simul cum carne mentem emundat, & amorem carnalem & immoderatum erga aliquam personam etiã sanctam procul ablegat. Si enim cauti non sumus, facillimum est ab amore spirituali ad carnalem transire, & qui spiritu cœpimus, carne cõsummare. Quotiescumque ergo ad castitatem animæ & corporis vocamur, ad purissimas affectiones erga res cœlestes accendimur, ad mortificationem & omnimodam abnegationem inuitamur, & in his interna pace, & secundùm Deum lætitia perfundimur, instinctum illum à Deo procedere minimè dubitemus.

Industria XI.

Spiritus Dei ex instinctu suo in anima consolationem relinquit.

Spiritus sancti instinctus animam diuersimodè cõsolatur. Ign. lib. exercit. post annot. reg. 2.

Spiritus sancti instinctus animam consolatur, sed diuersimodè. Aliquando sine eo quòd præcesserit aliqua causa huiusmodi consolationis. De quo sic ait B. P. N. Ignatius: Solius est Dei consolari animá nulla præcedente consolationis causa, cùm sit hoc proprium creatoris, suam ingredi creaturam, & illam in amorem sui totam conuertere, trahere, & mutare. Causam verò præcedere nullam tunc dicimus, quando nec sensibus, nec intellectui, neque voluntati nostræ quidpiam obiectum est, quod huiusmodi consolationem causare ex se possit.] Aliquando ex præcedenti causa nos diuinus Spiritus consolatur, vt ex eo quod de operibus Dei, aut mysteriis eius audiuimus, aut meditati sumus, ex eo quod in fratre boni perspeximus: ex eo quod alij inspirationi respondimus, & nos vicimus, aut actioni virtutis institimus. Vnde Cassianus enumeratis multis harum visitationũ causis, quas alio loco retulimus, ita concludit: Atque in hunc modum nulli dubium est occasiones innumeras non deesse, quibus per Dei gratiã torpor ac somnolentia nostrarum mentium valeat excitari.] Aliquando prius terret, & conturbat animã, quàm eam cõsoletur, non quidem ex eo, quòd non eam sibi subiectam inueniat, sed ex insueto modo, quo ad eam venit. Insolens enim visitatio, & numquam antea expertum donum, solet principio animam perturbare. Sic Virgo beata ad Angeli sermonem turbatur; & illis verbis: Ne timeas Maria; omnis turbatio depellitur. Et Daniel: Audiui, ait, vocem sermonum eius, scilicet Angeli, & audiens iacebam consternatus super faciem meam, & vultus meus hærebat terræ. Donec audiuit: Noli metuere Daniel, &c. Et Zacharias pater Baptistæ, turbatus est videns, scilicet Angelum, & timor irruit super eum. Angelus autem statim timorem abstulit. Ne timeas Zacharia, quoniam audita est deprecatio tua. Vera itaque est sententia Magni Antonij, quam Thomas Aquinas refert. Non difficilis est beatorum spirituum, malorúmque discretio. Si enim post timorem successerit gaudium, à Domino venisse sciamus auxilium, quia securitas animæ præsentis maiestatis indicium est. Si autem incussa formido permanserit, hostis est qui videtur. Aliquando tãdem principio timorem incutit, & postea consolationem infundit, quia animam sibi dissimilem, id est, vitiis atque imperfectionibus irretitam reperit. Vide intuitum Domini, ait Bernardus, cùm in se semper maneat idem, non tamẽ semper eiusdem efficaciæ esse, sed conformari meritis singulorum, quos respicit, & aliis quidem incutere metum, aliis verò magis consolationem & securitatem afferre. Denique respicit terram, & facit eam tremere.] Et alio loco: Primò quidem sonans in auribus animæ vox diuina conturbat, terret, diiudicátque, sed continuò si bene aduerteris, viuificat, liquefacit, calefacit, illuminat, mundat.] Hic

Cassian. coll. 9. c. 25.

Luca 1. 29. Dan. 10. 9.

Luca 1. 13.

D. Th. 3. p. q. 30. art. 3. ad 3.

Bernard. serm. 57. in Cant.

Psal. 103. 32. Serm. de vtilit. verbi Dei.

ergo

ergo Dei ſpiritus,ſiue in principio,ſiue in fine,animam conſolatur,hoc ipſo conteſtans ſe Dominum eſſe, qui poſſit in creatura ſua veram conſolationem infundere.

Indvstria XII.

Spiritus Dei variis modis animam alloquitur.

Sap.7.22. Rich. in Cant. c. 33.

Spiritus Dei vnus & multiplex, diuerſimodè mẽtes viſitat.

SPiritus Dei, vt Richardus ait, ex libro Sapientiæ,vnicus dicitur,& multiplex,quia cùm vnus ſit, diuerſis tamen modis mentes viſitat,& afficit. Nunc animam timoribus & deſideriis præparat, nunc iam paratam ſuis donis promouere non ceſſat. Non ſemper vno affectu, ſed diuerſis animam tangit, prout ſecundùm ſtatum & diſpoſitionem ſuam neceſſe habet. Vnde nunc ad ſalutarem compunctionem,nunc ad amorem,nunc ad gratiarum actionem,nunc ad deſideria & exercitationem alicuius virtutis accendit. Modò cor tangit,modò ſemetipſum abſcondit, & iterum, vt opus perficiat aduenit. Si non aperiamus, ad ianuam expectat:& aliquando quidem efficaciùs pulſat, aliquando verò ob culpam noſtrã iuſto iudicio ceſſat. Breuiter, quiſquis interiorum ſuorum examinator fuerit, ſe à Deo multis ac variis modis tangi, manifeſtè deprehendet. Verè multiplex ſpiritus,inquit Bernardus, qui tam multipliciter filiis hominum inſpiratur,vt non ſit qui ſe abſcondat à calore eius.Siquidem conceditur eis ad vſum,ad miraculum, ad ſalutem, ad auxilium,ad ſolatium,ad feruorem. Ad vſum quidem vitæ bonis, & malis, dignis pariter, & indignis communia bona abundantiſſimè tribuens:ita vt videatur hic diſcretionis limitem nõ tenere. Ingratus, qui in his quoque beneficiũ ſpiritus non agnoſcit. Ad miraculũ,in ſignis & prodigiis, in variis virtutibus, quas per quorumlibet manus operatur: ipſe eſt antiqua miracula ſuſcitans, vt ex præſentibus fidem aſtruat præteritorũ. Sed quia nonnullis hanc quoque gratiam ſine propria vtilitate largitur,tertia infunditur ad ſalutem; cùm in toto corde reuertimur ad Dominũ Deum noſtrum. Porrò ad auxilium datur, cùm in omni colluctatione adiuuat infirmitatem noſtram. Nam cùm teſtimonium perhiberet ſpiritui noſtro quòd filij Dei ſumus,ea inſpiratio eſt ad conſolationem. Datur etiam ad feruorem, cùm in cordibus perfectorum vehementiùs ſpirans validum ignem charitatis accendit,vt non ſolùm in ſpe filiorum Dei, ſed etiam in tribulationibus glorientur,contumeliam gloriam reputantes, opprobrium gaudium, deſpectionem exaltationem. Omnibus nobis (ni fallor) datus eſt ſpiritus ad ſalutem, ad feruorem non ita. Pauci enim ſunt, qui hoc ſpiritu repleantur: pauci,qui ſtudeant æmulari. Contenti ſumus anguſtiis noſtris, nec reſpirare in libertatem illam, non ſaltem ad eam ſpirare conamur.] Hæc ille. Obediamus ergo huic ſpiritui,& oremus eum, vt non ſolùm ad ſalutem nos tangat,ſed etiam ad feruorem,& obtentionẽ omnis perfectionis accẽdat.

Bernard. ſerm. 3. Pentec.

De ſpiritu diabolico, & induſtriis ad eum pertinentibus.

CAPVT III.

2.Cor.6. 14.

SPiritvs diaboli contrarius eſt ſpiritui Dei:nam quæ participatio iuſtitiæ cum iniquitate, ait Paulus, aut quæ ſocietas luci ad tenebras.Quæ autem conuentio Chriſti ad Belial?] Eius ergo motio ex dictis agnoſcitur: nam ea animus ad contraria mouetur, ad contraria, inquam, his, quæ ſuggeſſit ſpiritus Dei. Sed vt hic inſtinctus maligni clariùs innoteſcat, aliquas induſtrias ſubiicimus.

Indvstria I.

Spiritus diaboli duobus modis, ſcilicet apertè & occultè, docet falſum, aut inſtigat ad malum.

Spiritus diabolici eſt falſitate decipere, & ad malũ incitare.

CVm ſpiritus Dei in hoc tendat, vt veritatem doceat, & ad virtutem alliciat, quemadmodum dictum eſt, ſpiritus diabolici erit falſitate decipere,& ad malum incitare. Sed hoc generaliter duobus modis facit. Primò apertè,& abſque ambagibus, vt quando docet aliquem errorem in fide, aut in moribus. Chriſtum, verbi gratia, non eſſe Deum:item Deum in aliqua turpitudine diſpenſare,quod numquam fecit, nec faciet. Aut quando incitat ad luxuriam,aut ambitionem,aut vindictã. Secundò occultè, vt quando ſub veritate aliqua falſitatem abſcondit,& ſub ſpecie boni,vt ſub ſpecie zeli ad contemtum aliorum, ſcilicet ad malũ, impellit. De his duobus modis nocendi ait Dauid: Super aſpidem,& baſiliſcum ambulabis,& conculcabis leonem,& draconem.] Quo loco Auguſtinus ſic ſcribit:Quemadmodum autem ſit leo & draco, puto & hoc noſſe charitatem veſtram. Leo ſæuit apertè, draco occultè inſidiatur.Vtramque vim & poteſtatem habet diabolus. Quando Martyres occidebantur, leo erat ſæuiens:quando hæretici inſidiantur, draco eſt ſurrepens. Viciſti leonem, vince & draconem:non te fregit leo,non te decipiat draco.] De diabolo apertè impugnante aut malum proponente, inquit Petrus:Sobrij eſtote,& vigilate,quia aduerſarius veſter diabolus tamquam leo rugiens circuit, quærens,quem deuoret.] Cyprianus eloquentiſſimè tractat quomodo apertè animam adoriatur. Circuit ille nos ſingulos, & tamquam hoſtis clauſos obſidens, muros explorat, & tentat, an ſit pars aliqua membrorum minus ſtabilis,& minus fida, cuius aditu ad interiora penetretur. Vocat oculis formas illices,& faciles voluptates,vt viſu deſtruat caſtitatem. Aures per canoram muſicam tentat, vt ſoni dulcioris auditu ſoluat,& molliat Chriſtianũ rigorem. Linguam conuicio prouocat, manum iniuriis laceſſentibus ad petulantiam cædis inſtigat: vt fraudatorem faciat, lucra opponit iniuſta: vt animam pecunia capiat, ingerit pernicioſa compendia. Honores terrenos promittit, vt cœleſtes adimat:oſtentat falſa vt vera ſurripiat. Et cùm latenter non poteſt fallere, exertè atque apertè minatur:terrorem turbidæ perſecutionis intentans, ad bellandos Dei ſeruos inquietus ſemper, infeſtus, in pace ſubdolus, in perſecutione violentus.] De eodem verò occultè inſidiante, ait Paulus:Ipſe enim Satanas transfigurat ſe in Angelum lucis, id eſt,vt inquit Anſelmus,aſſumit præclarum habitum, & apparet hominibus, vt credatur ſanctus Angelus,& ita decipiat.Et cùm ſic ſe transfigurat, opus eſt nobis iudicare, & dignoſcere,ne fallendo ad aliqua pernicioſa ſeducat. Nam quando ſenſus corporis fallit, mentem verò non mouet à vera rectáque ſententia,qua quiſque vitam fidelem gerit, nullum eſt in religione periculum. Vel cùm ſe bonum fingens ea facit,vel dicit,quæ bonis Angelis congruunt,etiamſi credatur bonus, non eſt error Chriſtianæ fidei periculoſus, aut morbidus. Cùm verò per hæc aliena ad ſua incipit ducere,tũc eum dignoſcere,nec ire poſt eum,

Pſal.90. 13. Auguſt. ibid.

1. Pet. 5. 8.

Cypr. de Zelo & liuore.

2.Cor.11. 14. Anſelm. ibid.

magna

magna & necessaria vigilantia opus est.] Non ergo difficile est diabolum agnoscere, quando aperte nos impetit, quia falsa & iniqua manifestè se produnt,& indicio se propriæ fœditatis aperiunt. At difficillimum est illius notionem habere,quando se boni specie contegit, & cùm non solùm falsus, aut malus est, verùm & falsum ac malum infundit. Ad quod & orandus est Deus,vt nobis eius insidias aperiat, & quæ sequuntur intelligenda, vt bene considerata huius nostri aduersarij ingenium edicant.

INDVSTRIA II.

Spiritus diaboli ad quæ mala manifestè impellat.

Diabolus ad vniuersa mala, & peccata suadet.

1. Ioan. 3. 8.

DIabolus instinctibus suis vniuersa peccata suadet, nihilque est quo recta ratio proteratur, aut lex diuina,aut humana frangatur,ad quod homo astu diaboli non excitetur.Qui facit peccatum (verba sunt Ioannis Apostoli) ex diabolo est,quoniam ab initio diabolus peccat.] Quare ab initio peccat? Non tãtùm quia ipse primus peccator est, & ex quo cecidit, peccare non destitit, sed etiam quia incensor est ad peccandum, & quoscumque potest ad delinquendum inducit. Iob quoque de illo ait: Halitus eius prunas ardere facit.] Quem locũ sic interpretatur Gregorius. Quid enim prunas nisi succensas in terrenis concupiscentiis reproborum hominũ mentes appellat? Ardent enim cùm quodlibet temporale appetunt:quia nimirum vrunt desideria,quę quietum ac integrum esse animum non permittunt. Toties enim Leuiathan halitus prunas accendit,quoties eius occulta suggestio humanas mẽtes ad delectationes illicitas pertrahit. Alias namque superbiæ, alias inuidiæ, alias luxuriæ, alias auaritiæ facibus inflammat. Superbiæ quidem facem menti Euæ suppositi, cùm hãc ad contemnenda verba dominicæ iussionis instigauit. Inuidiæ quoque flamma Cain animum succendit, cùm de accepto fratris sacrificio doluit, & per hoc vsque ad fratricidij facinus peruenit. Luxuriæ facibus cor Salomonis exussit, quem tanto mulieribus amore subdidit,vt vsque ad veneration-nem idolorũ deductus, dum carnis delectationem sequeretur, conditoris reuerentiæ obliuiscereturAuaritiæ quoque igne Achab animum concremauit,cùm eum ad appetendam alienam vineam impatientibus desideriis impulit,& per hoc vsque ad reatum homicidij perduxit. Tanto igitur Leuiathan iste halitus in prunis flat, quanto à nisu suggestionis occultæ humanas mentes ad illicita inflammat. Et flamma de ore eius egreditur. Flamma quippe oris eius est ipsa instigatio occultæ locutionis. Prauæ enim suasionis verba ad vniuscuiusque animum facit, sed flamma est quod de ore eius egreditur, quia ardet in desideriis animus, cùm eius suggestionib⁹ instigatur.] Hæc ille.Quotiescumque ergo ad aliquod peccatum incitari te senseris, scito quia diabolus per se,aut per assecl as suos prauæ concupiscentiæ virus infundit.

Iob 41. 12. Greg. 33. mor.c.28.

Quibus modis spirituales viros à virtute deiiciat.

Hæc omnibus communia sunt, sed viros spirituales ita solet ab arce virtutis deturbare. Primò persuadet illis, vt saltem in minimis à Christi & Sanctorum exemplo desciscant.Asserit non omnia bona esse imitanda,multas ac varias esse vias cœli, quibus ad salutem peruenitur, neque posse quemquam omnes ingredi. Secundò effundit eos in exteriora, & nimias, ac propriæ vocationi minimè consentaneas occupationes obtendit,quarum animus pondere pressus suæ saluti vacare non valeat. His occupationibus hominẽ à corde proprio abstrahit,& quasi à semetipso exulare facit;vt sic intra seipsum diuinam præsentiam non sentiat, & in dies debilior fiat, ac faciliùs in tentationes ruat. Cùm Deus enim,vt ait Augustinus, sit magis vicinus animæ,quàm anima sibi,qui magis elongatur à corde,minus sentit Deum.] Quo autem animus minus sentit Deum, eo fit imbecillior,& peccatorum casibus magis expositus. Ideo monet Dominus per Isaiã. Redite præuaricatores ad cor. Quia nimirum, quo magis exteriora ad nos non pertinentia abiicimus, eo magis in intimis abscondimur, & ad resistendum diabolo roboramur. Ideo etiam diabolus expetiuit Apostolos, vt cribraret sicut triticum: quia dum animus huc illúcque iactatur ab amore veri boni seiungitur.

Augustin.

Isaiæ 46. 8.

Lucæ 22. 3.

Tertiò prouocat eos ad elationem, & magnam æstimationem sui. Videbis eos suiipsorum laudatores non solùm imprudentes, verùm & procaces: suorum laborum pro communitate susceptorum cœcos æstimatores, qui & semetipsos aliis inuerecundè præferunt, & reliquos, quos certè deberent suspicere,sibi ex elatione nimia postponunt.Nihil aliud,ait Gregorius, diabolus mentes sibi subditas docet, quàm celsitudinis culmen appetere, cuncta æqualia mentis tumore transcendere, societatem omnium hominum alta elatione transire, ac sese, & contra potentiam conditoris erigere, siquidem iniquitatem in excelso loquuti sunt.

Greg. 34. mor. c. 16.

Ex hoc autem noxio elationis semine,quæ diabolus mala non colligit? Excœcat hos, quos sic superat, vt magnos suos defectus non videant, & quia cœci sunt ad se cognoscendos,eorumdem defectuum curationem minimè curant. Hinc oritur, vt si reprehendantur, paternas & suaues increpationes ægerrimè ferant, eas non ex zelo & charitate,sed ex passione & maleuolentia ortas esse, dicere audeant, & ad sui defensionem mille excusationes obtendant. Amorem rerum visibilium exacuit, & inde virtutes, quæ cœlestibus desideriis augentur, euertit. Ad quos maledictio in aduersarium,quem imitantur, iactata deriuatur:Super pectus tuum gradieris, & terram comedes cunctis diebus vitæ tuæ.] Ab inferiori loco nobiscum depugnat diabolus, inquit Chrysostomus, & tamen vel sic victor euadit,cuius causa est quòd nullum studium adhibemus, quo ipsi illius plagis nos altiores collocemus. Neque enim ille potis est admodum se sursum attollere, sed deorsum trahitur serpentis formam gerens. Quid est autem ab inferiori loco depugnare? Nempe à rebus, quæ intra nos sunt, digladiari: à voluptate, à diuitiis, denique à sæcularibus quibúsque rebus.]

Psal. 72. 8.

Quos mala colligat diabolus ex elationis semine.

Genes. 3. 14. Chrysost. hom. 8. ad Rom.

His omnibus diabolus charitatem extinguere conatur.

His omnibus ad hoc tendit diabolus, vt extinguat charitatem, & tollat bonam voluntatem, & obduret cor,ne mala sua sentiat,ne bona,quæ sibi deesse nouit,cupiat,& omne medicamentum suarum ægritudinum expaueſcat. Est enim instinctus diaboli instar veneni,quod ad cor tendit;ita omnis eius impulsus ad cor vitæ spiritualis,id est,ad charitatem dirigitur,& eam destruere ac dissipare conatur. Et sicut ipse bonam voluntatem abiecit, ita curat vt qui suo impulsui obsequuti fuerint, bonam voluntatem deponant, & se amoris proprij imperio subiiciant. Ac tandem sicut ipse in malo obstinatus est,ita nititur animam obdurare, & ab ea omnem sensum beneficiorum, quibus ad bonum inuitatur, aut pœnarum, quibus à malo reuocatur, auertere.

INDVSTRIA III.

Spiritus diaboli, quando nos occultè aggreditur, quibus technis ſe contegat.

Diabolus multos ſub boni ſpecie aggreditur. Niſſ. lib. de vita Moſis.

DIabolus non omnes palàm, ſed multos fidelium occultè ſub ſpecie boni,& latenter adoritur. Vt enim inquit Gregorius Niſſenus: Veluti graues expertíque imperatores cùm difficile putauerint victoriam aperto poſſe conſequi Marte,diſſimulationibus atque inſidiis hoſtem ſuperare conantur. Sic vitiorum omnium dux atque imperator diabolus, ſi quoſdam in virtute ſtabiliores videt,non apertè in faciem obiicit gladiũ, ſed clam, & per inſidias de loco pellere ſtudet.] Hoc cùm ita ſit, aliquas huius noſtri aduerſarij inſidias aperiamus.

1. Vult nos à via virtutis auertere. 1. Reg. 7. 1. Greg. lib. 3. in 1. Reg. ad cap. 7.

Primò ergo hunc finem ſibi præfigit, nos à via virtutis auertere,& ab altitudine gratię deturbare. Ad quod Gregorius explicans illud Regum hiſtoriæ: Aſcenderunt ſatrapæ Philiſtinorum ad Iſraël, ſic ait: Ablatis namque diis alienis, peracto ieiunio, exhibita à prædicatore cenſura examinis, ad Iſraël Philiſtinorum principes aſcendũt: quia cùm altiori vita proficimus,maligni ſpiritus,qui ſemper bene agentibus, nobis infeſtiores ſunt. Et quia de innocentis vitæ ſublimitate nos deponere appetunt, aſcendere dicuntur. Aſcendere quippe malignis ſpiritibus eſt ſe ad expugnanda alta per cœleſte deſiderium corda ſubleuare.Quia etiam contra perfectiores Chriſti milites non quorumlibet malorum ſpirituum, ſed fortiorum dæmonum prælia excitantur, non Philiſtim contra Iſraël aſcendere, ſed Philiſtinorum ſatrapæ perhibentur. Principes quoque pluribus præſunt. Per hoc ergo quòd contra Iſraël ſatrapæ aſcendere dicuntur, poteſt rationabiliter colligi:quia ad probandam electorum patientiam,nec vnus ſpiritus malus electorum ſingulis,ſed innumeri deputantur; vt de conſequuta eorum victoria tanto ſit copioſior fidelium gloria, quanto eis irrogata fuerint prælia grauiora.]

2. Explorat diligẽter qua ratione poſſit homines adoriri.

Secundò, hoc fine ſibi præfixo, quia diabolus hoſtis eſt, partes infeſtiſſimi hoſtis humani generis diligenter exequitur.Explorat ergo attentè hominem, vt videat, quánam ratione eum aggrediatur, & quia animam noſtram ingredi, aut ſcrutari corda non poteſt, ex quibuſdam externis indiciis, atque ex his quæ in noſtra imaginatione ſpecies turbando perfecit,obſeruat,& colligit,qua ex parte faciliùs victoriam reportabit. Ad quod propoſitum ſic ſcribit Caſſianus. Nulli dubium eſt, quòd poſſint immundi ſpiritus cogitationum noſtrarum attingere qualitates, ſed indiciis eas ſenſibilibus forinſecus colligentes, id eſt, ex noſtris diſpoſitionibus,aut verbis, & ſtudiis, in quæ propenſiùs nos conſpexerint inclinari.Cæterùm illas,quę necdum de internis animæ prodierunt, adire omnino non poſſunt. Ipſas quoque cogitationes, quas ingerũt, vtrùm ſuſceptæ,vel quemadmodum ſuſceptæ ſint, non per ipſius animæ naturam,id eſt, per illum interiorem motum in medullis (vt ita dixerim) latitantem, ſed ex motibus atque indiciis exterioris hominis deprehendunt; vtputa, cùm ſuggeſſerint gaſtrimargiam, ſi viderint monachum ad feneſtram oculos,aut ad ſolem curioſiùs erexiſſe,vel de hora ſolicitiùs inquiſiſſe, cognoſcunt deſiderium gulæ fuiſſe ſuſceptum. Si fornicationem ingerẽtes ſenſerint, eum patienter telum libidinis ſuſcepiſſe,ſeu viderint carne commotum,aut certè non vt oportuit aduersùs ſuggeſtiones immundæ ſuſpiratſſe laſciuiæ, intelligunt in penetralibus animæ libidinis iaculum fuiſſe defixum. Si incitamenta triſtitiæ, ſi iræ, ſi furoris admouerint, vtrúmnam corde inſederint, geſtu corporis & ſenſibili commotione dignoſcunt: ſcilicet cùm vel infremuiſſe tacitum, vel cum quadam indignatione ſuſpiraſſe, ſeu vultum conſideraverint quodam pallore aut rubore mutaſſe,& ita ſubtiliter cuínam quis ſit vitio deditus deprehendunt. Illo namque vnũquemque noſtrũm delectari certa ratione agnoſcunt, ad cuius inſtigationem mox quodam nutu, vel motu corporis conſenſum conniuentiámque ab eo præſtitam fuiſſe peruiderint. Quæ ab illis aëreis virtutibus ita deprehendi non mirum eſt, cùm hoc à prudẽtibus quoque viris ſæpiſſime fieri videamus, vt ſcilicet interioris hominis ſtatum de figura, & vultu,ſeu qualitate exterioris agnoſcant. Quanto ergo certius hęc ab eis poterunt deprehendi,quos vtique vt ſpiritualis naturæ multo ſubtiliores & ſagaciores hominibus eſſe non dubium eſt?

3. Vndequaque animam circuit, eámque per partẽ debiliorẽ ingreditur.

Tertiò ad ſimilitudinem ducis, qui arcem aliquam expugnare contendit, animam vndique circuit,vt parte imbecilliori cõperta per eam introeat & vincat. Illa autem pars ſeu vis animæ non tantùm opinione eius, ſed etiã reuera eſt imbecillior, quàm vitium aliquod aut prauum habitum afficere, vel certè inueteratam conſuetudinem longo tempore confirmatam, aut paſſionem vehementem, aut deſiderium aliquod rei terrenæ debilitare percenſerit.

4. Paſſiones, quibus propenſi homines, inquirit, iſque præcipitat. Iob 18. 10. Greg. 14. mor. c. 7.

Quartò perſonam amici induens mores noſtros diabolus, ac propenſiones inditas à natura perluſtrat,& occaſiones externas hominem cingentes inquirit, vt iuxta illas quaſi amicè nos alloquens ad caſum exitiúmque perducat. Hunc autẽ aſtum diaboli Gregorius detexit exponẽs illud Iob:Abſcondita eſt in terra pedica eius,& decipula eius ſuper ſemitam. Exiſtunt etenim, inquit, qualitates morum, quæ certis vitiis ſunt vicinæ. Nam mores aſperi aut crudelitati aut ſuperbiæ ſolent eſſe coniuncti:mores autem blandi, & quàm decet paulo ampliùs lætiores,nonnunquam luxuriæ, aut diſſolutioni. Intuetur ergo inimicus generis humani vniuſcuiuſque mores, cui vitio ſint propinqui, & illa opponit ante faciem,ad quæ cognoſcit faciliùs inclinari mentem:vt blandis ac lætis moribus ſæpe luxuriam, nonnumquam vanam gloriam:aſperis verò mentibus iram, ſuperbiam, vel crudelitatem proponat. Ibi ergo decipulam ponit, vbi eſſe ſemitam mentis conſpicit:quia illic periculum deceptionis inſerit, vbi viam eſſe inuenerit propinquæ cogitationis.]Et alio loco ait:Priùs enim conſperſionem vniuſcuiuſque antiquus aduerſarius perſpicit,& tũc tentationis laqueos apponit. Alius namque lætis,alius triſtibus,alius timidis, alius elatis moribus exiſtit. Quo ergo occultus aduerſarius facile capiat,vicinas cõſperſionibus deceptiones parat. Quia etenim lætitiæ voluptas iuncta eſt, lætis moribus luxuriam proponit. Et quia triſtitia in iram facile labitur, triſtibus poculum diſcordiæ porrigit. Quia timidi ſupplicia formidant, pauentibus terrores intentat. Et quia elatos extolli laudibus conſpicit, eos ad quæque voluerit blandis fauoribus trahit. Singulis igitur hominibus vitiis conuenientibus inſidiatur. Neque enim facile captiuaret,ſi aut luxuriosis præmia,aut auaris ſcorta proponeret, ſi aut voraces de abſtinentiæ gloria, aut abſtinentes de gulæ imbecillitate pulſaret, ſi mites per ſtudium certaminis,aut iracundos capere per facem formidinis quæreret.] Ea ergo quæ

Idem 29. moral. c. 12.

nobis à Deo ad bonum nostrum data sunt, ipse aduersarius noster vt arma ad nostram perditionem assumit, & incuriosis nobis ac somno deditis, in vsum suæ peruersitatis conuertit.

Industria IV.

De aliis astutiis spiritus diabolici, vt nos suo instinctu decipiat.

Aliquãdo diabolus à tẽtãdo cessat, vt pòst maiori impetu in homines irruat. Gregor. 3. moral. c. 16.

MVltis aliis modis diabolus nos ab itineribus virtutis auertere, & ad ignauiam, atque ex ea in manifesta peccata, atque in perditionem deturbare conatur. Horum aliquos præter ea quæ dicta sunt breuiter referemus. Hic ergo nequissimus spiritus à tentando homine aliquando desistit, vt inopinatus veniẽs faciliùs deiiciat. Ad quod Gregorius ait: Sæpe antiquus hostis postquã menti nostræ tentationum certamen inflixerit, ab ipso suo certamine ad tempus recedit, nõ vt illatæ malitiæ finem præbeat, sed vt corda, quæ per quietem secura reddiderit, repentè rediens faciliùs inopinatus irrumpat.] Desistit etiam aliquando, ne si tentet occasione tribulationis instantis, à tepore, in quo miserabiliter homo iacet, exsuscitet. Hinc videas aliquos satis tepidos & imperfectos, quasi in summa pace viuentes, quos aduersarius spernit, nec suis impugnationibus dignos ducit. Aut certè adoriri non audet, ne si ad medicum spiritalem recurrat, & ad pugnandum assurgant, somnum noxij teporis excutiant.

Ne animus acriter repugnet, remissè & blandè adoritur aliquando, vt vim paulatim incautis ad moueat.

Aliquando animum tentatione quidem pulsat, sed remissè & blandè, vt animus non admodum acrem impugnationem negligat, & ad nullam aut valde remissam resistentiam assuescat. Postea verò violentissimè irruit, & oblata occasione importunè vrget, vt miser homo, qui præ consueta incuria fortiter reluctari non nouit, in apertam iniquitatem decidat.

Ne delicias mũdi auersantes à peccandi occasionibus recedant, conatur strenuè. Greg. 32. mor. c...

Si videat hominem mundi delicias auersantem, & se strenuè virtutibus exercentem, summis conatibus curat, ne in instituenda vita ab occasionibus peccandi recedat. Scit enim quantum occasiones animum, etiam virilem emolliant, & proposita etiã firmissima rectè viuendi subuertant. Hæc pulchertimè & latissimè persequitur Gregorius, & vt vnũ ex multis eius singularibus afferamus, sic ait: Alius quoque non solùm decreuit terrena cõmoda non quærere, sed etiam cunctis quæ possidet renunciare, vt in discipulatu cœlestis magisterij tanto se liberior exerceat, quanto & expeditior redditus ea quæ possidentem premere poterant deserens calcat. Huius cor hostis insidians occulta suggestione alloquitur, dicens: Vnde hæc temeritatis tantæ surrexit audacia, vt credere audeas, quòd omnia relinquendo subsistas? Aliter te Creator condidit, atque aliter tu teipsum disponis: valentiorem te, robustiorémque faceret, si sequi te sua vestigia cũ inopiæ necessitate voluisset. An non plerique & terrena patrimonia nequaquam deserunt, & tamẽ ex his per misericordiæ opera supernæ sortis æterna bona mercantur? Hæc blandiens suggerit, seorsum verò in eisdem rebus quas retinere admonet, ante retinentis oculos delectationes pestiferas decipiens apponit, quatenus seductum cor ad blandimenta exteriora pertrahat, & intima perfectionis vota peruertat.]

Si hac via cauſſa cadat, at curat

Non potuit diabolus Dei seruum in mediis occasionibus retinere. At conatur variis tentationibus & suggestionibus profectui ipsius se opponere, & arreptum institutum impedire. Vt cùm animarum lucris insistentem monet, ne salutem aliorum quærat, cùm ad propriam curandam non sufficiat. Ad quod Gregorius eodem etiam loco sic ait: Alius fractis plenè volũtatibus suis, multa iam vetusti hominis vitia, & mutatione vitæ, & lamentatione pœnitentiæ correxit, & tanto maiori zelo contra aliena peccata accenditur, quanto sibimetipsi mortuus iniquitatibus propriis non tenetur. Hunc hostis callidus, quia zelo iustitiæ etiam cæteris prodesse cognoscit, quasi prosperè consulentibus verbis impetit, dicens: Quid te ad aliena curanda dilatas? Vtinam tua cõsiderare conualescas. An non perpendis, quia cùm ad aliena extenderis, erga ea curanda quæ tua sunt minor inueniris? Et quid prodest alieni vulneris cruorem tergere, & putredinem proprij negligendo dilatare? Hæc cùm quasi consulens dicit, zelum charitatis adimit, & omne bonum quod prodire ex charitate poterat, gladio subintroducti torporis extinguit.] Ad hũc modum sunt aliæ suggestiones, quibus à cœpta via virtutis reuocamur.

virtutis callem variis insultibus præpedire. Gregor. ibid.

Industria V.

Adhuc de aliis astutiis diabolici spiritus.

Hominẽ Deo deditũ cogitationibus mũdi solicitat. 1. Reg. 13. Greg. ad 1. Reg. c. 3.

DIabolus hominem Deo deditum cogitationibus mundi solicitat, quibus paulatim in desideria earumdem rerum, atque in aperta vitia deturbat. Vnde Gregorius tractans illud primi Regum, quo vulgus Philistinorum arenæ, quæ est in littore maris, comparatur, sic scribit: Quid est ergo littus maris, nisi cor vniuscuiusque in spirituali conuersatione negligentis? Per ordinem quippe religionis quasi in solido stare cernitur, sed dum sæculares cogitationes non reprimit, quasi frangentes in se maris fluctus excipit, & cumulos arenarum: & inde quidem impelli fluctibus, & obrui arena potest, vnde mari appropinquare non timet: quia si sæculi cogitationes spiritualium rerũ contemplatione reprimeret, vitia mentis & corporis, quæ sæculi occupatio velut arenas & fluctus inuehit, non sentiret. Cur ergo vulgus hostium arenæ simile esse dicitur, nisi quia maligni spiritus eisdem vitiis electos Christi athletas impugnãt, quibus negligentes superant.

Ad sermones & actus sæculares non pertimescendos hominem excitat. Isaiæ 51. 23. Gregor. supr.

Diabolus etiam ad sermones & actus sæculares non pertimescendos hominem excitat, vt inde ad sæculi quod reliquit, amorem, & ad vitia propria sæcularium impellat. Eodem namque loco Gregorius explicans illud Isaiæ: Qui dicunt animæ tuæ, incuruare vt transeamus, sic ait: Erecta quidem sublimis est anima, incuruata humilis: quia per virtutum celsitudinem, & per cœleste desiderium, in alta sustollitur, sed quando ad vitia, vel ad sæculi amorem defluit, illuc quidem cadit, vbi hanc hostis irruens leuiter atterit. Dicunt ergo animæ tuæ, incuruare, vt transeamus: quia si hanc ad agenda vel cogitanda terrena non humiliãt, nec malignis persuasionibus penetrant, nec vitiorum bello perturbant. Hinc ergo colligere possumus, quantum à sæculo actu, verbo, & cogitatione longè fieri debeamus. Verba quippe nostra, cogitationes, & opera plana & humilia sunt, quando sæcularia.

Qui superbia in actione restiterunt, per retractationem eiusdem actionis eò pertrahuntur.

Quos in ipsa executione boni, vel perpessione mali diabolus per superbiam, aut impatientiã non superauit, postea per retractationem boni, quod fecerunt, aut mali, quod sustinuerunt, ad eadem vitia sæpe pertraxit. De his enim qui post bene gesta

Greg.lib. 7.regiſt. c.126.

ſuperbiunt, ait etiam ipſe Gregorius. Sæpe namque malignus ſpiritus vt bona deſtruat, quibus priùs aduerſari non valuit, ad operantis mentem poſt peractam operationem venit, cámque tacitis cogitationibus in quibuſdam ſuis laudibus excutit, ita vt decepta mens admiretur ipſa, quàm ſint magna, quæ fecit. Quæ dum per occultum tumorem apud ſemetipſam extollitur, eius, qui donum tribuit gratia priuatur. Hinc eſt enim quod per Prophetæ vocem contra ſuperbientem animam dicitur: Habens fiduciam in pulchritudine tua, fornicata es in nomine tuo. Fiduciam quippe animam in pulchritudine ſua habere, eſt in ſemetipſa de iuſta actione præſumere. Quæ in ſuo nomine fornicatur, quando in hoc quod rectè egit, non conditoris laudem dilatari appetit, ſed ſuæ opinionis gloriam requirit. Hinc rurſum per Prophetam ſcriptum eſt: Quo pulchrior es, deſcende; anima etenim vnde eſt pulchrior, inde deſcendit, quando ex virtutis decore, quo exaltari apud Deum debuit, ab eius gratia per ſuam elationem cadit. Quid ergo in his agendum eſt, niſi vt malignus ſpiritus cùm nobis ad eleuandam mentem reducit bona, quæ egimus, nos ſemper ad memoriam mala noſtra reuocemus. Quatenus & noſtra cognoſcamus eſſe, quæ peccando fecimus, & ſolius omnipotentis Dei munera, cùm peccata declinamus.] De his verò, qui poſt ſuſtentatas patienter iniurias, in impatientiam corruunt, ita ſcribit ipſe ſanctus Pater alio loco. Quibus ergo iſti ſunt ſimiles, niſi his qui per fortitudinem in campo victores ſunt, ſed per negligentiam poſtmodum intra vrbis clauſtra capiuntur? Quibus iſti ſunt ſimiles niſi his, quos irruens grauis languor à vita non ſubtrahit, ſed leuiter veniens recidiua febris occidit? Ille ergo veraciter patientiam ſeruat, qui & ad tempus aliena mala ſine dolore tolerat: & hæc eadem retractans, pertuliſſe ſe talia exultat: ne bonum patientiæ quietis tempore pereat, quod in perturbationibus cuſtoditur.

Homil. 35.in Euang.

Minima mala proponit, vt inde ſenſim ad grauiora propellat.

Iob 2.7.

Greg.3. mor.c.16.

Minima nonnumquam diabolus mala proponit, & ex illis ad maiora & planè grauia propellit. Scit enim quòd minimis caſibus homo imbecillior fit, & Dei timorem ex parte deponit, atque adeò acriùs impugnatus, faciliùs ex infirmitate cadit, & caſum ex defectu timoris non ſentit. Hoc fuit figuratum in Iob: Egreſſus enim Satan à facie Domini, percuſſit Iob vlcere peſſimo, à planta pedis vſque ad verticem capitis. A planta pedis incepit, quia nimirum, vt inquit Gregorius, cùm licentiam percipit, à minimis incipiens, atque vſque ad maiora perueniens, quaſi omne corpus mentis illatis tentationibus lacerando transfigit.] Minora ergo etiam cognita vt minora fugienda ſunt, ne in maiora trahamur.

INDVSTRIA VI.

Aliæ aſtutiæ tractantur maligni ſpiritus.

Multa vera ſæpe dicit, vt vnam ſaltem falſitatē, quæ decipiat, intermiſceat.

SOlet diabolus multa vera dicere, vt inter illa vnam falſitatem ſeminet, & in vno decipiat. Numquam ergo credendum eſt ei, neque quando vera dicit. Quibus aſſentiendum eſt, quia vera ſunt, & à Deo, vel à ſuis miniſtris dicta, non verò, quia ab aduerſario authore mendacij prolata. Quis enim credat ei, qui ſolùm decipere & nocere contendit? Sed hoc diabolus curat in omnibus quæ circa nos agit. Sapienter enim ait Guillielmus Pariſienſis: Veriſſimè quidquid agit contra nos diabolus pugna eſt, ſi quis diligentiùs conſideret: animo enim vincendi nos totum agit, ſiue enim inſidietur, ſiue exploret, ſiue bona prætendat ad decipiendum nos, ſiue percutiat baculo quocumque vel gladio, ſiue murum munitionis noſtræ ſuffodiat, ſiue victum ſpiritualem ſubtrahat, hoc eſt, ſubtrahi procuret, animo nocendi omnia iſta facit.] Non itaque audiamus eum, nec ſermonem cum eo miſceamus; imitantes Dominum, qui increpabat dæmonia etiam ipſum Dei filium confitentia, & non ſinebat ea loqui.

Pariſ.de tentat.c. 1.

Luc.4. 41.

Suadet aliqua bona, vt etiam ſenſim trahat ad malū. Iob 40. 13. Greg.32. mor.c.17.

Solet etiam diabolus aliqua bona ſuadere, vt ad malum valeat pertrahere. Hoc etiam malum colore alicuius virtutis contegit, & ſub eſca pietatis hamum abſcondit. Cartilago eius, inquit Iob, quaſi laminæ ferreæ.] Et cartilaginis nomine Gregorius, hanc ipſius hoſtis noſtri verſutiam intelligit. Quid enim per cartilaginem niſi ſimulatio eius accipitur? Cartilago namque oſſis oſtendit ſpeciem, ſed oſſis non habet firmitatem. Et ſunt nonnulla vitia, quæ oſtendunt in ſe rectitudinis ſpeciem, ſed ex prauitatis prodeunt infirmitate. Hoſtis enim noſtri malitia tanta ſe arte palliat, vt plerumque ante deceptæ mentis oculos culpas virtutes fingat, & inde quiſque quaſi expectet præmia vnde dignus eſt æterna inuenire tormenta.] Id latiſſimè adhibitis exemplis declarat. Idem facit Bernardus, ad ea quæ dicturus erat hanc generalem ſententiam præmittens. Proficientium ſanctioribus ſtudiis minimè quidem ſeſe opponere contrariæ virtutes apertè audent, ſed ſolent ex occulto inſidiari quaſi quædam fraudulentæ vulpeculæ, ſpecie quidem virtutes, re autem vitia.] Eſt autem malum ſpecie boni contectum maximè extimeſcendum. Quoniam illius quod bonum putamus nec ſenſum, nec pudorem habemus, nec emendari volumus, immo proterui & obſtinati perſiſtimus.

Bern.ſer. 64.in Cant.

Vt tentet, vel ſaltē remoretur à virtute, ineptas cogitationes ingerit. Aug.4.de Trinit.c. 12.tom.3.

Conſueuit deinde ineptas cogitationes ingerere, & inordinatos motus in appetitu, immo & in corpore ſuſcitare. Nunc quidem vt tentet, & exploret an conſentiamus ei, nunc verò vt nos viam ſpiritus currentes remoretur, ac tandem vt ſi eas cogitationes & affectiones conſtanter abiecerimus, inani complacentia percutiat. Quòd nos retardare contendat, Auguſtinus docuit. Falſus mediator, ait, (& loquitur de diabolo) non traiicit ad ſuperiora, ſed potiùs obſidens intercludit viam per affectus, quos tanto maligniores, quanto ſuperbiores ſuæ ſocietati inſpirat: qui non poſſunt ad volandum pennas nutrire virtutum, ſed potiùs ad demergendum pondera exaggerare vitiorum.] Quòd verò inanis gloriæ conſenſum extorqueat, ait Gregorius. Nam diabolus ſimplicibus cordibus ſubtilia inuentionum acumina oſtendit, vt dum laus de ſubtilitate quæritur, puritatis ſimplicitas amittatur.]

Greg.2. mor.c.25.

Secundū affectum. cui ſubiecti homines, inſtinctum generat ad decipiendum. Aug.ſer. 20.de diuerſ.c.11.

Conſueuit tandem affectum cui ſubiecti ſumus deprehendere, & ſecundùm illum, aliquem quo decipiat inſtinctum generare. Et ſi diabolus aliquando aliquid ſuggerit (verba ſunt Auguſtini) conſentientem tenet, non cogit inuitum. Non enim ſeducit ille aut trahit aliquem, niſi quem inuenerit ex aliqua parte iam ſimilem ſibi. Inuenit enim eum aliquid cupientem: & cupiditas aperit ianuam intranti ſuggeſtioni diaboli.

Inuenit illum aliquid timentem, monet vt fugiat, quòd illum inuenit timere: monet vt adipiscatur, quòd illum inuenit cupere: & per has duas ianuas cupiditatis & timoris intrat. Subdit verò sanctus hic Pater huius mali remedium, dicens: Claude illas, & imples Apostoli illud in hodierna lectione: Non detis locum diabolo. Ibi enim voluit ostendere Apostolus, quia quamuis intret & possideat diabolus, homo illi tamen locum dedit, vt posset intrare.] Ille ergo ab instinctibus diaboli magis liber est, qui affectus habet edomitos, & diuinæ voluntati subiectos.

Ephes.4. 27.

INDVSTRIA VII.

Initio suggestionis instinctus diaboli quomodo cognoscetur.

2.Cor.2. 11.

COndonate, inquit Paulus ad Corinthios scribens, ei, quem ego ad communionem aliorum post pœnitentiam admisi, & simus in sensu, & actione concordes vt non circumueniamur à Satana: non enim ignoramus cogitationes eius.] Ille non ignorabat adinuentiones diaboli impugnantis nos, quo verbo nos docet, nobis ad salutem festinantibus debere omnimodis esse perspectas. Quæramus ergo quando occultè nos aggreditur, quibus eum iudiciis cognoscemus. Cùm autem hominum duo sint genera: alterum iustorum, qui vitiis repugnant: alterum iniquorum, qui cum vitio & peccato concordant: suggestio aduersarij ex oppositione ad eum quem tentat, statim in initio potest agnosci. Hoc autem dupliciter. Primò quidem ex eo quod obiicit: nam illis ea quæ molestiam, scrupolos, & tristitias afferant, ingerit: his verò quæ tandem in carnis voluptatem & sensuum delectationem desinant, astutè proponit. Secundò ex modo sese insinuandi. Quia ad bonos quasi tristi vultu, asperè, & turbulenter, ad bonos autem hilari facie, blandè ac dissimulanter ingreditur. Spiritus autem bonus cum his duobus hominum generibus oppositio modo se habet. Iustos enim consolatur, & amicè adhortatur; malos verò increpat, & indignanter alloquitur. Hoc discrimen duorum istorum instinctuum, & eius causſam B. P. N. Ignatius sapientissimè in hunc modum exposuit. Eorum, inquit, qui promouent in bono salutis, animis se insinuat vterque spiritus diuerso modo: bonus quidem leniter, placidè, ac suauiter, sicut aquæ stilla in spongiam illabens: malus verò duriter, implacidè, & violenter, cum strepitu quodam, sicut imber decidens in petram: illis autem, qui indies tendunt in deterius oppositum prorsus vsu venit. Cuius sanè diuersitatis ratio est quatenus Angelo vtrilibet similis est, vel dissimilis animæ ipsius dispositio. Si enim contrariam sibi eam alteruter spiritus inuenerit, cum strepitu & pulsu, qui facile aduerti queat ei se coniungit. Si conformem verò, tamquam in propriam & apertam domum subit cum quiete.]

Quærendus modus diabolicas suggestiones cognoscendi.

Primo, illa noscitur ex rebus, quas obiicit.

2. Ex modo sese insinuandi.

Ignat. in regul. discret. spirit. 7.

Aliquando etiam diabolus videns nos ad bonum faciendum applicatos, nimiam in illo bono solicitudinem, & perturbationem animi, & quasi furorem quemdam in nos immittit. Tunc bonum quidem omittendum non est, sed animus sedandus, & ad tranquillitatem reuocandus, vt rem nostram quietè peragamus, secundùm illud Pauli: Omnia mihi licent, sed ego sub nullius redigar potestate.] Id est (vt nunc sensu magis recondito vtemur) cùm me occupationum & negotiorum dominum sciam, nulli eorum velut seruum me subiiciam. Si etiam diabolus, inquit Richardus, aliquem constitutum in charitate ad aliquod bonum incitet, vt ab vtiliori auertat, vel aliquomodo decipiat, etiam hoc ipsi nescienti, & hoc bene intendenti, meritorium erit, quia ex charitate fit.

In ipso bono, ad quod ducimur, perturbationem animi immittit. 1.Cor.6. 12.

Richar. in Cant. c.18.

INDVSTRIA VIII.

In progressu suggestionis diaboli instinctus quomodo detegatur.

HÆc quæ diximus ad initium pertinent, sed in progressu diabolus turbat, inquietat, & obscurat. Licèt enim hominem similem inueniat, & tunc placidè ad illum accedat, sicut dictum est: at cùm mala & animæ noxia proponat, non potest anima in illis quiescere, quibus conscientia reluctatur. Inde autem prouenit, vt post paululum perturbetur, & quasi febricitans hinc inde voluatur, & veluti offusa caligine mœrore consumatur. Dæmonis proprium est, inquit Chrysostomus, perturbationem, furorem, & multam caliginem infundere: Dei autem illuminare, & prudenter edocere quæ opus sunt.] Et Dauid: Molliti sunt sermones eius super oleum, & ipsi sunt iacula.] Principio quidem blandè ingrediuntur, postea verò quasi inflicto vulnere dolore afficiunt. Suggestio ergo diaboli turbatione, quam affert ipsa se prodit. Neque enim potest hostis acerrimus longo tempore se occultare, & veneni poculum absque perceptibili animæ læsione ipsi præbere.

Diabolus in progressu suggestionis turbat, inquietat, & obscurat.

Chrys. hō. 29. in 1. Cor.

Psal. 54. 22.

Diaboli suggestio turbatione, quam affert, ipsa se prodit.

INDVSTRIA IX.

In fine impulsus, qua ratione, an sit à diabolo, deprehendatur.

INstinctus diabolicus principio animam dolosè consolatur, & lætitia perfundit, in fine cruciat, & affligit. Primò aspectu delectat vt rosa, postea pungit & transfigit vt spina. Nunc audaciam ad aggrediendum facinus præbet, postmodum resurgendi, & veniam impetrandi diffidentiam infundit. Sic Iudam proditorem ad Domini venditionem animauit, & post patratum immane facinus ex desperatione concepta laqueo se suspendit. Quæ cùm agnouit versipellis, ait Chrysostomus, id est, spei in Deum necessitatem atque præstantiam, posteaquam ipsi nos conscientia malorum operum onerauimus, tunc ille reuersus, ingerit cogitationem omni plumbo grauiorem, qua vergimus ad extremam salutis desperationem: qua semel suscepta, continuo deprimimur pondere, & omissa catena illa (scilicet fiduciæ, qua in cœlum attollebamur) delabimur in vltima malorum.] Hæc dicta videntur de illo impulsu, quo manifestè ad malum incitamur, sed idem prorsus euenit si occultè incitemur. Est enim tanta malitiæ peruersitas, vt etiam operta non possit diu se occulere, sed statim animam, quæ eam sub specie boni complectitur, tristitia & dolore compungit. Venenum namque aut auro tectum, aut melle circumlitum venenum est. Quare stomacho ingestum effectum suum faciet, & vel mortem vel dolorem, ac cruciatum adducet.

Instinctus diabolicus animam in fine cruciat & affligit.

Chrys. ep. 4. ad Theodol.

INDVSTRIA X.

Quibus mediis aduersùs diaboli inſidias pugnandum eſt.

MVlta ex his,quæ variis locis dicta ſunt, facilè colliguntur, ſed nunc tria proponimus, vt diſciplinam patris, quam reuerentiſſimè ceu filij ſuſpicimus,his noſtris ſcriptis inſeramus. Primum eſt cognito diaboli impulſu fortiter inſurgere, & aduersùs illum animosè repugnare. Secundum, magiſtrum ſpiritualem adire, & omnia interiora noſtra, ac immiſſas cogitationes illi patefacere. Tertium,partem noſtri imbecilliorem indagare, & maiori infirmitati maiorem curam,vt ab ea conualeſcamus,adhibere.

Cognito diaboli impulſu, aduerſus eum fortiter repugnandum.

Magiſter ſpiritualis adeundus.

Maiori noſtri infirmitati maior cura adhibenda.

Hæc tria B.P. N. Ignatius tribus aptiſſimis ſimilitudinibns patefecit. De primo ſic ait: Hoſtis noſter naturam & morem muliebrem refert, quoad imbecillitatem virium, & animi peruicaciam. Nam ſicut fœmina cum viro rixans, ſi hunc conſpexerit erecto & conſtanti vultu ſibi obſiſtere, abiicit illico animum, & terga vertit: ſin verò timidum fugacémque animaduerterit, in extremam ſurgit audaciam, & in illum ferociter inuadit. Itidem conſueuit dæmon animo & robore planè deſtitui, quoties ſpiritualem athletam,corde imperterrito, ac fronte ardua tentationibus videt reluctari. Sin autem trepidet ad primos impetus ſuſtinendos,& quaſi animum deſpondeat, nulla eſt beſtia ſuper terram inimico illo tunc efferacior, acrior, & pertinacior in hominem, vt cum pernicie noſtra malignæ obſtinatæque mentis ſuæ deſiderium adimpleat.

Ignat.lib exerc.regulisp. de diſcret. ſpirit.

Belliſſima ſimilitudines,quibus id explicat S. P.N.Ignatius.

De ſecundo ſic: Idem inimicus noſter morem inſequitur nequiſſimi cuiuſpiam amatoris, qui puellam honeſtorum parentum filiam, vel vxorem viri alicuius probi volens ſeducere, ſummopere procurat vt verba & conſilia ſua occulta ſint, nílque reformidat magis, ac ægrè fert,quàm ſi puella patri ſuo, vel vxor marito illa patefaciat, cùm ſciat hoc pacto de votis & conatibus ſuis actum eſſe. Ad eumdem modum obnixè ſatagit diabolus, vt anima,quam circumuenire cupit, ac perdere, fraudulentas ſuas ſuggeſtiones teneat ſecretas. Indignatur verò maximè,& grauiſſimè cruciatur,ſi cui, vel confeſſionem audienti, vel ſpirituali homini molimina ſua detegantur, à quibus ita excidere ſe funditus intelligit.

2. Similitudo.

3. Similitudo.

De tertio ſic:Solet etiam aduerſarius imitari aliquem belli ducem, qui obſeſſam arcem expugnare atque deprædari cupiens, explorata priùs natura, & munitione loci, debiliorem partem aggreditur. Sic & ille nimirum circuit animam, & callidè inquirit, quarúmnam virtutum præſidiis, moralium ſcilicet, aut theologicarum, ipſa vel munita, vel deſtituta ſit: eáque potiſſimum parte machinis omnibus admotis irruit, ac ſubuertere nos ſperat, quam in nobis minus cæteris firmatam cuſtoditámque eſſe præuiderit.] Hæc Pater noſter, cuius diſciplinam ſi ſuſceperimus, cum Dei gratia ab aduerſariorum inſidiis eripiemur.

De ſpiritu humano,& via eum cognoſcendi.

CAPVT IV.

MVmanvs inſtinctus difficillimè cognoſcitur, quatenus ab inſtinctu Dei & aduerſarij noſtri ſecernitur. Nam cùm veluti medius ſit inter duos prædictos inſtinctus ſi in bonum inclinet, bonus & diuinus creditur; ſi verò in aliquid minus licitum, ab ſpiritu maligno profectus reputatur. Non tamen ſemper ita eſt:ſed ipſe aliquando ex his bonis quæ audiuit, conſona rationi dictat, interdum verò iuxta inſtantem corporis neceſſitatem,in congrua naturæ declinat. Refert autem illum cognoſcere, vt in quibuſdam non multam eius rationem habeamus, in aliis verò conſtanter illi, tamquam carnalia ſapienti reluctemur.

INDVSTRIA I.

Spiritus humanus circa cognitionem quomodo ſe habeat.

MOuet hic ſpiritus viros doctos, aut ſcientiarũ auidos, ad hoc vt diſcant, & inquirant,& inueſtigent etiam diuina. Vt nimirum ſacræ Theologiæ ſtudeant, & ſanctarum Scripturarum ſubtilitates perſcrutentur, non tam vt Deo placeant, & eius gloriam & animarum fructum prouehant, quàm vt ſeipſos prædicent, vel vt ſuæ curioſitati ſatisfaciant. Ex hac pharetra prodeunt innumerabiles librorum ſagittæ, quæ tamquam ſagittæ paruulorum ad intima cordis non penetrant, ſed ſonitu & currendi agilitate delectant. Hinc oriuntur verba polita, curioſa, grandia, ſubtilia, à multis concionatoribus prolata, ſimilia æri ſonanti, aut cymbalo tinnienti, quorum fructus eſt pruritus aurium, non conuerſio proximorum. Ad quod facit illud Chryſoſtomi: Omnia verba diuina quamuis ruſtica ſint & incompoſita, viua ſunt: quoniam intus in ſenſibus ſuis habent poſitam veritatem Dei, quaſi ſanguinem in venis incluſum, & ideo viuificat audientem, ſicut teſtatur Petrus ad Chriſtum dicens: Quò ibimus? verba viua habes. Omnia autem verba ſæcularia, quoniam non habent in ſe virtutem Dei, & quamuis ſint compoſita & ingenioſa, mortua ſunt, quoniam in venis ſenſuum ſuorum non habent virtutem Dei,propterea nec audientem ſaluant.] Hic ergo appetitus comprimendus eſt, vt vtilia diſcamus, vt ea ad Dei gloriam diligamus, vt propter ſcientiam ſpiritum deuotionis, & feruoris (quod ſæpiſſimè euenit) nec extinguamus, nec extenuemus.

Spiritus humanus mouet viros doctos vt diſcãt non vt Deo placeant,ſed vt ſe ipſos quærant.

In imperfecto ſup. Matth. homil. 46.

INDVSTRIA II.

Spiritus humanus quomodo ſe gerat circa deſiderium virtutis.

HIc ſpiritus in his quæ ſunt virtutis & perfectionis comes eſt indiuiduus prudentiæ carnis. Omnia ſeipſo, (cùm ſit admodum limitatus) & non diuinæ gratiæ efficacitate metitur. Inde prouenit, vt amicus ſit (quemadmodum ipſe loquitur) cuiuſdam mediocritatis. Decernit non ad ſublimes & heroicas virtutes aſpirare, ſed in quadam vita communi ſe continere. Et quia commune eſt ad illum finem, quem nobis præfigimus, non accedere, hinc oritur vt iſte ſpiritus, nec ad medium montis, id eſt, ad medium virtutis tranſeat, ſed in quadam perpetua

Hic ſpiritu ſæpe in ad virtutẽ pertinẽtibus habet pro comite prudẽtiã carnis.

desidia quiescat. Feruorem furorem putat, perfectam virtutem indiscretionem iudicat, delideria magna perfectionis insipientiam appellat. Impletúrque illud Salomonis: Ambulans recto itinere, & timens Deum, despicitur ab eo qui infami graditur via.] Horum sapientia terrena est, opposita ei desursum descendenti, de qua ait Iacobus: quòd est bonis consentiens, plena misericordiæ, & fructibus bonis, non iudicans, sine simulatione.] Neque enim consentit bonis & iustis, qui eos obtrectationibus lacerat; nec plena misericordiæ, quæ nec suæ salutis miseretur: nec diues fructuum bonorum, quæ exiguis bonis satiatur: iudicat illa alios meliores se, & dum exteriùs ob propriam reputationem proprium sensum dissimulat, magis semetipsam condemnat. Non est ergo sequendus hic spiritus in materia virtutum, sed spiritu gratiæ excitandus, vt sublimia virtutis appetat, & noxiam illam suam mediocritatem, aut potiùs infamem tepiditatem omittat.

Prou.14. 2.

Iacobi 3. 17.

INDVSTRIA III.

Spiritus humanus quid dictet in studio mortificationis.

Hic spiritus ad sẽ suũ mortificationem fugiendam impellit.

HOmo naturaliter timet malum pati, atque ideo spiritus eius impellit illum vt mortificationem sensuum, & affectuum, abnegationem quoque proprij iudicij & voluntatis fugiat, & alia via magis suaui proficere studeat. Se autem à mortificatione excusat, vel per innocentiam custoditam, vel per satisfactionem condignam. Per innocentiam quidem, cùm homo nouit, secundùm fragilitatem humanam, se non multum deliquisse, & ab ipsa adolescentia suam vitam Domino consecrasse. Per satisfactionem verò, cùm considerat se pro admissis peccatis multo tempore satisfecisse, & in fructibus pœnitentiæ faciendis insudasse. Ego igitur, inquit, per gratiam Dei semper bene vixi, & puerulus ad statum religiosum conuolaui: aut peccata mea abominatus sum, & ad satisfactionem illorum duriter multo tempore corpus meum afflixi. Non est cur modò tanto me rigore conficiam. Hoc dictamen spiritus nostri fallacissimum est: planéque repugnat Spiritui diuino, dicenti per os Petris: Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum vt sequamini vestigia eius.] Tunc autem perfectiùs sequimur eius vestigia, cùm ad similitudinem eius, qui innocenter passus est, & nos innocenter patimur. Si autem magni peccatores fuimus, audiamus Ecclesiasticum dicentem: De propitiato peccato noli esse sine metu;] & timor iste nouam semper nobis satisfactionem, & noua opera abnegationis imponat. Itaque quotiescumque te ad fugam mortificationis, & ad auersionem ægritudinum & molestiarum excitatum senseris, scito naturæ hunc instinctum esse seipsam quærentis: vnde & pro bono animæ illum comprime, & secundùm regulas prudentiæ, & vires gratiæ tibi concessæ, omni mortificationi te trade.

1.Pet.2. 21.

Eccli.5. 5.

INDVSTRIA IV.

Spiritus humanus quid sentiat circa exercitia interiora.

Impedit interiora exercitia quibus ad Dei vnionem aspiramus.

NOn parum etiam impedit humanus spiritus interiora exercitia, quibus ad Dei vnionem aspiramus. Nam in exteriora facilè distrahitur, & non facilè in vno figitur, sed, dum aliud non potest, multitudine saltem bonarum cogitationum delectatur, & sic à simplicitate & vnitate summopere expetenda auertitur. Deinde inclinat ad ea cogitanda, quæ ipsam naturam non reprimant, sed in suo vigore relinquant; certum est enim in quolibet vitæ spiritualis statu aliqua esse quæ meditata naturam magis ac magis domant. Quare Gregorius exponens illud Iob: Ibi requieuerunt fessi robore, sic ait: Qui in authoris sui amore roborantur, quo magis inconcupita Dei fortitudine conualescunt, eo à propria virtute deficiunt, & quo robustiùs æterna appetunt, eo à temporalibus salubri defectione lassantur.] Incitat ergo natura vt ea cogitemus, ea appetamus, quorum obtentu ipsa non cadat, nec vires exuat. Insuper post modicum spatium fatigatur, & ab interioribus auocat, & ad aliqua exteriora bona, sed non necessaria, in quibus minus natura opprimitur, mentem inuitat. Tu resistes huiusmodi instinctui, & diuinum spiritum sequens ad simplicitatem & vnitatem te reuocabis, eáque quæ tuos affectus doment, & in virtutibus prouehant, meditanda suscipies. Tandem non statim naturæ fatigationem & imbecillitatem prætendenti credes, sed potiùs eam coges, vt secundùm vocationem tuam exercitiis spiritualibus intendat, & debita ritè perficiat.

Iob 3.17. Greg.4. mor.c.30

INDVSTRIA V.

Spiritus humanus quid velit in exercitiis exterioribus.

In exterioribus non Dei gloriam, sed seipsũ quærit.

HVmanus spiritus in operibus exterioribus non Dei gloriam & beneplacitum, sed seipsum quærit, vnde & minora bona, quia ad proprium amorem fouendum aptiora, sibi appetenda & quærenda proponit. Exempli gratia, si quis pro sui status ratione animabus iuuandis intendat, à proprio spiritu inclinatur ad habitandum in curiis principum, & in magnis ciuitatibus, in quibus minor esse solet ministrorum necessitas, quia multi eò confluunt; & ad fugiendum ab oppidis minoribus, vbi licèt ob defectum ministrorum maior speretur fructus, non tamen ita se offert occasio splendendi, & humanos fauores captandi. Concionator à proprio spiritu solicitatur vt frequentiores hominum conuentus appetat, præsertim si viri illustres ad audiendum conueniant, & auditoria minora refugiat: vt pro illis diligentissimè multa dicenda & subtilia docenda adferat, ad ista verò cùm repugnantia spiritus & ferè imparatus accedat. Confessarius à proprio spiritu ducitur, vt nobilium virorum & fœminarum confessiones libenter excipiat, pauperes autem & rudes accedentes audire contemnat. Publicus Theologiæ professor, secundùm proprium spiritum ad celeberrimas Academias inhiat, vbi suum scire multi & nominatissimi sciant; at si aliò ad docendum mittatur, molestissimè ferat. O quàm multi sumus, qui vulgo spirituales nominamur, & non à spiritu Dei, sed ab spiritu carnis regimur! O in die reddendæ rationis quanta admiratione, &

ſtupore replebimur, videntes magnos labores noſtros, conciones eloquentiſſimas, & multorum annorum lecturas, à iudice cum indignatione reiici, & ſine vllo præmio relinqui, immo & pœna puniri, quia in eis non Dei gloriam, ſed noſipſos quæſiuimus, & ad honorem & famam aſpirauimus! Audiemus profectò: Recepiſtis mercedem veſtram, hominum laudes & plauſus finem veſtrarum occupationum habuiſtis, non eſt cur à me præmium aliquod exquiratis. Hic ſpiritus deſideria prælationum excitat, & neſcio quo fuco aut prætextu contra dictum Domini: Sede in nouiſſimo loco, ad primas ſedes aſpirat. De deſiderio ex bono fine prima fronte concepto loquor: nam ambitionem, & opus, quo prælatio petitur, in viris religioſis, quis vel cæcus non videat, à ſpiritu diaboli eſſe, & à magna ſuperbia & temeritate dimanare? Huius etiam ſpiritus eſt velle ante tempus ad lucra proximorum exire, & antequam ſis in virtute fundatus ad effundendum quod non habes feſtinare. Tandem humanus ſpiritus Dei ſpiritui, atque eius inſtinctui reſiſtit, & ex oratione & meditatione quod ſuæ propenſioni congruum eſt, haurit. Putátque homo ſe Deum loquentem audiſſe, & non Deum, ſed ſemetipſum audiuit, & ſuæ voluntati ſatisfecit.

Plurima poſſent de hoc inſtinctu humano dici, à quo ſæpe decipimur, & pro auro plumbum & ſatis ſordidum poſſidemus. Illud ſolum addendum eſt noſtrum ſpiritum ſæpiſſime virtutum actibus admiſceri. Indéque prouenire vt ad hæc virtutis opera magis proni, ad alia difficiles inueniamur. Ad quod ſapienter ſcripſit Richardus. Ipſa quoque natura hominis atque diſpoſitio in aliquo bono opere contraria eſt, & inualida: in aliquo ita promta, vt eius alacritas deuotio videri poſſit: potentia enim valde ſunt in homine naturalia: ita vt in imperfecto ex his frequentiùs procedant motus cogitationis, loquutionis, & operis: & item gaudij, vel triſtitiæ, alacritatis cordis, vel tædij, vel aliorum affectuum animæ. In deuotiſſimo quoque, & qui omnes motus interiores & exteriores perfectiùs regit: tamen quæ gerit ſecundùm diſpoſitionem ipſius formantur, & naturalia hæc iuuant, vel impediunt. Sicut enim vulgo dicitur: Illud quod in vaſe aliquo fuerit, de vaſe ſapit; vnde contingit vt iracundus etiamſi bono zelo moueatur, amaritudo naturalis ſe miſceat, ſi quis leuis fuerit aut remiſſus pluſquam debeat, ille rigorem diſtricti, iſte clementiam exequetur diſſoluti. Item triſtis, vel rigidus aliquis ex naturali diſpoſitione minus exhibet benignitatem: beneuolus & iucundus diſciplinæ rigorem. In his & ſimilibus cuſtodiendum eſt ab ea, quæ dormit in ſinu noſtro, humana videlicet fragilitate: vt caueat ſibi etiam deuotiſſimus aliquis ab his motibus, quibus naturam ſentit ad malum diſpoſitam, & pronam.] Sic ille. Poſt pauca verò ait: Quod non ſecundùm quòd aliquis promtus eſt, vel tardus in bono opere meretur, ſed ſecundùm quòd magis eſt radicatus in virtutibus, & maiorem habet charitatem. Orandus ergo eſt Dominus vt nobis ſpiritus proprij motus aperiat, quo illis reluctemur, ſi veri ſpirituales eſſe cupimus, & ſolo ſuo ſpiritu diuino regamur.

* * *

Spiritus humanus ſæpiſſimè rebus, & actionibus ſpiritualibus admiſceatur. Richar. in Cant. c.18.

INDVSTRIA VI.

Spiritus humanus quomodo in oratione ſe habeat.

In oratione multa ad hominis commoditatē ſigillatim petit.

PRoprium eſt ſpiritus humani multa ſigillatim in oratione ad hominis commoditatem petere. Sicut enim ſpiritus Dei eſt, hominem impellere vt ſe relinquat diuino beneplacito, & vt in omnibus ex corde dicat: Fiat voluntas tua: &, Non quod ego volo, ſed quod tu; ita ſpiritus hominis eſt, ſeipſum quærere, & omnia quæ ſibi opportuna videntur ſpecialiter poſtulare. Petit temporalia, vt corporis incolumitatem, lenimen doloris, remotionem infamiæ, & alia huius generis. Vt autem hæc ſecuriùs petat, & conſcientiam reclamantem compeſcat, addit, ſe illa petere, ſi diuinæ voluntati placuerit. Sed hoc ſæpe ſola cogitatione dicimus, voluntate verò noſtra noſtris petitionibus adhæremus, & ſi ſecundùm diuinam voluntatem, quia ita nobis expedit, non exaudiamur, non modico mœrore conficimur. Hæc oratio infirmorum eſt, quibus condeſcendimus, dummodo ipſi ſciant, ſe in hoc modo poſtulandi infirmos eſſe, & necdum ad perfectionem poſtulationis peruenisſe. Verum eſt quòd ſpiritus Dei interdum excitat ad poſtulanda ex ſynceriſſima intentione aliqua ſpecialia, & ſic mater Eccleſia ab hoc ſpiritu docta docet, & facit. Tamen cùm in his non Dei gloriam, ſed noſtram commoditatem quærimus, à proprio ſpiritu permouemur. Qui etiam ſolet ſpiritualia & perfectiſſima petere, & pro humilitate, pro charitate, pro ſpiritu orationis gemere, & ſuſpirare: quoniam videlicet præcedente cognitione hæc ſibi commoda apprehendit. In his poſtulationibus licèt ab ſpiritu noſtro procedant, nullum eſt peccatum, quia homo nequaquam ſe vltimum finem eius quod poſtulat facit, licèt id ſibi immoderatiùs velit. At ipſæ imperfectæ ſunt, quas magna ex parte natura producit, ſúntque ordinandæ, & in Deum dirigendæ, vt non noſipſos quæramus, ſed omnia deſideria in diuinam voluntatem ordinemus.

De indiciis ad diſcernendas reuelationes veras à falſis.

CAPVT V.

DVOBVS modis, diximus ſuprà, animam ab aliquo ſpiritu, ad cognoſcendum, vel agendum incitari. Primus eſt ordinarius, cùm per impulſus & inſtinctus à ratione propria intelligendi & appetendi hominis, non alienos ad aliquid mouetur. Secundus extraordinarius cùm per ecſtaſes, & raptus, & per ſermonem immiſſum, à quo etſi velit diſtrahi non poſſit, & per viſa & imaginationes corrporeas, aut imaginarias ad opus, vel credulitatem excitatur. De primo modo hactenus diximus, & nunc de ſecundo dicemus, ac rem, licèt à multis tractatam, tamen difficilem, ad aliqua documenta breuiter contrahemus.

INDVSTRIA I.

Quanti periculi sit apparitiones seu reuelationes appetere.

Appetitus reuelationum apparitionum, &c. est valde temerarius, & culpabilis.

APparitionum, & reuelationum, & raptuum, & aliarum rerum huius generis appetitus est valde temerarius, atque culpabilis. Nascitur namque communiter ex superbia, qua quis putat se his supernaturalibus donis dignum: ex curiositate, qua cupit insolita & noua experiri: atque ex defectu, aut tepore fidei, cui quia communia veritatis testimonia minimè ex hominis culpa sufficiunt, aliis extraordinariis vult, ad firmiùs assentiendum excitari. Hoc curiositatis appetitu videtur tentatus Augustinus, cùm ait: A te Domine Deus meus, cui humilem famulatum, ac simplicem debeo, quantis mecum suggestionum machinationibus agit inimicus, vt signum aliquod petam. Restitit autem ei sanctissimus Pater fortiter, vnde subdit: Sed obsecro te per Regem nostrum, & patriam Ierusalem, simplicem, castam, vt quemadmodum à me longè est ista consensio, ita sit semper longè, atque longiùs.] Sic fortiter & humiliter his desideriis reluctandum est, ne à Domino, qui amator est humilium, & osor superborum, in potestate diaboli relinquamur, qui variis nos illusionibus decipiat, sicut multos decepit, & pro veris reuelationibus, falsas & vanas ingerat, & à sensu veritatis auertat. Scit enim ipse transfigurare se in Angelum lucis, & pro cœlesti splendore ementium oculis corporis vel imaginationis obiicere. Nouit quomodo in somno & in vigilia nobis illudat, & falsum pro vero proponat. O quantos quottidie legimus, ait Laurentius Iustinianus, audiuimus, nouimus, corruisse à proposito sanctitatis, quoniam antiqui hostis minimè agnouere insidias.] Si ergo hæc negotiatio periculosa est, appetitum eius homo constanter abiiciat, & ea solùm, in quibus est vera sanctitas, quæ sunt charitas, mentis puritas, & diuinæ legis exacta custodia, ardenter cupiat.

Aug. 10. conf. c. 35.

2. Cor. 11. 14.

Iustin. de vita solitaria c. 16.

INDVSTRIA II.

Reuelationes cautè esse recipiendas.

Qui non exoptatas reuelationes accipit, cautè recipiat.

QVi reuelationes non cupit, nec petit, & tamen accipit, debet eas cautè recipere, ne à diabolo seducatur. Manifestum est enim, quòd eos cibos non sine cautione & disquisitione comedimus, in quibus venenum latere posse coniectamur. Huius autem generis sunt reuelationes, quæ & à Deo (vt diximus) esse possunt, & ab aduersario procurari. De hac re sic scribit Bonauentura: In omnibus igitur reuelationum & visionum generibus magna cautela habenda est, ne falsa pro veris, noxia pro salutaribus, exigua pro eximiis, & incerta pro certis recipiantur. Solus autem Spiritus sanctus per donum consilij, & per gratiarum discretionis spiritum scit hominem expedire, & certum reddere, quid in illis recipiendum sit, vel respuendum, & quomodo eis vtendum, sicut & Prophetas & Sanctos docuit, quibus non solùm vera ostendit, sed etiam per veritatis testimonium, quia vera essent, interiùs demonstrauit. Aliis autem videtur securius esse talia non quærere, oblata, nec citò credere, & deceptionis foueam timere. Aliquando etiam oblata, velut minus fructuosa paruipendere, vt si vera sint se habeant indifferenter ad ea, si falsa, non innitantur eis, ne decipiantur: & si velit aduertere, quærat super his consilium sapientium solùm, & paucorum, & ad illa se studiosè exerceat, quæ sunt secura, meritoria, & fructuosa quæ sunt vitiosa extirpare, & virtutum studiis fideliter insudare, sacræ Scripturæ sacrum scrutare intellectum, & per orationis vsum, mentem accendere ad deuotionis affectum. Hæc sunt salubria, & secura, & fructuosa studia religiosorum, & quanto quis in illis se exercuerit, tanto maioris meriti, & maioris gloriæ apud Deum erit.]

Bonau. 7. processu rel. c. 20.

His reuelationibus ne te sanctiorē iudices, quando ille & imperfectis interdum contingunt. Bonau. ibid. c. 17.

Ad hanc cautelam habendam hæc conferent. Primò quidem, si animaduertas (vt suprà dictum est) hoc donorum genus etiam in animas imperfectas sæpe cadere, quæ aut ob duritiam earum, aut ob magnam ignauiam solet his insuetis donis ad deuotionem excitari: atque adeò non propter reuelationes te meliorem, aut sanctiorem iudices: vt enim etiam Bonauentura ait: In donis quæ magis pertinent ad intellectum sunt, reuelationes secretorum, & visiones, & imaginariæ demonstrationes, in quibus quidam aliquando de veritate eruditi untur, & plurimi deluduntur, his autem tanto minus immorandum est, quanto frequentiùs ea sibi immittentes decipiunt, & quantum est minor profectus in talibus, etiam cùm vera sunt, licèt à rudibus, & spiritualium charismatum ignaris magis magnæ sanctitatis & sapientiæ virtutis, in his consistere existimetur.

2. Eas reiicies, & te iis carere eliges. Diad. de perfect. c. 39.

Secundò, eas modestè reiicies, & te hoc donorum genere carere potiùs eliges. In quo licèt reuelationes veræ sint, & à Deo, nullo pacto ipsi Domino displicebis. Quod sanctus Diadochus, appositissima similitudine declarat. Sit vobis exemplum, inquit, huius rei famulus, quem reuersus Dominus noctu post longam peregrinationem, ante vestibulum domus euocet, cui famulus nullo modo aperire velit: metuit enim ne se similitudo vocis fallat, & rerum, quas Dominus commisit, proditorem faciat, cui quidem non est iratus Dominus postera die, quin potiùs multis laudibus ab eo dignatus est, quòd vocem Domini fallaciam existimauit, dum nihil ex bonis Domini perdere voluit.]

Gerson de distinct. verar. vis. à falsis sig. 1. Exempla sanctorū modestè reuelationes reiicientiū.

Ad hoc adducit Gerson breuiter nonnulla exempla, & postea subiicit verba notanda, quæ non prætermittimus. De sanctis Patribus, inquit, habemus narrationes plurimas super tanta humilitatis obseruatione compositas. Cuidam ex Patribus dæmon apparuit transfiguratus, non solùm in Angelum lucis, sed in Christum, dixit se ad hoc venisse in mundum, vt ab hoc Patre videretur, & adoraretur. Cogitabundus aliquandiu remansit sanctus ille Pater, instar Mariæ Virginis, & cogitans qualis esset ista salutatio. Dicebat intra se: Numquid non adoro quottidie Christum, quid sibi vult talis apparitio? & ad humilitatem illico confugiens, ait dæmoni: Vide ad quem mitteris; non enim dignus sum hîc videre Christum. Quo dicto tam humili dæmon confusus & pudibundus abscessit. Alius Pater clausit oculos in re simili: Nolo, inquit, videre Christum in terris, illum in cœlis videre contentabor. Et B. Martinus ex superbo dæmonis ornatu falsitatem loquelæ diabolicæ, quia se Christum dicebat, agnouit. Est igitur hominibus saluberrimum consilium contra tales dæmonum illusiones pondus humilitatis obseruare, se reputare intellectu pariter & affectu

indigniſſimum,qui ſuper alios homines reuelationem accipiat, qui præ aliis à Deo mirabiliter viſitetur. Et ſi quæ talia præter ſolitum euenire circa eum contigerit, reiiciat à ſe cum ſancto, humili, verecundóque pudore. Deputet talia, vel læſioni propriæ phantaſiæ; & ſe habere aliquod ſimile phreneticis,aut maniacis,aut melancholicis reformidet, vel caueat ne propter enormitatem præcedentium peccatorum datus ſit in reprobum ſenſum,vt talibus illuſionibus ſeducatur. Si talia ſint diaboli machinamenta vel tentamenta ex humilitate huiuſmodi euaneſcent,aut ſi velit Deus quòd in his tolerandis exerceatur,non nocebunt; ſi verò ſit diuina reuelatio, non ficta humilitas piè renitens magis præparabit locum ad ipſius ſuſceptionem,& audire merebitur:Amice,aſcende ſuperiùs, quanto in loco plus infimo recumbere conabitur. Habes in Exodo,quotiens Moyſes repulit diuinam iuſſionem dum ad Pharaonem mitteretur. Obſecro, inquit, Domine mitte quem miſſurus es,&c. Et Ieremias clamat:A,a,a, Domine Deus, ecce neſcio loqui,quia puer ego ſum. Et Ioannes Baptiſta non audet ſanctum verticem Chriſti tangere, ſed eum à ſe repulit, dicens:Ego à te debeo baptizari. Et Apoſtolus Paulus ſe primùm inter peccatores deputat, qui nec dignus ſum, inquit, vocari Apoſtolus.] Hæc omnia Gerſon.

3. Non tã ad reuelationem, quàm ad fructũ ex ea prouenientem.

Tertiò, non tam ad reuelationem,quàm ad bonum effectum ex ea relictum,attendes. Sicut enim qui vult epiſtolam clauſam & ſignatam ad aliquem mittere, ſigillum quidem imprimit, poſtea verò eius nullam rationem habet.Ita Deus apparitione, aut reuelatione animam veritate ſignat, aut virtute delineat. Enitatur ergo ipſa veritatem retinere, virtutis affectum prouehere, nec curet de reuelatione cogitare. Ad hanc etiam cautelam in reuelationibus habendam conferent quæ in ſequentibus dicemus.

INDVSTRIA III.

Reuelationes non eſſe paſſim manifeſtandas.

Reuelationes,& ſi veræ, occultãdæ cautè. Tob. 12. 7.

DEbet etiam qui reuelationes & apparitiones accipit, eas abſcondere à notitia hominum, & prudenter occultas tenere. Etenim ſacramentum regis abſcõdere bonum eſt. Et eximia eſt virtus præſtare ſilentia rebus. Præſertim rebus talibus,ex quarũ manifeſtatione elatio & inanis gloria in manifeſtante ſolet oriri. In aliis verò qui audiunt non deſunt nec ineptæ murmurationes, nec temeraria iudicia. Nam reuelationum detectio ſuperbiæ aut leuitati,aut imprudentię ſolet adſcribi, & omne quod ſic leuiter effunditur,illuſio diaboli exiſtimari. Et vnde putat homo ſe alios ædificaturum,non eorum ædificationem, ſed riſum & contemtum reportat,& veris reuelationibus, quæ reuerentiſſimè ſuſcipiendæ ſunt, in cordibus imperfectorum falſitatis ſuſpicionem iniectat.

Si quis prudẽter eas aperire expediẽs eſſe iudicauerit,prudenti viro aperiat, eſto magiſter ſpiritus non ſit.

Aliquando tamen decet apparitiones, aut alia huiuſmodi dona alicui perſonæ præter magiſtrum ſpiritus (de quo poſtea) humiliter reuelare, dummodo hæc quæ dicemus concurrant. Primò, ne quis repentè,& primo impetu ductus hæc aperiat, ſed poſtquam ſeriò conſiderauerit, an expediat dicere, & per aliquos dies adhuc manifeſtationem diſtulerit. Secundò,vt ad hanc donorum detectionem ſe oratione præueniat,& à Domino lucem ad ſuum beneplacitum cognoſcendum exigat.Tertiò, vt cauſſa non leuis momenti ſe offerat, propter quam hæc dicenda videantur. Cauſſæ autem ſufficientes ſunt,vel conuerſio alicuius peccatoris, vel emendatio alicuius iuſti,qui cœpit à recto itinere deuiare,vel magna gloria & exaltatio diuinæ Maieſtatis,quæ inde non leuibus coniecturis prouentura ſperatur. Tunc enim opera Dei reuelare, & confiteri honorificũ eſt. Sic Paulus ad Corinthios ſcribens ſuos raptus & reuelationes aperuit. Incipit autem,dicens:Si gloriari oportet, non expedit quidem.] Ac ſi diceret, mihi quidem non expedit gloriari. At pro ſalute veſtra, opus eſt,vel cum rubore meo meas viſiones ac reuelationes exponere. Sic & Virgo Deipara magnalia quæ in ſe geſta erãt pro Eccleſiæ vtilitate Apoſtolis patefecit. Sic & alij Sancti ex vrgenti cauſſa fecerunt, quos in hac re licet imitari. Atque adeò Gerſon Doctorum, & præſertim Chryſoſtomi ſententiam referens, ſic ait: Aliud eſt, inquit, ex quadam neceſſitate vel habendi conſilij,vel ad vtilitatem audientium, ſecretas gratias ſuas, aut virtutes ſuas prodere, ſeu manifeſtare, aliud ſine quauis cauſſa, aut aliorum vtilitate talia per inanem gloriam ventilare. Vnde Maria virgo, quæ conſeruabat omnia verba hæc conferens in corde ſuo, poſtmodum Apoſtolis, præſertim Lucę ſacra myſteria ſibi ſoli credita diſſeruit, non ad iacturam, quia non tantum tardaſſet, cùm vitium omne præceps ſit,ſed ad Eccleſiæ religioníſque ædificationem. Quin etiam deuotus Bernardus,qui totiens iuſſit,vt homo virtutes ſuas plus abſcondat, etiam familiariſſimis & deuotiſſimis,quàm alij vitia ſua occultare ſatagunt, pluries de ſuis donis & gratiis per contemplationem adeptis, palàm nedum loqui, ſed ſcribere non eſſe ſuperbiam arbitratus eſt. Quo pacto ſic? Quoniam hoc agere compellebat non vanitas, ſed charitas, & iam humilitatis terra radicem virtutis, ne iactantiæ aura velleretur, altè demiſerat.] Hæc ille. Nec tam graues cauſſæ expectandæ ſunt, quales fuerunt in Paulo, & beata Virgine, quæ iam non poſſunt incidere,vt quis ſuas reuelationes aperiat, ſatis erit ſi cauſſæ ſint non leuis momenti, & homo in humilitate fundatus, illi ſe manifeſtet, in quo magnam vtilitatem, & nullum virtutis, aut donorum Dei detrimentum ſperet.

2. Ad hanc detectionẽ ſe oratione præueniet. 3. Cauſſa non leuis erit ad detegendum. Tob. 12. 7. 2. Cor. 12. 1.

Gerſon ſuprà.

INDVSTRIA IV.

Reuelationes non eſſe à Magiſtro ſpiritus abſcondendas.

Nõ ſunt à confeſſario,aut ſpiritus magiſtro abſcondendæ.

SIcut reuelationes non ſunt omnibus propalandæ,ita non ſunt à confeſſario,aut magiſtro ſpiritus abſcondendæ. Si enim in aliis rebus dubiis ad eum recurrimus,cur in hac,quæ ſummæ dubietatis eſt, ad eum non recurramus? Omnino decreuit Deus prælatos honorare, & eos, qui ipſius vicem gerunt,vnde per ipſos nos erudit, & à dolis aduerſarij eripit. Nec vult, præſente prælato, aut magiſtro, qui doceat, inſuetis modis rerum incidentium veritatem manifeſtare. Prope Hieroſolymam,vbi erant ſapientes,quos facile eſſet interrogare,ſtella à Magis abſconditur.Et Paulus ab ipſo Chriſto conuerſus,ad Ananiam erudiendus mittitur. Et Cornelius etiam Angeli aſpectu dignatus, non ab Angelo,ſed à Petro Eccleſiæ capite de fidei myſteriis inſtruitur. Ei ergo, cuius eſt animã tuam regere, hæc humiliter manifeſtabis: non quidem omnia, ne horum enarratio tempus in vtilioribus negotiis collocandum præripiat,ſed quæ ſufficiãt, vt ipſe te dirigat,& an illudaris à dæmone,an verò

Matth. 2. 9.

Actor. 9. 10. Act. 10. 1.

à Deo docearis intelligat. Postquam enim vnum aut alterum,aut certè pauca in hoc genere raptuũ, aut reuelationum manifestaueris, non est necesse alia similia quottidie enarrare, tum ad custodiam humilitatis,tum ad abbreuiãda colloquia, sed melius est ea silentio supprimere. Non vrgebis illum qui te regit,vt tibi qualitatem tuarum reuelationum edicat, & quantæ sint æstimationis aperiat, sed dum nihil dicit,simpliciter perge,& in deuotionis exercitijs securè procede. Ipse verò Prælatus, aut magister sciet pro sua prudentia, de rebus quæ audit, licèt magnæ videantur, exteriùs non admirari:ea præcipitanter nec probare,nec damnare, & semper ad veras virtutes, & mentis puritatem accendere. Sciat etiam tacere, & raptus aut apparitiones subditi sui nemini,nisi fortè viro probatissimo, ad capiendum in re dubia consilium aperire, atque illum propter has res nullo modo laudare.

Magister spiritus subditi reuelationes ne temere dicat aliis.

Industria V.

Magistro spiritus in his rebus, perinde atque in aliis credendum esse, & illi obedientiam esse præstandam.

Ideo magistro reuelationes aperiuntur, vt ipse regat, & dirigat.

HÆc raptuum & reuelationum manifestatio, quæ prælato,aut magistro spiritus fit, ad hoc dirigitur, vt qui illa habet ab eo in omnibus dirigatur. Hæc autem directio in eo qui regendus est, credulitatem & obedientiam requirit. Credes igitur ei, quem magistrum ac rectorem accepisti. In quo nullo modo deficies, si quod tibi in contrarium,aut interna inspiratio, aut experientia dictauerit,ei simpliciter proponas,vt ipse meliùs te intelligat, dummodo tandem eius consiliis acquiescas. Nam & ipse si quid dubiũ fuerit, sciet priusquam aliquid probet,vel damnet, id cum peritioribus communicare. Obedies etiam ei,& nihil nisi ex eius præscripto dices aut facies.Et quidem Gerson hoc vnum ex signis veræ reuelationis posuit, sic scribens:Si videris aliquem exemplo Zacharię, & Elizabeth incedentem via regia & corde simplici in omnibus iustificationibus Dei, qui non vult ambulare in magnis,neque in mirabilibus super se, sed medio quodam tenore regulas viuendi sequitur,à patribus institutas,nec transgreditur fines quos patres sui posuerunt, de tali noli credere leuiter, quòd fallatur per dæmonum illusiones, quem & credere consilio, & in omnibus cæteris moderamen discretionis obseruare perspexeris.] Sed cùm ad prælatos & magistros ab Ecclesia nobis propositos recurrendum sit,videndum est modò,quibus illi signis veras reuelationes à falsis discernant. Ad quod signa quinque à Doctoribus notata subiicimus.

Gerſ.sup. signo 2.

Industria VI.

Primum signum veræ reuelationis est veritas.

In his rebus non est facile deprehendere veritatem. Gerſ.sup.

PRimum ergo signum loquutionis diuinæ, aut veræ reuelationis est veritas:vt scilicet ea quæ nobis dicuntur,aut reuelantur, vera sint, & sensui Ecclesiæ consona. Quia cùm Deus sit prima & summa veritas,non potest nos decipere,aut ad falsum inclinare. Non est autem facile deprehendere in his rebus omnimodam veritatem,quia diabolus mille veritates enuntiat, vt vnam falsitatem contegat. De quo egregiè Gerson. Attamen tanta est nonnumquam similitudo denarij falsi ad verum, vt vix nisi à doctissimis possit falsitas deprehendi, quia inter tot veritatis lineas ad fraudem positas, non statim vnus falsitatis punctus semet aperit. Visi sunt hæretici qui magnos Catholicæ doctrinæ compingebant libros, vt solam hæresim inter tot veritates latenter insererent,& cautiori efficacioríque fraude publicarent. Hæc res indicat ex quanta necessitate talis quælibet moneta reuelationum insolitarum debet à Theologis priusquam admittatur examinare, quorum præcipuè interest inter veram & falsam religionem, moréque concernens discernere.] Sic ille. Ad hanc etiam veritatem spectat maiestas earum,quæ dicuntur. Suffundit enim Deus tam mirabilem lucem intellectui,cui se reuelat, ad cognoscendas & ponderandas res fidei,vt homo ingentem earum æstimationem, quam numquam expertus antea est, habeat, & non sine admiratione dicat: Verè non est hîc aliud nisi domus Dei, & porta cœli.

Gen. 28. 16.

Industria VII.

Secundum signum veræ reuelationis vtilitas.

Deus nequaquã inutilia dicit,aut reuelat.

ALterum signum, quo diuinæ loquutiones & reuelationes cognoscuntur,est vtilitas.Quod dupliciter intelligitur.Primò sic,vt sciamus Deum nequaquam inutilia dicere,aut reuelare,sed ea,quę tanta maiestate & pietate sint digna. Neque enim decet de Deo existimare,quod in hominem sapientem cadere non putamus, vt amicos suos verbis infructuosis, aut ostensionibus rerum inutilium oblectet. Secundò sic, vt nobis persuadeamus à Deo his reuelationibus animas ad veram virtutem,& mentis puritatem subuehi. Nam in minus perfectis hoc efficit,vt eas ad fugienda peccata, & seruandam legem roboret: in cuius typum Moses tabulas legis tenens manibus de monte descendit. Et de eodem,ac de Aaron fratre eius canit Dauid: Inuocabant Dominum, & ipse exaudiebat eos, in columna nubis loquebatur ad eos. Custodiebant testimonia eius, & præceptum quod dedit illis. Animas autem magis perfectas plenè mortificat, aut ad perfectam mortificationem excitat. Quare Iacob post luctam cum Angelo claudicabat pede. Insuper & ad sequẽdum Christum mouet,& sicut stella magos, ita animas ad Domini imitationem perducit. Desideria magna omnis perfectionis infundit, cor ad Dei & proximi amorem emollit, & vniuersis virtutibus vigorem quemdam mirabilem ad operandum tribuit. Cùm hi ergo fructus ex reuelatione sequuntur, à Deo bonitatis autore manare cognoscitur.

Deus his reuelationibus animas ad veram virtutẽ subuehit. Exod.32. 15. Psal.98. 6.

Gen.32. 31.

Industria VIII.

Tertium signum veræ reuelationis humilitas.

Quibus modis humilitas sit veræ reuelationis indicium. Tob.3.22.

POst hoc signum, sequitur tertium, quod est humilitas. Hoc autem tribus modis. Primò, quia magna animæ humiliatio ac deiectio præcessit. Ille enim pius Dominus,qui non delectatur in perditionibus nostris, post tempestatem tribulationis tranquillum facit, & post lacrymationem & fletum, exultationem infundit. Sic Iacob primò à domo paterna exulat, & postea scalam illam mirandam videt. Secundò, quia ipsa reuelatio magnam secum humilitatem, & humanæ vili-

tatis cognitionem aduehit. Vnde Isaias videns Dominum, se virum labiis pollutum vocat. Et Ieremias audiens Dominum, se infantem & elinguem prædicat. Magi inuento Saluatore procidentes adorauerunt eum. Et Apostoli audientes vocem Patris in faciem suam ceciderunt. Tertiò, quia ipsam reuelationem humilitas sequitur. Nam hoc est quod dicit Paulus: Ne magnitudo reuelationis extollat me, datus est mihi stimulus carnis meæ.] Si autem reuelatione aliquis superbiret, vel alios contemneret, non veram reuelationem, sed veram illusionem haberet. Illud autem aduertendum est, aliud esse superbiam reuelatione creari, aliud verò post reuelationem ex tentatione diaboli aliquem ad elationem moueri. Primum falsæ reuelationis signum est, non verò secundum. Certum est enim diabolum ex quacumque occasione & virtute ansam ad tentandum & efferendum cor nostrum captare. Non periclitabimur autem, si ei fortiter resistamus.

Isai.6.1. Ier.1.6. Matth. 2.11. Matth. 17.6.

2. Cor. 12.7.

Industria IX.

Quartum signum veræ reuelationis: Pax.

Principio reuelatio animum turbat, mox ad pacem inducit.

ALiud etiam signum est pax. Principio quidem reuelatio solet timorem, & turbationem ex rei nouitate & maiestate Dei, aut Angeli se ostendentis prouenientem inducere, sed statim animum ad pacem & tranquillitatem componit. Et hoc est verbum Domini apparentis, & per se aut per Angelum loquẽtis: Pax vobis. Hoc signum tetigit Diadochus sic scribens: Sicut aër iste nobis circumfusus flante Aquilone propter naturã eius tenuem & serenantem, purus permanet: contrà verò flante Austro totus veluti densatur à natura venti huius nebulosa, qui ex suis regionibus ac locis ratione cuiusdam cognationis, nubes per totum orbem inducit. Sic anima cùm afflatu veri & sancti Spiritus cietur, tota extra nebulas dæmonis posita est: rursus verò cùm ab spiritu erroris vehementer inflatur, tota nubibus peccati obtegitur. Oportet igitur, vt totis viribus propositum nostrum ad viuificam & purgantem Spiritus sancti auram semper conuertamus, id est, ad spiritum, quem Propheta Ezechiel venientem ab Aquilone in lumine cognitionis vidit, vt ea potissimùm animæ nostræ pars, quæ in contemplatione versatur, in serenitate perseueret, vt diuina sine errore contemplemur, cernentes ea, quæ sunt luminis in aëre veri luminis, hoc enim est lumen veræ cognitionis.] Hæc ille. Quando ergo apparitio animam inquietam & perturbatam relinquit, ita vt quasi inter tribulos & spinas se esse videatur, potiùs à diabolo procurata, quàm à Deo benignè data censenda est. Deus enim amator pacis, pacem loquitur, pacem operatur: & quando aliquem dissimilem sibi inuenit, ita turbat, vt tandem si obediens sit iussioni suæ, ad pacem & tranquillitatem conuertat.

Ioan. 20. 21. & 26. Diadoch. c. 75. vide etiam c. 37.

Ezech. 1. 4.

Quando apparitio animam inquietã relinquit diabolica potius quàm diuina iudicanda.

Industria X.

Quintum signum; Personæ, cui reuelatio fit, bonitas.

POstremum signum veræ reuelationis, vt Cardinalis Turrecremata ait, est personæ, cui reuelatio fit, nota sanctitas, quoniam amicissimos suos solet Deus his modis extraordinariis raptuũ, & reuelationum perficere & oblectare. Non tamen semper sancti sunt (vt diximus) quos Deus reuelationibus instruit. Attendendum tamen est quæ sit personæ qualitas, vt reuelationum veritas agnoscatur. Si enim non sit integri sensus atque iudicij, si non sit conuenientis ætatis, aut saltem eius adolescentiæ, quam compositi mores, & vitæ probitas ornet, si vitiis præsertim superbiæ, & auaritiæ, aut alicuius impudicitiæ subsit, quibus Deus per reuelationem non medeatur; si sit proprio iudicio nimis addicta, nulla est raptuum, aut reuelationum habenda ratio. At si homo sensu vigeat, iudicio polleat, si bonis moribus sit præditus, & à prauis affectibus emundatus, & quæ illi ostenduntur vera sint, & vtilia, & ad veram virtutem inuitantia, magnum signum est, quod ad mentis puritatem veris reuelationibus prouehatur.

Turrecr. in prolog. reuel. S. Brigittæ, cap. 5.

Attẽdenda personæ qualitas, vt reuelationũ veritas agnoscatur.

Tractationi huic de inquisitione pacis, & vniuerso operi postrema manus imponitur.

CAPVT VI.

HIs documentis ad spirituum discretionem propositis tractationem hanc claudimus, qua vniuersa quę ad studium orationis, & inquisitionem internæ pacis opportuna visa sunt, pro nostra tenuitate sunt explicata. Eisdem quoque toti huic operi de vita spirituali, eiúsque perfectione vltimam manum adhibemus. Nec immeritò, cùm omnis vita spiritualis ab hoc pendeat, vt diuino spiritui pareamus, diabolico spiritui resistamus, & proprium nostrum spiritum secundùm regulas diuinorũ instinctuum gubernare curemus. Nunc oculi ad omnia quæ scripsimus quasi vno intuitu conuertendi sunt, vt spiritualis vitæ honestate, vtilitate, & voluptate, & maiestate perspecta eos tantùm, qui eam sectantur, & Deo iuxta suum statum & vocationem seruiunt, verè sapientes ac fœlices putemus. Homines huius sæculi à suis prauis affectibus decepti beatos putant, quos filiorum & famulorum turba circumdat, quos auri & argenti, & vestium pretiosissimarum decor exornat, quos omnium rerum abundantia clarificat. Beatum dixerunt illi populum, cui hæc sunt; sed verè beatus populus, cuius Dominus Deus eius. Ille, inquam, populus, qui Deum fidei integritate, & bonorum operum sanctitate colit, & abiectis ac cõtemtis his quæ transeunt, in bona perpetua & cœlestia oculos mentis intendit. Ille populus, quem Deus immensa lætitia, & animi tranquillitate replet, & ad summam dignitatem effert. Vt enim ait disertissimus Philo: Nihil purificatam mentem maiori afficit lætitia, quàm quod Dominum habet, quem agnoscit Regem regum omnium. Nam seruire Deo maxima est gloriatio, non modò libertate maior, sed & diuitiis & principatu, & omnibus rebus, quas mortales mirantur, pretiosior.

Qui virtutẽ sectantur veri fœlices, ac sapiẽtes.

Psal. 143. 15.

Philolib. de Cherubin.

Iam, si placet, viros spirituales cum carnalibus conferamus, vtrorumque cogitationes, desideria, opera, & fines inspiciamus, & quàm illi fœlices sint, quàm isti infœlices, manifestè videbimus. Illi vitam spiritualem, id est, Deo consecratam, rectæ rationi consonam spiritu Dei gubernatam, bonis operibus locupletatam sectantur: isti vitam carna-

Spiritualium virorũ cum carnalib. comparatio.

lem

lem perituræ carni, vanis honoribus & diuitiis congerendis, ac vno nomine diabolo dedicatam, rectæ rationi contrariam, diaboli iussionibus obsequentem, & peccatis ac vitiis fœdatam amplectuntur. Illi, siue operibus virtutum moralium intendant, siue cultui Dei interiori, & functionibus fidei, spei, & charitatis insistant, Deo semper placere studeant, & vitam æternam mercantur. Isti exteriùs & interiùs fœtidi, & in his quæ videntur, & quæ non videntur sordidi, diabolo placent, & morte æterna se dignos efficiunt. Illi, si quid faciunt mali, statim compunctione diluunt, & merita iam quæsita non perdunt: hi si quid faciunt boni, peruersa voluntate polluunt, & suum laborem amittunt. Pulchrè enim Prosper Aquitanicus cecinit in hunc modum:

Prosp. lib. Epigr.

Vt quædam tenues maculæ in splendore piorum,
Maior virtutum quas vacuat numerus,
Æternæ donis nequeunt obsistere vitæ,
Nec merita obscurat grandia culpa leuis.
Sic aliquid plerumque boni pars impia gestat
Magni mole mali, quod facile obruitur.
Nec prodest quidquam recti sapuisse malignis,
Si verum & summum non coluere Deum.
Vna fides igitur, spes vna est, atque amor vnus,
Quo fiat iustus, sitque beatus homo.
Nam bona, quæ prauis naturæ ex dote supersunt,
Augent peccati pondera, non minuunt.

Illos tandem æterna gloria manet, & ciuitas illa Hierusalem cœlestis lætos excipit; istos æterna damnatio expetit, & vt ad se pertinentes locus ille gehennalis exposcit.

Boni ac iusti veram beatitatem ac fœlicitatem obtinent.

Boni & iusti ad perfectionem charitatis aspirant, quam si consequantur, quis vel cæcus, eorum summam fœlicitatem non videat? Nam quæ rogo maior fœlicitas, quàm hominem amicissimum, & planè filium charissimum Dei esse, Sanctis, quos vniuersa Ecclesia colit, & veneratur, annumerari, & thronum in cœlis glorioſiorem & eminentiorem habere? Si verò in hac vita non consequantur, at ad eam aspirasse, & ad illam apprehendendam cucurrisse, magnum bonum est; qui post mortem cùm in gratia decedant, in suo ordine perficientur, & absque dolore & inuidia mansionem cœlestem satis amplam & augustam accipient. At impij de vno peccato in aliud corruunt, & indies abominabiliores redditi in sortem funestam infidelium, & eorum qui genua idolis curuauerunt, ibunt. Iusti profectò in perpetuum viuent, & apud Dominum est merces eorum, & cogitatio illorum, id est, prouidentia, quæ de illis habetur, apud Altissimum. Ideo accipient regnum decoris, & diadema speciei de manu Domini: quoniam dextera sua reget eos, & brachio sancto suo defendet illos. Sed væ vobis viri impij, qui dereliquistis legem Domini altissimi. Et si nati fueritis in maledictione, id est, ad maledictionem nascemini; & si mortui fueritis, in maledictione erit pars vestra. Illi quidem Christum veram æternitatis viam ingrediuntur: nam ipse dixit: Ego sum via, & per eam ad veram, & beatam vitam perueniunt. Isti verò per damnationis viam, quæ Christo contraria est, ad perpetuam mortem properare noscuntur. Illorum via arcta est, sed cuius finis est latitudo æternæ fœlicitatis. Istorum via lata est, sed eius terminus æternæ mortis angustia. O quàm pulchrè Ephrem Syrus vtramque viam, ac eius finem describit. Hanc igitur beatam, inquit, insequamur viam, quam cuncti ambularunt, quicumque desiderarũt Christum. Huius quidem ingressus cum tribulatione atque pressura iuncti sunt, sed requies beata. Huius ingressus austeri ac tetrici, at retributio, gaudium. Huius ingressus angusti sunt; verùm diuersorium latum, atque amplum. Huius viæ incessus ieiunium, oratio, compunctio, vigilia, humilitas animæ, paupertas spiritualis, contemtio carnis, cura animæ, humicubatio, aridorum ciborum comestio, illuuies, fames, & sitis, ac nuditas; misericordia, lacrymæ, luctus, angustia, gemitus, genuflexiones, ignominiæ, persecutiones, direptiones, alapæ, labores manuum, pericula, insidiæ, maledicta, atque conuitia ab aliis sufferre, odio haberi, & non odisse, mala perpeti, & bona pro malis reddere, remittere debitoribus debita, animam suam pro amicis ponere. Denique autem sanguinem pro Christo fundere, quãdo occasio ferret. Hi angustæ portæ, & strictæ viæ sunt gressus, atque incessus, qui fœliciſſimam sibi vindicant retributionem ipsum regnum cœlorum, cuius non erit finis vmquam. Lata autem est porta, & spatiosa via quæ ducit ad perditionem, cuius gressus sunt, pro præsenti quidem læti, ac hilares, sed illic tristes; hîc dulces, sed ibi felle amariores; hîc leues, isthic graues, & dolore pleni; hîc apparent velut nihili, cùm & nihil sint, illic autem sicut feræ siluestres circumdant obeuntes, & non pœnitentes, iuxta dictum Prophetæ, qui ait: In die mala, in iniquitate calcanei mei, circumdabis me, hoc est, malitia vitæ huius, latę scilicet viæ gressus, atque incessus, quos Apostolus sigillatim expressit, atque enumerauit, cuiusmodi sunt, fornicatio, adulterium, lasciuia, idololatria, veneficiũ, inimicitiæ, contentio, æmulatio, ira, dissidia, inuidia, & id genus alia, quæ sunt latæ viæ gressus. Similiter verò & nimij risus, vociferationes, cytharæ, voluptates, tibiæ, choreæ, balnea, mollia indumenta, sumtuosa prandia, manuum applausus & tumultus, somni absque solicitudine, lecti molles, & mensarum diuersitas, inexplebilis edendi voracitas, fraternũ odium, quódque cunctis peius est, impœnitentia, & numquam meminisse sui ex hac vita excessus. Hi difficilis illius viæ sunt gressus, per quam ambulant multi. Verùm & diuersorium inueniẽt accommodatum, pro deliciis famem, pro ebrietate sitim, pro requie dolorem, pro risu luctum, pro cythara planctum, pro corpulentia vermem, pro otio atque torpore mentis dolorem, pro tripudiis commercium cum dæmonibus, pro tabularum lusu, vt & hi ipsi dæmonibus adsocientur, abominationis huiusmodi auctoribus. Pro curiositatibus & incantationibus, reliquísque exercitiis prauis tenebras exteriores, gehennam ignis, & his similia, quæ sunt stipendia mortis, vbi suas ipsa depascit oues, suos discipulos, amicósque suos, qui latam & spatiosam ingressi sunt viam, secundùm illud Prophetæ dictum: Sicut oues in inferno positi sunt, mors depascet eos.] Hactenus ille. Hoc ergo est postremum discrimen iustorum, & impiorum, vitam spiritualem & carnalem sectantium: vt sicut in hac vita cogitationibus, & desideriis, & verbis, & operibus, & moribus discreti sunt, ita & in illa futura statu summæ fœlicitatis, & summæ infœlicitatis, æterno præmio, & æterna pœna inueniantur distincti.

Psal. 48. 6.

Quia verò in rebus publicis bene constitutis hoc summè expetitur, vt quis in regis beneuolentiam, & amicitiam, seu familiaritatem arctissimam admittatur, hoc iustis & bonis tamquam fœliciſſimis deesse nõ potuit. Hi enim sunt Dei amici, sicut & impij sunt inimici. Illi sunt vasa aurea & argentea, isti vasa terrea, & fictilia, illi vasa misericordiæ

Iusti & boni Dei amici, impij inimici.

Sap. 5. 16.

Eccli. 41. 11.

Ioan. 14. 6.

Impij per ditionis viã ingressi verè infœlices.

Ephrem de variis torment. infer. tom. 1.

præparata in gloriam,isti vasa iræ destinata in interitum. Illi electi,isti repulsi. Si verò Deus neminem odio habet eorum quæ fecit,& malos quatenus naturam habent,bonam diligit,tamen sine vlla comparatione plus pauperculum iustum æstimat,quam turbam innumerabilem impiorũ. Egregiè sanè Gregorius Nazianzenus Arianam factionem alloquens, ista prosequitur. At tu,inquit, parietes arctissimè tenebas & tabulas, & ingeniosè atque eleganter incisos lapides,& longos cursus & ambitus, atque auro fulgebas & collucebas, illúdque partim aquæ instar effundebas, partim quasi arenam aggerebas: nimirum ignorans fidem sub dio laborantem,atque afflictam copiosa & magnifica impietate præstantiorem esse,trésque in nomine Domini congregatos multis diuinitatem abiurantibus plures apud Deum censeri. An tu vniuersos etiam Chananæos Abrahamo vni antepones? An Sodomitas vni Loth ? An Madianitas Mosi? Peregrinis, inquam, his & hospitibus ? Quid ? An trecẽtos illos, qui cum Gedeone forti animo lamberunt,tot hominum millibus pedem referentibus inferiores esse contendes ? An vernas Abrahæ,numero haud multo plures, multis illis regibus, atque innumerabilibus copiis, quas tametsi pauci essent, numeróque longè impares, persequuti tamen sunt, atque in fugam verterunt ? Illud autem quomodo intelligendum esse censes, si fuerit numerus filiorum Israël,vt arena maris, reliquiæ saluæ fient ? Quo autem modo illud,reliqui mihi septem millia virorum,qui non flexerunt genua coram Baal ? Non est ita, non, inquam, ita est. Non in pluribus beneplacitũ est Deo. Tu quidem myriades numeras: at Deus eos qui salutem consequuntur. Tu infinitum puluerem : ego electionis vasa.] Hæc ille. Sunt itaque iusti beati, tamquam amici summi & æterni Dei, quibus regnum beatitudinis præparauit, impij verò miseri, veluti inimici,& serui fugitiui,quos ipse Deus,quia à se desciuerunt,ergastulo inferni semper cruciandos,nisi resipiscant, tradidit.

Gregor. Nazian. orat. ad 150. Episcopos.

Iustorum pars selectior & pulchrior inspicienda.

Nunc autem iustorum selectior & pulchrior pars inspicienda est, ea scilicet, quæ homines eximiè iustos, & ad perfectionem non segniter currentes,continet. Quorum tantus est splendor,tanta dignitas,vt pro ea comparanda meritissimè omnia terrena, non aliter quàm vilissima stercora reputentur. Hi sunt, in quibus crimen seu peccatum graue nec nominatur quidem, qui illud ceu pestem infestissimam fugiunt, & parati sunt tormenta priùs & cruciatus, & calamitosissimã mortem oppetere,quàm in illud consentire. De hísque gloriatur Dominus. Relinquam mihi in Israël septem millia virorum,quorum genua non sunt incuruata ante Baal.] Nam & illi ad septenarium & millenarium pertinent,qui sunt numeri perfectionis, & plenitudinis, quoniam perfectione gratiæ donati plenitudine immensæ gloriæ donãdi sunt. Hi cum peccatis leuioribus perpetuum bellum gerunt,quorum telis si aliquando feriantur,maiorem quàm antea ex compunctione, qua ea diluunt, & ex humilitate,qua se deiiciunt,incolumitatem adquirunt. Eorum institutum est omnia vitia à propriis cordibus extirpare, & loco illorum vniuersas virtutes inserere:quas indies augent, & non dant somnum oculis suis, nec palpebris suis dormitationem,quousque eas ad perfectionem prouehant, & in seipsis magnificum templum sanctitatis extruant. Sunt veri humiles, spiritu pauperes, carne & mente integri,& Deo in suis rectoribus ac prælatis subiecti. In quorum vita ita perfectè est Euangelium exaratum, vel potiùs insculptum, vt si omnia Ecclesiæ volumina perderentur, ex eorum tamen conuersatione, quid Deus præcipiat, quid vetet, quidque tota sua lege cõtineat optimè possit intelligi : Quòd si ab aduersariis impugnentur, sic acriter pugnant,sic fideliter se in omni puritate custodiunt, vt non solùm victores euadant, sed & impugnatores suos risui & ludibrio videntium exponant.

Hos fideles & strenuos viros Deus ad suã communicationẽ vocat.

Hos viros fideles & strenuos, & ab amore rerum visibilium alienos Deus ad suam communicationem vocat, & illis tamquam familiarissimis suis cordis sui arcana reuelat. Intellectus ipsorum luce cœlitus immissa ornat, vt opera eius maiestatis,& mysteria suæ benignitatis intelligant. Sciunt ipsi hæc Dei magnalia meditari, sciunt meditatione ignem amoris, & Sanctorum affectuum accendere. Et cùm minus putant, cùm se minus dignos existimant, ad contemplationis gratiam subuehuntur, & tam miris & supernaturalibus donis decorantur,vt in terris solo corpore viuant,mente verò & desideriis, & vitæ puritate inter Angelos, & Sanctos iam ad patriam translatos habitare putentur. Fœlices illi,quorum est actio proficua, vita sancta,mors pretiosa, & præmium in cœlis præparatum immensum. Ita operantur, vt sibi & aliis prosint,ita viuunt, vt quantum possunt ab omni se labe custodiant:ita moriuntur,vt moriendo authori vitæ & salutis adhæreant:ita præmiis cumulantur, vt aliis communibus iustis supra modum emineant. Si fœlicitatis desiderio tangimur, sequamur illos, vt ad eorum sedes properemus. Sequamur, inquam, non in his, quæ naturæ gloriæ auidæ,specioſa sunt,qualia sunt signa,qualia dona quædam orationis sublimia, quæ non sunt nostræ tradita potestati,sed in his, quæ nos illis similes,id est, sanctos,& Deo gratos efficient. Optimè enim dixit Bernardus exhortans nos ad imitationem vnius eorum.

Bernard, serm. 1. S. Victoris. Tutius virtutes Sãctorũ, quã eorum miracula, & reuelationes æmulamur.

Tutius sanè æmulanda solidiora, quàm sublimiora, & quæ magis virtutem redoleant, gloriam minus. Studeamus proinde moribus conformari, cui in mirabilibus similari & si volumus, non valemus. Æmulemur in viro sobrium victum, deuotum affectum, æmulemur mansuetudinem spiritus, castimoniam corporis, oris custodiam, animi puritatem, ponere frœnum iræ,& modum linguę, dormire parciùs, orare frequentiùs, commonere nosmetipsos Psalmis,Hymnis,& Canticis spiritualibus, diebus iungere noctes, & diuinis laudibus occupare : æmulemur charismata meliora. Discamus ab ipso quòd mitis & humilis corde fuit. Æmulemur, inquam,quòd extitit liberalis in pauperes,iucundus ad hospites, patiens ad peccantes, benignus ad omnes. Hoc enim melius. In his forma est,cui imprimamur, in miraculis gloria à qua reprimamur. Illa lætificent,ista ædificent:moueant illa, ista promoueant. Epulemur dilectissimi ad mensam diuitis vocati, mensam abundantem panibus,deliciis cumulatam. An nõ diues,qui exemplis nos reficit, protegit meritis, lætificat signis ? Diues planè, in cuius hodie conuiuio solemni Angeli,& homines pariter congregantur. Hi vt reficiantur, illi vt delicientur. Isti vt proficiant,illi vt gaudeant. Cuius vita repleta bonis,quid nisi mensa referta cibis ? Nec tamen omnibus omnia apponuntur.Cautum est mihi eligere mea,& aliena non tangere. Non extendam manum ad gloriam miraculorum : ne si attentauero quod desuper non accepi,

cepi,perdam meritò & quod videor accepisse.Non leuo cum illo oculos ad rimanda secreta cœlestia, ne oppressus à gloria confusus resiliam, serò confugiens ad consilium Sapientis,qui ait: Altiora te ne quæsieris, & fortiora te ne scrutatus fueris. Infertur mensis vinum nouum aquarum rubentium: non tango,quia non mihi appositum scio, qui similiter elementa mutare, naturas innouare nó valeo. Cerno item in mensa Victoris Angelos illum audiisse canentes. Numquid videbo & ego mihi supernos exhiberi cantores, aut certè cytharœdos illos de Apocalypsi coram me cytharizare in cytharis suis? Imperat ille dæmonibus adhuc in corpore viuens, vinctum in corpore soluit corpore iam solutus. Cibi sunt,sed non mei; equidem iucundi, & sapidi; sed non tangit illos anima mea, quoniam non est inopi mihi vnde sufficiam talia redhibere. At si diligenter cõsidero,ecce præ oculis in mensa sancti censura iudicij, disciplinæ vigor, sanctitatis speculum, vitæ forma, virtutis insigne. Hæo à me, & absque præsumtione sumuntur,& salubriter insumuntur:& si dissimulo districtè reposcuntur. Audi adhuc quænam mihi iure apposita putem, si panem doloris,& vinum compunctionis, de mensa diuitis obtuleris, tollo securus, quia sum pauper, & inops. Erunt mihi lacrymæ meæ panes die, ac nocte, & poculum meum cum fletu miscebo. Pars mea hæc, quia dolenda commisi. Nec me tandem pigebit, vt æstimo, cibi huius, quoniam qui apposuit scientiam,addidit & dolorem. Sed & si temperantiæ, si iustitiæ, si prudentiæ, vel fortitudinis exempla appareant, ea incunctanter sumo, sciens, quia ad talia oportet me præparare.]

Hæc sunt, quæ in viris perfectis imitari debemus,hæc desiderare,& æstimare; alia verò dona,in quibus scimus perfectionẽ non esse positam, tamquam nobis non appositа, aliis accipienda relinquere. Studium nostrum sit recedere à malo, ab omni scilicet eo vel minimo, quod Deo non placet, & affectibus nostris ad malum nos trahentibus imperare. Conatus noster sit facere bonum,& omnem virtutem, ac omnia sanctitatis opera in Deum,& in proximos, atque in nosipsos exercere. Cura nostra sit quærere pacem, & ad Deum, & filium eius,qui pax nostra est, gressibus sanctarum cogitationum & affectionum accedere. Sic inueniemus pacem quam quærimus, & filij Domini quàm simillimi effecti ad regiam dignitatem leuabimur. Nam de iustis ita viuentibus dictum est in Iob: Non aufert, scilicet Dominus, à iusto oculos suos, & reges in solio collocat in perpetuum,& illi eriguntur.] Bene enim sancti viri, inquit Gregorius, Scripturæ sacræ testimonio reges vocãtur, quia prælati cunctis motibus carnis,modò luxuriæ appetitum frænant, modò æstum auaritiæ temperant, modò gloriam elationis inclinãt, modò suggestionem liuoris obruunt,modò ignem furoris extinguunt. Reges ergo sunt,quia tẽtationum suarum motibus non consentiendo succumbere,sed regendo præesse nouerũt.] Illi autem ipsi reges, qui in hac vita humiliati sunt, in alia eriguntur, quia æternæ gloriæ possessione sublimantur. Hæc est generatio quærentium Deum, quærentium faciem Dei Iacob.Quærentium profectò, & habentium. Habent illum per gratiam, & vitæ imitationem; quærunt per desiderium, vt ad eius gloriam perueniant. Simus & nos generatio quærentium Dominum, & ad maiorem gratiam, & mentis puritatem curramus,vt cum illis,qui Deum strenuè quæsierunt, coronemur.

Fœliciſſimis autem auspiciis, ô lector beneuole, hoc opus perficimus,quia in commemoratione coronæ,quam in cœlis speramus, ori nostro silentium,& calamo quietem habere iubemus. Dicam tamen tibi ad finem lectionis properanti illud Salomonis: His amplius, fili mi, ne requiras,etiamsi ad summam vitæ puritatem aspires, quia hæc quæ scripsimus abundè tibi sufficient, vt ad perfectam Christi imitationem extollaris. Nam ex his scriptis nostris vitam spiritualem, quam arripuisti, & eius pulchritudinem ac perfectionem, ad quam in hac vita mortali peruenitur,agnosces.Disces etiam omnia vera mala, scilicet vitia, & peccata, & affectuum peruersitates fugere; omnia vera bona,scilicet virtutes,& earũ actiones sectari,& per vnionem ad Deum, quam oratio & contemplatio secum affert, interna pace perfrui. Nec tibi persuadere volumus,vt à lectione aliorum librorum spiritualium abstineas,absit à nobis tanta temeritas, & tam ridenda superbia; sed vt eorum,atque istorum eamdem doctrinam esse scias. Quam siue ex his nostris lucubrationibus impolitis, siue ex aliis meliùs dispositis & elaboratis haurias, nihil est aliud præter executionem eorũ,quæ scripta sunt, quod ad tenendam perfectionem requiras.Scimus quia faciendi plures libros nullus adhuc est finis, nec erit vsque ad mundi finem. Quod sapientissimè diuina prouidentia disponit, vel ex hoc quòd frequens meditatio carnis afflictio est. Nam dum quæ scribimus meditatione præuenimus, vel quæ ab aliis vtiliter scripta sunt consideramus, carnis impetus frangimus, & spiritui ad pugnandũ contra eam vires adiicimus. Est etiam alia,& quidem maxima scribendorum librorum spiritualium vtilitas, quòd idem cibus doctrinæ spiritualis multis ac variis modis conditus diuersis palatis aptus efficitur. Et sicut in corporalibus alimentis, vnus carnibus assis, alius elixis, alius variis pigmentis conditis delectatur:hic oua,iste pisces,ille nec oua nec pisces,sed olera, aut arborum poma in cibum appetit:ita & varij spiritus doctrinam spiritualem variis modis dispositam & explicatam habere volunt. At ipsa vna doctrina est, extra quam nihil est quærendum, vt ad sanctitatem perueniamus.

Nos his tribus voluminibus eam vtcumque comprehendimus, vt à lectore ad suum profectum possit accipi, & ad aliorum vtilitatem multis rationibus, & Scripturæ, ac Patrum authoritatibus edoceri. Hinc autem operis longitudinem & prolixitatem excusamus,quia viam spiritus ad tradendam & persuadendam eam aliis longiori sermone explicare maluimus, licèt ad solius legentis vtilitatem maiori compendio declarare possemus.Prositque mihi excusatio Augustini libros suos de doctrina Christiana ita claudentis. Longior euasit liber hic, quàm volebam, quámque putaueram, sed legenti, vel audienti, cui gratus est, longus non est; cui autem longus est, per partes eum legat, qui habere vult cognitum.Quem verò eius cognitionis piget, de longitudine nõ quæratur.] Omnes ferè materiæ vitæ spiritualis his nostris libris continentur, quísque quamlibet earum seorsum legat, & non admodum prolixam reperiet. Si verò nihil vult legere, non est cur nos longitudinis damnet, qui omnia, quæ indefesso labore collegimus,vna sola voluntate præteriit, & aliis legenda reliquit. Scribimus autem multa, quæ proprio experimento non nouimus; à sanctis tamen viris opere ipso nota ac comperta esse certissimè deprehendimus.

Ecel. 7. 22. — *Psal. 41. 4.* — *Hæc igitur imitanda, alia in quibus perfectio non est, aliis relinquenda.* — *Iob 36.7.* — *Greg. 26. moral. c. 21.* — *Psal. 23. 6.* — *Totius huius operis epilogus.* — *Eccli. 12. 12.* — *Operis prolixitatis ratio redditur.* — *Aug. 4. de doctr. Christ. c. vltimo.*

Nec tamen quia alij inuenimur operibus, quàm verbis, à debito gratiarum actionis immunes ſumus. Quia magnum Dei beneficium ducimus labore noſtro viam perfectionis aliis aperuiſſe,& pericula huius viæ,ac virtutis obſtacula demonſtraſſe. *Aug. vbi ſuprà.* Auguſtinus ſanè eo loco ſic ait : Ego tamen Deo noſtro gratias ago, quòd in his quatuor libris,non qualis ego eſſem, cui multa deſunt, ſed qualis eſſe debeat,qui in doctrina ſana, id eſt, Chriſtiana non ſolùm ſibi, ſed aliis etiam laborare ſtudet, quamtulumcumque potui facultate diſſerui.] Similiter & nos immenſas Deo grates referimus, quòd in his quindecim libris, non quidem quales nos eſſemus, ſed quales eſſe deberemus,& quales ſunt,qui Deo perfectè ſeruiunt,& ex toto corde ipſi ſe conſecrant, manifeſtauimus. Hoc autem nobis certum eſt, niſi fortè ad cor noſtrum prauum, & inſcrutabile non penetrauimus, quòd in toto hoc opere Deo placere, & proximis prodeſſe voluimus. Sed vt de hac intentione noſtra aliquid modeſtè proferatur; verba ſancti Gregorij, quibus opus moralium finiuit, quaſi numquam dicta, & à nobis primùm inuenta ſubiicimus.

Greg. lib. 37. mor. c. 16. Expleto, inquit, hoc opere, ad me mihi video eſſe redeundum. Multum quippe mês noſtra etiam cùm rectè loqui conatur, extra ſemetipſam ſpargitur. Integritatem namque animi, dum cogitantur verba qualiter proferantur, quia eum trahunt extrinſecus, minuunt. Igitur à publico loquutionis redeundum eſt ad curiam cordis; & quaſi in quodam concilio conſultationis, ad meipſum diſcernendum conuocem cogitationes mentis:quatenus ibi videam ne aut incautè mala, aut bona non bene dixerim. Tunc enim bene dicitur bonum, cùm is qui dicit,ſoli ei,à quo accipit, per id appetit placere quod dicit. Et quidem mala me aliqua, etſi dixiſſe non inuenio, tamen quia omnino non dixerim non defendo.Bona verò ſi qua diuinitus accipiens dixi, meo videlicet vitio minus me dixiſſe profiteor. Nam ad me intrinſecus rediens,poſtpoſitis verborum foliis, poſtpoſitis ſententiarum ramis, dum ipſam ſubtiliter radicem meæ intentionis inſpicio, Deo quidem ex ea me ſummopere placere cognoſco: ſed eidem intentioni qua Deo A placere ſtudeo,furtim ſe neſcio quomodo intentio humanæ laudis interſerit.Quod cùm iam poſtmodum tardéque diſcerno, inuenio me aliter agere, quod ſcio me aliter inchoaſſe. Sic enim ſæpe intentionem noſtram dum ante Dei oculos rectè incipitur, occultè ſibi ſubiuncta, & eam velut in itinere comprehendens intentio humanæ laudis aſſequitur: ſicut pro neceſſitate quidem cibus ſumitur,ſed in ipſo eſu dum furtim gula ſubrepit,edendi delectatio permiſcetur. Vnde plerumque contingit vt refectionem corporis, quam ſalutis cauſſa cœpimus, cauſſa voluptatis expleamus. Fatendum eſt igitur, quòd rectam quidem intentionem B noſtram, quæ ſoli Deo placere appetit,nonnumquam intentio minus recta,quæ de donis Dei placere hominibus quærit, inſidiando comitatur.Si autem de his diuinitus diſtrictè diſcutimur, quis inter iſta remanet ſalutis locus, quando & mala noſtra pura mala ſunt: & bona quæ nos habere credimus,pura bona eſſe nequaquam poſſunt. Sed hoc mihi facere operæpretium credo, quod fraternis auribus omne latenter ipſe reprehendo, incunctanter aperio. Quia enim exponendo non celaui quod ſenſi, confitendo non abſcondo quod patior. Per expoſitionem patefeci dona, per confeſſionem detego C vulnera, & quia in hoc tam magno humano genere, nec paruuli deſunt, qui dictis meis debeant inſtrui: nec magni deſunt,qui cognitæ meæ valeant infirmitati miſereri: per hæc vtraque aliis fratribus, quantum poſſum, curam confero,ab aliis ſpero. Illis dixi exponendo quod faciant; iſtis aperio confitendo quod parcant. Illis verborum medicamenta non ſubtraho; iſtis laceratiònem vulnerum non abſcondo. Igitur quæſo vt quiſquis hæc legerit, apud diſtrictum iudicem ſolatium mihi ſuæ orationis impendat, & omne quod in me ſordidum deprehenderit fletibus diluat.] Hæc ille Doctor ſanctiſſimus, & humillimus dixit, & ea quiD dem non vt humilis videar, ſed vt veritatem patefaciam dico, & à Domino miſerationum Patre ſimul cum aliorum meorum indulgentiam, erratorum etiam quæ in ſcriptione totius huius operis admiſi veniam expoſco. Cui ſit laus gloria, imperium,& gratiarum actio in ſæcula ſæculorũ. Amen.

ORATIO, ET GRATIARVM ACTIO pro consummatione operis.

DOmine Deus, vnica fœlicitas mea, lux mentis meæ, & ignis suauissime cordis mei, oro te per omnes miserationes tuas, vt tua immensa & innumerabilia beneficia in me collata cognoscam, & hoc vnum quod nunc accepi, vt hoc opus perficerē, grato & humili corde tibi acceptum feram. Hi quindecim libri mei (vt vocem fortissimæ illius fœminæ septem Martyrum Machabæorum genitricis vsurpem) nescio qualiter in vtero meo apparuerunt; neque enim ego spiritum, si quem habent, & animam donaui eis, & vitam, & & singulorum membra non ipse compegi. Sed enim tu mundi Creator, qui formasti hominis natiuitatem, quíque inuenisti omnium originem, quidquid habent es illis liberaliter impartitus. A te, ô Domine, habent quòd sint, & per orbem vniuersum discurrant. A te accipiunt spiritum, & vitam, sanctorum Patrum dictis communicatam, qua torpentes excitent, & bene currentes ad velociùs currendum inuitent. A te sunt singulorum partes membráque dispósita, vt non sine ordine vnum post alterum procedentia legentibus minus sint oneri, & non omnino displiceant. Te authore & adiutore perfeci, quod nec mea ignorantia potuit, nec corporalis imbecillitas valuit, nec onus mihi impositum multarum occupationum sustinuit. At tu, Deus dulcissime, hæc omnia impedimenta superasti, & per hominem contemtibilem, & qui non est quod viri spirituales & humiles non dedignantur legere, in publicum prætulisti. Docta est à te ignorantia mea, vt non erraret, aut errare nollet, & Ecclesiæ sponsæ tuæ in omnibus se submitteret. Infirmitas roborata ne succumberet, & cœptum opus omitteret. Onus occupationum nescio qua naturali facilitate alleuiatum, vt certis temporibus absque dispendio commissi muneris, se ad scribendum à curis expediret. Hæc omnia dona tua sunt, & ingentia beneficia, pro quibus immensas tibi gratias rependo. Et B. Virginem, ac omnes cœlites, vt me adiuuent ad gratias agendas rogo. Quidquid vtilitatis pusilli ex hoc meo labore acceperint tibi offero, & gratum ac ratum habeo, & per feruorem & deuotionem eorum, qui tibi placere studeant, meorum peccatorum indulgentiam postulo, & vt non aliam nisi teipsum mercedem accipiam, confidenter efflagito. Qui viuis, & regnas in sæcula sæculorum. Amen.

2. Mach. 7. 22.

Deo Iesu Christo æterni Patris coæterno Filio sit gloria & honor in omnem æternitatem. Amen.

Finis tertij Tomi.

INDEX
RERVM QVÆ HOC TERTIO VOLVMINE CONTINENTVR.

Numerus, paginam; littera, locum in textu designat.

A

Abnegatio.

IDE, *Mortificatio.*

Abstinentia.

Quomodo circa illam affectus exercendi. 1028.a

Abstractio.

Vide, *Mortificatio.*
De abstractione ab omnibus creaturis. 1159.c

Acedia.

Vt dimices aduersùs acediam exercitium. 985.c

Adamus.

In prima sui conditione orandi artem à Deo accepit, eùm ei soporem immissum legimus, & qualis hic fuerit. 19.e

Adfectio.

Vide, *Oratio affectiua.*

Adfectus.

In oratione vocali maximè exercendi, vt adquiratur deuotio. 138.e
Ex miseria & misericordia oriuntur adfectus. 139.d
Circa orationem Dominicam quomodo exercendi. à num. 143.b vsque ad 152.
Quomodo circa salutationem angelicam exercendi. à num. 152. ad 158
Quadraginta adfectus, qui circa Psalmos possunt exerceri. 159.e.& seqq.
Ad orationem adfectus moderandos per velle sanè probatur. 290.d.& seqq.
Qui suos non sedat adfectus, temere loqui coram Deo quomodo intelligendum. 292.b
Quis, & quomodo sit ante orationem præuidendus. 339.a
Adfectuũ in oratione diuersitas. 341.a,b
Principalis orationis finis adfectuum excitatio. 437.c,d & seqq.
Quomodo se habeant consideratio, & adfectus. 439.e
Affectibus in oratione excitandis octo regulæ assignantur. 440.d
Quid sit affectio. 933.b
Quid affectus sint. 934.a
Quotuplices sint. ibid. d
Quod sit discrimen inter affectus voluntatis & appetitus. 936.a
Vtrosque esse medios & in bonum aut malum posse conuerti. 937.c
Adfectus causæ decem. 938.a
1. Deus. ibid.
2. Angelus & quomodo. ibid.
3. Diabolus & quomodo. ibid.b
4. Cœlum & quomodo. ibid.c
5. Naturalis complexio. ibid.
6. Actio primarum qualitatum. ibid.d
7. Opus imaginationis. ibid.e
8. Meditatio rationis. ibid.
9. Habitus. 939.a
10. Combinatio harum omnium. ibid.
Quæ sit causa bonitatis, & malitiæ in affectibus. ibid.b
Qui fructus ex bonis, qui ex malis consequantur affectibus. 940.a
Vitæ spiritualis pars bene magna compescendis affectibus continetur. 941.a
Affectus cohibere virtuti ducitur, illis carere non item. ibid.
Stoicorum de affectibus paradoxa refutatur. ibid.
Quomodo affectus virtutibus comparandis sint consecrandi egregiè moraliter, explicatur. ibid.d
Meditatio cœlestium ad prauos corrigendos, bonos eliciendos affectus ordinatur. 942.a
Affectus nos perfectiores efficiunt, & rerum diuinarum considerationem exacuunt. ibid.b
Affectibus faciliùs quidquid desideramus adipiscimur. 943.d
Cognita rerum veritate in affectum nobis prorumpendum Saba Reginæ docemur exemplo. 942.d
Materia congrua ad affectus quos volumus eligenda. 944.b
Ex eadem materia affectus proueniunt diuersi. ibid.d
Solidarum virtutum affectus præcipuè sectandi. 945.b
Quinque in affectibus seruanda.
1. Vt soliditatem potius quàm teneritudinem illorum inquiras. ibid.d
2. Vt ex eisdem cures affectus varios efflorescere. 946.b
3. Iuxta tuum statum affectum elicias. ibid.d
4. Non solùm circa vniuersalia, sed magis circa singularia exerceas. 947.a
5. Sæpius in oratione commisce, coniungéque. ibid.c,d
Vitam affectibus, quos in oratione habuimus similem esse oportet. 948.c

PRO INCIPIENTIBVS.

1. Vt Deum finem vltimum appetat. 951.a.1185.a
2. Vt omnia propter Deum inquirat. 953.c,d.1186.a
3. Quomodo affectus exercendi circa peccatorum odium. 955.d.1187.b
4. Iterum idem docet author. 959.a. 1187.c
5. Quomodo dolor de peccatis concipiendus, speculatiuè practicéque monstratur. 961.b,c.1188.d
6. Idem ampliùs osteditur. 964.c.1189.c
7. Quomodo confitenda practicè speculatiuéque docemur. 967.c.1190.a
8. Propositum ampliùs non peccandi, & satisfactio quomodo facienda, speculatiuè docemur & practicè. 971.d,e. 1191.b
9 Affectus circa gulam expugnandam. 974.c.1191.e
10 Affectus exercendi vt luxuriam impugnes. 977.a.1192.c
11. Affectus circa auaritię pugnam exercendi. 979.a.1192.c
12. Affectus circa iræ impugnationem exercendi. 981.a.1193.c
13. Affectus vt contra inuidiam dimices. 983.b.1193.c
14. Vt dimices aduersùs acediam. 985.c. 1194.c
15. Vt vanam gloriam euertas. 987.e. 1195.a
16. Vt euertas superbiam. 989.e.1195.c
17. Vt quinque sensus mortifices. 992.a 1196.a
18. Vt passiones cohibeas. 995.a.1196.e
19. Vt mandata & legem obserues. 998.a. 1197.c
20. Vt cordis diligas puritatem. 1000.e. 1197.e
21. Vt te in Dei timore cõtineas. 1003.a. 1198.c

PRO PROFICIENTIBVS.

1. Affectus, vt tres vires animæ ad Iesu Christi exemplum reformemus. 1005.a.1199.a
2. Quomodo cordis affectus ad cordis Christi similitudinem componas. 1009.a.1199.e
3. Qualiter operationes ad Christi exemplum perficias. 1014.a.1200.d
4. Qualiter te omni imperfectione exues. 1017.b.1201.d
5. Quas Christi virtutes desiderabis &

petes. 1020.a.1202.a
vbi,
Desiderium
- Humilitatis. 1021.d
- Obedientiæ. 1022.a
- Patientiæ. ibid.c
- Taciturnitatis. ibid.d
- Sapientiæ. 1023.a
- Timoris Domini. ibid.d
- Discretionis. ibid.e
- Simplicitatis. 1024.b
- Charitatis. ibid.e
- Fidei. 1025.b
- Spei. ibid.d
- Perseuerantiæ. ibid.e
- Iustitiæ. 1026.b
- Misericordiæ. ibid.d
- Veritatis. 1027.a
- Gratitudinis. ibid.b
- Fortitudinis. ibid.c
- Castitatis. ibid.e
- Abstinentiæ. 1028.a
- Paupertatis. ibid.c

Vide etiam quæ de his, pag. 1202. & seqq.
6. Quas virtutes ab Angelis vt tibi eas impetrent postulabis. ibid.c.1207.b
7. Quas item à Sanctis. 1032.1208.b
8. Quas à beata Virgine Matre Maria. 1034.b,c.1209.a
9. Quid boni ad tuam perfectionem concupiscas. 1037.c.1210.a
10. Qualiter affectum imitationis Christi virtutum assumes. 1042.d.1212.a
11. De imitatione humilitatis Christi 1044.e.1212.d
12. De imitatione paupertatis Christi. 1047.c
13. De imitatione puritatis Christi. 1049.d
14. De imitatione obedientiæ Christi. 1052.b
15. De imitatione patientiæ Christi. 1054.e
16. Qualiter Christo patienti compatiemur. 1057.c.1213.d
17. Qualiter Christum patientem admirabimur. 1060.a.1213.e
18. Qualiter de Christo patiente exultabimus. 1062.a.1214.b
19. Qualiter in Christo patiente liquescas. 1064.e.1215.a
20. Qualiter Christo patienti vnieris. 1067.d.1215.c
21. Qua ratione te Christo offeres. 1070.a.1215.e
22. Qua ratione te Christo donabis. 1075.b.1215.e
23. Qua ratione te Christo consecrabis. 1078.a.1217.b
24. Qua ratione te Christo sacrificabis. 1080.a.1217.e
25. Qua ratione te holocaustum efficies. 1082.b.1218.b
26 Quomodo te Christo conformabis in omnibus. 1084.c.1218.d
27. Qualiter te erga Deum habebis. 1086.d.1219.b
28. Qualiter te habebis circa proximum. 1088.d.1219.b
29. Qualiter te habebis erga teipsum. 1090.c.1219.b
30. Quæ postulanda sint ad obtinendam perfectionem. 1091.e.1220.b
Affectus ad vnionem Dei pro perfectis. 1093.1094.
Qui sint ordinarij, qui extraordinarij affectus. 1111.b,c
Quanta sit affectuum suauitas, quanta facilitas. 1108.b
Quot quantique sint affectuum fructus. 1112.b
Tria media ad affectus amoris excitandos. 1131.c.& seqq.
De amoris affectu. 1146.c
Quos alios affectus contineat. 1147.a
De fidei, spei, & charitatis affectu, qui sub amore continentur. ibid.

Affectus pro perfectis.

Fidei, spei, & charitatis affectus. 1146.c & seqq.
De vsu actuali fidei. 1149.c
De vsu actuali spei. 1150.b
De desideriis, & postulationibus amoris diuini. 1151.a
De affectionibus amoris. ibid.d
De obseruantia præcepti amoris. 1152.d
De tenendis proprietatibus amoris diuini. 1153.d
De affectibus amoris diuini. 1154.c
De desiderio infimorum graduum amoris diuini. 1155.d
De desiderio mediorum graduum amoris diuini. 1156.c
De desiderio supremorum graduum amoris Dei. 1157.a
De gaudio de donis Dei. ibid.e
De quærenda pace cum Deo & tranquillitate cordis. 1158.e
De abstractione ab omnibus creaturis. 1159.c
De resignatione & perfecta oblatione in manibus Dei. 1160.c
De postulatione conducibilium ad vnionem. 1161.d
De quærenda conformatione & similitudine ad Deum. 1162.b
De aspiratione ad diuinam vnionem. ibid.e
De iugi permansione in Deo. 1163.d
De renouatione vnionis cum Deo. 1164.c
De dilectione proximorum. 1165.b
De gratiarum actione. ibid.e
De affectu gratitudinis. 1170.c
Quomodo exercendus circa beneficia à Deo accepta. 1171.c.& seqq.
Affectus laudis Dei. 1176.d
Quit sit affectus laudis Dei. 1177.d
Quotuplex ille sit. 1178.b
Quot,& quæ sint illius causæ. ibid.
Quomodo sit exercendus iste affectus. 1179.b
A quibus rebus petendus sit talis affectus. A potentia Dei. 1180.c. A prouidentia. ibid.e. Ab eius misericordia. 1181.b. A sustinentia. ibid.c. Ab eius iustitia. 1182.b. Ab eius largitate. ibid.d. Ab eius perfectione. 1183.a

Admirabilitas.

De admirabilitate Dei. 829.a

Admiratio.

De admiratione eorum quæ in contemplatione cernuntur latè. 1367.b

Æternitas.

Dei æternitas. 817.a

Affabilitas.

Dei affabilitas. 859.a

Amabilitas.

Dei amabilitas. 885.e

Amor.

Quo tempore nos Deus Pater amauit 1065.c
Quo tempore Christus. 1066.c
Quo tempore Spiritus sanctus. 1067.b
Amor, terrenorum pariit contemtum. 1113.a
Affert secum quamdam sensibilem suauitatem. 1113.c
Affert vehemens desiderium placendi Deo. ibid.e
Infert quamdam Dei saturitatem. 1114.c
Adfert spiritualem ebrietatem. ibid.e
Difficilia quæque facilia ducit. 1115.d
Amor Dei sensibilis, & spiritualis quomodo differant. 1116.a,b
Tres amoris gradus. 1121.b
Quomodo possint cognosci. 1122.b
Amor igne declaratur. 1123.b
An amoris affectus eò procedat, vt intellectus vsum excludat. ibid.e
Tria media ad affectus amoris excitandos. 1131.b
Amoris aspirationibus perfectis vtendum. 1137.b
Vis ad operandum nascitur ab amore. 1141.e
Ad animarum salutem impellit. 1144.c
Facundos efficit affectus amoris fidei, spei, & charitatis. 1146.c
Desideriis & postulationibus amoris diuini. 1151.a
De actionibus amoris diuini. ibid.e
De obseruantia præcepti amoris diuini. 1152.d
De tenendis proprietatibus amoris diuini. 1153.d
De desiderio infimorum graduum amoris diuini. 1155.d
De desiderio mediorum graduum amoris diuini. 1156.c
De desiderio supremorum graduum amoris diuini. 1157.a
Quæ nos ad amorem præcipuè inflamment. 1329.b,c
Quis amor contemplationis finis existat. 1349.c
Quanto opere omnia alia amoris exercitium excedat. ibid.e
Quot,&quales sint amoris gradus. 1350.d
Amor est
- Dulcis. ibid.e
- Fortis. 1351.b
- Liber. ibid.d
- Insatiabilis. 1352.d
- Incessabilis. 1352.d
- Insuperabilis. 1354.b
- Vulnerans. ibid.c
- Ligans. 1355.a
- Languidum faciens. ibid.c
- Defectum afferens. ibid.e

Ad quem amorem tendat perfecta contemplatio. 1356.c

Angelus.

Cibo semper orationis pascuntur. 24.a
Orantibus adsistunt. 26.c
Illorum summa in orando reuerentia nobis imitanda. 126.b
Angelus quomodo considerandus cùm consideratione personas inspicimus. 241.a
Gabriel Angelus ad Virginem allegatur. 646.a
Meditatio de Angelis. 795.b
Quam ab Angelis virtutem deposces, vt illam tibi consequantur. 1028.e
Colloquium ad
- Angelum custodem. 1029.b,c
- Seraphim. ibid.e
- Cherubim. 1030.b
- Thronos. ibid.c
- Dominationes. ibid.d
- Potestates. ibid.e
- Virtutes. 1031.b
- Principatus. ibid.
- Archangelos. ibid.c
- Angelos. ibid.d

Curandum vt illos nobis propitios habeamus. 1395.a
Quomodo nos iuuent ad contemplationem. ibid.

Anima.

Dei mensam aditura oratione ornatur. 68.a
Ad cœlestes nuptias oratione ornatur. ibid.e
Intelligentia & voluntas duæ sunt alæ, quibus anima in oratione cœlũ petit, hæ alæ, quibus comparentur. 175.d
Animæ quies in oratione reperitur. 193.e
Quinque animæ sensus, & quomodo sint in meditatione exercẽdi. 252.a & seqq.
Quomodo & quando cum Deo fœdus ineat anima. 277.b
Animæ stabilitas terræ egregiè comparatur. 512.b

Quomodo se gerat anima in oratione tædio laborans. 522.d
Cui talis comparetur. 523.b
De ariditate animæ in oratione. ibid.d
De animæ desolatione in oratione. 529.d

Annuntiatio Virginis.

Mariæ virginis annuntiatio. 772.c

Apostoli.

Meditatio de Apostolis. 798.b

Appetitus.

Quomodo appetitus inferior superiori in oratione per deuotionem obediat. 506.b
vsque ad 507.d
Dei præsentia cohibetur. 150.e

Apparitio.

Vide, *Visio.*

Ariditas.

Ariditatis tædij quod discrimen. 523.e
De hac ariditate viri spirituales conqueruntur. 524.c
Cur ariditatis suauitatisque vicissitudines in nobis velit Deus. 525.b
Multa sunt quæ nos in ariditate consolentur. 526.c
Multi sunt qui perpetua ariditate vexantur. 527.c
Quid præstandum cùm ex culpa nostra ariditas prouenit. ibid.e
Ariditatis radices ac remedia. 528.e
Ariditatem longanimitate curare rectè probat. 536.d.& seqq.

Ascensio Christi.

De Christi ascensione. 750.a

Aspirationes.

Aspirationum vsus in oratione affectiua. 1131.b
Illis assuescendum. 1132.d
Quibus nominibus appellentur. ibid.e
Instrumentum efficacissimum ad consequendam perfectionem. 1134.a
Tyronibus solent esse difficiles. ibid.d
Qua ratione sint exercendæ. 1135.c
Aspirationes pro incipientibus. ibid.d
Aspirationes ad proficientes. 1136.b
Aspirationes pro perfectis. 1137.b
Quoties illæ exercendæ. 1138.d
Modus quo exercendæ. 1139.a

Assumtio Virginis.

De gloriosa Mariæ assumtione. 791.a

Attentio.

Est orationis comes. 402.c
Oritur ex reuerentia. ibid.
Mentalis oratio nequit ab attentione separari. ibid.e
Dupliciter ab attentione cessamus. 403.a
Quantopere sit in oratione quærenda. ibid.d
Nobis attentione orantibus Deus attendit. 404.c
Attentionis in oratione fructus declaratur. 405.a
Attentio somno similis. ibid.b
Triplex attentionis gradus. 406.b
Præparatio ad orationem attentioni valde necessaria. 415.b
Attentio exposcenda valde. ibid.e
Multa quę iuuant ad attentionem. 414.c & seqq.

Attributa Dei.

Vide, *Perfectio.*

Auaritia.

Vt cõtra illam pugnes exercitium. 979.a

Auditio loquelæ Dei.

Sextus est contemplationis gradus. 1412.d
Quomodo Deus nobis per scripturam loquatur. 1413.a
Quomodo per prædicatorem. ibid.b
Quomodo per beneficia & flagella. ibid.d
Quomodo per internam inspirationem. 1414.a
Deus loquitur per seipsum vel per creaturam. ibid.d
Deus loquitur vel vocibus interioribus, vel exterioribus. ibid. e & seq.
Quomodo loquitur Deus. ibid.
Quomodo loquatur Deus per imaginem corpoream. 1415.b
De locutione spirituali. 1416. c.
Dei locutiones animam humilitate complent. 1417.a
Facillimè in anima quod Deus intendit efficiunt. ibid.b
Suauissimè abscindenda ab anima abscindunt. ibid.c
Compendiosè animam illuminant, inflammant, sanant. ibid.
Animam regunt vt fructus virtutum ferat. ibid.d
Hæ locutiones amorem accendunt, quietem afferunt. 1418.a

Aue Maria.

Vide, *Maria.*

Auxilium.

Quàm præcipua sint ad orationem mentalem necessaria. 389.d.& 392.d

B.

Baptismus Christi.

CHristi Baptismus. 666.d

Beatitudo.

Dei beatitudo. 893.a

Beneficentia.

Diuina beneficientia. 858.b

Benignitas.

Dei benignitas. 864.c

Bonitas.

De bonitate Dei. 825.d

C.

Caligo diuina.

VIde, *Visio Dei in caligine.*

Cantica.

Cantica ab Ecclesia in qua ab Psalmis differant. 95.b

Cantus.

Vide, *Hora.*

Castitas.

Quomodo circa illam exercendus affectus. 1027.c
Castitas vitæque puritas quantopere sit ad contemplationem necessaria. 1242. d. & seqq.

Celsitudo.

Dei celsitudo. 885.a

Charitas.

Quomodo affectus illius exercendus. 1024.c

Cherubim.

Homines significant orationi vacantes. 893.c

Christus.

Orationis cibo perpetuò vsus. 23.a
Eius exemplo egregiæ obsecrationis, orationis, postulationis nobis reliquit exemplar. 200.d
Quomodo considerandus cùm in oratione personas cogitamus. 24.b
Christi actiones in meditatione nobis præcipuè imitandæ, & quare. 247.b
Quid in illis & quomodo meditandæ. 248.a.& seq.
Per Christum duos meditationis fines (Dei nostrámque cognitionem) assequimur. 432.a.& seqq.
Per humanitatem ipsius diuinitatem cõsectamur. 431.c.& seqq.
Cuiuscumque rei meditatio Christi meditatio est. 432.b
De illius incarnatione. 648.c
De illius profectione vt Ioannem sanctificaret. 649.c
De Christi Natiuitate. 651.a
De circumcisione & nominis impositione. 654.d
De apparitione Christi & adoratione Magorum. 656.d
De præsentatione Christi in tẽplo. 659.b
De fuga Christi in Ægyptum & eius reditu. 661.a
De remansione Christi in templo & disputatione cum Doctoribus. 663.a
De absconsione Christi vsque ad annos 30. 664.d
De vita Christi vsque ad passionem eius 565.e
De Baptismo Christo. 666.d
De secessione Christi in desertum. 668.c
De reditu Christi ad homines, & qualitate vitæ illius. 670.c
Vita Christi fuit humillima. 672.b
Vita Christi fuit pauperrima. 673.c
Fuit purissima. 674.e
Fuit obedientissima. 676.b
Fuit religiosissima. 677.d
Fuit pluisquam ecstatica. 678.d
Fuit vtilissima. 680.c
Fuit spiritualissima. 681.e
Fuit clarissima. 683.a
Fuit admirabilissima. 684.d
De Passione Christi. 685.d
Gloriosus Christi in Ierusalem ingressus. 687.d
De cœna Christi in Bethania, & eius venditione. 689.d
De vltima Christi cœna. 692.a
Lotio pedum à Christo. 693.e
Institutio Eucharistiæ. 695.e
Oratio in horto. 698.e
Christi comprehensio. 702.a
Deductio ad Annas. 705.b
Ex Anna ad Caipham. 706
Ter negatur à Petro. 709.a
Mittitur ad Pilatum. 710.b
A Pilato ad Herodem transmittitur. 713.a
Barabbæ præfertur. 714.b
Christus flagellatur. 716.a
Spinis coronatur. 718.a
Ad populum producitur & damnatur, 720.a
Crucem baiulat. 721.e
Crucifigitur. 723.b
Illius in cruce ignominiæ. 725.b
Verba Christi in cruce. 727.c
Mors Christi & signa mortem sequuta. 730.c
Latus Christi aperitur. 731.b
Christus de cruce deponitur. 732.b
Sepelitur. 733.b
Ad inferos gloriosus descendit. 735.b
Resurgit. 736.c
Variè discipulis apparet. à 737.e
vsque ad 750
Ad cœlos ascendit. 750.a
Christo patienti Virgo compatitur. 782.c
Resurgenti & ascendenti congaudet. 784.c
Christi anima multo pulcherrima. 1007.a
Christi memoria, intellectus atque voluntas. 1008.a,b,c
Quomodo ad similitudinem cordis Christi, nostri cordis affectus componamus. 1009.a
Christi cor ab omni rerum temporalium amore mundissimus. ibid.c
Ab omni intentione sinistra. 1010.b
Ab humana delectatione. ibid.c
A placendi desiderio. ibid.e

Ab inutili cogitatione. 1011.b
A superfluis curis. ibid.e
Ab omni amaritudine. 1012.a,b
Ab inani gloria. ibid.c
A consolatione creata. ibid.d
Ab anxietate. 1013.a
Ab impatientia. ibid.c
A propria voluntate. ibid.d
Christi vitam viuere anima desiderat. 1014.b

Operationes ad Christi exemplũ perfeceris: si
- Deo placita feceris. 1015.b
- Debitum modum tenueris. ibid.c
- Feruorem quæsieris. idid.e
- Dei gloriam quæsieris. 1016.a
- Te ad opera supererogationis extenderis. ibid.
- Mala perpetiaris, perseueraris. ibid.d.e

Quas Christi virtutes desiderabis & petes. 1020.a

Ad Christi pedes desiderabis
- Humilitatem. 1021.d
- Obedientiam. 1022.a
- Patientiam. ibid.e
- Taciturnitatem. ibid.d

Ad Christi caput,
- Sapientiam. 1023.a
- Timorem Domini. ibid.d
- Discretionem. ibid.e
- Simplicitatem. 1024.b

Ad Christi cor,
- Charitatem. ibid.e
- Fidem, 1025.b
- Spem. ibid.d
- Perseuerantiam. ibid.e

Ad Christi dexteram,
- Iustitiam. 1026.b
- Misericordiam. ibid.d
- Veritatem. 1027.a
- Gratitudinem. ibid.b

Ad Christi læuã,
- Fortitudinem. ibid.c
- Castitatem. ibid.e
- Abstinentiam. 1028.a
- Paupertatem. ibid.b.c

Qualiter affectum imitationis Christi virtutum assumes. 1041.d
Christus virtutum exemplar. 1042.c
Christi virtutes desiderandæ. 1043.d
De imitatione humilitatis Christi. 1044.e
Paupertatis Christi. 1047.c
Puritatis Christi. 1049.d
Obedientiæ Christi. 1052.b
Patientiæ Christi. 1054.d
Qualiter Christo patienti compatiemur. 1057.c
Patientem admirabimur. 1060.a
De ipso patiente exultabimus. 1062.a
Qualiter in Christo liquesces. 1064.c
Christo vnieris. 1067.d
Te Christo offeres. 1079.a
Qui ratione te Christo donabis. 1075.b
Te Christo consecrabis. 1078.a
Te Christo sacrificabis. 1080.a
Holocaustum te Christi facies. 1082.b
Christi in nos eximius amor. 1065.a
Quomodo te Christo conformabis in omnibus. 1084.c
Quomodo Christum nobis præsentem exhibeamus. 1279.a
In Christo Domino, Dei perfectiones mirè relucent. 1313.b
Ex Christi humanitate ad diuinitatem transcendendum. ibid.e
Quomodo Christus nos ad Dei amorem inflammet. 1330.b
Sacratissima Christi humanitas miris laudibus commendatur. ibid.e

Circumcisio Christi.

De circumcisione Christi & nominis impositione. 654.d

Clementia.

Dei Clementia. 865.c

Cogitatio.

Cogitationis præstantia. 213.a
A reliquis orationis speciebus non per materiam distinguitur. 210.d & seqq.
Cogitatio triplex. 213.c
Ex fine sunt cogitationes noscendæ. 215.a
Definitur & explicatur. 216.a
Viri etiam spirituales à cogitatione incipiunt. ibid.d
Deus per se ad bonas excitat cogitationes. 218.c
Per alia multipliciter excitat. 219.a,c
Cogitationis bonæ fructus multiplex. 220.c & seqq.
Quid præstandum vt hos fructus percipiamus. 223.b & seqq.
Bona cogitatio non statim abiicienda, sed ad meditationem reuocãda. 224.d
Bonam cogitationem oportet vt sequatur adfectus. ibid.e
Ex bonis cogitationibus adfectus sancti vt reliquiæ proueniunt. ibid.e
Anticipatæ cogitationes bonę spirituales primitiæ nominantur. 332.c
Cogitationes vanæ canibus latrantibus similes. 417.c

Colloquium.

Qualis in eo præstanda reuerentia. 399.a
Triplex colloquiorum genus. 433.a & seqq.
Modus meditandi per colloquia declaratur. 435.c
Varius colloquiorum vsus. ibid

Comparatio.

Oratio cum manhu Israëlitico comparatur. 9.b & 27. & 52.c & latè in sequentibus.
Orationi dediti soli, gemmis, atque auibus comparantur. 17.d
Thymiamati confertur oratio. 60.c
Eadem perbellè Israëliticæ columnæ contenditur. 65.a
Manibus comparatur. 79.c
Intellectus & voluntas duæ orationis alæ, quibus comparentur. 175.c
Incipientium mens papilioni ad lucernam volitanti comparatur. 216.e
Stellionis, meditationisque comparatio. 230.c
Attentionis cum somno. 405.b
Deus in oratione quomodo soli comparetur. 422.c
Quibus comparentur qui ad orationem anxij, & soliciti accedunt. 421.d
Quibus consideratio & affectus comparentur. 439.b
Deuotæ suauitatis cum oleo comparatio. 500.d
Holocausto oratio comparatur. 504.e
Apis & ouis cum deuoto viro comparatio. 514.a
Desolatæ animæ quæ præ tædio ab oratione fugit comparationes egregiæ. 523.b
In oratione non perseuerantes quibus comparentur. 563.b
Quantopere in oratione prosint & valeant affectus. 942.b & sequen.
Affectus pro incipientibus, vide verbo, *Affectus.*
Affectus pro proficientibus. ibid.
Sensibilis & spiritualis amoris comparatio appositissima. 1117.a
Amoris cum igne. 1223.b

Confessio.

Quomodo peccata confitenda practicè speculatiuéque docemur. 968.a

Confessores.

Meditatio de SS. confessoribus. 802.b

Conformatio.

Cum Deo magnopere quærenda. 1162.b

Consecrare se.

Qua te ratione Christo consecrabis, 1078.a

Conseruatio.

De beneficio conseruationis. 913.a.b

Consideratio.

Quomodo circa personas exerceatur. 239.d
Circa Deum, Christum, Virginem, Angelos, Apostolos, sanctos, nos, & dæmones. 240.a.& seqq.
Consideratio intellectus circa actiones, qua sit ratione præstanda monstratur exemplis. 246.e.& seqq.
Cõsideratio circa proprietates per quinque animæ sensus quomodo fiat declaratur. 250.d.& seqq.
Consideratio causarum mysteriorum fidei quomodo facienda. 254.c.& seqq.
Consideratio effectuum mysteriorum fidei docetur & exemplis declaratur. 256.e
Consideratio circa modum patiendi, & agendi quomodo facienda. 259.a
Consideratio orationis pars non est speculatiua, sed practica. 437.d
In omni oratione consideratio principalius ad affectus ordinatur. ibid.
Consideratio & affectus quomodo se habeant. 739.e

Consolatio.

Ab oratione dimanat. 50.c
Quid illa sit. ibid.
Sicut mel ad se adlicit. ibid.
Sentiunt, qui mundanas delectationes abiiciunt. ibid.d
Quid sit consolatio sensibilis. 505.e
Non est despicienda. 506.a
Diuiditur, & variis hominibus hæc consolatio appellatur. ibid.b & seq.
Consolationem spiritus in carnem deriuari & quomodo, egregiè declaratur. ibid.d.& seqq.
Quomodo hæc consolatio à suauitate spiritus distinguatur. 507.d
Consolatio hæc est effectus orationis mentalis. ibid.
Quomodo colligatur has consolationes esse à Deo. 508.b & seqq.
Quomodo his abutatur homo. 509.d
Consolatio est æstas in qua inquirendum nobis quibus desolationis hyeme alamur. 514.c
Consolationes spirituales non passim detegendæ. ibid.e
Cui sint illæ aperiendæ. 515.d
Illas Deus dat, quibusdam conuersionis initio, aliis è contra. 538.a
Consolator dicitur Deus. 848.a

Contemplatio.

Quid sit? est finis meditationis. 276.d
Quantopere sit illa desideranda. 277.d
Quid nos à contemplatione dimoueat. 278.c.& seq.
Contemplatio de esse Dei. 807.c
De spiritualitate Dei. 809.b
De simplicitate Dei. 818.c
De immortalitate. 811.c
De perfectione. 812.c
De infinitate Dei. 813.b
De immensitate 814.b
De immutabilitate. 816.a
De æternitate. 817.a
De vnitate. 818.b
De inuisibilitate Dei. 819.d
De incomprehensibilitate. 820.c
De ineffabilitate. 821.a
De veritate Dei. 822.c
De veritate. 823.c
De fidelitate. 824.d
De bonitate. 825.d
De pulchritudine. 827.d
De admirabilitate. 829.c
De vita Dei. 830.c
De sapientia Dei. 831.c
Contemplatio quòd Deus sit omnium artifex. 833.c
Quòd sit consiliarius. 834.c
Quòd sit lux. 835.c

Quòd illuminator. 836.c
Quòd sit profunda reuelans. 837.e
Contemplatio de amore Dei. 839.a
De zelo Dei. 841.c
De pace Dei. 842.d
Contemplatio quòd Deus est author pacis. 843.d
De longanimitate Dei. 845.a
De misericordia Dei. 846.b
Contemplatio quòd Deus sit consolator. 848.a
Quòd sit protector. 849.c
Contemplatio de Iustitia Dei. 850.d
Quòd sit loquens iustitias. 851.c
De rectitudine Dei. 852.d
De Deo iudice. 853.c
De Deo vltore. 854.c
De Deo terribili. 855.c
De pietate Dei. 857.c
De beneficentia. 858.b
De affabilitate. 859.a
De liberalitate. 860.b
De fortitudine. 861.b
De magnificentia. 862.c
De patientia. 863.c
De benignitate. 864.c
De clementia. 865.c
De mansuetudine. 866.b
Contemplatio palmæ comparatur. 1221. c.& seq.
Pereane in nobis contemplationis debet desiderium permanere. 1223.b
Dei cognitio per contemplationem, quomodo differat à cognitione scholastica,& scienti eam. 1223.c
Cognitio Dei per contemplationem quietat & satiat. 1225.c
Contẽplatio nõ est omnis virtus, omnem tamen virtutem infert. 1226.b
Contemplationis excellentia explicatur. 1227.a
Qui per contemplationem in virtute proficiunt suauissimum Christi odorem exhalant. ibid.d
Contemplationis odor bonis voluptatem, malis mortem ingenerat. ibid.e
Contẽplatio eximiè cõmendatur. 1228.b
Contemplationis studium non debet nos ab aliorum bonorum studio reuocare. 1229.c
Ad studium contemplationis adhortatio. ibid.c
Amouenda contemplationis impedimenta. 1231.b
Quibus modis ad contemplationis gratiam perueniatur. ibid.
Præparationem ad meditationem , & contemplationem excipiat præparatio. 1233.b
Naturam quietam, & placidam ad meditationem requiri. ibid.e
Ad contemplationem natura & vocatio consideranda. 1234.d
Ad contemplationem minima peccata fugienda. 1235.d
Contemplationis amatori vitia in seipso perimenda. 1236.b
Mortificationi omnimodo intendat. 1237.b
Elationis affectus maximè cohibendus. 1238.a
Omnium rerum abiectio contemplatori necessaria. 1238.c
Iacobi cum Angelo lucta contemplationem præfigurat. 1239.b
Contemplatori occupationes moderandæ. ibid.
Actiones proptij status & ab obedientia iiunctæ non relinquendæ. ibid.e
Omnium virtutum sed præcipuè humilitatis studium summopere necessarium. 1242.c
Castitas , mititas , & humilitas contemplationi necessariæ. ibid.d
Vitæ puritas contemplationi omni studio perquirenda. 1243.c
Mentalis oratio contemplationis studioso numquam deserenda. 1244.e
Iacobus Patriarcha typus recti ad contemplationem ascensus. 1246.b
Isachar similiter. ibid.d
Discreta cura corporalis salutis contemplationi necessaria. 1247.a
Contemplationem , gratiam esse Dei. 1248.a
Præsentia diuina præcipuum est instrumentum contemplationis adipiscendæ. ibid.c
Diuina præsentia pacem contemplationis inquirimus. 1270.e
Præsentia Dei quædam est cœlestis patriæ prægustatio. 594.c
Creaturæ contemplandæ & quomodo contemplationis amatoribus. 1278.a & seq.
Modus facillimus, quo per creaturas ad Dei cognitionem contemplator accedat. 1309.c
Ex perfectionibus creaturarum Deus noscitur à contemplatoribus. 1310.b
Quomodo à contemplatore per sacram Scripturam noscendus Deus. 1314.c & seqq.
Quomodo per negationes Deus à contemplatore noscatur. 1318.c
Ingens Dei donum contemplatio. 1322.d
Contemplatio est finis,& quies laborum, complementum desideriorum. 1223.a
Quàm variè à Patribus definiatur. 1325.b
Definitur vt sit liber perspicax & certus intuitus Dei. ibid.c
Quotupliciter hic intuitus sit liber. 1326.b
Est perspicax. ibid.d
Quomodo per meditationem & contemplationem Dei pulchritudo cernatur. ibid.e
Contemplatio intuitus est Dei,rerúmque cœlestium. 1327.d
Quomodo admirationem pariat contemplatio. 1328.c
Perfecta contemplatio ab amore Dei incipit,& in eumdum desinit. ibid.
Quódnam sit contemplationis obiectum. 1329.b
Contemplatio circa ea versatur, quæ Dei in nobis amorem excitant. ibid.
1. Quod ad contemplationem inflammat est Deus. ibid.e
2. Christus hominum vindex. 1330.c
3. Patria cœlestis. 1332.a
4. Status Ecclesiæ militantis. ibid.d
5. Mundus hic visibilis. 1333.b
6. Nos ipsi dum nostra cogitamus. ibid.d
Quomodo in contemplatione post timorem ad amorem anima erigatur. 1335.a
Quomodo contemplatio sit in intellectu,& in voluntatem influat. 1336.c
Contemplatio ornamentum oculorum animæ. 1337.b
Quomodo contemplatio inspectio dicatur. ibid.c
Contemplatio non tantùm scientem sed sapientem facit. ibid.d
Vera charitate terminatur. 1338.b
Est subleuatæ mentis iubilum. ibid.d
Solis perfectis conuenit. 1339.c
Sapientiæ donum est,causa agens contemplationis. 1342.c
Quomodo Spiritus sancti dona ad contemplationem conferant. 1343.d
Sapientia primum Spiritus sancti donum quid intellectus contemplantes tribuat. 1344.c
Quod det donum intellectus contemplatori. 1345.c
Consilij donum quid tribuat. ibid.c
Donum fortitudinis ad quid in contemplatione detur. 1346.c
Donum scientiæ quid illi similiter conferat. ibid.c
Donum pietatis quomodo voluntatem contemplantis exornet. 1347.b
Donum timoris quid voluntati præstet. ibid. e
Vtrùm se in gratia esse cognoscat qui contemplatione fuerit adeptus. 1348.c
Quis sit contemplationis finis. 1349.a
Ad quem amorem tendat perfecta contemplatio. 1356.c
Qui sint contemplationis effectus. ibid.
Summum quod in nobis contemplatio efficit, est, vt Dei sanctitatem imitemur. 1358.c

Cõtemplationis effectus.
1. Excessus corrigit. 1359.b
2. Vitiorum radices euellit. ibid.c
3. Affectus ordinat. ibid.d
4. Voluntatem abnegat. 1360.a
5. Tentationes perfectè superat. ibid.b
6. Virtutes perficit. ibid.c
7. Opera expolit. ibid.d
8. Intentionem rectificat. ibid.e
9. Sensus colligit. 1361.a
10. Tribulationes sustinet. ibid.b
11. Mentem tranquillat. ibid.d
12. Animas potèter curat. ibid.d

1. Contemplationis proprietas mentem in Deum. 1362.& seq.
2. Suspensio,& quid illa sit. 1364.c.& seq.
3. Admiratio & quid sit. 1367.b.& seq.
4. Delectatio & quid sit. 1369.c
De contemplationis diuturnitate. 1372.d
Communibus auxiliis quomodo summa contemplatio perduret. 1373.b
Quamdiu si peculiaribus. 1374.d
Quid præstandum quando contemplationis gratia subtrahitur. 1375.c
Cur contemplationis gratiam auferat Deus. 1376.c
Quid præstandum cùm à contemplationis gustu separamur. 1377.c
Neminem debere indiscretè ad perfectam contemplationem conari. 1381.a
Quid nos in contemplatione diuinis auxiliis præstemus. 1383.c

Cõtemplationis gradus,
1. Intuitio veritatis. 1387.a
2. Secessus virium animæ ad interiora. 1396.d
3. Silentium spirituale. 1399.c
4. Quies. 1403.c
5. Vnio. 1407.c
6. Auditio loquelę Dei. 1412.d
7. Somnus spiritualis. 1419.d
8. Ecstasis. 1423.d
9. Raptus. 1427.c
10. Visio Christi & Sanctorum corporea. 1433.a
11. Visio imaginaria. 1440.b
12. Visio intellectualis. 1445.c
13. Visio Dei in caligine. 1453.d
14. Manifestatio admiranda Dei. 1458.c
15. Visio intuitiua Dei. 1463.a

Contemplationis actus quomodo fiat, quî se habeat ibi intellectus, quæ similitudines,vel phantasmata pulchrè exponitur. 1493.b

Cor.

Quanta sit cordis instabilitas & quomodo ab illa difficultas meditationis proficiscatur. 233.c
Cur orationis officina nominetur. 303.c
A vanis desideriis emundandum , illi nimirum , qui orationi vacare studuerit. 302.e
Cor orationi tradendum quomodo intelligatur. 329.b
In illa quomodo erigendum ad Deum. 330.a
Quomodo cor tuum ad Christi cordis puritatem compones. 1009.a

Ab amore temporalium. ibi.e
A praua intentione. 1010.b
A mundana delectatione. ibi.c
A placendi desiderio. ibid.e

Cor debet esse purum,
- Ab inutili cogitatione. 1011.b
- A superfluis curis. ibid.d
- Ab amaritudine. 1012.a
- Ab inani gloria. ibid.c
- A consolatione creata. ibid.d
- Ab anxietate. 1013.a
- Ab impatientia. 1013.c
- A propria voluntate. ibid.d

De cordis tranquillitate quærēda. 1241.a

Corona.

Corona anni benignitatis quid sit egregiè declaratur. 45.c

Corpus.

Quomodo spiritus consolationis, suauitatisque participet. 506.c

Creata.

Quomodo se habebit homo circa creata. 591.c

Creatio.

De beneficio creationis. 912.b

Crux.

Christus crucem baiulat. 721.c
Illi affigitur. 723.b
Crucis ignominiæ. 725.b
Verba, quæ in cruce Christus loquutus. 727.c
De cruce Christus deponitur. 732.b
In cruce illi latus aperitur. 731.c

Cupiditas.

Odio, & quidem maximo rerum esse nobis cupiditas debet. 1048.b

Curiositas.

Omnia vana sensibus ingerit. 411.c
Est distractionum in oratione causa. ibid.

Custos.

Deus noster est custos. 877.a

D.

Dei præsentia.

MIram recitandis canonicis horis animis ingerit reuerentiā. 126.c

Delectatio.

Quę & quāta sit in contēplatione. 1369.c

Desiderium.

Quæ viro spirituali desideranda. 1038.a

Desolatio.

Orationis desolatio quid sit, & quomodo ab ariditate differat. 529.d
Quis desolationis status possit desiderari. 530.d
Desolatione Deus animā percutit. 531.a
1. Vt abiiciatur superbia. ibid.c
2. Vt maiora deuotionis desideria succendat. ibid.e
3. Vt propriam homo fragilitatem agnoscat. 532.a
4. Vt sciat homo aliorum desolationibus compati. ibid.d
5. Vt pro peccatis satisfaciat desolatus. ibid.e
6. Vt qui animarum incumbit saluti ab hoc officio non retrahatur dum nimium orationis delitiis vacat. 533.b
7. Vt virtutes omnes perfectius discat. ibid.d
8. Ne dulcedine diuinæ consolationis status sui onera relinquat. ibid.e
9. Ad venialium peccatorum castigationem. 534.b
10. Vt experiatur Dei solius esse consolationem. ibid.c
11. Ad purgationem cordis nostri. ibid.e
12. Vt sciat anima an gratis seruiat Deo, an propter consolationis stipendia. 535.a
13. Ne anima donis creatis nimis inhæreat. ibid.b
14. Ob carnis imbecillitatem. ibid.c
15. Vt sic Deus animam ad volandum prouocet. ibid.d
16. Vt anima patientiam exerceat. 536.a
17. Vt coniiciat quàm sit graue malum æternaliter à Deo separari. ibid.b

Desolationes omnes longanimitate curari, egregiè tractat. 536.c, & seq.

Deuotio.

Solida substantialisque deuotio declaratur. 494.b
Deuotio à deuouendo dicta. 495.a
Est voluntas promtè tradendi se Deo. ibid.
Est propria Religionis actio. ibid.b,c
Qui sint huius deuotionis effectus. ibid.d
Quàm sit ingens bonum deuotio. 495.e
Eius admirabilem virtutem in se voluit Christus exprimere. 496.c
De causis huius deuotionis. 497.b
Quæ meditationes donum deuotionis præbeant. ibid.e
Quàm sit substantialis hæc deuotio solicitè custodienda. 499.b
Deuotio hæc substantialis tribus solet obstaculis impediri. 500.b
Deuotio, quæ suauitas appellatur & est accidentalis oleo sancto vnctionis egregiè comparatur. ibid.d
Mirabiles huius deuotionis (quæ suauitas dicitur) effectus. 501.b
Nulla præuia nostra dispositione solet Deus per seipsum hanc in nobis deuotionem efficere. 502.c
Quæ sit causa cur ita nobis Deus hanc deuotionem communicet. 503.a
Orationis mentalis præsidio hæc deuotio excitatur. ibid.b
Ardenter desideranda & postulanda, & quare. 504.c
Deuotio donum est Dei. 510.c
Superiorem hominem solet Deus consolari, inferiorem nō item. ibid.e.& seqq.
Quibus rebus vera deuotio comparabitur. ibid.c
Vt comparetur omnia impedimenta submouenda. 512.b
Deuotionis tempore frequentiùs orandum. 514.a
Spiritualis deuotio non passim detegenda & publicanda. ibid.e

Deus.

Cur se nobis orantibus interdum subtrahat. 521.c
Diuina illius dispositio in redemtione generis humani. 644.c
Essentia Dei. 807.c
Spiritualitas Dei. 809.b
Diuinæ eius perfectiones, vide, *Perfectiones diuinæ.*
Deus omnium artifex. 833.c
Deus consiliarius. 834.c
Deus est lux. 835.c
Deus illuminator. 836.c
Profunda reuelans. 837.c
Pacis author. 843.d
Deus longanimis. 845.a
Deus misericors. 846.b
Consolator. 848.a
Protector. 849.c
Iustus. 850.d
Loquens iustitiam. 851.e
Rectus. 852.d
Iudex. 853.c
Vltor. 854.c
Terribilis. 855.d
Pius. 857.c
Beneficus. 858.b
Affabilis. 859.a
Liberalis. 860.b
Fortis. 861.b
Magnificus. 862.b
Patiens. 863.c
Benignus. 864.c
Clemens. 865.c
Mansuetus. 866.b
Suauis. 867.c
Dulcis. 868.c
Sanctus. 869.d
Purus. 870.d
Creator. 871.c
Conseruator. 873.a
Prouidens. 874.a
Gubernator. 875.d
Custos. 877.a
Dominans. 878.d
Dominus exercituum. 879.c
Possessor cœli. 881.c
Rex. 882.b
Magnificus. 883.b
Sublimis. 884.b
Excelsus. 885.a
Amabilis. ibid.e
Desiderabilis. 886.e
Laudabilis. 887.d
Incomparabilis. 888.d
Diues. 889.d
Legislator. 890.e
Omnipotens. 892.a
Beatitudo. 893.a
Saluator. ibid.e
Merces. 894.e
Glorificator. 895.e
Suscitator. 897.a
Primus & nouissimus. 898.b
Vltimus finis. 899.a
Trinus. 900.b
Pater. 901.d
Ingenitus. 903.a
A quo omnis paternitas. ibid.d
Filius. 904.d
Verbum. 905.d
Imago. 906.e
Spiritus sanctus. 907.c
Amor. 908.d
Donum. 909.c
Quo tempore nos Deus amauit. 1065.b
Quomodo nos habebimus erga Deum. 1086.d
Querenda cum Deo conformatio. 1162.b
De iugi cum Deo permansione quærenda. 1163.d
Discrimen inter cognitionem Dei scholasticam & mysticam. 1223.e
Discrimen inter cognitionem post scientiam & per contemplationem. 1224.d
Quomodo principalius sit intra homines. 1287.a
Quomdo Deus in nobis vt in templo sit. 1288.d
Quibus modis Deus intra nos ipsos contempletur. 1290.b
Deus sese nobis videndus obiicit & quomodo. 1292.d
Deus affirmatiua & negatiua cognitione cognoscitur. 1304.c
Hi modi in sacris litteris traduntur. 1305.b
De cognitione Dei per opera naturæ. 1306.d
Quæ creaturæ considerandæ vt ad Dei cognitionem assurgamus. 1306.a
Totus mundus consideratus Dei perfectionem manifestat. 1307.d
Sol, Luna & Astra, nos in Dei cognitionem ducunt. 1308.a
Quid in creaturis considerandum vt nos ad Deum ducant. ibid.c
Modus facilius ex creaturis ad Dei cognitionem deueniendi. 1309.c
Ex perfectionibus creaturarum Dei perfectiones innotescunt. 1310.b
Ex officiis erga creaturas in Dei cognitionem deueniemus. 1311.d
Ex creaturarum operibus Dei cognitio paratur. ibid.c

Quomodo Deus per gratiæ opera cognoſcatur. 1312.d
Cognitio Dei per ſacram Scripturam. 1314.c
Quomodo Deus per negationem cognoſcatur. 1318.c
Quanta ſit huius cognitionis perfectio. 1319.c
Poſitiuam Dei cognitionem per negatiuam creaturarum perfectionum intendimus. 1320.b
Quotuplex ſit iſte negatiuus conceptus. 1321.a

Dilgentia.

Quantopere ſit ad orationem neceſſaria. 421.d

Diſcretio.

Diſcretio ſpirituum in Scriptura commendatur. 1473.a
Quid ſignificet nomen ſpiritus, & quomodo hîc accipiatur. ibid.c
Quid ſit ſpiritus prout hîc accipitur. 1474.b
Quotuplex ſit. ibid.c
Diſcretio ſpirituum, aliquando facilis, aliquando valde difficilis. 1475.d
Eccleſiæ Deus hoc diſcretionis donum eſt elargitus. 1476.d
Quid diſcretio ſpirituum ſit. ibid.
In hac cognitione quanta diuerſitas. 1477.a
Hoc donum etiam in malis recipitur. ibid.b
Quibuſdam tantùm hoc donum conceſſum. ibid.c
Prelati & confeſſarij ſpiritus diſcernendi curam habent. ibid.d
Qui hoc dono carent alios conſulant. ibid.e
Lux à Deo ne erret petenda. 1478.a
Quinque maximè in hac re obſeruanda. ibid.
Quis ſit diuinus ſpiritus. ibid.c
Qualis. ibid.
Vide verbo, *Regulæ pro diſcernendis ſpiritibus*, & verbo, *ſpiritus diuinus, diabolicus & humanus.*

Diſtractio.

Vide, *Horæ canonicæ.*
Duplex eſt in oratione diſtractio. 403.a
Orationis mentalis ſubſtantiam aufert. ibid.c
Quantopere orationi noceat. ibid.d
Naturalis diſtractio humilitatem conciliat. 408.a
Quænam omnibus inſit diſtractio. ibid.b
Quænam peccatum non ſit. ibid.c
Inuoluntaria iuuat ad meritum. 409.a
Prima diſtractionum cauſa ſunt peccata etiam leuia. ibid.d
Secunda mentis tepiditas. 410.c
Tertia, curioſitas. 411.c
Quarta, euagatio extra orationis tempus. 412.a
Quinta, humana fragilitas. ibid.c
Sexta, dæmonum actus. 413.b
Præſtantiſſima vitandæ diſtractionis remedia. 414.b
Diſtractioni curandæ medicina vitæ puritas. 418.b

Doctores.

Meditatio de Doctoribus. 801.c

Dolor.

Vt peccato doleamus, maiorémque indies comparemus dolorem egregiè docemur 5. exercitiis. à 955. ad 974

Dominium.

Dei dominium. 878.d

Dona Dei.

Non paſſim diuulganda egregiè monſtratur. 514.c
Magiſtro ſpirituali pandenda. 515.d

Donum.

Qua te Chriſto ratione donabis. 1075.b
Donum ſapientiæ contemplationis cauſa. 1342.c
Spiritus ſancti dona, quomodo ad contemplationem conferant. 1343.d
Sapientia Spiritus ſancti donum, quid contemplatori tribuat. 1344.c
Donum intellectus quid ſit & quid contemplatori tribuat. 1345.c
Donum conſilij quid tribuat. ibid.e
Donum fortitudinis ad quid in contemplatione deſeruiat. 1346.c
Donum ſcientiæ ſimiliter ad quid. ibid.e
Donum pietatis quid præſtet. 1347.b
Donum timoris quid conferat voluntati. ibid.e

Dulcedo.

Dei dulcedo. 868.c

E.

Eccleſia.

NOs vt Regina ad Regem delegat. 90.c
Bethſabeæ qua in re ſimilis diſſimiliſque. ibid.d
Quàm ſit illa puriſſima omníque ruga carens. 98.c
Meditatio de pulchritudine Eccleſiæ. 804.a

Ecſtaſis.

Octauus eſt contemplationis gradus. 1423.d
Quid illa ſit. ibid.
In ecſtaſi eſt vehemens occupatio interior. 1424.a
Eſt abſtractio exterior à ſenſibus. ibid.b
Quomodo nec ignorantiam, nec concupiſcentiam ſentiat anima in ecſtaſi. 1425.c
Quibus inſtrumentis per ecſtaſim anima à ſenſibus alienetur. 1426.a
Quomodo poſt illam ad ſe anima redeat. ibid.d
Qui ſint illius fructus vberrimi. 1427.a

Eleuatio.

Quid illa ſit latè. 1362.c
Ad voluntatem intellectus quæ pertinet. 1363.c

Epiphania.

De Epiphania & Magorum adoratione. 656.d

Eſſentia Dei.

Dei eſſentia. 807.c

Euagatio.

Vide, *Diſtractio.*

Euchariſtia.

De inſtitutione Euchariſtiæ. 695.c
Quotidie illam accepiſſe Virginem Matrem ſentit author. 787.c

Exaudiri in oratione.

Vide, *Oratio & petitio.*

Expectatio.

Virgineus partus expectatiſſimus. 777.c

F.

Fidelitas.

DE fidelitate Dei. 824.d

Fides.

Quomodo affectus circa fidem ſit exercendus. 1025.b
De vſu actuali fidei exercitium. 1149.c

Fiducia.

Quantopere neceſſaria, vt quod poſtulamus in oratione aſſequamur, & quantum illam nobis Chriſtus commendauit. 465.c
vſque ad 469.

Finis.

Quis ſit, & quis non ſit finis hominis. 587.d.& ſeq.
Deum eſſe finem vltimum. 899.a
Exercitium ad appetendum Deum vt finem vltimum. 951.a
Omnia tam ſpiritualia, quàm temporalia propter Deum vltimum quærenda. 952.a

Fortitudo.

Fortitudo Dei. 861.b

Franciſcus Borgia.

Qua ſe occaſione Chriſto adiunxerit. 183.c

G.

Gaudium.

GAudium de ablatione ignorantiæ, per Chriſti paſſionem. 1063.b
De victoria diaboli, de reſtitutione gratiæ. ibid.d
De promiſſione gloriæ, redemtione naturæ humanæ, & reſtauratione Angelorum & oſtenſione diuinæ clementiæ. ibid.e
Gaudium de bonis Dei. 1155.e

Gloria.

Mariæ in cœlo gloria. 792.c

Gloria inanis.

Vide, *Inanis gloria.*

Glorificatio.

Beneficium glorificationis. 923.e

Gratia.

Quid præſtandum cùm contemplationis gratiæ ſubtrahitur. 1375.c
Quid cauſæ ſit, quamobrem hanc contemplationis gratiam auferat Deus. 1376.c

Gratiarum actio.

De affectu gratiarum actionis. 1165.c
Hanc Deus à nobis ſæpe exigit. 1166.b
Quæ ſint ad gratiarum actiones incitamenta. 1167.c
Pro quibus beneficiis agendę gratiæ. ibi.c
Quo ſint illæ pacto agendæ. 1169.b
Formula præſcribitur, qua exereendus ſit iſte affectus. 1170.c

Gratitudo.

Quomodo circa illam ſit adfectus exercendus. 1027.b

Gula.

Adfectus circa gulæ impugnationem. 974.c
Quid illa ſit. ibid.
Vt gulam impugnes exercitium. ibid.

Gubernatio.

Dei gubernatio. 596.b

H.

Holocauſtum.

QVa te ratione Chriſto facies holocauſtum. 1082.b

Homo.

Quid ſit homo. 586.c
Quis non ſit, & quis ſit etiam finis. 587.d.& ſeqq.
Quod ſit officium hominis. 590.b
Quæ inſtrumenta ad ſuum munus acceperit homo. 591.a
Quomodo ſe habebit homo circa creata. 592.d

Horæ canonicæ.

Cur ſic vocatæ. 91.c
Septenario numero continentur & quare. 92.a
In ſacris litteris ſignificantur. 93.a
Cantica à Pſalmis quo differant. 95.b
Cur in canonicis horis lectiones benedictio præcedat. ibid.d
Quomodo lectiones reliquæque horæ præferendæ. ibid.
Reſponſoria cur ita dicta,& alta cur voce dicantur. 96.a
Antiphonæ cur ſic dictæ. ibid.
Sunt omnes horæ quaſi conuiuium opiparum. ibid.d
Quanta miniſtrorum recitantium debeat eſſe ſanctimonia. 97.c.& ſeq.
Quódnam ſit tempus aptum horis canonicis perſoluendis, 101.d
Cur die noctéque recitentur. 102.e
Antiqua PP. in recitandis horis nocturnis conſuetudo. 103.b,c
Quo tempore recitandæ. 104.c
Viri ſpirituales quando horas recitent. 105.a
Illas recitare,Dei opus à S.Benedicto dicitur. 106.b
Commodum ſufficiénſque tempus illis aſſignandum, 106.b
Templum præcipuus locus illis recitandis. 107.a
Licet in quocumque loco illas fundere. 108.c
Loci amant ſanctitatem munditiámque. 109.d
Circa loci electionem quædam ſeruanda,& quando occultus ſacro publico præferendus. 110.b
De corporis habitu in horis recitandis. 111.a.& ſeq.
Extra chorum orantes quomodo ſe in corporis habitu gerant , illas flexis recitare genibus ſanè optimum. 112.c
Stantes recitare laudabile , & Eccleſiæ magis conſonum. 113.d
Qui ſedentes recitant non vexandi, aliquando verò debere ſurgere ex Bonaventuræ ſententia. 114.c
Deceátne deambulando orare. 115.b
Quàm ſit antiquus horas canendi vſus. 116.a
Quid in horis canendis vitandum. 117.a
Cantus horarum quos debeat habere comites. ibid.d
Quid ſeruandum his qui horas recitant. 118.b
Non interpellandæ ſine neceſſitate. 119.a
Id exemplis firmatur. ibid.
Ante horas canonicas mens orantis præparanda. 120.a
Varij præparandi modi. ibid.e
Optimus præparationis modus. 121.c
Quæ ſit in horis canonicis intentio. 123.a
Intentio multiplex pro diebus ſingulis. ibid.
Oratio pro canonicis horis offerendis. ibid.c
Quanta olim cum reuerentia PP. illas recitauerint. 125.d
Dei præſentia miram in nobis reuerentiam ingenerat. 126.e
Quanta cum attentione recitandæ. 128.c
Sine attentione orandi præceptum non adimpletur. ibid.e
Nemo tam exors futurus, qui ſponte diſtractus orer. 129.e
Quantopere curet dæmon horas interpellare. 130.c
Formidandum dormientis in horis ſupplicium. ibid.e
Quid per diſtractionem in horis amittamus. 131.c
Ex hararum recitatione ad contemplationem multi rapiuntur. 132.a
Attentio in horis triplex. ibid.b
Spiritualis attentio perfectiſſima, & quatuor eius gradus. 133.c
Difficilior in horis attentio & cur. 134.c
Media euagationes in horis vitãdi. 135.b
Multa longéque optima ſtabilem in horis mentis remedia præbentur. ibid.d & ſeqq.
Deuotio vtiliſſimus in recitandis horis comes. 138.d
Singula in horis Pſalmorum verba penſanda diligenter. 140.c
A peccatoribus vinci in attentione pudoris ſit. 141.c
In horarum attentione & modo , ſæculares homines nobis imitandi tum cum iudices deprecant. 142.b
Qua ratione minus rectè perſolutum queat ſuppleri. 164.d
Orationes noſtræ in vnione orationis Chriſti offerendæ. 165.c
Tres precationes poſt horas dicendæ. ibid.d

Humilitas.

Exauditur in oratione humilitas. 473.a
Quomodo affectum circa hanc virtutem exerceas. 1021.d
De imitatione humilitatis Chriſti. 1044.e
Contemplatori nimiopere curanda. 1242.c
Humilitate Dei præſentia comparatur. 1294.b

I.

IAcob, qui & Iſraël viri iuſti typus , & quomodo illum expreſſerit. 201.

Iaculatoria.

Iaculatoriæ orationis vſus in oratione affectiua. 1131.b
Illis aſſueſcendum. 1132.d
Quibus illæ nominibus appellentur. ibid.
Inſtrumentum efficaciſſimum ad conſequendam perfectionem. 1134.a
Tyronibus ſolet hæc exercitatio difficilis eſſe. ibid.c
Qua ratione exercendæ. 1135.c
Iaculatoriæ pro incipientibus. ibid.d
Pro proficientibus. 1136.b
Pro perfectis, . 1137.b
Quoties illæ exercendæ. 1138.d
Modus, quo exercendæ. 1139.a

Ignatius.

Ignatius pareus in tradenda docendáque oratione magiſter eligitur , eiúſque aureus exercitiorum libellus commendatur. 6.b
Eius in oratione vocali deuotio ſanè miranda. 83.a
Meditationes per ſimilitudinem docet. 261.e
Docet & per diſſimilitudinem. 264.d

Illuſiones.

Dæmonis illuſiones in oratione vitandæ. 553.c
Decem dæmonis illuſiones numerantur. 554.c. & ſeqq.

Immenſitas Dei.

Dei immenſitas. 814.b

Immortalitas.

Dei immortalitas. 811.d

Immutabilitas.

Dei immutabilitas. 816.a

Imperfectio.

Ab imperfectionibus mũdaberis, ſi
- Peccata minima deteſteris. 1018.a
- Memoriam creaturarum circumcideris. ibid.c
- Senſus cuſtodieris. ibid.e
- Corpus in ſimplicitate ſeruaueris. 1019.a
- Viſibilia abieceris. ibid.c
- Te ad vigilandum induxeris. ibid.d

Inanis gloria.

Vt inanem gloriam euertas exercitium. 987.e

Incarnatio.

Incarnationem Chriſti Maria de congruo meruit. 772.c
Quam illam ardentiſſimè Virgo poſtulauerit. 773.b

Incipientes.

Vide verbo, *Materia.*
Quæ illis materia pro meditatione aſſignanda. 583.c.& ſeqq.
Affectus ab incipientibus in oratione excitandi, Vide, *Affectus pro incipientibus.*

Incomprehenſibilitas.

De incomprehenſibilitate Dei. 802.e

Ineffabilitas.

De ineffabilitate Dei. 821.e

Infernus.

De acerbitate pœnarum inferni. 622.e
De loco illius. 623.c
De miſerrima ſocietate damnatorum. 624.b
De pœna damni. 625.a
De pœna ſenſus. ibid.d
De pœna particularium vitiorum. 627.a
De æternitate pœnarum. ibid.d
De magnitudine pœnarum. 628.d

Infinitas.

Dei infinitas. 813.b

Ingratitudo.

Vide, *Gratiarum actio.*
Ingratitudo cœlum claudit. 1166.e

Inſpiratio.

Inſpirationes diuinæ in oratione diligentiſſimè attendendæ. 541.c.& 543.a
Oratio eſt quædam indiſrupta inſpiratio. 542.c
Harum inſpirationum vtilitas ex Bernardo. 543.d
Attentiſſimis auribus audiendus Deus in his inſpirationibus. 544.e
Reuerenter excipiendæ. 545.b.& ſeq.
Quis ſit inſpirationum fructus. ibid.e
Quanta bona maneant inſpirationibus obedientem. 546.c.& ſeq.
Quàm ſit illis neceſſarium obedire. 548.a

Inſtinctus.

Vide, *Inſpiratio & ſpiritus.*

Intellectus.

In meditatione intellectus adhibeatur, vt ad voluntatis deueniamus affectus. 945.b
Chriſti Domini intellectus quàm perfectiſſimus,in quo illius nobis imitanda perfectio. 1088.a

An amoris affectus eò perueniat vt intellectum excludat. 1223.e
Eleuatio contemplationis ad intellectum & voluntatem pertinet. 1363.c

Intentio.

De pulchritudine rectæ intentionis. 636.a
De intentione præpostera fugienda. ibid.c
De intentione seruorum. 637.b
De intentione mercenariorum. 638.b
De intentione filiorum. ibid.c
De intentione recta. 639.e
De intentione simplici. 640.c
De intentione Deiformi. ibid.e
A diuina præsentia procedit. 145.c

Intuitio.

Veritatis intuitio est primus contemplationis actus, quid ille sit & cur hoc nomine appelletur. 1387.a
Hoc gradu anima in intellectu proficit & adfectu. 1388.a
Quomodo Deus vno videatur intuitu. 1389.d
Quomodo in intuitione voluntas Dei amore inardescat. 1390.c
Quomodo à Laurentio Iustiniano describatur hic gradus. ibid.e
Ex hac intuitione gaudium nascitur ineffabile. ibid.
Hoc gaudium sancta solet tristitia misceri. 1392.c
Intuitionis pax comes indiuiduus. ibid.d
Quomodo fiat hæc intuitio. 1396.b
Quomodo in hac intuitione se gerat intellectus, quomodo phantasmata. ibid. & seqq.
Quomodo nos Angeli iuuent ad hanc intuitionem. 1395.a
Quæ sint species huic intuitioni deseruientes. 1394.a
Quæ sit adfectio quæ ex hac intuitione dimanat. 1396.e

Inuidia.

Vt dimices aduersùs illam exercitium. 983.b

Inuisibilitas.

De inuisibilitate Dei. 819.c

Ioseph.

Ioseph sponsus Virginis peregrinationis eius socius. 771.b
Castissimus illius sponsus. ibid.e
Suspicio Ioseph circa puritatem Virginis. 776.b

Ira.

Vt contra illam dimices exercitium. 981.a

Isaac.

Cur plura cæcus quàm videns prophetarit. 295.c

Iudex.

Deus est iudex. 853.c

Iudicium

De terrore extremi iudicij. 615.b
De loco, tempore, personis interuenientibus in iudicio speciali. 616.a
De forma iudicij specialis. 617.b
De terribilitate vniuersalis iudicij. 618.c
De conflagratione mundi & conuocatione iudicandorum. 619.b
De aduentu iudicis & segregatione bonorum à malis. 620.b
De discussione vitæ bonorum & malorum. 621.a
De sententiæ prolatione ad bonos & malos. ibid.e

Iustificatio.

Iustificationis beneficium. 917.c

Iustitia.

Quomodo affectus circa illam eiúsque filias, misericordiam, veritatem & gratitudinem sit exercendus. 1026.b
Dei iustitia. 850.d
Deus iustitias loquitur. 851.d

Iustus.

Corona est legis gratiæ. 45.c

L.

Labor.

NVllus mortalis sine labore bonum aliquid consequitur. 419.b
Labor luci comparatur & cibo. 418.d

Lacryma.

Sunt orationis comites. 481.c
Quæ lacrymæ sint in oratione petendæ & expetendæ. ibid.d
Anima dum lacrymis irrigatur ortus efficitur. 482.e
Quomodo puerorum arma dicantur. 483.c
Qui sint paruuli qui lacrymis cœlum expugnant. ibid.d
Satis magna lacrymarum vis ostenditur. 484.a
Sponsum ad nos trahunt. ibid.d
Sex sunt gradus seu lacrymarum genera. 485.c.& seqq.
Septem media adhibentur vt lacrymas obtineamus. 489.e

Laus Dei.

De affectu laudis Dei. 1176.d
Quid sit laus Dei. 1177.d
Quotuplex sit. 1178.b
Quid & quod eius causæ. ibid.c
Formula faciendi laudes Deo. 1179.b
Laus Dei ab eius: Potentia. 1180.c; Prouidentia. ibid.e; Misericordia. 1181.b; Sustinentia. ibid.d; Iustitia. 1182.b; Largitate. ibid.d; Perfectione. 1183.a

Lectio.

Ante orationem præmittenda. 335.b
Est promissæ terræ exploratrix. ibid.e
Qualis futura lectio qua ad orationem præparamur. 336.b
Sit breuis. ibid.
Sit attenta. ibid.e
Sit meditationi apta. 337.c
Quando non sit necessaria. 338.b

Lectiones horarum.

Vide, *Horæ canonicæ.*

Leges.

Vt Dei leges obserues exercitium sanè optimum. 998.a

Leo.

Quid mysticè significet Leonem niuis tempore à Banaia percuti egregiè exponitur. 57.d

Liberalitas.

Dei liberalitas. 860.1

Lingua.

Quæ sit orationis Lingua. 330.d

Locus.

Locus orationis, vide verbo, *Oratio.*

Longanimitas.

De longanimitate Dei. 845.a
Longanimitas in oratione ariditatem curat, & desolationem. 536.e
Egregiè viris spiritualibus illam author commendat. 537.b
Pauli exemplo ad longanimitatem exhortamur. 538.c
Longanimitas in sancto Iob egregiè exprimitur. 539.c
Quàm sit orantibus necessaria. 540.b

Loquela.

Vide, *Auditio loquelæ Dei.*

Luxuria.

Quid sit. 977.a
Practicum speculatiuúmque exercitium vt luxuriam impugnes. ibid.

M.

Magi.

MAgorum adoratio. 779.d

Magister.

Quantopere sit necessarius spiritualis magister. 308.b.& seq.
Qualis hic futurus. 309.b
Optimè describitur. 310.d
Qua ratione cum illa agendum. 311.e
Omnis ei conscientiæ status aperiendus. 312.c
Illi promtè obediendum. 313.b
Salutaris stultitia est ab illo prudentissimum quémque edoceri. ibid.d
Etsi res spirituales non apprimè caleat, illi tamen obediendum. 314.c
Quid primum oportet vt suos edoceat alumnos. 315.d
Dona Dei spirituali magistro pandenda. 515.d

Magnificentia.

Dei magnificentia. 862.b

Magnitudo.

Dei magnitudo. 883.b

Mandata.

Vt mandata legis Dei diligenter obserues exercitium. 998.a

Manhu.

Spiritum orationis mysticè demonstrat. 9.b
Diuersa nomina quibus appellatur, quæ omnia in oratione quadrant egregiè. 27.a
Omnes eius proprietates, quę sanè multę orationem nimiopere commendant. 33.e
Manna primum die dominico cecidit, & annis durauit quadraginta. 35.b.
Quomodo saporem omnem contineret. 40.d
Cum Mannâ vt oleatum panem referebat, oratio latè & apprimè quidem contenditur. 47.b.& seqq.
Cur non semel in magna quantitate datum. 447.b

Manifestatio.

Admiranda manifestatio Dei, decimus-

quartus est contemplationis gradus. 1458.c
Tres sunt gradus in hac manifestatione. 1459. a
In quo positus sit hic gradus. ibid.c
Exemplis res illustratur. 1460.b
Animæ in hoc statu, quædam perfectissima Dei notitia immittitur. 1461.a
Quæ sit huius gradus perfectio. ibid.b
Spirituale dicitur coniugium. ibid.c
Quid Deus faciat in anima cui se tam aperte manifestat. ibid.e

Mansuetudo.

Dei mansuetudo. 866.b

Manus.

Manibus oratio comparatur, 79.c

Maria.

Mariæ Virginis salutatio latè explicatur, & affectus circa illam habendus declaratur. 152.b.& seq.
Cùm aue dicimus Virgini sanè multum gratulamur. ibid.d
Cùm Mariam, Dominam, illuminatricem, & stellam maris dicimus. 153.b
Cùm plenam, omnem quantum possumus plenitudinem condonamus. ibid.
Pluribus in illa modis quàm in alia pura creatura Dominum extitisse gloriamur. 154.c
Illustres omnes fœminas longo post se interuallo reliquit. 155.d
Mariani veri fructus multipliciter dicitur benedictus. 156.b
Nil in Maria sanctitate præclarius. 157.b
Quo modo concipienda cum personas in oratione cogitamus. 240.d
Dei per Angelum ad illam legatio. 646.a
Æterna Virginis electio. 754.c
Temporalis illius prædictio. 756.c
Ab antiquis, sanctisque Prophetis præsignata. ibid.e
Eius immaculata conceptio. 757.e.& seq.
Axæ petitio Annæ Mariam postulanti accommodatur. 758.d
Quales Virginis parentes. 758.a
Illius sanctissimi corpusculi efformatio multo mirabilis. ibid.e
Perfectio animæ sanctissimæ Virginis. 759.d
De natiuitate sanctæ Virginis. 761.a
Natalis Mariæ omnium quotquot fuere superat, si Christi demoues natalia. ibid.b
Illius præsentatio. 763.a
Maria adeps gratia meritissimo dicitur. ibid.c
Corporalis Mariæ perfectio ac pulchritudo. 764.c
Animæ illius pulchritudo mirabilis. 766.c
Gratia sanctissimæ Virginis quanta. ibid.d
Stellæ hoc est virtutes duodecim, quibus Virgo coronatur. ibid.e
Qualis fuerit sanctissimę Virginis vita in templo. 768.c
Illius desponsatio. 769.d
De Virginis annunciatione. 772.c
Meruit de congruo Christi incarnationem. ibid.d
Quam illam ardentissimè postularit. 773.b
Visitat Elizabeth. 774.c
Illius virgineus partus expectatissimus. 777.c
Quo filium recens natum amore dilexerit. 778.c
Quanta erga infantem Christum sedulitas Virginis enituerit. ibid.
Qualem se Virgo in filij circumcisione præstiterit. 779.c
Qualem cum Magis Christum adorantibus. ibid.e
Virginis purificatio. 780.e
Subiectio illius ad Christum prædicantem. 781.a
Compassio Mariæ cum filio patiente. 782.c
Illius exultatio cum Christo resurgente & cœlos ascendente. 784.c
Mariæ egressus è mundo. 785.c
Conuersatio illius ab ascensione vsque ad dormitionem ipsius. 786.c
Omnium nobis virtutum exemplar hoc tempore fuit Maria. ibid.d
Contemplatiuam & actiuam vitam suo nos docuit exemplo. ibid.e
Illius desiderium quo cupiebat à carne dissolui. 788.c
Mors eius longè fœliciſſima. 789.e
Illius assumtio gloriosissima. 791.b
Mariæ gloria. 792.c
Mariæ in terra veneratio. 793.c
Quæ sint à sanctissima Virgine virtutes postulandæ. 1034.c
Mariæ
- Humilitas. 1035.b
- Timor. ibid.c
- Obedientia. ibid.d
- Patientia. ibid.
- Stabilitas. ibid.e
- Mititas. 103.6.a
- Misericordia. ibid.b
- Virtutum singularitas. ibid.c
- Munditia. ibid.
- Pulchritudo. ibid.d
- Sapientia. ibid.e
- Fortitudo. ibid.
- Claritas. 1037.a
- Voluptas. ibid.b

Martyres.

Meditatio de martyribus. 799.d

Materia orationis mentalis.

In quot genera orationis materia à Doctoribus diuidatur. 575.b & seq.
Dei amor materiam facile ad orationem suppeditat. 577.b
Quam methodum teneat author in tradenda orationis materia. 579.c

Orationis materia pro incipientibus.

Quid sit homo. 586.c
Quis non sit hominis finis. 587.d
Quis sit vltimus finis hominis. 589.b
Quod sit officium hominis. 590.b
Quæ instrumenta ad suum munus acceperit homo. 591.a
Quàm sit stultum hæc media in propriam pernitiem vertere. ibid.e

De peccato.

De grauitate illius. 594.c
De grauitate ex causa eius. 595.d
De grauitate à persona in quam peccatur. 596.c
De grauitate ex pœnis. 597.b
De grauitate à bonis quibus priuat. 598.e
De grauitate ex multis malis. 599.a
De grauitate ab iis, quę illi insunt. ibid.e

De vanitate sæculi.

De breuitate rerum sæculi. 601.d
De exiguitate rerum sæculi. 602.d
De fallacia rerum sæculi. 603.c
De amaritudine rerum sæculi. 604.a
De fragilitate rerum sæculi. ibid.d
De miseriis rerum sæculi. 605.c
De periculis rerum sæculi. 606.c

De horrore mortis.

De mortis conditione. 608.b
De certitudine. 609.a
De incertitudine. ibid.d
De mortis timore. 610.e
De mortis amaritudine. 612.a
De mortis nuditate. ibid.e
De mortis iustorum & peccatorum differentia. 614.b

De terrore extremi iudicij.

De loco & tempore, & personis iudicij specialis. 616.a
De forma iudicij specialis. 617.b
De terribilitate vniuersalis iudicij. 616.c
De conflagratione mundi, & vocatione iudicandorum. 619.b
De aduentu iudicis, & segregatione bonorum à malis. 620.b
De discussione vitæ, tum bonorum, tum malorum. 621.a
De sententię prolatione ad bonos & malos. ibid.e

De acerbitate pœnarum Inferni.

De loco inferni in quo puniuntur reprobi. 623.c
De miserrima societate damnatorum. 624.b
De pœna damni, qua puniuntur reprobi. 625.a
De pœna sensus damnatorum. ibid.d
De pœna particularium vitiorum. 627.a
De æternitate pœnarum. ibid.d
De magnitudine pœnarum purgatorij. 628.d

De necessitate omnimodæ abnegationis.

De necessitate mortificationis corporis. 630.c
De necessitate mortificationis sensuum externorum. 631.b
De necessitate mortificationis sensuum internorum. 632.d
De necessitate mortificationis affectuum. 633.a
De necessitate mortificationis memorię. ibid.e
De necessitate mortificationis intellectus. 634.c
De necessitate mortificationis voluntatis. 635.b

De pulchritudine rectæ intentionis.

De intentione per postem fugienda. 636.c
De intentione seruorum. 637.b
De intentione mercenariorum. 638.b
De intentione filiorum. ibid.e
De intentione recta. 639.e
De intentione simplici. 640.c
De intentione Deiformi. ibid.e

Orationis materia pro proficientibus. De Saluatoris infantia.

De dispositione Dei in redemtione generis humani. 644.c
De legatione Dei missa per Angelum ad Virginem. 646.a
De incarnatione filij Dei. 648.c
De profectione Christi ad sanctificandum Ioannem. 649.c
De natiuitate filij Dei secundùm carnem. 651.a
De circumcisione & impositione nominis. 654
De apparitione & adoratione Magorum. 656.d
De præsentatione Christi. 659.b
De fuga in Ægyptum & reditu. 661.a
De remansione Christi in templo, & disputatione cum Doctoribus. 663.a
De ascensione Christi, vsque ad annos triginta. 664.d

De vita iussu Saluatoris vsque ad passionem.

De Baptismo Christi. 666.d
De secessione in desertum. 668.c
De reditu Christi ad homines, & qualitate vitæ eius. 670.c

Vitam Christi fuisse humillimam. 672.b
Fuisse paupertimam. 673.c
Fuisse purissimam. 674.c
Fuisse obedientissimam. 676.b
Fuisse religiosissimam. 677.d
Fuisse plusquam ecstaticam. 678.d
Fuisse vtilissimam. 680.c
Fuisse spiritualissimam. 681.c
Fuisse clarissimam. 683.a
Vitam Christi fuisse admirabilissimam. 684.d

De passione Iesu saluatoris.

De glorioso Christi ingressu in Ierusalem. 687.d
De cœna Christi & eius venditione. 689.d
De vltima cœna Christi legali. 692.a
De lotione pedum. 693.c
De institutione Eucharistiæ. 695.c
De exitu in hortum mœstitia & oratione. 698.c
De comprehensione Christi. 702.a
De deductione ad Annam. 705.b
De profectione ex Anna ad Caipham. 706.c
De trina negatione Petri. 709.a
De missione Christi ad Pilatum. 710.b
De transmissione Christi à Pilato ad Herodem. 713.a
De reductione Christi ad Pilatum & prælatione Barabbæ. 714.b
De flagellatione Christi. 716.a
De coronatione Christi. 718.a
De productione Christi ad populum & damnatione. 620.a
De bajulatione crucis. 721.c
De Christi crucifixione. 723.b
De ignominiis Christi in cruce. 725.b
De verbis Christi in cruce. 727.c
De morte Christi, ac signis mortem eius secutis. 730.c
De apertione sacri lateris. 731.b
De depositione Christi de cruce. 732.b
De sepultura Christi. 733.b

De resurrectione & ascensione Christi.

De descensu Christi ad inferos. 735.b
De resurrectione Christi. 736.c
De apparitione sanctissimæ Virginis Mariæ. 737.c
De apparitione Angeli ad mulieres. 738.c
Apparitio sanctæ Mariæ Magdalenæ facta. 740.a
Apparet mulieribus. 741.c
Apparitio facta sancto Petro. 742.b
Apparet discipulis ad Emauntes. 743.a
Apparet discipulis congregatis. 744.d
Apparet discipulis præsente Thoma. 746.a
Apparet discipulis ad Tyberiadem. 747.a
Apparet discipulis in Galileę mõte. 748.c
De ascensione Domini. 750.a

De Regina Ecclesiæ Maria.

De æterna illius electione. 754.c
De temporali prædictione. 756.c
De immaculata eius conceptione. 757.c
De natiuitate sanctissimę Virginis. 761.a
De illius præsentatione. 763.a
De corporali illius perfectione. 764.c
De sanctitate animæ Virginis. 766.b
De vita Mariæ in templo. 768.d

De sanctissimæ Virginis progressu.

De illius desponsatione. 770.d
De annuntiatione Mariæ. 772.c
De visitatione facta Elisabeth. 774.c
De suspicione Ioseph circa puritatem Virginis. 776.d
De expectatione virginei partus. 777.c
De sedulitate Mariæ erga Christum infantem. 778.c
De subiectione Mariæ ad Christum prædicantem. 781.a
De compassione Mariæ cum filio patiente. 782.c
De exultatione Mariæ cum Christo resurgente & in cœlos ascendente. 784.c

De egressu Mariæ virginis ex mundo.

De conuersatione Mariæ ab ascensione Domini vsque ad eius dormitionem. 786.b
De desiderio quo cupiebat à carne dissolui. 788.b
De fœlicissima dormitione Mariæ. 789.d
De gloriosa assumtione B. Mariæ. 791.a
De gloria Mariæ quam in cœlo habet. 792.c
De veneratione quã habet in terra. 793.c

De Angelis.

Meditatio vnica. 795.b
De Patriarchis & Prophetis. 797.b
De SS. Apostolis. 798.b
De SS. Martyribus. 799.c
De SS. Pontificibus. 800.d
De SS. Doctoribus. 801.c
De SS. Confessoribus. 802.b
De SS. Virginibus, & viduis & coniugatis. 803.a
De pulchritudine Ecclesiæ quæ ex his omnibus constituitur. 804.a

Materia orationis mẽtalis ad perfectos.

Decas I.

De esse Dei. 807.c
De spiritualitate Dei. 809.b
De simplicitate Dei. 810.c
De immortalitate. 811.d
De perfectione. 812.c
De infinitate. 813.b
De immensitate. 814.b
De immutabilitate. 816.a
De æternitate. 817.a
De vnitate Dei. 818.a

Decas II.

De inuisibilitate. 819.c
De incomprehensibilitate. 820.c
De ineffabilitate. 822.a
De veritate. ibid.c
De veracitate Dei. 823.c
De fidelitate. 824.d
De bonitate. 825.d
De pulchritudine. 827.d
De admirabilitate. 829.a
De vita Dei. 830.c

Decas III.

De sapientia Dei. 831.c
Deum esse omnium artificem. 833.c
Esse consiliarium. 834.c
Esse Lucem. 835.c
Esse illuminatorem. 836.a
Quòd profunda reuelet. 837.c
De amore Dei. 838.c
De zelo Dei. 741.c
De pace Dei. 842.d
Deum esse pacis authorem. 843.d

Decas IV.

De longanimitate Dei. 845.a
De misericordia Dei. 846.b
Deum esse consolatorem. 848.a
Esse protectorem. 849.b
Esse iustum. 850.d
Esse qui loquitur iustitias. 851.e
Esse rectum. 852.d
Esse iudicem. 853.c
Esse vltorem. 854.c
Esse terribilem. 855.c

Decas V.

De pietate Dei. 857.c
De beneficentia Dei. 858.b
De affabilitate Dei. 859.a
De liberalitate Dei. 860.b
De fortitudine Dei. 861.b
De magnificentia Dei. 862.b
De patientia Dei. 863.c
De benignitate Dei. 864.c
De clementia Dei. 865.c
De mansuetudine Dei. 866.b

Decas VI.

De suauitate Dei. 867.c
De dulcedine Dei. 868.c
De sanctitate Dei. 869.d
De puritate Dei. 870.d
Quòd Deus est creator. 871.c
Quòd sit conseruator. 873.a
De prouidentia Dei. 874.a
Quòd sit gubernator. 875.d
Quòd sit custos. 877.a
De dominio Dei. 878.d

Decas VII.

Quòd sit Dominus exercituum. 879.c
Quòd sit possessor cœli. 881.c
Quòd sit Rex. 882.b
De magnitudine Dei. 883.b
De sublimitate Dei. 884.b
De celsitudine Dei. 885.a
De amabilitate Dei. ibid.e
Quòd Deus est desiderabilis. 886.c
Quòd sit laudabilis. 887.d
Quòd sit incomparabilis. 888.d

Decas VIII.

Quòd sit diues. 889.d
Quòd sit legislator. 890.c
Quòd sit omnipotens. 892.a
De beatitudine Dei. 893.a
Quòd sit Saluator. ibid.c
Quòd sit merces nostra. 894.c
Quòd sit glorificator. 895.c
Quòd sit suscitator. 897.a
Quòd sit primus & nouissimus. 898.b
Quòd sit vltimus finis. 899.a

Decas IX.

Quòd Deus est Trinitas. 900.b
Quòd sit pater. 901.d
Quòd sit ingenitus. 903.a
Quòd sit à quo omnis Paternitas. ibid.d
Quòd sit Filius. 904.d
Quòd sit verbum. 905.d
Quòd sit imago. 906.c
Quòd sit Spiritus sanctus. 907.c
Quòd Deus est amor. 908.d
Quòd sit donum. 909.c

Decas X. de beneficiis diuinis.

De beneficio prædestinationis. 910.d
Creationis. 912.b
Conseruationis. 913.a
Redemtionis. 915.b
Vocationis. 916.d
Iustificationis. 917.c
Status religiosi. 918.d
Peculiaria beneficia. 921.c
Perseuerantiæ. 922.c
Glorificationis. 923.d

Affectuosæ orationis materia pro incipientibus.

Finis vltimus appetendus. 951.a
Omnia propter Deum inquirenda. 953.d
Quomodo affectus exercendi circa peccatorum odium. 955.d. & 959.a
Quomodo dolor de peccatis concipiendus. 961.c. & 964.c
Quomodo confitenda peccata. 968.a
Propositumnon amplius peccandi, & satisfactio quomodo facienda. 971.d
Quomodo gula expugnanda. 974.c
Quomodo luxuria. 977.a
Quomodo auaritia. 979.a
Quomodo ira. 981.a
Quomodo inuidia. 983.b
Quomodo acedia. 985.c
Quomodo vana gloria. 987.e
Quomodo superbia. 989.c
Quomodo quinque sensus mortificandi. 992.a
Quomodo passiones cohibendæ. 995.a
Quomodo mandata obseruanda. 998.a
Quomodo cordis puritas diligenda. 1000.c

Quomodo te in Dei timore conſeruet. 1003.a

Pro proficientibus.

Animę vires Chriſti exemplo reformandæ. 1005.a
Cordis affectus ad Chriſti cordis ſimilitudinem componendus. 1009.a
Operationes ad Chriſti exemplum perficiendæ. 1014.a
Omni ſe imperfectione exuere. 1017.b
Quæ Chriſti virtutes deſiderandæ ac petendæ. 1020.a
Quæ ab Angelis virtutes poſtulandæ. 1028.c
Quæ item à Sanctis. 1032.a
Quæ à B. Virgine. 1034.b
Quid ad perfectionem concupiſcendum. 1037.c
Imitationis Chriſti affectus aſſumendus. 1041.d
Chriſti humilitas imitanda. 1044.c
Eius paupertas. 1047.c
Eius puritas. 1049.d
Eius obedientia. 1052.b
Eius patientia. 1054.c
Patienti Chriſto compatiendum. 1057.c
Chriſtus patiens admirandus. 1060.a
De Chriſto patiente exultandum. 1062.a
In Chriſto patiente liqueſcendum. 1054.c
Qualiter Chriſto patiẽti vniemur. 1067.d
Qua ratione nos Chriſto offeremus. 1070.a
Qua nos Chriſto ratione donabimus. 1075.b
Qua nos ratione Chriſto conſecrabimus. 1078.a
Qua ratione nos Chriſto ſacrificabimus. 1080.a
Qua ratione nos holocauſtum faciemus. 1082.b
Quomodo nos Chriſto conformabimus. 1084.c
Quomodo nos erga Deum habebimus. 1086.d
Qualiter nos circa proximum. 1088.d
Qualiter erga nos ipſos. 1090.c
Quæ poſtulanda ad perfectionem obtinendam. 1091.e

Pro perfectis.

Fidei, ſpei, charitatis affectus. 1146.c.&ſeq.
De vſu actuali fidei. 1149.c
De vſu actuali ſpei. 1150.b
De deſideriis & poſtulationibus amoris diuini. 1151.a
De affectionibus amoris. ibid.e
De obſeruantia præcepti amoris. 1152.d
De tenendis proprietatibus amoris diuini. 1153.d
De affectibus amoris diuini. 1154.c
De deſiderio intimioris gradus amoris diuini. 1155.d
De deſiderio mediorum graduum amoris diuini. 1156.c
De deſiderio ſupremorum graduum amoris diuini. 1157.a
De gaudio de donis Dei. ibid.e
De quærenda pace cum Deo & tranquillitate cordis. 1158.e
De abſtractione ab omnibus creaturis. 1159.c
De reſignatione & perfecta oblatione in manibus Dei. 1160.c
De poſtulatione conducibilium ad vnionem. 1161.d
De quærenda conformatione, & ſimilitudine ad Deum. 1162.b
De aſpiratione ad diuinã vnionem. ibid.e
De iugi permanſione in Deo. 1163.d
De renouatione vnionis cum Deo. 1164.c
De dilectione proximorum. 1165.b
De gratiarum actione. ibid.e
De beneficiis factis humanitati Chriſti. 1171.c
De beneficiis factis B. Virgini. 1172.a
De beneficiis Angelis elargitis. ibid.d
De beneficiis Sanctis donatis. 1173.b
De beneficiis, quæ dantur iuſtis viuentibus. ibid.e
De beneficiis, quæ largitur Deus peccatoribus. 1174.c
De beneficiis in totam Eccleſiam collatis. ibid.e
De beneficiis ſpecialibus nobis aliiſque collatis. 1175.c

Materia contempl ationis.

Deus Optimus maximus, Chriſtus Dominus, Eccleſiæ ſtatus, Patria cœleſtis, mundus viſibilis, & nos ipſi. 1330.b vſque ad 1335.

Meditatio.

Vide verbo, *Affectus.*
Quæ ſit illius dignitas, illa omnes indigent. 225.d
Panis eſt quottidianus. 226.a
Variè definitur. ibid.
Eius definitio exponitur. ibid.d
Præcipuus eius ſcopus eſt vitæ emendatio. 227.a
Ad diſcurſum pertinet. ibid.b
Meditatio, quando ſpeculatio ſit. ibid.e
Quas debeat conditiones habere. 228.d
Cur meditatio rei naturam & proprietates tam ſeduló indaget. 229.c
Quî diuinorum meditator non opprimatur à gloria. 230.d
Stellioni comparatur & incudi. 230.c
Quatuor ſunt illius fines.
Primus, Deo cultum tribuere. ibid.d
Secundus, affectus ſanctos excitare. 231.a
Tertius, orationes puriſſimas fundere. ib.e
Quartus, vitã inſequentẽ corrigere. 232.d
In meditatione formanda colloquia. ibi.c
Meditationem eſſe difficilem, & vnde hęc difficultas ortum habeat. 233.d
Ex cordis inſtabilitate proficiſcitur. 234.a
Ex variis circumſtantiis. ibid.c
Ex dæmonum callida aſtutia. 235.a
Illa quodammodo beamur. 235.d
Eſt efficaciſſimum aſſequendæ ſanctitatis inſtrumentum. ibid.e
Quomodo ſpirituales accipitres meditatione efficiamur. 236.a
Dat vires vt proximos iuuemus. ibid.
In quo meditationis perfectio ſit poſita. ibid.c
Litterati ab illitteratis in meditatione vincuntur. ibid.d
Non raro plus proficit qui ſimpliciora meditatur. 237.b
Ipſe meditandi vſus eã facilẽ reddit. ibi.c
Opus eſt intellectus nõ imaginationis. ib.e
Mens arida quomodo ſe in meditatione gerat. 238.a
Philoſophica meditatio in quo à Chriſtiana differat. ibid.c
Qua ratione facilis efficietur meditatio. ibid.d
Quid in re qualibet meditanda. 239.a
Quis in meditando ex parte intellectus modus tenendus. ibid.d
In meditatione, qua ratione ſe intellectus exerceat circa perſonas. ibid.e
Circa verba ipſarum perſonarum. 243.c
Circa actiones. 246.c
Circa proprietates. 250.c
Circa cauſas myſteriorum. 254.c
Circa diuinorũ myſteriorũ effectus. 256.c
Circa modum agendi & patiendi. 259.a
Quæ perſonæ in meditatione occurrant. 239.d
Meditandi genus erga perſonas exemplis declaratur. 242.b.& ſeq.
Meditandi genus circa verborum conſiderationem declaratur, exemplíſque docetur. 243.c.& ſeq.
Meditandi genus circa actiones Chriſti & ſanctorum declaratur & exemplis illuſtratur. 247.b.& ſeq.
Meditandi genus circa proprietates per quinque animæ ſenſus egregiè declaratur, & docetur exẽplis. 250. d.& ſeq.
Meditãdi genus circa myſteriorũ cauſas, quomodo iſtæ cauſæ inueſtigãdę. 254.c
Meditãdi genus circa effectus myſteriorũ, quomõdo faciẽdũ exẽplis docetur. 259.c
Meditandi genus circa modos agendi & patiendi docetur & declaratur. 259.a
Quæ ſit meditatio per ſimilitudinem eius vſus triplex. 261.d
Deus per ſimilitudinem cum igne quomodo meditandus. 262.d
Quæ ſit meditatio per diſſimilitudinem, docetur exemplis. 264.a
Quæ ſit meditatio per ponderationem exemplis docetur. 265.d.& ſeq.
Quod ſit meditandi genus per ſuperiora & inferiora, exemplis declaratur. 267.e.& ſeq. 269.b.& ſeq.
Quomodo per antecedentia, comitantia & conſequentia ſit meditandum. 271.b
Tres meditandi modi declarantur. 272.c & ſeq.
Oratio pro aſſequenda meditatione. 279. 280.
Qualis ſit meditandi actio, quæ in oratione exercetur. 430.c
Omnis meditationis materia ad quatuor claſſes reducitur. 431.b
Meditationis finis Dei, noſtríque cognitio. 432.a.& ſeq. bene monſtratur.
Cuiuſcumque materiæ meditatio Chriſti meditatio eſt. ibid.
Modus meditandi per colloquia. 435.e. & ſeq.
Affectus in oratione excitãdi. 437.c.&ſeq.
Meditatio ad petitionẽ dirigenda. 445.d
Frequẽter in meditatione poſtulãdũ. 446.e
Meditationes pro incipientibus aſſignantur. 583.c.& ſeq. latè, vide verbo, *Materia orationis.*
Meditationes ad peccata pertinẽtia. 596.c
Meditationes de ſæculi vanitate. 600.e. & ſeq.
Meditationes de morte. 608.b.& ſeq.
Meditationes de extremo iudicio. 615.b
Meditationes de inferno. 622.c
Meditationes de omnimoda abnegatione. 629.c.& ſeq.
De pulchritudine rectę intentionis. 636.a
De Saluatoris infantia. 643.a
De Chriſto vſque ad Paſſionem. 665.e
De paſſione. 685.d
De reſurrect. & aſcẽſione Chriſti. 734.a
De B. Virg. Maria. à fol. 753.c. vſq; ad 793
Meditationes ſeu contemplationes de diuinis perfectionibus, vide, *Contẽplatio.*
Cœleſtium contemplatio ſeu meditatio ad prauos affectus corrigẽdos, & bonos eliciendos ordinatur. 942.a.& ſeq.
Meditatio affectiua pro incipientibus, proficientibus & perfectis, vide verbo, *Affectus.*& verbo, *Materia orationis.*
Meditatio laborioſa eſt. 1108.c
Fœminę Euangelicæ drachmam quærenti meditatio contenditur. ibid.
Quid meditationis nomine intelligatur, & quod contemplationis ſtudioſo numquam deſerenda. 1245.d

Memoria.

Memoria Chriſti qualis. 1007.d
Aſpirandum nobis vt iſti memoriæ conformemur. ibid.e

Meritum.

SS. Virgo de congruo incarnationem meruit. 772.c

Miniſter.

Vide, *Sacerdos.*

Miſericordia.

Quomodo affectus circa illam exercendus. 1026.d
Miſericordia Dei. 846.b

Mors.

De horrore mortis. 607.b
De mortis conditione. 608.b
De mortis certitudine. 609.a
De mortis incertitudine. ibid.d
De mortis timore. 610.e
De mortis amaritudine. 612.a
De mortis quam affert rerũ nuditate. ibi.e
De mortis iuſtorum, & peccatorum diſcrimine. 614.b
SS. Virginis mors lõgè fœliciſſima. 789.d

Mortificatio.

Vide, *Abstractio.*
De necessitate illius. 629.c
De necessitate mortificationis corporis. 630.c
Sensuum exteriorum. 631.b
Sensuum interiorum. 632.b
Affectuum. 633.a
Memoriæ. ibid. e. intellectus. 634.c. voluntatis. 635.b
Vt quinque sensus mortifices exercitium. 992.a
Vt passiones mortifices exercitium. 995.a
Contemplationis amatori mortificationi nimiopere vacandum. 1244.

N.

Natiuitas Christi.

CHristi natiuitas. 651.a

Nouissima.

Quatuor nouissima. Vide verbo, *Mors, Infernus, Iudicium.*

O.

Obedientia.

QVomodo affectum circa illam possis exercere. 1022.a
De imitatione obedientiæ Christi. 1052.b
Christi obedientia qualis. 676.b

Oblatio.

Qua te Christi ratione offeres. 1070.a

Obligatio status.

Propter orationem non relinquenda. 548.c.& seq.
Ea perficere quæ obligatio petit status orationem non impedit. 550.b

Obstetrix.

Obstetricum Ægypti historiæ bellè exponitur mysticè. 305.d

Occupatio.

Qua sint ratione noxiæ viris spiritualibus abiiciendæ. 293.b
Ab illis discedendum si Deo in oratione perfrui desideramus. 294.b
Qua ratione cum vtilitate exercendæ & quæritandæ, quæ verò amplexandæ. 296.b
Occupata terrenis anima Deo sponso suo ianuam non aperit. 299.b
Quæ occupationes contemplatori moderandæ. 1240.b

Officium diuinum.

Vide, *Horæ canonicæ.*

Oratio in genere.

Orationis spiritus manna Israëlitico demonstratur quo alimur ad studiosè castéque viuendum. 9.b
A Iustiniano Laurentio nimiopere commendatur. 11.c
A Climaco, mundi constantia, lacrymarum mater, & filia, pons tentationum, Angelorum opus, virtutum cibus, dicta. ibid.e
A Simone de Cassia Syróque Ephræmo miris laudibus decoratur. 12.b
Eius laudes extollit Nyssenus. 13.b
Communissimè sumta definitur. ibid.d
Est cibus ac nutrimentum animi. 14.e
Orationis studium cœlitus fuit hominibus demonstratum. 15.c
Cur panis de cœlo nominetur. 16.a
Quando detur, auferatúrque hic orationis panis. ibid.e
Cœlestis dicitur cibus quia quos pascit ad cœlestia sustollit. 17.c
Solùm cœlestis homo Christus hunc poterit nobis cœlestem cibũ elargiri. 18.b
Vtrùm Enos orationis author extiterit. ibid.c
Diuinæ est electionis indicium. ibid.d
Orationi dediti auibus, gemmis, ac Soli comparantur. 17.d
Angelos & homines Deus orationis pane refecit. 19.a
Adamus à Deo orandi artem in prima sui conditione susceptit, cum sopor ei immissus dicitur, & qualis hic fuerit. ibi.e
Exemplo Christi nobis orandum mirabili Augustini authoritate probatur. 20.e
Cibus oratio dicitur quia sui participes cœlis adscribit. 21.b
Oratione in cœlestes nos homines transformari Moysis exemplo demonstratur. 22.a
Idem nobis Christus sua transfiguratione significari voluit. ibid.c
Christus Dominus semper orasse demonstratur. 23.a
Orationis cibus violenter cœlo diripiendo vires suppeditat. ibid.e
Orationis cibo Angeli semper vtuntur. 24.a
Iusti omnes hoc reficiuntur orationis pane. ibid.e
Iusti Angelos in oratione lacessunt, eósque superare contendunt. 25.e
In oratione, præsidium fidelium constitutum. 27.a
Oratio est esca, quæ iumentis datur, & hominibus. & quid hoc sit. ibid.d
Oratio absolutè cibus appellatur, summà eius necessitas exemplo egregio declaratur. 28.e
Non corporalis tantùm sed spiritualis est medicina doloris. 29.a
Cur Christus multos ipsorum præuia oratione sanauerit. ibid.b
Orationi addicti viri temporalia contemnunt. ibid.d
Oratio Danielem, Ionam Petrúmque liberauit. ibid.
Orationis cibus vera Coliphia quibus spirituales athletæ saginantur. 30.c
Parabola illa de tribus panibus ab amico mutuatis Lucæ 11. de oratione egregiè explicatur. ibid.e
Oratio nobis omnem perfectionem importat. ibid.e
Panis, pisces ouíque apud Lucam 11. peritio mysticè exponitur, de fide, spe, & charitate quæ omnia oratione comparantur. 31.d
Perfectionem oratione obtineri nos Dominus in Dominica oratione docuit. 32.a
Est veluti substantia ac fundamentum eorum, quæ spiritu possidemus. ibid.d
Oratio cum manna in multis confertur, latè quidem & egregiè. 33.c.& seq.
Animi ægritudines sanat. 35.c
Oratione vitia prosternuntur. 36.e
Animi morbos depellit dum eorum fœditatem deprehendit. 37.c
Ægritudinibus medetur animi dum eâ mens contrariis actibus conualescit. 38.c.& 40.d
Quibus ad orationem gressibus anima procedat. 4.b
In spirituali incessu, orationis gressus sponso maximè charus. ibid.
Quantæ ex orationis manna vtilitates proueniant. 39.d
Instar manna omnium virtutum saporem habet. 41.c
Multis illa modis commendatur. ibid.e
Oratione anima virtutibus theologalibus moralibúsque nutritur. 42.c
In oratione non tantum omnium virtutum suauitas, sed substantia etiam inuenitur. 43.b
Quomodo floreant orationi vacãtes. 44.a
Orationi dediti virtutum cognitione replentur, illarúmq; magistri efficiuntur. ibid.
Quomodo in oratione virtutem magni reputemus. ibid.c
Suiipsius diffidentia oratione insequitur. 45.a
Adsequendis virtutibus robur addit, vires que sufficit. ibid.c
Ab oratione spiritualium donorum abundantia. ibid.e
Viri spirituales orationi vacantes corona sunt anni benignitatis Dei. ibid.
Oratio deuotionis panis & vinum dicitur. 47.b
Orationis gustato pane mens robusta redditur, & prompta. 48.a
Cur multi orationi vacantes cadant, egregiè demonstratur. ibid.b
Instrumenta omnia virtutibus assequendis necessaria oratione cõparãtur. 44.d
Quãti per orationẽ virtus æstimetur. ibi.
Oratio, cur panis, cur oleum, cur mel dicatur. 47.a
Mentis suauitas quomodo ab oratione quæ oleum dicitur dimanet. 48.d
Consolatio spiritualis quasi dulcissimum mel ab oratione prouenit. 50.c.& 51.c,d
Oratio panis est fortium cibúsque membrorum. 352.c
Est esca, quæ vires instaurat, aqua, quæ sitim extinguit, & qui membra reficit somnus. 53.c
Est cibus ille quem fratribus recedentibus ex Ægypto verus Ioseph Christus gratis dedit. ibid.e
Est fons ascendens de paradiso irrigans terræ superficiem, & quid in nobis irriget. 54.c
Hac aqua irrigandi si viriditas feruoris conseruanda. 55.b
Nostras operationes orationis aquis irrigandas sancti Iacobi exemplo docemur. ibid.c
Est quies animæ, illa velut scuto muniendis. 56.c
Illa dæmones vincuntur & viuentium terra expugnatur. 58.b
Aduersarij generis humani impediendæ orationis causa solùm contra nos pugnant. ibid.c
Dæmones vincit quia diuinam impetrat gratiam. 59.a
Fumus piscis Tobię est oratio nostra. ibi.b
Oratio nostra quomodo Christo subnixa valorem habet. ibid.
Casus orationis absentiæ, victoria præsentiæ merito tribuitur. ibid.c
Odoramentis comparatur. 59.c
Cur vna cùm sit tot vitiorum dæmones eiiciat. ibid.& 61.b
Thymiamate figurata. 60. d. quod bellè exponitur.
Aduersariorũ plagas dolósq; detegit. 61.b
Si Deum per orationem consulueris decipieris numquam. 61.d
Orationis rore quomodo mortui reuiuiscant. ibid.c
Illa dæmonem vincimus cũ sit omnium exercitatio virtutum. 62.b
Armamentarium est, & rerum omnium officina. ibid.d
Oratio panis est Gedeonis. 63.b
Est gladius quo defendimur. ibid.c
Omnia necessaria in cœli itinere nobis oratio suppeditat. 64.b
Instar colũnę nobis prælucet in Patriã. ib.e
Sanè optima cum Israëlitica columna orationis contentio. 65.b
Qua ratione ducis officio fungatur oratio. 66.a
Ab illa robur nobis ad ambulandum. 67.b
Anima Dei mensam aditura oratione ornatur. 68.a
Oratione veræ legis tabulæ efficimur. ibi.
Ad cœlestes nuptias oratione anima ornatur. ibid.c
Oratio Dei populo concessa non aliis. 70.c.& 74.d
Nulla multarum gentium oratio. 70.e
Quę fuerit gentium ad idola oratio. 72.d
Qualis Philosophorum oratio. ibid.e
Quanta fideles oratione adsequãtur. 74.e
Differt à manna, illa æquali mensura, hæc inæquali conceditur fidelibus. 75.d
Oratio oris est ratio. 77.c

INDEX

Cur ars ante omnes artes appelletur. 78.a
Illâ mentem ornamus. 77.d
Oratio homini pro manibus, illíſque eſt multo perfectior, latè cum illis comparatur. 78.d
Eſt organum ante organa, ſeu inſtrumentum ante inſtrumenta omnia. ibid.e
Corporeis manibus longè vtilior. 79.c
Scutum eſt indignationis Dei ſagittis depellendis. 80.a
Orationis manu inimicos ſuperamus. 81.c
Orationis manu diuitiæ omnes comparantur. ibid.d
Quid ſit ſine intermiſſione orare. 102.b
Orationis diſciplina tripliciter addiſcitur, ſola Dei eruditione, propria induſtria vel aliena doctrina. 281.a
Huius triplicis ſcientiæ typus Moyſes, Beſeleel & Aaron extiterunt. 282.c
Quàntopere ſit vitæ puritas orationi neceſſaria. 287.d
Similitudinibus animi ad orationem puritas commendatur. ibid.e
Adfectus ante orationem moderandos optimè probatur. 290.d
Qua diſcretione noxiæ & ſuperfluæ abiiciendæ cogitationes ei qui vult orare. 293.b
Apta materia parandis affectibus in oratione eligenda. 944.b
De ſenſu illorum verborum, oportet ſemper orare & numquam deficere. 1295.e & ſequentibus latè.
Veris oratoribus omnis locus congruit, 1299.c
Continua oratio commendatur. 1300.d
Omni operi admiſcenda oratio. 1301.e
Orationis ſtudium quomodo fiat exercitatione facilius. 1303.b

Oratio vocalis communis.

Eſt colloquium cum Deo, & cur ita appelletur. 85.b
Quàm ſe latè fundat. ibid.d
Quibus nã de cauſis vocibus oremus. 86.c
1. Vt nos ad bona deſideria moueamus. 87.b
2. Ne bonum langueſcat deſideriũ. ibid.d
3. Vt in bono memoria ſtabiliatur. 88.a
4. Vt ſpiritu corporéque conſtantes vtroque à Deo pendere fateamur. ibid.c
Alia priuata, alia publica. 89.a
Priuatæ publicæq; orationis exẽpla. ibi.b
Quàm ſit vtilis. ibid.c
Oratio vocalis publica conuiuium eſt opiparum. 69.d
Quanta debeat eſſe publicè orantis puritas & ſanctimonia. 97.c. integro capite.

Oratio vocalis priuata.

Alia propriis verbis, alienis altera. 166.b & quæ ſit vtraque. ibid.
Quæ propriis ſit verbis perfectior & quare. 167.a
Quamdiu protelanda. ibid.b
Quid in oratione ab alia compoſita cum recitatur obſeruandum. 168.a

Oratio Dominica.

Nihil licitè poſtulamus quod oratione Dominica non contineatur. 143.c
Cur omnium ſit orationum digniſſima. 144.a
Patrem in initio nominamus. ibid.d
Cur Pater noſter, non verò mi dicitur. 145.a
Cur illum in cœlo eſſe dicamus, & quid cœlorum nomine intelligatur. 146.a
Dum Dei nomen ſanctificari deſiderat homo, ſui humilitatem & Dei gloriam concupiſcit. ibid.c
Quid per Dei Regnum intelligendum ſit. 147.c
De multiplici pane quo à Deo cibari deposcimus. 149.b
Tota oratio exponitur latè. ibid.

Oratio mentalis.

Eius excellentia commendatur. 169. in prologo definitur. & cur vocetur aſcenſus declaratur. 171.a, & ſeqq.
Incenſi inſtar ex aureo mentis altari ad Deum aſcendit. 171.c
Quibus ad Deum inſtrumentis mens aſcendat. 172.c
Intelligentia & voluntate oratio aſcendit ad Deum. 174.c
Quibus aliis in oratione ad Deum aſcendamus. 175.c
Eſt mutua intellectus & voluntatis functio. 176.c
Aliquando ardentiùs petimus cùm nihil expreſsè poſtulamus. 178.b
Naturalis lux orationi non ſufficit. 179.d
Supernaturalis lux requiritur. 180.c
Quotuplex ſit ſpiritualis hæc lux. 181.c
Lux fidei orationi neceſſaria. ibid.
Lux quæ à quatuor Spiritus ſancti donis proficiſcitur, in oratione reperitur. 182.c
Quantum hæc lux in oratione præſtet Franciſci Borgiæ exemplo monſtratur. 183.b
Vis ſanè miranda quam lux hæc nobis præbet. 184.c
Lux alia quæ eſt gratia gratis data, quæ ad prophetiam reuocatur. 185.b
Quæ lux in oratione poſtulanda, quæ verò non. ibid.e
Tria auxilia quæ in oratione confert Deus. 188.b
Primum auxilium potentię motrici comparatur. ibid.c
Secundum auxilium auium pennis ſimile eſt. 189.b
Tertium auxilium impetus è quo in Deum non tam agit quàm agitur anima. 190.a
Verbum illud Domini vt clauſo cubiculo oremus de mentali oratione intelligendum. 192.b
Beatitudo quædam in via oratione conſequimur. 193.a
Eſt inſtrumentum aptiſſimum vt in perfectione creſcamus. ibid.d
Eſt animę clauſtrum. 193.e
Oratione nimiopere erudimur. 194.a
Quæ nos conſiderare doceat oratio. ibi.c
Quàm ſit ſpirituali viro neceſſaria. 195.b
Quantopere ſit quærenda eius ſcientia, quæ alias longè ſuperat. ibid.c
Inſtrumentum eſt aptiſſimum omnibus virtutibus adſequendis. 196.a
Myſtica eſt veteris arca Teſtamenti. ibi.c
Orationis fructus permanens. ibid.e
Malleus eſt deſideria virtutis altius infigens. 197.a
Robur ſuppeditat vt fructum ex ipſa perceptum tentationis tempore cuſtodiamus. ibid.d
Quomodo oratio multiplex ſit. 198.d
Eius ſpecies quatuor. 199.d
Quid ſit obſecratio, oratio, poſtulatio, & gratiarum actio. 200.b
Harum omnium in Chriſto habemus exemplum. ibid.d
Nouem orationis ſpecies iuxta Angelorum choros. 201.b
Sex orationis gradus. 202.c.& ſeq.
Primus in imaginatione & ſecundùm imaginationem. ibid.
2. In imaginatione & ſecundùm rationem. ibid.e
3. In ratione & ſecundùm imaginationem. 203.b
4. In ratione ſecundùm rationem. ibid.d
5. Supra rationem, ſed non præter rationem. 204.a
6. Supra rationem, ac præter ratiõnẽ. ibi.b
Oratio intellectiua alia affectiua. 205.b
Ex intellectiua ad affectiuam progrediendum bellis comparationibus monſtratur. ibid.e
Affectiua quomodo intellectiua vtatur. 207.a
Intellectiua an adfectiua perfectior, difficilior, ſecurior? 208.b
Vide, *Cogitatio, Meditatio, contemplatio.*
Orationis ſpecies tres, & quomodo diſtinguantur. 210.d
Quibus rebus in Scriptura ſignificatæ. 212.b
Sine meditatione tepida. 232.a
Quæ ſit præcipua orationis cura. 233.c
Oratio, maior doctrina & exemplo dicitur à Bernardo. 236.b
Orationi mentali, vitæ puritas nimium neceſſaria. 285.a
Quantopere ſit orationi vitæ puritas neceſſaria. 287.d
Similitudinibus animi ad orationem puritas commendatur. ibid.e
Cordis lectulum neceſſe eſt vt ſit floridum, ſi in oratione ad nos ſponſum aduenire deſideramus. 288.c
Puritati ad orationem neceſſariæ leuia officiunt peccata. 289.c.& 290.a
Adfectus in oratione moderandus optimè ſanè probatur. 290.d.& ſeq.
Qua diſcretione noxiæ ſuperfluæque cogitationes ad contemplationem debeant repelli. 293.b
Non niſi menti quietis nobis in oratione loquitur Deus. 294.d
A turbis ſemotis loquitur Deus & videtur. 295.c
Illi quantopere ſolitudo neceſſaria, & quædam à rebus cæcitas Iſaac & aliorum exemplo bene monſtratur. ibid.d
Ad hanc non admittuntur qui inanibus occupantur. 296.c
Occupationes externæ quomodo à contemplatore exercendæ. 298.b.& ſeq.
Quæ deſideria, quas ſolicitudines vitare teneatur vir orationi vacãs. 300.c.& ſeq.
Cogitationes abiiciendæ ſi huic velimus orationi vacare. 302.a
Huius orationis officina cur dicatur cor noſtrum. 303.a
Quàm ſit neceſſarium ad orationem cor ab omni vano deſiderio liberum præſtare. ibid.c
Quàm etiam affectus omnes longè expellere. 304.a,d
Quàm ſint ſuperfluæ cogitationes & noxiæ vitandæ. 305.b.& ſeqq.
Quàm ſint moleſtiæ & ſcrupuli propulſandi. 307.b.& ſeq.
Huius orationis Magiſter Deus. 308.b
Oratio Magiſtro indiget. ibi.e
Qualis futurus hic orationis Magiſter. 309.b.& ſeq.
Optimè orationis Magiſter deſcribitur. 310.d
Cum Magiſtro orationis quomodo agendum. 311.d
Omnia quæ ad orationem pertinent Magiſtro ſpirituali aperienda. 312.c
Salutaris ſtultitia eſt ab alio in oratione doceri. 313.b
Clauis eſt aperiens cœlorũ Regnũ. 327.b
quæ oratio cœlos penetret, quę verò non. 328.b
quæ dicatur oratio mercenarij. ibid.
Feruens oratio Thuri comparatur. ibid.d
Quæ ſit orationis lingua. 330.d
Eſt conuiuium & armamentarium. 341.c
Quàm optimè apparitio dicatur egregiè oſtenditur. 360.c
Hoſtia & ſacrificium appellatur. ibid.
Omni tempore orandum. 377.d
quid orationem maximè impediat. 378.a
quies eſt animæ. 381.a
Oratio protelanda dum deuotionis ſpiritus adeſt. 382.c
Cibus eſt & potus animæ. 383.c
Cur dæmones nos ab oratione tantopere conentur auocare. ibid.e

De fine orationis.

Finis debitus orationi præfigendus. 315.d
Quos fines in ſua oratione ſpiritualis vir reiicere debeat. 316.d
Qualis ſit orationis finis. 317.b
Oratio inſtrumentũ eſt perfectionis. ibi.d
Primus orationis finis eſt ſui abnegatio, quod ita eſſe exemplis probatur. 318.b
Quinam hunc ſibi finem debeant præ-

scribere. ibid.d
Secundus orationis finis est virtutum omnium acquisitio. 319.c
Oratio est gladius, quo hostis occiditur, & illius terram nostri dominij facimus. 320.a
Secundus hic finis orationis est pars illa quæ extra fratres datur Ioſepho. ibid.
Tertius orationis finis è perfectissima cum Deo per charitatem vnio. ibid.c
Ad Deum per orationem ascensus declaratur. 321.a
Vitæ puritas ad orationem ordinatur & ad vitæ etiam puritatem oratio. ibid.e

De his quæ ante orationem.

Orationis non commune sed speciale desiderium ad illam proximè disponit. 323.b
De nocte cogitandum mane mihi ad Deum orandum. ibid.d
Primo mane de oratione statim cogitandum. ibid.e
Iusti ante orationem illius in se excitant desiderium. 324.c
Orationis desiderium eam fructiferam reddit. ibid.e
Iuxta desideria nostra oratio nobis deuota conceditur. 325.b
Desideriis vult sponsus à nobis inuitari. ibid.c
Orationis desiderium inchoata fœlicitas. 326.a
Hoc desidetio orationis spiritus attrahitur. ibid.d
Orationis desiderium accenditur primò ex dignitate Dei quo cum loquimur. ibid.e
2. Ex rerum magnitudine quas à Deo impetraturus ingrèdior. 327.b
3. Ex mira quæ præcipiuntur vtilitate. ibid.d
Cor viuidum & erectum ad orationem afferendum. 328.a
Ad Deum quomodo erigendum. 329.d. 330.a
Feruoris & vigoris lingua ante orationem quærenda. ibid.d
Tria ante orationem præstanda, vt vigor cordis ad orationem adquiratur, à lecto vel ab occupatione diligenter discedere. 331.b
Secundum vt cor tuum colligas, & ad ea quæ meditaturus es ascendas. ibid.d 332.c
Tertium vt ad orationem vt ad opus in quo tibi laborandum accedas. 333.c
Res in oratione meditanda ante illam sedulò præparanda. 334.a
Quo tempore hæc præparatio facienda. ibid.e
Hæc ad orationem præparatio lectione comparatur. 535.b
Hæc ad orationem præparatio est promissionis terra exploratrix. ibid.e
Qualis futura lectio qua ad orationem disponimur. 336.b
Sit breuis. ibid.
Sit attenta. ibid.e
Sit meditationi accommodata. 337.c
Quando non sit hæc lectio necessaria. 338.b

De affectu ante orationem præueniẽdo.

Qua sit ratione affectus ante orationem eliciendus. 339.c
Affectuum in oratione diuersitas. 341.a
Orationis materia simul & affectus per lectionem parandus. 342.b
Dei præsentia quantopere ante orationem necessaria. ibid.e
Mosis exemplo ad Dei præsentiam hortamur. 344.a
Multipliciter Christus præsens consideratur. 345.a.& seq.
Quomodo nos rebus obiiciamus, vel nobis res, locáque de quibus & in quibus aliquid meditandum. 347.c
De præsentia Dei per imaginem corpoream. 348.c & per nullam imaginem. 351.d
Quinque modi præsentiæ Dei declarantur. 352.c.& seqq.
Primo orationis congressu diuina Maiestas adoranda. 355.& seqq.
Quantum valeat ante orationem & humilis adoratio. 357.a
Quæ & qualis hæc adoratio sit. ibid.d
In quo exterior consistat & interior. 358. & seqq.
Oratio pro adorando Deo & Christo facienda. 357.c
Ante orationem nostrarum rerum omnium oblatio facienda. 360.a & 361.b
Corpus & anima offerenda ante orationem & quomodo. 362.c.& seq.
Gratia ad orandum ante orationem postulanda. 364.c
Quomodo & quibus verbis petenda. 365.c
Præludia ad orationem tredecim declarantur. 367.e
Quæ remota, quæ proxima. 368.d
Oratio pro assequendo orationis dono. 369

De orationis comitibus.

Primus est locus ad orãdum aptus. 369.a
Vbique orarunt Sancti. 371.c
Cor orationis locus. 372.b
Nos templa sumus vbi orare possumus. ibid.d
Dignissimus orationis locus tẽplum. ibi.e
Consuetudo orandi in templum vel versus templum. 373.b
Huius loci laudes. ibid.e
Cella locus orationi aptus. 374.b
Pro libito clarus vel obscurus locus eligendus. ibid.e
Locus obscurus cur ad orandum aptus. 375.c
Loci obscuritas per tenebras Passionis significata. ibid.d
Montes & nemora locus ad orandum aptissimus. 376.a
2. Comes orationis est tempus accommodatum. 377.d
Quæ tempora orationi aptiora. 378.c
Lux solis ad orandum prœuenienda. 379.a
Matutinum tempus orationi aptissimum. ibid.d
Peccatis odio habendis hæc ora accommoda. 380.d
Diuinis item inspirationibus accipiendis. ibid.
Vespertinum tempus etiam accommodum. 381.a
Nocturnum tempus aptissimum. ibid.d
Nocturnæ orationis laus. ibid.e
Tempus post mediam noctem orationi aptum. 382.a
Tempus pro vniuscuiusque qualitate orationi assignandum. ibid.c
Tempus orationi designatum minimè ferendum. 383.c
3. Orationis comes corporis habitudo. 384.c
Illa eligenda quæ adfectus excitet. ibid.e
Humillima corporis habitudo si ob ægritudinem impedit relinquenda. 385.e
Externa habitudo interioris deuotionis indicium. ibid.e
Apta corporis habitudo reuerentiam præsentibus ingerit. 386.a
Hãc nos Christus habitudinẽ docuit. ibi.d
Genuflexio optima corporis habitudo. ibid.b
Stantis habitudo cuicumque affectui conuenit. 387.d
Sedentis habitudo etiam apta. ibid.e
4. Orationis comes sui diffidentia. 388.c
Propria diffidentia intellectum illuminat, voluntatem inflammat. ibid.
Sibi fidentes in oratione odio habet Deus. ibid.d
Qua ratione nobis diffidentibus ad orationem accedemus. 389.a
Auxilia diuina ad orationem maximè necessaria propriam diffidentiam possunt ingenerare. ibid.d
Experientia propria diffidentia comparatur. 390.d
Quibus modis fiduciam propriam à nobis Deus expellat. 391.b.& seq.
Sine propria diffidentia nullus in oratione profectus. 692.a
Cum magna sui diffidentia accedendum ad orationem. 393.b
Qui sibi in oratione confidit impius iudicandus. ibid.e
Hæc diffidentia duplex, intellectus & voluntatis. 394.b
5. Orationis comes est reuerentia. ibid.c
Fiduciam in Deo, & diffidentiam nostri reuerentia consequitur. ibid.
Quæ reuerentia & quis honos Deo conferendus. 395.b
Reuerentia accendit Dei amorem atque feruorem. ibid.c
Reuerentia affert attentionem. ibid.e
Reuerentia facit vt in oratione exaudiamur. 396.c
Angelorum præsentia parit reuerentiam. ibid.d
Reuerentia gratiæ præuenientis signum. 397.a
Interior orationis reuerentia in quo posita. ibid.c
Quomodo hæc reuerentia in colloquiis & petitionibus orationis seruanda. 399.a.& seq.
6. Orationis comes est attentio. 402.c
Oratio mentalis nequit ab attentione separari. ibid.c
Orationis mentalis substantiam tollit distractio. 403.b
Quo tempore orationi distractio noceat. ibid.d
Orationis attentæ fructus. 404.c
Quæ iuuent ad orationis attentionem. 414.c.& seq.
7. Orationis comes est solicitudo discreta. 418.c
Quanta diligentia orationis bonum cõparandum. ibid.& 420.a.& seq.
Suauiter & sine solicitudine aut anxietate in oratione persistendum. ibid.d
8. Orationis comes ordo meditandorum. 422.c.& seq.
Meditandorum ordo ex Richardo. 424. a.& seq. & ex Gerson. 425.a
Non semper in oratione peccata meditanda. ibid.d
Ordo in affectibus qui est in oratione seruandus. 426.c.& seq.
Quæ stabilitas in oratione circa meditationes seruanda. 428.d
9. Orationis comes meditandi modus & ratio. 430.b
Qualis futura meditatio quę in oratione exercetur. ibid.c.& seq.
Quid sit in orationis materia ingredi & egredi. 432.a. & seqq.
Dei nostráque cognitio in oratione quærenda. ibid.
Orationis fines (nouerim te & nouerim me) optimè declarantur. ibid.
Oratio per colloquia. 433.a.& seq.
Non semper in oratione loquendũ. 436.a
10. Orationis comes affectuum excitatio. 437.d
Omnis oratio ad affectus principaliùs ordinatur. 438.a
In oratione affectus excitandi & quomodo. 440.c
Vt affectus in oratione excitemus, octo regulæ assignantur & explicãtur. ibi.d
11. Orationis comes petitionum effusio. 445.d
Quàm necessaria sit in oratione postulatio. 446.c
Materia orationis mentalis qualis pro omni statu, vide, *Materia orationis.*
Quando orationis præcepto teneamur. 447.d

Quid & quomodo in oratione mentali petendum vide, *Petitiones.*
Quatuor sunt propter quæ in oratione infallibiliter exaudimur. 463. a vsque ad 469
Aliæ sunt causæ quæ admodum iuuant vt in oratione exaudiamur. 469. a vsque ad 476
Duodecimus orationis comes lacrymæ. 481.d
Orationis omnes comites breuiter recensentur. 485.b
Quæ mentalem orationem sequuntur. 457.c
Substantialis solidáque deuotio ex orationis studio proueniente seruanda. ibid. Vide verbo, *Deuotio.*
Oratio deuotionis est excitatrix. 501.d
Ex oratione promtitudo ad bonum exoritur. 498.c
Ex oratione suauitas & deuotio procedit. 503. b
Vide verbo, *Deuotio.*
Consolatio sensibilis ab oratione ortum habet. 507.d
Vide, *Consolatio.*
Quo tempore magis sit nobis orationi vacandum, apum ouiúmque exemplo commonemur. 514.a & seqq.
De tædio orationis & somno. 516.d
Vide, *Tædium & somnus.*
Quomodo se gerat anima in oratione dum tædio laborat. 521.d
Cur interdum nos Deus in oratione per desolationem & tædium videatur relinquere. 121.b
De ariditate in oratione, vide verbo, *Ariditas.*
De desolatione in oratione, vide verbo, *Desolatio.*
De longanimitate in oratione, vide verbo, *Longanimitas.*
De inspirationibus quæ in oratione sentiuntur suscipiendis, vide, *Inspiratio.*
Inspirationibus diuinis in oratione quàtopere attendendum. 541.c. & seq.
Oratio quædam indirupta Dei inspiratio videtur. 542.
Proprij status obligationes propter orationem nõ relinquendus. 548.c. & seq.
Proprij status functiones non sunt orationis impedimenta. 550.b

De illusionibus dæmonis in oratione.

Vide verbo, *Illusio.*
Tentationes in orationis via perpetiendæ. 553.d.& seq.

De perseuerentia in oratione.

Vide verbo, *Perseuerantia.*

De discretione in orationis exercitiis.

Vide verbo, *Discretio.*
Orationis materia qualis, & quot sint materiæ huius generis. 573.& seqq.
Vide verbo, *Materia orationis.*

Oratio affectiua.

Vide, *Iaculatoriæ, Aspirationes, Adfectus.*
De qualitate affectiuæ orationis. 1093.a
Affectiua oratio non semper à meditatione pendet. 1097.c
Affectiua oratio, meditatione vtilior atque perfectior. 1103.a
Facilior est & suauior. 1108.b
Duplex est affectus qui affectiuæ suauitatem declarat. 1112.b
Quos fructus pariat. 1116.a
Quomodo mentem à peccatis emendet. ibid.
Passiones cohibet. ibid.b
Terrenorum parit despicientiam. ibid.c
Affert secum quamdam sensibilem suauitatem. 1113.c
Affert vehemens desiderium placendi Deo & famem. ibid.e
Dei quamdam infert saturitatem. 1114.c
Ebrietatem ingerit spiritualem. ibid.e
Illa virium inferiorum subiectio comparatur. 1115.c
Difficilia quæque ducit facilia. ibid.d
Quæ sint affectiuæ orationis periculà. 1116.a
Amor sensibilis & spiritualis quomodo in affectiua differant. ibid.b
Sensibilis erga Deum amoris multum in affectiua reperiri. ibid.d
Ex hoc amore sensibili quod soleat periculum suboriri. ibid.e
Amor iste sensibilis suauissimus non est orationis finis. 1117.d
Cur hæc suauitas orationi adiuncta. ibid.
Perfectio quidem non in ista suauitate consistit. ibid.
Læsio corporis magnum in hac oratione periculum. 1118.c
Gulæ spiritualis periculum in affectiua oratione non minimum. 1119.a
Quid consilij in affectiua oratione capiendum. ibid.c
Nulla nos debent pericula ab ista oratione dimouere. 1120.b
Quæ sit orationis affectiua summa perfectio. ibid.d
Tres sunt huius orationis gradus. 1121.b
Hæc oratio adeò perfecta sine vsu intellectus ordinatiè non fit. 1123.c
Quibus mediis affectiua iuuetur. 1131.b
Aspirationum in oratione affectiua vsus. ibid.c
Qui ad hanc orationem admittantur. ibid.c
Orationes iaculatoriæ quantopere iuuent ad affectiuam. 1132.d
Quod in hac oratione orandi per affectum nil sit incommodi. 1140.c
Affectiua oratio meditationes non tollit, sed supponit & perficit. ibid.d
In hac oratione nec tempus teritur inutiliter, nec virtutum exercitatio prætermittitur. 1141.c
Qui se huic tradunt orationi Deum non tentant. 1142.c
Hæc oratio homines inertes non facit. 1143.d
Ab animarum cura non se vocat. 1144.c
Ad vitæ puritatem, intellectus subtilitatem, eloquij dulcedinem ordinatur. 1145.d
Affectiua oratio quomodo circa fidem, spem & charitatem exercenda. 1149.a & seq.

Orationes pro virtutibus postulandis.

Oratio qua denuo quis conuersus Deum orat. 1005.

Ordo.

Est optimus orationis comes ordo meditandorum. 422.c.& seqq.
Quantopere illum in omnibus rebus Deum amet. 423.b

Otium spirituale.

Otium spirituale non otium sed negotium. 1141.c

Ouum.

Quid apud Lucam 11. significet, & cur illi Scorpio opponatur. 31.d

P.

Passio Christi & quæ ad illam.

DE Passione Christi. 685.d
De Christi ante passionem in Ierusalem ingressu. 687.d
De Christi cœna in Bethania & venditione. 689.d
De Christi cœna vltima. 692.a
De lotione pedum. 693.c
De institutione Eucharistiæ. 695.c
De exitu Christi in hortum mœstitia, & oratione. 698.c
De Christi comprehensione. 702.a
Deductio Christi ad Annam. 705.b
Profectio ex Anna ad Caipham. 706.c
De trina Petri negatione. 709.a
Missio Christi ad Pilatum. 710.b
Quomodo cum Christo patiente compateretur SS. Virgo. 713.a
Qualiter Christo patienti compatiemur. 1057.c
Qualiter Christum patientem admirabimur. 1060.a
Quis sit qui patitur, quomodo, pro quibus, à quibus. ibid.d.& seqq.
Qualiter de Christo patiente exultabimus. 1062.a
Qualiter in Christi passione liquescs. 1064.c
Qualiter Christo patienti vnieris. 1067.d
Christi passio Deo offerenda. 1070.a

Passiones animi.

Vt passiones cohibeas exercitium sanè optimum. 995.a

Patientia.

Patientia Dei. 863.c
Quomodo affectum circa hanc virtutem exercere valeas. 1022.c
De imitatione patientiæ Christi. 1054.e

Patriarchæ.

Meditatio de Patriarchis. 797.b

Paupertas.

Quomodo circa illam affectus exercendus. 1028.b
De imitatione paupertatis Christi. 1047.c

Pax.

De pace Dei. 842.d
Deus pacis author. 843.d
Quærenda cum Deo. 1158.c

Peccatum.

De enormitate peccati. 593.d
De grauitate peccati ex natura eius. 594.c
De grauitate peccati ex causa eius. 595.d
De grauitate peccati à persona in quam peccatur. 596.c
De grauitate peccati ex pœnis. 597.b
De grauitate à bonis, quibus priuat. 598.c
De grauitate peccati ex multis malis quę infert. 599.a
De grauitate peccati ab iis quæ illi insunt. ibid.e
Peccata odio habenda latè docemur. 955.d
Dolor de peccatis, pudor, admiratio, propositum, petitio veniæ. 959.a
De peccatis exercitia sex.
1. Vt ea odio habeas. 953.d
2. Vt de admissis doleas. 959.a
3. Vt de illis maiorem dolorem capias. 961.b
4. Vt adhuc vehementius ab illis abhorreas. 964.c
5. Vt ea coram Deo confitearis. 968.a
6. Vt statuas non peccare & satisfacere. 971.d

Ad contemplationem minima peccata fugienda. 1235.b

Perfectio.

Diuina præsentia ad perfectionem extollimur. 1273.b

Perfectio Dei.

De perfectione Dei. 811.b

Perfectiones diuinæ.

Decas I.

Essentia Dei. 807.c
Spiritualitas Dei. 809.b
Eius simplicitas. 810.c
Immortalitas. 811.d
Perfectio Dei. 812.c
Eius infinitas. 813.b
Immensitas. 814.b
Immutabilitas. 816.a
Æternitas. 817.a
Vnitas. 818.b

Decas II.

Dei inuisibilitas. 819.d
Incomprehensibilitas. 820.c
Ineffabilitas. 822.a
Veritas. ibid.c
Veracitas. 823.c
Fidelitas. 824.d
Bonitas. 825.d
Pulchritudo. 827.d
Admirabilitas. 829.a
Vita. 830.c

Decas III.

Sapientia Dei. 831.c
Deus omnium artifex. 833.c
Deus consiliarius. 834.c
Deus lux. 835.c
Deus illuminator. 836.c
Profunda reuelans. 837.c
De amore Dei. 839.a
De zelo Dei. 841.c
De pace Dei. 842.d
Deus pacis author. 843.d

Decas IV.

De longanimitate Dei. 845.a
De misericordia Dei. 846.b
Deum esse consolatorem. 848.a
Deum esse protectorem. 849.c
Esse iustum. 850.d
Esse iustitias loquentem. 851.c
Esse rectum. 852.d
Esse iudicem. 853.c
Esse vltorem. 854.c
Esse terribilem. 855.c

Decas V.

Pietas Dei. 857.c
Beneficentia. 858.b
Affabilitas. 859.a
Liberalitas. 860.b
Fortitudo. 861.b
Magnificentia. 862.b
Patientia. 863.c
Benignitas. 864.c
Clementia. 865.c
Mansuetudo. 766.b

Decas VI.

Suauitas Dei. 867.c
Dulcedo Dei. 868.d
Sanctitas Dei. 869.d
Puritas Dei. 870.d
Quòd sit creator. 871.c
Quòd sit conseruator. 873.a
Eius prouidentia. 874.a
Quòd sit gubernator. 875.d
Quòd sit custos. 877.a
De dominio Dei. 878.d

Decas VII.

Quòd sit Dominus exercituum. 879.c
Quòd sit possessor cœli. 881.c
Quòd sit Rex. 882.b
Magnitudo Dei. 883.b
Sublimitas. 884.b
Celsitudo. 885.a
Amabilitas. ibid.c
Quòd sit desiderabilis. 886.c
Quòd sit laudabilis. 887.d
Quòd sit incomprehensibilis. 888.d

Decas VIII.

Quòd sit diues. 889.d
Quòd sit legislator. 890.c
Quòd sit omnipotens. 892.a
Beatitudo Dei. 893.a
Quòd sit saluator. ibid.c
Quòd sit merces nostra. 894.c
Quòd sit glorificator. 895.c
Quòd sit suscitator. 897.a
Quòd sit primus & nouissimus. 898.b
Quòd sit vltimus finis. 899.a

Decas IX.

Deum esse Trinum. 900.b
Esse Patrem. 901.d
Esse ingenitum. 903.a
Quòd sit à quo omnis paternitas. ibid.d
Quòd Deus est filius. 904.d
Deum esse verbum. 905.d
Esse imaginem. 906.c
Esse Spiritum sanctum. 907.c
Esse amorem. 908.d
Esse donum. 909.c

Perseuerantia.

Quanta perseuerantia sit in oratione necessaria. 560.d.& seq.
Quibus similes hi qui in oratione non perseuerant. 563.b
Optimum ad perseuerantiam in oratione remedium. 564.b.& seq.
Quænam ad hanc orationis perseuerantiam pertineant. 565.c
Quid in infirmitatibus faciendum circa perseuerantiam. 564.c
Perseuerantiæ beneficium. 922.c
Quomodo affectus circa illam exercendus. 1025.c

Petitiones.

Qualis reuerentia in petitionibus seruanda. 401.a
Quantopere sit necessaria in oratione petitio. 445.d
Cur petitio cordis dicatur effusio. 447.c
Petitiones hominibus molestæ Deo gratissimæ. 448.b
In Dei honorem cedit nostra ab ipso postulatio. 449.a
Causæ quamobrem velit Deus vt multa ab ipso petamus.
Prima vt ei honor tribuatur. 448.c
2. Vt omnium Dominus confiteatur. 449.a
3. Vt Patris in nos amorem demonstret. ibid.c
4. Quia cupit suos honorare. 450.a
5. Vt nos per has petitiones ad donorum acceptionem aliquid conferamus. ibid.c
6. Vt prædestinatio per hæc, quæ postulamus beneficia perficiatur. 451.a
Quid & quomodo in oratione mentali petendum. 452.a
Pro aliis postulandum. ibid.e.& seq.
Bona spiritualia & temporalia quomodo petenda. 453.c
Qui modus in quauis petitione tenendus. 455.d
Diuersi petendi modi ex parte postulantis. 457.c.& seqq.
Quo tempore inuet habitus petentis & diuersus assignatur. 458.b
Quatuor classes vnde rationes petemus, vt à Deo in petitionibus ex audiamur.
Prima, ex miseriis nostris. 459.c
2. Ex bonis operibus olim factis. ibid.e
3. Ex Sanctorum (præcipuè B. Virginis) intercessionibus. 460.d
4. Ex ipso Christo. 461.c
Quatuor requiruntur vt quis à Deo infallibiliter aliquid consequatur.
1. Si pro se petat. 463.d
2. Si piè petat, hoc est, ex fide, spe, & charitate. 464.b
3. Si vitam æternam, vel ad illam necessaria postulet. ibid.d
4. Si perseuerantem petat. 465.b
Quantopere sit ad postulandum necessaria fiducia & quantum illam nobis Christus commendarit. 468.a
Aliæ sunt causæ, quæ iuuant vt exaudiamur in petitionibus, exauditur qui bene viuit & sanctè. 469.a
Qui feruidè orat. 470.a
Qui resignato animo petit. ibid.c
Qui humiliter postulat. 471.a
Qui petit per Christum. 473.a
Qui Sanctos secum precatores adhibet. ibid.e
Qui adiungit ieiunia, afflictiones, & eleemosynas. 474.c
Qui cum sit familiaris Deo (vt qui perfectus sit) vim precibus Domino facit. 475.b
Cur aliquando nostris non annuat Deus petitionibus. 476.c
Cur in nostris petitionibus non exaudiantur & quando. 477.a
Quænam nos in petitionibus exauditos indicia sint. 480.c

Pietas.

De pietate Dei. 857.c

Piscis.

Quid apud Lucam 11. significet, & cur illi Scorpius opponatur. 31.d
Tobiæ piscis historia belle de oratione exponitur. 59.b

Præsentia Dei.

Quantopere sit ante orationem necessaria. 343.c.& seq.
Mosis exemplo ad Dei præsentiam hortamur. 344.a
Multipliciter Christus in oratione à nobis consideratur. 345.a.& seq.
Qua ratione à peccatore considerandus, & ab eo qui vult vitia expellere. ibid.e & seqq.
Rerum quas meditamur imagines ad nos trahere melius censetur. 347.c
De præsentia Dei per corporeas imagines. 348.c
De præsentia Dei sine imagine. 351.d & seq.
Quinque modi præsentiæ Dei declarantur. 352.c.& seqq.
Præcipuum est instrumentum ad contemplationem assequendam. 1248.e
Scriptura sacra assiduè nobis Dei præsentiam commendat. 1250.c.& seq.
Homo Dei præsentia & summi Regis numisma efficitur. 1251.b
Quatuor sunt quæ Dei præsentiam à nobis exigunt. Dei voluntas. 1254.d
Vera hominis nobilitas. 1255.b
Ius gratitudinis. 1256.a
Sanctorum imitatio. ibid.e
Dei præsentia ab hominum vilitate extrahit, atque Angelos efficit. 1255.c
Exempla præsentiæ Dei in Angelis, in lege naturali, scripta, & gratiæ. 1256.c

& seq.
Dei præsentia à malis eripimur. 1260.a
Ad peccatum fugiendum remedium perfectissimum. ibid.e
Validissimum remedium ad diaboli suggestiones superandas. 1263.a
Vitia Dei memoria destruimus. 1264.a
Potens est ad passiones moderandas. ibid.d
Nos ab aduersariis euentibus liberat. 1265.a
Martyribus tormenta dulcissima reddit. 1265.b
Diuina præsentia in omni bono promouemur. ibid.c
Dei præsentia ad omnia vtilis. ibid.d
Canali comparatur. ibid.e
Vtilis ad castum Dei amorem & custodiendum & augendum. 1266.a
Ad sapientiam generandum valet plurimum. ibid.d
Virtutes inserit, insertásque custodit. 1267.c
Corpus modestiæ decore circumdat. 1268.d
Hæc quasi per nebulam ab Stoicis tradita. 1269.a
Facit vt in bona opera incumbamus & ea optimè præstemus. ibid.b
Diuina præsentia pacem contemplationis inquirimus. 1270.e
Inanes & superfluas cogitationes expellit. 1271.d
Appetitus cohibet. 1272.c
Diuina præsentia ad perfectionem extollimur. 1273.b
Ad illam exhortamur. ibid.e
Dei præsentia miram tranquillitatem animíque lætitiam comparamus. 1276.a
Dei præsentia fortes nos efficit. ibid.d
Vt mundus sole, sic anima Dei exhilaratur præsentia. ibid.e
Tribus modis potest Deus præsens cogitari.
1. In imagine sensibili quis elucidatur. 1279.b
2. Absque imagine sensibili extra nos. 1283.b.& seqq.
Assidua Dei præsentia voluntatis affectibus informanda. 1286.a
Quomodo in rebus externis retinenda. ibid.c
3. Modus diuinæ præsentiæ, Deum intra nos intueri. 1287.a
Hunc præsentiæ modum olfeciſſe videntur Stoici. ibid.& seq.
Quomodo Deus in nobis sit hac præsentia vt in templo suo. 1288.d
Tribus modis potest. Deus per hanc præsentiam intra nosipsos considerari. 1290.b
Hæc præsentia an sit contemplatio vel ad contemplationem via. 1291.a
Præsentiam hanc donum esse Dei. ibid.c
Media quibus diuina gratiâ Dei præsentiam assequemur. ibid.c
Quàm facilè possit diuina gratia comparari. 1292.b
Vnde sit difficultas comparandi. ibid.e
Quinque præsentissima remedia huic difficultati subuenientia.
1. Cordis puritas. 1293.d
2. Diuinus amor. ibid.
3. Vera humilitas per Iordanem & Hermonem significata. 1294.b
4. Diligens sui excitatio. ibid.d
5. Assidua & humilis postulatio. 1295.b
Præceptum illud, *Oportet semper orare*, latissimè declaratur, & de præsentia Dei intelligit author. ibid.e.& seq.

Præsentatio Christi.

De Christi in templo præsentatione. 659.b

Proficientes.

Quænam illis pro materia in oratione assignanda, vide verbo, *Materia orationis.*
Affectus qui sint proficientibus exercendi, vide, *Affectus pro proficientibus.*

Prophetæ.

Meditatio de Prophetis. 797.b

Protectio.

De protectione Dei. 889.b

Prouidentia.

Dei prouidentia. 874.a

Proximus.

Quomodo te habebis erga proximum. 1088.d
De proximorum dilectione. 1165.b

Psalmus.

Quo à cantico differat. 95.b
Singula ipsorum verba diligenter cogitanda. 140.c
Vox est Domini præparantis ceruos. ibid
Nouem circa Psalmos adfectus iuxta Hugonem. 158.e
Quadraginta adfectus qui circa Psalmos exerceri possunt assignantur. 159.c
vsque ad 164.

Pulchritudo.

De pulchritudine Dei. 827.d

Puritas.

Dei puritas. 870.d
Affectus vt cordis diligas puritatem. 1000.e
De imitatione puritatis Christi. 1047.c
Cordis puritas custodienda. 1131.b
Puritas quantopere sit ad contemplationem necessaria. 1243.c

Q.

Quies.

QVartus est contemplationis gradus, & quid sit. 1403.c
Quid sit declaratur. 1404.a
Hæc quies est terra promissa. ibid.e
In hoc gradu anima post laborem sabbatizat. 1405.c
Hæc quies omnes virtutes solicitat. 1406.d

R.

Rachel.

EIus nominis interpretatio Dei nostrámque notitiam nobis exponit. 432.d

Raptus.

Nonus est contemplationis gradus. 1427.c
Raptus ecstasi perfectior. ibid.
Eius essentia & proprietates. ibid.d
Raptus Ezechielis qualis. 1428.b
Raptus sancti Pauli & sancti Francisci quales. ibid.& seq.
Raptus B. Dominici. ibid.
Raptus S.P.N. Ignatij. ibid.e
Raptus B. Tarasiæ de Iesu. 1429.a
Aliquorum huius ætatis. ibid.
Vnde raptus proueniant, & quid in rapto operetur. ibid.b
Raptus alter intellectus, voluntatis alter. ibid.
Quando raptus procedit ex lumine. ibid.c
Quando ex feruore. ibid.d
Raptus alius corporis, alius spiritus. ibid.
Quid raptus operetur in anima. 1430.a
In rapti corpore quæ fiant. ibid.e
Quid anima patiatur in raptu. 1431.e
Effectus raptus humilitas profundissima. 1432.d

Recta intentio.

Vide, *Intentio.*

Redemtio.

De beneficio redemtionis. 915.b

Regulæ ad discernendas reuelationes.

Quinque sunt regulæ.
1. Veritas. 1527.e
2. Vtilitas. 1528.b
3. Humilitas. ibid.e
4. Pax. 1529.b
5. Personæ, cui reuelatio fit, bonitas. ibid.e

Religiosus status.

Beneficium status religiosi. 918.d

Resignatio.

De resignatione exercitium sanè optimum. 1160.d

Resurrectio.

De Christi resurrectione & variis apparitionibus latè. à 735.b
vsque ad 748.e

Reuelatio.

Vide, *Visio.*
Quanti sit periculi reuelationes appetere. 1523.a
Cautè esse recipiendas. ibid.d
Non illis sanctitas metienda. 1524.b
Sanctorum exempla pro reiiciendis reuelationibus. ibid.d
Non tam ad illas, quàm ad illarum attendendum effectus. 1525.c
Non esse passim manifestandas. ibid.d
Non esse à Magistro spiritus abscondendas. 1526.d
Quanta in his illi sit obedientia præstanda. 1527.b
1. Signum veræ reuelationis est veritas. ibid.e
2. Vtilitas. 1528.b
3. Humilitas. ibid.e
4. Pax. 1529.b
5. Bonitas. ibid.e

Rex.

Deus Rex est omnium. 882.b

S.

Sacerdos.

QVasi totius mundi legatus quanta cum orat debeat puritate nitere. 97.d.& seqq.
Sine macula esse debet qualis Ecclesia à qua delegatur. 98.e
Si ad Deum delegatur, purus curet coram illo apparere. 598.b
Malus non meretur à Deo exaudiri. 907.d

Sacrificium.

Qua ratione Christo sacrificabis. 1080.a
Qua te ratione facies holocaustũ. 1082.b

Seculum.

De vanitate ſæculi. 600.e
De breuitate rerum ſæculi. 601.d
De exiguitate rerum ſæculi. 602.d
De fallacia rerum ſæculi. 603.b
De amaritudine rerum ſæculi. 604.a
De fragilitate rerum ſæculi. ibid.d
De miſeriis rerum ſæculi. 605.b
De periculis rerum ſæculi. 606.c

Salus.

Diſcreta corporalis ſalutis cura contemplatione neceſſaria. 1247.a

Salutatio angelica.

Vide, *Maria.*

Sancti.

Quæ ſint à Sanctis virtutes poſtulandæ. 1032.a
Sanctorum virorum præſentium vitáve functorum recordatio quid in anima efficiat. 1278.d

Sanctitas.

Dei ſanctitas. 869.d

Sapientia.

Quomodo affectum circa deſiderium ſapientiæ illiúſque filias, timorem, diſcretionem, ſimplicitatem poſſis exercere. 1023.a
De ſapientia Dei. 831.c

Scriptura ſacra.

De cognitione Dei per ſacram Scripturam. 1314.c
Cordis magis puritate, quàm librorum multitudine in illa proficies. ibid.e
Notitia Scripturarum ſupernaturalis eſt. 1315.d
Meditatio Scripturarum, ſapientem inter mundi turbines æquo animo eſſe perſuadet. ibid.e
Ad Scripturæ lectionem tempus quottidie deſtinandum. 1316.b
Quomodo legenda. ibid.e
Tria in quolibet Scripturæ loco facienda. ibid.

Seceſſus virium animæ.

Secundus eſt contemplationis gradus. 1396.d
Iſte ſeceſſus opus Dei eſt. 1397.b
In hoc ſeceſſu fit anima hortus Dei. 1398.a
Anima nimis debet attentè Deum audire, dum ad hæc interiora vocatur. ibid.e

Senſus corporis.

Vt quinque hos ſenſus mortifices exercitium. 992.a

Silentium ſpirituale.

Tertius eſt contemplationis gradus. 1399.e
Anima in interiori cubiculo modò loquitur, modò filet. ibid.
Anima in hoc ſilentio, modò videt, modò audit. 1400.b
Anima etiam dum filet diuinis laudibus diligenter operam nauat. ibid.e
Cauſa huius ſilentij eſt lucis magnitudo. 1401.b
Cauſa huius ſilentij eſt amoris magnitudo. ibid.d
In hoc ſilentio noſcit anima præſtare ſilere quàm loqui. 1402.b
Quàm diues ab hoc ſilentio anima egrediatur. ibid.e

Simplicitas.

Quomodo affectus circa illam exercendus. 1024.b
De ſimplicitate Dei. 810.c

Somnus.

Naſcitur ex tædio in oratione. 518.d

Somnus ſpiritualis.

Septimus eſt contemplationis gradus. 1419.d
Somnus aliquando eſt eceſtaſis inchoatio. 1420.c
Quomodo ad eceſtaſim reducẽdus. 1421.c
Diſcrimen inter ſilentium & ſomnum. ibid.e
Iacobi hiſtoria huius ſomni cauſas exprimit & effectus. 1422.a
Hunc Deus in anima diligenter obſeruat. ibid.e
Opus intellectus & imaginationis in ſomno an careat merito. 1442.e

Spes.

Quomodo affectus circa illam exercendus. 1025.d
De actuali vſu ſpei. 1150.b

Spiritualitas Dei.

De ſpiritualitate Dei. 809.b

Spiritus & ſpiritualis.

Spiritualis vir virtutum diuitias ſedulò curat, vt ad contemplationem aſpiret. 3.c
Spiritualis vir cur Oſpheus dicatur. 234.e
Spirituales viri cum carnalibus comparantur. 1530.e
Quanta ſit eorum fœlicitas. 1531.c
Sunt Dei amici. 1532.e
Quantus ſit virorum ſpiritualium ſplendor, quanta dignitas. 1533.d
Eos ad ſe vocat Deus. 1534.a

Spiritus diuinus.

Impensè deſiderandus. 1484.b
Quomodo illo à magnis minimiſq; peccatis auertamur. 1485.a
Quomodo ex hoc ſpiritu petitiones oriantur. ibid.c
Præparandus animus ad ſpiritum Dei recipiendum. ibid.e
Quomodo nos in eo gerere debeamus. 1486.c
Melle dulcior. 1489.c
Doctor eſt animarum. ibid.e
Quomodo nos ad Dei ſequelam inuitat. 1490.c
Quàm ſit dulcis. ibid.e
Quomodo ſit æqualis, & æqualiter doceat. 1491.d
Quæ ſit ſpiritus Dei diuerſitas. 1492.d
Vnde illa proueniat. 1493.b
Quando allicit ad bonum in generali quid præſtandum. ibid.e
Quæ ſequantur incommoda ſi de his non conſulatur Magiſter ſpiritualis. 1495.b
Quæ in ſpeciali bona poſtulet. ibid.e
Ad quid excitet. 1496.a
Qua diſcretione in hoc ſpiritu vtendum. ibid.e
Communiter ad res ordinarias inducit. 1497.c
Interdum actiones ſingulares inſtillat. 1498.c
Quis ſit finis ſingularium inſtinctuum. ibid.
Quomodo ad hos fines extraordinarios moueat Deus. ibid.e
Spiritus diuinus quædam ſuggerit vt perfectè, quædam vt ex parte fiant. 1499.b
Inſpirat bonum nunc quidem vt in ſe vel in aliquo ſimili fiat, nunc verò ſolùm vt quis Deo ſuam voluntatem ſubmittat. ibid.
Hic ſpiritus dæmoniacum excitauit, vt ex parte Chriſtum ſequeretur. ibid.c
Dauidem impulit ad deſiderium templi exædificandi. 1500.a
Exponitur impulſus Dauidicus. ibid.
Quomodo Deus multa non præſtanda inſpirat. ibid.e
Deus ſemper recta inſpirat. 1501.a
Spiritus Dei diſcretionis metas non excedit. ibid.d
Docet ordinariè procedere. 1502.a
A Deo poſtulandus. ibid.c
Non eſt proteruus, ſed docilis. ibid.d
Prælatis obediendum diuinus docet ſpiritus. 1503.a
Pacem infundit, ad puritatem inclinat. ibid.b
Iudicij abnegationem expoſcit. ibid.d
In anima conſolationes relinquit. 1504.a
Variis modis animas alloquitur. 1505.a

Spiritus humanus.

Spiritus humanus quatenus audiendus. 1488.b.& ſeq.
Quomodo cognoſcendus. 1517.e
Quomodo ſe habeat circa cognitionem. 1558.b
Quomodo ſe habeat circa virtutis deſiderium. ibid.d
Quid dictet in mortificationis ſtudio. 1519.b
Quid ſentiat circa exercitia interiora. ibid.e
Quid circa exteriora. 1520.c
Sæpiſſime admiſcetur rebus ſpiritualibus. 1521.c

Spiritus diabolicus.

Quid ille ſit. 1480.e.1483.a
Quomodo ſpiritus iſte ſuggerat. 1480.c
Quid ſpiritus diabolicus Antonio reſponderit. 1481.e
Conditionem natiuam aſſumit contra nos. 1482.a
Quomodo per amicos alloquatur. ibid.b
Quàm ſit difficile noſcere à quo procedat. ibid.c
Quàm ſit iſte callidus. 1483.d
Initium eſt omnium malorum. 1487.b
Semper fugiendus. ibid.e
Apertè & occultè inſtigat ad malum. 1506.a
Ad quæ mala impellat manifeſtè. 1507.b
Quibus modis ſpirituales viros à virtute deiiciat. ibid.e
Quæ mala colligat ex elationis ſemine. 1508.c
Quomodo charitatem conatur extinguere. ibid.d
Quibus technis contegat quando nos occultè aggreditur. 1509.a.& ſeq.
Plures aliæ illius recenſentur aſtutiæ quibus nos intendit decipere. ibid.& ſeqq.
Blandè aliquando adorietur. 1511.d
Ne occaſio deſeratur curat ſtrenuè. ibid.
Minima proponit vt ſenſim ad grauiora propellat. 1513.d
Suadet bona vt trahat ad malum. 1314.b
Cur ineptas ingerat cogitationes. ibid.d

Hominum se affectibus diligenter accommodat. ibid.e
Quærendus modus diabolicas suggestiones cognoscendi. 1515.b
Quomodo hi spiritus dignoscuntur. ibid.c
Quomodo in progressu suggestionis detegatur. 1516.b
In fine impulsus quomodo & an à diabolo sit deprehendatur ibid.c
Quibus mediis aduersus diaboli insidias pugnandum. 1517.a
Bellissimis hoc comparationibus à P. N. Ignatio mutuatis declaratur. ibid.c

Stoici.

Quid de affectibus docuerint. 941.a

Suauitas.

Dei suauitas. 867.c
Quanta sit contemplationis gradibus coniuncta suauitas. 1468.b
Sensibilis suauitas contemplationis, quæ & quanta. 1469.b

Suauitas spiritualis.

Quid illa sit. 50.c
Difficultatem in bonis operibus amouet. ibid.d
Sicut oleum animam emollit. ibid.
Consolatione diuiturnior. ibid.
Cum oleo latè comparatur. 500.d
Est panis oleatus. 501.b
Multa nobis importat bona. ibid.
Mirabiles eius effectus. ibid.d
Hæc ab oratione mentali ortum habet. 502.c
Sine aliqua præuia dispositione nostra hanc solet Deus in nobis per seipsum efficere. ibid.
Quæ sit causa cur Deus hoc modo nobis donet hanc suauitatem. 503.a
Orationis mentalis præsidio hæc suauitas excitatur. ibid.b
Quanti valoris sit hæc spiritualis suauitas. ibid.e
Ardenter desideranda postulanda & quare. 504.c
Est vnguentum sponsi. ibid.d
Dolendum cum abscedit.

Sublimitas.

Dei sublimitas. 484.b

Suggestio.

Vide, *Discretio spirituum.*

Superbia.

Vt superbiam euertas exercitium sanè optimum. 989.e
Quantopere detestanda. 1045.d

Suspensio.

Suspensio mentis in contemplatione, latè. 1364.c
Quotuplex sit. ibid.

T.

Taciturnitas.

QVomodo circa hanc virtutem affectus possis exercere. 1022.d

Tædium.

Quid sit & quæ afferat damna. 516. d & seq.
Cum est tædium somno solemus opprimi. 518.d
Tres assignantur tædij causæ. 519.b
Ex nostra culpa oritur. ibid.d
Ex impugnatione diaboli procedit. 520.d
Huic causæ duplici remedio obuiam itur. ibid.
Ex Dei ipsius permissione. 521.d
Huius permissionis tres causæ assignantur. ibid.e
Quomodo se geret anima tum tædio laborat. 522.d
Anima quæ ob tædium ab oratione recedit, quibus similis. 523.a

Templum.

Præcipuus orationi locus. 107.a
Nos templa vbi orandum. 372.b
Præcipuus orationis etiam mentalis locus. ibid.e
Consuetudo orandi in templo vel versus illud. 373.b
Templi laudes. ibid.e

Tenebræ.

Tenebræ super vniuersam terram passionis tempore quid ostenderint. 375.c

Tentationes.

Tentationum consolationúmque vicissitudo in vita necessaria. 553.d

Tepidus & tepiditas.

Mentis tepiditas euagationis causa. 410.c

Thymiama.

Orationis Symbolum, eius compositio ad ordinationem declarandam apprimè declaratur. 60.d

Timor.

Affectus vtrte in Dei timore contineas. 1003.a. & 1023.d

Trinitas.

Deum esse Trinum. 900.b
Esse Patrem. 901.d
Esse ingenitum. 903.a
Ab ipso est omnis Paternitas. ibid.d
Esse Filium. 904.d
Esse verbum. 905.d
Esse imaginem. 906.e
Esse Spiritum sanctum. 907.e
Esse amorem. 908.d
Esse donum. 909.c
Trinitas & vnaquæque persona carmine laudata inuocatur. 927.c

V.

Veracitas.

DE veracitate Dei. 823.e

Veritas.

De veritate Dei. 822.e
Quomodo circa veritatis virtutem affectus sit exercendus. 1027.a

Viduæ.

Meditatio pro SS. viduis. 803.a

Virgines.

Meditatio de SS. Virginibus. ibid.

Virtus.

Quantopere boni affectus virtutibus comparandis inseruiant. 940.b
Virtus est affectus cohibere, non item illis carere. ibid.d
Quomodo affectus virtutis comparandæ sint conseruandi egregiè ostenditur. 941.c,d
Solidarum virtutum affectus præcipuè sectandi. 945.b
Quæ virtutes ab Angelis postulandæ. 1028.e
Quæ à Sanctis postulandæ. 1032.a
A Patriarchis fides, spes à Prophetis, charitas ab Apostolis, à Martyribus fortitudo. ibid.e
A Pontificibus solicitudo, à Doctoribus sapientia, à Confessoribus obedientia, castitas à Virginibus. 1033.c
Quæ sint à SS. Virgine Matre Maria virtutes postulandæ. 1034.b
Tutius est virtutes Sanctorum quàm eorum miracula æmulari. 1117.c

Visio Christi corporea.

Decimus est contemplationis gradus. 1433.a
Quotuplex sit hæc visio. ibid.c
Qualis illa sit. 1434.a
Non decipimur quando Angelum corporea forma Deum repræsentantem intuemur. ibid.e
Imagines corporum in quibus Angeli apparent sunt decentissimæ. 1435.c
Quæ apparitionum vtilitas, quæ causa. 1436.c
Quid facturus homo cui talis apparitio offertur. ibid.e
Ad veram sanctitatem non spectant. 1437.a
Apparitiones fugiendæ, non expetendæ. ibid.c
Nullus audeat illa petere. 1438.b
Qui illas respuet, & si habet quomodo in illis se gerat. ibid.e
Quomodo fiant. 1439.c

Visio imaginaria

Vndecimus est contemplationis gradus. 1440.b
A quo fiat, quibus instrumentis, quid per eam innotescat. ibid.e
Quando hæc accidat. 1442.c
Quadrupliciter haberi potest. 1443.d
Quid in hac debeat apparitione præstari. 1445.c

Visio intellectualis.

Vide, *Manifestatio Dei.*
Duodecimus est contemplationis gradus. 1445.e
Quæ sit illius efficax causa. 1446.a
Hac Moyses, aliique illustrati. ibid.d
Credibile est B. Virginem in somnis per species infusas visiones intellectuales habuisse. 1447.b
Quid hac visione anima videat. ibid.e
Qualis fuerit visio Pauli. 1448.c
Duobus modis Christus videtur intellectualiter. 1449.b
Qualis sit persona, quæ in hac visione apparet. ibid.d
An huiusmodi visione Christus B. Francisco apparuerit, dum stigmata illi impressit. 1450.a
Quomodo Christus intellectualiter distincte appareat. ibid.c.& seqq.
Quomodo visio obscura, clara & media distinguantur. ibid.d
Qualis B.P.N.Ignatij visio. 1451.c
Quibus instrumentis fiat. 1452.b
Nulla in visione purè intellectuali dæmonis reperitur illusio. ibid.e

Visio Dei in caligine.

Tertiusdecimus est contemplationis gradus. 1453.d
Tribus modis hæc visio contingit. ibid.
Definitur hæc visio. 1454.b
Hæc præsignata in ascensu Moysis in montem. 1456.b
Qualis sit Dei notitia in hoc gradu. 1457.a
qualem conceptum Dei in hac caligine anima formet. ibid.c

Visio intuitiua Dei.

Quindecimus est contemplationis gradus. 1463.a
An mortalium quispiam hunc fuerit contemplationis gradum assequutus. ibid.d
Scriptura videtur id negare. ibid.e
Scholasticis probabile censetur id aliquibus contigisse. 1464.b
Moses an clarè viderit. ibid.c
& qua visione. ibid.e
Quid de D. Paulo sentiendum. 1465.b
Quomodo in hac visione intelligenda verba illa: *Non videbit me homo, & viuet.* 1466.a
An quoties B. Virgo Deum viderit. ibid. c.& seq.
Id diuo Augustino concessum sunt qui asserant. ibid.d
D. Benedicto nonnulli. ibid.e
Ægidio Seraphici Francisci discipulo nonnulli tribuunt. 1467.a
Non improbabiliter idem poterit S.P.N. Ignatio concedi. ibid.b
Quid de hac visione mystici Doctores sentiant. ibid.

Visitatio Virginis.

Elizabetham Virgo inuisit. 774.c

Vita actiua & contemplatiua.

Angelorum exemplo vtraque iungenda. 5.b
Nullo modo sunt sibi contrariæ. 552.a
Actiuæ nobis & contemplatiuæ exempla B. Virgo reliquit. 787.b

Vita spiritualis.

Consolationis & tentationis vicissitudines habet. 553.d
Bene magna illius pars compescendis affectibus continetur. 941.a

Vita Christi.

Vide, *Christus.*

Vita Dei.

De vita Dei. 830.c

Vitium

Amatori contemplationis vitia perimenda. 1236.b

Vnio.

Qua ratione Christo patienti vniemur. 1067.d
De postulatione condicibilium ad vnionem. 1161.d
De aspiratione ad diuinam vnionem. 1162.c
De renouatione vnionis cum Deo. 1164.c
Quintus est contemplationis gradus. 1407.c
Quomodo fiat animæ vnio. ibid.d
Quod donum sit exponitur. ibid.e
Quomodo intellectus & voluntas se habeant in hac vnione. 2408.b
Quomodo Deus in hac vnione animæ se præsentem ostendat. 1407.e
Hanc vnionem quæ suspiria præcedant. 1408.c
Hæc vnio recondita mysticáq; est Theologia. 1409.d
Quid anima in hac vnione experiatur exponitur. 1410.d
Quomodo hic affectus à reliquis differat. 1411.c

Vnitas.

Dei vnitas. 818.a

Vocatio.

Opera vocationis non impediunt orationis exercitium. 548.c.& seq.
De beneficio vocationis. 916.c

Voluntas.

Qui ab illa affectus. 935.a
Quomodo hi differant ab affectibus appetitus. 936.a
Quomodo in bonum vel malum possint conuerti. 937.c
Decem illorum causæ. 938.a
Quæ sint causæ bonitatis & malitiæ in affectibus qui à voluntate oriuntur. 939.b
Qui fructus ab istis, qui ab illis procedant. 940.a
Quàm sit affectuum opulentia. 941.c
Voluntas & intellectus duo spiritualis itineris pedes. 945.c
Christi voluntas nostra illi conformanda. 1008.a

Voluptas.

Spiritus voluptas, corporis voluptatibus longè præstantior. 1277.d
Corporis voluptates mœrorem ingerunt, non item animi voluptates. ibid.d

Z.

Zelus.

DE zelo Dei. 841.c

Indicis, ac totius operis finis.

BIBLIOTECA PROVINCIAL
PALENCIA

1.010